DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
SEU PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
Circa Theologiam Moralem, ac Disciplinam Ecclesiasticam
DECISIONES:
E sacris Scripturis, Conciliis, SS. Patribus, Pontificum Romanorum Decretalibus, celeberrimis Theologis & Canonistis depromtæ.

AUCTORE

JOANNE PONTAS,
PRESBYTERO, FACULTATIS PARISIENSIS,
Juris Canonici Doctore, atque Ecclesiæ Parisiensis Propœnitentiario.

EDITIO NOVISSIMA,
Ceteris multo emendatior, & quam maxime auctior ac locupletior.

Cui potissimum attexitur,

TAMQUAM TOTIUS OPERIS COMPLEMENTUM,

ALTERUM DICTIONARIUM CASUUM CONSCIENTIÆ,

A DD. DE LAMET ET FROMAGEAU
Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctoribus concinnatum.

ACCESSERUNT

D. EUSEBII AMORT CANONICI REGULARIS LATERANENSIS
MENDA PONTASIANA, sive Observationes quædam in opus Pontasii adornatæ:

NEC NON

FR. DANIELIS CONCINA ORDINIS PRÆDICATORUM
Animadversiones Critico-Morales in præfata MENDA PONTASIANA:
Qui & Præfationem ad Lectorem, & Auctarium duorum Casuum

ADJECIT.

Omnia vero ad planiorem Studiosorum Theologiæ Moralis usum, nunc demum opportuniori consilio in unum congesta, ac suis quibusque locis utiliori methodo inserta.

TOMUS SECUNDUS.
E—O

VENETIIS, MDCCLXXIII.
APUD ANTONIUM BORTOLI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DICTIONARIUM
CASUUM CONSCIENTIÆ,
S E U
PRÆCIPUARUM DIFFICULTATUM
CIRCA MORALEM, AC DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM,
DECISIONES,
E Scripturis, Conciliis, Pontificum Decretalibus, Patribus, necnon Celeberrimis, Theologis, & Canonum peritis.

EBRIETAS.

EBRIUS, is dicitur, qui immoderate haustis vini, alteriusve liquoris poculis rationis usum amisit: Ebriosus vero is nuncupatur, cui mos est immodice vino utendi.

Ex omnibus vitiis nullum reperias, quo homo ad bruti naturam magis accedat; quia vino sepultus rationem amittit, qua ab eo secernitur, & cujuslibet fit societatis incapax: Hinc peccatum illud natura sua est mortale, ac perquam raro fit veniale: Licet enim ad vitæ tutelam sit potus necessarius, huic natura suos præscripsit limites; quos vel ipsæ non prætergrediuntur belluæ, quosque proinde transgredi turpe est homini, atque creatura rationali indignum. Unde colligendum est, hominem, qui voluntarie vino mentem obruit, coram Deo omnium ebrietatis suæ pravorum effectuum fieri conscium. In sacræ Scripturæ locis ad marginem indicatis legi potest, hæc esse potissimum solita magis & naturali ebrietatis effecta.

1. Impudicitiæ vitium, ut declarant ista Sapientis verba (a): *Luxuriosa res vinum*: atque hæc alia divi Paulli (b): *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

(a) Proverb. 20. 1.
(b) Ephes. 5. 18.

2. Vitium iræ atque violentiæ: unde a Sapiente *tumultuosa ebrietas* nuncupatur. Quæ veritas cuique quotidiana experientia fit evidens ac manifesta; & cujus luctuosa imprimis exempla apud Historicos leguntur: qualia refert Plutarchus de Alexandro, quem post devictos Persas adeo immodice vino fuisse deditum asserit, ut in convivio potiori nobilissimo summam in præmium addixerit, quæ sexcentos monetæ Galliæ nummos implebat, Calistenemque, unum e suis amicis, largiora abnuentem vini pocula, in cavea ferrea cum canibus includi jusserit, in qua veneno se ipsum interemit. Fertur etiam ab eodem Historico. Regem hunc vino temulentum, e suis Ducibus fortissimo, cui nomen erat Clytus, vitam ademisse, anno a Roma condita 426. qui eum in eadem ad Granicum pugna ante sexennium morti eripuerat, abscissa Roscidi manu, qui Regi morte minabatur: quare Rex ille, discussa crapula, cum indignum suum facinus accepisset, adeo ingenuit, ut etiam lacrymas effuderit, manusque sibi violentas offerre non sine disperatione tentarit. Hæc sunt funesta ebrietatis effecta, ad alia multa, quæ producit, mala; ex quibus manifeste ostenditur, Christiano viro, immo & sola ratione utenti eam odio esse habendam.

CASUS PRIMUS.

AURELIUS, vino non assuetus, inebriatus est, quod non vim ejus perspectam haberet, aut nondum expertus esset, quantum ejus copiam haurire poterat, absque ebrietatis periculo. Nonne in eo mortaliter peccavit?

RESPONS.

(a) S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 5. ad 2.

Existimat sanctus Thomas (a), hujusmodi hominem in tali casu non peccare mortaliter, sed tantum venialiter, si tali modo fuisset dispositus, ut a potu abstinuisset, malum inde sibi futurum prævidendo. Tunc enim malum illud ipsi præter intentionem & fortuito contigisse dici posset. *De ebrietate vero dicendum est*, hæc sunt Angelici Doctoris verba, *quod secundum suam rationem habet quod sit peccatum mortale ..... sed quod sit peccatum veniale contingit propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem: puta cum homo nescit virtutem vini, aut propriam debilitatem, unde non putat se inebriari. Tunc enim non imputatur ei ebrietas ad peccatum, sed solum superabundantia potus.* Ac de hujusmodi tantum ebrietate inebriatum fuisse Noemum existimatur, quod tum primum vinum biberet, nec adeo virtutem ejus sibi notam haberet.

Sed si tali homini propria sua experientia notus esset vini effectus, seu quoad vim liquoris, aut debilitatem suæ temperaturæ, qua absque ebrietate certam non posset haurire copiam, a mortali excusari nequit, quia in hoc casu voluntaria est ipsius ebrietas, atque sufficientem vini in se effectibus consensum præbuisse censetur. Ita alibi docet sanctus Thomas his verbis (b): *Culpa ebrietatis consistit in inordinato usu & concupiscentia vini. Hoc autem contingit esse tripliciter; uno modo, sic quod nesciat potum esse immoderatum & inebriare potentem, & sic ebrietas potest esse sine peccato ..... Alio modo, sic quod aliquis percipiat, potum esse immoderatum, non tamen æstimet, potum inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat, potum esse immoderatum & inebriantem; & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere: & talis proprie dicitur ebrius .... & sic ebrietas est peccatum mortale: Quia secundum hoc homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat: & sic peccat mortaliter periculo peccandi se committens.* Cum sancto Thoma hac in re consentit sanctus Antoninus (c), qui asserit credibile esse, non peccasse Noemum se se inebriando (d), quia vim inebriativam vini ignorabat: atque id ipsum probat ex his sancti Ambrosii verbis, a Gratiano relatis (e): *Primus Noe vineam plantavit: dedit naturam, sed ignoravit potentiam.*

(b) Idem. 2. 2. q. 150. art. 2. in corp.

(c) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 6. c. 3. §. 1.
(d) Genes. 9.
(e) S. Ambr. in can. *Sexto die* §. 2. dist. 35.

Ex hac sanctorum Thomæ & Antonini doctrina facile colligi potest, in casu proposito mortaliter non peccasse Aurelium, ac fieri posse, ut, ne venialiter quidem deliquerit.

CASUS II.

PASCHALIS, Dionysium ad cœnam invitatum adeo enixe ac tam frequentibus pocula ad potum excitavit, ut inebriatus fuerit. Nonne ipsius peccati particeps est Paschalis, ita ut ejus coram Deo sit conscius; licet ipsum temulentum facere non intenderit?

RESPONS.

(f) S. Thom. 2. 2. qu. 170. art. 2. ad 3.

Ad propositam sibi quæstionem hujusmodi his verbis respondet sanctus Thomas (f): *Sicut ille qui inebriatur*, inquit sanctus Doctor, *excusatur a peccato, si ignorat fortitudinem vini, ita etiam ille qui invitat aliquem ad bibendum excusatur a peccato, si ignoret, talem esse conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur, sed si ignorantia desit, neuter a peccato excusatur.*

Ut igitur allatæ quæstioni fiat satis, distinctione opus est; nam vel existimavit Paschalis ad tam frequentia invitans pocula, Dionysium inebriatum iri, vel non: Si primum judicaverit, nec eo minus eum invitare destiterit; procul dubio ipsius peccati factus est particeps, ut constat ex verbis sancti Thomæ, & probat sanctus Antoninus (g), auctoritate sancti Ambrosii, quam in decreti sui canone laudat Gratianus (h). Si vero nullam de ejus ebrietate suspicionem Paschalis habuerit; dicendum, eum peccati Dionysii non esse participem, nec peccasse, saltem mortaliter.

(g) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 6. c. 3. in fin. §
(h) S. Ambr. in can. *Sane*, 7. 21. q. 2.

CASUS III.

THEOTIMUS, omnino temulentus, multoties in sanctum Dei nomen impia verba & blasphemias protulit, vel etiam injuriis ac verberibus quempiam affecit: Numquid horum scelerum in conscientiæ foro conscius est, licet in hoc statu non esset compos suæ rationis?

RESPONS.

Si absque sui culpa in ebrietatem incidit Theotimus, ut quandoque, licet perraro, contingere potest: ac penitus rationis usu careret, non conscius est impiorum verborum, quæ protulit, aut facinorum quæ ebrius commisit: sed contrarium penitus est dicendum, si sciens volensque inebriatus fuerit: In hoc enim casu, cum in sua caussa voluntaria sint impia ejus in Deum verba & blasphemiæ, nec non facinora, quæ admisit, ex iis coram Deo fit reus, licet directe & in seipsis non sint voluntaria.

(i) S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 4. in corp.

Id docet sanctus Thomas (i), quando istam perpendens quæstionem, utrum videlicet ebrietas excuset a peccato; ita distinguit. *In ebrietate*, inquit, *duo attenduntur ..... scilicet defectus consequens & actus præcedens. Ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare a peccato, in quantum causat involuntarium per ignorantiam; sed ex parte actus præcedentis, videtur esse distinguendum: quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato; tunc peccatum sequens totaliter excusatur a culpa, sicut forte accidit de Loth. Si autem actus præcedens fuit culpabilis; sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii.*

(k) S. Joan. Damascenus. lib. 2. de fide orthodo. c. 24.

Congruit hæc doctrina Angelici Doctoris cum ista sancti Joannis Damasceni (K), qua sic habetur: *Per ignorantiam tum demum aliquid invite fit*, inquit hic sanctus, *cum nos imprudentiæ caussam haud quaquam præbemus; sed casu res ita contingit: etenim si quispiam vino obrutus eadem perpetravit; errore quidem & inscitia ductus eam admisit, at non item invite; ignorationis quippe caussam, hoc est, ebrietatem ipse accersivit.* Ita quoque docet Alphonsus Tostatus, dictus Abulensis (l). His omnibus addi potest auctoritas Concilii Venetici an. 465. habiti (m), quod loquens de Clericis, qui propria culpa inebriantur, declarat, eos in conscientiæ foro reos esse de peccatis, quæ in hoc statu committunt; neque ex præsenti eorum ignorantia posse ullatenus excusari. *Ignorantia talis non potest non subjacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit* (n).

(l) Abulensis in Matth. c. 25. q. 166.
(m) Concil. Veneticum. can. 13.

(n) de Genet. c. 6. tract. 7. cap. 3. q. 12.

CASUS IV.

EPIPHANIUM, hominem plebejum, tres quatuorve bellici ductores, vino dediti, quibus cum erat, cogere voluerunt ad bibendum immodice; quod cum is denegaret, unus ex iis præsentem ei mortem ense suo minatus est, nisi secum pergræcaretur. Cui rei salutis suæ caussa assensus, cum cæteris inebriatus est. Numquid in hoc casu mortaliter peccavit?

RESPONS.

(o) Rom. 3. 8.

Ut paucis solvatur hæc difficultas, illud Apostoli usurpamus (o): *Non faciamus mala, ut veniant bona*; & dicimus, nullo in casu licitum esse peccare mortaliter ob quemlibet metum, ut ait Innocentius III. ad Episcopum Nidrosiæ in

No-

(a) Tab. ttt. in cap. Sacris. 6. de his qua vi, metuve causa fiunt, l. 2. tit. 30.

Novergia scribens (a): *eam pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere*. Atqui ebrietas procul dubio lethale est peccatum; peccati namque qualitas & gravitas ex ejus oppositione cum ratione ducitur. Ebrietas autem rationi omnino est opposita, cum ejus usum excludat; nec minus aliunde corporis vires, quam vim animi extinguat. His adde, vitium illud non minus charitati, quam rationi repugnare, cum animum ad voluptatem qua etiam carent belluæ, convertens, eumdem a Deo avertit, qui solus est supremum illius bonum, eumque ad funestam ducat necessitatem, multa quandoque admittendi scelera, ubi sese offert occasio: ex quo inexcusabilis est ebrietas, cum lethalis culpæ periculo se ipsum committere nunquam liceat. Unde sanctus Ambrosius (b) de nefando loquens incestu quem Loth ebrius admisit: *sane discimus*, inquit, *evitandam ebrietatem per quam crimina cavere non possumus. Nam quæ febrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus*.

(b) S. Ambr. lib. 9. de Abraham c. 6. fen n. 5. in canon. Sane, 7. 15. q. 1.

Concludamus igitur, non posse inebriari Epiphanium, nisi lethalem admittendo culpam, quamvis ita gesserit mortis metu impulsus, quam potius ferre, quam Deum mortaliter offendere debebat juxta illud Christi Domini (c): *Qui enim voluerit salvam facere animam suam, perdet eam*. Qui prolixiores hujusce rei probationes requirent, Fagnanum adeant, qui de ea fusa disputat (d).

(c) Matth. 16. 25.

(d) Fagnan in cap. A crapula 14. de vita & honest. Clericorum n. 26. & seqq. & in cap. Audivimus. 1. de Reliquiis & venerat. Sanctorum n. 30. & seqq.

CASUS V.

Oliveatus, tertiana febre jam dudum laborans consulto vino indulsit & inebriatus est, ut vomitum sibi provocaret, quam præsentissimum & certissimum ex omnibus morbo suo remedium judicavit ipsius Medicus. Nunquid id ipsum potuit absque mortali peccato?

RESPONS.

Absque culpa mortali inebriari non potuit ille, ut vomitu quem cieret crapula tertianam febrim sanaret. Cujus rei istam rationem affert S. Thomas (e): *Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod sit potus inebrians*, inquit Angelicus Doctor, *quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat*: addo, quod innumera ferme sint alia quæ vomitum provocare queunt: *& ideo*, subjungit, *propter hanc caussam non excusaretur aliquis ab ebrietate*. Quæ ultima verba satis aperte indicant existimare S. Thomam, hominem talem a peccato mortali in hoc casu non esse immunem: cum ex ipso ebrietas natura sua sit lethale peccatum. Unde secundum hunc sensum S. Thomam intelligit & explicat S. Antoninus, addens (f): *Non excusaretur per hoc quis ab ebrietate secundum Thomam*, ait hic Sanctus Archiepiscopus, *quamvis facret caussa medicinæ: & per consequens peccaret mortaliter fumeus, nisi crederet ex illo potu non posse inebriari; & similiter Medicus, vel alius, qui hoc sibi scienter consuleret, vel propinaret hoc æstimans*. S. Thomæ & Sancto Antonino consentiunt Angelus de Clavasio, Bartholomæus Fumus, Baptista Trovamala, Toletus, & alii plurimi (g).

(e) S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3.

(f) 2a. S. Anton. tit. 2. Sum. Th. 6. c. 3. §. 2.

(g) Angelus v. Ebrietas q. 2. Bartholom. Fum. Armilla v. eod. n. 5. Baptista Trovamala in Rosella ibd. v. Fr. Toletus instr. Sacerd. l. 8. c. 61.

CASUS VI.

Patroculus haustis vino aliisque immodice e vino stillatitiis liquoribus, judicii tamen rationisque compos, in castitatem lethaliter peccavit; novit penitus, se eidem libidini post hujusmodi intemperantias multoties indulsisse. Qua de re quæritur, utrum hic homo cum hodierna die non minus immoderate potaverit, dici queat ebrietatis aut intemperantiæ peccatum admisisse, etsi impudicitiæ actum non commiserit?

RESPON.

Navarrus & Toletus existimant, hominem in casu Patroculi positum mortaliter non peccare, vinum & liquores perpotando: *Si non eo fine utatur*, inquit Toletus, *nec sit ei periculum consensus in delectationem*. Sed e contra dici potest in casu proposito Patroculum ex ipsis Auctorum istorum rationibus a mortali non esse immunem, idque ob duplicem rationem. 1. Quia propria novit experientia, quam verum sit illud S. Hieronymi ad Oceanum scribentis dictum (h): *Venter vero mero æstuans cito despumat in libidines*. Et istud Juliani Pomerii: *Luxuriam facit & nutrit vini perceptio nimia* (i): 2. Quia huic non potuit indulgere intemperantiæ, nisi certo ferme illud admittendi vitium periculo se committendo, ut ex præteritis suis lapsibus novit: quod sufficit, ut culpæ lethalis fiat reus, cum quis voluntarium pecandi lethaliter periculum subire nequeat, nisi peccando lethaliter, juxta illud Ecclesiastici: (K) *Qui amat periculum in illo peribit*.

(h) S. Hieron. in can. Venter. 5. dist. 35.

(i) Apud sanctum Prosper. in cap. Luxuriam. 7. dist. ead.

(k) Eccli. 3. 16.

Vide Intemperantia.

Rem multis Parochis & Confessoribus qui vel in oppidis vel rure habitant, pergratam nos facturos existimamus, si novum eis concientiæ casum de ebrietate communicaverimus, quem 12. Januarii ann. 1720. dissolverunt clarissimi D. D. Decanus, Syndicus, & Doctores numero viginti sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis; verum quidem est, decisionem istam a defuncto D. Lamberto, & dumo & societate Sorbonica jam typis fuisse mandatam; sed quia sola & separatis foliis excusa est, quam proinde moraliter impossibile est ad multorum pervenisse notitiam, qui in variis Regni Provinciis, aut alibi habitant; id nobis persuasum est, eos, ad quos perveniet Dictionarium nostrum, non sine quadam animi voluptate eamdem illam decisionem in qua præcipue elucet tum eruditio, tum sapientia Doctorum illorum, esse accepturos. En igitur casus eodem sensu Latine expositus quo vernacule promulgatus est.

Parochus, qui suo fungi officio, regulasque in administratione Sacramenti pœnitentiæ observare cupit, in regione vineis consita, beneficium obtinet. Unde fit, ut passim reperiantur multi vino dediti. Ne autem vel nimia duritie, aut molliori indulgentia utens, animæ suæ detrimentum patiatur, clarissimis viris Doctoribus sequentes proponit quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid de ebrietate cogitandum sit, & quæ sit illius peccati gravitas?

RESPONS.

Id ab initio statim advertere necesse est, multos esse posse ebrietatis gradus: Est quoddam ebrietatis genus, quod ad immoderationem usque manifeste attingit. Qui isto ebrietatis genere implicantur, evidenter in statu sunt peccati mortalis, neque ad Sacramenta possunt admitti, nisi diuturna sufficientia ac certa sinceræ conversionis præbeant argumenta.

Multis in locis speciem illam ebrietatis perstringit etiam cum horrore Scriptura sacra. En verba Isaiæ Prophetæ: (l) *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis*. (m) *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*. (n) *Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt*. (o) *Venite*, inquiunt, *sumamus vinum & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie sic & cras, & multo amplius*.

(l) Isaiæ 5. v. 11.

(m) Eod. cap. v. 22.

(n) Cap. 28. v. 7.

(o) Isaiæ cap. 56. v. 12.

Sic etiam loquitur Oseas Propheta: (p) *Vinum & Ebrietas auferunt cor*. Nec minus vehementer suam aperit Sapiens: (q) *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens*. Et alibi Sapiens dicit. (r) *Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormienda non laborabis ab illo & non senties dolorem*. Addit etiam in eodem capite Sapiens: (f) *Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio*.

(p) Osee 4. v. 11.

(q) Proverb. 20. v. 1.

(r) Eccli. 31. v. 22.

(f) Eod. cap. v. 35.

Hinc tot adhortationes, toties que in Scriptura sacra iteratæ, ut ab ebrietate avertantur homines: *Noli esse in conviviis potatorum*, inquit Sapiens, (t) *nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt; quia vacantes potibus & dantes Symbola consumentur*. Ita etiam fideles his verbis hortatur Apostolus: (u) *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, & carnis curam ne feceritis in desideriis*.

(t) Proverb. 23. v. 20. & 21.

(u) Rom. 13. v. 13. & 14.

Quot Ebrietatis perniciosos effectus in scriptura sacra a Spiritu Sancto describuntur?

Ebrietas familias perturbat jactura bonorum temporalium, quæ aufert intemperantia: (a) *Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum & pinguia non ditabitur.*

Ebrietas ante tempus mortem accersit, & vitam facit breviorem, ut indicat Sapiens his verbis (b): *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

Ebrietas alios quoque perniciosos producit effectus, & in primis, quod multorum sit caussa malorum. *Noli nimius esse*, inquit Sapiens, (c) *ne forte offendas.* Ad ebrietatem consequuntur blasphemiæ, rixæ, contentiones, & quandoque etiam homicidia. Inter vitia quæ parit Ebrietas, annumeranda est impudicitia; unde mentem suam sic aperit Apostolus (d): *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Sic autem funestos ebrietatis effectus exponit sanctus Augustinus (e): *Quis ebriosus non & contentiosus, & animosus, & invidus, & a præceptorum sanitate dissentiens, & arguentibus se graviter inimicus? Jam vero ut fornicator & adulter non sit difficile est.* Ex dictis hactenus detegi potest gravitas ebrietatis; & ad primum quæstionis propositæ articulum respondetur.

Ebrietas ex sua natura est peccatum mortale, uti determinavit Facultas Theologica Parisiensis (f): idque conformiter ad doctrinam ab Apostolo Paulo traditam, qui ebrietatem reponit inter vitia quæ a Regno cælorum excludunt (g): *Nolite errare, neque fornicarii ... neque ebriosi... regnum Dei possidebunt.* Idem Apostolus in Epistola sua ad Galatas ebrietatem inter opera carnis numerat, de quibus dicit quod (h)... *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Affirmat Sanctus Thomas (i), quod *Ebrietas per se loquendo est peccatum mortale.* Potestis ignorare, inquit sanctus Chrysostomus, (K) quæ supplicia ebriosos exspectent? e regno Dei expellentur. Quis hoc dicit? Apostolus Paullus. Quæ est ista igitur ebriosi miseria, qui ob modicam voluptatem Regni cælestis delicias respuit? Ex iisdem Apostoli testimoniis colligit sanctus Augustinus, ebrietatem uti grave peccatum esse habendam (l): *Legi etiam illud*, inquit: Nolite errare, neque fornicatores, neque ebriosi &c. contendit, (m) quod *hanc lex æterna condemnat, quæ cibum & potum ad ordinem naturalem nonnisi gratia conservandæ sanitatis admittit.* Alibi affirmat: (n) *Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatem non esse peccatum, quæ tamen subrepsit sancto viro.* Illius peccati gravitatem ostendit (o), *ingemiscendo admonens*, ait. Et in alio loco deplorat, peccatum illud tam late grassari: *Jam late*, inquit, (p) *vastat hæc pestilentia animas; & tanta libertate dominatur, ut non multum mirer, si non vestrum gregiculum penetravit.*

(a) Proverb. 21. v. 17.
(b) Eccli. 37. v. 34.
(c) Eccl. 31. v. 22.
(d) Eph. 5. v. 18.
(e) L. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 20.
(f) Prima part. Corp. doctrin. art. 78.
(g) 1 Cor. 6. v. 9. & 10.
(h) ad Galat. 5. v. 19.
(i) 2. 2. q. 150. ar. 2.
(k) Serm. 58. in Martyres.
(l) Ep. 29.
(m) L. 22. contra Faustum. cap. 44.
(n) De peccat. meritis l. 2. c. 20.
(o) Ep. 29.
(p) Ep. 93.

QUÆSTO II.

Quid intelligendum sit nomine peccati ebrietatis? An peccatum illud tantum committatur, cum rationis lumen exstinguitur, aut vinum e stomacho ejicitur?

RESPONS.

Certum est, ebrietatem in primis esse manifestam, cum ratio perturbatur. Hinc sacra facultas Theologica Parisiensis articulo superius citato (q): *In eam incurritur*, ait, *cum voluntaria potatione rationis lumen obruitur, vel etiam notabiliter perturbatur.* Hæc est etiam ebrietatis nota, cum vinum e stomacho ejicitur, seu fit vomitus. De ejusmodi intemperantiis loquens sanctus Chrysostomus dicit, (r) quosdam esse, qui corpora sua minoris quam vasa sua faciunt. Hæc enim implere cavent adeo, ne disrumpantur; corpora vero sua haustum continere nequeunt vinum. Nihilominus strictiores ebrietatis peccato fines præscriberentur, si quis contenderet, istud committi tantum peccatum, cum rationis lumen perturbatur, aut vomitus præ vino cietur. Si verum esset istud principium, essent qui, quantumvis in vino immoderati, ebrietatis peccatum nunquam admitterent, quod firmo sint capite, & ex frequentissimis poculis vix quidquam mali percipiant. Igitur tutius est S. Chrysostomi (s) principium, qui post laudata superius verba addit, quod quidquid necessitatem superat, jam non est cibus & potus, sed venenum. Ad præceptum quo prohibetur ebrietas, accedit etiam temperantiæ præceptum. Sanctus Thomas exponens quid sit ebrietas (t), asserit eam oriri *ex inordinata concupiscentia & usu vini. Immoderatus usus vini est*, ait, (u) *in quo peccati ratio consistit.* (x) *Culpa ebrietatis consistit in immoderato usu & concupiscentia vini*: certum est enim, quosdam reperiri, qui, licet frequentiora, ultra necessitatem & etiam decorum, vini pocula sorbeant, inde tamen rationis usum non amittunt, nec vomitionis periculo se committunt: sed cum nimia vini concupiscentia ardeant, eoque immoderate utantur, peccati ebrietatis, juxta sanctum Thomam, fiunt consčii.

Insuper, quot reperias, qui in suis immoderationibus unicam bibendi delectationem concupiscentiamque explendi occasionem ambiunt, in quo sane reperitur peccatum ex articulo 79. primæ partis Corporis doctrinæ superius laudati (y): *Comedere vel bibere, aut alias sensuum delectationes quærere propter voluptatem, peccatum est.* Unde falsum est illud principium, tunc dumtaxat in culpam ebrietatis quempiam incurrere, cum rationis lumen extinguitur, aut fit vomitus.

(q) Art 78.
(r) Hom. 44. in Matth.
(s) Hom. 44. in Matth.
(t) 2. 2. q. 150. a. 1.
(u) ad 2.
(x) ad 3. iter.
(y) 1. p. Corp. Doctrin. Sacr. Facul. Theol. Paris. art. 79.

QUÆSTIO III.

Utrum certum non sit, tunc aliquem ebrietatis conscium fieri, cum post vini potum calescit caput, spissa est lingua, & percipitur, quod, quamvis ratio non obruatur, cerebrum tamen obnubilant vini vapores, nec solitus resumi potest labor?

RASPONS.

A peccato eximi nequeunt ii quibus, licet mentem vino non obruant, fervet caput, lingua spissa est, qui percipiunt vaporibus vini caput obrui, ex quo soliti fiunt laboris incapaces. Isaias Propheta eos condemnat, qui eo intemperantiæ deveniunt, ut caput vino ferveat (z): *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Quibus verbis hujusmodi homines damnare videtur Propheta, quod eo procedat ipsorum intemperantia, *ut vino æstuetis.* Deinde circumstantia est aggravans ad eum pervenire statum, ut præ vino consueto labori quis vacare nequeat. Hinc enim numerosa sæpe familia indiget, ipsi desunt ad vitam necessaria, dum ad explendam gulam impenduntur. Per se patet tanti gravitas peccati, nec satis vituperari potest. Ad principium doctoris Angelici redeundum est. Hujusmodi hominibus immoderata est vini concupiscentia, eoque immodice utuntur, quod sufficit, ut in eos cadat reatus peccati ebrietatis.

(z) Isai. cap. 5. v. 11.

QUÆSTIO IV.

Utrum, qui valido sunt capite, & magnam vini copiam possunt haurire, intacto cerebro, ad libitum queant perpotare, quin ebrietatis fiant conscii?

RESPONS.

Casum hunc solvit Isaias dicens (aa): *Væ qui potentes estis ad miscendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* De iis loquitur Propheta, qui forti sunt capite, nec vini vaporibus facile perturbantur; verbisque suis indicat Isaias, eos decipi, si sub specioso illo prætextu gulæ atque intemperantiæ suæ posse indulgere existiment. *Non solum excusatur a peccato, sed si se vino ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura, parum est*, inquit sanctus Augustinus (d), *quia non invenit crimen, etiam viri fortis accipit nomen, tanto nequior, quanto sub poculo invictior.*

(aa) Isai. cap. 5. v. 22.
(bb) Serm. 195

QUÆSTIO V.

An possint absolvi & ad Sacramentorum perceptionem admitti ebriosi habituales tertii & quarti generis?

R E-

RESPONS.

Ebriosi tertii & quarti generis absolutione indigni sunt, nec ad Sacramenta possunt admitti, donec serio examine pateat, pravum eorum habitum esse dissolutum, sinceram esse eorum emendationem, eosque firmum suscepisse consilium dignos pœnitentiæ fructus faciendi. Hæc sunt Christi verba: (a) *Nolite dare sanctam canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*. Ebriosi de quibus in superioribus articulis fit mentio, sub porcorum figura designantur, nec eorum haud quaquam sunt absimiles.

(a) Matt. 7. v. 6.

QUÆSTIO VI.

Quæ servanda est agendi ratio cum cauponibus, qui vina ministrant nocturnis & indebitis horis, per Missam parochialem & vesperas, qui in ædes suas ebrios admittunt, homines perditos & dissolutos, quorum obscœnis cantionibus tecta obstrepunt; qui turpia itidem verba aut blaspemias proferunt; patres qui filiorum bona profligant; aut filios qui contra parentum suorum jussa popinas frequentant. Au caupones potatum dare possunt diebus jejunii & Quadragesimali tempore hominibus, qui stabilem in loco sedem habentes non ndigent, qui quevinum aut oblectationis aut mercaturæ gratia postulant?

RESPONS.

Cauponibus quacumque lege seu divina, seu humana prohibetur, ne indebitis horis vina ministrent; uti dominicis festisque diebus per Missam Parochialem & vesperas.

Vinum ministrare ebriis, ac intemperantibus, qui scandolose obscœna decantant, advenis qui cinædica verba & blasphemias proferunt: nunquid illud est ensem furioso præbere, & ad iniquitatem conferre, eique participare? Negare quis poterit, graviter peccare patres qui intemperantia sua puerorum suorum bona dilapidant, puerosque qui invitis parentibus adeunt popinas. Num a peccato immunis erit caupo, dum tam gravibus peccatis ansam præbet & occasionem?

Vinum ministrare diebns jejunii & Quadragesimæ locis incolis qui oblectationes tantum meditantur, nunquid ex eo manifestatur contemptus & incuria infractionis legum Ecclesiæ, ac simul voluntaria eas transgrediendi præbetur occasio? Qui participes sunt iniquitatis, ii ejusdem fiunt conscii, ut docet Apostolus: (b) *Nolite ergo effici participes eorum*, & alibi: (c) *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiant facientibus*.

(b) Eph. 5. v. 7.
(c) Rom. 1. 32.

Quod pertinet ad pactiones, si eas conficiendo, si moderate quædam tantum vini pocula biberentur, nihil in eo esset criminosum, modo id jejunii aut Quadragesimæ sacræ diebus non fieret.

Vanæ sunt autem a cauponibus rationes afferri solitæ; scilicet quod minutim vendentes majori pretio vinum suum vendunt; quod id ipsum sibi necessarium ad familiæ suæ sustentationem, neque ex iis excusatur id quod tot circumstantiis est criminosum: *Nulla est peccandi necessitas*, inquit Tertullianus (d), *abi est una non peccandi necessitas*.

(d) Lib. de corona cap. 11.

QUÆSTIO VII.

An eodem modo excipiendæ sint cauponum mulieres, ut ipsarum mariti, quando vinum ministrant in supradictis casibus? An apud Deum possint excusari ob debitam viris suis obedientiam metumve malarum tractationum?

RESPONS.

Cum mulieres conjugum suorum proposito adhærent, & cum ipsis iniquitatis sunt participes, cum iis conscia censeri debent, ac proinde eadem cum iis quoad Sacramenta excipi, tenentur mulieres a nefanda arte viros suos avertere & pro viribus commercium impedire, tot malorum originem. Si vinum e dolio fundant, dent ebriis, & de lucro injusto gaudeant, totius fiunt iniquitatis participes. Aliter dicendum, cum illud commercium, quantum in se est, abrumpere nituntur, illudque tantum patiuntur, quod penes se non sit imperium, ebriisque vinum dare recusant, Si eas male excipiant viri, participes fiens beatitudinis de qua loquitur Christus dicens: (e) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.*

(e) Matth. 5. v. 10.

QUÆSTIO VIII.

Qualis debet esse agendi ratio erga eos, qui popinas frequentant, horis indebitis ibi remanent, diuque immoderate bibentes commorantur, qui verba impia proferunt, atque obscœna canunt; qui sæpe sæpius Dominicos festosque dies ad suas immoderationes seligunt? Nunquid iis proxima est peccati occasio, caupona? Nonne iisdem debet ejus ingressus interdici, & ipsi a perceptione Sacramentorum debent excludi?

RESPONS.

Caupona est proxima peccati occasio pro iis de quibus in præsenti quæstione fit mentio, & Sacramentorum perceptione indigni sunt, donec tam periculosam & proximam deseruerint peccati occasionem.

En Tertulliani principia (f) de occasionibus peccati: *Aut deserendum*, inquit, *aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur*. Si ergo perseveret offensa Dei, unica est via, unicum huic malo remedium, fuga.

(f) De coron. c. 11.

S. Carolus (g) loquens de iis quos in proxima peccati occasione versari asserit, expresse popinones designat. Popina inter eas recensetur occasiones, quæ ex Sancto Carolo exigunt, ut iis denegetur absolutio qui in iis versantur, nisi aut eas abdicent, aut se abdicaturos promittant, & ex Sancti Archiepiscopi principiis; ubi quis bis terve promisit, nec promissa perfecit, actualis requiritur abdicatio, ut absolvatur.

(g) Monita S. Caroli ad Confessarios art. De occasionibus.

Circumstantia est aggravans, si quis Dominicos festosque dies eligat, ut popinas frequentet, ibique immoderate se gerat. Queritur S. Augustinus (h) quod olim in Ecclesiis committerentur ebrietates: *Nonne experti sumus quanto periculo nostro de ista Basilica ebriositates expulerit Deus*? Quam consuetudinem non sine magno labore se abolevisse refert S. Doctor. Sed cur istam consuetudinem adeo periculosam habebat S. Episcopus, nisi quia inde polluebatur templum Domini quod ipsi sanctum est; Dies dominici ac festi Domino pariter sunt consecrati; non minori igitur zelo incenderetur Augustinus in eos, qui dies Domino dicatos profanant! quam in eos, qui loca pariter ipsi dicata polluunt: *Nolite*, inquit idem Sanctus, *Spiritum Sanctum excludere de cordibus vestris*. S. Augustinus, uti modo ostensum est, in eos acerbius declamavit, qui templa sacra polluunt; sed quanto major est ista profanatio, si qui corda & corpora sua profanaverint, destinata in templum Spiritus Sancti?

(h) Serm. 251.

QUÆSTIO IX.

Nunqnid iisdem cum cauponibus regulis subjiciuntur vinitores qui vinum suum domi clam distrahunt, atque eodem modo excipi debent, cum dictos dies dominicos ac festos infringunt?

RESPONS.

Vinitores qui domi suæ vinum clam vendunt, iisdem atque caupones tenentur regulis, & eodem modo excipi debent, si dominicos festosque dies infringant. Gravioris etiam fiunt conscii culpæ, quod in politiæ statuta delinquant, vini sui confiscationis periculum subeant, ex quo oritur occasio multorum quæ admittunt peccatorum & jacturarum quæ suis noxiæ sunt.

QUÆSTIO X.

An Caupones, qui se non satis firmos ad servandas regulas experti sunt, periculosam istam non debeant artem deserere, & utrum ad Sacramenta admitti possint, priusquam reipsa eam deseruerint?

RE-

R a s p o n s.

Caupones, qui propria norunt experientia, se eo non esse firmo animo, ut regulas observent, periculosam hanc artem deserere tenentur. Hæc est regula in monitis S. Caroli tradita, unumquemqne teneri, ad eam deserendam artem quæ proxima est occasio peccati. Licet autem ars ista in se honesta sit & licita: est tamen, secnndum sanctnm Carolum, occasio peccati, com legitime præsumitur, pœnitentem in eadem quæ prius admisit peccata denuo esse lapsurum, si in eadem arte perseveret. Sancti autem Archiepiscopi illud est principinm, quod ii scilicet absolvi nequeant, qnibus firmum non est propositum omnia vitandi deinceps mortalia peccata, simulque eornm occasiones.

Occasio autem mortalis peccati ex santo Carolo dicuntur ea omnia quæ illud procurare valent, vel quia ex sejpsis ad peccandum jnducunt, vel quia pœnitens iis expositus adeo peccare consuevit, ut jnste præsumera queat Confessarius, eum propter pravum habitum semper esse peccaturum, dum in iisdem versabitur occasionibus.

Jam vero, quamvis mollius agere videatur S. Carolus, easque factitare artes permittat, ex consilio periti & virtnte præstantis Confessarii, in eodem tamen firmus stat principio, quod nimitum, si bis terve in idem peccatum incidat pœnitens, ipsi absolutionem prorogaturus sit Confessarius, donec actu pœnitens testetur, has se deseruisse occasiones.

Cum hæc principia auctoritate S. Caroli fulta & communirer recepta sint, videtur, in prædicta hypothesi ad Sacramenta non prius admitti posse caupones, quam artem suam dereliquerint.

QUÆSTIO XI.

Quo pacto se gerere debet Confessarius erga eos, qui vino, ut sic dicam, recocti sunt, quique potui adeo assuefacti fuere, ut se deliquium pati senriant, nisi quadam majori se vini copia proluant?

R e s p o n s.

Homines illi indnceodi sunt, ot paulatim hnic infaustæ quam contraxere, necessitati se subtrahant; moderatus quidem iis concedi potest usus vini, quando animo se delinqui percipiunt, modo necessitatis fines non transgrediantur, immo & aliquid incommodi ferre consentiaot, ne expleatur largius cupiditas. *Surgit concupiscentia potandi*, inquiebat S. Augustinus (*a*), *titillat animum, ingerit faucibus siccitatem, insidiatur sensibus ..... si ei nunquam consentias, & nunquam inebrieris, minor & minor erit quotidie: nam sunt vires illius subjectia tua.*

(*a*) Serm. 152.

QUÆSTIO XII.

Quomodo se gerere debet Confessarins erga eos qui præ capitis debilitate vino non obsistunt, qoique vix sesquimodium vini potare valent absque ebrietatis periculo?

R e s p o n s.

Prima necessitas est obedire Deo, qni temperantiam servare, & pretiosum rationis depositum servare jubet. Cum igitur ebrietatis periculo se committant, etiam quando modico utuntur vino, illud nunquam potare debent, ne modica illa quantitate qua male afficiuntur, ac præsertim enitendum acriter, ne vinum unquam nisi aqua temperatum bibaot.

QUÆSTIO XIII.

An ei qui jam sufficienter potavit hæc sit legitima excusatio ad resumenda pocula, si causetue adventum amici invisentis, quem ad bibendnm invitare tenetur ad pactionem, aliquam facieodom &c.

R a s p o n s.

Nulla est legitima excusatio, ad leges temperantiæ infrigendas. Amicus qui bene potum iterum ad bibendum invitat, tentator est, qui ad offensam Dei sollicitat. Igitur suppetit tunc ei resistendi obligatio, qnia tentationi resistere tenemur. Ægri judicio pollentes quibus noxium esset vinum, ab eo quantumvis eoixe invitati abstinerent. A fottiori ei obsistendum est invitationi quæ animæ noxia est, & ad Dei offensam inducit, Contendit S. Thomas (*b*), nec eum qui inebriatur, nec eum qni ad bibendum extra modum invitat, a peccato excusari. De pactionibus vero dictum est in responsione ad sextam Quæstionem.

(*b*) 2. 2. q. 150. art. 1. ad. 3.

QUÆSTIO XIV.

Quæ servanda est agendi ratio cum homine ebrietati dedito, qui per diuturnum tempus, annum v. gr. propensiooi huic obstitit, qui absolutus est, & ad Eucharistiæ perceptionem fuit admissus, quia ad meliorem frugem rediisse putaretur? Paullo post ad ebrietatem, & etiam ad vomitum rediit. Numqnid præsumi potest, hunc vere fuisse conversum & valide absolutum? Nonne denuo probari debet, & etiam diutius qnam prima vice, ut certiores sint ipsius emendationis probationes?

R e s p o n s.

Quamvis ad ebrietatis peccatnm redierit homo ille, oon idcirco existimandus est non fuisse conversus, cum diu vitio huic enixe obstiterit. Recidivæ ipsius noxæ circumstantias perpendi necesse est, an semel tantum relapsus fuorit; an victus invitationibus, quemve dolorem ipsi attulerit ista culpæ iteratio. Certum est, eum denuo esse penitus explorandum, sed tamen ei spem injiciendo & solatium. Ipsi penitus inculcabitur ejus infidelitas post acceptam gratiam qua abusus est; at simul ostendetur, quam misericors sit Dominus. Monebitur sibimet ipsi invigilare, ne absque spe & venia sint novi lapsus. Quandiu necesse erit, tentabitur, ut certior fiat ipsiua conversio, de qua sumetur judicium ex ipsius dolore & conatibus ad vitandum peccatum; non diuturniorem tamen ab eo probationem exigendo, qua frangi posset ac labefactari ejus ad meliora regressus.

QUÆSTIO XV.

Nonne paulisper ab his regulis deflecteadum ac mollius agendum est, io iis potissimum Parœciis in quibus magna est reorum multstudo, quos a Sacramentorum participatione arcere necesse esset, si ad amussim istæ servarentur regulæ?

R e s p o n s.

Mnltitudo a regulis quas constitnit Spiritus S. legitime nunquam dispensavit: En verba ipsius Dei: (*c*) *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut u vero devies.* Sic multi nunc pessime argumentantur, uti olim tempore S. Augustini (*d*): *Numquid omnes*, inquiebant, *perditurus est Deus? numquid omnes damnaturus?* Non, respondendum est, Deus omnes non damnabit homioes, quia omnes non snnt ebriosi, &c. Certum quidem est, eorum magnum esse numerum. At cum *ille dicit damnabo, ignoscam eis qui se mutaverint*, potestis mendacii Deum iosimulare, aut verbum ejus in dubium revocare? *Non propterea*, inquit alibi idem sanctus Doctor, (*e*) *minus ardebunt, quia cum multis ardebunt.*

(*c*) Exod. 23. v. 2.

(*d*) Serm. 301.

(*e*) Serm. 372.

QUÆSTIO XVI.

Quid respondendum est iis, quos sic loquentes inducit S. Augustinus: *Si peccatum est multum bibere, quare vinum instituit Dominus?*

R e s p o n s.

Cum eodem S. Doctore dicendum (*f*); quod *omnis creatura Dei bona est, & illic peccatum non est, nisi quia male uteris.* Non quod malum sit vinum, inquit S. Chry-

(*f*) Serm. 21.

(a) Serm. 259. in Martyres.

S. Chrysostomus (a), sed usus immoderatus diabolicum inventum.

QUÆSTIO XVII.

Quid de iis cogitandum, qui in processionibus pitisque peregrinationibus popinas adeunt, & eo intemperantiæ progrediuntur, ut sæpe inebrientur?

RESPONS.

(b) Ibidem.

Asserit S. Chrysostomus (b) quod, cum invisuntur sepulchra Martyrum, cuique imprimis cavendum est ut domum suam quisque devotus redeat, popinas non frequentet, ac præsertim ne cibo potuique immoderate indulgeat. Videte, subjungit, quam iniquum sit, post celebratas cum aliis fidelibus solemnitates, acceptumque verbi divini cibum, præcipuam diei partem in popinis exigere. Si postquam Martyrum tumulos invisistis, tempus in ebrietate & comessationibus teratis, satius esset, ut domos vestras non dereliqueretis.

Asserit sanctus Augustinus lugendum esse abusum, ut convivils & compotationibus immoderatis colantur Martyres in eorum solemnitatibus.

(c) Ep. 22.

Comessationes & ebrietates, ait S. Doctor (c), *ita concessæ & licitæ putantur, ut in honorem Martyrum non solum per dies solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carnis oculis conspicit) sed etiam quotidie celebrentur.* Ita ut de illis Christianis vere dici possit, quod alibi subjungit (d); *Modo eos ebriosi calicibus persequuntur, quos tunc furiosi lapidibus persequebantur.*

(d) In Psal. 59. sub finem.

QUÆSTIO XVIII.

Nonne quidam sunt Casuistæ, quorum decisiones de ebrietate consulere periculosum esset?

RESPONS.

Casuistarum decisionibus adhærere nefas est, quando Scripturæ sacræ, Sanctis Patribus, sacris Canonibus & rectæ rationi sunt contrariæ. V. g. en casuistarum decisiones, quas in praxi sequi perniciosum esset, quales sunt istæ: (e) *Probabile est secluso scandalo & aliis, veniale tantum esse, usque ad vomitum se cibo & potu implere, idque etiam si quis vomat, ut iterato possit bibere.*

(e) Busembaum, l. 5. de peccatis cap. 3. dub. 5. art. 2.

Si (f) quis post potum discernere adhuc possit inter bonum & malum, licet non nihil phantasia turbata sit, aut sequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domas gyrare videatur, nondum plena est ebrietas, ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, si deliberate sit commissum.

(f) Idem art. 2.

En alterius Casuistæ decisio (g). Quærit: *Qui paullo largius potaret ob solum opiparæ mensæ motivum, non tamen rationis usum vel sanitatem amittendo, peccaretne mortaliter?* Respondet, *minime: nam ebrietatis materia consistit in amissione judicii vel sanitatis.*

(g) Bertinne Bertaud. Caveant modicæ scientiæ Sacerdotes ab hoc Auctore, cujus Liber perniciosus, in quo pagina fere qualibet laxitatem contra mores continet regulam, triginta editionibus multiplicatus est.

Quamtumvis autem petitionem ac responsionem suam mitigare conetur hic Auctor, utraque ad intemperantiam inducit, malitiam ejus minuit, & in utraque etiam multi deteguntur errores.

Primo satis aperte declarat, ex sua sententia peccatum ebrietatis in hoc tantum casu esse mortale, cum vino obruitur ratio, aut sanitas amittitur. Contra quod asserit sanctus Thomas supra laudatus, qui ebrietatis essentiam in immoderato vini usu reponit.

Secundo: animadversione quoque digna sunt verba hæc: *Ob solum opiparæ mensæ motivum.* Lautus & elegans victus, præcipuum & unicum motivum. Quod Christiano motivum, qui ab Apostolo Paullo istud hausit præceptum: (h) *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Manducare & bibere ob solum obsoniorum splendidum apparatum, numquid id ipsum est ad eorum se aggregare gregem, *quorum*, ut ait idem Apostolus; (i) *Deus venter est.* Auctori non satis est, ut asserat in quibusdam circumstantiis fieri posse, ut res ad mortale non pertingat; universim dicit: *quamvis dubium esse nequeat, quin large bibere ex solo opiparæ mensæ motivo, sæpe ad mortale non perveniat.*

(h) 1. Cor. 10 v. 31. Coloss. 3. v. 17.

(i) Philipp. 3. v. 19.

Contendit idem Auctor, servos atque Hospitalarios vinum iis posse præbere, qui eo immodice utuntur. Quæ principia in moralibus sunt periculosa, imprimis cum generatim proferuntur.

Multæ sunt aliæ recentiorum Casuistarum mollioris disciplinæ decisiones, quæ possent referri, & quibus immorari periculosum esset. Pravas illas dispositiones præcipue intendit Clerus Gallicanus, cum expresse propositionem istam condemnavit (K): *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

(k) Censura Cleri Gallicani, 22.

Censura: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ablegenda.*

Deliberatum Parisiis duodecimo die Januarii anno millesimo septingentesimo vigesimo.

N. Chaudiere. Decanus Facultatis.
Du Quesite, e societate Regia Navarræa.
Hideux, Parochus sanctorum Innocentium emeritus Facultatis Syndicus.
G. Bourree, Parochus sancti Paulli socius Sorbonicus.
Th. de Rieux, socius Sorbonicus, Gymnasiarcha Collegii Plessæi Sorbonici.
Lambert, socius Sorbonicus, Prior de Palasseau.
D. Leger, Canonicus sanctæ Capellæ Parisiensis.
Herlan, e societate Regia Navarræa.
Jollain, Parochus sancti Hilarii, Syndicus è societate Regia Navarræa.
Bonnet, Parochus sancti Nicolai de Campis, socius Sorbonicus.
De la Coste, Canonicus Ecclesiæ Parisiensis.
Courcier, Canonicus & Theologus Ecclesiæ Parisiensis, socius Sorbonicus.
P. Davolle, e societate Regia Navarræa.
De Beyne, socius Sorbonicus.
Girardus de Labournat, socius Sorbonicus.
F. le Tonnelier, nuperus sancti Victoris Prior.
Quinot, emeritus Theologiæ Professor, facultatis Syndicus, Bibliothecarius Gymnasii Mazarini, socius Sorbonicus.
Pastel, emeritus Theologiæ Professor, socius Sorbonicus, coadiutor illustrissimi Gymnasiarchæ Gymnasii Mazarini.
F. H. Delan, Theologiæ Professor Regius, socius Sorbonicus.
N. P. Guerret, socius Sorbonicus, Theologiæ Professor, Vicarius Generalis Eminentissimi D. D. Cardinalis de Noailles Archiepiscopi Parisiensis.

ECCLESIA.

ECCLESIA est cœtus Fidelium, qui sub legitimorum Pastorum regimine, unum corpus efficiunt, cujus Caput est Christus, cujus vice fungitur in terris Romanus Pontifex.

Vox illa etiam usurpatur ad significandum locum, quo conveniunt Fideles ad Exercitia Religionis colenda. Quod in Galliæ Regno initium habuit sub Clodovæo, primo Francorum Rege, qui Ecclesiam sanctorum Apostolorum Petri

tri & Pauli; quæ nunc ſancta Genoveſa de monte dicitur; a ſe conſtructam fundavit. Secundum hanc vero ultimam acceptionem de Eccleſia loquimur, in novemdecim deciſionibus hujuſce tituli.

Secundum autem hunc ſenſum, duplex diſtinguitur Eccleſiæ ſpecies. Prior eſt Eccleſia Epiſcopalis, quæ ab Innocentio III. (*a*), *Matrix* (*b*) dicitur. Altera eſt Eccleſia Parrochialis, quo cujuſque Parœciæ Fideles conveniunt, ut divinis ibi interſint officiis, ſacramenta ſuſcipiant, ac verbum divinum, ſuorumque Paſtorum inſtructiones audiant.

(a) Innoc. III. in cap. *Venerabili*. 20. de verborum ſignificatione. l. 5. tit. 40.
(b) Toto tic. de decimis. l. 3. tit. 30.

Is autem eſt præcipuus hujuſce Tituli finis, ut explicetur 1. quinam ſint caſus diverſi, in quibus Eccleſiarum violatur ſanctitas, & ipſis debita reverentia. 2. Quo pacto fiant pollutæ, ac novam exigant benedictionem aut reconciliationem. 3. Et quomodo & a quo benedici aut reconciliari debeant. Cum ea de re hic fuſe agamus, & deinceps quam multæ afferantur regulæ, quæ ad eam pertinent, hic plura non dicemus, quod inſuper eadem de re ſub aliis titulis fiat ſermo.

Ex occaſione hic duntaxat monebimus, multas religioſe emiſſas fuiſſe ab ipſis Galliæ Regibus declarationes, quibus Eccleſiis earumque Paſtoribus favent imprimis; quarum prima inter recentiſſimas eſt menſis Januarii an. 1650. qua militibus prohibitum eſt, ne in Presbyteriis diverſoria ſua eligant: altera eſt an. 1657 quæ ad Eccleſiæ immunitates pertinet; de quibus etiam in Decretalibus extat integer titulus 49 videlicet libri tertii, & alter in Sexto 23. Tertia, quæ eſt an. 1661. de Eccleſiarum reparationibus decernit. Quarta eſt 12. Februarii ejuſdem anni, qua Eccleſiis ac Fabricis earum ſit poteſtas abſque regia auctoritate abalienata bona ſua repetendi. Quinta denique menſis Julii anni 1702. eandem omnibus Clericis poteſtarem facit.

Alibi & præſertim in titulo *Patronatus*: de aliis, quæ ad Eccleſias ſpectant, quæſtionibus agemus.

CASUS PRIMUS.

CUM Eccleſia parochialis ſancti Juſti, quæ maxima ex parte ceciderat, ex iiſdem refecta fuerit lapidibus, indiget ne nova conſecratione; ut ibi divinum celebrari poſſit Officium. Eccleſia quoque indiget ne pariter hujuſmodi conſecratione. 1. cum per partes cecidere muri, ac ſucceſſive refecti ſunt? 2. Cum ex fortuito incendio rectum fuit combuſtum?

RESPONS.

In primo caſu denuo conſecrari debet hæc Eccleſia, licet ex iiſdem lapidibus fuerit refecta, ut evidenter probari poteſt ex atiquo Canone Vigilii Papæ, (*c*) quem refert Gratianus. Ratio eſt, quia hæc Eccleſia tali modo exædificata; eadem cenſeri nequit; quæ antea. In ſecundo caſu, hoc eſt, quando tectum ſolum combuſtum eſt, muris ſalten: quoad maximam partem ſtantibus, Eccleſia nova tunc non indiget conſecratione, quia eadem, ut ante, cenſetur. Id expreſſe declarat Innocentius III. in una Decretali (*d*) cujus hæc ſunt verba: *Ligneis ædificii Eccleſiæ veſtræ caſu conſumptis, parietibus tamen illæſis, ac menſa principalis altaris in ſua extremitate modicam paſſa fracturam ......: inquiſitioni tuæ taliter duximus reſpondendum quod, cum parietes in ſua integritate permanſerint, & tabula altaris mota, vel enormiter læſa non fuerit: ob cauſſam prædictam nec Eccleſia, nec altare debet denuo conſecrari*; quod conſentit cum canone mox laudato. Cujus quidem diſcriminis hanc rationem affert Gloſſa (*e*): *Quandiu parietes integri ſunt, non eſt*, inquit, *Eccleſia conſecranda; quia in parietibus conſecratur Eccleſia, & non in tecto*. Idem dicendum, ſi lapſi per partes ac diverſis temporibus muri, ſucceſſive etiam exædificati fuere.

(c) Vigilius in can. *De fabrica*. 24. de conſecrat.
(d) Innoc. III. in c. *Ligneis*. 6. de conſecr. Eccleſiæ vel altaris. lib. 3. t. 40.
(e) Gloſſa in cit. c. *Ligneis*. v. *Parietibus*.
(f) S. Anton. 3. part. Sum. Th. t. 12. c. 4. §. 1.

Deciſionem iſtam affert S. Antoninus (*f*), qui allatis a nobis auctoritatibus utitur. *Nota*, inquit hic ſanctus, *quod ſunt tres caſus, in quibus Eccleſia debet iterum conſecrari. Primus eſt, ſi Eccleſia combuſta fuerit, ita quod parietes ſint combuſti, vel diruti, vel notabiliter decruſtati in toto, vel in parte .... Secundus eſt, ſi tota Eccleſia; vel major pars deſtructa, vel dirupta eſt: ſecus eſt, ſi ſolum tectum deſtructum fuerit vel combuſtum. Si vero parietes ſucceſſive fuerint reparati, eadem Eccleſia intelligitur, & ideo ſufficit, ſi tantum reconcilietur cum aqua exorcizata & cum ſolemnitate Miſſæ. Secus, ſi fuit primo tota deſtructa, etiamſi eiſdem lapidibus reparata, conſecranda eſt enim*. Juvat hic addere caſum tertium, in quo aſſerit hic ſanctus Archiepiſcopus, Eccleſiam iterum eſſe reconciliandam; *quando* nimirum *dubitatur*, ait, *utrum fuerit conſecrata, nec apparet aliqua probatio de his, quæ ſupradicta ſunt Can.* ſolemnitates, *de conſecrat. diſt.* 1.

CASUS II.

ARBOGASTUM, Parœciæ S. Mari incolam, nominatim excommunicatum a quinquennio aut ſexennio, qui ſubito obiit ante acceptam de excommunicatione abſolutionem. Andreas novus hujuſce Parœciæ Curatus in Eccleſia ſepelivit, ignorans, ipſum excommunicatione eſſe ligatum. Nonne ex hujuſce hominis ſepultura polluta eſt Eccleſia?

Sepulturæ Eccleſiaſticæ privatio eſt pœna a Canonibus contra excommunicatos, & ut tales cognitos, preſcripta, ut declarat Innocentius III. in Decretali ad Epiſcopum Nidroſiæ in Novergia, ab eo ſcripta (*g*). *Sacris eſt canonibus inſtitutum*, inquit hic Summus Pontifex, *ut quibus non excommunicavimus vivis, non communicemus defunctis: & ut careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab unitate Eccleſiaſtica præciſi, nec in articulo mortis reconciliati fuerint*. Quo redeunt iſta S. Leonis verba (*h*): *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus*.

Eadem nixus ratione declarat hic Papa (*i*) quod *Cæmeteria, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingit, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit*. Quod idem conſtituit canon antiquus in Grat. decreto (*K*) relatus, qui idem eſſe affirmat, ſi in eo ſepultus fuerit ethnicus aut hæreticus. Ut autem reconcilietur; ante omnia ex eo extrahendum corpus

(g) Innoc. III. in cap. *Sacris*, 12. de ſepulturis. l. 3. tit. 28.
(h) S. Leo in can. de communione. 2. 24. q. 2.
(i) Innoc. III. in cap. *Conſuluiſti*. 7. de conſecrat. Eccleſiæ &c. l. 3. tit. 40.
(k) Can. *Eccleſiam*, 27. de conſecr. d. 1.

pus

pus excommunicati, si ab aliis fidelium corporibus queat secerni, ex eodem Canone & sequenti (a), qui sic habet: *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera fidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel signis ejus loci, reædificetur.*

(a) Can. Ecclesiam. 28. ibid.

Hinc sequitur, quod, quamvis Andreas, recens S. Marci Parochus, Argobasti excommunicationem ignoraverit; ex talis hominis sepultura polluta tamen facta est ipsius Ecclesia; quod idem contingeret, si quem in ea inhumasset, qui hæresim palam fuisset professus, ibique obiisset (b).

(b) Anton. 3. part. Sum. Th. tit. 12. c. 6. §. 4. Joan. Cabassut. Juris can. Theol. & prax. l. 5. c. 20. De Sare Beuve. tom. 5. cas. 139. Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 4. sect. 2. & tom. 2. Collo. 7. sect. 2. De Genet. Theol. moral. t. 2. 3. tract. 5. cap. 7. q. 22.

CASUS III.

Alcuinus, qui publice excommunicatus fuerat, vehementi oppressus morbo, Parochum suum accersivit, qui coram septem octove hominibus dolorem suum de pravo suo statu testatus est, eumque enixe rogavit ut intra unam duasve horas ad se rediret, peccatorum suorum confessionem auditurus, quo eorum ab illo absolutionem acciperet; promittens etiam, se ei, quam sibi imponere vellet, pœnitentiæ satisfacturum. Vix domum suam reduci Parocho nuntiatum est, hominem hunc subita morte fuisse correptum. Qua de re quæritur, utrum ipsum in Ecclesia sepelire non possit hic Parochus, quin fiat polluta?

Respons.

In Ecclesia Alcuinum sepelire non potest iste Parochus in casu proposito, nisi antiquissimas & sanctissimas leges Ecclesiasticas infringat, suamque polluat Ecclesiam. Nam, ut declarat Innocentius III. his verbis (c): *Quantacumque pœnitentis signa præcesserint; si tamen morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Unde colligendum est, ab isto Parocho Alcuinum in loco sacro non posse sepeliri, donec de censura quam vivens incurrerat, mortuus absolvatur. Quare ad legitimum Superiorem sine mora debet recurrere, ut pro defuncto istam obtineat gratiam, prius quam corpus ejus Ecclesiastica donetur sepultura. *Debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri.* Addit idem Papa, *ut si de ipsius viventis pœnitentia constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Ratio est; quia, cum Alcuinus se ipsum reddiderit incapacem ad recipiendas gratias & suffragia Ecclesiæ, e cujus sinu, veluti membrum mortuum, per excommunicationem omnino avulsus fuerat; necesse est penitus, ut Christianæ sepulturæ prærogativa fruatur, ejusdemque Ecclesiæ precibus communibus fiat particeps, eum ad ipsam denuo incorporari atque in fidelium juribus redintegrari: quod, absque Superioris majoris auctoritate fieri nequit (d).

(c) Innoc. III. in c. *A nobis*. 28. de sent. excommunicat. lib. 5. tit. 39.

(d) Eveillon. tract. de Excommunicat. & Monit. c. 4.

CASUS IV.

Plinius Sacerdos, nominatim excommunicatus denuntiatus, publice in Ecclesia S. Ebrulfi celebravit, non obstante censura qua erat ligatus. Nonne ex illo ipsius ausu temerario polluta facta est Ecclesia?

Respons.

Insignis Theologus, a Sylvio laudatus (e), contendit in proposito casu Ecclesiam non fieri pollutam: nam peculiarem sibi opinionem, & quæ ad aliam pertinet difficultatem probare volens, hac præsertim ratione nititur: *Ecclesia non polluitur ex eo, quod excommunicatus in ea celebret.* Ac Sylvius, ab eo licet dissentiens, hanc tamen ipsi non denegat propositionem; sed tacite admittens, deductam inde conclusionem solum refellit (f).

(e) Suarez apud Sylvium in 3. part. S. Th. q. 83. ar. 3. quæsito 2.

(f) Fr. Sylv. loco cit. ad 2.

Et quidem jure non exprimitur, in casu proposito Ecclesiam fieri pollutam: quare affirmare possumus, Sancti Ebrulfi Ecclesiam ex nefando Plinii in ea celebrantis suscepto non factam fuisse pollutam, quantumvis excommunicatione esset ligatus: atque adeo nova eamdem Ecclesiam reconciliatione non indigere.

CASUS V.

In Ecclesia sancti Claudii, a Demetrio Episcopo quem publice ob simoniæ crimen Papa excommunicarat, consecrata, peractum est per mensem integrum Missæ sacrificium ac divinum officium. Sacerdos qui doctus habetur, coram Parocho propugnavit, ipsius Ecclesiam, ne dum consecrata canonice fuerit, vere pollutam fuisse. Quærit Parochus, an res ita se habeat, ac denuo consecranda sit Ecclesia.

Respons.

Certum est, ita sentientibus permultis seu antiquis seu modernis auctoribus, istam Ecclesiam a tali Episcopo fuisse violatam, ne dum legitime consecrata fuerit; eamque proinde iterum esse consecrandam. Cujus rei hæc afferri potest ratio: quod, cum ex Canonibus Ecclesia ob solum corporis personæ excommunicatæ & in eo sepulti contactum fiat polluta; a fortiori talis habenda est, si per manus excommunicati Episcopi fuerit consecrata. Ita docet sanctus Antoninus post Hostiensem, qui istam quoque sententiæ suæ affert rationem. *Quartus casus est*, inquit sanctus (g), *si Ecclesia ab Episcopo publice excommunicato consecrata fuerit: nam, ut dicit Hostiensis, si corpus defuncti excommunicati Ecclesiam polluit, multo magis, cum consecrationis officium peragitur per eorum os & manus, qui excommunicationi subjacent.* Ita sentiunt Auctores multi, quos ad marginem indicamus (h).

(g) S. Anton. 3. p. Sum. Th. tit. 12. c. 6. §. 4.

(h) Petr. Pal. in 4. dist. 18. q. 8. Navar. Manual. cap. 27. num. 257. Aug. Barbosa. de offic. Epis. alleg. 27. Vivaldus de interdicto n. 23. Jo. Tagnatius, vulgo Tabiena, seu Tabiensis. v. *Consecratio. Eccl.* Zerola. v. *Pollutio. Ecclesia.* Tolet Instru. Sacerd. l. 3. c. 8. Panormitanus Angelus de Clavasio, Silvester de Prierio &c.

Alii tamen auctores, inter quos Suarez, contrariam acriter sententiam defendunt, & ad ejus probationem duo hæc in medium adducunt argumenta. Primo: quia dici nequit, Ecclesiam factam fuisse pollutam, nisi supponendo, eam prius fuisse consecratam; cum loci pollutio præcedentem necessario supponat ipsius consecrationem. Atqui actio, inquiunt, Episcopi consecrantis præviam non supponit consecrationem; cum ejus actio nihil aliud sit, quam ipsa consecratio. Unde inferunt, non nisi absurde dici posse, ipsum, Ecclesiam consecrando, eamdem polluere.

Secundo, quia Ecclesia non fit polluta, licet in ea celebraverit Sacerdos excommunicatus: Igitur non fit etiam polluta, etsi eam consecret Episcopus excommunicatus; cum certum sit, simplici loci consecrationis coerimoniæ infinito modo præstare actionem sacrosancti Sacrificii. Ita argumentantur illi auctores, ut testatur Sylvius (i): qui licet istas fateatur validas esse rationes & verosimiles; priorem tamen opinionem, uti magis communem inter Theologos agnoscit, a qua recedere non cogunt istæ, quantumlibet urgentes rationes. *Quæ cum ita proponantur*, inquit, *nihil tamen eorum est quod nos cogat a communi veterum sententia recedere* (K). Cum vero perquam raro ac difficillime contingat casus propositus, de eo plura non dicemus, hoc unum observare contenti, priorem videlicet opinionem, quamvis a magno Theologorum atque Canonistarum numero propugnatam, nullius tamen Canonis auctoritate niti: licet plurimi in jure casus exprimantur, in quibus fit Ecclesia polluta; quæ ratio alterius opinionis asseclis favere in primis nobis videtur. Existimamus igitur, in pari casu consulendum esse Diœcesanum Episcopum, illiusque decisioni standum.

(i) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 83. art. 3. quæsito 2.

(k) Colloq. Lucon. tom. 1. Colloq. 16. q. 1.

CASUS VI.

Cum Justinum in Ecclesia percussum graviter sauciasset Palæmon, non sine magna sanguinis effusione, qua idcirco polluta est Ecclesia; in ea tamen Parochus celebravit ob annuam festi solemnitatem, & ne ab auditione Missæ abstinuerent Parochiani sui, qui sacrificio non adfuissent, nisi is celebrasset. Qua de re quæritur, utrum ista Ecclesia semper polluta censenda sit, etsi ab ejus pollutione in ea factum sit sacrificium; ita ut Episcopi auctoritate prius reconciliari debeat, quam in ea divina possint celebrari officia? an vero reconciliata sit habenda ex sacrosancto Missæ sacrificio, quod in ea obtulit Parochus?

Ra-

RESPONS.

Existimant quidam auctores, hanc Ecclesiam semper manere pollutam, etsi ab eo tempore quo polluta est, sacrosanctum in ea oblatum fuerit Missæ sacrificium, atque adeo in eamdem continuari non posse actionem sacrificii absque gravi peccato, donec fuerit reconciliata. Contrarium tamen propugnant alii multi, inter quos Tostatus & Alphonsus a Castro (*a*): & putant Ecclesiam pollutam, sacrificio ab ejus pollutione in ea oblato censendam esse reconciliatam: quod probant ea paritate Calicis, qui ea profano fit sacer solo pretiosi Sanguinis Christi contactu, nec iterum est consecrandus. Unde colligunt, Ecclesiam pollutam, ob celebrationem divinorum ab ejus profanatione factam, censendam esse reconciliatam.

(*a*) Alphonsus Tostatus Episcopus Abulens. par. 3. disp. 7. dub. 13. Alphonsus Castrensis. lib. 2. de l. pœnali Eman. Sa v. *Ecclesia* n. 19.

Verum quidem est, secundam hanc opinionem videri probabilem & satis esse communem: sed illud etiam certum est, priorem esse tutiorem, & eam potioribus, quam sit prior, niti rationibus: nam per celebrationem Missæ non fit Ecclesiæ reconciliatio, sed solum fit per preces & ablutiones ab Ecclesia institutas, quæ fiunt aqua benedicta, vino & cinere (*b*), quando illa Ecclesia jam consecrata est; vel solum aqua benedicta & exorcizata, si nondum fuerit consecrata, ut observat Glossa; & ablutiones istæ a solo fieri possunt Episcopo, vel ut ait Gregorius IX. (*c*) a Sacerdote, qui in eam rem ab ipso specialiter deputatus est.

(*b*) Alexand. III. in c. *Proposuisti*. 4. de consecrat. Eccles. vel altar. Glossa in cap. 5. *Ecclesia*. fin. eod. tit. v. *Lavetur*.

(*c*) Greg. IX. in cap. *Aquam*. 9. cod. 1. & ibi Glossa.

Confirmari potest hæc sententia auctoritate Glossæ (*d*), quæ asserit, iterandam esse Ecclesiæ consecrationem, cum dubitatur, utrum fuerit consecrata. *Nota*, inquit auctor hujusce Glossæ, *quando Ecclesia debet consecrari, vel reconciliari*. 1. *Si dubitatur an sit consecrata*: Cujus rei hanc profert rationem, ex antiquo depromtam Canone, quem Felici Papæ adscribit Gratianus; *quia*, inquit, *non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum* (*e*). Atqui vere dubitari potest in casu proposito, num Ecclesia ob solam Missæ celebrationem fuerit reconciliata, ob varias Doctorum opiniones. Igitur in hoc casu reconcilianda est.

(*d*) Glossa in cit. cap. *Proposuisti*. v. *Reconciliari*.

(*e*) Can. *Solemnitates*. 16. de consecrat. dist. 2.

CASUS VII.

CUM JOANNES & JACOBUS in Ecclesiam rixam contraxissent, Joannes in ea Jacobum repetitis fustis ictibus gravissime percussit. Cum autem in vicum Jacobus fugisset, Joannes qui adhuc erat in Ecclesia, ipsum emisso sclopeto, subito interfecit. Numquid ex mutua fustium percussione Ecclesia polluta est, aut saltem emissione sclopeti, qua Joannes qui erat in Ecclesia, Jacobum foris existentem interfecit?

RESPONS.

Ecclesia non polluta est ea repetitis mutuo fustium percussionibus, nisi gravis fuerit effusio sanguinis. Sed si Jacobus ex acceptis ictibus sanguinem in ea emiserit, Ecclesia tum polluta est: quod etiam verum est, licet extra Ecclesiam fuerit sanguinis fluxus: nam si actio injuriosa ex qua secuta est sanguinis effusio, in ipsa Ecclesia commissa fuerit, id ipsum sufficit, ut facta sit polluta. Ita Sylvius (*f*): *Porro ad hanc Ecclesiæ pollutionem satis est*, inquit, *quod vulnus infligatur in Ecclesia, etiamsi sanguis in ea non fluat, sive quia recipiatur in aliquo vase, sive quia percussus egreditur, antequam fluat: quia tunc intra Ecclesiam data est injuriosa eaque proxima caussa effusionis.*

(*f*) Fr. Sylvius in 3. part. Som. S. Thom. q. 83. art. 3. quæsito 4.

Neque etiam est pollutio in secundo casu ex mente ejusdem Theologi. Licet enim is, qui extra Ecclesiam existens occidit, etiam sine effusione sanguinis, aut cum effusione sanguinis lædit eum qui est intra eam, pollutam ea facinore suo efficiat Ecclesiam, ut declarat Innocentius III. (*g*); non idem dicendum de eo, qui in Ecclesia existens cum effusione sanguinis eum lædit, aut interficit, qui foris est: in hoc enim casu ea ipsius actione non polluitur Ecclesia: *Sed neque polluitur*, ait hic Doctor, *si intra Ecclesiam fiat percussio, ex qua nec mors sequitur, nec sanguis fluit: uti nec si ex Ecclesia misso telo, vel tormento interficiatur is, qui est extra. Polluitur autem, si foris existens jaculum aut glandem mittat, eumque qui in Ecclesia est, occidat.*

(*g*) Innoc. III. in cap. *Proposuisti*. 4. de consecrat. Eccles. &c.

Sylvio assentitur Cabassutius (*h*): *Necesse est autem*, ait, *ad hujus pollutionis effectum, ut vulnus receptum fuerit in loco sacro: Si enim aliquis, existens intra sacrum locum, jactu injurioso teli alterum foris existentem vulnerat aut interimit, non inde polluitur locus sacer.* Subjungitque doctus hic Canonista, id esse verum: *Licet*, inquit, *vulneratus arrepto vulnere ingrediatur Ecclesiam vel cœmeterium, ibique sanguinem effundat.*

(*h*) Joan. Cabassut. Juris Can. theor. & praxis. lib. 5. cap. 21. n. 10.

Advertendum autem occasione præsentis difficultatis; quod *non polluitur Ecclesia*, inquit Sylvius (*i*), *quando percussio, quæ magnam sanguinis copiam elicit, non est mortalis, ut in puerorum rixa interdum contingit*. Quod idem post Sylvium asserit auctor Praxis jurisdictionis Ecclesiasticæ (*K*) voluntariæ.

(*i*) Fr. Sylvius. loco cit.

(*k*) De Cass. Prax. jurisdict. Eccles. volunt. cap. 8. num. 6.

CASUS VIII.

IBRAHIMUS, natione Turca, & Daniel Judæus, cum in Ecclesia cathedrali divinis adessent officiis curiositatis gratia, inter se rixam contraxerunt, ita ut in hac Ecclesia Daniel Ibrahimo absque sanguinis effusione ictum infligeret, quo paucis post horis in diversorio suo quo delatus est, obiit: vel in eo multum sanguinis per acceptum vulnus effudit. Num ex hoc casu polluta est Ecclesia?

RESPONS.

Ex hoc homicidio polluta est Ecclesia, ut definivit Innocentius III. qui ad Compostellanum scribens Episcopum, qui ipsum consuluerat de quibusdam peregrinis, quorum alii in Ecclesia sua vulnerati, alii vero occisi fuerant, ita respondet (*l*): *Respondemus, quod, manente Ecclesia & altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam*. Id etiam docet sanctus Antoninus (*m*), qui relatis quibusdam casibus, in quibus Ecclesia fit polluta, addit: *Secus si in Ecclesia vulneretur, & extra moriatur: quia tunc violatur*. Idem asserit Cabassutius de effusione sanguinis, quæ contingit extra Ecclesiam, vulnere in ea accepto (*n*): *Polluitur sacer locus, si vulnere ibi arrepto, saucius foras egrediatur, nec nisi post egressionem sanguinem effundat.*

(*l*) Innoc. III. in cap. *Proposuisti*. supra cit.

(*m*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 12. §. 4.

(*n*) Joan. Cabassut. Juris Can. theor. & praxis. lib. 5. c. 21. n. 10. cit.

Contrariam quidem opinionem tuetur Barbosa (*o*), & contendit, Canones omnes qui ea de re loquuntur, debere intelligi de effusione sanguinis, quæ re ipsa in Ecclesia vel cœmeterio contingit: Verum in hoc se a communi Doctorum opinione recedere fatetur.

(*o*) August. Barbosa de offic. & potest. Episc. allegat. 38. n. 24.

Ceterum idem dicendum, cum absque sanguinis effusione fit homicidium in loco sacro, etiam legitimi judicis auctoritate, ut docet Sylvius his verbis (*p*): *Impertinens autem est, an sanguis effundatur, nec ne: ac proinde si reus in Ecclesia strangulatur, etiamsi per legitimum judicem, ipsa polluitur ob injuriam, non personæ, sed loco factam.*

(*p*) Fr. Sylvius in 3. part. Som. S. Thom. qu. 83. art. 3. quæsito 1.

CASUS IX.

CUM JOANNA & CAROLA in Ecclesia inter se essent rixatæ, Joanna in Carolam impetu insiliens eam ad fauces strangulandam arripuit, tantaque vi constrinxit, ut ferme anhelitum amiserit: sed ex ejus avulsa manibus & in proximas ædes delata, statim a Chirurgis inspecta est, qui declararunt, eam esse in proximo intra paucas horas animam efflandi periculo. Qua de re quæritur, utrum Ecclesia ex hoc violento facinore, polluta censenda sit, ac præcipue ob discrimen proximæ mortis, atque adeo a sancto Sacrificio aliisque divinis officiis in ea celebrandis cessare debeat Parochus?

RESPONS.

Testatur Cabassutius (*q*), se quondam de simili consultum fuisse difficultate, ad quam scripto respondit, dicens, quod eatenus dici non poterat, Ecclesiam esse pollutam, & esse reconciliandam ante casus eventum; istamque adjiciens rationem. *Si enim mors interveniret*, inquit celeberrimus hic Professor Avenionensis, *eo dumtaxat momento & non ante, pollutio eventura erat Ecclesiæ; atque ita necessitas incumbebat iterandi præcedentem &*

(*q*) Joan. Cabassut. Juris Can. theor. & prax. l. 5. c. 21. in fin.

inop-

inopportunam Ecclesiæ reconciliationem, tunc temporis sacræ & impollutæ. Si vero ægra reconvalitura erat; majus nasciturum deridiculum ex publica reconciliatione &c. Unde istam elicuit conclusionem: *Illa igitur mentibus insedit melior sententia præter Officii cessationem nihil interim esse moliendum: Si moriatur, reconciliandam esse pollutam Ecclesiam sine mora.* En solatio propositi casus; ac simul quo pacto in tali eventu se gerere debeat Parochus.

CASUS X.

Cum Asdrubal & Achilles ferram & manus secum invicem contulissent, & Asdrubal qui se gravi percussum vulnere sentiebat, in vicinam fugisset Ecclesiam, post horæ quadrantem ibi ex accepta plaga animam efflavit. Numquid ob talem necem polluta est Ecclesia?

Respons.

Certum est, ob talem necem Ecclesiam non fuisse pollutam: quia Achilles letale Asdrubali vulnus infligens, nullam loco sacro intulit injuriam. Hanc rationem decisionis istias affert S. Antoninus istis terminis (*a*): *Si ex vulnere extra Ecclesiam accepto, in Ecclesiam fugiens moriatur, non violatur Ecclesia; quia non accepit ibi caussam mortis.* Eamdem sententiam simili ratione adstruit Sylvius (*b*): *Si autem foris percussus*, inquit, *ad Ecclesiam confugiens, ibi moriatur, vel sanguinem fundat, non polluitur: quia nihil in ea fit injuriosum.*

(*a*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 12. c. 6. §. 4.

(*b*) Fr. Sylvius loco supra cit.

CASUS XI.

Patusius a quibusdam mensibus furia incensus, Paschatis die in Ecclesiam S. Urbani ingressus est breviorem sclopetum manu tenens, quem in suum caput displosit, ac subito mortuus est. Parochus suam existimans Ecclesiam ex hoc casu pollutam esse, divinum interrupit officium, nec Missam celebravit. Namquid in hoc suo functus est officio?

Respons.

Ob eum casum de quo fit mentio, divinum abrumpere officium, aut Missæ celebrationem omittere non debuit hic Parochus; quia ipsius Ecclesia non polluta est ob necem, quam sibi intulit Parusius. Ita post multos Canonistas a se laudatos sentit S. Antoninus (*c*) dicens: *Quod si ex lapide de ædificio Ecclesiæ aliquis moriatur, vel ex fatuitate furiæ quis se occidat, secundum Hugonem & Hostiensem, non est necessaria reconciliatio: quia non est per contentionem vel malam voluntatem facta* (sanguinis effusio). Hæc sunt verba S. Præsulis, cujus opinionem probant & sequuntur celeberrimi Auctores, qui ea de re scripsere.

(*c*) S. Anton. loco cit.

CASUS XII.

Athanagoras, in vico a Leandro lacessitus, & in Ecclesiam usque ad necem quæsitus, tam urgenti ad propriæ vitæ tutelam necessitate coactus est, at aggressorem suum occidendo, mortem dumtaxat evitare potuerit, quamvis non eum occidere, sed suam tantum vitam tueri proponeret vim vi repellendo. Num Ecclesia ex hoc homicidio polluta est?

Respons.

Ecclesia non fuit polluta ex homicidio, de quo agitur in specie proposita. Ratio est, quia Ecclesia non fit polluta, nisi ex actione vel ipsi, vel proximo injuriosa. Atqui Athenagoræ actio, nec Ecclesiæ, nec proximo est injuriosa: non Ecclesiæ: quandoquidem ex jure naturali licitum sit, propriam tueri vitam, quam cum periculo invadit aggressor injustus, modo absit ipsum occidendi intentio: nec ob eam quoque rationem Leandro est injuriosa, cum ipsum dumtaxat interfecerit *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, & etiam absque præcisa ipsum occidendi intentione. Ita difficultatem hanc solvit Cabassutius (*d*), qui, cum præmisit, Ecclesiam fieri pollutam *per injuriosam humani sanguinis effusionem*, his verbis mentem suam aperit: *Vox*, injuriosam, *excludit hominis aggressoris occisionem, aut cruentum vulnus cum inculpata tutela*. Sed in hoc præcipua sita est difficultas, ut in praxi dignosci queat, an, qui aggressorem suum interfecit, inculpatam servaverit tutelam, an vero præ cupiditate legitimos ipsius limites prætergressus non fuerit. Supposito hoc dubio, colligendu esset necessitas reconciliationis Ecclesiæ, in qua admissum esset facinus.

(*d*) Joan. Cabas. juris can. Theor. & prax. l. 4. c. 21. n. 9.

CASUS XIII.

Elmus et Basilius, Accensi vel fossores Ecclesiæ Parochialis sancti Tarini, exsistentes in cavea concamerata, quæ sub hujusce Ecclesiæ choro est, simul rixati sunt, & Elmus ligone Basilio caput ita contudit, ut in eodem ipso loco obierit. Numquid ob hoc homicidium violata est Ecclesia?

Respons.

Cum non *intra Ecclesiam*, sed *extra* perpetratum fuerit istud homicidium, tamquam polluta non est habenda: *Si supra tectum Ecclesiæ quis occidatur, Ecclesia non polluitur, uti nec si sub Ecclesia, in cella, vel in cubiculo aliquo subterraneo*, inquit Sylvius (*e*). Ita quoque sentit Cabassutius his verbis (*f*): *Non est opus reconciliatione, si pollutio contigerit extra spatium murorum Ecclesiæ, vel Chori, vel adjunctarum Capellarum, quæ quidem censendæ sunt partes corporis Ecclesiæ: non ergo requiritur reconciliatio, si contigerit intra sacristiam vel campanile ..... vel in subterraneo specu.* Quibus tamen hanc exceptionem addit hic Canonista: *Nisi foret specus ad sepulturam.* Ratio est, quia si talis specus esset fidelium tumulus, tum locus sacer haberetur & pars Ecclesiæ, cum ab ea non esset sejunctus.

Decisionem istam stabiliunt, non modo laudati Auctores, sed etiam Glossa (*g*), Navarrus (*h*), qui laudat etiam Archidiaconum Bononiensem, Grassius (*i*), Suarez (*k*), Auctor Colloquiorum Luconensium (*l*) & alii multi.

(*e*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 8. art. 3. quæsito 2.

(*f*) Joan. Cabassut. juris can. Theor. & prax. l. 3. c. 21. n. 12.

(*g*) Glossa in cap. Si *Ecclesia* un de consecrat. Eccl. vel altar. in 6. v. *Sanguinis*.

(*h*) Navar. Manual. c. 17. num. 255. & apud eum Archidiaconus.

(*i*) Jacob. a Grassis l. 2. c. 45.

(*k*) Suarez tom. 1. de relig. lib. 3. c. 9.

(*l*) Colloq. Lucon. sum. 5. colloq. 26. q. 1.

CASUS XIV.

Aviacio, Sancti Cyrini Parocho, sacrum faciente die festo, cum jam in promtu esset ad consecrationem, a sicario vir in Ecclesia occiditur. Numquid sacrificium peragere debet hic Parochus, ac peccaret, si subito rem sacram intermitteret, ita Parochianos suos privans auditione Missæ?

Respons.

Certum est, in Ecclesia polluta absque gravi peccato Missam celebrari non posse, & statim relinquendum esse sacrificium, si nondum Canon inceptus sit; sed si Canon fuerit inceptus, Missam perficere debet Sacerdos. Quare, cum Canonem inceperit Avircius, & etiam ad consecrandum paratus, quando perpetrata est cædes, sacrificium perficere, nec ab altari discedere debet. *Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, ... tunc dimittendam esse Missam dicunt Rubricæ: quamvis si post Canonem violetur, non sit dimittenda.* Ita doctus Theologus (*m*), qui alibi addit (*n*); *Si vero Ecclesia violetur, Sacerdote celebrante, dimittatur Missa, si est ante Canonem; perficiatur, si is est inceptus.* Cum hæc decisio Missalis rubricis sit consentanea, ulteriori non indiget probatione.

(*m*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Tho. q. 83. art. 9. quæsito 2.

(*n*) Idem cit. q. 83. art 3. quæsito 2. in fine.

CASUS XV.

Cum in Ecclesiam urbis obsessæ confugissent passim viri & mulieres, ut ab hostili expugnatione brevi futura essent tutiores, ibique dies multos & noctes essent commorati; Faustus cum Daniela per noctem est mœchatus, alii vero matrimonii debitum quæsierunt. Numquid & hisce actionibus polluta est Ecclesia?

Respons.

Ecclesia ista ob has actiones non est censenda violata si sint omnino occultæ, ac proinde ea reconciliatione non indiget. *Nullatenus requiritur loci sacri reconciliatio*, inquit Cabassutius (*o*), *si ejus profanatio non sit publica notoria, etsi posset per duos, vel tres testes probari.* Abbas, Hostiensis, Fumus & Navarrus idem asserunt (*p*); Sed si publicæ fuerint istæ actiones, Ecclesia polluta haberi debet; atque secundum distinctionem hanc intelligi necesse est Canones & Decretales, in quibus de præsenti re fit mentio (*q*) juxta interpretationem S. Antonini (*r*); *Secundus casus violationis*, inquit hic Sanctus, *est propter adulterium & qualemcumque seminis emissionem voluntarie procuratam, sive cum aliis, sive per se solum. Extra. de adulteriis c.* Significasti. *de consecratione dist.*

(*o*) Joan. Cabassut. juris can. Theor. & prax. l. 5. c. 21. n. 11.

(*p*) Abbas. in cap. *Significasti*. de adulteriis & stupro n. 2.

Hostiensis in c. fin. de consecrat. Eccles. vel altar. l. 15. tit. 40.

Bartholomæus Fumus in Aurea Armilla. v. *Consecratio Ecclesiæ*.

Navarr. Manual. c. 17. n. 261.

(*q*) Conc. Nicæn in can. *Ecclesiis*. su. de consecrat. dist. 1.

Alex. III. in cap. *Significasti*. §. de adulteriis & stupro. l. 5. tit. 16.

Greg. IX. in c *Si Ecclesia*. fin. de consecrat. Ecclesiæ vel altaris.

(*r*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 12. c. 6. §.

dist. 5. *Can.* Ecclesiis. *Etiam per actum conjugalem, ut si vir cognoscat in uxorem Ecclesia .... sed nota, quod quando vitia hæc in Ecclesia commissa, sunt occulta, ut dicit Guillelmus & Hostiensis in summa, non indiget reconciliatione: & idem tenet Joannes Andreas in 6. eodem titulo.*

Addi potest etiam Sylvii auctoritas, quæ sic habet (*a*): *Tum demum Ecclesia censentur pollutæ, ita ut reconciliatione indigeant, quando caussæ superius memoratæ sunt publicæ, vel per evidentiam rei, vel per confessionem aut probationem juridicam secundum Silvestrum, Navarrum & alios: ita ut quamdiu sunt occultæ, nulla opus sit reconciliatione; si autem propalentur, tunc reconciliatio est necessaria.* Cujus rei istam rationem affert hic Theologus: *Quia Prælati non debent occulta crimina revelare purificando, seu reconciliando Ecclesias.*

(*a*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 83. art. 3. quæsito 1. in fine.

Colligimus ergo, quod si actiones in Ecclesia de qua fit mentio peractæ, sint tantum occultæ; ea polluta censeri non debet, & ideo reconciliatione non indiget; sed si publicæ sint, necessaria est reconciliatio.

CASUS XVI.

Ecclesia Sancti Thyrsi ex homicidio in ea commisso pollnta, quærit Parochus, utrum Cœmeterium similiter pollutum censeri debeat?

RESPONS.

Certum est 1. quod si Ecclesiæ contiguum sit Cœmeterium, censetur esse pollutum, quia Cœmeterium, utpote accessorium, naturam sequitur principalis, quod est Ecclesia, juxta istam juris Regulam, quam statuit Bonifacius VIII. (*b*) *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Decisionem istam ea de re suppeditat hic summus Pontifex his verbis: (*c*) *Si Ecclesiam pollui sanguinis effusione contingat, ipsius cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet aliquis in eo sepeliri.* 2. Si ab Ecclesia Cœmeterium sit separatum, benedictionem suam non amittit ex ejus pollutione, ut declarat idem Papa; *secus, si remotum fuerit ab eadem.*

(*b*) Reg. 41. de reg. juris in 6.
(*c*) Bonifac. VIII. in cap. un. de consecrat. Eccl. vel altar. lib. 5. tit. 11.

Advertendum autem circa præsentem difficultatem, quod ex pollutione solius Cœmeterii consecrationem suam non amittit Ecclesia, quamvis ipsi sit contiguum, quia accessorii conditionem non sequitur sors præcipua. *Non sic quoque in casu converso sentimus*, addit etiam Bonifacius VIII. *ut videlicet pollato Cœmeterio, quamvis Ecclesiæ contiguo debeat Ecclesia reputari polluta, at minus dignum, majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur.* Hactenus dictis omnes suffragantur (*d*).

(*d*) S. Anton. 1. part. Sum. Theol. tit. 12. c. 6. §. 7. &c.

CASUS XVII.

ANSELMUS, Parochialis Sancti Faronis Parochus, ab Episcopo ad reconciliandam Ecclesiam suam sanguinolento & letalis hominis cum alio rixantis vulnere pollutam delegatus, mandatum perficiens, aqua dumtaxat benedicta cum mixtione salis usus est. Parochus alter, qui peritus habetur, factum Anselmi addiscens, ipsi declaravit, hanc reconciliationem esse invalidam; quod aqua benedicta non fuisset usus, quæ Gregoriana dicitur, quæ ab Episcopo cum mixtione vini & cineris benedicenda est. Numquid alteri huic Parocho jus; ita ut Ecclesia iterum sit reconcilianda?

RESPONS.

Si Ecclesia Sancti Faronis juxta formulas in Pontificali Romano præscriptas numquam consecrata fuerit, debito modo a Parocho, quem in id Episcopus delegavit, reconciliata est, licet ad reconciliationem aquam tantum a se, vel ab alio Sacerdote benedictam adhibuerit.

Constat id ipsum ex Decretali Gregorii IX. ad Episcopum Legionensis Regni in Hispania scribentis; (*e*) *Si Ecclesia non consecrata, cujuscumque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta,* ait hic Papa, *aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur.*

(*e*) Greg. IX. in cap. *Si Ecclesia.* fin. de consecrat. Eccles. vel altaris.

Sed si Ecclesia ista fuerit consecrata, major est difficultas: declarat enim idem summus Pontifex in alia Decretali, quæ modo laudatam antecedit, & quam ad eumdem scribit Episcopum, olim Bracarensis Archiepiscopi, nunc vero Compostellani suffraganeum, in hoc casu reconciliandam esse Ecclesiam *aqua per Episcopum* (solemniter) *benedicta* (*f*). Necesse est autem ut sit vini & cineris mixtio cum aqua naturali, quæ ab Episcopo consulto benedicitur ad reconciliationem Ecclesiæ, uti jussit Innocentius III. (*g*) in quadam sua Decretali ad Archiepiscopum Compostellanum, qui ipsum ea de re consultaverat ob Metropolim suam, & cui his verbis respondet: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod manente Ecclesia & altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam.* Unde colligi posse videtur, quod si Ecclesia de qua agitur, fuisset consecrata, ipsa jam valide reconciliari non posse cum aqua a Sacerdote simpliciter benedicta.

(*f*) Idem in cap. *Æqua.* 9. eod. tit.
(*g*) Innoc. III. in c. *Proposuisti.* 4. eod. tit.

Dici tamen potest, non omnino certum esse, quod reconciliatio quæ solita aqua benedicta, quæ canonibus *aqua exorcizata* dicitur, facta fuerit, omnino sit invalida: verum est enim a Gregorio IX. affirmari, hanc esse adhibendam; sed asserit quoque, eam a solo Episcopo esse benedicendam: qua in re admissa non fuit ipsius Decretalis: præsertim in Gallia, ubi in multis Diœcesibus id obtinet usus, ut latis sis, ab Episcopo pro ista cerimonia Sacerdotem deputari. Atqui videtur, legitime defendi posse, aquæ ab Episcopo benedictæ quæ Gregoriana dicitur, usum ad reconciliationem Ecclesiæ magis esse necessarium, quam personale ipsiusmet Episcopi ministerium. Igitur si ad talem reconciliationem non requiratur absolute personale Episcopi ministerium, idem de Gregoriana aqua est dicendum. Ceterum quod de Ecclesia reconcilianda diximus, de cœmeterio est intelligendum, ut diximus; & post Innocentium III. (*h*) docent omnes Theologi & Canonistæ (*i*).

(*h*) Innoc. III. in cap. *Consuluisti* 7. de consecrat. Eccles. vel alt.
(*i*) Fr. Sylvius. resolut. var. v. *Ecclesia aut Cœmeterii violatio.* & apud eum Guill. Durandus lib. 1. de divinis officiis. c. 6.

CASUS XVIII.

AMBROSIUS, Ecclesiæ Sancti Eucherii Accensus, in Ecclesia prandium sumere solet, præsertim per quindecim Paschatis dies, festaque solemnia, quæ decurrente anno contingunt, quod parumper remota sit sua domus, & ad redeundum teneretur, ut vesperarum signum ære campano daret, ceteraque ad suum ministerium pararet. Nonne in eo peccat in debitam loco sacro reverentiam?

RESPONS.

Cum Ecclesia cultui divino sit mancipata, eam ad alios usus convertere non licet, nisi ob legitimam necessitatem. Quam, si alius ad cibum sumendum locus non suppeteret, eo uti liceret ad solitam nutritionem sumendam, aut ad alios usus licitos & honestos absque peccato, ut exponit Sanctus Thomas (*k*) qui hæc Apostoli verba explicans (*l*): *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum; aut Ecclesiam Dei contemnitis?* ita loquitur: *Non enim est licitum domum Dei, quæ est deputata sacris usibus, communibus usibus applicare: unde & Dominus Joan. 2. ejiciens ementes & vendentes de templo, dixit:* Domus mea, domus orationis vocabitur: *Et Augustinus dicit in regula*; In oratorio nemo aliquid faciat, nisi ad quod factum est: unde & nomen accepit. *Tamen propter necessitatem, quando scilicet aliquis aliam domum non inveniret, licite posset Ecclesia uti ad manducandum, vel ad alios hujusmodi licitos usus.* Unde colligimus, quod, cum vix credibile sit, tantum esse Ambrosii in Ecclesia occupationem, ut ipsi ad prandium hora non suppetat, & opportuno sit redux tempore ad pulsandum vesperarum signum, ceteraque ministerii sui implenda; videtur, quod a peccato excusari nequeat, debitam loco tam sacro & ad cultum divinum unice destinato non præstans reverentiam. Attamen, si diebus quibusdam ab Ecclesia discedere non posset, nisi omissis iis quæ essent officis sui, ipsum tunc ab omni peccato immunem efficeret necessitas.

Navarr. lib. 3. consil. de celebrat. Missæ. consil. 1.
Azorius part. 2. lib. 9. c. 5.
Zerola v. *Pollutio Ecclesiæ.* & alii.
(*k*) S. Th. in 1. ad Corinth. c. 11. Lectione 4.
(*l*) 1. Cor. 11. 22.

CASUS XIX.

DAMASUS, Missam auditurus, aut ceteris interfuturus officiis, Ecclesiam numquam ingreditur sine comitatu canis, qui ipsum quocumque vadat, insequitur. An affirmari potest, ipsum in debitam loco sacro reverentiam peccare?

RES-

RESPONS.

Non sine offensa hanc sibi fieri quæstionem, audiret Mahumetanus. Nam apud Turcas pro gravi habetur crimine, si quis canem secum ducat, aut in eorum fana cani aditum permittat, ut referunt Historici omnes, qui de Mahumetana Religione scripserunt. Quod cum ita sit, cui jam Christiano dubium esse poterit, indigne profanari templum Domini, si quis in illud canes introducit, qui immunditiæ symbolum referunt, quique ad spurcitias ac suos latratus, fideles etiam alio abducunt, & a debita orationi attentione avertunt? Id tamen passim fit in Christianorum Ecclesiis, ubi currentium hinc & inde canum omnigena & numerosa conspicitur caterva, qui latratu suo Sacerdotem ipsum ad aram sacra offerentem, aut aliis divinis in choro officiis vacantem interturbant. Proh indecorum horrendum, nec non terrifica confusio, quam multi tamen, solo nomine Christiani, uti semi indifferentem habent!

Non sine caussa igitur in primo suo Mediolanensi Concilio statuit S. Carolus Borromæus (a): *Ut Ostiarius fores Ecclesiæ custodiat ... bruta denique canesque expellat; quidquid vel in Ecclesia dedecet, amoveat.* Idem constituitur in Concilio Mexicano quod viginti annis a primo Mediolanensi habitum est (b): atque ab istis Conciliis id tantum renovatum est, quod Aquisgrani an. 789. constitutum fuerat in Capitulari Caroli Magni (c), in quo pius hic Princeps sic Præsules alloquitur: *Placuit admonere Reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat per suam Parochiam, ut Ecclesia Dei suum habeat honorem ... & non sit domus Dei & altaria pervia canibus.*

Ex his igitur auctoritatibus, & allatis rationibus colligimus, Damarinum monitum, ne canem suum secum ducat in Ecclesiam, toties peccare, quoties hunc sibi comitem in eam vocat & ducit.

(a) Conc. Mediolanens. part. 2. tit. 45. de Ostiario.

(b) Conc. Mexican. L. 5. §. 28. apud Labbe tom. 15. col. 1337.

(c) Capitulare Aquisgran. 71. (apud Labbe) tom. 17. col. 985.

ELEEMOSYNA.

ELEEMOSYNA definitur *actus externus misericordiæ* (a caritate imperatus) *sublevans miseriam alienam* (d). Consentit hæc definitio cum his S. Thomæ verbis (e): *quia misericordia est effectus caritatis .... ex consequenti dare eleemosynam, est actus caritatis, misericordia mediante.*

Duplex distinguitur eleemosynæ species. Prima est, quæ dicitur spiritualis: secunda est corporalis. Septem sunt bona opera, ad spiritualem eleemosynam pertinentia, quæ hoc versu quem refert S. Thomas (f), continentur. *Consule, castigo, solare, remitte, fer, ora*. Et alia septem, quæ corporalis eleemosynæ sunt propria; *Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo*. Quæ fuse exponit S. Doctor, de utraque loquens eleemosynæ specie (g).

In dubium revocari nequit, eleemosynam esse de præcepto, ut probat S. Thomas (h), & postea ostendemus: idque de superfluo semper, & quandoque etiam de necessario secundum eum sensum sumto quem exponit idem Angelicus Doctor (i).

Certum est quidem, fuisse quosdam molliores & solutiores, qui contenderunt, Optimatibus ac Principibus ipsis sæpe non suppetere superfluum, ac proinde raro evenire, ut quis de Evangelico eleemosynæ præcepto teneretur. (1) En verba propositionis, quam adeo temere effutiere, quæque centesima decima prima recensetur inter centum viginti septem, quas anno 1700. censura inussit Clerus Gallicanus.

(d) Polman. part. 2. 212.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 1.

(f) Idem 2. 2. q. 32. art. 2.

(g) Id. ibid. art. 3.

(h) Id. ibid.

(i) Id. ibid. art. 6.

PROPOSITIO CXI.

Vix in sæcularibus invenias, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

CENSURA.

Hæc propositio est temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea; Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdat.

Damnata jam fuerat perniciosa illa doctrina an. 1657. a Lovaniensibus Doctoribus, & a Facultate Theologica Parisiensi an. 1666. in libro, qui falso *Amadæus Guimenius* inscribitur.

CASUS PRIMUS.

BARNABAS, numquam eleemosynam erogat, licet sit ditissimus, nec familiam habeat numerosam; quam duritiam si quis ei exprobret, subito refert, eleemosynam erogandam sub peccati mortalis reatu non obligare. Numquid errore (quoad rem istam cæcatur?

RESPONSIO.

Docet S. Thomas, ex præcepto caritatis proximi quemlibet teneri ad eum non solum ex animo diligendum, bonum ipsi cupiendo, sed etiam opere bonum ipsi procurando, juxta hæc S. Joannis verba (K): *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et hæc alia sequentia: *Non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate*. Et tandem juxta hæc alia S. Jacobi (l): *Quid proderit ... si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si autem frater & soror nudi sunt & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace; calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori; quid proderit? Sic & fides si non habeat opera, mortua est in semet ipsa.*

(K) 1. Joan. 3. 17. & 18.

(l) Jacob. 2. 14.

Addit idem Angelicus Doctor, præceptum eleemosynæ non obligare, nisi in quantum postulat recta ratio; quod ut dignoscatur, duo sunt consideranda; alterum ex parte dantis eleemosynam, alterum ex parte recipientis.

Ex parte quidem dantis habenda est ratio ipsius superflui, de quo non judicandum solum quoad personam ipsius dantis, sed eorum etiam omnium quorum

(1) Vid. Menda Pontas. Observ. II. Num. IV.

rum ei cura incumbit, quales sunt pueri pro patre familias & servi pro domino: „ Ex parte quidem dantis considerandum est, *inquit idem Angelicus Doctor*, ut id quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum secundum illud Lucæ 11. 41. *Quod superest, date eleemosynam (a)*: Et dico superfluum non solum respectu sui ipsius, quod est supra id quod est necessarium individuo; sed etiam respectu aliorum, quorum cura sibi incumbit; quia prius oportet, quod unusquisque sibi provideat, & his quorum cura ei incumbit, & postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat, respectu quorum dicitur necessarium personæ, secundum quod persona dignitatem importat; sicut & natura primo accipit cibum ad sustentationem proprii corporis, quod est necessarium ministerio virtutis nutritivæ; superfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generativam.

(a) Luc. 11. 41.

Ex parte autem recipientis eleemosynam sciendum, utrum egeat; nam, si non egeret, par non esset hanc ei erogari. *Ex parte autem recipientis*, pergit idem S. Doctor, *requiritur quod necessitatem habeat: alioquin non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur*. Sed quia omnium egenorum necessitati provideri nequeat; extrema tantum necessitas ad eleemosynam obligat: quæ in casu danda est non solum de superfluo sed etiam de parte necessarii, cum pauper ad eam extremam necessitatem redactus, aliter ab ea liberari nequit. *Sed cum non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri*, subjungit idem Sanctus, *non omnis necessitas obligat ad præceptum; sed illa sola, sine qua is qui necessitatem patitur, sustentari non potest. In illo enim casu locum habet quod Ambrosius dicit (b)*: Pasce fame morientem: si non pavisti; occidisti. *Sic ergo dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate. Alias autem eleemosynas dare est in consilio; sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.*

(b) S. Ambros. l. de officiis in can. Pasce. 21. dist. 86.

Colligendum ergo ex hac S. Thomæ argumentatione, eleemosynæ faciendæ instare præceptum in duplici casu, etiam sub reatu peccati mortalis. 1. Cum quis habet superfluum, ut docet etiam S. Augustinus his verbis (c): *Cetera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria: superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.* Quo redeunt hæc S. Hieronymi verba (d): *Aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur*. Quibus etiam consentit S. Chrysostomus (e), qui postquam hominem divitem, qui habet superfluum, cum regio quæstore contulit, cui pecuniam ad pauperum subsidium Deus concessit, his verbis colligit. *Itaque .. si quid amplius, quam postulet necessitas, in seipsum insumserit, gravissimas illic daturus est pœnas. Non enim sunt ipsius quæ possidet; sed conservorum illius .... etiamsi fueris opulentus; sed plus quam opus est insumseris, rationem reddes pecuniarum tibi creditarum ... accepisti plura ceteris, non ut ea solus consumas, sed ut ceteris bonus sias dispensator.* 2. Ad eleemosynam, ex eodem Thoma, quis tenetur in extrema pauperis necessitate.

(c) S. Aug. in Psal. 147. n. 12.

(d) S. Hieron. in Regula Monachor. c. de paupertate. apud Gratian in §. Hospitalem. dist. 42.

(e) S. Chrys. tom. 2. Hom. 1. de Lazaro.

Ex his principiis judicium de Barnabæ ductu est ferendum: cumque suppetat ei superfluum, ut supponitur, defendi nequit, eum ab obligatione erogandæ stipis esse liberum absque gravi peccato, cum ex sententia Patrum doctissimorum, ipsius superfluum sit pauperum. Quod si quæratur, quid nomine *superflui* intelligatur, legendus est attente textus S. Thomæ allatus, & præclara ista S. Augustini verba sunt ponderanda (f): *Multa autem superflua habemus, si non nisi necessaria teneamus. Nam si inania quæramus; nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei; non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei.*

(f) S. Aug. cit. n. 13.

CASUS II.

Barnabas consentit, sibi esse superfluum, e quo eleemosynam posset erogare, in urgenti præsertim necessitate. Sed eam omittendo a lethali culpa se esse immunem contendit, quia in vita contingere possunt morbi, lites defendendæ, & alii casus hujusmodi, in quibus superfluo suo præsenti tunc sibi opus esse poterit. Numquid legitima est hæc ratio?

RESPONS.

Quæstioni huic sic respondet sanctus Thomas (g): „ Est aliquod tempus dare, *inquit*, in quo homo mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat: ex parte quidem recipientis; cum apparet evidens & urgens necessitas; nec apparet in promptu qui ei subveniat: ex parte vero dantis, cum habet superflua, quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum: hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. Sed debet dijudicari superfluum & necessarium secundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt. „ Addit alibi idem Sanctus (h), necessitatis nomine non eam semper esse intelligendam, quæ sit extrema, ad quam redigi pauper valeret; quod tunc fieri posset, ut siti ac fame vires jam consumtas eleemosynæ subsidio non possent refici; sed intelligenda est adeo urgens necessitas, ut eam brevi fore extremam probabile sit, nisi eleemosyna sublevetur. En verba sancti Doctoris: „ Tempus ad quod obligat præceptum de eleemosynis faciendis accipitur ex parte accipientis & ex parte dantis. Ex parte autem accipientis; quando apparent signa probabilia extremæ necessitatis futuræ, nisi ei subveniatur: ut cum quis videt alios impotentes, vel pigros ad subveniendum, & pauperem indigentem cibo & potu & aliis vitæ necessariis, nec sibi satisfacere posse. Non enim exspectanda est ultima necessitas: quia tunc forte non posset juvari natura jam fame vel siti consumta .... Ex parte autem dantis; quando habet homo multa quibus non indiget neque ad sustentationem vitæ sui & suorum, neque ad decentem status sui conservationem, & si pauperes extremæ necessitatis non compareant: neque oportet occasionem futuræ necessitatis prætendere ultra probabilia signa futuræ necessitatis, quia hæc est superflua solicitudo, quam Dominus prohibet Matth. 6. *Nolite soliti esse* &c.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 5. ad 3.

(h) Idem in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 4.

Ex his duobus S. Thomæ textibus liquido constat, vanam esse ac futilem Barnabæ excusationem, neque eum a peccato mortali in proposito casu ob necessitatem, quæ mere est possibilis, esse immunem. Suum itaque superfluum, non tamquam suum habere debet, sed uti pauperum bonum; quod est pauperum, quos novit ad urgentem redigi necessitatem, juxta præclaram hanc S. Gregorii magni sententiam (i): *Cum qualibet necessaria indigentibus ministramus; sua illis reddimus, non nostra largimur: justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opus implemus.* Ac S. hic Papa, non nisi post S. Augustinum sic loquitur (k), cujus hæc sunt verba: *Quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria: superflua divitum, necessaria sunt pauperum; res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.*

(i) S. Greg. Pastoralis curæ 3. part. c. 2. admonit. 2.

(K) S. Aug. in Psal. 147. n. 12.

CASUS III.

Ferdinandus, dominio & opibus insignis, jam dudum viginti quinque ferme nummorum millia quolibet anno impendit, bis terve in hebdomada splendido convictui ac tecto amicos suos adhibens, magnifica emens supellectilia, nec non prototypas picturas, aut ludo dans operam: ita ut ipsi numquam superfluum pauperibus erogandum supersit; atque ita a decennio, nullam pauperibus stipem erogans, vitam ducit. Num dici potest hominem hunc in hoc mortalis peccati esse conscium, ita ut si institutum hoc vitæ genus se mutaturum non promittat, quo eleemosynam dare possit, a Confessario suo absolvi non debeat?

RESPONS.

Non liquet, quo pacto a mortali excusari posset Ferdinandus; cum certum sit, ipsum in lauto victu, impensis omnino inutilibus aut curiosis, vel in ludo superfluum suum expendere, cui tamen posset parcere; dum nullum ab eo pauperes obtinent subsidium, ipsis jure naturali & divino debitum: quocirca cum malo divite posset comparari, qui, ut in Evangelio legitur (l), *induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide*, nullam

(l) Luc. 16. 19. & seqq.

opem

opem præstans Lazaro, *qui jacebat ad januam ejus* ... addit S. Lucas, *cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat.* Cum enim asserit Evangelium, quod hic *mortuus est... dives, & sepultus est in inferno*; hanc tanti mali caussam affert, quod nulla commiseratione erga pauperem afficeretur, & sua criminose & immoderate expendebat; unde eleemosynam dare non poterat.

Ob eandem rationem divinam Propheta maledictionem annuntiat in præcipuos Israelitici populi optimates, qui divitias suas in lauto tantum victu, splendidis vestibus, concentibus insumebant, nullatenus civium suorum miseria & afflictione commoti, quibus ab Assyriis proxima imminebat ruina (a): *Væ qui opulenti estis in Sion .... optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel .., qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti: qui canitis ad vocem psalterii... bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph*; hoc est, *super contritione fratris*; ut explicat explicat S. August. (b).

(a) Amos. c. 6. v. 1. 4. & seqq.

(b) S. Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 7. seu n. 20.

Verum objiciet aliquis. Nunquid homo, quantumvis dives, boni sibi legitime acquisiti dominium obtinet? & si dominium ejus obtineat, nonne illud in iis, quas magis libuerit, impensis absque crimine, ac nemine legitime contradicente, potest insumere?

Sed huic objectioni facilis est responsio, quam inculcat S. Thomas his verbis (c): *Bona temporalia quæ homini divinitus conferuntur, ejus quidem sunt, quantum ad proprietatem; sed quantum ad usum, non solum debent esse ejus, sed etiam aliorum* (hoc est pauperum) *qui ex eis sustentari possunt ex eo quod ei superfluit.* Hoc igitur specioso prætextu non glorientur divites ac nobiles, quod nimirum bonorum suorum sint domini: iis quidem privari nequeunt, eorum obtinent dominium, & ad legitimam suam sustentationem iisdem possunt uti, nec non eorum quorum pro conditione & qualitate sua ipsis cura incumbit: verum his semotis, quidquid est superfluum, proprie loquendo, bonum est pauperum.

(c) S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 2.

Vide BAPTISMUS. Cas. *Turma.*

CASUS IV.

BASILIO 8000. librarum sunt annui reditus: sed cum mulierem habeat, filium, ac famulos duos, dubitat num quamdam eorum redituum partem, uti superfluum habere debeat, & ad quam summam superfluum illud extendi debeat ad Eleemosynas faciendas? Quid consilii ad conscientiæ suæ tutamen a Confessario suo accepturus est?

RESPONS.

Basilii Confessarius salubrius ei consilium dare nequit, quam si Angelici Doctoris sequatur doctrinam, (d) qua affirmat regulam, qua de necessario ad decentiam & honestatem status judicium ferri potest, in indivisibili non esse positam; quia hæc decentia retineri potest, licet quædam demantur, quædam vero addantur: *Talis decentia non consistit in aliquo indivisibili; quia multis additis homo non excedit statum sui conditionem; multis etiam substractis conditio sui status decenter conservatur. Et hoc quidem*, subjungit, *sermone determinari non potest: quia de singularibus non est judicium: sed statur in hoc prudentiæ arbitrio & discretionis, quæ decet omnibus.* Quod autem demi nequit, nisi e statu concidendo, censetur necessarium: quia nemo in legitimo, quem sibi retinere cupit, statu, indecenter manere tenetur; nisi de eo ageretur casu, in quo instaret præceptum extremæ pauperis miseriæ subveniendi, vel bono publico aut Ecclesiæ consulendi: quocirca de necessario quidam demere nemo obligatus ad eleemosynas, nisi in casibus illis insolitis: *Similiter etiam*, addit S. Thomas, *illud, quo subtracto non potest servari decentia status aliquo modo, sui, vel suorum, non debet aliquis in eleemosynas expendere, nisi de facili resarciri possit, aut nisi aliquis statum mutare vellet: quia nullus debet indecenter in aliquo statu manere; vel nisi necessitas illa præponderet, vel alicujus personæ specialis in necessitate ultima existentis, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ: quia bonum gentis est divinius, quam bonum unius.*

(d) S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. in

Ex hoc igitur principio, tamquam ex certa regula consilium Basilio dandum depromet ipsius Confessarius, & in nullo vehementior, aut mollior eum inducet ad objiciendam quamlibet impensam inutilem; quippe qui ea debeat esse contentus, quam sibi necessariam esse suadebit pro statu suo Christiana prudentia; simulque ipsi ostendet, eum esse quasi sequestrum bonorum, quæ a Deo accepit, & de quorum usu accuratam proinde rationem redditurus est.

CASUS V.

PAULO mille sunt libræ de superfluo, pauperibus quolibet anno in stipem erogando. Nunquid omnibus egenis eleemosynam petentibus dare tenetur, donec tota hæc summa fuerit distributa?

RESPONS.

Certum est, non teneri Paulum ad erogandam omnibus indistincte eleemosynam petentibus pauperibus, iis exceptis, de quorum extrema necessitate esset convictus. Nam, ut ab omni sit peccato immunis, satis est, ut superfluum suum, qua magis libuerit ratione, distribuat. Ita docet S. Thomas (e): *Circa hoc distinguendum est*, inquit; *supposito enim, quod aliquis habeat de superfluo, & respectu individui & respectu personæ, quod tenetur pauperibus erogare; aut videt in paupere petente evidentia signa extremæ necessitatis, aut non. Si videt; certum est, quod tenetur dare, & peccat, non dando...., si vero non appareant; tunc non tenetur dare pauperi petenti*: (scilicet huic determinato), *quia, quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare: sed tenetur distribuere secundum quod sibi visum fuerit opportunum.* Et vero, si qui habent de superfluo, obviis passim eleemosynam petentibus dare tenerentur: fatendum esset, neminem fore salvandum, ut advertit idem sanctus: *In contrarium est; quia sic videtur, quod omnes essent damnati*: cum certum sit, ab omnibus, & etiam a personis vel maximæ probitatis contrarium effici. Sequeretur etiam, quod in hoc casu danda esset eleemosyna pauperibus, qui ob vitam solutiorem aut pigritiam illa essent indigni. Quod nequit defendi.

(e) Idem quodlibet. 8. art. 12.

CASUS VI.

MULTA Gervasio supersunt bona superflua, de quibus eleemosynam dare posset: sed in eo degit loco, ubi nullus est pauper, nullus mendicans. Teneturne ad egenos inquirendos, sub reatu infractionis præcepti, quo divitibus injungitur eleemosyna erga egenos?

RESPONS.

Modum exiret, qui contenderet, Christiano incumbere obligationem inquirendi egenos ad stipem erogandam: pauperum est enim suam manifestare Indigentiam, ut docet S. Thomas his verbis (f). *Nec tenetur inquirere: quia hoc esset nimis grave, quod de omnibus pauperibus inquireret, & præcipue cum ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat, ut necessitatem suam exponat.* Et alibi (g): *Non tenetur homo per mundum quærere indigentes quibus subveniat; sed sufficit, si eis, qui sibi occurrunt, misericordiæ opus impendat.*

(f) S. Thom quodl. 8. art. 12. cit.

(g) Idem 2. 2. q. 71. art. 1. in corp.

Hinc tamen colligendum non ducimus, Gervasio licere, ut superfluum suum congerat, nullamque de eo stipem eroget. Nam si nullum in loco domicilii sui pauperem noverit; superfluum suum Xenodochiis, vel Religiosorum domibus egenis distribuere, aut in alios pios usus ex consilio Pastoris, aut prudentis & eruditi Confessarii debet convertere.

CASUS VII.

FRAMBURGUS, Beneficiarius dives, erga inopes impense beneficus, quorumdam audit confessiones, quibus eleemosynas suas quam sæpe dispertitur. Nunquid prudenter se gerit, hos ceteris anteponendo, quorum non tam certo sibi nota est egestas?

Id quidem concedimus, a Framburgo pauperes suos pœnitentes esse anteponendos *ceteris pauperibus*, hoc est iis, qui non in majori sunt necessita-

B 3 te aut

se, aut quos sanguinis propinquitas, aut solidior pietas, subsidio suo digniores non efficit. Sed si quæstio ista generatim & indistincte agatur, id a nobis concedi nequit, eos semper egenos pœnitentes aliis omnibus esse anteponendos; norunt e contra Confessarii prudentes & experti, consulto ad se venire falsos pœnitentes, ut potius eleemosynas quasdam extorqueant, si notum eis sit, Confessarios illos esse eleemosynarum distributores aut per se beneficos, quam ut ad meliorem frugem redeant. Hujusmodi hypocritæ, ab initio magnos se profitentur peccatores, qui talem non adeunt Confessarium, nisi quia sibi notum est, ipsum impenso procurandæ salutis peccatorum studio flagrare, tum ea dumtaxat declarant peccata, quæ admittere solent valde egeni. Unus fatetur, se frequenter de divina conquestum fuisse providentia, & tali sua statim accusationi non deest ratio, quia, inquit, ad eam redactus est inopiam, ut vel ipso pane deficeret; is confitetur, se mortem sibi anticipatam peroptasse, aut quam sæpissime ad desperationem sollicitatum fuisse, quod ad extremam fuisset redactus miseriam, atque mendicare, aut Xenodochium petere animus omnino refugeret: alter declarat, se a pluribus mensibus in capitale occalluisse odium, in hominem, qui reliqua bonorum suorum paucitate se ipsum spoliaverat, & ad mendicitatem coegerat; aut se creditorem infamasse falsis criminibus, qui eo duritiæ pervenit, ut omnia sua supellectilia voci præconis subjiceret, seque ad paleam & assem redigeret. Iste supponit, probris hominem se lacerasse, qui ob rem, si qua unquam, injustam litem intulerat, quam tamen tueri jam non potest, ob defectum pecuniæ, quam exigit Procurator. Is jussum ab Ecclesia jejunium non observavit, quod his diebus solo pane & aqua sustentaretur: alter pueris suis mortem optavit, eosque ex ira & quasi desperatione concitus percussit, quod panem sæpissime rogarent, nec sibi, uxori suæ puerisque suis sufficiens esset: alter nummum vicino suo furatus est, quod non haberet, unde panem emeret; tanta erat miseria sua. Filia declarat, bis præ miseria sua inductam fuisse, ut homini se ad libidinem pecunia sollicitanti obsequeretur: altera, inquit, egena est puella, e famulatu a mensibus sex & etiam pluribus egressa, quæ cum sponsore careat, famulatum recuperare nequit, & cui tamen pro tota re vix quinque asses supersunt. Nullus denique scribendi finis esset, si aliæ minutim referrentur fraudes, quas adhibent hujusmodi pœnitentes, qui admonitiones & hortationes Confessarii, quibus ægre autem præbent, inutiliter jam dicta multoties inculcant, & subtiliter, quantum in se est, exaggerant, ut ad sublevandam miseriam suam commoveatur ex contestato vitæ melioris & in suæ deinceps patienter ferendæ miseriæ proposito. Ex his fallaciis, quas ad libitum non effingimus, & quæ certiores sunt, præsertim Parisiis & in aliis urbibus, ubi Confessariis quos adeunt, non noti sunt falsi illi pœnitentes, satis aperte ostenditur; ad Confessoris prudentiam pertinere, ut fraudibus hujusmodi non decipiatur, & mature, quantum in se est, perpendat, quæ sit hujusmodi collocutorum voluntas & habitus, ut verum a falso, hypocrisim a sincera queat secernere pœnitentia, neque absolutionem nimis festinanter iis conferat, qui eam non quærunt, sed labiis tantum extremis postulant, quique liberalem malunt, ad emungendam pecuniam, quam accuratum Confessorem ad convertendam a vitiis animam.

At vero si Confessario constet de sinceritate sui pœnitentis, 1. ipsum hortaturus est ad patientiam atque subjectionem divinæ debitam providentiæ, qui ad se recurrentes nunquam deserit, quique Christiana agendi ratione ac pœnitente ipsius merentur auxilia. 2. Pro possibili ipsum convincet, hunc esse Dei scopum in asperis, quæ patiuntur fideles, ut eorum salutem, vel suam procuret gloriam; ut facile probare est exemplis Joseph, Danielis, Jobi, Tobiæ, Susannæ, Cæcinati, Paralytici, mulieris adulteræ, & aliis innumeris, quæ referunt sacri tum veteris, tum novi Testamenti codices. 3. His dictis temporale potest adjungere subsidium, quod eos mereri existimat, & quo ipsos non esse male usuros juste præsumere potest.

C A S U S VIII.

Exuperatus quolibet anno ducentas libras in eleemosynam largiri potest; sed in loco domicilii sui & alibi, duos tantum tresve duntaxat cognoscit pauperes, qui, licet ætate provecti, dissolutam tamen & vitiosam agunt vitam. Teneturne iis eleemosynam erogare, præsertim, cum gravi premuntur necessitate?

R e s p o n s i o.

Ut a solutione hujusce difficultatis omnis absit error, illud certum supponi necesse est principium, præcepto videlicet charitatis teneri Christianum ad omnes omnino homines, tamquam seipsum, diligendos, amicos vel inimicos, bonos vel malos, fideles aut infideles, eisque benefaciendum: *Et benefacite his qui oderunt vos* (*a*): Tam aperte veritatem istam docent sacra Scriptura & Religio, ut ejus frustra rationes possent afferri.

(*a*) Matth. 5. 44.

Hinc sequitur, pauperes, quamvis malos, in sua necessitate esse sublevandos. Neque enim minus late patet eleemosynæ præceptum, quam charitatis, *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet*, inquit Tobias, *ut nec a te avertatur facies Domini* (*b*). *Omni autem petenti te, tribue*, inquit Christus (*c*). *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, ait Apostolus (*d*).

(*b*) Tob. 4. 7.
(*c*) Luc. 6. 30.
(*d*) Galat. 6. 10.

Equidem nullo alio magis flecti potest improbi pauperis animus, licet etiam sit nobis infensus, quam si erga eum tale misericordiæ opus exerceatur, nihilque sæpe sæpius absque eleemosyna, quam postulat, vel vehementissimæ ei prosunt adhortationes; ac denique si neutro vincatur & ad Deum adducatur, id saltem pro certo est, coram divino Tribunali nullam de eo rationem esse habendam; ut docet S. Paulus his verbis (*e*): *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus: noli vinci a malo, sed vince in bono malum.*

(*e*) Rom. 12. 20. & 21.

Non igitur rejiciendus est pauper improbus, eo quod ipsius pro nobis ad Deum preces essent inutiles: neque enim ab ejus merito ac precum virtute sperandum est præmium nostrum, sed ab eleemosyna ipsa, quæ ex seipsa necessarias a Deo nobis obtinere potest gratias, cum aliunde obicem non ponimus. *Conclude eleemosynam in corde pauperis*, inquit Sapiens, (*f*) inter bonum & improbum non distinguens, *& hæc pro te exorabit ab omni malo; super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.*

(*f*) Eccli. 29. 15. & 16.

Doctrinæ S. Augustini (*g*) consentit hæc decisio his verbis contentæ: *Fac misericordiam iniquo, non tamquam iniquo... sed peccator est, qui a me petit. Da, non tamquam peccatori... ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ; quia tibi peccator occurrit... cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi..... aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo opus Dei est; quod peccator, opus hominis est. Da operi Dei: noli operi hominis*: hoc est, *peccatori dare placenti tibi propter peccatum.*

(*g*) S. Aug. in Psal. 102. n. 13.

C A S U S IX.

Toussanus in occasione est, habetque voluntatem simulque facultatem duobus subveniendi pauperibus, quorum alter est ipsius consanguineus, cujus curam in se voluntarie suscepit: alter vero, qui ipsius non est consanguineus, majori, quam prior, opprimitur egestate, atque vitam magis moderatam ducit ac virtuosam. Potestne, an vero tenetur parenti suo potius, quam alteri subvenire, cum omnibus simul opitulari nequeat?

R e s p o n s i o.

Quæstionem hanc pro parente solvere videtur S. Augustinus (*h*). Sed quia in casu proposito difficultatem quamdam patiuntur verba sancti Doctoris, nec de duabus, quæ hic occurrunt, circumstantiis loquatur, standum est expositioni S. Thomæ, & dicendum, a Toussano anteponendum esse consanguineo suo pauperem, qui sanctius vivit, ac majori pre-

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 32. a. 9. in corp. & ad 2.

premitur indigentia, nisi consanguineus suus proximo sibi consanguinitatis gradu sit conjunctus, & aliunde Toussano illius cura non incumbat. *Est tamen circa hoc discretionis ratio adhibenda*, inquit S. Doctor (*a*), secundum differentiam conjunctionis & sanctitatis & utilitatis; nam multo sanctiori, magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum, est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta; cujus cura specialis nobis immineat, & si magnam necessitatem non patitur: sed cum in utroque pares sunt circumstantiæ, consanguineus seu propinquus est anteponendus, ut docet S. Augustinus, & probat S. Thomas (*b*) auctoritate S. Ambrosii, his verbis: *Secundum quam* (charitatem) *propinquioribus magis providere debemus, ceteris paribus. Unde Ambrosius dicit*, (*c*)... *melius enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est, ab aliis sumtum deposcere.*

(*a*) S. Th. a. 2. q. 32. a. 9. in corp. & ad 2.

(*b*) Idem ib. ad 2.

(*c*) S. Ambrof. l. 1. de officiis. c. 30.

C A S U S X.

FANTINUS, rure habitans voluntariis sæpe occurrit pauperibus, hoc est, qui licet robusti & validi, in otiositate vitam degere, quam labore manuum victum quærere malunt, etsi ipsis laborandi præbeatur occasio. Teneturne in foro conscientiæ, si eos tales agnoscat, ipsis eleemosynam erogare, cum pane deficiunt?

R E S P O N S.

Cum facile obnoxium errori sit judicium, quod fertur de pauperibus, qui eleemosynam petunt, & qui validus, & robustus videtur, is quandoque laborare nequeat, saltem quantum sibi necesse esset, ut victum habeat, tutius est hac in re, si quis se judicem aut censorem nimis rigidum non exhibeat, & stipem eroget, non inquirens scrupulosius de qualitate pauperis, cui datur, Ita consulit S. Chrysostomus. (*d*) Deinde multi sunt pauperes, quibus ob eam caussam eleemosyna denegari non potest, quod laborare recusent. Enimvero, num ad sportam aut ligonem detrudetur vir aut mulier nobilis ad egestatem redacta? Numquid ad laborem cogetur, qui anhelatione aut pulmonibus laboravit, au qui hernia, aut is cujus vires aut provectiori ætate aut prævio aliquo morbo fuerint multum imminutæ? Nunquid is cogetur, qui artem ignorat, aut aliquando honorifice vixit inter concives suos?

(*d*) S. Chrysost. Hom. 25. in Epist. ad Rom. & Hom. 2. in Ep. ad Hebr.

Difficile quidem ab aliis secernuntur veri pauperes; incertum tamen esse nequit, esse ex professo mendicos, qui per totam vitam panem emendicare, quamvis firmi & robusti malunt, quam laborando victum habere: mendicos, qui otiose vivere malunt, quam hoc unum facere e vico in vicum, e nundinis in nundinas ad facilem mendicationem current: mendicos plerumque moribus pravis & perversis; nam ut ait Sapiens, (*e*) *multam.... malitiam docuit otiositas*; quibus tam modicus est religionis sensus, ut ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ accedere nunquam ferme conspiciantur; mendicos tandem, qui in pessimos usus convertunt eleemosynas, quas congerunt importunitate sua, falsa morborum aut vulnerum, quibus carent, suppositione, ac omni mendaciorum genere quæ adhibent ut pios ac beneficos decipiant. Quod & nos rure & in urbe millies experti sumus.

(*e*) Eccl. 33. 29.

Eleemosynam autem hujusmodi pauperibus denegari posse existimamus, quos ad egestatem non redigi certo notum est, nisi quia volunt, & ea liberari recusant; eisque cum Sapiente esse dicendum (*f*). *Vade ad formicam, o piger, & disce vias ejus.*

(*f*) Proverb. 6. 6.

Falsi illi pauperes, ut alibi dicimus, eleemosynas sibi datas impune furantur, & quæ solis reipsa egenis debentur, quibus eas conferre fideles intendunt. Unde sic loquitur nostri temporis Auctor peritus: (*g*) *Ignavis hominibus inerti otio torpentibus, qui, cum sue labore victum quæritare possint, manducare, quam laborare malunt, eleemosyna non est impertienda; siquidem, qui hujusmodi hominibus eleemosynam impertit, illis ut plurimum materiam peccatorum subministrat.*

(*g*) Merbesius Summa. 2. Christ. q. part. 1. q. 131. Concil. 5.

Prima, quam dicti sui profert, ratio est, quia, cum homines illi universim a Deo hominibus pro sua cuique conditione & viribus impositum laboris præceptum frangant; ex hoc indigni fiunt pane, quem postulant, juxta hæc Apostoli verba (*h*): *Cum essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet: audivimus enim inter vos quosdam ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes: iis autem qui hujusmodi sunt, denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent... quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Ita de inertibus hominibus generatim loquitur Apostolus, eosque sic haberi cupit, apprime noscens, quod, ut ait Sapiens (*i*), *multam... malitiam docuit otiositas*. Hinc ita loquitur S. Augustinus (*k*): *Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.*

(*h*) 2. Thessal. 3. 10. & seq.

(*i*) Eccli. 33. 29

(*k*) S. Aug. Ep. 93. alias 48. n. 4.

Hactenus dictis adeo sua constat veritas, ut validis mendicantibus pœnas imponat Lex civilis: *Lex autem civilis*, ait S. Thomas (*l*) *imponit pœnam validis mendicantibus, qui non propter utilitatem vel necessitatem mendicant*. Leges vero illæ, de quibus loquitur Angelicus Doctor, sunt primo Leges Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodosii in Codice relatæ (*m*), & 80, Novella Justiniani (*n*), qua constitutione illi mendicantes detineri debent, & publicis damnari operibus: *Hos non frustra esse terræ onus permittere, sed tradere citius eos, ut operum publicorum attinet artibus, ad ministerium & præpositis panificantium stationum & hortos operantibus, aliisque diversis artibus, aut operibus, in quibus valent, simul quidem laborare, simul etiam ali & segnem ita ad meliorem mutare vitam: Si autem aliqui noluerint observire operibus, quibus traditi sunt, hos sectari hac Regia civitate* (*id est cum dedecore & contumelia expelli*, ut explicat Glossa) *ut non segnitie eos ad illicitos actus impellentes Leges eos abripiant ad pœnas, nostris tradentes judicibus*. Id olim etiam observabant religiose Sardi antiqui, (*o*) quorum Lege in hanc rem promulgata sancitum erat, ut severis subjicerentur pœnis inertes homines, & manifeste probarent, unde victum quærerent, quia existimabant, ut bonum alienum diripere ipsis erat vetitum, sic eis non licere, ut ex aliorum civium labore commodum perciperent, cum victum proprio labore sibi procurare valerent. Id quidem peroptandum esset, ut ubique vigeret Lex hujusmodi; quæ si accurate perficeretur, Urbes brevi ac Provinciæ erronum atque inertium multitudine liberarentur.

(*l*) S. Thom. 2. 2. q. 187. a. 5. ad 5.

(*m*) Leg. Cunctis unic. Cod. de mendicantib. validis. l. 2. tit. 25.

(*n* Authent. Cum Deo auxilio 80. Cod. de quæstore. c. 5. Authenticorum. collat. 6. tit. 5.

(*o*) Diarium Verodunmensis Januar. an. 1725. pag. 54.

Ceterum, cum de vera pauperis necessitate locus est dubitandi, tutius est, ut jam diximus, ei eleemosynam dare; ea namque motivo charitatis data, apud Deum suo non caret merito.

Vide RESTITUTIO Cas. Vinebal. 164.

C A S U S XI.

FABIANUS, filius-familias, quandoque modicas e paterno bono eleemosynas dat, & etiam famula identidem e re domini sui. Nonne id possunt sine peccato?

R E S P O N S.

Ea, quæ sunt filii-familias, inquit S. Thomas (*p*), *sunt & patris, & ideo non potest eleemosynas facere, nisi forte aliquam modicam, de qua potest præsumere, quod patri placeat: nisi forte alicujus rei esset sibi a patre dispensatio concessa*. Ex hoc principio Fabianus & famula se gerere debent non multum tacito consensui patris-familias innitentes sub specioso misericordiæ pretextu. ut autem facilius intelligatur, quid eleemosynæ modicæ nomine intelligatur, alibi exemplum ejus affert idem Angelicus Doctor his verbis (*q*): *Filiusfamilias non potest dare eleemosynam sine consensu parentum, nisi paucum & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile damnum; de quibus satis constare potest, quod parentibus placeat*. Quod idem de famulis asserit (*r*): *Dicendum est de servis & ancillis*,

(*p*) S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 3. Item in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. quæst. 2. in corp. & quæst. 34. in corp.

(*q*) Idem in 4. dist. 15. q. 2. a. 5. in solut. quæstiunc. 2.

(*r*) Idem ib. quæstiunc. 3. in corp.

& etiam

& etiam de famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quod non possunt eleemosynas dare de rebus dominorum sine eorum consensu, nisi panem & hujusmodi.... quæ non inferunt sensibile nocumentum. Quia etsi sit dispensator rerum, subjungit, *non tamen ponitur dispensator, quasi potestatem aliquam in re domini habens, sed quasi tractans eam ad utilitatem domini.*

Observandum tamen, quod filius-familias, qui rem fecit in militia, aut aliter, aut in aliquo honesto officio, quale est artium liberalium professio, Medicinæ exercitium, munus Notarii aut Procuratoris, aut Judicis, vel Advocati, absolutum habet eorum dominium, quæ hoc modo acquisivit, & præter dominium liberam etiam administrationem; quocirca de iis eleemosynam dare & statuere potest ad libitum, absque ulla legitima patris intercessione. Idem dicendum de lucro, quod ex loteria filius ille retulisset, v. g. si ex aureo sorti loteriæ exposito centum nummos retulit, eorum participes pleno jure ac propria auctoritate pauperes efficere, aut cui magis libuerit dare potest.

CASUS XII.

Martha, conjux, inscio sæpe, & quandoque etiam prohibente marito suo, eleemosynam dat. Nunquid in eo peccat?

RESPONS.

Ut difficultati huic fiat satis, distinctione opus est. Nam vel Martha pauperi vel in extrema necessitate, vel communi tantum & solita paupertate eleemosynam largitur. Si extrema pauper sit necessitate pressus, qua ipsum auxilio suo liberari posse legitime judicet; certum est, eam posse & etiam debere, necessariam illi eleemosynam largiri, ut hæc ejus sublevetur inopia, etsi expresse vir suus prohibuisset. Ratio est, quia ex jure naturali omnia in tali necessitate fiunt communia. Ita docet S. Thomas his verbis (*a*): *In extrema necessitate existenti, quæ facit omnia communia, quilibet prædictorum* (hoc est non mulier solum, sed & filii-familias ac famuli) *potest eleemosynam facere: quia debet præsumere, quod suo superiori placeat; cum ipse dare teneretur, si præsens esset. Et si etiam prohiberetur, idem dicendum videtur.*

(*a*) S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. a. 5. in corp.

Sed non idem asserendum, quando communis est tantum & ordinaria pauperis necessitas: in hoc enim casu modicas tantum absque tacito saltem viri sui consensu mulier largiri potest eleemosynas, quas ipsum non improbaturum judicat, si pauperis inopiam videret, nisi ipsas ea erogaret de lucro e propria industria proveniente, absque familiæ suæ detrimento & viri depauperatione. *Si uxor*, inquit S. Thomas (*b*), *habet alia præter dotem, quæ ordinatur ad sustentandum onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynas, etiam irrequisito assensu viri; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumto... quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii: tamen in his, quæ ad dispositionem domus pertinent, vir est caput mulieris, secundum Apostolum 1. ad Corinth. 11. 3.*

(*b*) Idem 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. Et in 4. dist. 15. q. 2. a. 5. quæst. 2. in corp.

Diximus: *absque tacito saltem viri sui consensu*: quia mulieri sufficit præsumtus viri sui consensus, ut licite fiant eleemosynæ communes, quas facit. Præsumi autem potest de tali consensu: 1. Cum mulier res parvi tantum momenti largitur, ita ut non sine caussa sibi persuasum sit, virum non esse dissensurum, si sciret ut diximus. 2. Cum rerum familiæ gestionem ei vir permittet, vel quia rem per se ipsum gerere non potest, vel gravatur. 3. Quando a viro suo quamdam anno quolibet summam ad vestes aliaque necessaria accipit, cui aliquatenus ad eleemosynam parcere libere potest: Atque eo sensu intelligenda sunt ista S. Antonini verba (*c*): *Dominium dotalium est penes virum. Unde contra voluntatem viri mulier non potest inde eleemosynam facere.* Hæc enim ultima verba juxta allatam modo expositionem debent intelligi, quæque istis Sancti Raymundi dictis est consentanea (*d*): „De rebus autem viri, inquit hic Auctor, ut de pane vino & aliis, quæ bono & approbato more solent ad dispensationem uxorum pertinere, potest & debet facere eleemosynas, moderate tamen secundum facultates viri, & majorem & minorem multitudinem vel necessitatem pauperum, & debet semper sibi conformare conscientiam, quod non displiceat marito in corde„. Addit hic sanctus mulierem ita se gerere posse, *licet forte aliquando* (maritus) *prohibuerit ore. Solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus absolute; ut sic temperent eas, non a toto, sed ab excessu quem suspicantur.*

(*c*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 23. init.

(*d*) S. Raymundus summ. l. 2. tit. 8. de negotiis Sæcularibus §. 9.

Subjungit denique hic sanctus quod *mulier potest etiam formare conscientiam ex qualitate & miseria pauperis: cogitans, quod si maritus illum videret, omnibus modis placeret quod sibi faceret eleemosynam. Si autem omnino & præcise*, pergit idem, *dictat ipsi uxori conscientia, quod viro displicet & scandalizatur inde, deponat conscientiam, si potest, sin autem, non debet. & doleat quod non potest dare.* Hæ sunt regulæ a Martha observandæ in eleemosynis, quas largiri sibi animus est.

CASUS XIII.

Theophilus, Religiosus, ac Monasterii cujusdam Æditiuus, qui proinde omnium, quæ ibi celebrantur, Missarum stipendia gerit, ad Ecclesiæ januam egenum conspiciens, qui inopia sæviente in tali versabatur necessitate, quam non solum gravem, sed etiam extremam non sine caussa judicabat, ipsi eleemosynam, qua sublevari poterat ejus miseria, largitus est absque licentia sui Superioris, qui e contra omnibus suis Religiosis expresse prohibuit, ne privatam quamdam facerent eleemosynam, ut sic perfectius paupertatis votum, omnem proprietatis actum evitando, servarent. Nunquid id ipsum potuit Theophilus absque peccato?

RESPONS.

Non modo potuit, sed & debuit Religiosus ille pauperi ad extremam necessitatem redacto stipem dare, non obstante generali Superioris sui omnibus Religiosis prohibitione, ne quid eleemosynæ facerent. Ratio est, quia ex tali necessitate communia quodam modo fiunt bona omnia: ita ut, qui eam non patiuntur, teneantur talem miseriam sublevare & etiam de alieno bono, si proprium non suppetat. Quare eleemosynam, de qua agitur, Monasterii sui impensis dare potuit Theophilus, sed & in foro conscientiæ debuit, si tum forsan solus esset, qui inopi huic subvenire posset. Ita docet Navarrus his verbis (*e*). *Negandum est regularem eo casu illicite accipere, quia extrema necessitas non solum obligat existentem extra illam ad subveniendum eam patienti de eo quod superest sibi ultra naturæ suæ necessaria... sed etiam facit facultatem accipiendi, si de suo non habeat, a quocumque superflua naturæ habente, ad succurrendum ei.... & consequenter; licet bona superflua Monasterii non sint singulariter alicujus regularis illius; potest de illis accipere ad talem subventionem faciendam; non quidem eo quod necessitas faciat ipsum jure patientem illam Dominum sibi necessariorum, sed quod facit, ut eo casu debeant illa ei communicari: & ita facit facultatem non solum ipsi ad capiendum pro se, sed etiam aliis, ad capiendum superflua natura alterius pro illo.* Secundum forsan hunc sensum dicit S. Ambrosius: (*f*) *Neque enim minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis & abundes, indigentibus denegare.* Et alibi (*g*): *Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti.*

(*e*) Navar. Comment. 2. de regularibus n. 28.

(*f*) Ambr. in can. sicut. 8. dist. 47.

(*g*) Idem in can. Pasce. 21. dist. 86.

CASUS XIV.

Justinus, multis quondam injuste bonis acquisitis, quietam ea de re conscientiam habere cupit: quod tuto se facere non posse existimat, nisi de iis, quæ injuste habere putat, eleemosynas largiendo. Nunquid ita se gerere debet Justinus?

RESPONS.

Ad istam difficultatem responderi nequit, nisi cum Sancto

(a) S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp.

S. Thoma (a) varias distinguendo rationes quibus res illicite potest acquiri: *Tripliciter* autem, ex S. Doctore, *potest aliquid esse illicite acquisitum*. *Uno enim modo id quod illicite ab aliquo acquiritur, debetur ei, a quo est acquisitum, nec potest ab eo retineri qui acquisivit; sicut contingit in rapina & furto & usuris: & de talibus, cum homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest.*

Alio modo est aliquod illicite acquisitum, pergit S. Doctor, *quia ille quidem qui acquisivit, retinere non potest; nec tamen debetur ei, a quo acquisivit: quia scilicet contra justitiam accepit; & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam divinæ legis agit. Unde non fieri debet restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari.* Et quod heic dicit de bono simoniace acquisito, idem de lucro asserit S. Doctor (b) ex alea parto contra verseum Legum, quæ ludos hujusmodi proscribunt, & lucrum ex iis partum, de quo alibi dicemus, injustum declarant.

(b) Idem ibid. ad 2.

Tertio modo est aliquid illicite acquisitum, addit idem Sanctus, *non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id ex quo acquiritur, est illicitum: Sicut patet de eo quod mulier acquirit per meretricium: & hoc vocatur turpe lucrum; quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit & contra Legem Dei; sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra Legem. Unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest & de eo eleemosyna fieri.*

Præsuppositis illis regulis tamquam certis, facilis est ad propositam speciem responsio, dicendo Justinum debere perpendere, quibus viis injustis, aut illicitis fecit rem, quam in eleemosynas impendere constituit. Nam, si prima, qua explicat S. Thomas ratione acquisivit, bonum illud iis restituere tenetur, a quibus accepit, nec de eo eleemosynas facere potest, nisi in eo solo casu, si ii sibi essent ignoti, vel eos detegere non posset: Sed si secundo modo acquisivit, potest & debet etiam illud in eleemosynas insumere, aut in alia pia opera, prout ipsi suadebit pius Director, aut quis alius intelligens.

CASUS XV.

Albertus, a septem octove annis 3000. librarum acquisitis ex usuris, quas ex quatuor amicis suis exegit, dupliones duos ex iis per modum restitutionis pauperi dono dedit, quem ad extrema redactum invenit, & cui aliter subvenire non poterat. Qua de re quæritur, utrum in hoc casu hanc ei potuerit eleemosynam dare, licet de alieno bono; ita ut apud quatuor illos amicos suos eorum duplionum rationem habere non teneatur, quando eis restituet?

RESPONSIO.

Certum est, Albertum potuisse, immo & debuisse in casu proposito eleemosynam hanc facere, eumque pariter illam posse deducere e summa trium millium librarum, quam suis quatuor amicis restituere tenetur; non tamen restituta duorum duplionum eleemosyna. Id manifeste probari potest auctoritate S. Thomæ (c), qui similem sibi proponit difficultatem, ad quam respondet, dicendo, omnia ob extremam necessitatem fieri communia; ac proinde egeni ad eam redacti inopiam posse levari, ipsi etiam de alieno bono stipem erogando, cum aliter ipsi subvenire quis non potest; modo is, ad quem pertinet tale bonum, in simili non versetur necessitate; & declarato illius boni usu facto, vel faciendo, nullam tunc restitutionis obligationem induci, sive consentiat, seu non. En verba Doctoris Angelici: *In tali casu, si sine periculo pauperis esse potest: debet ille qui alienum habet, significare ei cui debet, & sive ille licentiam dederit, sive non, debet pauperi in ultima necessitate existenti, providere: nec providet de alieno; quia necessitas talis omnia facit communia. Unde non tenetur ad restitutionem; nisi ille cui debet, in simili necessitate esset: quia etiam tunc teneretur sibi providere, si nihil habuisset ab eo.* Ex eodem principio alibi asserit S. Doctor (d), Religiosum qui pauperem in articulo extremæ necessitatis invenit, absque Superioris sui licentia eleemosynam facere posse, & ad eam faciendam etiam furari, cum ipsi aliter subvenire nequit. *Non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter præsumta; nisi forte in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari, ut eleemosynam daret.*

(c) S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. quæstiunc. 2. ad 2.

(d) Idem. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1.

CASUS XVI.

Maria, vidua pietate insignis, sed pauperrima, licet non pateat ipsius miseria, cum a matrona nobili decem nummos, quatuor pagi sui pauperibus pro arbitrio suo distribuendos accepisset, quartam eorum partem, iis quos norat, egentibus dedit, & reliquum sibi clam retinuit, conjiciens, matronam hanc rei huic libenter esse assensuram, si suam pariter notam haberet paupertatem; numquid idipsum potuit tuta conscientia?

RESPONS.

Non peccavit ista mulier, summæ quadrantem sibi retinens, quam pro optione sua quatuor pauperibus distribuendam acceperat, cum ipsa vere egeat, nec speciatim pauperes matrona designaverit, quibus decem nummos dari cupiebat. Ita difficultatem hanc solvit S. Thomas his verbis (e): *Cum eleemosyna sit opus misericordiæ*, inquit, *sicut misericordia non est proprie ad se ipsum .... ita &, proprie loquendo, nullus sibi eleemosynam facit, nisi forte ex persona alterius. Puta, cum aliquis distributor ponitur eleemosynarum, potest & ipse sibi accipere si indigeat, eo tenore, quo & aliis ministrat.* Sed addenda est exceptio, de qua non loquitur S. Thomas, cum nimirum tales & tales non designati fuere pauperes. Si enim qui summam distribuendam mandavit, eos speciatim designavisset, quibus eam cupit distribui; qui mandatum accepit, integram eam distribuere tenetur, nihil sibi ullatenus retinendo; cum aliter infidelitatis & injustitiæ manifestæ reus fieret, alienum retinendo, nisi ipse extrema premeretur necessitate.

(e) S. Th. 2. 2. q. 32. a. 9. ad 3.

Vide { EXCOMMUNICATIO. Cas. 31.
SIMONIA. Cas. 64 }

ELEEMOSYNARIUS EPISCOPALIS.

Vide SIMONIA. Cas. 7. 8. 11.

ELEEMOSYNARIUS REGIUS.

Vide ibidem. CASU 45.

ELECTIO.

Electionis nomine heic non intelligimus jurisdictionem, quæ ita appellatur in Gallia, & Latine *duumvirorum vectigalium* dicitur, neque etiam Parœciarum numerum, ex quibus constat una ex sexaginta novem Electionibus Regni hujusce, quarum quælibet præscriptos habet regionis limites, in quos Judices qui Electi dicuntur, suam exercent jurisdictionem, in eo positam, ut ad eos prima litium pertineat cognitio, quæ inter privatos contingunt circa tributa annua, aliaque vectigalia, quæ Rex a suis exigit subditis.

Terminum hunc igitur usurpamus, ad significandam electionem, quæ fit unius personæ ad aliquam dignitatem Ecclesiasticam, aut ad possidendum aliquod officium aut Beneficium vacans, conformiter ad hanc Florentis definitionem (*a*); *Electio*, inquit, *est ordinaria vocatio idonea personæ ad Clerum; potissimum vero ad dignitates & honores Ecclesiasticos, sæculares, vel regulares, plurium suffragiis canonice facta*.

(*a*) Florens ad tit. de elect. & elect. potest. part. 2. pag. 308. edit. an. 1679.

Electionis forma semper habita est ut prima ac germana janua, qua in ovile Domini ingredi debent Pastores. Electio sancti Mathiæ ad accipiendum Apostolatum de quo prævaricatus fuerat perfidus Judas, ab Apostolis facta (*b*), primum hujusce rei suppeditat argumentum: atque hæc regula ferme semper observata est ad annum 1516. quo electio ad Prælaturas in Gallia abrogata est ex famoso Concordato, inter Leonem X. & Franciscum I. inito: quocirca ab eo tempore vix nobis superest rudis imago juris electivi.

(*b*) Actor. 1. 23.

Ex Concordato Francorum Regibus attributum est jus nominandi ad Episcopatus, aliaque Beneficia consistorialia (*c*) intra sex primos vacationis menses; quo tempore elapso, Papa Regem potest requirere, ut ad ea Beneficia nominet: quod si Rex negligat, aut recuset intra tres menses sequentes, de iis providere potest summus Pontifex. Nominatus a Rege vigesimum septimum ætatis annum debet attigisse, & Doctoris aut licentiatus laurea in Theologia aut jure Canonico esse insignitus, exceptis Principibus e Regio sanguine ortis, Regni primoribus & Religiosis mendicantibus Reformatis, qui ex constitutionibus Ordinum suorum ad Gradus admitti nequeunt (*d*).

(*c*) Consistorialia beneficia dicuntur ea, de quibus in consistorio tantum a se habito Papa providet.

(*d*) Concord. tit. 3. de regia ad Prælaturas nominat.

Ex eodem Concordato ad Beneficia regularia Rex non potest nominare, nisi Religiosum Professum ejusdem Ordinis, viginti tres annos natum, idque intra sex primos menses Beneficii vacantis: & si sit Prioratus, necesse est 1. ut electio a solis pendeat Religiosis; 2. ut Prioratus ille sit electivus & a Superiore legitimo confirmandus, atque adeo perpetuus: in quo differunt isti a Prioratibus, qui *ad nutum* revocari possunt, & de quibus fit mentio in capite *Cum ad monasterium*, De statu Monachorum.

Papa ex Concordato (*e*) Cathedralibus Ecclesiis & Monasteriis conventuum & Prioratuum, quæ speciali eligendi gaudent privilegio, electionis facultatem reservarat, formam privilegiis eorum præscriptam observando, quæ ex Bullis aut aliis instrumentis authenticis confirmare ipsis incumbebat; & non aliter. Verum hodie ad quasdam tantum dignitates eligunt Cathedrales Ecclesiæ, & Monasteria, quæ electionis privilegio gaudent, in Edicto Blesensi designantur.

(*e*) Concordat. tit. 5.

Tribus modis ad electionem procedi potest, ut statuit Innocentius III. in quarto Lateranensi Concilio (*f*). Primo per scrutinium. Secundo per inspirationem. Tertio per compromissum.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Quia propter*. 42. de elect.

Electio per scrutinium ea dicitur, qua electores in loco ubi fieri debet electio, congregati, tres inter se eligunt, qui clam aliorum suffragia colligunt: unde scrutatores dicti sunt.

Scrutinium semel finitum, promulgari debet, & qui majorem ac saniorem refert suffragiorum partem, is canonice electus remanet; ita ut qui dedere suffragia, variare nequeunt, aut sententiam mutare, ut declarat Gregorius IX. (*g*).

(*g*) Greg. IX. in can. *Publicato*. 58. de elect. Alex. III. in cap. *Caussam*. 8. Innoc. III. in cap. *In caussis*. 30. in cap. *Cum dilectus*. 32. & in cap. *Cum jure*, 33. eod. tit.

Electio fit per compromissum, quando Capitulum aut Communitas de eligendo dissentiens, aut electionis dissensionem antevertere cupiens, in unum, vel plures e suis eligendi facultatem transfert, jusque suffragii sui eis

eis quilibet concedit. Sæpe de hac specie electionis jus loquitur, cujus formam faciendæ singuli debent approbare, ut sit Canonica. Quando facta est, Beneficium refert major suffragiorum numerus, ut in electionibus ordinariis.

Si compromissarius indignum eligat, seu sciens & volens, seu ignorans; ceteris electoribus ad novam procedendi electionem jus manet, modo factam a compromissario electionem non approbent, ut constituit Bonifacius VIII. (*a*): *Cum dolus ipsius eis qui non sunt in culpa, non debeat imputari*. Quam rationem hujusce rei affert hic Papa æquitati conformem.

Compromissum ad electionem factum fit irrevocabile, ubi ad electionem faciendam processere compromissarii; sed revocari potest, *re adhuc integra*.

Electio per inspirationem ea est, in quam consentiunt electores omnes, *nemine reclamante*; absque ullo prævio pacto: & idcirco talis dicitur, quia omnes in unum eligendum, quasi motione quadam divina de repente abrepti consentiunt.

Florens a Blondelio citatus (*b*) advertit, variis modis fieri electiones: cum aliæ celebrentur conformiter ad jus Canonicum; aliæ ad varias consuetudines legitime præscriptas, & aliæ denique ad specialia privilegia: *Atque ita*, inquit doctus hic Jurisperitus, *mixto jure electiones celebrantur: non tantum jure communi, sed etiam consuetudine, vel privilegiis. Quin & aliquando concurrunt jus commune & consuetudo; itemque privilegium & consuetudo: Consuetudo debet esse legitime præscripta, nec obviare Canonibus. Contra privilegia sæpe derogant juri communi, nituntur gratia & auctoritate concedentis, qui, sicut dicitur dispensare contra Canones, ita & privilegia contra jus indulgere solet*.

Sed primo advertendum, nullam in Ecclesia Gallicana admitti derogationem juri communi, nisi solita forma & cum cognitione caussæ a Rege confirmetur, ut erudite observat Blondelius.

2. Quod ultima Concilia & Decretales, quæ Regi jus tantum electionis approbandæ concedunt, *numquam* obtinuerunt in Gallia, inquit Florens (*c*): Nam viget semper jus antiquum, in iis quæ ad publicum Ecclesiæ statum pertinent, juxta quem electiones non fiebant, nisi de consensu Principis, cujus interest, ut Ecclesiæ pii sint & fideles Ministri, quorum nota sit sibi fides. Ob eas igitur caussas an. 549. declaravit Aurelianense Concilium (*d*), electionem firmam stare non posse, nisi de Regum consensu. Id etiam patet evidenter ex objectationibus, quas Rhemensibus opposuit Ludovici dicti Pii Commissarius, quos nimirum violatæ Regiæ auctoritatis insimulabat, quod Hincmarum ante adventum suum & Imperatoris licentiam elegissent. Unde hinc de culpa hac se purgare conati sunt, & post obtentam hanc licentiam ad Fulcii electionem venere; ut refert Sirmondus II. tomo Conciliorum Galliæ (*e*). Ex quibus constat, quod quamvis Reges Clero ac populo jus nominandi sibi solis proprium ad Abbatias & Episcopatus concessissent, ut a Regibus primæ stirpis præcipue fieri solebat; & quamvis postea jus illud ipsis confirmatum fuisset a Summis Pontificibus Zacharia, Stephano & Adriano; id tamen in primis curavere semper, ne qua celebraretur electio absque licentia sua, & ut eas jam factas approbarent; & sæpe etiam eligi hos jubebant, quos electoribus commendabant, ut fuse probat Bochelius (*f*). Sed electiones sub tertia Regum Galliæ, id est Capetanorum stirpes penitus restitutæ, & variis modis fuere celebratæ, donec eas uniformes fieri constituisset Innocentius III. ex constitutione expressa, quam in Concilio quarto Lateranensi emisit, quæ in corpore Decretalium (*g*) relata, Canonicæ electionis formam continet.

Ad Laicos non pertinet jus electionis ad beneficia; licet verum sit, hoc eis jus fuisse conjunctim cum Clero, ut videre est ex Historia Ecclesiastica Theodoreti, Eusebii, & Sozomeni (*h*), & ex Capitularibus Caroli Magni, a Gratiano in Decreto suo relatis (*i*), ex quarto Concilio Toletano (*k*), ex Nicolao I. (*l*), & ex Sancto Gregorio (*m*): & factas a Laicis electiones fuisse legitimas, postquam a Superiore Ecclesiastico earum confirmationem obtinuerant electi, quasi regula juris nixas, quæ fertur: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* (*n*). Sed Ecclesia, cujus Ministrorum auctus est multum numerus, exclusis Laicis, jus illud sibi retinuit: *Laici vero nullo modo se debent inserere electioni*, inquit Gratianus (*o*); qui multos refert Canones, quibus inducta est illa mutatio: quam ob caussam asserit Gregorius IX. (*p*) Laicum compromissarium esse non posse in aliqua electione Ecclesiastica.

Forma-

(*a*) Bonifac. VIII. in cap. *Si compromissarius*. 37. de elect. in 6.

(*b*) Blond. addit. ad Bach. v. *Electiones* p. 579.

(*c*) Florens loco cit. pag. 151.

(*d*) Concil. Aurelian. 5. cap. 10.

(*e*) Conc. Gall. Syrmond. append. p. 633. 635. 638. 640. 643. 647. 649. &c. edit. Paris. an. 1619. Privileg. Ecclesiæ Gallic. tom. 2. tit. 15.

(*f*) Boch. Bibliot. can. v. *Electiones*. p. 596 & seqq. Probat. libertatum Ecclesiæ Gall. tom. 2. tit. 16. num. 3. 12. 13 & 17.

(*g*) Innoc. III. in c. *Quia propter*. 42. de elect.

(*h*) Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9. Euseb. lib. 6. c. 23. Sozomen. l. 1. c. 6. & 23.

(*i*) In can. *Sacrorum*. 34. dist. 63.

(*k*) Conc. Tolet. 4. in can. *Qui in aliquo* 5. §. 2. dist. 51.

(*l*) Nicolaus I. in can. *Episcopus* 23. dist. 63.

(*m*) S. Greg. in can. *Quanto*. 10. ead. dist.

(*n*) Reg. 29. de Reg. juris in 6.

(*o*) Gratianus §. *Laici*. dist. 23.

(*p*) Greg. IX. in cap. *Sacrosancta*. 51. de elect.

Formalitates istæ, quæ in privatis obtinent Ecclesiis, observandæ sunt in electionibus; nisi forte sacris Canonibus sint contrariæ.

Electiones factæ contra formam ex ritulo fundationis Beneficii præscriptam aut contra ptivilegium quo fruitur aliqua Ecclesia, sunt invalidæ, ut probat Florens (*a*).

Qualibet electio fieri debet aperte, numquam vero clandestine, hoc est, in occultis & fraudulentis cœtibus, ambitu, & occultis artibus, quibus impeditur, ne iis præsit Spiritus Sanctus: qua de re legi possunt Sancti Chrysostomi expostulationes (*b*).

Pariter electio debet esse omnino libera: & quod pertinet ad electiones Monasteriorum, quæ Ordinum sunt capita, in eos fertur excommunicatio *ipso facto*, qui ad eas interturbandas aut impediendas ad potestatem recurrunt sæcularem. Harum autem electionum confirmatio ad solum Papam spectat, quasi una ex iis caussis, quæ majores dicuntur.

Ad validitatem vero electionis adeo necesse est, ut omnes qui habent jus suffragii ad eam convocentur, ut si vel unus dumtaxat omittatur, electio neque Canonica est, neque legitima; nisi is qui non fuit invitatus, in cœtum superveniens, huic assentiatur electioni (*c*), cum soli præsentes jure suffragii potiantur, ut infra videbitur.

Elector legitime absens procurarorem constituere potest, ad dandum nomine suo suffragium. Sed observandum 1. quod Procurator juxta ordinem, qui nunc est in usu, debet, antequam incipiant electiones, adesse Missæ de Spiritu Sancto, & in ea ad sacram Communionem accedere; instrumenrum procurationis suæ producere, jusjurandum inter manus Præsidis emittere, & promittere, idoneam se personam electurum esse, quantum eam talem cognoscere poterit.

2. Quod solo absentis nomine, cujus est Procurator, non autem suo suffragium dare potest: excepto casu unico, cum videlicet procurans specialiter designat personam talem, cui suffragium daturus est: tunc enim Procurator vocem suam ei dare potest, quem maluerit, ut etiam infra ostendemus.

3. Quod si nullus e Capitulo absentis procurationem accipere nolit, huic missum jus competit, ut per Epistolam det suffragium, uti declaravit Bonifacius VIII. (*d*).

4. Quod, cum res ad electionem Papæ spectar, Procurationibus absentium non est locus: cum soli præsentes jus habeant suffragii, & quod etiam necesse non est, ut convocentur Cardinales eligentes; sed præsentes ad electionem procedere nequeunt, nisi post dies decem a Sede vacante, ut declaravit Gregorius X. dum secundo Lugdunensi Concilio præesset (*e*): aliter electio non esset Canonica, ut definivit Alexander III. in tertio Lateranensi Concilio (*f*).

In electione simplici & proptie dicta, hoc est, sumta secundum propriam suam significationem, electores jam mutare nequeunt sententiam, ubi promulgata est; neque etiam ante suffragiorum publicationem confirmari potest: sed postea debet.

Dicimus: *In electione simplici & proprie dicta*: quia in electione improprie dicta, id est, in qua non observatur forma præscripra ex Decretali Innocentii III. *quia propter*, & in qua plures opinantur sive palam sive secreto, per totum electionis tempus variare possunt. Talis est electio, qua canonici quempiam eligunt ad dignitatem, cujus collatio ad Capitulum pertinet, & cujus electio vim provisionis potius, quam electionis obtinet (1): Unde ista electionis species, quæ idcirco collativa dicitur, superioris confirmatione non indiget, nec Papalem in Capitulares præventionem impedit: uti dijudicavit Senatus Parisiensis ex Arresto lato 3. Februarii ann. 1569. pro Stephano Boudet, in curia Romana resignatario in N. Fontaine a Capitulo electum. Sed quoad beneficia proprie electiva præventionis jure non potitur Papa: & de ipsius provisionibus appellari posset tamquam ab abusu.

Beneficia illa electiva, etiam collativa graduatorum juri non sunt obnoxia, uti nec Indultariorum & eorum, qui breve regium obtinent.

Quando jure sibi concessum tempus, quod juxta Florentem est trium mensium (*g*), prætermittunt Electores, *ipso jure* fit devoluta ad Superiorem immediatum electio, pro hac vice solum: & fit per gradus usque ad Papam (*h*).

Qui eligunt personam quam norunt indignam, pro prima electione facienda, jure electionis fiunt privati, & per triennium *a Beneficiis* manent suspensi,

(*a*) Florens in cap. 27. de elect. & c. 8. de consuetudine.

(*b*) S. Chrysost. lib. 2. de Sacerdot. c. 4. & l. 5. c. 11.

(*c*) Innoc. III. in c. *Quod sicut* 28. de elect.

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. *Si quis* 46. §. 2. & 3 de elect. in 6.

(*e*) Greg. X. in cap. *Ubi* 3. §. 1. de elect. in 6.

(*f*) Alex. III. in cap. *Licet*. 6. de elect.

(*g*) Florens ad tit. de elect. pag. 241.

(*h*) Idem ad cit. titulum de elect. & ad tit. de suppl. negligentia Prælator. C. CXI.

(1) Vid. *Menda Pontas*. Observ. III. num. XXVI.

suspensi; ut declarat Alexander III. in tertio Concilio Lateranensi (*a*), & confirmat Innocentius III. ad Cantuariensem Archiepiscopum scribens (*b*). Sed cum electio vitiosa est tantum ob defectum formalitatum, quæ non necessario requiruntur, subsistit electio, donec accesserit sententia, qua jure suo excidisse declarentur (*c*); aliter jus suum recuperant ad novam electionem procedendi. E contra cum omittitur aliqua formalitas essentialiter requisita; electio semper manet invalida, juxta istam juris regulam: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* (*d*); & hanc aliam: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi* (*e*).

(*a*) Alex. III. in c. *Cum in cunctis*. 7

(*b*) Innoc. III. cap. *Innotuit*. 20. & c. *Cum Wintoniensis*. 25. de elect.

(*c*) Greg. IX. in cap. *Cumana*. 30. eod. tit.

(*d*) Reg. 18. de reg. jur. in 6.

(*e*) Reg. 64.

Electio quam primum debet manifestari electo, cui ad consentiendum spatium dumtaxat menstruum conceditur: aliter jure suo fit privatus, nisi legitima ei subsit excusatio. Tres ei quoque menses conceduntur, ad obtinendam confirmationem suam, si necessaria sit. In electione Papali non requiritur confirmatio; quia nullum habet sibi Superiorem Præsulem. Id ita declarat Gregorius X. in Concilio œcumenico Lugdunensi (*f*).

Cum tres compromissarios nominant electores, duo inter illos tertium possunt eligere: sed se ipsum nullus elector nominare potest; quia hæc esset ambitio turpis, & ex omnibus seu Canonicis seu Civilibus Legibus damnanda (*g*).

(*f*) Greg. X. in c. *Quam sit*. 6. de elect. in 6. & Nicol. III. in c. *Cupientes*. 16. ibid.

(*g*) Leg. *Si mandavero*. §. *Si tibi* ff. *Mandati*.

Cum electionis quarta sit species, quæ in jure dicitur, *Postulatio*, communis apud alienigenas ac præsertim in Germania; eo magis opportune de ea fiet sermo, quod de ea agat titulus integer, qui est quintus libri primi Decretalium.

Postulatio, inquit Polmanus (*h*), *est ad Prælaturam vacantem assumptio personæ, alias non eligibilis*. Vel quia non reperitur in numero electorum, vel quia subest aliquod juris impedimentum.

(*h*) Polman. Breviar. Theol. part. 2. c. n. 749.

Qui hac via eligunt, bis tertiam eligentium partem afficere debent, uti infertur ex Decretali ad marginem indicata, aut saltem majorem partem (*i*).

(*i*) Innoc. III. in can. *Scriptum*. 40. de elect.

Postulatio Episcoporum, in regionibus, ubi obtinet, nunc a Papa debet confirmari. Dicimus *nunc*; olim enim in Occidente a Concilio Provinciali confirmabatur, ut observant doctus Episcopus Hispanus Antonius Augustinus (k), & de Marca (*l*), & in Oriente a Metropolitano, qui ipse a summo Pontifice confirmabatur, ad quem Patriarchæ solam suam fidei professionem mittere debebant post electionem suam.

(*k*) Ant. Aug. de emendat. Gratiani p. 136 & 443. editi. Baluzii.

(*l*) De Marca concord. Sacerdot. & imperii, l. 6. c. 2. n. 5.

Quando postulationis instrumentum nondum fuit confirmatum, postulatus ab ea desistere potest, etsi Scrutinium jam promulgatum fuerit.

Postulatio, nondum confirmata, nullum postulato jus confert ad Beneficium; in quo differt ab electione proprie dicta, quæ electo confert *jus ad rem*, etiam antequam a Superiore fuerit confirmata, licet electus *jus in re* tantum habeat post confirmationem, nec eam ante adire, aut ea frui possit, ut observat Panormitanus (*m*) his verbis: *Potestas administrandi descendit ex confirmatione: per electionem, jus tantum in habitu*.

(*m*) Panorm. in c. *Ad nostri* de elect. n. 2.

Hæ sunt præcipuæ regulæ, ad electionem pertinentes, quæ, quamvis magna ex parte in Gallia non vigeant, alicujus tamen poterunt esse usûs in Germania, Bohemia, Italia, & aliis Regionibus, quo forsan hujusce Dictionarii penetrabit editio.

Cæterum, quæ hactenus de electione diximus, præcipue intelligenda sunt de electione Præsulum, qui ex obitu suo viduam relinquunt Ecclesiam suam, quales sunt Episcopi & Abbates. Nam quod ad alios pertinet Clericos, quorum fit electio, non rigorose servandæ sunt omnes, quas notavimus formalitates: quia plerisque Ecclesiis sua sunt statuta & usus speciales & legitimi, quos in praxi sequi tenentur.

CASUS PRIMUS.

CAPITULI Cathedralis Ecclesiæ Agathensis, in qua duodecim sunt Canonici, cum ad Decani electionem convenissent, sex antiquissimi Capitulares Eustasio suffragia sua; sex vero alii Eulogio sua dedere. Quis e duobus futurus est Decanus?

R E S P O N S.

Electio pro utroque est invalida: & jus providendi de decanatu, pleno jure, ad Episcopum devolutum est. Ratio est, quia electio, quæ non fit *a majori & saniore parte Capituli*, ut in casu proposito contigit, non est Canonica, ut liquet ex quinque Decretalibus in jure relatis (*n*). Prima est Innocentii III. ad Episcopum Prænestinum scribentis: Altera est Honorii III. ad Rhotomagense Capitulum: Tertia Gregorii IX. Quarta est ejusdem Papæ, & quinta ejusdem ad Capitulum Catalaunense: quæ omnes Decretales innituntur Decreto œcumenici Concilii Lateranensis sub Innoc. III. an. 1215. habiti, quo idem præscribitur (*o*).

(*n*) Innoc. III. in c. *Dudum*. 22. de elect. & electi potest. l. 3. tit. 6. Honorius III. in cap. *Ecclesia*. 58. eod. tit. Greg. IX. in cap. *Cumana*. 30. eod. t. & in c. *In Genesi*. 55. ib. & in c. *Ecclesia vestra*. 57. ibid.

(*o*) Concil. Lateran. IV. c. 24.

Si tamen ex duobus electis alter esset manifeste indignus, alter vero pro certo dignus, hic legitime, dignus nimirum, fuisset electus; cum in hoc casu minor etiam pars eligentium in majorem, quæ indignum elegisset, debeat prævalere, ut declarat idem Gregorius IX. in Decretali, quam ad Silvanectensem scribit Episcopum (*p*).

(*p*) Idem Greg. IX. in c. *Congregato* 3. ead. t. 2.

C A S U S II.

CUM ad eligendum Decanum convenisset Ecclesiæ Collegiatæ S. Albini Capitulum, in quo sunt quatuordecim Canonici, Presbyteri, Diaconi aut Subdiaconi, nec non etiam quatuor insuper Acolythi; quatuordecim priores, libere quatuor Acoly-

thos secum ad suffragia admittere voluerunt. Septem e prioribus pro Titio vocem dedere; alii vero septem cum quatuor Acolythis pro Mævio. Numquid legitima est & Canonica Mævii electio?

RESPONS.

Invalida est Mævii electio: nullus quippe Canonicus sæcularis aut regularis seu Ecclesiæ Cathedralis, seu Collegiatæ in aliqua electione vocem habere potest, nisi in sacris Ordinibus sit constitutus; neque privilegium illud iis concedere possunt alii Canonici. Id ipsum sic definivit Clemens V. in una e suis Constitutionibus, quam verbis istis refert Summa juris (*a*): *Statuimus, ut nullus de cetero in hujusmodi Ecclesiis* (Cathedralibus vel Collegiatis, sæcularibus vel regularibus) *vocem in Capitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere concedatur, nisi saltem in Subdiaconatus ordine fuerit constitutus.* Quam constitutionem Decreto suo ex professo confirmavit Concilium Tridentinum, cujus hæc sunt verba (*b*): *Quicumque in Cathedrali, vel Collegiata, sæculari aut regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis in Subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum.*

(*a*) Clemens V. in cap. Ut iis 2. de ætate & qualit. & ordine præficiendorum. l. 1. Clementin. tit. 6.

(*b*) Concil. Trid. sess. 2. 6. 9. de reformat.

CASUS III.

RADBAONO, Ecclesiæ S. Vigotis Decano mortuo, Capitulum quadraginta constans Capitularibus, qui ex immemoriali consuetudine Decanum suum per viam scrutinii eligendi jus obtinent servando formalitates omnes, quas præscribit Decretalis (*c*); ab Innocentio III. in quarto œcumenico Lateranensi Concilio emissa, biduo post obitum defuncti, omnes ad quos pertinebat jus suffragii, seu præsentes, seu absentes convocavit, ut novi Decani electioni, decem post diebus faciendæ, interessent, excepto tamen Macrobio, qui a multis annis ob arrogantiam suam rerumque novarum molitionem totius in se Communitatis odium converterat; quocirca is electioni non adfuit; neque etiam Baldericus, qui pridie quam Capituli monitorias acciperet litteras, morbo fuerat correptus; sed qui ad Bernardum, unum ex confratribus suis procurationem suam misit, qua ipsi potestatem faciebat, ut Julianum parentem suum, singulari merito ac pietate nota Sacerdotem, proprio nomine eligeret. Bernardus vero, non solum procurationis susceptæ summam perfecit, sed & privatim Juliano suffragatus est, qui hac ratione septemdecim suffragiis alios duos devicit, quorum alter tredecim dumtaxat, alter vero novem solum tulerat suffragia.

(*c*) Innoc. III. in cap. Quia propter. 42. de elect.

Macrobius autem, se a Capitulo contemptum indigne ferens, & aliunde Balderico ac Juliano infensus, irritam esse electionem contendit, ac juxta formulas juris huic intercessit, quatuor nixus mediis: Primo: quia, electio, ut putat, neque canonice, neque etiam valide fieri potuit, cum a Capitulo ipse non fuerit invitatus. Secundo: quia, licet suffragiorum pluralitatem tulerit Julianus, si cum suffragiis privatorum sibi comitum sua conferantur; non eam tamen tulit comparate ad triginta novem Capitulares, quorum majorem partem suffragiorum juxta Canonicas regulas habere debebat. Tertio: quia, licet Juliano manifestata fuerit ipsius electio ab eo die, quo facta est; huic tamen assensum suum non præbuit, nisi post elapsas quinque hebdomadas; eo nimirum prætextu, quod sufficiens sibi tempus exegerat ad accipiendum vel denegandum hujusmodi beneficium ad quod non multum propendebat. Quarto denique: quia, cum acceptam a Balderico procurationem executioni mandarit Bernardus; in hoc casu ipse Juliano alterive privato nomine suffragari jure non potuit. Qua de re quæritur, utrum hæc electio sit invalida, eamque ut talem jure contestari queat Macrobius?

RESPONS.

Macrobius tria priora media jure adhibet, quod certo invalidam esse Juliani electionem confirment. Sed quartum, quo nititur, insufficiens est.

1. Dicimus, legitimum esse primum ejus medium, ad probandam electionis, de qua agitur, invaliditatem: quia ad talem electionem necessario convocandi sunt sigillatim ii omnes qui in Capitulo jure suffragii potiuntur; aliter ipsa nec est Canonica, nec valida: Ita statuit Innocentius III. (*d*), qui ad legatum suum in Hiberniam missum scribens de dissidio orto supra electionem Archiepiscopi Armachani, ad quam non fuerunt convocati Episcopus & Abbas, qui jure suffragii ad eam potiebantur, eam irritam esse ob id solum declarat: *Si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos*, inquit hic Papa, *infirmanda erit penitus electio, taliter celebrata*: Istam equidem addit exceptionem: *nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire*: Sed hæc ad Macrobium non pertinet; quandoquidem, ne dum propter bonum pacis Juliani electioni assentiatur, eam potius irritari postulat.

(*d*) Ibid. in Quod sicut. 28. de elect.

Idem Summus Pontifex ad Parmensem scribens Episcopum, irritam quoque declarat Archipresbyteri electionem (*e*), quia ad eam tempore ex Canonibus præscripto non fuerat convocatus Canonicus, qui jure huic interesse poterat: *Electionem autem Archipresbyteri .... quia inventus est H. fuisse contemptus; licet unus solus extiterit, justitia exigente cassavimus.* Ejusque rei hanc affert rationem: *Cum plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsenti.*

(*e*) Idem in cap. Bona. 38. eod. tit.

2. Nec minus legitimum est priore alterum Macrobii argumentum ad infirmandam Juliani electionem. Cum enim jure fertur, nec Canonicam, nec validam esse electionem, nisi, quando majorem quam dimidium suffragiorum partem tulit electus, id non est intelligendum de majori numero comparate ad numerum multorum privatorum, sed respective solum ad numerum omnium eligentium, ita ut electus majorem quam dimidiam suffragiorum omnium partem referat. Ita constitutum est ab Honorio III. in una Decretali ad Capitulum Ecclesiæ Rothomagensis scripta, cujus hæc sunt verba (*f*): *Invenimus, quod illi, qui sua in Thomam desideria dirigebant, licet majorem partem facerent, partium comparatione minorum; non tamen ad majorem partem Capituli, quod factum est, de Th. prædicto cassavimus.* In hoc itaque casu, uti in præcedenti, iteranda est electio, cui adsint omnes Capitulares, aut ad quam debite fuerint convocati; & necesse est, ut electus majorem quam dimidiam eorum suffragiorum partem ferat, hoc est, viginti saltem & unum in casu proposito: quod adeo verum est, ut, si promulgato scrutinio accedat consensus majoris partis Capituli; novus ille consensus ei foret inutilis, qui ante majorem hanc suffragiorum partem non tulisset; *Cum eu post facto nequiverit convalescere, quod ab initio non valebat*: Quam rationem affert idem Innocentius III. in ultima sua, quam modo laudavimus, Decretali (*g*): *Quoniam electio*, subjungit, *quæ fuerat irrita ipso jure, per subsequentem consensum ... non poterat esse rata.* Quod non affirmamus, nisi supponendo, ut indicat proposita species, in Capitulo sancti Vigoris hunc obtinere usum, ut in electionibus serventur requisitæ ab Innocentio III. formulæ: ea, namque Capitula, in quibus diversa viget consuetudo, suis statutis & usibus stare debent.

(*f*) Honorius III. in c. Ecclesia. 48 eod. tit.

(*g*) Innoc. III. in cit. cap. Auditis.

3. Legitimum est etiam tertium duobus prioribus a Macrobio additum argumentum: quia omnis electio intra mensem ab electo debet acceptari a die notificationis: cujus acceptationis defectu censetur electus eam abdicasse, & tam diuturna dilatione adeo jure ad beneficium per electionem suam acquisito fit privatus, ut pleno jure Capitulum ad novam electionem procedere valeat; quod ad rem Ecclesiæ pertineat ne diutius vacet beneficium, cui ministrare debet electus nomine Decani. Ita enim constituit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi ex Decretali in Sexto his verbis relata (*h*): *Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo Decreto statuimus, ut, si quando fuerit electio in aliqua Ecclesia celebrata, electores electionem, quam citius commode poterunt, electo præsentare, ac petere consensum ipsius procurent; electus vero illum adhibere infra mensem a tempore præsentationis hujusmodi teneatur: quem si electus ipse ultra mensem distulerit; jure, si quo ei ex sua electione fuerit acquisitum, ex tunc se noverit eo ipso privatum.... electores ex tunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem.*

(*h*) Greg. X. in cap. Quam sit. 6. de elect. in 6.

Hic

Hic omittitur exceptio hujus regulæ generalis, quam statuit hic Summus Pontifex, quod nullatenus ad præsentem casum pertineat.

4. Denique non idem dicendum omnino de ultimo medio, quo utitur Macrobius. Verum quidem est, absentis confratris procuratorem, bis non posse suffragari, semel proprio, semel mandantis nomine, cum generale est mandatum, nec in eo constat de certa persona eligenda: Sed si nominatim exprimatur, tunc procurator nomine proprio, & cui voluerit suffragari potest. *Porro*, inquit Bonifacius VIII. (*a*) *cum unus est procurator, simpliciter constitutus; si is unum suo, & alium Domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit; nihil agit, nisi de certa eligenda persona, sibi Dominus dederit speciale mandatum: tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine, licite poterit consentire.*

(*a*) Bonifac. VIII. in cap. Si quis a§. Porro. de elect. in 6.

Casus autem expositus, cujus hic affertur solutio, asserit a Balderico commissum non fuisse Bernardum, nisi ea lege, ut julianam patentem suum nominaret. Bernardus igitur eidem Juliano suffragari proprio nomine potuit: atque adeo inutile fit ultimum hoc medium Macrobio, cui aliunde tria suppetunt, quorum vel unum sufficit, ut irrita declaretur Juliani electio.

Ceterum ea de re observandum, quod, cum defectu formalitatis tantum irrita declarata est electio; idem, qui in priori electione canonice non fuerat nominatus, iterum de novo potest eligi: sed si electioni personæ annexus esset defectus, v. g. si esset excommunicatus, aut simoniæ conscius; tunc alter necessario esset nominandus capax electionis; ut fert Decretalis Clementis III. his verbis (*b*): *Hoc tamen volumus discretionem tenere, quod si prior electio non vitio personæ, sed modo electionis cassatur, promotionem ejus in eadem etiam Ecclesia ..... non debeat impedire.*

(*b*) Clem. III. in cap. Super. 12. de elect.

CASUS IV.

Chrysippo electioni, cum a majori Capituli parte Cathedralis Ecclesiæ Lectorensis Succentor electus & proclamatus fuisset, intercessit Jacobus, Canonicus adversæ partis, atque declaravit, paratam sibi suppetere probationem, qua is eligi propter impedimentum Canonicum non poterat.

Canonici, qui Chrysippum nominarunt, Jacobi intercessionis nullam habuere rationem: Alii e contra contenderunt, illius habendam esse rationem; & consequenter ad eam, ad aliam diem prorogandum esse examen & exitum illius electionis. Qua de re quæritur, pro quibus stet jus?

RESPONS.

Inclyti quidam Canonistæ, ut Abbas (Antiquus) & Innocentius IV. existimant, in hoc casu ad aliam diem prorogandam esse electionem, ne quid inconsulte statuatur, idque probant *a simili* ex exemplo, quod suppeditat Decretalis Innocentii III. (*c*), in qua affirmatur, de divortio differendam esse sententiam, donec mulier, quæ se illius, cui nupsit, cognatam profitetur, probationes suas in medium proferat, si sint paratæ. Unde colligunt, tempus pariter ei præfigendum esse, cujus electioni reclamatur, ut sua in ipsum allegata evincat intercessor.

(*c*) Innoc. III. in c. *Litteras*. 13. de restitut. spoliat. l. 2. tit. 13.

Sententiæ huic refragatur Hostiensis; quia, inquit, ad Capitulum non spectat judicare de validitate hujusmodi probationum, sed non obstante intercessione ab eo perficiendam esse electionem, salvo intercessoris recursu ad legitimum Superiorem, juxta Constitutionem, quam in Concilio œcumenico Lugdunensi emisit Innocentius IV. (*d*), & quæ in Sexto refertur.

(*d*) Innoc. IV. in c. *Statuimus*. 1. de elect. in 6. l. 16. tit. 6.

Dissidentes illas opiniones conciliare nititur Joannes Andreas (*e*) dicens, quod, si intercessor asserat, v. g. electus esse excommunicatum & unus ex electi amicis affirmet, ipsum de excommunicatione fuisse absolutum; atque ambo dicta sua se probaturos intra paucos dies, respective promittant, electioni tunc supersedere necesse est, eosque audire, ac legitimo Superiori dissidii illius judicium permittere, ut existimat Antonius de Butrio (*f*): atque adeo Hostiensis sententia intelligenda est de eo casu, in quo intercessoris probationes non sunt ad manum, ut proferantur. Fagnanus, (*g*) qui hos laudat Auctores, ultimam hanc amplectitur sententiam, quam in casu proposito tenendam esse arbitrantur: quocirca qui Chrysippo suffragati sunt, juste Jacobi intercessionem respicere nequeunt, cum ejus rationem Capitulo manifestare sit paratus: neque aliter se gerere queunt illi Canonici, absque periculo boni & honoris Ecclesiæ suæ, nec non exprobrationis, quod perperam elegerint.

(*e*) Joan. Andreas in q. 13.

(*f*) Anton. de Butrio. hic n. 13. in fine.

(*g*) Fagn. in cap. *Publicato*. 58. de elect. n. 44.

CASUS V.

Philippus Ecclesiæ Cathedralis Carthaginis novæ, cum in minorem incurrisset excommunicationem, quod voluntarie & absque legitima caussa, cum uno amico suo nominatim excommunicato & publice denuntiato communicasset, cum reliquis confratribus suis in electione Parochi suffragium suum tulit. Nunquid id ipsum potuit absque peccato, ejusque suffragium habendum est tanquam legitimum?

RESPONSA.

Canonicus iste absque alicujus peccati reatu suffragari potuit in electione, de qua in casu proposito agitur, ejusque suffragium tanquam legitimum est habendum. Ratio est, quia, licet excommunicatione minori ligatus, participatione, hoc est, perceptione Sacramentorum, nec non electionis seu præsentationis passivæ ad aliquod beneficium dignitatemve Ecclesiasticam jure privetur; ipsum tamen participatione aut electione activa non privat (*h*). Quare Sacramenta valide potest administrare, quamvis non sine aliquo peccato, ut probant Dominicus Soto, Avila, Sairus & Reginaldus his verbis Decretalis Gregorii IX. ad marginem indicatæ: *peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta*: Sed peccatum illud ex iisdem Auctoribus est tantum veniale; & etiam administrans ea ob justam & necessariam caussam ab omni prorsus culpa excusari potest. In electione quoque suffragium suum ferre, ad beneficium nominare, & quemlibet jurisdictionis actum exercere potest, ut probari potest ex eodem Papa Gregorio IX. in alia Decretali (*i*), in qua declarat, quod, licet Sacerdos excommunicatione minori ligatus absque gravis peccati reatu Missam celebrare nequeat; cum Dominicum corpus & sanguinem communicans in ea accipiet; non fit tamen ex eo irregularis, nec spoliatur jure eligendi, aliosve jurisdictionis suæ actus exercendi: *Nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione jurisdictionis sibi competunt, exercere*, inquit hic Papa: *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis Patribus est privatus.* Quod ita intelligendum, si contra Superioris sui prohibitionem & in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ Sacramenta non administret: *Dummodo*, subjungit idem Papa, *non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ videlicet contra prohibitionem communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit.*

(*h*) Greg. IX. in cap. *Si quem*. 19. de sentent. excommunic. &c. l. 5. tit. 39.

(*i*) Idem in cap. *Si celebrat*. 10. de Clerico excommunicato &c. lib. 5. tit. 27.

Ceterum id sciendum, unicum hunc esse effectum, quem modo attulimus, hujusce excommunicationis minoris, & jure numquam eam incurri, nisi in solo casu, cum nimirum illicite cum excommunicato nominatim & publice denunciato communicatur, ut patet ex textibus ad marginem citatis (*K*). Sed si Canonicus ille excommunicatione majori foret ligatus, simulque denuntiatus; nullum tunc ei competeret jus electionis activæ, aut passivæ: 1. Quia tum omni prorsus jurisdictione spoliaretur. 2. Quia factus fuisset suspensus *ab officio*, & consequenter ad ferendum in electione suffragium suum inhabilis, juxta definitionem Innocentii III. (*l*). Unicus est autem casus, in quo excommunicatus, suspensus & interdictus in electione suffragii jure queant, in electione suffragii jure potiri queant, in electione videlicet Summi Pontificis (*m*).

(*k*) Can. *Cum excommunicato*. 18. 11. q. 3. &c. *Nuper*. 29. de sentent. excommunicationis &c.

(*l*) Innoc. III. in c. *Cum inter*. 16. de elect.

(*m*) Clement. *Ne Romani*. §. *Ceterum*. 4. de elect. &c.

CASUS VI.

Cum ad electionem Decani capitulariter convenissent Canonici Ecclesiæ Cathedralis Palentiæ; tres fuere propositi, quorum unus ad vacans beneficium longe dignior est aliis duobus, qui, cum

fint nobiles, majori valent auctoritate, quam iste, neque aliunde tali dignitate ex aliquo defectu sunt indigni. Unus e Canonicis, qui suo sincere cupit fungi officio, postulat, utrum primo suffragari in foro conscientiæ teneatur, quamvis sibi familiares sint alii duo, immo vero unus ex eis cognatione proxime sit sibi conjunctus?

RESPONS.

Asserit S. Thomas, aliquem alio posse esse meliorem duobus modis (a). Primo modo, quando melior est, simpliciter absolute loquendo; qualis est is, qui perfectiorem habet caritatem. Secundo modo, cum aliqua ratione tantum est perfectior, & respective ad quasdam animi dotes, quibus ipse pollet, nec in alio reperiuntur, & ob quas ad illud, de quo agitur, officium fit magis idoneus. Quo posito concludit sanctus Doctor, eum non posse eligi, qui mortalis peccati conscius esse dignoscitur; *quia*, inquit, *per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet spirituale exequendum*. Sed tamen eum posse eligi, in quo reperiuntur quædam dotes aut perfectiones, quibus ad tale officium aut beneficium Ecclesiasticum est magis idoneus; licet virtute ei suppar sit alter ac pietate: tumque subjungit, admitti peccatum acceptionis personarum, si is, qui minus ad vacans officium aut beneficium idoneus judicatur, ipsi anteponatur; cum hujusce prælationis tunc non alia possit esse caussa, quam consideratio amicitiæ, consanguinitatis, propriæ rei studii, aut alterius hujusmodi motivi. *Non tamen oportet, quod semper eligatur ille, qui est melior simpliciter*; inquit Doctor Angelicus: *possibile est enim, quod illi, qui est in caritate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis sit Prælatus idoneus, quæ in alio, qui est minoris caritatis, inveniuntur, ut sunt scientia, industria, potentia, & alia hujusmodi. Unde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum, qui sit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat: non enim potest esse, quod de duobus unus alteri præeligatur, nisi propter aliquid in ipso consideratum. Illud autem quod consideratur in eo, qui est minus idoneus ad hoc quod magis idoneo præferatur, est aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid hujusmodi ...... & sic in tali electione erit ibi acceptio personarum, quæ sine peccato non fit.*

Ex hac Angelici Doctoris argumentatione sequitur, Canonicum, de quo agitur in specie proposita, ne in ferendo suffragio suo peccet, teneri ad suffragandum ei e tribus, qui Decannatum Ecclesiæ Palentinæ ambiunt, qui dignior est, non quidem absolute loquendo & comparate ad eminentiorem virtutem, sed habita ratione dotium, ac virtutum, quæ magis viro competunt, qui præstantis cujusdam societatis futurus est caput: & si consanguineum, præcise ob consanguinitatem aliumve humanum finem eligeret, eum fore reum peccati acceptionis personarum.

CASUS VII.

Cum ad electionem Decani per viam scrutinii capitulariter convenisset S. Carilephi Canonici numero triginta, viginti ex iis Maximilianum votis suis prosecuti sunt; decem vero duntaxat Ferdinandum. Ubi primum vero Maximilianus, qui, uti Ferdinandus, erat e communitate Capituli, pro se esse majorem suffragiorum numerum rescivit, eo proterviæ processit, ut palam imprudens societati manifestarit, debitum sibi tantum rependisse officium, se ipsum ad talem eligendo dignitatem: quo ejus dicto ita offensi fuere vel ii, qui ipsi fuerant suffragati, ut subito & nondum e Capitulo egressi octo decemve ex iis revocata suffragia sua ad Ferdinandum una cum aliis decem converterint: quocirca ad minorem numerum redacti sunt, qui pro Maximiliano stabant. Nunquid valida est & Canonica Ferdinandi electio?

RESPONS.

Advertendum 1. quod in electione per scrutinium, nullum ex electoribus variare posse, hoc est, ab electo in alium suffragium suum convertere; quando semel publicatum est scrutinium, & majorem suffragiorum numerum tulit electus, neque ullum ei adscribi potest vitium, quo electione fiat indignus; nisi ipse electionis suæ beneficio renunciare velit (b): *Publicato scrutinio*, inquit Gregorius IX. (c) *variare nequeunt electores; cum sit facienda collatio & electio celebranda*. Quocirca tunc electio tanquam valida & Canonica censenda est. Quia, inquit auctor Glossæ (d), conformiter ad regulam juris Canonici *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum* (e): Quam regulam ex hoc Legis effato deprompsit Bonifacius VIII. *Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam* (f): quod intelligendum, *re non amplius integra*. Atqui suffragii mutatio in casu proposito, injuriosa foret simul & noxia ei, cui jam quis fuisset suffragatus: Igitur mutationi jam non est locus, cum res non amplius sit integra, ubi suffragia sua pro electo tulere electores, atque ipsa electio fuit promulgata. Quam rationem affert Joannes Andreas (g), a Fagnano prolatam (h) simul & defensam contra Panormitanum. *Existimo igitur*, inquit hic Canonista, *esse bonam rationem, quam ponit Joannes Andreas, nam sive hæc constitutio sit novi juris promulgatoria*, ut asserit idem Joannes Andreas: *sive declaratoria juris antiqui*, ut vult Panormitanus, *semper tamen verum est, rationabiliter fuisse præclusam viam variationi, posteaquam deventum est ad actum medium, id est, ad publicationem scrutinii, ut vitetur infamia & injuria, quæ irrogaretur nominato a majori parte, si liceret electoribus ab illius nominatione recedere.*

Confirmari potest hæc ratio ex hac alia Antonii de Butrio (i), quia nimirum electus, inquit, voventium suffragiis, absque injustitia nequit jure privari, quod scrutinii facta publicatione acquisivit. Licet enim nondum sit completa ipsius electio, donec confirmata & enuntiata his verbis fuerit, quibus fertur collatio juxta formulas novo jure introductas; constat tamen, eos, qui electo suffragati sunt, & pro eo suum præbuere consensum, obligationem, quæ sit stricti juris contraxisse, qua jam eximi nequeunt, ubi promulgatum est scrutinium; quia ipso publicato, jam non ignoratur, ut ante, quis majorem votorum numerum retulerit, & ex tunc electioni suæ jam assentiri jure potest, & consequenter jus habet acquisitum ad Beneficium, ad quod electus est; ut observat Innocentius IV. in suo Commentario in Decretales (k), & probari potest ex Paullo (l), Romano jurisperito in Legibus ad marginem citatis.

Advertendum 2. a contrario liberum esse electoribus variare ante scrutinii aperturam & promulgationem, perfectam & completam, ut docent Hostiensis, Joannes Andreas, Cardinalis, Antonius de Butrio, Goffredus, Innocentius IV. (m), aliique Canonistæ, quos laudat iste, quosque sequitur Fagnanus (n); modo qui ex electoribus suffragium suum revocare cupiunt, id ipsum præstent, dum adsunt scrutatores, & antequam e loco discedant, ubi fit electio: Cum enim discessere, atque officio suo functi sunt, res jam in integro non est; nec jam privati queunt variare electores.

Ratio, qua statuitur hæc regula, est, quia ante scrutinii promulgationem, nulla fit nominato per talem variationem injuria: quia, cum datum suffragium sit obsignatum, electi nomen non potest cognosci, & *quod ignoratur, perinde est, ac si non esset*, ut loquitur Fagnanus; quod multis Digestorum Legibus adstruit.

Præsuppositis duabus hisce regulis, tanquam certis, dicendum, viginti electores variare non potuisse cum injuria Maximiliani, nec ab eo in Ferdinandum suffragia sua convertere; quandoquidem, ut simplici expositione casus patet, ad quem fit responsio, de eo casu agitur, in quo promulgatum est scrutinium, & nomen Decani, a majori numero electi, toti Capitulo declaratum, cui nullum aliunde potest objici impedimentum Canonicum.

CASUS VIII.

Cum ad electionem Decani convenisset Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Telesinæ; Scribæ seu Nota-

(a) S. Thom. quodlibet. 8. art. 6. in corp. Idem quodl. 4. art. 22. ad 12. & 2. 2. q. 63. art. 2. in corp.

(b) Innoc. III. in c. *Cum inter Canonicos*. 26. de elect.

(c) Greg. IX. in cap. *Publicato*. 58. eod. tit.

(d) Gloss. ibid. v. *Variare*.

(e) Reg. 33. de reg. juris in 6.

(f) Leg. *Nemo*. 75. ff. de diver. reg. juris antiqui.

(g) Joan. Andreas in d. c. *Publicato*. n. 4.

(h) Fagnan. in d. cap. *Publicato*. lit. 10.

(i) Anton. de Butrio in d. c. *Publicato*. n. 4. verso *Æquius tamen*.

(k) Innoc. IV. in d. c. *Publicato*. n. 2.

(l) Paullus in leg. *Duo sunt*. 30. ff. de testamentaria tutela. l. 26. tit. 2. Leg. Rutilia. 69. & Leg. liberi. 70. ff. de contrahenda emp. & vendit. &c. lib. 18. tit. 1. & Leg. *Si fuerit*. 31. de rebus dubiis. lib. 34. tit. 5.

(m) Innoc. IV. in d. c. *Publicato*. n. 2. col. 2. vers. *Item argumento a contrario sensu*.

(n) Fagnan. loco cit. n. 14.

Notarii Laici operam adhibuerunt Canonici. Num quid valida est & Canonica eorum electio?

R E S P O N S.

Dissident inter se de hac difficultate Doctores. Alii siquidem, ut Abbas Antiquus, Petrus Sampsonius, Ægidius Romanus, & Hostiensis (*a*), contendunt necesse esse, ut hujusmodi officialis Clericali militiæ nomen dederit, & horum ultimus Auctorum (*b*), tuetur, nullum Clericale instrumentum a Notario Laico confici posse. Alii, ut Panormitanus (*c*), Baldus (*d*), Compostellanus (*e*, & Durandus (*f*) contrarium sentiunt.

Prima ratio, quam affert Baldus, est, quia adhiberi potest Laici testimonium, quando de contestata electione agitur, quare etiam pro Scriba vel Notario in ea quoque adhiberi potest. Altera ejus ratio est, quia hujusmodi officialis publico destinatur ministerio, non minus pro Clericis, quam Laicis.

Tertia addi potest ratio, quam suppeditat Panormitanus; quia videlicet hic officialis nullam exercet auctoritatem pro electione, cujus caussa instrumentum conficit, nec ejus ministerium est spirituale, non magis, quam Procuratoris *in caussa spirituali*, qui, licet Laicus, officio suo valide fungi potest.

Hæc decisio est Fagnani in suo Commentario in Decretales (*g*), & Concilio Tridentino conformis est, quod manifeste & verbis expressis declarat Notarios regios seu Tabelliones acta scribere jure posse *in caussis Ecclesiasticis*, ut legere est sessione 22. cap. 10. in qua Episcopis tribuitur potestas eos examinandi, & consequenter eos probandi vel rejiciendi: qua in re tamen Concilii disciplina in Regno Galliæ non admittitur, in quo istam in Notarios Laicos auctoritatem sibi jure vendicare nequeunt Episcopi.

Colligimus ergo, quod, quamvis Ecclesiæ Telesinæ Canonici Scribæ Laici operam in electione Decani sui adhibuerint, eorum tamen electio legitima est, licet opportunius Clerici manu ad exercitium hujusce ministerii usi fuissent.

(*a*) Abbas (Antiquus) Ægid. Romanus, Petrus de Sampsone Hostiensis in c. *Quia propter*. 42. de elect. &c.

(*b*) Hostiensis in c. *Sicut*. ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant. nu. 6. vers. *Quid ergo*. l. 3. tit. 50.

(*c*) Panormitan. in d. c. *Sicut*. n. 17. vers. *An autem Laicus*.

(*d*) Bald. in c. *Decernimus*. 2. de judiciis. l. 2. tit. 1.

(*e*) Compostel. in c. *Quia propter* 42 de elect.

(*f*) Guill. Durandus in speculo. tit. de fide instrumentorum. lib. 2. tit. 4. § *Restat*. vers. *Quid ergo tabellio*.

(*g*) Fagn. in 2. part lib. Decretal. in c. *Quisquis*. 41. de elect. §. 19. & seqq.

C A S U S IX.

Cum in Monasterio S. Ambrosii habitum fuisset generale religiosi ordinis Capitulum, omnium conventuum Ordinis delegati adfuere, quolibet delegato procuratione sui conventus munito, qua ei fiebat potestas, ut Capitulo interesset suffragiumque ferret. Post diuturnam de Superiore eligendo contentionem, omnes de electione ex compromisso facienda consensere, unanimique consensu duorum Capitularium Religiosorum arbitrio eam permisere, ut digniorem in conscientia eligerent: quod perfectum est. Nunquid Canonica est hæc electio?

R E S P O N S.

Electio illa non est Canonica: Cum enim aliorum conventuum deputatis procuratio tantum generalis esset, compromittere vel transigere non potuerunt. Id constat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum Pisanum, quam refert Summa juris (*h*): Cui rei etiam consentiunt Leges quam plurimæ seu Digestorum, seu Codicis (*i*), quas laudat Cabassutius (*k*), ad asserendam propositionem nostram, & quibus Rebuffi addit auctoritatem (*l*), qui ea de re loquens in suo in concordatum Commentario, quadraginta septem casus enumerat, in quibus inutilis est procuratio generalis, inter quos compromissum aut transactionem reponit. En verba primæ Legis, quam citat hic Auctor: *Mandato generali non contineri etiam transactionem, decidendi caussa interpositam, & ideo si postea is qui mandavit, transactionem ratam non habuit, non posse eum repelli ab actionibus exercendis*. Sic etiam loquitur secunda: *Transactionis placitum ab eo interpositum, cui caussæ actionem, non decisionem litis mandasti, nihil petitioni tuæ derogavit*.

Observandum autem ea de re, quod si vel unus vocalium compromisso non assentiretur, quod in Capitulo posset proponi, electio ad aliorum consensum consequenter facta esset invalida: quia delegati ad unum eligendum, possunt eundem tantummodo eligere *vice omnium*, ut loquitur Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cui an. 1215. præerat; *aliter electio facta non valeat*, inquit hic Papa (*m*). Id quoque observat doctus Franciscanus e Lusitania, qui decimo sexto sæculo florebat (*n*).

(*h*) Innoc. III in c. *Per tuas*. 9. de arbitris. juncta Gloss. l. 1. tit. fin.

(*i*) Leg. *Mandato*. 60. ff. de procuratoribus & defensoribus l. 3. tit 3. Leg. *Transactionis*. 7 Cod. de transact. l. 2. tit 4.

(*k*) Joan. Cabass juris can. Theor. & prax. l. 2. c. 24 n. 11.

(*l*) Petrus Rebuff. in concordat. tit. de elect. uals deroget.

(*m*) Innoc. III. in c. *Quia*. 42 de elect. & electi potestate & ibi Oluss.

(*n*) Emmanuel Rodericus qq. regularibus. q. 54. art. 12.

C A S U S X.

Camillus, Religiosus, Monasterii Germaniæ Superior, tanta adversus Antonium, unum e suis subditis virum Religionis virtutibus insignem antipathia laborat, ut ejus præsentiam absque intimo supremæ aversionis sensu pati nequeat, quam etiam sæpe sæpius morositate sua manifestat, contemptuque illius nec non factorum, quantumvis innoxia sint & laude digna.

Antipathiam hanc tandem odium excepit: ita ut, cum Antonius Provincialis sui mandato iter aggressus esset ad rem Monasterii sui gerendam, Camillus impos animi, Antonii absentiæ occasionem arripuerit, calumniarumque libellum in eum instruxerit; quem vi minisque a tribus Religiosis subscribi curavit, quos minus idoneos ad sibi resistendum novit, & quibus etiam lectionem ejus denegavit. At Religiosi illi, cognita tandem Camilli libelli calumnia, veniam ab Antonio de sua ignavia petiere, & scripto quisque eorum declaravit, primum a se subscriptum libellum esse falsum & calumniis refertum, seque subscriptionem suam revocare, quam a se, non lecto illo libello, minis extorserat Camillus, & tandem se agnoscere, Antonium omnibus viri Religiosi virtutibus esse præditum, cui quidquam vitii jure objici non poterat. En factum.

Nunc vero in promptu est, ut fiat electio Provincialis Ordinis & assistentis, jamque inter Religiosos fama volat, Camillum proculdubio alterutram ex his dignitatibus esse obtenturum. Qua de re quærit Antonius, utrum Camilli electioni, illæsa caritate, intercedere nequeat, seu ad vitandam hujusce Superioris vexationem, quam ipso Provinciali aut assistente, jam declinare non poterit, seu ad bonum Religionis procurandum, exclusa tam indigni Religiosi electione?

R E S P O N S.

Duplex distinguendus est finis, quem in specie proposita sibi præstituere potest Antonius; prior videlicet qui ad se solum spectat; alter vero qui ad commune Ordinis sui bonum pertinet.

Quoad priorem existimamus, ad humilitatem, caritatem & patientiam Antonii pertinere, ut ipsum flocci faciat, & Christi sequatur vestigia, qui cum a Judæis ita accusaretur, *Dæmonium habes*, leniter & absque ullo præcipiti impetu respondit: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me: ego non quæro gloriam meam* (*o*): Cum reponere potuisset, ipsos maligno potius commoveri spiritu: Quod tamen in eos retorquere noluit, *ne*, inquit S. Gregorius Magnus (*p*), *non dixisse veritatem, sed provocatus contumeliam reddidisse videretur*. Si ergo Religiosus ille sui ipsius rationem habeat, eum meminisse necesse est, persecutionem quolibet tempore fuisse sortem filiorum Dei, præmium virtutis, characterem electorum, verumque prædestinatorum Typum, quibus cum sit Christus exemplar, ut caput etsi ipsius instar, cunctis vitæ suæ diebus, eos in signum contradictionis improborum positos esse, atque ab illis contemptus, contumelias & persecutiones pati necesse est, quibus eos vult Deus tentari, ut tanquam aurum in fornace purgentur, & corona fiant digniores, quam ipsorum patientiæ nec non perseverantiæ promittit. Ex hoc principio in Camillum quoad seipsum agere non debet Antonius, si caritatis atque Religiosæ humilitatis rationem habere velit.

(*o*) Joan. 8. 48. 49. & 50.

(*p*) S. Greg. hom. 18. in Evang.

Quod spectat ad alterum finem, quo bono communi Ordinis consulitur, Antonius pro certo tam indignæ personæ electioni refragari potest; quod ut facilius assequatur, tria Religiosorum scripta proferet, qui adeo fuere ignavi, ut contra verum propriæque conscientiæ dictamen libello subscriberent, quem in fratrem suum innoxium scripserat Camillus; idque ut ejus impediat electionem ab iis magno boni communis Ordinis detrimento faciendam, quibus ignoti sunt pravi ejus mores.

Ceterum id tantum dicimus ex hypothesi, quod

Camillus injustitiam horrendam ab eo in Antonium commissam non repararit; in hac enim suppositione de eo non sine causa dici potest hæc juria regula, quam affert Bonifacius VIII. (*a*) *Semel malus semper præsumitur esse malus*: At vero si calumniæ suæ pravas consecutiones emendasset, ejusque certa foret conversio, tum silere posset Antonius; quamvis reipsa Monachus, qui tam grave potuit admittere facinus, ad ullam unquam regularem dignitatem promoveri queat.

(*a*) Bonifac. VIII. reg. 8. de reg. juris in 6.

CASUS XI.

ARCHANGELUS, Religiosus, reformati cujusdam ordinis Provincialis, cum præesset Capitulo habito ad electionem Superiorum aliorumque officialium Conventuum Provinciæ, & quam grave esset incommodum agnovisset, si vocalium quisque indifferenter ei, quem mallet, suffragaretur, tres proposuit Capitulo eligendos pro se, Petrum scilicet Paulum & Joannem: quo facto bis tertiam suffragiorum partem & amplius Petrus retulit: Nonne Canonica est hæc electio?

RESPONS.

Quælibet electio libera penitus esse debet, ut statuit alterum œcumenicum Concilium Lugdunense, sub Gregorio X. qui huic præerat, habitum, & cujus constitutio his verbis in Sexto refertur (*b*): *Cum arbitrium, vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujusque necessitas adigit; cessat electio, dum libertas adimitur eligendi*. Atqui eligentium libertatem restrinxit Archangelus, ad unius eorum delectum, quos ipse nominavit, illos adigendo. Igitur Petri electio, licet a majori capitularium numero facta, est invalida.

Id quoque expresse declarat Cælestinus III. (*c*), similem damnatus usum, qui ab ipso nominatur pravæ *consuetudinis morbus*, & asserit, quod *hoc redundat in gravamen Ecclesiasticæ libertatis*: quare *præscriptum*, inquit, *consuetudinis pravitatem statuimus penitus abolendam*. Qua de re ait Panormitanus conformiter ad sententiam hujusce Pontificis, tali modo eligendi destrui omnino, quod electioni essentiale est, plenam nimirum destruendo electorum libertatem.

Decisionem istam adstruunt Caballutius & Sylvester (*d*), nec non Rodericus (*e*), cujus est illud testimonium; *In nostra Religione*, ait, *vidi ego, me præsente, tres Guardianorum electiones declarari irritas & nullas, eo quod simili modo fuerint coarctata*. Atque, ut sententiam suam confirmet, pro se laudat Covarruviam, Fortunium Garciam, Decium & Bartholomæum Philippum; hisque verbis concludit: *Unde existimo, quod si electores, facta hujusmodi coarctatione, ad electionem procedant, & eligant alium a nominatis a Prælato generali, electio utique valebit, si fuerit dignus*.

Confirmatur hæc solutio a Caballutio (*f*), ex Decretali Innocentii III. ad Joannem, Cardinalem a sancto Stephano, qui tum in Hibernia pro se legatione fungebatur, scribentis (*g*), qua electionem invalidam declarat hic Papa factam, non convocatis iis omnibus, qui huic interesse jure poterant: unde concludit hic Canonista, a fortiori non valere electionem in casu proposito; cum multo magis offendatur electorum libertas, cum ab eo, qui præest, restringitur ad unius eorum duntaxat electionem, quos ipse designavit. Recte igitur ex Constitutionibus multorum ordinum prohibita est hujusmodi praxis, ac præcipue ex Constitutionibus sancti Francisci, quas laudat Rodericus, qui unus erat Religiosus hujusce Ordinis, & definitor Provinciæ sancti Jacobi, & sancti Dominici Ordinis statutis (*h*).

Ceterum hactenus dicta intelligenda sunt conformiter ad id, quod jure communi de electionibus præscribitur. Neque enim non fugit veteres esse consuetudines his contrarias; & juxta quas Capitulum congregatum duos tresve eligit, Principi præsentandos, qui eum eligit, qui sibi magis arridet: Sed reipsa hujusmodi electiones habendæ sunt tantummodo uti simplices nominationes, non vero uti Canonicæ electiones, ut ait Innocentius in Decretali mox laudata (*i*): *Electio quæ facta est de tribus, dicenda videtur potius nominatio*.

(*b*) Conc. gener. Lugdun. II. in cap. Ubi a. § Ceterum. de elect. & electi potest. in 6. lib. 1. tit. 6.

(*c*) Celestin. III. in c. Cum terra. 23. de elect. & electi potest.

(*d*) Joan. Caballut. Juris can. theor. & prax. l. 6. c. 24. Sylvester de Prierio v. Electio 1. 8. q. 26.

(*e*) Emmanuel Rodericus qq. can. & regular. tom. 2. q. 12. art. 12. pag. 128. col. 2. edit. Antuerp.

(*f*) Caballut. ibid. n. 9.

(*g*) Innoc. III. in cap. Quod sicut. 29. de elect. &c. l. 1. tit. 6.

(*h*) Constit. Ord. Prædicatorum dist. 2. c. 2. § 4.

(*i*) Innoc. III. in eit. c. Quod sicut.

CASUS XII.

Cum Religiosi quadraginta, ex quibus constat regulare Capitulum Monasterii sancti Vincentii, ad electionem quorumdam officialium per viam scrutinii faciendam convenissent, unum tantum scrutatorem ad recipienda suffragia constituerunt. Nunquid Canonica est facta ab iis Electio?

RESPONS.

Talis electio non est Canonica: Necesse est enim cum fieri potest, ut tres adsint scrutatores juxta definitionem Innocentii III. (*k*) cum ipse quarto præesset Concilio œcumenico Lateranensi. En ipsius verba de electionibus, quæ fieri debent; *Statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi .... aliter electio facta non valeat: nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata*. Cujus rei rationem hanc affert Rodericus loquens de electionibus generatim (*l*): *Quia is numerus* (trium videlicet) *magis perfectus creditur, & fraudem excludit, faciliusque concordes fiunt; cum facile duo discordes esse possint, ac vix fit, quin duo ex tribus inter se consentiant*. Unde post multos, eosque inclytos Canonistas ita concludit: *Quare creditur electionis substantiam hunc numerum exigere, prout tradunt Hostiensis, Abbas & Petrus Biarius*.

Diximus; *cum fieri potest*: Nam contingere potest, ut hæc observari nequeat regula, ut quando in tribus quatuorve personis tota consistit communitas: *Si vero Collegium non ita sit numerosum, ut tres scrutatores constituere possit; puta, quia eorum Collegium in tribus tantum consistat, vel duobus: non erit hæc forma servanda, cum scrutari non possit*. Ita observat mox laudatus Auctor, qui addit, in hoc casu electionem absque scrutinio legitime fieri posse: *Sed quomodocumque electio fiat, tenebit; prout tenent* (*m*), *Abbas & Joannes Andreas .... Craveta, Biarius, & Rolandus*.

(*k*) Innoc. III. in cap. Quia propter. 42. de electione & elect. potestate.

(*l*) Emmanuel Rodericus qq. Can. & regul. qo. 12. art. 2. tom. 2. & apud eum Host. cons. in sum. tit. de elect. § Qualiter facienda sit. v. Collegium. Abbas in eit. c. Quia propter. Pet. Biarius de elect. c. 22. part. 2.

(*m*) Abbas & Joan. Andreas in cit. c. Quia propter. Craveta cons. 12. col. 2. Biarius, supra cit. Roland. cons. 43. n. 37. l. 2. apud eundem Rodericum.

CASUS XIII.

QUIDAM Monialium Conventus Ordinis mendicantium in Diœcesi Tabellicensi positus, a quatuor ferme sæculis fundatus est a Rege Galliæ, qui sibi non servata nominatione, liberam Superioris electionem conformiter ad regulam & constitutiones Ordinis dimisit. Monasterium illud a sua fundatione ad an. 1700. sine intermissione ulla jus illud electionis exercuit: Verum Religiosæ quædam schismatico tandem ingenio, aut quorumdam nobilium instinctu impulsæ, ea fuere astutia, & etiam apud Regem gratia, ut ipsius religionem interciperent, ipsi suadendo, quod, cum regia dotatione erectum esset Monasterium suum, ad ipsum jure pertinebat Superioris nominatio, cui assensum Pontificium exigere poterat; licet jus illud Regi non competere contrarius quatuor ferme sæculorum usus confirmaret. Rex igitur hujusce Monasterii Superiorem nominavit alterius Ordinis Religiosam, quæ, Principis hujus auctoritate & ex falso exposito in curia Romana Bullas suas obtinuit, novamque illam dignitatem adivit. Decem duodecimve Religiosæ intentæ ad asserendam antiquam disciplinam, intervenere, ne illa superioritatem adiret, atque de nullitate Bullarum ejus contestatæ sunt, nec non omnium actorum superioritatis quibus consequenter ad eas se immiscere poterat; atque declararunt, nullum ex ejus actis se confirmare velle, quantumvis præsentes: Quocirca Regem sollicitare coacta est, ut a Summo Pontifice indultum obtineret, quod a Papa concessum est, non obstante monialium oppositione, & supra falsa acta, Summo Pontifici allegata, & etiam sub conditione, quæ nondum perfecta est.

Novum hoc medium oppugnarunt illæ Moniales tanquam oppositum, non solum fundationis titulo, sed etiam Ordinis constitutionibus, nec non

Re-

rescripto Urbani VIII. & statuto Præpositi sui generalis, quibus statuitur, ut conventus sui Superiores tribus alternis annis a Religiosis vocalibus eligantur; & quibus earum jubetur reformatio: quod acceptarunt illæ Moniales sub conditione triennalis electionis.

Mortua ista Superiore, alteram Rex nominavit, vi ejusdem indulti, quæ possessionem adivit, minata prius ex regio mandato transportationem refragantium in alia Monasteria: Quocirca Moniales istæ sic oppressæ, & Regis iram, nec non egressum suum e conventu suo ipsius auctoritate jussum verentes, id unum potuere, ut apud Religiosam professione aliis antiquiorem de vi ac minis sibi a nova illa Superiore intentatis contestarentur: Talis est etiamnum hujusce Monasterii status.

Qua de re quæritur, 1. utrum decem duodecimve Religiosæ ad regularitatem instituti sui, & veteris disciplinæ restaurationem stabiliendam intentæ, in foro conscientiæ teneantur ad usurpandum novum medium, qua se uti posse arbitrantur, ut veterem consuetudinem suam restituant; triennalemque restaurent electionem, supplicem videlicet libellum Regi dando; quo ipsum obtestentur, ut supposito jure cedere velit, quod sibi subreptitie aut obreptitie Pontificio indulto concessum est, & conando, ut antiquam obtineant alternis tribus annis eligendæ Superioris possessionem?

2. Utrum Religiosæ, quæ factæ innovationi faverunt, non teneantur assentiri in foro conscientiæ, ut non minus suo, quam aliarum nomine supplex Regi detur libellus, & quantum in se est conari, ut allatam a se resarciant perniciem ex eversione antiquæ Ordinis disciplinæ?

3. Utrum nova Superior vi indulti nominata etiam in foro conscientiæ non teneatur ad aliarum partes accedere, ut felicem hæc petitio Ordinis bono adeo consentanea & utilis assequatur exitum?

R E S P O N S.

Existimamus 1. quod, si vera sint omnia, quæ in specie proposita exponuntur, pro viribus suis eniti debent decem duodecimve Religiosæ, ut antiquum suum obtineant usum, demississime Regi exponendo, se jus suum injuste ob injectas ipsi falsas rationes amisisse, Pontificiumque pariter indultum ex falso exposito fuisse obtentum; quod utrumque se Regi probaturas esse asseverabunt.

Ratio est, quia stricte tenentur ad conservandas instituti sui regulas Ordinisque Constitutiones, cum ab aliquo propriæ rei studio, aut ambitione aut alia quacumque injusta ratione labefactantur. His addi potest, quod, supponendo vera esse, quæ in Principis nominationem & indultum allegant, dici potest, nullam sibi esse Superiorem legitimam, cum in eo casu prima & altera nomine tenus fuere, nec in foro conscientiæ ullum superioritatis actum exercere potuerint, juxta istam juris regulam (a): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

(a) Bonifac. VIII. in reg. 64. de reg. juris in 6.

2. Idem affirmamus de Religiosis, quæ immutationis veteris usus hujusce Monasterii participes fuere: nam ad communem, quæ iis incumbit cum aliis obligationem, strictior etiam pro illis accedit; quandoquidem hæc una ipsis via supersit ad resarciendum malum, quod intulerunt, ut ad aliarum partes accedant, quæ ad bonum communitatis bene sunt affectæ, & assentiantur, ut supplex, quem istæ meditantur, non minus suo quam illarum nomine Regi detur libellus, & serio ac bona fide conferant, ut antiqua Monasterii consuetudo in integrum restituatur.

3. Nova Superior cui notæ sunt artes, quibus & quæ præcessit, & ipsæ usæ sunt ad obtinendam, quam habuere sedem, meminisse debet ejus, quæ ipsi incumbit, obligationis, ut singulari prosequatur veneratione omnia ordinis sui statuta, quorum unum ex præcipuis est jus triennalis electionis; & quod, cum per quatuor ferme sæcula viguerit hujusmodi eligendi ratio, novum obtinendæ superioritatis suæ modum approbare non potuit: quod, cum schisma & scandalum ob factam in electione triennali, quæ abolita est, mutationem contigerint; ad ipsius officium & caritatem pertinet, ut seriam det operam restitutioni antiquæ hujus consuetudinis, ne penitus ruat stabilita instituti hujus Ordinis disciplina. *Quoniam non ignorat sancta Synodus*, inquiunt Patres Tridentini (b), *quoniam ex Monasteriis pie institutis & recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur; necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, ut omnes regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componant ..... si enim illa quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.* Deinde Sacro-sancta Synodus loquitur de modo, quo fieri debent electiones, tanquam de uno ex præcipuis disciplinæ regularis articulis (c): En ejus verba: *In electione Superiorum ..... Abbatum & aliorum Officialium ac Generalium & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia recte & sine ulla fraude fiant, imprimis sancta Synodus districte præcipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur .... si vero contra hujus Decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.*

(b) Concil. Trid. sess. 25. de regul. & monial. c. 6.

(c) Concil. cit. c. 6.

Ex his Concilii verbis manifeste constat, quæ sit mens, qua vult Ecclesia, ut Superiores ad Monasteriorum regimen eligantur, & quo pacto eorum fieri debeat electio; atque adeo quam enixe conari debeat moderna Superior, ut efficaciter ad restitutionem antiquæ conferat disciplinæ, quæ diu in monasterio observata est, cujus superioritatem obtinuit: quod tantum affirmamus supposita eorum veritate, quæ in casu proposito explicantur: ac præcipue si certum sit, Summi Pontificis & Regis interceptam fuisse falsis expositionibus religionem, uti affirmatur. Propositum autem illud moderna Superior certius assequi non potest, quam si abdicationem suam Regi proponat, & ad communitatem accedat in sollicitationibus Regiæ majestati faciendis ad obtinendum jus meditatum: alioquin sperato exitu frustrarentur Moniales ex ejus auctoritate & favore, & quia aliunde ex ejus humilitatis ac propriæ rei contemptus exemplo tria orientur præcipui momenti commoda: 1. Quia efficacius Principi persuadebit, adeo notam defuncti Regis pietatem ab auctoribus & promotoribus hujusce mutationis reipsa fuisse delusam. 2. Quia adversantium sibi Monialium animum, fiduciam & amicitiam hac ratione sibi denuo conciliabit. 3. Quia solidam pacem, perfectamque inter omnes hujusce conventus Religiosas concordiam stabiliet: cum alio agendi modo, deinceps, ut ante perseverabit inter eas discordia; aut si quæ Regi supplicem dare libellum statuerunt, absque ejus interventu postulata referant; apud eas habebitur tanquam puella ambitiosa ac dominationis ac propriæ rei cupida. Unde colligimus, Superiori huic strictius incumbere onus quam partium suarum Religiosis, ut toti sit prævia communitati in supplici libello, qui Regi dabitur ad obtinendam triennalem electionem, voluntati Regis Monasterii sui fundatoris nec non Ordinis sui constitutionibus adeo conformem, quibus singulariter adhærere debet.

C A S U S XIV.

RELIGIOSÆ Monasterii sancti Hilduini, Ordinis sancti Bernardi, suffragiorum pluralitate, Honoratam ejusdem quidem Ordinis, sed alterius Monasterii Religiosam sibi Superiorem elegerunt. Nonne Canonica est electio, ita ut Honorata Religiosarum sancti Hilduini legitima Superior censeri debeat?

R E S P O N S.

Ad istam difficultatem responderi nequit, nisi varias distinguendo rationes, quibus Honorata eligi potuit: nam electa est vel simplici electione, vel postulatione, quæ duo nunc sunt diversa, non vero, ut olim, unum & idem. Si electione simplici fuerit nominata, electio non est Canonica, nec Honorata tanquam Superior legitima haberi debet.

bet. Ratio est, quia simplex electio fieri tantum potest de persona, quæ sit *de gremio*, hoc est, de corpore Communitatis, ut constat ex his S. Gregorii Magni verbis (*a*): *Defuncto vero Abbate cujuscumque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit*. Et hunc solum casum excipit hic sanctus Pontifex, in quo digna in Communitate inveniri non valeret persona: *Quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter sibi de aliis Monasteriis similiter eligant ordinandum*.

(*a*) S. Gregor. in can. *Quam sit*. § 10. q. 2. Item in can. *Obitum*. 16. §. 1. ibid.

Idem probari potest ex statuto plurium Canonum qui in Gratiani Decreto referuntur, quorum Decisiones eodem nituntur effato: *Nec emeritis* (*id est bene meritis in vita & scientia*, inquit Glossa) *in suis Ecclesiis Clerici peregrini & extranei .... ad exclusionem eorum, qui bene de suorum civium merentur testimonio præponantur*, ait Cælestinus I. (*b*) scribens ad Episcopos Galliæ. *Tunc autem*, inquit etiam iisdem; (*c*) *alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus* (*quod evenire non credimus*,) *poterit reperiri: primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præponantur*. Ex quibus testimoniis manifestum fit, hanc esse mentem Ecclesiæ, ut ex eorum numero fiant electiones, quibus unus præponendus est Superior, non vero ex extraneis; quod intelligendum est de monialibus, uti de cæteris.

(*b*) Cælestin. I. in can. *Nec emeritis*. 22. dist. 61.
(*c*) Idem in can. *Nullus*. 13. ibid.

Sed si alio modo, qui postulatio dicitur, electa fuerit Honorata, cum nimirum in eandem personam consentit bis tertia pars Capituli ex Innocentio III. (*d*); electio est Canonica: sed insuper necesse est, ut suam non acceptet Honorata electionem, nisi de consensu legitimorum Superiorum (*e*).

(*d*) Innoc. III. *Scriptum*. 40. de elect. & electi potest.
(*e*) De Sainte Beuve. tom 3. cas. 61.

CASUS XV.

Cum Religiosæ sanctæ Aldegondæ capitulariter ad electionem Superioris convenissent, ac divisa essent imprimis suffragia, deinde de compromisso convenerunt, ut pacificam instituerent electionem. Aliis hæc fuit mens, ut Episcopum Diœcesanum, naturalem suum Superiorem, aut pro eo Vicarium ejus generalem committerent, data licentia, eam, quam ad regimen suum aptiorem judicaret, eligendi. Aliæ vero existimarunt, hoc esse officii & grati animi, ut Ferdinandum Parœciæ Dominum committerent. 1. Quia ab avo ipsius erectum simul & dotatum est Monasterium suum. 2. Quia vitam ducit pietate insignem; & consequenter persuasum cuique esse debet, ipsum absque cupiditate, propriæ rei studio, sed ex afflatu divino se gesturum esse, eam Superiorem nominando, quæ præcipui erit meriti. Qua de re quæritur, utrum priores, quæ Episcopo suo electionis negotium committere volebant, iis valeant assentiri, quæ, cum plures sint, pro Ferdinando opinantur?

RESPONS.

Existimant quidam Auctores, eum, qui ex compromisso nominatur ad electionem faciendam compromittentium tantum, proprie loquendo, esse procuratorem; cum electionem nomine tantum eorum, qui se nominarunt, conficiat, ut constat ex multis Decretalibus (*f*): Unde colligunt, non minus Laicum, quam Clericum procuratoris vices implere posse, etiam in re spirituali, ac proinde in casu proposito compromissarium nominari. Verum hæc opinio nec rationi, nec juri est consentanea: 1. Non rationi; neque enim tali electioni interesse potest: multo minus igitur tota ipsi eligentium monialium potestas committi potest, ad nominandam, quam magis voluerit, personam totius Religiosæ communitatis Superiorem.

(*f*) Innoc. III. in c. *In caussis*. 30. & passim de elect.

2. Qui vi compromissi quempiam eligere potest, compromittentem nominare potest. Igitur non simplex est illius procurator; alioqui dicendum foret, quod seipsum eligere posset, cum simplex procurator, ad negotium gerendum commissus, una simplexque cum mandante persona esse censeatur. Ita ratiocinantur Joannes de Anania & Fagnanus, qui priorem laudat, & dicit (*g*): *Compromissarius potest eligere compromittentem; ergo non est illius procurator, quia alioquin posset quis eligere se ipsum, cum procurator & Dominus in caussa procuratorii censeantur unus & idem*, ut hic observat Joannes de Anania (*h*).

(*g*) Fagn. in c. *Caussam*. 27. de elect. n. 26.
(*h*) Joan. de Anania sub n. 3. in 2. notabili, vers. *Utrum autem*, & vers. *Dic non esse verum*.

Neque etiam cum jure consentit opposita opinio, cum contrarium ab eo statuatur. Et quidem Innocentius III. ad Cluniacensem Abbatem scribens (*i*), de compromisso, quo regularis quidam Monasterii sancti Pancratii, qui Varennarum Comiti, hujus fundatori potestatem fecerat, ut e duobus Religiosis, quos nominarat Abbas, eum eligeret, quem ad prioratum occupandum magis idoneum judicaret, declarat, tale compromissum canonicis regulis repugnare, & in perniciosum atque Ecclesiæ libertati contrarium trahere exemplum: *Attendentes, itaque*, ait hic summus Pontifex, *quod jus eligendi in Collegiata Ecclesia non cadit in Laicum; & ideo id esset perniciosum exemplo, & redundaret in dispendium Ecclesiasticæ libertatis, volumus &c*. Et ideo Cælestinus III. (*K*). damnat & abrogat consuetudinem, quæ in Palæstina erat in usu, cum de Præsulis electione ageretur, duos nominandi, & facultatem faciendi Patriarchæ Hierosolymitano, aut Principi, unum eligendi, aut ambos respuendi. Ob eandem quoque caussam Innocentius III. irritam declarat Præsulis electionem, a Capitulo simul & a Laicis factam (*l*): *Edicto perpetuo probibemus*, hæc sunt ejus verba, *ne per Laicos cum Canonicis Pontificis electio præsumatur, quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela*. Quod Glossa confirmat viginti ferme testimoniis tam a jure Canonico, quam Romano depromtis.

(*i*) Innoc. III. in c. *Sacrosancta*. 51. de elect.
(*k*) Celest. III. in c. *Massana*. 56. eod. tit.
(*l*) Gloss. v. *Per Laicos*.

In nostram sententiam abit Ancharanus (*m*): eamque amplectitur Fagnanus (*n*), nixus auctoritate inclyti Abbatis (*o*), & asserit, quod, cum de Superioris electione agitur, non satis est, ut nudum præbeat quis ministerium suum, ut simplex procurator ad rem finiendam commissus, sed insuper quod judicium de idoneitate aut incapacitate subjecti ferre debeat: *Dico secundum Abbatem*, hæc sunt verba Fagnani (*p*), *in electione Prælati non versari nudum ministerium, immo enim debet arbitrari, an quis sit idoneus ad officium Prælaturæ ... nec est simplex Procurator, immo officium in ejus persona radicatur, adeo ut nec revocari possit*: quæ ultima verba intelligenda sunt, *re non amplius integra*, ut declarat Innocent. III. in alia Decretali quam scribit ad Abbates Magnæ-Silvæ, & Bellæ-Perticæ (*q*).

(*m*) Ancharanus in c. *Caussam*. 27. de elect. n. 1.
(*n*) Fagn. in eod. cap. n. 20. & seq.
(*o*) Abbas in d. cap. n. 5.
(*p*) Fagn. ib. n. 23.
(*q*) Innoc. III. in cap. *Cum caussis*. 30. de elect.

Confirmari potest hæc decisio ex alia Decretali ab eodem Innocentio III. in Concilio quarto œcumenico Lateranensi emissa (*r*); quæ sic habet: *Generaliter probibemus, ut super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum, quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur*. Ad quod addit Glossa (*s*): *Sic enim patet, quod de rebus spiritualibus in Laicum compromitti non potest, etiam incidenter, quia Laicus de talibus cognoscere non potest .... Et Ecclesiastica negotia tractare non debent Laici ..... & de universa Ecclesia male judicat, qui quærit judicium Laicorum*. Quod hujusce Glossæ Auctor ex multis Canonibus & Decretalibus confirmat.

(*r*) Idem in Conc. gen. Lateran. c. 40. in cap. *Contingit*. 7. de arbitris, lib. 1. tit. 43.
(*s*) Gloss. ibid. v. *Spiritualibus*.

Constat igitur, Religiosas, de quibus agitur, non potuisse canonice Ferdinandum ex compromisso nominare, ipsi faciendo potestatem, ut in Superiorem eam eligeret, quam dignorem judicaret; & ceteras Religiosas, quamvis numero multo inferiores, in foro conscientiæ priorum consilio non posse assentiri, cum rationi & Ecclesiæ regulis adversetur.

CASUS XVI.

Cum triginta Moniales Conventus S. Melaniæ multoties ad Superioris electionem frustra processissent, quod nulla ex iis suffragiorum numero vinceret, iterum inchoatum est scrutinium: Religiosæ duæ Superiori declararunt, se huic suffragari, quæ votorum numero vinceret. Cum Gabriela quindecim suffragia retulisset, his Superior & duæ scrutatrices duo supradicta suffragia addiderunt, quæ cum ad septemdecim suffragia pervenirent, majo-

tem

rem efficiebant numerum. Tum superior sei Præses Gabrielæ electionem promulgavit, silentibus scrutatricibus, quæ rem, uti gesta erat, noverant. Qua de re quæritur. 1. utrum electio Gabrielæ sit Canonica. 2. Si forte non sit talis, utrum in foro conscientiæ teneantur scrutatrices ad declarandom, quo pacto lata sint hæc duo suffragia, priusquam confirmetur electio?

R E S P O N S.

Ut solvatur proposita difficultas, sciendom, quod ut legitima sint suffragia, debent esse certa, absoluta, & determinatæ personæ applicata; non vero incerta, conditionata, aut alternativa, ut patet ex Constitutione Innonentii IV. in primo Concilio œcumenico Lugdunensi ann. 1245. lata (a); cujus hæc sunt verba: *In electionibus & postulationibus ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprobamus; Statuentes, ut hujusmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum, qui non pure consenserint, ea voce in alios residente.*

(a) Innoc. IV. in cap. *In electionibus*. 1. de elect. &c. in 6.

Præsupposita illa regula tanquam certa, dicimus, electionem, de qua agitur, non esse Canonicam; cum facta tantum fuerit consequenter ad duo suffragia incerta & indeterminata; quocirca Gabriela, quæ sic electa est, suffragiorum numero non vicit; quod tamen absolute necessarium est, ut fiat electio Canonica, uti constat ex his Gregorii IX. verbis (b): *Neutram electionem comperimus ad majorem partem totius Capituli pervenisse: Unde nos electiones ipsas præsumptas etiam contra formam Concilii generalis ..... sententialiter duximus irritandas*: Et ex his aliis ejusdem summi Pontificis, ad Catalaunense Capitulum scribentis (c): *Electionem dicti R. non personæ, sed potius electionis vitio, cum major & sanior pars non consenserit in eundem, de Fratrum nostrorum consilio duximus sententialiter irritandam.*

(b) Greg. IX. in cap. *Cumana*. 3. de elect. &c.

(c) Idem in cap. *Ecclesia*. 57. eod. tit.

Ceterom, cum siluerint scrutatrices, & cum præside electionis instrumento subscripserint, cumque hoc scripto appareat electionem canonice factam esse; opportunum ducimus, ut in silentio suo perseverent, nec rationem declarent, qua excedentia suffragia lata fuere. Ratio est, quia jam non admitterentur ad declarandum hujusce electionis vitium, aut ejus confirmationem impediendam: Quare criminosum non est earum silentium juxta istam juris regulam (d): *Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest.* Et quidem ex earum appellatione orirentur tantum scrupuli in animis pusillanimis, & conscientiis timoratis, & contemptus electæ Superioris & in ejus regimen rebellio, ac denique factiones bono pacis & communitatis contrariæ. Quocirca in hoc casu huic standum est juris regulæ: *Error communis facit jus*, quæ ex Legibus ad marginem indicatis confirmatur (e). Ita difficultatem hanc solvit inclytus Doctor Lusitanus (f).

(d) Leg. *Culpa*. 50. ff. de diversis reg. juris antiquit. lib. 50. tit. 17.

(e) Leg. *Barbarus*. 13. ff. de officio prætorum. lib. 1. tit. 14. Glossa in Leg. *Non ambigum*. 5. quod de Legibus & Constitut. Principum. v. *Cb. id.* Item §. *Sed cum aliquis*. 7. Institut. de Testamentis ordinandis, & ibi Glossa. lib. 2. instit. tit. 10.

(f) Emmanuel Rodericus qq. can. & regular. q. 52. art. 4. t. 2. pag. 245. col. 2.

C A S U S XVII.

Innicta die Religiosis sancti Cyriaci ab Episcopo earum Superiore ad eligendam hujusce Conventus Superiorem, quater quinquiesve convenere in eam rem, & per viam scrutinii ad eam frustra processere: Cum duodecim ex iis Læliæ, aliæ vero duodecim Titiæ, novem autem aliæ Mæviæ fuerint suffragatæ: quod in omnibus scrutiniis contigit: Præsens Episcopus ipsas hortatus est ad concordiam, se etiam discessurum minitans. De novo processere; sed divisa semper, ut antea fuere inter tres illas Religiosas suffragia: quo facto Episcopus Læliam Superiorem declaravit. Nonne Canonica est hæc electio?

R E S P O N S.

Electio illa non est Canonica, quatenus facta est duodecim Monialium suffragiis, quibus suum addidit Episcopus. Ratio est, quia electio non potest esse Canonica, nisi facta fuerit *a majori & saniori parte Capituli*; ut declarat Gregorius IX. in una sua Decretali ad Capitulum Catalaunense scripta (g), in qua irritam declarat factam ab hoc Capitulo electionem, illiusque invaliditatis hanc affert rationem: *Cum ex Lateranensi Concilio in ordinationibus Ecclesiarum major & sanior pars Capituli exigatur; & statutum generalis Concilii contineat inter cætera, ut is eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars consentit.* Reipsa œcomenicum Lateranense Concilium, an. 1179. sub Alexandro III. habitum, quod a Gregorio IX. laudatur, idem expressis verbis decernit. *Statuimus*, inquit (h), *ut nisi a paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum appellatione remota prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod a majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum.* Quod a quarto Concilio ejusdem nominis, quod sub Innocentio III. habitum est, fuit confirmatum (i). Nec sufficit etiam, ut electio a majori numero facta fuerit, *partium comparatione minorum*; ut loquitur Honorius III. ad Ecclesiæ Rotbomagensis Capitulum scribens (K).

(g) Greg. IX. in c. *Ecclesia*. 57. de elect. & electi potest.

(h) In c. *Cum in cunctis*. 1. de his quæ fiunt a majori parte Capituli. lib. 3. tit. 13.

(i) Concil. Later. IV. in c. *Quia propter*. 42. eod. tit.

(k) Honorius III. in cap. *Ecclesia*. 48. eod. tit.

Lælia vero duodecim tantum vota retulit, & licet adderetur Episcopi suffragium, quod numerari non potest, cum non sit de gremio Capituli, tredecim duntaxat retulit, quæ majorem Capituli partem non efficiunt, quod in triginta tribus Religiosis professis & vocalibus consistit. Igitur Religiosæ hujus electio non est Canonica, quoad requisitum suffragiorum numerum.

Nihilominus, quamvis Canonica non sit quantum ad hunc respectum hujusce Religiosæ electio; certum eam aliunde non esse irritam, quod jus Monialium ad Episcopum fuerit devolutum in pœnam negligentiæ suæ aut pravæ dispositionis ad concordiam, & is propria auctoritate Læliam potuerit eligere, licet duodecim suffragia, immo vel unum duntaxat retulisset. Ita statuit Innocentius III. in Concilio œcumenico Lateranensi (l): *Qui eligere debuerant*, inquit hic Papa, *eligendi potestate careant, ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur.* Patet autem, magna communitatem fuisse negligentia ad eligendam Superiorem die ab Episcopo indicta, nec rationem habuisse monitionum ejus, nec non patientiæ, qua usus est, electionem multoties iterando, quin de persona ad superioritatem idonea consentire voluerint ejus Moniales. Unam ergo ipse pleno jure eligere potuit Superiorem, conformiter ad statutum Juris Canonici.

(l) Innoc. III. in cap. *Ne pro defectu*. 41. eod. tit.

Confirmari potest jus illud Episcopi, exemplo juris Patronorum, qui de persona non consentiunt idonea ad possidendum vacans beneficium, cujus nominatio ad eos spectat, & quorum jus in hoc casu ad Episcopum est devolutum, ut fert Decretalis, e tertio generali Concilio Lateranensi deprompta (m): Cum enim Religiosis vocalibus non magis jus competat Superiores suas eligendi, quam Patronis nominandi ad Beneficium, cumque Episcopus non minus possit ad electionem Superioris communitatis Religiosæ, quam ad institutionem Parochi, quando de idonea persona utrique consentire nequeunt, is unam pleno jure in utroque casu nominare potest.

(m) Concil. Later. generl. III. sub Alex. III. in c. *Quoniam* 3. de jure patronatus. lib. 3. tit. 38.

C A S U S XVIII.

Reyneldis transacto in novitiatu triennio pro anno uno, qui sufficiebat; deinde professa solemniter Religionem in Monasterio sancti Donati, cujus constitutionibus jubetur, ut novæ professæ tres post solemnem professionem in novitiatu annos exigant, sub ductu Religiosæ Magistræ suæ, quin jus suffragii in Capitulo obtineant, duobus in eo annis cum novem mensibus permansit, quo elapso tempore a Superiore sua dispensationem obtinuit, & veniam exeundi e novitiatu, & cum antiquis Professis electionem agendi, in qua ipsius suffragium cæterarum Monialium factionis suæ votis additum, contra sentientium suffragia devicit. Nunquid valida est hæc electio?

R E S P O N S.

Invalida est hæc electio: Neque enim ad Superio-

riorem solam spectat dispensare de Constitutionibus Monasterii, nisi unanimiter consentiat cuncta sioiul communitas, nec legitimi Superioris interponatur auctoritas. Ratio est, quia Monasterii constitutiones sunt Leges a Superioribus majoribus seu Prælatis latæ, quæ non minus Superiorem istam, quam cæteras Moniales obligant. De iis ergo propria sua auctoritate dispensare nequit ista Superior, juxta illud Clementis V. effatum (a): *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*. Unde sequitur, quod, cum Reyneldis de statuto, de quo agitur, a sola Superiore sua fuerit dispensata, ipsius dispensatio est illegitima, nec eam ad suffragium seu activum seu passivum in Capitulo habilem efficere potest, atque adeo, cum partes, quibus se adjunxit, in oppositam partem solo sui ipsius suffragio prævaluerint, constat, quod, cum invalidum sit ipsius suffragium, invalida pariter est electio. Quod in expositione casus annotatur, Reyneldem nimirum duos annos ultra debitum suum in Novitiatu transegisse, est circumstantia, quæ ei prodesse nequit; nam semper verum est dicere, eam post emissam solemnem professionem, tres annos in Novitiatu non exegisse; quod tamen Monasterii constitutionibus exigitur ab adolescentulis professis, ut possint esse vocales. Ita sentit doctus Theologus, quondam Sorbonæ Professor (b).

(a) Clem. V. in Clement. *Ne Romani*. 2. de elect.
Item in cap. *Cum inferior*. 16. de majoritate & obedientia. lib. 1. tit. 34.

(b) De sainte Beuve. to. 2. cas. 160.

E M P T I O.

CONTRACTUS *emtionis* & *venditionis*, de quo in hoc titulo verba facimus, & de quo etiam occasione data sub titulo *venditio*, dicemus, oritur ex difficultate permutationum, quæ inter homines erant in usu, ut ait Lex, *origo vendendi emendique a permutationibus cœpit* (c).

Emtio definitur: *Pactio pretii pro merce*, inquit eruditus Theologus (d), seu pro re empta: quod his verbis Lex exprimit (e): *Si pecuniam dem, ut rem accipiam; emptio & venditio est*.

Pretium, inquit idem Auctor, est *pecunia valori rei commensa* (f). Quod quidem a communi quandoque prudentum æstimatione dependet, & aliquando etiam Principis auctoritate & Magistratus ad publicam utilitatem præfixum est; tumque venditori legitimum illud pretium tantisper augere non licet.

(c) Leg. *Origo*. ff. de contrahen. empt. l. 19. t. 1.
(d) Polman. cit. loc. n. 606.
(e) Leg. *Naturalis*. 5. §. 1. de praescrip. verbis.
(f) Pant. at n. 609.

Certa est regula, quod non in emptione & venditione solum, sed in omnibus pactionibus bona fides est necessaria, ut in Ædificio fundamentum, iis omnibus præesse debet, & ab ea discedere absque reatu fraudis & injustitiæ non possunt contrahentes. Eam autem observare antiquis Romanis, licet Ethnicis, sanctum erat atque religiosum. Eximium hujus rei exemplum profert Cicero (g), in Scevola Publii filio, qui, cum domus venalis pretium flagitasset a quopiam, atque ab eo venditore didicisset, adeo bona fide illius delectatus est, ut ultra petitum pretium duo nummorum millia numeraverit, quod tanti valere sibi fuerit persuasum.

(g) Cicero l. 3. de officiis.

Æquitas non minus est necessaria, quam bona fides: a se invicem namque sejungi non possunt in emptione & venditione; quandoquidem quantacumque sit bona fides, illatum tamen proximo damnum debeat resarciri, uti evenit cum venditor rem ultra ejus valorem vendit, aut emptor pretio valorem non æquat.

Emptio & venditio contrahitur, inquit Imperator Justinianus (h), *simul atque de pretio convenerit; quamvis pretium nondum sit numeratum*.

Cum emptio rei alicujus fiat ut ad usum possideatur, emptor venditorem cogere potest, ut eam sibi tradat pro tempore & loco, quibus convenerunt (i) In eo enim consistit empta re fruendi jus, qua ratione, si quo defectu aut occulto vitio res fiat inutilis, ejus venditorem sponsorem appellare potest.

Ex alia parte Emptor 1. nunquam Venditoris necessitate niti debet, ut minori pretio ab eo emat, quæ majoris sunt valoris. *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum*(k), inquit Scriptura. 3. Rem emptam possidere non potest, nisi pretio persoluto eo tempore & loco, quibus stat conventio: aut saltem data cautione, quæ venditori sufficiat. *Pretium in numerata pecunia consistere debet*, inquit Justinianus (l). *Quod vendidi*, inquit Lex alia (m), *non aliter fit accipientis, quam si, aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum*. Et si pacto nec tempus nec locus designentur; præsenti pecunia fieri debet solutio, juxta hæc Legis verba (n): *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die pecunia debetur*: nisi emptori dilationis legitima adsit caussa (o). Aliter, nisi solvat, pretii usuram solvere tenetur, seu post juridicam venditoris petitionem, seu propter rei venditæ naturam: cum est fructuosa, ut ager, munus, & domus. Etiam ad ipsum rei emptæ pertinet jactura aut deterioratio, & non solutæ; *Post perfectam venditionem* ait

(h) Instit. de emp. & vendit.
(i) Leg. *Datio*. 3. & Leg. *Ex empto* 11. § 2. ff. de acti. empti. & vendit. l. 19. tit. 1.
(k) Levit 25. 14.
(l) §. *Item* 2. instit. de empt. & vendit. l. 3. instit. tit. 24
(m) Leg. *Quod vendidi*. 19 & Leg. *Ut res*. 13. de contract. empt l. 18. tit 1.
(n) Leg *Eum qui*. 41. §. 1. ff. de verb. significat. l. 45. tit. 1. & L. *In omnibus*. 14 ff. de reg. juris. l. 5. tit. 17.
(o) Leg. *Initio* 5. cod. de pactis inter empt. & vendit. compositis. l. 4. tit. 54. Leg *Curabit*. 3. cod. de act. empt. & vendit. l. 4. tit. 49. Leg *Julianus*. 13. §. 20. ff. de act. empti. & vendit. lib. 19. tit. 2.

ait Lex Codicis; *omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet* (a). *Idem dicendum de damno, quod contrahere posset venditor, aut impensis ab ipso faciendis ad conservandam rem venditam* (b).

Tandem emptor erga venditorem tenetur, rem a se emptam & traditam curare in omnibus casibus, in quibus solvi potest venditio ac præstare se prædem pro damno in quo fundus culpa sua reperiretur, tum cum venditio solveretur.

Cum *emptio* & *venditio* sint termini correlativi; quo facilius intelligantur, quæ in hoc titulo dicenda sunt, necesse est legere titulum, *venditio*, in quo frequens de emptione fit mentio. Juvat etiam pervolvere titulum, *contractus*, præcipueque de restitutione, in quo multæ inveniuntur deciſiones, quæ præsertim ad contractus emptionis & venditionis pertinent.

(a) Leg. *Post perfectum*. 1. cod. de peric. & commod. rei venditæ. l. 4. tit. 48. & Leg. *Si vinum*. 1. ff. cod. tit. l. 18. tit. 6.

(b) Leg. Si in. 9. Leg. *Julianus*. 3. ff. de action. empti & vend.

CASUS PRIMUS.

Tetradius, emptis a Raymundo decem cadis vini, solvendo pro quolibet centum libras; cum eo transegit scripto, eum cados servaturum ad primam diem mensis Julii, quo tempore eos apud se abduci curaret, ac pretium cum eo compositum solveret. Factum est, 1. ut Tetradius pretium solvere tempore statuto non potuerit, ac Raymundus vinum suum servare coactus fuerit. 2. Ut vinum ad finem Junii ob immodicos æstatis calores deterius factum fuerit; quocirca tertia pretii parte imminutum fuerit, quo a Tetradio erat emptum. Qua de re quæritur, utrum ad Raymundum venditorem damnum non pertineat, cum nondum solutione pretii venditio esset perfecta.

R e s p o n s.

Non ad Raymundum, sed ad Tetradium emptorem pertinet hoc damnum. Nam cum rem venditam retinere sibi cogitur venditor, ob defectum solutionis pretii, ejusque valor est imminutus; emptoris est venditori diminutionis damnum compensare, ad concurrentiam pretii conventi. *Si vinum venditum acuerit*, inquit Lex (c), *vel quid aliud vitii sustinuerit; emptoris erit damnum*.

Ratio est, quia *post perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem pertinet*, ut alia Lege fertur (d), cui multæ aliæ concordant (e). Atqui *emptio, & venditio*, uti declarat Imperator Justinianus (f), *contrahitur, simul atque convenerit de pretio; quamvis nondum pretium numeratum sit*. Igitur, cum Raymundus venditor & Tetradius emptor de pretio pacti erant, atque adeo venditio erat perfecta, decem cadorum vini, licet nondum ipsi traditi, diminutio in Tetradium cadere debet: *Periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit*, ait idem Imperator (g). Reipsa, licet emptor proprie rei venditæ per solam ipsius traditionem, dominium acquirat, tamen contractus perfecti is est effectus; ut emptor venditorem possit compellere ad sibi tradendam rem venditam, nec eam jam habeat venditor nisi ut sequester, qui tenetur eam reddere emptori, qui jacturam, quæ inter venditionem & traditionem rei evenit, ferre debet, ut percipere potest utilitatem & augmentum, quæ eodem tempore possunt evenire.

(c) L. Si vinum. 1. ff. de periculo & commodo rei vendit. tit. l. 18. tit. 6.

(d) Leg. *Post perfectam*. 1. cod. de peric. & comm. rei venditæ. l. 4. tit. 48.

(e) Leg. *Id, quod* 7. ff. eodem.

(f) Lib. 3. Instit. tit. 24. §. 1. de emptione & venditione.

(g) Ibidem.

CASUS II.

Theogenes equum a Florente ducentis libris emit; Pactio eorum est voce tantum prolata; ac Theogenes non nisi intra dies octo equi pretium solvere tenetur, quem tamen de præsenti, ad placitum potest retinere. Post duos siquidem dies redit, ut equum sumat; at periit morbo mere naturali, & absque culpa aut negligentia Florentis. Quæritur, utrum in conscientia 200. libras de quibus cum Florente ipsius venditore convenerat, jam solvere teneatur?

R e s p o n s.

Difficultatis hujus decisio in eo consistit, ut dignoscatur, quo præcise tempore perfectus censeatur emptionis & venditionis contractus: ubi enim perfectus est, a venditore ad emptorem rei venditæ transfertur dominium. Atqui, certum est ex jure, rei venditæ dominium ad emptorem transferri, ubi cum venditore convenit de pretio; cum res voce tantum peragitur: quocirca ad venditorem non jam pertinet rei venditæ periculum, quæ jam non est venditoris, sed emptoris. *Cum autem emptio & venditio contracta sit*, inquit Justinianus (h), *quod effici diximus, simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptura res agitur; periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet; tametsi ea res adhuc emptori tradita non sit*. *Nec enim licet*, ut Lege fertur (i), *in continenti facta pœnitentiæ contestatio, consensu finita, rescindit*. Unde sequitur, quod juxta istam juris regulam, cum equus Florentis culpa non perierit, in Theogenem recidere debet tota jactura, etsi nondum equi pretium persolvisset.

Observandum nihilominus, quod si juxta Legem aut patriam consuetudinem perfectus non censeretur contractus emptionis & venditionis, nisi post datum venditori pignus, seu arrhas, ut fit in quibusdam provinciis; necesse esset in foro conscientiæ huic se consuetudini conformare, etsi ad naturam contractus ex civili jure nullatenus arrhæ pertineant; atque adeo si Theogenes & Florens in ea essent regione, in qua vigeret hujusmodi consuetudo, in Florentem recideret equi jactura, nisi arrhas Florens dedisset in signum sui consensus contractui inter se inito. Hæc difficultas quæ a superiori parum discrepat, ita ab illustri Episcopo & Auctore Colloquiorum Diœcesis Condomensis dissolvitur (k).

(h) Ibid. cit. §. 1.

(i) Leg. Non idcirco. 12. cod. de contract empt & vendit. l. 4. tit. 38.

(k) Franc. Genet. Theol. mor. tom. 1. Colloq. diœc. Con tom. 1. Coll. 8. sect. 2.

CASUS III.

Angilbertus, Mercator frumentarius, præsentem in arca sua 3000. librarum summam destinavit ad emenda statim post messem frumenta, quo tempore vilissime constant, ut ea deinde ad mensem Aprilem recondens, permagno, ut solet eo tempore, pretio vendat. An dici potest, ejus susceptum esse criminandum, eumque in hoc peccare?

R e s p o n s.

Difficultatem istam solvit S. Antoninus, dicendo, hunc Mercatorem, qui in hac emptione lucrum tantum honestum intendit ad necessitatem rerum suarum, non in eo esse vituperandum. En verba illius: (l) *De ementibus tempore messium blada, & tempore vindemiarum vinum, & alios fructus, ut postea carius vendant in futurum .... si .... propter privatum commodum; tunc fit tripliciter .... 2. fieri potest secundum justitiam commutativam, ut faciunt mercatores; & licite possunt pro opera sua recipere lucrum, ut sustenteutur; dummodo non intendant caristiam inducere*.

Doctrina sancti Thomæ nititur ista S. Archiepiscopi sententia, cum dicit Angelicus Doctor (m): *Nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum ... sicut cum quis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad sub-*

(l) S. Anton. 2. part. Sum. Theologica tit. 1. cap 23. §. 10.

(m) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 4 in corp.

subveniendum indigentibus ; vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem .... & lucrum expetit , non quasi finem , sed quasi stipendium laboris.

Animadvertendum , sanctum Antoninum hanc addere exceptionem : *Dummodo non intendat caristiam inducere. Nam tertio modo fieri potest , hoc est avaritia*, pergit idem sanctus Antoninus , *ita quod unus tantum emit de hujusmodi , & congregat , quod postea compelluntur homines emere ab eo ad placitum suum : & ideo vendit care , ut vult : & isti enormiter peccant contra proximum & communitatem : & tales , qui victualia , vel alias res emunt , ut caristiam inducant , vocat Raymundus , nefandas belluas , & mortale est .* De hujusmodi Personis solum, ut docet idem Sanctus , intelligendus est Canon antiquus , quem Julio Papæ (*a*) tribuit Gratianus , & qui e primo Capitularium libro Carolomanni cap. 131. depromptus, ut observarunt emendatores Romani , qui indistincte hoc genus lucri damnare videtur , ut lucrum turpe ; *hoc turpe lucrum dicimus* ; quamvis de iis solummodo loquatur, qui *propter cupiditatem* illud exercent commercium , atque populi ruina divitias parent : quod adeo verum est, ut nullus ab ea re dissentire possit Theologus.

(*a*) Can. Quicunque. 9. 14. q. 40.

CASUS IV.

Geduinus pannorum negotiator, Firminum eorum opificem adit ; & ab eo duos pannos, quorum quilibet est 50. ulnarum , emere postulat ; pro quibus , etiam infimo pretio , decem libras pro qualibet ulna solvere consuevit . Firminus, cum his de præsenti careat , intra menses duos pannos se traditurum promittit ; verum Geduinus , viliori eos, quam præterito tempore, emere pretio cupiens , anticipatam ipsi eorum solutionem offert , si pro qualibet ulna , novem sit libris contentus; cui conditioni , pecuniæ Firminus indigens assentitur . Qua de re quæritur , utrum Geduinus absque injustitia pactionem hanc tali modo conficere possit ?

RESPONS.

Regula generalis est, rem minori , quam valet , pretio non esse emendam , ob anticipatam solutionem . Quod probari potest *a pari* : nam, ut majori pretio merces vendi non potest , eo quod non numeretur pecunia; nisi probabile sit, eam solutionis tempore tanti valituram , quanti æstimatur tempore venditionis , ut declarat Alexander III. ad Genuensem Archiepiscopum scribens, (*b*) his verbis : *Quidam piper , seu cinnamomum , seu alias merces comparant , quæ tunc quinque libras non valent ; & promittunt , se illis , a quibus illas merces accipiunt , sex libras statuto tempore solvendas ...... merces illas plus minusve solutionis tempore valituras* ; atque, ut etiam decernit Urbanus III. in una ex suis Decretalibus (*c*): Ita etiam merces non possunt emi infra justum pretium, ob anticipatam solutionem ; nisi forte sit dubitandi locus , ne minoris valeat , cum tradetur, quam cum emitur .

(*b*) Alex. III. in cap. In civitate. 6. de usuris. lib. 5. t. 1. 90.

(*c*) Urban. III. in cap. Consuluit. 10. eod. tit.

Ratio est manifesta . Nam , ut qui bona fide vendit emptori, mutuum saltem implicitum facit; ultra justum pretium non vendit, nisi ut e pecunia fœnus accipiat, quod est usurarium (*d*): sic , qui mercem emit infra justum pretium ob anticipationem solutionis ; non id ipsum facit , nisi ut lucrum ex pecunia quærat; quod absque usura facere nequit : cum pariter illa solutionis procrastinatio sit mutuum implicitum.

(*d*) Ezech. 18. & cap. 2. & 3. tribus seqq. 14. q. 3.

Animadvertendum tamen, quod cum dicimus; *infra justum pretium mercis* : de infimo intelligimus pretio ; cum certum sit , quod in rebus , quarum pretium a Principe vel Magistratu non est præfixum ; sed in quo Theologi tres gradus varios agnoscunt, scilicet summum pretium, medium & infimum; licet semper præsenti pecunia emere , aut bona fide seu non numerata pecunia vendere, infra duo ultima pretia , ut alibi dicemus.

Omnis illa ratiocinatio est D. Thomæ. En illius verba (*e*): *Si aliquis carius velit vendere res suas , quam sit justum pretium , ut de pecunia solvenda emptorem expectet ; manifeste usura committitur : quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui . Unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur , est quasi pretium mutui : quod pertinet ad rationem usuræ . Similiter etiam , si quis emptor velit rem emere vilius , quam sit justum pretium , eo quod pecuniam ante solvit , quam possit ei res tradi ; est peccatum usuræ : quia etiam ista anticipatio solutionis pecuniæ habet mutui rationem, cujus quoddam pretium est , quod diminuitur de justo pretio rei emptæ .* Hinc Mediolanense Concilium sub sancto Carolo ann. 1565. habitum expressis verbis venditiones hujusmodi & emptiones prohibet (*f*). *Ne ob anticipatam solutionem res minoris ematur justo pretio, vel solvatur minus quam debeatur .* Eo igitur regula generalis , quæ in hac materia debet observari ; a qua tamen excipiendi sunt casus, in quibus vere reperiuntur damnum emergens vel lucrum cessans cum omnibus suis circumstantiis.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7.

(*f*) I Concil. Mediol. lib. 1. part. 2. tit. de usuris .

Alteram exceptionem , de qua jam dictum est, addit S. Antoninus . *Si emptor dat pretium mercium* , inquit sanctus Archiepiscopus (*g*) , *antequam recipiat merces , & minus dat , quam tunc valent , cum emit , ex eo , quia eo tempore , quo recepturus est merces , verisimiliter æstimatur , quod minus debeant valere , quam tunc , cum emit : vel saltem dubium est utrum plus vel minus fiat valitura , quam sit pretium datum ; pretium est justificatum & licitum . Secus*, postea subjungit, *si ratione anticipationis solutionis pretii ante receptionem mercium diminueret tunc pretium currens ; vel si verisimiliter æstimaret minori pretio non posse valere merces illas emptas , quam sit illud quod dat , sed bene multo pro majori pretio : quia tunc esset usura*. Hæc doctrina convenit cum dictis Gregorii IX. qui rem eamdem his verbis decernit (*h*): *Ille quoque , qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani , vini, vel olei mensuræ reddantur ; quæ licet tunc plus valeant , utrum plus , vel minus solutionis tempore fuerint valituræ verisimiliter dubitatur , non debet ex hoc usurarius deputari .*

(*g*) S. Anton. 2. part. 1. c. 8. §. 3.

(*h*) Greg. IX. in cap. Navigand. fin. de usuris .

Igitur ex dictis hactenus concludendum est , quod si Geduinus jure non possit existimare, pannum a Firmino emptum a se , non minus esse valiturum, quo tempore eum accepturus est, quam valet, tum illius pretium facit ; vel si de eo saltem non possit dubitare; hoc est, si judicat quamlibet hujusce panni ulnam intra duos menses decem libras esse valituram , ut nunc valet ; non potest novem libris eam habere sibi pro justo decem librarum pretio, etiam infimo, ob anticipatam solutionem : quia hæc pretii diminutio haberi debet, ut lucrum ex mutuo implicito, quod in hac anticipata solutione continetur.

Frustra ad excusandam emptionem suam pecuniæ suæ periculum afferet : illud namque periculum eos tantummodo excusat , qui commercii aleæ per contractum societatis pecuniam suam committunt ; non vero eos , qui illius jacturam tantum periclitantur mutuo , quod vere , licet implicite in solutione anticipata reperitur. *Ratio periculi etiam circa sortem , non tollit rationem usuræ in mutuo , ut probatur capite* Navigantis , inquit doctus Auctor (*i*). Frustra quoque Geduinus obtendet periculum , ne ipsum decipiat Firminus , rudi utendo lana , aut leviter pannum tingendo. Nam, cum mercaturam exerceat, nosse quoque debet rationem hujusmodi fraudes evitandi, aut, si fuerit delusus, jure vindicandi.

(*i*) Apud S. Th. opusc 73. de usuris c. 6.

Attamen hæc omnia cum ea exceptione intelligenda sunt, ut mercator emens in suo commercio damnum non patiatur , legitimo se ipsum fraudans lucro , quod e pecunia sua perciperet , nisi solutionem anticiparet . Tum enim usura non deberet damnari ; nam *ille*, ut ait S. Thomas (*K*) , *qui mutuum dat , potest absque peccato in pactum deducere cum eo , qui mutuum accipit , recompensationem damni , per quod subtra-*

(*k*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 3. ad 1.

trobitur sibi quod debet habere. Hoc enim non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare.

CASUS V.

Cælius duos habens pretiosos equos, verum pretii inæqualis, quorum unum, cum Theodorus viginti duplionibus emisset numeratis, non eo designato quem vellet e duobus; ad ipsum minus generosum misit. Theodorus equum istum accipere noluit, affirmans, hoc sibi jus esse quem libuerit, eligendi. Cælius e contra rem aliter esse contendit. Petitur, utrum pro venditore, au vero pro emptnre stet ratio?

RESPONS.

Ratio stat pro venditore, modo non minoris, quam viginti duplionibus valeat equus minus pretiosus. Nam cum unius e duobus speciei ejusdem fit venditio, quin contrahentes convenerint, utrum ad venditorem, an vero ad emptorem optio pertineat; venditoris est, quod voluerit e duobus vel pluribus, tradere. *Si emptio ita facta fuerit,* inquit lex Digestorum; (*a*) *esto mihi emptus Stichus, aut Pamphilus; in potestate est venditoris, quem velit dare, sicut in stipulationibus.* Ratio est, quia venditor debitoris locum obtinet, & eo nomine satisfacit vel minimum tribuendo: *Cum illa aut illa res promittitur, rei electio est, utram præstet,* ait lex alia (*b*). *Si distrahatur illa aut illa res,* inquit Ulpianus (*c*), *utram eliget venditor, hæc erit empta.* Unde sequitur, quod Theodorus missum ad se a Cælio, licet minoris alio pretii, equum non potest remittere, eo quod sibi soli acceptam referre debet amentiam, quod meliorem sibi in pactione sua non designaverit.

(*a*) Leg. Si in emptione. 34. §. 6. de contrahenda emptione &c. lib. 18. tit. 1.

(*b*) L. Plerumque. 10. in fin. ff. de jure dotium. l. 23. tit. 3.

(*c*) L. Si ita. 30. de contrahenda emptione &c.

CASUS VI.

Calistratus, debitor idoneus, quingentas libras annuæ pensionis Paullo, civi Bajonensi debet ex contractu censuali, cujus summa in sortem collata est 8000. librarum. Vix ac ne vix quidem censum hunc Paullus exigere potest; quia facile in Calistratum, virum scilicet uobilem & potentem procedere non valet; uti in alium paris secum conditionis debitorem. Antonius vir nobilis, qui a Calistrato solutionem census facile potest obtiuere, Paullum sollicitat, ut ab eo contractum ipsius emat, pro cujus acquisitione 7000. librarum offert; cui rei Paullus assentitur. Quæritur, utrum emptio Antonii de tali contractu sit legitima, etsi mille libras e sorte constitutionis in solutione imminuerit?

RESPONS.

Emptio ab Antonio facta, non est legitima. Ratio est, quia, sicut in mutuo aut venditione rei, qua quis carere potest absque sui damno, quæque in gratiam tantum emptoris venditur, quidquam ultra sortem aut justum rei pretium absque injustitia exigi non potest: pariter cum emitur quidpiam, cujus venditio grata est venditori, & ipsius emptione nullum est damni periculum, non minoris emi potest, quam sit pretium sortis ob eam præcise rationem, quia emptor venditori rem gratam fecit: quia, ut aliquid ultra sortem exigatur, necesse est, ut immineat aliquod damnum verum, aut saltem cesset lucrum legitimum: atqui Antonius, ut in proposito casu supponitur, in nullum hujusmodi periculum incurrit; cum facile solutionem census possit obtiuere, quem nequidem extorquere Paullus poterat: quare ipsius lucrum ob Pauli necessitatem est injustum.

Id quidem isto, quod omnes admittunt Theologi, D. Thomæ principio facile est probare (*d*): *Secundum hoc,* inquit Angelicus Doctor, *emptio & venditio videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque, dum scilicet unus indiget re alterius, & e converso .... quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius: & ideo debet secundum æqualitatem res inter eos contractus institui.* Unde sequitur Antonium 7000. tautam solvendo pro 8000. non justum contractus censualis valorem suppeditare, atque adeo necessariam huic contractui æqualitatem eum tollere; in eo quod damnum patitur Paullus justum census sui pretium non accipiens, dum Antonius utilitati suæ servit. Hæc conclusio est ejusdem sancti Doctoris: *& ideo carius vendere, vel vilius emere rem quam valeat, est secundum se injustum & illicitum* (*e*).

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 77. ar. 1. in corp.

(*e*) De Sainte Beuve. tom. 2. Cas. 146.

Verum quidem est quod si Antonius mercaturam faciens, bona fide 7. millia librarum destinasset ad aliquam aliam emptionem, ex qua majus probabiliter lucrum collegisset, & quod ad gratificandum Paullo censum ipsius emere, atque ita se lucro juste sperato privare voluisset, tunc ab injustitia excusari posset, etsi a mendacio non possit, si forte in contractu acquisitionis census illius declaret, se Paullo 8. millia librarum numerasse, dum 7. millia Paullus tantum accepit. At e contra vir est uobilis & potens, qui emendo censum Paulli, nullum patitur damnum; cum, ut supponitur, ipsius pensionis solutionem absque sumptu possit obtinere; nulla igitur de caussa census illius justum pretium mille libris minuere potest; nisi forte quia Paullo gratificatur, qui solutionem suam facile non potest obtinere; quod Antonii lucrum in suum venditorem, non potest efficere legitimum: idque eo minus, quod ab emptore non proveniat venditoris utilitas, sed ex propria ipsius conditione statuque, quo vix ac ne vix quidem solutionem suam potest obtinere.

Verum est etiam, quod si censum suum venalem Paullus multis proposuisset, emere recusantibus, quod virum nobilem pro debitore dedignentur, aut saltem, qui vili eum pretio duntaxat emere cuperent, quia alii multi census minori, quam sit sors, pretio venales sibi proponuntur, aut suum Paullus censum offerret Antonio, qui non illius indiget, quique 7. sua millia librarum pluris facit, quam censum illum; tum ab Antonio eo pretio posset emi absque injustitia, etsi a mendacio ob rationem superius allatam non possit excusari: quia, generaliter loquendo, non idem est jam constituti census pretium, atque constituendi. Ita sentit doctus Theologus (*f*), qui suam sententiam comprobat verbis Navarri (*g*), qui S. Pii V. constitutionem, quæ incipit his vocibus, *Cum onus*, exponens ait: *quod quia videtur statutum ad evitandam fraudem usurariam, fit, ut arbitror, licere in foro conscientiæ habenti censum septem aureorum emptum centum aureis, si egeret, & non inveniret, qui vellet totidem emere, sed aliquanto minoris; posse vendere minoris, saltem quoad forum conscientiæ; modo nulla fraus usurarum interveniat, sed solum diminutio valoris: aut ex eo quod venditor quærit & rogat emptorem, & merces ultroneæ vilescunt: aut quia multi sunt venditores, & pauci emptores, propter quæ valor rerum vendendarum minui solet.* Quibus addit, *quia justum pretium censuum non videtur in pretio indivisibili constitutum, sicut nec cæterarum mercium.*

(*f*) De Sainte Beuve. tom. 2. cas. 20.

(*g*) Navarr. tom. 1. in comment. de usuris. num. 112.

Denique, ut dilucide solvantur omnes difficultates, quæ fieri possunt, de hujusmodi emptionibus; supponendum 1. quod omnis census justo suo pretio sit emendus, qui si minoris, quam valet, ematur, tum fieri debet restitutio. 2. Quod omnium censuum non sit idem pretium, & quod distinguendum est inter pretium census primum acquisiti, tum cum emitur ab eo, qui eum constituit, & pretium census jam dudum constituti, cum tertiæ personæ a Censualista datur & transfertur. Ratio est, quia, (*h*) Constitutionis pretium a Principe quidem præfigitur; unde minori pretio non potest acquiri; at pretium venditionis contractus jam facti, neque a Principe neque a Magistratu determinatur, sed communi prudentum relinquitur æstimationi, juxta quam minoris valent hujusmodi contractus, quam sors ipsa. Insuper addi potest emptorem census jam constituti, nec pensionem nec sortem emere, quæ forte nunquam refundetur, cum eam non redimere possit Censuarius; igitur jus tantum emit, a censuario pensionem annuam percipiendi; quod pluris vel minoris, judicio prudentis & intelligentis hominis æstimari potest. 3. Quod magnum intercedat discrimen inter censum tutum, qui facile potest exigi; & censum non tutum, qui difficile tantum potest exigi. 4. Justum census pre-

(*h*) De Sainte Beuve. tom. 3. cas. 240.

tium considerari posse, vel relata ad forum externum & civile; vel ad forum internum & conscientiæ. His ita præsuppositis.

Dicendum 1. justum pretium censuum, qui mobiles dicuntur, tum cum primo emuntur, non aliud esse quam pretium Principis auctoritate determinatum, quod nunc in Gallia juxta edictum an. 1665. 32. Decembris promulgatum, ad vigesimam sortis partem seu quincunces usuras præfigitur.

2. Eodem pretio censum redimi oportere a venditore quo emptus est primum, ita ut census pro vigesima sortis parte constitutus, non possit redimi nisi parem solvendo summam.

3. Justum census pretium, qui tertiæ personæ venditur, in Gallia idem esse atque pretium census primum empti, cum illud sit fixum & indivisibile: quod concordat cum Bulla S. Pii V. de qua diximus, & qua prohibetur, ne minori pretio census ematur, quam sit pretium vanditionis primæ.

4. Dicendum, hanc Bullam in Gallia non vigere, quia ibi non recepta est: Atque adeo, ut justum censuum privatorum innotescat pretium, qui sunt certi, ac facile possunt exigi, sciendum omnino, utrum eorum pretium a Principe fuerit determinatum, & factæ determinationi per contrariam consuetudinem non fuerit derogatum: hæ sunt enim duæ regulæ, quibus statui debet justum horum censuum pretium; hoc est, Lex Principis, aut ejus defectu consuetudo, ut docent Medina (a), & Cardinalis Toletus (b). Atqui certum est, horum censuum pretium Lege Principis & consuetudine esse determinatum, quod idem est, atque pretium Constitutionia: Unde sequitar, venditoria solam necessitatem non esse caussam legitimam, cur ejus census minori pretio ematur, quam sit ab initio constitutus, atque ita duos tantum reperiri casus observatos, in quibus minoris emi possint absque injustitia.

(a) Ioan. Medina de Restitut. 15. pag. 353.
(b) Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 5. c. 47.

5. Dicendum, quod ad privatorum census pertinet, qui male tuti sunt vel difficile exigi possunt, horum pretium nec a Principe nec consuetudine fuisse præfixum, quare minori pretio vendi possunt quam fuerint constituti, eosque emptor tuta potest acquirere conscientia, modo absit scandalum; quo casu præcavere deberet quoad forum externum.

6. Idem esse dicendum de censibus in Regem quoad pretii determinationem. Mos est enim universim receptus, ut minori, quam fuerint constituti, pretio emantur, sive ob periculum dominorum hujusmodi censuum, qui auctoritate uti non possunt ad eorum exactionem, seu ob rationem, quæ difficili regni tempore reliquatio numeratur, pro qua non spondet venditor.

7. Quod ad census prædiales spectat, nullum est eorum pretium determinatum, nisi pretium, quo redimuntur census, a consiliis urbium civilibus debiti, quiqua ad Clericos non pertinent. Nam hujusmodi census ratione vigesimæ sortis partes redimi possunt, juxta edicta Henrici II. & Caroli IX. Quod pertinet vero ad emptionem, quæ fieri potest a Domino horum censuum, habenda est ratio consuetudinis locorum universim receptæ. Ita sentit Theologus a nobis jam supra laudatus (c). Cæterum animadvertendum, in hujusmodi amptionibus ac venditionibus mendacium nunquam absque peccato posse adhiberi.

(c) De S. Seuve tom 2. cas. 145.

CASUS VII.

Albinus, duos habens adamantes, unum ex iis 500. libris vendit Laurentio, qui nullo statim designato, sibi, quem vellet e duobus, unum intra 15. dies eligendi, optionem servavit. Elapsis octo aut decem diebus, Albino, duos illos adamantes subripiunt, non sine ictibus latrones. Quæritur, in quem cadere debeat illius jactura, quem emit Laurentius. Contendit quidem Albinus, hanc sibi jacturam non debere tribui, cum se, inquit, casus pure fortuiti, nec sibi illatæ violentiæ sponsorem reddiderit; atque adeo hanc Laurentio tribuendam esse jacturam, quem ad solutionem 500. librarum vult compellere. An hæc est exigendæ solutionis caussa legitima?

RESPONS.

Cum e duabus rebus, una est vendita ad optionem venditoria, aut emptoris; & post venditionem pure ac simpliciter factam, pereunt; emptor tenetur ad solutionem pretii, de quo facta est conventio; etsi ea, quam habiturus erat, sit amissa: Ratio est, quia absque illo pacto hanc vel aliam extrudere potuisset venditor. *Si emptio ita facta fuerit*, inquit Lex (d): Esto mihi emptus stichus, an Pamphilus; *in potestate est venditoris, quem velit dare, sicut in stipulationibus: Sed uno mortuo qui superest, dandus est: & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed & si pariter decesserant, pretium debebitur: unus enim utique periculo emptoris vivit. Idem dicendum est etiam, si emptoris fuit arbitrium, quem vellet habere*. Dici debet in proposita quæstione, Laurentium teneri, ad solvendas Albino venditori suo 500. libras; cum absque sua culpa, solaque latronum violentia perierint duo adamantes.

(d) L. Si in emptione. 34. § 6. de contrahenda emptione & vend. l. 18. tit. 1.

CASUS VIII.

Eduardus, ab Irene domum Severo pro sex annis, sub censu 600. librarum quolibet anno conductam emit. Severus, qui duobus tantum annis eam habitavit, quadriennio etiam eam retinendi juxta contractum suum conductitium jure poritur: At Eduardus eam occupare, eaque, uti bono proprio, frui cupit. Quæritur, utrum ab ea Severum ablegare, aut eum saltem cogere possit ad illam de novo 700. libris conducendam?

RESPONS.

Magnum est discrimen inter emptorem & hæredem universalem, seu ab asse. Nam ut hæres, *fictione juris*, una cum mortuo censetur esse persona (e); in omnia ejus succedit jura, atque etiam onera ut ait Lex, hereditaria debet agnoscere (f). At non idem dicendum de eo, qui emptione rei alicujus dominium acquirit. Nam ex jure *Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior Dominus locavit; nisi ea Lege emit* (f). Eduardus igitur Severum abigere, aut ei domum suam 700. libris de novo potest conducere.

Attamen si Eduardus conductionis Severi prorogandæ seu scripto, seu viva tantummodo voce consensisset, teneretur in foro conscientiæ ad illi domum derelinquendam ratione 600. librarum, donec finita esset conductio; ut lege affirmatur, quæ addit: *Verum si probetur aliquo pacto consensisse, ut in eadem conductione maneat, quamvis sine scripto; bonæ fidei judicio ei, quod placuit, parere cogetur*. Cæterum, quæ de emptore diximus, ea debent intelligi de donatario, de legatario, & omni alio, qui non sit hæres, quique adeo nec jura nec onera prioris Domini subire debet.

(e) Hæres. 22. ff. de usurpationibus & usucapionibus lib. 41. tit. 3.
(f) L. Hæres 37. ff. de acquirenda vel amittenda hæredit. lib. 29. tit. 2.
L. *Pro hæreditarius* 2. cod. de hæreditariis actionib. l. 4. tit. 10.
(g) L. *Emptorem*. 9. cod. de locato & conducto. l. 4. tit. 65.

CASUS IX.

Cassiodorus, venditis quibusdam vitium jugeribus Balthazari mille librarum pretio, quas numerata pecunia solvit emptor; postea acervum mille palorum qui ab anno elapso erat in vinea, vult auferre. Contra obsistit Balthazar, & contendit eos palos ad se pertinere, etsi de iis in emptione nulla sit facta mentio; Quæritur pro quo stet æquitas; & cujus sint hi pali?

RESPONS.

Regula generalis, qua tota hujusce difficultatis nititur decisio, est, quia, quidquid est rei venditæ pars aut accessorium, censetur esse venditum, nisi sit expresse reservatum. Tales sunt arbores, quæ in hæredirate empta reperiuntur; fructus pendentes (h): Claves ædium, atque Canaliculi, qui ad fontem aquas ducunt (i). Funis & situla putei, ad cujus usum perpetuum destinantur (K), & alia similia. Atqui pali in vinea sunt hujusmodi; *Pali*, inquit Lex Digestorum (l), *qui vineæ caussa parati sunt, antequam collocentur, fundi non sunt. Sed qui exempti sunt, hac mente, ut collocentur, fundi sunt*. Dicendum itaque palos, de quibus agitur in casu proposito, jam elapso anno vineæ usui destinatos, nec avulsos, nisi ut remittantur, censeri debere partem vineæ, atque ita emptoris esse.

Idem dicendum de accessorio rerum mobilium, non separato, ut cum venalis est equus cum ephippio & fræno (m), idque convenit cum regula juris, qua

(h) L. *Julianus*. 13. §. 10. de actionibus empti & vendit. l. 19. tit. 1.
(i) L. *Julianus*. 13. § fin. ff. eod. tit.
(k) *Labeo generaliter scribit, ea, quæ perpetui usus caussa in ædificiis sunt, ædificii esse . . . ut puta fistula . . . si perpetuo fuerint posita, ædium sunt*.
(l) *Fund*. 17. §. 7. ff. eodem.
(m) L. *Ædiles*. 38. ff. de ædilitio edicto &c. l. 21. tit. 1.

qua fertur (*a*); quod *Accessorium naturam sequi congruit principalis*. Unde sequitur, palos de quibus est quæstio, cum sint vitis, cujus usui jam inservierunt, & de novo destinantur, accessorium censeri debere cum vinea venditos; licet de iis non fiat in contractu mentio, & ad eos nullum jam Cassiodoro jus competit.

(*a*) Reg. 42. de regul. juris in 6.

CASUS X.

Gerundius ea bona fide emit horologium portatile, quod furatus fuerat Mævius, in quem cum nulla caderet furti suspicio, illud ad Mævium pertinere existimabat. Post mensem addiscit, illud horologium Jacobo repetenti fuisse ademtum. Quæritur, utrum Gerundius teneatur ad illius restitutionem? & utrum decem nummos quos Mævio solvit ad illius pretium, saltem ab eo nequeat exigere?

Respons.

Qualiscumque fuerit Gerundii bona fides horologium istud emendo, certum est, non ei fuisse legitime acquisitum, cum a Mævio cujus non erat, ei dominium non potuerit transferri juxta istam Bonifacii VIII. regulam (*b*): *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscitur*. Itaque in conscientiæ foro tenetur Gerundius Jacobo suum restituere horologium, nec ab ipso latroni datos decem nummos repetere.

(*b*) Reg. 79. de reg. juris in 6.

Hanc decisionem affert S. Raymundus his verbis (*c*): *Si aliquis emit rem furtivam ignoranter & bona fide & in foro publico & publice: Numquid potest saltem pretium quod numeravit, petere a domino, cum deprehendit rem esse furtivam: vel numquid poterit retinere rem, donec pretium sit ei solutum? Respondeo: non.*

(*c*) S. Raymundus. l. 2. Summæ. tit. 6. de furtis § 7.

Regulam eamdem statuunt Leges civiles, & iniquam rem esse volunt, si quis a domino rei subreptæ pretium solutum repetat: *Incivilem rem*, hoc est, ut explicat Glossa, juri ac rationi contrariam, *desideratis*, inquit una ex iis Legibus (*d*); *ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium solutum fuerit a dominis. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis.*

(*d*) L. *Incivilem*. 2. cod. de furtis & servo corrupto. l. 6. tit. 2.

Animadvertendum tamen. 1. Quod si de re fructuosa ageretur, emptor illius ad fructuum perceptorum restitutionem sub peccato non teneretur, durante bona fide qua a latrone emisset, nisi inde ditior factus fuerit. *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint*, inquit Lex alia (*e*): cui convenit jus Canonicum in una Decretali Alexandri III. (*f*). 2. Quod sumtus factos, ut rem meliorem efficeret, aut solummodo conservaret, retinere possit, ut eadem constat Decretali: *Providendum est tamen, ne, si forte coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumtibus quos bona fide fecerant, debeant defraudari.*

(*e*) L. *Senatus consultum*. 1. Cod. de petitione hereditatis. l. 3. tit. 31.
(*f*) Alex. III. in cap. *Requisivit*. 11. de in integrum restit. l. 1. tit. 41.

CASUS XI.

Hermogenes emptum a se horologium portatile furtivum, quod jure ad furem illius venditorem pertinere existimabat, Ludovico dono dedit, aut Ferdinando vendidit, aut fortuito inter manus illius disperiit. Quæritur, utrum ad illius restitutionem obligetur, etsi jam hujus non sit dominus.

Respons.

Non tenetur ad restitutionem, *Bonæ fidei emptor*, inquit S. Raymundus (*g*) .... *si durante bona fide ipsius periit res; non tenetur* (restituere.) *Idem credo: si alienavit, durante similiter bona fide.*

(*g*) S. Raymundus Summæ. l. 2. tit. 2. de furtis. § 7.

Doctrinæ illius ratio afferri potest ex Lege, qua fertur, quod pretium rei furtivæ non est furtivum: *Nummus ergo hic, qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus* (*h*), inquit Lex. Si igitur Hermogenes durante bona fide vendidit horologium, pretium illius venditi suum est; cumque illius jam non sit dominus, eximitur a restitutione per bonam fidem, qua illud possedit ad tempus, quo illius dominium amisit: *In utroque casu propter bonam fidem*, addit S. Raymundus. *In primo etiam, quia non erat in mora: in secundo, quia non desiit dolo possidere, & quia pretium ex re furtiva redactum non est furtivum.* Quod Lege modo laudata, aliisque probat testimoniis. At si possessor malæ fidei factus esset Hermogenes ante venditum aut amissum horologium; certum est, quod in eo casu teneretur ad restitutionem: licet illius jam non esset possessor: quandoquidem malæ fidei quis fit possessor, ubi primum quis sciens alterius bonum contra ejus voluntatem retinet, juxta doctrinam S. Augustini his verbis (*i*): *Tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum. Cum vero scierit nec ab aliena possessione recesserit; tunc malæ fidei possessor prohibebitur; tunc injustus juste vocabitur.* Atque adeo non jam bonæ fidei possessoris privilegio frui potest, sed ad restitutionem, ut diximus, in quolibet casu obligatur.

(*h*) L. *Qui vas*. 48. ff. de furtis. §. Cum fur.
(*i*) S. Aug. l. de fide & operibus. c. 7. in can. Si virgo. c. 34. q. 1. & 2.

Observandum, quod si Hermogenes ex horologio de quo agitur, lucrum quoddam percepisset, pluris nimirum vendito quam empto, puta duobus duplionibus, invento domino illius, lucrum inde perceptum, & quo ditior exstitisset, restituere teneretur, ut constat ex Legibus (*k*), quæ volunt, talem venditorem impensas tantum sibi retinere; factas ad conservationem rei quam bona fide emerat.

(*k*) L. *Utrum*. 23 de petitione hereditatis, & ibi glos. l. 3. tit. 31.

CASUS XII.

Cleomenes bona fide emit horologium pensile, a Jocundo subreptum, & post dies octo agnovit illud ad Claudium pertinere. Quæritur utrum sub peccato teneatur ad illud reddendum Claudio, an vero factam sibi venditionem illius resolvere, atque illud Jocundo possit reddere, ut pretium ipsi datum ab eo recuperet.

Respons.

Jure naturali res propria bono proximi est anteponenda. Quare Jocundum cogere potest Cleomenes, ut pecuniam suam sibi restituat reddito horologio, ipsum tamen monens, ut illud Claudio quem ejus novit dominum, reddat.

Insuper contractus emptionis & venditionis horologii est invalidus ob defectum consensus emptoris. *Quid enim tam contrarium consensui, quam error?* ait Lex (*l*): & quidem juxta istam juris regulam (*m*): *Non videntur qui errant, consentire*: Atqui Cleomenes omnino erravit emendo horologium, quod profecto non emisset, si a Jocundo subreptum fuisse non ignorasset. Igitur non perfectus fuit ejus consensus de emptione penduli. Invalidus quoque fuit ex parte venditoris: cum enim venditi falso horologii non esset dominus, Cleomeni proprietatem transferre non potuit juxta istam Bonifacii VIII. supra laudatam regulam (*n*): *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur*. Cum igitur invalidus sit emptionis & venditionis horologii pensilis contractus quacumque ratione consideretur, Cleomenes jure potest, res uti antea erant, reponere, & suam a Jocundo exigere pecuniam, ipsi pensile horologium reddendo.

(*l*) L. *Si per errorem*. 15. ff. de jurisdict. omnium Judicum. l. 2. tit. 1.
(*m*) Reg. 116. ff. de diversis regulis juris antiqu. Et Innoc. III. in c. *Super*. 20. de rescriptis. Et in cap. *Quia vir a* 9. de consanguinit. & affinit.
(*n*) Reg. 79. de regul. juris in 6.

Rem ita decidunt Silvester de Prierio (*o*), Angelus de Clavasio (*p*), Alexander Halensis (*q*), Gabriel Biel (*r*): quibus addi possunt Navarra (*s*), aliique multi seu Theologi, seu Canonistæ, quos laudat & sequitur Cabassutius (*t*), qui accurate observat, rem non ita se habere erga eum qui rem furtivam mala fide emit, qui eam proprio domino restituere tenetur, quin ab eo pretium datum percipiat, aut eam fieri reddat, ut solutionis pretium accipiat, quia juxta istam juris regulam (*u*): *Damnum, quod quisquis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

(*o*) Silvester. v. *Restitutio*. 3. q. 7.
(*p*) Angelus v. *Restitutio*. 1. n. 1.
(*q*) Alexander Halensis. 4. p. qu. 82. memb. 5 ar. 6.
(*r*) Gabriel. Biel in 4. dist. 15. q. 3. ar. 3. dub. 6. & apud eum Host. 21.
(*s*) Navarr. Man. c. 17. n. 9.
(*t*) Joan. Cabassut juris can. theor. & prax. l. 5. c. 9. n. 14.
(*u*) Reg. 86 reg. juris in 6.

CASUS XIII.

Bertrandus a Silvano parvum emit adamantem, qui ducentas libras valebat, pro cujus pretio decem tantum nummos numeravit. Hunc a Sylvano subreptum Petri esse utique norat: at modico eum pretio ideo emit, ut Petro gratum faceret, atque redderet, cum nulla ei suppeteret via, ut Petro restitui posset. Quæritur, utrum decem nummos Silvano datos a Petro queat repolcere, ipsi adamantem reddendo.

RESPONSIO.

Non dubium est, quin Bertrandus in casu proposito collatos Silvano nummos decem possit repetere a Petro; cum ideo tantum emit, ut ei rem gratam faceret, atque ipsius utilitati inserviret, adamantem illum e furis manibus educendo. Id ipsum docet S. Raymundus (a): *Si vero*, inquit, *emit aliquis bona fide a raptore, vel ab alio rem de rapina vel furto, bona scilicet intentione; non ut sibi lucraretur, sed ut spoliato restitueret, potest a spoliato repetere illud, quod dedit pro ipsa re bona fide ..... & etiam quidquid expendit postea ad conservationem illius rei; nisi forte cum re ipsa lucratus aliqua fuerit, unde posset facere dictas expensas. Et breviter quidquid sibi adest ex illa re, ut pensio, merces, fructus & simile, tenetur restituere: quidquid sibi abest, ut pretium & moderatas expensas, potest repetere, vel eum eo quod ex ipsa re sibi advenit, usque ad concurrentem compensare quantitatem*. Quibus verbis videtur, idem dicendum de eo, qui impensas quasdam fecisset ad servandam domino suo rem furtivam, quam e furis manibus eduxisset: Cum æquum sit, ut præter pretium solutum ad illam habendam, etiam legitimam impensam a se factam accipiat: *Ratio autem*, inquit idem Sanctus, *quare iste potest repetere, est, quia gessit utiliter negotium absentis spoliati*. Auctor Colloquiorum Diœcesis Condomensis, & Auctor Theologiæ Moralie Gratianopolitanæ idem sentiunt (b).

(a) S. Raymund. lib. 2. Summæ. tit. de raptoribus. §. 22.

(b) Colloq. Condom. t. 1. colloq. 1. sect. 3. De Gen. Theo. Moral. tom. 2. tract. 3. cap. 4. q. 1.

CASUS XIV.

Medardus semestri obligatione mille libras debet Martino. Ante solutionis diem cogitur Martinus 800. lib. solvere pro mercibus emptis. Proponit Mauritio, ipsi cedere ac transferibere obligationem suam in Medardum pro 900. libris. Quæritur, utrum Mauritius rem a Martino oblatam possit acceptare, cum nullum ipsi immineat periculum, ac moraliter certus sit libras 100. lucrari, quia Medardus est debitor valde idoneus.

RESPONSIO.

Respondit sibi propositæ olim huic difficultati doctus Theologus dicendo, quod existimat, licitum esse obligationem emere minori pecuniæ summa, quam quæ obligatione continetur, etsi nullum emptori immineat periculum. Verum addit, emptori cavendum esse accuratius, ne ipsius intentio sit usuraria; quæ talis foret, si illius obligationis emptione lucrum aliquod intenderet ob tempus, quo pecunia sua privatur. Hoc enim sibi lucrum pareret *ratione mutui*: Quod est semper usurarium. Unde sequitur, quod si Mauritio non esset hujusmodi prava intentio, sed Martino tantum rem gratam facere vellet, invito etiam sibi eo oblato lucro; posset absque peccato hanc obligationem acceptare una cum mercede 100. librarum (c), modo mercedem illam non accepisset nisi in dubio idoneitatis Medardi ad solvendum, aut alicujus damni sibi imminentis ob numerationem præsentis suæ pecuniæ: quibus sublatis talem emptionem licitam non existimamus. Qua in re dici nequit, nos intentionis directioni favere in sensu quorumdam mitiorum Casuistarum; cum heic non agatur de æquivocatione, sed de justa intentione, ut in casu proposito omnis vitetur usura; quandoquidem juxta sanctum Augustinum (d), *non .... quid quisque faciat; sed quo animo faciat, considerandum est*.

(c) De Sainte Beuve. to. 3. casu 144.

(d) S. Aug. serm. Domini in monte. l. 2. c. 21.

CASUS XV.

Farulfus, habens annuam pensionem 300. librarum, Guillelmo proponit illius venditionem pro quatuor primis annis proximis, præsenti numerata pecunia, cujus indiget. Guillelmus hanc emit 900. libris; quæritur, num hæc emptio sit injusta?

RESPONSIO.

Injusta est hæc emptio. Idem namque non est dicendum de reditu prædii alicujus atque census. In eo positum est discrimen, quod prædii reditus pro varietate tempestatum atque casuum possit esse diversus. Unde tuta conscientia potest emi prædii reditus minori pretio, quam actu valeat: At idem semper est annuæ pensionis reditus, tutus, quique facile potest exigi: unde sequitur Guillelmi emptionem esse injustam, cum sit verum mutuum cum lucro ultra sortem, sub nomine emptionis inductum. Sic rem istam dissolverunt plures Doctores Sorbonici 27. Aug. 1673. his verbis. *Nos infra scripti, Doctores Theologi sacræ Facultatis Parisiensis, expensis ac diligentissime discusso casu proposito, judicavimus contractum, quo minori pretio quadriennii reditus annuæ pensionis emitur, v. g. reditus quadriennii annuæ pensionis centum florenorum in quemlibet annum, pro 300. florenis, omnemque alium contractum hujusmodi, quocumque nomine possit donari, esse omnino injustum, nec ab usuræ crimine immunem: atque adeo eos qui ea commercii specie divitias parant, ad restitutionem teneri*. Eo sensu decisionem hanc affert Auctor Colloquiorum Diœcesis Lucionensis (e): quæ tamen de eo debet intelligi, qui ideo emit, ut lucrum faciat hac ratione, & quia pecuniam suam in antecessum numerat. *Si vero alias vult dimittere pretium*, inquit S. Antoninus (f), *solum propter hoc, quod nunc solvit, sed in futuro rehabebit plus; est manifeste usura*. Quare si ita sit dispositus Guillelmus, ista emptione fit usurarius, & ad restitutionem erga Farulfum venditorem tenetur. At a peccato excusari potest; si quatuor annorum pensiones ipsius minori tantum pretio emat, quia præsenti pecunia & in antecessum solvendo verum patitur damnum in eo, quod v. g. ut 900. librae reperiat, vilius triticum suum aut vinum teneatur vendere, cujus venditionem, ut statuerat, differendo ad aliud tempus, carius vendidisset; vel quia se se offert occasio pecuniam utilius collocandi; vel quia pensionis debitor non est idoneus; aut vulgo post litis contestationem tantum solvit. *Si iste tantum minus*, inquit idem sanctus Antoninus, *emit, quantum nunc est interesse suum, aut quantum vere æstimandum: sive timendum, ne ille debitor solvat; aut quantus est futurus labor rehabendi, non est usura*.

(e) Colloq. Luc. t. 2. colloq. 41.

(f) S. Anton. part. 2. Summæ Theol. tit. 1. c. 1. §. 12.

CASUS XVI.

Gracilianus, Gemmarum ac Margaritarum mercator, degens in taberna, a Leodegario, viro incognito aditus est, ut illi Sapphirum vendat. Gracilianus eam accurate perpensam judicat valere ducentis libris, in quo nunc est statu, eamque denuo cæsam ac politam, ut facilius emptorem inveniat, majorem sibi pecuniæ summam esse allaturam; quo facto pro illius pretio 40. nummos offert Leodegario; qui aliquamdiu reluctatus, eam tandem Graciliano 70. libras vendit, dicens, Sapphirum hanc olim quadringentis aut quingentis libris valuisse, quam tamen tunc illius esse, modico sane pretio ab ipso oblato, volebat. Gracilianus Sapphirum hanc denuo cæsam & politam alii mercatori, paris secum conditionis, paullo post 330. libris vendidit. Quæritur, utrum lucrum ejus sit legitimum; an vero ad aliquam teneatur restitutionem erga venditorem suum? Propugnat ad id se non teneri; ejusque rei quinque affert rationes.

Prima: quia non idem ferri debet judicium de hujusmodi mercibus, ac de frumentis, pannis, argentea suppellectili, aliisque similibus, quorum pretium a Magistratu, aut communi æstimatione mercatorum hujusmodi mercium præfigitur; cum gemmæ nec ad vitam sint utiles, nec pretiosæ, nisi sola ambitiosorum hominum æstimatione: quocirca tanti videntur valere, quantum vendi possunt.

Equidem, addit Gracilianus, aliquando carius est quoddam gemmarum genus; quia sunt in usu apud quosdam earum emaces: aliquando vilius; quia apud eosdem obsolevit earum mos & splendor. Quod confirmari potest exemplo margaritarum; e quibus monile consertum, quod olim apud omnes mercatores mille libris æstimabatur, vix 500. libris nunc fit, ex quo adulterinas inventas mos admisit.

Secunda ratio est: quia sit etiam verum margaritarum exemplum modo allatum in gemmarum mercatura: Nam in Gallia adamanti soli nunc præ-

cipuus

cipuus habetur honos; quocirca in commercio nunc viluere gemmæ, quæ pictæ dicuntur, ut Smaragdi, Topazii, Sapphiri & aliæ similes; adeo ut Mercatores hujusmodi gemmarum, eas, vel decennio custoditas, postea cum jactura vendere cogantur, nedum ex iis lucrum percipiant.

Tertia est, quia oblatæ merces, præsertim a venditore, qui earum novit pretium, vilescunt. Atqui Gracilianum adiit Leodegarius, ut Sapphirum suum venalem offerret, quam olim 400. vel 500. libris constitisse affirmavit, & cujus proinde pretium ignorare non poterat. Unde concludit Gracilianus, se eam 70. libris emere potuisse; cui rei consentit Leodegarius, etsi multo pluris constitisse non ignoraret.

Quarta ratio, qua nititur Gracilianus, est, quia non solus in urbe sua hujusmodi gemmas mercatur; sed multi sunt alii, etiam in vico suo, quibus Sapphirum suam offerre potuit Leodegarius, ut cariori venderet pretio: & jam pro comperto habet Gracilianus, hominem hunc jam alteri mercatori, vicino suo, gemmam hanc venalem obtulisse.

Quinta denique est, quia magnas tenetur Gracilianus facere impensas ad exercendum commercium suum; qualis est præsertim conductio ædium suarum, in nullo alio, quam in suo vico, carior: unde fit ut sibi etiam necessaria non suppeterent, si lucra ejusmodi damnarentur, non solum ob naturam hujusmodi mercium, vix vendibilium, quarum & pecuniæ defectu & annonæ caritate commercium fere nullum est aut saltem valde imminutum; quam ob vectigalia insolita, rerumque publicarum frequentes vicissitudines; quibus omnibus addi potest, gemmas a ditioribus tantum inquiri; quos par est ob inanem earum usum hujusmodi merces carius solvere, quique immoderato earum pretio consentire videntur, large solvendo, quod petitur, quod videtur esse tacita donatio eorum, quæ excedunt legitimum pretium in venditione. Nunquid his omnibus rationibus a restitutione liber est Gracilianus?

R e s p o n s a.

Duo quoad præsentem difficultatem veniunt consideranda: primum est emptio Sapphiri, de qua agitur, a Graciliano facta: Secundum est ejusdem recisæ & denuo politæ ab eodem venditio.

Quod ad emptionem pertinet; dicimus, quod quamvis oblata merx minoris sit pretii, quam publice venalis, juxta commune illud dictum, *merces ultroneæ vilescunt*; nec eodem, quo emit, mercator pretio mercem suam vendere teneatur; quia par est, ut operam suam publico locans arte sua, lucrum inde legitimum referat: non potest tamen tuta conscientia, illæsoque jure rem multo minoris, quam valeat, emere. Unde sequitur, quod si Gracilianus, Leodegarii sapphirum 70. libris emendo, justum illius non solvit pretium, obligatur procul dubio ad restitutionem summæ a justo pretio deficientis, non obstantibus speciosis, quas affert ad eam non faciendam rationibus; cum erga proximum injuste agere nefas sit.

Sciendum itaque, utrum legitimum ejus pretium Leodegario venditori solverit; ad quod duo sunt præsupponenda. Primum, suum esse sapphiro pretium; alterum, rationem esse dignoscendi illius pretii.

Ultro conceditur Graciliano, gemmam hujusmodi non esse usitatam in rerum commercio, quæ vel ad vitam sunt necessariæ, vel publico utiles: atque adeo justum illius valorem juxta communem hominum æstimationem non posse præfigi: at id non obstat quominus possit & debeat præfigi ab optimis hujusmodi rerum peritis hominibus, id est, a Mercatoribus intelligentibus & probis, qui eandem, atque Gracilianus, artem exerceant; quippe non nisi perpensis in casu exposito rationibus, sententiam ferant, iisque præsertim, quibus indicat Gracilianus, hujusmodi gemmas, non jam, ut ante, vigere; ac venditorem sapphirum suam jam venalem aliis mercatoribus proposuisse.

En regula, quam sequi debet Gracilianus in sua sapphiri emptione. Quocirca, si viri illi intelligentes & probi judicant, justum hujus gemmæ valorem in his circumstantiis ad 100. libras attingere, Leodegario 30. libras restituere teneatur; & si e contra sentiunt, eum legitimum solvisse pretium, ad restitutionem non obligetur; atque eo sensu intelligi debent hæc verba S. Thomæ (a): *Justum pretium rerum non est punctualiter determinandum; sed magis in quadam æstimatione consistit.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 77. ar. 4. ad 1.

Quod vero spectat ad venditionem ejusdem sapphiri a Graciliano factam, ultra legitimum potest esse pretium: & in eo casu ad summæ excurrentis restitutionem tenetur; quia ex hoc Tobiæ dicto (b): *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias*, & ex his Domini nostri verbis (c): *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* In quæ verba dicit S. Thomas (d): *Sed nullus vult sibi rem vendi carius, quam valeat. Ergo nullus debet alteri vendere rem carius, quam valeat .... & tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est.* Atqui pretium 330. librarum venditionis a Graciliano factæ, multum excedere videtur, comparate ad pretium 70. librarum prioris venditionis a Leodegario factæ. Nam reipsa vel pretium prioris emptionis nimis modicum & injustum videtur: & in eo casu emptor ad restitutionem tenetur erga venditorem; vel est justum & legitimum: quo casu pretium 330. librarum, quod exegit a mercatore Gracilianus, videtur nimium & injustum; mercatori igitur excedentem summam ultra justum pretium restituere tenetur.

(b) Tobiæ 4. 14.

(c) Matth. 7. 12.

(d) S. Th. 2. 2. q. 77 art. 1. In argum. Sed contra & ad 1.

Certum quidem est, quod, cum denuo cædi ac poliri sapphirum curaverit, ut facilius vendi posset; quædam ipsius industriæ merces debetur, *si enim rem in melius mutatam*, inquit S. Thomas (e), *videtur præmium sui laboris accipere.* Verum credi non potest, mutationem in sapphiro factam potuisse tali modo illius pretium augere.

(e) S. Thom. cit. q. 77. ar. 4. ad 1.

Nullius pariter sunt momenti allatæ a Graciliano rationes, ut emptionem ac venditionem suam excusat; iisque facile responderi potest. Nam primo cum dicit, se ob impensas, quas exigunt ars ipsius & commercium, jus habere ad augendum pro rata pretium mercium suarum, easque vendendum cariori pretio, quam emit: Respondendum, sumptus illos & onera, si justa sint & necessaria, qualia sunt domus conductio, victus ac merces famulorum quorumdam, & alia similia; jus mercatori facere, ut ex mercibus suis aliquid lucri percipiat, ut docet S. Thomas (f); at defendi non potest, ob sumptus hujusmodi, merces illas vendi posse ultra justum pretium, a Magistratu vel communi hominum æstimatione; si merces sint ordinariæ, aut hominum intelligentium & proborum æstimatione præfixum, si merces sint gemmæ, tabulæ, aut aliæ hujusmodi: & supponendum semper, in æstimatione quarumcumque mercium includi & æstimari omnes legitimas impensas: quod permagni refert advertere.

(f) Idem. ib. art. 4. in corp.

2. Cum Gracilianus affirmat, quasdam esse gemmas, quæ non in commercio versantur; quocirca, eas emendo, periculum subest, ne diu asserventur sine venditione, unde fit ut ad eas emendas posita pecunia maneat otiosa & inutilis; atque idcirco tempore venditionis, eas carissime vendi posse: Respondetur, eum mercatorem esse imprudentem, qui merces comparat, quas vix vendibiles novit; &, si eas diu asservare teneatur absque venditione, postquam emit; eum sibi culpam commissam attribuere debere, & damnum quod patitur, non vero illud transferre in privatum quempiam, qui eas emere volet. *Damnum, quod quis sua culpa sentit*, inquit Bonifacius VIII. (g) *sibi debet, non aliis imputare*: quia eas ultra suum nequit vendere justum valorem, eum videlicet, quem rogatus in earum venditione vir intelligens in casu proposito determinasset. *Sunt enim & stulti & imprudentes ac temerarii quidam Mercatores*, inquit doctus Theologus (h), *qui, aut se facile decipi patiuntur, aut sumptus inutiles faciunt,*

(g) Reg. 86. de regulis juris in 6.

(h) Franc. Sylvius in 2. 2. q. 77. art. 1. quæsito 2.

aut periculis temere se objiciunt. Par est igitur, ut hi Mercatores temeritatis suæ pœnas luant; alioquin æqualitas, quæ, ut ait S. Thomas (*a*), est essentialiter requisita ad justitiam commutativam, quæque debet reperiri intar emptorem & venditorem & ad utriusque utilitatem converti, destrueretur, & consequenter venditio esset injusta. *Emptio & venditio*, inquit idem Sanctus Doctor (*b*), *videtur esse introducta pro communi utilitate utriusque ... quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius; & ideo debet secundum æqualitatem rei inter eos contractus institui .... & ideo si pretium vel excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat, tollitur justitiæ æqualitas: & ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustam & illicitum.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 80. art. 1. in corp. & q. 61. art. 2. in corp. Et quodlib. 2. ar. 10. in cor.

(*b*) Idem. ib. q. 77. art. 1. in corp.

3. Addit Gracilianus, quod, cum nobilibus aut opulentis viris pretiosa venduntur, qui ea ideo emunt, ut ambitioni suæ ac luxui serviant; videtur, quod tanti valent, quantum vendi possunt: seu ob usum earum rerum, seu quia de pretio non contendunt; atque hinc præsumi potest, eos tacite Mercatori donare, quod justum mercis suæ pretium excedit. Quibus respondendum.

1. Hanc regulam, *res tanti valet, quantum vendi potest*, esse falsam: quamvis aliter sentiant quidam Auctores, Sotus videlicet, Toletus, & Navarra (*c*): verum opinio eorum communiter a plerisque Theologis doctissimis refellitur, qui volunt, gemmis, quantumvis pretiosis, antiquis tabulis, etsi rarissimis, suum esse reipsa pretium, quod a viris earum rerum intelligentibus, aut etiam ab ipsis venditoribus determinari potest; si hæc omnia bona fide velint æstimare, *spectatis rerum, temporum, & personarum circumstantiis*, ut loquitur Sylvius (*d*) *quia justam cujusque rei pretium*, inquit, *sumendum est, non ex sola voluntate venditoris; sed judicio Mercatorum intelligentium.*

(*c*) Dom. Sotus. l. 6. de justit. q. 2. ar. 3. in fine. Tolet. instruct. Sacerd. lib. 8. c. 48. num. 1. Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. num. 12.

(*d*) Franc. Sylvius. 2. 2. qu. 77. art. 1. quæst 2.

Hæc igitur regula, *res tanti valet, quantum vendi potest*, ad litteram sumpta, est falsa; *respondetur non esse verum*, inquit idem Auctor, *si simpliciter accipiatur, prout sonat. Ac proinde falluntur, qui existimant, rem tanti vendi posse, quanti invenerit emptorem*. Neque admitti debet, nisi *quando cessat fraus, ignorantia, & necessitas emendi vel vendendi*, ut loquitur Sylvester (*e*); quocirca huic Sylvii principio standum: *Res non ideo tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere: sed quia tanti æstimatur a peritis talium rerum. Pro gemmis ergo, gemmariorum: pro floribus, herbariorum, pro picturis pictorum: pro canibus, venatorum; aut aliorum intelligentium hic attendenda est æstimatio.*

(*e*) Sylvester. v. *Emptio* q. 9.

2. Respondendum, ambitione, luxu, vel opulentia emptoria, jus venditori non conferri, ut mercem suam ultra justum pretium vendat; & si hujusmodi homines minus de pretio contendant vulgo, quam alii; id fieri, quia pecunia magis affluunt, & minus eis cognita est venditorum mala fides: cum certum sit, eos in emptionibus suis, æque ac alios, deceptionem abhorrere: una est igitur venditoris avaritia, qua fertur ad interpretandum in sui favorem præsumptam illam & tacitam donationem a divitibus sibi factam, summæ justum mercium suarum pretium excurrentis: cum nemo censeatur donare nimium alicujus rei pretium a se solutum, nisi justum agnoscat, & quod large superaddit, venditori manifestet: quod nunquam ferme evenit.

Id quidem probari potest testimonio Cajetani, qui de præsumptis illis loquens donationibus, erga eos, qui vel minoris res emunt, quam valent; aut eas ultra justum pretium vendunt, sic habet (*f*): *In hujusmodi commutationibus, scilicet emptione & venditione, non est recurrendum ad ea, quæ sunt per accidens, puta donationem admistam; dicendo, quod venditor præsumitur donare & hujusmodi: tum quia hoc non est verum, sicut nec in usura, etiamsi sine necessitate aliqua quis accipiat mutuum, sub usura præsumitur donare: tum quia justum quæritur, non donum in emptionibus & venditionibus*. Tum subjungit hic Cardinalis: *& hoc bene nota; ne fallaris, dicendo: ille non est in necessitate: voluit vendere: nemo coegit: potuit donare. Ergo donavit superfluum. Applica namque hoc ad accipientem sine necessitate mutuum sub usura... & perspicies erroneum esse discursum tuum ... quia commutatio exercetur, non donum: justitia, non liberalitas examinanda est.*

(*f*) Thomas de Vio Card. Cajet. in 2. 2. Sancti Thomæ. q. 77. art. 1.

Opportuna est omnino docti illius Cardinalis comparatio, qua contractus emptionis & venditionis confert cum usura, quoad illas præsumptas donationes tacitas. Nullus est enim usurarius, qui eandem non possit prætendere caussam; cum lucrum exigit e mutuo, iis præsertim collato, qui absque urgenti necessitate mutuantur: & eo prætextu nulla est tam indigna usura, quæ non fieret justa. Ut igitur turpiter errat usurarius, qui existimat, eum, qui solvit usuram, hanc sibi gratuito conferre; non minus errat Mercator, qui putat, eos, quibus merces suas ultra justum vendit valorem, majus sibi & superfluum pretium condonare.

In hoc Sylvius Cajetano consentit (*g*) *neque vero*, inquit, *si quispiam ejusmodi res pro libito vendiderit, justificare se poterit quasi per liberalem donationem emptoris, id accipiens, quod valorem prudenti aliorum judicio æstimatum excedit. Primo quidem quia emptores raro sunt ejusmodi, ut velint dare majus pretium, quam res valeat. 2. Quia ipsi non intendunt donare, sed emere.*

(*g*) Sylvius. art. cit.

Ex dictis hactenus sequitur 1. quod Gracilianus videtur egisse contra justitiam sive sapphirum emendo 70. libris, quam noverat duplo aut triplo majore pretio excedere, vel eam 330. libris gemmarum mercatori vendendo, qui non emit, nisi ut aliis etiam carius venderet. 2. Quod ut certior de veritate fiat, necesse est, ut professionis suæ quempiam arbitrum intelligentem & probum admittat, qui sapphirum æstimet, perspectis non modo temporis, cæterisque ipsius valorem, tum cum vendita est, minuentibus circumstantiis, verum etiam habita ratione industriæ Graciliani, & factæ mutationis, ut facilius vendi posset: ad cujus arbitri judicium se ita conformabit, ut si judicet, eum contra justitiam peccasse, vel in emptione vel venditione, vel in utraque; eas reparet restituendo justi pretii defectum Leodegario, a quo sapphirum emit injuste; vel excessum homini illi, cui nimium vendidit; si ipsi sit cognitus; vel si forte sit ipsi ignotus; eleemosynas erogando, (adhibitis tamen omnibus emptorem cognoscendi prius rationibus) donec satisfecerit pro damno, vel venditori sapphiri vel ipsius emptori, vel ambobus illato. Dicimus autem, necesse esse, ut Gracilianus hominem professionis suæ peritum & probe intelligentem admittat; *ad hoc enim judicandum*, inquit Sylvius (*h*) *non sufficit æstimatio venditoris, cum non debeat esse judex in propria caussa*. Quod idem affirmat Glossa (*i*): *Nec in sua caussa potest quis esse judex*; & Lex ipsa (*K*): *Lege generali decernimus neminem sibi esse judicem.*

(*h*) Sylvius. locu cit.

(*i*) Glossa in can. *De occidendis*. §. 23. q. 5.

(*k*) L. Unica. Cod. ne quis in caussa sua judicet.

CASUS XVII.

Clemens, Parisiis habitans, a multis suis provincialibus amicis mandata accipit; cum is roget eum, ut sibi pannos emat; alter linea texta aut argentea; alius libros, aut similia. Mandatis satisfacit: sed quia iis conficiendis multum tempus insumit; nec de mercede sua quidquam audit ab amicis; rerum emptarum pretia in suis monitis adauget parumper; quæ aucta sibi servat in mercedem laboris, insciis suis mandantibus. Quæritur, num in eo injustitiam quandam committat?

Respons.

Cum ex proposito casu sit manifestum, quod officiose & ex amicitia hæc mandata Clemens accipiat & exequatur; atque amici illius ab ejus urbanitate hæc omnia expectent officia; non nisi injuste sibi retinere potest, iis insciis, quam pro labore & temporis sui jactura debitam sibi mercedem existimat. Unde sequitur, eum teneri ad restituenda ea, quæ sibi retinuit. Ratio est, quia,

ut

(a) L. Obligatio. 1. ff. mandati. vel contra. §. 4. lib. 39. tit. 1. Et §. ult. instit. eodem tit.

ut fert lex Digestorum (a), *mandatum nisi gratuitum nullum est. Nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium est ergo officio merces: interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius pertinet.* Cum igitur Clemeus in eo ut amicus, non ut mercenarius agere debeat, mandantes suos decipit, cavendo, ne agnoscant, se ex eorum pecunia mercedem suam extorquere, atque adeo obligatur ad restitutionem eorum, quæ pro suo labore ac temporis jactura retinuit. His adde, eum cum injustitia mendacium conjungere, rationem mandatorum suorum augendo, hoc est, pretium a se solutum.

CASUS XVIII.

Columbanus, Sarcinator, jussus a Pamphilo, viro nobili, ut sibi 100. ulnas variorum pannorum emat, ad vestem famularem conficiendam, suamque; Julianum, pannorum Mercatorem adit, de quo pannos omnes, quorum sibi est opus, mercatur. Julianus, ut sibi amicitiam atque commercium servet Columbani, cujus interventu per annum magna pannorum copiam vendit, atque ut ei se gratum præbeat, minori ei pretio vendit, quam solet aliis quo lucrum ipsi afferat; atque ulnam panni pro undecim & sesqui libris cum eo mercatur, quam nemini nisi 12. libris vendit. Quæritur, utrum Columbanus a Pamphilo possit exigere, ut pannum hunc 12. libris solvat; cum certum sit, ut supponitur, non minoris Pamphilo aut cuilibet alii Julianum venditurum esse in sua taberna mercanti illum?

RESPONS.

Dici potest, periculosum esse, hanc difficultatem pro Sarcinatoribus decidere: verum quidem est, quod, si in se ipsa consideretur, prout modo fuit exposita, Columbanus non videtur injustitiæ reus; cum a Pamphilo illud duntaxat panni exigit pretium, quod ipse Pamphilus, aut pro eo quilibet alius rerum intelligens emptor solvisset; & quod Columbani lucrum oritur ex magna Juliani in ipsum propensione ob frequentes, quas ei curat, venditiones, & ex grato animo hujus Mercatoris, cujus ut præstet indicia, decem asses pro qualibet ulna ipsi remittit; ut cum ipso mercium suarum quasi lucrum dividat.

Attamen, Confessarii usu periti agnoscunt, vix fieri posse moraliter, ut hæ adsint omnes, quales exponuntur, circumstantiæ. 1. Quia sarcinator, qui venditoris fide ac verbis fretus, viliori se pretio emere existimat, non reipsa sæpissime emit; sed a mercatore deluditur, qui illum ad frequentem apud se emptionem allicit his verbis; dum pannum illius eodem, ac ipse pretio, quilibet alius emptor posset auferre. 2. Quia hujusmodi mercium emptio ideo sarcinatoribus mandatur, ut vilius emant, cum ceteris hujusmodi rerum peritia antecellant: unde sequitur, quod mandantes suos hac ratione decipiant, qui pretium tantummodo pro pannis solutum reddere; non vero illis lucrum afferre hoc modo intendunt. Quocirca in eos vere cadunt hæc verba Romani Oratoris de mandatariis hujuscemodi loquentis (b): *Ergo idcirco hæc culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam & fidem. Nam neque mandat quisquam, nisi amico; neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul amicitiam dissolvere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset.*

(b) Cicero Orat. pro Sexto Roscio.

CASUS XIX.

Ancelinus 1000. nummorum debet Gervasio. Hic in Ancelini domum juridicam manum injici, & post sententiam judicis sub hasta vendi curavit. Licitatores pro illius pretio, 10000. libras duntaxat obtulerunt: licet recens ab Ancelino fuerit condita; eique 25000. libris constiterit: Gervasius auctionem facit 10300. libris; atque ei pro tali pretio adjudicatur.

Quæritur, utrum hac specie emptionis Gervasius sit tutus in conscientia, ob auctoritatem justitiæ, quæ vult, ut plurimo licitanti res venalis addicatur; etsi certo sciat, quod in circumstantia publicæ venditionis, domus, etiam vili empta pretio, 18000. libras valeat.

RESPONS.

Auctores in ea difficultate discrepant. Quidam volunt, talem emptionem esse licitam, modo non interveniat dolus ex parte emptoris. His autem potissimum rationibus nituntur.

1. Non est injustitia, inquiunt, cum hæc emptio sit conformis legi, quæ statuit, ut in simili casu bona debitoris voci præconis ex sententia judicis subjecta, plurimo licitanti adjudicentur: & cum debitor, jacturam, quam tali adjudicatione patitur, suæ solum negligentiæ acceptum referat, non solvendo suum creditorem, juxta hanc juris regulam (c), *quod quis ex caussa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.*

(c) Reg. 203. ff. de diversis regul. juris antiqui.

2. Ad tranquillitatem familiarum statuere possunt Principes, ut sub certis conditionibus, servatisque certis formalitatibus bona sint aliorum dominorum, ut patet exemplo præscriptionum, quas ex æquo comprobant leges civiles & Ecclesiasticæ: ob eandem igitur rationem possunt edicere, ut, ad præstandam creditori solutionem, atque in pœnam malæ fidei, aut negligentiæ debitoris, illius domus ad ipsius creditorem, qui bona fide & absque dolo auctionem ultimus faciet, possit revertit: alioquin plerique creditores, legitime sibi debita sint amissuri; cum pauci sint debitores, qui non juridice coacti, debita sua persolvant.

3. Cum secundum æstimationem sit rerum valor, qui pro locorum, temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum varietate, multum quoque potest variari; necesse est omnino parere consuetudini, qua contingit, ut bona præconis voci subjecta, minoris fiant, & viliori emantur pretio, quam quæ in foro tabernisque vendantur: quare de his rebus judicandum, uti de iis, quæ emptoribus oblatæ, minoris etiam valere censentur, juxta istam Sancti Thomæ aliorumque Theologorum regulam: *Merces ultroneæ pretio vilescunt*: cum res auctioni exposita, sit res omnibus oblata ad eam emendam.

Ex his colligunt Auctores hujus prioris opinionis, nullum committi peccatum in æquitatem, emendo rem, cujus pretium auctoritate publica & usu ab omnibus recepto est determinatum.

Altera opinio est eorum, qui existimant talem emptionem esse injustam. En eorum argumenta validissima & convenientissima.

1. Jure naturali cautum est, ne quis alteri faciat, quod ab eo non vellet perpeti; *quod ab alio oderis tibi fieri, vide, ne tu aliquando alteri facias*, inquit Scriptura (d); *omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines*, inquit Christus (e) *& vos facite illis. Hæc est enim lex & Prophetæ*. Juxta hanc regulam, Christianæ disciplinæ fundamentum, inquiunt propugnatores hujus secundæ opinionis; præsupponere debet creditor, se esse debitorem, & a se ipso reposcere, num vellet, ut domus, quam 25000. libris emit, & cujus justum pretium in casu de quo agitur, ad 1800. libras pertingit, 10300. libris tantum venderetur. Nullus est, subjungunt iidem, creditor, qui tantam libenter ferre optaret jacturam, si ipse in eo casu debitor. Is igitur, de quo fit mentio in casu proposito, peccat in illud maximum præceptum, quo non minus ethnici & infideles, quam Christiani tenentur.

(d) Tob. 4. 16.
(e) Matth. 7. 12.
Et Luc. 6. 31.

2. Præsenti casui recte applicari potest, ajunt etiam, hæc juris regula (f), *jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem*. Quam ipsa adoptavit Ecclesia (g): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Is autem vere cum miseri debitoris injuria locupletatur, qui bonum illius dimidiato ferme pretio emit, illumque sub prætextu publicæ auctoritatis opprimit.

(f) Reg. 206. ff. de diversis reg. juris antiq.
(g) Reg. 48. de reg. juris in 6.

3. Laudant auctoritatem S. Augustini, dicentis (h), quod *vili velle emere & caro vendere ... revera vitium est*: atqui certum est, quod creditor licitans nollet omnino, rem suam tam vili pretio vendi, quo nihilominus emere gaudet bonum debitoris, a quo tali venditioni consensum extorquet judicis auctoritas. Igitur reus est vitii, de quo loquitur Sanctus Augustinus, atque in conscientiæ fo-

(h) S. Aug. 13. de Trinit. c. 3.

ro

ro non est tutus; quia lex civilis in eo casu non est conscientiæ regula, in quo violatur lex naturalis.

4. Sic etiam argumentantur: certum est quidem, quod merces & alia bona mobilia non censentur valere, nisi secundum æstimationem legum & consuetudinis: quia pretium eorum non est naturale & fixum, sed pro eorum copia & penuria mobile & arbitrarium: quare minoris æstimantur voci præconis subjecta, quod eorum venditionem vile tantum pretium vulgo procuret; at non idem existimandum, inquiunt, de immobilibus, qualis sunt, agri, ædes & census, quæ e loco in locum transferri, nec facile mutari possunt, ut pote bona stabilia, permanentia & semper eadem: unde communiter fixum habent pretium, quod ferme determinat consuetudo locorum, ubi posita sunt. Quocirca valde discrepant a bonis mobilibus, quorum mutatur sæpissime pretium; quæ usu atteruntur; quæque ad vitæ hominum commoda aut delectationem conferunt: ex quo legitime videtur colligi, ea cum mobilibus, nisi injuste conferri posse, atque ea vili precio emere velle, sub eo prætextu quod ex judicis sententia vendantur. Lex enim, qua bona illa plurimo licitanti venduntur, non intendit, rerum sic venditarum mutare valorem, sed solum creditoris solutionem procurare, atque debitorem ab injustitia vindicare, non permittendo ipsius bona voluntati creditoris, publicamque eorum venditionem decernendo, ut litium sit finis, & utrique concordia: sed non intendit lex, ut sit regula conscientiæ emptoris, qua tenetur ad solvendum justum rei ex decreto venditæ, ut in ceteris emptionibus, pretium. Id confirmari potest ex propriis legum Romanarum verbis, etiam in casu venditionis ex edicto factæ pro Republica. *Si quos debitorum mole depressos*, inquit una ex his legibus (*a*), *necessitas publicæ rationis astringit, proprias distrahere facultates; rei qualitas & redituum quantitas æstimetur; nec sub nomine subhastationis publicæ locus fraudibus relinquatur, ut possessionibus viliore pretio distractis, plus exactor ex gratia, quam debitor ex pretio consequatur.* In quam legem sic ait Bartolus (*b*): *Nota, æstimationem fieri secundum rei qualitatem & redituum quantitatem: tene menti hanc legem, quæ bona est. Nota, quod non est sufficiens probatio; quod res tantum valet & non plus, quando facta subhastatione tantum reperitur, & non plus. Debet ergo fieri æstimatio secundum rei qualitatem, & redituum quantitotem per bonos homines, ad hoc ponendos.*

(*a*) Si quos. 16. Cod. de rescind. venditione. lib. 4. tit. 44.

(*b*) Bartolus in tit. Leg. Si quos.

5. Hanc etiam addunt quintam rationem, quod idem dicendum de lege, qua statuitur boni subhastati addictio ei, qui licitatione vincit; atque de lege, qua non debet admitti actio pro læsione in venditione bonorum, nisi dimidiam justi pretii quantitatem, & amplius, læsio excedat; nam etsi lex suffragetur emptori, qui 100. libras tantum solvit pro re, quæ 2000. librarum valebat; emptor ille non est tamen tutus in conscientia, etsi lex ipsi faveat; & coram Deo ac secundum naturalem æquitatem tenetur defectum justi pretii supplere, & restituere venditori, ut docet Panormitanus his verbis (*c*): *Illud procedit jure fori, non jure poli: id est quoad Deum non procedit: sed jus positivum voluit, pro modica læsione dari actionem in odium litium; & quia homines omni die super hoc litigarent.* Idem ergo ferri debet judicium de lege, qua statuitur ut bonum subhastatum addicetur ei, qui auctione vicerit: cum lex utraque id unum intendat, ut inter privatos cito terminentur processus in Republica; nec utraque ad regulandam conscientiam valeat.

(*c*) Panormitanus in cap. Plerique. de immunitate Ecclesiarum &c. n. 28. l. 3. tit. 40.

Hæ sunt duæ circa propositam difficultatem opiniones, præcipuaque utriusque opinionis argumenta; quarum prior suam habet probabilitatem; at posterior magis est æquitati naturali conformis; ac solidioribus firmatur rationibus. Existimamus igitur, pretium 10300. lib. pro quibus Ancelini domus Gervasio fuit adjudicata; etsi legitimum in foro civili, non tamen esse justum in foro conscientiæ: cum justus hujusce domus valor, ut supponitur, etiam in circumstantia decreti consideratæ, sit 18000. librarum: atque adeo, Gervasium, cui addicta est, teneri ad restituendum Ancelino supplementum 770. lib. Ratio est, quia creditori in nullo casu potest esse licitum vexare suum debitorem, ipsum cogendo ad dimittendum sibi bonum suum pro dimidia pretii illius quantitate; legumque auctoritate abutendo, ad illum spoliandum: nam si id per leges fas esse videatur; id fit, non approbando, sed solum reos non puniendo.

Hæc solutio confirmari potest auctoritate D. Thomæ (*d*) qui dicit, quod *carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum & illicitum*. Atque adeo necessaria est restitutio in utroque casu, cum leges huic rei contrarium nihil possint statuere, licet forte quædam ad publicam utilitatem mala tolerent, reos non puniendo. Lex humana populo datur, subdit paullo post sanctus Doctor, in quo sunt multi a virtute deficientes; non autem datur solum virtuosis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quicquid est contra virtutem: sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbat, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat; nisi sit nimius excessus: quia tunc lex humana cogit ad restituendum: puta si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium. Unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas justitiæ observata, & tenetur ille, qui plus habet recompensare ei, qui damnificatus est.

(*d*) S. Th. 2. 2. qu. 77. in corp. & ad 1.

CASUS XX.

Durandus, Sacerdos, calicem habet argenteum, quatuor bessium pondere, mirabili industria perfectum, pro cujus opificio viginti solvit nummos, & in quo leve est, quod reprehendas. Ipsum defert ad Eustachium Aurificem, qui videns, illius defectus facile emendari posse, ita ut tanquam novus habeatur, ipsum emit pro pondere, solvendo pro besse quolibet 30. libras, pretium videlicet a Principe præfixum, nulla habita ratione opificii, quamvis agnoscat illud permulti constitisse. Postea calicem hunc Cornelio vendit Eustachius 42. libris pro quolibet argenti besse, computato in hoc pretio, calicis opificio. Quæritur, utrum contractus ille sit injustus ex parte emptoris?

RESPONSIO.

Ut clare solvatur hæc difficultas, certum istud supponendum est principium, rem videlicet, cujus pretium auctoritate Principis non est determinatum, non reipsa valere, nisi quanti ea a peritis probisque illius pretium cognoscentibus æstimatur. *Justum pretium rerum*, inquit sanctus Thomas (*e*), *non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit*. Atqui certum est, omnia vasa aurea & argentea ab aurificibus, nisi secundum proprium suum pondus non æstimari communiter, non habita artificii ratione. Eustachius igitur injuste non egit, neque erga Durandum, cui valorem ponderis calicis ejus tantum solvit; neque erga Cornelium, a quo duodecim libras pro cujuslibet bessis artificio exegit.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. ad 1.

Ceterum, cum dixerimus, res tanti valere, quanti a peritis earum rerum viris, probisque communiter æstimantur; si vasis materiam qualecumque sit, superaret opificium; ac vir hujus rei intelligens & probus absque præjudicio & fraude, pluris illud, quam pondus ipsum æstimaret, alio modo judicandum esset, quam de calice de quo egimus, atque de illius pretio secundum æstimationem decernendum, juxta regulam S. Thomæ.

Vide { Monopolium. Venditio. Usura. Casibus 4. 7. 19. & 42. }

EMPHY-

EMPHYTEUSIS.

EMPHYTEUSIS est species quædam conductionis, quæ Emphyteutica dicitur, quæque originem suam ducit ex difficultate dominorum, qui prædia habebant infructuosa aut inculta, ad inveniendum conductores, qui eos solitis conductionibus vellent conducere: qua re fuere coacti ad ea danda in perpetuum, cum onere culturæ, meliorisque status, nec non reditus annui, quolibet anno solvendi.

Emphyteusis itaque cum Domato (*a*), optime definiri potest: Contractus, quo dominus prædii, illud Emphyteutæ tradit ad colendum & ad meliorem statum deducendum, ut eo in perpetuum fruatur sub ista conditione, & mediante quadam summa annua, pecunia aut frumento, aut aliis oneribus solvenda, de qua ex contractu fit conventio.

Hæc definitio, quoad perpetuitatem, conformis est Legi Digestorum & Codicis, nec non istis Imperatoris Justiniani verbis (*b*): *Ut ecce de prædiis, quæ perpetuo quibusdam fruenda traduntur, id est, ut quamdiu pensio sive reditus pro his domino præstatur; neque ipsi conductori, neque heredi ejus, cuive conductor, heresve ejus id prædium vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, aliove quocumque modo alienaverit auferre liceat*: & quoad diversam census speciem, pariter legi ad marginem indicatæ conformis est (*c*).

Ex his hujusce Imperatoris verbis manifeste apparet, Emphyteusim omnino a simplici conductione discrepare.

1. Quia Emphyteusis est contractus perpetuus, ut indicant verba ista, *per petuo quibusdam fruenda traduntur*: Unde jus Emphyteuticum in multis legibus dicitur *jus perpetuarium* (*d*).

2. Quia Emphyteuta hoc contractu speciem quamdam dominii acquirit, quod dicitur *dominium utile*, quodque consistit in jure perpetuo fruendi & percipiendi fructus agri seu prædii, solvendo ejus censum, & etiam illud ad heredes suos transferendi, aut sub eadem conditione de eo tamquam de proprio bono disponendi (*e*); ob quam caussam in Lege Emphyteuta dicitur dominus fundi (*f*): & locum habet redhibitio quoad fundum Emphyteuticum, ut fert consuetudo Parisiensis (*g*).

Sed advertendum 1. quod ut quis de agro seu fundo disponat, eumque Emphyteutico contractu conferat, necesse est, ut sit *sui juris*, & quod si de pupillo agatur, Emphyteusim constituere nequit, nisi de consensu sui Tutoris aut Curatoris.

2 Quod si de bono Ecclesiæ agatur, necesse est, ut eædem serventur formulæ, quæ in boni hujusmodi venditione requiruntur, & quæ in eo positæ sunt, ut pro fundo ad Capitulum sæculare aut regulare pertinente non constituatur Emphyteusis, nisi de consensu illius; aut pro fundo qui sit Parœciæ alicujus, de voluntate tantum Parochi & omnium Æedituorum atque Seniorum.

Quamvis prima fronte videatur, Emphyteusim de agris tantum infecundis ab initio fuisse constitutam, obtinet tamen etiam in agris fecundis ob fructus ac reditus quos producunt, quales sunt fructus agrorum, atque domus: *Loca omnia, fundive Reipublicæ*, inquit Lex (*h*), ... *perpetuariis conductoribus locentur*.

Sunt locationes Emphyteuticæ, quæ, licet non sint perpetuæ, sed ad diuturnum dumtaxat tempus, v. g. centum annorum factæ, vigent tamen in Gallia. Et vulgo fiunt pro 99. annis. Et etiam juxta Galliæ jurisprudentiam, omnis conductio seu locatio quæ novem excedit annos, Emphyteutica habetur, atque adeo abalienationem inducit, quasi pro 30. aut 50. aut 99. annis facta fuisset: ita ut Emphyteuta dominium utile fundi acquirat, & datori directum tantum supersit dominium. Sed observare interest, quod, cum ad determinatum annorum numerum facta est Emphyteusis, tum Emphyteuta fundum oppignerare, aut dare, aut vendere nequit nisi ad tempus Emphyteusi præfixum; quia ad ipsum non pertinet directum fundi dominium, neque etiam dominium utile, nisi ad finem temporis contractu præfixi.

Emphyteuta fundum quem titulo Emphyteusis obtinet, vendere non potest, nisi prius denuntiato ejus pretio domino directo, qui intra duos menses

(*a*) Domat. Leg. civiles secund. naturalem suum ordinem. lib. 1. tit. 4. sect. 10. art. 1.

(*b*) §. 3. Instit. de locatione & conductione. l. 3. tit. 25.

(*c*) Leg. Domin. 5. cod. de agricolis & censitis & col. lib. 11. tit. 48.

(*d*) Leg. *Ad Palatinorum*, 1. cod. de officio comitis sacr. Palatii & Leg. *Divi*. 12 & Leg. *Prædia*, 3. cod. de locatione prædiorum civil. &c. lib 11. tit. 70 & Leg. *Viam*. 10. cod. de locato & conducto. l. 4. tit. 65.

(*e*) Leg. *Jus emphyteuticarium*. 1. cod. de jure emphyteutico. lib. 4. tit. 66

(*f*) Leg. *Possessores*. 12 cod. de fundis patrimonialibus &c. l. 11. tit. 62.

(*g*) Consuetud. Paris. art. 49.

(*h*) Leg. *Loca*. 5. cod. de loca. præd. civil. &c. lib. 11. tit. 70. Leg. *Si fausta*. 15. §. 26. ff de damno infecto. lib. 39. tit. 2.

post

post factam denuntiationem, venditum fundum retinendi jure fruitur, persoluto Emphyteutæ pretio, quo se erga eum obstrinxerat emtor. Id autem in foro *jus prælationis* dicitur. Sed duobus illis mensibus elapsis, eo jam frui nequit jure aut venditionem impedire: Et quintam dumtaxat pretii partem exigere potest, ut novum Emphyteutam confiteatur: quod tamen non obtinet in censibus qui prædiales dicuntur & non redimibiles; etsi fuerit stipulatum, acceptorem teneri ad fundum meliorem efficiendum. Ratio est, quia hujusmodi contractus non habentur tamquam veræ Emphyteuses, atque in Gallia raro obtinent.

Hæc est certa regula, Emphyteutam videlicet in datorem directum dominium quocumque temporis lapsu præscribere non posse (*a*).

(*a*) Mainard. lib. 6. cap. 56.

Qui ab Emphyteuta fundum Emphyteuticum habent, de omnibus tenentur conditionibus Emphyteusis titulo latis, & etiam aliis rebus, quas præscribit loci consuetudo, ut sunt ver gr. solutio laudemiorum, & venditionum, & alia onera.

Emphyteuta datorem cogere potest ad resumendum fundum, quem titulo Emphyteusis habet ab eo, quando sibi onerosus est contractus: iniquum enim foret, ut pro insufficienti fundo censum perpetuum solveret; cum in locationibus aut conductionibus ordinariis in multis casibus teneatur locator seu conductor de pretio minuere pro villico, qui ex aliquo inopinato casu grave patitur damnum in fructibus percipiendis.

Cum Emphyteuta, ut dictum est, utile fundi dominium obtineat, par est, ut damna quæ ex fortuitis casibus, aut aliunde oriuntur, in ipsum solum cadant, quin de iis teneatur ejus dator, modo fundus integer remaneat. Ratio est 1. quia fundus ei tantum fuerat datus, ut meliorem redderet. 2 Quia in ejus proventum vertere debet fundi melioratio.

Dicimus: *modo fundus integer remaneat*: Nam si in totum aut pro parte fundus periret, ejus damnum in datorem caderet, ut fructuum jacturam & meliorationis fert Emphyteuta; ut expresse Legibus statuitur (*b*). Verum quidem est, quod si pars tantum fundi periret, de integro tamen censu teneretur Emphyteuta: sed in hoc casu fundo cedere posset, observatis quæ jure requiruntur formulis.

(*b*) Leg. fus. 1. cod. *de jure emphyteut.* l. 45. tit. 65. 8. §. 3. Institut. de locato & conductione.

Fundum quem Emphyteusis titulo obtinet Emphyteuta, deteriorem facere non potest, ut clare probamus in prima decisione.

Ultimam hanc tandem addimus regulam, scilicet Emphyteutam de possessione fundi expelli posse defectu soluti census post justam a judice concessam dilationem; & quidem, si expellatur, nullam in foro exteriori exspectare potest compensationem impensarum, quas in fundo meliore efficiendo insumsit, quamvis ad suum lucrum fructus percipere ac vendere queat. Certum quidem est ex jure Romano, Emphyteutam qui duos sinerat annos elabi non persoluto censu, jure suo ex hoc fieri privatum, & expelli a domino directo, qui statim fundi possessionem resumere poterat. Sed in Gallia jus est minus rigorosum, nec fundo privatur Emphyteuta, nisi dilata ad triennium solutione census: quo in casu dominus directus fundi possessionem pleno jure sumere potest, ne facta quidem ulla Emphyteutæ prævia solutionis contestatione (*c*): Si tamen ultra conductionis suæ debitum impensas fecisset ad fundi proventum, sive ad necessaria vel utilia ædificia, aut aliter; æquum esset, ut earum rationem haberet dominus directus, quantumvis contraria in quibusdam Parlamentis servetur jurisprudentia. Hactenus dicta in hoc articulo consentiunt cum Legibus ad marginem indicatis (*d*).

(*c*) Argon. Institut. ad jus Gallicum. t. 2. l. 3 c. 38. p. 281.

(*d*) Leg. *Jus emphyteuticarium*. 10 & Leg. *Cum dubitatur*. 2. cod. de jure emphyteut. co, Novella 7. c. 1. §. 2. & Novella 120. c. 8.

CASUS PRIMUS.

Rigobertus, prædii dominus illud Rollando ex emphyteusi pro annuo sexcentarum librarum censu conduxit. Illud postea multo deterius fecit Rollandus, avulsis nimirum vineis frugiferis quatuor jugerum, quæ oblectationis caussa proceris & infecundis consevit arboribus, aut illud alio modo vastavit. Qua de re conquestus juridice Rigobertus prædium sibi reposcit, simulque illati a Rollando damni compensationem. Contendit contra Rollandus, se prædii dominium habere, sexcentas quolibet anno libras Rigoberto persolvendo: neque de ulla re alia se teneri. Cui jus?

RESPONSIO.

Ad istam difficultatem respondemus, a Rollando utiles fieri potuisse mutationes in prædio, quod a Rigoberto per emphyteusim obtinet, v. g. veteribus vineas novellas substituendo, aut veteri ædificio novum superstruendo, ut fert natura hujusce contractus (*e*): Sed illud deterius facere non potuit, aut factas jam meliorationes destruere. Ratio est; quia licet proprietatem quamdam habeat, quæ in jure *dominium utile* vocatur, in eo positum, quod illud dare,

(*e*) Leg. *Cum dubitatur*. 2. cod. de jure emphyteut. l. 4. tit. fin.

re, aut abalienare aut etiam ad suos transferre possit hæredes; quo fit, ut in jure quandoque emphyteutæ Domini vocentur, *cum fundorum sint Domini*, ut ait Lex (*a*); primarium tamen, directum ac præcipuum ejus non obtinet dominium, quod est Rigoberti, quæ sexcentarum librarum censum non percipit, nisi ut fructum, qui ex proprio fundo suo procedit; quare conductor emphyteuticarius in lege fundi Dominus appellatur. *Pensio, sive reditus pro suis Domino præstatur* (*b*), & Lege Digestorum fertur, Emphyteuten illius non esse Dominum (*c*): *quamvis non efficiantur Domini*.

Hincque colligi necesse est, quod, cum deterioratio, de qua fit mentio in casu proposito, sit Rigoberto valde noxia, in Rollandum jus dicere potest, ut solvatur Emphyteusis, eumque cogat, ut id quod deterius factum est, resarciat, quasi in usufructuarium ageret: *Sed siquidem deterius fecerit prædium suburbanum, aut domum qui emphyteusim percepit, cogi eum de suo diligentiam ac restitutionem prisci status facere, & obligatum esse ad hoc ipsum, & heredes ejus & successores, ejusque res insuper & debitos omnes reditus sine dilatione exigi*. Ita loquuntur Leges. *Si vero quis aut locator, aut emphyteuta ... deteriorem faciat rem*, inquit etiam Imperator (*d*): *Damus licentiam venerabili domui, ex qua locatio aut emphyteusis facta est .... antiquum statum locatæ, sive emphyteuticæ rei exigere & ejicere de emphyteusi*. Diximus; *cum deterioratio sit Rigoberto valde noxia*: Nam si leve esset damnum illatum, aut Emphyteutes ligno, fœno, pascuis aut vino careret, atque fundus ad ligna aut vineas, quam ad segetes esset aptior, Domino tum directo jus non competeret necessarias prohibendi in eam rem mutationes, ut ait La Roche Flavio (*e*), & post ipsum D. Brillon in suo Arrestorum Dictionario; sed si evidens non urgeret necessitas, mutationes illas impedire valeret, & emphyteutam cogere, ut res ad pristinum earum statum reduceret.

Diximus etiam, factas in fundo meliorationes ab Emphyteuta destrui non posse: quod probari potest exemplo usufructuarii, cui id ipsum legibus prohibetur. *Si quid inædificaverit*, inquit una ex his Legibus (*f*), *postea eum neque tollere hoc, neque refigere posse*.

Advertendum, quoad præsentem difficultatem, quod si fundo emphyteutico illata populatio ex aquarum illuvione, hostium incursione, aut vi quadam majori contingeret, tunc de ea non teneretur emphyteutes erga Dominum directum. *Servius omnem vim, cui resisti non potest, Dominum colono præstare debere ait*, ut fert Lex Digestorum (*g*) .... *ut puta fluminum ..... aut si incursus hostium fiat*.

(*a*) Leg. *Possessores* 12. cod. de fundis patrimon. &c. l. 11. tit. 62.

(*b*) §. *Adeo*, 3. institut. de locat. & conduct. l. 3. Institut. tit 25.

(*c*) Leg. *Agri*. 1. §. 1. ff. Si ager vectigalis, vel emphyteuticarius petatur. l. 6. tit. 3.

(*d*) Nuvella 7. c. 3 §. 2. Novell. 120. c. 8.

(*e*) La Roche Flavin, tract. de juribus domi. c. 31. art. 5.

(*f*) Leg. *Si quid*. 15. ff. de usufructu, & quemadmodum quis utatur fructu. lib. 7. tit. 1.

(*g*) Leg. *Ex conducto*, 15. §. 2. ff. locati conducti. lib. 19. tit. 2. Item. c. 23. ff. de diversis regulis juris antiqui.

CASUS II.

Cum domum Clotarius ejus Dominus ex emphyteusi Briando locasset sub annuo quingentarum librarum censu, ab hæredibus Briandi aut ab eo caussam habentibus ultra centum ac viginti annos jam fuerat possessa, cum subito fulminis incendio periit. Nunquid in Emphyteutam cadit hujusce domus jactura?

RESPONS.

Etsi ob emphyteutici contractus perennitatem ad eos perveniat emphyteusis, qui Emphyteutæ jus obtineri seu ex hæreditate, venditione, donatione, aut alia qualibet abalienatione, nec canonem seu censum solvendo emphyteusi aliquando privari possint (*h*), atque ita dominium ejus utile obtineant; certum est tamen ei, qui fundum suum ex emphyteusi condoxit, directum illius permanere dominium, ut loquuntur Jurisconsulti; quod fundum suum tantum condocat, ut censum percipiat, tanquam fructum illius fundi, cujus præcipuum adeo jus proprietatis retinet, ut jam in superiori difficultate probavimus. Ex quo sequitur in proposito casu domus jacturam, non ad Briandum, sed ad Clotarium pertinere: ut enim fructuum & proventuum fundi amissiones, quæ ex casibus fortuitis contingunt, in Emphyteutam cadunt, quod eorum utilitatem percipiat: ita pariter ad Dominum solum directum spectat fundi jactura ex fortuitis casibus proveniens. *Si interdum ea, quæ fortuitis casibus eveniunt*, inquit Lex (*i*), *fuerint conventione concepta; siquidem tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusim data est, faciat interitum, hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin vero particulare, vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur substantia, hoc emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum*.

Observandum autem circa ultima Legis hujusce verba, quod, si ex fortuito casu pars tantum fundi pereat; integrum semper tenetur Emphyteuta solvere censum: Sed ipsi liberum est ab eo se eximere de cedendo de possessione; hoc est, reliquum fundum ei reddendo, a quo ipsum per emphyteusim conduxit.

(*h*) §. *Adeo autem*. 3. institut de locato & conduct.

(*i*) Leg. *Jus emphyteuticarium*. 1. cod. de jure emphyteutico. l. 4. tit. 66.

ENERGUMENUS.

ENERGUMENUS hic dicitur *Dæmoniacus* Latine seu *a Dæmonio obsessus*, *qui* nimirum *diris malis agitur*, vel, *qui extrinsecus a Dæmonio vexatur*: Græce Ἐνεργούμενος. *Energumeni*, inquit Glossa (*k*), *dicuntur Lunatici & obsessi a Dæmonibus, ab en; quod est in, & ergo, quod est labor, & mene, quod est defectus: quod est quasi in opere deficiens*; & alibi (*l*), *quia scilicet in defectu lunæ & mentis alienationes mentis patiuntur*; quod Auctor hujus Glossæ ex inclyto deprompsit Archidiacono.

Dæmon sæpissime per os energumenorum loquitur: ita ut difficile secerni queat, an Dæmoniacus, an vero Dæmon ipse loquatur; multa tamen sunt indicia, quibus de eo judicari potest.

Primum est, cum verba resve profert, quorum intelligentia Dæmoniaci captum longe superat, aut etiam audientium; ut, si rusticus litterarum expers Græco, aliove idiomate loqueretur, quod nunquam didicisset: aut subtilissimas Philosophiæ aut Theologiæ quæstiones exponeret: tunc dubium esse non posset, quin ipse Dæmon loqueretur: cujus quidem rei istud indubitatum haberi potest argumentum, quod, si energumenum jam non agitet Dæmon, lucidumque aliquod ei relinquat intervallum, ita ut interrogari possit obsessus de iis, quæ protulit, aut potius Dæmon per os suum, aperte declarat, illud se penitus ignorare, ac ne quidem recordari.

(*k*) Gloss. in can. Exorcistæ 17. d. 23.

(*l*) In can. Omni die. 1. de consecrat. dist. 1.

Alte-

Alterum est, cum res secretas declarat, quæ sciri non possunt, seu ob magnam locorum distantiam, seu ob alias circumstantias, quibus incognitæ fieri possunt, ut probat exemplum puellæ, e cujus corpore spiritum Pythonem Paullus ejecit (*a*).

(*a*) Act. 16. 16. 17. & 18.

Tertium est, cum momento temporis ab extrema debilitate ad robur insolitum, aut a mortis angustiis ad integram perfectamque valetudinem transit Dæmoniacus: tunc enim judicari potest, duos adeo diversos a se invicem status sibi in instanti naturaliter succedere non posse: cum subitos nunquam & adeo contrarios effectus natura non edat; sed per gradus semper agat, nec ab uno extremo ad aliud transeat in instanti. Quocirca tam diversi effectus illi possunt haberi, uti a maligno producti spiritu, qui vitales spiritus aut dissipare aut simul novit cogere, ad productionem hujusmodi symptomatum adeo insolitorum. Hæc sunt potissimum indicia, quibus Dæmoniaca possessio ab ægritudine naturali potest distingui.

Sunt & alia duo triave indicia; sed quia ad istorum certitudinem ac evidentiam non accedunt; ideo hæc in præsenti omittimus.

Tanti autem interest, ut hactenus dicta non ignorentur, quod certum sit, apud plebem ignaram quosdam reperiri, (ut multis nobis est compertum exemplis) qui melancholicis tantum & malignis aguntur vertiginibus, quæ caput ac vim imaginatricem offendunt, & qui tamen se a dæmone possessos vel obsessos contendunt.

Famosum hujusce rei profert exemplum Paullus Zachias (*b*) de duabus sororibus, quæ Romæ tam vehementes atque insolitas patiebantur distortiones, ut nemini dubium esset, quin a dæmone vexarentur; sed brevi contrarium innotuit: cum enim frustra adhibiti fuissent exorcismi, venæ sectione, purgationibus aliisque brevi convaluere remediis, quæ ipsis facienda præscripsit Clemens Cynthius, tum Paulli V. Medicus. Ex quo videre est, sapientis esse Sacerdotis, istis subito non illaqueari tendiculis, aut ad exorcismum recurrere ante licentiam Episcopi, qui hanc concedere non debet, nisi comperta rei veritate post accuratam facti discussionem, & distinctionem eorum effectuum, quos parit hujusmodi ægritudo, ab iis, quos malitiose dæmon producere valet.

(*b*) Zachias lib. 9. Consil. 49.

CASUS PRIMUS.

Achilles, a dæmone possessus, aut obsessus, quia sæpe juramenta profert ac verba blasphema, & quandoque etiam turpiter agit; peccat ne in eo mortaliter?

RESPONS.

Dici nequit Achilles esse reus dictorum aut factorum suorum, dum est in hoc statu. Ratio est, quia hæc ei non sunt libera, sed dæmon ipse ore simul & lingua ejus nititur ad proferenda juramenta ac blasphemias, quæ profert, aliaque in hoc homine admittit facinora, de quibus fit mentio in casu proposito. Ita sentit Angelicus Doctor his verbis (*c*): *Diabolus propria virtute, nisi refrænetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum qui de suo genere peccatum est. Non autem potest inducere necessitatem peccandi: quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem & appetitum sensitivum, sicut in arreptitiis patet. Sed tunc ratione sic ligata, quicquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum.* Ratio autem, cur homo in hoc statu positus non peccat, est, quia dæmonis potestas in organa corporea, ad voluntatem ejus nun pervenit, quia hominis voluntas ab organis corporeis non pendet: *Sed tamen hoc non pervenit ad voluntatem*, inquit alibi hic Sanctus (*d*), *quia voluntas, neque quantum ad actum, neque quantum ad objectum, dependet ex organo corporali: quia objectum suum ab intellectu accipit secundum quod intellectus apprehendit aliquid in ratione boni.*

(*c*) S. Thom. 1. 2. q. 80. art. 3. in corp.

(*d*) Idem. 1. 2. q. 8. art. 5. in corp.

CASUS II.

Balthasar, sancti Lupicini Parochus, in sua Parœcia Energumenum habet, hoc est, hominem a dæmonibus obsessum (*e*), qui actu periculose ægrotat. Nunquid et sacrum potest dare viaticum, quod postulat?

(*e*) *Obsessi a dæmone.* gl. in can. *Exorcista.* 17. dist. 23. & in can. Omnis. II. de consecrat. dist. 3.

RESPONS.

Asserit sanctus Thomas (*f*), idem esse dicendum de energumenis, atque de amentibus, hoc est, quod, si lucida habeant intervalla, atque pium animi affectum erga sacrosanctum Sacramentum fuerint testati, sacra ipsis conferri potest communio; quod probat his verbis Cassiani: *Eis, qui ab immundis vexantur spiritibus, communionem sacrosanctam, a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam.*

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. quæst. 3. in argum. *Sed contra.*

Istam tamen sanctus Doctor addit exceptionem: *Dæmoniacis non est deneganda communio; nisi forte*, inquit (*g*), *certum sit, quod pro aliquo crimine a Diabolo torqueantur.* Hæc sunt Angelici Doctoris verba; quæ de iis tamen sunt intelligenda, qui peccatum suum sincera non luissent pœnitentia.

(*g*) Idem. ib. quæst. 1. ad 2.

Confirmari potest sententia sancti Thomæ auctoritate Concilii primi Arausicani an. 441. sub sancto Leone habiti (*h*, in quo statuitur, ut ad sacram communionem admittantur Energumeni, si eam postulent, & ad Sacerdotem recurrant, ut vi sacramenti subleventur, atque novum contra dæmonis vehementiam robur acquirant: quod quidem eo magis æquitati est consonum, quia juxta illud Gregorii X. in secundo Concilio œcumenico Lugdunensi an. 1273. habito dictum (*i*), *ubi periculum magis intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum*. Unde colligimus, non denegandam esse a Parocho communionem Energumeno, de quo agitur, sed pro eo tenendam esse sancti Thomæ sententiam, simulque additam ab eodem Sancto exceptionem.

(*h*) Concil. Araus. 1. c. 14.

(*i*) Greg. X. in cap. Ubi, 3. de electi. & electi potest. in 6. l. 1. tit. 6.

EPISCO-

EPISCOPUS.

VOCE, *Episcopus*, significatur Præfectus, seu Inspector; hoc est, is, qui totius sibi subditi gregis curam habet, comprehensis simul Pastoribus, Sacerdotibus, ceterisque inferioribus Ecclesiæ Ministris.

Ordo sacer Episcopatus, (qui, ut loquuntur Ecclesiæ Concilia, & Patres, est plenitudo Sacerdotii, quippe unus est, ut Ecclesia una est, ut ait sanctus Cyprianus (*a*),) digne suscipienti gratiam confert, eumque indelebili figat charactere, quo potestatem accipit, ceteris exclusis, conferendi sacros ordines (*b*), benedicendi sanctum Chrisma, & oleum infirmorum, & Ecclesias, atque Altaria consecrandi.

Episcopus etiam accipit potestatem jurisdictionis, qua reos suspensione, interdicto, & excommunicatione ligare potest, eos ab his censuris absolvere, fidelibus indulgentias concedere, & Confessarios approbare.

Quocirca triplex in Episcopis agnoscenda est potestas: scilicet potestas ordinis, potestas regiminis in iis quæ pertinent ad curam animarum & Episcopalis characteris executionem, & potestas jurisdictionis; respectu cujus solius habent superiorem. Hinc Metropolitanus, nec alius quilibet jurisdictione Episcopo superior, suffraganeum suum jure cogere potest ad conferendos Ordines, aut Ecclesiam consecrandam, aut novam constituendam, ut statuit Concilium œcumenicum Chalcedonense (*c*). Qui pleniorem volunt habere notitiam totius amplitudinis jurisdictionis Episcopalis, quæ voluntaria dicitur, auctores ad marginem indicatos possunt consulere (*d*).

Episcoporum institutio est de jure divino (*e*), utpote cum sint Apostolorum successores, ut ajunt sanctus Cyprianus (*f*) & Tridentini Patres (*g*), & similem illis habeant potestatem quoad characterem Episcopalem; sed diœceson distinctio est tantum de jure positivo (*h*), ut sunt etiam dignitates & jurisdictio Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum, qui variis præeminentiæ & jurisdictionis potiuntur gradibus; sed qui omnes summum tamen Pontificem seu Papam habent superiorem sibi & caput; cui nimirum, uti Principis Apostolorum successori competit in Ecclesia primatus.

Nimiis quas summi Pontifices concesserant, exemtionibus, quæ sub specioso prætextu emendandi abusus, in quos ob auctoritatem suam olim prorumpebant Episcopi quidam, excogitatæ fuerant, ferme extincta erat Episcopalis jurisdictio: verum malo huic a Concilio Tridentino, quod etiam in hoc amplexa est Gallia (*i*), remedium aliquatenus allatum est; ita ut nunc Religiosi, quantumvis ab Ordinarii jurisdictione exemti; ipsi tamen subjaceant in iis quæ spectant ad admissionem ad audiendas confessiones sæcularium, prædicationem, festa quæ imperat, generales supplicationes seu Processiones, clausuram Monialium, crimina extra claustrum admissa, & in aliis multis, quæ heic omittimus, quod alibi in hoc opere minutim exponantur.

In titulo, *Electio*, ostendimus, supremos Principes ac præcipue Galliæ Reges omni tempore fuisse participes electionum Episcoporum, quarum nominatio, cum in Gallia ex Concordato (*K*) inter Leonem X. & Franciscum I. initio fuissent suppressæ, ipsis concessa fuerat, intra sex vacationis menses nominando virum, qui vigesimum septimum ætatis annum, loco trigesimi qui jure requirebatur, attigerit (*l*), & qui sit Theologiæ Doctor aut Licentiatus, jurisve Canonici; & collationem, seu provisionem summo Pontifici fuisse reservatam. Ex meris indultis Pontificiis, Hispaniarum Regibus competit nominatio: sed in Germania permansere electiones ex Concordato, quod an. 1447. initum est.

Episcoporum Galliæ provisiones ad Decretum Consistorii conceduntur; & Episcopus, acceptis Bullis suis, in Regis verba jurare tenetur, jurisjurandi sui majori sigillo munitum requirere diploma, quod in acta Curiæ regiarum rationum Parisiensis referre debet; una cum Regis Epistola, qua ipsi fructus per vacantiam elapsos condonat: eatenus enim obtinet jus Regaliorum; neque ei Regaliæ ademtio, fructuumque Episcopatus sui conceditur possessio, nisi post factam istam ex formulis requisitis in dicta acta relationem.

Triplex distinguitur proprius Episcopus, scilicet Originis, Beneficii, & Domicilii,

(*a*) S. Cypr. in can. *Novatianus*. 6. 7. 9. 1.

(*b*) Con. Flor. Conc. Tr. sess. 23. c. 4. & can. 7. & ib. de refor. c. 12.

(*c*) Conc. Chalced. can. 4. Item novell. 67. c. 2. & novell. 123.

(*d*) S. Leo in c. *Quamvis*, 4. dist. 68. Honorius III. in c. *Conquerente*, 16. de offic. judicis ordin. l. 1. tit. 31. Glossa in cap. *Transmissa* de elect. Panorm. in c. *Aqua* de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris.

(*e*) Act. 20. 28. Conc. Tr. sess. 23. can. 3. & 7.

(*f*) S. Cypr. l. 1. ep. 9.

(*g*) Conc. Tr. sess. 23. c. 4.

(*h*) S. Leo Ep. 21. apud Labbe. tom 13. Conc. Col. 1375.

(*i*) Edictum Aurel art. 11. Edictum Blesen. art. 29.

(*k*) Concord. de regia ad prælat nominat §. 2.

(*l*) Edict. Blef. art. 2.

micilii; quod a Bonifacio VIII constitutum est. Quocirca ab uno e tribus suscipi queant ordines, modo absit fraus, ut infra explicabimus.

Religiosi, qui fiunt Episcopi, semper manent ligati votis castitatis, & paupertatis, quæ in solemni professione sua emisere, & etiam quasdam Ordinis observantias servare tenentur, in iis quæ Episcopatus statui non sunt opposita, nec munere suo fungendi necessitati. Unde sequitur, talem Episcopum de bonis suis ultima voluntate non posse statuere; sed ea sunt Ecclesiæ vel Pauperum.

Episcopum alium Episcopum consecrare, nisi die Dominica, aut Ordines, nisi quatuor anni temporibus conferre non potest, absque Romana dispensatione, neque eos absque crimine, etiamsi Metropolitanus esset, aliorum Episcoporum Diœcesanis conferre potest, nisi ab iis dimissorias acceperint litteras.

Neque ullum etiam jurisdictionis contentiosæ actum extra territorii sui fines exercere potest; ubi etiam non potest, nisi per suum officialem; licet ubique vel per se, vel per Vicarium suum generalem jurisdictionem suam quæ voluntaria aut gratiosa dicitur, exercere valeat.

CASUS PRIMUS.

NOvum est, ex Constitutione Bonifacii VIII. (a) triplicem esse proprium Episcopum, scilicet Episcopum originis, domicilii & beneficii. *Episcopus, de cujus diœcesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, seu in cujus diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus sit, domicilium in eadem.* Sed quæritur, utrum Posthumius Lemovici natus, quo quindecim dies ante ipsius nativitatem parentes ejus Pictavii habitantes iverant litigandi causa & ea rente, ut post judicatam litem statim Pictavium remigrarent; quæritur, inquam, utrum Posthumius eorum filius Lemovicensis censeri debeat diœcesanus, eo quod Lemovici natus sit, an Pictaviensis, propter fixum ac permanens parentum suorum Pictavii domicilium?

(a) Bonifac. VIII. in c. *Cum nullus*, 3. de tempor. ordinat. in 6. lib. 1. tit. 9.

RESPONS.

Existimant duo Auctores inclyti (b), Posthumium in hoc casu, quamvis Lemovici natum, censeri debere Pictaviensem diœcesanum, ob fixum parentum suorum Pictavii ante & post ipsum natum domicilium. Ratio est, quia pater ipsius, *jure postliminii*, semper Pictavii habitasse censetur, idque conformiter ad legis intentionem (c), cujus hæc sunt verba: *Filius apud originem patris, non in materna civitate; etsi ibi nati sint, si modo non domiciliis retineantur, ad honores seu munera posse compelli, explorati juris est.* Hinc etiam Legati filius, in regno extraneo natus, ex eodem semper censetur regno oriundus, & ex eodem loco, ubi extra legationis tempus habitat pater ipsius. Quibus ad ultimam probationem addi possunt hæc alterius legis verba (d): *Filius civitatem, ex qua pater ejus originem duxit, non domicilium sequitur.*

(b) De Genet. Theol. moral. tom. 4. par. 2. cap. 3. a. 3. De Sainte Beuve, to. 3. cas. 56.

(c) L. *Filios*. 3. C. de municipibus & originariis, L. 10. tit. 38. Item, L. *Cives*, 7. C. de incolis lib. cod. tit. 30.

(d) L. *Adsumtio*, 6. ff. ad municipalem & de incolis, L. 50. tit. 1.

Nihilominus, si per tempus notabile, ut per septem octove annos Posthumii pater habitasset Lemovici, nec ulla suppeteret probatio, ipsum continuo reditum suum Pictavium meditatum fuisse, ubi per negotia sua ei liceret; tutius esset, præsertim quoad forum externum, ut Posthumius Tonsura & Ordinibus initiari cupiens, ab Episcopo Lemovicensi dimissorias obtineret litteras. Ceterum juvat heic monere, hunc esse ferme generalem in Gallia usum, ut dimissoriæ semper a solo originis Episcopo litteræ obtineantur.

CASUS II.

GUILLELMUS, Clericus tonsura initiatus, e Trecoriensi diœcesi ortus, de auctoritate Episcopi sui originis exire cupiens, simplicem, consulto quærens, Capellaniam obtinet, in Rhodonensi diœcesi positam; quam retinere solum constituit, donec ab Episcopo postremæ hujus diœcesis ad sacros promotus fuerit Ordines. Rem feliciter assequitur; & post acceptum sacerdotium beneficio suo valedicit. Qua de re quæritur 1. Utrum peccaverit. 2. Utrum in aliquam non incurrerit pœnam Canonicam, quod ita ad Ordines promoveri curaverit?

RESPONS.

Certum quidem est, quod ex jure Episcopus beneficii proprius censetur esse Episcopus, & quod ex Constitutione Bonifacii VIII. in superiori casu relata, & Concilio Narbonensi ann. 1609. (e) Beneficiario dimissorias potest concedere aut eum per se ordinare, modo triennalem beneficii sui pacificam obtineat possessionem, & ad triginta saltem nummorum summam perveniant beneficii reditus. Sed Episcopus diœcesis illius, ubi sita est simplex Capellania, ex mente Canonum censeri non potest, ut proprius beneficiarii de ea provisi Episcopus, cum eam tantum obtinuit in fraudem obedientiæ Diœcesano Episcopo suo debitæ. Extra dubium est ergo, ut videtur, graviter peccasse Guillalmum, ab alio Episcopo Ordines suscipiendo, sub specie Capellaniæ, quam in diœcesi hujus ultimi Præsulis obtinebat, & quam reipsa dumtaxat eo fine retinebat, ut sacris initiaretur Ordinibus independenter a suo originis Episcopo. Unde necessario sequitur, eum ex statuto ac mente Canonum in suspensionem incurrisse: nam Gregorius X. in secundo Lugdunensi Concilio ann. 1273. omnibus ac singulis prohibuit Episcopis, ne alterius diœcesis, quam suæ Clericos ordinare præsumerent, inflicta etiam per annum pœna suspensionis a collatione Ordinum (f): *Eos, qui Clericos parœciæ alienæ, absque Superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumserint ordinare, per annum a collatione Ordinum decernimus esse suspensos: his quæ jura statuunt contra taliter Ordinatos, in suo robore duraturis.* En verba hujusce Constitutionis; quod locum habet ex Glossa (g), cum in fraudem Canonum, quos ad marginem indicamus (h), consulto eos in suum Episcopus adsciscit famulatum, aut eis aliquod confert beneficium. *Vel in fraudem constitutionis hujus aliquem in suum familiarem recepit, vel ei beneficium contulit: hoc & similia sunt figmenta.* Hæc sunt verba Auctoris hujus Glossæ. Et eadem Constitutione statuitur, ut qui *quocumque alio figmento* ab alio, quam originis suæ Episcopo Ordines suscipit, in canonicas incurrat pœnam; hoc est in suspensionem, ut constat ex Concilio Tridentino (i), quod eamdem his terminis pœnas innovat; *Taliter vero promoti ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi*: atque adeo irregularitatem, si in hoc statu Ordinum sic susceptorum functiones exerceant (K).

(e) Bonifac. VIII. in cit. c. *Cum nullus*, & Conc Narbon. c. 21. de Sacram. Ord.

(f) Greg. X. in c. *Eos qui*, de temp. Ordin. in 6. l. 1. tit. 10.

(g) Glossa in dicto c. *Eos qui* v. *Figmenta*.

(h) Callixtus I. in can *Nullus*, 1. & in can. *Nullus* 3. 9. q. 2. Conc. Antioch. in c. *Nullum*, 6. & in c. *Episcopum*. 70 ib. Urb. II. in can. *Lugdunen.* ib Conc. Sardicen. in can. *Illud*, 1. dist. 71. Innoc. I. in can. *De aliena* ib. Conc Nicæn. in can. *Si quis*, 3. Et Conc. Chalced. in can. *Clericos*, ead. dist.

(i) Conc Tr. sess. 14. can. 2.

Guillelmus autem, ut supponitur, fraudem adhibuit cum Capellam eo dumtaxat acceperit, ut proprii Episcopi sui auctoritatem ac jurisdictionem declinaret, ab alio Ordines suscipiendo, sub eo prætextu quod de beneficio provisus fuerit, quod nec retinere, neque huic inservire intendebat, quodque e contra dimittere, semel Sacerdotio initiatus constituerat. Igitur in eorum incurrit casum, de quibus loquitur Gregorius X. quod eo magis rationi est consonum, quod ex hac Codicis lege (l): *Nec pœnas insertas legibus evitabit, qui se contra juris senten-*

(k) Innoc. IV. in 1. Concil. Lug. an. 1245. in cap. *Cum medicinalis*. 1. de sent. excom. susp. & interdict. in 6. l. 5. tit. 11.

(l) L. *Non dubium* 5 C de legib. 1. tit. 14.

sententiam sæva prærogativa verborum fraudalenter excusat. Cui consentit hæc juris regula, in decretali Innocentii III. relata (*a*): *Fraus & dolas alicui patrocinari non debent*.

(*a*) Innoc. III. in cap. Ex tenore 16. de rescriptis. lib. 1. tit. 3.

Hactenus dicta apprime decisionibus sacræ congregationis Cardinalium congruunt; quæ multoties declaravit, eos qui in fraudem subjectionis proprio suo Episcopo debitæ, sub specie beneficii consulto obtenti, ad Ordines se promoveri curarunt, esse suspensos, & in irregularitatem incurrere, si Ordinum susceptorum functiones obeant; ut refert Josephus Crispino Episcopus Bisertinus, Auctor libri, cui titulus: *Tractatus de sacra Ordinatione* (*b*), qui a Cardinali Francisco-Maria Ursino, Archiepiscopo Sipuntino in lucem editus est. In hoc autem libro sic loquitur in caussa Illustrissimi Episcopi Cadurcensis, Alani de Solminihaco, qui ejusdem sacræ Congregationis Cardinales consultaverat de Clerico suæ Diœcesis, qui ab alio Episcopo Ordines susceperat sub prætextu Beneficii per fraudem acquisiti, & ea mente, ut se ipsum examini Episcopi sui originis substraheret. *Congregatio Concilii sæpius declaravit, tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci beneficii, si tamen adeptus sit beneficium in fraudem, esse male promotum, ac si in susceptis Ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere. Ceterum an ipsa fraus intercesserit, ex legitimis conjecturis ad præscriptum juris esse dignoscendum*. Hanc ultimam probationem nobis suppeditat Auctor moralis Diœcesis Gratianopolitanæ (*c*).

(*b*) Giuseppo Crispino, trattato della sagra Ordinazione. §. 1. de Collatori degli Ordini. §. 11. & 12. ex tomo Decretorum an. 1665. in Archivio Ecclesiæ Cadurcens. 7. Octob.

(*c*) Fr. de Genet. Theol. mor. tom. 4. part. 2. tract. 8. cap. 3. q. 6.

CASUS III.

Aristarchus vir nobilis, & Abbas scientia ac pietate insignis Episcopatum eo fine ambit, ut fideliter & utiliter Ecclesiæ ministret. Numquid talem potest optare, atque requirere dignitatem, quin ambitionis aut avaritiæ fiat conscius?

Respons.

Ut solvatur ista difficultas, tria sunt cum D. Thoma (*d*) in Episcopatu distinguenda. Primum est Ministerium Episcopale & opera, quæ ad fidelium salutem & commune Ecclesiæ bonum spectant, quæque his Christi verbis designantur (*e*): *Pasce oves meas*. Alterum est præcelsus eminentiæ gradus, quo evehit Episcopalis dignitas; quem etiam ostendunt hæc alia ejusdem Christi Domini verba (*f*): *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*: Tertium denique, quod ex secundo necessario consequitur, sunt bona temporalia, & divitiæ, quæ vulgo dignitatem istam comitantur.

(*d*) S. Th. 2. 2. q. 185. art. 1. in corp.

(*e*) Joan. ult. 17.

(*f*) Matth. 24. 45.

His præsuppositis; Respondemus 1. Aristarchum optare non posse, aut etiam requirere Episcopatum eo fine, ut ad tam eminentem promoveatur dignitatem absque reatu ambitionis, & præsumptionis. quam damnat Dominus noster (*g*), quosdam e suis arguens discipulis, qui primatum in alios obtinere, & in eos dominari volebant; *scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum*, inquit: Qua de re ita sanctus Chrysostomus, a sancto Thoma laudatus, dicit: *Per hoc ostendit, quod Gentile est, primatus capere; & sic Gentium comparatione eorum animam æstuantem convertit*.

(*g*) Matth. 20. 25.

2. Dicimus etiam honoris aut divitiarum caussa absque superbiæ, aut avaritiæ reatu Episcopatum ab Aristarcho non posse optari: sic enim se gerens Pharisæorum referret speciem, quam istis Dominus in Evangelio coloribus depingit (*h*): *Amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab omnibus, Rabbi*.

(*h*) Matth. 23. 6. & 7.

Hactenus dicta suppeditat S. Thomas, qui hisce verbis concludit (*i*): *Verum, quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem, præsumptuosum videtur, quod aliquis præesse appetat, ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente ... potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere: si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis. Unde Chrysostomus* (*K*), *dicit super Matthæum*: „ Opus quidem desiderare bonum „ est; primatum autem honoris concupiscere, va„ nitas est: Primatus enim fugientem se desiderat, „ desiderantem se horret.

(*i*) Idem S. Thom. ibid.

(*K*) Auctor operis imperf. sup. Matth. hom. 35. apud S. Chrysost.

Tandem istis addimus, non sufficere, ut ait S. Hieronymus (*l*), puram intentionem, quo quis absque peccato Episcopatum desideret; sed insuper absolute necesse esse, ut in eo reperiantur omnes, quas in Episcopo exigit Apostolus virtutes: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Scimus ista*, inquit sanctus Doctor, *sed junge, quod sequitur*, Oportet autem (Episcopum) irreprehensibilem esse... sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem, docibilem, non vinolentum &c. *Non omnes Episcopi, Episcopi sunt. Attendis Petrum, sed & Judam considera ... non facit Ecclesiastica dignitas Christianum .... non est facile stare in loco Pauli, tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium*.

(*l*) S. Hieron. l. 2. Epist. ad Heliodorum.

CASUS IV.

Chrysologus, Sacerdos propriæ salutis amore, aliorum salutis curam renuit. Potestne tuta conscientia, Episcopatum ex motivo humilitatis & timoris recusare, quem acceptare a suo Superiore jubetur, cum nulla ei alia ipsum recusandi subsit caussa?

Respons.

Ob duas rationes ex D. Thoma (*m*), Chrysologus Episcopatum accipere tenetur. 1. *Quidem*, inquit Angelicus Doctor, *quia hoc repugnat caritati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco & tempore. Unde Augustinus dicit* (*n*), *quod negotium justum suscipit necessitas caritatis*. 2. *Quia*, pergit, *hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis se subjicit. Unde Gregorius dicit in pastorali*: „ Tunc „ ante Dei oculos vera est humilitas, cum ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, „ pertinax non est „. Et quidem si laicus Superior uni e suis subditis præcipere potest, ut ad bonum commune oblatum sibi munus accipiat, ut indicant hæc Legis verba (*o*): *Paulus respondit, eum qui injunctum munus a Magistratibus suscipere supersedit, posse conveniri eo nomine, propter damnum Reipublicæ*: Cur eadem Ecclesiastico Superiori non competeret potestas; cum agitur bonum Ecclesiæ salusque fidelium?

(*m*) S. Th. cit. qu. 185. art. 2. in corp.

(*n*) S. Aug. l. 19. de civit. Dei cap. 19.

(*o*) Leg. Lucius. 21. ff. ad municipalem & de incolis l. 50. tit. 1.

Observandum tamen cum sancto Thoma (*p*), quandoque in Sacerdote inveniri posse impedimentum, quo dispensetur de acceptione officii, quod sibi Superior imponere intendit. Tale est, ver. gr. impedimentum excommunicationis aut irregularitatis, super qua cum eo dispensare nequit Superior, quod Papæ videlicet sit reservata: quo in casu in sua firmus stare debet repulsa. *Quandoque vero non potest removeri impedimentum, nec per injungentem, nec per eum, cui injungitur: Sicut si Archiepiscopus, non possit super irregularitate dispensare: unde subditus non tenetur ei obedire ad suscipiendum Episcopatum, vel etiam sacros Ordines, si sit irregularis*. Ita loquitur Angelicus Doctor, subjungens: *Quandoque vero impedimentum, ex quo fit ei illicitum pastorale officium, non potest ipse removere, sed Prælatus, qui injungit, puta si sit irregularis vel excommunicatus; & tunc debet defectum suum Prælato injungenti ostendere: quod si impedimentum removere voluerit, tenetur humiliter obedire*. Quod idem a fortiori dicendum est, cum ab eo ipso tolli potest impedimentum, in quo reperitur: quale esset efficax propositum admittendi peccatum mortale; neque enim tum excusari non posset ob tale impedimentum, nec ab obedientia esset immunis, cum illud tollere, peccatum suum sincera pœnitentia rejiciendo, teneretur, ut asserit etiam idem sanctus Thomas.

(*p*) S. Tho. cit. art. 2. ad 2.

CASUS V.

Amarosius, Sacerdos, natalium splendore illustris, at veræ humilitatis sensu percitus, vovit, se numquam accepturum Episcopatum, quem sibi a parentibus suis quæri noverat. Nonne tale votum potuit emittere?

RESPONS.

Ut huic difficultati respondeatur, distiuctione opus est: Nam vel Ambrosius voto suo se se obstringere intendit omni prorsus tempore ab Episcopatu accipieodo abstinere; licet id sibi vel Papa ipse, aut alius Superior legitimus juberet; & io hoc casu ipsius votum est illicitum; vel solum iutendit Episcopatum noo requirere, nec etiam acceptare, nisi in casu necessitatis: tuncque ipsius votum est licitum, quod proinde servare tenetur. Hanc distinctionem affert sanctus Thomas his verbis (a): *Qui autem votum emittit de non suscipiendo Episcopatu, si per hoc intendat se obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat, illicite vovet. Si autem intendit ad hoc se obligare, at quantum est de se, Episcopatum non quærat, nec suscipiat, nisi imminente necessitate, licitum est votum, quia vovet se facturum id, quod hominem facere decet.*

(a) S. Thom. loco cit. ad 1.

CASUS VI.

THEOPHILUS, Religiosus, qui Episcopus factus est, teneturne Religionis regulas servare, hoc est, ipsius habitum deferre, paupertatem, aliasque sequi regulares observantias?

RESPONS.

Difficultatem istam sibi propositam solvit sanctus Thomas, dicens 1. Religiosum factum Episcopum ex Episcopatu non dispensari de votis continentiæ & paupertatis, quæ emisit, nec etiam de observantiis regularibus, quæ cum dignitate sua possunt consistere: 2. Eum tamen dispensari de iis omnibus, quæ a statu vel ministerio suo aliena sunt; qualia sunt solitudo, silentium, vigiliæ, & graves abstinentiæ, quibus ab officio suo, functionibusque tite obeundis impediretur. *Si qua sunt in regularibus observantiis*, inquit sanctus Doctor (b), *quæ non impediant Pontificale officium, sed magis valeant ad perfectionis custodiam, sicut est continentia, paupertas, & alia hujusmodi, ad hæc remanet Religiosus, etiam factus Episcopus, obligatus; & per consequens ad portandum habitum suæ Religionis, qui est hujus obligationis signum. Si qua vero sunt in observantiis regularibus, quæ officio Pontificali repugnant, sicut est solitudo, silentium, & aliquæ abstinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens redderetur ad exequendum Pontificale officium, ad hujusmodi observanda non teneretur.* 3. Addit Angelicus Doctor, Religiosum hunc secum ipse dispensare posse, hoc est, Sacerdotem committere, qui secum in foro pœnitentiæ dispenset, cum id necessarium judicat quoad personam ministeriumve suum, aliasve personas, quibuscum vitam agere & earum quotidiana uti consuetudine tenetur. *In aliis tamen potest dispensatione uti, secundum quod requirit necessitas personæ vel officii, vel conditio hominum, cum quibus vivit, per modum quo etiam Prælati Religionum in talibus secum dispensant.* Igitur secundum istam sancti Thomæ doctrinam Ambrosius vitæ suæ rationem instituere debet.

(b) S. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 8. in corp. Item q. 88. art. 11. ad 4.

CASUS VII.

FLAMINIUS, e Religioso factus Episcopus, teneturne in foro conscientiæ, observare votum obedientiæ Superioribus regularibus Ordini sui; an vero ab eo eximitur ob dignitatem suam Episcopalem?

RESPONS.

Quamquam, absolute loquendo, a voto obedientiæ non omnino liber sit hic Religiosus, factus Episcopus, non tenetur tamen regularibus Ordinis sui obtemperare Superioribus. Ratio est, quia ob dignitatem suam ipsis inferior esse desioit, ut etiam accidit simplicibus Religiosis, qui ad regulares Prælaturas eliguntur, & eorum fiunt Superiores, quibus ante electionem suam erant subditi. *Hoc est per accidens*, inquit sanctus Thomas (c) *quod Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non tenentur: quia scilicet subditi esse desierant, sicut & ipsi Prælati Religionum. Manet tamen adhuc obligatio virtualiter, ita scilicet, quod si eis legitime aliquis præficiatur, obedire tenentur, in quantum tenentur obedire statutis regulæ per modum prædictum, & suis Superioribus, si quos habent.* Ita jam docuerat hic sanctus in suo in Magistrum sententiarum Commentario (d), his verbis: *Obedientia respicit statum prælationis in altero, cui obedire tenetur: & quod ille, qui sub Prælato esse desistit, non teneatur alicui obedire: non est ex hoc, quod obligatio voti deficiat ex parte voventis, sed quia substrahitur prælatio ex parte altera, cui obedire tenebatur. Unde Monachus, qui Abbati obedientiam promittit, si ipse fiat Abbas, non teneatur obedire alteri Abbati, quia jam non habet Abbatem.*

(c) S. Th. supra cit. qu. 185. art. 8. ad 1.

(d) Idem in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 1.

CASUS VIII.

THEODORUS, Ordinis Reformati Religiosus, Episcopus inauguratus est. Poteſtne tuta conscientia suum conficere in obitu testamentum, & de suis temporalibus statuere?

RESPONS.

Religiosus iste factus Episcopus, semper paupertatis voto solemni ligatus permanens, nullatenus moriens testari potest; nisi vi Papalis dispensationis, ut docet sanctus Thomas. Ratio est, quia meram habet rerum Ecclesiæ, quas possidet, administrationem, quæ morte sua desinit, & quæ proinde postea subsistere nequit vi testamenti, quod robur suum non obtinet, nisi a die obitus testantis. Ita docet idem sanctus Thomas (e): *Testamentum autem nullo modo facere potest*, ait, *quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, ut Apostolus dicit ad Hebræos 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut ejus dispensatio possit valere post mortem.* Consentit hæc doctrina sancti Thomæ cum istis sancti Gregorii verbis (f): *Ingredientibus Monasterium, convertendi gratia; ulterius nulla sit testandi licentia.* Ceterum observandum est, hanc Angelici Doctoris restrictionem, *si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat &c.* non obtinere in Gallia, in qua Romanum Rescriptum, quo fieret talis potestas, nec admitteretur, nec legitimum censeretur.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. ad 3.

(f) S. Greg. in can. Quia. 7. 19. q. 3.

CASUS IX.

MAXIMUS, Sacerdos, post emissum religionis profitendi votum, cum jam ad Novitiatum Magnæ Cartusiæ esset admissus, Caballionensem acceptavit Episcopatum, ad quem a Summo Pontifice nominatus est, Numquid idipsum potuit absque peccato?

RESPONS.

Sacerdos iste sine peccato Episcopatum accipere non potuit. Ita censet divus Thomas (g), asserens, ab eo, qui tale votum emisit, quod adimplere tenetur, Episcopatum esse dimittendum; suamque probat sententiam ex decretali, quam Innocentius III. ad Gratianopolitanum scribit Episcopum, a quo de re simili, eique propria fuerat consultus. *In foro conscientiæ esset sibi consulendum*, ait hic sanctus, *quod omnibus dimissis Religionem intraret. Unde de voto & voti redemptione cap.* Per tuas, *consulitur Episcopo Gratianopolitano, qui post votum Religionis Episcopatum assumpserat voto non impleto, ut, si suam sanare desideraret conscientiam, regimen Ecclesiæ resignaret, & redderet Altissimo vota sua.* Et quidem en verba hujusce Summi Pontificis (h): *Tuæ discretioni consulimus, ut, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen Ecclesiæ resignes memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua.* Ex quibus verbis palam fit, Innocentium III. merum Episcopo huic non dare consilium, quod ei fas sit sequi vel omittere; sed monitum salutis, cui se conformare tenetur, nisi animæ suæ detrimentum pati velit.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 1.

(h) Cap. Per tuas. 10. de voto & voti redempt. lib. 3. tit. 34.

CASUS X.

ARTEMON, Limæ Archiepiscopus, hoc sibi jus arrogat, ut omnia possit Monialium ingredi Monasteria, quæ jurisdictioni suæ subjiciuntur, quotiescumque sibi libuerit, & etiam absque ulla necessitate legitima. Numquid hoc ipsi est licitum ob ejus dignitatem, ac Superioris immediati munus?

RES-

RESPONS.

Id certum est, nullum Episcopum intra Monialium Claustra posse intrare sine peccato, si absit justa necessitas; qualis est visitatio locorum regularium, auditio confessionis Religiosæ ipsum requirentis, aut alia legitima caussa. Si intra claustra absque necessitate ingrediatur, prima vice hoc ipso fit interdictus ab ingressu Ecclesiæ; Si secunda, fit suspensus *a Divinis*; & tertia vice, excommunicatione fit ligatus; ut declaravit Gregorius XIII. vigesima octava Bulla sua 22. Decembris an. 1581. lata (*a*): *Declaramus*, inquit hic Papa, *Prælatos omnes, tam sæculares quam regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis .... quod si contra fecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus atque decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contra fecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda, a munere Pontificali & a divinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere.* Verum quidem est, quod, cum in Regno Galliæ hujusmodi Bulla non admittatur quoad pœnas Canonicas, quas continet; Episcopus, qui hanc infringeret, pœnis illis non esset obnoxius, sed tamen peccaret: unde colligimus, Antemunem absque legitima caussa Monialium claustra non posse ingredi, vitatis pœnis canonicis, quas exprimit Bulla Gregorii XIII. si in Peruvio admittatur.

(*a*) Greg. XIII. in Bulla *Dubiis*. §. 1. & 2. magn. Bullar. tom. 2. pag. 391.

Consentit hæc decisio cum sententia Navarri, (*b*), Francisci Leonis, Riccii & Bonacinæ, quos laudat Jacobus Eveillon, qui eorum amplectitur opinionem, quique suam fulcit sententiam 1. Constitutione Bonifacii VIII. in sexto Decretalium relata (*c*), quæ indistincte cuilibet ingressum in loca Regularia Monasteriorum Monialium prohibet. 2. Decreto Concilii Tridentini, qui eodem modo loquens hanc quoque renovat Constitutionem; quod denique confirmatum est edicto Blesensi Henrici III. an. 1579. promulgato, quod idem prohibet omnibus & singulis, *cujuscumque sint qualitatis & conditionis*: quæ etiam verba usurpat idem Tridentinum (*d*).

(*b*) Navarr. l. 1. consil. de statu Monachorum, consilio 9.
Franc. Leo Thesauri ecclesiast. par. 2. cap. 26. n. 32.
Aloysius Riccius prax. fori Ecclesiast. decis. 648.
Apud Jacobum Eveillon. Tract. de excommunicat. cap. 15. art. 4. pag. 371. secund. edit.
(*c*) Bonifac. VIII. in c. *Periculoso*. de statu Monachor. in 6.
(*d*) Concil Trid. sess. 25. de regular. & Monial. c. 5.

CASUS XI.

MALITO, Sebenicensis Episcopus statutum promulgavit, quo omnibus Diœcesanis suis prohibet, ne externas quidem partes Monasteriorum omnium Monialium, seu exemptorum, seu non exemptorum absque licentia sua sub pœna excommunicationis ingrediantur. Nunquid mandati sui executionem jure potest exigere, licet huic intercesserint Superiores & Religiosæ duorum Monasteriorum, quæ sunt intra fines suæ Diœcesis; quæque diuturna simul & pacifica fruuntur possessione immediatæ a sancta Sede dependentiæ?

RESPONS.

Licet ad Diœcesanos suos duntaxat prima fronte spectare videatur hujus Episcopi mandatum, certum est tamen, illud quoque ad duo pertinere exempta Monasteria, eorumque libertati atque exemptionis privilegio contradicere, contra quod ab Episcopo quidquam statui non debet, quandiu ea jurisdictioni suæ non erunt obnoxia, sed Papali immediate subjacebunt.

Idem igitur dici potest de mandato Episcopi Sebenicensis, ac de prohibitione a quibusdam dominis facta suis clientibus, ne cum Clericis ullam habeant consuetudinem, donec isti annui tributi solutioni contribuerent. Quamvis enim directe ad clientes pertineret ista prohibitio, libertati tamen & privilegio exemptionis Clericorum contradiceret. *Isti licet quo ad verba non viderentur infringere libertatem, tamen infringebant quo ad mentem, faciendo fraudem de persona ad personam*, ut loquitur Glossa (*e*). Ita pariter hujusce Episcopi mandatum, indirecte saltem, tendit ad destruendam libertatem duorum Monasteriorum exemptorum, quæ cum ceteris confundit, quasi nullum inter ea discrimen intercederet, *faciendo fraudem de Monasterio ad Monasterium*. Quocirca *licet* (Domini illi) *solis subditis imperarent*, inquit Auctor hujus Glossæ (*f*), *tamen Clericis competebat actio de dolo ad suum damnum consequendum*; ita etiam exemptorum Monasteriorum Superiores de tali mandato jure conqueri possunt.

(*e*) Glossa in c. *Eos qui*. §. de immunitate Ecclesiarum in 6. &c. l. tit. 23. v. *Libertatis*.
(*f*) v. *Subditis*.

Reipsa, negari non potest, talis mandati exitum pertinere directe ad immunitatem illorum Monasteriorum; cum enim Ordinariæ Episcopi jurisdictioni non subjaceant, horum non potest vetare ingressum, qui ad immunitatem necessarium habet respectum; ut jus itineris ad puteum, connexionem habet necessariam cum jure hauriendæ aquæ in hoc puteo. *Qui habet haustum*, inquit Lex (*g*), *iter quoque habere videtur ad hauriendum*. Unde colligit Ancharanus (*h*), ut Monasterium Episcopi jurisdictioni non subjacet, accessum pariter ad illud liberum esse censendum, non obstante quolibet statuto contrario. Ex quo sequitur non valere Melitonis mandatum, pro duobus exemptis Monasteriis, quæ in sua sita sunt Diœcesi, eorumque Superiores, uti Religiosas non teneri ad ei obsequendum.

(*g*) Leg. Item 3. ff. de servit. rustic. prædior. §. fin.
(*h*) Ancharanus in c. *Periculoso*. de statu regular. in 6. Col. 3. v. *Secundo quæro*.

Confirmari potest hæc Decisio ista regula (*i*): *Privilegia non sunt violanda, etiam indirecte*. Quæ regula legitur initio Decretalis Honorii III. in qua summus hic Pontifex Archiepiscopis & Episcopis, in quorum Diœcesibus essent Monasteria Ordinis Cluniacensis, vetat, ne quid statuerent aut juberent, quod vel leviter, etiam indirecte, Privilegia Religiosorum hujusce Ordinis attingeret, ut fieri solitum erat a quibusdam Episcopis, eorumve Officialibus, eos nimirum excommunicando, qui vel ad molendinas eorum frumenta sua molenda, aut panes in eorum furnis coquendos deferrent: quæ excommunicatio Religiosos ipsos quodammodo afficiebat, ob injustam Diœcesanis factam prohibitionem; licet hæc ipsorum privilegium de immunitate excommunicationis directe non impugnaret. *Sic apostolicorum privilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba servantes, dicti Monasterii Monachos excommunicavit, dum eis alios communicare non sinit*. Hæc sunt Honorii verba, de quibus ait Glossarius (*K*): *Et male certe: quia consideranda est mens, potius quam verba. Nam verba deserviunt intentioni; & non è converso*. Quod postea probat ex Decretali deprompta e scriptis sancti Hilarii (*l*).

(*i*) Arg. cap. *Quanto* ab de privileg. &c. lib. 5. tit. 3.
(*k*) Glossa in d. c *Quanto* v. *Sola verba*.
(*l*) S. Hilar. l. 4. de Trinit. in can. *Intelligentia*. 6. de verborum significatione. l. 5. tit. 40.

In casu autem proposito nonne idem dicendum? Enimvero id quidem certum est, nihil ab Episcopo Sebenicensi duobus illis exemptis Monasteriis directe contrarium statui: sed tamen eorum privilegia quasi inutilia efficit, omnibus suis Diœcesanis indiscriminatim prohibendo, ne duo frequentent Monasteria contra intentionem Apostolicæ sedis, quæ ea concedendo, consequentia quoque eorum, simulque pacificæ possessionis media dedisse censetur. Fatemur tamen, Canonistas omnes inter se de hac difficultate non consentire, ut patet 1. ex multis auctoritatibus oppositis, quas refert Ancharanus (*m*). 2. Ex Abbate Lupo, Geminiano & Franco, qui contrariam nostræ tuentur opinionem.

(*m*) Ancharan. in can. *Postulasti*. n. 18. & seqq. de foro competenti.

CASUS XII.

PAROCIAM S. Gerini (1) justo diffusiorem in duas dividere Parœcias, auxiliaremque Ecclesiam ipsi annexam in Parochialem erigere opportunum duxit Episcopus: verum Attilius, ipsius Parochus, intercessit, quod ista divisione multum suus minueretur reditus, & aliunde ope Vicarii sui Parœciæ huic facile deservire posset. Nunquid legitima est Attilii intercessio, ita ut in ea permanere queat tuta conscientia?

RESPONS.

Respondemus 1. generaliter loquendo, Episcopum novam in Parœcia Ecclesiam erigere, & ex una sola duplicem efficere posse ob justam necessitatem. Id patet ex Decretali Alexandri III. ad Archiepiscopum Eboracensem scripta (*n*), quam etiam in eam rem Concilium Tridentinum renovavit. Idem quoque ex multis judicatum est Arrestis, ac inter cætera ex Arrestis, altero Senatus

(*n*) Alex. III. in cap. *Ad audientiam*. §. de Ecclesiis ædificandis vel reparandis. l. 3. cap. 48.

(1) Vid. *Mandat Pontas*. Observ. III. num. XXVII.

tus Parisiensis 21. Maji an. 1632. quod refert Bardetus (*a*); altero 23. Maji an. 1669. quod tulit Burdigalense Parlamentum, quodque in actis Cleri Gallicani habetur (*b*).

(*a*) Bardet. t. 2. l. 1. c. 26.

(*b*) Actor. Cleri tom. 1. tit. 2.

2. Hanc justam necessitatem seu caussam vulgo non aliam esse, quam magnam difficultatem, quæ moratur incolas, ne horas competenti in Ecclesiam conveniant, ut ibi Sacramenta suscipiant, divinis intersint Officiis atque sacris instructionibus, ut pueros ad Baptismi Lavacrum, mortuos vero ad sepulturam afferant; & ut ægri spiritualibus pro necessitate sua juventur auxiliis: quod potest accidere, v. g. cum Parœcia in multos est divisa pagos ab Ecclesia valde dissitos, aut cum hyeme impervia sunt itinera, aut ab ea dividuntur amne, quandoque exundante ob nives solutas imbresve continuas, qualis erat locus, de quo loquitur Alexander III. his verbis: *Villa, quæ dicitur h. tantam perhibetur ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possint Parœciani sine magna difficultate ipsam adire. Unde non valent congruo tempore Ecclesiasticis officiis interesse.* Concilium Tridentinum dicit (*c*): *Sine magno incommodo*: Quod ad idem redit.

(*c*) Concil. Trid. sess. 21. c. 4. de reform.

3. Cum eorum, quæ ad Curatarum erectionem pertinent, notitia ex Conciliis, sit de jure Episcoporum, ipsorum esse, occurrentes dirimere oppositiones; ut statutum est ex illustri Arresto Senatus Parisiensis anno 1667. lato inter illustrissimum Episcopum Bellovaci & incolas unius ex suburbiis ejusdem urbis. Auctor Actorum Cleri Gallicani (*d*), aliud etiam refert Arrestum Burdigalensis Parlamenti 23. Maji an. 1669. latum pro Reverendissimo Joanne D' Olce Episcopo Baionensi in Joannem Bernardum de Huitee Parochum aliosque, tanquam ab abusu, appellantes de sententia, qua constituebatur novæ Parochialis Ecclesiæ erectio in aliqua Baione regione.

(*d*) Acta Cleri tom. 2 addit. ad 10 cap. primæ partis pag. 361.

Edictum vero pertinens ad jurisdictionem Ecclesiasticam (*e*), mense Aprili an. 1695. promulgatum, ultima est Lex in Galliæ Regno, quam hac in re tenere est necesse. In eo vero ita loquitur Ludovicus XIV. dictus Magnus: *Archiepiscopi & Episcopi, servatis solemnitatibus & formulis consuetis Parœcias erigere poterunt in iis locis, ubi necesse esse existimabunt. Pariter juxta declarationes nostras mensis Januarii an. 1686. & mensis Julii an. 1687. Vicarios perpetuos in iis locis constituent, ubi sunt tantum Sacerdotes Amovibiles; & amborum sustentationi providebunt unione decimarum aliorumque redituum Ecclesiasticorum; ita ut isti, non minus quam alii Parochi antea constituti summam 300. librarum habeant, juxta formam dictis nostris declarationibus mensis Januarii an. 1686. & Julii an. 1687. constitutam.*

(*e*) Edict. an. 1695. art. 24.

4. Necesse esse, non solum ut antiquæ Ecclesiæ fundator, ejusve hæredes, si qui sint, erectioni consentiant *cum fundatorum assensu*, inquit Alexander III. sed etiam ut loci Parochus juridice vocetur. Nam etsi novam Curam, ipso invito, erigere possit Episcopus, ut declarat idem Alexander III. Papa his verbis: *Si vero persona matricis Ecclesiæ .... opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias illud opus ad perfectionem deduci, & virum bonum, appellationis cessante diffugio, instituere non omittas*; quod confirmat Tridentina Synodus his verbis: *etiam invitis rectoribus*. Necesse est tamen ut Parochus juridice vocetur, cum id ad ipsum pertineat, ut docet Glossa (*f*).

(*f*) Glossa in can. *Nulli*. 2. dist. 99. v. *Constitus*.

5. Ante omnia juridicam ab Episcopo instituendam esse inquisitionem *de commodo & incommodo*. Alioquin omnia ejus acta forent invalida & nulla, ut probat Rebuffus (*g*) ex antiquo Canone (*h*) depromptu ex Epistola sancti Leonis ad Siculos Episcopos an. 447. his verbis scribentis: *Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis, utatur. Irrita enim Episcoporum venditio & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque conniventia & subscriptione Clericorum.* Verum eo intuitu antiquus ille Parochus erectioni consentire debet & novo Parocho omnia pristina sua jura in portione novæ Ecclesiæ affectata, seu honorifica, seu utilia remittere, ut ait etiam idem Rebuffus (*i*) qui addit, omnia tandem pacta de consensu & auctoritate Diœcesani Episcopi fieri ac perfici debere.

(*g*) Rebuff. prax. benefic. tit. de erectione Eccles. in Curatam & Parochialem. n. 2.

(*h*) Can. *Sine* 52. 12. qu. 2.

(*i*) Rebuff. cit. loco. n. 7.

Interea, si Parochus sine caussa, suum denegaret assensum, & certum v. g. subesset periculum, ne dissiti quidam Parœciani morerentur, non acceptis ob nimiam difficultatem Sacramentis; tum, *invito Parocho* Episcopus novam posset erigere Ecclesiam, & pagi incolas, vel pro iis Patronos, aut magnos decumanos ad construendam capellam, omnesque impensas suppeditandas cogere posset: quod si non possent, Episcopus ipse his providere teneretur constituto Sacerdote, cui necessarias præberet facultates: atque eo sensu intelligenda est Decretalis *Ad audientiam*, Alexandri III. eamque exponit Joannes Andræas (*K*).

(*k*) Joan. Andræ. in cit. cap. *Ad audientia*. n. 7.

6. Si tantus sit Parochi reditus, ut facile ad vitam necessaria habere queat absque subsidio, quod sibi suppeditare consueverant loca e Parœciæ suæ finibus ab Episcopo dividenda, tum ad justitiam officiumque Episcopi pertinere, ut eorum reditum novæ huic Curæ adscribat. Sed e contra, si non sufficiens Parocho reditus ad suam sustentationem permaneret; de eo quidquam pro nova Parœcia resecare non posset Episcopus ex his verbis Concilii Cabillonensis, quod in suo Decreto refert Gratianus (*l*): *Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur.* Et ex istis aliis ab eodem compilatore ex Concilio Vormatiensi (*m*) depromptis: *Omnino providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam aut decimam non perdant; sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvatur.* Id quidem expresse statuit Decretalis Alexandri III. & huic consentit juris regulæ, quam in argumentum adducit Rebuffus (*n*): *Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest* (*o*): Ita ut in hoc casu assensum suum divisioni legitime denegare possit hic Parochus, nisi sibi inferenda jacturæ præstetur indemnitas: *Debet Curatus compensari de eo quod sibi detrahitur*, inquit idem Rebuffus (*p*), *ut commode valeat sustentationem habere in prima Ecclesia*; quod probat hic Auctor ex duabus Decretalibus Alexandri III. & ex alia Constitutione in Sexto relata (*q*): idque etiam æquitati magis est consonum; cum ad sustentationem suam Parocho non supersunt necessaria, ut jam diximus.

(*l*) In can. *Ecclesiæ*. 43. 16. q. 1.

(*m*) In can. *Quicumque*. 44. iisd. c. & q.

(*n*) Rebuff. sup. cit. n. 4.

(*o*) Leg. *Id quod*. 11. ff. de reg. juris.

(*p*) Rebuff. ibid. n. 7.

(*q*) Alex. III. in cap. *Ad audientiam*. cit. & in cap. *De monachis*. 7. de præbendis &c. Et Clemens IV. in cap. *Suscepti*. eod. tit. in 6.

CASUS XIII.

Athanasius, Guesnæ in Polonia Archiepiscopus, diebus festis Beatæ Virginis & Apostolorum eos Episcopos consecrare consuevit, qui Bullas suas obtinuere ad Episcopatus sibi suffraganeos. Nunquid id potest licite?

RESPONSIO.

Episcopatus neque conferri, neque suscipi potest, nisi die Dominica: *Episcopi autem in die Dominico consecrandi sunt*, inquit D. Thomas (*r*): quare Athanasius & qui ab eo festis diebus beatæ Virginis & Apostolorum, qui non sunt Dominici, consecrantur, ordinem & antiquam Ecclesiæ consuetudinem infringunt: quod ab iis fieri nequit absque peccato; nisi super hoc a Papa legitime fuerint dispensati.

(*r*) S. Th. in 4. dist. 25. in exposit. litteræ.

Consentit hæc decisio cum sacris Canonibus; ac primo cum uno Canone, quem Evaristo Papæ (*s*) adscribit Gratianus, in quo expressis verbis constituitur, Episcopum ab aliis Episcopis non esse consecrandum, nisi die Dominica: *Qui simul convenientes ... manus in sanctis Evangeliis, quæ prædicaturi sunt* (Episcopi consecrandi) *imponentes Dominica die, hora tertia orantes, sacraque unctione, exemplo Prophetarum & Regum, capita eorum, more Apostolorum & Mosis ungentes ... & hoc ritu solemnem celebrent ordinationem.* Hæc sunt hujusce Canonis verba. 2. Consentit etiam hæc decisio cum alio Canone Concilii Toletani an. 633. quem refert idem Gratianus (*t*), & in quo dicitur, quod Episcopus *ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certe a tribus, in Sacerdotem die Dominica consecrabitur.* Denique rem eandem Glossa comprobat

(*s*) Can. *Ordinationes*. 1. dist. 75.

(*t*) Concil. Toleta. IV. can. *Qui in aliqua*. 1. dist. 15.

bat ex Canone deprompto e scriptis S. Leonis (*a*), qui, cum præmisit: *His, qui consecrandi sunt, nunquam benedictio, nisi in die Dominica Resurrectionis tribuatur*, istam postea dicti sui rationem subjungit; *tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quicquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum.*

CASUS XIV.

Philometor, cum solus esset in Scotia Catholicus Episcopus, Henricum Aberdoniæ Episcopum consecravit, quod nullum e Gallia, aut e Belgio Episcopum ob maris bellique pericula evocare posset. Quidam vero Sacerdotes periti Missionarii Henrico dixerunt, se existimare, ipsum non canonice, & ne quidem valide fuisse consecratum, atque a solo Philometore absque assistentia aliorum duorum Episcoporum non potuisse consecrari. Nunquid pro his Missionariis stat jus?

RESPONS.

Duæ in casu proposito variæ continentur difficultates: prima est, utrum Philometor solus absque assistentia duorum aliorum Episcoporum Henricum canonice consecrare potuerit: secunda, utrum valide saltem potuerit, & utrum Episcopi tres conjunctim & essentialiter sint Episcopatus Ministri.

Ad primam difficultatem respondemus, Henricum canonice non fuisse consecratum. Ita sentiunt Hostiensis (*b*), Joannes Andreas (*c*), Ancharanus (*d*), Antonius de Butrio (*e*), & Antonius Augustinus (*f*), qui sententiam suam probant ex multis testimoniis depromptis e Conciliis, Patribus, aliisque antiquis Auctoribus; duodecim præcipua referemus.

Prima auctoritas ducitur e Concilio Arelatensi habito an. 314. sub Constantino Magno, in quo Episcopis prohibetur alium ordinare Episcopum, nisi septem, aut tres saltem habeant sibi comites Episcopos. En verba hujusce Concilii (*g*): *De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant Episcopos ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis Episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.*

Secunda est Concilii primi Nicæni (*h*), cujus sensus in (*i*) Canone his verbis refertur: *Tres Episcopi debent in unum congregari .... & ita faciant ordinationem.*

Tertia est primi Concilii Arausicani, cui adfuit S. Eucherius (*K*); in Canone (*l*), laudatus, & quod etiam ad unius consecrationem tres requirit Episcopos; & statuit, ut, si duo tantum eum consecrare præsumant, una cum Episcopo consecrato puniantur; ejusque rei istam affert rationem: *Quo cautius ea quæ sunt antiquitus instituta serventur.*

Quarta reperitur in alio Canone, quem, licet absque caussa, Aniceto Papæ (*m*), adscribit Gratianus, in quo sic fertur: *Comprovinciales Episcopi ... a tribus ..... consecrari possunt Episcopis.* Quibus consonant hæc alia verba alterius Concilii, quod laudat idem Gratianus (*n*): *Ut ex omnibus* (Episcopis) *tres eligantur .... & sic ordinatio fiat.*

Quinta est secundi Concilii Arelatensis (*o*), in Decretalium summa relati (*p*), quo sic habetur: *Sine Metropolitani permissu, nec Metropolitanus sine tribus, vel duobus Episcopis Comprovincialibus præsumat Episcopum ordinare.*

Sexta est secundi Concilii Carthaginensis (*q*), cujus hæc sunt verba: *Placet omnibus ut ... si necessitas fuerit*, hoc est, *si Archiepiscopus non est in Provincia*; ut loquitur Glossa (*r*), *tres Episcopi, in quocumque loco sint, cum Primatis præcepto ordinare debeant.*

Septima est quarti Concilii Carthaginensis (*s*), in Canone relati (*t*), qui sic habet: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eo fundente benedictionem*, (En Minister, qui profert formam) *reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.*

Octava est Innocentii I. ad Victricium Rhotomagensem Episcopum scribentis (*u*), qui cum prohibuit, ne ullus Episcopus alium ordinare præsumat absque Metropolitani consensu, hæc addit verba: *Nec unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtivum præstitum beneficium videatur.*

(*a*) Glossa. 1. & penult. in can. *Quod die Dominico*. 5. dist. 75.

(*b*) Hostiens. in c. *Nec Episcopi*. de temporibus ordinationum. v. *Sine tribus*.

(*c*) Joan. Andreas. nu. 12. v. *Comprovincialibus*.

(*d*) Anchar. in 2. *Notabili*.

(*e*) Anton. de Butrio. n. 5.

(*f*) Anton. Augustin. juris Pontificii veteris Epitomen. lib. 2. tit. 2. c. 2. & 6. & lib. 27. tit. 27. c. 1. 3. & passim tota tit. 4. & 5. & 8. & 10.

(*g*) Concil. 1. Arelat. can. 20.

(*h*) Concil. Nicæn. 1. can. 4.

(*i*) Can. *Episcopi*. 2 dist. 64.

(*k*) Concil. Arausican. 1. cap. 21.

(*l*) Can. *De abjectione*. 3. ead. dist.

(*m*) *Comprovinciales*. 4. ead. dist. 64.

(*n*) In can. *Episcopum*. 7. ead. dist.

(*o*) Concil. Arelat. 2.

(*p*) In can. *Nec Episcopi*. 7. de temp. ordinat.

(*q*) Concil. Carthag. 2. c. 12. in can. *Placuit*. 5. dist. 15.

(*r*) Glossa. ib.

(*s*) Concil. Carthagin. 4. cap. 2.

(*t*) Can. *Episcopus*. 7. dist. 23.

(*u*) Innoc. I. Epist. 2. c. 1. in can. *Extra* 5. dist. 64.

Nona est Concilii Sardicensis (*x*), in quo ita constituitur: *Si forte in Provincia unum tantum contigerit remanere Episcopum, superstes Episcopus convocet Episcopos vicinæ Provinciæ, & cum eis ordinet Comprovinciales sibi Episcopos.* Quodque addit, quod si vicinos Episcopos convocare renuat hic Episcopus, populus cui eligitur novus Episcopus, apud eosdem Episcopos conqueri debet, a quibus tum fieri debet ordinatio.

Decima ex antiquo Decreti Gratiani Canone depromitur (*y*). Sic autem Canon ille loquitur de ordinatione S. Jacobi Minoris fratris S. Judæ, facta a S. Petro, S. Jacobo Majore, fratre S. Joannis, & ab ipso S. Joanne. *Jerosolymarum primus Archiepiscopus, beatus Jacobus, qui Justus dicebatur, & secundum carnem Domini nuncupatus est frater, a Petro, Jacobo & Joanne Apostolis est ordinatus; successoribus videlicet suis dantibus formam, ut non minus quam a tribus Episcopis ... ullatenus Episcopus ordinetur.*

Undecimam suppeditat Lucius III. his verbis (*z*): *Comprovinciales Episcopi, si necesse fuerit, a tribus jussu Archiepiscopi poterunt ordinari; sed melius est, si ipse cum omnibus eum qui dignus est elegerit, & cuncti pariter Pontificem consecraverint.*

Ultima denique est S. Gregorii Magni, ad sanctum Augustinum Angliæ Apostolum scribentis de quæstionibus, quarum decisionem affert hic summus Pontifex. Postulat a S. Gregorio sanctus iste Religiosus (*aa*), utrum ob nimiam difficultatem in Angliam convocandi Episcopos, qui secum eorum adsint ordinationi, quos Episcopos in hoc Regno consecrare necesse erit, solus sufficiat Episcopus; respondet sanctus Gregorius: *Quando de Galliis Episcopi venient, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent.*

Ex his adeo venerandis auctoritatibus luce clarius ostenditur, talem ordinationem absque Metropolitani consensu factam, non esse Canonicam. Hinc antiqua Ecclesia, tanquam menti suæ, ac regulis contrarias habuit eas ordinationes, quæ a duobus tantum factæ fuerant Episcopis, easque abrogabat; non perpendens, utrum invalidæ essent, an solum illicitæ: quod patet exemplo Armentarii, qui a duobus tantum Episcopis Ebrodunensis Episcopus fuerat consecratus, quique a Concilio Rhegiensi e sede sua depulsus est (*bb*). Videamus jam utrum valida sit.

De validitate hujusmodi ordinationis non consentiunt omnes Auctores. Quidam contendunt, eam invalidam esse, & ad ejus pertinere essentiam, ut fiat a tribus Episcopis. Ita sentit Auctor Glossæ in Decretalem depromptam e secundo Arelatensi Concilio, a nobis laudato (*cc*); qui dicit: *Quod dicit: tribus, est de substantia consecrationis, alias non esset consecratus, si essent pauciores:* Idque probat ex Canone *Porro*, cujus verba retulimus, quibus constat, sanctum Jacobum, primum Jerosolymæ Episcopum ab Apostolis Petro, Jacobo & Joanne fuisse consecratum, qui ex hoc manifeste designarunt Episcoporum numerum, qui alios postea essent consecraturi.

Addi potest auctoritas alterius Canonis Damasi Papæ, ad Africanos Episcopos scribentis (*dd*), in quo sic asseritur: *Quod autem Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet; quoniam, ut bene nostis, prohibitum a sanctis est Patribus, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati, non nominentur Episcopi. Si nomen non habent, qualiter Officium habebunt?* De quibus ultimis verbis ait Glossa (*ee*): *Argumentum, quod si re priveris, nec nomen habere mereris:* quam regulam probat ex sancto Ambrosio alia de re loquente, & ex lege Codicis (*ff*).

Fagnanus (*gg*) Glossæ adhærens, pro sua opinione laudat Hostiensem (*hh*), Joannem Andræam (*ii*), Bellameram (*KK*), de Butrio (*ll*), Ancharanum (*mm*) & Cajetanum (*nn*), & suam his verbis mentem aperit: *Quod si in Provincia non sunt tot Episcopi, vel unus solus, convocentur vicinorum auxilia, ut Can.* Pontifices 7. q. 1. *Est enim de substantia consecrationis, ut non a paucioribus, quam a tribus Episcopis alius Episcopus consecretur.* Hujus Auctoris plerasque jam attulimus probatio-

nes;

(*x*) Concil. Sard. cap. 5. in can. *Si forte*. 9 ead. dist. 65.

(*y*) Anaclet. in can. *Porro*. 1. dist. 66.

(*z*) Lucius III. in cap. *Si Archiepiscopus*. 2. de temporibus ordinat.

(*aa*) q. 8.

(*bb*) Concil. Rhegiens. can. 12.

(*cc*) Cit. cap. *Nec Episcop.* v. *sine tribus*.

(*dd*) Damas. in can. *Chorepiscopi*. 5. dist. 68.

(*ee*) Gloss. in can. *Dicat*. 6. 32. q. 4.

(*ff*) Leg. *A nullo*. Cod. de feriis.

(*gg*) Fagn. in cit. can. *Nec Episcopi*. n. 2. & seqq.

(*hh*) Host. n. 2. v. *Præsumat*.

(*ii*) Joan. Andr. num. 3.

(*kk*) Bellamera n. 2.

(*ll*) De Butrio in 3. Notabili. & n. 5.

(*mm*) Ancharanus in can. *Si Archiepiscopus*. cit. in 3. Notabili.

(*nn*) Cajetan. in 3. part. q. 67. art. 8.

nes; sed unam addit, de qua nondum diximus, quæ depromitur ex Epistola Joannis III. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ ita scribentis (*a*); *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitani, fuerit factus Episcopus: Ideoque illos quos Chorepiscopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Episcopo, Episcopos non esse; nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est*. Eandem opinionem sequitur sanctus Antoninus (*b*).

Alii vero, ut Paludanus (*c*), existimant e contrario, ordinationem ab uno Episcopo factam esse validam: & nos ultimam hanc opinionem certiorem putamus. Ratio est, quia, ut ait Sylvius (*d*), e tribus Episcopis, quos ad unius consecrationem exigunt Canones, unus tantum in Pontificali Romano consecrator dicitur, alii vero duo assistentes nominantur: *Consecrator & assistens Episcopi*, hæc sunt verba hujusce Pontificalis; *Minister autem consecrationem Episcopalem conferens*, inquit hic Theologus, *est unus Episcoporum assistentium, unus nimirum, qui vocatur in Pontificali consecrator* (*e*). Addit vero inclytus hic Angelici Doctoris interpres, suam priori opinioni non deesse probabilitatem, quod tres simul Episcopi consecrandi capiti manus imponant; sed cum ille, qui solus unctione novum consecrat Episcopum, solus etiam appellatur consecrator, & solus itidem formæ verba proferat ex his tertii Concilii Carthaginensis terminis (*f*) *& uno super eo fundente benedictionem*; dicendum est, consecrationem, quamvis illicita esset, non minus fore validam, licet nullus alius sibi assisteret Episcopus. *Probabiliter putant quidam, omnes illos tres esse simul Ministros .... unus tamen eorum in Pontificali vocatur consecrator: quia ipse est, qui caput & manus electi ungit & consecrat, aliasque Cæremonias peculiariter facit. Ceterum etsi ad consecrationem Episcopi tres Episcopi assistere debeant: quia tamen hoc non videtur absoluta rei necessitate necessarium; unus sufficere potest saltem ex indulto Apostolico, ut colligitur ex libro 8. Constitutionum Apostolicarum Clementis* (*g*).

Restrictionem vero istam *saltem ex indulto Apostolico*, non alia de caussa addere videtur hic Auctor, nisi quia si unus tantum Episcopus alium propria auctoritate consecraret, gravissimum committeret peccatum, regulas & antiquam infringendo disciplinam Ecclesiæ, quæ tres exigit. Equidem, si Episcopatus sit ordo Sacerdotio distinctus, & verum Sacramentum, ut docet Sylvius (*h*) ex doctrina Auctoris Hierarchiæ Ecclesiasticæ, S. Leonis (*i*), S. Gregorii Papæ, seu Auctoris commentarii in librum Regum (*K*), Gelasii Papæ (*l*), quarti Concilii Carthaginensis (*m*), & Tridentini Concilii (*n*), post Guillelmum Antissiodorensem (*o*), Scotum, Joannem Major (*p*), Paludanum, de Orbellis (*q*), Petrum Sotum (*r*), Gabrielem, Bellarminum, Navarram (*s*) & Michaelem Medinam (*t*), quibus etiam consentanea est in ultimis operibus suis doctrinam S. Thomæ (*u*), qui contra senserat in suo commentario in Magistrum, atque ut probat Fagnanus (*x*), ex quindecim validissimis argumentis, quæ ducit ex multis juris Canonici textibus, & celeberrimorum scriptis Auctorum, quales sunt Hostiensis (*y*), Joannes Andreas, Antonius de Butrio, Cardinalis, Abbas, Ancharanus (*z*), Præpositus, Angelus de Clavasio (*aa*) Armilla (*bb*), Vasquez, Tannerus, & Miratius; si, inquam, Episcopatus, ut docent isti Auctores, sit verum Sacramentum, nullatenus ad validitatem talis ordinationis referri potest Papalis in eam rem dispensatio; cum non sit in potestate summi Pontificis dispensare in iis quæ pertinent ad essentiam Sacramenti, quod est de jure divino; & idcirco Papa Episcopo concedere potest, ut alium consecret, modo sibi assistant duo Abbates aut alii Ecclesiastici in dignitate constituti, cum aliorum non subest facile copia Episcoporum, ut post Bellarminum observat Binius (*cc*). Hinc etiam Fagnanus ipse fatetur (*dd*), quod *unus tantum Episcopus totam perficit consecrationem; alii vero duo sunt assistentes*: & concedit, idem affirmari ab Hostiensi, Joanne Andrea, Bellamera, & Antonio de Butrio. Asserit idem Fagnanus, ita se

(*a*) Labbe tom. 1. Concil. Col. 829.

(*b*) S. Anton. 3. p. c. 16. §. 9.

(*c*) Palud. Tract. de pot. Papæ.

(*d*) Sylvius in Suppl. 3. part. q. 40. art. 5. ad 2. resp. Conclus. 2.

(*e*) Pontifical. Ro. tit. de consecr. electi in Episcopum.

(*f*) Concil. Carthagin. 3. can. 2.

(*g*) Constit. Apostol. lib. 8. c. 27 alias 33.

(*h*) Sylvius in suppl. q. 40. ar. 5. conclus. 2.

(*i*) S. Leo Epist. 81. c. 1. & Ep. 84. c. 4.

(*k*) Apud S. Greg. lib. 4. in 1. Reg. c. 5.

(*l*) Gelasius in can. *Diaconos*. dist. 93.

(*m*) Concil. Cart. 4. c. 2.

(*n*) Conc. Trid. sess. 23. c. 3. & 4. & can. 2.

(*o*) Guillelm. Antissiodor. l. 4. tract. 8.

(*p*) Joa. Major. in 4. dist. 21. q. 4.

(*q*) De Orbellis in 4. dist. 24.

(*r*) Petrus Soto de instit. Sacerdot. lect. 4. S. *Nobis igitur*.

(*s*) Navarr. Man. c. 22.

(*t*) Medina l. 1. de Sacrorum hominum continentia. c. 16. & 18.

(*u*) S. Thom. opusc. 18. de perfectione vitæ spiritualis, & in 2. ad Timoth. 1.

(*x*) Fagn. in can. *Requisivit*. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renuntiavit. l. 1. tit. 13.

(*y*) Hostiensis in c. *Cum contingat* n. 6. de ætate ordinandorum.

(*z*) Ancharanus in proœmio Sexti Decretalium. v. *Episcopus*. & alibi.

(*aa*) Angelus de Clavasio. v. Ordo.

(*bb*) Armilla. v. Ordo. n. 13.

(*cc*) Binius notæ in 1. can. Apost. l. 4. c. 8.

(*dd*) Joan. Andreas & Fagn. loco cit. num. 7. & 8. Idem Fagn. cit. num. 8. & 183. Col. 2. in fin.

idipsum observatum reperisse in caput 9. sessionis 7. Concilii Tridentini, & scriptum in propria manu Cardinalis Alciati in actis sacræ congregationis, cui præerat hic Cardinalis.

Antiquus Auctor libri Hierarchiæ Ecclesiasticæ, qui sancto Dionysio adscribitur (*ee*), loquens de consecratione Episcopi, de uno tantum Ministro mentionem facit. En ipsius verba: *Pontifex quidem, qui ad perfectionem virtutemque Pontifice dignam evehitur, utroque genuflexo ante altare super caput habet libros a Deo traditos, manumque Pontificis: atque modo ab eo Pontifice qui eum consecrat, sanctissimis precationibus appellationibusque consecratur*.

Eandem sententiam tuetur Christianus Lupus, inclytus Ordinis Eremitarum S. Augustini Religiosus, qui Conciliorum generalium & Provincialium Canones annotationibus illustravit, quique germanum eorum sensum apprime intelligebat, asserit Apostolos, aliosque Episcopos qui Apostolicis temporibus missi sunt ad prædicandum Evangelium, fuisse coactos, ut soli alios ordinarent Episcopos in urbibus, ubi erant constituendi. *Ipsi Apostoli, & eorum proximi successores*, inquit (*ff*), *frequenter etiam soli Episcopos consecrarunt*: quod asserit exemplo Paulli, qui, ut conjicit, suam tamen non probans hypothesim, Tito imperavit, ut Episcopos in Cretensi insula consecraret, etsi hujus insulæ solus esset Episcopus. *Etenim Tito Cretensium Metropolitæ mandat Apostolus, ut per civitates constituat Presbyteros, id est, ut ipse statim subdit, Episcopos, utique solus: quoniam post abitum Zenæ & Apollo, quos statim Nicopolim evocabat, nullum penitus collegam in omni insula Titus erat habiturus. Quod ipsum alios quoque gentium primum Doctores fecisse, ob eandem Collegarum carentiam facere debuisse referunt fide Ecclesiastici Annales*.

Usus ille satis communis fuit, & ad tempora Conciliorum Arelatensis & Nicæni, ut existimat Lupus, permansit; a quibus constitutum est, ut deinceps nullus, nisi a tribus saltem Episcopis, consecraretur Episcopus, non improbatis tamen prioribus ordinationibus. *Reddita per Constantinum Ecclesiis pax exclusit hanc necessitatem, adeoque & eandem licentiam exclusit primum Arelatensis Synodus, deinde Nicæna; volueruntque juxta Apostolicam regulam, deinceps Episcopum ad minus a tribus ordinari .... de factis Ordinationibus omnino nihil* (statuunt): *ratas relinquunt & inconcussas*. Hinc ob eam caussam S. Gregorius ad sanctum Augustinum Angliæ Apostolum respondet, e Gallia tres quatuorve evocandos esse Episcopos ad ordinationem novi Episcopi, neque asserit, eorum præsentiam ad validitatem ordinationis absolute requiri, sed eam esse valde utilem: *Pastorum quoque aliquorum præsentia valde est utilis*: Eosque ordinationi non adesse, nisi ut testes Canonicos & necessarios, quos postulat Ecclesia ad confirmationem veritatis eorum consecrationis, & servatæ in ea regulis Apostolicis formæ præscriptæ: *Nam quando de Galliis Episcopi veniunt, illi in ordinationem Episcopi testes tibi assistent*: inquit sanctus Gregorius; *ut furtivum beneficium præstitum esse videatur*; ut jam ex Innocentio I. diximus.

Ex multis aliis historiæ Ecclesiasticæ exemplis sententiam suam probat hic Religiosus; quale est exemplum Paulini, Episcopi Antiocheni, qui Evagrium sibi successorem electum, solus consecravit: Qui Evagrius postea verus agnitus est Episcopus in Ecclesia Romana, quæ ei communionem suam concessit, ut dicit Theodoretus (*gg*), & in omnibus aliis Ecclesiis Catholicis: *De Evagrianæ tamen ordinationis validitate, nemo unquam dubitavit, nequidem ipse Flavianus*, inquit idem Auctor, qui multa subjungit exempla eorum, qui a duobus tantum consecrati fuere Episcopis, & quorum ordinatio, quamvis defectuosa, nunquam tamen ut invalida rejecta est. Hinc fit, ut primus eorum Canonum, qui Apostolici dicuntur, trium Episcoporum ad validitatem talis ordinationis absolute non requirat, cum dicit solummodo; Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur: Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δύο, ἢ τριῶν.

Solus igitur ad validitatem consecrationis sufficit, ut consentit sanctus Thomas his verbis (*hh*): *Quantum*

(*ee*) Auctor. Eccles. Hierarch. cap. 5. part. 2.

(*ff*) Nota Appendi. ad can. 4. Conc. Nicæni p. 50.

Ad q. 8.

(*gg*) Theodoret. lib. 5. Hist. Eccles. c. 23.

(*hh*) S. Th. in 4. dist. 24. q. 3. ar. 2. q. 3. ad 3.

tum ad ea, quæ sunt Episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales, & propter hoc quilibet alium potest consecrare. Reipsa nullo Canone, nullave decretali affirmatur, invalidam esse ordinationem sine tribus Episcopis factam, ut jam post Lupum observatum est, qui merito addit, Canonem *Porro*, Anacleto adscriptum parvi in hanc rem esse momenti, cum pro certo sit apochryphus.

Si quis vero objiciat a Concilio Rhegiensi, quod sanctus Hilarius Arelatensis convocavit in Armentarium, qui a duobus Episcopis, qui eum Metropolitam suum agnoscere nolebant, fuerat consecratus, e sede sua novum hunc Episcopum fuisse depulsum, & ad Chorepiscoporum classem delegatum, cum ejus ordinatio invalida fuisset declarata; facilis est ad hanc objectionem responsio. Nam 1. Synodus illa Armentario potestatem ante alium quemlibet Sacerdotem celebrandi & Neophytos confirmandi non ademit. 2. Clericos omnes, quos ordinaverat, in suo ordine atque gradu reliquit, ipsius etiam successori facta licentia, ut quos dignos existimaret, ad sacrum adhiberet ministerium: Ex quo palam fit 1. Synodum illam non existimasse ordinationem hujus Episcopi omnino invalidam, sed solum factam contra præscriptum Canonibus ordinem, atque adeo, cum Episcopi, qui huic aderant, ajunt: *Ordinationem irritam, evacuandam censuimus*, eos declarare tantum, ipsius ordinationem habendam esse tamquam non factam & sine ullo effectu, quoad regimen Ecclesiæ, exercitiumque acceptæ ab eo potestatis, quam ut suspensam seu ligatam, & ut mortuam habebant. 2. Huic Synodo persuasum esse, Armentarium hos Clericos valide consecrasse, eumque proinde Episcopali charactere vere fuisse insignitum. Sed si eo esset insignitus, ut dubium non est, cur ipsum non haberet, licet ab uno tantum fuisset ordinatus Episcopo? Cum enim ex multis antiquis Canonibus constituatur, ut unius Episcopi ordinationi quandoque adsint omnes Comprovinciales Episcopi, & aliquando eorum numerus ad duodecim, & aliquoties ad septem, quatuor, tresve præstituatur; nonne ex eo evidens fit, numerum pertinere tantum ad variam disciplinam, in Catholicis Ecclesiis constitutam; non vero ad ipsammet essentiam consecrationis Episcopalis?

Secundum illum quidem intellectum explicandi sunt isti multorum Canonum termini; *irrita & vacua ordinatio*. Nil aliud quippe significant, nisi eum, qui contra Ecclesiæ regulas, licet valide, fuit ordinatus, exercitio tamen ordinum suorum manere privatum. Ita explicandæ sunt voces istæ sexti Canonis Concilii Calcedonensis (*a*), in quo de Clerico, qui absque titulo ordinatus est, ita statuitur: *Decrevit sancta Synodus vacuam habere manus impositionem*. Ad quod Auctor Glossæ (*b*), dicit, verbum hoc, *vacuam*, non intelligi, nisi *quoad executionem*. Veritatem hujusce expositionis admittit Fagnanus ipse (*c*), hanc etiam hujus afferens rationem; *quia Characteris impressionem non impedit defectus Tituli*: Quod tantum affirmat post Antonium de Butrio (*d*), Archidiaconum, de Turrecremata, Bellametam & Geminianum (*e*). Eodem quoque sensu Placentina Synodus ab Urbano II. convocata (*f*), dicit: *Decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur*.

(*a*) Concil. Calced. in Can. *Neminem*. dist. 70.
(*b*) Glossæ ibid.
(*c*) Fagnan. in Cap. *Cum secundum* 16. de præbendis & n. 18.
(*d*) Anton. de Butrio. ib. n. 14.
(*e*) Geminianus in cit. can. *Neminem*
(*f*) Conc. Placentinum. in can. *Sanctorum*. cod. dist.

Igitur ex dictis hactenus colligimus, Sacerdotes Missionarios in errorem lapsos esse, dum Henrico dixerunt, ipsius ordinationem esse irritam & invalidam.

CASUS XV.

MELCHIOR, Barii Archiepiscopus, contendit, hoc sibi, tamquam Metropolitæ, jus competere, ut in Diœcesi Bituntina, Archiepiscopatui suo suffraganea non requisito prius illius Diœcesi Episcopi consensu ordines possit conferre; Numquid illud potest, non violatis Ecclesiæ regulis?

RESPONS.

Non potest: prohibetur enim Metropolitanis, ut nihil in suffraganeorum suorum jura audere præsumant. *Cum (* Metropolitanus *) in Diœcesi sui suffraganei absque illius assensu non debeat aliquid contra constitutiones Canonicas attentare*; ut loquitur Cælestinus III. (*g*), in Decretali, quam scribit ad Episcopum quemdam, de unione, quæ Ravennatis Archiepiscopi ipsius Metropolitani auctoritate facta fuerat, unius Monasterii ad aliud absque ipsius consensu. Juxta vero Canonicas regulas, nulla ordinaria & immediata in suffraganeorum suorum Diœcesanos Archiepiscopo competit jurisdictio, nisi in sola caussa appellationis: *Nisi caussa per appellationem ad ejus audientiam perferatur*, ut loquitur Innocentius III. ad Archiepiscopum Turonensem scribens (*h*). Hinc, ut alibi diximus, licet Archiepiscopus sit Provinciæ Judex ordinarius, non est tamen cujuslibet incolæ Provinciæ. *Est tamen Judex ordinarius Provinciæ*, inquit Glossa, (*i*) *quia ejus gerit sollicitudinem* (*K*): *nec ideo sequitur, quod cujuslibet de Provincia. Vel potest dici*, addit Auctor Glossæ ejusdem, *quod habet jurisdictionem super quemlibet, sed impeditam & ligatam: ex quo non habet nisi in quibusdam articulis*. Quod quidem facile probari potest ex multis antiquis Canonibus, quos in suo decreto refert Gratianus, & inter ceteros ex illo, in quo Calixtus I. dicit (*l*) *Nullus Primas vel Metropolitanus, Diœcesani Ecclesiam, vel Parochiam, vel aliquem de ejus Parochia præsumat excommunicare, vel judicare, vel aliquid agere, absque ejus consilio vel judicio*. Et ex alio Nicolai I. (*m*), qui idem prohibet, solum appellationis casum excipiendo.

Eamdem rem docet Zeger-Bernardus van-Espen in opere, quod inscripsit *Jus Ecclesiasticum universum* (*n*); *Jurisdictio vero Archiepiscopalis*, inquit Doctor ille, *tantummodo se extendit ad ipsos suffraganeos Episcopos, nequaquam autem in eorum subditos, nisi mediate, quatenus nimirum* (*o*), *suffraganeorum negligentia sive defectus esset supplendus, aut eorum procedendi modus corrigendus*. Unde concludit, a Metropolitano nullam aliam exerceri posse jurisdictionem ordinariam vel Episcopalem intra fines Diœceseon suorum suffraganeorum. Esset enim hoc mittere falcem in messem alienam, ut loquitur auctor Glossæ (*p*), contra vetitum Scripturæ sacræ (*q*), cujus sensum Gregorius Magnus ad Augustinum Angliæ Episcopum scribens, refert his verbis (*r*): *Falcem ergo judicii mittere non potest in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa. Itaque Metropolitanus nullam quidem ordinariam & Episcopalem auctoritatem habet, aut exercere potest in Diœcesibus suorum suffraganeorum*. Hac de re legi potest, quo pacto Metropolitanorum potestas ab ultimo Concilio œcumenico (*s*), imminuta ac limitata est his verbis: *Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi*. Qua in re nihil statuerunt Tridentini Patres, nisi consentaneum primo Concilio Generali Nicæno, Conciliis Arelatensi, Antiocheno, Sardicensi, tertio Carthaginensi, & Aurelianensi. Unde colligitur, Melchiorem Barii Archiepiscopum, neque Ordines, neque Pontificalia exercere potuisse intra limites Bituntinæ Diœcesis, etsi ejus sit Metropolitanus, & Episcopum suffraganeum ipsius in eum jure procedere posse canonice, ut iniqui ausus sui pœnam luat.

(*g*) Cælestin. III. in cap. *Sicut*. 8. de excessibus Prælatorum, lib. 5. tit. 31.
(*h*) Innoc. III. in c. *Duo simul*. 9. de officio judicis ordin. lib. 1. tit. 31.
(*i*) Glossa in c. Pastoralis, 12. v. *Invitum*. de officio judicis ordinar.
(*K*) Can. 2. & 1. 9. q. 3.
(*l*) Callixtus I. in can. *Nullus*. 7. 9. q. 3.
Idem in cit. can. *Nullus*.
(*m*) Nicolaus I. in ca. *Conquestus*. 8. eadem caussa & quæst.
(*n*) Juris. Eccles. univers. pars. 1. tit. 19. de Metropolitanis n. 3. & 4.
(*o*) Hilarius Papa ad Ascanium Metropolit. apud Philippum Labbe tom. 4. Concil. general. pag. 1057.
(*p*) Glossa in d. c. *Sicut*.
(*q*) Deuteron. 23. 25.
(*r*) S. Greg. in can. *Scriptum*. 10. 9. q. 3.
(*s*) Conc. Trid. sess. 14. c. 2. 3. & 5. de reform. & sess. 13. de reform. c. 8.

CASUS XVI.

ARISTIPPUM, Vapincensem Episcopum, Massiliæ rebus suis privatis vacantem adit Julius, vacantem Diœcesis ipsius Parœciam ab eo petiturus. Num eam ipsi conferre potest hic Episcopus, licet sit extra suam Diœcesim? Possetne etiam unum e suis Parochis de suspensione absolvere, ipsumque redintegrare, si in Irregularitatem incidisset, quam ei remittere posset? An denique in his casibus idem dicendum de Vicario generali, atque de Episcopo?

RES-

RESPONS.

Ad solutionem propositæ difficultatis, duplex distingoenda est jurisdictionis species; altera contentiosa, *quæ redditur in invitum*, ot loquitur Glossa (*a*), quæque nequit exerceri, nisi solitas in foro exteroo formalitates observando: Altera voluntaria, quæ *inter volentes tantum* (redditur) inquit Glossa eadem, quæque formalitates istas non exigit. Quo præsupposito, dicimus, priorem a quocumque Judice exerceri non posse extra limites territorii, quo protenditur ipsius jurisdictio: Sed Episcopus, aut alius quivis Ecclesiasticus Superior, alteram, quæ est tantum voluntaria, ubicumque sit, valide & licite exercere potest; modo ipsam exerceat in Diœcesanos aur subditos suos, & in casibus jure sibi concessis. * Unde sequitur, Aristippum, Vapincensem Episcopom Julio vacantem in sua Diœcesi Parœciam conferre potuisse, etsi tum in Massiliensi Diœcesi versaretur; quia beneficiorum callatio est actus jurisdictionis mere voluntarius. Ita docet Glossa in decretalem Ionocentii III. (*b*), ad Philippum Augustum, Galliæ Regem scribentis: *Extra Diœcesim potest* (Episcopus) *conferre beneficia*, inquit hæc Glossa. Ita quoque sentiunt Geminianus (c), Zerola, de Selva, Generalis in Senatu Parisiensi Causidicus, & Rebuffus, quos laudat Cabassutius (*d*).

(*a*) Gloss. in leg. *Omnes*. 3. ff. de officio proconsulis. l. 1. tit. 18.

(*b*) Glossa in c. *Novit*. 7. de officio legati. v. *Terminos*. l. 1. tit. 30.

(*c*) Geminianus in c. fin. de electione in 6.
Zerola prax. Episcop. 1. part. v *Jurisdictio*
Joan. de Selva. tract. de Benef. 3. part. q. 40. & 41.
Petrus Rebuffus tract. de nominat q. 19. n. 43.

(*d*) Joan. Cabass. juris can theor. & prax. lib. 1. c. 8. n. 2. & 3.

Ob eamdem rationem de censuris Diœcesanos suos absolvere, eosque io casibus jure concessis restituere in integrum potest Episcopus, quamvis in aliena Diœcesi commorans; quod acta hujusmodi ad voluntariam similiter pertineant jurisdictionem. Denique cum una, eademque sit Vicarii Generalis & Episcopi potestas, certum est, quod in casu proposito eamdem jurisdictionem exercere potest Vicarius Generalis. *Vicarius ab Episcopo habens conferendi potestatem*, addit Cabassutius (*e*), *potest etiam sicut Episcopus beneficia conferre etiam extra fines Diœcesis; est enim uterque Ordinarius, & collatio Beneficiorum est actus voluntariæ jurisdictionis, quam constat exerceri posse extra territorium.*

(*e*) Id. ib. c. 13. n. 11.

CASUS XVII.

PISANDER, obtento Episcopatu, Romam misit, ut Bullas suas obtineret; sed quia in Diœcesi sua multa sunt magni momenti & instantia quoad spirituale, quæ debent regulari; hoc sibi jus vindicat, ot iis se immiscere possit, ut v. g. de beneficiis vacantibus providere, aliosque jurisdictionis actus exercere: cui tamen ejus suscepto intercedit Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, quod propugnat ipsi nullum jus competere in spirituale, donec Episcopus fuerit consecratus. Numquid pro Capitulo stat jus?

RESPONS.

Jure Pisandri suscepto intercedit Capitulum, donec a Papa fuerit confirmatus. Id quidem facile probare est ex Decretali Alexandri III. ad Episcopum Vigorniensem, scribentis de Episcopo electo Lincolnieosi (*f*): *Nosti*, inquit Summus hic Pontifex, *quod Linconem electut, concedendi honores vel præbendas, aut alias disponendi de rebus Ecclesiæ (cum tua non sit electio confirmata), non habeat facultatem... Mandamus igitur, quatenus ei auctoritate nostra præcipias, ut concessionem, si quam fecit de prædictis, studeat revocare.* Innocentius III. scribens ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Apruntii olterioris, consentit cum iis, quæ jam declaraverat Alexander III. de hoc disciplinæ articulo. Hæc enim sunt ejus verba (*g*): *Quoniam electus a vobis ante confirmationem administrationi Episcopatus se irreverenter immiscuit ... postquam nobis præsentastis eumdem sufficienti examinatione præmissa, electionem de ipso factam daximus irritandam, quidquid ex ea vel ob eam factum est, denuntiantes penitus non tenere.*

(*f*) Alex. III. in c. *Nosti*. 9. de electione & electi potestate. l. 1. tit. 6.

(*g*) Innoc. III. in c. *Qualiter*. 17. eod. tit.

Attamen pro Capitulo, de quo fit mentio in caso proposito, non stat jus, dom contendit, Pisandro nullum jus competere in regimen spirituale, donec consecratos fuerit Episcopus; ubi enim Bullarum suarum obtentione institutus & confirmatus fuerit, plenam in spirituale jurisdictionem exercere poterit. *At vero*, ioquit Cabassutius (*h*), *postquam a Papa institutus fuerit, & confirmatus, quamvis nondum consecratus, potest ea, quæ sunt jurisdictionis exequi: potest igitur*, pergit hic Canonista, *in sua Diœcesi corrigere, excommunicare, suspendere, interdicere, pro tribunali externo judicare, visitare jurisdictionem, delegare non solum in externo seu contentioso foro, sed etiam in interno, quod est pœnitentiæ Sacramentalis; sed per se nequit illam exercere, nisi ipse sit Præsbyter: potest etiam beneficia conferre: Sed, non potest ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis exercere*, addit Canonista noster juxta decretalem Cælestini III. (*i*), *ut sacrum Chrisma conficere, Ordinum aut Confirmationis Sacramenta conferre, Virgines benedicere, Altaria vel Ecclesias consecrare; hæc enim requirunt Ordinis Episcopalis potestatem, qua ille caret.*

(*h*) Joan. Cabass. juris can. theor. & prax. l. 1. c. 7. n. 7.
Item. c. 8. n. 20.

(*i*) Cælestin. III. in cap. *Transmissam*. 15. de electione &c.

Ceterum id sciri necesse est, ot jam alibi diximus (*K*), juxta usum, qui tenetur in Gallia, Capitulum, quod Ecclesiam Sede vacante regit, jus illud sibi retinere, donec Ecclesiam suam canonice adierit novus Episcopus.

(*K*) V. capit. in casu *Episcopus*.

CASUS XVIII.

RODRIGUS, Portus divitis Episcopus, ubi primum consecratus est, statutum promulgavit, quo omnibus Diœcesis suæ Beneficiariis indicit, ut sibi Beneficiorum suorum titulos exhibeant, indicta etiam eorumdem privationis pœna, quo legitimos, inquit, a vitiosis secernere possit, Veteres quidam Parochi statuti hujus executioni intercedunt, ac de eo, tamquam de novitate nullis fulta rationibus appellare volunt. Numquid pro iis stat jus?

RESPONS.

Existimamus, noo jure Episcopi sui statoto intercedere veteres Parochos: licet enim hic non sit mos Episcoporum, ut talia condant statuta; attamen hæc eis competit potestas: & Ecclesiæ bono non solum valde utile, sed & necessarium esset, ut aliquando hujusmodi promulgarent statuta, eaque executioni mandarent Episcopi. Necessitatem hanc tribus rationibus comprobamus.

1. Quia in quibusdam Diœcesibus inveniri possunt Beneficiarii, qui incompatibilia obtineant beneficia: quo in casu permulti iotereft, ut malo huic occorrat Episcopus.

2. Quia defectus essentialis in eorum provisionibus inveniri potest, qui vel unum tantum obtinent Beneficium, quorum notitiam eo potiori jure exigere potest Episcopus, quod ad salutem tam Beneficiariorum, quam Fidelium maximi intersit, ut Provisiones seu Collationes valide agnoscantur, quod fieri taotum potest lectione & examine hujusmodi titulorum. *Si Clericus male tenet Ecclesiam*, inquit Archidiaconus (*l*), *certum est, quod animam suam damnat, & alias animas Parochianorum ipsius Ecclesiæ decipit*: Quod probat ex decretali Innocentii III. scribentis ad Episcopum Prænestinum Legatum suum (*m*): cui & alia potest addi ejusdem Papæ decretalis in quarto Concilio œcumenico Lateranensi (*n*), quam ad marginem indicamus.

(*l*) Archidiaconus in cit. cap. *Ordinaris*. n. 1.

(*m*) Innoc. III. in cap. *Dudum*. 22. de elect.

(*n*) Idem in cap. *Grave*. 29. de præbend. &c.

3. Quia æquum pariter & necesse est, ot obligationes & onera Beneficiis annexa norit Episcopus, sciatque oum ea accurata pro officio suo adimpleant Titulares.

Nobiscum etiam sentiunt Hostiensis (*o*), & Fagnanus (*p*), a quo is citatur, quique suam probat senteotiam ex decretalibus sex numero variorum Pontificum. Idem etiam docent omnes antiqui Canonistæ, ut Joannes Andræas, de Butrio, Cardinalis, Aocharanus, Abbas, Joannes de Anania, & Feli-

(*o*) Hostiens. in cap. *Licet*. n. 4. de Simonia &c.

(*p*) Fagn. in d. c. *Licet helo*. n. 15.

* Potest Episcopus contentiosam Jurisdictionem etiam extra Diœcesis suæ limites exercere, *quando impeditur illam exercere in propria: quo casu poterit jus dicere in alieno territorio convicino, petita prius tamen venia ab Episcopo loci, quamvis non obtenta*. Ita Cabass. Juris Can. Theo. & prax. L. 1. Cap. 8. n. 4.

Felinus *(a)*, ut Goffredus, Federicus de Senis *(b)*, & alii multi, qui consentiunt, ad provisum pertinere, ut institutionis suæ Canonicæ titulum exhibeat, quæ est possessionis fundamentum, & confirmet, possessionem suam esse Canonicam.

Dicimus: *possessionem esse canonicam*, ad distinctionem hujusmodi possessionis a possessione pure civili. Possessor namque fundi non contestati non tenetur possessionis suæ titulum producere *(c)*, nisi possessori sit jus commune, ut notat Bonifacius VIII. *(d)*. Sed non idem dicendum de possessione beneficii, & tituli, cui innititur, at observat Auctor Glossæ his verbis *(e)*: *Nota, quod hæc regula est argumentum contra Clericum, qui est in quieta possessione beneficii sui: & petitur ab eo titulus possessionis scilicet institutio, scilicet quod teneatur illam ostendere*: quod probat exemplo hominis ab Ecclesia manumissi, qui licet suæ sit libertatis possessor; hanc tamen a se fuisse obtentam probare tenetur, at patet ex sexto Concilio Toletano, quod refert Gratianus *(f)*. Ab ea tamen obligatione Doctores permulti illos eximunt, qui incompatibilia non obtinent beneficia, quique de expresso vel tacito Episcopi aut ejus prædecessoris consensu per decem annos suorum fuere possessores beneficiorum. Hæc est Felini & Abbatis opinio, quam sequitur Fagnanus *(g)*.

Dicimus: *Qui incompatibilia non obtinent beneficia*; nam si talia haberent, Episcopi consensus ipsis prorsus foret inutilis ad eos eximendos ab obligatione, dispensationem suam Episcopo successori exhibendi: cum hujusmodi incompatibilitas jure communi constituta fuerit, de quo nullus umquam legitime dispensare potest Episcopus.

(a) Jo. Andr. in d. c. *Licet*. n. 7. Anton. de Butrio. ib. n. 13. Anch. ib. Abbas ib. n. 3. Felinus ib. n. 27.

(b) Goffr. in c. *Ex insinuat.* de procat. Feder. de Senis conf. 234. n. 4. Jo. Andr. in c. *Mora*, de reg. jur. n. 8. & 9.

(c) Glos. in c. *Episc.* 1. 3. *Titulum* de præscr. in 6. l. 2. tit 13.

(d) Bonifac. VIII. in d. c. *Episcopum*.

(e) Gl. in c. *Benefic.* 1. de reg. juris, in d. v. *Obtineri*.

(f) Can. *Longinquitate*, 64. 12. q. 2.

(g) Felin. in d. c. *Liceat heli*, nn. 11. Abbas ib n 24. Fagn. ib. n. 31.

CASUS XIX.

Epimachus, Murciæ Episcopus, singulari pietate & conscientia strictiore Præsul insignitus, nominatus ad Archiepiscopatum Valentiæ, difficile assentitur, ut e sede sua ad aliam transferatur. Potest ne translationi huic absque peccato assentiri?

Respona.

Primo respondemus, ex sanctis Canonibus prohiberi translationes, cum id non postulat necessitas aut Ecclesiæ utilitas. Id evidenter probatur ex decimo tertio canone inter eos, qui *Apostolici* nominantur. Hæc sunt ejus verba: „ Episcopo, qui „ Parochiam suam dereliquerit, alteri insilire nefas esto, licet a pluribus ad hoc compellatur, „ nisi rationabilis aliqua causa subsit, quod hoc „ ipsum facere vi adigat; nempe quod plus lucri „ & utilitatis his qui illic constituti sunt verbo „ pietatis conferre possit: neque hoc tamen a „ se ipso, sed multorum Episcoporum judicio & „ exhortatione maxima *(h)*.

Ita etiam loquitur Nicænum Concilium I. an. 325. habitum *(i)*: „ Si quis Episcopus .... dederit „ operam, ut ex sua Ecclesia transferatur, non est „ in alia recipiendus; sed potius cogere eum debent, ut ad locum suum redeat. Quod si noluerit, ejiciendus est in totum ea Ecclesia, deponendusque ea ordine, & communione fidelium illorum qui ad illam Ecclesiam pertinent, privandus „. Hinc Eusebius Cæsariensis ad Antiochenam sedem electus, eam abjecit, existimans, se ad aliam tuta conscientia contra canonum præscriptum migrare non posse, ut patet ea Epistola, quam ad ipsum scripsit non sine magnis ea de re laudibus Imperator *(K)*.

Eadem quoque in Concilio Antiocheno an. 341. reperitur prohibitio *(l)*: *Episcopus ab alia Parochia in aliam ne transeat*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *nec se sua sponte ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab Episcopis coactus: maneat autem in ea quam a Deo sortitus est Ecclesia, & ab ea non recedat secundum Decretum prius de ea re editum.*

Hæc sunt etiam Sardicensis Concilii an. 347. *(m)*, verba scitu digna. „ Osius Urbis Cordubæ Episcopus dixit: Non tam mala consuetudo, quam perniciosissima corruptela, est ex ipsis fundamentis „ penitus exstirpanda, ne cui Episcopo liceat a parva civitate in aliam migrare; ejus enim causæ „ prætextus est manifestus, propter quam talia tentantur: nullus enim adhuc Episcopus inveniri „ potuit, qui a majori civitate in minorem transire „ studuerit. Unde constat eos ardenti plura habendi capiditate succendi, & magis arrogantiæ „ servire, ut videantur majorem habere potestatem. Placet ne hoc omnibus, ut ejusmodi improbitas acerbius vindicetur? Existimo enim eos „ ne Laicorum quidem debere habere communionem. Omnes Episcopi dixerunt: Placet omnibus „. Verbis adeo expressis & ea de re vehementibus alias addere probationes, quas suppeditat antiquitas, necesse non ducimus, illas ad marginem indicare contenti, ut quisque apud Auctores easdem legere queat *(n)*.

(h) Can. 13. Apostolorum.

(i) Conc. Nicæn. 1. can. 13.

(k) Euseb. lib. 3. c. 61. de vita Constantini.

(l) Conc. Antioch. can. 21. Ita fere in can. *Episcopum*, 25. 7. q. 1.

(m) Concil. Sardicens. can. 1.

2. Dicimus, a sanctis Canonibus non absolute prohibitas fuisse de sede in aliam Episcoporum translationes, cum agitur necessitas aut Ecclesiæ utilitas, ut patet ex primo a nobis relato, qui sic habet: *Nisi rationabilis aliqua causa subsit &c.* E contra ab iis fuere approbatæ a primis Ecclesiæ sæculis.

Primum, quod suppeditat antiquitas, translationis exemplum ab Eusebio in Historia Ecclesiastica refertur *(o)* de Episcopo Cappadociæ, Alexandri nomine, qui afflatu divino se è sua sede ad Hierosolymitanam esse migraturum cognovit, ut Narcissi 116. annos nati coadjutor, tum successor esset, & qui loca sacra invisendi causa Hierosolymam veniens ad regimen hujus urbis retentus est.

Idem quoque exemplum a Socrate una cum aliis multis refertur *(p)*, v. g. Perigenis, sancti Gregorii Nazianaeni, Meletii Sebastes, & deinde Antiochiæ Episcopi, Dosithæi primum Seleuciæ, deinde Tharsorum Episcopi, Reverentii, Joannis, Palladii, Alexandri, Theophili, Polycarpi, Hierophyli, Opsimi, & Sylvani, qui omnes de Episcopatibus suis ad alios communis Ecclesiæ utilitatis causa translati sunt.

Pelagius II. Papa ea de re mentem suam sic aperit, ut omnem tollat difficultatem, simulque vel maxime pio Episcopo scrupulum. „ Scias, „ Frater dilectissime, inquit hic summus Pontifex, „ ad Archiepiscopum ann. 581. scribens *(q)*, aliud „ esse causam necessitatis & utilitatis, aliud causam præsumtionis ac propriæ voluntatis. Non „ ergo mutat sedem, qui non mutat mentem; id „ est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel suæ delectationis, migrat de civitate ad civitatem, sed „ causa necessitatis aut utilitatis mutatur: nam „ plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est. Aliud est enim mutare, & „ aliud mutari; nam aliud est sponte transire, & „ aliud est coacte aut necessitate venire. Unde non „ isti mutant civitates, sed mutantur .... Non ergo „ bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc „ negant causa necessitaris vel utilitatis.

Est & alter canon antiquus *(r)*, quem perperam Antero Papæ adscribit Gratianus, quo probantur translationes necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ causa factæ: *Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione*. Quod confirmat exemplo S. Petri, qui ex Antiochia Romam sedem suam transtulit. *Petrus sanctus Magister noster & Princeps Apostolorum, de Antiochia, utilitatis causa, translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset*. Huicque addit exemplum duorum Episcoporum Felicis & Eusebii, qui de Ecclesia in aliam fuerant translati auctoritate sedis Apostolicæ, ad quam pertinet jus illud translationis, ut declarat Innocentius III. *(s)* scribens ad Decanum & Capitulum Andegavi: licet primis temporibus ad Metropolitanum aut Provinciale Concilium pertineret.

Ex dictis sequitur, quod si Epimachus è Murciæ Episcopatu ad sedem Valentinam pro necessitate aut utilitate posterioris hujus Ecclesiæ vocetur, nullum ei scrupulum injicere debet hæc translatio: At e contra si ex superbia aut cupiditate aliove quovis motivo inordinato Valentinam sedem, tamquam opulentiorem & magis honorificam appetiit, legitime se reum coram Deo existimaret, translationem hanc acceptando *(t)*.

(n) Jul. I. Ep. ad Orientales apud S. Athanasium apol. 2. Damas. in conf. fidei ad Paulin. Thessalonic. apud Theodor. l. 2. hist. eccl. c. 11. Conc. Capuan. sub Siric. laudatum a concil. Cart. III. can. 38. Conc. Carth IV. c. 27. in can. *Episc.* 37. 7. q. 1. S. Leo Ep. 82. alias 84. c. 8. in can. *Si quis* 31. ead. causa, & q. 1. Concil. Chalced. can. Hilarus Papa epist. 9 & 10. ad Episc. Prov. Tarracon. c. 2. Capitul 137. Caroli Magni Concil. Francford. ann. 704. can. 7. Conc. Meldense. c. 30.

(o) Euseb. hist Eccles. l. 6. c. 11.

(p) Socrat. l. 7. Hist. c. 36.

(q) Pelag. II. Epist. 2. in c. *Scias* 35. 7. q. 1.

(r) Can. *Mutationes*, 34. ead. c. & q.

(s) Innoc. III. in cap. *Inter*, 2. de translat. Episc. lib. 1. tit. 7. Item in c. *Quanto*. 3. & in c. *Licet*. fin. eod. tit.

(t) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 53.

CA-

CASUS XX.

Hyacinthus, Elonorenſis Epiſcopus, abdicato intra manus Regis Epiſcopatu, a quo alter Epiſcopus ab eodem fuit nominatus, ſuas tamen functiones Epiſcopales, ut ante, ibi exercuit. Num id canonice potuit?

Respons.

Certum eſt, hunc Epiſcopum, licet Epiſcopatum ſuum intra regias manus abdicarit, non fractis Eccleſiæ regulis functiones ſuas Epiſcopales exercere potuiſſe. Ratio eſt, quia tali demiſſione juriſdictionem ſuam non amittit Epiſcopus, & eam exercere poteſt, donec talis abdicatio a Papa fuerit admiſſa: quia ſpirituale matrimonii vinculum, quod inter Epiſcopum, ejuſque Eccleſiam intercedit, non a poteſtate ſæculari, ſed ſolum Apoſtolica auctoritate diſſolvi poteſt, ut declarat Innocentius III. in una Decretali ad Decanum & Capitulum Andegavi (a) his verbis: *Per tranſlationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat vicarium eſſe Jeſu Chriſti, Epiſcopus ab Eccleſia removetur... Epiſcopus conſecratus, ſine licentia Romani Pontificis, ſuam non debet Eccleſiam derelinquere ... Tranſlatio, depoſitio, & ceſſio, ... ſoli eſt Romano Pontifici reſervata*. Et quidem, cum Papæ miniſterio Eccleſiæ ſuæ addictus ſit Epiſcopus, ab ea ſolius tantum ipſius auctoritate ſeparari poteſt juxta communem hanc juris regulam: *Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur* (b).

Vide (Approbatio.) (Fasti Dies.)

(a) Innoc. III. in c. Inter 2. de tranſlat. Epiſcopi.

(b) S. Chryſoſt. in c. *Omnis* 1. de reg. juris (in antiquis) lib. 5. tit. 41.

EQUITES MILITARES.

Equitum militarium permulti ſunt Ordines, ab omnibus ferme Europæ Principibus conſtituti, quorum Hiſtoriam ſi quis ſcire cupiat, conſulat R. Patrem Meneſtrier e Soc. Jeſu in ſuo tractatu: *de Equitatu antiquo & moderno*, & D. Hermant in libro in 12. Rotbomagi an. 1698. typis mandato.

Omiſſa itaque Ordinum Hiſtoria, qui fuere inſtituti in Germania, Moſcovia, Polonia, Italia, Anglia, Scotia, Pruſſia, Dania, Hiſpania, Luſitania, & alibi, hoc dicere nobis ſufficiet, quod in Gallia ſunt

1. Ordo militaris S. Lazari, qui ab Hoſpitalariis ejuſdem nominis originem ſuam duxit, & ineunte ſæculo duodecimo inſtitutus eſt, ut Chriſtiani nominis hoſtibus obſiſterent. Henricus IV. Ordinem B. Virginis de Monte Carmelo inſtituit, quem cum Ordine S. Lazari conjunxit, cujus Philibertus de Nereſtang apud Fontem Bellaqueum primus 30. Octob. ann. 1608. ſummus Magiſter conſtitutus eſt.

2. Ordo S. Michaelis, a Ludovico XI. prima Auguſti an. 1469. inſtitutus.

3. Ordo Spiritus Sancti, ab Henrico III. 31. Decemb. an. 1578. inſtitutus.

4. Ordo S. Ludovici, a Ludovico XIV. inſtitutus, pro ductoribus militaribus, qui poſt decem ſtipendiorum annos huic Ordini merentur adſcribi.

Omnium autem militarium Ordinum celeberrimus, de quo fit ſermo in hoc titulo, eſt Ordo Hoſpitalariorum S. Joannis Hieroſolymitani, qui nunc *Ordo equitum Melitenſium* vocatur a nomine inſulæ, in qua habitat ſummus eorum Magiſter.

Ab initio Hoſpitalarii dicti ſunt, quod ex prima ſua inſtitutione ad auxilium & tuitionem pauperum peregrinorum, qui frequentes loca ſancta Hieroſolymitana inviſebant, eſſent deſtinati. Eorum fundatio an 1104. facta eſt. Nomen vero *Hoſpitalariorum* ann. 1110. in *Equitum* nomen eſt mutatum. De Eccleſia autem tanta gloria meriti ſunt, ut a multis ſummis Pontificibus magna obtinuerint encomia in Bullis eorum, ac præſertim in Bullis Callixti II. ann. 1120. Honorii IV. an. 1125. Lucii II. ann. 1144. & Eugenii ipſius ſucceſſoris. Conſtitutiones eorum ab Innocentio II. fuere approbatæ.

Anno 1290. e Palæſtina, atque ex urbibus, quo ſe receperant, expulſi, poſtea Rhodum in Turcas armis ann. 1310. expugnarunt; ſed a Solimano iterum capta 25. Decembris an. 1522. hac inſula; Carolus V. cujus, uti Regis Hiſpaniarum erat Melitenſis inſula, hanc eis ex inita 25. Aprilis ann. 1530. conventione donavit.

Ordo iſte eſt vere Religioſus, & tria ſolita vota religionis emittunt Equites. Nunc in ſeptem diſtribuitur linguarum claſſes, quarum quælibet multas continet Provincias, & in unaquaque earum eſt ſummus Prior.

Prima eſt Lingua PROVINCIÆ.
Secunda, ALVERNIÆ.
Tertia, GALLIÆ.
Quarta, ITALIÆ.
Quinta, ARRAGONIÆ.
Sexta, GERMANIÆ, (olim Angliæ.)
Septima, denique CASTILIÆ.

Summus Magiſter, qui Eminentiæ titulo inſignitur, in omnes, tum quoad ſpirituale, tum quoad temporale, juriſdictionem obtinet, & ad Melitenſem Epiſcopatum nominat, cujus Epiſcopus ab Hiſpaniarum Rege confirmatur. Atque hæc ſatis ſint, ut ſufficiens detur idea ad faciliorem eorum intelligentiam, quæ mox de Equitibus hujuſce Ordinis dicturi ſumus.

CA-

CASUS PRIMUS.

CALLISTENES, Eques Melitensis, commendatariam Ordinis habet; e qua 2500. librarum annui reditus percipit: sed quia aliunde 3000. librarum pensionem a Rege obtinuit, quæ ad sui sustentationem sufficit, Balduino proponit, ipsi commendatariam suam resignare, modo 4000. librarum præsenti pecunia sibi numeret: Balduinus proposito pacto annuit, illudque utrinque perficitur. Qua de re quæritur, utrum a tali pacto inter ipsos inito ac perfecto absit omnis Simoniæ nec ne peccatum?

RESPONS.

Commendatariæ Melitenses, juxta Galliæ jurisprudentiam non sunt Beneficia, sed simplices dumtaxat administrationes, ut docet Molinæus in stilum Parlamenti (a): *Hæ commendatariæ*, inquit hic Jurisconsultus, *non sunt Beneficia, nec possunt conferri per Papam, vel Legatum; nec cadunt in mandatis & aliis regaliis Beneficiorum*. Idem observat hic Auctor in suo commentario in regulas Romanæ Cancellariæ his verbis (b): *Commendæ sancti Joannis Hierosolymitani non sunt Beneficia*. Addit, pensiones his commendis affixas non esse Ecclesiasticas, neque iis similes, quas Beneficiis Papa addicit; quare haberi tantum debent, ut *stipendia militaria*: unde ad earum procreationem non requiritur summi Pontificis auctoritas.

(a) Carol. Molinæus par. 5. q. 249.

(b) Idem in reg. de infirmis resign. n. 301.

Ex hac regula sequitur, nec in pacto inito neque in eodem a Callisthene & Balduino perfecto reperiri Simoniam; sed uterque tamen peccavit rem negotiando, quæ sub commercium numquam cadere potest, quicumque aliunde obtendatur prætextus; quia de hujusmodi bonis summus tantum Ordinis Magister vel Prior statuere possunt, eaque Equitum Ordinis sustentationi sunt destinata. Quare pactum hujusmodi haberi debet tamquam sordidum & turpe commercium, & penitus contrarium intentioni fundatorum hujusmodi commendarum, quæ gratuito conferri debent, uti pensiones omnes, quæ e reditibus istis proveniunt. Duplici itaque modo reus est Callisthenes: 1. Quia rem negotiatus est, cujus commercium exerceri nequit. 2. Quia 4000. librarum quæ a Balduino accepit, sibi propria efficere non potuit. Nam Eques Melitensis verus est Religiosus, tribus continentiæ, obedientiæ & paupertatis solemnibus votis ligatus, ut probat Navarrus (c) ex Ordinis fundatione an. 1103. facta, regnante Balduino Hierosolymitano Rege & successore Godefridi Bullonii, fratris sui, & ex hujus Ordinis statutis a beato Gerardo e Maritima Colonia Provinciæ urbe oriundo conditis & a sancta Sede approbatis; cumque Ordo ille militariis cooptatus fuerit in Religionem Rhodensem, quæ est Ordo Melitensis, ex Bulla Innocentii VIII. an. 1484. Religiosus autem absque crimine peculium habere nequit, nisi a Superiore suo legitimo hujus habendi licentiam obtinuerit, qui tuta conscientia eam non nisi ad pium opus concedere potest; ut illud etiam propria auctoritate in alium usum convertere nequeat Religiosus. Nimis quidem notum est, moralem hanc permultis Equitibus Melitensibus esse incognitam, nec iis sapere; sed tamen non minus vera est ac solida.

(c) Navar. l. 3. consiliorum de convers. conjugat. tom. 3. fol. 203. num. 6.

Fatemur nihilominus, magnum esse discrimen pro voto paupertatis, inter eos qui vulgo dicuntur Religiosi, & Equites Melitenses, eorve aliorum Ordinum militarium. Religiosus enim voto suo paupertatis non solum bonorum temporalium dominium, sed etiam usumfructum dimittit; cum Equites ex regulis Ordinis sui frui possint usufructu commendarum quas possident, & ad arbitrium suum de eo statuere. Ita docet Azorius (d), qui de Equitibus professis generatim loquens, ad propositam sibi quæstionem istam: *An Milites Religiosi redituum ipsis commendatorum fructus sibi acquirant; eosque faciant suos, ac libere in usus quos voluerint, impendere queant?* his verbis respondet: *Respondeo, paupertatem quam commendatarii*

(d) Joan. Azor. inst. 1. lib. 13. cap. 4. q. 6.

Tentas Tom. II.

Milites pollicentur ... non esse æque arctam ac eam, quam Monachi & Mendicantes Religiosi profitentur. Hi enim, voto Deo facto, se abdicant dominio, proprietate & usu rerum, quæ in jure, non in facto consistunt: illi vero dominium & proprietatem dimittunt; usum non item: Ordo enim concedit ipsis, ut annuos reditus ad vitam commendatos habeant, ex quibus fructus in suos usus jure percipiant: & de quibus possint libere statuere: & ita eos locant, vendunt, permutant, donant, & arbitratu suo consumunt ..... & in eos usus quos volunt, impendunt, sed nutu & voluntate superiorum. Quibus ultimis verbis ostendit hic Auctor discrimen, quo Equites reditibus suis, & Laici suis fruuntur: hi enim tamquam domini; illi vero cum dependentia a suo superiore potiuntur.

Unde Colligit Cabassutius (e), Equites illos pro arbitrio suo disponere posse de usufructu bonorum, quæ e commendis suis percipiunt, modo neque ex avaritia peccent, neque ex prodigalitate. *Sed & hoc tenendum est*, inquit doctus hic Canonista, *illam Beneficiorum Religiosorum dispensationem ac usum circa fructus minus liberam esse, quam quæ Militibus regularibus competit. Cum enim horum vivendi ratio in externis nihil a ratione differat, quam sequuntur nobiles opulenti sæculares cum quibus etiam versari sacri Milites ordinarie solent, eadem uti liberalitate possunt, quam solent alii paris conditionis nobiles opulenti, peræque ab avaritia & prodigalitate alieni*. Quibus subjungit hic Auctor: *Ubi tamen sacri Milites per excessum peccarent, gravius esset eorum peccatum, quam reliquorum nobilium sæculi; quia rebus sacris quales sunt commendarum fructus, abuterentur; tum quia pias Fundatorum intentiones eluderent. Non tamen harum superfluarum & illicitarum expensarum restitutioni obnoxii essent; cum tamen reliqui omnes Beneficiarii, qui Beneficiorum fructus consumsere, teneantur vel pauperibus vel Ecclesiis restituere*.

(e) Joan. Cabass. Juris can. Theor. & prax. l. 3. c. 22. n. 8.

CASUS II.

THIMOLEON, Eques Melitensis, videns ex obitu patris sui pinguem Gerardo & Gualterio fratribus suis natu majoribus relinqui hereditatem, hanc cum iis se jure dividere posse contendit. Eum autem secum coheredem renuunt Gerardus & Gualterius, quod ex emissione votorum suorum eo jure privetur. Possunt ne absque injustitia in sua perseverare repulsa?

RESPONS.

Certum est, Equites Ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, seu Melitenses, facta professione votorum solemni, ad successionem suorum parentum fieri in Gallia inhabiles, neque eos ullam hereditatis partem, quamvis ususfructus titulo requisitam, sperare posse. Hæc est lex simul & consuetudo generatim in hoc Regno observata, & multis supremarum Curiarum Arrestis confirmata.

Verum quidem est, ex Papone, Equites Melitenses, olim ex Arresto 9. Aprilis an. 1566. ad successionem fuisse admissos; cum eo tamen onere, ut bonis defuncti tamquam usufructuarii tantum fruerentur: verum non obtinuit illa Jurisprudentia, & eodem anno latum est Arrestum penitus contrarium in Equitem de Roussy: cumque Equites quidam identidem usufructuarios partis hereditatis, quam postulabant, se declarari attentarent, Senatus Parisiensis rubra indutus veste solemnia duo tulit alia Arresta: unum 23. Decembris an. 1573. D. Thuano tunc Protopræside, & alterum an. 1584. quo Equites omnes eo jure fuere privati. Primum, quod refert Chopin (f), pro Domina Isabella de Chenu, Yvetoti Principe, vidua Domini Martini du Bellay, in fratrem Robertum de Chare, Melitensem Equitem ac Landiæ commendatorem latum est; cum se heredem esse is contenderet; quique actione sua exclusus est, tum quoad proprietatem, tum quoad usumfructum partis hereditatis, quam sibi arrogare volebat. Chopin, Pithœus, Lovetius, Blondellus, D. Ferrerius & alii multi Arrestum illud referunt (g); ad quod multa deinceps lata fuere, ac præ-

(f) Chopin l. 2. de moribus Paris. tit. 5. num. 16. Et lib. 3. de sacra polit. tit. 6. num. 20.

(g) Chopin. loco cit. Pithœus in art. 103. consuetud. Trecensis D. Ferrer. ar. 337. consuetud. Paris. n. 30.

F sertim

sertim Arresta an. 1584. an. 1602. 24. Feb. latum, ut refert Ribierus, in quinta inquisitionum curia consiliarius, pro Gilberto Dagen contra fratrem Michaelem Fontaine, hujus Ordinis Equiem: Arrest. an. 1612. 2. Julii an. 1629. 11. Janu. & alia multa, quæ referre inutile est, quæque in Arrestographis Galliæ legi possunt.

Juvat tamen observare, heic objici posse, quod ex Arresto an. 1612. Martino de Clinchamp, Equiti Melitensi, & feudi commendatori, usumfructum, portionem hereditatisquam a fratribus suis exigebat, curia adjudicavit. Sed respondendum, curiam ipsi usum fructum hunc ideo tantum concessisse, 1. Quia is a fratribus suis liberaliter juridice fuerat oblatus. 2. Quia ab an. 1584. & 1586. Martinum fratrem suum jam libenter ad divisionem hereditatis de qua agebatur, secum admiserant, ut ea tanquam dominus frueretur, cujus rei rescissionem 28. annis tantum postea juridice postulaverant.

Gallicæ Jurisprudentiæ æquitas eo nititur in hanc rem, quod Equites sancti Joannis Hierosolymitani veri sint Religiosi; cum tria profiteantur castitatis, paupertatis & obedientiæ solemnia vota, ut constat ex statuto quod condidit Raymundus *De Podio*, a ducentis & amplius annis summu Melitensis Ordinis Magistro; quod statutum reperitur inter constitutiones hujus Ordinis (*a*), ut observat Chopin (*b*) & post ipsum Ferrerius (*c*). En verba illius: *Meminerint perpetuaque mementotam Religiosi Milites nostri, cultus divini zelo informati sacratissima regulæ vota substantialia, castitatem, paupertatem tenere, complere, perficere.* Nem quoque scripsere Guillelmus Episcopus Tyri (*d*) in sua Historia sacri belli, Genebrardus, Molinæus, le Bret (*e*) & alii quamplurimi Auctores.

(*a*) L. 2. c. 2.
(*b*) Chopin. cit. tit. 1. n. 28.
(*c*) O. Ferrerius loco cit.
(*d*) Guillelm. Tyrius sacri bell. l. 18. c. 7. & l. 18. c. 4. 5. & 6.
(*e*) Genebrard. ad an. 1119. Molinæus ad q. 129. Joannis Galli. Le Bret. action. forens. 57. &c.

Ex his igitur auctoritatibus colligitur, non sine causa Gerardum & Gualterium secum coheredem recusare Thimoleontem fratrem suum; quandoquidem emisso solemni paupertatis voto in Ordine ab Apostolica sede approbato, qualis est Melitensis, ad succedendum est inhabilis simulque ad aliquid tamquam sibi proprium habendum.

C A S U S III.

Guillelmus, nobilis adolescens e Provincia in Ordine sancti Joannis Hierosolymitani, natus annos tredecim, asserens, se jam decimum sextum attigisse ætatis annum, professionem emisit; cumque postea non solum navales suas expeditiones, sed alias etiam quæ hujusce Ordinis Equitibus conveniunt, functiones per quindecim sexdecimve annos obiisset, quin Professionis suæ invaliditati reclamarit; Bernardus, unicus sibi frater, opulenti prædii dominus, e vivis excessit. Guillelmus, defuncti hereditati inhians, votis suis refragatur, & in Romana Curia rescriptum obtinet, quo de iis eum Papa dispensat eumque ad colligendam defuncti fratris hæreditatem idoneum efficit. Verum ceteri parentes, qui, ipso deficiente, Bernardi caperent hereditatem, & quibus notum est, ipsi deesse pecuniæ sufficientem cupiam, ut litis diuturnæ impensas queat subministrare, & qui aliunde plurimum auctoritatis habent, ipsius contentioni vehementer obsistunt, eique multis intricatum formulis litigium inferunt. Qua de re quæritur, utrum tuta conscientia intercessionem suam possint defendere illatamque Guillelmo litem persequi?

R E S P O N S.

Guillelmi parentes, Bernardi heredes, absque injustitia præsumto ipsius jure possunt adversari. Ratio est, quia, licet in Gallia non admittatur tacita Religionis professio, Summorum Pontificum Decretalibus introducta; verum tamen est, eam ex illius Regni jurisprudentia tamquam validam admitti pro Equitibus Melitensibus; uti judicatum est a Tolosano Parlamento ex Arresto 17. Aprilis an. 1567. quod refert Papo (*f*): quod in simili casu ei qui proponitur, latum est in Guidonem de Sagnat, Melitensem Equitem, qui Clementis de Sagnat fratris sui hereditatem capere volebat, & qui præsumto jure suo excidit. Brodelius (*g*) aliud etiam Parlamenti refert Arrestum latum 25. Maii an. 1621. in casu huic simili; quo Romanum Rescriptum, quale est illud, de quo agitur in proposita specie, abusivum fuit declaratum; & qui illud obtinuerat Eques, petitione sua excidit, & inhabilis declaratus est ad capiendam defuncti fratris sui hereditatem.

(*f*) Papo l. 2. tit. 10. n. 7.
(*g*) Brodelius in Louetum. Litt. c. sum. 8.

Equidem dispensatio hujusmodi in Regno Galliæ nullius est momenti, cum ad temporale pertineat, in quod nihil potest Papa, quia Rex nullum, Deo excepto, sibi superiorem *in temporalibus* agnoscit. Hinc 12. Martii an. 1571. & 1588. a Senatu Parisiensi judicatum est, hujusmodi dispensatione esse subreptitias & invalidas. Heic multas gravis momenti, quæ in confirmationem hujus veritatis a Brodelio referuntur, auctoritates omittimus; quod a nemine in dubium revocetur.

C A S U S IV.

Alexander, Melitensis Eques, Parisiis habitans, cum videat pinguem hereditatem patris sui Balduini a Georgio fratre suo obtineri, hanc ab eo gratiam postulat, ut pensionem sibi concedere velit, ad tuendam nobilitatis suæ honestam sustentatione dignitatem. Potest ne Georgius, hanc ei sine injustitia denegare pensionem?

R E S P O N S.

Distinctione, ut nobis videtur, opus est: nam vel Alexander est simpliciter Eques, vel de commendataria Ordinis fuit provisus: si sit simpliciter Eques, pensionem convenientem ipsi jure denegare non potest frater. Ratio est, quia talis eques egeret, quod Ordo nullum is præstet auxilium qui Melitæ non habitant; & inhumani esset animi pro Georgio necessaria fratri suo recusare alimenta. Hinc hujusmodi pensiones ex multis Arrestis constitutæ sunt. Labbæus in suo commentario in Consuetudinem Burgundiam (*h*) unnum refert a Tolosano Parlamento 7. Februarii an. 1543. latum, quo Equiti viginti nummi provisionum (quæ summa tunc temporis præcipui erat momenti) adjudicati fuere, donec de commenda esset provisus. Multa etiam alia legi possunt, quæ laudat Papo (*i*).

(*h*) Labbæ. comment. in consuet. Burgund. tit. 19 art. 36.
(*i*) Papo l. 2. tit. 10. Arrest. 21. & lib. 22. tit. 1. Arrest. 2.

Sed si Alexander de commendataria sit provisus, requisitam ei jure denegare potest frater pensionem; cum jam in casu justæ necessitatis non versetur, & ad ceterorum Religiosorum classem ex voto paupertatis, quod emisit per solemnem professionem, redigatur; qui Religiosi ex Galliæ Jurisprudentia talia a parentibus suis nequeunt requirere, quod mundo mortui & a familia sua abscissi censentur.

Usus vero iste hac potissimum ratione fulcitur: quia in Gallia hoc semper propositum in primis fuit, ut ad Regni utilitatem familiarum saluti ac perennitati consuleretur, ac impediretur, ne ad exterus venirent bona earum: qua in re Græcos antiquos imitati sunt Galli; qui, ut refert Plutarchus, non sinebant, ut defuncti bona ad exteros venirent (*K*). Hinc etiam prodiit regula, *paterna paternis, materna maternis*, ut etiam prohibitio ex testamento omnia propria bona sua legandi, & lex generalis hujusce Regni, qua non solum in regionibus consuetudinariis ab hereditate excludunt omnes Religiosi Professi, sed etiam in regione juris scripti, cui in eam rem derogatum est.

Hactenus dicta consentiunt cum sententia celeberrimurum Galliæ Jurisperitorum, quales sunt Benedicti (*l*), Cassanæus, Molinæus, Boerius, Tiraquellus, Imbertus & alii multi, quibus adjungitur Ferrerius in suo commentario in consuetudinem Parisiensem (*m*).

(*k*) Plutarch. in Solone n. 14.
(*l*) Benedict. v. *Duas habens*. H. 156. Cassanæus. comment. in consuet. Burgund. tit. 7. de successionibus. § 14. v. *Consuetudo Regni*. Molinæus in consuet. Burgund. tit. de Feudis. art. 6. v. *Religiosi*. Boerius in consuet. Bituric. tit. de Testamentis. §. fin. Tiraquellus. tract. *Mortuus dat vivo*. parte. 2. declarat. 15. n. 9. Imbertus. Enchirid. v. *Monachus professus*. p. 198.
(*m*) Art. 337. n. 32.

C A S U S V.

Annibal, Melitensis Eques, qui Ordinis commenda potiebatur, mortuus, 10000. Librarum debita reliquit. Nonne ipsius creditores in ejus mobilia recurrere possunt & ad solutionem suam ea juridice detinere, licet ex ejus obitu ad Ordinem Melitensem fuerint devoluta?

Ra-

RESPONS.

Certum est, mobilia & peculium Equitis Melitensis qui e vita decedit, jure ad Ordinem pertinere, ut derelicta a Monacho pertinent ad Monasterium, cujus membrum erat. Attamen cum æquitati non sit consonum, ut Creditores bonæ fidei legitimum sibi debitum amittant; Ordo tenetur ad solutionem creditæ defuncto pecuniæ ad concursum bonorum, quæ ab ipso fuere derelicta. Ita dijudicavit Senatus Parisiensis ex Arresto 20. Martii an. 1592. quod refert D. Brillon (a). Quod idem etiam asserit Bochelius in sua Bibliotheca juris Gallici (b): verum id tantum obtinet pro debitis professionem consequentibus, non vero pro iis quæ ante eques contraxisset, de quibus non teneretur Ordo, at judicatum est in sanctiori Consilio 30. Martii an. 1688.

(a) D. Brillon. dict. Arrest. v. *Equites*. n. 31.
(b) Bochelius v. *Commendatores*.

Ex dictis manifeste apparet, quod jus, quis recursus Annibalis creditoribus competat, ut 10000. Librarum, sibi ab equite defuncto debitorum solutionem obtineant.

CASUS VI.

IMELINUS, Eques Melitensis, Parisiis in domo Patris sui habitans, contendit, se non teneri ad confessionem annuam, communionemque Paschalem faciendam in Ecclesia Sancti Rochi, quantumvis ad utrumque ipsum Parochus sollicitet. Nunquid legitima est ejus contentio, & nonne potius contraria est Decreto quarti Concilii œcumenici Lateranensis (c), quo omnibus utriusque sexus fidelibus duplex illa stricte imponitur obligatio?

(c) Concil. Later. 4. c. 21.

RESPONS.

Ad solutionem hujus difficultatis, quædam præsupponenda sunt certa principia.

Primum est, Equites Melitenses veros esse Religiosos, qui tria obedientiæ, paupertatis, & continentiæ solemnia vota emittunt. Illud est manifestum ex dictis in superioribus decisionibus.

Secundum est, Religiosos hujus Ordinis, Parochorum, & ne quidem Episcoporum Jurisdictioni subjacere, exceptis visitatione Ecclesiarum Curatarum, & correctione eorum, qui ipsis deserviunt, ut patet ex nona Bulla Pii IV. data 1. Julii an. 1560. (d), & sexagesima septima Gregorii XIII. 25. Novembris an. 1580. (e): eosque a superioribus regularibus Ordinis sui tantum pendere. Dicimus, *exceptis visitatione Ecclesiarum Curatarum, & correctione eorum qui ipsis deserviunt*; nam Summi Pontifices Pius IV. in Bulla modo laudata, S. Pius V. in Centesima trigesima sexta Bulla an. 1575. (f) & Gregorius XIV. in quinta Bulla sua 30. Aprilis an. 1591. (g) hanc semper Locorum Ordinariis Jurisdictionem suam quoad hoc conservarunt.

(d) Pius IV. in Bulla. *Circumspecta*. 9. §. 36.
(e) Greg. XIII. in Bulla. *Circumspecta*. 67. §. 2.
(f) S. Pius V. in Bulla. *Expositis*. §. 3.
(g) Greg. XIV. in Bulla. *Quoniam*. 5.

Sequitur ex his duobus principiis, Imelinum non teneri ad Confessionem annuam vel communionem Paschalem faciendam in Parœcia sancti Rochi, licet solitum habeat Domicilium intra fines hujus Parœciæ.

1. Non tenetur ex jure communi, statuto ex Consilio Lateranensi: Concilium enim illud ad annuam confessionem proprio Parocho faciendam, ab eoque communionem in Paschate accipiendam obligat: Atqui Parochus sancti Rochi, non est proprius Religiosorum Parochus, qui intra fines Parœciæ suæ habitant; cum Religiosus quilibet soli regulari superiori suo, alio quocumque excluso, subjiciatur, ut constat ex his terminis Constitutionis Benedicti XI. (h) qui declarat, omnes Religiosos secundum statum & regulam, quam profitentur, superioribus suis debere confiteri: *Qui secundum statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent; aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur*. Quod consonat cum antiquo Canone, quem Concilio Niceno falso adscribit Gratianus (i), qui de Religiosis generatim loquens dicit: *Præcipimus, ut aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem*. Cum igitur in confessore præter potestatem Ordinis, quam in ordinatione sua accepit, insuper requiratur potestas jurisdictionis in pœnitentem, quem vult absolvere, ut a Concilio Tridentino definitum est (K), neque ulla Parocho in Religiosum competat jurisdictio, certum est etiam, nullum ipsi jus competere, ut ab eis Confessionem aut communionem Paschalem in Parochiali Ecclesia fieri exigat; cum a Parochorum jurisdictione omnino sint immunes (l). Quocirca, nedum Religiosus, quicumque ille sit, ad confitendum Parocho, aut Sacerdoti Ecclesiæ ipsius approbato teneatur; e contra Confessio ab ipso facta absolute esset invalida defectu jurisdictionis in Parocho, aut in tali confessore, uti solide probat Ludovicus Miranda (m). Addimus etiam, Religiosum, quamvis extra suum habitet Monasterium, ne quidem Episcopi Jurisdictioni subjici, nisi in solo casu delicti (n).

(h) Extravag. Inter cunctas. 1. *De privilegiis*. §. *Sed quia*.
(i) Concil. Nicen. in can. *Placuit*. 1. 6. q. 1.
(k) Concil. Trid. sess. 14. c. 6. & 7. & c. 9. de Sacram. Pœnit. & sess. 23. c. 15. de reform.
(l) Concil. Trid. sess. 24. c. 11. vers. *Exceptis tamen his*.
(m) Lud. Miranda. Manual. Prælat. tom. 1. q. 33. art. conclus. 1.
(n) Concil. Trid. sess. 6. c. 3. de refor.

2. Imelinus etiam ex propriis Melitensis Ordinis constitutionibus eximitur ab obligatione confitendi & communicandi in Ecclesia Parochiali: ab iis enim equiti cuilibet prohibetur, in alium, quam ejusdem Ordinis Priorem, vel Capellanum ad confessionem adeat, nisi ab hoc Priore, aut ipso absente, a superiore legitimo (o) licentiam obtinuerit: quod etiam constituit nona Bulla Pii IV. quam in superiori Decisione retulimus (p).

Ceterum non quidem nos fugit, Benedicti XI. constitutionem ex alia Clementis V. in Concilio œcumenico Viennensi constitutione fuisse abrogatam (q); quoad Privilegia nimia, quæ Dominicanis & Fratribus minoribus quantum ad sæcularium confessionem, Prædicationem & sepulturas fuerant concessa; sed nullatenus ad rem præsentem spectat hæc abrogatio.

(o) Tit. 5. de Ecclesia. statuto. 7. p. 14.
(p) Pius IV. in Bulla. *Circumspecta*. 9. §. 29.
(q) Clemens V. in Clem. *Dudum*. 2. de sepulturis. l. 3. tit. 7.

CASUS VII.

RENATUS, Sacerdos, professus ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, Prior Curatus Parœciæ sancti Joannis, quæ hoc ab Ordine dependet, privata auctoritate sua Beneficium illud resignavit Claudio, Sacerdoti sæculari nepoti suo, qui eo per quatuor annos & amplius pacifice potitus est. De eo quoque se provideri, quasi vacante, a superiori suo legitimo curavit Antonius, Sacerdos, Professus ejusdem Ordinis, & Claudio litem intulit, ut eum ab ejus possessione depelleret. Claudius ad sui defensionem titulum suum possessionemque triennalem obtendit. Qua de re quæritur, utrum non sit jus legitimum, & utrum Antonius absque injustitia litem ipsi illatam persequi queat?

RESPONS.

Jus Claudii non est legitimum: & illatam ipsi litem absque injustitia persequi valet Antonius. Ratio est, quia juxta Regulam, *sæcularia sæcularibus, regularia regularibus*, Renatus propria auctoritate Prioratum Curatum sancti Joannis Claudio, sæculari Sacerdoti resignare non potuit; cum ab Ordine Melitensi beneficium illud pendeat, qui, ut ostendimus in superioribus decisionibus, sit verus Ordo Religiosus, a Summis Pontificibus approbatus, & omnia, quæ ab eo pendent Beneficia, a Professis ordinis tantum obtineri possint.

Nititur hæc decisio Bulla Clementis VII. relata & confirmata alia Bulla, quam 1. Julii an. 1560. tulit Pius IV. (r), quæque in Senatu Parisiensi & Parlamento Tolosano an. 1576. unanimi Episcoporum consensu approbata est. En verba ipsius, qualia a Pio IV. ipso referuntur. *Quod Presbyteri, qui in dicta Religione professionem non emisissent, nisi de expressa licentia vel consensu Magistri, seu Priorum, Præceptorum, vel Fratrum, quos id tangeret ad deserviendum Parochialibus, vel aliis Ecclesiis ac Capellis hujusmodi, Capellani ejusdem Religionis per locorum ordinarios sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna, si contra facerent, eo effectu incurrenda, ad requisitionem seu præsentationem dictorum Bajulivorum, Priorum, Præceptorum & Fratrum absque aliqua exactione & oneris impositione recipi & admitti deberent*.

(r) Pius IV. in Bulla. *Circumspecta*. 9. §. 42.

Bullis istis consentanea est Galliæ Jurisprudentia, ut videre est ex Arresto, quod tulit Parlamentum Burdigalense 3. Maji an. 1605. pro commendatore d'Arenis in Vicarium perpetuum, sæcularem; & ex tribus aliis arrestis Senatus Parisien-

risiensis, quæ refert D. Brillon in suo Dictionario Arrestorum, & Blondelius in additionibus suis ad Bibliothecam Canonicam Bouchelii (a). Primum per modum ordinationis generalis latum est 29. Maji. an. 1659. pro Præceptore d'Oisemont in vicarium perpetuum loci, qui erat Sacerdos sæcularis: alterum II. Janusril an. 1664. pro D. d'Elsoie, Sacerdote, Religioso Professo ordinis contra quemdam nomine Jordan, Sacerdotem secularem, qui etiam intra sex menses, sed serius, religionem profiteri volebat: Tertium 2. Decembris an. 1669. a D. de la Guessiere (b) & ab Auctore Diarii forensis (c) relatum; quibus addendum est quartum a sanctiore Consilio 30. Septembris an. 1671. latum, quod refert etiam de la Guessiere (d).

(a) Chevalier.

(b) De la Guessiere to. 1. l. 3. cap. 20. & l. 7. c. 18

(c) Diarium fori in 4. 2. part. p. 325.

(d) De la Guessiere. ibid. l. 7. c. 8.

Nec est, quod quis objiciat, a Claudio per tres & amplius annos pacifice obtentum fuisse Beneficium suum: nam regula *de pacificis possessoribus* non obtinet in regulam *regularia regularibus*, quæ priore multo est antiquior: atque ita rem istam dijudicavit Parlamentum Gratianopolitanum 27. Junii an. 1675. cui jam Arresto suo 15. Julii an. 1602. præiverat Senatus Parisiensis, ut refert Basset (e), nec non sanctius consilium 28. Augusti an. 1685. ex D. de la Guessiere (f).

(e) Basset. tom. 2. lib. 6. tit. 10 c. 5.

(f) De la Guessiere. to. 4. 6. c. 26.

Frustra quoque in hanc decisionem quis objiciet Arrestum Parlamenti Tolosani, quo Sacerdos sæcularis an. 1526. pacificam Curæ S. Joannis de *Kyrie eleison*, prope Tolosam positæ, & Melitensi Ordini subditæ possessionem retinuit. Nam huic Arresto, cui nullum aliud simile postea latum est, opposita fuerat verbis expressis hæc Clausula: *Absque præjudicio libertatam, immunitatum atque auctoritatis arrestorum curiæ*. 2. Sub ea etiam conditione tantummodo latum est, ut Sacerdos ille crucem candidam vesti talari assutam deferret *in signum Patronatus*; his addi potest, contraria penitus huic Arresta ab eodem parlamento lata fuisse, quale est inter cetera illud, quod 21. Julii an. 1665. in D. Serres Vicarium perpetuum commendatariæ Piscenarum latum est.

Ceterum advertendum est, quod, si Claudius, de quo in casu proposito agitur, in Ordine ante sex menses elapsos professus fuisset, inito a die datæ provisionum suarum calculo, canonice fuisset provisus: quam professionem cum non emiserit ante id temporis, ad eam jam admitti nequit post illatam ipsi ab Antonio actionem: & de Prioratu curato is depelli debet, de quo contra regulam *regularia regularibus* nec non privilegia Ordini Melitensi ab Apostolica sede concessa fuit provisus.

Hæc sunt potissimum, quæ de equitibus Melitensibus scitu necessaria duximus. Sunt quidem & aliæ quæstiones quæ de re illa fieri possunt; sed quia non sunt usitatæ eas prætermittimus. Addemus tantummodo omnes, qui hunc Ordinem componunt ordinariæ Episcoporum jurisdictioni non subjacere vi Bullarum Adriani IV. Clementis VII. Pauli III. & Pii V.

2. Galliæ Reges Franciscum I. Henricum II. & Carolum IX. edictis suis an. 1541. 1552. & 1563. Equites illos de omnibus subventionibus, contributionibus oneribus & tributis, quæ a Clericis exiguntur, liberasse. Quod ex multis confirmatum est Arrestis, quorum duo celeberrima sunt Senatus Parisiensis, mensis Aprilis an. 1598. & mensis Maji an. 1601. quæ refert Bouchelius in Biblioteca sua juris canonici (g), quibus addi potest Arrestum sanctioris Consilii 9. Januarii an. 1548.

(g) Bouchel. bibliotheca juris Gallici t. 2. pag. 13. Col. 1.

Ea potissimum ratione nititur ea prærogativa, non solum quod Melitenses equites de Christianitate præcipue & continuo bene merentur ob implacabile bellum, quo Turcas, Barbarosque, Christiani nominis hostes infensissimos prosequuntur, sed etiam quia nulla Ordinis sui bona obtinent, ne ipsis quidem commendatariis exceptis, nisi ut possessores mere precarii.

Verum tamen est 1. ipsos una cum Clero quandoque tributa pensitasse, cum nimirum urgens fuit Regni necessitas, uti accidit an. 1568. 1585. & 1606. quod notat D. Brillon (h): 2. eos conferre debere ad generales locorum eleemosynas, pro rata decimarum, quas ibi percipiunt, ut a Senatu Parisiensi judicatum est 26. Martii an. 1598. ut etiam ad refectionem chori & Campanilis Ecclesiæ ex Arresto 30. Martii 1640. quod refert le Pretre (i).

(h) D. Brillon. dict. Arrestorum. v. *Eques*. n. 30.

(i) Le Pretre 3. cent. c. 28.

3. Ordinis hujus Equites, regulariter loquendo, de bonis a se possessis testamento statuere non posse; etsi id quandoque pro piis aut conscientiæ legatis toleratum fuerit, & cum legata illa tertiam bonorum suorum partem non superabant, ut patet ex Arresto Senatus Parisiensis 12. Martii an. 1571. & ex aliis quibusdam posterioribus: qua de re consuli possunt Papo, le Pretre, Brodesius in Loverum, Peleus, Chenu, Ricardus, & Diarium fori (K).

4. Diœcesanos Episcopos jus visitationis habere in Ecclesiis Beneficiorum, quæ pendent ab Ordine, ut fert ordinatio an. 1606. modo eam per se exequantur, nec ulla jura exigant, ut statuunt multa Arresta, ac præsertim Arrestum 25. Januarii an. 1529. quod refert Chenu (l); qua de re legi potest Tourneius, & diarium fori (m).

(k) Papo. l. 2. tit. 10. n. 3. Le Pretre. 1. cent. c. 28. & 3. cent. c. 23. Brudelius lit. e. *Summar*. 8. Paleus action. for. l. 2. act 73. Chenu. 2. centur. q. 16. Ricardus trac. de donat. inter vivos. 1. p. c. 3. sect. 5. n. 946. Diarium fori tom. 8.

(l) Chenu t. 2. p. 1. tit. 1. c. 30.

(m) Tourneti lit 3. *Ex Arresto* 31. Diarium fori. lib. 2. c. 31.

E X A M E N.

EXAMEN secundum varios sumitur sensus, qui ad rem præsentem non pertinent. In hoc enim titulo agitur tantum de obligatione superioribus imposita, ut fiant certi de sufficienti peritia inferiorum suorum, qui sese offerunt ipsis ad suscipiendos ordines, aut ad obtinendam licentiam functiones eorum obeundi, qualis est functio confitendi aut sacra verba ad populum habendi, aut ad obtinendum aliquod Beneficium: quod sine prævio examine ab ipsis nequit cognosci. Ideo autem examen est necessarium, quod, cum vitiorum omnium & errorum origo sit ignorantia, multo magis est in Clericis periculosa, quam in aliis; quod ipsis populos edocendi onus incumbat. *Ignorantia, mater cunctorum errorum*, inquit Toletanum Concilium 4. (n), *maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt.*

(n) Concil. Toler. 4. can. 25 t. 5. conc. p. 1713. Vide etiam t. 12. p. 2. pag. 2413. Conc. Oenn.

Duplex distinguenda est in Clericis capacitas; una interior, quæ in probitate morum posita est, quæque ex litteris testimonialibus, quæ sint authenticæ, nota fit; altera exterior, quæ in scientia consistit, qua quis ligare aut solvere opportune, populum edocere & concionari, aliasque dotes habere queat requisitas ad exercitium ministerii sui; quod plerumque solo examine potest detegi.

Exa-

Examinis illius materia, non sola debet esse grammatica; quæ olim satisfuisse videtur Concilio Vauri an. 1368. habito (*a*): sed scientia ministerio suo dignior, & ordini aptior, qualis est ea, quæ ad sacramenta, ac præcipue ad Eucharistiam & Pœnitentiam spectat. *Agri Dominici cultura non est indignis operariis committenda*, inquit Toletanum Concilium an. 1473. (*b*) habitum, *sed illi duntaxat conducendi sunt in domo Domini, qui secundum Apostolum sciant, quæ sit longitudo, sublimitas, & profundum, & inter lepram discernere noverint* (*c*) Quam ob caussam ei nota debent esse scriptura sacra, ac præsertim effata ac regulæ in novo Testamento contentæ, nec non Canonum præscripta. De iis igitur potissimum fieri debet a superioribus Ecclesiasticis examen scientiæ & capacitatis sibi subditorum in sacro ministerio; neque ab hac regula debent excipi ii omnes, qui de Beneficiis fuere provisi a Summo Pontifice *in forma dignum*, Hoc est, in forma commissoria: Idque eo æquius est, quod concessæ a Papa gratiæ meritum ejus, cui conceduntur, semper supponant, ut constat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum Mediolanensem in corpore juris relata (*d*), de quo proinde par est ut prævio examine fiat certus Episcopus.

(*a*) Conc. Vaur. can. 20. apud Labbe t. 11 conc. part. 2. Col. 1980.
(*b*) Apud Labbe tom. 13. pag. 145.
(*c*) Vide Prœmium in pragmaticam sanctionem. §. *Nam Ecclesiarum*. v. *Vulnus*. Pag. 37. edict. Paris. an. 1666.
(*d*) Innoc. III. in cap. *Cum adeo*. 17. de rescriptis. L. 2. tit. 3.

CASUS PRIMUS.

LYSIAS, qui per decennium in famosa Universitate Theologiam professus est, provisus in Curia Romana de Curato Beneficio, ad illud adeundum Episcopo se præsentem stetit, ut ab eo *visa* suum obtineret. Episcopus, quamquam de ipsius scientia ac probitate morum convictus, ipsum tamen examini subjicere voluit: At Lysias ea re offensus, petiit, ut testimonio juridico constaret de repulsa, eo fine, ut Metropolitani provisiones obtineret, aut sibi competeret appellatio tamquam ab abusu. Poteftne tuta conscientia alterutram adhibere litigii rationem?

RESPONS.

Quantalibet sit Lysiæ eruditio, Episcopi tamen sui examen recusare non potuit, neque obtento repulsæ testimonio juridico uti. Ratio est, quia Episcopo jus competit, eorum omnium indistincte periclitandi doctrinam, qui Romæ Curati Beneficii provisiones *in forma dignum*, hoc est, in forma commissoria obtinuerunt.

Jus illud Episcoporum adstruit auctoritas Tridentini Concilii (*e*), quo statuitur, ut nullum curatum Beneficium conferatur, nisi iis, quorum scientiæ ac probitatis morum factum fuerit periculum, si idonei fuerint judicati, quodque ab hac regula non magis Doctores, quam alios excipit. Decretum illud Concilii Edicto Blesensi (*f*) admittitur, quod neminem ab obligatione examinis liberat. Edicto quoque Melodunensi mensis Febr. an. 1576. ita generatim sancitur (*g*): *Qui in Curia Romana Beneficiorum provisiones impetraverint (in forma, qua dicitur,* dignum*) hujusmodi Beneficia adire, eorumve possessioni se immiscere non poterunt, nisi prius Archiepiscopo, aut Episcopo Diœcesano, & ordinario, aut ad eorum absentiam, Vicariis eorum generalibus ad examen se præsentes stiterint, eorumque* visa *obtinuerint, quod dari non poterit sine prævio examine provisorum, de quo expresse mentionem facere in institutionibus tenebuntur.* Hanc eandem disciplinam accurate teneri jam jusserat Carolus IX. Edicto suo Molinensi (*h*). Reipsa non intendit Papa, ut provisus *in forma dignum* obtento potiatur Beneficio, nisi eum ad ejus obeunda officia idoneum judicaverit Episcopus. Quod sapientissime a Concilii Tridentini Decreto Regumque Galliæ edictis cautum est; quia fieri potest, ut gradum suum dolose quispiam obtinuerit, & aliunde non sufficiat, ut is, qui ad alios docendos præponitur, scientia polleat, nisi sana sit ejus doctrina & orthodoxa, atque de ea prævio examine certus fuerit.

(*e*) Conc. Tr. sess. 24. cap. 18.
(*f*) Edict. Bles. art. 12.
(*g*) Edict. Melod. art. 14.
(*h*) Edict. Molin. art. 74.

Hactenus de provisis tantam in forma commissoria diximus; neque enim de iis idem dicendum, omnino qui provisiones *in forma gratiosa* obtinuerint. Attamen, quamvis eas viris merito præstantibus Papa duntaxat concedat, quales sunt Vicarii Generales, Officiales, aut alii in dignitate constituti, is, cui concessum est tale rescriptum illud obtinere non potuit, nisi ex Litteris testimonialibus vitæ morumque ac scientiæ, quas ab Episcopo originis, aut Domicilii *a decennio*, si beneficium sit curatum, aut *a triennio*, si aliud sit beneficium, aut tandem ab Episcopo loci, in quo situm est beneficium, exclusis aliis duobus, obtinuerit, juxta hodiernam Romanæ Curiæ praxim, quæ consequenter ad Episcoporum Galliæ expostulationem a 13. Junii an. 1636. observatur. Ita statuere Edicta Ludov. XIII. ann. 1629. & Ludov. XIV. 9. Julii an. 1646. (*i*), ut observat Auctor moderņus (*K*).

(*i*) Edict. Lud. XIII. art. 12. Edict. Lud. XIV.
(*k*) Ducasse prax. jurisdict. Ecclesiast. volunt. cap. 2. §. 3.

CASUS II.

GUILLELMUS, in Curia Romana de Cura S. Exuperii *per obitum* provisus, cum Episcopum ad obtinendum *visa* suum adiisset, & ab eo ob suam ignorantiam & imperitiam in examine fuisset recusatus; cujus repulsæ juridicum ei Episcopus instrumentum dedit, ad Metropolitanum appellavit, a quo *visa* suum obtinuit, supposito Sabiniano, qui pro se & nomine suo ad interrogata respondit, quo facto Curæ possessionem adivit, quam a triennio & amplius obtinuit, non minus, quam cum ab Episcopo recusatus est, ignarus.

Quæritur 1. utrum censuram aliquam aut irregularitatem incurrerint Guillelmus & Sabinianus? 2. An Guillelmus nunc curam illam abdicare teneatur? 3. An fructus, quos a tempore possessionis percepit, suos fecerit?

RESPONS.

1. Certum est, Guillelmum & Sabinianum nullam censuram vel irregularitatem incurrisse, quia in hujusmodi delinquentes nulla in jure pœna talis constituitur, sed ambos ad rigorosam reneri pœnitentiam, eo quod tam impudenter Ecclesiæ mentiti sint, & quod in re tanti momenti falsitatem commiserint.

2. Guillelmum Beneficii Curati S. Exuperii non vere esse titularem, sed esse intrusum; Enimvero is est intrusus qui privata sua auctoritate possessionem adit, non obtento Canonico titulo a Superiore, cujus est Beneficii collatio, ut ex multis constat Summorum Pontificum Decretalibus, & præsertim Alexandri III. ad Episcopum Exoniensem (*l*), Innocentii ad Episcopum & Capitulum Ecclesiæ Tornacensis (*m*), & ex alia ejusdem Papæ, cum aliis in corpore juris relata (*n*): Sic autem se gessit Guillelmus, Metropolitano Sabinianum pro se supponens. Quare licet in externo foro Canonicus ejus titulus videatur; in interno tamen & coram Deo est irritus, cum Metropolitanus nullo modo intenderit ei *visa* dare, quo abusus est ad invadendam curam, & ei tantum dare illud voluerit, qui coram se ad interrogata respondit.

(*l*) Alex. III. in cap. *Ad aures*. 3. de concess. Prælatorum &c. lib. 5. tit. 31.
(*m*) Innoc. III. in cap. *Cum jam dudum*. 18. de prebendis & dignit. lib. 3. tit. 5.
(*n*) Idem in cap. *Quia diversitatem*. 5. de concess. prebendæ & ecclesiæ non vacantis. cit. lib. 3. tit. 8.

3. Guillelmum proinde intrusorum pœnæ se subjecisse, quæ in privatione Beneficii posita est, conformiter ad ista Bonifacii VIII. (a) verba; *Eum qui Beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter injuste intrudit in eo, decernimus ipso jure fore privatum Beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat.* Quod consentit cum Decretali Alexandri III. modo citata.

(a) Bonifac. VIII. in cap. Eum qui, 18. de preb. & dignit. in 6.

4. Ipsos tandem perceptos fructus non fuisse suos, quos proinde Ecclesiæ restituere coram Deo tenetur, cum actu per intrusionem suam cura sua fuerit privatus, nec illius legitimus fuerit titularis.

Vide { Graduatus. Provisio Beneficii. Visa. }

EXCOMMUNICATIO.

CUM in hoc titulo plures de excommunicatione difficultates, octoginta sex videlicet discutiamus, atque in iis effata & regulæ præcipuæ reperiantur; existimamus id satis fore. 1. Si lectorem moneamus, potestatem excommunicationis Ecclesiæ fuisse concessam in persona primorum pastorum, cum ea potestas sit pars potestatis clavium, quam Christus Apostolis immediate, & in eorum persona Episcopis ipsorum successoribus contulit. 2. Si Excommunicationis varias species definiamus, ut earum cognoscantur natura & effectus.

Excommunicatio, sumta secundum sensum hodiernum, est id quod *Anathema* dicitur, hoc est, separatio a communione fidelium. Pœna hæc istis CHRISTI DOMINI verbis innititur (b): *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus*: Et istis Apostoli (c): Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur: ac denique his ejusdem Apostoli, de incestuoso Corinthi (d): *Tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

(b) Matth. 18. 5.
(c) 2. Thess. 3. 14.
(d) 1. Cor. 5. 2. & seqq.

Excommunicationem hoc modo definiunt Theologi: *Excommunicatio est censura Ecclesiastica, privans baptizatum communione Sanctorum ex toto vel ex parte* (e), *ex toto*, hoc est, (omni participatione Sacramentorum, aliorumque Ecclesiæ bonorum) *vel ex parte*, hoc est, privans tantum peccatorem participatione passiva Sacramentorum & jure, ut ad aliquod Beneficium eligatur.

(e) Polman. Brev. Theol. part. 3. n. 391.

Ad pleniorem autem definitionis Excommunicationis generatim sumtæ intelligentiam, duplex distinguenda est Excommunicatio: prima, quæ dicitur *major*, & quæ non nisi ex peccato mortali unquam incurritur, ea est, quæ privat Christianum participatione totali, seu activa seu passiva, bonorum spiritualium Fidelibus communium; ita ut homo tali modo excommunicatus, 1. nullum possit conferre aut recipere Sacramentum, nisi in casu justæ & urgentis necessitatis. 2. Ut suffragiorum Ecclesiæ nullatenus sit particeps, qualia sunt Sacrificia, preces, jejunia, & alia opera satisfactoria, quæ publice fiunt in nomine Ecclesiæ. 3. Ut cujuscumque Beneficii obtinendi sit incapax, licet ipsius Excommunicatio sit penitus occulta (f), ut, cum talis denuntiatus est, omnis ei cum aliis fidelibus interdicatur communicatio, quoad res sacras & spirituales, quales sunt preces publicæ aut privatæ (g), sepultura, & exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ.

(f) Cap. *Postulastis* de Clerico excommunicato &c.
(g) Innoc. III. in cap. *Ad probandum*. l. 2. tit. 27. de re judicata, & Clement. *Ne Romani*. de elect.

Altera *minor* vocatur, quod non tam late pateat ejus effectus, & una tantum bonorum illorum parte privet: ita ut, qui ea ligatus est, Sacramenta, nondum solutus, recipere, aut ad ullum eligi queat Beneficium: Alioquin irrita a Judice declarari posset ejus electio. Ultima hæc excommunicationis species a jure constituta est in pœnam illiciti commercii cum excommunicato denuntiato; verum irregularitatem in iis non parit, qui ea ligati eam Ordinum suorum exercitio infringunt (h).

(h) Cap. Si celebrat. 10. de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto celebrante. l. 5. tit. 27.

Excommunicatio major, jure quandoque fertur, hoc est, Canone aut statuto, quo excommunicati declarantur ii omnes, qui hoc vel illud peccatum admiserint, & *Excommunicatio a jure* vocatur. Quandoque vero sola judicis sententia infligit, & dicitur *Excommunicatio ab homine*. Hujus autem absolutio ferenti semper reservatur, cum Excommunicatio a jure ipsi duntaxat reservetur, quando talis a Canone declarata est. Excommunicatio a jure lata generatim semper enuntiatur; altera vero sæpe sæpius est particularis, & ad unam

aut

sur quasdam tantum spectat personas. Prior semper durat: sed posterior quoad effectum suum futurum definit per obitum judicis, qui eam tulit, aut per privationem ab officio suo: & idem dicendum de alia quacumque simili censura *ab homine*.

Denique fit etiam distinctio inter excommunicationem *latæ*, vel *ferendæ sententiæ*. Excommunicatio, quæ dicitur *latæ sententiæ*, ea est, qua quis rem illicitam perpetrans ligatur: Sed Excommunicatio *ferendæ sententiæ* est tantum comminatoria, hoc est, simplex est Excommunicationis comminatio a Superiore facta ad impediendam actionem illicitam, quam prohibet, eaque tamen monitionis locum obtinet ad sententiam consequenter ferendam.

Pro merito suo sat dignis prædicari nequit laudibus mira illa Episcoporum caritas, qua peccatores olim prosequebantur, atque incredibilis eorum patientia, qua eos ad pœnitentiam provocabant, prinsquam illos a fidelium Communione resecarent: quo remedio primis Ecclesiæ sæculis, non nisi ad extrema redacti & uberem lacrymarum vim profundentes usi sunt. Qua de re legi potest Tridentinum Concilium, cujus sapiens Decretum referemus, quo Episcopos admonet, ne excommunicationis gladium, non sine magna circumspectione & gravibus ex rebus exerant (*a*).

(*a*) Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 3.

Ceterum, quantumvis justa videatur Excommunicationis caussa, certum est tamen, censuram illam injustam esse & invalidam, quando in reum profertur, qui ante ter nec monitus nec in judicium personaliter vocatus est; (*b*) quia ob solam suam contumaciam terribilem adeo pœnam meretur: quæ regula solius casus exceptionem patitur, violentiæ nimirum aut fraudis, qua reus uteretur, dum consulto abesset aut lateret ad vitandum vadimonium; tum enim non esset necesse, ut vadimonium seu in jus vocatio homini ipsi diceretur, sed tantum ipsius domicilio affigeretur.

(*b*) Innoc. III. in cap. *Inter quatuor*. 9. de major. & obed. l. 1. tit. 33.

Juvat hic advertere nos dixisse, *censuram illam injustam esse & invalidam*: Nam multi possunt esse casus, in quibus valida est Excommunicatio, licet injusta sit ob defectum formalitatis alicujus non absolute necessariæ, aut ob alias caussas, de quibus in hoc titulo verba faciemus.

Hic insuper addendæ sunt regulæ duæ præcipui momenti: prior est: neminem timore injustæ excommunicationis averti debere ab implendis officiis Legis naturalis & divinæ. Altera est, Excommunicationem pacifice & humiliter esse tolerandam, cujus probari nequit injustitia aut invaliditas: quod si vero probari queat hæc injustitia & nullitas, omni ope cuilibet enitendum, ut tollatur hæc a se Excommunicatio; quia aliter se gerens Sacramentorum participationem & fidelium societatem contemnere censeretur, atque ita coram Deo reus fieret.

In casu Excommunicationis *ab homine*, Judex, qui eam tulit, scripto sententiam suam reddere, caussam censuræ exprimere, nec non reo, si petat, intra mensem dare exemplar tenetur: Idque totum ab ipso exigitur sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ ac Divinis Officiis, quam violare nequit, omissa irregularitate, quam Papa solus tollere potest (*c*).

(*c*) Innoc. IV. in cap. *Cum medicinalis*. 1. de sent. excommun. in 6. l. 5. tit. 11.

Exponetur postea 1. quæ ignorantia ab Excommunicatione excuset. 2. Qualiter se gerere debeat, qui de excommunicatione se conscium esse dubitat. 3. Quis sit effectus appellationis interpositæ ante vel post sententiam Excommunicationis; ac nonnullæ aliæ exponentur difficultates, quæ ad hunc Titulum pertinent.

CASUS PRIMUS.

AYDENTIO, & LEANDRO Sacerdotibus, in communium sibi amicorum trium vel quatuor cœtu, in disputatione secum invicem rixantibus, Leander Aydentium tam acerbis facetiis adgressus est, ut is subito iræ impetu penitus ipsi alapam inflixerit, cujus veniam statim ipsum rogavit, ipsi asserens, se absque voluntaria deliberatione eum percussisse: Equidem ita Leandro fuit persuasum, actionem suam defectu sufficientis deliberationis non esse mortalem culpam, ut eo ipso die vel postridie, multorum confessiones exceperit. Qua de re quæritur, utrum hic Sacerdos ob actionem violentam a se commissam excommunicationem incurrerit, atque irregularis factus fuerit, quia in hoc statu pœnitentiæ Sacramentum administravit?

RESPONSIO.

Id quidem constanter est verum, excommunicatione videlicet neminem ligari, nisi ob mortale peccatum. *Anathema & æterna mortis damnatio non nisi pro mortali debet imponi crimine*, inquit Meldense Concil. ann. 835. habitum (*d*). Certum est etiam actionem illam non esse peccaminosam, quæ absque voluntaria fit deliberatione: *usque adeo peccatum voluntarium est malum*, inquit S. Augustinus (*e*), *ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*. Unde sequitur, quod si Aydentius vere primo iræ motu abreptus actionem hanc commiserit, & absque sufficienti deliberatione, qua fit peccatum; neque excommunicationem, neque irregularitatem in casu proposito incurrit: Sed quia legitima est de ea re dubitandi caussa, & in foro externo præsumendum est,

(*d*) Conc. Meldens. cap. 56. in can. Nemo. 41. 11. q. 3.

(*e*) S. August. lib. de vera religione c. 14. seu n. 27.

est, ipsum peccasse lethaliter, ac proinde excommunicationem & irregularitatem incurrisse, Episcopum tenetur adire, vel Pœnitentiarium ut absolutionem ab eo obtineat, atque in integrum restituatur *ad majorem cautelam*. Cujus quidem rei hæc afferri potest ratio, *quia bonarum mentium ibi est timere*, cum nimirum agitur de salute, ut post Glossam loquitur doctus Canonista (*a*), & *in dubiis via est eligenda tutior*, ut ait Innoc. III. in sua ad Capitulum Herbipolense Decretali (*b*), vel ut dicit Eugenius I. (*c*): *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.*

CASUS II.

Bartholomæus, apertus Sacerdotis inimicus mandavit, vel saltem Georgio consuluit ipsi pariter inimicissimo, ut eum in saltu, qua erat transiturus, obvium fuste cæderet; quod vi magna perfecit Georgius: qua de re quæritur, utrum Bartholomæus in eamdem incurrerit excommunicationem, qua Georgius ob admissum a se crimen ligatus est?

Ratio sentiendi, quod in eam incurrerit, est, quia censura illa terminis expressis fertur in casibus Simoniæ, confidentiæ, incendii, hæresis, & aliorum hujusmodi in eos, qui horum criminum fiunt conscii pravis suis consiliis, aut data a se tutela, ut videre est in multis Summorum Pontificum Decretalibus (*d*).

Videtur econtra, defendi posse Bartholomæum in excommunicationem non incurrisse (*e*), quia in Canone, quo fertur illa censura, nulla fit mentio eorum, qui crimen illud vel mandant, vel consulunt. Unde concludi potest, hanc igitur in eos non cadere censuram, sed tantum in illos, qui per se committunt; quandoquidem, cum hæc censura sit res odiosa, incurri non potest, nisi in solis casibus jure expressis, juxta hanc regulam: *Expressa nocent; non expressa non nocent* (*f*).

Respons.

Existimat inclytus Canonista (*g*), quod licet Canone si quis suadente (*h*), non exprimantur consulentes aut mandantes percutere Clericum, & de ipsis tantum percussoribus fiat mentio, ex eo non fit, ut non minus ex æquo omnes hanc excommunicationem incurrant. Ratio ejus est (*i*), quia, licet regulariter loquendo, Lex, quæ excommunicatum declarat, qui facinus quodpiam admittit, non censeatur comprehendere eum, qui illud vel consulit, vel ad illud suadet, censetur tamen eam comprehendere, cum alia simili lege continetur, ut docet Cajetanus post Sylvestrum aliosque permultos Canonistas (*K*): Ex aliis autem Summorum Pontificum Constitutionibus inter excommunicatos censentur ii, qui in simili casu gravia illa facinora imperant, consulunt, aut reis favent vel assentiuntur.

Prima autem ex iis est Alexandri III. (*l*), qui Canonem, *si quis suadente*, exponens, dicit: *Illi vero, qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate vel mandato, alii violenter injiciunt manus in Clericum, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi; cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato, delictum committi probatur.*

Altera est Innocentii III. (*m*), qui rem eandem declarat erga eos, qui violentiæ tali consentiunt, & etiam erga illos, qui, cum possint & ex officio teneantur, ex malitia non impediunt, ut docet Glossa (*n*): *Ne autem solos violentiæ hujusmodi Auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos*, inquit hic Papa, *facientes & consentientes, pari pœna plectendos Catholica condemnat auctoritas: eos favere interpretamur, qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.* Quod pro certo locum obtinet erga eos, qui tale facinus imperant vel consulunt.

Tertia est Bonifacii VIII. (*o*), qui longius etiam progreditur: Vult enim hic Papa, ex sola approbatione commissi sceleris, excommunicationem incurri, quam decernit idem Canon, *Si quis suadente*; licet is, cujus nomine perpetratum est, illud tantum jam commissum approbet: *Cum quis absque suo mandato*, inquit hic Papa, *manus injicit in Clericum suo nomine violentas; si hoc ratum habuerit, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurrit: cum ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari.* (*p*) Ex quo manifeste liquet, eum, qui crimen nondum commissum imperavit, aut consuluit, multo magis excommunicationis pœnam mereri, quam eum qui illud tantum commissum suo nomine seque inscio, simpliciter ratum habet & approbat.

Nititur etiam hæc decisio juris regula, qua dicitur (*q*). *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum.* Ac dictis hactenus frustra objicitur, Canonem *si quis suadente*, de solis Clerici percussoribus loqui, non vero de imperantibus percussionem aut consulentibus, cum jure Decretalibus relatis contento pœna eadem extendatur ad eos qui imperant, consulunt, suadent, aut crimen illud approbant. Hanc eandem opinionem tuentur S. Antoninus, Sylvius, & Cabassutius (*r*). *

CASUS III.

Cum Lampridius & Mævius, Sacerdotes & Canonici, in Capitulari conventu in se invicem concaluissent ob negotium aliquod, de quo fiebat consultatio, Lampridius Breviarium suum in Mævii caput impegit, qui tamen ictum declinans, eo non fuit percussus. Qua de re quæritur, utrum Lampridius excommunicationem incurrerit, & si eam incurrerit, utrum a solo Papa, an vero ab Episcopo absolvi possit?

Respons.

Lampridius, ut nostra fert sententia, in excommunicationem incurrit, latam Canone, *si quis suadente*, in superiori decisione relato, qui his verbis enuntiatur: *Si quis suadente Diabolo sacrilegii hujus reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.* Quam eandem pœnam *ipso facto* constituit Decretalis Alexandri III. (*s*), in eos, qui in Clericos aut Religiosos violentas manus injiciunt. *Non dubium est*, inquit hic Papa, *quod hi, qui violentas manus in Clericos, vel Canonicos, vel cujuslibet Religionis conversos injiciunt, sententiam excommunicationis incurrunt.*

Navarræ in hoc assentimur (*t*), qui cum præmisit, his vocibus, *manus injectio*, non solum intelligi actionem, quæ manu fit, sed pede, aut alia corporis parte: addit, his verbis significari actionem quocumque instrumento factam in illius injuriam, qui offenditur. *Dicitur manus violentas injicere Clerico, qui immediate, aut mediante instrumento injicit ei aut rei eum tangenti: & per consequens, qui eum percutit ense, baculo, aut aspergit pulvere, vel aqua, saliva, aut alia re simili.* Quod jam docuerat S. Antoninus (*u*), qui hæc eadem affert exempla, & generatim asserit, quod *in quibusdam casibus*, inquit hic Sanctus, *quamvis non actualiter injiciat quis manus violentas, incidit in Canonem propter quosdam actus injuriosos personales, factos contra tales.* Et de eo quod objici potest, Canonem videlicet, quo fertur pœna excommunicationis, non ultra proprium suum sensum debere extendi, quia is ad rem odiosam spectat & pœnalem; asserit e contra, eundem tamquam favorabilem haberi debere, relate ad ordinem Ecclesiasticum, pro quo conditus est, ac proinde sensum illius ad casum præsentem esse extendendum.

Cum hoc Sancto consentit Sylvester (*x*), & expressius etiam Cajetanus his verbis (*y*): *Quia manus est organum organorum, appellatione manus violentæ venit non*

nit non

(*a*) Danya v. *Excommunication.* 52. & apud eum Glossa in c. *Olim* de restit. spoliat.

(*b*) Innoc. III. Capitulo Herbipolensi in cap. *Illud*. 9. in Clericu excommunic. ministrante l. 5. tit. 27.

(*c*) Eugen. I. in c. *Juvenis*. 3. de sponsal. & matr. lib. 4. tit. 1.

(*d*) Alex. III. in cap. *Sicut*. 8. de hæreticis &c. l. 5. tit. 7.
Innocent. III. in caput. *Excommunicamus*. 13. eodem tit.
Alexand. III. in cap. *Ita*. 6. de Judæis &c. eod. lib. tit. 6.
Clemens III. in c. *Quod olim*. 12. eod. tit. &c.

(*e*) Innoc. II. in Conc. Lateran. an. 1139. in can. *Si quis*. 29. 17. q. 4.

(*f*) Leg. 155. ff. de diversis regulis juris antiqui.

(*g*) Navar. Manuel. c. 27. n. 51. & 78.

(*h*) Can. *Si quis suadente*. 29. 17. q. 4.

(*i*) Idem cit. n. 52.

(*k*) Cajetan. in sum. v. *Excommunicatio*. c. 47. notabili. 3.
Sylvest. de Prierio v. *Excommunicatio*. 5. &c.

(*l*) Alex. III. in cap. *Mulieres*. 6. § 1. de sentent. excommunic. &c. lib. 5. tit. 39.

(*m*) Innoc. III. in c. *Quanta* 47. eod. tit.

(*n*) Glossa in cit. cap. *Quanta*. v. Interpretans.

(*o*) Bonif. VIII. in c. *Cum quis* 23. de sentent. excommunic. in 6. lib. 5. tit. 11.

(*p*) Item regula 10. de reg. juris in 6.

(*q*) Reg. 72. de reg. juris in 6.

(*r*) S. Antonin. 3. part. sum. Theol. tit. 24. c. 2. § 2.
Fr. Sylvius resolut. var. v. *Clerici percussio* 1. ed 4. quarum.
Joan. Cabassut. juris can. Theor & prax. l. 5. c. 9. n. 3.

(*s*) Alex. III. in cap. *Non dubium*. 5. de sent. excommun. sup. & interd.

(*t*) Navar. Manual. c. 27. n. 77. & apud eum Petr. Paludanus.

(*u*) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 24. c. 2. § 2.

(*x*) Sylvester de Prierio. v. *Excommunicatio*. 6. notab. 3. n. 6.

(*y*) Cajetanus in summ. v. *Excommunicatio* c. 10.

* Frustra objiceretur neminem posse excommunicari nisi propter peccatum personale, & consequenter Bartholomæum qui per se & personaliter non percussit Sacerdotem, excommunicari non posse: non enim excommunicatur præcise propter percussionem quæ non est actua personalis nisi respectu Georgii, sed propter mandatum, & consequenter semper verum est dicere neminem nisi propter personale peccatum excommunicari. Si tamen Bartholomæus mandatum suum revocasset, & revocationem Georgio significasset, excommunicationem non incurreret, quam tamen, etiam revocato consilio, incurreret, si consuluisset.

nis non solum quæcumque percussio, sed etiam pulveris aut aquæ injectio, immo & conspatio ac violenta acceptio cujuscumque rei de manu seu persona Clerici. Cujus rei hanc rationem affert Silvester (*a*), quia *Iste canon .... inquit ponderat potius effectum violentiæ, quam modum inferendi injuriam.*

(*a*) Silvest. loco cit. n. 1.

Sylvius quoque opinionem istam sequitur (*b*) & post Suarem (*c*) observat, satis esse, ut, qui violentiam infert, gravem admittat injuriam in personam aut honorem Clerici, cui actione sua insultat. *Suarez observat*, inquit ... *ad hoc ut incurratur hæc censura, non oportere corporis percussionem talem esse, ut illud graviter lædat; sed sufficere injectionem manus violentam, cum gravi injuria, quæ fit non solum contra honorem, sed etiam contra immunitatem proprii corporis ... unde ait* (*d*), *quod si actio violenta personam attingat, licet contactus, physice consideratus, levissimus sit, si tamen secundum moralem existimationem sufficiat ad gravem injuriam contra honorem & reverentiam debitam tali personæ, sufficit ad incurrendam talem censuram.*

(*b*) Fr. Sylvius resol. var. v. *Clerici percussio.* 1. ad 1. quæsitum.

(*c*) Fr. Suarez tom. 5. in 3. part. S. Th. disput. 22. sect. 1. num. 13.

(*d*) Idem ibi. num. 26.

Actio vero Lampridii in conventu capitulari contra Mævium, Sacerdotem & confratrem suum, in tribus illis circumstantiis haberi tantum potest ut injuria gravissima & valde scandalosa. Quod quidem probari potest ex his Innocentii III. (*e*) verbis, quæ pariter de Clericis, uti de laicis intelligi debent. *Non credimus, Laicos pœnam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factam corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa Clericos nequiter perpetratur.*

(*e*) Innoc. III. in c. *Nuper.* 29. de sent. excom. &c.

Defendi tamen nequit, hanc censuram Papæ esse reservatam, qualis est ea, de qua loquuntur Innocentius III. & Alexander III. quia de excommunicatione sermonem habent isti Pontifices, quæ actione violenta & enormi incurritur, qualis dici nequit actio Lampridii, quæ levis tantum haberi debet, non quidem quoad peccatum, quod vere est mortale, cum aliter non incurreretur excommunicatio, sed eo sensu, quo terminus ille in jure accipitur, & relate ad eam, quæ violenta & enormia dicitur (*f*). Illa igitur excommunicatio Episcopo tantum reservatur, ut constat ex his verbis Decretalis Clementis III. (*g*): *De his absolvendis, qui Clericis, non enormem, sed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Ita quoque docet Cajetanus (*h*): *Si esset levis* (injuria) inquit hic Cardinalis, *potest Episcopus absolvere.* Hinc declarat Alexander III. (*i*), quod *si ... alicujus potestatis*, (hoc est viri nobilis) *ostiarius sub prætextu sui officii, malignatus Clericum læserit, ab Episcopo suo potest absolvi, nisi forte eumdem Clericum graviter vulneraverit.* Hæc est tandem sancti Antonini Doctrina (*K*), qui casus designat, in quibus hæc a jure sit Episcopo potestas, etiam cum gravis est violentia, non vero enormis, & explicatur, quid sit *manus injectio levis, gravis & enormis*, cujus discretio, in casu dubii, ad Episcopum quoque spectat, ut ait idem sanctus Archiepiscopus.

(*f*) Innoc. III. in cap. *Cum illorum* 32. de sent. excommunic. &c. Navar. Manuel. c. 27. n. 91. & apud eum Panorm. in c. *Quoniam.* 9. de vita & honest. Clerico.

(*g*) Clem. III. in c. *Pervenit.* 37. de sent. excomm. &c.

(*h*) Cajetan. in Summ. v. *Excommunicatio.* c. 10. n. 13.

(*i*) Alex. III. in c. *Si vero.* 3. de sent. excomm.

(*k*) S. Anton. loco cit. §. 4.

C A S U S IV.

Paschasius et Paulus, alter subdiaconus, & alter Diaconus, inter se in domo Paulli rixati, se se invicem percusserunt, atque cum alter alterum esset complexus, Paschasius fuste Paulli caput percussit non sine sanguinis effusione, qua de re apud loci judicem Paullus conquestus est. De eo autem quæritur 1. utrum Paschasius & Paullus ambo in excommunicationem incurrerint. 2. Si forte sint excommunicati, an excommunicatio, saltem Paschasii, Papæ sit reservata. 3. Utrum, posito quod de ea absolvere queat Episcopus, novum debeant ad eam obtinendam adire Episcopum, qui nondum Episcopatus possessionem obtinuit, an vero ipsius Prædecessorem.

R E S P O N S.

1. Constat, Paschasium Paullumque ambos pariter esse excommunicatos: cum enim se se invicem percusserint, certum est, eos peccasse lethaliter, & culpæ, quam commiserunt, excommunicationem esse annexam, ut patet ex allatis testimoniis in duobus superioribus decisionibus.

2. Hæc tamen excommunicatio Papæ non est reservata, ne quidem Paschasii, quia factum est occultum, & manus injectio, qua erga se usi sunt, juxta canonum sensum levis duntaxat est censenda: & quamvis mediocris esset vel enormis, in casu proposito Papæ non esset reservata; quia non est publica, sed in ædibus Paulli transacta: quo in casu reos absolvere potest Episcopus juxta constitutionem Tridentinam (*l*) quæ in Gallia admittitur: *Liceat Episcopis ... in quibuscumque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari.* Hæc sunt verba Concilii, quo Episcopo fit potestas, non solum in suspensionibus & irregularitatibus occultis, ea excepta, quæ procedit ex homicidio voluntario, sed etiam in omnibus aliis casibus occultis. Neque est quod quis objiciat, ad forum externum vim a Paullo fuisse delatam; quippe qui in Paschasium conquestus fuerit; atque adeo ad solum Papam rei illius cognitionem pertinere, juxta hæc Concilii verba *Exceptis aliis deductis* ad forum contentiosum: nullius enim momenti est ista objectio; cum simplex expostulatio, aut etiam citatio ad eam consequenter facta non sufficiat, ut ad forum contentiosum deductum fuisse dicatur delictum, nisi subsecuta fuerit *litis contestatio*, ut loquitur jus seu canonicum, seu civile. In præsenti autem casu simplex supponitur fuisse expostulatio, in Paschasium a Paullo Judici facta, quam nec citatio aliusve processus fuere secuta: nulla est igitur in hoc casu reservatio summo Pontifici.

(*l*) Concil. Trid. sess. 24. de refor. c. 6.

3. Paschasius & Paullus veterem debent adire præsulem: cum enim de exercitio Episcopalis jurisdictionis suæ non fuerit depulsus neque a capitulo, neque a recenti Episcopo, reos potest absolvere, seu per se ipsum, aut Vicarium suum generalem, aut denique Pœnitentiarium suum, aut alium quemlibet Sacerdotem ad id a se specialiter deputandum, ut statuit Decretum Concilii mox a nobis laudati (*m*).

(*m*) De Sainte Beuve to. 3. Cas. 32.

4. Denique, cum apud Judicem in Paschasium Paullus conquestus fuerit; quam expostulationem postea renovare eumque juridice persequi valeret, ad prudentiam spectat, ut de absolutione sua testimoniales sibi dari literas curet Paschasius.

C A S U S V.

Franciscus, cum Sacerdotem publice percusserit, & actu ab eo juridice postuletur hujus criminis reparatio, ac nominatim excommunicatus declaretur, postulat tamen se ad participationem sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ admitti, priusquam dijudicata lis fuerit ipsi a Sacerdote illata, ac promittat se Sacerdoti, Ecclesiæ & communitati satisfacturum, prout jusserit Episcopus. Nunquid ei concedi potest gratia, quam rogat?

R E S P O N S.

1. Certum est, nullatenus ad sacramentorum participationem admitti posse Franciscum, antequam de excommunicatione, quam ob injuriam Sacerdoti illatam incurrit, absolutus fuerit, ut constat ex Decretali Clementis III. ad marginem laudata (*n*): 2. pariter constat, ipsum auctoritate Papæ absolvi posse ante latam decretoriam litis ipsi illatæ sententiam, modo adhibeantur conditiones jure constitutæ, quas declarat Decretalis Alexandri III. (*o*) & aliæ duæ, quarum prior est Urbani III. posterior vero Clementis III. (*p*). Ita sentit Glossa in Decretalem Innocentii III. ad Archiepiscopum Rhotomagensem scripta (*q*): quod probat ex statuto alterius Decretalis ejusdem Papæ (*r*), quam ad marginem indicamus: & id ipsum etiam ex professo declarat Innocentius III. his verbis: *Cum, etsi pro certo constaret, rationabiliter in illam excommunicationis sententiam promulgatam,*

(*n*) Clem. III. in cap. *Cum desideres.* 15. de sent. excommunicat.

(*o*) Alex. III. in cap. *Ex tenore.* 10. eod. tit.

(*p*) Urban. III. in c. *Ad hæc.* 12. Clem. III. in c. *Cum desideres.* 15. eod. tit.

(*q*) Glossa in c. *Cum contingat.* 36. de officio & potest. judicis delegati. lib. 1. tit. 29.

(*r*) Innoc. III. in c. *Cum olim.* 23. de rescriptis. l. 1. tit. 3.

gatam ; nihilominus esset ei absolutio impendenda humiliter postulanti. 3. Denique cum de excommunicatione Franciscus absolutus fuerit, non est, cur ei denegetur sacramentorum participatio, quam rogat, cum omnia sinceræ præbeat conversionis indicia, offerens se accepturum & perfecturum satisfactiones omnes convenientes, sibi impositas, aut deinceps imponendas.

CASUS VI.

HERMODORUS, obvium sibi Junianum, subdiaconum, quem nominatim & publice excommunicatum noverat, & cui jam pridem erat infensus, contumeliis oneratum repetitis fustium ictibus percussit; id se facere posse existimans absque anathematis periculo. Nunquid ex hoc facinore excommunicationem incurrit?

Videtur, quod non: quia Junianus jam ut membrum Christi ipsiusque Ecclesiæ haberi non debet, sed ut verum satanæ membrum, cui per excommunicationem traditus est, juxta hæc terrifica sancti Augustini verba (*a*): *Omnis Christianus .... quia a Sacerdotibus excommunicatur, satanæ traditur. Quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur*. Et alibi: *Si enim separatur a Corpore Christi, non est membrum ejus*.

(*a*) S. August. in can. *Omnis*. 32. & in can. *Nihil*. 33. 11. q. 3.

RESPONS.

Respondemus, Hermodorum incurrisse excommunicationem ob eam, quam Juniano intulit, injuriam. Ratio est, quia Clericus ob excommunicationem vel alias censuras Clericale non amittit privilegium, quod constituit Concilium œcumenicum Lateranense 2. sub Innocentio II. (*b*) habitum, quo sancitur, ne Clericus eo modo possit excipi. Ita sentiunt quam plures eruditi Canonistæ quos laudat Fagnanus (*c*) in Decretalem Gregorii IX. Joannes Andreas (*d*) pro eadem sententia eosdem etiam citat Auctores occasione Ecclesiæ interdictæ: En ipsius & verba & argumenta, quæ tantum descripsit Fagnanus. *Quid si Ecclesia sit interdicta?* inquit hic Canonista, *videtur per hoc caput, quod teneat privilegium, sicut Clericus interdictus, suspensus, vel excommunicatus retinet privilegium immunitatis circa manuum injectionem & circa forum* (*e*). *Idem Goffredus: Idem Vincentius: Idem Hostiensis* (*f*), *qui dicit, quod Deus, in cujus honorem datur immunitas, non delinquit* ... (*g*) *de his quæ fiunt a majore parte Capituli: & satis affligitur, quod sibi subtrahitur debitum* (*h*), *nec est addenda afflicto afflictio* (*i*). De ea etiam quæstione fuse agit Hostiensis, & eandem Doctrinam cum Antonio de Burio defendit.

Confirmari potest hæc decisio 1. ratione deducta ex duobus præcipuis excommunicationis effectis, quorum primum est, hominem privare 1. communione spirituali Ecclesiæ, *quæ*, ut ait Eveillon (*k*) *consistit* 1. *in sacramentis*. 2. *In Sacrificio Missæ, in precibus & suffragiis publicis, quæ communiter & Ecclesiæ nomine fiunt*. 4. *In indulgentiis*. 5. *In sanctis cœtibus, qui ad Dei Ministerium fiunt; quæ bona Deus Ecclesiæ commisit distribuenda, prout convenientius judicabit*.

Alterum est, privare excommunicatum societate civili & omni prorsus externo cum Fidelibus commercio: quod paucis hisce verbis complectitur Arausicana Synodus (*l*): *A gremio Sanctæ matris Ecclesiæ & a consortio totius Christianitatis eliminamus*. Hic autem de excommunicationis effectis magis communibus & magis proprie dictis loquitur: neque enim minutim ea persequi volumus, uti Rebuffus (*m*), qui ad sexaginta duo enumerat. Sed nullo Canone, nulla Decretali probabitur, Clericum per excommunicationem fieri privatum privilegio & immunitate, de qua agitur.

2. Confirmari potest etiam hæc sententia ex alia ratione, qua nimirum dici potest, privilegium illud præcise ac præcipue pro Clerico injuriis affecto non fuisse concessum, sed pro toto Clericali ordine, in quem delinquit, is, qui unum ejus membrum offendit: *Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus*, ut loquitur Innocentius III. scribens ad Archiepiscopum Bracarensem (*n*). Hanc eandem rationem adhibet alibi Joannes Andreas, a nobis laudatus ad confirmationem opinionis suæ (*o*). *Hæc regula*, inquit Doctus hic Canonista, *facit ad quæstionem, quam disputavi de Clerico excommunicato, quod retineat privilegium immunitatis Ecclesiæ, cui propter delictum præjudicari non debet*. Et paulo post: *Clericus excommunicatus adhuc retinet privilegium immunitatis .... quia certum est, quod excommunicatus retinet ordinem, cujus favore Canon inductus est*. Quo sic dicto sex septemve in contrarium sibi proponit hic Auctor argumenta, quæ solide ab ipso solvuntur, & quæ omittimus, ne lectori sint fastidio. Addemus tantummodo hactenus dicta a nobis omnino esse consentanea Celeberrimis Canonistis, quales sunt (*p*) Federicus de senis Henricus Boic, & Aloysius Riccius, uti etiam cum Doctrina sancti Antonini (*q*); qui, cum præmisit, excommunicationem non incurri in casu de quo nunc agitur, ut existimant Auctores quidam, asserit eorum opinionem esse falsam, eandemque opinionis suæ rationem affert, atque Joannes Andreas, quem una cum quatuor aut quinque aliis antiquis Canonistis laudat: *Sed in contrarium est communis opinio. Nam excommunicatus retinet ordinem, ratione cujus inducta est immunitas. Ergo durat, durante caussa*. Hæc sunt sancti Archiepiscopi verba, in quæ desinit hæc decisio.

(*b*) Concil. Lateran. 2. c. 15. in can. *Si quis suadente*. 29. 17. q. 4.

(*c*) Fagn. in c. *Ecclesia* 10. de immunitate Ecclesiarum, &c. num. 2. & apud eum Hostiensis Goffredus & Vincentius. ibid.

(*d*) Joan. Andreas in eod. c.

(*e*) Dist. 81. can. *Dictum*.

(*f*) Hostiensis. eod. tit. §. *In quantum*. v. *Sed nunquid*. de Aurio. n. 4. Cardinalis n. 5. & 8. Ancharan. n. 3. Joan. de Anania n. 7. Archidiaconus in can. *Uxor*. 27. q. 4. num. 2. & Julius Clarus in practica crimin. § fin. q. 30. vers. *Idem dicendum*.

(*g*) Cap. *Quæsivit*. de his quæ fiunt a majore part. capituli.

(*h*) Cap. 1. de celebrat. Missarum.

(*i*) Can. *Cum pertussio*. 2. 7. q. 1.

(*k*) Eveillon tract. de excommunicationibus & monitoriis cap. 1. art. 1. &c. 2. art. 2.

(*l*) Concil. Arausic. in can. *Canonica*. 107. 11. q. 3.

(*m*) Rebuff. in cap. *De Excommunicatis non vitandis*.

(*n*) Innoc. III. in cap. *Contingit*. 36. de sent. excommunic.

(*o*) Joan. Andreas in reg. *Delictum*. 76. de regulis juris in 6. n. 6. & seqq.

(*p*) Federic. de senis consilio. 31. Henricus Boic. in cap. *Ecclesia*. de immunit. Ecclesia, &c. Aloysius Riccius in praxi aurea decis. 418. t. 1. p. 116. Col 2.

(*q*) S. Anton. 3 part. Sum. Theol. tit. 24. c. 1. post. medium.

CASUS VII.

PHOCIO, vir nobilis, Eremitæ verbo injurioso in se prolato offensus, duos tresve ipsi fustis, quem manu tenebat, ictus impegit; Nunquid ex tali actione excommunicationem incurrit?

RESPONS.

Priusquam fiat responsio, sciendum est, an hic Eremita, ex eorum sit numero, qui, licet non sint Clerici, alicui tamen ab Ecclesia regulæ approbatæ sunt affixi, & alicui legitimo superiori subditi: an vero sit Eremita ex iis, qui veste duntaxat Eremiticam vitam profitentur, quam arbitrio suo possunt deserere. Si inter priores censeatur hic Eremita, est vere Religiosus & consequenter eum percutere non potuit Phocio, vitata excommunicatione, quam decernit Canon, *si quis suadente*, superius relatus. Atque secundum hunc sensum, ut post Silvestrum (*r*) observat Cabassutius, intelligenda est Glossa in canonem depromptum e quarto Capite Concilii Calcedonensis an. 451. habiti, quem in suo Decreto refert Gratianus (*s*), cum ipsa ait; *Eremitæ ... privilegium Clericorum habent*. Sed si is sit tantum Eremita quoad vestem tantum, & ob pium animi affectum, nullatenus regulæ ab Ecclesia approbatæ addictus; in excommunicationem non incurrit Phocio; quod Eremita hujusmodi Clericali non fruatur privilegio.

(*r*) Silvest. de de Prierio. v. *Eremita*. Joan. Cabassut. juris. can. theor. & prat. lib 5. c. 2. n. 8.

(*s*) Glossa in in can. *Qui vero*. v. *Eos vero*. 12. 16. q. 1.

CASUS VIII.

DIOMADAS AT RAOOLPHUS, viri nobiles, Parœciæ sancti Porcarii incolæ, inter se de jure venationis rixati duello secum invicem dimicarunt, & quilibet socium sibi sumpsit. E quatuor dimicantibus nullus occisus est, sed duo tantum leviter fuere vulnerati. Cum autem Paschali tempore Parochum suum ad confessionem adiissent, eorum confessiones excipere noluit; ipsis asserens, eos in excommunicationem majorem incurrisse, de qua illos absolvere non poterat. Nunquid in hoc deceptus est is Parochus, & isti suntne vere excommunicati?

RESPONS.

Antiqua Concilia illos habuere, uti excommunicatos, qui singulari certamine dimicarent, eosque e fidelium societate eliminarent, nec non occisos in certamine, uti sui ipsius homicidas exceperunt,

runt, ita ut ab ipsis fuerit prohibitum, ne qua pro iis fieret oblatio, precesve funderentur, & etiam ne corporibus eorum Christiana concederetur sepultura. Id quidem constituit expresse Concilium Valentinum in Delphinatu an. 855. jussu Imperatoris Lotharii sub pontificatu Leonis IV. habitum (*a*): quod idem confirmavit Concilium Toletanum an. 1473. sub Sixto IV. convocatum ab Alphonso Carillo Archiepiscopo (*b*), a quo additur suspensio *ab officio & beneficio* per sex menses contra Clericos, qui eos in terra sacra præsumerent sepelire: qua in re Canones tantum & antiquam Ecclesiæ Disciplinam secutæ sunt ambæ illæ Synodi.

(*a*) Conc. Valent. 3. can. 12.
(*b*) Concil. Toletan. c. 10.

Sunt & multæ Summorum Pontificum Bullæ, quibus duelli crimini annexa est excommunicatio major *latæ sententiæ*.

Prima est Julii II. quæ in magno Bullario decima nona est, ab hoc Papa promulgata 24. Feb. an. 1509. qua districte prohibetur duellum sub pœna excommunicationis *ipso facto* (*c*).

Secunda est Leonis X. qui Bullam hanc confirmavit ex constitutione sua. 23. Julii an. 1519. (*d*) & eamdem quoque pœnam constituit in spectatores duellorum, & in eos qui ea permittunt, aut iis favent.

(*c*) Julius II. in Bulla *Regis pacifici*. 19. t. 1. Bullar. p. 509.
(*d*) Leo X. in Bulla *Quam Deo* 32. tit. 10. p. 600.

Tertia est Clementis VII. qui utramque etiam Bullam confirmavit. Sed tres istæ Bullæ ad eos tantum pertinent, qui Ecclesiasticæ ditioni quoad temporalia sunt subjecti.

Quarta est Pii IV. 13. Novemb. an. 1560. lata (*e*). Qua eadem excommunicationis *ipso facto* Apostolicæ sedi reservata pœna decernitur non solum in provinciis Ecclesiæ Romanæ subditis, sed *etiam extra terras & loca ditionis Ecclesiasticæ hujusmodi non subjecta*, in eos qui duellum committent aut ipsius erunt patrini vel huic præsentes aderunt.

(*e*) Pius IV. in Bulla *Ea quæ*. 21. §. 7. t. 2. Bullarii p. 30.

Ultimam hanc Bullam in omnibus suis circumstantiis confirmavit Tridentinum Concilium (*f*): sed quia publica tantum duella exprimit hoc Decretum, aut quibus favet potestas quædam; Gregorius XIII. (*g*) in Bulla sua, 5. Decembris an. 1583. Decretum illud confirmans, sub iisdem pœnis prohibitionem hanc ad omnia duella, etiam privata extendit: *Nos*, inquit hic Papa, *ad hæc cavenda plenius evidentiusque providendum esse rati, considerantesque duellum privatum non minus cruentum & animæ & corpori noxium esse, quam quod publice perpetratur: auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos qui ex condicto, statuto tempore & in loco convento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ aut denuntiationis chartulæ præcesserint, censuris & pœnis omnibus a dicto Concilio* (Tridentino) *propositis teneri, perinde ac si publico & consueto abusu singulare certamen inivissent. Volentes etiam .... omnes .... instigantes, auxilium, consilium vel favorem dantes .... aut ex composito spectatores, vel socios quovis modo se præbentes, eisdem censuris & pœnis subjacere: etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserant, impediti pugnam non commiserint, si per se ipsos non steterit, quo minus illa committatur.*

(*f*) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 19.
(*g*) Greg. XIII. in Bulla *Ad tollendum*. 78. §. 10.

Clemens VIII. (*h*), ex Bulla sua 17. August. an. 1592. superiores omnes Bullas, uti Decretum Tridentinum ea de re confirmat, ac præsertim Bullam Gregorii XIII. Hæc sunt potissimum, quæ a Conciliis & Summis Pontificibus in duellum fuere Decreta.

(*h*) Clemens VIII. in Bulla *Illius vices*. 11. tom 3. Bullarii pag. 13.

In comitiis generalibus Cleri Gallicani Parisiis an. 1654. habitis promulgatum est mandatum in eos omnes qui duello dimicant, ad illud hortantur, qui illud denuntiant, ejusve denuntiationem gerunt; & Episcopi sibi absolutionem de excommunicatione hoc mandato lata reservarunt: quocirca nunc obtinet illa censura & incurritur *ipso facto*, in omnibus diœcesibus, in quibus viget hujusmodi mandatum. Si igitur sancti Porcarii Paræcia in aliqua harum Diœceseon sita sit, constat Diomedem & Radulphum excommunicationem *ipso facto* incurrisse, atque adeo parochum eorum, licet ab ordinario ei facta esset potestas absolvendi de casibus reservatis, justa de caussa illos ad superiorem remisisse ad obtinendam absolutionem suam de tali censura, priusquam eorum confessiones posset excipere. Ita sentit Auctor Colloquiorum Andegavensium (*i*).

(*i*) Colloq. Andeg. mensis Junii. 1712. q. 4.

CASUS IX.

Cassianus crimen commisit, cui ex statuto Synodico annexam esse excommunicationem *ipso facto* apprime norat. Lis ei fuit illata, atque ab officiali excommunicatus denuntiatus est, Numquid eam excommunicationem incurrerat, etiam ante latam sententiam, ita ut Sacramentorum fieri non posset particeps, ante quam de hac censura fuisset absolutus?

Respons.

Certum est, in casu proposito Cassianum actu & de facto esse excommunicatum, ac proinde se pro tali gerere debuisse: quare Ecclesiæ Sacramentorum fieri particeps non poterat absque novo crimine, antequam de hac censura a legitimo superiore fuisset solutus. Certa est hæc in Galliæ regno disciplina. Ratio est, quia contumax esse censetur ille, qui scienter peccat in statutum legemve, qua sub illa pœna, actio prohibetur, & quæ *per modum sententiæ* fertur. Id unum ergo ex sententia judicis Ecclesiæ additur; quod nimirum, cum reus nominatim denuntiatus est excommunicatus, tunc est vitandus; ac si in eo statu obiret, Ecclesiastica privaretur sepultura.

Ceterum quod diximus, de iis quoque est intelligendum, qui post tres monitiones promulgatas, non revelant ad factum monitorium, nisi, cum in rebelles ab officiali lata fuit excommunicationis sententia; licet enim postea revelent, re ipsa tamen excommunicationis pœnæ sententia latæ subjiciuntur.

CASUS X.

Zeno, bonus Catholicus, at in primis timidus, cum in Angliam eo tempore trajecisset, quo palam vexabantur Catholici, in eo casu versatus est, ut carcerem ac vincula declinare non posset, si palam Religionem suam profiteretur: quo factum est, ut se Presbyterianum finxerit, templum cum ceteris intraverit, ibique publice Calvinianæ pravitatis actus exercuerit; fidem tamen Catholicam semper animo retinens. Nonne excommunicationem incurrit in hæreticos decretam, seu quoad forum internum, seu externum?

Respons.

Fieri potest, ut exterius & ob solam metum quædam hæresis exercitia quis obeat, licet omnino non sit hæreticus, & tantum mortaliter contra fidem delinquat. Nam *pro solo actu interiori homo est perfecte hæreticus*, inquit sanctus Antoninus (*K*), post Paludanum quem laudat, & qui iisdem ferme verbis mentem suam aperit (*l*). Unde colligendum est, quod, cum interius fidem Zeno non abjecerit, & contra, eam animo expresse retinuerit, & externe tantum & solo vitæ aut libertatis suæ timore impulsus hæretici actum fecerit; hinc perfectus non factus est hæreticus: & quod licet in fidem sic se gerens graviter deliquerit, in foro adeo interno & coram Deo excommunicationem non incurrit; quamvis in foro externo, *ubi juris præsumtiones attenduntur*, tamquam excommunicatus sit habendus, quia Ecclesia, cui incognita est mens fidelium, & quæ, ut ait Tridentinum, de internis judicare non potest, nisi ex actionibus externis, præsumit, quamvis per errorem, actionem ejus fuisse perfecte voluntariam ac liberam, ac ei perfectam dedisse assensum.

(*k*) S. Anton. 1. part. tit. 20. c. 1. init.
(*l*) Paludan. in 4. dist. 28. q. 3. init.

CASUS XI.

Gualterius, audita promulgatione monitorii, quo iis imminebat excommunicatio, qui, cum notabilis furti notitiam haberent, sibi nota non revelarent; & cognoscens tamen, quinam

fures

fures essent, & quo in loco res subreptæ laterent, id tamen revelare neglexit: Nonne excommunicationem majorem incurrit?

RESPONS.

Tuto solvi nequit hæc difficultas, ignotis terminis, quibus præcise enuntiatur tale monitorium: quod enim monitorium dicitur, id quandoque simplex est dumtaxat monitio, ab Ecclesia facta fidelibus; & aliquoties etiam pœnam continet, quam vetitatem non revelantibus minatur Ecclesia. Si igitur, ut vulgo fit, his monitorium verbis simpliciter enuntietur: *Excommunicabimus eos vel eas, qui, cum facta supra dicta cognoscant, eadem non revelabunt*; vel etiam, *in eos censuris Ecclesiasticis animadvertemus*: tum monitorium simplex erit monitio, cui, si quis non obediat, non annexa est censura: sed si verbis istis mentem suam aperiat superior, *eos excommunicamus* vel *excommunicatos declaramus*, aut aliis æquivalentibus terminis; cum istis monitoriis tum decernatur excommunicationis pœna, quin nova requiratur sententiam; elapso tempore debitæ revelationis quæ non facta est, certum est, eam statim incurri censuram, absque ulla de novo Judicis Ecclesiastici declaratoria sententia.

Ex hac igitur terminorum monitorii distinctione dijudicare poterit Gualterius, an excommunicationem incurrerit, nec ne: nam si ultimo designatis terminis enuntiaretur illud monitorium, certum est, ipsum in excommunicationem *ipso facto* incurrisse; quod aliter esset, si simplex tantum monitorio contineretur admonitio: sed si ad monitorium accederet excommunicationis sententia ante Gualterii revelationem, pro certo excommunicatione foret ligatus, uti jam ad finem decisionis Casus IX. observavimus (a).

(a) Collecq. Lucon. tom. 7. Colloq. 19. q. 3.

CASUS XII.

FELIX rem perfecte novit, de qua in Paræcia sua nunc promulgatur monitorium; sed revelare nequit absque certo notabilis læsionis vel in se vel in bonis suis periculo, quod monitorium illud promulgetur in dominum loci, virum scilicet ad iram & ultionem proclivem, cui etiam omnium ferme bonorum suorum Felix est debitor. Tenetur in conscientiæ foro, non obstante illa ratione, ad veritatem sibi notam revelandam, an vero id omittens, incideret in excommunicationem promulgandam?

RESPONS.

1. Si res de qua agitur in monitorio, directe ad bonum publicum pertineat, & notabilis sit momenti; certum est, Felicem sub conscientiæ reatu teneri ad manifestandam veritatem, non obstante, quod subit, periculo; & ipsum aliter subjectum iri excommunicationi, quæ in contumaces promulgaretur. Ratio est, quia quisque proprium bonum publico posthabere tenetur. Igitur si de rebellione v. g. in Ecclesiam aut statum, direptione urbis, aut aliis hujusmodi excessibus ageretur, quilibet privatus ad revelationem eorum teneretur, quæ sibi essent cognita, ut tantum possit malum præverti.

2. Sed si in casu proposito de bono privato tantum agatur, nota sibi Felix revelare non obligatur, cum tanto gravis detrimenti periculo: certum quippe est, quod non intendat Ecclesia, ut in hujusmodi circumstantiis quis ad revelationem pro monitorio teneatur. Cujus rei hæc potest afferri ratio, quod juxta D. Thomam (b), propria sui ipsius dilectio atque salus, proximi dilectioni ac saluti sit anteponenda; atque adeo nemo tenetur ad ferendum notabile damnum, nec ad subeundum manifestum illius ferendi periculum pro bono temporali alieno, ut observat Auctor eruditus (c). Ita sentiunt multi Auctores inclyti, quales sunt, Navarrus, Avila, Graffius Suarez, Barbosa & Eveillon, qui eos laudat (d), & qui ea re a septuaginta & pluribus annis scribebat.

Idem dicendum de proximis parentibus, quales sunt Patres, Matres & Filii; & etiam (si avsit mortis aut notabilis infamiæ periculum) fratres, sorores, avunculi, avunculæ, nepotes, consobrini, ut etiam de illis, qui fuere consulti; quod Ecclesia hujusmodi personas ad revelationem non obliget, ne violetur jus naturale.

(b) S. Th. 2. 2. q. 4. art. 1.
(c) Silvest. de Prierio, v. *Familia*. q. 5.
(d) Jac. Eveillon. tract. de excommun. & monit. cap 23. art. 2. § 2.
Et apud eum Navar. Manual. cap. 25. n. 50.
Avila de censuris. part. 2. c. 5 dub 2.
Jac a Graffiis decis. aurearum. l. 4. c. 5. n. 30.
Fr. Suarez de censuris disp. 26. sect. 3. n. 9
Aug. Barbosa de officio & potest. Episci. par. 3. allegat. 96. n. 70. &c.

CASUS III.

NICEPHORUS pervolutis licenter perniciosis libris, in errorem incidit circa efficaciam sacramenti Pœnitentiæ. Numquid ex eo statim excommunicatione fuit ligatus?

RESPONS.

Distinguendum est cum sancto Thoma (e): nam *Hæreticus dici potest aliquis*, inquit Angelicus Doctor, *vel quia simpliciter errat ignorantia; & ex hoc non est excommunicatus: vel quia errat ex pertinacia, & alios nititur pervertere; & tunc incurrit excommunicationem latæ sententiæ*.

Ob eam vero rationem hæreticus ex ignorantia tantum in casu proposito excommunicationi non subjacet; quia fieri potest, ut talis hæreticus non peccat mortaliter, uti evenit, cum in eo talis ignorantia excusari potest: nam hæresis, quæ ea ignorantia procedit, *imputatur tantum homini ad peccatum, si non curat discere ea, quæ scire tenetur*, ex eodem sancto Thoma (f): & proprie loquendo, non est quis hæreticus, nisi ax pertinacia, *quæ sola facit hæreticum*. Atque eo sensu intelligenda est Decretalis Innocentii III. (g) in quarto Lateranensi œcumenico Concilio promulgata. Circa propositam tamen difficultatem observandum, quod si libri de quibus agitur, tales essent, ut sub pœna excommunicationis *ipso facto* prohibita esset eorum lectio, idque Nicephoro notum esset; sola eorum lectione excommunicationem incurreret.

(e) S. Thom. lect. 2. in c. 1. Epist. ad Galat.
(f) Idem. q. 8. de malo. art. 1. ad 7.
(g) Innoc. III. in cap. *Excommunicamus*. 13. de hæreticis, §. *Credentes*.

CASUS XIV.

ANTHYMUS, Parisiensis diœcesanus, qui in urbe habitat, vir oblectationi deditus, qui diebus dominicis festisque, spectaculis, mimorumque ludis vacare solet, cum die Paschatis Missæ Parochiali adfuisset; Pastorem audivit, qui in concione sua excommunicatos declarabat mimos omnes, eosque qui ludis eorum vacabant; quam ob rem timore perculsus est. Quærit, utrum re ipsa sit excommunicatus, an vero heic sit tantum Ecclesiæ comminatio?

RESPONS.

Si Anthymus mimorum ludis ac spectaculis dominicis festisque diebus extra tempus divini officii vacaverit, non est excommunicatus: sed si per tempus officii divini iis adsuit, in excommunicationem incurrit, Rituali Parisiensi latam his verbis (h): *Declaramus excommunicatos ... eos omnes, qui per tempus officii divini mimorum ludis & spectaculis vacant. Hujusmodi homines maledicti erunt & excommunicati, donec resipiant, & ab Ecclesia absolvantur*.

Pœna illa, quantumvis severa iis videatur, qui res fidei lumine non inspiciunt, non recens est, sed contra, antiquæ Ecclesiæ disciplinæ consentanea, quæ hanc adhibeti severitatem contra reos hujusce peccati jubebat, ut patet ex quarto Concilio Carthaginiensi an. 398. habito, cujus canonem refert Gratianus his verbis (i): *Qui die solemni prætermisso solemni Ecclesiæ conventu ad spectacula vadit, excommunicetur*.

Anthymus ergo in secundo casu reconciliatione indiget: sed quia excommunicatio ista superiori non est reservata, valide ab ea absolvi potest a primo Sacerdote approbato, qui peccatorum suorum confessionem excipiet; modo in ipsum Sacerdos ille sufficientem habeat jurisdictionem. Ceterum si Anthymus de alia esset Diœcesi, in qua talis censura non esset constituta, non esset etiam excommunicatus.

(h) Ritual. Paris. Pron. Dominic. pag 516.
(i) Concil. Carth. IV. in can. *Qui die*. 95. de consecrat. dist. 1.

CA-

CASUS XV.

Tetradius, Dertonæ, aut Placentiæ habitans, cum civem Dertonensem notabilem graviter vulnerasset, statim Vicetiam aufugit: cujus crimen postquam cognovisset Episcopus Dertonensis, statim in reum juridice litem instrui imperavit, & servatis omnibus requisitis formalitatibus, hominem hunc, licet absentem, excommunicatum declaravit. Qua de re quæritur, utrum Tetradius ob latam in se sententiam excommunicatione sit ligatus?

Respons.

Antequam solvatur hæc difficultas, ad quam non fit responsio relate ad Galliam, in qua casus hujusmodi ad forum sæculare pertinent; scitu est necesse, an Tetradius Dertonæ an Placentiæ sit incola: nam si Dertonæ habitet, hujus Urbis Episcopali subjacet jurisdictioni; sin vero Placentiæ solitum habeat domicilium, Dertonensi Episcopo nulla jam in ipsum est jurisdictio, cum in ipsius Diœcesi non versetur. Præsupposita illa distinctione.

Dicimus, id certum esse, excommunicationem scilicet, ut aliam quamlibet censuram, nullo in casu ab Episcopo aut ab alio superiore Ecclesiastico ferri posse, nisi in eos, qui actu jurisdictioni ipsius subjacent. Ita declarat Clemens III. in Decretali scripta ad Decanum Ecclesiæ Rothomagensis (a): En ejus verba: *A nobis fuit ex parte tua quæsitum, utrum si quis ita pronuntiaverit: quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit, hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatos subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de jurisdictione illius? Ad quod dicimus, quod hac sententia non nisi subditi obligantur.*

(a) Clem. III. in cap. *A nobis*, 21. de sent. excom.

Disciplinam istam adstruit hæc juris Romani regula (b): *Extra territorium jus dicenti impune non paretur*; hoc est, *non parens ex eo pœnam non patitur*; ut loquitur Glossa in constitutionem Bonifacii VIII. qui hanc regulam confirmat, ipsam afferens in probationem (c) decisionis suæ in aliam rem. Si igitur Tetradius Placentinus esset incola, nec Dertonæ domicilium haberet; certum est, quod, cum hujus ultimæ Urbis Episcopo nulla in ipsum competeret jurisdictio, eum quoque excommunicatione punire non posset; quandoquidem ipsius non sit Diœcesanus, & statim post admissum crimen Dertona Vicetiam aufugerit. Sed quamvis Tetradius Dertonæ domicilium suum habuisset, jure excommunicationem in eum ferre non posset Episcopus, quia in hypothesi nostra domicilium suum abdicavit, & Præsulis sui jurisdictioni fuga se substraxit.

(b) Leg. *Extra*. fin. ff. de jurisd. l. 2. tit. 1.

(c) Glossa in cap. *Ut animarum*. 2. de constitutionibus. v. *impune*. l. 1. tit. 2.

Verum tamen est, quod, si Tetradius Dertonæ aut in alio Diœcesis loco domicilium haberet, ac processum in eum instruere cœperit Episcopus vel officialis, ac ipse ante fugam citatus fuerit, vere excommunicationem in eum ferendam incurreret: 1. quia crimine suo subjectus evasisset jurisdictioni Episcopi sui, a quo proinde citari & processum instrui in eum potuisset, ex accepta communiter regula, *ubi delictum, ibi forum*. Quam constituere Innocentius III. (d), Gregorius IX. (e) & Innocentius IV. (f), præsens in Concilio primo œcumenico Lugdunensi; quæ Edictis Ruscinonensi (g), & Molinensi (h) confirmata est: quocirca si vadimonium desereret, fieret contumax, & ut talis castigari posset, conformiter ad antiquum Galliæ Concilium, quod ex Burcardo & Yvone Carnutensi Meldis est habitum, & cujus Decretum in summa Decretalium reperitur (i).

2. Quia sententia directe ad rei, quocumque in loco is versetur, pertinet, cum initio processus, judicis, qui ipsum condemnavit, potestati esset subjectus: alioqui puniri non possent homines improbi, qui, ut debitam sibi canonicam pœnam vitarent, in aliam se Diœcesim reciperent; ubi primum litis instructio in se fuisset incœpta; quoniam alterius Diœcesis, in qua domicilium eligerent, Episcopus nullam haberet jurisdictionem ad eos puniendos de crimine, quod alibi commisissent, ut dicimus in alia decisione.

(d) Innoc. III. in c. *Postulasti*. 14. de foro compet. lib. 2. tit. 2.

(e) Greg. IX. in c. *Licet*. fin. eod. tit.

(f) Innoc. IV. in cap. *Volentes*. 1. de privilegiis in 6.

(g) Edict. Ruscinon. art. 39.

(h) Edict. Molinensi. art. 34.

(i) In cap. *De Illis*. 2. de raptoribus. l. 1. t. 1. 17.

Hactenus dicta majorem tamen postulant explicationem; sciendum itaque, quod si lex, aut statutum Diœcesanum vel sententia, qua fertur excommunicatio *ipso facto*, sit de re, quæ in Diœcesi perfici debeat, non minus absentes, quam incolas ligat. v. g. si Joannes, qui Atrebate remanet, in Bononiensi Diœcesi beneficium curatum obtineat, & in eo residere pertinaciter recuset, ad residentiam cogi potest adhibendo suspensionem vel excommunicationem: & Bononiensis Episcopus in eum, licet absentem e sua Diœcesi, alterutrum ex his censuris proferre potest, si beneficium suum retinere sine residentia perseveret. Cujus rei hæc potest afferri ratio, quod Joannes censeatur, *fictione juris* habere Domicilium in Diœcesi, ubi situm est beneficium, & esse consequenter Bononiensis Episcopi jurisdictioni subjectus: ob eamdem rationem sententiam jure proferre potest Episcopus, qua Canonicus absens præbendæ suæ fructibus privetur, cum is licentia sibi data studiorum caussa in urbe remota abutitur, ut declarat Innocentius III. (K) scribens ad Episcopum Altissiodorensem, & juxta multas alias Decretales (l) in Beneficiarium his instrui potest, licet is Cardinalitia fulgeret dignitate, isque titulo Beneficii sui privari.

(k) Innoc. III. in cap. *Tua fraternitatis*. 11. de Clericis non resid. in Ecclesia vel præbenda. l. 3. tit. 4.

(l) Leo III. in cap. *Ex gestis*. 2. Cælest. III. in cap. *Ex parte* 8. Innoc. III. in cap. *Qualiter*. 9. Idem in cap. *Inter*. 10. Item in cap. *Ex tua*. 11. Greg. lib. in cap. *Clericos*. 17. eod. tit.

CASUS XVI.

Sergius, ab Episcopo suo excommunicatus est ob peccatum, quod lethale existimabat hic Præsul, sed quod reipsa tantum erat veniale. Num homo ille vere est excommunicatus, & ut talis, bonis privatus, quibus carent ii, in quos dirum Anathema Ecclesia contorquet?

Respons.

Certum est, quod cum excommunicatio sit pœna, *qua .... in Ecclesia nulla major est*, ut loquitur sanctus Augustinus (m), nullo in casu infligi potest, nisi ob culpam lethalem, & cum aliter peccatoris emendatio procurari nequit, uti constituit Meldense concilium, an. 845. habitum, quod his verbis refert Gratianus (n): *Anathema est æternæ mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine; & illi qui aliter non poterit corrigi*: ex quibus ultimis verbis constat, necesse esse, ut ad peccatoris malitiam accedat ejus pertinacia & rebellio contra Ecclesiæ mandata, conformiter ad statutum a Christo Domino ordinem, his verbis contentum (o): *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et secundum hunc sensum intelligenda sunt hæc verba Innocentii III. (p): *caveat autem diligenter*, (quis) *ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta & rationabili caussa procedat*. Ex quo sequitur, quod, cum Sergii peccatum fuerit tantum veniale, invalida est coram Deo in eum lata excommunicatio, cujus rationem in foro interno habere non tenetur: quamvis in externo foro ab iis omnibus abstinere teneatur, quæ hujus occasione scandalum parere valerent, & quidem nihil æquitati magis est consonum; cum enim excommunicatio sit omnium maxima pœna, quæ ab Ecclesia infligi potest, manifeste foret injustum, reum venialis dumtaxat peccati tanta afficere pœna.

(m) S. Aug. l. de correpț. & gratia. c. 15. seu num. 46. in can. *Corripiantur*. 17. 24. q. 3.

(n) Concil. Meldens. in can. *Nemo*. 41. 11. q. 3.

(o) Matth. 18. 17.

(p) Innoc. III. in c. *Sacro*. 4. de sent. excom. §. *Caveat*.

Perfecte consentit hæc decisio cum Doctrina S. Thomæ. Sic autem ea de re mentem suam aperit Angelicus Doctor (q); *Judex Ecclesiasticus excommunicatos excludit a regno quodammodo. Unde cum non debent excludere nisi indignos .... nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale amiserit caritatem, quæ est via ducens ad regnum; ideo nullus excommunicari debet, nisi pro peccato mortali .... sed quia excommunicatio est gravissima*

(q) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in corp.

pœnarum ; pœnæ autem sunt medicinæ secundum philosophum in 2. Ethicorum : sapientis autem medici est , a levioribus medicinis incipere & minus periculosis : & ideo excommunicatio infligi non debet , etiam pro peccato mortali , nisi contumax fuerit , vel non veniendo ad judicium , vel ante terminationem judicii sine licentia recedendo , vel determinationi non parendo : tunc enim , postquam monitus fuerit , si obedire contempserit , contumax reputatur , & excommunicari debet . Nititur ista Angelici Doctoris sententia , non modo Meldensi Concilio , a nobis jam laudato , sed alio multi sæculis antiquiore , Claromontii in Alvernia an. 549. habito (*a*) . Idem denique docet Sylvius, hanc dicti sui rationem subjiciens (*b*): *Neminem enim debet vel potest* (Ecclesia) *separare a suo corpore, quem Christus a suo non excludit* . Cui hanc aliam quoque addit rationem : *Sed & Medicus reputaretur crudelis , qui membrum sanum , etsi levi defectu laborans , amputaret a corpore .*

(*a*) Conc. Claromont. 11. in can. *Nullus* . 42. 11. q. 3.
(*b*) Fr. Sylvius in suppl. S. Thom. q. 21. art. 3.

Ad plenam autem dictorum hactenus confirmationem , hic Tridentinæ juvat addere Decretum Synodi (*c*), quæ districte jubet Episcopia , ne excommunicatione, non nisi parce & gravibus de caussis utantur. *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ* , inquiunt Patres hujus Concilii , *& ad continendos in officio populos valde salutaris , sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est , cum experientia doceat , si temere aut levibus de caussis incutiatur , magis contemni , quam formidari , & perniciem potius parere , quam salutem .* Sapiens illud Decretum a Ludovico Magno in inclyto edicto an. 1695. (*d*) admissum est : & cum Doctrina Ecclesiæ Patrum apprime consentit , ac præsertim sancti Leonis Papæ , cujus hæc sunt verba (*e*): *Nulli Christianorum facile communio denegetur* , inquit hic sanctus Doctor , *nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis , quod in magni reatus ultionem invitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis : cognovimus enim pro commissis & levibus verbis , quosdam a gratia communionis exclusos , & animam , pro qua Christi sanguis effusus est , irrogatione tam sævi judicii sauciatam & inermem quodammodo , exutamque omni munimine , Diabolicis incursibus ut facile caperetur , objectam .* Denique Decretoria hæc Canonis (*f*) ex Origenis operibus deprompti verba addemus , quem sancto Hieronymo adscribit Gratianus : *Si quis non recto judicio eorum , qui præsunt Ecclesiæ , depellatur & foras mittatur : si ipse non ante exiit , nihil læditur in eo quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus ; & ita fit , ut interdum ille , qui foras mittitur , intus sit : & ille foris , qui intus retineri videtur .*

(*c*) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 3.
(*d*) Edict. 1695. art. 26.
(*e*) S. Leo. Epist. 80. c. 6.
(*f*) Origen. in can. *Si quis* 4. 24. q. 3.

CASUS XVII.

Theodotus , cui compertum est , excommunicationem in se latam esse invalidam , seu quia peccatum , cujus gratia excommunicatus est , non est mortale , vel Judex Ecclesiasticus nullam in se jurisdictionem habebat , vel quia non observatæ sunt formalitates requisitæ ad validitatem sententiæ , qua excommunicatio decernitur , potest ne tuta conscientia deinceps celebrare , cæterasque , ut ante , obire functiones suas ?

Respons.

Distinctione opus est ; nam Theodotus vel clam dumtaxat , vel publice celebrare intendit : in primo casu potest ; cum enim vere non sit excommunicatus , non æquum est , ut pœnas excommunicationi annexas patiatur , nec de ea opus est , ut absolvatur , uti ait Gelasius Papa in canone , quem in suo Decreto refert Gratianus (*g*) his verbis : *Cui est illata sententia . . . . . si injusta est , tanto eam curare non debet , quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia . Ita ergo ea se non absolvi desideret , qua se nullatenus perspicit obligatum .* Id etiam constat ex famoso exemplo , quod apud sanctum Gregorium magnum legitur , scribentem ad Magnum Ecclesiæ Mediolanensis Sacerdotem , qui absque caussa fuerat excommunicatus : En verba hujusce sancti Pontificis (*h*) : *Sicut exigente culpa quis a sacramento communionis digne suspenditur , ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta . Comperimus siquidem , quod Laurentius , quondam Frater & coepiscopus noster , nullis te culpis exigentibus communione privaverit : ideoque hujus præcepti nostri authoritate munitus , officium tuum securus perage , & communionem sine aliqua sume formidine .* Quæ doctrina conformis est 1. sancto Hieronymo (*i*) , asserenti quod ut lepra mundum non inficit Sacerdos , sic insontes ligare non potest Episcopus . 2. sancto Augustino , qui ad Classicianum injuste ab Episcopo suo excommunicatione ligatum scribens , dicit (*K*) : *Quod illud plane non temere dixerim ; si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste eos potius oberit qui faciet , quam ei , qui hanc patietur injuriam . Spiritus enim Sanctus habitans in sanctis , per quem quisque ligatur aut solvitur , immeritam nulli pœnam ingerit .*

(*g*) Gelasius 1. in can. *Cui est illata* . 46. 11. qu. 3.
(*h*) S. Greg. 1. 1. 2. epist. 26.
(*i*) S. Hieron. l. 3. in Matth. in hæc verba : *Quodcumque ligaveris* . &c.
(*k*) S. Aug. in fragm. epist. ad Classician. 1. post epist. 250. novæ edition. extat in can. *illud* . 87. 11. q. 3.

Verum idem omnino non est dicendum in secundo casu , hoc est , si deinceps functiones suas publice obire contendat Theodotus ; licet enim celebrando nullam irregularitatem aliamve pœnam canonicam incurrat , gravissime tamen peccaret ob futurum inde scandalum , si in eo loco , ubi esset cognitus & haberetur excommunicatus , celebraret . In publico igitur a Ministerio suo abstinere debet , ne debitam authoritati Ecclesiæ reverentiam infringat ; si lata in eum sententia , publice fuerit promulgata : *Ne etsi injuste ligatus est , culpa , quæ non erat , fiat* ; ut loquitur idem sanctus Gregorius (*l*).

Attamen in hoc casu imminenti scandalo posset mederi , promulgata caussa , cur nulla sit & irrita excommunicatio in se lata ; tum enim si ipsius injustitiam & invaliditatem pro certo & extra omne dubium manifestaret , deinceps celebrare , & functiones suas , etiam publice sine peccato exercere posset . Gabriel Biel (*m*) tam dilucide rem istam exponit , ut textum ejus , licet paullo longiorem , prætermittere nefas esse putemus : hæc sunt igitur istius Doctoris verba : *Si vero sententia excommunicationis fuerit nulla ob defectum jurisdictionis super excommunicatum simpliciter , vel in illo casu , quo fertur excommunicatio , vel quia fertur post appellationem legitime interpositam , vel quia habet intolerabilem errorem expressum , aut quia nulla præcessit monitio , vel ob alium defectum , propter quem ipso jure est irrita , tunc non oportet eam timere , nec se pro excommunicato gerere , vitando communionem sacramentorum & hominum : quoniam quod non est , non oportet timere ; sed dum sententia est nulla , jam non est excommunicatio , neque quoad Deum , neque quoad Ecclesiam ; ea ergo non est timenda quoad Deum , quia nulla culpa est : nec quoad Ecclesiam , quia secundum veritatem nullam sententiam juris incurrit , qui sententiam , quæ nulla est non custodit . Timenda tamen est , non sententia , sed scandalum populi vulgaris nescientis sententiam esse nullam ; & ad illud sedandum servanda est in publico : quousque scandalum rationabiliter sedatum fuerit . Unde si aliquis publice excommunicatur & denuntiatur nulliter , ex adverso publicet sufficienter ipse caussam , propter quam sententia est irrita , quo facto , non pareat sententiæ ; & si aliquis tunc scandalizatur , non est scandalum pusillorum , sed Pharisæorum , secundum regulam Christi Matth. 15. contemnendum : Attamen non tenetur eam servare in occulto ante scandali sedationem : : sed neque in occulto neque in publico , coram sapientibus , quibus nota est nullitas sententiæ , tenetur eam observare .* Integrum illud , quamvis longius , testimonium referre necesse duximus , quia mutilum a Navarro affertur , qui cum aliisquibusdam Authoribus illud citat . Ceterum istam difficultatem sic quoque definiunt Paludanus , sanctus Antoninus , Sylvester , Navarrus , Avila , Sayrus , Graffius , aliique plures inclyti Theologi & Canonistæ (*r*).

(*l*) Id. Hom. 26. in Evang.
(*m*) Gab. Biel. in 4. dist. 18. q. 2. conclus. 2.
(*m*) Petr. Palud. in 4. dist. 18. q. 6.
(*n*) Petr. Palud. in 4. dist. 18. q. 2. S. Anton. 3. part. Som. Theol. tit. 24. c. 73. §. 1. Sylvest. v. Excommunicatio. 2. num. 1. Navarrus in c. *Cum contingat.* de rescr. pr. conf. nullit. 13. remed. 2. & Manual. c. 27. n. 3. Avila de censuris. part. 2. c. 6. dub. 1. Gregor. Sayrus thesaur. 3. l. 1. c. 16. n. 45. Jac. de Graffiis. lib. 4. decisionum aurearum. c. 3. n. 13. & alii.

CA-

CASUS XVIII.

Curtius, cui nulla res est familiaris, clam subreptis Mævio nummis ducentis, iisque perperam dissipatis, furtum illud confessus, de eo absolutus est; post acceptam convenientem satisfactionem, cum sincero illud restituendi quam primum poterit, proposito. Mævius furtum detectum ad judicem detulit, & monitorium promulgari curavit, quod juxta solitam formam in reum denuntiatum est. An Curtius in hac hypothesi excommunicationem incurrit?

RESPONS.

Cum excommunicatio, ut jam ostendimus in responsione ad primam difficultatem, ob mortale peccatum dumtaxat incurratur, existimamus, Curtium in casu proposito excommunicatione non fuisse ligatum: quia furtum a se commissum sacramento Pœnitentiæ deletum est; & cum ducentos nummos restituere jam non posset, quando publicato monitorio contorta est excommunicatio, dici nequit, eum esse mortalis peccati conscium, quod non restituat; cum ad restitutionem sibi impossibilem non teneatur, ex hac Bonifacii VIII. regula (a): *Nemo potest ad impossibile obligari*; & ex hac alia juris civilis (b). *Impossibilium nulla est obligatio*. Casum istum ita solvunt Silvester, Navarrus, Avila, & Eveillon (c): quo etiam redit illud sancti Gregorii Magni effatum: Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit (d). Hinc sanctus Carolus in quarto suo Mediolanensi Concilio an. 1576. non vult, ne monitoriæ concedantur litteræ, quibus constituatur excommunicatio *ipso facto* in eos, qui post tertiam promulgationem non obtemperaverint, cum certo constat, eum contra quem requiruntur, damnum a se illatum non posse resarcire (e): *Porro hujusmodi excommunicationum litteræ non concedantur... contra aliquem pro rebus, quæ in Monitoriis litteris exprimuntur, quum satisfacere non posse constet*. Quæ verba Concilii non minus de impotentia morali, quam physica intelligenda sunt; modo tamen is, qui ea tempore promulgati Monitorij premitur, ad illam se ipsum ex malitia ad vitandam restitutionem non redegerit: cum enim in hoc casu mortalis peccati reatum contraxisset; existimamus, eumdem, non obstante tali impotentia, excommunicationem non esse vitaturum; nisi sincera pœnitentia delictum suum reparasset, adjuncto firmo restituendi proposito, ubi primum penes se esset: eum ipsius obligationem non extinguat, sed tantum suspendat talis impotentia; ita ut, si multis elapsis annis illatum a se damnum reparare posset, & restitutionem omittere, tum promulgatam excommunicationem incurreret, si nec mortuus nec depositus fuisset Judex Ecclesiasticus, a quo lata esset: quæ conditio consulto a nobis additur, quia censura quælibet ex obitu aut depositione ferentis desinit, si actu non fuerit ante incursa.

(a) Reg. 6. de reg. juris de 6.
(b) L. Impossibilium. 145. ff. de diversis regulis juris antiqui.
(c) Silvest. v. Excommunicatio. 1. q. 12. Navarrus. in c. Inter verba. 55. 11. qu. 3. concl. 6. n. 399. Avila de censuris. 2. part. cap. 5. disp. 5. dub. 1. Eveillon tract. de excommun. & monit. c. 28. art. 1.
(d) Greg. in c. Cognoscentes. 2. de constitut.
(e) Concil. Mediolan. 4. part 3. tit. 8. de foro Episcopali.

Duo autem quoad propositam difficultatem acute observat auctor modernus (f): primum; si ante latam excommunicationis sententiam Mævius ex caritate aut liberalitate Curtio ducentos nummos restituendi obligationem condonasset, tum censuram illam Curtius non incurreret, cum in hoc casu de nulla erga Mævium restitutione teneretur. Alterum: idem dicendum est, si ex sententia Curtio ad restitutionem tempus fuisset determinatum, & ante elapsum tempus illud majorem Mævius Curtio dilationem concessisset: tum enim Curtius concessa dilatione posset uti absque timore incurrendi in excommunicationem post determinatum ex sententia temporis terminum. Ratio est, quia actori præter ejus voluntatem favere voluisse judex non censetur: & si Mævius longiorem, quam quæ ex sententia fertur, temporis dilationem reo concedere, ipsum rogasset; ejus procul dubio intentioni fuisset obsecutus; cum præterquam quod sola ejus caussa agatur, actori quidquam ultra petitionem suam Judex non debet concedere.

(f) Colloq. Andegav. mensis Maji. 1722. q. 2.

CASUS XIX.

Cum Acacius duplionem clam Bertino, prædiviti Tolosano civi esset furatus, hic supplicem Judici libellum dedit, in quo præpostera ostentatione falso supposuit, vigesies majorem sibi summam fuisse surreptam, ac monitorium obtinuit, quod in reum postea, consciosque furti non revelantes promulgari curavit. Petrus, cui notum erat, duplionis unius tantum esse furtum ab Acacio factum; ob tantillum damnum ad revelationem se non teneri putavit. Qua de re quæritur, utrum Acacius & Petrus excommunicationem incurrerint; prior, quia non restituit; alter, quia non revelavit?

RESPONS.

Certum est effatum, illos tantum anathemati subjacere, quos sententia sua excommunicatione percellere Judex intendit. Constat autem, æquum non esse Judicem qui hominem levis tantum damni proximo illati reum omnium maxima pœna afficere intendat; cum manifeste ab ipsa mente Ecclesiæ deflecteret, nec non ab Edictis Principum, qui, ut alibi probamus, vetant, ne ulla feratur excommunicatio, nisi ob delicta gravissima & scandalosa. Dicendum igitur, quod, cum pro homine prædivite damnum, quod Bertino Acacius intulit, tamquam grave haberi nequeat, quodque levius ipse Bertinus judicavit, quam ut obtineret, reum excommunicatione ex eo puniri, quoniam Judici furtum notabilius falso supposuit; non verisimile est, intendisse Judicem, quod in casu proposito valeret ista excommunicatio, eumque falsum Bertini libellum fuisse rejecturum, si nota sibi fuisset rei veritas. Unde colligimus, neque Acacium, neque Petrum in excommunicationem incurrisse ob solum intentionis defectum in superiore, qui deceptus tulit sententiam.

Nititur ista Decisio tribus juris regulis, quarum prima est ista: *Nihil tam contrarium, quam error*, inquit Glossa (g), quæ eam de Lege Digestorum depromsit (h). Unde alibi concludit (i), quod *Errantis nullus est consensus*. Judex autem Ecclesiasticus deceptus est, petitam Bertino concedens licentiam; quam non obtinuisset, si nude veritatem complexus esset ipsius libellus. Nullatenus igitur Judex excommunicationi nomine suo & auctoritate promulgatæ assensus est.

Altera regula est Innocentii III. qui asserit, quod *non deceptoribus, sed deceptis jura subveniunt* (K). Atqui Bertinus est deceptor, eoque magis damnandus, quod Ecclesiæ imponere, ejusque auctoritatem cupiditati atque ostentationi suæ submittere temere attentarit. Nullum igitur coram Deo & hominibus effectum sortiri debet excommunicationis sententia, quam sub falso prætextu obtinuit.

(g) Gloss. in c. Si adversus. fin. de rescript. in integrum. v Juvare in 6. l. 1. tit. 21.
(h) Lex. si per errorem. 15. ff. de jurisdict. l. 2. tit. 1.
(i) Gloss in c. Ad nostram. fin. de consang. & affin. v. Conditionis.
(k) Innoc. III. in cap. Inter. 8. de donat.

Tertia est Bonifacii VIII., quæ sic habet (l): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*. Quam regulam deprompsit hic Papa ex his sancti Gregorii magni verbis (m): *Sancitum est, ut ea quæ contra Leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint*. Bertinus autem eam, de qua agitur, excommunicationis sententiam *contra jus* obtinuit: Cum stricte a Concilio Tridentino (n), aliisque permultis Galliæ Synodis prohibeatur, ne feratur excommunicatio, *nisi gravibus de caussis, & pro re non vulgari*. Nulla igitur habenda est excommunicatio a Bertino dolose in Acacium & Petrum obtenta.

(l) Bonifac. VIII. in reg. 65. de regulis juris in 6.
(m) S. Greg. in can. Imperialis. 13. 25. q. 2.
(n) Concil. Trid. sess. 25. c. 5. de reform.

CASUS XX.

Cum Murciæ Episcopus mandato suo vetuisset, ne quis e suis Diœcesanis, sub excommunicationis pœna clandestinis adesset matrimoniis, testis; quæritur, num Geofridus, qui, ut amico faveret, uni adfuit, hac fuit censura ligatus?

RESPONS.

Ut quæstioni huic fiat satis, duplex est distinguenda censuræ species; alia quæ dicitur *latæ sententiæ*, alia *ferendæ sententiæ*. Prior incurritur *ipso facto*, actionem prohibitam faciendo, & ubi

ptimum commissa est, nulla etiam interveniente sententia, qua declaretur incursa. Sed non idem dicendum de altera censuræ specie, quæ, proprie loquendo, est tantum comminatiu, quæ vero monitionis locum obtinet, quæque triplex ad validitatem censuræ requiritur, conformiter ad hæc verba Constitutionis a Gregorio X. in secundo œcumenico Lugdunensi Concilio, an. 1271. habito, promulgatæ (*a*): *Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla*. Vel duabus saltem juxta Tridentinum Concilium (*b*), *præcedente bina saltem monitione*. Unde sequitur, in casu proposito excommunicatione Geofridum non fuisse ligatum, si his terminis enuntiaretur Episcopi mandatum, *sub pœna excommunicationis*, vel, *sub interminatione anathematis*, vel *decernimus excommunicandum*, aut denique *excommunicabitur*. Quamvis hæc ejus culpa censuræ promulgatione puniri queat, nulla erga eum monitione neque particulari neque publica utendo. At contra, si hæc mandato Episcopi verba essent inserta, *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ*, vel hæc alia: *Sit anathema*, aut hæc denique; *absque ulla alia declaratione sit excommunicatus*, vel *noverit se excommunicatum*, vel *incurrat excommunicationem*, vel, *habeatur pro excommunicato*; certum est, ipsum esse excommunicatum. Idem dicendum de suspensione & interdictu, uti de excommunicatione.

(*a*) Greg. X. in c. Constitutionem 9. de sent. excommunic. suspens. & interd. in 6.
(*b*) Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 3.

CASUS XXI.

EPISCOPUS Monasteriensis promulgato statuto Diœcesis suis Sacerdotibus, ne popinam adirent, prohibuit sub pœna excommunicationis, quæ his verbis declaratur: *Presbyter, qui tabernam frequentaverit excommunicetur*, vel *subjiciatur excommunicationi*. Numquid Sacerdos, qui hoc statutum infregit, censetur *ipso facto* excommunicatus?

RESPONSIO.

Utraque formula est ambigua, utpote quæ de tempore præsenti vel futuro apprime intelligi possit, hoc est, quæ excommunicationem denotet, vel *latæ sententiæ*, vel comminatoriam tantum, ut observat Cabassutius his verbis (*c*): *Quæ formulæ ambiguæ sunt, eo quod intelligi possint de præsenti, quod en s. infert pœnam latæ sententiæ, & de futuro, quod non nisi ferendam a judice significat*. Quare *in his casibus*, addit doctus hic Professor, *exploranda erit ex aliis verbis in Canone contentis ipsa Legislatoris mens; sed si neque hac via explorari possit, tunc judicandum esse censent communiter Doctores, censuram non esse latæ, sed ferendæ sententiæ*.

(*c*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 10. n. 6.

Nititur hæc sententia 1. Lege Digestorum his verbis contenta (*d*): *Interpretatione Legum pœnæ molliendæ sunt, potius quam asperandæ*. 2. Canone quem refert in Decreto Gratianus (*d*), qui eamdem Legem approbat. 3. Ista juris regula (*e*): *In pœnalibus caussis benignius interpretandum est*. 4. His tribus aliis juris Canonicis regulis, quas affert Bonifacius VIII. (*f*): Prima: *Odia restringi & favores convenit ampliari*. Secunda: *In obscuris minimum est sequendum*. Tertia, quæ primam a nobis citatam Legem confirmat: *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Ex quibus omnibus colligitur, quod, si certo dignosci non possit, verum statuti de quo agitur in casu proposito, terminorum sensum ad excommunicationem *latæ sententiæ* non pertinere, ii tantum de comminatoria exponendi sunt, neque in hoc casu judicandum est, sacerdotem mandati Episcopi Monasteriensis transgressorem esse excommunicatum.

(*d*) Leg. Interpretatione 42. ff. de pœnis: lib. 48. tit. 19.
(*e*) Can. Pœna. 18. de pœnitentia dist. 1.
(*f*) Leg. Factum. 297 ff. §. 2. de divers. reg. juris antiqui.
(*g*) Regul. 15. 30 & 49. de regulis juris in 6.

CASUS XXII.

STEPHANUS, de libidinoso cum Matrona nobili commercio valde suspectus, cum ad preces parentum ejus consuetudinem hanc Stephano sub pœna excommunicationis *ipso facto* prohibuisset Episcopus, si ea deinceps familiariter uteretur, per aliquot menses obtemperavit: Sed mortuo Episcopo idem cum hac Matrona commercium ferme per annum habuit. Nonne in excommunicationem incurrit?

RESPONSIO.

Ut dilucide solvatur hæc difficultas; observandum est 1. censuras excommunicationis, suspensionis & interdicti dividi in censuras *a jure* & censuras *ab homine*.

Censuræ *a jure* seu *a Canone* illæ dicuntur, quas statuit jus commune, ut Leges ac statuta a superioribus Ecclesiasticis lata, hoc est, a Conciliis generalibus vel provincialibus per sua Decreta; a Summis Pontificibus per constitutiones suas; vel jure particulari Diœcesis cujuslibet, quod continet statuta Diœcesis alicujus generalia, aut privata statuta, quæ pro quibusdam Ecclesiis condunt Episcopi; cum expresse Superiori non reservantur, aut a Capitulis generalibus vel provincialibus Ordinum Religiosorum aut similium, in eos, qui publica quædam & scandalosa peccata committunt, quæque ad eos omnes extenduntur, qui earum fiunt conscii, dum viget Lex, quæ legitime promulgata fuit & acceptata.

Censuræ *ab homine* sunt eæ, quas sententia sua seu judicio Superior decernit in quibusdam casibus, & in quædam privata delicta; eæque non minus pro præterito, quam futuro tempore infligi possunt, in quo a prioribus distinguuntur, quæ a solum futurum tempus pertinent.

2. Non minoris interest observare, quod triplex inter duas illas censurarum species intercedit discrimen. 1. Quod absolutio de censuris *a jure* Superiori numquam reservatur, nisi id expresse declaret Lex, qua fertur censura: ac proinde quod quilibet Confessarius approbatus de ea valide & licite potest absolvere, si in pœnitentem ipsi competat jurisdictio, uti declarat Innocentius III. in Decretali (*h*), his verbis: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit; eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*. Sed e contrario absolutio censurarum *ab homine* est semper reservata, de qua proinde tantum absolvere potest Superior, cui retinetur, ejusve successor, aut denique in casu appellationis Superior maior, seu per se ipsum, se per alium ad id a se specialiter deputatum.

(*h*) Innoc. III. in c. Nuper. 29. de sent. excom. &c.

2. In hoc differunt duæ illæ censurarum species, quod censuræ *a jure* ad omnes spectent Legis transgressores; contra vero censuræ *ab homine* quasdam tantum privatas personas & nominatim, aut saltem formali Superioris intentione designatas afficiant.

3. In eo quoque differunt hujusmodi censuræ, quod incurratur censura *a jure*, dum obtinet Lex qua fertur: Censura vero *ab homine*, cum per modum prohibitionis in futurum profertur, non incurritur prohibitionis transgressione, nisi per vitam Superioris, qui eam decrevit in eos, qui talem aut talem in posterum colpam admittent.

Præsuppositis illis regulis colligendum est, quod, cum censura comminatoria Episcopi erga Stephanum, inter eas reperiatur, quæ *ab homine* vocantur; cumque hic homo prohibitionem cui erat annexa, tantum post mortem Episcopi violaverit, is in excommunicationem pro certo non incurrit.

CASUS XXIII.

ALPHONSUS ob cædem condoctitiam, seu assassinium a se commissum excommunicatus, potest ne iterum ob idem crimen vel aliud postea a se admissum anathemate percelli?

RESPONSIO.

Homo iste, licet ob assassinium a se commissum jam excommunicatus, altera potest excommunicatione ligari, non solum ob aliud crimen, quod postea commisit, sed etiam ob idem, propter quod jam excommunicatus fuerat, ut sic majori pudore suffusus resipiscat. Ita sanctus Thomas his verbis (*i*), *qui excommunicatus est una excommunicatione, potest iterum excommunicari per ejus-*

(*i*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. in corp.

dem

ejusdem excommunicationis reiterationem, ad majorem sui confusionem, ut, vel sit a peccato resiliat, vel propter alias caussas, & tunc tot sunt principales excommunicationes quot caussæ, pro quibus aliquis excommunicatur. Idem etiam clare constat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum, Decanum & Canonem Ecclesiæ Lugdunensis, quam postea referemus loquendo de absolutione ab hac censura (*a*).

(*a*) Gol. Metellus.

CASUS XXIV.

Balduinus, Clericus tonsura initiatus, majorem quidem incurrit excommunicationem, sed est toleratus, nec publice talis est denuntiatus. Fitne ex eo incapax, ut provideatur de Beneficio, aut Clericalem habeat pensionem, quam obtineret?

Respons.

Certum est, istum excommunicatione majori ligatum, *ipso jure*, fieri inhabilem ad habendum quacumque ratione aliquod Beneficium, ut declarat Innocentius III. in una Decretali ad Decanum Ecclesiæ Coloniensis scripta (*b*): *Respondemus*, inquit hic Papa, *quod .... Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt, nec illi valeat ea licite retinere ... cum ea non fuerint canonice consecuti*. Sed ad majorem hujusce difficultatis expositionem addendum 1. Clericum excommunicatum, qui electus aut præsentatus fuisset ad Beneficium, quique postea ab excommunicatione esset absolutus, illius confirmationis aut collationis esse incapacem: quia in hoc casu electio vel præsentatio invalida fuit. Sed e contra si Clericus ante incursam excommunicationem de Beneficio fuisset provisus, & postea eam incurrisset ante acceptum aut aditum Beneficium, teneret collatio seu provisio, & sufficeret, ut absolveretur ante acceptationem aut aditionem Beneficii, ut observat auctor Colloquiorum Andegavênsium (*c*): 2. Quod de invaliditate collationis factæ excommunicato modo dictum est, id intelligendum esse de quacumque provisione seu simplici, per resignationem, aut permutationis caussa, seu provisio sit titulus, vel commenda; quamvis esset in bona fide, nec se excommunicatum putaret, tum cum sibi facta est collatio. 3. Hæc omnia pariter esse affirmanda non solum de excommunicato denuntiato, sed etiam de excommunicato tolerato. 4. Quoad pensionem Clericalem, quam haberet, nos existimare, eundem de illa non posse privari; cum de pensionibus nulla in hoc casu fiat mentio in Canonibus. Contrariam tamen opinionem tenet Covarruvias (*d*), quæ ejus opinio non est contemnenda. Sunt etiam quidam Auctores, ut Avila (*e*), ex antecedenti excommunicatione ad obtinendam pensionem Clericum non fieri inhabilem: quæ opinio Cabassutio videtur probabilis (*f*).

(*b*) Innoc. III. in c. *Postulastis*. 7. de Clerico excommunicato &c. lib. 5. tit. 27.

(*c*) Colloq. Andegav. mensis Aprilis an. 1712. q. 3.

(*d*) Didac. Covarruvias a Acyva. Relect. cap. *Alma mater*. 1. part. §. 7. & Gygas tract. de pensionibus. n. 14.

(*e*) Avila de censuris. 2. par. c. 6. dub. 7.

(*f*) Cabassut. juris can. theo. & prax. lib. 5. c. 11. n. 5.

CASUS XXV.

Palamboas prior sancti Mauritii, juridica sententia excommunicatus declaratus, fitne privatus Beneficio suo per hanc censuram?

Respons.

Quamvis ex præcedenti excommunicatione ad Beneficium obtinendum incapax fiat Clericus, ex consequenti tamen post ipsum obtentum non eo fit privatus *ipso jure*, cum ex nullo Canone nullave Decretali hæc Beneficiariis jam provisis pœna imponatur. *Excommunicatio*, inquit Cabassutius (*g*), *aliave censura atque irregularitas præcedens electionem aut provisionem beneficii facit eam invalidam & irritam .... seu collato jam beneficio superveniens, non inducit beneficii vacationem*. Rei hujusce probationem, præsertim quoad irregularitatem suppeditat Decretalis Innocentii III. (*h*), in qua mandat hic Papa, Episcopum Albiganensem, qui ex homicidio factus fuerat irregularis, cujus pravo suo consilio fuerat particeps, esse commonendum, ut Episcopatui cedat; alioqui per pœnas Canonicas de ipso amoveatur, hoc est, necesse esse ut juridica interveniat sententia, qua beneficio suo reus privetur, cujus aliter legitimus remanet titularis. Unde *a simili* idem sollicitandum est de excommunicatione aliisque censuris.

(*g*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 12. num. 8.

(*h*) Innoc. III. in cap. *Ex litteris*. 20. de excessibus Prælatorum & subditorum. l. 5. tit. 31.

Sententiam nostram confirmat alia ejusdem Summi Pontificis Decretalis: Nam hic Papa loquens de Beneficiariis excommunicatis, asserit quidem, nova ei conferri non posse beneficia; sed pro iis, quæ ante incursam censuram obtinuere, id unum affert, quod videlicet (*i*): *Sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi*; hoc est, eosdem beneficiarios privari non posse, nisi per sententiam Judicis, qui eos spoliare potest, præsertim si eadem innodati censura per annum perseverent, parum curantes, ut de ea absolvantur (*k*). Est & alia ejusdem Papæ Decretalis (*l*), in qua declarat, quod *illi proventus Ecclesiastici meritis subtrahuntur* (per sententiam videlicet Judicis, ut exponit Glossa (*m*), *cui Ecclesiæ communio denegatur*. Ex quo patet, eum titulo Beneficii non spoliari. Ita argumentatur Suarez (*n*).

Ita quoque constituit Rota, ut refert idem Cabassutius (*o*), & docent, non solum multi Doctores, ut Silvester de Prierio, Gomesius Covarruvias, Felinus, Panormitanus, & Ugolinus (*p*); sed & celeberrimi Galliæ Canonistæ & Jurisperiti, præcipue Gregorius Tolosanus, Papo, & Pastor, quos laudat & sequitur Cabassutius (*q*).

(*i*) Innoc. III. in c. *Postulastis*. 7. de Clerico excommunicato &c.

(*k*) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 3. Conc. Parisiense an. 1346. c. 3.

(*l*) Idem in cap. *Pastoralis*. 53. *Verum*. de appellationibus recusat. & relationibus. l. 2. tit. 28.

(*m*) Gloss. in cit. cap. *Pastoralis*. v. *subtrahuntur*.

(*n*) Fr. Suarez de censuris disp. 13. sect. 2. n. 2.

(*o*) Rot. decis. 105. (in novis) apud Cabassut. cit.

(*p*) Silvester. v. Excommunicatio. 3. n. 1. §. 6. Lud. Gomez tract. de expectativis n. 60. Didac. Covarruvias in cap. *Alma mater*. 1. part. §. 7. n. 4. notab. 11. Felinus in c. *Insinuatum* de Simonia. Panormit. in c. *Cum Clerici*. de pactis. n. 2. Ugolinus de Simonia tab. 1. c. 19.

(*q*) Joan. Cabassut. juris can. theo. prax. lib. 2. c. 9. n. 2. & apud eum Gregor. Tolosanus instit. benefic. c. 26. n. 2. Beugnus de Simonia in benef. n. 43. Papon. tom. 1. Notariorum. l. 2. pag. 90. Pastor lib. 3. de benef. tit. 12. num 37.

CASUS XXVI.

Rigobertus, resignato Prioratu suo Jacobo, qui postea nominatim excommunicatus, & talis ex officialis sententia denuntiatus est, retenta tamen in dictum Prioratum pensione, quam a biennio non persolvit Jacobus Rigoberto, idem ad ipsum misit epistolam, qua ab eo duorum annorum pensionis reliquationem petit, & more solito Epistolam suam his terminis subscripsit: Sum toto animo, Domine humillimus tuus & obsequentissimus servus. Quæritur, utrum ex hoc excommunicationem minorem incurrerit?

Respons.

Id pro principio supponendum, idem de Epistola, quæ ad aliquem mittitur, esse dicendum, atque colloquio, quod, cum ipso habetur, ex his verbis Romani oratoris (*r*); *amicorum absentium colloquia, Epistolæ*, & ex his aliis: *Litterarum aliquid ad te darem, ut loquerer tecum absens*. Id tanquam verum agnoscit Innocentius III. (*s*), dicens: *Literæ nostræ cum salutationis alloquio*; Unde ait Bartolus (*t*), quod scribere Epistolam idem est, atque eum alloqui, ad quem mittitur.

Posito isto principio, sequitur, ad excommunicatum a quopiam scribi posse eodem prorsus modo, quo eum potest alloqui. Certum est autem, eum in locutione posse communicare, 1. cum de ejus emendatione ac salute agitur. 2. Loquentem absque excommunicationis periculo alia ex occasione addere posse verba, quæ ad eam non referantur, & quibus ejus duntaxat aucupetur benevolentiam. *Excommunicationis sententiam non incurrit*, inquit Gregorius IX. (*u*), *qui cum excommunicato in his quæ ad absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent in locutione participat; licet etiam alia verba incidenter, (ut apud eum magis proficiat) interponat*. Qua de re asserit Innocentius IV. in suo in Decretales commentario (*x*), id etiam ei licitum esse, quamvis incidenter proferantur verba, *quæ non faciunt*, inquit, *neque ad absolutionem neque ad salutem* (excommunicati). Ulterius etiam progreditur Anocharanus dicens (*y*): *Si quis principaliter ad hoc tendit, ut excommunicatum ad pœnitentiam reducat verbis persuasivis, si cum tali locutione immisceat incidenter potum, vel comestionem in mensa, vel cum eo habitet principaliter ad finem conversionis; talis non incidit in Canonem*. Unde sequitur, quod, cum ex hoc Canonista licita sit comestio cum excommunicato immo & cohabitatio, ut saluti ejus provideatur, a fortiori ad eum mitti salus potest per Epistolam, ut fert casus propositus, juxta istam juris regulam: *Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur* (z): Et hanc aliam (*aa*): *Plus semper in* se

(*r*) Cicero. 2. Philippicarum. & ad Atticum. 7.

(*s*) Innoc. III. in c. *Si aliquando*. 41. de sent. excomm.

(*t*) Bartol. in l. *nuda*. 36. n. 4. vers. *Hic vera sunt*. ff. de donationibus.

(*u*) Greg. IX. in c. *Cum voluntate*. 54. de excomm.

(*x*) Innoc. IV. ad c. *Cum voluntate* cit. v. *Incidenter*.

(*y*) Petr. Ancharan. in eod. c. notab. 2. n. 3.

(*z*) Innoc. III. in c. *Ex parte*. 27 de decimis. l. 3. tit. 30.

(*aa*) Reg. 35. de reg. juris in 6.

se continet quod est minus. Quibus regulis multi nituntur Canones (*a*).

(*a*) Innoc. I. in cap illud. 3. d. 11. 95. Can. *praecipimus*, 24. 12. 9. 1. Joannes Papa in can. *Visis*, 2. 56. q. 2

Nihil autem rei tam accidentarium, de qua ad Jacobum scripsisse supponitur Rigobertus, quam verba, quibus juxta solitam Litterarum omnium consuetudinem litteras suas terminat; cum Epistolæ suæ is erat scopus præcipuus, ut pensionis suæ exigeret solutionem, & addita ad finem epistolæ suæ expressio fit tantum incidens. His adde, quod Rigoberti intererat, ne suum in Jacobum contemptum, stilo superbo & solitæ consuetudini contrario scribens testaretur; ne is de ipsius solutione parum sollicitus contemptus vicem rependeret. Hanc eandem opinionem tuetur Fagnanus (*b*), supra laudatas multas adducens auctoritates. Hanc tamen opinionem in sola casus propositi circumstantia ut veram admittimus, in quo Judex Ecclesiæ, e communione Fidelium Jacobum demens, damnum pro certo Riguberto, neque aliis ejus creditoribus ex sua sententia inferre potest, neque ipsi solutionis suæ exigendæ medium auferre, quam proinde litteris aut aliter sollicitare poterat: ceterum ex canonibus alia qualibet consulto cum excommunicatis habenda interdicitur communio.

(*b*) Bagn. in ca. *Si aliquando*, d. excommunicat. n. 16. & 19.

CASUS XXII.

Chelidonius, spectante numerosa communitate crimen admittens, notorie excommunicationem incurrit. An requiritur, ut accedat judicis sententia, qua nominatim excommunicatus declaretur, qui sit vitandus?

R e s p o n s.

Publica notorietas absque ulla sententia declaratoria ante Concilium Constantiensem sufficiebat, ut patet ex Decretali Clementis III. (*c*), qui de difficultate consultus, his verbis respondet: *Consultationi tuæ respondemus, quod a communione illius, qui pro sacrilega manuum injectione in edictum excommunicationis incidit, licet denuntiatus non sit, debet abstinere, nisi forte id tibi soli pateret: in quo c. Ju ipsum privatim tantummodo evitabis*. Quo circa tunc temporis homo notorie excommunicatus ex circumstantiis delicti sui non minus erat vitandus, quam qui talis juridica sententia fuerat declaratus.

(*c*) Clem. III. in c. *Cum non*. 24. de excom. susp. & interd.

Verum hæc disciplina immutata est ex Decreto Concilii Constantiensis, quo declaratum est, solam notorietatem absque sententia non sufficere ad vitandum excommunicatum, is tantum exceptis, qui publica ac violenta manuum injectione in Clericum, notoriam hoc crimine excommunicationem incurrerant. Concilia Basileense & Lateranense istam exceptionem amplificant, & conformiter ad jus antiquum eam extendunt ad illos omnes, quorum crimen, cui annexa est hæc censura, adeo evidens est & publico notorium, ut nemo dubitet de excommunicatione, quam incurrerunt; quod etiam Concordato interdum est (*d*); sed exceptio illa diffusior in Gallia non fuit admissa, ubi contrarius usus invaluit.

(*d*) Concordat. cap. *Ad evitandum*.

Concludimus igitur, ut solvatur proposita difficultas, licet Chelidonius criminis, cui annexa est excommunicatio major, quam erit eum incurrisse norunt omnes, fit conscius, a nemine tamen eum esse vitandum, uti excommunicatum, donec sententia declaratoria talis fuerit denuntiatus (*e*). Eveillon quidem & alii quidem Auctores contendunt, quod, cum de notoria clerici percussione aut gravi injuria agitur, is etiam in Gallia ante sententiam declaratoriam est vitandus, qui in publicam hoc delicto excommunicationem incidit: sed casum hunc ne quidem excipiunt auctores complures, quorum is, qui eximium opus inscriptum; *Traxis jurisdictionis Ecclesiasticæ &c.* (*f*) promulgavit, opinionem sequitur, & contendunt, solum excommunicatum denuntiatum, in Gallia esse vitandum, quod idem docet Auctor Colloquiorum Andegavensium (*g*). Et quidem ex generali Regni Galliæ consuetudine Decreto Concilii Constantiensis derogatum est, neque in eo ulla habetur ratio notorietatis facti.

(*e*) Eveillon cit. c 3 art. 3. p. 47. 2. edit.

(*f*) Ducass. prax. jurisd. Eccles. volum. &c. c. 11. §. 5. n. 1.

(*g*) Colloq. Andeg. 1711.

Quod nititur Decretali Alexandri III. (*h*) qui ad quosdam scribens Galliæ Episcopos, quorum diœcesani Monachos & conversos Cisterciensis Ordinis injuriis affecerant, eosque percusserant, iis mandat, ut illos diœcesanos excommunicatos denuntient, quo uti tales evitentur. *Parochianos vestros*, ait hic Papa, *si quis in Monachos vel conversos præfati Ordinis, violentas manus injecerunt, sublato appellationis remedio ... excommunicatos publice nuncietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec læsis congrue satisfaciant, & cum litteris vestris Apostolico se conspectui repræsentent*. His omnibus ad confirmationem hujusce usus addi potest, quod, cum nullus fit casus, in quo effugio non fit locus, & ex ipso concordato illi solum fint vitandi, quorum nec dissimulari, nec ulla ratione crimen accusari potest, saltem justa apparenter, pat est, ut secus tam de jure, quam de facto jus suum experiatur, & ejus perpendantur rationes, ut absolvatur, si fint legitimæ; aut notorie excommunicatus declaretur, si nullæ fint; cum videlicet innumeri possint esse casus, qui notorii habentur, licet reipsa tales non fint; ut asserit idem Papa, ad Toletanum scribens Episcopum (*i*) his verbis: *Cum multa dicantur notoria quæ non sunt, prohibere debes, ne quod dubium est, pro notorio videaris habere*.

(*h*) Alex. III. in cap. *Parochianos*, 9. de sent. excommunic. &c.

(*i*) Alex. III. in cap. *Consuluit*, 14. de appellat. &c.

CASUS XXVIII.

Nereus, Parœcialis Ecclesiæ sanctæ Euphemiæ Æditüus, seu Matricularius, cum dolo libras sexcentas Fabricæ subripuisset, & juridice a tribus idoneis testibus de furto suo palam convictus esset, in frequenti foro a Judice Ecclesiastico excommunicatus est denuntiatus, quod & subreptam pecuniam restituere, nec non furtum etiam fateri recusaret. Nunquid is est vitandus sub censura excommunicationis minoris, ac ipse a sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ abstinere debet?

R e s p o n s.

Cum ex sententia tantum judicis Ecclesiæ aliquis est excommunicatus, omne cum illo non est prohibitum commercium, nec is est vitandus; donec in Missæ Parochialis Proano, aliove cœtu publico fuerit promulgata, aut publice proposita: licet enim in Justitiæ tribunali, Judicis Ecclesiæ fuerit prolata, etiam præsentibus iis, quarum interest, aliisve personis, nondum is est vitandus, uti excommunicatus denuntiatus, ac necesse est, ut publice & juxta formam præscriptam fiat excommunicationis denuntiatio: quocirca de hujusmodi sententia, idem dici potest, ac de lege, a Principe coram consiliariis suis, aut etiam in Parlamento sancita: nam ut lex illa non obligaret subditos, donec promulgata fuisset, ita pariter ex sententia excommunicationis quispiam anathemate perculsus, nunquam est vitandus, donec juxta regionis consuetudinem ea fuerit promulgata. Sed etiam ultra progredimur: licet enim aeeretur excommunicatio jure lata, ac nemo criminis, cui ea foret annexa, ignoraret auctorem; nondum omnis cum eo esset abrumpenda communio, donec ab Ecclesiæ Judice juridica lata fuisset sententia, qua declararet, hunc in excommunicationem incurrisse, quod criminis hujusce auctor fuisset; idque solum postquam eum citasset, atque in defensionibus suis audisset, ut probari potest ex Decretali Innocentii III. (*K*) ad Constantinopolitanum Patriarcham scribentis, quam ad marginem indicamus.

(*k*) Innoc. III. in cap. *Inter*, 5. de majoric. & obedienc l. 1. tit. 33.

Verum est tamen, a constitutione Martini V. in utroque casu, hoc est, cum excommunicatio jure lata est *latæ sententiæ*, aut cum eam de facto particulari judex protulit, reus etiam ante denuntiationem pro certo est coram Deo excommunicatus, & consequenter privatus fructu publicarum Ecclesiæ precum, participatione sacramentorum, aliisque proventibus, quos ceteri percipiunt fideles, licet et talis non fit vitandus, nisi cum legitimi superioris mandato facta fuerit.

Hine sequitur, quod, si prolata in Nereum sententia nondum juridica denuntiatione fuerit

pro-

promulgata ; is nondum eſt vitandus : ſed cum vere coram Deo ſit excommunicatus, in hoc ſtatu nullius abſque crimen fieri poteſt Sacramenti particeps.

CASUS XXIX.

LIBERIUS, cui apprime nota erat Balduini excommunicatio, cum eo tamen aliquatenus communicavit. Nunquid id ipſum potuit ſine peccato ?

RESPONS.

Ut tuto ſolvatur hæc difficultas, duplex eſt diſtinguenda excommunicationis ſpecies, altera *major*, qua peccator ſeparator omnino, non ſolum a participatione activa & paſſiva Sacramentorum Eccleſiæ, ſed etiam a communione fidelium, eorumque ſuffragiis. Altera *minor*, ſic vocata, quod peccatorem non privet niſi paſſiva Sacramentorum participatione, hoc eſt jure ea percipiendi, licet poſſit eadem conficere, modo 1. ea conficiens, ipſe non percipiat, ut eveniret in caſu Sacerdotis celebrantis : 2. modo omnis a conficiente abſit contemptus pro interdicto ſuperioris aut regularum Eccleſiæ, & aliunde is ſit in ſtatu gratiæ.

His ſuppoſitis reſpondemus, quod, ſi excommunicatione tantum minori ſit ligatus excommunicatus, is non eſt vitandus ; modo nullum ei adminiſtretur Sacramentum ; quia, ut modo diximus, & aſſerit ſanctus Thomas (*a*), ex hac cenſura excommunicatus, paſſiva tantum Sacramentorum participatione ſit privatus : *duplex eſt excommunicatio ; una eſt minor, quæ ſeparat tantum a participatione Sacramentorum, ſed non a communione fidelium : & ideo tali excommunicato licet communicare, ſed non licet ei Sacramenta conferre*. Et idcirco addit Angelicus Doctor (*b*): *Excommunicato minori excommunicatione licet communicare, & ſic excommunicatio non tranſit in tertiam perſonam.*

(*a*) S. Thom. in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. quæſtiun. 2. in corp.

(*b*) Idem ibi. quæſtiunc. 3. ad. 2.

Verum cum excommunicato excommunicatione majori, qui talis denuntiatus eſt, non licet communicare abſque juſta neceſſitate ; ex quo tempore in Concilio Conſtantienſi promulgata, & in Baſileenſi etiam amplificata (*c*) fuit constitutio. *Ad vitandum ſcandala* ; niſi ad procurandam ipſius ſalutem ; quo in caſu licet, iis præſertim, quibus ipſius ſalutis cura incumbit, cum eo etiam familiariter colloqui, ut ad recipienda ſalutis monita melius diſponatur. *Alia eſt major excommunicatio*, addit ſanctus Thomas, *& hæc ſeparat hominem a Sacramentis Eccleſiæ, & a communione fidelium ; & ideo excommunicato tali excommunicatione communicare non licet ; ſed quia Eccleſia excommunicationem ad medelam & non ad interitum inducit ; excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet ; ſcilicet in his quæ pertinent ad ſalutem ; quia de talibus homo licite cum excommunicato loqui poteſt, & etiam alia verba interſerere, ut facilius ſalutis verba ex familiaritate recipiantur*. Quæ verba Angelici doctoris conſentiunt cum antiquo Canone quem Gratianus Callixto I. (*d*), licet falſo adſcribit, cum duobus aliis, quorum alter e Concilio Carthaginenſi, an. 398. habito (*e*), & alter ex operibus ſancti Iſidori depromitur, nec non cum iſtis Decretalis Gregorii IX. verbis (*f*) : *Cum voluntate ac propoſito maleficia diſtinguantur, excommunicationis ſententiam non incurrit, qui excommunicato in his quæ ad abſolutionem, vel alias ad ſalutem animæ pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat.*

(*c*) Concil. Baſil. Seſſ. 20. decreto de excommunicatis &c.

(*d*) Can. Excommunicatos. 17. 11. q. 3.

(*e*) Concil. Carth. IV. in can. *Qui communicaverit*. 39. ibid. & Iſidor. in can. *Cum excommunicato*. 18. ibid.

(*f*) Greg. IX. in c. *Cum voluntate* 54. de ſent. excommunic. &c.

Diximus : non licet communicare *abſque juſta neceſſitate* : nemo enim diffiteri poteſt, 1. Medicum, Chirurgum & Pharmacopolam poſſe ſine peccato communicare cum excommunicato ægrotante in iis quæ pertinent ad ejus morbum & curationem. 2. Creditorem a debitore excommunicato ſolutionem ſuam non poſſe requirere, aut debitorem cum excommunicato creditore ad ejus ſolutionem, ſolutioniſque apocham faciendam, ſeu ſolutionis dilationem petendam loqui poſſe ; & ſic de ceteris. Ex his regulis ferri debet judicium de Liberii communione cum Balduino.

CASUS XXX.

AUXILIUS cum Richardo excommunicato palam denuntiato communicavit, cum eo rogando vel audiendo Miſſam, vel etiam loquendo aut manducando ; peccavitne in hoc mortaliter ?

RESPONS.

Multum intercedit diſcriminis inter exempla propoſita : licet enim peccato non vacet communicatio cum excommunicato denuntiato, ut multi conſtituunt Canones (*g*), tamen peccatum non eſt ſemper mortale, & quandoque eſt tantum veniale.

(*g*) Can. 10. Apoſtol. cap. *Sicut*. 30. & tribus ſeq. 11. q. 3.

In tribus caſibus mortale ſemper reperitur. 1. Quando cum eo communicatur in ſpiritualibus ; & in hoc caſu, ſi Auxilius cum Richardo oraverit, aut Miſſæ adfuerit, in hoc mortaliter peccavit, ut patet ex quarto Carthaginenſi Concilio, quod in reum talis peccati excommunicationis pœnam conſtituit (*h*) : *Qui .... oraverit cum excommunicato, ſi Laicus eſt, excommunicetur ; ſi Clericus deponatur*. Hiſce terminis Gratianus iſtum refert Canonem, de quo obſervant Romani correctores in exemplari legi : *Sive Clericus, ſive Laicus, excommunicetur*. 2. mortale admittitur peccatum, quando cum eo in qualibet re excommunicatur in contemptum regularum & prohibitionis Eccleſiæ, *averſando regulas*, ut loquitur Canon (*i*). 3. Quando cum illo communicatur in crimine, propter quod ab Eccleſiæ communione avulſus eſt ; uti conſtat ex Epiſtola Nicolai I. ad Lotharium Galliæ Regem ad annum 863. ſcripta, quam refert Gratianus (*K*) de Gualdrada femina, quacum Princeps ille libidinoſe egerat, ob eamque cauſſam excommunicata, & cujus conſuetudine ne deinceps utatur, eum admonet, *ne cum ea pari mucrone percellaris ſententiæ*, inquit Papa, *ac pro unius mulierculæ paſſione vinctus & obligatus, ad perenne traharis exitium.*

(*h*) Concil. Carth. IV. in can. *Qui communicaverit*. 16. 11. q. 3. item Gelaſius in can. *Quia vero*. 31. ibid.

(*i*) Can. *Sicut*. cit.

(*K*) Nicolaus I. in can. *Præcipue*. 3. ea l. cauſ. & quæſt.

Hactenus dictis conſentanea eſt ſancti Thomæ (*l*) doctrina, cujus ſunt hæc de ea re verba : *Aliquis per excommunicationem ſeparatur a communione fidelium, non autem hominum, niſi per accidens : quia in tantum ſeparatur a communione hominum, in quantum convenit ſeparari a communione fidelium. Dico ergo, quod aliquis poteſt communicare, ſeu participare cum excommunicato directe & indirecte : directe quidem in his, quæ ſunt fidelium ; & ſic ille, qui hoc modo ei communicat, peccat mortaliter ; & hoc contingit tripliciter ; puta ſi communico cum illo in divinis, ſicut ſi orem pro eo, vel audiam miſſam cum eo, & in aliis ſpiritualibus. Item, ſi ex contemptu, & in hoc quocumque communicat quis cum eo, quaſi contemnens mandatum Eccleſiæ, peccat mortaliter. Item, quicumque participat cum illo in crimine & in cauſa.*

(*l*) S. Thom. quodlibet. 11. art. 9. in corp.

Sed ſi cum excommunicato tantum communicatur in rebus pure humanis, ut ipſum ſalutando, alloquendo, cum eo manducando, & in aliis hujuſmodi, quibus non permiſceantur religio ac ſpiritualia ; tunc non admittitur mortale, ſed tantum veniale peccatum, modo abſit omnis contemptus auctoritatis & prohibitionis Eccleſiæ : & etiam ab omni poteſt excuſari peccato quibuſdam de cauſis, puta neceſſitate commercii, utilitate perſonæ, & aliis ſimilibus, quæ his verbis continentur, *utile, Lex, humile, res ignorata, neceſſe.*

Idem quoque docet ſanctus Thomas addens : *Indirecte vero communicat quis cum eo in his, quæ ſunt hominis, ſicut in verbo, in cibo, & in his, quæ ſunt ſimpliciter humanæ converſationis. Secundum hoc non peccat mortaliter, ſed venialiter ; niſi faciat ex contemptu, ut dictum eſt*. Idem etiam alibi aperte docet idem Sanctus (*m*), hanc ſententiæ ſuæ rationem afferens : *Præceptum Eccleſiæ directe reſpicit ſpiritualia*, inquit, *& ex conſequenti legitimos actus. Et ideo qui communicat ei in divinis, facit contra præceptum Eccleſiæ : & peccat mortaliter. Qui autem participat ei in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter*. Ex quibus

(*m*) Idem in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 2.

bus facile colligitur, quod, licet mortaliter peccaverit Auxilius, si oraverit, aut Missæ adfuerit cum Ricardo, aut aliter cum eo communicaverit in spiritualibus, aut in crimine ipso, propter quod e corpore Ecclesiæ avulsus est, aut etiam cum contemptu prohibitionis Ecclesiæ: venialiter tamen duntaxat peccavit, si in iis tantum cum eo communicaverit, quæ simpliciter ad civilem societatem pertinent, ut cum ipso loquendo, convescendo, aut ipsum salutando.

CASUS XXXI.

DIONYSIA, Andreæ excommunicati denuntiati uxor, pueri illius ac famuli in solitis suis officiis, a promulgata excommunicatione cum eo communicare non intermiserunt. Nonne id potuere absque peccato? Nunquid etiam idem potest affirmari de fratre suo, sorore, avunculo & consobrino?

RESPONS.

Uxor, filii ac famuli illius, qui forte excommunicatur, ab ejus cœtu discedere non tenentur, & cum eo communicare possunt, non quidem in *divinis*; hoc est, in exercitiis religionis. Ita docet sanctus Thomas (*a*), cum duplici tamen de liberis & servis restrictione, ut ostendunt hæc ejus verba: *Excipiuntur etiam quædam personæ*, inquit, *ad quas specialiter pertinet provisio personæ excommunicati, scilicet, uxor, servus, filius, rusticus & serviens. Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis: alias tenerentur vitare patrem: de aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderunt; non autem, si post.*

(*a*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. cit. quæstiunc. 2. in corp.

Eosdem etiam a generali regula exceperat Gregorius VII. in Concilio Romæ an. 1078. habito (*b*): *Apostolica itaque auctoritate*, inquit hic Papa, *ab anathematis vinculo hos substrahimus: videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos servientes, & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur.* Qua de re observandum, summum hunc Pontificem non distinguere inter filios emancipatos & non emancipatos. Eodem ferme modo mentem suam aperit in decretali Innocentius III. (*c*) cujus hæc sunt verba: *Si Pater familias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, a participatione illius familia excusatur.*

(*b*) Greg. VII. in can. Quoniam, 103. XI. q. 3.

(*c*) Innoc. III. in c. Si vere. 24. de sent. excommunicat. &c.

Diximus cum sancto Thoma, loquendo de servis, seu famulis, cum hero excommunicato communicandi facultatem ipsis concessam non esse intelligendam, nisi pro iis, qui ante latam excommunicationis sententiam ipsius famulatui erant addicti; non vero pro iis, qui postea ei adhæserunt: quod alia decretali ejusdem Papæ Innocentii III. ad doctores juris Canonici in universitate Bononiensi nititur: En ejus verba (*d*); *Ut igitur unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat, ambiguitatem hujusmodi aliter duximus absolvendam, quod cum quadam persona ... illis in quos lata fuerit excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio non tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium, teneantur; cum adhuc debitum duret, beneficio Canones id agente, a priore non sunt obnoxietate solutæ; sed ad familiare tenentur obsequium: & ita per consequens ad communionem tenentur, sine quo illud nequeunt exhibere*; quibus verbis constat, in servorum exceptione a Papa eos tantum comprehendi, qui se heri sui nondum excommunicati servitio addixerant; non vero eos, qui post latam sententiam ejusdem famulatum contraxerant.

(*d*) Idem in cap. Inter. 31. eod. tit.

Hæc sunt potissimum, quæ dicturi eramus de uxore, liberis, ac famulis hominis excommunicati. Hanc autem facultatem fratribus, sororibus, avunculis, aliisve parentibus esse concessam affirmari non potest, cum istos a regula generali nullus Canon excipiat; ac proinde eosdem per solam Episcopi licentiam de peccato excusari posse.

CASUS XXXII.

ARISTIPPUS, Cliens domini, qui ex sententia officialis ob crimen publicum & scandalosum excommunicatus est denuntiatus, postulat, utrum tuta conscientia, & absque minoris excommunicationis reatu, domino illi obtemperare queat, qui eam secum pro jure suo ad bellum vult ducere?

RESPONS.

Certum est, Aristippum absque reatu minoris excommunicationis dominum suum ad bellum sequi posse, eique in omnibus, quæ ad suum pertinent officium parere. Ratio est, quia Ecclesia talem hominem privare nequit jure, quod obtinet, exigendi servitia a subditis suis, quales sunt ipsius uxor, pueri, servi, clientes & milites. Ita docet Paludanus his verbis (*e*): *De vassallo videtur, quod dominum sequendo, sicut prius, Lege subjectionis excusatur: immo tenetur .... non enim eo ipso, quo excommunicatus est, solutum est juramentum fidelitatis: alias post absolutionem faciendum esset de novo juramentum .... Sic vassallus debitor servitii, si dominus justo bello indiget, debet eum sequi.* Ex quibus verbis manifestum fit, Aristippum non solum posse, sed etiam sub peccato teneri sequi dominum suum.

(*e*) Paludan. in 4. dist. 8. q. 6. art. 2.

CASUS XXXIII.

LUDOVICUS, Sacerdos potest ne licite pro Patre publice excommunicato denuntiato singulis diebus, uti facit, orare?

RESPONSIO.

Ludovicus pro Patre suo, quamvis excommunicato potest orare. Nam si pro infidelibus oratur, quamvis inutiliter, nisi ad christianam fidem convertantur, inquit sanctus Thomas (*f*): ita quamvis pro excommunicatis publicas Ecclesia non fundat preces, excepta feria sexta Parasceves, qua quasdam collectas pro hæreticis & schismaticis, qui censentur inter excommunicatos, recitat; privata tamen persona clam pro istis orare potest, non quidem uti pro fidelibus, qui sunt Ecclesiæ membra, sed pro iis, quatenus sunt Ecclesiæ membra avulsa, ut nimirum pœnitentiæ spiritum a Deo obtineant, atque Ecclesiæ possint reconciliari per conversionem suam. *Pro infidelibus oratur*, inquit sanctus Thomas; *Sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter & pro excommunicatis orari potest; quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.* Et paullo post: *nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.*

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 1. ad 1. & 2.

Omnino consentit hæc sententia cum doctrina sancti Augustini (*g*), qui asserit, quod *Nec illius ipsius, qui de medio fratrum tollitur, debet negligi salus: sed ita agendum est, ut ei talis vindicta sit utilis: & agendum & voto & precibus, si corrigi objurgationibus non potest.* Ita loquitur sanctus Doctor, ex cujus verbis facile colligitur, Ludovicum non modo pro conversione patris sui diebus singulis posse orare, sed ad id etiam districte præcepto caritatis teneri, & eum ad hanc obtinendam tacite sacrificium Missæ Deo posse offerre. *Privatim autem potest quilibet fidelis Deum precari pro quolibet excommunicato, etiam minime tolerato*; inquit Cabassutius (*h*): *Immo Sacerdos quilibet ad altare potest orare pro excommunicatis sive vivis, sive defunctis, in secretis & particularibus commemorationibus, quæ fiunt in Canone.* Et paullo post: *quamvis autem sacrum faciens gerat publicam nomine totius Ecclesiæ personam, non tamen exuit omnino privatam personam; & ut talis potest mentaliter, si-*

(*g*) S. August. contra Epist. Parmenian. l. 3. c. 2. seu n. 3.

(*h*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 3. c. 12. n. 1. & 3.

ve

sive in memento, sive in aliis Missæ partibus orare pro excommunicatis, tam vitandis, quam toleratis (a).

(a) Item Avil. 4. part. disput. 1. conclus. 2. Navar. manual. c. 27. num. 36. & alii plures.

CASUS XXXIV.

Cum Horatius, agricola, nominatim excommunicatus ab Ecclesiastico Judice fuisset declaratus, eumque Lucianus, Parochus ejus ad pœnitentiam, sed frustra, hortatus fuisset, ut Ecclesiæ posset reconciliari; dictus Parochus ad suam pertinere caritatem existimavit, ut in concione miserandum illius obdurati hominis statum suis parochianis patefaceret, eosque rogavit demississime, ut juxta intentionem suam uno jejunare die, eleemosynas quasdam facere, nec non beatæ Virginis Litanias vellent recitare, quod a multis accurate confectum est. 1. Numquid in ea re suo functus est officio Parochus neque in regulas Ecclesiæ deliquit? 2. Potestne utilis esse huic excommunicato applicatio orationum aliorumque bonorum operum facta a parochianis?

RESPONS.

Antequam afferatur responsio, scitu necesse est 1. bona fidelium opera in Ecclesiæ communione existentium non solum sibi privatim esse utilia, sed toti etiam fidelium generatim communitati.

2. Hominem, ubi primum excommunicatus est denuntiatus, statim privatum fieri participatione precum, quæ publice fiunt in Ecclesia.

Quo supposito dicimus 1. hominem nominatim excommunicatum, qualis est Horatius, omnino carere subsidio publicarum Ecclesiæ precum, nec non gratiarum omnium, quas fidelibus confert, ne ipsa quidem Sacramentorum participatione & Missæ sacrificio aliisque divinis officiis assistentia excepta (b): & ob eam caussam non vult, ut pro eo preces fundantur, prius quam absolutus fuerit, ut re vera debet absolvi, si sincere pœnitens obierit. *Quantumcumque se quis juramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit*, inquit Innocentius III. (c), ad Abbatem Sancti Andreæ scribens: *Quantumcumque pœnitentiæ signa præcesserint; si tamen morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur ...... quem non contemtus religionis, sed necessitatis articulus impedivit.* Idem etiam asserit hic Papa in Decretali ad Archiepiscopum Strigoniensem (d).

(b) Innoc. III. in c. illud. 5. de Clerico excommunicato, &c. ministrante. Bonifac. VIII. in c. *Episcoporum*. 8. de privilegiis in 6. Clem. V. in Clement. *Gravis*. 2. de Simonia. lib. 1. tit. 10.

(c) Innoc. III. in c. *A nobis*. 28. de sent. excom.

(d) Idem in c. *Sacris*. 38. eod. tit.

Ista gratiarum privatio pro excommunicatis jam in usu erat temporibus sancti Cypriani, per quem non licuit, ut pro Victore sacrificium offerretur, aut ullæ funderentur preces, quod moriens tutorem appellasset Sacerdotem, nomine Faustinum, contra præscriptum Africani Concilii (e). Qua severitate in excommunicatum utens Ecclesia, divinam aliquatenus imitatur agendi rationem, inquit sanctus Thomas (f): *In quantum enim etiam a communione fidelium separat ut erubescat, imitatur divinum judicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem se ipsum cognoscens ad Deum redeat.*

(e) S. Cyprian. Epist. 66.

(f) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. qu. 2. in corp.

Forsan objiciet quispiam Ecclesiam feria sexta Parasceves, orare non solum pro hæreticis & schismaticis, pro certo excommunicatis, sed etiam pro infidelibus & paganis, qui non sunt ex ejus membris. Verum hæc objectio, ne dum infirmet, ut potius hactenus dicta de excommunicatis confirmat. Licet enim die illa oret Ecclesia pro hæreticis & schismaticis generatim, uti pro infidelibus & paganis, ut Christi sequatur vestigia, qui cruci affixus, pro persecutoribus suis & inimicis oravit: Nullum subest exemplum, quo pateat eam publicas communesque fudisse preces pro iis, qui ab ipsius communione sunt avulsi ex juridica sententia, dum terribili ista fuere innodati censura, donec a Superiore legitimo absoluti ad suam redierint communionem. Ex quo patet evidenter, acerbius eam excommunicatos habere, quam hæreticos generatim aliosque, de quibus dictum est.

2. Verum est tamen, quod licet Ecclesia nominatim excommunicatos tam dure excipiat, fidelibus tamen non interdicit, ne pro iis suas privatim fundant preces, easque per intentionem pro excommunicatis dirigant, ad obtinendam eorum conversionem & ad Ecclesiæ matris gremium reversionem. *Fructum* (communis Ecclesiæ) *non participant, quamdiu in excommunicatione manent*, ait sanctus Thomas (g), *sed oratur, ut detur eis tempus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur*. Et paullo inferius (h): *Suffragia Ecclesiæ eis non prosunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesiæ oratio pro eis inter membra Ecclesiæ fieri potest, quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere*. Unde colligendum est, Pastoris zelo incensi officio functum esse Lucianum, non Horatii dumtaxat parentes, sed & omnes parœcianos suos hortando, ut privatis suis precibus errantis ovis reditum ad Ecclesiæ ovile Deum rogarent. Quod docent præclara ista sancti Bernardi verba (i): *Absit a nobis, ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus*. Hac autem potissimum rationem quisque ad orandum pro peccatore debet induci: *quoniam*, ut ait sanctus Augustinus (K), *de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum; nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur*.

(g) S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. ad 1.

(h) Ibid. ad 2.

(i) S. Bern. de grad. humil. c. 22.

(k) S. Aug. l. 1. retract. c. 19. n. 7.

CASUS XXXV.

Scævola, qui in excommunicationem incurrit, ob crimen a se admissum, de quo in judicium vocatus falsis probationibus se se purgavit, quærit, utrum necesse sit, ut ad Apostolicam sedem recurrat pro obtinenda absolutione sua, ex his verbis: *Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*, quibus absolutionem ab hujusmodi censuris Tridentinum (l) Papæ reservat?

(l) Idem sess. 24. de reform. c. 6.

RESPONS.

Non requiritur recursus ad Papam, ut in proposito casu de excommunicatione Scævola absolvatur, licet falsis probationibus de ea se se purgaverit, & sufficit ut Episcopum adeat. Ita sentit peritus Canonista (m), qui asserit, se in hoc communem sequi opinionem. En ejus verba: *Si in foro contentioso reus ipse delicti se falsis etiam asseverationibus aut probationibus sufficienter purgaverit, poterit etiam per Episcopum aut ejus delegatum absolvi; & est communis Doctorum assensio*. Ejus autem rei hæc afferri potest ratio, quod, cum reus de illata sibi accusatione in foro externo purgavit, eumque Judex insontem declaravit, talis haberi debet coram hominibus, licet coram Deo sit reus; & postea crimen ejus in foro interno, ut occultum dumtaxat est considerandum.

(m) Joan. Cabassutius cit. lib. 5 c. 14. n. 1.

CASUS XXXVI.

Hercules, sancti Fortunati Parochus, unum e suis parœcianis excommunicatum denuntiatum, qui sacro adesse volebat, die quadam Paschatis in Ecclesia perspiciens, cum ipsum ad exeundum cogere non potuisset, æquum non esse existimavit, ut propter unius dumtaxat inobedientiam, a celebratione Missæ abstinere teneretur, quia aliter omnes Parœciæ incolæ nec Missæ adesse, nec Paschali suæ communioni satisfacere potuissent, ad quam plerique erant dispositi: quocirca celebravit. Potuitne tali modo se gerere absque ullius vel peccati mortalis vel censuræ reatu?

RESPONS.

Coram parœciano suo nominatim excommunicato Parochus ille celebrare non potuit, nisi in re maximi momenti Ecclesiæ morem non gerendo: ac proinde factus est mortalis conscius peccati: cui annexa est excommunicatio minor, quod cum eo communicaverit *in divinis*: cui etiam addendum est, ipsum fuisse interdictum *ab ingressu Ecclesiæ*, ut patet ex constitutione Bonifacii VIII. (n) in sexto De-

(n) Bonif. VIII. in cap. *Episcoporum*. 8. de privilegiis in 6.

Decretalium his verbis relata: *Præsenti Decreto duximus statuendum, ne aliqui seculares aut regulares .... excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia, seu Ecclesiastica sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra præsumserint, præter alias pœnas a Jure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum: donec de transgressione hujusmodi, ad arbitrium ejus cujus sententiam contemserunt, sat fecerint competenter:* quod intelligitur de his regionibus, in quibus admittitur ista constitutio. Quod cum ita sit, sequenti die celebrare, nec alias ordinum suorum functiones obire potuit, nisi post præmissam absolutionem, quin in irregularitatem incurreret; non quod eas exercuisset minori excommunicatione ligatus, cum ex infractione hujus censuræ nulla incurratur irregularitas, ut declarat Gregorius IX. (*a*), sed quia interdictum violavit, cujus factus est conscius. Silvius istam admittit decisionem; nam proposita sibi ista quæstione: *Si excommunicatus ingrediatur Ecclesiam ad orandum, quid facient præsentes?* respondet, quod qui sunt in Ecclesia *exire debent, nisi* (excommunicatus) *persuasionibus, minis, aut vi cogatur ipse egredi; cessandum est etiam a divinis officiis, & Missa cœpta abrumpenda, si est ante Canonem. Si autem Canon sit inceptus, ea cum uno Ministro perficienda* (*b*). Idem docet Silvester (*c*) una cum Cabassutio (*d*), qui de ea quæstione ita mentem suam aperit: *Quisquis enim scienter Missam, aliave Ecclesiastica officia celebrat coram excommunicato evitando, peccat mortaliter, simulque ligatur excommunicatione minori, quisquis scienter interest Missis aut divinis officiis, præsente illo sive Clericus sit, sive Laicus. Eam enim decrevere pœnam prisci Canones contra quoscumque participantes .... Si ergo inchoata jam Missa, advenias noto ius aut nominatim denuntiatus excommunicatus, monendus est, ut inde exeat: si parere recuset, vi ejiciendus est, quamvis esset Sacerdos. Sed si ejici non potest; tunc distinguendum est ita: vel Sacerdos inchoavit Canonem Missæ, vel non: si non inchoavit, debet a cœpta Missa desistere & in sacristiam redire: si vero jam Canonem inchoavit, debet prosequi reliquam usque ad communionem inclusive; & iis, quæ sequuntur prætermissis, ad sacristiam redire, ubi prætermissa supplebit ... Hæc docent unanimes omnes, nemine contradicente, auctores.*

(*a*) Greg. IX. in cap. Si celebrat fin. de cleric. excom. mur. deposito. vel interd. ministrant. (lib. 5. tit. 27.)

(*b*) Silvius in supplem. S. Th. q. 23. art. 3.

(*c*) Silvester. v. Excommunicatio. 5. n. 3.

(*d*) Cabass. l. 5. c. 12. n. 2.

CASUS XXXVII.

Si Hercules Missam inchoasset, cum novit excommunicatum denuntiatum esse in Ecclesia; potuisset ne eam perficere, si exire forsan is recusasset, aut etiam vi expelli non potuisset, vel expellere eum non essent ausi? Si vesperas aut aliud quod divinum officium jam inchoasset, quid ipsi facto opus fuisset?

RESPONS.

Distinguendum est; nam si ante cœptum canonem advertisset Hercules, adesse hunc hominem excommunicatum, ex altari debuisset recedere absolute, atque sacrosanctum abrumpere sacrificium: sed si canonem jam inchoasset, Missam prosequi ad communionem inclusive potuisset (*e*), ut in superiori decisione diximus, qua peracta in sacristiam recedere debuisset ad reliqua supplenda. Quod ad cetera pertinet divina officia, uti ad matutinum aut vesperas, eadem exemplo abrumpere debuisset, donec ab Ecclesia egressus fuisset excommunicatus (*f*).

(*e*) Gloss in Clement. Gravis. le sent. excomm v. Inexpleta.

(*f*) Colloq. Lucon. tom 7. colloq. 20. q. 3. Juchin. tract. de censur. Colloq. Andegav. mensis Junii 1712. q. 1.

CASUS XXXVIII.

Medulfus, Missam celebrans monitus est, Paullum nominatim excommunicatum huic adesse, quamvis extra Ecclesiam ad ostium staret. Debet ne Sacerdos ab Altari recedere, si forte is abire recuset?

RESPONS.

Innocentius IV. in suo in Decretales commentario (*g*), existimat, quod si Missæ canonem nondum inchoaverit Sacerdos, in hoc casu ab Altari recedere debet: sed si inchoaverit eumdem canonem, Missam in Altari perficere debet conformiter ad statutum canonis septimi Concilii Toletani (*h*). En verba hujusce summi Pontificis (*i*): *Nullo modo debemus orare, ubi excommunicatus orat, quia videmur sibi communicare, cum eumdem Deum simul pro eodem, scilicet pro populo Christiano, rogemus; unde etiamsi sit excommunicatus extra Ecclesiam, & audiat Missam, statim Sacerdos debet cessare, & alii orantes recedere, nisi forte incepisset canonem Missæ: quia tunc debet ibidem Missam perficere.*

(*g*) Innoc. IV. in c. Nuper. 29. n. 5 v. Orando. de sent. excom.

(*h*) Concil. Tolet. 7. in can. Nihil. 167. q. 1.

(*i*) Innoc. IV. in d. c. Nuper. n. 3.

Quod si quæratur, utrum Sacerdos Missam celebrans teneatur ab Altari recedere ante canonem, si in Ecclesia non sit excommunicatus ad orandum, sed ob aliquod aliud negotium v. g. ad efficiendam ex arte sua rem quampiam; existimant nonnulli Canonistæ, non teneri Sacerdotem ad cessandum a sacrosancto Missæ sacrificio, cum excommunicatus non est in Ecclesia ad audienda officia divina. *Nota*, inquit Innocentius IV. (*k*) *excommunicatos posse ingredi Ecclesiam, dummodo non audiant officium. Item si in Ecclesia esset excommunicatus, non caussa orandi, sed pro alio suo negotio; non video quare in eadem Ecclesia orare non possim, quia sibi non communico, quia non orat.* Ita loquitur hic Summus Pontifex (*l*): & Archidiaconus (*m*), Ancharanus (*n*) & Cardinalis (*o*) Innocentii IV. sequuntur opinionem. Attamen in jure de eo nihil dicitur; & Innocentius III. (*p*) in sua ad Episcopum Ferrariensem Decretali excommunicatis tantum concedit, ut in Ecclesiam ingrediantur, verbi divini audiendi caussa, quo melius sua norint officia, & suam pœnitentia reconciliationem quærant cum Ecclesia, e cujus gremio eos sejunxit excommunicatio. Sed extra hunc casum absolute ab ingressu Ecclesiæ interdicunt, juxta sententiam sancti Raymundi (*q*), Goffredi (*r*), Astensis (*s*), & Hostiensis (*t*), qui dicit: *Dispensatur enim in hoc casu propter favorem animarum: & ita possunt intrare Ecclesiam: verbo tamen finito, statim exeant & fugiant; quia nec licet eis divina audire, ut notatur in cap. Quod in te.*

(*k*) Idem in cap. Responso. 43. de sent. excom.

(*l*) Idem in c. Nuper. n. 3.

(*m*) Archid. in c. Sicut Apostoli. n. 2. vers. Sic intelligit.

(*n*) Anchar. in c. Responso 43. de sent. excom. n. 2.

(*o*) Cardinal. n. 2. ibid.

(*p*) Innoc. III. in d. c. Responso.

(*q*) S. Raymund. in Sum. lib. 3. de sent. excom. p. 421. §. Sed numquid.

(*r*) Goffred. in d. c. Responso.

(*s*) Astensis. tit. de damn. excom. v. Item Ecclesiam.

(*t*) Hostiensis in eod. cap. Responso. n. 8.

Joannes Andreas (*u*) expressius etiam, quam Hostiensis, id ipsum docet, ut Marianus Socinus (*x*), qui contendunt ingressum in Ecclesiam excommunicato tantum esse licitum in casu, quem jus exprimit, & quem modo designavimus.

(*u*) Joan. Andr. in cit. cap. Nuper. v. §. 1. Orando. n. 5.

(*x*) Marianus Socinus in c. Sacris. de sent. excom. non principali articolo. dub. 17. n. 134. & seqq.

Fagnanus etiam (*y*), secundam hanc opinionem tuetur, ut juri regulisque in eo constitutis magis consentaneam. *Ego adhæreo huic secundæ opinioni.* Prima ejus ratio hæc est, quia, cum fideles sint membra Ecclesiæ, & ab ea avellantur excommunicati; par est etiam ut e loco excludantur, ubi communis sit Religionis exercitatio. Altera, quam a Felino mutuatur (*z*), ratio est, quia *excommunicationis gladius nervus est Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris: ac, si contemnatur, perniciem potius pariat quam salutem, ut legitur in c. 3. sess. 25. Conc. Trident Per hoc autem quod excommunicatus excluditur ab Ecclesia, censura magis formidatur.* Ex hac ratione tutiorem hanc Boic existimat sententiam (*aa*).

(*y*) Fagnan. in d. c. Responso. n. 8. & seqq.

(*z*) Felinus in d. c. Responso. ibid.

(*aa*) Boic. in d. c. Responso circa med.

Ceterum, quæ hactenus diximus, de iis tantum debent intelligi, qui excommunicatione majori sunt innodati. Atque secundum hanc sententiam in casu proposito Medulfus suam debet instituere agendi rationem.

CASUS XXXIX.

Henricus, sanctæ Mariæ Parochus, die Dominica sacram habens ante Vesperas ad populum concionem, hominem vidit, quem excommunicatum nominatim noverat. Numquid ejus potuit præsentiam in cœtu fidelium tolerare, atque concionem suam finire, quin censeatur cum illo *in divinis* communicasse?

Ra-

RESPONS.

Parochus iste coram homine illo excommunicato prædicare potuit. Ratio est, quia, licet excommunicatus publice & nominatim denuntiatus divinis non possit adesse Officiis, *non tamen excluditur ab auditione prædicationis verbi Dei*, inquit Cabassutius (*a*), *at per eam compungi & converti possit*. Quod probat hic Canonista ex antiquo Ecclesiæ usu, juxta quem a conventu fidelium ad auditionem Missæ congregatorum non excludebantur Gentiles, neque Judæi, neque hæretici nisi tempore offertorii, hoc est, post decantatum Evangelium & prædicatione expositum, ut patet ex quarto Carthaginensi Concilio, quod refert Gratianus (*b*), cujus tale est Decretum: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum*. Et quidem aliter agens Ecclesia peccatorem ab emendatione morum averteret, efficacissimum ei demendo medium, quo pœnitentia ad Deum possit reverti: quod absque errore defendi nequit, cum id per excommunicationem præcipue intendat, ut hoc supplicio peccatoris conversionem procuret. Hinc in ultimo generali Concilio declaravit, se nolle, ut in articulo mortis aliqua vel culpa vel censura reservaretur; *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat* (*c*). Hine etiam ex sancto Antonino (*d*), a prædicatione verbi Divini hæreticus, licet excommunicatus, non debet excludi.

(*a*) Cabassut. supra cit. l. 5. cap. 12. n. 5.

(*b*) Concil. Carthag. IV. in can. *Episcopus*, 67 de consecr. dist. 1.

(*c*) Concil. Trid. sess. 14. c. 7.

(*d*) S. Anton. 3. part. tit. 23. c. 5.

Consentit penitus hæc decisio cum responsione Innocentii III. ad Episcopum Ferrariensem in simili argumento facta; qua sic constituitur (*e*): *Postulas edoceri, an cum Ferrarienses cives excommunicationis & interdicti sententiis sint ligati, liceat tibi viros & mulieres semel in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam convocare, quibus prædices verbum Dei, & eosdem ad correctionem inducas. Super quod respondemus, quod sine scrupulo conscientiæ hoc facere poteris ... dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum Officium celebretur*.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Respons*. 43. de sent. excom. &c.

CASUS XL.

Juoas ex sententia juridica fuit excommunicatus: Verum a multis, etiam peritissimis invalida reputatur lata in eum sententia. Numquid omnis cum eo homine sub peccato mortali abjicienda est in spiritualibus communio, dum subsistit tale dubium?

RESPONS.

Sanctus Thomas (*f*), similem discutiens difficultatem, asserit, hominem, qui habetur excommunicatus, nondum esse vitandum, cum eum talem non declaravit Judex Ecclesiæ, & dubium est legitimum nixum sententia peritorum, qui eum non esse excommunicatum affirmant: *Sed si ambiguum oriatur post concordem Judicum determinationem*, addit Angelicus Doctor, *magis standum sententiæ Judicum duplici ratione. Primo quidem, quia Judices solliciti discutientes negotium, plenius possunt percipere veritatem, etiamsi sint minus periti, quam alii, qui perfunctorie constituuntur & extraordinarie. 2. Quia hoc esset in magnum nocumentum utilitatis communis status hominum, si sententiæ non staretur, sed quilibet pro suo libito vellet sententiæ calumniam ingerere: quia sic litigia essent interminabilia; & ideo in tali casu magis est standum sententiæ Judicum, nisi forte sit per appellationem*. Dicendum itaque juxta decisionem Doctoris Angelici, Judam habendum esse in casu proposito tamquam excommunicatum, quidquid in contrarium privati quidam sentiant, qui ipsius excommunicationem invalidam reputant, & consequenter cum eo in spiritualibus absque reatu peccati mortalis communicari non posse, & in aliis illicitis absque veniali.

(*f*) S. Thom. quodlib. 4. art. 24. in corp.

CASUS XLI.

Nebridius, amicissimus Alexandro, quem nominatim excommunicatum & palam denuntiatum noverat, absque ulla legitima caussa eum illo communicavit. Num ex eo incidit in excommunicationem, ac fieri potest, ut in aliquo casu illa excommunicatio sit major?

RESPONS.

Ad istam difficultatem respondemus, quod, si lata in Alexandrum excommunicationis sententia, omnes etiam cum eo communicantes complectatur, Nebridius ex sua cum illo communione procul dubio excommunicationem incurrit, cum, ut supponitur, sic ferat sententia. Sed si excommunicatio in reum absque ulla de aliis mentione simpliciter lata fuerit; Nebridius excommunicationem dumtaxat minorem incurrit, nisi forte cum Alexandro communicaverit in crimine, cujus gratia ia fuit excommunicatus, seu ei favendo, seu prave consulendo; quo in casu majorem pro certo incurrisset excommunicationem, ut declarat Gregorius IX. in una Decretali, quam refert summa Juris Canonici (*g*).

(*g*) Greg. IX. in cap. *Si concubinæ*. 15. de sent. excom. &c.

Difficultatem istam sic solvit Angelicus Doctor his verbis (*h*): *Excommunicatio*, inquit, *potest inferri in aliquem dupliciter: aut ita quod sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus, & tunc non est dubium, quod quicumque participat ei, est excommunicatus majori excommunicatione: aut est excommunicatus simpliciter, & tunc, aut participat aliquis ei in crimine, præbendo ei consilium & auxilium & favorem, & sic iterum est excommunicatus majori excommunicatione: aut participat in aliis, sicut in verbo, vel osculo, vel mensa; & sic est excommunicatus minori excommunicatione*.

(*h*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.

CASUS XLII.

Si Nebridius minorem tantum incurrit excommunicationem cum Alexandro communicans; 1. peccavitne tamen mortaliter, quod ipsum salutaverit, ac multoties in occursu allocutus fuerit absque necessitate, præsertim cum de ea re increparit eum Parochus, atque ejus testibus scandalum præbuerit? 2. An de omni peccato excusaretur, si hanc ab Episcopo suo licentiam obtinuisset?

RESPONS.

Ad primum quæsitum respondemus, quod regulariter loquendo, communicando cum excommunicato in casu proposito peccatur tantum venialiter, sed tamen quod peccatum aliquoties fieri potest mortale, ut eveniret, si talis communicatio fieret in contemptum formalem regularum Ecclesiæ, aut notabilis præberetur scandali occasio fidelibus, id ipsum noscentibus. Id constat ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum Strigoniensem (*i*), in qua vult hic Summus Pontifex, ut anathemate percellantur inobedientes, qui cum Ecclesiæ contemptu, & spretis salutaribus monitis cum excommunicatis temere communicant. *Nullus autem scienter nominatim excommunicato communicare tenetur*, inquit hic Papa, *nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorii Papæ capitulum*, quoniam multos (*K*), *specialiter excusantur. Illi autem qui nominatim excommunicatis præsumptuose participant præter personas dicto Canone advocatas, nisi ab eorum participatione commoniti forte destiterint, excommunicationis vinculo sunt innodandi*. Unde ergo sequitur, in hoc casu peccatum esse mortale; cum ob minus peccatum infligi nequeat excommunicatio major. Ita quoque docet sanctus Thomas (*l*), his verbis: *Quamvis participare excommunicato sit peccatum veniale; tamen participare ei pertinaciter, est peccatum mortale: & per hoc potest aliquis excommunicari secundum jura*.

(*i*) Innoc. III. in c. *Quod in dubiis*. 30. de sent. excommunic. &c.

(*k*) Greg. VII. in can. *Quoniam*. caus. 11. q. 3.

(*l*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. q. 3. ad 4.

Colligimus ergo, 1. cum Nebridius cum Alexandro absque necessitate communicaverit, eum pro certo peccasse. 2. Cum peccato suo pertinaciam, pastorisque sui monitorum contemptum addiderit, eum, ut dici potest, mortaliter peccasse: quod eo magis consonum veritati nobis videtur, quia ista agendi ratione notabile præbuerit ejus testibus scandalum.

Ad

Ad secundum quesitum dicimus, quod, si ab Episcopo suo licentiam obtinuerit cum Alexaodro communicaodi, fieri potest, ut ex bona sua fide fuerit excusatus *a tanto*, licet non *a toto* peccato; cum talem facultatem concedere nequeat Episcopus: quia jure communi, de quo is, cum ei sit subditus, ut cæteri fideles, dispensare nequit, constituta fuerit excommunicatio minor.

CASUS XLIII.

Macrobius, suo obvius avunculo, quem nominatim noverat esse excommunicatum, ab ejus salutatione, & etiam urbana comique allocutione abstinere non ausus est, licet notum sibi esset in hoc esse peccatum. Numquid in prima sua confessione peccatum illud, quamvis tantum veniale, declarare absolute tenetur?

RESPONS.

Quamquam venialia peccata non sint necessaria Sacramenti pœnitentiæ materia, quorum proinde omissio iovalidam non efficit confessionem; certum est tamen, Macrobium in casu proposito teneri ad confitendum peccatum illud veniale. Ratio est, quia pœnitens, quicumque is sit, non est capax absolutionis, dum aliqua ligatur censura, & donec Confessarius cui ista competit potestas, illum de tali censura absolverit.

Minor autem excommunicatio, licet majore effectibus suis minus sit formidanda, vera tamen est Ecclesiastica censura, quæ ex Gregorio XI. (a) ligatum privat 1. passiva Sacramentorum participatione, quæ ideo sine gravi offensa, nondum de ea absolutis, suscipere nequit. 2. Jure licitæ saltem electionis, aut præsentationis ad beneficium: cum talis electio vel præsentatio a judice invalidari possit. Qui pleniorem requirent notitiam de hac specie excommunicationis, Gratiani Decretum possunt adire in novemdecim Canonibus ad marginem indicatis (b). Necesse est igitur, ut qui a suis cupit absolvi peccatis, eam prius declaret, confitendo peccatum, cui annexa est. Ita sentit Author colloquiorum Andegavensium (c).

(a) Greg. IX. in c. Si *celebrat.* 10. de Clerico excommunicato, &c.

(b) Can. 3. 7. 10. 18. 19. 20. 24. 25. 29. 28. 38. ina. 103. 104. 105. & 110. 211. 4. 3. Innoc. III. in c. nuper. 25. & in c. quod in dubiis. 30. de sent. Excommunic.

(c) Colloq. Andeg. mensis maji. 1712. q. 3.

Ceterum cum hæc censura a jure non sit reservata, de ea potest absolvere quilibet Sacerdos ab Episcopo admissus, ut declarat Innocentius III. in sua Decretali ad Episcopum VVratislaviensem scripta (d): *Quia conditor .... Canonis*, inquit, *ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit*.

(d) Innoc. III. in cit. c. *Nuper*.

Si tamen Sacerdos excommunicatione minori esset ligatus, quod Sacramentum excommunicato denuntiato administrasset, præterquam quod mortaliter deliquisset, *ipso facto* interdictus quoque fieret *ab ingressu Ecclesiæ*, nec posset in integrum restitui, nisi post factam convenientem satisfactionem *ad arbitriam Prælati excommunicatoris*, ut declarat Bonifacius VIII. (e) his verbis: *Qui vero coutra præsampserint, præter alias pœnas a jare statutas, ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de traasgressione hajusmodi, ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt satisfeceriat competenter*.

(e) Bonif. VIII. in cap. *Episcoporum*. 8. de privilegiis in 6°. lib. 3. tit. 7.

CASUS XLIV.

Pysander, Lutetiæ Parisiorum publice excommunicatus denuntiatus, Neapolim se recepit. Numquid Neapoli, uti Parisiis, est vitandus?

RESPONS.

Distinctione opus est, ut docet Paludanus (f), tam enim in publico, quam in occulto vitandus est is, qui noscitur excommunicatus denuntiatus; sed in publico non est vitandus, cum in loco versatur, ubi non cognoscitur uti publice excommunicatus. Inclytus hic Patriarcha Hierosolymitanus, expositis iis rebus, in quibus talis est vitandus juxta hæc duo carmina:

(f) Paludan. in 4. dist. 18. q. 6. art. 1. ict.

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Subjungit: *Et hoc verum est in publico, si est publicus; vel in occalto; si est occultus*. Et istud postea affert exemplum: *Unde illum qui est publice excommunicatus Parisiis, non debeo vitare Bononiæ in pablico, sed tautum in occulto, si ibi nesciatur; quia quod est publicum Parisiis, est occultum ibi*.

Præsupposita illa distinctione, respondemus, Pysandrum, cum Neapoli commoratar, ubi excommunicatio ejus non est publica, publice quoque non esse vitandum, ut si quis eum excommunicatum noscens, a publico conventu, cui is adesset, abstinere non teneretur; sed privatim ab eo est vitandus, ut v. g. in convivio, vel in privata oratione.

CASUS XLV.

Renobertus publice excommunicatus, a suis tum amicis, tum etiam propriis parentibus adeo derelictus est, ut ad extremam adigatur inopiam. Numquid ei potest erogari eleemosyna non fractis Ecclesiæ regulis, quæ omne cum excommunicatis prohibet commercium?

RESPONS.

Certum est, Reoberto dari posse eleemosynam in extrema, qua premi supponitur, inopia, intactis Ecclesiæ regulis & etiam sine omni prorsus peccato; immo vero eum peccaturum esse, qui necessarium ei recusaret subsidium in urgenti necessitate. Ratio est, qnia caritatis præceptum ad omnes omnino homines indistincte extenditur. *Suut etiam qaidam casus excepti*, inquit sanctus Thomas (g), *sicut ..... si aliquis videat excommunicatum iu necessitate: quia tanc ex præcepto caritatis teuetar ei providere*. Consentit hæc decisio cum sententia Gregorii VII. his verbis contenta (h): *Si quis excommanicatis, non in sustentationem saperbiæ, sed bumanitatis caussa, dare aliquid voluerit, non probibemus*.

(g) S. Thom. loco cit. quæstiunc. 2. in corp.

(h) Greg. VII. in can. *Quoniam*. 103. XI. 4. 3.

Ob eamdem rationem ab excommunicato recipi potest eleemosyna, ut declarat Gregorius IX. in quadam ex suis Decretalibus (i), ac præsertim cum recipiens urgenti premitur necessitate.

(i) Greg. IX. in cap. *Cum voluntate*. 54. §. 1. de sentent. excomm. &c.

CASUS XLVI.

Flavius, majori excommunicatione ligatus, Landericum, Sacerdotem ad confessionem dumtaxat admissum adit, ut ab excommunicatione sua solvatur. Potestne Landericus, saltem in quibusdam casibus, ipsum de sua absolvere censura?

RESPONS.

Quamquam juxta sanctum Thomam (K), *a minori excommanicatione quilibet potest absolvere, qai potest absolvere a peccato participationis*: Non idem tamen dicendum est de excommunicatione majori, cujus duplex est species, videlicet *ab homine*, hoc est, quæ a Judice seu Superiore Ecclesiastico profertur, & *a jure*, quæ ipso jure constituitur. Si sit *a jure*; Landericus, aut quilibet alius Sacerdos approbatus legitime de ea potest absolvere, nisi lege, qua fertur, Superiori expresse reservetur, aut eam specialiter sibi retinuerit Episcopus: Si vero sit *ab homine*; is solus, qui eam protulit, aut is, qui ab illo in eam rem mandatum accepit, aut io casu appellationis Superior de ea potest absolvere. *Si aatem major*, addit sanctus Thomas, *aut est lata a Jadice, & sic ille qui talit, vel ejas Saperior potest absolvere: vel lata a jure, & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos potest absolvere*.

(k) S. Thom. in 4. dist. 18 q. 2. art. 5. quæstiunc. 2. in corp.

Atque juxta regulas istas judicium est ferendum de potestate Landerici circa absolutionem, quam illum rogat Flavius.

Diximus de excommunicatione *a jure* quemlibet Sacerdotem absolvere posse, *nisi lege, qua fertur, Saperiori expresse reservetur*, hoc est Papæ: Sciendum quippe hanc reservatioaem in sex casibus, quos commemorat sanctus Thomas, in jure reperiri, & etiam in aliis quibusdam, quos prætermisit Angelicus Doctor: *Exceptis* inquit, *sex casibus, quos sibi juris conditor, scilicet Papa, reservavit*.

Primus est, *cum aliquis injicit manus in Clericum vel Religiosam*. In Clericum scilicet, qui sit in *sacris* juxta consuetudinem Diœcesis Parisiensis, cen-

centum & plurium annorum possessione constitutam, quam ad solos Clericos qui sunt *in sacris* jus antiquum fuit restrictum, ut videre est ex statutis hujusce diœcesis anno 1608. & ex omnibus Ritualibus posterioribus in quibus hæc fertur restrictio. Ceterum primus hic casus intelligitur *non de gravi tantum, sed de enormi & atroci percussione Clerici sacri aut religiosi.*

Secundus *est de illo qui incendit Ecclesiam, & est denuntiatus.*

Tertius *est de illo qui frangit Ecclesiam, & denuntiatus est.*

Quartus *est de illo qui in divinis scienter communicat excommunicatis nominaliter a Papa.* Idem dicendum de illo, qui interdictum latum a Papa violavit.

Quintus *de illo qui falsat litteras Apostolicæ Sedis* (*a*). Ista reservatio non satis aperte in jure notatur; sed in quibusdam diœcesibus, ut Parisiensi, hæc reservatio Papæ ex consuetudine reservatur.

(*a*) Cap. *Ad falsariorum.* de crimine falsi.

Sextus denique casus, in quo absolutio excommunicationis *a jure* Apostolicæ Sedi reservatur, *est de illo, qui excommunicatis in crimine communicat. Non enim debet absolvi*, subjungit sanctus Doctor, *nisi ab eo qui excommunicavit, etiamsi non sit ejus subditus; nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum, absolveretur ab Episcopo, vel a proprio sacerdote, præstita juratoria cautione, quod pareret mandato illius Judicis qui tulit sententiam.*

Casibus istis addi debet casus simoniæ realis & completæ *ex utraque parte*, & confidentiæ, quando crimina illa evasere publica; nisi enim sint publica, aut ad forum contentiosum deducta, de iis absolvere potest Episcopus & de excommunicatione ipsis annexa, uti de ceteris de quibus hactenus. Id unum de simonia reali & confidentiali observandum, Episcopum videlicet non posse rehabilitare ad tenenda Beneficia, neque fructus condonare, sed a solo Papa hanc concedi posse gratiam.

Observat etiam idem Angelicus Doctor, primum casum octo admittere exceptiones. *A primo autem casu*, ait, *octo excipiuntur: Primus est in articulo mortis, in quo a quolibet excommunicatione potest quis a quolibet Sacerdote absolvi.*

Secundus: *Si sit ostiarius alicujus potentiæ, & non ex odio vel proposito percussit* (Clericum vel Religiosum): quæ exceptio reperitur in Decretali Alexandri III. ad Archiepiscopum Senonensem, (*b*) in qua asserit, quod percussor *ab Episcopo suo potest absolvi, nisi forte eamdem Clericum graviter vulneraverit*, inquit Papa.

(*b*) Alex. III. in cap. *Si vero* 3. de sent. excom. &c.

Tertius est: *Si percutiens sit mulier*, inquit sanctus Thomas; quod etiam designat Decretalis ejusdem Papæ Alexandri III. ad Episcopum Exuniensem scripta his verbis (*c*): *Mulieres vel aliæ personæ quæ sui juris non sunt, ab Episcopo diœcesano absolvi possunt, si manus in Clericum injecerint violentas.*

(*c*) Idem in c. *Mulieres* 6. eodem tit. Item Clemen. III. in cap. *Ea noscitur*, 13. ibidem.

Quartus: *Si sit servus*, pergit idem Angelicus Doctor, *& dominus læderetur de ejus absentia qui non est in culpa.*

Quintus: *Si Regularis Regularem, nisi sit enormis excessus.* Quæ exceptio etiam in Decretali Alexandri III. his verbis reperitur (*d*): *Monachi vero & Clerici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum providentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur.*

(*d*) Idem in c. *Monachi*. 2. eod. tit.

Sextus: *Si* Clerici vel Religiosi percussor sit *pauper*: Nam homo ad egestatem redactus legitime excusatur de recursu ad Papam juxta aliam ejusdem Alexandri III. Decretalem ad Episcopum Cenomanensem (*e*), in qua censetur hic Papa istam admittere exceptionem, cum generatim asserit: *Vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur.*

(*e*) Idem in c. *De cetero*. 11. eod. tit.

Septimus: *Si sit vel impubes, vel senex, vel valetudinarius.* Ita sanctus Thomas, idemque declarat Alexander III. ad Senonensem Episcopum scribens his verbis (*f*): *Si Clerici infra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.* Quacum consentit Clemens III. dicens (*g*): *Duximus respondendum, quod mulieres, & valetudinarii seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium communioni restitui.*

(*f*) Idem in c. *Super eo*. 6. eod. tit.

(*g*) Clement. III. in cap. *Ea noscitur*. 13. eit. 39.

Octavus denique de quo loquitur sanctus Thomas, est, *si habeat inimicitias capitales*, hoc est, inimicos capitales quibus occurrere vereatur. Quæ exceptio designatur quoque ab Alexandro III. (*h*) ut alias fere omnes includunt ista Gregorii IX. verba: (*i*) *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia aut inopia, puerili vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire.* Qua de re observandum est, juxta usum Galliæ, qui in hoc antiquo jure prævaluit, eum qui ab Episcopo, aut ejus delegato ad id specialiter, de censura pro qua ad Papam recurrere non poterat, absolutus est, jam absolute de hac censura esse solutum, nulla remanente ad Sedem Apostolicam recursus obligatione, licet postea desineret esse impedimentum.

(*h*) Alex. III in cap. *De cetero* cit.

(*i*) Greg. IX. in cap. *Quamvis*. 18. de sentent. excomunic.

Ad plenam propositæ difficultatis & passim obviarum enodationem, addemus insuper, septem esse casus in quibus ex violenta manuum in Clericum injectione non incurritur excommunicatio. *Sunt*, inquit Angelicus Doctor..... *alii casus septem, in quibus percutiens Clericum excommunicationem non incurrit.*

Primus: *Si causa disciplinæ, ut Magister vel Prælatus percusserit.*

Secundus: *Si jocosa levitate*: duo illi casus jure excipiuntur, ut patet ex laudata superius Alexandri III. Decretali, (*K*) in qua sic legitur: *Nec Clerici* (ad sedem Apostolicam mittendi sunt) *si sunt plenæ ætatis, & non odio vel invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa se invicem percutere contingat; neque magister si scholarem Clericum intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit, quia non potest in ipsis injectio manuum violenta notari.*

(*K*) Idem in cit. cap. *Super eo*.

Tertius: *Si invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, vel sorore, vel filia.* Qui casus etiam exprimitur ab eodem summo Pontifice in sua Decretali ad Archiepiscopum Senonensem (*l*). *Nec ille compellendus ad sedem Apostolicam venire*, hæc sunt verba hujusce Pontificis, *qui in Clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas.*

(*l*) Idem in cit. cap. *Si vero*. 3. eod. tit.

Quartus: *Si statim vim repellat.* Hunc quoque casum excipit modo laudatus Pontifex dicens (*m*): *Si vero Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat vel lædat, non debet propter hoc ad sedem Apostolicam transmitti, si incontinenti vim vi repellat: cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant.*

(*m*) Idem ibid.

Quintus: *Si ignoret esse Clericum*: quod declarat idem summus Pontifex scribens ad Episcopos Batuensem & Exoniensem (*n*), his verbis: *Si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam* (quod magis est) *excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit*, addit hic summus Pontifex.

(*n*) Idem in c. *Si vero aliquis*. eod. tit.

Sextus: *Si inveniat eum in Apostasia post trinam admonitionem.*

Septimus tandem: *Si se transfert Clericus*, inquit sanctus Thomas, *ad actum penitus contrarium: ut si fiat miles.* Fuse de ea re occasione præsentis difficultatis consulto egimus, ut unica responsione solverentur vel aliæ viginti, quæ possunt proponi.

CASUS XLVII.

Elisabeth in monasterium interius Religiosorum reformatorum diœcesis Burdigalensis ingressa est, quo ab Anselmo ejusdem conventus Religioso, avunculo suo intromissa est. Num ambo excommunicationem incurrerunt?

Respons.

Priusquam difficultati huic fiat satis, juvat observare 1. in toto juris Canonici corpore nullam exstare prohibitionem generalem pro mulieribus aut puellis, ne in monachorum monasteria ingre-

Ingrediantur, & ne quidem ex ulla Pontificum Bulla generatim & expresse constitui.

Verum quidem est, sanctum Pium V. ex una e Bullis suis (*a*) 23. Octobris anno 1566. lata hanc tulisse prohibitionem, sed pro mulieribus tantum & puellis, quæ vel invitis superioribus, & non sine laicorum scandalo ingrediebantur: *Ipsis etiam abbatibus, præpositis, prioribus, & aliis præsidentibus aliquando recusantibus & renitentibus, nec sine gravi laicorum offensione ac scandalo*: idque vi aut sub prætextu quorumdam indultorum quæ his verbis revocae hic sanctus Pontifex: *Omnes & singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ac domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumque regularium ordinum, etiam mendicantium, mulieribus cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis... etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis... concessas... tenore præsentium revocamus, & cassas, irritas & inanes esse decernimus*; addita etiam excommunicationis pœna: *Districte prohibentes*, inquit, *mulieribus quidem prædictas facultates & licentias prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna... ne dictas domos & monasteria ingredi audeant*; & pro Religiosis viris: *Sub privationis officiorum quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis a divinis* ipso facto, *sine alia declaratione incurrendis pœnis, ut eas introducere, admittereve præsumant.*

(*a*) S. Pius. V. in Bulla *Regularium*. 20. §. 1. & 3.

Gregorius XIII. vigesima octava Bulla sua (*b*) 13. Junii anno 1575. eamdem excommunicationis pœnam *ipso facto* sanctæ Sedi reservatam innovavit non solum pro mulieribus vel puellis quæ Monasteria ingrederentur sub prætextu cujuscumque licentiæ, sed etiam pro superioribus religiosis qui, vel quæ eas admitterent: *Abbatissis vero, nec non Abbatibus conventuum ac aliis monasteriorum utriusque sexus superioribus & personis, quocumque nomine vocentur, districte præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa & alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos & loca sua, quemquam prætextu hujusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant vel permittant.* Idem primum observatu dignum putavimus.

(*b*) Greg. XIII. in Bulla *Ubi gratiæ*. §. 2. 3. & 4.

2. Advertendum etiam ex Bullis S. Pii V. & Gregorii XIII. supponi generalem mulieribus & puellis ingrediendi hominum monasteria prohibitionem: alioquin ad ea ingrediendum, illæ de quibus loquuntur ambo Pontifices, ad ingressum licentia non indiguissent: unde mulieres illæ quæ facultates istas obtinuerant, ad aliarum statum fuerant revocatæ, atque adeo omnibus ingressus erat prohibitus. Quare asserunt nonnulli Auctores (*c*), non minus a mulieribus quæ nec habent licentiam, nec egere intendunt, non minus excommunicationem incurri, quam ab aliis, & a religiosis eas admittentibus privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad alia deinceps exercenda, suspensionem & excommunicationem. Quod tamen alii negant Doctores; quia, inquiunt, Bulla sancti Pii, facta *motu proprio*, quæ est de re odiosa ob pœnas quas continet, ultra proprios suos terminos extendi non debet, quibus exprimuntur mulieres illæ quæ re ipsa habebant, aut habere contendebant licentias seu privilegia in loca regularia hominum ingrediendi, non vero illæ quæ iis carebant.

(*c*) Navarro.

3. Advertendum est etiam, ex omnibus antiquorum Ordinum constitutionibus mulieribus prohibitum esse ingressum monasteriorum hominum, & religiosis viris eas admittendi facultatem, ut videre est in Regula Sanctorum Patrum, hoc est, Serapionis, Paphnutii, & utriusque Macarii (*d*), in Regula sancti Aureliani (*e*), & sancti Ferreoli (*f*) & in antiquis constitutionibus ordinis Cisterciensis, anno 1124. collectis (*g*): quam ob rem Abbas Monasterii Pontiniaci in generali capitulo anno 1205. pœnitentiæ subjectus est, quod in monasterium suum Galliæ Reginam, una cum sequacibus ejus Matronis admisisset, & in refectorio manducare, ac duabus noctibus in dormitorio cubare permisisset; & quamvis, rogantibus Rhemensi Archiepiscopo, ac nonnullis aliis Episcopis, Abbatis hujusce pœna fuisset mitigata, istam tamen jussus est pœnam subire: *Verum ne omnino impunita remaneat tanta præsumtio, extra stallum Abbatis maneat usque ad Pascha, nec celebret nisi de necessitate officii sui, & sex diebus sit in levi culpa, tribus scilicet diebus in Cistercio, & tribus in Pontiniaco, uno eorum in pane & aqua hinc inde* (*h*). Idem etiam interdictum legitur in collectione veterum hujusce Ordinis definitionum anno 1289. facta (*i*), uti in multis conciliis, ac præcipue Turonensi anno 567. habito sub pontificatu Julii III. cujus Decretum tale est (*K*): *Ut mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur; si Abbas in hac parte, aut præpositus negligens apparuerit; qui eam viderit & non statim ejecerit, excommunicetur.* In Antissiodorensi synodo, secundum nonnullos anno 590. & secundam alios anno 568. habita, cujus hæc sunt verba (*l*): *Quod si quis Abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit .... tribus mensibus in alio monasterio detrudatur, pane & aqua contentus*. Et in multis aliis conciliis sæculi decimi sexti, qualia sunt Trevirense anni 1349. Tertium & quartum Mediolanense; Cameracense an. 1565. Rhemense an. 1583. Turonense an. 1583. & Narbonense an. 1609. (*m*): quibus addi possunt constitutiones cleri Gallicani an. 1625. & 1643.

(*d*) Reg. SS. Patrum. cap. 4.
(*e*) C. 13.
(*f*) C. 4.
(*g*) C. 24.
(*h*) Monastic. Cisterciens.
(*i*) Dist. 3. c. 8.
(*K*) Conc. Turon. an. 567. can. 10.
(*l*) Synod Antissiodor. can. 26. (apud Binium. tom. 4. concil.)
(*m*) Concil. Trev. 2. c. *De Relig.* Monachis, & Monialibus. Conc. Camer. tit. de Monaster. Virorum, & Mulier. c. 8. Conc. Rhem. tit. de Regularibus & eorum Monasteriis §. 17. Conc. Turon. tit. de Monach. Conc. Narbon. tit. de Abbat. c. 13.

4. Denique præsupponendum 1. quod Religiosus qui mulierem in loca monasterii sui regularia intromittit, excommunicationem vel suspensionem *ipso jure* non incurrit, quia nullo Ecclesiæ generali vel etiam Pontificum interdicto, universim recepto hæc pœna constituitur; cum Bullæ sancti Pii, & Gregorii XIII. ubique non obligent, sed in iis dumtaxat regionibus, ubi promulgatæ fuerunt & acceptatæ; nec ultra naturalem terminorum suorum sensum extendi debeant; sed, ut dictum est, cum ad eas tantum mulieres pertineant, quæ spreta privilegiorum suorum revocatione hominum monasteria ingrediuntur, & ad religiosos qui eas introducunt, ut sustinent plures inclyti Theologi, quos laudat Doctor celeberrimus, qui & pleraque nobis suppeditat probationes quas attulimus, & cujus decisionem hac in re amplectimur. (*n*) 2. Quod si Concilium Turonense an. 1583. & tertium Mediolanense an. 1573. & quartum an. 1576. (*o*) Bullis sancti Pii & Gregorii XIII. mulieres omnes indistincte esse comprehensas intellexerint, & latas ab iis pœnas extenderint ad eas quæ neque habuissent, neque habere contendissent aliquam licentiam, uti ad illas quæ aliquo volebant frui privilegio; hinc solum inde sequitur, excommunicationem *ipso facto* ab iis tantum incurri quæ hominum monasteria, in his provinciis, & non alibi sita ingrediuntur.

(*n*) De Ste. Beuve, tom. 2. Cas 69. & Cas. 160.
(*o*) Conc. Mediol. III. tit. 20. Conc. Mediol. IV. 3. part. 22.

His igitur omnibus præsuppositis, ut propositæ difficultati respondeatur, dicendum, quod, licet Elisabeth peccaverit, excommunicationem tamen *ipso facto* non incurrit, quod in loca regularia ingressa fuerit conventus religiosorum Diœcesis Burdigalensis; nisi sub hac pœna a superiore legitimo aut Concilio Burdigalensis Provinciæ id prohibitum fuerit; & quod Anselmus ejus introductor, neque suspensione, neque alia canonica pœna ligatus est, nisi pœnæ illæ in hujusmodi casu fuerint constitutæ a Concilio provinciali Burdigalensi, aut capitulis generalibus Ordinis, aut statutis seu constitutionibus ejusdem Ordinis, aut aliquo statuto vel ordinatione Archiepiscopi ejusdem Diœcesis, aut denique a superiore regulari, legitima in hanc rem auctoritate munito. At si in hoc casu ob quamcumque ex his rationibus ista fuerit lata censura, censuram hanc *ipso facto* incurrit Elisabeth, uti Anselmus ejus introductor, si eadem in religiosos qui mulieres admittunt, pœna constituta fuerit, qui insuper aliis subjectus est pœnis Canonicis quas decrevere aut Concilium provinciæ, aut superior legitimus, aut denique regulæ, statuta, seu constitutiones Ordinis.

CASUS XLVIII.

FULVIA, Religiosa professa Ordinis reformati, status sui pertæsa, infracta Monasterii, in quo solemnia vota emiserat, clausura, apud Matronam nobilem, amicam suam se recepit. Nunc vero absolutionem & in conventum suum regressum postulat. Nunquid eam absolvere potest Episcopus Diœcesanus, an vero ad Papam recurrere tenetur?

Ratio dubitandi est 1. quia videntur Episcopi absolvere posse mulieres omnes de censuris Papæ reservatis, ut statuunt multæ Decretales (a), quarum nunnullis nominatim etiam comprehenduntur Religiosæ, quæ ob violentam manuum injectionem in alias Religiosas aut Clericos excommunicationem incurrerunt. 2. Quod casus particularis Clausuræ ex Bullis sancti Pii V. & Gregorii XIII. soli Papæ sit reservatus.

(a) Cap. *Mulieres*. 6. c. *Eo noscitur*. 15. & cap. *Quamvis*. 57. de senten. excomm. &c. lib. 5. tit. 39.

RESPONS.

Primo certum est, quod si Fulviæ crimen sit occultum, eam de peccato suo simul & de excommunicatione, quam incurrit, absque ullo ad Papam recursu absolvere potest Episcopus Diœcesanus, ut constat ex Decreto Concilii Tridentini (b), quod plenam Episcopis ab omnibus casibus & censuris occultis absolvendi potestatem concedit.

(b) Concil. Triden. sess. 24. c. 6. de reform.

Secundo Fulvia a suo potest absolvi Episcopo; licet publica sit ipsius apostasia. Hic est Galliæ usus, ubi Bullæ contrariæ, ut observat Cabassutius, non sunt receptæ: *Hoc tamen verum est*, inquit (c), *prævaluisse diuturnam in Regno Galliæ consuetudinem, ut per Episcopos absolvantur Moniales, hac censura ligatæ: non modo in Monasteriis Ordinario subditis, sed etiam in exemptis, quamvis violatio ista publica & notoria foret.*

(c) Joannes Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 24. n. 4.

Hanc sibi potestatem retinuere Ecclesiæ Gallicanæ Episcopi, fulti plena jurisdictione, quam jure obtinent in Monialium Clausuram, etiam exemptarum, ex constitutione Bonifacii VIII. in sexto relata (d), sed ex Concilio Tridentino (e): quibus accedit decima octava Gregorii XV. 5. Februar. 1622. Bulla, qua summus hic Pontifex hanc Episcopis asserit jurisdictionem, ipsis aliunde ex Episcopali dignitate sufficienter acquisitam.

(d) Bonif. VIII. in cap. *Periculoso*. un. §. *Fin. de statu Monachor.* in 6.

(e) Concil. Trid. sess. 25. de Regularib. & Monialib. c. 5.

CASUS XLIX.

SELOGENES, Professa Religiosa, a sorore conversa conventus sui injuriosis verbis affecta, ipsam manu pedeque percussit; nunquid ex ea actione violenta excommunicationem incurrit; & si reipsa incurrerit, a quo potest de ea absolvi?

RESPONS.

Certum est, quod Religiosa hæc excommunicatione fuerit ligata. de qua tamen absolvere potest Episcopus Diœcesanus, non requisito ad Papam recursu, ut definivit Innocentius III. ad Episcopum Pistoriensem in Tuscia scribens (f), a quo fuerat consultus: nam supposita illius Monialis excommunicatione, respondet hic Papa, eam ab Ordinario posse absolvi. En ipsius verba: *De Monialibus .... tua a nobis fraternitas requisivit, per quem eis sit beneficium absolutionis impendendum, si vel in se invicem, vel conversos, vel conversas suas, aut Clericos etiam, manus injecerint temere violentas? super hoc igitur tuæ consultationi taliter respondemus, ut per Episcopum, in cujus diœcesi Monasteria fuerint, absolvantur.*

(f) Innoc. III. in c. *De Monialib.* 33. de senten. excom. l. 5. tit. 39.

Et quidem non minus anathema meretur talis actio in Religiosa, quam in Religioso. Atqui negari non potest Religiosum alterius percussorem incurrere excommunicationem, *quocumque modo se in claustro percusserint*, ut loquitur Alexander III. scribens ad Senonensem Archiepiscopum (g); atque, ut is de tali crimine ab Ordinario potest absolvi, eandem quoque gratiam Religiosæ esse concedendam: hanc vero in hujusmodi personas indulgentiam adhibuit Papa, quod non sint *sui juris*; & quia non convenit, ut Romam remittantur, quo absolutionem de censura sua recipiant.

(g) Alex. III. in c. *Monach.* 2. eod. tit.

Hactenus dicta vera sunt, non solum de Monialibus, quæ Episcopi Jurisdictioni subjacent; sed etiam de iis, quæ immediate ab Apostolica Sede dependent: nullum quippe discrimen ab Innocentio III. adhibetur inter exemptas & non exemptas. Unde sequitur, quod ambas sua intendit comprehendere Decretali ex hac regula, *ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus* (h), & juris regula, qua dicit Bonifacius VIII. (i): *Odia restringi & favores convenit ampliari*. Unde ita sentit Decretalis hujusce Glossarius his verbis: *Sic absolvas omnes tam exemptas, quam non exemptas* (K).

(h) Arg. Legis *De pretio* ff. de Publiciana in rem actione. l. 6. tit.

(i) Reg. 15. de Reg. juris in 6.

(k) Gloss. in d. cap. de *Monialib.* v. *per Episcopum*.

CASUS L.

BONARNUS, Religiosus Professus Ordinis reformati, apud Avunculum suum ruri degens, & cum duobus suis parentibus cursu decertare cupiens oblectationis caussa, ut velocius curreret suum deposuit habitum, peractoque cursu resumpsit. Numquid ex eo incurrit excommunicationem majorem *ipso facto*, quam tulit Bonifacius VIII. in constitutione. *Ut periculosa* (l).

(l) Bonif. VIII. Const. *Ut periculosa*. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. l. 3. tit. 24.

RESPONS.

Excusandus ab excommunicatione videtur iste Religiosus in casu proposito. Certum quidem est, a Bonifacio VIII. excommunicatos *ipso facto* declarari Religiosos, qui habitum suum temere dimittunt: sed in constitutione sua de iis tantum loquitur, qui studiorum prætextu in aliqua universitate e Monasterio suo absque Superioris licentia exeuntes, habitum suum dimittunt, ne Religiosi agnoscantur: quod penitus est contrarium obedientiæ & Professioni vitæ Religiosæ, cujus solemne emisere votum.

Ad casum itaque propositum juste applicari nequit ista Decretalis, cum ex puerili tantum levitate habitum suum, peracto statim cursu, resumendum dimiserit Bodardus. Ita sentiunt Paludanus & Zenzelinus, uti Fagnanus, qui eos laudat (m), ac dicit; *Religiosus, qui jocosa levitate ad horam dimittit habitum, ut currat, vel lapidem projiciat, in excommunicationem non incidit*. En verba Paludani, quæ refert Silvester (n), Bonifacii VIII. constitutionem exponens: *Nota, quod aliquando dimissio habitus est sine peccato, & non temeraria .... aliquando vero est cum peccato quidem & temeraria; id est, sine caussa rationabili; & tamen non est cum ligamine excommunicationis, sicut Petrus de Palude dicit in quartum; quia qui jocosa levitate ad horam, ut currat, vel lapidem projiciat, deponit habitum, non incidit in sententiam excommunicationis*. Cujus rei hanc affert caussam, æquitati ac rationi penitus consonam: *Quia non est verisimile, Papam in his minutiis tantum laqueum posuisse*. Hanc opinionem approbat idem Silvester post Joannem Andream his verbis: *Ego dico illud valde rationabile esse ... quia non omni illicito apponitur sententia excommunicationis, etiam in eodem genere, in quo aliquid sub ea sententia cadit, sicut si feratur pro furto; intelligitur pro notabili, quod sit mortale, non autem pro modico, puta solidi unius, aut forte multo plurium*. Consentit autem hic Canonista (o), talem Religiosum peccare dimittendo habitum suum, quia nullam habet legitimam caussam; sed eum non ideo excommunicationem incurrere, vel quia peccatum ipsius non est mortale, vel quia habitum deponere non censetur hic Religiosus secundum eum intellectum, quem jus requirit, hoc est, ipsum fraudulenter dimittere, & sæcularem induere, ut sæculo denuo se implicet, aut alium se esse simulet: quo in casu reus tum mortaliter peccat, Apostasiæ fit reus, & *ipso facto* excommunicatus.

(m) Palud. in 4. Zenzelinus & Fagnan. in c. *Si quis de foro competenti*. n. 55.

(n) Silvest. v. *Excommunicatio* 9. n. 51.

(o) N. 52.

Auctoritatibus istis rationem addendo dici potest, ut is, non censetur Religiosum induisse habitum, qui semel acceptum statim dimisit facti sui

Pontas Tom. II. H 2

sui pœnitens, ut patet ex decretali Alexandri III. (*a*); Ita eum, qui ad breve tempus eundem exuit, non censendum esse exuisse; ut reipsa concludit Glossa (*b*): *Argumentum: non dici factum quod non durat*; ut is *non dicitur natus, qui statim decessit* (*c*), vel ut loquitur Glossa (*d*). *Non videtur fuisse, qui non duravit .... non videtur possessionem adeptus, qui eam statim amisit* (*e*).

(*a*) Alex. III. in c. *Ad nostram*. 8. de Regularibus &c. l. 3. tit. 3.
(*b*) Gloss. in v. *statim pœnituit*.
(*c*) Arg. cap *Nam & ego* de verb. signific.
(*d*) Gloss. in d. c. v. *quasi, nunquam esset*.
(*e*) Gloss. in v. *Quærentis*. ab. de Offic. & potest. judic. a deleg. v. *Ad integrum annum post leg. non videtur* ff. de acquir. possess.

CASUS LI.

Synesius, Ordinis reformati in Gallia Religiosus, cui pœnas ob pravos mores Superior ipsius fuerat minatus, & non sine caussa minarum effectus reformidans, debitæ ipsi obedientiæ se se subtrahere conatus est, Diœcesano Episcopo supplicem dando libellum, quo multas ipsi falsas & absque caussa exponebat querimonias, licet fultas scripto testimonio duorum adolescentium Monachorum, qui ad ipsius partes dolose adducti contra verum testabantur, justas esse ipsius querelas. Qua de re quæritur, utrum Synesius aliique Religiosi excommunicationem *latæ sententiæ* incurrerint, quam decernunt Bulla Clementis VIII. 2. Decemb. an. 1604. & alia Paulli V. 4. Julii 1608. (*f*) in Religiosos hujus Ordinis, qui, cum jus suum coram Generali ejusdem Ordinis Præposito experiri deberent, ad Superiores sæculares, quicumque illi sint, recurrunt.

(*f*) Clem. VIII. in Bulla *quoniam*. 114. Paul. V. in Bulla *Admonemur*. 41.

Hinc autem potissimum oritur difficultas, quod Ordinis hujusce constitutiones in tabulas Senatus Parisiensis nunquam missæ fuerint, uti nec Bullæ illæ, quantascumque adhibuerint illi Religiosi sollicitationes, ut hæc sibi concederetur gratia.

Quæritur itaque 1. An tres Religiosi, de quibus agitur in casu proposito, peccaverint. 2. An excommunicationem *ipso facto* incurrerint, quamvis deficiente illa perscriptione; cum in his constitutionibus & Bullis tantum agatur de disciplina pure monastica, quæ nullatenus ad Parlamentum vel Episcopos spectare videtur. 3. An posito quod in eam inciderint censuram, absolutionis obtinendæ caussa ad Papam recurrere teneantur?

RESPONS.

Gravissime quidem peccaverunt isti Religiosi suo agendi modo, quem districte prohibent constitutiones suæ: Sed in excommunicationem non incurrerunt, atque adeo ad Papam recurrere non tenentur, ut possint absolvi.

Certum quidem est, pœnam excommunicationis *ipso facto* decerni Bullis duabus allegatis, quæ in Constitutionibus Ordinis laudantur, quo majoris sint ponderis, sed ambæ inter eas recensentur, quibus Romæ tribuitur suprema auctoritas, his terminis *motu proprio* expressa, quæ in Gallia non agnoscitur, quæ illas nunquam admittit, & ubi proinde nulla vim obtinent ex intemeratis regulis Jurisprudentiæ & disciplinæ Gallicanæ.

Idem dicendum de Constitutionibus hujusce Ordinis. Nam, præterquam quod solum iis continetur interdictum, cui non adjungitur pœna excommunicationis; vim aliquam obtinere non possunt, nisi Regio diplomate in Parisiensis Senatus tabulis præscripto fuerint confirmatæ.

Sed quamvis juxta formulas requisitas admissæ fuissent Bullæ istæ & Constitutiones (quod reipsa non contigit); non idcirco ad obtinendam absolutionem suam Papam adire tenerentur tres illi Religiosi. Ratio est, quia, cum Legis conditor censuram in ea contentam absolvendam non sibi retinuit, de ea absolvere potest quilibet Confessarius, ut patet ex his Innocentii III. verbis: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem illis relaxandi* (*g*): Atqui ex Bullis Clementis VIII. & Paulli V. nulla ad Papam continetur reservatio absolutionis de excommunicatione, quam proferunt; quare tres Religiosos, de quibus agitur, valide ac licite absolvere potest in foro pœnitentiæ Superior Monasticus, aut quilibet alius Religiosus ab ipso approbatus, injuncta prius ipsis convenienti pœnitentia; licet reipsa in excommunicationem incidissent; ut eosdem posset absolvere de qualibet alia excommunicatione *a jure*, quæ non esset reservata; quamvis aliter sit dicendum de censuris, quæ sunt *ab homine*, quæque ad Superiorem semper reservantur, qui eas protulit.

(*g*) Innoc. III. in cap. *Nuper*. ap. de sentent. excomm. l. 5. tit. 39.

CASUS LII.

Medericus, excommunicatione majori ligatus, ab Episcopo suo ipsius absolutionem requisivit: quare scripto Mederici Parochum Episcopus ad ipsum absolvendum mandavit. An sufficit ad validitatem absolutionis, ut in pœnitentiæ Tribunali istis solitæ formæ verbis utatur Parochus; *Absolvo te primum ab omni vinculo excommunicationis &c.*?

RESPONS.

Distinguendum est: Nam vel Episcopi mandato exprimitur forma a Parocho Mederici servanda; vel exprimitur solum; Medericum ab ipso esse absolvendum, *in forma Ecclesiæ consueta*. *Si potestas absolvendi ab excommunicationis sententia Sacerdoti commissa sit a Superiore, & in mandato certa forma fuerit præscripta, illa omnino servanda est*; inquit Rituale Parisinum an. 1697. (*h*), quod ad reliquam istam decisionem nobis erit regula: *Si vero in mandato seu commissione dicitur*: In forma Ecclesiæ *consueta* absolvat: *hæc servanda est*. Quam formam solitam si adhibere teneatur Parochus, tria observabit.

(*h*) Ritual. Paris. tit. de absol. excom. in foro extern.

Primo, subjungit hoc Rituale, *ut excommunicatus ei ob cujus offensam excommunicationem incurrit, prius, si potest, satisfaciat. Quod si tunc non possit, sufficientem cautionem præbeat, aut saltem, si eam præstare non potest, juret se, cum primum poterit, satisfacturum.*

Secundo, subjungit idem Rituale, *si crimen ob quod in excommunicationem incidit, sit gravius: juramentum ab eo exigatur, de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali caussa; ac præcipue ne deinceps deliquat contra illum Canonem vel Decretum, contra quod faciendo censuram incurrit.*

Tertio, *si excommunicatio fuerit publica, absolutio quoque publice fiat. Si autem excommunicatio est occulta; tunc nulla adhibenda est cæremonia, sed tantum forma absolutionis est dicenda, incipiendo ab his verbis*: Dominus noster Jesus Christus &c. Hæ sunt regulæ Parisiensis Ritualis, quæ in hoc omnino Romano congruit.

Juvat hic observare 1. quod, cum excommunicatio est occulta, nec ad forum externum fuit deducta, a Sacerdote hujus absolutio in Tribunali pœnitentiæ est danda. At vero, si sit publica, aut ad Ecclesiastici fori Tribunal fuerit deducta, absolutionem illius tunc impertiri debet legitimus Superior, hoc est, ille solus, qui tulit censuram, aut is, quem in eam rem commisit, licet non sit Sacerdos. Sed tunc qui istam absolutionem impertitur, reo tantum Ecclesiæ communionem restituit, omniaque jura, quibus ex hac censura fuerat spoliatus, eumque tandem disponit, ut se se possit Sacerdoti præsentem sistere, quo ab eo de peccato, propter quod incurrerat in excommunicationem, absolvatur.

2. Quod ea, quæ modo advertimus de absolutione excommunicationis aut suspensionis a Judice Ecclesiastico prolatæ, non obtinent in censuris jure latis; nam alter Episcopus, in cujus Diœcesim se se reus recepisset, ipsum posset absolvere, non requisito Episcopi consensu, in cujus Diœcesi censuram incurrisset, ut putant Doctores quamplurimi.

CASUS LIII.

Faustulus, adolescens tredecim annos natus, cum subdiacono coram septem octove præsentibus rixa contracta, fuste caput ipsi graviter contudit. Biennio trienniove post, confessionem a Parocho suo requisivit, qui absolutionem ei recusans, ipsum monuit, ad eam obtinendam necessarium ei esse ad Papam recursum. Qua de re quæritur, utrum

non

non decipiatur hic Parochus; nec satis sit, ut ad Episcopum suum recurrat Faustulus?

R E S P O N S.

Non necessarius est ad Papam, sed tantum ad Episcopum suum recursus huic adolescenti, ut de excommunicatione incursa absolvatur, quod esset impubes, cum in eam incidit. *Si Clerici infra puberes annos se ad invicem, aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat*. Ita Alexander III. in una e suis Decretalibus, jam superius a nobis relata (*a*).

(*a*) Alex. III. in cap. *Super* eo. 1. de senten. excom. &c.

Ac frustra quis objiciet, Faustulum jam puberem factum esse, cum absolutionem rogavit. Sufficit enim, ut impubes in excommunicationem inciderit, quo ab Episcopo queat absolvi; sicuti declarat Gregorius IV (*b*), his verbis: *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante sive post pubertatem postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum propter defectum ætatis in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus*. Vide Casum *Flavius* 46.

(*b*) Greg. IX. in cap. *Pueris*. fin eod. tit.

C A S U S LIV.

Promulgatum est Monitorium, in quo de homicidio agebatur, & quo omnes illud non revelantes, qui cognoscerent, post trinam publicationem excommunicationi *ipso facto* subjicebantur. Joannes tredecim annos cum sex mensibus natus, declarare noluit, se Petrum vidisse homicidium illud perpetrantem, quod is sibi foret amicissimus. Num excommunicationem incurrit?

R E S P O N S.

Auctor a multis annis nobis notus, & Parisiensis Ecclesiæ Propœnitentiarius (*c*), distinguit inter excommunicationem jure latam, & eam, quæ a Judice Ecclesiastico profertur, & asserit, ab impubere contrahi posse excommunicationem *latæ sententiæ*, si jure sit lata; non vero eam, quam profert Ecclesiasticus Superior, quia impubes judiciorum ordinem vimque terminorum, quibus utitur Judex, non intelligit. *Pueri ante 14. ætatis annum, & puellæ ante duodecim non indigent absolvi ab excommunicatione; quia ex jure eam non incurrunt, quod intelligendum est de censuris latis ab homine: quia in ejusmodi ætate non intelligunt judiciarium ordinem: possunt tamen incurrere censuras latas a Jure*. Hæc sunt hujusce verba Doctoris, qui a Sairo (*d*) distinctionem hanc ejusque, quam affert rationem, mutuatus est, qui addit tamen, ex homicidio puerum juxta Avilam (*e*), non fieri irregularem. *Sed hæc omnia*, subjungit hic Auctur (*Bail*) *parum certa sunt, cum jura non sint satis expressa, & Auctores varient inter se*.

(*c*) *Bail* de examine confession. p. 386. Edit. Parif. an. 1668.

(*d*) Sairus Thesaur. casuum conscientiæ. l. 1. c. 8. n. 4.

(*e*) Avila de censuris. 7. par. disp. 6. sect. 1 dub 13.

At licet non satis aperte constaret in jure facta distinctio inter puberes & impuberes, ubi de excommunicatione agitur; quod tamen falsum est uti apparet ex Decretalibus Gregorii IX. (*f*), & Alexandri III. (*g*) ad marginem indicatis; hinc non sequeretur, quod, cum impuberes quorumdam mortalium peccatorum conscii, jure latam excummunicationem incurrere possint (*h*), *qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ*, ut loquitur Gregorius IX. ejusdem incurrendæ minus sint capaces, si ab Ecclesiastico Superiore profertur, quam sint illius, quæ dicitur *a jure*, modo *sint doli capaces*, hoc est, ea sint ratione præditi, ut gravitatem criminis sui & injunctam fidelibus Ecclesiæ mandatis parendi obligationem possint cognoscere.

(*f*) Greg. IX. in c. *Pueris*. fin. de sent. excomm.

(*g*) Alex. III. in cap *Referente*. 2. de delicts pueror. l. 5. tit. 23.

(*h*) Greg. IX. in cit c. *Pueris*.

Hæc nostra opinio eo magis veritati & rationi est consona, quod, cum lethaliter peccare queat impubes, censendus est etiam pœna dignus, quam in eum decernere potest Judex Ecclesiæ in illius peccati vindictam, ut probat Bonacina, qui de severiori proculdubio morali non insimulabitur. Is igitur ea de re mentem suam sic aperit post explicatam conditionem tertiam, quæ requiritur, ut quis excommunicationis sit capax: *Hinc sequitur*, inquit (*i*), *primo impuberem doli capacem valide ligari posse censuris non tantum a jure, sed etiam ab homine latis. Sicut enim mortaliter peccare potest, ita etiam puniri potest censura, quæ fertur in pœnam peccati*. Suamque sententiam confirmat hic Auctor ex paritate interdicti, in communitatem prolati: Certum est enim, impuberes, uti ceteros, generali interdicto personali ligari, & eosdem pariter ad obedientiam teneri. Cur igitur excommunicationis essent incapaces?

(*i*) Bonacina de censur. in comm. disp. 1. q. 2. punct. 3.

Ratio ista, quam affert Bail excipiens excommunicationem *ab homine* latam, *quia non intelligunt judiciarium ordinem*, nullius est momenti: Nam 1. non necesse est, ut excommunicationis pœna a Superiore Ecclesiastico lata sit dignus, impuberi notas esse regulas & ordinem, quæ in foro externo debent servari; alioquin ab excommunicatione essent excusandi innumeri homines ignari, & præsertim rusticæ pleræque mulierculæ, quæ in ordine judiciario hospites sunt omnino & peregrinæ.

2. Si valeret hæc ratio, sequeretur, adolescentulam puellam, duodecim annos natam, atque adeo puberem, excommunicari tantum posset, quod fori externi formulas & ordinem mente posset assequi; atque adeo ipsam in hac ætate perspicaciorem esse posse, quam adolescentulum, qui eam octodecim aut viginti mensibus ætate superaret: quod non minus a sensu communi quam ratione abest.

Paritas, qua utitur Sairus dicens, impuberem in judicium vocari non posse, neque per seipsum caussam suam tueri, atque adeo eum excommunicatum declarari non posse, ad probandum est infirma, quia nihil probat, dum nimis probat. Nam 1. si proprio nomine impubes jus suum tueri & per seipsum nequeat, id fit ex eo, quod id sibi per Leges non sit licitum: At non solum ex Legibus Ecclesiasticis ab excommunicatione est immunis, si pœna illa dignum crimen admiserit, ipsi e contra subjicitur expresse eamque incurrit, cum hæc censura jure est lata, uti probavimus, & fatentur Sairus & Bail.

2. Mulier addicta viro non magis juridice agere potest, quam impubes, absque viri sui auctoritate. An inde inferri potest, eam excommunicatione ligari non posse? Idem dici potest de homine morte, aut remis perpetuis damnato, aut de servo in iis regionibus, ubi servitus obtinet; iis enim non competit actio juridica; & constat tamen eos denuntiari posse excommunicatos, si mereantur.

Certum quidem est, hujusmodi pœnam, quamvis in impuberem lata sit valida, non esse tamen licitam, si eam in impuberem quemdam privatum Judex constituat. Ratio est, quia, licet ab impuberibus admitti possint peccata ista punitione digna, teneræ tamen eorum ætatis rationem habet Ecclesia, neque eos pari cum iis, qui annis sunt provectiores, severitate punit, ut ait Decretalis ad marginem indicata (*k*): *Quamvis in eis* (pueris) *non ita, ut in majoribus, punienda peccata*) *videantur*; atque ut declarat expresse laudata superius Alexandri III. Decretalis (*l*), his verbis: *In pueris relinqui solet inultum* (hoc est, *non perfecte ultum*, ut explicat Auctor Glossæ) *quod in aliis provectioris ætatis humanæ Leges dicunt esse severius puniendum*: Quod etiam probat Glossa ex septem octove Canonibus & Decretalibus (*m*). Ita quoque sentiunt Suarez aliique permulti (*n*).

(*k*) Cap. *Pueri*. 1. & ibid. Glossa de delictis puerorum. l. 5. tit. 23.

(*l*) Alex. III. in c. *Referente*. 2. eod. tit.

(*m*) Glossa in cit. cap. *Pueris*. v. *Rigor*.

(*n*) Suarez disput. 23. sect. 2. n. 19.

C A S U S LV.

HILDEGARDES, nupta mulier, cujus ædes Monachorum Conventui sunt proximæ, cognoscens, se a Religioso quodam turpitudinis probro injuste ac mendaciter fuisse aspersam, tanto iræ impetu concita est, ut fixo in corpus Monachi cultro lethale ei vulnus non sine magno scandalo inflixerit. Nunquid hæc mulier ad Papam recurrere tenetur, ut de excommunicatione, quam enormi illo contraxit facinore, absolvatur?

R E S P O N S.

Non requiritur, ut Hildegardes ad obtinendam absolutionem Romam recurrat, cum a suo Episcopo in specie proposita absolvi queat, non solum ob sexus infirmitatem, sed quia sui non est juris, ut pote, quæ sit sub potestate viri constituta. Ita

statuit Alexander III. ad Exoniensem scribens Episcopum; cujus propria verba legi possunt in ipsius Decretali in Casu 46. *Flavius* relata (*a*), in quo diximus idem esse dicendum de pauperibus, infirmis, aut ætate provectis: quod etiam de Monialibus verum est, ut expresse declarat Innocentius III. in sua Decretali ad Episcopum Pistoriensem in Tuscia (*b*), & ostendimus dum de Monialium clausura.

(*a*) Alex. III. in cap. *Mulieres*. 6. de sent. excomm. &c.
(*b*) Innoc. III. in c. *De Monial*. 13. eod. tit.

CASUS LVI.

GANTIANUS, Eboræ Officialis, post latam in Philibertum excommunicationis sententiam, postea in irregularitatem incidit, quod homicidium efficaciter procurarit. Potest ne in hoc statu, Philibertum, qui ipsum adit, valide absolvere, an vero ad alium remittere tenetur?

RESPONS.

Officialis iste licet irregularis, de lata in Philibertum excommunicatione valide potest absolvere. Ratio est, quia ex irregularitate fit tantum quis incapax suscipiendi ordines, eorumve functiones exercendi, non vero quosdam meræ jurisdictionis actus obeundi. Atqui ligare aut absolvere de censura est actus meræ jurisdictionis. Quare Prælati, non solum Episcopi, sed qui jurisdictionem quasi Episcopalem obtinent, subditos suos censuris ligare possunt, ut constat ex multis Summorum Pontificum constitutionibus, ac præsertim Cælestini III. scribentis ab Episcopum Eliacensem in Anglia, electum & nondum consecratum (*c*), & ex alia Alexandri III. ad Episcopum Florentinum (*d*), *modo*, ut ait sanctus Thomas (*e*) *jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare*. Quod verum est, etiamsi Prælatus excommunicans esset ipse excommunicatus, ut declarat Gregorius IX. in una e suis decretalibus (*f*), modo tamen nominatim non esset excommunicatus excommunicatione majori publice denuntiata, quia tunc jurisdictione careret, ut declarat Alexander II. (*g*) in Canone Laudatus, & fuse probat Gratianus (*h*). Ratio est, *quia*, ex Angelico Doctore (*i*) *excommunicatio est jurisdictionis privatio; ideo excommunicatus excommunicare non potest*. Sed cum excommunicatio est occulta, aut excommunicatus ab Ecclesia est toleratus, tunc omnes jurisdictionis suæ actus exercendi jus retinet. Quare, ut ligare, sic de excommunicatione potest absolvere, licet simplici tantum tonsura esset initiatus hic Prælatus. *Qui habet potestatem excommunicandi*, inquit sanctus Antoninus (*K*), *habet & potestatem absolvendi, quantum ad restituendum communioni hominem, & reddendum illum habilem ad actus legitimos*.

Ex his principiis dicendum, quod cum irregularis Clericus, ex irregularitate seu occulta, seu publica jurisdictionis potestatem non amittat, eum pro certo de qualibet censura absolvere potest, quem ipse innodavit; etsi postea factus fuerit irregularis.

(*c*) Cælestin. III. in c. *Transmissam* 15. de Elect. & Elect. potestate. lib. 1. tit. 6.
(*d*) Alex. III in a. *Cum ab Ecclesiarum*. 5. de Officio Judicis ordinarii. l. 1. tit. 31.
(*e*) S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corp.
(*f*) Greg. IX. in c. ab *Excommunicato*. 41. de rescriptis.
(*g*) Alex. II. in can. *Audivimus*. 4. 24. q. 1.
(*h*) Gratian. c. *Sin autem*. in cit. can.
(*i*) S. Thom. supra cit. art. 2. quæstiunc. 3. in corp.
(*k*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 24. c. 77.

CASUS LVII.

PHILO, Sacerdos, suspensus & excommunicatione majori ligatus, de beneficio curato S. Francisci provisus est. Amicus quidam ejus pravæ dispositionis conscius, ipsum monuit, provisiones ejus esse invalidas ob excommunicationem, qua fit incapax Beneficii: At Philo, se legitime esse provisum contendit, hanc contentionis suæ afferens rationem, quia de omnibus suis censuris a Papa fuit absolutus, cum expresse id ipsum declarent provisiones suæ his verbis: *Et cum absolutione a censuris ad effectum*: Cui jus?

RESPONS.

Ad solutionem hujus difficultatis observandum, solitam quidem esse clausulam in ultima parte omnium provisionum, quæ in Romana Curia obtinentur, quæ verbis enuntiatur in proposito casu expressis: sed in hoc vertitur quæstio, ut germanus illius dignoscatur sensus: notum est enim, diversas esse clausulas in Curiæ Romanæ expeditionibus & rescriptis, quarum aliæ sunt necessariæ; aliæ vero ad merum stilum pertinent; quædam vero sunt indifferentes aut inutiles respective ad Galliæ usum.

Carolus Molinæus præpostere de præsenti clausula jaculatur (*l*), dicendo, a Papa absolvi oratorem de excommunicatione in ipsum lata, licet non confessum nec pœnitentem.

Acute observat Aloysius Riccius (*m*), Oratorem ex hac clausula non solvi de irregularitate, quam incurrere potuisset, quia irregularitas est pœna, non vero censura Ecclesiastica.

Boerius (*n*) Garcias & Rebuffus contendunt, nullum esse illius clausulæ in provisionibus effectum, nisi ut valeat gratia a Summo Pontifice concessa, & ut Orator tantummodo solvatur de suspensione & excommunicatione majori *a jure*, qua posset ligari, non vero, ut vult Lovetus (*o*) de excommunicatione *ab homine*; quam ob causam ait Rebuffus: *Licet hic absolvatur, quoad effectum obtinendi istud beneficium impetratum, tamen impetrans non poterit celebrare, nec horis interesse divinis, nec alia facere, quia ad effectum tantum est absolutus, ut patet hic: immo si post hanc absolutionem ingerat se divinis, incurrit irregularitatem; nec posset aliud Beneficium post istam absolutionem obtinere ab Ordinario, vel alio, nisi absolveretur de novo*.

Quibus præsuppositis, dicendum, quod, si Philo excommunicationem majorem tantum *a jure* incurrerit, de ea solvitur tantummodo ad effectum impetrationis beneficii per clausulam, *& cum absolutione a censuris ad effectum*. Atque adeo Canonicæ sunt ejus provisiones; sed quod, si ipsius excommunicatio sit *ab homine* hoc est, per modum sententiæ ab Officiali aut Superiore Ecclesiastico lata, ex hac clausula non censetur esse absolutus, & quod antequam ordinum suorum functiones quasdam possit obire, tenetur ad requirendam a superiore legitimo absolutionem suam, qua obtenta novas impetrabit provisiones: quod quidem eo certius videtur, quia hæc censuræ species multo gravior est, quam suspensio *ab officio & ordine*. Qua tamen ligatus privatur potestate aliquod conferendi Beneficium, aut titularem de eo privandi (*p*): quod potestas illa sit effectus jurisdictionis & officii accessorium. Decisionem istam suppeditat cum aliis, quos diximus, Auctor Libri inscripti, *Jus Canonicum Galliæ* (*q*).

(*l*) Carolus Molinæus de infirmis resignantibus. n. 10.
(*m*) Aloysius Riccius decis. 234. pag. 504.]
(*n*) Nicolaus Boerius Decisione 270.
Per Rebuffus in prax. beneficiorum de forma mandati. v. Innodatus & 3. part. signaturæ in forma novæ provisionis.
N. Garcias de Benefic. 7. part. c. 11. n. 54. &c. 13. n. 63. & 64.
(*o*) Louet de de infirmis resignant. n. 107.
(*p*) Innoc. IV. ad cap. *Tanta est*. 18. de Excess. Prælator. Glossa in cap. *Quia diversitatem*. de concess. Preb. & in cap. *cum dilectus*. 8. de consuetud.
(*q*) M. Duperai liv. 6. chap. n. 8. 13. & suivans.

CASUS LVIII.

ALPINUS, qui est excommunicatus denuntiatus, sed qui in foro interno de excommunicatione sua fuit absolutus, Canonicatum obtinuit. 1. An Canonice, aut saltem valide de eo provisus est? 2. An saltem valide de eo fuisset provisus, si ipsius excommunicatio omnino esset occulta?

RESPONS.

Dicimus 1. omnem collationem excommunicato factam esse *ipso jure* invalidam: ita ut datum sibi beneficium tuta conscientia retinere nequeat provisus, ut docet Joannes Andreas (*r*): & declaravit Innocentius III. (*s*): *Respondemus*, inquit hic Papa, *quod cum excommunicatis communicari non debeat; Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec illi valent ea licite retinere*.

2. Per antecedentem excommunicationem, de qua provisus de Beneficio ante factam collationem absolutus est, non impediri legitimam de eo provisionem, ut declarat idem Papa in alia decretali (*t*). Idem asserit Fagnanus (*u*).

3. Clericum excommunicatum, quamvis secreto in Pœnitentiæ Tribunali fuerit absolutus, adhuc tamen remanere inhabilem, ut de Beneficio provideatur, quando publica fuit excommunicatio; *quia .... præsumitur quod adhuc sit excommunicatus, nisi probaverit se absolutum ... & ita quicumque absolvitur, saltem ad cautelam semper obtineat litteras absolutionis*. Hæc sunt Glossæ verba (*x*) simul & ratio. *Quia excommunicato denegatur communio, non possunt ei conferri beneficia: quia sine communione non potest Beneficia adipisci, nec in eis administrare*. Ita Inclytus loquitur Panormitanus (*y*) quem sequitur Fagnanus (*z*) quem sequitur etiam Fagnanus (*aa*), qui etiam Marianum Soci-

(*r*) Joannes Andreas in d. c. *Postulastis*. de Clerico Excomm. &c. ministrante lib. 5. tit. 27. num. 6. Butrio n. 10. var. *Compostellanus*. abbas. n. 2. Marian. Socinus in. 6. & 1 d. & Gloss. in d. c. *Postulastis*. v. *Canonice*.
(*s*) Innoc III. in cit. c. *Postulastis*. 7. Isidorus in can. *Cum Excommunicato*. 18. 11. q. 3. & can. sequenti.
(*t*) Innoc. III. cap. *Proposuit*. 8. de Clerico Excomm. minist.
(*u*) Fag. in d. c. *Postulastis*. n. 3.
(*x*) Gloss. in d. c. *Proposuit*. v. *De absolutione*.
(*y*) Panorm. in d. c. *Postulastis* post. n. 1.
(*z*) Fagnan. ib. n. 10.
(*aa*) Marian. Socin. ibid. in 1 *Notabili*.

Socinum laudat (*a*) hiaquoque additis : *Sed excommunicatr, quamvis fit absolutus in foro conscientiæ, & quo ad Ecclesiam, denegatur Communio; & debet se gerere in publico, tanquam excommunicatum ... ergo nec potest ei Beneficium conferri.* Ratio est, quia ex Panormitano (*b*), cum agitur de crimine, non satis est, ut reus per injunctam sibi a Sacerdote pœnitentiam satisfaciat & sic Ecclesiæ suffragiorum, quibus ob excommunicationem carebet, fiat particeps: sed necesse est insuper, ut in foro externo a superiore Ecclesiastico puniatur; quia Ecclesiam offendit, quæ ipsum privavit participatione sacramentorum (*c*), Communione fidelium (*d*) jure præsentiæ divinis officiis (*e*) & privilegio Ecclesiasticæ sepulturæ (*f*); nec non passiva electione ad quodlibet Ecclesiasticum Beneficium. (*g*): *Et hujusmodi pœnæ*, inquit Fagnanus (*h*), *cum respiciant Ecclesiam Militantem, nullatenus tolluatur per absolutionem in foro animæ*. Quod etiam docent Panormitanus (*i*), Covarruvias (*K*), & alii multi ab eodem Fagnano laudati.

Et quidem licet talis Beneficium suum tuta posset conscientia retinere, quo pacto ipsi ministrare, atque imposita ex eo munere adimplere posset, a communione fidelium semper avulsus; quandoquidem *Beneficium .... propter officium datur*. Ob eamque caussam de excommunicatione tantum absolutus in foro interno, exterius se gerere debet, uti censura semper ligatum; ad quod etiam invitus & renitens cogi posset ex hac declaratione, quam refert Fagnanus (*l*): *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum*, inquit, *censuit .... absolutam ab eis* (regularibus) *in foro conscientiæ & pœnitentiali, utique non censeri absolutum in judicio exteriori & contentioso. Quin immo censuris Ecclesiasticis irretitos cogi posse a locorum Ordinariis gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus .... absolutionem obtinuerint.*

Concludimus ergo, Alpinum in primo casu nec canonice nec valide de Præbenda sibi data fuisse provisum.

Ad secundum vero casum, in quo supponitur excommunicatio penitus occulta, Respondemus, quod, cum nullum in foro exteriori producat effectum, nec in eodem foro Beneficiorum Ministerium impediat, ut docet Hostiensis, Joannes Andreas (*m*) Panormitanus & alii Canonistæ; ita absolutio occulta eum nequit præstare effectum, ut Beneficii obtentio in eodem externo foro sit valida, si excommunicatio fuerit publica & denuntiata. Ita argumentetur Fagnanus (*n*): *Quemadmodum excommunicatio occulta nihil operatur in exteriori judicio, nec impedit Beneficii executionem ... ita nec absolutio occulta, (id est in foro secreto & pœnitentiali) operari debet, ut Beneficii assecutio valida sit in foro externo. Eadem enim vis ligandi atque solvendi* (*o*).

CASUS LIX.

Metellus, multiplici excommunicatione ligatus, potest ne de una absolvi absque alia; vel de omnibus simul per unicam absolutionem?

RESPONS.

Cum excommunicationes, etiam majores, nullatenus inter se sint connexæ, certum est, Metellum de una posse absolvi absque alia. Ita Doctor Angelicus his verbis (*p*): *Excommunicationes*, inquit, *non habent connexionem in aliquo, & ideo possibile est, quod aliquis ab una absolvatur, & in altera remaneat.* Quo generatim præmisso ita advertit idem sanctus Doctor. 1. *Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quandoque est excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno judice: & tunc quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi; nisi contrarium exprimatur, vel nisi in caussa, qua quis absolutionem impetrat de uno tantum casu excommunicationis, cum pro pluribus excommunicatus sit.* 2. *Quandoque est excommunicatus a diversis judicibus*; observat etiam idem Sanctus; *& tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera* (intellige, si a diversis ob idem & unum crimen non fuerit excommunicatus) *nisi omnes alii ad petitionem ejus excommunicationem suam confirmaverint, vel nisi omnes uni demandent absolutionem.*

(*a*) Fagn. ib. n. 17.
(*b*) Panormit. in c. *De his.* de accusationib. n. 3. & 4. l. 5. tit. 1.
(*c*) Can. *Engeltruda.* 3. q. 4.
(*d*) Can. *Sicut.* 31. q. 3.
(*e*) C. *Quod in te.* 21. de pœnit. & Remiss.
(*f*) C. *Sacris.* de sepulturis. lib. 3 tit. 28.
(*g*) D. c. *Postulastis.* de Clerico excom. ... ministrante.
(*h*) Fagnan. hic n. 31.
(*i*) Panorm. in d. c. *De his.* n. 3. 2. limit.
(*k*) Covarr. in cap. *Alma Mater.* 24. de senten. excom. in 6. 1. part. §. 11. n. 16. & l. 2. Variar. resol. c. 12. n. 3.
(*l*) Fagnan. in d. c. *Postulastis.* in fin.
(*m*) Hostiens. Joan. Andreas. Panormit. ad c *Si vero.* 4. de sent. excomm. Glossa. v. *Exequutionem*.
(*n*) Fagn. in d. c. *Postulastis.* n. 24.
(*o*) Can. *Verbum.* de pœnit. dist. 1. & c. *Cum inferior.* de majorit. & obedientia.
(*p*) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. quæstiun. 3. in corp.

Conformis est hæc decisio Decretali Innocentii III. Archiepiscopo, Decano, & præcentori Lugdunensi scriptæ, de quodam Archidiacono Cabillonensi, qui ob violentam manuum injectionem in Succentorem, simul & ob violationem immunitatis Ecclesiæ Lugdunensis excommunicatus, primum tantum crimen in libello suo ad obtinendam absolutionem expresserat. En verba summi Pontificis (*q*): *Mandamus quatenus si constiterit dictum F. Archidiaconum ob duplicem caussam excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in litteris, quas super absolutione sua impetravit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa cogatis.*

CASUS LX.

Officialis Pompeionensis, promulgata in Hippolytum excommunicationis sententia, ab ejus parentibus vehementer impulsus est, ut eum absolveret, oblata etiam pro reo convenienti ad ejus arbitrium satisfactione. Sed Hippolytus, ne dum absolutionem suam requirat, tanto ob acceptam ex hac censura injuriam furore percitus est, ut palam se nolle absolvi profiteatur. Nunquid tamen ab Officiali potest absolvi, etiam invitus?

RESPONS.

Constat, Hippolytum ab Officiali de excommunicatione in se lata posse absolvi, licet invitum; quamvis de crimine, cujus gratia excommunicatione perculsus est, absque suo consensu nequeat absolvi. Ratio est, quia ipsius peccatum est voluntarium, pœna vero inflicta non est voluntaria. Necesse est igitur, ut Hippolytus, qui propria voluntate peccavit, suam præbeat assensum, ut de eo absolvatur; sed idem ejus assensus non requiritur, ut ei relaxetur censura in ipsum promulgata; cum pœnæ huic invitus fuerit subjectus. Ita difficultatem istam solvit sanctus Thomas his verbis (*r*); *Malum culpæ & pœnæ differunt in hoc, quod culpæ principium in nobis est: quia omne peccatum voluntarium est; pœnæ autem principium, quandoque est extra nos. Non autem requiritur ad pœnam, quod sit voluntaria; immo magis de ratione pœnæ, est contra voluntatem esse: & ideo sicut peccata non committuntur sine voluntate, ita non remittuntur alicui invito; sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita & invitus ab ea absolvi poterit*, unde sequitur, quod *etiam manente contumacia*, subjungit idem Angelicus Doctor (*s*), *potest aliquis discrete excommunicationem juste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata est.*

Verum casus iste perquam rarus est, & hæc semper tenetur generalis regula, ut neque in foro interno, neque externo unquam relaxentur censuræ, quando fuere promulgatæ, nisi pro iis, qui earum absolutionem humiliter postulant; & etiam necesse est, quantum fieri potest, ut ante absolutionem Deo, Ecclesiæ & proximo debite satisfecerint, ut expresse ex multis Decretalibus (*t*) constituitur uti postea dicemus.

CASUS LXI.

Theophanes, ob furtum a se commissum excommunicatus palam denuntiatus, absolute obedientiam latæ sententiæ abjecit, contendens eam ipso jure esse invalidam; quod præscriptas a Canone regulas & formulas in ea judex non observasset; 1. quod sententiam scripto non mandasset. 2. Quod crimen tanquam excommunicationis caussam non expressisset judex. Nunquid pro eo stat jus, atque is adeo potest divinis adesse officiis, Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta suscipere, atque in omnibus more ceterorum fidelium se gerere, nullam de hac censura absolutionem requirendo?

RESPONS.

Certum est, sententiam excommunicationis, ut sit legitima & Canonica, scripto tradendam, caussamque excommunicationis in ea conscribendam esse.

(*q*) Innoc. III. in c. *Cum pro caussa.* 27. de sent. excomm. &c.
(*r*) S. Th. in 4. dist. 8 q. 2. art 5. quæstiun. 1. in corp.
(*s*) Idem ibi. ad 2.
(*t*) Innoc. III in cap *Ex parte.* 23. de verborum signific. &c.

Prio-

Priorem ex his duabus conditionibus expresse præscribit Constitutio Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi lata his verbis (*a*): *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat; & caussam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur.* Quæ regula in omnibus Actis Ecclesiasticis ac publicis semper observata est. *Legum Ecclesiasticarum consuetudo & auctoritas talis est, ut in causis gestorum semper scripturam requirant.* Idque certius est de excommunicationibus: *Qui etiam ab Ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libelli inscriptione aut recipitur, aut ejicitur .... & sic in ceteris hujusmodi in tantum scriptura deposcitur, ut, sicut beatus Gregorius scribit, sententia, quæ sine scripto profertur, nec nomen sententiæ habere meretur.* Ita loquitur Hincmaras in Concilio Suessionensi habito sub Pontificatu Leonis IV. an. 853. præsente Carolo Galliæ Rege dicto Calvo (*b*). Eveillon post Antonium Genuensem (*c*) duos solum casus excipit. 1. Quando tam urgens est negotium, ut non suppetat tempus vel copia scribæ seu Notarii ad tradendam scripto sententiam. 2. Quando Episcopus ut reus agit ad defensionem auctoritatis ac jurisdictionis suæ.

(*a*) Innoc. IV. in cap. *Cum medicinalis.* de sent. excomm. in 6.

(*b*) Concil. Suessionen. 2. an. 853. act. 2. in can. *Legum.* 9. 2. q. 3.

(*c*) Anton. Genuens. prax. Archiep. c. 30.

Nihil æquitati magis consonum, quam prima hæc conditio. 1. Quia post traditam scripto sententiam, quidquam in ea mutari vel addi jam non potest contra judicis intentionem. 2. Quia talis sententia est instrumentum judiciarium publicum & authenticum, quod proinde neque fidem neque executionem patitur, nisi scripto mandatum. 3. Quia si excommunicatus de sententia ad superiorem majorem velit appellare, sententia indiget, ut veritatem caussamque damnationis suæ, censuræque injustitiam ipsi manifestet.

Altera conditio jure requisita priore non minus est necessaria. 1. Quia interest, ut reus crimen noverit, de quo accusatur, ut si innoxius sit, de eo se se purgare, aut, si reus sit, illud reparare valeat. 2. Quia necesse est, ut omnibus pateat excommunicationis latæ caussam esse justam, ut nimirum cuilibet nota sit non solum obligatio sibi imposita vitandi excommunicatio, neque cum eo deinceps communicandi, sed etiam ut omnis tollatur scandali occasio vel contemptus iis, qui, defectu cognitionis, de ea vel temere vel maligne possent judicare. 3. Quia in casu appellationis necesse est omnino, ut judex *ad quem* probe noscat, an judex *a quo* bene vel male judicarit: quod sibi notum esse nequit, nisi damnationis caussam penitus cognoverit.

Neque tamen hinc inferre volumus, sententiam excommunicationis, omissa duplici illa conditione latam, in foro conscientiæ absolute esse invalidam. Existimamus econtra, quod, licet Judex, qui eas omisisset, imprimis reus esset, & etiam suspensionem *ipso facto* latam ex constitutione Innocentii IV. superius citata incurrisset, suum tamen ipsius sententia effectum sortiretur; quia nullibi jus, quo eæ præscribuntur, eam ob solum hunc defectum, esse invalidam declarat. *Nota*, inquit Auctor Glossæ (*d*) *quod sententia excommunicationis lata vel sine scriptis, vel sine caussa rationabili expressa, tenet de mero jure licet sit injusta.* Quod probat hic Auctor, e textu ipsiusmet Decretalis, in qua statuit Papa, quod in hoc casu superior ejus, qui talem protulit sententiam excommunicatum debeat absolvere, & eum, qui ita judicavit, litis impensis, damnis & interesse & etiam eorum usuris damnare. *Hoc probat ipse textus*, addit Glossa, *dum dicit, quod si excommunicator violaverit istam Constitutionem, quod superior relaxabit excommunicationem. Ergo talis excommunicatio tenebat.* Idem docet Eveillon (*e*): unde colligimus, quod, si lata in Theocrenem excommunicationis sententia, ob defectum tantum hujusmodi formularum sit injusta, se uti vere excommunicatum in omnibus gerere debeat; ita ut, si esset Sacerdos, neque conficere, neque administrare posset aliquod sacramentum, irregularitatem devitans.

(*d*) Glossa in cit. cap. *Cum medicinalis.*

(*e*) Eveillon Tractatu de excommun. & Mon. c. 34. art. 2.

CASUS LXII.

Maximus ex juridica Officialis Diœcesani sententia excommunicatus palam denuntiatus, appellationem de ea interposuit ad Metropolitanum, a quo absolutionem *ad cautelam* accepit, donec lis dirimeretur. Nunquid ex hac absolutione ei penitus relaxatur excommunicatio?

RESPONS.

Antequam solvatur ista difficultas, juvat exponere 1. absolutionem *ad cautelam* eam vocari, quæ ei conceditur, qui, cum excommunicatus denuntiatus est, de lata in se sententia appellat; donec lis ad finem fuerit deducta resque penitus dijudicata: neque enim hujusmodi absolutio unquam conceditur pro excommunicatione *a jure*, quia de justitia & validitate ipsius nullum est dubium. 2. Talem absolutionem legitimam esse non posse, nisi quinque observatis conditionibus.

Prima est, ut appellans coram judice affirmet, excommunicationem in se latam esse injustam & invalidam, seu quia errore crasso, & supino; vel quia post interpositam appellationem processus vel denique absque jurisdictione in judicem lata est.

Secunda: ut summatim facta sua appellans comprobet, & superiori judici manifestet adeo verisimilem esse excommunicationis invaliditatem, ut de jure Appellantis sibi constet. Uti patet ex Constitutione Innocentii IV. in sexto relata (*f*): Ratio hujus rei est evidens: quia si nullam invaliditatis rationem proferret Appellans; juste præsumeretur validam & justam esse excommunicationem, & eo tantum spectare appellationem, ut illusorium fieret Ecclesiæ judicium.

(*f*) Innoc. IV. in c. *Venerabilibus.* 7. de sent. excom. &c. in 6. l. 5. tit. 11.

Tertia: ut Appellans, qui absolutionem istam postulat, sufficientem præbeat cautionem, se latam in se sententiam esse consecturum, si forte male appellaverit, & causa ceciderit; quæ cautio uti necessaria declaratur in constitutione Innocentii IV. præsentis in primo generali concilio Lugdunensi an. 1245. (*g*) his verbis: *Non relaxetur sententia, nisi sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de parendo, si offensa dubia proponatur.*

(*g*) Idem Innoc. IV in cit. cap. *Solet.* Item Innoc. III. in cap. *ad Reprimendum.* 8. de officio judicis Ordin. §. *Tu vero.*

Quarta: ut adversa pars Appellantis debito modo citetur; quia admitti potest ad intercedendum libello, quem superiori reus dedit, eumque potest inutilem efficere, intra octo dies probando, excommunicationem latam fuisse *pro offensa notoria* (*h*).

(*h*) Innoc. IV. in cap. *Solet.* 2. de sent. excom. in 6. l. 5. tit. 11.

Quinta denique: ut absolutio illa a superiore legitimo conferatur hoc est ab eo, qui in Appellantem habeat legitimam auctoritatem (*i*).

(*i*) Innoc. III. in cap. *Ad reprimendam.* 8. de officio judicis ordin. l. 1. tit. 31.

Suppositis istis principiis, dicimus, quod, si in his circumstantiis & secundum hanc formam Maximus fuerit absolutus, vere est absolutus, & pristinum suum statum, uti ante latam in se excommunicationem, recuperat, non solum in foro interno & coram Deo, accepto jure suscipiendi sacramenta, Missæ divinisque officiis assistendi, & Ordinum suorum functiones obeundi, si sit Clericus (*K*): Sed etiam in foro externo & coram hominibus, quibuscum, ut ante communicare potest. Sed econtra, si judex superior absolutionem ipsi fuerit impertitus *in limine litis* & caussa non cognita, ut nunc vulgo fit, nihil ipsi prodest nisi *ad standum in judicio*, hoc est, ut possit agere in foro externo, seu petitione seu defensione; cum aliter ipsi denegetur omnis actio & exceptio, ut statuunt edicta an. 1550. (*l*) & an. 1695. (*m*), cujus ultimi hæc sunt verba: *Cum nostræ Curiæ post examen inquisitionum, quæ in Clericos fient, æquum judicabunt, eos ad* Cautelam *absolvi, eos remittent ad Archiepiscopos & Episcopos, qui ipsis litem intulerint, & si forte denegent, ad eorum superiores in Ordine Ecclesiastico, ut ab iis absolvantur: quin tamen prædicti Clerici consequenter aliquod Ecclesiasticum munus possint obire, aut aliud inde sibi jus sperare, quam* ut in judicio stare *possint.*

(*k*) Alex. III. in c. *Ad præsentiam.* 14. de appellat. l. 2. tit. 28.

(*l*) Edict. de 1550. art. 41.

(*m*) Edict de 1695. art. 42.

CASUS LXIII.

Flaminius, ab Episcopo suo ejusve officiali excommunicatus, ex forma præscripta ad Metropolitanum appellavit, quod se injuste damnatum fuisse contenderet. Nihilominus ad petendam ab Episcopo suo absolutionem se se subjecit aliquanto post. Nunquid eum absolvere potest Episcopus, quamvis ligatus appellatione ad Metropolitanum, penes quem est, caussæ cognitio?

RESPONS.

Episcopus absque ulla difficultate Flaminium de excommunicatione potest absolvere, non obstante interposita ad Metropolitanum appellatione. Ratio est, quia superior quidem, e cujus judicio ad Metropolitanum provocavit, jam in appellantis detrimentum quidquam moliri nequit; quia in eam rem manus, ut ajunt, habet ligatas, ubi superior major, ad quem confugit, cognitionem caussæ interposita appellatione sibi arripuit; at superior ille major, hoc est Metropolitanus non potest impedire, na appellanti rem utilem concedat suffraganeus suus: atqui utile est appellanti, ut Episcopus latam in se sententiam rescindat, atque hujus injustitiam agnoscens, excommunicationem ipsi remittat. Quod constat ex tribus Decretalibus, prima Innocentii III. ad Archiepiscopum Rhotomagensem (a): altera ejusdem Papæ ad Episcopum Parisiensem (b) in qua dicit, *cum ille* (appellans) *appellationis persecationi renuntiasse tacite videatur*: Tertia Bonifacii VIII. in sexto relata (c).

(a) Innoc. III. in c. *Ad reprimendum*. 1. §. *Tu vero*. de offic. Jud. ordinarii.
(b) Id. Innoc. III. in c. *Sollicitudinem*. 54. de appellat. l. 2. tit. 28.
(c) Bonif. VIII. in c. *Si a judice*. 20. de appellat. ibi glossa in *o*.

CASUS LXIV.

Theophilum, excommunicatum publice denuntiatum, cum intra paucas horas moriturus, ut videbatur, angina subito laborasset, Parochus ejus de excommunicatione absolvit; ea tamen lege, ut, si sanus fieret, Episcopum, ad quem per tempus recurrere non potuerat, ipse adiret, pœnitentiam pro ejus Arbitrio imponendam accepturus, ut Ecclesiæ debitam redderet satisfactionem. Hic homo, recuperata valetudine, Parochi sui jussa perficere neglexit, putans se valide fuisse absolutum, conformiter ad potestatem, quam Concilium Tridentinum Sacerdoti cuilibet in simili casu concedit. Nunquid ex inobedientia sua in excommunicationem incurrit?

RESPONS.

Difficultatem istam constitutione sua dissolvit Bonifacius VIII. (d), his verbis in ea contentis: *Eos qui a sententia Canonis vel hominis (cum ad illum a quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulam, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum,) ab alio absolvuntur: si cessante postea pericalo vel impedimento hujusmodi, se illi a quo, his cessantibus, absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint præsentare; mandatum ipsius super illis pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi & satisfacturi, prout justitia suadebit: decernimus, ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ, in eandem sententiam recidere ipso jure.*

(d) Bonif. VIII. in c. *Eos qui*. 22. de sent. excom. in 6.

Eadem disciplina a Clemente V. postea in Concilio Viennensi in Delphinatu an. 1312. confirmata est quoad excommunicationem, Papæ reservatam (e), quam incurrit quispiam ex violenta percussione aut aliter injuriosa Clerici acceptione, & de qua reus in mortis periculos a simplici Sacerdote fuit absolutus. *Sane si quis in aliquo casuum prædictorum fuerit ab excommunicationis sontentia in mortis articulo absolutus*, ait hic Papa, *nisi, postquam pristinæ restitutus fuerit sanitati, quam cito commode poterit, conspectui Romani Pontificis se præsentare curaverit, ejus mandatum humiliter recepturus, prout justitia suadebit, in eandem excommunicationis sententiam reincidat ipso facto*. Nihilominus *illa obligatio* (se præsentandi conspectui Romani Pontificis) ut acute observat Cabassutius, quamvis Romanæ curiæ devotus (f), *multis in locis a suprema sede remotis plane cessavit*, ut *in Gallia*.

(e) Clem. V. in Clement. *Si quis*. 1. de pœnit. l. 5. tit. 8.
(f) Joannes Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 14. n. 3.

Ceterum, quando asserunt summi illi Pontifices, quod in casu proposito, in eandem, qua quis ante ligabatur, reincidit *ipso facto* excommunicationem; id tantum intelligi debet quo ad conscientiæ forum: nam quo ad forum externum nullos ea rediviva excommunicatio producit effectus, nisi nova accedat sententia, qua propter inobedientiam de novo excommunicationem ipsum incurrisse, & iterum denuntiatum iri excommunicatum declaretur, uti opportune advertit Author Colloquiorum Andegaviensium (g).

(g) Colloquio Andeg. mense Julii 1712. p. 221. q. 2.

CASUS LXV.

Arturus, de excommunicatione majori, occulta & reservata a simplici Sacerdote absolutus in præsenti vitæ periculo, tenetur ne, recuperata valetudine, superioris conspectui, sub reincidentiæ pœna in eandem excommunicationem, præsentem se sistere, ut iterum absolvatur, cum id non constituit Sacerdos?

RESPONS.

Ut is, qui in simili casu de peccatis suis a Sacerdote advena absolutus est, ad proprium Pastorem post recuperatas vires non tenetur recurrere, ut de iisdem peccatis iterum absolvatur, sed tantum, ut ipsi manifestet, se legitime fuisse absolutum; ita qui ad extrema ferme redactus, da axcommunicatione a simplici Sacerdote fuit absolutus, ubi convaluit, non tenetur superiori se præsentare, ut novam ab eo absolutionem recipiat, sed tantum ad subeundam, quam voluerit, satisfactionem. *Non oportet eum recurrere ad proprium Sacerdotem*, inquit sanctus Thomaa (h), *nt iterum a peccatis solvatur, a quibus in articulo mortis absolutus est, sed ut innotescat ei, quod est absolutus: nec similiter oportet, quod absolutus ab excommunicatione ad judicem vadat, qui alias (eum) absolvere potuisset, absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.* Ita enim fert usus, ut sic pœnitenti suo in simili casu jubeat Confessarius; *enigi consuevit*, ut loquitur Clemens III. (i).

(h) S. Th. in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2.
(i) Clem. III. in c. *Quod de his sent.* excomm. &c.

Verumtamen existimat Navarrus, quod, si pœnitentem id ipsum non juberet Sacerdos, is non teneretur post acceptam absolutionem de novo se superiori offerre; modo & parti læsæ & Ecclesiæ sufficienter satisfecisset. Et quidem in Concilio Tridentino de ea obligatione nulla fit mentio, sed e contra declarat Sancta hæc Synodus, absolute & omissa quacumque conditione, quemlibet Sacerdotem in mortia articulo, a quibusvis censuris & peccatis absolvere posse. *Verumtamen*, inquiunt Patres Concilii, *pie admodum, nc in hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper, fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Neque hactenus dictis adversatur Bonifacii VIII. constitutio, in præcedenti decisione relata (K): cum enim statuit hic Papa, ut, qui eo modo fuit absolutus, se iterum superiori præsentet, sub pœna incurrendi de novo eandem excommunicationem, in eo contemptum supponit & inobedientiam mandato Confessarii, a qao absolutionem sub hac conditione recepit, ut patet ex his Papalis Constitutionis terminis: *Si cessante postea pericalo .... se illi, a quo, his cessantibus, absolvi debebant ... contempserint præsentare.* Insuper constitutio ista in Galliæ regno non fuit admissa, & aliunde dici potest eam sufficienter a Concilio Tridentino fuisse revocatam in eo, quod declaret, nullam esse censuram in articulo mortis reservatam (l). Unde colligimus. Arturum de excommunicatinne pure & simpliciter absolatum absque mandato se præsentem superiori sistendi, si convalesceret, de contemptu & inobedientia erga Ecclesiam non posse damnari, neque Bonifacii VIII. constitutione comprehendi (m) modo, ut diximus, & parti læsæ & Ecclesiæ sufficienter satisfecerit. Observandum est tamen, talem

(k) Bonif. VIII. in cap. *Eos qui*. 22 de sent. excomm. lec. in 6.
(l) Concil. Trid. sess. 14. c. 7. de reform.
(m) Navar. Manual. c. 26. n. 26. De Sainte Beuve t. 2. cas. 41.

lem præsentationem ab eo pœnitente non esse omittendam, in cujus Diœcesi viget tale statutum ab Episcopo emissum; licet Sacerdos, qui *in articulo mortis* ipsum absolvit, hoc ei mandatum per oblivionem aut ignorantiam non fecerit; ut servari debet in Diœcesi Parisiensi juxta Mandatum Eminentissimi Cardinalis de Noaille, Parisiorum Archiepiscopi 2. Januarii an. 1709. promulgatum de Casibus reservatis, in quo sic legitur (a): *Si autem absolutus fuit Moribundus a censura aliqua, omnino necesse est, ut, ubi convaluit, ad superiorem accedat, denuoque ab eo absolutionem censuræ recipiat*; quæ ultima verba rigide loquendo, de approbatione præcedentis absolutionis intelligenda sunt juxta Doctrinam sancti Thomæ, nec non verba ista Constitutionis Bonifacii VIII. *Mandatum ipsius* (superioris) *super illis pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout justitia suadebit.*

(a) Mandatum Eminent. Card. Archiep. Paris. tit. de Casib. reserv. a. 6.

CASUS LXIV.

FULDRADIUS excommunicatus, & subito morbo correptus, excommunicationis absolutionem ab Episcopo requirit. Sed quia juste timeri potest ne eam mortis judiciorumque divinorum metu potius, quam vera sinceræ pœnitentiæ intentione postulet, hanc ei conditionate tantum concedere opportunum videtur Episcopo: quare ab eo id promissum exigit, quod nimirum intra duos menses proximo suo offenso, vel in propria persona, vel bonore, vel bonis plene satisfaciet, ut ad id jure tenetur (b): & piam suscipiet peregrinationem triginta Leucas e vico Domicilii sui dissitam; quas duas conditiones si non perficiat, in pristinam suam reincidet *ipso jure* excommunicationem. Fuldradius, completa prima conditione, alteri, sed uno mense tardius satisfacere non potuit, quia tum in morbum recidit, cum peregrinationem parabat. Qua de re quæritur, utrum eadem denuo excommunicatione fuerit ligatus, quod istam intra duos menses præscriptos conditionem non adimpleverit?

(b) Alex. III. in c. *Parochianos*. 9. & in c. *Ex tenore*. 10. de sent. excom. &c. Clem. III. in c. *Ea noscitur*. 13. eod. tit. Bonif. VIII. in cap. *Eos qui*. sup. cit. Innoc. III. in c. *Ex parte*. 25. de verborum signif. l. 5. tit. 40.

RESPONS.

Absque nota severioris disciplinæ defendi non posse videtur, Fuldradium in eandem iterum lapsum esse excommunicationem, quia tempore præscripto peregrinationem ad amussim non complevit, quæ altera erat conditio, sub qua ei absolutio fuerat concessa. Ratio est, quia hujusmodi conditiones imponere velle non censetur superior, nisi is, quem hoc modo de excommunicatione absolvit, legitimo non impediatur obice, quominus eas perficiat. Quod clare patet ea constitutione Bonifacii VIII. ad marginem propositi casus laudata, qua ab eo, qui de excommunicatione absolvitur, id tantum postulat, quod commode poterit adimplere: *Si hæc, cum primum commode poterunt, non curaverint adimplere*, inquit hic Papa. Reipsa Ecclesia reincidentiam in eandem censuram non constituit, nisi in odium & pœnam inobedientiæ reorum, & *ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ*. Cum igitur Fuldradius priorem & potiorem sibi impositam conditionem tempore statuto adimpleverit, proximo, quem offenderat, plene satisfaciens, & alteram ob casum morbi duntaxat omiserit, ac denique illam, ubi primum potuit, impleverit, at sic & rectam intentionem & suam Ecclesiæ mandato subjectionem testaretur, dici nequit, eum denuo eadem excommunicatione fuisse innodatum, quod invitus mandato sibi facto parere cunctatus sit. Ita sentiunt Auctor modernus rei hujusce peritissimus (c), nec non Auctor colloquiorum Andegavensium (d).

(c) Dunoffe prax. jurisd. Eccl. vol. c. 12. §. 2. n. 3.

(d) Colloq. Andeg. mensis Julii an. 1712. q. 6.

CASUS LXVII.

THEODORUS excommunicatus denuntiatus, quod excommunicationem Apostolicæ Sedi reservatam incurrisset, de ea absolutus est a legato Pontificio, illa tamen Lege, ut Diœcesano Episcopo præsentem se sisteret, ab eo pœnitentiam sibi debitam, speciemque satisfactionis, quæ personæ offensæ erat debita, accepturus. Cum se præsentare neglexerit Theodorus, nunquid tamen valide est absolutus?

Respuns.

Theodoro concessa absolutio ob negligentiam suam prorsus est inutilis, ut patet ex laudata jam superius Bonifacii VIII. constitutione (e), in qua sic statuit hic Papa: *Decernimus*, inquit, *ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ, in eandem sententiam recidere ipso jure. Idem statuimus de his, quibus, cum a Sede Apostolica, vel a Legatis ipsius, absolutionis beneficium a quibusvis sententiis consequuntur, injungitur, ut Ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet, suscepturi pœnitentiam ab eisdem, se conspectui repræsentent, & passis injuriam, seu iis, quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem, si hæc quamprimum commode poterunt, non curaverint adimplere* (f).

(e) Bonif. VIII. in cap. *Eos qui*. 22. de sent. Excom. &c. in 6.

(f) Fr. Tolet. instruct. sacerdot. l. 1. c. 39. n. 2. Coll. quis. Condon. Tomo 1. colloq. 4. sect. 4.

CASUS LMVIII.

FLORENTINUS, excommunicatus denuntiatus, absolutionem de hac censura vehementer peroptaret, sed præsentem se sistere coram superiore ob nimium pudorem reformidat; vel non potest ob nimiam domicilii sui distantiam, vel ob aliquam corporalem infirmitatem, qua iter aggredi nequit. Nunquid per Procuratorem valide absolvi potest?

RESPONS.

Quamvis absens persona de peccatis suis absolvi nequeat (g), potest tamen de censuris: cum enim Ecclesia absentes excommunicatione aliisque possit ligare censuris, a fortiori potest & solvere. Igitur Florentinus, quamvis absens, solvi potest, non de suis quidem peccatis, sed de incursa a se excommunicatione, modo hanc a Superiore gratiam requirat per procuratorem a se in eam rem delegatum, qui ipsius nomine necessarias impleat satisfactiones. Dicimus: *per Procuratorem a se in eam rem delegatum*: Quia speciale mandatum habere debet Procurator, ut observat Glossa (h) in constitutionem Bonifacii VIII. in sexto decretalium relatam (i).

(g) Can. *Quem pœnitet*. 88. de pœnit. dist. 1.

(h) Glossa in c. *Quod ad agendum*. v. pacifici de procuratorib. in 6. l. 1. t. 19.

(i) Ducasse jurisd. Eccl. volunt. c. 12. §. 2. a. 1.

Confirmari potest hæc nostra decisio auctoritate Richardi (k), qui Angelum de Clavasio sequitur (l): & uterque talem absolutionem tanquam legitimam & validam approbat, uti Joannes Andreas, Archidiaconus & Durandus (m). Et quidem luculentum rei hujusce argumentum suppeditat Epistola sancti Gregorii Magni ad Casterium Ravennæ notarium scribentis de Maximo Salonitano, qua erga eum hanc agendi rationem dicto Casterio præscribit. *Si Maximus Salonitanus*, inquit hic sanctus Pontifex (n), *præstito Sacramento firmaverit, se Simoniaca hæresi non teneri, atque de aliis ante Corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus innoxium se esse responderit, & de inobedientia sua pœnitentiam, sicut depu avimus, egerit; volumus, ut ad consolandum illum, epistolam quam ad eum scripsimus, ubi ei & gratiam nostram & communionem nos reddidisse signavimus, experientia tua dare debeat.* Ex quibus verbis Glossa in canonem, in quo refertur hic textus, ita concludit (o): *Ergo quis potest absolvi per litteras & excommunicari*. Idem etiam alibi docet Auctor (p) hujusce Glossæ, in alium videlicet canonem depromptum ex Epistola, quam Stephanus Quintus ad Episcopum Thianensem in reguo Neapolitano scribit. Ex quibus omnibus clare patet, nostram ea de re decisionem Juri Canonico nec non clarissimorum doctorum sententiæ penitus esse conformem.

(k) Richardus in 4. dist. 18. art. 10. q. 2.

(l) Angelus. v. *Absolutio* 1. q. 1.

(m) Joan. Andr. in cap. *Qui ad agendum*. 4. de procurat. in 6. l. 1. tit. 19. Archidiac. in c. *Eos qui*. 22. de sent. Excom. l. 5. tit. 11. Innoc. IV. in c. Cum desideres. eod. tit.

(n) Greg. l. 7. ind. 2. Epist. 81. in Can. *Quanto*. 8. n. q. 4.

(o) Glossa in eil. can. *Quanto*. v. Epistola.

(p) Glossa in can. *De manifesta*. 37. 1. q. 1. v. *Judicavi*.

CASUS LXIX.

PRISCILLIANUS, excommunicatus denuntiatus, a Confessario suo de peccatis suis & censura absolutus est vi Jubilæi generalis, quod lucratus est, & ea omnia confecit, quæ sibi fuere injuncta. Nanquid omnia jura, quibus excommunicatione fuerat spoliatus, sic recuperavit, ut Superior, qui censuram protulit, ipsum ad aliam subeundam absolutionem cogere nequeat?

R E-

RESPONS.

Priusquam difficultati propositæ fiat satis, supponendum est, quod a nemine in dubium revocari potest; duplex videlicet esse forum, scilicet forum internum Sacramenti pœnitentiæ, & forum externum, & ad utrumque pertinere excommunicationem aliasque censuras, ut constat ex his Innocentii III. (*a*) verbis ad Abbatem sancti Andreæ scribentis: *Judicium Dei veritati qua non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnumquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur: illud autem quo ligatus est ab Ecclesia, cum sententia remittitur, relaxatur*. Unde concludit hic Pontifex, ob eamdem rationem excommunicato qui ante acceptam absolutionem vere pœnitens e vivis excessit, inutilia esse Ecclesiæ suffragia ac preces, donec ipsum in foro externo absolverit eadem Ecclesia; *quia*, inquit, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur; nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus*.

(*a*) Innoc. III. in c. *A nobis*. 28. de sent. ex-com.

Præsupposita hac veritate, dicimus, eum qui excommunicatione aliave censura occulta ligatur, ex accepta in foro interno absolutione Ecclesiæ communionem adipisci, & publice se gerere posse, quasi numquam excommunicationem incurrisset, Sacramentis, ut ante, participando, aliisque ministrando, si sit Sacerdos: sed non idem dicendum est de eo qui ex juridica & publica sententia excommunicatus declaratus est: cum enim Ecclesiæ sit suum forum externum præter internum pœnitentiæ, & in priori semper excommunicatus habeatur, donec publica fuerit ipsius absolutio; necesse est omnino, ut judici qui tulit censuram, & communitati cui præbuit scandalum, nota sit penitus ejus absolutio. Ex quo sequitur, quod, licet Priscillianus clam Sacramentorum fieri particeps nec non Missæ Sacrificio possit interesse; necesse est tamen, ut absolutionem iterum in foro externo postulet & recipiat: quod utrumque si recusaret, in ipsum Judex agere posset, eique canonicas infligere pœnas, quas merentur illi qui re ipsa mandatis Ecclesiæ refragantur.

Advertendum 1. Absolutionem censurarum *ab homine* aut earum quæ in externo justitiæ tribunali latæ sunt, in foro itidem externo posse dumtaxat conferri a Superiore ad quem pertinet jurisdictio, aut ab ejus in hanc rem delegato.

2. Excommunicationem particularem quæ consequenter ad monitorium fertur in quosdam privatos terminis generalibus, pro certo esse reservatam Superiori qui eam tulit, licet in sententia non exprimeretur reservatio.

3. Absolutionem istam non esse Sacramentalem; quia per eam non remittitur a Superiore peccatum quod est excommunicationis caussa; sed tantum rehabilitatur peccator, ipsum revocando ad Ecclesiæ communionem, & ad omnia jura quæ per hanc censuram amiserat; eumque hæc absolutio disponit ad obtinendam absolutionem de suo peccato in Sacramento pœnitentiæ, cujus Sacerdos solus est minister, ut declarat Innocentius III. scribens ad Episcopos Valentiæ & Burgorum in Hispania (*b*).

(*b*) Innoc. III. in cap. *Nova*, 10. de pœnit. & rem. l. 5. tit. 38.

4. Non necesse esse, ut Superior absolvens sit Sacerdos. Nam si censura ligare queat, licet nondum sacris initiatus Ordinibus, ob eamdem rationem solvere potest juxta istam regulam: *Ejus est solvere cujus est ligare*, depromtam ex his sancti Ambrosii verbis (*c*): *Dominus par jus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit*.

(*c*) S. Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 2. in can. *Verbum*. 51. §. 1. de pœnit. dist. 1.

5. Jure non præscribi formam absolutionis quæ confertur de excommunicatione in foro externo, atque ita satis esse 1. ut terminis clare manifestetur intentio tollendæ excommunicationis & rei Ecclesiæ reconciliandi. 2. Si excommunicatio denuntiata & scripto mandata fuerit, actum pariter absolutionis promulgandum esse & scripto tradendum. 3. Quod ratio nunc usitatior pro excommunicato juridice denuntiato in eo consistit, ut præscribatur satisfactio a reo Ecclesiæ & personæ offensæ facienda, quam etiam, si fieri potest, ante adimplebit, & tandem ei præbeatur absolutionis sententia qua feratur, eam promulgandam esse, ubicumque opus erit. Aliæ quippe antiquæ cærimoniæ jam non vigent, præsertim in Gallia.

CASUS XX.

APHRODISIUS dives beneficiarius moriens testamento omnia bona sua e beneficiorum suorum fructibus parta, Ecclesiæ ac pauperibus legavit; quod ubi rescivit Renatus nepos ejus, tanta percitus est iracundia, ut ipsius postea defuncti cubiculum ingressus mortuum corpus repetitis multoties ac validis fustium ictibus coram duobus fratribus suis percusserit: Numquid is ob impium factum majorem incurrit excommunicationem, latam Canone, *Si quis suadente* 17. q. 4.

RESPONS.

Canonistæ quidam, ut Sandeus Felinus, affirmant (*d*). Præcipua eorum ratio hæc est, quod Clericorum privilegium, quo ab omni violenta manuum injectione fiunt immunes, ipsis præcise non conceditur propter eorum ordinationem, cum Laici conversi & Religiosi eodem potiantur privilegio juxta duas Alexandri III. Decretales in corpore juris relatas (*e*), licet aliquo non fuerint Ordine initiati.

(*d*) Felin. Sandeus in c. *A nobis*. 28. de sent. excom. n. 4.

(*e*) Alex. III. in cap. *Non dubium est*. 5. & in cap. *Ex tenore* 12. de sent. excom.

Existimamus attamen Felini rationem ejusque sequacium non esse solidam, & ne quidem veram. Nam affirmat Innocentius III. (*f*), quod ..... *Canon ille, non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem clericalis ordinis fuerit promulgatus*. Quod idem asserit Bonifacius VIII. (*g*) in una ex Constitutionibus suis in sexto his verbis relata; *Privilegium retineant Canonis ab Innocentio Papa II..... editi in favorem totius Ordinis Clericalis*.

(*f*) Innoc. III. in c. *Contingit*. 36. de sent. excom.

(*g*) Bonif. VIII. in cap. *Clerici*, un. de Clericis conjugatis. in 6. l. 3. tit. 2.

Affirmari autem nequit sine aperta insulsitate, corpus mortuum esse Clericum, cum ex Concilio Tridentino (*h*), specialis character quo insignitus est, in anima tantum impressus fuerit, & de eo quidquam non supersit in corpore mortuo.

(*h*) Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. can. 9.

At supervacaneum est dicere Conversos fratres ac Novitios eadem cum Clericis frui prærogativa. Hanc enim ipsis Ecclesia concessit, ob regularem quam amplexi sunt vitæ rationem. Unde sequitur, quod, cum ex obitu Religionis membra esse desinant, etiam cum vita finitur tale privilegium.

De casu itaque proposito idem dicendum est, ac de eo quem alibi proponimus de homine qui cadaveri cervices abscidisset (*i*): nam ut ex hoc effectu non fieret irregularis, quia de irregularitate hujusmodi jus reticet; ita qui Clerici cadaver percutit non fit excommunicatus, cum in jure talis excommunicatio non exprimatur.

(*i*) V. Irregularis Cas. Jean.

Vide { APPELLATIO Cas. 9.
CASUS RESERVATI.
ECCLESIA Cas. 2. 3. 4. & 5.
EXCOMMUNICARE.
MISSA Cas. 42.
OFFICIUM BREVIARII Cas. 11.
PROVISIO BENEFICII. }

EXCOMMUNICARE.

NECESSE est ad plenam difficultatum hujusce tituli intelligentiam, ea legere, quæ in capite præcedenti diximus, in quo jam advertimus, a quo primi Ecclesiæ Pastores potestatem excommunicatione ligandi habent, tresque prævias monitiones adeo esse requisitas, quo justa & canonica sit excommunicationis sententia, ut judex ecclesiasticus eas omnes præmittere teneatur, nisi subsit urgens ratio.

Episcopus, ejusve officialis totam communitatem, aut ne quidem privatam familiam excommunicare non potest, nisi certus sit, singulas familiæ aut communitatis personas ex æquo esse conscias mortalis peccati quod excommunicationi ansam præbuit; atque id quidem certo cognoscere moraliter impossibile est.

Excommunicatio a triplici superiorum specie ferri potest, scilicet ab Episcopo, ejus Vicario generali, cum hanc ei potestatem verbis expressis in litteris Vicariatus sui generalis fecit; & ab Officiali, nec non ab omni alio Prælato cui competit jurisdictio contentiosa seu sæcularis, seu regularis: nisi tamen ipsi sint excommunicati, denuntiati, aut suspensi *a jurisdictione*, & suam non proferant excommunicationis sententiam, nisi *intra limites territorii sui*.

In Gallia Officiales fori regii ecclesiasticæ jurisdictioni non subjacent in his quæ pertinent ad debitum muneris sui, atque adeo excommunicatione ligari nequeunt neque ab Episcopis, neque ab ipso Papa. Quod regula ista certissima innititur, scilicet a superiore judicari aut puniri non posse, nisi eos qui jurisdictioni ipsius subjacent.

CASUS PRIMUS.

OFFICIALIS Scodrensis, Decreto monitorio, ut excommunicationis sententiam ferret in privatum quemdam, jussit, ut una vice solum pro tribus promulgaretur. Numquid canonica fuit & valida excommunicationis sententia ab ipso lata post istam promulgationem?

RESPONS.

Præscribitur a sacris Canonibus triplex prævia monitio canonica, priusquam a Superiore ferri queat excommunicationis sententia. Id constat ex Concilio Rothomagensi ad annum 1118. habito quod refertur in Canone Decreti Gratiani (*a*): en ipsius verba: *Statuimus, ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel & secundo & tertio; qui si non se emendaverint, anathematis vinculo feriantur*. Est & alter ab eodem Gratiano Canon relatus (*b*) in quo dicitur: *Fraterno amore conveniantur secundo & tertio*. Et Innocentius III. eamdem rem his verbis significat (*c*): *Si tertio a te commoniti se ipsos contempserint emendare &c.* Et idem in alia Decretali (*d*): *Cum speciali sit prohibitione provisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, promulgare præsumat*. Denique Gregorius X. in Decretali promulgata in secundo Concilio œcumenico Lugdunensi anni 1273. statuit, *ut Judices*, inquit, *observent aliquorum dierum competentia intervalla* (*e*): v. g. sex dierum: scilicet duorum pro prima monitione: duorum sequentium pro secunda: ac denique aliorum duorum pro tertia: idque eo fine 1. ut reus suam possit agendi rationem recogitare, & sic se ad obediendum Ecclesiæ disponere, ac malum a se commissum reparare, ut observat S. Chrysostomus (*f*). 2. Ut cohibeatur nimia judicum præcipitatio, vel etiam partium adversarum fraudes impediantur. 3. Ut certior fiat reorum contumacia.

Disciplinam hanc, sapientia & caritate plenam, accurate observarunt Ephesini Concilii œcumenici Patres in caussa Nestorii, quem non nisi tribus sequentibus diebus citatum ad assistendum Concilio damnarunt (*g*). Eadem quoque procedendi formula a Patribus Concilii Chalcedonensis servata est; antequam Dioscorum condemnarent, qui scripto ter in Concilium vocatus est, uti Nestorius (*b*). *

Atta-

(*a*) Conc. Rhotomag. in can. *Omnes*. 5.16. q. 7.

(*b*) Nicolaus I. in c. *De Presbyterorum*. 23. 27 q. 4.

(*c*) Innoc. III. in c. *Contingit*. 45. de sent. excom. &c. lib. 5. tit. 39.

(*d*) Idem in cap. *Cum speciali*. 62. de appellat. l. 2. tit. 28.

(*e*) Greg. X. in cap. *Constitutionem*. 9. de sent. excomm. &c. in 6.

(*f*) S. Chrysost. hom. 18. in Matth.

(*g*) Conc. Ephes. act. 1.

(*b*) Conc. Chalced. act. 3.

* Duplicis speciei monitiones distinguuntur. Sunt quas requirit caritas; & tres Matt. C. 18. memorantur, 1. *Corripe eum inter te & ipsum solum*: 2. *Adhibe tecum adhuc unum vel duos*: *Dic Ecclesiæ*. Sunt quas ipsamet exigit justitia 3. quæ ab Ecclesia institutæ sunt ad instar trium monitionum a Christo institutarum, & ad eamdem finem. Utriusque speciei monitiones a se invicem numquam sunt separandæ; immo ita adhibendæ sunt, ut a monitionibus simpliciter caritativis, quantum fieri potest, ad Canonicas, & a Canonicis ad sententiam excommunicationis procedatur. Siquidem, cum de infligenda excommunicationis pœna agitur, lente properandum est, nec membrum a corpore rescindendum est, nisi tentatis prius omnibus, quæ caritas vere pastoralis suggerit, medicamentis: *Excommunicationis gladius*, inquit Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reform. *sobrie magnaque circumspectione exerendus est*. Et paullo infra: *Caussa diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata: quæ ejus animum moveat*. Primis Ecclesiæ sæculis monitiones a Christo institutæ seu caritativæ præibant, ut patet ex sancto Clemente lib. 2. Constitut. Apost. C. 41. cujus autem verba heic referre juvat: *Tu, ut medicus condolens, curam omnium qui deliquerint, utens salutaribus ad opitulandum adjumentis: & non solum secans, aut urens, aut arida medicamenta adhibens; sed etiam vulnus alligans, & lintea concerpta apponens, & lenia medicamenta quæ vim habeant obducendi cicatricem, immittens, ac verbis consolatoriis velut perfundens. Si vulnus cavum fuerit, nutri, ac fove illud suavi emplastro, ut carne subolescente repletum, æquale efficiatur parti sanæ. Si autem vulnus sordescit; tunc repurga avicula, id est, sermone increpatorio; si turgescit, complana & deprime acri collyrio, id est, minis judicii: si serpit depascendo carnem, cauterio adhibito ure, & excide sanie, comprimens jejuniis. Quod si hæc feceris, ac demum intellexeris quod a pedibus usque ad caput non est malagma imponere, neque oleum, neque alligationem; immo magis serpit cancer, & omnem curationem anticipat, universas partes corporis tamquam gangræna tabefaciens; hoc tu cum multa consideratione & consilio, aliis item medicis peritis & exercitatis in consilium adhibitis, abscinde membrum tabidum, ne universum corpus Ecclesiæ eadem tabe corruptum intereat. Ne igitur facilis sis, & praeproperus ad secandum, neque celeriter ad ferrum dentatum prosilias, quin potius utere prius scalpello ad dissecanda apostemata, ut, caussa morbi quæ intus residet, excreta, corpus servetur a dolore incolume. At vero quem a pœnitentia alienum videris, & obduruisse, hunc tu cum mœrore & luctu, insanabilem abscinde ab Ecclesia*. Quam multa veterum Episcoporum sollertissime caritas tentabat remedia, prius quam ullum membrorum a corpore Ecclesiæ amputaret!

Attamen ex Decretali Gregorii X. laudata una quandoque pro tribos sofficere potest monitio; *Judices*, inquit hic Papa, *sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus &c.* Sed in hoc casu monenda est commonitas, onicam tantum monitionem esse faciendam, & insuper observaodum intervallom, V. g. sex dierum, scilicet duorum pro prima monitione, duorum pro secunda, & & sic pro tertia, ot observat Cabassotius (*a*) post Navarram (*b*), aliosque Canonistas, *nisi facti necessitas aliter ea* (intervalla) *suaserit moderanda*, ut loqoitur idem Gregorios X. Enimvero fieri potest aliquando, ot ob graves & urgentes circumstantias rei pœnam differre neqoeat Superior: qoo in casu ab eo ferri posse censuram, statim post primam monitionem omnes conveniunt, * reo declarando, primam hanc ab eo pro omnibos esse habendam. Hæc agendi ratio qoandoque potest esse necessaria, ut cum gravi Ecclesiæ scandalo providendum est, cui tutiorem & breviorem offerri non posse remedium existimat Episcopus.

(*a*) Joannes Caballus. Juris can. theor. & prax. l. 3. c. 22. n. 18.

(*b*) Navar. Manual. c. 27. n. 11.

Ex dictis sequitur, quod, licet Scrobensis officialis unam tantum jusserit monitionem, antequam proferretur excommunicatio, sententia tamen est valida, & etiam canonica, si declaraverit, hanc onicam esse faciendam, ob ootas sibi caussas legitimas, monitionem, & sex dierum intervallum observarit: Sed si nullam habuerit caussam legitimam, cur ita ageret, ipsios tamen sententia, quamvis valida secundum formam, tamen est injusta. *Ubi vero non tres, sed una aut altera præcessit admonitio, circa præsentem seu præteritam culpam*, inquit Cabassutius (*c*), *valida quidem erit censura, sed tamen injusta, & per Superiorem relaxanda.*

(*c*) Cabassut. ib. n. 22.

Vide Casum IX. Palemon inferius.

CASUS II.

Gymnasium S. Amandi, in quo sunt Gymnasiarcha, octo Professores, viginti Convictores, & qoinquagiora Scholastici, qui in eo habitant, eo processit aodaciæ, ur Episcopo Diœcesano insoltaret, qui illud visitare volebat; at Episcopos in totam processom instruxit communitatem, quam pœna excommunicationis plectere intendit omnia ejus membra generatim complectens. Nunquid illod potest tuta conscientia?

Respons.

Difficultatem istam solvit Angelicus Doctor dicens (*d*): *Excommunicari non debet aliquis, nisi pro peccato mortali; peccatum autem in actu consistit: Actus autem non est communitatis, sed singularum personarum, ut frequenter, & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas.*

(*d*) S. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Ob eandem rationem tuetur Gratianus (*e*) totam familiam non posse excommunicari; idqoe ex multis comprobat Canonibos: Unde verisimile est, a S. Basilio (*f*), hominem quemdam cum tota familia sua non fuisse excommunicatum: *Cum familia sua separetur a precibus & sacrarum rerum omnium communione, usque dum ab omnibus declinatus ad meliorem frugem revertatur*; nisi qoia Sancto notum erat, singulos e familia, nullo excepto, peccati hujusce hominis esse participes. Quod idem affirmandum de simili excommunicatione, quam Synesius Ptolemaidis Episcopus tulit in Andronicum, Præfectum Bernices, Pentapoleos oppidi (*g*), totamque ejus familiam, ejusdem cum eo peccati consciam.

(*e*) Gratianus. §. His ita & §. ut ergo.

(*f*) S. Basilius Epist. 245.

(*g*) Synesius ep. 58. ad Episcopos.

Confirmari potest hæc decisio aoctoritate sancti Augostini, qui ad juvenem qoemdam Africanum Episcopom scribens (*h*), dictum Auxilium, qui imprudenter Classicianum, virum nobilem excommunicarat cum tota familia sua, quæ nullatenus viri hujus excessuum erat conscia, eum de hac re, uti de notabili, quam commiserat, injustitia vehementer redarguit. En verba S. Doctoris: *En adsum senex a juvene, & Episcopus tot annorum a Collega, nec dum annicula paratus sum discere, quomodo vel Deo, vel hominibus justam possumus reddere rationem; si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt, sicut ex Adam in quo omnes peccaverant, originale peccatum, spirituali supplicio puniamus.* Quibus subjungit: *Nunquam hoc facere ausus sum, cum de quorumdam facinoribus, immaniter adversus Ecclesiam perpetratis, gravissime permoverer.*

(*h*) S. Aug. Ep. 250. alias 75. in can. Si habes. 2. 24. q. 3.

Colligimus igitur in singulas Gymnasii sancti Amandi personas ab Episcopo, de quo fit in casu mentio, excommunicationem non posse promulgari, cum is legitime præsumere queat, e tanto personarum, scilicet 79. numero, qoasdam, immo & plures esse innocentes; quas proinde absque certa & horribili injustitia anathemate percellere nequit (*i*).

(*i*) Petr. Palud. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3.

CASUS III.

Cum singuli cujusdam communitatis efficaciter ad eumdem actum concurrissent, qui ex genere suo & adjunctis erat lethale peccatom; V. g. Gymnasiarcha, Professores & Discipuli simul navim onustam mercibus traxissent, qoas direptas inter se diviserunt; Nonne Gymnasium totum aut communitas generatim ab Ecclesiæ Judice excommunicari potest?

Respons.

Sanctus Thomas, qui eandem ferme sibi proponit difficultatem, existimat, singulas totius communitatis personas ab Ecclesiæ Judice generatim excommunicari non posse; quia *etsi etiam quandoque actus sit totius alicujus multitudinis*, inquis Angelicus Doctor (*K*), *ut quando multi navim trahunt, quam nullus trahere posset, non tamen est probabile, quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes*, (ac proinde peccatum mortale non admiserint, sine quo tamen nemo potest excommunicari) (*l*): *Et quia* non est Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet justum cum impio, *ut dicitur Genesis 18. ideo Ecclesia, quæ judicium Dei imitari debet, satis provide statuit, ut tota communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis simul eradicetur & triticum* (*m*).

(*k*) Concil. Meldens. in can. Nemo. 4. 11. q. 3.

(*l*) S. Thom. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

(*m*) Math. 5. 13.

Hinc non minus sapienter quam legitime ab Innocentio IV. in primo œcumenico Lugdunensi Concilio ao. 1245. prohitus est ille excommunicationum hujusmodi usus (*n*): *In Universitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam prohibemus*, inquit hic Papa, istam addens rationem: *Cum nonnumquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri.*

(*n*) Innoc. IV. in Conc. Lugdun. generali. 1. in cap. Romana. de sent. excumm &c. in 6.

Putat tamen Sylvius (*o*), quod si Episcopus singulos e communitate excommunicaret, quos omnes criminis ejusdem reos existimaret, *Probabile est*, inquit hic Theologus, *excommunicationem fore validam, quantum ad illos, qui ea digni sunt, etiamsi non quantum ad innocentes: quanquam & hi deberent, se ut excommunicatos palam gerere, donec de eorum innocentia manifeste constaret.* At quod hic dicit Sylvius, est tantum, ut ipse fatetur, opinio probabilis, eo tantum nixa medio, quod ex sua Decretali Innocentius IV. simpliciter excommunicationes hujusmodi prohibeat, & non invalidas declaret. Qoare non tenenda est hæc opinio, tam infirma ratione fulta; sed po-

(*o*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 22. art.

* Animadvertit Dominus Eveillon Ecclesiæ Andegavensis Canonicus & Vicarius generalis in suo de Excommunicationibus & monitionibus tractatu Cap. 18. intervalla posse quidam abbreviari, ita ut tres monitiones sint fere continuæ, aut etiam ita ut unica monitio fiat, sed tamen intervalla omnino non posse omitti, saltem inter unicam monitionem, & sententiam excommunicationis; Si enim nullum esset temporis spatium, saltem inter unicam monitionem & sententiam, non esset contumacia. Hoc idem jam animadverterat Glossa in Cap. *Constitutionem* de sent. Excom. in Sexto; Glossa enim hæc istius Capitis verba, *Competentia intervalla ..... moderanda*, explicans, notat non dici, *tollenda*, aut *omittenda*. Contrarium, ut puto, non asserit Pontasius, quamvis dicat in casu urgentis necessitatis sententiam Excommunicationis posse ferri *statim post primam monitionem*; potest enim dici Pontasium uti verbo, *statim*, ut excludat duas alias monitiones, non autem ut excludat aliquod tempus quod medium sit saltem inter primam monitionem & sententiam.

tius dicendum, totam communitatem aut totum Collegium, etiam in casu nunc proposito terminis universis a Judice Ecclesiæ absolute non posse excommunicari.

CASUS IV.

Danieli, Gemmarum mercatori, qui Belloquadram, gemmas venditurus in nundinis, venerat, in diversorio suo subreptæ sunt hujusmodi gemmæ ad valorem septem octove millium librarum. Qua de re solito more apud Judicem conquestus, monitorium a Vicario generali Episcopi sibi concessum, & post tertiam denuntiationem promulgatum obtinuit. Furem reipsa noverat Eustachius inclytus hujusce regionis Caussidicus; sed ad revelationem se non teneri putavit, quia contendit, in tali casu a Vicario generali jure non posse ferri excommunicationis censuram; cum excommunicationes ad finem revelationis ob res subreptas aut amissas ab Episcopo tantum ferri statuat Tridentinum Concilium: Cui rationi addit etiam, excommunicandi potestatem inter caussas, quæ *majores* dicuntur, recenseri; quæ proinde nemini communicari potest, nisi specialiter exprimatur. Quæritur autem, utrum legitimæ sint Eustachii rationes, nec ipse sit excommunicatus?

Respons.

Vicarius Episcopalis, cui ex provisionibus suis specialiter collata est potestas ferendi censuras, monitorium potest concedere, & excommunicationis sententiam in eos, qui non obediunt, proferre. Unde si hæc fuerit concessa potestas Vicario generali, de quo in casu proposito fit mentio, ex provisionibus suis; certum est, Eustachium vere esse excommunicatum, quod furtum Danieli factum ac sibi notum non revelarit.

Dicimus: *cui ex provisionibus suis specialiter collata est potestas ferendi censuras*: Nam excommunicandi potestas generalibus terminis Vicariatus Litterarum non continetur; ac necesse est, ut in iis hæc potestas specialiter exprimatur, uti patet ex his verbis Bonifacii VIII. (*a*): *Licet in Officialem Episcopi per commissionem Officii generaliter sibi factam caussarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, Officiis, vel administrationibus amovendi transferri nolumus in eundem, nisi sibi specialiter hoc committatur*. Ita quoque expresserunt ii, qui harum Litterarum exemplaria formavere, uti Rebuffus (*b*). Sbrozzius, Franciscus Leo, Barbosa, & Aaorius, quos laudat Eveillon, qui eorum sententiæ, quam sequitur, hanc affert rationem: *Nam permagni interest, ut nulli dubia aliquo modo possit esse validitas excommunicationum, quæ promulgantur; cum res ista ad tot pertineat homines. Atqui præcipuum validitatis fundamentum, pergit hic Auctor, est ut certa sit legitima potestas excommunicatoris*. Et quidem multa Galliæ Concilia Provincialia, ut Rothomagense an. 1581. Rhemense & Burdigalense an. 1583. (*c*) judicarunt, potestatem ferendi censuras Vicariis generalibus & officialibus necessario expressis terminis esse concedendam ab Episcopis, quam aliter exercere non possent, uti declaravit sacra Congregatio Cardinalium sacri Tridentini Concilii interpretum, referente Piacesio, qui hanc tuetur sententiam (*d*).

(*a*) Bonif. VIII. in cap. *Licet*. 2. de offic. Vicarii in 6. l. 1. tit. 13.
(*b*) Petr. Rebuffus prax. Benefic. tit. *Forma Vicariatus*, &c.
Sbrozzius de officio Vicarii Epis. l. 1. q. 70.
Franc. Leo Thesaur. fori Eccles. c. 10.
August. Barbosa de officio, & potest. Episc. part 3. l. legat. 54.
Joan. Azorius instit. moral. t. 2. l. 3. c. 46.
Jacob. Eveillon tractatu de Excomm. & monit. cap. 8. art. 5.
(*c*) Concil. Rothomagens. &c. tit. de jurisd.
(*d*) Piacesius prax. Episc. 2. part. c. 4. n. 14.

Existimant tamen alii Auctores potestatem ferendi censuras ad istos pertinere Officiarios; modo Litteris suis inserta fuerit clausula generalis: *Ac generaliter omnia & singula faciendi &c.* absque potestate specialiter expressa; & ita sentit Auctor modernus (*e*). Sed cum ista opinionum varietas ex præcisis Concilii Tridentini oriatur terminis, quos alii stricte, alii late exponunt; putamus, quod, cum de re tanti momenti agatur, qualis est validitas, aut invaliditas excommunicationis, tutiorem interest opinionem sequi.

(*e*) Colloquia Andegavi. mensis Septembris 1712. q. 3.

Futiles sunt etiam ambæ Eustachii rationes ad excusandam inobedientiam suam: Nam 1. cum Tridentinum constituit (*f*), ut *Excommunicationes illæ; quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu substractis rebus ferri solent a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur*: Solos ex hoc Decreto Archidiaconos & Prælatos inferiores excludere intendit, non vero generales Vicarios, qui *fictione juris* una sunt eademque cum Episcopo persona, quo ad ea, quæ pertinent ad auctoritatem ac juridictionem Episcopalem. Expositionem istam suppeditat Provinciale Concilium Turonense an. 1583. (*g*), cujus hæc sunt verba: *Quia Litteræ querimoniales ad finem revelationis, tam a dictis Officialibus Ordinariorum, quam ab Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, aliisque nimis facile in multorum scandalum, & divini cultus diminutionem concedi videmus; hincque illa magis contemni, quam formidari, ac perniciem parere potius, quam salutem; œcumenicis Conciliis inhærendo, illas a nemine prorsus, quam ab Episcopis, seu eorum Vicariis & Officialibus generalibus imposterum decerni vetamus*. 2. Nec potior priore est altera, quam affert Eustachius, ratio; quamvis enim excommunicandi potestas sit id ipsum, quod caussa major dicitur; sufficit ut eam Vicario generali sub generali termino potestatis decernendi censuras contulerit Episcopus; quandoquidem sub termino, *censuras*, manifeste & expresse contineatur excommunicatio, ut constat ex Decretali Innocentii II. (*h*). Qui interrogatus; *Quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi?* Respondet, *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi* (*i*).

(*f*) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 3.
(*g*) Concil. Tur. an. 1583. tit. de Jurisd. & visitat.
(*h*) Innoc. III. in c. *Quaerenti*. 20. de verborum significat. l. 5. tit. 40.
(*i*) Ducasse prax. jurisd. Eccles. volunt. c. 23. §. 2. n. 1.

CASUS V.

Publistus, Parochus S. Gobiani, contendit, se proprio ac privato nomine atque auctoritate loqui, cum in Proano suo dicit, *denuntiamus excommunicatos omnes &c.* quippe qui existimet, Parochum valide excommunicare posse, non minus quam Episcopum. Nunquid hallucinatur?

Respons.

Tanta erat olim Parochi facultas, ut refractarium sibi subditum excommunicatione percellere valeret, uti observavit D. de Tillemont (*K*), qui de schismate Donatistarum loquens, Parochum commemorat, qui Ecclesiæ suæ Diaconum, & subdiaconum, nomine Ruffinianum excommunicavit. Cujus quidem nonnulla etiam jus præbet argumenta, quale est illud, quod in Canone Decreti Gratiani (*l*) reperitur, cujus hi sunt termini: *Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem, antequam caussa probetur, propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent*. In quem canonem sic notat Glossarius (*m*): *Argumentum, quod simplex Sacerdos habet potestatem excommunicandi ..... nam quilibet Sacerdos habet claves ligandi*.

(*k*) D. Tillemont. Hist. Eccles. t. 6. art. 31.
(*l*) Can. Nemo. 41. 11. q. 3.
(*m*) Gloss. v. Excommunic.

Alteram etiam probationem suppeditat Alexander III. scribens ad Episcopum Florentinum his verbis (*n*): *Mandamus, quatenus si quando Plebanus Sancti P.* (Pancratii) *in Clericos vel laicos, Parochianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit; ipsam facias inviolabiliter observari, & eam sine congrua satisfactione & absque ejusdem Plebani conscientia non relaxare*. Ad quod Glossa quoque (*o*): *Nota quod Plebani habent jurisdictionem excommunicandi*. Alibi quoque supponit idem Papa, hanc potestatem Prælatis Episcopo inferioribus, uti Archidiaconis & Parochis competere (*p*), loquens de privato quopiam, qui furtive, hoc est, absque consensu Episcopi sui & sine prævio examine Sacerdotio fuerat initiatus. *Si non fuit a te, vel aliquo Archidiaconorum, vel Prælatorum tuorum sub Anathematis interminatione prohibitus &c.* sanctus Hieronymus in alio canone (*q*) loquens de discrimine quod intercedit inter Presbyterum & Monachum, *Mihi*, inquit, *ante Presbyterum sedere non licet. Illi, si peccavero, licet me tradere satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu*.

(*n*) Alex. III. in c. *Cum ab Ecclesiarum*. 3. de offic. judicis ordinarii. l. 1. tit. 31.
(*o*) Gloss. ib.
(*p*) Alex. III. in c. *Veniens*. 1. de eo qui furtive ordinem suscepit l. 5. tit. 30.
(*q*) S. Hieron. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ. c. 2. in can. *Alia caussa*. 6. 19. q. 1.

Contendit quidem Eveillon (*r*), nomine, *Plebanus*, non intelligi simplicem Parochum, sed ejus Parœciæ Pastorem, qui intra Parœciæ suæ limites unam aut plures habet Capellanias *cum cura*; hoc est Vicarios perpetuos, de quibus lo-

(*r*) Eveillon tractatu de excomm. & monit. c. 8. art. 4.

quitur

quitur Bonifacius VIII. in una e suis Decretalibus in sexto relata (a): *Plebaniæ habent sub se Capellas, in quibus instituantur Clerici perpetui*. Plebaniam quoque ita definit Archidiaconus (b), canonem exponens e Concilio Toletano depromptum & in Decreto Gratiani relatum, dicens: *Illa Ecclesia dicitur Plebania, quæ habet sub se diversas Capellas, in quibus sunt Clerici habentes jus in illis Capellis, & qui non possunt ab illis sine culpa removeri*. Addit Eveillon, Vicarios illos perpetuos, proprie loquendo vocari *Capellanos perpetuos*, eorumque Ecclesias *Capellas curatas*; & Parochos qui *Plebani* vocabantur, in Vicarios illos perpetuos jurisdictionem habere: unde putarunt quidam Canonistæ, Plebanias illas esse dignitates: quod negant Philippus Francus & Geminianus (c), qui titulum hunc iis solis concedunt, qui sunt Pastores & capita Ecclesiæ collegiatæ, qualis est Ecclesia Sancti Nicetii Lugdunensis: atque cum his consentit Glossa in decretalem Concilii Rhemensis, cui præfuit Eugenius III. (d), quæ sex juris textibus allegatis a se innititur.

En laudato S. Hieronymi, duobusque aliis S. Augustini testimoniis probat P. Thomassinus (e), Parochos hisce temporibus excommunicare potuisse, cum asserat hic ultimus Ecclesiæ Doctor (f), Subdiaconum & Diaconum a propriis suis Sacerdotibus fuisse excommunicatos: *Propter malos & perversos mores excommunicatae a Presbytero suo ...... & ipsam a suo Presbytero excommunicatum*.

Hæc erat olim Parochorum auctoritas, quam ex consuetudinem acquisiverant, ut ait Glossa (g): *Ubi consuetudo est, ibi bene possunt excommunicare: consuetudo dat jurisdictionem*, inquit ejusdem Glossæ Auctor, *Episcopi jam præscripserant contra multos Prælatos*. Et quidem notum est, jam ineunte sæculo quarto hanc Parochorum prærogativam a Nicæno Concilio (h) non fuisse confirmatam; sed de solis Episcopis, inquit Thomassinus (i), constituit illa Synodus, latas ab iis excommunicationis sententias a ceteris Episcopis esse tenendas, donec eas revocarit aliqua Synodus Provincialis. Quod quidem exponit Antiochena Synodus, sub Julio I. an. 351. habita (K): *Si quis a proprio Episcopo*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *fuit excommunicatus; nec prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit a proprio Episcopo susceptus; vel facta Synodo, accedens se defenderit, & persuasa Synodo aliam sententiam retulit. Idem etiam decretum adversus Laicos, & Presbyteros & Diaconos, & eos qui sunt in Cleri catalogo, observetur*. Ex hoc tempore pristina sua auctoritate defecerunt excommunicationes a Parochis latæ, nisi ab Episcopo approbatæ aut confirmatæ fuissent: in hoc enim casu reos ligabant, ut fateri necesse est ex iis, quæ scripsit Timotheus Alexandrinus Archiepiscopus, in sua ad Menam Epistola, in qua Sacerdotum pagi cujusdam zelum laudibus extollit, qui matronam anathemate perculerant, quod nec delictorum suorum pœnitere, nec ea satisfactoriis operibus expiare vellet (l): quod exemplum nobis suppeditat idem Thomassinus.

Constat igitur ex hodierna Ecclesiæ Disciplina universim accepta, nullam Parocho de jure communi competere excommunicandi potestatem, & hanc clavium partem ad solos pertinere Episcopos, ut docent Panormitanus (m), & Navarra (n). Quod probatur evidenter ex tribus rationibus, quas affert Eveillon.

Prima est, quia excommunicandi potestas ad eum solum pertinet, cui competit jurisdictio spiritualis, exterior & contentiosa, seu ordinaria, seu delegata. *Excommunicatio est fori contentiosi*, inquit Panormitanus (o). *Cum hæc potestas ad fori exterioris disciplinam spectet*, ait Covarruvias (p), *ubi caussa inter homines agitur: ideo illius propria erit, qui jurisdictionem in foro exteriori habet, etiamsi Ordinis potestatem non habeat*: quocirca judicium aut sententiam nemo, nisi in proprios subditos potest proferre; non vero in extraneos.

Judex autem & superior Ecclesiasticus aut Laicus, eos tantum habet sibi subditos, qui intra jurisdictionis suæ limites continentur. Quod principium quisquam infitiari non potest, nisi totum Ecclesiasticæ aut sæcularis disciplinæ Ordinem perturbando. Hoc unum itaque explorandum superest, an Parochis conveniat aliqua jurisdictio exterior & contentiosa; hoc est, utrum sint judices, qui juxta præscriptas jure formulas, caussam instruere, sententiam ferre, pœnamque, qualis est excommunicatio, infligere possint. Quod paradoxum a nemine, quod putamus, defendi poterit in favorem Parochorum, qui pro certo nullam de jure communi jurisdictionem habent similem: cum omnis eorum jurisdictio ad forum spectet internum, extra quod judiciariam non obtinent potestatem, neque adeo ullam Parochianis suis inferre actionem, aut pœnam infligere possunt. *Sacerdotes Parochiales*, inquit S. Thomas (q), *habent quidem jurisdictionem in subditos suos, quantum ad forum conscientiæ, sed non quantum ad forum judiciale: quia non possunt coram eis conveniri in caussis contentiosis, & ideo excommunicare non possunt; sed absolvere possunt in foro pœnitentiali*: quibus, ut objectionem anteverrat quæ fieri posset, addit Angelicus Doctor: *& quamvis forum pœnitentiale sit dignius, tamen in foro judiciali major solemnitas requiritur: quia in eo oportet, quod non solum Deo, sed etiam homini satisfiat*. Quod etiam verum est de iis, qui *Plebani* dicebantur; si forte, ut vult Eveillon, potestate distinguerentur a simplicibus Parochis. *Plebanus in illos de plebanata nullam habent jurisdictionem respectu fori contentiosi de jure communi, & non dicitur habere territorium, quod sapit jurisdictionem, sed Parochiam*, ut loquitur Zabarella (r), vulgo Cardinalis dictus.

Secunda est, quia excommunicare est actus supremæ potentiæ, quæ peccatorem contumacem & induratum morte spirituali condemnare potest. *Confirmatus* (Episcopus) *habet merum imperium, quia excommunicat, & Concilium convocat*, inquit Innoc. IV. (s) cum omnibus antiquis Canonistis (t), quales sunt Speculator, Zabarella (u), Panormitanus (x), Joannes Andræas, Ancharanus, & Imola (y).

Hæc autem potestas ad primos tantum Ecclesiæ judices pertinet, Episcopos nimirum, non vero Parochos, ipsis multo inferiores, & quorum omnis potestas in eo posita est, ut sibi commissam plebem verbi divini pabulo nutriant, pro iis sacra conficiant ac Sacramenta administrent. Hinc etiam S. Augustinus (z) loquens de excommunicatione, eam appellat *Episcopale judicium*; unde sic Glossa concludit: *argumentum quod excommunicatio spectat tantum ad Episcopale judicium*: & juxta expressionem summi Pontificis ad Isaacium Episcopum Syracusanum scribentis est (aa), *mucro Episcopi*.

Tertia est, quia excommunicatio omnium maxima est & maxime tremenda pœna, qua in reum animadvertere possit Ecclesia; ut affirmat S. Augustinus ibidem. *Quæ damnatio nominatur .... qua pœna in Ecclesia nulla major*. Quippe quæ mortis supplicio & anathemati correspondeat, quo de medio Israel reus exterminabatur. Imago est etiam & præjudicium tremendæ excommunicationis, qua per totam æternitatem a Deo ejusque regno separabuntur damnati, ut satanæ præda fiant ab omni ævo. Qui denique excommunicationis fulmine juste percelluntur, eo ipso satanæ traduntur.

Necesse est autem, ut pœna omnium maxima a primis tantummodo Ecclesiæ Prælatis, quales sunt Episcopi, infligatur. Illis igitur solis, aut Vicariis eorum Generalibus & Officialibus, quibus communicatur eorum potestas, de jure competit excommunicare. *Excommunicationes a nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur*: inquit Tridentinum Concilium (bb), cujus postea Decretum secutæ sunt aliæ omnes Synodi Provinciales, ut quarta Mediolanensis ann. 1581. & Rothomagensis (cc), Burdigalensis, Rhemensis, Turonensis, Aquensis, Tolosana, & Narbonensis.

Vehementer igitur errat Philistus, qui contendit, se varios excommunicare peccatores, quos in Prono suo appellat: cum dicendo, *Declaramus excommunicatos &c.* nomine tantum & auctoritate Ecclesiæ loquatur, quæ ipsos tales declaravit

(a) Bonifac. VIII. in cap. *Statutum*. 1. ne Clerici v. *Monachi secular.* negot. se immisceant. in 6. l. 3. tit. 24.
(b) Archidiac. in can. *Plures*. 54. 20. q. 1.
(c) Philip. Francus & Geminianus in cit. c. *Statutum*.
(d) Gloss. in c. *Decrevimus*. 2. de judiciis v. *Ecclesiarum Prælatos*. 2. l. 2. tit. 1.
(e) Thomass. discipl. Eccl. part. 1. l. 2. a. 23. n. 10.
(f) S. Aug. Ep. 708. alias 251. n. 19
(g) Gloss. in dit. c. *Nemo*. 25. q. 3. v. *Excommunicet*.
(h) Conc. Nicæn. Can. 5.
(i) P. Thomassin. ib. n. 15.
(k) Concil. Antioch. Can. 6.
(l) In commonitorio apud Thomass. c. 5.
(m) Panormit. in c. *Si Sacerdos*. 2. de offic. Judicis ordin. & in c. *Si quis contra*. 4. & in c. *Cum contigat*. 15. de foro competenti. l. 2. c. 2.
(n) Navarr. select. in cap. *Cum contingat*. de rescriptis n. 26. & 27.
(o) Panormit. in c. *Cum contingat*. de foro competenti.
(p) Covarruvias in c. *Alma mater*. fin. de sent. excom. in 6. §. 11.
(q) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 2. q. 1. ad 2.
(r) Cardinalis in d. c. *Cum ab Ecclesiarum*. de offic. judicis ordinarii.
(s) Innoc. IV. in c. *Transmissam*. 25. de elect. n. 2. in fine.
(t) Speculator in speculo l. 3. part. 1. cap. jurisd. omnium judicum. n. 28.
(u) Zabarella in c. *Perpendimus*. de sent. excom. n. 16.
(x) Panorm. in c. *Quod sedem*. de offic. judicis ordin. n. 5.
(y) Joan. Andræas, Anchar. & Imola in c. *Cum contingat*. de foro competenti.
(z) S. Aug. lib. de corrept. & grat. c. 15. in Can. *Corripiantur*. 17. 24. q. 3.
(aa) Can. *Visis*. 9. 16. q. 2. in fine.
(bb) Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reformat.
(cc) Conc. 4. Mediol. anno 1581. titulo de foro Episcopali.
Conc. Rothomag. 1581. Burdig. 1582. Rhem. 1583. Turon. 1583. Aquens. 1585. Tholos. 1590. Narbon. 1609.

claravit in Conciliis, aut vi constitutionum seu statutorum Synodicorum, quæ condiderunt Episcopi, qui hanc induxere loquendi formam, ut improbos terrerent, aosque a criminibus excommunicationis metu averterent, quæ hac censura plectit Ecclesia; quod patet ex his Bonifacii VIII. verbis (*a*): *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur.*

(*a*) Bonifac. VIII. in c. *Ut animar.* 2. de Constitutionib. in 6. l. 1. tit. 2.

CASUS VI.

BERNARDUS, legitima de caussa publice excommunicationis censuram io nefarium quemdam proferre potest consequenter ad contentiosam quam habet, jurisdictionem, propter Beneficium quod possidet; at ipse nominatim & publice est excommunicatus vel suspensus. Potest ne tamen hominem hunc oequam excommunicare.

RESPONS.

Cum excommunicatio major juxta formam jure præscriptam lata, reum omnino a communione ac locietate fidelium separet (*b*), eumque omni prorsus spirituali, temporali externa & interna seu pœnitentiali jurisdictione spoliet, excommunicatus isto modo alium excommunicare non potest (*c*): licet non idem sit dicendum de excommunicato occulto seu ab Ecclesia tolerato, ut observat Eveillon (*d*) post Navarram (*e*). Ita sanctus Thomas his verbis (*f*): *Usus jurisdictionis est in comparatione ad alium hominem: & ideo, cum omnis excommunicatus a communione fidelium separetur: quilibet excommunicatus usu jurisdictionis privatur: & quia excommunicatio est jurisdictionis privatio, ideo excommunicatus excommunicare non potest.* Ita Innocentius III. (*g*) conformiter ad superiorem multo ante declarationem Alexandri III. (*h*), scribentis ad Episcopum, oomine Valerianum, quem excommunicare, quamvis ipse excommunicatus, voluerat Ravennas Archiepiscopus. En ejus verba: *Audivimus, qaod Henricus Ravennas dictus Archiepiscopus, visus sit excommunicare. Verum quia excommunicatus te excommunicare noa potuit, Apostolica auctoritate te tuosque absolvendo, mandamus exinde nunmonam curare.* Qua de re observat Glossa, verba illa, *te tuosque absolvendo*, stricto & rigido sensu non esse iotelligenda, quasi supponerent, Episcopum hunc lata ab Archiepiscopo sententia vere fuisse ligatum: sed ea juxta hunc sensum esse sumenda; *id est, absolutos esse ostendendo; id est, non ligatos*; quam interpretationem probat ex multis textibus e jure canonico & civili depromtis, qui eo modo intelliguntur: addit etiam hæc eadem verba explicari posse de absolutione de facto, hoc est, auiu temerario & injusto Ravennatis Archiepiscopi, illum invalidum declarando: *Vel dic, absolvenda, scilicet de facto.* Quem sensum etiam comprobat ex multis textibus eodem modo & expressis & significantibus. Unde sequitur, quod si Bernardus sit nominatim excommunicatus, nefarium hominem de quo agitur in casu proposito, excommonicare nequit (*i*).

(*b*) Nicolaus I. in Can. *Præcipue.* 3. & Callixtus I. in Can. *Excommunicatos.* 27. 2n. q. 3.
(*c*) Eveillon tractatu excomm. & monit. cap. 6.
(*d*) Idem ib. cap. 3. art. 1.
(*e*) Navarr. l. 5. Consil. de sent. excom. Cons. 56.
(*f*) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3.
(*g*) Innoc. III. in c. *Ad probandum.* 24. de sent. & re judicata l. 2. tit. 27.
(*h*) Alex. II. in Can. *Audivimus.* 4. 24. q. 4.

Dicimus: *si sit nominatim excommunicatus*; hoc est, tali sententia juridica publice declaratus: nam si esset toleratus, & nondum denuntiatus, jurisdictionis suæ usum non amisisset: qaia Ecclesia quæ hujusmodi excommunicatos in exercitio officii sui tolerat, censetur etiam eorum acta, nomine suo exercita tolerare ob commune bonum ac publicam fidelium utilitatem.

(*i*) C. *Romana.* de officio Vicarii in 6. C. *Si is cui.* de offic. & potestat. judic. delegati in 6. C. *Decernimus.* de sentent. excom. in 6. C. *Clemens.* de testib. in 6.

Sed si tantum sit suspensus, distinctione utendum: oam vel *ab Ordine* dumtaxat suspensus: & tum, licet Ordinum suorum functiones nequeat obire, actus tameo jurisdictionis exercere legitime potest: vel est tantum suspensus a jurisdictione, & tuoc Ordines, non jurisdictionem exercere, atque adeo nec excommunicare potest: vel deoique ab utroque est suspensus, tumque neutrum exercere potest. *Et eadem est ratio de suspenso a jurisdictione*, addit sanctus Thomas, *si enim sit suspensus ab Ordine tantum, tunc non potest ea quæ sunt Ordinis; sed potest ea quæ sunt jurisdictionis: & e converso, si sit suspensus a jurisdictione, & non ab Ordine: si autem ab utroque, tunc neutrum potest.*

CASUS VII.

CÆCILIANUS, qui ex jure diguitati suæ annexo ferre potest censuras, in Aotonium superiorem suum aut saltem sibi æqualem excommunicationis sententiam ferre aggreditur. Potest ne illud licite, aut saltem valide in aliquo casu?

RESPONS.

Quacumque fulgeat dignitate Cæcilianus, neque licite neque valide Antonium excommunicare potest. Ratio est, quia nemo potest excommunicare nisi subditum suum, in quem habet jurisdictionem, & cujus judex est. Antonius vero est Cæciliano superior, aut saltem ipsi æqualis, ut supponitur. Nulla ergo Cæciliano in eum competit jurisdictio, neque adeo ut judex erga eum agere potest, neque aliquam ei pœnam infligere. Ita docet S. Thomas (*k*): *Cum per jurisdictionem*, inquit, *aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu ejus in quem habet jurisdictionem, quia est judex ejus: ideo nullus habet in se ipsum, vel superiorem, vel æqualem jurisdictionem; & per consequens nullus potest se ipsum excommunicare, vel superiorem, vel æqualem.*

(*k*) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. in corp.

CASUS VIII.

FRIDERICUS, Episcopus Diœcesis in Britannia positæ, advertens negligentiam officiariorum subalternorum Regii fori ad procurandam executionem edictorum, Constitutionum, & Arrestorum de Nundinis, quas Rex Regnique Parlamenta solemnibus festis probibent (*l*), mandatum emisit, quo eorum executionem sub pœna excommunicationis *ipso facto* procurandam eis injungit. Numquid legitimum est illud mandatum?

(*l*) Edict. Aurelian. 1566 art. 23. Edict. Blesense 1579. art. 30.

RESPONS.

Constat, mandatum illud non esse legitimum: nam Episcopus ex mandato illo eos habet, uti Politiæ Officiarios, eisque sub tali ratione censuras Ecclesiæ minatur, si officii sui debitum deinceps non adimpleant. Atqui Magistratus, Judex, aut alius Officiarius Laicus jurisdictioni Ecclesiæ non subjacet, in iis quæ pertinent ad culpas, quas admittit in exercitio officii sui; atque de iis non tenetur nisi apud Principem, eosve qui in hunc Officiarium regiam obtinent auctoritatem. Tali igitur mandato manifesta Ecclesiasticæ potentiæ in politicam & sæcularem potentiam molitio continetur, ex qua oriri posset legitima appellatio tamquam *ab abusu* (*m*). *Non licet Ecclesiæ Judici*, inquit D. Brillon, hoc est neque Episcopo, neque Officiali aut vicem gerenti ipsius, *censuras vel excommunicationes adhibere in Officiarios & Ministros forenses in iis quæ pertinent ad exercitium Officiorum ac munerum suorum.* Quod probat hic Auctor suffragio duorum Galliæ jurisperitorum, nimirum la Rocheflavin & Bacquet (*n*).

(*m*) De Sta Beuve tom. 3. Cas. 170.

(1) Et quidem talis fuit universim observata in Regno Galliæ Jurisprudentia a quinque sæculis & amplius. Reges quippe eorumque Parlamenta hujusmodi excommunicationibus accurate semper intercesserunt; cum eas in Judices aliosque Officiarios Regios promulgare susceperunt in iis quæ pertinent ad exercitium Officiorum suorum: id quidem legere est in Probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ (*o*), in quibus referuntur instrumenta sequentia.

(*n*) D. Brillon. Dict. Arrest. v. *Officialis.* n. 64. La Rocheflavin tract. de Parlamentis. c. 44. art. 17. Bacquet. tract. de jurib. Justitiæ. cap. 7. art. 20.
(*o*) Probationes libertatum Ecclesiæ Gallic. tom. 2. cap. 5. pag. 67.

Exscriptum ex actis Baronum Normaniæ anno 1205. in quo sic legitur: *Item diximus per sacramentum nostrum, qaod Archiepiscopus, vel Episcopus, vel alia inferior Ecclesiastica persona, non debet ferre sententiam excommunicationis in Barones vel Baillivos, aut in servientes Domini Regis, aut in Clericos Domus suæ, Rege non requisito, vel suo Senescallo.*

Declaratio Caroli Sapientis 5. Jan. anno 1379. cujus hæc est inscriptio: *Qaod Officiarii Regii non possunt excommunicari.* Est constitutio, seu diploma ejusdem Regis 14. Maii an. 1370.

Arre-

(1) Vid. *Monda Pontat.* Observ. III. num. XXXII.

Arresta multa Rothomagensis Parlamenti, 1. 28. Junii an. 1371. & 6. Aug. an. 1399. alia 1. Aprilis 1408. & 15. Martii 1409. alia itidem 26. Feb. 1410. pariter aliud 25. Aprilis 1485. aliud 25. Octob. 1493. aliud 15. Maii 1495. aliud 17. Aprilis 1507. aliud Arrestum Parlamenti Gratianopolitani de verificatione Bullarum Legationis Avenionensis 15. Martii an. 1516. aliud Parlamenti Tolosani 9. Sept. an. 1599. aliud Parlamenti Aquensis 8. Maii 1601. aliud Parlamenti Burdigalensis 5. Martii an. 1602. aliud 30. Decemb. 1606. & aliud denique Latum a Michaele Charpentier, qui a Rege fuerat nominatus Præses Regionum & Urbium, Metarum Tulli, ac Verduni. Ex quibus omnibus Arrestis abusivæ declaratæ sunt excommunicationes promulgatæ in Regios Officiarios, cum ad exercitium Officiorum suorum pertinebant.

CASUS IX.

Palæmon, Episcopus Zacynthius, a quinque sex-ve testibus integris & incorruptis monitus, ab Achille admissum fuisse crimen gravissimum & maxime scandalosum, ipsum non citatum, neque auditum, ut fieri debet, excommunicavit. Numquid valida est hæc ejus sententia excommunicationis?

Respons.

Certum est, hanc sententiam esse invalidam; ut probari potest ex Decretali Innocentii III. ad Patriarcham Constantinopolitanum scripta (a), cui consentiunt alia Alexandri III. præsentis in Concilio tertio œcumenico Lateranensi an. 1179. (b), & aliæ tres Innocentii IV. & Alexandri IV. in Sexto relatæ (c). Ita docet Cabassutius his verbis (d): *sententia contra eum lata, qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure*, & paulo post: *ubi nulla præmissa fuit admonitio: simul erit injusta & nulla censura.*

Ratio vero, quam decisionis suæ affert hic Auctor, depromitur e S. Augustino, quem in Decreto suo citat Gratianus (e), qui asserit, quod cum excommunicatio sit pœna, *qua in Ecclesia nulla major est*, & qua ad reorum tantum emendationem eadem utitur; *Potest si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere atque proficere*; refert imprimis, ne ab Ecclesiæ Prælatis in subditos suos ante citationem & indicta causa promulgetur. Quod quidem eo certius est, quod peccator nunquam a Fidelium communione debeat separari, nisi in crimine suo contumax sit, & Ecclesiæ mandatis inobsequens, ut ait Meldense Concilium an. 845. habitum (f): *Anathema est æternæ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuit corrigi.* Igitur puniendus non est hujusmodi peccator, absque citatione seu monitione prævia, quæ forsan ad morum ejus emendationem sufficeret. Qua in re turpiter erravit Glossæ Auctor in constitutionem Innocentii IV. dum ita concludit: *Ligat ergo excommunicatio lata, non præmissa monitione.*

Jure Romano, quod in civilibus rebus similem constituit Jurisprudentiam, confirmari possent hactenus a nobis dicta: en verba legis (g): *cum ex edicto peremptorio; quod neque propositum est, neque in notitiam pervenit absentis, condemnatus sit, nullius esse momenti sententiam constitutiones demonstrant.*

(a) Inn. III. in c. inter 8. de major. & obedient. lib. 1. c. 34.
(b) Alex. III. in c. reprehensibil. 26. de app. &c. l. 2. tit. 28.
(c) Inn. IV. in c. Sacrorum. 3. & in c. Rom. 5. de sent. exc. in 6. Alex. IV. in c. Decernimus 8. ib.
(d) Joan. Cabassut. can. th. & pr. l. 5. c. 10. n. 19 & 20.
(e) S. Aug. in can. Corripiantur 17. 24. q. 3.
(f) Concil. Meld. in can. Nemo 41. 11. q. 3.
(g) L. Illud. 1. §. ff. quæ sent. sine appel. rescind. l. 49. tit. 8.

Vide Casum 1.

CASUS X.

Hierocles, cui competit Ecclesiastica jurisdictio in foro contentioso, sed qui nondum sacris est initiatus Ordinibus, potest-ne suam exercere jurisdictionem excommunicationis sententiam in aliquem promulgando?

Respons.

Quamvis Hierocles nondum sit in sacris, suam tamen jurisdictionem exercere potest. Cujus rei

rationem hanc affert Angelicus Doctor (h): *Sacramenta in quibus gratia confertur*, inquit, *dispensare ad solos Sacerdotes pertinet, & ideo illi soli possunt absolvere & ligare in foro pœnitentiali. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti, in quantum homo suffragiis Ecclesiæ privatur, quæ ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant; & ideo etiam non Sacerdotes dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso possunt excommunicare.* Qua in re consentit cum multis summorum Pontificum Decretalibus, in summa juris relatis (i).

Obiter hic advertere necesse est, hactenus dicta non obtinere pro Officialibus Episcoporum; quamvis enim existimarint quidam Galliæ jurisperiti, satis esse ad obtinendam Officialis dignitatem, ut quis esset tonsura initiatus vel Acolythus (K), vel saltem aliquem Ordinem sacrum susceperit (l): ex edicto tamen Blesensi, requiritur ut si Sacerdos (m), quod probat Fevretus (n) ex Arresto Senatus Parisiensis 9. Januarii an. 1603. lata, quo Officiali Andegavensi omnem jurisdictionis actum Curia prohibuit, donec litteras suas testimoniales suscepti Sacerdotii, atque Graduum suorum attulisset. Quod idem quoque Arrestum a D. Blondeau in suis additionibus in Bochelium (o) refertur; unde, licet ea quibusdam Arrestis acta & judicia ab Officialibus, tantum Acolythis lata confirmata fuerint, cautum est tamen ex iisdem Arrestis, ut deinceps Episcopi Blesense edictum observarent, officiales constituendo, ut videre est ex edicto Parlamenti Tolosani 5. Maii an. 1608. lata. Quare locus esset appellationi tanquam *ab abusu* de iis, quæ statuisset Officialis, non Sacerdos; ob eamque causam in comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1606. Lutetiæ habitis (p) constitutum est, ut Episcopi in suis Diœcesibus officiales Sacerdotes eligerent.

(h) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 2. quæstiunc. 2. in corp.
(i) Alex. III. in c. suffrag. 11. de elect. & electi potest. l. 1. tit. 6. Celestin. III. in c. transmissam 15 eod. tit. Al. III. in c. cum ab Ecclesiar. 3. de offic. jud. ordinar. eod. lib. tit. 31.
(K) Loiseau l. 5. de offic. c. 6. n. 35 & 36.
(l) Mainard. l. 2. cap. 24.
(m) Chenu, collect. regulam. 11. at. c. 1.
(n) Edictum Bles. ar. 45.
(o) Car. Fevret. de abusu l. 4. c. 3. n. 4.
(p) Blondeau in Bochel. v. official. p. 130.

CASUS XI.

Uladislaus, Posnaniæ simplex Canonicus Sacerdotio nondum initiatus, ad Episcopatum Præmisliæ a Poloniæ Rege nominatus, primum hujus Ecclesiæ Archidiaconum excommunicavit, quod ab eo injuriosis verbis quinque sexve diebus a nominatione sua publice fuisset affectus. Num censendus est hic Archidiaconus vere excommunicatus?

Respons.

Certum quidem est potestatem ligandi suspensione, interdicto & excommunicatione, Clerico non conferri ex ordinatione, quia talem potestatem non parit character ipsi in ea impressus: sed ei confertur talis potestas ex jurisdictione & auctoritate, quæ sibi ab Ecclesia in foro externo datur. Unde Clericus simplex, qui ratione cujusdam dignitatis aut Beneficii, de quo foret provisus, hanc obtineret jurisdictionem, excommunicationis sententiam ferre posset. Ita docet S. Thomas his verbis (q): *Etiam non Sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.*

Verum non minus constat, ex sola nominatione seu electione alicujus ad Episcopatum nullam conferri jurisdictionem, donec fuit confirmata, hoc est, juxta nostrum loquendi modum, donec nominatus aut electus Bullarum suarum expeditionem obtinuerit, quibus de eo ipsum Papa providet. Unde colligitur, quod, cum Uladislai nominatio nondum a Papa fuisset confirmata, neque is adeo aliquam obtineret jurisdictionem, jure ipso invalida est excommunicatio, quam tulit in Archidiaconum. Quod innititur ista Sancti Thomæ regula (r): *Excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi soli possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali.*

Advertendum 1. jurisdictionem hanc ab eo, qui habet, delegari posse cuicumque Ecclesiastico, licet tonsura simpliciter esset initiatus.

2. Hanc delegationem in Gallia legitimam non fore habendam: nam ex Edicto Blesensi (s) Vicarii generales & officiales, a quibus vulgo aucto-

(q) Acta cleri to. 3. p. 2.
(r) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 2. q. 2.
(s) Id. cit. ar. 2. in corp.

ritate Episcopi fertur excommunicatio, debent esse Sacerdotes, quia cum potestatem obtineant ferendi censuras, non conveniens est, Clericum, Sacerdotio nondum initiatum, jurisdictionem, præsertim in re tam gravi, exercere in eos, qui Sacerdotali caractere ipsi sunt superiores. Turonense Concilium sub Simone de Maille Archiepiscopo Turonum habitum ann. 1583. in hoc edictum illud secutum est (a).

(a) Conc. Turonense ann. 1583. tit. 17. de Jurisd. & visitat. initio.

3. A Superiore Ecclesiastico non posse unquam Laicum delegari ad proferendam in foro suo censuram. *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant*, inquit Eugenius III. (b) in Concilio Rhemis an. 1148. habito. *Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscantur) Laicorum judicio non disponant.*

(b) Eugen. III. in cap. decernimus 2. de judiciis. l. 2. tit. 1.

4. Episcopum *in partibus*, ut vulgo dicitur, hoc est, eum, qui simpliciter est Titularis, aut alium, qui Episcopatum omnino abdicavit, valide neminem excommunicare posse, cum neutri sua sit jurisdictio Ordinaria.

CASUS XII.

Demetrius Episcopus quidam in Thessalia a Schismaticis e sua sede expulsus, cum in Larissæam confugisset Diœcesim, cujus est suffraganeus, ibi ordinata lite in præcipuos immanis facinoris auctores, excommunicationis sententiam in quatuor maxime conscios protulit. An valida est hæc sententia, licet in aliena Diœcesi prolata?

RESPONS.

Regula generalis hæc est, communiter loquendo, ab Episcopo videlicet jurisdictionem suam, nisi in propria Diœcesi exerceri non posse, ut probat canon antiquus, quem Calixto I. Gratianus adscribit (c) in quo sic habetur: „ Nullus Primas, nullus Metropolitanus: nullusque reliquorum Episcoporum alterius adeat civitatem .... super cujusquam dispositione; nisi vocatus ab eo, cujus juris esse dignoscitur; aut quidquam ibi disponat, vel ordinet aut judicet, si sui gradus honore potiri voluerit: sin aliter præsumpserit, damnabitur .... nam qui ordinare non poterit, quomodo judicabit? Nullatenus procul dubio judicabit, aut judicare poterit.„ Quam disciplinam adstruit etiam Concilium Antiochenum ab eodem Gratiano relatum (d) in multis Canonibus, quos in suo refert Decreto, & in quorum secundo asserit; Episcopo quidquam non licere in Metropolitani sui Diœcesi absque ipsius consensu: *Ultra autem nihil agere permittitur citra Metropolitani Episcopi licentiam.*

(c) Calix. I. Epist. 2. in can. Nullus 3. 9. q. 2.

(d) Conc. Antioch. c. 22. in canon. Episcopum. 7. eod. c. & q. & c. 9. in Can. non liceat 1. 9. q. 3.

En regula generalis, quam Clemens V. in Concilio œcumenico Viennensi approbat; cui tamen exceptionem casus præsentis apponit hic summus Pontifex. Cum enim Episcopus a suis Diœcesanis vi expulsus est, eos in proxima Diœcesi excommunicare potest, & etiam eos, qui illatæ sibi violentiæ non fuere participes testes citare, dum lis ordinatur, modo e suo Domicilio iste non distet *ultra duas diætas*. En igitur hujusce exceptionis verba (e): „ Nos tamen Episcopis, qui a suis sedibus protervia impiorum expulsi, non audent propter metum persequentium in suis civitatibus vel Diœcesibus .... residere, nec jurisdictionem ad se spectantem per se, vel per alium inibi exercere: ne injuria, in eorum expulsione, ipsorum irrogata Ecclesiis, hoc prætextu remaneat impunita, duximus indulgendum, ut in diœcesibus alienis, in civitatibus videlicet, vel locis insignibus suis Ecclesiis, viciniroibus, in quibus poterunt secure morari, & jurisdictionem suam libere exercere possint contra suos expulsores & eorum in hac parte Consiliarios & fautores .... libere procedere, prout justitia suadebit. *Quibus addit hic Papa*: Si vero dicti Episcopi aut non fuerint hujusmodi expulsores, vel eorum Consiliarios & fautores dicto modo citare, vel ipsi malitiose impedimentum præstiterint, ne potuerint sic citari, liceat sit eisdem Episcopis, ut expulsores, Consiliarios & fautores eosdem diebus aliquibus Dominicis, vel festivis, cum populus convenerit ad divina, ut sic facta citatio ad eos pervenire verisimilius præsumatur, citent, vel citari faciant publice in Ecclesiis civitatum vel locorum insignium prædictorum, & procedant deinde contra ipsos, si citati taliter, statuto ipsis peremptorio termino competenti, coram eisdem Episcopis noluerint comparere, ac si citati legitime alias extitissent.„ Denique hic summus Pontifex, vel potius illud Concilium subjungit (f), Episcopos ita expulsos ab Episcopo Diœcesano licentiam ita procedendi esse petituros, *quam*, inquit; *si obtinere nequiverint, procedant nihilominus*: atque statuit, ut facti ab iis processus, ac judicia consequenter lata, in vicinis Diœcesibus promulgentur. Constat ergo, censuram excommunicationis a Demetrio in quatuor præcipuos reos, etiam extra fines suæ Diœcesis latam in hoc casu esse validam & Canonicam.

(e) Clemens V. in Clementina quamvis unica de foro competenti.

(f) Ibid. §. Volumus.

CASUS XIII.

Jovius, Episcopus Luceoriæ, in Diœcesi Posnaniæ existens, ibi excommunicationis seu suspensionis sententiam juxta omnes juris formulas requisitas protulit in Clericum Diœcesanum suum. Nonne excommunicatio illa Canonica est & valida?

RESPONS.

Censura hæc absolute est invalida, atque ita eum in quem prolata est, nullatenus ligare potest: nam Episcopus nullam habet in aliena Diœcesi, atque extra territorii sui limites jurisdictionem. *Episcopus in alia Diœcesi existens*, inquit doctus Canonista (g), *ne suos quidem subditos potest aliqua censura afficere, quia nullam ibi habere contentiosam jurisdictionem.* Non idem tamen est dicendum de jurisdictione simpliciter voluntaria, nam eam exercere potest Episcopus erga suos subditos, ubicumque existat, ut animadvertit idem Auctor: *Potest tamen*, addit, *extra suam Diœcesim uti gratiosa jurisdictione, suumque subditum in aliena Diœcesi non modo in Sacramento pœnitentiæ absolvere a peccatis & censuris; quin etiam extra sacramentum potest a censuris eumdem absolvere, itemque dispensare, delegare, dimissorias .... expedire.*

(g) Joan. Cabassutius juris can. Theor. & prax. l. 5. c. 10. n. 8.

CASUS XIV.

Florentinus ob furtum notabile, quod admisit, excommunicatus est; at censuram hanc in eum ex motivo aut odii aut vindictæ protulit superior Ecclesiasticus: nunquid reipsa excommunicatus est ex injusta hujusce judicis sententia?

RESPONS.

Priusquam sua fit huic difficultati responsio, advertendum est excommunicationis sententiam haberi posse uti injustam triplici modo. 1. Cum prolata est absque causa justa & vera; ut cum huic locum non præbuerat is, in quem lata est, aut saltem venialis duntaxat peccati erat conscius. 2. Cum Judex formulas a Jure requisitas non observavit. 3. Denique quando eam Judex protulit ex odio tantum aut ex vindicta in reum, aut ex alio quopiam pravo motivo: Sententia aliquando „ est injusta ex animo proferentis, *inquit Gratianus* (h), justa vero ex ordine & causa aliquando est justa ex animo & causa; sed non ex Ordine: aliquando justa ex animo & Ordine, sed non ex causa. Cum autem ex causa injusta fuerit, aliquando nullum in eo omnino qui accusatur delictum est, quod sit damnatione dignum. Aliquando non est in eo illud, supra quod fertur sententia; sed alio notandus est. Ex animo est injusta cum aliquis servata integritate judiciarii Ordinis .. in quemlibet criminosum, non amore justitiæ, sed livore odii, vel pretio aut favore adversariorum inductus sententiam profert.

(h) Gratian. in Can. Episcopus 65. 11. q. 3. §. ergo.

His ita præsuppositis, dicimus, certo Florentinum esse vere excommunicatum; quamvis enim ex intentione prava hujusce Superioris injusta excommunicatio fuerit, quia Deum in eo graviter offendit suum tamen sortita est effectum modo aliunde formulas essentiales, quas jus præscribit, eam profe-

tent

rens observarit. *Excommunicatio*, inquit S. Thomas (*a*), *potest dici injusta dupliciter, uno modo ex parte excommunicantis, sicut cum ex odio vel ira excommunicat, & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum quamvis ille qui excommunicat, peccet, quia iste juste patitur, quamvis ille injuste faciat.* Atque de hac specie excommunicationis loquitur Sardicense Concilium (*b*), nec non S. Gregorius Magnus dicens (*c*): *Pastor erga vel absolvere indiscrete timeat, vel ligare, Is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec Pastoris sui judicium temere reprehendat, ne, etsi injuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, fiat.* At si sententia esset in se injusta, vel quia causa excommunicationis non est peccatum mortale, vel ex non servatis jure necessariis requisitis regulis; tum is non esset vere excommunicatus, etsi in foro exteriori talis esse videretur: *Alio modo* subjungit Angelicus Doctor, *ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia infertur sententia juris ordine prætermissa, & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam faciat esse, non habet effectum, quia non est excommunicatio: Si autem sententiam non annullet, habet effectum suum, & debet excommunicatus humiliter obedire.*

(*a*) S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. qu. 4. in corp.

(*b*) Conc. Sardicens. in can. Si Episcopus a. 24. q. 3.

(*c*) S. Gregor. Hom. 26. in Evang.

Attamen, quamvis ex hoc principio Sacerdos, in quem invalidam excommunicationis sententiam tulit Superior, in foro interiori celebrare queat (*d*), non incurrendo irregularitatem; a sacrificio tamen abstinere debet in foro externo, ubi censuræ invaliditas non est nota, ab omni quoque ordinum suorum exercitio ob reverentiam auctoritati Ecclesiæ debitam, & ne iis sit occasio scandali, qui ipsum non norunt esse injuste damnatum.

(*d*) Jo. Cabass. jur. can. theor. & pr. 5. c. 10. n. 12. & apud eum Cajetan. tr. in. q. 2. & alii.

Juvat hic animadvertere quoad præsentem difficultatem ut jam obiter diximus, eum graviter peccare, qui excommunicationem in peccatorem contumacem adhibet, nisi conformiter ad Ecclesiæ mentem agat; hoc est, nisi se gerat juxta Christianæ charitatis regulas, manifeste designatas ex agendi ratione Apostoli (*e*), in incestuosum Corinthium duosque Hæreticos, Hymeneum & Alexandrum, quos anathemate perculit; etiam conformiter ad regulas ab ipso Christo Domino præscriptas (*f*), ex quibus id unum Superior debet habere propositum, ut improbos castigando, eosdem ad pœnitentiam adducat, & ipsorum salutem pœnis ob delicta eorum impositis procuret. Innocentius IV. in primo Lugdunensi Concilio œcumenico an. 1245. de excommunicatione sic loquitur (*g*): *Cum medicinalis sit excommunicatio; non mortalis* inquit hic Papa, *disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.* Unde *caute provideat Judex Ecclesiasticus*, pergit idem Papa, *ut in ea ferenda ostendat, se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis.* Ita etiam officiales aliosque Superiores edocet S. Ambrosius his verbis (*h*): *Cum dolore amputantur quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc a Medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre vulnera, adurere aliqua, non abscindere: postremo quod sanari non potest cum dolore abscindere.* Legi possunt alia multa Sanctorum Patrum testimonia in eorum libris sparsa (*i*), quæ cum allatis modo conveniunt.

(*e*) Timoth. I.

(*f*) Matth. 18. 17.

(*g*) Innoc. IV. in c. Romana 2. de sent. ex com. &c in 6.

(*h*) S. Amb. l. 2. de officiis c. 27.

(*i*) S. Hier. in Ezech. c. 36. S. Leo Epist. 89. Edit. antiq. S. Avitus Ep. 6.

CASUS XV.

Dorotheus, reformati cujusdam Ordinis Provincialis adhibitis frustra ad emendationem Athanasii Religiosi sui viis omnibus, quas sibi & prudentia & Christiana charitas suggesserunt, ipsum excommunicavit, observatis omnibus, quas præscribit Ecclesia, formulis, ut ex hac objectione ipsum a via prava ad meliorem frugem adduceret. Nonne valida est ista excommunicatio?

Respons.

Excommunicatio illa est valida. Nam constans est assertio, eos omnes, quibus in exteriori foro competit Ecclesiastica jurisdictio excommunicatione uti posse in omnibus casibus jure sibi concessis; in quo differunt a simplici Confessario, qui peccatorem, quoad Deum tantum, non vero quoad homines ligare aut solvere potest ob defectum hujusmodi jurisdictionis ut probat Sotus (*K*), auctoritate S. Thomæ his verbis: *Omnes Episcopi & Prælati ex proprio officio auctoritatem habent excommunicandi suos subditos generaliter, ut in tota Ecclesia fiet excommunicati; in foro pœnitentiæ res agitur solum inter hominem & Deum; quare illic Sacerdos solum absolvit & ligat in foro Dei; in foro autem exteriori absolvitur homo & ligatur non solum in ordine ad Deum, sed in ordine ad alios cives & totam Ecclesiam; Quia illic privatur homo suffragiis Ecclesiæ & communione fidelium. Ergo illi soli excommunicare possunt, qui in foro exteriori habent jurisdictionem.* Ex quibus verbis ita concludit Toletus (*l*): *Ex his sequitur .... posse excommunicare Papam, Concilium generale, Provinciale, Episcopos, Abbates, Generales Ordinum Provinciales, Guardianos, & denique habentes jurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro; tamen cum discrimine &c.*

(*K*) Sotus in 4. dist. 21 q. 2. a. 1. conclus. 1.

(*l*) Tolet. instr. Sacerd. l. 1. c. 6 a 3.

CASUS XVI.

Recaredus; Vir præpotens Ecclesiam persecutus dum viveret, ut Schisma suum tueretur, cum in peccato suo obiisset, paulo post mortem ab Episcopo declaratus est excommunicatus. Potest ne affirmari, talem excommunicationem esse legitimam & Ecclesiæ spiritui conformem?

Respons.

Ad solutionem hujusce difficultatis, sufficit, si hæc excommunicationis propriæ dictæ noscatur definitio: *Excommunicatio est censura Ecclesiastica, separans a Communione Ecclesiæ, quoad Sacramenta & publica suffragia, atque fidelium convictum*: Ex quibus verbis constat mortuum excommunicari non posse, sumpto secundum strictam hujusce definitionis significationem excommunicationis nomine. Nam mortuus non jam est membrum Ecclesiæ militantis, quæ ipsum proinde a corpore suo, uti talem nequit abscindere; cum excommunicationis effectus omnes, nonnisi in viventem cadere valeant.

Certum quidem est, in antiquitate nonnulla reperiri exempla multorum hæreticorum, qui mortui fuere excommunicati: ut videre est in quinto generali Concilio (*m*) quod laudat Gratianus in Decreto, omissis aliis propemodum innumeris exemplis: sed anathema in ipsos prolatum non est intelligendum de excommunicatione, quatenus est Ecclesiastica censura, sed quatenus significat execrationem, detestationem, abominationem, ut concludi potest ex his Apostoli verbis ad Galatas (*n*): *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit.... si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.*

(*m*) 5. Synodus generalis in c. Sane fin. 24. q. 2.

(*n*) Galat. 1. n. 8. & 9.

Hæc est Toleti (*o*) in Glossam (*p*) sententia si quis ergo vivens excommunicationem a jure incurrit, id unum ipso mortuo, fieri potest, ut juridice declaretur in hanc vivus incidisse censuram (*q*). *Ne Ecclesia oret pro eo, quia non fuit accusatus in vita*, ut loquitur Glossa (*r*), & corpus ejus Ecclesiastica privetur sepultura, atque ab ejus memoria cuncti abhorreant. Secundum autem significationem istam intelligendus est Innocentius III. (*s*), dum asserit; Ecclesiam excommunicare posse mortuos, atque exponendæ sunt excommunicationes omnes, quas in multos hæreticos post ipsorum obitum promulgavit. Qui majorem ea de re elucidationem requirunt, colloquia Andegavensis Diœcesis pervolvant, in quibus fusius agitur istud argumentum (*t*).

(*o*) Tolet. l. 1. c. 7. n. 3.

(*p*) Glossa in c. si quis 5. de hæres. l. 5. ti. 7. & ib. Panorm.

(*q*) C. si quis de hæretic. in Gl. in c. A nobis 2. de sent. excom. & Hostiensis n. 12.

(*r*) Gl. in dic. si quis 5 de hæ.

(*s*) Inn. III. in c. a nobis 28. de sent. exc.

(*t*) Coll. And. 1711. mens. Julii q. 4. p. 1. 2.

Vide (Excommunicatio.)
(Monitorium.)

EXOR.

EXORCIZARE.

TERMINUS, *Exorcizare*, duplici sensu potest sumi 1. Ad significandum Exorcismum, seu Benedictionem aquæ & salis, quæ fit in Missa Parochiali. 2. ad exprimendam obtestationem, qua utitur Ecclesia ad expellendum dæmonem, ejusque potentiam, ut fit in Cæremoniis, quæ Baptismum antecedunt, & pro obsessis aut possessis a dæmone.

Exorcismus secundum priorem intellectum sumptus, nihil est, proprie loquendo, nisi simplex benedictio, quæ aquæ vim remittendi venialia peccata, eo quo explicabimus modo, communicans, est functio pure Sacerdotalis, quam proinde nullus inferior Clericus jure exercere potest.

Idem terminus in secundo sensu acceptus a Theologis definitur: *Exorcismus est divini numinis obtestatio ad effugandum dæmonem, ejusque virtutem* (a).

Exorcismi cæremoniam, quæ fit in Baptismo, imperant 1. Cælestinus I. in Epistola ad Episcopos Galliæ scripta, quam refert Gratianus (b): *Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum; non prius fontem vitæ adeunt, quam Exorcismis & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abjiciatur.* 2. Bracarense Concilium ann. 572. habitum, quod refert Canon his verbis: (c): *Ante viginti dies Baptismi ad purgationem Exorcismi Cathecumeni concurrant.* Hujus quoque antiquæ ceremoniæ meminit S. Augustinus (d): *sicut nostis, Fratres carissimi*, inquit, *& Parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut homines possideret.* Rabanus Maurus, Auctor noni sæculi dicit etiam: *Exorcizatur diabolus, ut suam nequitiam agnoscens, & justum super se judicium timens, recedat ab homine; nec jam contendat, cum arte sua subvertere, ne Baptismum consequatur* (e). Denique Sanctus Gregorius Magnus (f) antiquam illam Ecclesiæ traditionem asserit dicens: *Sacerdotes, cum per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt .... Quid aliud faciunt, nisi dæmonia ejiciunt?*

(a) Palm. brev. Th. par. 2. n. 939.
(b) In can. sive de consecr. dist. 4.
(c) In can. ante 55. ibid.
(d) S. Aug. in ... sicut fa... ...
(e) Rabanus ... de hoc. 66. ibid.
(f) In can. Sacerdot. 62. ibid.

CASUS PRIMUS.

PHILOSTORGIUS, S. Helenæ Parochus baptizato infante in urgenti necessitate, omissas ceremonias paulo post supplevit. Qua de re quæritur, utrum exorcismi Ritus supplere potuerit.

Videtur, quod sic: quandoquidem omnes in simili casu suppleri debeant, ut præscribit Rituale.

Videtur, tamen econtra Exorcismi ceremoniam non esse supplendam; cum ab Ecclesia fuerit inducta *ad expellendam dæmonorum potestatem*, ut loquitur S. Thomas (g) hoc est, ad destruenda impedimenta, quæ dæmon posset objicere peccati remissioni, quam in baptizando Sacramentum debet operari; quod consentit cum doctrina Sancti Augustini, quam refert Gratianus (h). Atqui per gratiam sanctificantem, nulla jam dæmoni competit potestas in puerum recens baptizatum, ut probat idem Angelicus Doctor auctoritate Sancti Cypriani. Quid igitur Parochus facere debuit?

(g) S. Th. 3. p. q. 71. art. 3. in corp.
(h) In c. sicut de cons. dist. 4.

RESPONS.

Certum est a Philostorgio supplendas fuisse post Baptismum ceremonias omnes, quas omittere coactus fuerat, ne quidem Exorcismo excepto: nam, ut ait Sanctus Thomas (i) non solum Dæmon conatur impedire, ne infans Baptismi effectum accipiat, sed etiam ne de illo accepto deinceps fructum percipiat. *Aliud impedimentum* est intrinsecum, inquit hic Sanctus, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria. Quod confirmat auctoritate Rabani Mauri, in Canone Decreti Gratiani, bis verbis laudati (K): *Per salivam typicam & Sacerdotis actum sapientia & virtus divina salutem Catechumeni operatur, ut operiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, & aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei: ut aperiantur illi sensus in intimo corde ad respondendum.* Unde sequitur, quod, quamvis baptizatus jam habeat gratiam justificantem, nedum obsit, ut potius multum prosit additus Exorcismus ut servetur gratia per Baptismum collata & fructificetur. Ita quoque concludit Sanctus Thomas (l): *Tunc cessante periculo debent suppleri, ut servetur uniformitas in Baptismo. Nec frustra supplentur post Baptismum quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur; ita potest impediri, postquam fuerit perceptus.*

(i) S. Th. ibi. c.
(K) Rabanus Maur. lib. 1. de inst. Clericor. c. 27. in can. Postea 63. de cons. dist. 4.
(l) S. Th. ibi. ad 3.

Decisionem istam affert antiquus Theologus, quem laudat & sequitur Angelus: *quid*, ait hic auctor, *si quis baptizetur sine Exorcismo? Respondet Richardus* (m), *quod debet post Baptismum exorcizari ...... quia licet in baptizato parvulo peccatum non sit, tamen in eo remanet actualiter fomes peccati. Et ideo etiam post Baptismum habet efficaciam reprimendi diabolum* (n). Concilium Provinciale Rhemense anno 1583. Synodus Burdigalense anno 1584. Aquense anno 1585. Eboicensis an. 1476. & alia ejusdem Diœcesis ann. 1504. Rituale Romanum, & alia plurima sententiæ nostræ sunt consentanea.

(m) Richard. in 4. dist. 6. art. ult. q. 1.
(n) Angel. de Clav. v. exorcismus n. 2.

CASUS II.

GELASIUS a duobus annis est possessus aut obsessus a dæmone: & quamvis multoties Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum susceperit, ab eo tamen malignus spiritus ejici non potuit; Paschalis ipsius

ipsius Parochus, jubente Episcopo (*) secundum præscriptam Ecclesiæ formam ipsum exorcizavit, & ab eo etiam multa eaque curiosa sciscitatus est, quæ omnia dæmon Gelasii ore patefecit, licet tamen eum a corpore hujusce hominis ejicere non potuerit.

(*) Notanda sunt hæc verba: *jubente Episcopo*. Sacerdos enim cavere debet, ne privata sua auctoritate, & inconsulto Episcopo a dæmone possessos aut obsessos liberare præsumat. Deceptus enim sæpissime se deridendum præberet, sacraque ministeria risui contemtuique exponeret. Sunt ut rudiores & melanchonici, qui facile sibi persuadent se vexari a dæmone, a quo tamen nullatenus vexantur: sunt enim (quod notandum est) qui ex professo & maligna mente se fingunt arreptitios, ut popularem in se admirationem concilient, & largiores eleemosynas emungant. Meminere etiam Patres Laodiceni, & alii Scriptores quorumdam impostorum & circulatorum, qui quæstus caussa urbes & vicos circuibant, & superstitionibus ac incantationibus corporum morbis tamquam a dæmone creatis mederi se simulabant. Quibus corruptelis ac fallaciis quæ profecto sacra ministeria in contemptum derisumque verterent, ut obviaret Ecclesia, pro sua prudentia cavit, ne quis inconsulto Episcopo, dæmones e corporibus pellere attentaret.

1. Cui rei debet adscribi exorcismi hujusce inutilitas?

2. Numquid male se gessit Paschalis in exorcizando?

RESPONS.

Dicimus, infaustum hujusce exorcismi eventum tribui posse 1. Dei voluntati, cujus nutu factum est, ut Gelasium dæmon invaderet ob arcanum quoddam scelus ab eo commissum, & quod ab illo diutius expiari per hanc pœnam Deus voluit. Nam ut ait S. Thomas (a): *Dæmones.... in cursu hujus vitæ nobis adversarii constituuntur: non autem eorum actus nostræ dispositioni subduntur, sed dispositioni divinæ & sanctorum Angelorum: quia, ut Augustinus dicit (b), Spiritus deserter regitur per spiritum justum*. Hanc etiam Deus ei tolerantiam procuravit ad propriam sanctitatem, aut in aliorum exemplum, qui eum ad miserum illum statum redactum conspiciunt.

(a) S. Th. 2. 2. q. 90. art. 2. in corp.

(b) S. August. l. 5. de Trin. c. 4. ant. med.

2. Modicæ Paschalis dæmonem conjurantis fidei adscribi potest infaustus hic exitus: is enim ob eumdem defectum a Discipulis e possessi corpore non potuit ejici, quibus interrogantibus (c): *Quare nos non potuimus ejicere illud?* Respondit Christus Dominus: *Propter incredulitatem vestram*. Easdem rationes adhibet Petrus Cluniacensis ad probationem hujusce veritatis: *Quod si aliquando dæmones nec cruci, nec aquæ lustrali, nec aliis remediis cedunt*, ait hic Auctor in tyrus (d) a Graffio citatus, *id est in caussa, minima conjurantis fides*: (Luc. 17.) Si habueritis fidem &. *vel permittit Deus, eos operari ad exercendos bonos, ut in fide solidentur & virtute patientiæ roborentur: & ut divus Chrysostomus ..... (e)..... docet, ut pœnas suorum peccatorum heic dantes, puri migrent ad Dei conspectum. Est quoque in caussa letale peccatum, quia quantum illud in interioribus alicujus latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio prodesse poterit*. En responsio nostra ad primum quæsitum.

(c) Matth. 17. 5. 18. & 19.

(d) Petrus Cluniac l. 1. de mirac. c. 6. & c. 14. 16. & 17. (apud Graffium decis. auream l. 2. 6. 7. n. 3.)

(e) O. Chrysost. hom. 41. in Acta Apostolorum.

Ad secundum vero respondemus, quod conformiter ad sententiam ejusdem Graffii, male omnino se gessit Paschalis in exorcismo, vana & inutilia a dæmone exquirens, & periculo deceptionis se objiciens. *Exorcizantibus longa inire colloquia cum energumenis a dæmonibus obsessis illicitum est*, inquit doctus ille Auctor (f), *& gravi se periculo objiciunt: sæpe enim dæmones ipsos decipiunt, vera falsis miscendo: ut interim omittamus, hoc ad familiaritatem quamdam dæmoniacam pertinere*. Quæ doctrina hujusce Auctoris cum S. Thoma penitus consentit, cujus sunt hæc ea de re verba (g): *Non tamen licitum est eos adjurare, ad aliquid ab eis addiscendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum; quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam*.

(f) Graffius citatus. n. 4.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 90. art. 2. in corp. & ad 1.

CASUS III.

HELIODORUS, simplex exorcista, jubente Parocho suo, die Dominica salem & aquam benedictam exorcizavit. Numquid id ipsum legitime potuit?

RESPONS.

Hic exorcista aquam Dominicam benedicere eo prætextu non potuit, ut possit exorcizare. Nam aquæ benedictio quæ fit cum sale, est functio mere Sacerdotalis, atque adeo Clerico, simpliciter exorcistæ eo jure non competit, cum ne id quidem possit Diaconus, ut docet Sylvester (h): *Benedicitur a Sacerdotibus .... cum sale ... quam Diaconi benedicere non possunt*. Quod constat evidenter ex universo Ecclesiæ usu.

(h) Sylvest. in Sum. v. Aqua benedicta.

Ratio hujus est, quia benedictio ista aquæ cum sale permixtæ non solum vim ejiciendi dæmonem; quæ ordinaria est exorcistarum potestas, sed & venialia remittendi, quem effectum producere nequit simplex exorcismus, & quem his verbis exponit idem Silvester: *Non facit remissionem venialium per modum sacramenti, sed per modum meriti; quod intelligendum est in quantum excitat mentem ad quamdam elevationem & devotionem actualem, quæ est virtualis contritio de venialibus*. Sententiam hanc adstruit Canon antiquus, quem Alexandro I. adscribit Gratianus (i), & cujus Canonis hæc sunt verba: *Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur ..... nam si cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat atque mundabat; multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat; & si sale aspersa per Helisæum Prophetam sterilitas aquæ sanata est (K), quanto magis divinis precibus sacratus sal .... coinquinatos sanctificat atque mundat & purgat &c.* Atqui potestas purificandi & sanctificandi fideles, ad solos pertinet Sacerdotes; unde ex hoc Canone illud solis Presbyteris committitur ministerium: *quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus*. Unde colligendum est, quod, cum Sacerdotium sit principium remissionis cujuslibet peccati; hæc benedictio, uti mere Sacerdotalis habenda est; & quidem talis ex Rubricis Missalis Romani manifeste supponitur his verbis: *Die Dominica præparato sale & aqua benedicenda, Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, alba vel superpellicee indutus cum stola circa collum &c.* Quæ ultima verba manifeste ostendunt, terminos istos: *vel alius ad id deputatus*, de alio intelligi non posse, quam Sacerdote, cum solus Sacerdos *circa collum* stolam possit gerere.

(i) Can. Aquam. 20. de consecrat. dist. 2.

(K) Hebr. 9. 13.

EXTREMA UNCTIO.

QUadruplici per vitæ cursum unctione fideles inunguntur. 1. Cum Baptismi undis abluuntur. 2. Cum suscipiunt Confirmationem. 3. Cum Ministri Altaris ab Episcopo unguntur. 4. Denique, cum ad extrema redacti unctionem accipiunt, quæ hujusce Tituli materiam præbet. Unde *Extrema Unctio* dicitur, ut observat Tridentini Synodi Catechismus. *Quare hac Unctio a majoribus nostris Sacramentum etiam Unctionis infirmorum, & Sacramentum exeuntium dicta est (l)*.

(l) Catech. Conc. Trid. p. 2.

Extre-

Extrema Unctio a Theologis definitur: *Sacramentum, quo per Sacerdotalem orationem, oleique unctionem infirmo gratia confertur* (*a*). Per hæc verba, *Sacerdotalem orationem*, intelligitur oratio contenta verbis formæ hujusce Sacramenti, cujus Sacerdos solus est legitimus Minister, hoc est, Parochus, aut alter Sacerdos ab ipso delegatus (*b*): & per hæc alia, *Oleique Unctionem*, intelligitur oleum ex olivis expressum, ab Episcopo benedictum, quod solum est ejus materia remota, ut unctio est materia ejus proxima: per verbum, *infirmo*, intelligendus est ægrotans cum vitæ periculo. Unde colligi necesse est, cuilibet alteri Sacramentum hoc non esse ministrandum, quantumvis certum sit & proximum vitæ discrimen in quo versatur. Denique per verbum, *gratia*, intelligitur gratia habitualis, ægroti animam sanctificantis, quæ in ipso peccati reliquias abstergit, ipsum in morbo contra dæmonis tentationes & impulsus confirmat, & sanitatem etiam consequitur corporis, ubi saluti animæ expedierit, ut ait Tridentinum Concilium, post Florentinum (*c*): quos effectus *ex opere operato*, hoc est, propria sua virtute Sacramentum illud producit.

(*a*) Polm. Brev. Theol. p. 1. n. 48.

(*b*) S. Carol. Act. Eccl. Mediol. p. 4. Instr. de Extrema Unctione.

(*c*) Con. Tr. sess. 14. c. 2.

Infirmus in discrimine vitæ constitutus susceptionem hujusce Sacramenti ad extrema vitæ numquam debet differre; verùm illud debet requirere, dum integris est mente & sensibus, & hujus Sacramenti gratias & effectus percipere potest, sanctas ad ejus susceptionem afferendo animi dispositiones, vividam scilicet fidem, spem firmam, sincerum Dei amorem, veram de peccatis suis contritionem, perfectamque divinæ voluntati subjectionem. Hæ sunt enim tot virtutes fidelibus necessariæ, & ad quarum praxim magis etiam, quam alii, tenentur morientes ob evidens amittendi usus rationis periculum, quo jam actus harum virtutum elicere jam non poterunt.

Sed quia fit sæpe sæpius, ut morbi vim ac discrimen ægrotis non satis sit perspectum; tale eis periculum manifestare tenentur Pastores, Confessarii, Medici, Chirurgi, Parentes, aliique quibus eorum commissa est cura, ut congruo tempore, hoc est, ànte aut post acceptum Viaticum, Sacramentum illud suscipiant; neque enim nos fugit, non uniformem fuisse hac in re antiquæ Ecclesiæ disciplinam; ut patet ex multis Conciliis, & aliis veneratione dignis monumentis, quæ refert D. Grancolas, Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctor, in secundo & tertio Tomo Operis sui inscripti: *Antiqua Liturgia*. Ecclesiis quæ diversos illos usus àdhibuerunt, suæ non defuere rationes, de quarum soliditate atque prælatione non nostrum est judicare; quippe qui id unum affirmare contenti simus, a quolibet hujusce Sacramenti Ministro propriæ Ecclesiæ ritus esse servandos, quorum ordinem ab Episcopis aut longo usu ab eisdem confirmato statutum immutare non licet. Attamen, cum de variis illis usibus, ab universa quidquam non constitutum fuerit Ecclesia, ordinem quandoque, cum urget necessitas aut postulat ægrotus, immutare potest prudens Pastor.

CASUS PRIMUS.

Cyconius, Sancti Juliani Parochus, Extremæ Unctionis Sacramentum ægrotis ministrare contemnit, eosque sine illo subsidio morientes dimittit. Numquid in hoc mortaliter peccat?

Contendit se non peccare: quia Extrema unctio non solum necessaria non est necessitate quam *medii* vocant Theologi: sed ne quidem necessitate præcepti, seu divini seu ecclesiastici; & quam proinde sub mortalis culpæ reatu administrare non tenetur, saltem non petentibus; aut eos ad petendam inducere, qui de illa non cogitant. Num legitima est hæc ratio?

RESPONSIO.

Putant te ipsa Auctores nonnulli; Sacramentum Extremæ Unctionis non esse quidem necessarium necessitate præcepti (*d*). Eorum autem hæc est ratio, quod præceptum illud, inquiunt, neque in Scriptura, neque in Conciliis, nec etiam sufficienter in Traditione expositum reperiatur. Id ipsum probat Becanus ex Decretali Innocentii III. (*e*), in qua tempore generalis interdicti summus hic Pontifex necessaria concedens administrare Sacramenta; Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta designat, & expresse vetat, ne ministretur Extrema Unctio. Unde concludit hic Auctor, Sacramentum illud non esse necessarium necessitate præcepti naturalis aut divini, & illud idem positive ac formaliter ab Ecclesia non fuisse imperatum.

(*d*) Becan. de Sacrament. c. 27. de Extrem. Unct. q. 11.

(*e*) Innoc. III. in c. Quod in te. Tr. de pœnit. & rem. l. 5. tit. 38.

Existimamus tamen, opinionem istam sufficienti non esse nixam ratione, ac multo probabilius esse, Sacramentum illud necessitate præcepti periculose ægrotantibus esse necessarium. Cujus quidem necessitatis probationem illicò suppeditant hæc S. Jacobi Apostoli verba (*f*): *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*. Ex quibus concludit Sacrosancta Tridentina Synodus, Sacramenti hujus susceptionem periculose ægrotantibus esse præceptam. En ipsius verba (*g*): *Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Jacobi Apostoli sententiam docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei*. Quibus dictis subjungit etiam: *Neque vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere & ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset*.

(*f*) Jacob. 5. 14.

(*g*) Conc. Trid. sess. 14. c. 1. de Extrema Unctione.

Probari etiam potest Sacramenti hujus necessitas ex fine, ob quem a Christo fuit institutum. Nam, ut ait idem Concilium, a Domino nostro fuit institutum tamquam clypeus & præsidium ad resistendum fortiter insidiis ac tentationibus, quibus ad extremum

nium vitæ nos oppugnat Dæmon salutis nostræ hostis infensus: *Clementissimus Redemptor noster*, inquiunt Tridentini Patres .... *Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit: Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes versutiæ suæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit*. Valde igitur periculosum esset infirmo Sacramentum illud non suscipere, & Parocho non administrare: hinc videmus generalem Ecclesiæ consuetudinem eorum opinioni, qui negant ipsius necessitatem, penitus adversari: cum ægri, quibus notum est morbi sui periculum, accurate illud requirant, & petentibus Parochi administrent, & aliud suscipiendum eos omnes inducant, qui vel de eo non cogitant, vel instantis mortis periculum non cognoscunt.

Colligimus igitur, errare Cyconium in suo ratiocinio, eumque toties mortaliter peccare, quoties ob negligentiam suam morientes absque sacramenti hujus subsidio dimittit. *Etiam non rogatus*, (Parochus) *inquit Modernus Canonista* (a), *si advertit ægrum in eo statu esse, ut hoc indigeat sacramento, maxime vero si alias sine ullo omnino sacramento sit ex hac vita discessurus, dubitandum non est Parochum, hæc advertentem & negligentem, peccare mortaliter*. Quamvis enim de eo suscipiendo nullum sit Ecclesiæ præceptum, scandalum tamen is præberet, qui universalem contemneret consuetudinem, quam adeo religiose observat, media usurpare negligens, quæ Deus fidelibus suppeditavit ad assequendam facilius & tutius cælestem beatitudinem, ad quam vocati sunt: atque in hoc sensu intelligenda sunt hæc verba Concilii Provincialis Coloniensis an. 1536. sub Paulo III. habiti (b): *Est autem unctio impendenda cum expositione unctionis & mandati Apostolicè, quod sic habet*: Infirmatur quis in vobis &c.

(a) Joan. Cabas. juris can. Theor. & prax. l. 5. c. 15. n. 6.

(b) Concil. Colon. an. 1536. p. 7. c. 32.

Media autem salutis, quæ infirmis suppeditat istud sacramentum, maximi sunt momenti: nam præter gratiam sanctificantem, quæ sibi cum ceteris sacramentis communis est effectus, multos alios, etiam sibi speciales producit, qualia sunt virtus ad resistendum Dæmonis incursibus, donum fiduciæ in misericordiam divinam, donum patientiæ in malis, & remissio peccatorum, non solum venialium, sed etiam mortalium, ut constat ex his sancti Jacobi verbis (c): *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*. Quod etiam docet supplementum S. Thomæ his verbis (d): *Si invenit peccatum aliquod mortale vel veniale quoad culpam, tollit ipsam* (extrema unctio), *dummodo non ponatur obex ex parte recipientis*. * Quibus etiam addere interest 1. sacramento isto abstergi etiam reliquias peccati, hoc est, languorem hunc & infirmitatem, quam originale vel actuale peccatum in homine parit, & quibus fit, ut ad actus virtutis & vitæ, qui sunt quasi secundum gratiæ & gloriæ semen, valide feratur. *Contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ vel gloriæ; & hic defectus nihil est aliud, quam quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum*. Ita sanctus Thomas. 2. Consequenter ad illos effectus hominem ex eo immediatius ad gloriam disponi, quam ex quolibet alio sacramento, ut explicat Concilium Tridentinum (e), modo suscipiens sit rite dispositus. 3. Ab eo alium quoque produci effectum, qui sibi particularis est, restitutionem videlicet corporeæ sanitatis, cum id ægroti spirituali bono expedire Deus judicat, ut docent hæc ejusdem S. Jacobi Apostoli verba, *alleviabit eum Dominus*.

(c) Jacob. 5. 15.

(d) Supplem. S. Thom q. 1. art. 1. in corp.

(e) Concil. Trid. cit. in Proœmio.

Ex quibus omnibus palam fit, graviter, immo & mortaliter, ut diximus, Cyconium peccare, qui ex negligentia affectata & omnino voluntaria caussa est, cur tot gratiis frustrentur sui Parochiani.

CASUS II.

Agapius, S. Norberti Parochus, Extremam unctionem Parochiano suo extremos agenti spiritus deferre festinans, nec oleum infirmorum inveniens, Catechumenorum oleum, aut sacrum Chrisma adhibuit. Nunquid valide sacramentum illud contulit?

RESPONS.

Facile cum aliquibus Theologis (f) respondemus, in simili casu Extremam unctionem cum sacro Chrismate aut oleo Catechumenorum valide conferri posse.

Prima, quæ rei hujusce afferri potest, ratio est; quia Chrismatis nomine aliquoties dictum est oleum, quod in hoc sacramento adhiberi solet, ut patet ex Innocentio 1. ad quemdam Italiæ Episcopum scribente (g), qui loquens de infirmis, dicit, *Sancto oleo Chrismatis perungi possunt*.

(f) Maldonat. de extrem. unctio. qu. 3. argum. 5 tom. 2. pag. 304. De Sainte Beuve de extrem. unct. disp. 3. art. 3.

(g) Innoc. 1. Ep. ad Decentium. c. 8.

Secunda: quia, cum sacrum Chrisma ex oleo olivarum conficiatur, & proinde ab Episcopo sit benedictum, nihil obstat, quominus sufficiens esse queat hujus sacramenti materia.

Tertia denique est, quia ex Rituali Romano, cum oleum infirmorum est in minori quantitate, superinfundi potest simplex olivum (h): *Si forte intra annum aliquo modo deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superinfuso, reparari potest*. Hæc sunt verba hujusce Ritualis. Cur igitur mixtio Balsami, ex quo Chrisma conficitur, validitati hujus sacramenti obstaret; cum oleo nativam suam auferre proprietatem dici nequeat, nec illud proinde ex ea fieri insufficiens ad unctionem infirmorum?

(h) Rituale Roman. tit. de sacram. extr. unct.

Nihilominus, cum omnino non constet de hac doctrina, quia nulla est de hoc Ecclesiæ constitutio, & aliunde periculosum sit, aliquid in administratione sacramenti immutare, juvat hic illud S. Caroli Borromæi monitum addere, quod in quinto Mediolanensi Concilio an. 1577. habito his verbis legitur (i): *Parochus, si per errorem aliud oleum quam quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut Catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem ei adhibeat, tuncque sacramenti formam iteret*, ** (saltem sub conditione).

(i) Concil. Mediol. V. 1. part. tit. Quæ pertinent ad sacramentum extrem. unctionis.

CASUS III.

Marinus, sancti Placidi Parochus, ad Extremam unctionem simplex oleum ex olivis expressum, ab Episcopo non benedictum adhibuit. Nunquid validum est sacramentum?

RESPONS.

Videtur, dubium esse non posse, quin olei benedictio absolute sit necessaria *necessitate sacramenti*: quia Christus sacri sui corporis contactu non solum aquam, quæ ex eo vim sanctificandi in Baptismo habuit, sed etiam panem & vinum, quo in Eucharistiæ consecratione usus est, sanctificavit:

* Remittit quidem EXTREMA UNCTIO peccata mortalia, immo remittit per se, sed per se secundario, non per se primario; Siquidem per se & primario animam alleviat, peccati reliquias abstergendo. Ita fere loquitur scriptor Theologiæ Dogmaticæ & Moralis ad usum Seminarii Catalaunensis tract. *De Sacramento Extremæ Unct.* C. 6. qui, ne quod dicit intellectu difficile videatur, notat voces illas PER SE & PRIMARIO *non esse confundendas; aliud quippe est esse institutum per se ad aliquem finem: aliud primario: quædam enim tam ex intentione operantis quam operis assumuntur ad finem, qui tamen non intenditur. Veritas patebit exemplo Medici*, addit citatus scriptor, *qui ita vult levare dolorem capitis, ut timeat nocere pulmoni male affecto; ideoque parat medicamentum in quo miscet utilia ad utrumque morbum curandum. Medicamentum illud per se est ad medendum capiti, & pulmoni, sed primario capiti; id enim primum intendit Medicus: Secundario vero pulmoni*.

** Ut caveatur ejusmodi error, qui non ita raro contingit, præcipere debent omnes Episcopi, ut vasculum olei infirmorum in Capsula separata inclusum servent, & Parochi omnes diligenter præcepto obediant.

vit: quare aquæ, panis & vini benedictio absolute non requiritur: *Et propter hoc*, inquit sanctus Thomas, *non est de necessitate horum sacramentorum, quod materia prius benedicatur; quia sufficit benedictio Christi: si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem*. Verum addit sanctus Doctor, non idem esse dicendum de materia extremæ unctionis, quia eam ex aliquo usu Christus non sanctificavit; quare ad producendam gratiam, necesse est, ut ab Episcopo benedicatur. *Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus*, pergit idem Sanctus, *ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est unctus præ consortibus suis* (a), *& ideo tam Chrisma, quam oleum sanctum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad usum Sacramenti*: & idem Angelicus Doctor ex hoc principio, duabusque aliis, quas affert, rationibus, hujus benedictionis necessitatem his verbis alibi comprobat (b). *Potest autem triplex ratio assignari, quare exigatur materiæ sanctificatio in hoc Sacramento & in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia Sacramentorum a Christo descendit; & ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex suo usu, sicut tactu suæ carnis vim generativam contulit aquis: sed hoc Sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctione, & ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda caussa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc, quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materiæ naturali proprietate; & ideo oportet, quod hæc efficacia ei per sanctificationem detur*. Sylvius inclytus sancti Thomæ interpres (c) probat olei benedictionem Sacramento esse essentialem, juxta mentem sancti Doctoris. *Istam vero resolutionem*, inquit, *ita esse intelligendam, ut olei olivæ per Episcopum benedictio necessaria sit, non præcepti tantum necessitate, sed etiam Sacramenti; ita ut si Presbyter infirmum ungeret oleo, vel non benedicto, vel non per Episcopum benedicto, Sacramentum non subsistere, ex articuli quinti argumento tertio, ejusque solutione potest doceri*.

(a) Psal. 44.
(b) S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. in corp.
(c) Fr. Sylvius in supplement. S. Thom. q. 29. art. 5. & 6.

In hoc consentit Angelicus Doctor cum Ecclesiæ traditione; cum a Conciliis & Patribus (d) id semper observatum fuerit, loquendo de materia hujus Sacramenti, olei Benedictionem factam ab Episcopo requiri. Hæc est universim accepta Latinæ Ecclesiæ consuetudo, quæ quidem in Ecclesia Græca non observatur, in qua benedictionem istam facere obtinent simplices Sacerdotes. Qua in re non sunt leviter damnandi 1. Quia S. Jacobus non designat, oleum ab Episcopo esse benedicendum. 2. Quia Auctor antiquus soli Episcopo privative ad Sacerdotes, potestatem hanc non adscribit. 3. Quia in Latina Ecclesia cum Episcopis hanc potestatem olim diviserunt Sacerdotes, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, qui asserit, quod oblatum oleum Episcopus una cum Presbyteris benedicit (e): *Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit illud, tam ipse, quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum, his verbis: Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum paracletum de Cælis in hanc pinguedinem olivæ, ... ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti, tutamentum mentis & corporis ad evacuandum omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis ... in nomine Domini nostri Jesu Christi*.

(d) Conc. II. Cabillonen. an. 813. can. 48. Conc. Vormat. can. 72. Conc. Aquisgr. II. can. 5. Conc. Trident. sess. 14. c. 1. Vita S. Eligii. l. 2. c. 16. Innoc. I. Epist. ad Decentium. Beda in cap. 6. Marci Jonas de Instit. laicali. l. 3. c. 14. S. Bernard. in vita Malachiæ. c. 31. & alii.
(e) Gregorius Papa. lib. sacramentorum. Feria quinta in Cœna Domini de benedict. olei ad ungendum infirmum.

Superest etiam nunc quoddam hujusce antiqui usus vestigium in Pontificali Romano, in quo ista notatur Rubrica: *Benedicit illud* (Episcopus) *voce demissa, ita tamen, quod a Sacerdotibus circumstantibus audiri possit* (f). Unde inferri potest, Sacerdotes hujusce benedictionis aliquatenus esse participes. His etiam addamus, quibus excusatur Græcorum usus, hanc etiam consuetudinem inter ipsos esse perantiquam, ut patet ex ipsorum Euchologiis; & Clementem VIII. in sua ad Latinos Episcopos instructione, ipsis prohibere, ne Græcos Sacerdotes cogant, a se oleum infirmorum sumere (g): *Non sunt cogendi Presbyteri Græci*, inquit, *olea sancta præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere; cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur*. Ex quo inferri potest cum Maldonato (h).

(f) Pontificale Roman. de officio in quinta fer. Cœnæ Domini.
(g) Clem. VIII. in Bulla Sanctissimus. 24. an. 1595. lumaq. Bullar. 3. p. 97.
(h) Maldonat. de extrema Unctione. q. 1. argum. 5.

1. a Summo Pontifice hanc fieri posse facultatem ita ut oleum benedicat, uti fatetur insignis alius Theologus (i): etsi potestatem hanc sibi non debeat arrogare Sacerdos, quæ Episcopo a primis Ecclesiæ sæculis fuit reservata, ut indicant Concilia, Carthaginense secundum, Toletanum primum, & Innocentius I. (k).

(i) De Sainte Beuve, tract. de Sacram. Extrem. unct. disputat. 3. art. 1.
(k) Concil. Cart. 2. can. 3. Conc. Tolet. 1. can. 20. Innoc. I. Epist. ad Decent. cit.

2. Non solum tutius esse sequi opinionem sancti Thomæ aliorumque, qui putant, olei benedictionem Sacramento esse essentialem, sed hanc quoque doctrinam potioribus nixam rationibus probabiliorem esse: Ita ut irritum dici debeat Sacramentum, si cum oleo non benedicto ab Episcopo conficiatur in Ecclesia Latina, aut non benedicto a Sacerdote in Ecclesia Græca, atque adeo Parochum, de quo in casu proposito, non valide extremam unctionem administrasse.

Putant quidem nonnulli Theologi, (l) benedictionem istam Sacramento non esse essentialem, sed tantum de præcepto Ecclesiastico; verum tam infirmæ sunt eorum rationes, ut contrarium asserere nequeant: dicunt enim. 1. Quod, si, necesse non sit *necessitate Sacramenti*, ut aqua Baptismi benedicatur, idem dicendum est de oleo, quod ad Extremam Unctionem adhiberi solet: nam præterquam quod, ut ait sanctus Thomas, ex contactu Corporis Christi aqua sufficienter tum consecrata est, cum a Ioanne baptizatus est in Jordane; magnum intercedit inter duo illa Sacramenta discrimen in eo, quod cum Baptismus ad salutem sit necessarius, divinæ bonitatis erat, ut facillime & cum simplici aqua naturali administrari posset: hinc etiam in Ecclesia judicatum est, eum a quocumque confici posse; quod idem de Extrema Unctione asseri nequit; quia cum paris non esset necessitatis, nec etiam necesse fuit, ut ejus materia tam communis esset ac materia Baptismi, nec quilibet ejus posset esse Minister.

(l) De Sainte Beuve. tom. 2. cas. 88. p. 281.

2. Dicunt illi Auctores, non necessario requiri benedictionem olei, quod de illa sileat omnino sanctus Jacobus. Sed respondendum. 1. Cum Auctore Hierarchiæ Ecclesiasticæ. (m) Primos Ecclesiæ Præsules Sacramenta nobis dereliquisse, partim scriptis & partim traditione nos docendo, quæ eorum esset materia. *Primi illi Hierarchiæ nostræ Duces ac Principes, cum & ipsi a divina bonitate plene cumulateque hoc munus accepissent, & a divina benignitate ejus apud posteros propagandi, prorogandique caussa missi essent .... partim scriptis, partim non scriptis suis institutionibus ex sacrosanctis legibus nobis tradiderunt*. Hæc sunt verba antiqui hujusce Auctoris. 2. Ex Concilio Tridentino ad Concilia Sanctosque Patres pertinere, ut scripturæ sacræ sensum determinent; & quoniam asserunt hæc Concilia Sanctique Patres unanimi consensu, oleum debere esse benedictum, consecratum vel sanctificatum (sic enim loquuntur) existimandum esse, eos intellexisse hæc verba; *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, de unctione olei per benedictionem consecrati.

(m) Lib. de Hierarchia Ecclesiast. c. 5. pag. 73. Edit. Paris.

Addunt denique illi Theologi argumentum desumptum ex Decretali Alexandri III. (n); in qua summus hic Pontifex consultus de eo, qui cum oleo non consecrato confirmationem susceperat, an iterum esset confirmandus, respondet, quod non, quia omissa supplere satis est; unde colligunt, ut oleum non consecratum est sufficiens confirmationis materia, posse etiam esse Extremæ unctionis. Verum iis Auctoribus non respondendo, a quibusdam Theologis, quod ipsos non latet, defendi, Chrisma esse tantum materiam integrantem confirmationis; ipsis hæc sit responsis, a summo Pontifice sapienter quæstionem fuisse solutam, & hunc esse Decretalis ipsius sensum, eum videlicet, qui absque manuum impositione factus fuerat subdiaconus, ad eundem subdiaconatum promovendum esse

(n) Alex. III. in cap. pastoralis. de Sacrament. non iterand.

per

per impositionem manuum, & eum pariter, qui sina Chrismate, ut volebant, cunfirmatus fuerat, reipsa cum Chrismate esse confirmandum; quin tamen asserere sit licitum, subdiaconatum & Confirmationis sacramentum fuisse iterata. Ceterum hæc forsan agitata fusius vidabitur quæstio; verum ob momentum suum fusam quoque nobis visa est mereri responsionem.

CASUS IV.

Nicetius sancti Albani Parochus, vocatus ad tres quatuorve infirmos sacra unctione perungendos: deficienti ferme oleo benedicto in ampulla sua majorem non benedicti copiam superinfudit, ut tam istis infirmis sufficeret, quam aliis, qui postea sacramentum istud essent rogaturi. Potuitne illud facere, eoque uti valide & etiam licite pro administratione hujus sacramenti?

Respons.

Duæ sunt ea de re opiniones, quarum cujuslibet assertores sanctum Thomam ad suas trahere partes conantur; quamvis reipsa neutris faveat (a) formaliter.

Prima est Fumi in summa sua *Aurea Armilla* (b): qui asserit, majorem olei communis quantitatem minori benedicti addi posse. Hujus ratio est, quia, licet in rebus heterogeneis majoris liquidi mixtio superiosula minoris naturam immutet, non idem evenit io rebus homogeneis, quia eadem semper remanet eorum natura, quantacumque sit mixtio: *Nam aqua benedicta*, inquit, *remanet aqua, & oleum consecratum remanet oleum*. Emanuel Sa, de sainte Beuve (c) & alii nonnulli hanc opinionem sequuntur, qui omnes nituntur his verbis Innocentii III. ad Episcopum Nidrosiæ in verbis Innocentii III. ad Episcopum Nidrosiæ in Norvegia scribentis (d); *Non negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri*. Ad quod Glossa (e): *Et ita sacrum*, ait, *tanquam dignius trahit ad se non sacrum*: quod idem quoque affirmant Panormitanus, Hostiensis & Joannes Andreas; & hæc etiam legis verba nonuulli usurpant in confirmatiooem opioionis suæ (f): *Quæ religiosis adhærent, religiosa sunt*.

Altera opinio est Silvestri (g), qui contendit, nunquam addendam esse nisi minorem quantitatem majori, alioqui non esset sufficiens materia sacramenti. Ita quoque Bonacina (h) cum Silvio (i), qui asserit, Silvestri opiuionem esse probabiliorem; & pro se laudat sanctum Bonaventuram & Azorium (K), addens etiam hæc verba Ritualis Romani Paulli V. *Si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in majori quantitate super infuso reparari potest*: & hæc alia Pastoralis seu Manualis Cameracensis: *Poterit oleo benedicto aliquid olei non benedicti in minori quantitate misceri, si benedictum deficiat, nec aliud benedictum haberi queat, & urgeat necessitas. Eique*, subdit Silvius, *consentit Manuale Atrebatense, monens ut oleum, quod est apponendum, sit de olivis & in minori quantitate*.

Alteram hanc sententiam eo libentius amplectimur, quod, cum de sacramenti validitate agitur, opinionem dubiam aut minus probabilem, tutiori aut probabiliori nunquam liceat anteponere.

Quod vero spectat ad rationes, quibus innituntur defensores prioris opinionis, Respondemus, neque Decretalem Innocentii III. neque Glossam, aut eos, quos laudat, Interpretes loqui de præsenti casu, cum affirment solum, oleum non benedictum benedicto commisceri posse; quod quidem non negamus; sed ne ullum quidem verbum de majori vel minori quantitate proferunt; quocirca jure verba eorum de minori quantitate majori coosecratæ permixta explicare possumus: quod autem pertinet ad istud effatum: *Sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum*, eodem sensu verum est: minor enim olei communis quantitas majori olei consecrati copiæ addita, per hujus benedictionem fit quoque benedicta. At fusius & generalius illud non debet intelligi; alioquin ex eo posset concludi, quod si olei sacri guttæ quædam olei communis dolio affunderentur, totum dolium fieret consecratum: quod quam absurdum sit & Ecclesiæ intentioni contrarium, nemo non videt. Denique nullam cum proposita quæstione connexionem babet lex, quæ objicitur. Quod enim a Romanis, *res religiosæ*, dicebatur, nihil aliud erat, quam loca sepulturæ destinata, & ubi mortuum corpus fuerat tumulatum. *Religiosum locum unusquisque sua auctoritate facit, dum mortuum infert in locum suum*, inquit Imperator Justinianus (l). *Religiosa loca sunt*, ait Glossa (m), *in quibus corpora mortuorum sepulta sunt*. Igitur rationi penitus repugnat talem adhibere legem ad probandum, minimam olei benedicti quantitatem majori communis olei copiæ benedictionem suam conferre: atque is profecto probatione est destitutus, qui talem sibi libenter assumit.

Concludamus ergo, Nicetium sine peccato majorem olei communis copiam minori sibi reliquo oleo sacro affundere non potuisse, sed eum statim minorem quantitatem addere debuisse, atque idem iteratis vicibus facere, si necesse fuisset; aut dicendum, cum iis, quos sequimur, Auctoribus, materiam, quam adhibuit, non fuisse sufficientem ad validitatem sacramenti.

(a) S. Thom. 3. part. q. 77. art. 4. ad 2.
(b) Bartholom. Fumus. v. *Aqua*.
(c) De Sainte Beuve tom. 3. Cas. 38.
(d) Innoc. III in cap. *Quod in dubiis*. §. de Consecr. Ecclesiæ vel alt. lib. 3. tit. 40.
(e) Gloss. in d. cap. *Quod in dubiis*. v. *Consecratum* & ibid. Panorm. Hostiensis & Joan. Andreas.
(f) Leg. *Quæ religiosas*. 43. ff. de rei vindicat lib. 6. tit. 1.
(g) Silvest. v. *Aqua*. & v. *Oleum*.
(h) Bonacina tract. de sacra. disp. 7. q. un. de extre. unct. puncto 2. propos. 1. n. 7.
(i) Silvius in 3. part. S. Tho. q. 77. art. 1. sub fin.
(k) S. Bonavent. in 4. dist. 23. art. 2. q. 2. Azorius part. 1. l. 5. c. 25.
(l) Instit. l. 2. t. 1. §. 9. de rerum divisione.
(m) Glossa ib. v. *Religiosum*.

CASUS V.

Joannes, Parochus sancti Trasonis, Extremam uni e suis subditis unctionem conferens, ordinariam adhibuit formam, nisi, quod hæc ultima verba proferre omisit: *Per visum, per auditum, per gustum & locutionem, per ardorem libidinis, per incessum pedum*; atque istis, *quidquid peccasti*, nihil addidit, quorum tamen significatio ex omissis debet determinari; quod quidem advertit, priusquam ab ægro recederet. Nunquid unctiones iterare & integram repetere formam debuit, alioquin invalidum censendum fuit sacramentum?

Respons.

Reprebensione quidem dignus est hic Parochus ob talem omissionem, sed neque unctiones, neque formam iterare tenetur, quia verba hæc *per visum* aliave omissa ad essentiam formæ non pertinent. Ratio est, quia voces priores, quas protulit, formæ debitam significationem sufficienter exprimunt, scilicet caussam præcipuam, quæ misericordia est divina, & caussam instrumentalem; quæ est unctio sacra: ad denique effectum, remissionem videlicet peccatorum, ex qua sæpe sequitur corporeæ sanitatis recuperatio; cum morbus plerumque sit effectus peccati ex hoc Christi Domino dicto (n): *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*.

Ita sentit Silvius (o), cum aliis multis Theologis, quos laudat: *Quamvis autem non constet, quæ verba sint essentialia, probabilius tamen videtur, quod hæc*: per istam unctiooem indulgeat tibi Deus: *Sic enim exprimitur actus dicendo*: per istam unctionem; *& caussa principalis*, Deus; *& subjectum*, tibi; *& effectus*, Indulgentia .... *sed utrum hæc clausulæ sint essentiales*, per visum, per auditum &c. *dubitatur; quidam sic opinantur: Tannerus tamen (p) & apud præpositum Valerius Reginaldus probabiliter negant: cum non videantur ad essentialem significationem sacramenti pertinere; per quod petitur ac etiam obtinetur remissio eorum quoque peccatorum, quæ non sunt per sensum exteriorem commissa; ita etiam Gamachæus* (q).

(n) Jo. 5. 14.
(o) Fr. Silvius in suppl. 3. part. S. Tho. q. 29. art. 9.
(p) Tannerus q. 2. dub. 3.
(q) Gamachæus de extrem. unct. c. 3.

CASUS VI.

Calistus sancti Blasii Parochus, Parochianum suum extremos jam ducentem spiritus conspiciens, cui proinde extremam unctionem more in Ecclesia ex Rituali præscripto se conferre per tempus non posse existimavit; formam in breve se contrahere posse arbitratus est, dicens: *Ego te ungo oleo sancto in nomine Patris &c.* Nunquid validum est sacramentum?

RESPONS.

(a) S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.

Asserit sanctus Thomas (a), formam absolutam seu indicativam huic Sacramento non convenire, quia effectum suum non semper producit consequenter ad actionem Ministri, uti Baptismus & Confirmatio, quæ necessario spiritualem imprimunt characterem, observatis iis, quæ ad eorum essentiam spectant, atque ut consecratio Eucharistica, cujus effectum præcipuum necessario producunt verba consecrationis, quæ profert Sacerdos. Tres etiam alias convenientiæ rationes affert Doctor Angelicus ad probandum formam hujusce sacramenti necessario debere esse deprecatoriam. En ejus verba. *Forma hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi (b), & ex usu Romanæ Ecclesiæ, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti, cujus ratio multiplex assignatur. 1. quia suscipiens sacramentum hoc, est viribus propriis destitutus; unde indiget orationibus sublevari. 2. Quia datur exeuntibus, qui jam desinunt de foro Ecclesiæ esse, & in solius Dei manu inquiescunt; unde & ei per orationem committuntur. 3. Quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti rite peractis, sicut character in Baptismo & confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis.*

(b) Oratio fidei salvabit infirm. Jac. 5. 14.

Objici quidem potest, hanc formam pure indicativam in Ecclesia Mediolanensi olim fuisse adhibitam: *Ungo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti*: quod sancto Ambrosio fuerit attributa. Sed respondendum 1. eam falso sancto Ambrosio fuisse adscriptam, nec etiam ad validitatem sacramenti sufficere. Hinc testatur Bonacina, patria Mediolanensis, aliam ibi adhiberi formam, partim indicativam partim deprecatoriam, ut eam, quæ est in usu Ecclesiæ Atrebatensis & Veneta. *Neque est Ambrosii*, inquit Silvius (c), *neque sufficit ad valorem sacramenti: quod non sit Ambrosii, manifestum est ex Bonacina, qui Ambrosianam dicit esse istam, aut similem*: ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates. *Quæ cum sit similis Atrebatensi, non est dubium, quin sit bona .... cæterum quod ad valorem sacramenti non sufficiat, asserit beatus Thomas hic ad tertium.* Reipsa id testatur sanctus Thomas (d) his verbis: *Verba illa indicativi modi* (ungo hos oculos oleo sanctificato) *non sunt forma*, inquiit hic sanctus, *sed sunt quædam dispositio ad formam, in quantum intentio Ministri determinatur ad actum illum per illa verba.* Quocirca dicendum, quod in omnibus Ecclesiis, in quibus verba illa fuere usurpata: *Ungo hos oculos &c.* ipsis ante aut post addita est semper oratio (e), ut videre est in antiquo Pontificali Anglico, in antiquo Rituali Sagiensi, & Rhemensi, cujus Auctor putatur esse sanctus Remigius; quod etiam probari potest ex hac alia forma, quæ in sacramentario sancti Gregorii Magni refertur, quod in lucem protulit P. Menardus. *Inungo te oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare Creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in te habitet virtus Christi altissimi & spiritus sancti* ... per eundem &c. qua in oratione consistit essentia formæ hujus sacramenti.

(c) Fr. Silvius in suppl. S. Th. q. 29.

(d) S. Thom. cit. quæstiunc. 2. ad 1.

(e) Jacob. de Sainte Beuve tract. de sacram. extrem. unct. disp. 3. art. 2.

Tenenda est igitur forma deprecatoria, uti sola sufficiens, & quæ a tot sæculis obtinuit, non solum in Ecclesia Latina, ut testantur omnia antiqua Ritualia, ac præcipue Rituale Abbatiæ Gemeticensis (f), sex sæculis vetustius; sed etiam in Ecclesia Græca, in qua nulla alia agnoscitur, teste Neophyto Rhodino in sua Synopsi vernacule edita jussu & impensis Congregationis *de Propaganda fide*, nec non Arcudio (g) Sacerdote Græcu patria Corcyræo; atque ideo dicendum est, a Calixto, de quo in casu proposito agitur, non valide collatam fuisse extremam unctionem, quod sufficienti forma ad validitatem hujus sacramenti non usus fuerit.

(f) Rituale Gemeticense.

(g) Petrus Arcudius l. 5. de sacr. c. 5.

CASUS VII.

GEORGIUS, Parochus sancti Cæsarii, & Claudius ipsius Vicarius ægroto in ultimis constituto extremam unctionem contulerunt; atque ut citius conficeretur hoc sacramentum, oleo tantum unxit Parochus, formam vero protulit Vicarius. Num sacramentum illud valide & absque peccati reatu conferre potuerunt?

RESPONS.

Certum est, a Parocho ejusque Vicario Extremam unctionem hac ratione non potuisse administrari absque gravi peccato, & ipsum sacramentum etiam esse irritum; quia ad ejus validitatem absolute requiritur, ut idem Sacerdos, qui infirmi corpus ungit, formam quoque simul proferat. Quod sat manifeste indicant hæc sancti Jacobi verba (h): *Orent super eum ungentes eum oleo*. Ita Silvius (i), si plures, inquit, ita ministrent, ut uno ungente alter proferat formam, nihil fit. En ipsius ratio: *Quia dum materia proxima sacramenti est actio Ministri, ut ablutio, signatio, unctio, illa debet ab eo determinari per formam.*

(h) Jacob. 5. 14.

(i) Fr. Silvius in suppl. 3. par. Sum. S. Th. q. 31. art. 2. ad fin.

CASUS VIII.

PHILEMONI, extremum reddenti halitum Parochus ejus & alter Sacerdos Extremam Unctionem celeriter conferunt, altero oculos, altero pedes, & sic ceteras corporis partes ungente, ut ante ipsius mortem omnes possit recipere unctiones. Nunquid validum est Sacramentum, cum quilibet formam parti, quam ungebat, convenientem protulerit?

RESPONS.

Certum est, Extremæ Unctionis Sacramentum ita confectum esse validum: Constat enim, ex usu olim magis solito plures simul adhiberi solitos fuisse Sacerdotes ad illud administrandum; ut facile est probare 1. ex Auctore vitæ gestorumque Caroli Magni, qui erat Monachus Engolismensis, & qui testatur, Sacramentum illud a pluribus Episcopis Imperatori huic fuisse collatum. 2. Ex inclyto Theologo moderno (K), qui de multis loquitur antiquis Ritualibus, in quibus narratur, Extremam Unctionem a multis simul Presbyteris administrari. 3. Ex sancto Thoma (l), qui affirmat, tempore suo hanc fuisse magis usitatam consuetudinem, quam ipse approbat, ejus afferens rationem his verbis: *Quia tamen hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quod multi Sacerdotes intersint, & quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit*: Inducat Presbyteros Ecclesiæ. 4. Ex antiquo usu, qui in Ecclesia Græca perpetuo servatus est, in qua nunquam administratur hoc Sacramentum, nisi septem intersint Sacerdotes, ut testatur Arcadius (m), & in Euchologiis legere est. *

(k) De Sainte Beuve tract. de extr. unct. disp. 4. art. 3.

(l) S. Thom. lib. 4. contra Gentiles. c. 73.

(m) Petr. Arcudius. l. de concordia oriental. cum occident. Ecclesiæ in Sacramentorum administ.

Equi-

* Quamvis pariliter a pluribus ministris Sacramentum *Extremæ unctionis* valide possit administrari, modo quilibet proferat formam actioni quam facit correspondentem, id tamen non probant citatæ auctoritates, neque usus Ecclesiæ Græcæ, aut saltem efficaciter non probant; ut patebit attendenti; responderi enim potest ex citatis auctoritatibus & ex usu Ecclesiæ Græcæ optime probari plures Sacerdotes sacramenti Extremæ Unctionis administrationi interfuisse ut precibus suis ad effectum hujus Sacramenti obtinendum coadjuvarent, sed probari saltem efficaciter non potest plures interfuisse ut ministros, ita ut una actio cum sua forma ab uno, alia cum sua pariter forma ab alio facta fuerit. Et præsertim sancti Thomæ textus citatus nullatenus probat plures Sacerdotes ut ministros interfuisse, quod tamen probandum foret. Præterea Theologi communiter asserunt verisimilius esse unum duntaxat Sacerdotem antiquitus contulisse Sacramentum. Ceteros vero convenisse, ut preces pro infirmo funderent, quod tamen non assererent si contrarium efficaciter probari posset.

Equidem non necesse est, ut cujuslibet Sacramanti unus sit & idem Minister, ut patet ex matrimonio, cujus duo contrahentes, juxta multos Theologos, reciproce sunt Ministri: Quod de Extrema Unctione eo magis conveniens est, quia forma ejus est deprecatoria, & ad eandem orationem plures concurrere possunt. Quibus addi potest, ex natura hujusca Sacramenti non requiri unitatem solius ejusdemque Sacerdotis, quia ex pluribus constat quasi materiis proximis, scilicet unctionibus, & pluribus formis particularibus, quarum cuilibet proprius est sensus in ordine ad eundem effectum, quamvis a multis proferantur Ministris. Unda concludendum est, in casu proposito valide Sacramentum fuisse administratum, in quo unctiones diviserunt ambo Sacerdotes, ut docet Silvius his verbis (a): *Si vero unus unam unctionem faciat cum sua forma & alius aliam, etiam cum propria forma, Sacramentum subsistit, sive id ob necessitatem fiat, ideoque licite, sive extra illam, & illi ite.* Quod probat hic Auctor exemplo Sacræ Eucharistiæ: *Quale aliquid etiam in conficiendo Eucharistia Sacramento potest accidere, dum consecrato per unum pane, alius vinum consecrarit, priori Sacerdote per morbum aut per mortem deficiente, ut beatus Thomas admonuit.*

(a) Fr. Silvius loco cit.

Advertendum tamen circa antiquum illum Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis usum, istius posterioris hanc semper fuisse fidem, unum nimirum sufficere Ministrum pro administratione hujus Sacramensi, ut facila probari potest auctoritata Innocentii I. scribentis ad Decentium Episcopum Eugubinum in ducatu Urbinate (b), cui respondet, illud ab Episcopo solo posse conferri, quin necesse sit, ut alium habeat sibi socium Episcopum vel Sacerdotem: *Ceterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt.* Ita Innocentius I. Hincmarus, Archiepiscopus Rhemensis unum tantum in suis Capitularibus (c), Sacerdotem exigit. Idem quoque declarat Alexander III. his verbis (d): *Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum ungere.* Deniqua fatetur sanctus Thomas solum requiri Sacerdotem ad conficiendum illud Sacramentum, quia, inquit, agit nomina Ecclesiæ totius (e), atqua hæc verba sancti Jacobi *inducat Presbyteros Ecclesiæ*, tamquam opposita hodierno Ecclesiæ Latinæ usui non sunt habenda; cum soleant Scriptores Sacri numerum pluralem pro singulari usurpare, ut observat sanctus Augustinus (f), qui rei hujusce plurima refert exempla. Ceterum præsentem quisque Ecclesiæ usum sequi tenetur, a quo sine peccati reatu nequit recedere, nisi urgenti coactus necessitate, qualis videtur esse in casu proposito.

(b) Innoc. I. Epist. ad Decent. c. 8.

(c) Hincmar. in Capitular. c. 18.

(d) Alex. III. in cap. *Quæsivit*. 14. de verbor. significat. l. 5. tit. 40.

(e) S. Thom. loco supra cit.

(f) S. Aug. l. 3 de consensu Evangelist. c. 16.

CASUS IX.

Epipodius, sancti Mauritii Parochus, cognoscens moribundo Parochiano suo Extremam Unctionem conferendo, fore ut omnes facere non posset unctiones, si antecedentes omnes recitaret orationes, ut præscribit Rituale, eas omisit, ac statim ipsum inunxit. Num id potuit absque peccato?

Respons.

Parochus ille in casu proposito, non solum absque peccato, sed & prudenter egit moribundum signans unctionibus, quæ profecto multo majoris sunt momenti, ac multo efficaciores cunctis precibus, quas præscribit Rituale, cum aliunde, istis omissis, perfectum tamen quoad essentiam sit Sacramentum. Hinc etiam idem Rituale constituit, ut in simili casu parem Sacerdos adhibeat cautionem (g): En verba Ritualis Parisiensis: *Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ut decedat antequam finiantur unctiones, prætermissis orationibus, quæ unctiones præcedunt ungatur infirmus, incipiendo ab oculis, & sequentes unctiones perficiantur, si fieri potest: & ad quamlibet unctionem dicantur orationes ad singulos sensus accommodata ... deinde, si supervivat, dicuntur aliæ orationes suo loco prætermissæ.* Idem docet Graffius (h) post Paludanum.

(g) Ritual. Paris. de Sacrament. Extrem. Unct.

(h) Iac. de Graffiis Decis. aurear. part. 2. lib. 2. c. 8 n. 12. & apud eum Paludanus.

CASUS X.

Candidus, sancti Genesii Parochus, serius accersitus ad ægrum oleo sancto ungendum; unicam oculorum unctionem facere potest, qua perfecta æger obiit. An dici potest, ægrum illum valide Sacramantum accepisse?

Respons.

Multi antiqui Theologi, ut sanctus Bonaventura, sanctus Thomas, Durandus, Richardus & Paludanus (i) contendunt, quinque unctiones, quibus quinque corporis sensus perunguntur, esse essentiales Sacramento Extremæ Unctionis: Cujus rei hanc convenientiæ rationem affert Angelicus Doctor; quia Sacramentum illud confertur tanquam remedium aptum ad tollendas maculas & reliquias peccati, cujus radix est in sensibus; *Et ideo*, inquit (k), *in ultima unctione gratia infunditur, quæ effectum Sacramento præbet.*

(i) S. Thom. in 4. dist. 23 q. 1 art. 3. quæstiunc. 2 lib. carp & l. 4. ad Hannibaldum dist. 23. qu. 2. art. 2. ad 3. & lib. 4. contra Gentil. c. 73.

(k) Supplem. 2. part. Sum. sancti Thom. qu. 30. art. 2. ad 3.

Quamquam vero præcipuam mereatur tantorum virorum auctoritas venerationem, Moderni tamen Theologi, ab eorum sententia recedentes docent, unicam unctionem sufficere ad validitatem hujus Sacramenti. Unde ita statuit Rituale Parisiense (l): *Si vero non possit super infirmum fieri nisi unica unctio, ungatur oculus vel aliud sensuum organum, & ceteris precibus prætermissis dicatur:* Per istam sacri olei unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per sensus.

(l) Ritual. Paris. de Sacr. Extr. Unct.

Inter istos recensetur Silvius (m), qui suam ipse probat sententiam ex multis auctoritatibus & suffragio decem duodecimve Doctorum; quæ omnia referre, cum longius esset, ista notatu præcipua excerpemus.

(m) Fr. Silvius in suppl. S. Thom. q. 32. art. 6. quæsito 2.

Pastorala Mechliniense a Professoribus Lovaniensibus compositum juxta Manualia plurimarum Diœceseon, & 23. Septembris an. 1588. ab iisdem Professoribus aliisque Theologiæ Doctoribus in eadem Universitate approbatum, constituit, ut sæviente peste sufficiat unica unctio in solo sensuum organo facta, formam istam generalem proferendo: *Per istam sanctam unctionem & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum.* Certum quidem est, inquit Silvius, istum Pastoralis articulum mutatum fuisse in Manuali, quod an. 1607. emissum est; sed inde non probatur Lovanienses mutasse sententiam.

Aliud Pastorale (n) a Doctoribus ejusdem Universitatis an. 1573. approbatum, idam fieri posse statuit, non solum tempore pestis, sed quando juste timetur, ne suppetat tempus ad omnes partes inungendas: Hæc sunt ejus verba: *Si videat extremum periculum, ita ut difficulter consuetas posset inungere partes, in pectore vel in fronte, eum inungat, dicens:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, accipe sanitatem; Amen. Per istam Sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per quinque sensus tuos & cogitationes: Per Christum Dominum nostrum. *Et nota, quod hic modus communiter etiam observatur apud pestiferos propter periculum.* Eodem modo loquuntur Ritualia Cameracense & Atrebatense.

(n) Bartholom. ab Aula in suo Pastoral.

Octavius, Episcopus Tricariensis in suo Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ idem declarat hoc modo (o): *Et si ordinarie inungenda sint singula singulorum sensuum loca, nec unquam, nisi gravissima necessitas cogat, aliter faciendum sit, constabit tamen sacræ unctionis Sacramentum, & in inungendo contagioso morbo aut peste laborante, ad evitandum contagionis periculum suffecerit, si inungatur sensus organum, ad unctionem magis expositum & detectum dicendo:* Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum.

(o) Octavius Tricariensis in director. Ecclesiast. disciplinæ.

Noster idem Theologus, a quo probationes istas mutuati sumus, multa etiam affert testimonia Molani, Serarii, Becani, Possevini & Arcudii (*a*), qui omnes idem sentiunt, ut legi potest in eorum operibus ad marginem indicatis, apud Silvium.

(*a*) Joan. Molanus, tractatu 4. Theol. pract. Nicolaus Serarius, tract. de Extr. unct. c. 7. n. 89. Martin. Becean. de sacr. in specie. qu. 7. c. 27. Joan. Bap. Bernardin. Possevinus de Extr. unct. c. 9. Petr. Arcudius. lib. 5. de Extr. unct. c. 6.

Concludimus itaque, ægrum, quem semel tantum inunxit Candidus, Sacramentum valide accepisse.

Id etiam confirmari potest: 1. Ex ipsis S. Jacobi Apostoli verbis: Cum enim dicat tantum, *ungentes eum oleo*, non designando multiplicem unctionem, constat, abunde adimpleri hujus Apostoli præceptum unica unctione: Ita ut exponi queat vox, *ungentes*, de unica unctione, uti exponitur vox, *baptizantes* de unica ablutione in baptismo. 2. Quia ex generali Ecclesiæ traditione non innotescit absoluta quintuplici unctionis necessitas; aliter sanctus Thomas qui opinionem suam ex simplici convenientiæ ratione affert, hujusce traditionis probationes haud dubie attulisset, quod tamen ab ipso omissum est, uti a sancto Bonaventura, eorumque sequacibus. 3. E contra ex traditione probari potest, unicam unctionem sufficere ad validitatem hujus Sacramenti: ex forma quippe quæ legitur in Sacramentario sancti Gregorii & forma Ecclesiæ Mediolanensis, sancto Ambrosio adscripta, quam refert Bonacina, ut superius diximus (*b*), unica designatur unctio. 4. Quia si æger surdus est aut cæcus a nativitate aut utrumque simul; non videtur absolute necessarium oculos vel nares ungere dicendo, *indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum* vel *per auditum*, cum duobus illis sensibus nunquam male profecto usus sit in nostra hypothesi, & ad summum, eorum tantum, pravum usum optare potuerit si habuisset; in quo est tantum cordis peccatum. Atque hæc nostra sententia sat idoneis, ut videtur, argumentis fulcitur & auctoritatibus: In hac tamen opinionum varietate præscripta Ritualis Diœcesani in praxi observare intemerate debent Parochi.

(*b*) Cas. 9.

CASUS XI.

Anistius, annos triginta natus, a nativitate cæcus, in extremis ægrotans, sumpto Viatico, Extremam Unctionem petit. Quærit ejus Parochus, an oleo sacro oculi, ut reliquæ partes, sint inungendi?

Respons.

Existimamus cum sancto Antonino (*c*), oculorum unctionem ab hoc Parocho esse omittendam. Quod probat hic Sanctus auctoritate sancti Thomæ & Paludani, quia, Sacramentum Extremæ Unctionis confertur *per modum curationis: sicut* (igitur) *in curatione corporali*, inquit sanctus Archiepiscopus, *ponitur medicina in locis, ubi radix est mali; sic debet esse in Extrema Unctione; ut scilicet fiant inunctiones in illis partibus solum, in quibus sunt principia peccati mortalis vel venialis. De his qui nunquam habuerunt membra, ut cæcus natus, videtur dicendum*, pergit idem, *quod sit omittenda inunctio in tali casu: quia nunquam deliquit per visum*. Contrarium tamen sentiunt Auctores nonnulli, ut Toletus: Verum illis Auctoribus prævalet sancti Thomæ & Antonini auctoritas.

(*c*) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 13. §. 7.

CASUS XII.

Maternus, sancti Patricii Parochus, moribundum sacro ungens oleo, ubi ad ultimam pervenit Unctionem, existimavit eum jam efflasse animam, quod nullum jam in eo vitæ signum appareret. Num debuit cessare vel omittere ultimam istam Unctionem, an vero, ob dubium suum eam sub conditione facere?

Respons.

Si Parocho huic certum foret, moribundum hunc jam animam efflasse, ultimam ei non debuit Unctionem facere. *Si post primam aut aliam Unctionem decedat* (ægrotus) inquit Rituale Parisiense (*d*), *sequentes unctiones & orationes omittantur*. Ratio est, *quia mortuus non est capax Sacramenti*, inquit Silvius (*e*). Verum si dubitaret tantum Maternus, ipsum inungere debuit sub hac conditione: *Si vivis, per istam* &c. Hanc regulam præscribit Rituale Romanum (*f*), cujus hæc sunt verba: *Si vero dum inungitur infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas Unctiones omittat: quod si dubitet an vivat adhuc, unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: si vivis, per istam Sanctam Unctionem &c.* Id quoque jubet sanctus Carolus in quinto suo Provinciali Concilio an. 1579. sub Pontificatu Gregorii XIII. habito (*g*): *Si vero*, inquit sanctus Cardinalis, *aliqua morbi vis de repente illum oppressit, ut dubitetur vivusne, ne sit an mortuus, ea conditione in ungendo utatur*: Si es vivus, per istam Sanctam Unctionem &c.

(*d*) Ritual. Parif. de Sacrament. Extrem. unct.

(*e*) Fr. Silvius in supplem. S. Thom. qu. 29. art. 6.

(*f*) Ritual. Roman. de Sacrament. Extr. unct.

(*g*) Concil. Mediolan. part. 1. tit. Quæ pertinent ad sacram. Extr. unct.

CASUS XIII.

Manlio, sancti Paciani Parocho, apoplexia correpto, dum Extremam Unctionem infirmo administraret, quem jam ter unxerat, vocatus est Vicarius, qui ipsius vicem suppleret. Qua de re quæritur, utrum Vicarius factas jam a Parocho Unctiones iterare, an vero reliquas tantum perficere debuerit?

Respons.

Vicarius factas a Parocho unctiones non iterare, sed tantum quæ supererant conficere debuit. Ita docet sanctus Thomas his verbis (*h*): *Quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur Sacerdos, alius Sacerdos possit a consecratione vini incipere, ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam: tamen in extrema unctione non potest a capite incipere, sed debet semper procedere: quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem hostia, quod nullo modo faciendum est: nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur: mutatio autem martellorum non tollit unitatem operis fabri.*

(*h*) S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3.

Cum Angelico Doctore consentit sanctus Carolus Borromæus (*i*); *Si quando acciderit*, inquit, *ipsum Parochum, dum ungit, præ virium debilitate aliove casu deficere, alius Sacerdos, si præsens aderit, aut aliunde statim evocatus, reliquas partes quas ille non unxit, ungere rite perget: unctas autem denuo non unget.* Ita quoque Graffias (*K*): *Si Presbyter inungens deficiat post primam unctionem*, ait hic Canonista, *tunc alius Sacerdos debet ei succedere, qui debet unctiones quæ restant continuare & non reincipere.* Istam quoque sententiam amplectuntur Asteianus aliique permulti, quos allatis addere auctoritatibus inutile est.

(*i*) Act. Eccles. Mediolan. p. 4. tit. de sacra. Extr. unct. cap. de diligentia in ministrando.

(*k*) Jacobus de Graffiis, decis. aurear. part. 1. l. 1. de sacr. Extr. unct. c. 8. n. 14.

CASUS XIV.

Nicandro, sancti Cyriaci Parocho absente, cum ad ungendum moribundum vocatus est, alterius Diœcesis Sacerdos, qui tum in domo Parochi aderat, oblato ministerio suo, Sacramentum hoc ægroto administravit, licet hanc ei potestatem non fecisset Nicander. Nunquid licite id potuit Sacerdos extraneus?

Respons.

Certum quidem est, Parochum, aliumve Sacerdotem ab ipso, aut ab ejus superiore delegatum, solum esse Ministrum Ordinarium Sacramenti Extremæ Unctionis, ut docet sanctus Carolus (*l*), eamque functionem a Clemente V. ex constitutione in Concilio œcumenico Viennensi ao. 1311. promulgata, sub pœna excommunicationis *ipso facto*, Religiosis fuisse interdictam quoad Clericos & Laicos infirmos, *non habita*, inquit, *Parœcialis Presbyteri licentia* (*m*): Sed si absit Parochus, & de vita periclitetur infirmus, quilibet Sacerdos sæcularis Sacramentum illud administrare potest, ut docet sanctus Carolus in quinto suo Provinciali Concilio (*n*): *Ne alius Sacerdos, nisi Parochus hoc Sacramentum administret*, ait hic sanctus Cardinalis; *si porro is impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret licite.* Unde sequitur, Sacerdotem, de quo lo-

(*l*) S. Carolus act. Eccles. Mediol. p. 4. tit. de sacram. Extr. unct.

(*m*) Clem. V. in Clementina *Religiosi*. de privilegiis, & excessib. privilegiatorum. lib. 5. tit. 7.

(*n*) Concil. Mediolan. v. 3. part. tit. *quæ pertinent ad Sacramentum Extr. unctionis*.

loquitur casus propositus, moribundo Sacramentum illud administrare potuisse,

Ceterum cum affirmamus, a solo Parocho, aut si absit, ab alio taotum Sacerdote confici posse Sacramentum istud, hinc non Episcopum excludimus, cum major ei, quam alteri cuilibet Sacerdoti competat facultas; sed at Diaconos ceterosque inferiores Clericos excludamus, dicente Apostolo Jacobo: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*. Cujus rei hanc Graffius in præcedenti decisione laudatus rationem affert (a): *Quia cum hujus Sacramenti materia sit oleum consecratum, non debet administrari, nec contingi, nisi ab eo qui manus habet consecratas: & talis est Presbyter*. Idem docet sanctus Antoninus (b) post Paludanum, quem laudat.

(a) Jacobus de Graffiis. loco supra cit. n. 10.

(b) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 15. §. 1.

CASUS XV.

Ad extrema decumbente puerulo, tres quatuorve annos nato, Pater enixe Parochum rogat, ut Extremæ Unctionis Sacramentum administret. Numquid assentiri debet Parochus? Videtur, quod non; cum eo Sacramento non indigeat puerulus in hac ætate; quippe qui nondum peccaverit. Videtur e contra, quod debeat; cum Sacramentum illud fuerit institutum ad tollendas peccati reliquias, & constet, reliquias originalis peccati in hoc puerulo remanere?

Respons.

Parochus iste puerulo in hac tenera ætate Sacramentum hoc non debet administrare. Ita sentit S. Thomas (c). Quia *nulli debet dari hoc Sacramentum*, inquit, *cui non competit forma Sacramenti: sed forma hujus Sacramenti* (Indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum &c.) *non competit pueris; qui non peccaverunt per visum & auditum, ut in forma exprimitur. Ergo eis non debet dari hoc Sacramentum.*

(c) S. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. in corp. sed contra.

Sanctus Carolus in suis instructionibus de hoc Sacramento dicit etiam (d): *Ministratur hoc Sacramentum adultis periculose ægrotantibus .... At non infantibus, puerisve, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittant.* Alteram hanc etiam ejus rei rationem affert Doctor Angelicus, quia *Hoc Sacramentum*, ait (e), *exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia: unde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc Sacramentum.*

(d) S. Carol. act. Eccles. Mediol. p. 4. tit. quibus ministratus sacram. Extr. unct.

(e) Id. S. Th. cit. art. 2. q. 4. in corp.

Porro invalida est omnino ratio, quæ affertur ad probandum, hoc Sacramentum pueris esse ministrandum; hinc eam refellit D. Thomas his verbis (f): *Dicendum*, inquit, *quod non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortata. Unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quæ non sunt in pueris.* Idem docet Sylvius (g) cum aliis Theologis, ut Graffius (h) aliique Canonistæ; nec non sanctus Antoninus cum Paludano (i).

(f) Idem. ibid. quæstiunc. 4. ad 1.

(g) Fr. Sylvius in suppl. S. Thom. q. 32. art. 4.

(h) Jacobus de Graffiis decis. aurear. part. 2. lib. 1. c. 2. n. 18.

(i) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 15. §. 5.

CASUS XVI.

Benedictus, Parochus sancti Wandregesili, vocatus ad ungendum sacro oleo Basilium, agnoscit, hominem hunc una manu, unoque crure esse mutilatum. An satis est, ut alteram manum alterumque pedem inungat?

Respons.

Non satis est, ut quæ supersunt Basilio, pes manusque ungantur; sed proximas mutilatis membris partes debet ungere, hoc est, carpum, atque genu, solitam proferendo formam, ut præscribit Rituale Romanum, & eodem plane modo, quo unguntur, qui duas habent manus; pedesque duos; ut docet sanctus Thomas his verbis (K): *Mutilati inungi debent*, loquit S. Doctor, *quanto propinquius esse potest ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat: quia quamvis non habent membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radice: & interius peccare possunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterius.* Sancto Thomæ assentitur Sylvius (l).

(k) S. Thom. in 4. dist. 23. quæstiunc. 3. in corp.

(l) Sylvius in suppl. S. Thom. q. 32. art. 7.

CASUS XVII.

Lucilius, sancti Solemnii Parochus, vocatus ad ungendum unum è suis subditis, quem phrenetide novit laborare postulat, utrum ipsi, dum in hoc erit statu, Sacramentum illud administrare debeat?

Respons.

Existimat sanctus Thomas, Sacramentum hoc furiosis aut omnino amentibus non esse conferendum, nisi lucida habeant intervalla, per quæ Sacramentum agnoscentes ad illud pie se disponant, atque illud nulla polluant irreverentia. Sed juvat heic sancti Doctoris verba referre (m): *Ad effectum hujus Sacramenti percipiendum*, inquit, *plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesiæ .... & ideo illis, qui non possunt recognoscere & cum devotione suscipere hoc Sacramentum, dari non debet, & præcipue furiosis & amentibus: qui possunt irreverentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere, nisi haberent lucida intervalla, in quibus Sacramenta recognoscerent, & sic eis conferri in statu illo possent.*

(m) S. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Id tamen intelligendum est cum ea restrictione, quæ istis Ritualis Romani terminis exprimitur (n): *Infirmis autem, qui, dum sana mente & integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederunt signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur: sed si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.* Hæc est potissimum regula, quam sequi tenetur Lucilius in casu proposito; & quam etiam statuit sanctus Carolus Borromæus in tertio suo Provinciali Concilio an. 1577. (o). Sic autem loquitur: *Quod Concilio primo decretum est, ut dum æger integris est sensibus, extremæ unctionis Sacramentum ei administretur: Si tamen vel curantium negligentia, vel morbi vi, vel repentino aliquo casu sensum omnem amiserit, ut nihil plane intelligat, illius Decreti sententia vetitum non esse declaramus, quin hoc Extremæ Unctionis Sacramentum ei ministrari liceat, si modo adhuc vivat, & dum usum rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum hoc Sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset.* Et iterum alibi (p): *Infirmis autem, qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verisimile est quod petiissent, etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione sermoneve uti desierint, ministrabitur item. Si vero dum infirmus amentia, phrenesive laborat, verisimile sit, ut indecore aut spurce impureve aliquid agat, quo irreverentia Sacramento huic fiat, nisi alicujus exemplo ita teneatur, ut firmus stabilisque hæreat.*

(n) Ritual. Roman. de Sacram. Extr. Unct.

(o) Conc. Mediol. 3. tit. de iis quæ pertinent ad Sacr. Extr. Unct.

(p) S. Carolus act. Eccles. Mediol. p. 4. instr. Extr. Unct. tit. quibus ministratur sacr. Extr. Unct.

Observandum est; quod, si homo a nativitate phrenesi aut insania laborasset absque ullis lucidis intervallis, per quæ de peccatis quæ commisisse potuisset, dolorem testatus esset, in hoc casu Sacramentum ei administrari nequiret; quantumcumque posset esse morbi illius periculum; quia, qui non est pœnitentiæ, is etiam non est capax Extremæ Unctionis Sacramenti; *quod non modo pœnitentiæ, sed etiam totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*, ut loquitur Tridentinum Concilium (q). Idem quoque loco postremo citato observat sanctus Archiepiscopus. His etiam addi potest, quod, si Sacramentum illud aliis administrari posset, quam iis qui vel fuere vel actu præditi sunt usu rationis, non vera esset formæ Sacramenti significatio; cum vere dici non posset, *quidquid peccasti &c.* Cum ab hujusmodi hominibus in hoc statu peccatum committi non possit.

(q) Conc. Trid. sess. 14. de Sacram. Extr. Unct. initio.

CASUS XVIII.

Bartholomæus, sanctæ Columbæ Parochus, rogatur ut Extremam Unctionem velit administrare uni e suis Æditui, qui subito correptus lethargo, eam non petiit. An teneatur vel potest Sacramentum illud administrare Parochus; licet hic infirmus, in hoc statu positus, omnia hujusce Sacramenti effecta suscipere nequeat?

Respons.

Quo dilucide solvatur præsens difficultas, omnisque tollatur ambigendi locus; supponendum est 1. varios esse Extremæ Unctionis effectus, ut fuse ex sancto Jacobo, Tridentino Concilio & sancto Thoma ostendimus. 2. Ad salutem non requiri, ut æger actu sit capax omnium illorum effectuum, quo gratiam suscipiat, quam producit ultimum illud morientium Sacramentum; quandoquidem, uti probavimus in superiori decisione, homo qui phrenetida aut alio simili morbo laborat, quo usu rationis privatur, & quo multorum illorum effectuum fit incapax, sufficienter ad ejus fructuosam susceptionem est dispositus, modo ut notat Rituale Romanum, ante similem casum illud petierit, aut illud petiturum fuisse, ex præviis ejus contritionis signis, aut ex Christiana vita ante acta juste præsumi possit, si loquelam non amisisset, aut sana adhuc mente & integris esset sensibus.

Hoc præsupposito, dicimus satis esse, hominem ad hæc extrema redactum, esse capacem recipiendi remissionem peccatorum gratia Sacramenti, etsi aliorum quorumdam ejus effectuum sit incapax. *Etiamsi plures sint Extremæ Unctionis effectus ultra peccatorum remissionem*, inquit pius & peritus Canonista modernus (a); *hæc tamen sola tanti momenti est, ut ille etiam inungendus sit, qui ceterorum effectuum sit incapax. Nam is qui usu rationis prorsus excidit, non opus habet, ut ejus animus, sive torpore sive terrore depressus erigatur. Et nihilominus inungi debet, ut peccatorum præcedentium, sive mortalium, sive venialium reliquiæ aboleantur; potest namque Sacramentum istud primam etiam ac justificantem gratiam conferre illi, qui vel ex oblivione, vel ex impotentia loquendi, vel ex superveniente dementia nequit confiteri.* Adeo certam Navarrus existimat hanc sententiam, ut existimet, quod *fieri potest*, inquit (b), *ut aliquis moriens*, (qualis supponitur esse in præsenti casu Julianus) *absque hoc Sacramento damnaretur, & unctus eo, salvaretur*: Quod pariter docet Suarez (c).

(a) Cabass. l. 3. c. 15. n. 5.

(b) Navar. Manual. c. 22. n. 13.

(c) Suarez disp. 42. n. 20.

Ex his igitur concludi necesse est, Julianum, modo sit capax obtinendæ remissionis peccatorum suorum, a Bartholomæo Parocho suo inungendum esse, licet Sacramentum hoc in illo effectus eosdem producere nequeat, quos parit in iis, qui ad ejus susceptionem rite dispositi, sana sunt mente ac sensibus integris. At, si Parocho huic contrarium esset persuasum, quia v. g. Julianus est publicus peccator, atque ante lethargum nullum dedit pœnitentiæ signum, tunc ipsum oleo sancto absque lethali pollutione inungere non posset.

CASUS XIX.

Alcibiades, morte damnatus, & ad supplicium brevi ducendus, confessarium suum rogavit, ut sibi intra paucas horas certo morituro Extremam administraret Unctionem.

Gervasius præsenti ineluctabilis naufragii periculo commissus ab Eleemosynario nautico idem petiit Sacramentum. Numquid in iis duobus casibus debet concedi?

Respons.

Difficultatis hujusce decisio clare istis sancti Thomæ verbis continetur (d): *Hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio ..... quæ quidem per quemdam curationis modum significatur; & ideo illis, quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri*; quippe quod ad infirmorum dumtaxat subsidium fuerit institutum ex his sancti Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis. inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* (e). Nec sufficit, ut ægrotet tantum quispiam; ut hoc ei conferri queat sacramentum, sed insuper morbus debet esse periculosus. *Hoc sacramentum est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre immediate quasi disponens ad gloriam*; ita etiam loquitur Angelicus Doctor (f): *& ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium: propter hoc quod ægritudo nata est mortem inducere, & de periculo timetur.* Ita quoque statuunt Ritualia Mechliniense, Remense & Antissiodorense (g), aliaque in hoc consentanea Decreto Eugenii IV. una cum Latinis Episcopis ab ipso condito post celebratum Concilium Florentinum, cujus Decreti hæc sunt verba (h): *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet*: quod pariter vult Concilium Tridentinum (i).

(d) S. Th. in 4. cit. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corp.

(e) Jac. 4. 14.

(f) S. Th. cit. art. 2. quæstiunc. 2. in corp. Item l. 4. contra Gentiles. cap. 73.

(g) Rit. Mechl. an. 1598. tit. de sacram. Extr. unct. Ritual. Remens. an. 1585. tit. de Extr. unct. Rit. Antiss. sind. an. 1583.

(h) Eugen. IV. instruct. Armenorum.

(i) Conc. Trid. sess. 14. c. 3. de sacram. Extr. unct.

Quocirca ex hoc generali sancti Thomæ principio concludendum est; sacramentum illud Alcibiadi, licet morte damnato, non esse conferendum, cum ipsius status non sit ad mortem ægrotantis; sic enim concludit ipse Angelicus Doctor loco citato, his verbis (k): *Licet aliqui sint in statu propinquo morti absque infirmitate, ut patet in his qui damnantur ad mortem, qui tamen effectibus hujus sacramenti indigerent; non tamen exhibendum est, nisi infirmanti, cum sub specie corporalis medicinæ exhibeatur, quæ non competit, nisi corporaliter infirmato: oportet enim in sacramentis significationem servari.* Et in opere suo contra Gentiles (l): *Quarta conclusio est; hoc sacramentum non debet dari propinquis morti, absque infirmitate, puta damnatis ad mortem.*

(k) S. Th. cit. art. 2. quæstiunc. 3 ad 1.

(l) Idem cit. l. 4. contra Gentiles. c. 73.

Id quoque docet sanctus Carolus Borromæus (m) qui asserit, sacramentum illud non esse administrandum, *Neque navigationem aut peregrinationem suscipientibus, neque iis, qui mox ultimo supplicio afficiendi sunt, ... nisi eam bi ex morbo in periculo mortis versentur.* Uno verbo hæc est unanimis omnium Theologorum & Canonistarum (n) sententia, universali Ecclesiæ Latinæ usu comprobata.

(m) S. Carol. act. Ecclesiæ Mediol. p. 4. de sac. Extr. unct. cap. quib. administratur sacr. Extr. unct. Item in concil. Mediol. IV. p. 2. tit. quæ pertinent. ad Extrem. unct.

(n) P. Sylvius in suppl. S. Th. q. 32. art. 1. Jac. de Graffiis decis. aurear. part. 2. l. 2. c. 8. n. 19. Joan. Cabassut. Jur. can. theor. & prax. l. 3. c. 15. n. 6. & alii commun-ter,

Heic obiter observare est, ex prava quæ olim in Gallia obtinebat consuetudine, ne quidem confessionis facultatem dignis morte fuisse concessam: ac testatur Raynaldus Gregorium XI. an. 1375. ad Carolum V. Galliæ Regem scripsisse, ut hanc ab eo pro reis gratiam obtineret: quod tamen sub Carolo VI. executioni dumtaxat mandatum est: cumque judices permulti antiquam sequerentur consuetudinem, Stephanus Poncher Episcopus Parisiensis judicibus omnibus sub excommunicationis pœna ex constitutione sua an. 1515. injunxit, ut conformiter ad Viennense Concilium reis facultatem Confessionis concederent, non obstante quacumque opposita consuetudine, quæ jam dudum in Angliam invecta fuerat, atque ibi an. 1316. promulgata in eam rem ab Eduardo lege abrogata est. Atque hæc per transennam dicta sint, quamquam extra rem nostram posita.

CASUS XX.

Petronilla, Paulli uxor, proxima ad pariendum, ac in prioribus puerperiis in præsens se adductam fuisse mortis periculum reminiscens, hanc a Parocho suo, apud quem confessa est; gratiam postulat, ut sibi Extremæ Unctionis sacramentum administret? Numquid in hoc casu Petronillæ petitioni obsequi debet Parochus?

Respons.

Ex constituto in superiori decisione principio, in qua ostendimus Extremam Unctionem administrandam tantum esse *illis .... præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur*, ut loquitur Concilium Tridentinum (o): Petronillæ Parochus, hoc ei sacramentum administrare non debet; licet in eo statu sit posita, qui supponitur, hoc est. partu laboret, attamen non infirma; sed mortis tantum timore perculsa; qui timor in sanis non sufficit, ut illud suscipiant; alioquin militibus omnibus exercitus ad pugnam accinctis, & omnibus iter longum navigandu suscipientibus administrandum esset, quibus tamen certum est illud non esse conferendum. At si Petronil-

(o) Conc. Trid. sess. 14. c. de sacr. Extr. unct.

tronilla aliunde graviter laboraret, procul dubio oleo sacro esset ungenda.

Decisionem istam in quarto suo Mediolanensi Concilio an. 1576. asserit sanctus Carolus Borromæus his verbis (a): *Istis ne ministret* (hoc sacramentum Parochus) *nempe pueris, rationis usu carentibus; mulieribus in partu laborantibus; ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus &c.* Quod si vero ex eodem sancto Cardinali, sacramentum hoc possit concedi *senio confectis, etiam non ægrotis, in diem morituris* (b); id in causa est; quod ætas illa decrepita, atque extrema eorum infirmitas, uti morbus continuus haberi debeat: quod idem de memoratis supra statibus dici nequit.

(a) S. Carol. in Conc. Mediol IV. p. 2. tit. quæ pertinent ad Extr. unct.

(b) Idem ib. & Rit. Roman. Pauli V.

Certum quidem est, ut alibi advertimus, hanc esse apud Græcos consuetudinem, ut sanos pœnitentes suos oleo sacro ungant, ut patet ex scriptis Simeonis Archiepiscopi Thessalonicensis (c) & testatur Arcudius (d), qui morem hunc vanum, temerarium & sacrilegum appellat, *Frustra*, inquit, *temereque, nec sine sacrilegio illud* (sacramentum) *Græci administrant*. Qui mos ex ipso eo etiam magis est damnandus, quod Pœnitentes ante confessionem inungant. *Non solum errant*, subjungit, *qui subjectum minus aptum inungunt, sed quia ante sacramentum pœnitentiæ inungunt*. Unde sic concludit hic Auctor. *Est itaque merus abusus, omnino reprobandus & abrogandus*.

(c) Simeon Thessalonic. l. 7. de sacram.

(d) Petr. Arcudius. l. 5. de Extr. unct. c. 4.

CASUS XXI.

Hieronymus, graviter ægrotans, Extremæ unctionis susceptionem contemsit, aut saltem neglexit, atque in hoc statu obiit, cum sibi de convalescentia spes affulgeret. Quid cogitandum de illius salute?

Responsio.

Multum inter se discrepant neglectus & contemtus hujusce sacramenti: contemtus quippe formalis peccatum mortale inducit, in quo si perseveret æger ad mortem, certam proinde sibi asserit damnationem; quod idem ex neglectu, qui nullum continet contemtum, non evenit, ut docet sanctus Thomas his verbis: *Hoc magis accipiendum copulative, quam disjunctive; non enim quælibet negligentia, sed ex contemtu procedens, vel contemtum inducens, damnabilis est*. Unde concludendum est, de Hieronymi salute non esse desperandum, si neque ex contemtu sacramenti processerit ipsius negligentia, eamve non fuerit comitatus; sed aliter sentiendum esse, si ex contemtu formali sacramentum illud suscipere noluerit.

FALSARIUS.

Falsarius is dicitur, qui falsum commisit, quodcumque illud sit, seu verbo, seu scripto, vel aliquo facto.

Crimen falsi natura sua est mortale peccatum: *Falsarius*, inquit Cajetanus (e) *tam monetæ, mensurarum & ponderum, quam scripturarum, seu litterarum, aut sigillorum, peccat procul dubio mortaliter; quia intervenit ibi factum perniciosum ex suo genere*. Licet peccatum illud, ut ait hic Auctor, quandoque veniale tantum quibusdam in rebus possit esse, ob aliquas circumstantias, quæ notabiliter ipsius gravitatem minuunt.

(e) Cajetan. in sum. v. Falsarius.

Clerici falsarii debent degradari, & sic omni privilegio Clericali spoliati sæculari foro applicari, ut declarat Innocentius III. (f).

(f) Innoc. III. in cap. Novimus. 27. de verbor. signifi. l. 5. tit. 1.

Falsarii, monetarum adulteratores, excommunicati a Joanne XXII. (g) declarantur, & ex Galliæ Edictis capite damnantur.

(g) Joan. XXII. in extrav. Prodiens autc. de crimine falsi l. 5. tit. 10.

Falsi crimen circa litteras & rescripta Apostolica novem modis committi potest, qui in Decretali Innocentii III. ad marginem indicata possunt exponi (h); & in alia hic summus Pontifex declarat, quæ pœnæ hujusmodi falsariis eorumque complicibus infligendæ sint (i).

(h) Innoc. III. in c. Licet. 5. de crimine falsi.

(i) Idem in c. Ad falsariorum. 7.

Crimen falsi, quod admittitur a Scribis, Notariis, Procuratoribus, Servientibus, aliisque Officiariis publicis, in Actis suis, seu aliquid eis contra veritatem addendo, seu quid necessarium supprimendo, multo acerbius punitur, quam quod committunt privatæ personæ. Ab illis enim Officiariis labefactatur fides publica, cujus sunt depositarii. Unde afflictiva pœna & infamante vulgo damnantur, & aliquoties etiam morte; cum aliorum pœna sit plerumque multo minor; quod ex crimine suo publica fide non abutantur, sed privatum tantum quempiam decipiant, illæsa communitate. Id patet ex Edicto Martii an. 1680. in Senatus acta mense Majo sequenti relato; cujus termini leguntur in Dictionario Arrestorum D. Brillon (K).

(K) D. Brillon. dict. Arrest. v. Falsarius. n. 134. p. 179.

Specialem hanc crimen illud falsi continet malitiam, quod juxta Arrestorum Jurisprudentiam in multis Parlamentis, contractum totum inficit (l), eumque invalidum efficit.

(l) La Peirere Collect. decisi. Litt. F. n. 3.

Crimen Monetæ non adulterinæ commissum a Beneficiario, ejus non vacare facit beneficium *ipso jure*, sed tantum *per sententiam Judicis* (m).

(m) De fin. juris Canon. pag. 206.

Falsum vero testimonium, quod est crimen ab eo admissum, qui in judicio falsum affirmat ad probationem juridicam de lite mota inter duas partes ad versas, mortale est, ut inferius probatur.

Crimen illud morte plectitur ex Edicto Francisci I. mense Martio an. 1531. promulgato. Verum quidem est, illud Edictum ad apicem non observari pro quolibet genere falsorum testium, qui pro rerum exigentia minus acerbis

damnan-

damnantur pœnis; nisi cum agitur de re capitali, pro accusato: tunc enim a Judicibus constituitur pœna Talionis, illum capite plectendo, qui alterum eidem pœnæ falso suo testimonio exposuit (a).

(a) Arrest. Parlament. Gratianop. 13. sept. an. 1453. Item, Arrestum Parlamenti Parisiensis 29. Julii. an. 1674.

Omittimus heic quæstiones permultas, quæ unice pertinent ad formulas fori exterioris, quia ad Judices aliosque Justitiæ Officiarios pertinet earum decisio.

CASUS PRIMUS.

FARULFUS, scribendi Magister egenus, assimulata scriptura mandati, quo Centurioni præscribebatur via Turmæ suæ equestris Vesuntionem pergentis, additisque pagis quibusdam, qui in hoc mandato non designabantur, nullatenus de perverso usu cogitavit, quem intendebat hic Centurio, & statim spe lucri duorum nummorum dumtaxat illectus est, ut suam aliquamdiu sublevaret miseriam. Qua de re quæritur, utrum falsi crimen, quod commisit Farulfus in hac circumstantia sit mortale, cum aliunde incertus sit ei perversus usus, ad quem Centurio sibi ignotus, simulatum mandatum adhibuit?

RESPONSIO.

Non dubium est, quin mortaliter peccaverit hic scribendi Magister, falsum illud scribens mandatum. 1. Quia occasionem præbuit, & ad injustas efficaciter contulit vexationes, quas a Centurione passi sunt additi pagi, è quibus vel pecuniam exegit Centurio, vel quos hospitio equites suos excipere, eisque necessaria præbere alimenta indebita coegit: cumque leve nequeat esse tale damnum, peccatum quoque Farulfi, qui falsitate sua vera est illius causa, leve quoque esse nequit, sed contra gravissimum. 2. Hæc addi potest etiam ratio, Farulfum videlicet voluntarium mortis subiisse periculum, vel Regis vel ipsius Administri mandatum adulterando; atqui sine peccato mortali vitæ quis libens ultimo finiendæ supplicio discrimen adire non potest. Unde colligendum est, quod, cum illud facinus sciens ac volens admiserit, a mortali peccato excusari nequit; quamvis, uti debebat & poterat, omnes facti sui consecutiones non præviderit. His etiam additur, coram Deo ipsum teneri de omnibus damnis, quæ a Centurione ejusque militibus passi sunt suppositorum pagorum incolæ (b), ex hac Gregorii IX. decisione (c); *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti; aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam ..... sane qui occasionem damni dat, damnum* (videtur) *dedisse*.

(b) De sainte Beuve, tom. 2. cas. 202.

(c) Greg. IX. in cap. Si culpa sit, de injur. & damno dato, l. 5. tit. 30.

CASUS II.

CHRONOPIUS, Pontificiæ indigens dispensationis, subreptitiam obtinuit, in libello suo non exponens necessaria ad ejus validitatem. Numquid hic homo censendus est inter falsificatores litterarum Apostolicarum; præsertim si iis sit usus, atque subjiciendus excommunicationi majori, uliisque pœnis Canonicis in hos falsarios constitutis?

RESPONSIO.

Non existimamus Chronopium inter falsificatores Rescriptorum seu Litterarum Apostolicarum esse annumerandum, atque adeo ipsum non incurrisse pœnas, quas in eos constituere Canones & in primis Decretalis Innocentii III. in jure relata (d). Ratio est, quia licet grave commiserit peccatum, quo juxta definitionem Pelagii Papæ (e) & Innocentii III. ad Pictaviensem Canonicum scribentis (f), sit indignus gratia quam obtinuit, quod consulto & plena deliberatione necessariam veritatem exprimere omiserit, & cujus expositione facta petitam forte non obtinuisset a summo Pontifice dispensationem; vere tamen dici potest, nulla in re ipsum adulterasse Rescriptum, cum eo usus sit sine additione vel immutatione.

(d) Innoc. III. in cap. *Ad falsariorum*. 7 de crim. falsi. l. 5. tit. 21.

(e) Pelag. in can. *Dicimus*. 26. 25. q. 2.

(f) Innoc. III. in c *Super eo*. de rescriptis.

Decisionem hanc affert Silvester (g) una cum Ancharano, quem laudat. *Notandum primo secundum Petrum de Ancharano*, inquit hic Auctor, *quod scienter impetrans breve subreptitium, & eo utens, non incidit in pœnam falsarii, sed solum ut ejus commodo careat, & in expensis condemnetur*. Quo dicto, paullo post antiqui & inclyti Doctoris auctoritatem affert (h): *& secundo quod secundum Richardum, impetrans litteras a Domino Papa, etiam scienter tacita veritate, vel suggesta falsitate, alias non concessuro, non incidit* (in pœnam falsariorum). *Similiter nec utens litteris alio nomine impetratis, licet uterque dignus sit pœna magna*. Ratio est, quia tale rescriptum vere a Papa dimanavit, etsi non fuisset ab eo concessum, si perfecte omnes circumstantias exponendas cognovisset. Quare impetrans non est falsarius, nisi verbum hoc in sensu improprio & fusiore usurpando. *Non tamen est falsarius litterarum Domini Papæ; quia litteras impetrat veras, quamvis suggestione falsa*. Ceterum invalida est procul dubio Chronopii dispensatio, ac ipse gravissimi factus est conscius peccati.

(g) Silvest. v. *Excommunicatio*. 7. n. 9.

(h) Richardus in 4. dist. 18.

FAMULUS.

VOCEM hanc, *famulus*, heic usurpamus ad significandum eos omnes, qui sub quacumque ratione in aliqua familia serviunt. Sic Matronæ Principis, deductor nobilis, familiæ dispensator, mensæ præfectus, cubicularius, pedissequus, puella nobilis serviens, cubicularia, coqua, aliique omnes sunt famuli.

In hoc titulo agitur de officiis & fidelitate debita suis Dominis ac Dominabus, quæ ad quinque præcipua capita revocantur.

1. Ut, pro sua potestate debitum Hero & Heræ ministerium reddant.

2. Ut de pacta inter se & herum mercede sint contenti, nihil superfluum secreto accipientes aut retinentes, sub quocumque prætextu.

3. Ut Dominis suis debitum honorem debitamque præstent obedientiam, *tamquam Christo*, ut loquitur sanctus Paulus, in iis omnibus, quæ ad suum spectant famulatum; nec legi divinæ, aut saluti suæ, proximi vel caritati sunt contraria.

4. Ut intemeratam erga eos servent fidelitatem, hoc est, non solum Dominis suis aliquam faciant injuriam; sed eorum bona, tamquam propria conservent, eosque moneant, servatis tamen, quas præscribit Evangelium caritatis regulis, de damno, quod ab aliis ipsis possint inferri; quibus addenda est stricta eorum obligatio de secreto servando in iis omnibus, quæ ad rem Domini sui pertinent.

5. Ne famulatum Domini sui dimittant, nisi eos justo ante tempore moneant,

nisi

nisi legitimam hujus & urgentem habeant necessitatem, ut ipsis prohibitum est ex Edicto Caroli IX. 25. Febr. an. 1565 ex alia apud Fontem Bellaquæum an. 1567. lato, alio pariter 13 Octobris an. 1573 & aliis multis Ordinationibus 12. Aprilis 1670. & 2. Jan. 1672 quod etiam strictius prohibitum est pro famulis Agricolarum, aliorumque rus colentium ex Edicto Mensis Januarii an. 1350. ex alio Henrici III. Parisiis lato an. 1577. ex statuto Præpositi Parisiensis, quod in sanctiori Regis Concilio 17. Octob an 1701. confirmatum est, & ex multis Ordinationibus Politiæ quibus omnibus nova etiam accedit Auctoritas ex edicto Imperatoris Josephi an. 1707. quo confirmatur Edictum Imperatoris Leopoldi an. 1688. quo Octodecim Articulis continentur sapientes constitutiones pro quocumque famulorum genere, & in quo non omittitur eorum pœna, qui absque ratione aliorum famulos corrumpunt, eos ab Heri aut Heræ suæ famulatu ad alium absque legitima ratione avocando.

CASUS PRIMUS.

FRANCISCA jam ab anno famulatur Helvidio, publico hæretico, qui ei facultatem integram facit omnia religionis Catholicæ officia exequendi, quæ quidem accurate famula hæc perficit. Tenetur-ne tamen sub conscientiæ reatu ab hujus heri famulatu recedere ob religionem suam?

RESPONS.

Non tenetur, absolute loquendo, famula hæc ab Helvidii famulatu recedere; modo opera, quam Helvidio præstat, nullatenus Religioni Christianæ, quam profitetur, noceat, nec ipsi Franciscæ sit occasio peccati. Licet enim peroptandum foret, ut nulla ratione cum hæreticis communicent Catholici, uti mandant inclyta Cleri Gallicani comitia, an. 1579. Meloduni habita; verum est tamen, hanc præcipuam esse Ecclesiæ mentem, ut omne cum iis interdicat commercium in rebus Religionis, non vero humanæ ac civilis Societatis. Et quidem non vetat B. Paullus (a), ne fideles infidelibus aut hæreticis serviant; sed vult tantum, ut qui dominos habent fideles, ipsis majori affectu serviant, quia ejusdem gratiæ participatione fratres sunt, ac proinde potiore dilectione digniores. *Quicumque sunt sub jugo servi*, inquit Apostolus, *dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt & dilecti, qui beneficii participes sunt.*

(a) 1. Timoth. 6. c. & 2.

Hactenus dicta confirmari possunt ex illustri, quod narat Historia Ecclesiastica (b), Origenis exemplo, qui amissis in persecutiones omnibus suis facultatibus, apud mulierem quandam secessit, quæ eum mensa sua recepit, licet in ejus domo famosus maneret hæreticus, qui Alexandriæ hæresim publice docuerat, quocum tamen manebat Origenes, at sine ullo cum hoc homine commercio, in iis, quæ ad Religionem pertinebant. *Origenes*, inquit Eusebius, *tametsi cum supradicto viro necessitate compulsus versaretur, ex eo tamen tempore suæ in recta fide retinenda constantiæ illustrissimum specimen edidit. Siquidem innumerabili multitudine, non hæreticorum modo, sed etiam nostrorum, ad Paullum (hoc enim id viro nomen fuit) quotidie confluente, eo quod excellentia excellere videretur; ipse nunquam adduci potuit, ut cum Paullo in precatione consisteret.*

(b) Eusebius Cæsar. l. 6. c. 2.

Diximus: *modo opera, quam Helvidio præstat Francisca, nullatenus Religioni Christianæ, quam profitetur, noceat, nec ipsi sit occasio peccati.* Alioquin non dubium est, quin ab hoc famulatu recedere necessario teneretur. Quare, si quod ei opus servile imperaret Helvidius diebus feriatis, nec ei congruum tempus concederet ad implendum iisdem diebus præceptum auditionis Missæ, aliarumque, quæ ipsi necessariæ sunt, instructionum; eamque ad Religionem Catholicam ejurandam sollicitaret, aut non permitteret, famulam hanc servare abstinentiam ac jejunia, quæ jubet Ecclesia, aut eam cogere velle ad sibi parandas carnes diebus Veneris aliisque prohibitis, atque ad frequentandos falsæ suæ Religionis conventus; aut denique si ratione famulatus sui in periculo offensæ Dei ea versaretur; certum est, quod tunc ab hero illo recedere sub peccati reatu teneretur; eumque habere, uti petram scandali quoad suam salutem (c).

(c) Colloq. Lucun. tom. 1. colloq. 18. q. 3.

CASUS II.

LADISLAUS, Christianus Polonus, Belgradum profectus, Urbis hujusce Præfecto Turcæ operam suam locavit. An id ipsum potuit Ladislaus absque peccato.

RESPONS.

Existimamus, Ladislaum id potuisse absque offensa Dei. Ratio est, quia Christiano non solum licet infideli servire, sed quandoque utile est ad aliorum fidelium defensionem, ut probat sanctus Thomas exemplo sancti Sebastiani, qui Diocletiano serviebat, his verbis (d): *Utile erat*, inquit hic sanctus Doctor, *quod aliqui fideles locum in familia Imperatoris haberent, ad defendendum alios fideles, sicut beatus Sebastianus Christianorum animos, quos in tormentis videbat deficere, confortabat, & adhuc latebat sub militari chlamide in domo Diocletiani.* Hinc, ut notat idem Sanctus (e), passa est Ecclesia, ut Juliano Apostatæ servirent Christiani, eique obtemperarent in rebus, quæ ad fidem non pertinebant. *Illo tempore Ecclesia in sui novitate nondum habebat potestatem, terrenos Principes compescendi: & ideo toleravit fideles Juliano apostatæ obedire in his, quæ nondum erant contra fidem, ut majus periculum fidei vitaretur.* Ita Silvester, Angelus aliique permulti (f).

(d) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. ad 2.

(e) Idem ibi. q. 12. art. 2. ad 1.

(f) Silvester *Servitus* q. 5. & apud eum Innoc. in cap. *Nisi jam pridem*. 10. de renunciatione. l. 2. tit. 9. & Angelus de Clavasio cod. v. in fin.

CASUS III.

ALYPIUS, Alphonsi famulus, jam dudum latis a domino suo ad matronam nobilem litteris, quarum unam legit, eum mulieris hujusce amore irretitum esse agnovit. Potest-ne Alypius pergere ad serviendum amoribus heri sui, cum nihil aliud intendat, quam Alphonsi famulatum retinere, a quo amplam accipit mercedem, & qui aliunde fortunam optimam sibi facere potest.

RESPONS.

Famulus ille Alphonsi deinceps amatorias ad hanc matronam deferre non potest litteras. Ratio est, quia actio illa de se mala est, nec proinde ulla intentione recta fieri potest. Quod quidem facile probari potest auctoritate sancti Augustini dicentis (g): *Interest quidem plurimum*, inquit sanctus Doctor, *qua caussa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, sicut caussas habuerint bonas, seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quando non sunt per se ipsa peccata ..... Cum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cetera talia; quis est, qui dicat caussis bonis esse facien-*

(g) S. Aug. l. contra Mendacium. c. 7. seu n. 18.

eienda, ut vel peccata non sint, vel, quod est absurdius, justa peccata sint? Et quidem si dicto Sancti Patris sua non constaret veritas, sequeretur, hominem usuras exercere posse obtentu Eleemosynæ faciendæ, aut ædificandi Xenodochii; quod nemo sanus admittere potest, & quod etiam damnat Sanctus Doctor subjungens: *quis est, qui dicat, ut habeamus, quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus?*

Cum igitur ex se mala sit Alypii actio; nullo in casu, neque ob quamcumque caussam fieri potest licita, ob prætextum in casu allegatum. Quare Innocentius XI. sexaginta quinque morales propositiones 2. Martii an. 1679. condemnans; istam quæ 51. est inter eas recensuit: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis damni; puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur:* quam perniciosam opinionem defendi vetat hic Summus Pontifex sub pœna excommunicationis *ipso facto*, cujus absolutio Sedi Apostolicæ, excepto solum mortis articulo, reservatur.

Vide Casus { Restitutio — Genasius 50. — Didacus 75. — Geraldus 77. — Donatus 89. — Blesilla 96. — Canisius 115. — Casus 116. — Macrobius 132. }

FESTA.

NOMINE *Festorum* intelligimus hic dies eos, quos præcipue in honorem ac memoriam mysteriorum Redemptionis nostræ, aut Beatæ Virginis aliorumque sanctorum Ecclesia instituit, ut illis de ipsorum æterna gloria congratulemur, ad eorum sequenda vestigia exemplaque sanctitatis imitanda vehementius accendamur, eosque rogemus ut a divina nobis misericordia per merita Christi gratias obtineant, quibus eorum in cœlis gloriæ aliquando possimus fieri participes.

Jam ostendimus in titulo, *dominici festique dies*, eam ob caussam dies festos ab Ecclesia fuisse institutos atque eosdem celebrandi modum fidelibus esse præscriptum, seu quoad obligationem audiendi Missam, vel abstinendi ab omni opere servili sacris illis diebus; quinque tantum ea de re quæstiones addimus.

Prima & altera pertinet ad obligationem viatorum de audiendo sacro, ad quam respondemus distinguendo inter præcepta, quæ sunt de jure communi, de quibus nemo potest dispensari, & inter ea, quæ sunt tantum de jure particuliari, quæque subditos superioris, qui condidit legem, obligant, ob territorium, in quo versantur, extra quod nulla est jam superioris jurisdictio.

Tertia & quarta ad præceptum generale spectant de sanctificatione Festorum ab Ecclesia constitutorum, quod etiam ex septem Galliæ Regum edictis fuit admissum. Duas tantum exceptiones impositæ hoc præcepto obligationis admittit, quas legitima solum fulcit necessitate, *secluso tamen scandalo*.

Quinta denique in hoc posita est, ut dignoscatur, quæ sit necessaria auctoritas ad Festorum institutionem. Nova quidem Festa instituere possunt Episcopi; at in Gallia non sola sufficit eorum auctoritas; nec eadem possunt instituere, nisi post obtenta Regia diplomata (*a*), in Parlamento comprobata, in cujus jurisdictione eorum posita est diœcesis; quod etiam ab Episcopis fieri non debet ex regulis Canonicis nisi de Consilio Cleri, & consensu, saltem tacito, populi.

(*a*) Edict. de Jurisd. Eccles. m. April. an. 1695. art. 28.

Judices nullam proferre sententiam, nullum possunt festis diebus exercere jurisdictionis actum ex edicto Molinensi (*b*) nisi ob graviores quosdam casus, qui absque magno nequeant differri incommodo. Conformiter ad illud Edictum lata fuere permulta in variis Parlamentis Arresta.

(*b*) Edict. Molin. art. 69.

CASUS PRIMUS.

PTOLOMÆUS, Parisiis Gratiæ Portum profectus vigesima secunda Augusti, Rhotomagum vigesima quarta ad vesperam adveniens ibi commoratur. Tenetur-ne sub reatu mortali ad audiendum sacrum die crastina, quæ dies est festa sancti Ludovici?

Ratio dubitandi est, quia præcepto feriandi diem sancti Ludovici ii tantum ligari in conscientia videntur, qui acta in Parisiensi Diœcesi commorantur, aut in aliis ubi festum illud est imperatum.

Videtur e contra dicendum, hac die ad auditionem Missæ teneri Ptolomæum, quia ipsum nullibi deserit qualitas Diœcesani Parisiensis, atque ut talis, in alia qualiber Diœcesi festa Diœcesis Parisiensis observare tenetur.

Pro-

Propositæ huic difficultati nova subjungitur, utpote cum ea aliquatenus connexa, utrum videlicet Ptolomæus pergeas iter & per vicum sancti Genesii eo ipso die transiens, quo celebratur sancti hujusce festum, sub eadem pœna sacrum audire teneatur; præsertim si in tota Diœcesi Rothomagensi festum illud esset præceptum?

R e s p o n s.

1. Certum est, id omne esse servandum, quod est de jure communi. v. g. homo, e Diœcesi Mediolanensi, ubi licitus est carnium aut ovorum quatuor primis quadragesimæ diebus usus, qui Gratianopoli commoratur, ubi tenetur his diebus jejunium, illud ibi observare obligatur, quia in Gallia est præceptum de jure communi, non vero a solo Episcopo Gratianopolitano constitutum. Sed non idem dicendum de obligatione quadam, quæ vel statuto tantum aut consuetudine particulari sulcitur; cum igitur solemnitas sancti Ludovici non sit de jure communi, sed vi statuti seu particularis constitutionis locorum ordinarii fuerit constituta, sequitur eam extra fines Diœcesis Parisiensis non obligare; atque adeo Ptolomæum, qui hac die Rothomagi versatur, ad auditionem Missæ sub reatu mortalis peccati hac die non teneri: quod probari potest ex constitutione Bonifacii VIII. in sexto decretalium relata (a): in qua Summus hic Pontifex consultus, utrum statutum, quo excommunicatos *ipso facto*, Episcopus declaraverat illos omnes, qui de furto essent conscii, diœcesanum etiam sub excommunicationis pœna ligaret, qui illud extra fines diœcesis committeret, ita respondet: *statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus, furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicentis non pareatur impune*. Hæc sunt verba hujus Papæ.

(a) Bonifac. VIII. cap. *Ut animarum*. fin. de constitut. in 6. l. 1. tit. 2.

2. Ptolomæus per vicum sancti Genesii, e Diœcesi Rothomagensi iter faciens die quadam in hac tantum diœcesi feriata, non tenetur sub peccato mortali ad auditionem Missæ illa die. Ratio est, quia statutum, quo ab Archiepiscopo Rothomagensi constituta est festi hujus solemnitas, solos potest obligare diœcesanos, eosque, qui permansione sua tales haberi possunt, non vero advenas viatores.

C A S U S II.

Tabodatus, civis Aurelianensis, dieppam iter habens Rothomagi pernoctat vigilia sancti Romani, cujus dies festa in hac Diœcesi celebratur. Tenetur-ne die illa, quamvis Aureliæ non feriata, missam audire?

R e s p o n s.

Tenetur hic viator die festa sancti Romani, quamvis Aureliæ non feriata, missam audire. Ratio est, quia statuto Diœcesano ligantur extranei, cum aliquandiu in Diœcesi, ubi viget statutum, commorantur. Id probat Glossa in Decretalem Clementis III. (b), qua assertur, quod infractione statuti Episcopi intra fines Diœcesis ipsius, reus ex peccato suo jurisdictioni ejus fit obnoxius: *Nam ratione delicti sortitur quis forum*; quod probat Glossa ex Decretali Gregorii IX. (c) in quam idem affirmat, ac multis Canonibus ac legibus probaverum quidem est, eam loqui de foro externo; sed a fortiori idem intelligi potest de foro interno, de quo nunc agitur, cum ipsa supponat, quempiam Episcopi jurisdictioni non fieri obnoxium, nisi consequenter ad peccatum commissum.

(b) Gloss. in cap. *A nobis*. ar. v. *Nam nisi subditi*. de sent. excom. suspens. & interd.

(c) Greg. IX. in cap. *Licet*. fin. de foro compet. & ibi. Glosse. v. *Ratione delicti*. lib. 2. tit. 2.

C A S U S III.

Elazaarus, Parisiensis Sutor, semi-apertum habens diebus festis tabernam suam, publice ibi emptoribus merces suas vendit, atque opifices suos ad præstandam hisce sibi diebus operam vult cogere. Hæc autem sunt præcipua argumenta, quibus inductus existimat, se posse illis diebus merces suas divendere.

1. Id a Judice politiæ non prohibetur, ac imprimis festis diebus, qui in dies mercurii & sabbati cadunt, quibus diebus habetur forum solitum, ubi a privatis multis, præsertim agricolis, artificibus ac famalis emi solent calcei, aliaque sibi necessaria.

2. Tabernam habet suam in ipso Emporio.

3. Ceteri Sutores iis diebus pariter vendunt, unde sequitur, quod, si cum iis non venderet, magno id sibi foret nocumento, quod alio diverterent soliti sui emptores.

4. Incolæ vicinorum pagorum eo libentius dies festos ad emendum seligunt, quod aliis diebus labori dent operam, quem absque magno damno nequeunt abrumpere: quare merces suas ipsi vendendo benefacere potius, quam peccare se existimat.

5. A Confessario suo certo didicit, se in suo perseverare posse commercio tuta conscientia, saltem donec generali statuto omnibus artis suæ sociis interdicatur Tabernarum apertura, ac mercium venditio.

6. Addit denique, non novitiam esse hanc agendi rationem, aut a paullo tempore inductam consuetudinem, sed usum antiquum, quo existimat exponi posse mandatum de Festorum sanctificatione. Qua de re quærit. 1. Utrum cum aliis tuta conscientia vendere possit festis diebus, præsertim, cum diebus Mercurii & Sabbathi contingunt, qui ut dictum est, dies sunt foris destinati? 2. Utrum famulos suos diebus illis cogere nequeat, ut præsentes in taberna sua, se in venditione mercium suarum adjuvent, quam si forte operam denegant, num pariter eos ablegare queat?

R e s p o n s.

Priusquam difficultati propositæ respondeatur, sciendum laborem atque commercium non solum Ecclesiæ præcepto Dominicis festisque diebus esse prohibita, sed etiam multis Galliæ Regum Edictis, quorum primum est Guntrandi 12. Novembris an. 585. promulgatum, quo statuitur, ut ab omnibus operibus servilibus atque corporeis Dominicis festisque diebus cessetur, exceptis iis, quæ requiruntur ad paranda alimenta injunctione simul facta locorum Judicibus ut Edictum hoc executioni demandari curent, statutas a regibus in refractarios pœnas proferendo (d).

(d) Capitul. Regum Franc. tom. 1. col 10.

Secundum a Clotario II. Parisiis ultima die Februarii an. 595. conditum est (e).

(e) Ibid. col. 20.

Tertium est Pepini an. 756. quo prohibentur opera servilia sub mulcta pecuniaria Sacerdotibus solvenda, qualem judex determinabit, atque eandem vult festis ac Dominicis diebus haberi reverentiam (f).

(f) Ibid. col. 611.

Quartum est Caroli Magni an. 809. quo vetatur, ne aliis diebus, quam profestis habeantur Mercatus (g). Quod quadriennio post a tertio Concilio Turonensi an. 813. sub Leoais III. Pontificatu habito confirmatum est (h).

(g) Ibid. col. 466.

(h) Concil. Turon. 3. can. 40.

Quintum est Ludovici dicti Mitis, qui statuit, ut festa præcipua, tanquam dies Dominica observentur, atque inter alia appellat festa sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Petri & Paulli, sancti Martini & sancti Andreæ (i).

(i) Cit. Capitul. can. 5.

Sextum est Henrici III. an. 1579. latum (K) in comitiis Blesensibus, quo judicibus omnibus injungitur, ut Aurelianense Edictum a Carolo IX. an. 1560. de celebratione festorum conditum (l) districte observari curent, pro foris & nundinis, quæ diebus illis, uti Dominicis sunt interdicta. Quibus addi possunt multæ Ordinationes Politiæ, ac præcipue Ordinatio an. 1638. qua cautum est, ne Mercatores, Artifices, Muliones, aliique vendant, merces extrudant, aut laborent sacris hisce diebus, mulcta indicta 24. Librarum Parisinarum; quæ confirmata est ex alia 12. Decembris 1641. ex alia 12. Novembris an. 1667. qua Mercatori cuilibet & Artifici vetatur, ne tabernas & Apothecas aperiant, ullumve commercium aut mercium venditionem faciant Dominicis festisque diebus: ex alia item 11. Januarii an. 1696. quæ superiores confirmat, & ex Arresto Senatus Parisiensis lato 15. Octobris an. 1588. quo eadem prohibentur (m).

(k) Edict. Bles. art. 38.

(l) Edict. Aurel. art. 4. & 23.

Præsupposita illa generali regula, tres aliæ particulares statuendæ sunt ad solvendam propositam diffi-

(m) D. De la Mare tract. de politie tom. 1. l. 2. tit. 8. c. 9.

difficultatem. Prima est: cum rem quampiam emere quis tenetur ob urgentem necessitatem, ita ut emptionem suam absque gravi detrimento procrastinare nequeat, tunc rem eam ipsi vendere potest mercator, modo omne absit scandalum: quam regulam affert sanctus Thomas his verbis (*a*): *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat sabbatum.*

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 3.

Secunda est: Mercator vendere potest festis diebus, cum ipsi ad sustentationem familiæ suæ necessaria est venditio, præsertim cum illis tantum festis diebus vendit, in quibus habetur forum publicum, atque alii Mercatores ejusdem artis communiter vendunt: hanc quoque regulam suppeditat doctrina S. Thomæ his verbis contenta (*b*): *Quilibet autem, tam servus quam liber, tenetur in necessariis providere .... sibi etiam in damno rerum vitando.*

(b) Idem ibid.

Tertia regula est; in dubio, utrum mercatores quidam diebus festis vendere possint, aliis affirmantibus, aliis negantibus, tunc ad sententiam superioris est recurrendum: qui enim existimant, se merces suas sacris illis diebus vendere posse, cavere imprimis debent, ne cupiditate magis, quam necessitate ducantur. Tertiam hanc regulam suppeditat inclytus Gerso (*c*): *Quod si dubietas occurrat*, inquit, *consulat ille superiores aut peritos, ne per amplam nimis, aut strictam conscientiam in peccatum cadat.*

(c) Joan. Gerson. tract. in Decalog. c. 7.

Suppositis his regulis tum generalibus, tum particularibus, respondemus Elezarum sutorem, aliorum more merces suas vendere posse diebus Mercurii & Sabbati, licet festis diebus, si in casu primæ aut secundæ regulæ a nobis allatæ reperiatur, hoc est, si a venditione abstinere nequeat, absque gravi, ut supponit, incommodo, quo deinceps familiæ suæ sustentationi providere non posset, atque vendere possit absque scandalo, quod instare non videtur in casu proposito, cum politiæ Judex approbet, aut saltem commercium illud aliaque plurima hisce diebus toleret; & alii omnes, quos habet artis suæ comites, pariter cum eo divendant. Pariter famulorum famularumque suarum operam in venditione mercium suarum exigere potest, modo tamen eos Sacrum audire permittat. Sed si Elezarus in casu alterutrius regulæ non versetur, neque per se, neque per suos vendere posset, ac pro certo præceptum sanctificationis festorum infringeret. Denique si dubitet; ad Episcopum, aut ejus Vicarium generalem debet recurrere, vel per se, vel interventu Parochi sui aut Confessoris; quo tuti possint esse in conscientia, tam ipse, quam famuli ejus; atque eorum præscriptum adimplere.

Vide sequentem Decisionem.

CASUS IV.

Multi Incolæ pagi sancti Martini, tempore messis ob continuos jamdudum imbres, frumentorum suorum jacturam timentes, possunt-ne diebus S. Bartholomæi, S. Ludovici ac præcedenti Dominica die eorum perceptioni operam dare, cum per tempus liceat, quin tamen de eorum amissione certi sint?

RESPONS.

Juxta generalem sancti Thomæ regulam, quam modo attulimus, incolæ illi duobus festis diebus & præcedente Dominica laborare possunt; nam, ut ait Doctor Angelicus (*d*), *Opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum.* Quod probat sanctus Doctor ex his Christi verbis: *Unde dicit Dominus Matth.* 12. Quis erit ex vobis homo qui habet unam ovem, & si ciciderit Sabbato in foveam, nonne tenebit & levabit eam?

(d) S. Thom. 2. 2. cit. q. 122. art. 4. ad 3.

Ob eandem rationem Alexander III. Diœcesanis cujusdam Archiepiscopi, a quo fuerat consultus, Halecum piscationem, e qua isti præcipue sustentabantur, Dominicis festisque diebus permittit, modo tamen quasdam vicinis Ecclesiis & pauperibus eleemosynas inde sumptas destinarent. *Indulgemus*, inquit Papa (*e*), *ut liceat Parœcianis vestris, diebus Dominicis & festis aliis, præterquam in majoribus anni solemnitatibus, si halecia terræ se inclinaverint, eorum captioni, ingruente necessitate, intendere; ita quod post factam capturam, Ecclesiis circumpositis & Christi pauperibus congruam faciant portionem.*

(e) Alex. III. in cap. Licet. 3. de feriis. l. 2. tit. 9.

Hinc sequitur, quod, cum pagi sancti Martini Incolæ e perceptione tantum frumentorum, vindemiæ ac fructuum suorum sustentari possint, quam si ad alios dies differrent, ea vel interire omnino vel corrumpi magno suo damno valerent; eadem possunt colligere, etiam sacris illis diebus, modo tamen Missæ auditionem præmiserint; *sed neque earum rerum operá hac Lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, die festo prætermittantur*, inquit Catechismus Concilii Tridentini (*f*). Quod consentit cum Synodo Antverpiensi an. 1314. habito, quo verbis expressis excipitur casus propositus: *Excepto*, inquit, *necessitatis articulo, videlicet, ubi de amissione fructuum, vel vehendorum verisimiliter timeretur, nec posset aliud facilIter remedium adhiberi.*

(f) Catechis. Roman. par. 3. de tertio Decalogi præcepto num. 32.

Constantinus, primus Imperator Christianus hunc etiam necessitatis casum in Lege sua 6. Martii an. 321. condita, & in codice relata his verbis excipit (*g*): *Omnes Judices, urbanaque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant: ruri tamen positi, agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam frequenter venit, ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasione momenti*, hoc est, *diei Dominici*, ut explicat Glossa, *pereat commoditas cælesti provisione concessa.*

(g) Leg. Omnes. 3. cod. de feriis. lib. 3. tit. 12.

Advertendum tamen præter casum necessitatis requiri insuper dispensationem legitimi Pastoris, cum obtineri commode potest; quia ipsius est dijudicare, num talis sit, ut supponitur, necessitas, & ad solum legitimum spectet Pastorem de Legibus hisce dispensare?

CASUS V.

Episcopus quidam Galliæ quinque sex-ve nova festa instituit; at maxima pars Cleri, Magistratus & Plebs ipsius mandato obtemperare recusant. Nunquid ad id eos cogere potest?

RESPONS.

Episcopus iste ad exequendum mandatum suum eos cogere nequit, qui obtemperare recusant, idque ob duplicem rationem. 1. Quia Gregorius IX. in una Decretali (*h*) nova instituendi festa Episcopis potestatem non adscribit nisi de consensu Cleri & Populi: *Quas* (solemnitates) *singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & Populo duxerint solemniter celebrandas.* 2. Quia(1) juxta Galliæ disciplinam, necesse est, ut auctoritas Regia cum Episcopi potestate concurrat, qui adeo ante festi alicujus institutionem a Rege diploma obtinere debet, quod in Parlamento approbetur, & in ejus acta referatur, intra cujus jurisdictionem posita est illius Diœcesis.

(h) Greg. IX. in cap. Conquestus. l. de feriis.

Nititur hæc disciplina 1. quod ex institutione festorum vacet forum & manuum opus; quod ad res temporales spectat. 2. Quia interest imprimis, ne quid in officium Ecclesiasticum obrepat, quod usui & antiquis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus adversetur. Ob eam caussam Edicta illa de re promulgarunt Galliæ Reges, ut patet ex trigesimo quinto Capitulari Caroli Magni, in quo agitur (*i*) *de festivitatibus anni*. Hinc fit etiam, ut in Gallia mutari nequeant Missalia & Breviaria, nisi de concessione Regia, uti videre est in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ (*K*) ex multis instrumentis authenticis, ac præsertim ex diplomate, quod Episcopo Pictaviensi 15. Martii an. 1606. concessit Henricus IV. & quod vigesimo septimo Julii ejusdem anni in Parisiensi Senatu confirmatum est; & ex Arresto ejusdem Senatus in Episcopum Antverpiensem 26. Febr. an. 1603. lato nova a fortiori institui festa nequeunt absque consensu Principis.

(i) Lib. 2. Capitular. cap. 35.

(k) Probationes libertatum Ecclesiæ Gallicæ. t. 2. c. 31. p. 1137. & seq.

Auctor qui hoc modo solvit difficultatem istam (*l*) & cujus occasione novas istas probationes inquisivimus in Archetypo instrumento, refert, quod cum Rothomagensis Episcopus novum S. Galterii, Abbatis S. Martini Pontilaræ festum instituisset in toto

(l) De Sainte Beuve. t. 3. cas. 174.

to

(1) Vid. *Monda Pentat.* Observ. III. num. XXXIV.

to Vexino celebrandam, Capitulum S. Maclovii & Pastores huic institutioni intercessere, & quod re ad Senatum Parisiensem lata, Montholonem partium adversarum Advocatum, qui contendebat, ad Episcopi potestatem non pertinere, ut festa institueret, refellit D. Talon Advocatus Generalis, & pro Archiepiscopo Rothomagensi conclusit, qui, cum declarasset, se asseatiri, ut prædictum festum Pontisatæ tantummodo celebraretur, ea solum conditione Arrestum obtinuit favorabile, ut intra tres menses a Rege diploma obtineret.

Juvat hic observare, non esse hanc Ecclesiæ mentem, ut augeatur, sed potius ut minuatur, quantum fieri potest, festorum numerus, uti declaratum est in multis Conciliis Provincialibus, & inter alia, Rhemensi an. 1583. habito a Ludovico Cardinali Guisio, Rhemorum Archiepiscopo. Quod a Gregorio IX. approbatum est (a): Cameracensi an. 1565. (b) Burdigalensi an. 1583. (c). Conformiter ad hanc mentem Tractatum suum *de novis festis non instituendis* emisit Nicolaus de Clemengis.

(a) Concil. Rhem. cap. 4.
(b) Concil. Camerac. tit. de cultu carem & officio divino. c. 11.
(c) Concil. Burdigal. tit. 6.

Vide { DOMINICI & FESTI DIES. }

FIDEICOMMISSUM.

Vide { DONATIO. LEGATUM. TESTAMENTUM }

FIDEJUSSOR.

FIDEJUSSOR seu Sponsor is dicitur, qui pro alterius facto spondet, cujus obligatio non satis est tuta; & fidejussionis nomine etiam dicitur ejus actio (d). *Qui alieno nomine obligatur*, inquit Lex (e), *Fidejussor vocatur: & plerumque ab eo quem proprio nomine obligamus, alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur, ut dum curamus quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur.*

Fidejussionum usus ad omnia obligationum genera extenditur, v. g ad solutionem pecuniæ a promissore debitæ, ad perfectionem suscepti operis & alia similia, in quibus fidejussor rei promissæ a promittente executionem pro eo in se sumit.

(d) Domat. Leg. civil. &c. l. 5. tit. 4.
(e) Leg. obligationes. 1. §. 8. ff. de obligat. & act. lib. 44. tit. 7.

Triplex distinguitur fidejussio: prima est voluntaria, quæ datur pro qualibet obligatione, quæ ex aliquo pacto, rei-ve natura oritur, qualis est oppignoratio tutelæ.

Secunda est, quæ Lege constituitur, v. g. ad litigium non admittitur in Gallia devolutarius, nisi prius solutionem judicati satisdederit, ex edicto mensis Januarii an. 1557. atque idem est in usu erga advenam, qui Franco regnicolæ litem infert.

Tertia est, quæ a Judice constituitur, seu ex officio, seu ad petitionem aut oblatum partium. V. g alteri partium provisorie aliquid adjudicatur, si pro dati restitutione satisdederit, si ea constituatur: pariter carcere detentus aliquando liberatur sub alterius cautione.

Quamvis mulieres, a viris suis auctoritatem non habentes, se ipsas, non magis, quam pupilli, obligare queant, ut plurimum; tamen pro viris suis carcere detentis spondere possunt, ut potest pupillus, octodecim annos natus, pro patre incarcerato; quod quidem uterque faciens nullam jam habet spem restitutionis contra satisdatum suum.

Fidejussor, ut talis, ad majus obligari nequit, quam obligatur debitor præcipuus, pro quo spondet, quamvis possit ad minus. *Fidejussores*, inquit Justinianus (f), *ita obligati non sint, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligarentur*: Cujus rei hæc est ratio: *Nam eorum obligatio*, subjungit hic Imperator, *accessio est principalis obligationis: nec plus in accessione potest esse, quam in principali re.*

Fidejubere pro alio potest quisque, inquit Lex (g), *etiamsi promissor ignoret.*

Fidejussio adversus Leges bonos-ve mores data est invalida. Sic fidejussio ab aliquo requisita pro solutione pretii sibi promissi ob homicidium a se perpetrandum, aut ad evitandam pœnam facinori suo debitam esset irrita. *Pœnas ob maleficia solvi magna ratio suadet ..... in quibus casibus illa ratio impedit fidejussorem obligari; quia scilicet in nullam rationem adhibetur fidejussor; cum flagitiosæ rei societas coita nullam vim habeat* (h).

(f) §. 5. Instit. de Fidejussoribus.
(g) Fidejubere. 30. ff. de Fidejussoribus.

Aliæ sunt obligationes, in quibus inhonestum foret exigere velle fidejussorem. V. g. quando negotii caussa societatem ineunt duo Mercatores, contra hone-

(h) L. Si a reo 70. in fine ff. de Fidejussoribus &c. l. 46. tit. 1.

honestatem esset, si alter ab altero bonæ suæ fidei prædem vellet exigere; & sic de aliis multis.

Fidejussoris hæres de ipsius tenetur obligatione: *Fidejussor & ipse obligatur & hæredem obligatum relinquit*, ait Lex (a): Excipienda est tamen corporalis obligatio in eo casu, cum de ea tenebatur Sponsor defunctus.

Cum semel accepta est cautio, altera jam exigi nequit, licet Fidejussor non solvendo idoneus evasisset: quia, *qui admisit eum fidejubentem, idoneum esse comprobavit*, inquit Lex (b)

Fidejussor, qui non tenetur in solidum, non potest conveniri, nisi postquam debitor præcipuus discussus fuerit a principali Creditore, qui ab eo solutionem obtinere non potuit (c). Ab hac regula tamen excipiendi sunt 1. qui coram Judice satisdederunt. 2. Excipiendus est casus, in quo præcipuus debitor est absens, nec ullum comparet bonum (d) e quo solutionem suam repetere queat Creditor.

Quando multi cum præcipuo Debitore se obligant Fidejussores, de toto quilibet eorum tenetur; quia quisque debitum spopondit: Sed si qui solvendo fiant non idonei, alii eorum vicem supplent: *Ideoque*, inquit Justinianus (e) *si quis ex Fidejussoribus eo tempore solvendo non sit, hic cæteros onerat*.

Jus illud, quod obtinent Fidejussores ad divisionem obligationum suarum, pro civilibus debitis tantum vocatur *divisionis Beneficium*. Sed ab eo possunt abstinere, tumque omnes in solidum tenentur, ita ut unus pro toto debito a creditore queat conveniri.

Fidejussori suo indemnitatem præstare tenetur promissor, seu ipsum ab obligatione sua solvendo, aut debitum persolvendo, ubi præscripta dies aderit; quod si non persolvat, in eum Fidejussori competit actio, etsi debitum creditor non postularet: & etiam ante elapsum terminum promissorem convenire potest Fidejussor, si de indemnitate sua periclitetur.

Si Fidejussor ante diem creditorem solverit, contra reum ipsi actio non competit, nisi post elapsum terminum: nam solutionis securum præstat, solvendi dies præscripta. *Si Fidejussor*, inquit Lex, *ante diem creditoris solverit, expectare debebit diem, quo eum solvere oportuit* (f).

Fidejussorem convenire non potest Creditor, nisi de eo, ad quod præcipuus tenetur debitor: ita ut si casu pure fortuito res pereat, & absque illius culpa, penes quem erat, & qui non erat in mora ejusdem restituendæ, nihil tum debet, quia tunc nihil debet præcipuus debitor. V. g. Joanni pro Jacobo spopondi de equo ipsi commodato, aut pro deposita apud eum crumena: fulmine forsan perit equus aut pecunia: tunc solvitur fidejussio mea, quia de tali casu fortuito nec ipse tenetur Jacobus (g).

Diximus: *& qui non erat in mora ejusdem restituendæ*: nam si esset in mora, de ejus valore teneretur; & prorogarerur in hoc casu Fidejussoris obligatio erga dominum rei, juxta hæc legis verba; *cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat; etiam Fidejussoris durat obligatio, velut si moram fecit in Sticho solvendo, & is decessit* (h).

Quando unus ex Fidejussoribus totum solvit debitum creditori, in cujus locum ac jus suffici non curat; tunc in præcipuum dumtaxat debitorem, non vero in compromissores suos recurrere potest: at si in jura sua ipsum creditor subroget, aut, ipso recusante, substitutionem hanc a Judice obtineat; tum in alios sponsores sibi comites appellare potest, & substitutio illa dicitur: *Beneficium cessionis jurium Creditoris*: quod intelligendum est de iis tantum fidejussoribus; qui ex satisdatione sua, jus illud non repudiarunt; ut diximus de Beneficio divisionis (i).

Fidejussio non remanet 1. ex solutione debiti. 2. ex aliquo vitio præcipue obligationis, seu dolo, coactione, aut alio simili. 3. innovatione tituli debiti contracti inter creditorem & debitorem, inscio Fidejussore. Sic pro Paullo spopondi erga Petrum de pretio venditi prædii: Paullus ac Petrus, me inscio primum debitæ pecuniæ titulum renovarunt, pro eo acceptis a Petro schedulis campsoriis, non jam permanet sponsio mea: *Novatione legitime perfecta*, inquit Lex (k) *debiti in alium translati, prioris contractus Fidejussores ...... liberatos esse non ambigitur; si modo in sequenti se non obligaverunt*.

Si creditor debitoris hæres existat, aut debitor creditoris; tunc confusione illa duorum in unum desinit Fidejussoris obligatio. Nam si præcipui debitoris hæres fiat Fidejussor, tum ipse fit præcipuus obligatus, atque adeo desinit

(a) Leg. *Potest*. 4. §. 1. ff. de Fidejussor. & § 2. Instit. eod. tit.

(b) Leg. *Qui satisdare*. 3. in fine ff. de Fidejuss.

(c) Nov 4. c. 1. in id quod deesset Fidejussores conveniendos. & Leg. *Si Titius*. 48. in fine. de Fidejussor.

(d) Ibidem cit. novell. 4. c. 1.

(e) §. 2. Institut. de Fidejussor.

(f) Leg. *si Fidejussor*. 31. ff. de Fidejussor. & mandator. 46. tit. 1.

(g) Leg. *Creditor*. 2. ff. eod. tit.

(h) Leg *Si a Colono*. 58. §. 1. de Fidejussor.

(i) L. *Cum alter*. 11. cod. de Fidejussor. lib. 8. tit. 41. leg. *Cum* 11. 3. & leg. 36. & leg. *Ut Fidejussor*. 59. ff. eod tit. §. 4. Institut. eod. tit.

(k) Leg. *Novatione* 4. cod. de Fidejussor. Leg. *Ubicumque*. 10. ff. eod. tit.

nit esse Fidejussor. Si creditori succedat, jam cessat ejus obligatio; cum sui ipsius idem nequeat esse debitor. Si Fidejussoris hæres sit creditor, in se-ipsum nequit esse obligatus; sed tantum jus suum in debitorem retinet. Denique si Fidejussori succedat debitor, extinguitur tum satisdatio; & obligatio hujus debitoris in eo fit præcipua obligatio, iisque tum exceptionibus Fidejussoris frui nequit, qualis esset. v. g. Pupillaritatis exceptio, si pupillus esset. Hæc sunt dicta legum Civilium de iis, quæ modo attulimus: *Cum reus promittendi Fidejussori suo hæres extitit, obligatio fidejussoria perimitur. Quid ergo est: tamquam a reo debitum petatur. Et si exceptione Fidejussori competente usus fuerit, in factum replicatio dari debebit; aut doli mali proderit:* Ita Lex digestorum (a). *Quod si creditor Fidejussori hæres fuerit, vel Fidejussor creditori*, inquit Lex alia (b), *Puto convenire, confusione obligationis non liberari reum*. Tertiam denique legem addemus, cujus hæc sunt verba: *Generaliter Julianus ait, eum qui hæres extitit, ei pro quo intervenerat, liberari ex caussa accessionis, & solummodo quasi hæredem rei teneri. Denique scripsit: Si Fidejussor hæres extiterit, ei, pro quo fidejussit, quasi reum esse obligatum ex caussa fidejussionis liberari* (c). Ita observationes istas atque allatas regulas nobis suppeditavit doctus ultimi sæculi Jurisperitus (d).

(a) Leg. Cum reus. 14. ff. de Fidejussor. & mandator.
(b) Leg. Uranius. 71. init. ff. eod. tit.
(c) Leg. Generaliter. 5. ff. eod. tit.
(d) D Domat. leg. civ. in suo ordine naturali. l. 3. tit. 4.

CASUS PRIMUS.

SYMMACHUS 2000. nummorom ad annum Simeoni mutuo dedit sub fidejussione Petri, Paulli & Andreæ. Potest-ne, elapso solutionis termino, aut a debitore, aut ab uno ex Fidejussoribus, prour magis sibi libuerit, motuatam Simeoni pecuniam jure repetere?

R e s p o n s.

Naruraliter in solidum tenentur Fidejussores, postquam Creditor necessarlam adhibuit diligentiam, ut a præcipuo debitore solutionem repeteret: *Qui alios pro Debitore obligat*, inquit Justinianus (e), *hoc maxime prospicit, ut, cum facultatibus lapsus fuerit Debitor, possit ab iis, quos pro eo obligavit, suum consequi.* Et alibi (f): *Si plures sint Fidejussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur. Itaque liberum est Creditori, a quo velit solidum petere.*

(e) Lib. 4. Instit. 4. de replic. § fin.
(f) Ibid. l. 3. tit. 2. §. 4. de Fidejussoribus

Sed quia paullo acerbius visa est ista Jurisprudentia, tribus subsidiis, quæ Fidejussoribus concessa fuere, mitigata est.

Primum, quod usus invexit, est, quod Creditor de suis omnibus juribus & actionibus ei cedere debeat ex Fidejussoribus, in quem agit: ut cessionis illius subsidio & ipse in alios compromissores suos agere valeat.

Alterum, quod est divisionis Beneficium, ab Imperatore Adriano concessum (g), constituit, ut Creditor ioter Fidejussores suos, qui solvendo sunt idonei, actiooem suam dividat, ot singuli partem ac portionem debiti sibi competentem solvant: *Ex Epistola divi Adriani compellitur Creditor, a singulis, qui modo solvendo sunt, litis contestatæ tempore, partes petere:* Et si unus ex Fidejussoribus, solvendo factus est noo idoneus, ad alios perveniat ipsius portio, & quisque partem sibi competentem de toto persolvat.

(g) Ibid. tit. §. 4.

Tertium denique, quod ab Imperatore Justiniano concessum fuit, in eo positum est, ot Creditor primum teneatot ad discussionem bonorum præcipui Debitoris, priusquam ei in Fidejussores actio concedatur. *Si quis enim alterna fidejussione obligatos sumat aliquos*, inquit hic Imperator (h), *siquidem non adjecerit, oportere & unum horum in solidum teneri, omnes ex æquo conventionem sustinere. Si vero aliquid etiam tale adjiciatur, servari quidem pactum: non tamen mox ab initio unumquemque in solidum exigi; sed interim secundum partem, qua unusquisque obligatus est ... si vero minus idonei se habere reliqui videantur, sive omnes, sive quidam, sive in partem, sive in solidum, sive absentes forte, in illud teneri, quod accipere ab aliis non potuit: Sic enim & illis servabitur pactionis modus, & nullum sustinebit damnum actor.* Ut igitur Creditor in Debitoris sui Fidejussores agere queat ad solutionem torius debiri, necesse est, ut eos sponsores accipiens cogat ad abjiciendum expresse triplex illud beneficium Ordinis, divisionis & discussionis: tunc enim ipsum, quem voluerit, convenire potest, nondom facta præcipui Debitoris bonorum discussione.

(h) Authent. Collat. 7. tit. 11. de diversis reis promittendis, seu authent. novella. 99. c. 1.

Unde colligimus, Symmachum, qui Simeoni 2000. nummorum dedit morua, pro iotegra eorum solutione in tres Fidejussores agere non posse, aote discussa Simeonis bona, nisi Petri, Paoli & Andreæ fidejussionem acceptans eos coegerit ad abstinendum a tribus illis Legis subsidiis, de quibus egimus: quod si ita ab eo fuerit factum; onum e tribus pro arbitrio judicia conveoire potest; cum in hoc casu proprio omnes nomine de ea obligatione teoeantur (i): *Aut proprio nomine quisque obligatur, aut alieno. Qui autem alieno nomine obligatur, Fidejussor vocatur: & plerumque ab eo, quem proprio nomine obligamus*, ioquit Lex, *alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur.*

(i) L. obligationes 1. ff. de obligation. & action. §. 3. l. 44. tit. 7.

CASUS IV.

ELBODUS a Justino octingentos nummos, Antonio pro se spondente, mutuatus est, sed Justinus, non recuperata ab Elbodo post multas dilationes pecuniæ summa, Antonium convenit; cum Elbodum solvendo haud idoneum declarari a Judice obtinuisset. Antonius vero octingentos nummos Justino solvere recusat, ob concessas ab eo iutempestive, seque inscio, solutionis dilationes, quibus factum est, ut Elbodus rem suam omnem decoquere & ad solvendum ineptus fieri potuerit. Qua de re quæritur, utrum Justinus apud Antonium solutionem suam jure persequi nequeat illæsa coosciectia; quandoquidem solvere nequeat Elbodus?

R e s p o n s.

Ad solutionem hujus difficultatis, interest scire, quis sit tenor obligationis Justioi in Elbodom: Nam vel ouda est & simplex, ita ut oullus illi solutionis terminus fuerit appositus: vel tempus exprimit, quo Justiuo summam reddere teuetur Elbodus.

Si nuda sit & simplex obligatio, qua nimirum Elbodus se erga Iustinum de solutione octingentorum nummorum teneri fateatur, quos se ad primam ejus petirionem redditurum promittat, Antouius Justino, oti Elbodi Fidejossor, manet obligatus, suæque tantum adscribere debet negligentiæ, quod Elbodus rem omnem suam decoxerit, atque solveodo impar sit factus; ob duplicem rationem. 1. Quia in ipsum juridice agere poterat ad dirimendam tatisdationem suam, non solum quod Elbodos solutionem Justioi diutius prorogaret, sed etiam quia par noo erat, ut perpetua implicaretur Fidejussione, eo quod ipsi gratum fecisset. 2. Quia ipsi cognitæ, aut saltem cognoscendæ erant Elbodi profusiones, ob quas promde ipsi rimendum erat, ne Elbodus solvendo esset. Hi suut enim duo primi casus, in quibus Fidejussor, ut sinunt Leges Civiles (K), agere potest in principalem debitorem, ut potest etiam in tertio, com nimirum proprio nomine de solutione debiti, cujus foit sponsor, damnatus est. *Fidejussor.*

(k) Leg. Lucius. 38. §. non absimili ff. mandati vel contra lib 17. tit. 1.
Leg. Si procu. 10. cod. eod. tit. l. 4. tit. 35.

(a) Guido Papa. decis. 117.

for, inquit Goido Papa (*a*), *potest agere contra principalem debitorem in tribus casibus, ut eum liberet ab obligatione. 1. Casus: Si diu steterit in obligatione. 2. Casus: Si debitor incipit bona sua dissipare &c. 3 Casus: Si Fidejussor fuerit condemnatus ad solvendum debitum, pro quo Fidejussor extitit* (*b*).

(b) Lucius III. in c. Constitutus. 3 de Fidejussoribus, l. 3. t t. 22.
(c) Greg. IX. in c. Eum, fin. eod. tit.

Tres illi Casus a Jure Canonico comprobantur in Decretali Gregorii IX. his verbis (*c*): *Eum pro quo te Fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare bona sua cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare.*

Antonium autem non latebat 1. se jampridem fidejussionem suam contraxisse. 2. Elbodum facile solvendo æri alieno imparem fieri posse profusionibus suis. In eum igitur agere debebat, ot a contracto pro octingentis nummis, satisdato liber esset; quod quidem cum neglexerit, solus in culpa est, nec legitime Justino solutionem suam denegare potest.

At vero si præfixum ex obligatione sex mensium aut anni v. g. terminum multoties Justinus propria auctoritate & inscio Antonio distulerit, Justinus in se solum nimiam facilitatem suam in concedendis Elbodo hisce dilationibus cum Antonii nocumento, ac partim imprudenti obsequio suo Debitoris ad solvendum impotentiam debet transferre.

(d) Ranchinus in Guid. Papa Decis. 157. tit.

Distinctionem hanc affert Ranchinus in Notis suis in Guidonis Papæ Decisiones (*d*): *In hac quæstione ita distingui solet*, inquit, *aut quis fidejussit pro aliquo obligato ad certum tempus; ut si quis se obligaverit ad custodiam Castri ad sex menses, & pro tempore dederit Fidejussores; elapso tempore Fidejussores erunt liberati; quia ibi obligatio fuerat facta ad certum tempus. Quod si elapso tempore adhuc prorogatum fuerit tempus absque Fidejussorum consensu; Fidejussores non tenebuntur, quia ... limitata caussa limitatam effectum producit .... si vero obligatio facta sit pure, scilicet solutio pecuniæ defertur in diem: ut quando quis dat pecuniam debitori pure ... tunc, quia datio pecuniæ est facta pure ... eo casu si Fidejussor intervenerit, quamvis creditor distulerit solutionem in aliud tempus per talem prorogationem termini, non liberabitur Fidejussor.*

(e) Jason in L. Lecta. 40. n. 9. ff rebus creditis, si certum petetur &c l. 33. tit 3.
(f) Idem in lib. 1. cod. de judiciis.
(g) Rota decis. 860. in antiquis.

Opinionem suam confirmat hic Auctor auctoritate Jasonis (*e*), qui contrariam, quam defendebat, sententiam retractat (*f*), & decisione Rotæ (*g*), quæ licet vim legis non habeat, alicujus tamen est momenti. Atque *juxta eam distinctionem*, ait Ranchinus, *jam bis judicatam vidi.*

CASUS III.

Achilles, 2000. libr. Juliano credidit, ad fidejussionem Titii & Mævii; cumque Julianus solvendo non esset post factam juridice bonorum ipsius disquisitionem, neque etiam Mævius, qui pariter solvendo non est, aut qui in hostilem regionem res omnes suas transportavit, Mævium pro solutione totius summæ persequitur. Contendit autem Mævius, se de media tantum debiti parte teneri, cujus solutionem offert, eum pro Juliano conjonctim cum Titio fidejusserit: & quia veretur, ne in foro externo Achilles qui gratia pollet, damnationem de integra summa solvenda obtineat, res omnes suas distrahit. Nunquid peccat in jostitiam?

RESPONS.

Injuste agit Mævius in proposito caso; dum mobilia sua abscondens, integram 2000. lib. quæ Achilli debentur, solutionem avertit. Ratio est, quia cum duo plures-ve ejusdem summæ fiunt sponsores, singuli in solidum tenentur: quia quisque integræ pollicetur summæ solutionem aut supplementum saltem ejus rei, in qua deficit præcipuus debitor, & sic naturaliter in solidum omnes fidejubeot, ita ut unus pro altero de integra solutione teneatur post factum bonorum præcipui debitoris disquisitionem.

Fidejussores quidem beneficio divisionis potiuntur, ut diximus in responsione ad casum superiorem, hoc est, eodem modo & ob eandem caussam dividitur eorum obligatio, uti præcipuorum debitorum, qoi in solidum tenentur (*h*), *ut autem is, qui cum altero fidejussit, non solus conveniatur, sed dividatur actio inter eos, qui solvendo sunt, ante condemnationem ex ordine postulari solet.* Ita ut, cum omnes solvendo sunt, a quolibet partem dontaxat debiti, pro quo omnes spoponderunt, exigere queat creditor, sed cum quis solvendo non est, ut Titius in casu proposito; aut per fidejussionem suam a beneficio divisionis & discussionis abstinuerunt, de illius portione cæteri tenentur. *Si plures sint fidejussores*, inquit Justinianus (*i*), *quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur; itaque liberum est creditori, a quo velit, solidum petere. Sed ex Epistola divi Hadriani compellitur creditor a singulis, qui modo solvendo sunt litis contestatæ tempore, partes petere. Ideoque si quis ex fidejussoribus eo tempore solvendo non sit, hoc cæteros onerat.* Quod consentit cum ista digestorum lege (*K*): *Inter fidejussores non ipso jure dividitur obligatio ex Epistola divi Hadriani; & ideo si quis eorum ante exactam a se partem sine hærede decesserit, vel ad inopiam pervenerit; pars ejus ad cæterorum onus respicit.*

(h) L. Fidejussor. 10. §. 1. eod de fidejussoribus & mandatoribus.
(i) Institut. l. 3. tit. 21. §. 4. de fidejussoribus.
(k) L. Inter. 20. ff. de Fidejussoribus & mandat.

Advertendum autem, ex eodem sequi principio, quod, si unus e fidejussoribus esset pupillus, & ob eam caussam aut aliam quamlibet suam posset extinguere obligationem, alter solus de toto debito erga creditorem teneretur, si præcipuus debitor solvendo non idoneus declararetur. Ita statuit Lex, quæ exemplum affert mulieris, quæ sub potestate viri constituta fidejussionis suæ diremptionem postulasset: *Si Titius & Seia pro Mævio fidejusserint; subducta muliere dabimus in solidum adversus Titium actionem: cum scire potuerit, aut ignorare non debuerit, mulierem frustra intercedere* (*l*).

(l) L. Si Titius. 48 ff. eod. tit.

CASUS IV.

Baldericus, proclinata re sua, a Georgio ad annum 1000. libras spondente pro eo Mutio prædivite Mercatore, mutuatur. Elapso anno, Georgius, cui nota est Balderici inopia, qua debitum solvere nequit, Mutium ad ejus solutionem vult adigere, cui, si solutionem recuset, litigia, seu ob rem illam, seu ob alias etiam majoris ponderis minatur, salvo in Baldericum ipsius recursu. Potest-ne Georgius solutionem suam tuta conscientia a Mutio hac ratione exigere, qui requisitam solutionem potius eligit, quam duram litigandi non sine magno commercii sui atque quietis dispendio necessitatem?

RESPONS.

Mutium ad solutionem cogere nequit absque injustitia Georgius, quin prius Balderico litem intenderit, eumque solvendo non idoneum esse juridice declarari fecerit. 1. Ratio est, quia alterius fidejussor ipsius debiti securitatem promittit, at præcipuus non est debitor; quocirca solutio summæ, pro qua fidejussit, ab eo juste nequit exigi, priusquam debitor, si adsit, fuerit conventus; ac juridice probatum fuerit, eum solvendo minus idoneum esse repertum; ut evidenter statuitur ex hac constitutione Codicis Justiniani (*m*): *Præsente tamen utroque non permittitur intercessorem conveniri, priusquam reus inventus est minus idoneus, sive in totum, sive in partem.*

(m) Authent. Præsente. eod. de fidejussoribus & mandator. §. Si quis igitur. & §. Non solum. col. lat. 1. constit. 4.

Si tamen Georgius cum Balderico & Mutio convenisset, se pro arbitrio alterutrum libere convenire posse; procul dubio a Mutio solutionem posset exigere: quia ex tali pacto præcipuum se debitorem una cum Balderico constituisset Mutius (*n*).

(n) De Genet. theol. moral. tom. 1. tract. 6. c. 1. dem. 1.

CASUS V.

Casander, Pupillus, sexdecim tantum vel octodecim annos natus 100. nummos a Marcello ad fidejussionem Paulini mutuatus, hoc debito se liberavit, e potestate tutoris egressus: quo facto Marcellus Paulinum sponsorem appellavit, eique litem de solutione 100. nummorum intulit: at Paulinus contendit econtra se de fidejussione sua esse liberum; cum debitum, pro quo spopondit, fuerit extinctum. Nunquid ab eo pecuniæ hujus solutionem jure potest exigere Marcellus?

Re-

RESPONS.

Quamvis Cassander debiri per pupillaritatem suam contracti remissionem obtinuerit, non sequitur, Paulinum quoque de satisdato suo pariter esse immunem. Nam licet fidejussio sit accessoria obligationi principalis debitoris, si is remissionem suam obtineat, subsistit tamen adhuc fidejussoris obligatio: nisi restirutio principalis debitoris aliquo niteretur dolo, vi, aut alio vitio, quo absolute invalidum fieret jus credirotis. Id quidem facile probare est ex multis legibus Digestorum Codicis, & præsertim ex hujus verbis (a): *Postquam in integrum ætatis beneficio restitutus es, periculum evictionis emtoris, cui prædictum ex bonis paternis vendidisti, præstare non cogeris: sed ea res fidejussores, qui pro te intervenerant, excusare non potest.* Ea de re expressiua etiam fit mentio in sequenti lege (b): *Si ea, quæ tibi vendidit possessionem, interposito decreto judicis, ætatis tantummodo auxilio juvatur, non est dubium, fidejussorem ex persona sua obnoxium esse contractui; verum si dolo malo apparuerit contractum interpositum esse, manifesti juris est utriqne personæ, tam venditricis, quam fidejussoris consulendum esse.* Hæc sunt denique tertiæ legis verba (c): *Marcellus scribit: si quis pro pupillo, sive tutoris auctoritate obligato, vel prodigo, vel furioso fidejusserit, magis esse, ut ei non subveniatur. Quando his mandati actio non competit.*

(a) L. Postquam. 2. cod. de Fidejussor. &c. minorum. l. 2. tit. 23.

(b) L. Si ea. 2. cod. eod. tit.

(c) L. Marcellus. 25. ff. de Fidejussor. & mandat. l. 46. tit. 1.

Jurisprudentia ista eo magis æquitati consona videtur in casu proposito, quod Cassandri, pupilli restiturio in integrum esset eventus, cujus effectum anteverterat Marcellus ipsius creditor, postulata Paulini fidejussione, quem latere non poterat, Cassandrum, extra tutelam positum, in integrum posse restitui.

Advertendum tamen, quod si 100. nummi quos mutuos accepit hic pupillus, ipsi fuerint utiles; ver. gr. si hæc summa ad ædes reficiendas aliumve fundum reparandum adhibita fuerit, ipsum de indemnitate sua appellare potest Paulinus, ipsius fidejussor; ut in prima lege modo citata legitur: (d) *Mandati judicio, si pecuniam solverint, aut condemnati fuerint, conveneris.*

(d) L. Postquam. cod. de fidejussor. minorum.

CASUS VI.

EULOGIUS Florando 1000. libr. debet sub cautione Matthæi, Lucæ & Joannis; Flodoardus ab Eulogio solutionem suam recipere non valens, Matthæo litem infert, & de solutione 1000. libr. ipso petente damnatur. Numquid Lucam & Joannem appellare potest Matthæus, ut partem cuique competentem recuperet?

RESPONS.

Matthæus, qui 1000. libras ad Eulogium debitas Flodoardo solvit, juste Lucam & Joannem appellare nequit, sed solum Eulogium, debitorem principalem. Ratio est evidens: nam 1000. libr. solvendo, satisdatum suum duntaxat persolvit, atque summam hanc solvendo non requisito divisionis Beneficio contra alios duos Fidejussores, extincta est obligatio principalis, & consequenter aliorum duorum fidejussoria, quæ erant tantum accessoria, omnino desiit.

Nihilominus, si Matthæus solvens Flodoardum creditorem, ipsius jura sibi retinuisset, tunc a Luca & Joanne compromissoribus suis partem cuique competentem recuperare posset, aut ab alterutro integram etiam summam repetere, si fidejubentes ab ordine divisionis abstinuissent: quia ex subrogatione Creditoris subsistit jus ejusdem Creditoris pro solvente: & si eum in jura sua sufficere denegaret Creditor, ipsius damnationem jure obtinere potest, aut a fidejussione sua liberari.

Nititur hæc decisio legis hujus verbis (e): *Cum alter ex fidejussoribus in solidum debito satisfaciat, actio ei adversus eum, qui una fidejussit, non competit. Potuisti sane cum fisco solveres, desiderare, uti jus pignoris, quod fiscus habuit, in te transferretur: & si hoc ita factum est, cessis actionibus uti poteris. Quod & in privatis debitis observandum est.* De hac quoque difficultate ita loquitur lex alia (f): *Cum is qui & reum & fidejussores habeas, ab uno ex fidejussoribus, accepta pecunia, præstat actiones; poterit quidem dici nullas jam esse, cum suum perceperit, & perceptione omnes liberati sunt. Sed non ita est; non enim in solutum accipit: sed quodammodo nomen debitoris vendidit: & ideo habet actiones, quia tenetur ad ipsum, ut præstet actiones.*

(e) L. Cum alter. 11. cod. de fidejussorib. & mandator. l. 8. tit. 41.

(f) L. Cum is. 36. ff. eod. tit. l. 46. tit. 1.

CASUS VII.

PHOEBUS, Justini fidejussor pro summa 700. librar. quam ab Hieronymo is mutuam intra annum reddendam acceperat, ac fidejussionem suam dirimere cupiens sex elapsis mensibus propria pecunia Hieronymi solvit debitum: quo facto a Justino summam illam repetere volens, ipsi litem ad ejus solutionem obtinendam minatus est; Justinus vero renumerandæ pecuniæ dilationem causatur, quod Hieronymus creditor suus ad annum solutionem suam distulisset; unde contendit se de solutione non teneri, nisi data die numerandæ pecuniæ. An Phœbus tenetur in conscientiæ foro expectare, dum sex postea lapsi menses fuerint ad repetendam pecuniam suam?

RESPONS.

Certum est, expectandam esse a Phœbo diem pecuniæ, quam Justino concesserat Hieronymus, priusquam Justinum ad renumerationem soluti cogere possit. Neque enim fidejussor deteriorem potest facere præcipui debitoris, pro quo satisdedit, conditionem, eo quod debiti solutionem anticiparit: quod tamen contingeret, si eum cogere posset ad restituendam pecuniam ante diem, ab eo ipsi concessam ad solvendum. *Si fidejussor*, ait Lex (g), *vel quis alius pro reo, ante diem creditori solverit, expectare debebit diem, quo eum solvere oportuit.*

(g) L. Si fidejussor. 31. ff. eod. tit.

Attamen si de indemnitate sua Phœbus periclitaretur, quia rem suam dissipat aut oppignerat Justinus; tum juste ante diem agere posset ad vitandum periculum, seu intercedendo, aut alias adhibendo necessarias diligentias. Ita statuit Lex alia his verbis (h): *Non absimilis illi, quæ frequentissime agitari solet, an fidejussor & priusquam solvat, agere possit, ut liberetur. Nec tamen semper expectandum est, ut solvat, aut judicio accepto condemnetur, si diu in solutione reus cessavit, aut certe bona sua dissipavit: præsertim si domi pecuniam fidejussor non habebit, qua numerata creditori mandati actione conveniat reum.*

(h) L. Lucius. 12. §. 1. ff. mandati, vel contra. l. 17. tit. 1.

CASUS VIII.

SYLVANUS pro quo spopondit Arturus, Claudio triticeæ farinæ modios decem centum quinquaginta libris vendidit, intra dies octo Claudio tradendos. An obligatus manet Arturus, etiam cum fortuito casu farina corrumpitur?

RESPONS.

Si tempore convento farinam Claudio tradere neglexerit venditor, & elapso termino postea corrumpatur, aut aliter fortuito casu dispereat, non solum erga Claudium obligatus remanet venditor, sed etiam Arturus fidejussor illius: quia fidejussoris obligatio consequitur, & est accessoria obligationi præcipui debitoris. Cujus decisionis hæc afferri potest ratio: quia is, qui est in mora, est etiam in culpa, ac proinde negligentiæ suæ pœnam luere debet ex hac Bonifacii VIII. regula (i): *Mora sua cuilibet est nociva.* Nisi ipsum excuset legitima moræ suæ ratio: nam, ut asserit alia regula juris (K): *Non est in mora, qui potest acceptione legitima se tueri.* Hactenus dicta a nobis cum his legis verbis consentiunt (l): *Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fidejussoris durat obligatio, veluti, si moram fecit in Sticho solvendo & is decessit.*

(i) Reg. 25. de reg. juris in 6.

(K) Reg 60. ibid.

(l) L. Si a Colono. 58. §. 1. ff. de fidejussor. & mandato.

At non idem dicendum, si ex fortuito casu ante elapsum terminum farina perierit: tum enim eam præstare non teneretur Sylvanus, neque adeo Arturus ipsius fidejussor.

CASUS IX.

THEOPHANES pro Juda spopondit de summa 500. libr. quas ab Eugenio mutuatus est. Mortuo Theophane, & Juda ad solvendum haud idoneo,

potest ne Eugenius in foro conscientiæ Theophanis hæredes de solutione 500. lib. appellare?

RESPONS.

Certum est, Theophanis hæredes ab Eugenio, illæsa conscientia posse conveniri. Ratio est, quia hæres defuncti personam repræsentat, ita ut ex fictione juris (a) ambo una eademque censentur persona. Quare, ubi defuncti hæreditatem adivit, de factis ejus civilibus tenetur, qualis est satisdatio: *Fidejussor & ipse obligatur*, inquit Lex (b) *& hæredem obligatum relinquit; cum rei locum obtineat* (c). Quod consentit cum juris regula (d), qua dicitur quod *qui sentit onus, sentire debet commodum: & contra*.

(a) L. Hæres. 22. ff. de usurpationibus, l. 41. tit. 1.
(b) L. Potest. 4. ff. de fidejuss. & mand.
(c) Item L. Fidejussoris. 21. cod. eod. tit.
(d) Reg. 55. de reg. juris in 6.

CASUS X.

RICHARDUS, Sulpitii erga Antonium pro 300. libris cautio, iguorans debitum illud a Sulpitio fuisse solutum ex quo is de solutione ab Antonio in jus vocatus erat, 300. libr. Antonio solvit, qui mala fide eas recipit; quo facto renumerationem a Sulpitio postulat, qui eam denegat, contendens ipsum perperam solvisse, quia se ipsum de citatione facta moniturus erat. Richardus e contra vult ipsum teneri ad monendam se de solutione debiti, quod cam non fecerit, non teneri se de renumeratione. Nunquid pro Richardo stat jus?

RESPONS.

Si Richardus ab Antonio de solutione 300. libr. pro Sulpitio appellatus, cujus fidejussor erat, eas solvit ut juridicam detentionem declinaret, quam ipsi minabatur Antonius, nec sibi nota esset solutio a Sulpitio facta, aut ignoraret, ipsum compensatione uti posse, aut aliis legitimis rationibus se defendere, Sulpitium convenire debet, & ab eo renumerationem pecuniæ suæ potest exigere. Nam Sulpitius debitur principalis ipsum de soluta Antonio debita summa monere debebat, atque adeo sibi soli culpam hanc debet adscribere. *Si eum debitor solvisset*, inquit Lex (e), *ignarus fidejussor solverit, puto eum mandati habere actionem. Ignoscendum enim est ei, si non divinavit debitorem solvisse. Debitor enim debuit notum facere fidejussori jam se solvisse, ne forte creditor obrepat, & ignorantiam ejus circumveniat, & excutiat ei summam, in quam fidejussit*. Idem quoque habetur initio legis hujus terminis istis: *Si fidejussor conventus, cum ignoraret non fuisse debitori numeratum pecuniam, solverit ex caussa fidejussionis, an mandati judicio persequi possit id quod solverit quæritur.:.... ubi vero ignoravit, nihil quod ei imputetur. Pari ratione & si aliqua exceptio debitori competebat: pacti forte conventi, vel cujus ulterius rei, & ignorans hanc exceptionem non excrebit, dici oportet, ei mandati actionem competere: potuit enim atque debuit reus promittendi certiorare fidejussorem suum, ne forte ignarus solvatur indebitum*.

(e) L. Si fidejussor. § 2 ff. mandat. vel contra l. 17. tit. 1.

Econtra, si Richardus fidejussor leviter solvit, non requisitus videlicet, & non præmonito Sulpitio principali debitore de solutione Antonii Creditoris, factæ perperam solutionis culpam in se unum debet transferre, neque compensationem a Sulpitio potest exigere: atque hoc sensu intelligenda sunt hæc alia ejusdem legis verba (f): *Hoc iisdem tractari & in fidejussore potest; si enm solvisset, non certioravit reum, & sic deinde reus solvit, quod solvere eum non oportebat... Et credo, si eum posset enm certiorare, non fecit, oportere mandati agentem fidejussorem repelli. Dolo enim proximum est, si post solutionem non denuntiaverit debitori*. Equidem ex silentio fidejussoris periculum subit debitor bis solvendæ ejusdem rei, quod justitiæ adversatur.

(f) Cit. L. Si fidejussor. §. 3.

CASUS XI.

VINDONIUS, Mercator, in solidum pro Similiano fidejussit in summam 1000. numinorum, quos ad annum a Theotimo mutuatus est. Anno elapso summam illam Similianus reddere neglexit Theotimo, qui eum de solutione juridice convenit, uti Vindonium fidejussorem, quem ad magnas coegit impensas, & cui grave intulit damnum ob jacturam temporis sibi commercii causa pretiosissimi. Denique de solutione 1000. nummorum damnatus est Similianus. Quo facto Vindonius ab eo repetit 1. impensarum, quæ in lite a Theotimo sibi illatæ factæ sunt, compensationem. 2. Indemnitatem ob damnum, quod in commercio suo passus est. Similianus primum ei concedit postulatum, & alterum denegat. Tenetur ne de utroque in conscientiæ foro?

RESPONS.

Difficultatem istam manifeste solvit Decretalis Lucii III. ad Episcopum Eliencensem & Archidiaconum Norvicensem in Anglia (g), & alia ejusdem Papæ ad Archiepiscopum Cantuariensem, in quibus declarat, eum, pro quo quis spopondit, teneri erga fidejussorem suum de damnis, quæ is ob negligentiam suam passus est. *Mandamus itaque discretioni vestræ*, inquit Papa in priori decretali, *quatenus... monentes eosdem (Clericos ut memorato R. pecuniam, quam pro eis solvit, restituat, ipsumque servent indemnem. Alioquin de reditibus eorum præscripta debita faciatis exsolvi, & damna etiam, quæ propter hoc pertulit, resarciri: nat prædictos reditus sibi assignatos, tamdiu sine molestia detinendos, donec ipsa damna resarcita fuerint & debita sua diminatione soluta*. Atqui in casu proposito, Similianus Theotimi debitor, reipsa damnum Vindonio fidejussori suo attulit, quod in commercio suo pertulit; quandoquidem Theotimum data die non persolvendo ob moram suam, non ei solum litem a Theotimo, sed & temporis jacturam commercio suo imprimis noxiam procuravit: tenetur ergo Similianus totum resarcire damnum arbitrio viri prudentis & periti, quod Vindonio intulit: cum par sit, ut pœnam ac damnum patiatur, quod alter, ut ei gratam faceret, passus est; atque id ipsum confirmari potest ex his Decretalis Gregorii IX. verbis: (h) *Si culpa tua damnum, vel injuria irrogata... aut hæc imperitia tua, sive negligentia tua evenerant, jure super his satisfacere te oportet*.

(g) Lucius III. in c. Pervenit. & in c. Constitutum. 2. de fidejuss. l. 3. tit. 22.

(h) Greg. IX. in c. Si culpa. fin. de Injuriis & damno dato l. 5. tit. 36.

CASUS XII.

ANNIBAL erga hæredes Andreæ debitor est 800. lib. quod ejus debitum cum ad Mathiam unum ex hæredibus pervenisset, is eum in talem summam satisdare coegit. Aliquot vero elapsis mensibus cum Mathias de parte captæ hæreditatis Joanni cedere adactus fuisset, quod irrita esset institutio sua, fidejussor contendit, pro Joanne non permanere fidejussionem suam, quia pro solo Mathia fidejubere intendebat; nullatenus vero pro alio. Contendit e contra Joannes etiam pro se stare fidejussionem. Numquid pro eo stat jus?

RESPONS.

Pro Joanne stat jus, ac fidejussio manere debet, a quocumque capiatur hæreditas: atque insufficiens est fidejussoris ratio: nam si pro Annibale hæreditatis debitore fidejubere noluisset; debitorem hunc de solutione appellasset hic creditor, aut alia ratione debito suo consuluisset. Ita difficultatem istam solvit Lex his verbis (i): *Hæres a debitore hæreditario fidejussorem accepit: deinde hæreditatem ex Trebelliano restituit; fidejussoris obligationem manere ait. Idemque in hac causa servandum, quod servaretur, cum hæres contra quem emancipatus filius bonorum possessionem accepit. Ideoque in utraque specie transeunt actiones*.

(i) L. Hæres. 2. ff. de fidejuss. & mandat.

CASUS XIII.

BONIFACIO, qui pro Ægidio in 200. libr. fidejusserat erga Augustinum Creditorem, is liberaliter ob quædam ejus officia debiti Apocham dedit. An solutionem 200. librarum exigere potest ab Ægidio Bonifacius, an vero Ægidius debito suo liberatus ex remissione Augustini censendus est?

RESPONS.

Solvi non potest hæc difficultas, nec ferri judicium, an remissio ista in Bonifacii fidejussoris, aut Ægidii debitoris lucrum cedat, nisi ex ratione, qua mentem suam aperuit Augustinus in apochæ terminis. Nam si ex apochæ terminis Bonifacio testatus

est

est Augustinus, se hoc eum dono ex liberali aut grato animo donare, remissio illa vertere debet ad commodum Bonifacii, atque adeo ducentas libras ab Augustino in hoc casu exigere potest tamquam rem sibi gratuito concessam. *Si Fidejussori*, inquit Lex (*a*), *donationis causa acceptum factum sit a creditore, puto, si fidejussorem remunerari voluit creditor, habere eum mandati actionem; multo magis, si mortis causa accepto tulisset creditor, vel si liberationem legavit*.

(*a*) L. Idemque. 10. ff. §. fin. mandati, vel contra.

Verum, si donum non esse constet ex apochæ terminis, quo Bonifacium munerari intendebat Augustinus, sed liberationem tantum ab fidejussione esse, tunc in Ægidium debitorem subsistit jus Augustini creditoris, & ad Bonifacium nihil nisi liberatio pervenit. Ex solis igitur terminis, quibus mentem suam aperuit Augustinus, dijudicari potest, an ad Bonifacium tantum pervenire debeat apochæ beneficium, an vero ejus quoque sit particeps debitor, pro quo fidejussit Bonifacius. *Si vero non remunerandi causa*, inquit Lex alia (*b*), *sed principaliter donando, fidejussori remisit, actionem mandati eum non acturum*.

(*b*) L. Si vero. 12. ff. eod. tit.

CASUS XIV.

Pelagio, qui ad pristinam reparandam fortunam pecunia indiget, 2000. librar. mutua dare ea conditione Petrus assentitur, si pro eo Ferdinandus sponsor fuerit. At Pelagius gratiam hanc a Ferdinando 100. libris emere tenetur ob periculum fidejussionis. Num injusta est Ferdinandi petitio?

Respons.

Ferdinandus absque injustitiæ reatu a Pelagio 100. libr. accipere aut exigere non potuit in casu proposito. Neque enim alio niti potest titulo, nisi quod solvendo non sit Pelagius: atqui eo quod quis solvendo non sit, non pariter legitimus usuræ titulus, ut palam fiet, dum de usura. Igitur de summa a Pelagio acceptæ restitutione tenetur Ferdinandus. Ita S. Antoninus his verbis (*c*): *Paria quidem videntur, mutuare ultra sortem & certum quid recipere; & penes creditorem satisdare, & aliquid a debitore recipere*. Cujus rei hanc rationem affert S. Archiepiscopus, quia licet alterius fidejussor solutionis periculum subeat, & de ea forsan deinceps teneatur, hinc ab usura non eximitur; quia principalis debitoris creditor fit fidejussor ejus, nec proinde quidquam ultra sortem exigere potest, quam ei fidejubendo pro eo quasi mutuam dedit. *Nec obstat*, pergit hic sanctus, *eum in casu nostro etiam in me suscipio periculum. Quia si tu illi non solvis, ego teneor solvere: quoniam tu mihi remanes obligatus ad reddendum*. Quod probat ex Decretali a nobis superius telata in responsione ad undecimum casum (*d*).

(*c*) S. Ant. 2. p. Sum Theolog. tit. 1. c. 7.

(*d*) Lucius III. in c. Pervenit. 10. de fidejuss.

CASUS XV.

Maximus Andreæ 400. libr. dedit mutuas: sed quia Andreæ res angusta esse videtur, Jacobo proponit, quod, si pro Andrea fidejubere velit, quatuor ei dupliones daturus est. Potest ne Jacobus tuta conscientia rem a Maximo oblatam accipere?

Respons.

Jacobus oblatus sibi a Maximo dupliones quatuor sine scrupulo potest accipere, ut pro Andrea fidejubeat. Ratio est manifesta; nam finis pactionis Maximi cum Jacobo non est mutuatio jam facta, sed fortis assecuratio, quam postulat Maximus, & periculum, quod in se sumit Jacobus, *cujus periculi*, ut ait Lex (*e*), *pretium est*, & pro qua mercedem periculo convenientem recipere potest is, qui eam in se sumit, ut docet S. Antoninus his verbis (*f*): *Aut recipit illud ultra sortem præcise ratione periculi, ut pretium periculi: & sic non est usura, sed licitum*. Longe ergo dispar est casus iste ab eo, in quo pro alio quispiam fidejubere nollet, nisi lucrum referendo, in quo est usura; quia tum ipsius fidejussio est quasi mutuum implicitum, & in hoc casu non minus est reus, quam is, qui Petri debitum se Paulo soluturum promitteret, ea lege, ut Petrus & ipsius sortem, & sortis usuram restitueret. Dici etiam potest, eum magis fore reum, cum fidejussio pro aliquo minus sit officium, quam pro eodem summæ præsens solutio. At in casu proposito Jacobus, qui pro Andrea satisdans, periculum debiti erga Maximum in se sumit, nulla utitur necessitudine cum Andrea, qui 400. lib. mutuatus est, & periculi tantum recipit pretium, quod in se sumit pro Maximo creditore (*g*).

(*e*) L. Periculi 5. ff. de nautico fœnore. l. 22. tit. 2.

(*f*) S. Anton. 2. part. Sum. theol. tit. 1. c. 7. § 21.

(*g*) De Genet. theol. moral. t. 1. tract. 4. c. 2. quæst. 1.

CASUS XVI.

Leidradius, quem pœnitet pro Josepho cavisse de 5000. librar. quas a Theogene is mutuatus est, eidem Theogeni viginti offert dupliones ad liberationem suam. Theogenes vero, qui novit Josephum nunc solvendo sat esse, oblatos a Leidradio accipit viginti dupliones, eumque a fidejussione sua liberat. Numquid in hoc injuste egit Theogenes?

Respons.

Theogenes in eo non egit injuste: nam de præsenti casu idem dicendum atque de eo, in quo fidejussionem suam dirimi ab eo quispiam peteret, pro quo fidejussisset. Ut enim par esset, a dirimente fidejussionem quidquam solvi, pariter æquum est, ut in proposita specie Leidradius Theogeni summam idoneam solvat, ut liberetur de sua fidejussione; dicimus, *summam idoneam suo convenientem*, hoc est, quæ periculo sit accommodata, quod subit Theogenes, ipsum dimittendo (*h*).

(*h*) De Genet. ib. quæst. 7.

CASUS XVII.

Flavianos ob miserum rerum suarum statum a Jacobo mille libras mutuatur, sub cautione tamen Joannis amici sui, qui res ejus abscissas esse ignorat. Paucis deinde elapsis mensibus moritur Flavianus, post cujus obitum creditores ejus Joanni anteriores, omnia bona & mobilia juridice detinent, quæ ipsorum solutioni haud sufficiunt. Quod advertens Jacobus, in Joannem agit, obtentoque in eum judicio ad solutionem 1000. libr. in quas fidejusserat, ipsum adigit.

Aliunde Joannes 300. libras, absque obligatione atque Syngrapha acceptas Flaviano debebat: eidemque æqualis summæ debitor erat Paulus, a quo nullum scriptum pariter Flavianus acceperat.

1. Joannes qui mille libr. in quas pro Flaviano apud Jacobum fidejusserat, solvere coactus est, potest ne 300. servare sibi libras ad indemnitatem satisdationis suæ, quas defuncto debebat: licet creditores se ipso anteriores, a quibus facta est juridica detentio, integram sibi debitam summam referre nequeant, ob defectum bonorum a defuncto derelictorum?

2. Potest ne quoque Joannes trecentas a Paulo debitas libras Flaviano, clam sibi retinere, quas is sibi offert, ut præstetur indemnis?

3. An vero Joannes & Paulus debitas a se summas ad hæreditatem a Flaviano derelictam, referre in conscientiæ foro tenentur, ut totum quod superest inter Creditores fidejussione anteriores dividatur?

Respons.

1. Joannes absque injustitiæ reatu 3000. libras a se Flaviano debitas retinere potest, ut 1000. libr. quas pro Flaviano solvere coactus est, partim recuperet. Nam potest dici, quod ex jactura sibi illata, ex fidejussione sua, ipsius desinit esse debitor, ac nullam proinde inferri ab eo injuriam Creditoribus, qui se anteriores sunt. Ita sentit inclytus Causidicus Parisiensis Responsor, quocum ea de re collocuti sumus (*i*).

(*i*) D. Nivelle

2. Non idem dicendum est de 300. libris, quas ipsi offert Paulus; neque enim eas potest accipere, quia Flaviani hæreditati debentur & consequenter Creditoribus, qui bona ab ipso per obitum derelicta juridice detineri curaverunt. Quocirca summam hanc Joanni persolvendo, injuriam faceret hisce Creditoribus, quorum solutio, utpote qui ipsi sunt anteriores, ejus solutioni est anteponenda. Ita olim ad similem ferme difficultatem respondit inclytus Theologus (*K*).

(*K*) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 205.

Vide

Vide Cessio Casu Eliseus 6.

CASUS XVIII.

Anguerrandus, Pannorum Mercator, hæreditatis, cujus Stephanus etiam Mercator hæres erat, 400. librar. Debitor, & in hanc debitam summam, ad obtinendam ipsius solutionis dilationem satisdare coactus, Fidejussorem pro se Alexandrum invenit. Tribus vera postea mensibus Stephanus existimans, Anguerrando res sat esse prosperas, multos ei in Anglia contextos laneos pannos vendidit, quorum duas tertias ipsi præsenti solvit pecunia, eique de reliquo Syngrapham scripsit intra menses quatuor latori solvendam, cui Stephanus 400. quoque libras in quas fidejusserat Alexander, inserere non dubitavit, & quas in aversa obligationis pagina acceptas retulit. At vero, cum infeliciter actis rebus Anguerrandus solvendo non esset, Stephanus Alexandrum fidejussorem ejus de solutione 400. librar. convenit. Teneturne Alexander in conscientiæ foro ad solutionem earum erga Stephanum, consequenter ad fidejussionem suam?

Respons.

Alexander in conscientiæ foro non tenetur de solutione 400. libr. in quas erga Stephanum spoponderat. Ratio est, quia novatur debitum inter Creditorem & reum, inscio & iterum non spondente Fidejussore, tum desinit fidejussio. Cum igitur Stephanus titulo suo in Anguerrandum cesserit, in quem fidejusserat Alexander, eumque ex pactione cum eo inita irritum fecit, inscio & non participe Alexandro, & alium accepit titulum, non requisita iterum ejusdem Alexandri cautione, is omnino remanet liberatus. Unde sequitur, quod, licet Anguerrandus non solvendo factus sit, de 400. tamen libris erga Stephanum non tenetur Alexander; licet enim non soluta fuerit hæc pecuniæ summa, de ea tamen pro Anguerrando, Debitore præcipuo teneri non potest Alexander: cum prima obligatio, in quam fidejusserat, extincta fuerit, & ea, quam Fidejussoris nomine contraxerat, priori tantum sit accessoria, quæ adeo extincto principali non subsistit, ut fert ista juris regula (a): *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

(a) Reg. 41. de reg. juris in 6.

Decisionem istam suppeditat Digestorum Lex his verbis (b): *Ubicumque reus ita liberatur a Creditore, ut natura debitum maneat, teneri Fidejussorem respondit. Cum vero genere novationis transeat obligatio, Fidejussorem aut jure, aut exceptione liberandum.* Idem etiam ex hac alia Lege statuitur (c): *Novatione legitime perfecta debiti in aliam translati, prioris contractus Fidejussores, vel Mandatores liberatos esse non ambigitur, si modo in sequenti se non obligaverunt.*

(b) Leg. ubicumque. 60. ff. de fidejussor. & mandat. l. 46. tit. 1.

(c) L. Novatione 4. cod. eod. tit.

Idem prorsus dicendum de prima obligatione, quæ desiit cui intervenisset Fidejussor, uti de conductione, in quam promissor factus esset Alexander. Si enim Dominus cum Villico conductionem innovet, aut tacita reconductione utile illi relinquat dominium, non appellato Alexandro, cum prior ejus fidejussio conductionis elapso termino fuerit extincta, nec alteram conductionem, nec tacitam reconductionem præstare obligatur. Ita quoque statuitur ista Lege Digestorum (d): *Qui impleto tempore conductionis remansit in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed etiam pignora videntur durare obligata. Sed hoc ita verum est, si non alius pro eo in priore conductione res obligaverant: hujus enim novus consensus erit necessarius.*

(d) L. Item 13. §. 1. ff. locati & conducti. l. 19. tit. 2.

CASUS XIX.

Robertus Hieronymum rogat, ut Damiano 2000. librar. mutua dare velit, pro quo fidejubere offert. Novit utique Robertus, hanc Hieronymo summam nullatenus restituere posse Damianum, nec potior est sua, quam Damiani fortuna; licet eos divites existimet Hieronymus, qui, si id sibi non persuasum foret, mutuam hanc profecto non daret pecuniam. Qua de re quæritur, utrum Hieronymum ad tale mutuum dandum absque mortalis peccati reatu inducere potuerit Robertus?

Respons.

Certum est, Robertum in casu proposito mortaliter in justitiam deliquisse, quandoquidem grave Hieronymo damnum sciens ac volens attulerit, quod ei numquam potest esse licitum, ex hoc Doctoris Angelici principio (e): *Dare alicui occasionem periculi vel damni, semper est illicitum.* Nam Hieronymus, ut supponitur, ideo tantum 2000. libr. Damiano mutuo dedit, quod sibi foret persuasum, Damianum & Robertum solvendo esse. Quare Roberti vera est damni caussa, quod ex mutuæ pecuniæ jactura perferet Hieronymus: unde ob malam fidem a mortali excusari non potest (f).

(e) S. Tho. 2. 2. q. 77. ar. S. in corp.

(f) De Genet. Theol. moral. tom. 2. tract. 6. quæst. 10.

FIDES.

Terminus iste, *Fides*, secundum varios sensus sumitur. 1. ad significandam constantiam in servandis accurate promissis suis. *Fides est dictorum & conventorum constantia & veritas (g).*

2. Pro conscientia, quo sensu ab Apostolo dicitur (h); *Omne autem, quod non est ex fide* (hoc est, ut explicat Sylvius (i), *ex persuasione, qua quis credit vel existimat aliquid sibi licitum,*) *peccatum est.* Quare de rei alicujus possessore dici solet, eum esse possessorem bonæ vel malæ fidei, hoc est, hunc illam habere ex bona vel mala fide.

3. Pro fidelitate seu promisso; ut quando fidem suam fregisse quis dicitur, cum dato promisso non stetit, nec in eo servando fidelis extitit. In hoc sensu dicit S. Paulus (k), loquens de quibusdam, qui promissam Deo non servarent continentiam; quod *Primam fidem irritam fecerunt*; hoc est, ut explicat Sylvius (l) post expositionem Sancti Augustini, (m) *Violaverunt suam sponsionem, qua Deo promiserant continentiam.*

4. Hac eadem voce quandoque significatur assensus, qui rei alicui præbetur ob auctoritatem loquentis, vel propter rationes, quibus veritatem ejus comprobat. Sic dicitur, tali, aut tali verbo fidem adhiberi.

5. Denique fides aliquando sumitur pro auctoritate; ut cum de argumento vel probatione, quæ afferuntur, dicitur, ea facere fidem in judicio, vel aliter. Quo sensu intelligenda sunt ista Sancti Pauli verba (n); *Fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* At cum auctoritas, qua rei cujuspiam nobis

(g) Pohmann. brev. Theol. part. 2. 3. n. 500.
(h) Rom 14. 23.
(i) Sylvius in 2. 2. q. 3.
(k) 1. Tim. 5. 12.
(l) Sylvius loco cit.
(m) S. Aug. de sancta virginit. c. 33.
(n) Act. 17. 31.

suade-

suadet veritas, possit esse aut humana, aut divina; hine duplex distinguitur fidei species, scilicet fides humana, & fides Divina, & de hac postrema tantum, quæ Theologica nuncupatur, fit sermo in hoc titulo.

Cum fides ista sit virtus Theologica, necesse est, ut ejus definitioni præmittatur ratio virtutis Theologicæ: *virtus Theologica*, inquit doctus Theologus (*a*) *est virtus* (a Deo) *infusa pro immediato objecto habens Deum supernaturaliter cognitum*. Prima autem virtus Theologica est fides, ut asserit sanctus Paullus (*b*), cujus definitionem istam affert auctor modo a nobis laudatus. *Fides*, inquit, *est virtus Theologica, qua creatus intellectus firmiter assentitur omnibus revelatis a Deo tanquam prima veritate* (*c*) Aliam etiam Fidei definitionem breviorem & dilucidiorem suppeditat idem Theologus his verbis: *Fides est donum Dei, ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentiur omnibus quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive in sacris litteris illa scripta sint, sive non sint*; hoc est sola nobis Traditione innotescant.

(*a*) Polm. part. 2.2. n 38.

(*b*) 1. Cor. 13. 13.

(*c*) Polm. Ibid. n. 45.

Dividi potest fides Theologica in fidem formatam & informem; vivam & mortuam; explicitam & implicitam. Fides formata est *Fides gratia habituali & charitate informata*. Fides vero informis est *Fides gratia habituali & charitate destituta*.

Fides viva est *Fides quæ per charitatem operatur* (*d*), vel etiam, *est ea, quæ producit opera viva, & æterna vitæ meritoria*. Fides vero mortua est *Fides operibus charitatis destituta*: de qua nimirum loquitur sanctus Jacobus Apostolus (*e*), dicens: *Fides, si non habeat opera* (charitatis) *mortua est in semetipsa*: *sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus* (a charitate profectis) *mortua est*.

(*d*) Gal. 5. 6

(*e*) Jacob. 2. 17. & 26.

Fides explicita *est assensus circa objectum in se terminisque suis creditum*. Fides vero implicita *est assensus circa objectum non in se, sed in alio creditum*, hoc est, in alio articulo, quem fide explicita credimus; quas omnes definitiones affert idem Theologus. Verb. gr. quando explicite Mysterium Resurrectionis mortuorum credo, implicite quoque credere censeor, quod justi in vitam æternam, improbi vero in æternum supplicium resurgent: quando fide distincta & explicata credo, unum esse Deum, Trinum in personis: implicite quoque credo, tres illas personas inter se perfecte esse æquales.

Fides generatim spectata mira quadam penitus ratione certas nobis efficit veritates vel occultissimas, quæque ingenii nostri comprehensionem maxime fugiunt: *Fides est ignotæ rei admiranda certitudo*, ait inclytus Scripturæ sacræ interpres (*f*): tenebris quoad objectum suum est involuta: at pro mente luminis sui fulgori subdita harum obscuritatem pellit, in caliginoso lucet loco: quod res naturali rationi nullatenus subditas proponat, quæque sumptæ & secundum sensus intellectæ, mentem etiam possent offendere, nedum eam convincant, uti Mathematica demonstratio. Talia sunt vel maxima Religionis Mysteria, quale est Mysterium Unitatis essentiæ & Trinitatis personarum in Deo, Incarnationis verbi Mysterium, in quo nobis proponit Deum hominem & Deum mortuum, & alia multa: at fides ea objecta adeo lucida efficit, ac certa, ut ne minima quidem in iis appareat difficultas; ac fidelis Christianas veritates ita persuasas habeat, ut auxiliante gratia ad eas credendas easque etiam eum propriæ vitæ discrimine profitendas sit paratus; ut innumera testantur exempla, quæ proferunt Ecclesia nec non Traditio.

(*f*) Nicolaus de Lira in 1. Cor. 12.

Fides, ipsique debita mentis perfecta subjectio a Christi temporibus ad nos utique in omnes pertransiit fideles quibus annunciata est, per duos amplissimos canales, scilicet per Scripturam sacram, cujus custos est & fida interpres Ecclesia, & per Traditionem: atque utrique adhærere intemerate tenetur quilibet Christianus, si fidem suam integram illibatamque servare cupiat.

Agnoscimus, non novas a Deo in Ecclesia fieri revelationes in iis quæ ad fidem pertinent, & Traditionem, quæ est verbum Dei non scriptum, illis pro scriptura substitui: sed necesse est, ut triplex sit earum quas docet Traditio, veritatum conditio, uti demonstrat inclytus Vincentius Lirinensis: hoc est, ut fidelibus id tantum proponant eredendum, quod semper sæculis superioribus fuit admissum, absque interruptione, & in omnibus locis, in quibus reperitur, aut reperta est Catholica Ecclesia.

Ex dictis modo colligendum, quod, cum Ecclesia quemdam proponit arti-

articulum, ut pertinentem ad fidem quo orientem errorem hæresimve com primat: tunc non novum condit fidei articulum, sed oppugnatam tantum proponit veritatem, antiquam suam ac perpetuam fidem dilucidius ac distinctius exponendo.

In rebus fidei non exigi possunt ab Ecclesia, nisi temere, decisionum suarum testes, ut credantur: atque uti probatæ haberi debent ejus declarationes atque præcepta; quia cum sit suprema & infallibilis controversiarum judex, is in eam rebellaret, qui decisionibus ejus non obtemperaret aut de iis dubitaret, quia cum loquitur, *vox* est *Domini super aquas*: *Deus majestatis intonuit super aquas multas* (a): hoc est, Spiritus ipse Sanctus per Ecclesiæ Organum cunctos populos alloquitur; qui sunt in hoc terrarum orbe, veluti in mari fluctus; *vox* est *Domini confringentis cedros .... Libani*, hoc est, omnem mentis altitudinem, ac superbam & fastidiosam humilians scientiam: denique *vox* est *Domini concutientis desertum .... Cades*, id est, receptus illos, ubi frustraneus de rebus vanis labor suscipitur.

(a) Psal. 28. v. 3. 4. 6.

Ad Justificationem & salutem necessaria semper fuit fides in Deum remuneratorem, & a lapsu protoplastæ Adami fides insuper in Christum Mediatorem.

Denique ad salutem necessaria semper fuit necessitate *Medii*, ut loquuntur Theologi, fides explicita Mysterii sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis verbi æterni, Redemptionis hominum per merita Christi, Resurrectionis generalis mortuorum, supplicii æterni omnium reproborum, ut dicetur in prima decisione.

Ad hanc *Medii* necessitatem accedit alia, quæ *præcepti* necessitas dicitur, in eo consistens, ut quis apprime norit Symbolum Apostolorum, saltem quoad substantiam, Dei & Ecclesiæ præcepta, orationem Dominicam, nec non ea, quæ spectant ad illa Sacramenta quæ suscepturus est, & sui status officia.

En qualis esse debet vera Christiani fides, ex qua non nisi criminose, particeps fieri potest superstitionum Infidelium, Paganorum, Idololatrarum, & etiam falsæ hæreticorum religionis: neque enim sat est, ut quis interius & ex animo Christianas credat veritates · sed ex præcepto divino fidem suam corde & ore & operibus confiteri tenetur: unde Christianus a publico judice de religione sua ac fide interrogatus, eam non minus ore, quam corde profiteri tenetur, neque eam quidem celare potest silentio, quod fidelibus scandalum, aut aliquod fidei pareret detrimentum.

Fusius istæ exponentur veritates 1. octo censuris sequentium propositionum, quas tulere comitia Cleri Gallicani an. 1700. contra novem, quas hic afferimus, probationes, jam ante ab Alexandro VII. & Innocentio XI. proscriptas: 2. responsis ad octo particulares casus, ex quibus constat hic titulus. En propositiones, enque censuræ

VII. Propositio. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

VIII Propositio Satis est actum fidei semel in vita elicere.

Censura Hæ duæ propositiones sunt scandalosæ, in praxi perniciosæ, erroneæ, fidei & Evangelii oblivionem inducunt.

IX. Propositio. Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

Censura. Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, & Apostolicam fidei definitionem evertit.

X. Propositio Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

Censura. Hæc propositio scandalosa est, præceptis Evangelicis & Apostolicis aperte contraria & hæretica.

XI. Propositio. Religio Christiana est evidenter credibilis: Nam evidens est prudentem esse quisquis eam amplectatur: non evidenter vera; nam, aut obscure docet, aut quæ docet obscura sunt. Immo qui ajunt Religionem Christianam esse evidenter veram, fateantur necesse est, falsam evidenter esse. Infer hinc evidens non esse, 1 quod existat nunc in terris aliqua vera Religio. Unde enim habes, non omnem carnem corrupisse viam suam? 2. Quod omnium quæ in terra sunt, veræ simillima sit Christiana. An enim omnes terras peragrasti, aut peragratas ab aliis esse nosti? 3 Quod ab Apostolis, & Dæmonibus manifestata fuerit divinitas Christi: id enim si doces, docere

te

æ oportet, Christum manifeste Deum esse. 4. Quod afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, vel si negem, illa fuisse vera vaticinia; vel affirmem, conjecturas? 5. Quod vera fuerint quæ a Christo edita fuisse commemorantur miracula: quamquam negare hæc nemo prudenter potest.

Censura. *Doctrina, hac propositione contenta, impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.*

XIII. Propositio. Evidens non est evidentia morali proprie dicta & physica Religionem Catholicam esse veram.

Censura. *Hæc propositio, doctrinam superiori propositioni consentaneam continens, temeraria est, & in errorem inducens.*

XIII. Propositio. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

XIV. Propositio. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

XV. Propositio. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium Santissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini.

Censura. *Hæ tres propositiones & in Deum remuneratorem, & in Christi Mediatoris nomen contumeliosæ sunt, erroneæ & hæreticæ.*

CASUS PRIMUS.

JODOCUM, Pastorem, qui Sabbatho Sancto præcepto de annua confessione satisfacere cupiebat, statim interrogavit Theotimus Parochus ejus de suo Catechismo, scire cupiens, num præcipua sufficienter esset edoctus Religionis mysteria. Jodocus vero Theotimi interrogatione offensus, ei quidquam aliud non respondit, nisi se generatim ea omnia credere, quæ fidelibus ad credendum proponit Ecclesia. Cui Theotimus retulit, ad salutem non sufficere talem generalem, sed insuper in homine adulto requiri fidem explicitam plurium veritatum, quarum actus eliceret, non generatim & confuse, sed eas a se invicem specialiter distinguendo; cui Jodocus respondens se de talibus ab aliis suis Confessariis nunquam fuisse interrogatum, e pœnitentiæ tribunali secessit.

Quæritur autem hac de re, utrum Theotimus in sua perseverans sententia, & Jodocum admittere nolens ad confessionem, donec interrogationibus suis respondisset, imprudenter egerit?

R A S P O N S.

Nedum in hac ipsa occasione imprudenter egerit Theotimus, ut suo potius functus est officio, uti constat ex Doctrina Tridentini Concilii (*a*), & ex multis Scripturæ Sacræ testimoniis, ibidem relatis: quibus addi potest auctoritas sanctorum Patrum ac speciatim sancti Augustini (*b*). Equidem sine errore defendi nequit, non teneri adultum ad habendam fidem explicitam alicujus mysterii Religionis. *Laicum non teneri ad aliquem fidei articulum explicite credendum; sed satis est credere, quod credit Ecclesia, hæresis est damnata ab Inquisitoribus Arragoniæ, in præcepto Summi Pontificis*, inquit Victorellus, in suis in Toletum additionibus (*c*). Quo nixus fundamento R. D. Vicarius generalis Mechliniensis Diœcesis, Sede vacante, quinque sequentes propositiones, publice Lovanii 24. Martii & 29. Novembris an. 1711. propugnatas, an. 1712. condemnavit.

(*a*) Concil. Trid. sess. 6. c. 6.

(*b*) S. Aug. l. de Nat. & Gratia. c. 1. & l. 2. de peccat. meritis & remiss. c. ult.

(*c*) Andr. Victorellus in c. 2. lib. 4. Toleti. de instruct. Sacerd.

Prima propositio damnata. *Fides explicita mysterii Sanctissimæ Trinitatis non est necessaria necessitate medii ad salutem: probabilius etiam promulgato Evangelio.*

Secunda. *Idem de mysterio Incarnationis, seu Christi.*

Tertia. *Actus spei probabilius non est necessarius necessitate medii ad salutem.*

Quarta. *De actu caritatis Dei super omnia, idem esto judicium.*

Quinta. *Fides explicita Dei, ut remuneratoris extrinseci est necessaria necessitate medii ad salutem, non tamen ut vindicis malorum.* Quas detestandas propositiones Romæ etiam fuisse damnatas non est dubium; licet ea de re nondum ad nos pervenerit Decretum.

Sed quoniam explicita quarumdam veritatum fides ad salutem omnino est necessaria, eas minutim exponendas necesse duximus; si prius animadversum fuerit, 1. nonnullas esse, quarum fides actualis & explicita est tantum necessaria necessitate præcepti; alias vero necessitate medii, ut loquitur Schola. 2. Nullum hominem adultum, hoc est, qui rationis habet usum, a statu peccati ad gratiæ, id est justitiæ statum posse transire, nisi actualem & explicitam habeat veritatum fidem, quarum fides necessaria est necessitate medii; qualis est is, qui infans baptizatus, post adeptum rationis usum notabili temporis mora ignorat res fidei atque baptismi gratiam amittit; nisi actu & explicite mysteria credat, quorum actualem & explicitam fidem necessariam esse necessitate medii asserimus. Quibus observatis seorsim expendamus quæ sint veritates a Deo revelatæ, quarum fides actualis & explicita necessaria est necessitate medii. 3. Veritates illæ sunt, mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis humanæ per merita mortis Christi, Resurrectionis, & æternæ beatitudinis, quibus addi potest mysterium Providentiæ Dei in homines.

Quod spectat ad mysterium Sanctissimæ Trinitatis explicite adultus quisque credere tenetur. 1. adorandam hanc Trinitatem, unum esse Deum in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto. 2. Verum inter tres illas personas intercedere distinctionem, qua fit, ut una non sit altera, licet tres simul sumptæ eandem habeant essentiam seu naturam. & unus sint idemque spiritus omnimoda & infinita perfectione excellens. *Verus Deus in* (tribus) *Personis Trinitas est, & in una natura unus est*, inquit S. Fulgentius (*d*). 3. Tres illas personas esse æternas, hoc est, principio & fine carere, idque absoluta necessitate. *Nemo alium præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate*, addit idem sanctus. 4. Ab illis tribus Personis libere productas res omnes creatas eodem plane modo conservari atque gubernari: *Neque enim sunt separabilia opera Trinitatis*, inquit S. Augustinus (*e*), easque præsentes adesse ubique. 5. In possessione Summi Dei illius in tribus Personis omnem beatitudinis nostræ spem esse ponendam, si absque mortalis noxæ reatu & in gratiæ statu moriamur.

(*d*) S. Fulgent. l. de fide ad Petr.

(*e*) S. Aug. Enchirid. n. 38.

3. De mysterio Incarnationis Verbi æterni adultus quisque necessitate medii explicite credere tenetur (*f*). 1. Secundam hanc Sanctæ Trinitatis personam nostram sibi copulasse naturam, *id est, corpus, animam, spiritum*, inquit sanctus Augustinus (*g*), eamque humanitatem a Spiritu Sancto fuisse formatam in sinu Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ proinde post partum Virgo permansit (*h*). 2. Ob hanc ineffabilem unionem vere affirmari posse, hominem esse Deum, & vicissim Deum esse hominem, qui vocatur Jesus Christus. 2. In illo Deo homine unicam esse personam, in qua unitur duplex, quam habet, natura, Divina scilicet & humana. 4. Personam hanc esse increatam & æternam, uti est natura Divina, a qua non realiter distingui-

(*f*) S. Thom. 2. 3. q. 1. art. 7.

(*g*) S. Aug. lib. de fid. & Symbolo n. 8.

(*h*) Idem ibi. n. 8.

gui-

guitur. 5. Christum Dominum, qui ab omni semper immunis fuit ignorantia & peccato, postquam cum hominibus per statutum temporis spatium conversatus est, iisque Evangelium suum promulgavit, mortem crucis subiisse, ac triduo post ex mortuis resurrexisse, ut nos a peccato ac æterna damnatione liberaret, atque æternam nobis in Cœlo beatitudinem mereretur, quo ipse devicta morte ascendit (*a*), & unde veniet, judicaturus vivos & mortuos, uti postea exponetur.

(*a*) Joan. 5. 25. & 29.
S. Aug. Enchir. de fide, spe & carit. n. 23. & lib. de fide & Symbolo. n. 11. 12. & 13.

4. De Providentia tandem Divina necessitate medii credendum est explicite 1. Deum in unoquoque homine animam creasse immortalem. 2. Ob peccatum ab Adamo primo homine commissum esu fructus vetiti, omnem ejus prolem naturali via genitam contrahere reatum nascendi cum peccato, quod idcirco *originale* dicitur, & quo æternæ subjiciuntur damnationi. *Illud unum, quod originaliter trahitur ..... obnoxios damnationi facit*, ait sanctus Augustinus (*b*), quo nunc liberari nequeunt, nisi per Baptisma aquæ, quod primum inter Sacramenta locum obtinet, aut per Baptisma sancti Spiritus, quod consistit in sincera animi conversione, addito recipiendi, si possibile sit, Baptismatis aquæ voto; vel denique per martyrium, quod sanguinis Baptisma nuncupatur, ut docet Apostolus his verbis (*c*): *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et alibi asserens, quod omnes homines sunt *natura filii iræ* (*d*), super quod dicit Augustinus (*e*), *id est, vindictæ*. 3. Mortuos omnes esse resurrecturos, alios ad vitam beatam in Cœlo, alios ad supplicium æternum in inferis, tam quoad corpus, quam quoad animam. 4. Ob eam caussam futurum esse generale judicium, cui præerit Christus cum majestate & potestate magna. 5. Adultum, licet fidem habeat, ac Baptismo initiatus fuerit, inter beatos non posse annumerari, nisi Dei & Ecclesiæ mandata servaverit. 6. Mandata illa ab eo impleri non posse absque auxilio gratiæ (*f*); hoc est, absque auxilio supernaturali, quod a Deo enixe postulare debet. 7. Ad æternam damnationem sufficere vel unum mortale peccatum.

(*b*) S. Aug. cit. Enchirid. c. 50.
(*c*) Rom. 5. 12.
(*d*) Ephes. 2. 3.
(*e*) S. Aug. de fide & Symbolo. n. 23.
(*f*) S. Thom. 2. 1. q. 2. art. 3. ad 1.

Hactenus dicta in hoc articulo consentiunt cum Doctrina multorum Theologorum præcipuæ notæ: licet reipsa existiment alii permulti, tot veritatum ac mysteriorum, quæ explicuimus, fidem explicitam non esse necessariam necessitate medii. Sed priorem ideo sententiam amplectimur; quia, cum agitur de rebus necessariis necessitate medii, non sufficit opinio probabilis vel etiam probabilior, relicta tutiore, & quæ teneri potest; ut alibi dicemus.

Fatendum tamen cum Silvio, quosdam rudiores, vel qui perfectum nondum rationis usum attigere, licet veritates modo expositas sub periculo damnationis explicite credere teneantur, eas tamen distincte scire non obligari, ut a Clericis aliisve, qui intelligentia sunt præditi, exigitur. *Observandum tamen*, inquit hic Theologus (*g*), *rudiores non sic teneri hæc sublimia mysteria explicite credere, quasi sub periculo damnationis obligentur ea omnino indistincte intelligere; sed sufficit, quod credant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse verum Deum, etiamsi distincte non sciant, quod sit una essentia in tribus Personis; & similiter quod credant Filium Dei, verum Deum & hominem, esse passum & mortuum pro nobis, etiamsi non noverint distinguere, quod sint duæ naturæ & una tantum persona. Tenentur*, addit, *magis distinctam habere cognitionem pro ratione status & officii.* Idem quoque docet S. Thomas his verbis (*h*): *Explicatio credendorum non æqualiter, quantum ad omnes, est de necessitate salutis: quia plura tenentur explicite credere majores, qui habent officium alios instruendi, quam alii.* At illud saltem constat eos omnes, quibus incumbit animarum cura, districte teneri ad exponenda populis accurate hæc omnia mysteria; quo munere si non fungantur, rigorosum eis manet a Deo judicium; neque enim ab Ecclesia fuit constitutum, fidei explicitæ quarumdam ex his veritatibus defectum alio quopiam suppleri posse medio, v. g. caritate; quamvis illud probabilitate non careat: Nostra igitur tenenda est Doctrina celeberrimorum Theologorum auctoritate fulta, quamvis strictior videatur; cum nullum unquam salutis periculum adire liceat.

(*g*) Fr. Silvius in 2. 2. quæst. 2. de fide art. 7. & 8.
(*h*) S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 1.

5. Ad veritates revelatas, quarum necessitate medii fides explicita requiritur, accedunt etiam speciales quædam veritates, quarum fidem explicitam habere necessitate præcepti adulti quidam tenentur; quare eas ex contemptu aut negligentia ignorare nequeunt absque reatu notabilis delicti. Tales sunt veritates articulorum Symboli Apostolici, saltem quoad substantiam, Decalogus (*i*), Ecclesiæ Præcepta, & Oratio Dominica; nota quoque debent esse Sacramenta, quæ suscipiuntur, nec non status sui officia (*K*): inter veritates explicite ab adultis necessitate præcepti credendas eas recenset sanctus Bonaventura (*l*), quas ex institutis a se solemnitatibus, aut ex Sacerdotum functionibus Ecclesia manifestat; quales sunt Nativitas, Resurrectio & Ascensio Christi Domini; nec non festum ipsius Corporis. Talis est etiam Confessionis usus, quo adultus quisque concessam Presbyteris remittendi peccata potestatem explicite credere tenetur. *Ad illos autem tenentur explicite credendos*, inquit hic sanctus Doctor, *quos manifestat eis non solum prædicatio, sed etiam Ecclesiasticus usus & consuetudo, sicut est ..... de Nativitate, Passione, Resurrectione & peccatorum remissione, quos cognoscere possunt ex ipsis solemnitatibus quas Ecclesia celebrat, & ab actibus Sacerdotum; & ideo ab eorum cognitione & notitia nullus ratione utens excipitur, nec ignorantia excusatur: quia non potest esse talis ignorantia sine negligentia & contemptu.* His omnibus addit etiam Silvius (*m*), veritates quaslibet, a Pastoribus & Concionatoribus proponi solitas in hæreses seu errores, quæ veræ fidei puritati opponuntur.

(*i*) S. Thom. q. disputat. q. 14. de veritat. art. 11.
(*k*) Concil. Agathen c. 13. in c. *Symbolum* 56. de consecrat. dist. 4. Concil. Laodic. c. 46. in can. *Baptizandos*. 52. Ibid.
Mart. Arech. 3. 4. in can. *Non liceat*. 19. ibid.
S. Leo serm. 11. de pass. Domini.
S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 2. in corp. & 2. 2. q. 2. art. 5. 6. 7. & 8.
Catechism. Rom. in præf. Suarez disp. 15. & plures alii apud eum.
(*l*) S. Bonav. in 3. dist. 25. art. 1. q. 3. in conclus.
(*m*) Fr. Silvius. qu. 2. de fide conclus. 8. & tom. 3. p. 27. edit. Antverp.

CASUS II.

THUCYDIDES, sancti Gobitiani Parœciæ in Sylva positæ Parochus, incolas ejus sibi Parœcianos habet, homines Lignarios, Carbonarios, aliosque hujusmodi rudes atque agrestes, quorum plerique neque Symbolum norunt, neque mandata Dei; adeo supina est & crassa eorum ignorantia. Nunquid Paschali tempore eos absolvere potest, præsertim, si ea se addiscere velle promittant?

RESPONS.

Parochus iste homines hujusmodi absolvere nequit, cum ignorantia culpabili præcipua Religionis mysteria ac præcipuas Christianæ vitæ regulas in Symbolo ac mandatis divinis contentas ignorent.

Certum quidem est, multos inveniri, qui ea distincte & ad verbum recitare non possunt, quod ea a teneris annis edocti, confuse tantum & imperfecte reminiscantur, & qui tamen absolvi possunt, utpote rite dispositi, modo consentaneam regulis Evangelii & fidei principiis vitam agant. *Symbolum Apostolorum*, inquit una ex Constitutionibus Diœcesis Lingonensis an. 1404. *& omnes articulos fidei in eo comprehensos debent scire omnes Christiani & firmiter credere: & quemadmodum Sacerdotes, præcipue Curati, debent articulos illos distincte & explicite scire: Laicis vero sufficit, quod sciant illos, & credant implicite; id est, quod credant omnes illos articulos, quos sancta Mater Ecclesia credit.* Sed non idem de iis dicendum, quorum ignorantia est culpabilis; nam priusquam absolvantur, cogendi sunt ad discendum Symbolum & orationem dominicam, ipsis jejunia aliamve pœnam in negligentiæ suæ satisfactionem injungendo. *Symbolum, quod est signaculum fidei*, inquit Moguntinum Concilium an. 813. ab Riculpho Archiepiscopo habitum, sedente Leone III. Papa & imperante Carolo Magno (*n*) *& orationem dominicam discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum; volumusque, ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur.* Sanctus Carolus in quinto suo Concilio an. 1567.

(*n*) Concil. Mog. an. 813. can. 45.

an. 1567. (*a*) hanc etiam constitutionem emisit: *Omnibus animarum curatoribus & ceteris Confessariis, sive sæcularibus sive regularibus, in virtute sanctæ obedientiæ id præcipimus, ut faciant, antequam confessiones audiant, orationem dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei & 10. præcepta Dei, quæ decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, ac ipsis audientibus referant.* Quo manifestum fit, quam indignos absolutione illos Ecclesia existimarit, qui res ad salutem ita necessaria ignoraverint.

(*a*) Constit. Mediol. 1. part. art. 2.

CASUS III.

Antanor in publicis Theologiæ Thesibus contra Armandum earum defensorem disputans, omni argumentorum genere probare conatus est, nullam propositionem fide divina seu Theologica esse credendam, nisi in Concilio Oecumenico fuisset definita; contrarium propugnavit Armandus. Cui jus & veritas?

RESPONS.

Pro Armando stat veritas; quia Universalis Ecclesiæ dispersæ par est in suis de doctrina judiciis infallibilitas, atque congregatæ in Oecumenico Concilio; quod facile probari potest auctoritate S. Augustini (*b*), qui in duas Pelagianorum scribens Epistolas probat, non esse necesse, ut Oecumenicum congregaretur Concilium, ut isti postulabant, ad damnandos eorum errores, qui tam aperte Scripturæ, & omnium sæculorum Traditioni erant adversi, & multos eorum similes errores jam absque Concilio fuisse damnatus. *Aut vero congregatione Synodi opus erat*, inquit sanctus Doctor, *ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione, damnata sit: cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandæ innotescere potuerunt.* Quibus subjungit gratiæ Doctor; *Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur.*

(*b*) S. Aug. lib. 4 contr. 2. Epist. Pelagian. c. lib. 2. sea num. 34.

Altera, quæ pro Armando afferri potest, probatio est censura lata 18. Junii 1644. a sacra facultate Parisiensi in Auctorem, qui eandem cum Antenore doctrinam proponere ac tueri ausus fuerat. Hic Auctor erat Theophilus Brachet Dominus de la Milletiere, cujus liber erat inscriptus *Verus Pacificus &c.* in quo propositiones, quas damnavit Sorbona, his enuntiabantur terminis: *non erit necesse, ut Apostolica Sedes consulatur, & alibi quæratur ejus auctoritas, nisi ubi judicium ejus consultari nequit, secundum verum solumque statum, in quo omnes ipsius decisiones sunt infallibiles, scilicet in Concilio Oecumenico .... Ecclesia nihil novi molitur, nisi cum agit per definitiones suas ac determinationes in Conciliis generalibus, in quibus patefit & declaratur unanimis Ecclesiæ consensus; & quod nunquam aliter agit nisi per definitiones Conciliorum suorum generalium.* En germanus illius Auctoris sensus e Gallico in latinum accurate redditus. Hæc autem fuit Surbonæ censura. *Hæ propositiones, in quantum infallibilitatem Ecclesiæ universali, in nullo alio statu, quam in solo Concilio Oecumenico congregatæ tribuunt, & ipsam aliquo tempore legitimi usus pœnitentiæ cognitione caruisse supponunt, temerariæ sunt, ipsi Ecclesiæ injuriosæ & hæreticæ.* Ita refert Bail in suo Apparatu Conciliorum.

Tertia probatio ducitur e libro, cujus Auctor *Petri Aurelii* nomen sibi adscivit (*c*), quique in comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1646. magnis probatus est encomiis: sic enim loquitur hic Auctor in sententiam, quam tueri contendit Antenor. *Hæresibus non paucis similiter contigit, ut nimirum ab unius provinciæ aut regni Episcopis damnatæ sint, ceteris consensu solum tacito, non Synodalium decretorum auctoritate suffragantibus. Sic enim Eustathianos, quos Synodus Gangrensis damnavit, non legimus ab aliarum Provinciarum Conciliis, aperte deinde damnatos. Idem Aerianis, Collyridianis, aliisque accidit, quos præter locorum, ubi exorti sunt, Episcopos, non constat ab aliarum regionum Synodis rejectos esse; sed universalis Ecclesiæ consensione, quæ sensim sine sensu inoleverit exautoratos, quemadmodum singulorum postmodum Patrum scriptis declaratum est.* Exempla, quæ affert hic Auctor, tot sunt argumenta quæ nulla possunt responsione confutari.

(*c*) Petrus Aurelius pro Epistola Illustrissim. ac Reverendiss. Galliæ Antistitum ad nonam hyperbol.

CASUS IV.

Eleutharius, recens Prædicator, dum Panegyrica oratione sancti cujusdam quarto sæculo viventis merita extolleret, inculcavit, dubiam alicui non posse esse beatitudinem ejus, nisi is vel in fidem Theologicam delinqueret, vel in hæresim incurreret. Cum vero eum postridie sacra ejus oratione audita adiisset Clearchus, declaravit, sibi penitus incertam videri propositionem, quam protulerat, nihilque ad divinam seu Theologicam fidem pertinere, nisi quod a Deo Ecclesiæ immediate fuit revelatum. Atqui Deus, subjungit Clearchus, Ecclesiæ suæ sancti hujusce beatitudinem non revelavit, cum doceant Theologi, nihil a Deo immediate revelari ab obitu Apostolorum usque ad consummationem sæculi; quandoquidem fide theologica veritates ab ipsis Apostolis tali modo non creditas nos aliter credere teneremur, quod contrarium est doctrinæ sanctorum Ambrosii, Anselmi atque sancti Thomæ (*d*).

(*d*) S. Ambr. l. de instit. Virginis c. 7. S. Anselm de excellent. Virginis. c. 7. S. Thom 2. 2. q. 1. art. 7.

Illud autem Clearchi ratiocinium confutans Eleutherius respondit, quod, si beatitudo Sancti, quem laudarat, non esset de fide theologica, de ea proinde dubitare fas esset, quod quidem absque peccato fieri non posse asseruit. Cui jam amborum favet veritas?

RESPONS.

Clearchi tenenda est sententia in Eleutherium: certum est enim, eas, tantummodo fide divina credendas esse veritates, quas in Scriptura & Traditione contineri definit Ecclesia. Hinc docuit peritus Theologus (*e*), certitudinem, quæ visione beatifica continetur, fidei divinæ certitudini non prævalere; quia, inquit, tam impossibile est, ut Deus testimonio suo nos inducat ad credendum falsum, quam impossibile est, ut beatos in errorem inducat circa ea, quæ ipsis per intuitivam adorandæ essentiæ suæ visionem manifestat; cum Deus mentiri nequeat, quia est ipsa sanctitas, nec falli, quia novit omnia. Si igitur veritatem quandam immediate Deus non revelavit, fide Theologica eam credere non possumus; & si ob humanam prædicatorum aut doctorum tantum auctoritatem, non vero præcise ob auctoritatem divinæ revelationis aliquam credamus veritatem, aliter quam fide Theologica ipsi assentimur. Qua in re maximi est momenti non errare, habita eorum ratione, quæ de fide ista Theologica diximus.

(*e*) Ysambert disput. 4. p. 2. a. 7.

Quamvis autem fide divina illud tantum credi debeat, quod in Scriptura aut Traditione continetur, acute tamen observat Petrus Aurelius (*f*), cuncta quæ ab Ecclesia fuere definita, sine errore in dubium revocari non posse, quantumvis aliquando sine hæresis reatu iisdem queat contradici: ex quo manifestum fit, non sine caussa præter fidem divinam & pure humanam, aliam quoque admitti, quæ dicitur Ecclesiastica, quæ omnem excedit humanam certitudinem. En vero propria Theologi a nobis laudati verba (*g*): *Disce, non omnem propositionem erroneam Dei verbo, seu scripturæ contrariam esse. Quicquid enim consensui Ecclesiæ adversatur, semper erroneum, non semper hæreticum, aut Dei verbo contrarium est: quia non omnis Ecclesiæ consensus certo Dei verbo scripturaque continetur, aut fidem prorsus catholicam continet, etsi certitudinem habeat omni humana majorem; ideoque illi obstrepere erroneum.* Cujus rei postea exemplum subdit hic Doctor: *Beatam Virginem Deiparam corpore simul & anima in cælum ivisse, verissima doctrina est, Ecclesiæ consensu fulta; non tamen omnino Catholica fides; nec qui eam neget, ut erroris reus, sic hæreseos erit, aut Dei verbo refragabitur, in quo ea de re nihil extat. Multa sunt ejusmodi &c.*

(*f*) Petr. Aurel. loco cit.

(*g*) Petr. Aurel. loco sup. cit.

Constat ex dictis 1. errasse Eleutherium, &

Clearchi sententiam absque peccati discrimine teneri posse. 2. peroptandum esse, ut qui concionari aut alios docere satagunt, nihil unquam profiterentur, nisi quod penitus sibi notum esset.

C A S U S V.

PASCHASIUS, recens sancti Alexii Parochus, inter Missarum Solemnia Parochianos suos familiariter de fide alloquens, protulit, primæ hujus Theologicæ virtutis praxim ratione utentibus & sufficienter Religionis mysteria edoctis, non minus, immo magis in aliquo sensu esse necessariam, quam ipsum Baptismi Sacramentum. Parœciæ Dominus, qui tum præsens forsan aderat, hujusmodi propositione offensus, rem duobus suis amicis declaravit, atque addidit, in Parochum illum merito novitatis in Doctrina sua ac nimiæ in morum disciplina rigiditatis cadere suspicionem. An absque peccato ita de Parocho suo loqui potuit iste?

R e s p o n s.

Parœciæ sancti Alexii Dominus procul-dubio ita in Parochum suum loquendo peccàvit, non solum quia tali sermone caritatis præceptum violavit; sed etiam quia rem falsam protulit, ipsum novitatis ac damnabilis morum disciplinæ insimulans: Parochus enim ille id tantum asseruit, quod sanctus Paulus, Alcuinus Auctor sermonis, qui sancto Augustino adscribitur, sanctus Bernardus ac Tridentina Synodus docent (*a*), atque iis ducibus Theologi omnes, conformiter ad Evangelium. *Cum his me, aut errare, aut sapere fateor*, inquit sanctus Bernardus, *credens & ipse sola fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi Sacramentum: si tamen pro adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quæcumque vis invincibilis obviarit. Vide etiam, ne forte Salvator, cum diceret*: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, *caute & vigilanter non repetierit*: qui vero baptizatus non fuerit; *sed tantum*: qui vero non crediderit, condemnabitur: *nimirum innuens solam interdum fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil*.

(*a*) Ad Heb. c. 11. Conc. Trident. sess. 6. c. 7. & 8. Alcuinus lib. de Trinit apud S Aug. serm. 31. de tempore. S. Bernard Epist. 75. in hæc verba. Qui crediderit. &c. Marc. 16.

C A S U S VI.

Cum PAROCHI, cœterique decanatus sancti Gratiani diœcesis cujusdam ad colloquium convenissent, in quo præcipue de fide agebantur quæstiones, in varias abiere sententias de tempore, quo illius actus eliciendi urget præceptum. Hierotheus, sancti Urbani Parochus asseruit, satis esse, si triplici diverso tempore actus fidei elicerentur circa veritates, quæ actu & explicite credi debent. Primum est, cum quis ad rationis usum pervenit, atque revelata a Deo, & ab Ecclesia propositas veritates sufficienter edoctus est. Alterum est, cum in patenti versatur mortis periculo. Tertium, cum quis contra fidem tentatur, nec aliter superari potest tentatio. Philastrius, sancti Callixti Parochus, cum Hierotheo consensit, triplici illo tempore urgere præceptum eliciendi actus fidei; sed insuper addidit, illud idem obligare, saltem per accidens, in multis aliis casibus, quamvis idipsum nec per sacram Scripturam, nec per Traditionem ea manifestum foret ratione, quæ esset optanda. *Justus autem*, inquit, docente Apostolo (*b*) *ex fide vivit*: Num igitur satis est, subjunxit, homini, qui annis quadraginta aut quinquaginta vivit, bis terve per totam vitam suam id ipsum ad praxim adducere, a quo pendet vita sua spiritualis, ac proinde salus propria? quid dicendum de hac difficultate, & cui jus ex his duobus Parochis?

(*b*) Rom. 17.

R e s p o n s.

Existimamus, eum, qui tribus ab Hierotheo designatis temporibus actus fidei elicit, & insuper, cum ad eosdem per accidens tenetur, ut asseruit Philastrius, præcepto divino satisfacere de fide Theologica. Is autem ad eliciendum actum fidei per accidens tenetur, cum aliter quid facere rite nequit, quod perficere intendit. Unde si quis teneatur ad producendos actus spei aut caritatis Theologicæ, actum fidei præmittere debet, quia rite produci nequeunt actus spei & caritatis, nisi eos antevertat fides actualis.

2. Actualis quoque ob eandem rationem necessaria est fides Sacramenti, quod quis suscipere intendit. 3. Cum imminet obligatio orandi Deum, cum absque fide invocari nequeat juxta hæc Apostoli verba (*c*): *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?* Et conformiter ad hæc alia sancti Jacobi (*d*): *Postulet autem in fide nihil hæsitans*; unde Augustinus, *si fides*, ait, *deficit, oratio perit*: Et iterum: *Non enim orat nisi fides*, (*e*). 4. Cum adest obligatio fidem suam exterius manifestandi: tunc enim testimonium illud, nisi comitem haberet veram fidem interiorem, mera esset & nefaria hypocrisis.

(*c*) Roman. 10. 14.
(*d*) Jacob 1. 6.
(*e*) S. Aug. serm. 2. 5. de verbis Evang. alias 30. de verbis Domini. n. 1. & serm. 108. alias 17. ex Homil. 50. n. 5.

Hinc colligimus, salva Hierotheo debita reverentia (quia præcise hactenus dicta non negavit) Philastrii tenendam esse sententiam, quod defenderit, fusius explicandam esse adulti obligationem de eliciendis frequenter actibus fidei.

Ceterum juvat observare 1. a multis fieri actus fidei, etsi accurate fidem definire non norint; atque idem dici posse de aliis duabus Theologicis virtutibus; Unde isto nixus fundamento dicebat Auctor imitationis Jesu Christi (*f*): *Opto magis sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem*. 2. A Bonacina atque Duvallio Sorbonæ quondam Professore (*g*), nostram parumper mitigari sententiam: quæ mitigatio ad conscientiam non est tuta.

(*f*) Thomas a Kempis lib. 1. de imit. Christi c. 4.
(*g*) Bonacin. de 1. precepto Decal. disput. 3. q. 2. puncto 2. Duvallius q. 2. de actu interno fidei art. 6.

C A S U S VII.

DURANDUS vere omnes Catholicæ credit Religionis articulos; sed de transsubstantiatione parumper hæsitat, ac timet, ne clare ac certo articulum hunc Deus revelarit. An ex tali dubio fit conscius mortalis peccati in fidem?

R e s p o n s.

Falsum supponitur in casu proposito, cum asseritur, vere a Durando omnes fidei Catholicæ articulos credi. Cum enim fides sit virtus Theologica, ac supernaturalis, qua Deo credimus & omnibus quæ Ecclesiæ suæ revelavit, eo quod certi simus, eum esse primam veritatem, qui nec falli ipse, nec quemquam fallere potest; cumque sit fides, definiente Apostolo (*h*): *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*; certo affirmari nequit, in casu proposito Durandum veram habere fidem, cum incerta sit fides ejus & dubio voluntario & consequenter nefario annexa. *Dubius in fide, infidelis est*, ait Decretalis Stephano I. Summo Pontifici adscripta (*i*): Hinc ab Innocentio XI. proscripta est opinio contraria, quam retinere effutierant Casuistæ quidam, Decreto suo die Jovis 2. Martii an. 1679. in quinquaginta quinque propositiones morales lato, inter quas 21. veritati, quam asserimus, est contraria: En ipsius verba: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus* (K). Quam propositionem, uti ceteras, damnavit hic Summus Pontifex, ac prohibuit, ne defenderetur indicta excommunicationis *ipso facto* pœna, cujus absolutio Apostolicæ Sedi est reservata, excepto solum mortis articulo.

(*h*) Heb. 11. 1.
(*i*) Cap. Dubius. 1. de hæreticis &c. lib. 5. tit. 7.
(*k*) ar. ex 65. proposit damnat. ab Innoc. XI. 2 die Martii 1679.

Colligendum itaque, conscium mortalis peccati fieri Durandum, qui in dubio voluntario de articulo transsubstantiationis perseverat.

Altera quoque proponi potest difficultas, utrum videlicet is, qui dubitat de articulo fidei, quem novit ab Ecclesia fuisse definitum tanquam revelatum a Deo, ex hoc solo dubio in excommunicationem incurrat. Ad quam difficultatem respondendum, quod si dubium sit tantum internum, tunc per illud excommunicationem non incurri; quia Ecclesia *non judicat de occultis*, ut loquitur Tridentinum Concilium: Sed si dubium suum exterius quis manifestet, *cum pertinacia*, uti ait Toletus (*l*), tum excommunicatione in hæreticos lata is ligatur: *Est autem pertinacia*, addit hic Auctor, *quando homo scit aut scire debuit & potuit aliquid esse contrarium Scripturæ Sanctæ, aut ab Ecclesia damnatum, & ei adhæret assensu*. Quod ex multis probat Decretalibus, quas hic referre non est necessum.

(*l*) Tolet. l. 1. c. 19. n. 2.

CASUS VIII.

BERTARIUS Mercator, Religionis suæ satis gnarus, sed qui humanioribus tantum Litteris operam dedit, illud habet domicilium, in quo commoratur Calvinista, qui hoc unum ambit, ut eum ad disputationem inducat de rebus controversis, quales sunt præsentia realis Christi in Eucharistiæ Sacramento, Confessio, Purgatorium & invocatio Sanctorum. Bertarius vir & judicio pollens, & multa lectione sæpe sæpius cum eo absque ullo proventu de articulis istis disputat. Nunquid id ipsum potest absque peccato?

RESPONS.

Præsupponenda est certa, quam proponit sanctus Augustinus, regula (*a*), hæreticorum videlicet disputandi pruriginem ex sola sua tantum oriri pervicacia, nec non desiderio ac præsumptione superandi atque ad extremas adigendi angustias fideles ipsos, quo eos seducant. *Non enim disputare amant hæretici*, inquit sanctus Doctor, *sed quoquo modo superare impudentissima pervicacia*.

(*a*) S. Aug. 13. contra Faustum c. 12.

Quo supposito dicimus, Bertarii zelum ad disputandum cum dicto Calvinista, non esse secundum scientiam, sed omnino imprudentem; cum, omni studiorum ope ad tuendam doctrinam destitutus periculum subit, de quibusdam saltem dubitandi articulis, de quibus est controversia, ac minus firmiter standi in fide: quandoquidem is sit mos hæreticorum, ut Scripturæ tantum quædam afferant testimonia, quæ ad sensum suum detorquent & interpretantur, ut alios in errorem pari secum lapsu adducant. *Scripturæ obtendunt*, inquit Tertullianus (*b*), *hac sua audacia statim quosdam movent. In ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt*. Illi vero, qui in studiis parumper sunt provectiores, captiosis tantum utuntur ac falsis argumentationibus, quæ omne habent venenum quo ipsi inficiuntur. *Omnem vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt*, ait Canon antiquus (*c*), *quæ Philosophorum sententia, definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi*.

(*b*) Tertul. lib. de præscipt. c. 15.

(*c*) Can. omnem. 6. dist. 37.

Hinc a Summis Pontificibus atque Conciliis vetitum est Laicis sub anathematis interminatione, ne cum hæreticis de articulis ad fidem Catholicam pertinentibus, seu publice, seu privatim disputarent. *Inhibemus quoque*, inquit Alexander IV. (*d*), *ne cuiquam Laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Bertarius igitur nulla cum illo hæretico necessitudine teneri absque justa necessitate, immo eum devitare debet, suadente Apostolo (*e*). *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens quia subversus est qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus*.

(*d*) Alex. IV. in c. Quicumque. 2. § 1. de hæreticis in 6.

(*e*) Tit. 3. 10. & 11.

Clerici etiam, qui ea se non noverint esse peritia, ut hæretico os obstruant, cum eo disputationis aleam adire non debent, quoniam, ut ait sanctus Hieronymus (*f*), *De hæreticis manifestus est sensus, quod sophismatibus suis & arte dialectica sæpe opprimant Ecclesiasticos*.

(*f*) S. Hieron. ad c. 5. Ose. in can. Transferunt. 31. 24. q. 2.

Vide RELIGIO.

FISCUS.

Vide { RAUS. ILLEGITIMUS. }

FORI, & NUNDINÆ.

Vide { DOMINICI ac FESTI DIES. Casus V. XI. & XII. }

FORNICATIO.

TErminus iste, FORNICATIO, sæpe in Scriptura Sacra analogice sumitur pro Idololatria, aliisque ab ea indivulsis criminibus. Sumitur etiam pro hæresi, & alia qualibet fidei Deo debitæ infractione.

Terminus iste in jure generalis est, & sæpe sumitur ad significandam quamlibet actionem carnalem & nefariam, qualia sunt adulterium, incestus & sacrilegium, de quibus suo loco. Hic autem de eo dicimus secundum proprium intellectum, qui hac definitione continetur: *Fornicatio est carnalis copula soluti cum soluta corrupta*.

Verbis istis, *soluti cum soluta*, intelliguntur personæ duæ, quæ nec matrimonio, nec voto castitatis, neque ullo Ordine Sacro, neque consanguinitate aut affinitate conjunguntur. Cum enim ambæ aut una ex illis matrimonio junguntur, tum earum crimen adulterium nominatur; si voto aut Ordine Sacro ligentur, tunc sacrilegium, si vero consanguineæ sint aut affines, tunc incestus dicitur.

Additur, *corrupta*, hoc est, quæ non sit virgo, ut distinguatur fornicatio ab eo crimine, quod proprie *stuprum* dicitur, quodque definitur: illicita defloratio virginis invitæ: aut *Claustri virginalis corruptio per copulam carnalem illicitam*.

Fornicatio prohibetur jure naturali & divino (*g*), neque unquam a mortali peccato excusari potest, dicente Apostolo (*h*); *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*.

In comitiis generalibus Cleri Gallicani an. 1700. habitis, damnata est duplex propositio erronea, 42. videlicet & 43. inter 127. quæ fuere proscriptæ, quarum prima

(*g*) 1. Cor. 6. 9. 10. 15. & Gal. 5. 17. & seq. Ephes. 5. 5.

(*h*) Gal. 5. 21.

prima ad hunc titulum, & altera ad adulterium attinet. En prioris verba, simul & censura.

PROPOSITIO XLII.

Tam clarum videtur, fornicationem secundum se, nullam involvere malitiam; & solum esse malum, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum esse videatur.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta, scandalosa est, perniciosa, castarum & piarum aurium offensiva & erronea.

CASUS PRIMUS.

BEATOLDUS, qui Paulinam corrupit, & cum ea fornicatus est ob falsas pecuniæ promissiones, & importunas ac vehementes contentiones; tenetur-ne eam in uxorem ducere, cum paris sint ambo conditionis, aut saltem eam dotare, quod omni viciniæ notum sit eorum peccatum, quamvis puellæ illi se napturum non promiserit?

RESPONS.

Cum importunæ & vehementes contentiones tæ non dicantur, quibus puella honesta facile resistere potest, sed illæ, quas dolus aut timor comitantur, & quæ proinde graviter minuunt libertatem, & aliquatenus ad vim accedunt; Existimamus, Bertoldum, qui fraudem ac mendacium vehementibus suis contentionibus ad Paulinam corrumpendam conjunxit, teneri tum in foro interno tum externo ad illam uxorem sibi sumendam, ut injuriam ipsi illatam, & ortum inde scandalum resarciat; aut saltem ad eam dotandam, si qua justa hanc ei nubendi caussa remittat obligationem, ita ut hoc modo illatum ipsi damnum restituat, & mediante illa dote non minus feliciter corrupta, quam si esset virgo, nubere possit. Ita sentit sanctus Antoninus (a), his verbis: *Si autem seduxit* (virginem) *puta promissionibus & mendaciis, non videtur fuisse voluntarium. Invitam ergo & seductam si constupravit, injungendum est sibi, ut satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat.*

(a) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 5. c. 6. §. 1.

Eamdem rem docet Toletus dicens (b): *Obligat autem stuprum aliquando ad restitutionem. Cum enim quis virginem coegit violentia, vel importunis precibus, tenetur illam ducere aut dotare ... ut possit alteri nubere ita honorate, ac si esset virgo. Si autem falsis persuasionibus ipsam decepit, ad idem tenetur.* Quod probat hic Auctor ex duabus Decretalibus (c), quarum prior ab Exodo deprompta (d), his verbis enuntiatur: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit uxorem. Si vero pater virginis noluerit, reddet pecuniam, juxta modum dotis, qua virgines accipere consueverunt.* Altera est sancti Gregorii Magni, ad Episcopum Sipontinum in Regno Neapolitano scribentis, cujus hæc sunt verba: *Pervenit ad nos, quod Felix quandam Virginem stupro decepit: quod si verum est, quamvis esset de Lege plectendus, nos aliquatenus Legis duritiem mollientes, hoc modo disponimus, ut, aut quam stupravit, uxorem habeat, aut, si renuendum putaverit, corporaliter castigatus excommunicatusque, in Monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur.* Ita quoque Navarrus (e).

(b) Fr. Tolet. instruct. Sacerdot. l. 5. c. 21. n. 1.

(c) Cap. Si seduxerit. 1. & cap. Pervenit. 2. de adulteriis & stupro l. 5. tit. 16.

(d) Exod. 22. 16.

(e) Navarr. Man. c. 16. n. 17.

CASUS II.

LEOPOLDUS, sub falsis matrimonii promissionibus Cæciliam corrupit, bonæ antea apud omnes famæ puellam. Tenetur-ne in conscientiæ foro eam sibi uxorem sumere, cum sint ambo æqualis conditionis?

RESPONS.

Duplici de caussa tenetur Leopoldus ad ducendam Cæciliam in casu proposito. Prior est, ob scandalum ipsi illatum, & quod ex eo ipsa patitur damnum; cum nulla subsit potioris restitutionis via, quam ut puellam hanc ducat, quam suo privavit honore, ac decepit, nec ipsa aliam accipere velit restitutionem. *In tali casu*, inquit sanctus Thomas (f), *sponsus tenetur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis.* Idem asserit sanctus Antoninus (g): *Si promisisset eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum.*

(f) S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. ad 4.

(g) S. Anton. 3. part. Sum. theol. tit. 5. c. 6. §. 1.

Altera ratio, qua tenetur Leopoldus ad ducendam Cæciliam, est, quia juxta commutativam justitiam corruptor consensum suum & corpus tradere tenetur, corruptæ consensum & corpus pariter accipiendo; in hoc enim proprie consistit contractus, *do ut facias*, unus ex illis, qui in jure *contractus innominati*, dicuntur; qui cum a Cæcilia fuerit perfectus, eodem plane modo a Leopoldo debet perfici. Quod confirmari potest paritate debitoris, qui creditori suo rem unam pro alia debita nequit substituere ad solutionem, ut ait Lex (h). Cum igitur consensus sui atque corporis debitor sit Leopoldus erga Cæciliam, quæ suum tradidit, dicendum, quod, ad amussim loquendo, aliam ipsi rem is tradere non potest, nisi ipsa sponte velit.

(h) L. Mutuum. §. 2. ff de rebus creditis.

Ita communiter sentiunt Auctores, qui ea de re egere. *Si rursus promisit illam ducere, aut cum juramento, aut sine illo, quamvis non intenderit illam ducere, tenetur tamen sub mortali ducere, si pater illius voluerit, aut ipsa.* Ita Toletus (i). *Si promittit, se ducturum eam*, inquit Navarrus, *sive promittat ex animo vero, sive ad decipiendam eam ficto, obligatur ad implenda promissa tam in interiori, quam in exteriori foro.*

(i) Fr. Tolet. instruct. Sacerdot. lib. 5. c. 21. n. 1.

Confirmari potest hæc decisio verbis Exodi, ex quibus constat prima Decretalis, quam in responsione ad primam difficultatem retulimus, nec non istis Deuteronomii (K): *Si invenerit vir puellam Virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea patri puellæ, quinquaginta siclos (l) argenti, & habebit eam uxorem.* Et quamvis præceptum illud Mosaicæ legis non obliget sub Evangelica nisi quatenus naturali æquitati & Ecclesiæ regulis conforme est, ut asserit Silvester (m) exponens sanctum Thomam, qui illud in probationem allegat (n): Certum est, illud præsertim obtinere in præsenti decisione, cum juri naturali sit omnino consentaneum, illudque tanquam regulam adoptarit Ecclesia in Decretali superius laudata; & constituat sanctus Gregorius (o), ut qui illi obtemperare recusaverit, corporaliter castigetur, nec non excommunicetur.

(k) Deuteron. 22. 28. & 29.

(l) Cujuslibet sicli pondus erant duæ drachmæ, & pretium cujuslibet drachmæ tres asses cum dimidio monetæ Gallicæ. Moreri.

(m) Silvest. v. Luxuria. n. 5.

(n) S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. ad 3.

(o) S. Greg. in cit. c. Pervenit. 2. de adulter. & stupro.

Hanc denique sententiam tuetur inclytus Archiepiscopus Panormitanus (p), aliique permulti Doctores: qui omnes fatentur, ad æquitatem pertinere, ut qui fraudem crimini adjunxit, ad integram cogatur restitutionem tantæ injuriæ, qua puella manet infamata, & *impeditur*, inquit S. Thomas (q), *legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, a qua retrahebatur, nec signaculum virginitatis amitteret*: quibus addi potest, puellæ infamiam in parentes ejus ac totam fami-

(p) Panorm. in c. 1. de adulter. & stupro.

(q) S. Thom. 2. 2. cit. q. 154. art. 6. in corp.

familiam redundare. Unde in multis Galliæ Parlamentis, ac præsertim Parisiensi ac Britannu, aut matrimonii promissi contrahendi, aut meritæ mortis subeundæ constituta est pro corruptore optio.

CASUS III.

Tetradius vir nobilis, aut in dignitate constitutus, Adelaidam, puellam infimo loco natam & pauperem dolo corrupit. Tenetur-ne, non obstante conditionum disparitate, eam ducere; si cum ea sub spe futuri matrimonii peccaverit, & aliter maneat infamata?

RESPONS.

1. Si Adelaidæ nota esset conditionis suæ inæqualitas cum Tetradio, aut ex quibusdam circumstantiis conjecturis-ve cognoscere potuerit, virum hunc falsis promissis seipsam inescare velle; infortunium suum atque infamiam sibi uni debet adscribere, quam culpa sua atque imprudentia incurrit juxta istam juris regulam (*a*): *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Quocirca eam ducere non tenetur Tetradius, quod ipsa dolo ac infamiæ suæ consensisse censeatur. Ita sentit sanctus Antoninus, qui cum præmisit, teneri puellæ corruptorem, qui sub spe futuri matrimonii eam stupravit ad extorquendum ipsius assensum, ad standum promisso, hanc addit exceptionem (*b*): *Et hoc nisi nimis distans esset eorum conditio; puta mulier plebeia; vir nobilis & potens: non enim mulier præsumitur fraudem ignorasse; vel etiam si magnum scandalum inde creditur proventurum; & tunc petat remissionem promissi; & aliter satisfaciat secundum suam facultatem & mulieris indigentiam.*

(*a*) Reg. 80. de reg. juris in 6.

(*b*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 5. c. 6. §. 1.

Doctrinam Angelici Doctoris in hoc secutus est sanctus Antoninus: hæc sunt enim verba S. Thomæ (*c*): *Ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit; quia,* (& hæc est ejus ratio) *præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta: sed decipi se finxerit.* Ita quoque Navarrus (*d*) cum aliis permultis: *In eo casu*, inquit, *præsumi potest illam fingere se deceptam, sed non esse.* Quod isti juris regulæ innititur (*e*): *Scienti, & quidem scire debenti*, ait Glossa, *non fit injuria neque dolus.* Nam rem scire, aut eandem scire debere, unum est ex jure & idem, uti ex lege (*f*) probat hic Auctor. Reipsa jure canonico (*g*) vir non tenetur ad ducendam puellam, quam corrupit, nisi, cum videtur fuisse decepta. Atqui vere dici nequit Adelaidam in hoc casu esse deceptam, cum ex nimia inæqualitate conditionis facile judicare poterat, fictam esse Tetradii promissionem, & eo tantum fine ab eo fieri, ut citius libidinem suam expleret.

(*c*) S. Thom. in 4. dist. 28. q. 1 art. 3. ad 4.

(*d*) Navarr. Manual. cap. 1. num. 10.

(*e*) Reg. 27. de reg. juris in 6. & ib. Glossa.

(*f*) Leg. Quod te. 5. ff. de rebus creditis lib. 12 tit. 1.

(*g*) Cap. 1. & 2. de adulteriis & stupro.

Attamen existimamus (*h*), Tetradium teneri ad restituendum *secundum suam facultatem & mulieris indigentiam*, ut loquitur sanctus Antoninus, damnum, quod Adelaidæ ex fornicatione intulit, ex qua infamatur, nec tam honesto, ut ante, jam collocari potest matrimonio. Igitur Tetradius malum hoc compensare tenetur dotis supplemento, quo ipsius conditio fiat æqualis, ac si non fuisset corrupta, aut ingressum Religionis ei procurando, si assentiatur. *Judicio nostro*, inquit Navarrus (*i*) *non obligatur ad amplius, quam ad dandum ei tantum, quantum magis opus habet ad adipiscendum maritum, qualem, si non esset infamata, adipisceretur; vel ad reponendam eam in aliquo statu honesto, in quo Dei obsequio vivat … ad alterum horum tenetur, quia licet non præsumatur decepta, ad effectum ducendi eam, tamen tenebitur ad resarciendum damnum, eo quod promissio ducendi vim habeat saltem precum importunarum.*

(*h*) S. Anton. cit. loco.
Navarr. Manual. c. 27. n. 70.
Fr. Toles. instr. Sacerd. l. 5. c. 22.
Dom. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 4.

(*i*) Navarr. cit. 26. n. 18.

2. Si Adelaidæ nota non fuerit conditionis suæ cum Tetradio inæqualitas; nec de fictis Tetradii promissis jure præsumere potuerit aut debuerit, & si bona fide e contrario existimaverit, quod si ipsius voluntati obsequeretur, sibi nuberet, tenetur ad eam ducendam, aut saltem ad eam dotandam conformiter ad statum ipsius; ita ut dotem hanc adepta, facile virum conditioni suæ non minus congruum invenire queat, quam ante potuisset adipisci. Atque secundo hoc medio in foro conscientiæ damnum, de quo erga puellam hanc tenetur, resarcire potest Tatradius, ut nostra fert opinio, quin ad eam ducendam teneatur. Ratio est, quia ex justitia commutativa, damni tantummodo illati requiritur restitutio: atqui, si ad famulam suam a se corruptam ducendam cogeretur v. g. Magistratus, injuriam ipsi factam longe superaret restitutio; cum viri in dignitate constituti, aut nobilitate vel divitiis potentis honor, multo pluris debeat fieri, quam honor puellæ infimo loco natæ. Adde quod, ex tali matrimonio, uti verisimile est, gravissima existerent incommoda. Igitur satis est, sicut post laudatos Auctores (*K*) asseruimus, ut Adelaidæ tale matrimonium procuret Tetradius, quale ante lapsum suum hæc potuisset obtinere, quod nobis etiam magis certum videtur, præsertim in viro nobili, qui infimo loco natæ puellæ nubere nequit absque gravi incommodo, quod pueri ejus quasdam Ecclesiasticas aut sæculares ambire, aut etiam obtinere nequeant dignitates, quæ non possunt haberi, nisi probetur in quibusdam gradibus nobilitas tam a patre, quam a matre ingenita.

(*k*) S. Anton. cit. Navarr. cit. n. 18.
Silvester. v. *Luxuria*.
Abell, Demera &c.

CASUS IV.

Geduinus, falsis delusam matrimonii promissionibus & a se corruptam Annam vult quidem ducere; ast eum habere virum Anna recusat, & injuriam sibi illatam ab eo præsertim numeratæ pecuniæ summa vult reparari. Ad quid tenetur in foro conscientiæ?

RESPONS.

1. Si Anna sit puella nobilis, Geduinus vero multo inferioris conditionis, is tenetur ex Panormitano & Joanne Andrea (*l*) ad reparandam data dote aut numerata pecuniæ summa injuriam Annæ illatam, nec non damnum, quod ei ex infamia contraxit; nec oblatas sibi ab eo nuptias acceptare tenetur; cum ex tali matrimonio probro accepto novum adderet.

(*l*) Panorm. & Jo. Andreas in cap. *Si seduxerit.* 1. de adulter. & stupro.

2. Si Geduinus & Annas paris sint conditionis, putant quidam Auctores, uti Covarruvias, puellæ, quæ oblatum recusat matrimonium, nullum jam competere jus ad exigendam aliam quamdam restitutionem; quod firmari posse videtur ex hac juris regula (*m*): *Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Et ex hac alia (*n*): *Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.*

(*m*) Reg. 41. de reg. juris in 6.

(*n*) Reg. 66. ibid.

Hæc tamen sententia suas habere videtur difficultates aliis Auctoribus, ex quibus si Anna Geduino nubere teneretur, aut infamata permanere, ex hoc ei quædam incumberet necessitas seu coactio, & consequenter nova injuria, quam contra jus omne & æquum pateretur. Unde colligunt, eam a Geduino corruptam pari frui libertate ad nubendum cui voluerit, atque ante lapsum suum; alioqui Geduini crimen in proprium suum commodum, Annæque injuriam cederet, contra illud juris effatum ab Innocentio III. (*o*) & Alexandro III. (*p*) statutum: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent.* Verum istæ non suadent rationes: cur enim cogeretur Geduinus ad aliam subeundam pœnam, nisi eam, qua se obstrinxit, de formali Annæ consensu, cum statim ista fuit sufficiens, nulla alia addita? Et quidem non verum est, quod homini huic patrocinaretur fraus & scelus, si se ab Annæ dotatione eximere posset; quandoquidem ipsi matrimonium offerenti, jam fraus objici nequit; cum ejus tollat effectum, offerendo, bona fide idipsum perficere, quod contra mentem suam tantum promiserat.

(*o*) Innoc. III. in c. *Sedes.* 15. & in c. *Ex tenore.* 16. de rescriptis lib. 1. tit. 3. & in cap. *Cum Olim.* 13. de offic. & potest. judicis delegat.

(*p*) Alex. III. in c. *Ex litteris.* 2. de dolo & contumacia. l. 2. tit. 14.

Vide SPONSALIA Cas. XXXVIII. & seqq.

CASUS V.

Theoganes cum Susanna carnaliter peccat sub matrimonii promissione facta, quam tamen nullatenus perficere intendit. Susanna vicissim

Theogenem decipere conatur, falso ipsi asserens, se esse opulentam, licet omni re destituatur, aut se esse virginem, licet eam jam cum aliis fuisse fornicatam postea agnoscat. Susanna fit gravida: Tenetur-ne Theogenes ad nobendum ei in alterutra ex his circumstantiis?

R e s p o n s.

Theogenes, uti defendi posse verisimile est, in hac bypothesi Susannæ nubere non tenetur, *cum paria delicta mutua compensatione tollantur*, ut loquitur Innocentius III. in una Decretali ad Episcopum Turonensem (*a*), & in altera ad Episcopum Ambianensem (*b*): quod consentit cum multis canonibus ac legibus a Glossa in probationem hujus regulæ allatis. Attamen æquum est, ut cum Susanna maneat infamata, damnum ipsi sub ficta matrimonii promissione illatum Theogenes restituat; licet enim eam virginem, cum illa peccando, non invenerit, peccatum illius erat occultum, & virgo publice habebatur. Cum igitur ex solo Theogenis peccato famam suam amiserit, tenetur damnum ei illatum, quantum in se est & viri sapientis & prudentis judicio reparare. Ita Navarrus post Joannem Major: En verba prioris Canonistæ (*c*). *Is, qui dolo, fraude, aut precibus importunis babuit rem cum aliqua, jam ab alio corrupta, sed pro virgine reputata ac habita, & per boc eam infamavit; licet in nibilum in foro conscientiæ ob virginitatem ereptam teneatur, ob famam tamen ereptam tenetur secundum Joannem Major, in tertio libro sententiarum, dist. 35. q. 35. quæ omnia sunt intelligenda de illo, qui pervenit ad copulam carnalem, vel ad suæ famæ amissionem per prædicta.*

(*a*) Innoc. III. in cap. *Intelleximus.* 6. de adult. & stupro, & ibid. Glossa.

(*b*) Idem in c. *Tua.* 7. eod. tit.

(*c*) Navarr. Manual. c. 16. n. 18.

CASUS VI.

Calistratus post emissum simplex Religionis aut castitatis perpetuæ votum, cum Justina sub promissione futuri matrimonii, etiam cum vi aut dolo peccavit. Nunquid tenetur ei nubere, non obstante voto suo, ut partum illi poellæ scandalum atque infamiam reparet; an vero deinceps votum suom observare potest, eique pecuniæ summam per modum compensationis dare?

R e s p o n s.

Videtur, quod in casu proposito tenetnr Calistratus ad nubeodum Justiuæ, qoia ex sancto Antonino (*d*), ... *regula est, si duo vincula disparis potentiæ incompassibilia contrabuntar, fortias repellit minus forte* (*e*): Atqui uegari non potest, vinculum, quo ligatur Calistratus, Justinæ nubendi, fortius esse vinculo voti sui; est enim strictum Justitiæ Vinculum, quo tenetur ad restitutionem damni & injuriæ ipsi illatæ: e contra voti sui perfectionem ex caritate tantum obligatur. Quare in proposito casu, promissionis matrimonii non tantom habenda est ratio, atque ea cum simplici voto conferenda est; sed præcipue attendi debet ad criminis circumstantiam, quo hic homo Justinæ scandalum & infamiam peperit: Unde procul dubio magis ligatur, quam ex simplici matrimonii promissu; cum ex promissi sui perfectione, tamquam solo remedio efficaci injuriam possit reparare, quam jure naturali redimere tenetur.

Reipsa, si solo caritatis vinculo voti sui perfectionem suspendere quis teneatur, ut cum filius Patris sui necessitati extremæ subvenire non potest, nisi omittendo votum suum, a fortiori idem dicendum est in casu proposito, in quo de obligatione justitiæ & etiam strictissimæ agitur.

Addi potest, voti simplicis obligationem coram Deo desinere, cum inopina accidit, eaque gravis motatio. Atqui mutatio illa, eaque gravissima in casu proposito accidit: igitur desinit obligatio voti a Calistrato emissi; vel potius suspenditur, per strictiorem ac supervenientem obligationem redimendæ injuriæ, quam Justinæ, ipsam infamando, intulit (*f*).

Objici quidem potest, majoris esse momenti promissionem Deo, quam homini factam. Igitur tenetur Calistratus Deo factum adimplere votum, quod etiam datam Justinæ promissionem antecessit.

(*d*) S. Anton. 3. part. Sum. Theolog. tit. 1. c. 18. §. 2.

(*e*) Cap. Si inter. 3. de sponsa. & matrimon.

(*f*) Andreas Victorell. annot. in Tolet. lib. 5. c. 12.

Sed responderi potest, majoris quidem esse momenti promissionem Deo quam homini factam *cæteris paribus*: Sed vera non est ista prupositio, cum adeo gravis accidit mutatio, qualis est, de qua in proposito casu agitur.

Sed, inquiet aliquis, qoi Mariæ se nupturum promittit, & postea sub tali promissione alia abutitur puella, Mariæ nubere semper tenetur, licet ad primum promissum nova accesserit mutatio; dicendum ergo, quod primam suam obligationem pariter implere tenetur Calistratus, licet novam ex crimine voti sui emissioni superveniente motationem induxerit. Sed non valet ista complexio; votum namque considerandum est tantummodu, uti species contractus cujusdam gratuiti cum Deo initi; sponsalia vero, in suppositis nunc circumstantiis, haberi debent, tanquam onerosus coutractus, qui præcipue reum, ac rigurosu obligat, & qui gratuito hujusmodi contractui prævalere debet; cum præsumi non debeat, Deum, qui est ipsa justitia, sibi promissorum executionum velle exigere, quando ea absque gravissimo proximi incommodo adimpleri nequeunt: qua in re discrepat omnino divioæ providentiæ dispositio ab hominum ductu, qui rigurose sibi promissorum executionem exigunt, parum curantes de damno ad tertiam personam inde venturo. Quia tameu a nobis dissentiunt Navarrus aliique nonnulli, ad tollendam difficultatem quamlibet opportuuum ducimus, quod Calistratus, antequam Justinæ nubat, voti sui relaxationem obtineat, ut hoc modo tuta sit penitus conscientia.

Ceterum in dictis hactenus supponimus, Justinæ ignotum omnino fuisse Calistrati votum; quia si illud novisset Justina, jam ei nubere is non teneretur, quia infamiæ suæ ac deceptioni ea consensisse censeretur, cui nimirum notum in hoc casu fuisset, nec sinceram nec validam esse potuisse promissionem ipsius ob antecedens votom; quare tom ut unicam infortunii sui atque infamiæ futuræ caasam habere se ipsam deberet, & cui proinde jure merito applicari posset ista juris regula: *Scienti & consentienti non fit injuria*. Et hæc alia: *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare* (*g*). Ita Bonacina, & cum eo sex Auctores, quos ipse laudat.

(*g*) Reg. 27. & 86. de reg. juris in 6.

CASUS VII.

Brigida, emisso virginitatis & castitatis perpetuæ voto, falsis promissis Joannis ad fornicandum adducta est. Joannes, cui notum erat ipsius votum, tenetor-ne ei nubere, aut conveniens conditioni suæ matrimonium data ei pecuniæ summa procurare?

R e s p o n s.

Si Brigida ante admissum peccatum virginitatem voverit, ut supponitur, non tenetur Joannes ad nubendum ei, aut ullum procurandom matrimonium; cum tuta conscientia nubere ea nequeat subsistente voto suo: Licet enim ob crimen commissum virginitatem suam amiserit, tenetur tamen in posterum servare castitatem. Nihilominus, si aut gravida fuerit aut infamata Brigida ex crimine, quod a Joanne seducta cum eo commisit; certum est hunc hominem teneri ad restitutionem damni, quod ipsi intulit, qualecumque sit illud.

CASUS VIII.

Angilbertus Acolytus & Canonicus Ecclesiæ collegiatæ sancti Baboleni, se nupturum Clementiæ promisit, sincere cum ea nuptias inire volens. Tum ob datum promissum cum ea fornicatus est: Tenetur-ne in foro conscientiæ Beneficium suum dimittere, atque Ecclesiasticum statum abdicare, ad quem se vocari semper existimavit, ad nubendum Clementiæ?

R e s p o n s.

Tenetur hic Beneficiarios ad abdicandom beneficium suum, nec non statum Ecclesiasticum ad nuben-

nubendum Clementiæ: Nam ex justitia obligatur ad perficiendam promissum suum, eoque magis, quod, ipso ei non nubente, maneret infamata. Insuper vir hujusmodi dotes non habet requisitas, ut dignus sit in Ecclesia operarius, cujus Ministri vitam castam & integram ducere debent. Si tamen obligationem suam ei vellet Clementia remittere, accepta ab eo pecuniæ summa, tum ei non teneretur nubere; neque etiam in casu proposito teneretur, si qua ratione præcipui momenti conjici posset, ipsam scientem atque consentientem deceptam fuisse; v. g. si is illustri esset loco natus, ipsa vero infimo.

CASUS IX.

Cæcilia vi aut dolo a Leopoldo corrupta est; sed crimen est occultum, neque ex eo scandalum aut infamiam ullam ipsa ferre potest: Unde ex hoc casu non magis impeditur a contrahendo tam feliciter matrimonio, ac si non evenisset. Nunquid tamen Leopoldus in foro conscientiæ tenetur ad eam aut ducendam, aut saltem dotandam?

Respons.

Si Leopoldus matrimonium non promiserit, dicendum videtur, eum ad aliud non teneri, nisi ut de peccato suo pœnitentiam agat; & multo minus, si libens crimini Cæcilia consenserit, ut docet sanctus Antoninus his verbis (*a*): *Si desflorat eam voluntariam, non tenetur ei*. Hæc est etiam Toleti sententia (*b*). *Quando vero virgo non decepta nec coacta est, sed sponte consensit & acceptavit, tum non est obligatio ad restitutionem ex justitia*. Eandem rem docent Silvester, Navarrus & Dominicus Soto cum aliis multis: quæ Doctrina nititur isto juris effato: *Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus* (*c*): Et eo, quod Legibus Canonicis ad restitutionem damni illi tantum obligentur, qui vim aut dolum adhibuerunt erga personam corruptam, ut videre est ex duabus Decretalibus, quas in responsione ad primam difficultatem attulimus; licet non idem in foro externo eveniat, in quo pro puella semper præsumitur, quia eam fuisse coactam aut deceptam semper Judex præsupponit, uti observat sanctus Antoninus. Sed cum Cæcilia, ut hic supponitur, coacta est aut a Leopoldo seducta; ab ejus matrimonio, neque in interno neque in externo foro is abstinere potest.

(*a*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 5. c. 6. §. 1.

(*b*) Fr. Toletus instruct. Sacerdot. l. 5. c. 11. §. 21.

(*c*) Reg. 27. de reg. juris in 6.

CASUS X.

Henricus, jam a sex mensibus multoties cum Balduina famula sua fornicatus, & fortuito postea morbo amens factus, in sua post amentiam suam fornicatione cum ea perseveravit. Qua de re quæritur, utrum homo ille toties mortaliter peccaverit, quoties a contracta dementia fornicatus est? An vero de peccato possit excusari ob defectum liberi rationis suæ usus?

Respons.

Si Henricum peccatorum ante suam dementiam admissorum jam pœnituisset, & omnes accurate cautiones adhibuisset ad vitandam fornicationem; Existimamus, eum de novis mortalibus non esse damnandum, quamvis post amentiam suam iterum sit fornicatus; cum aliquis in hoc statu constitutus actionibus suis libere non consentiat, nec proinde ex iis peccet, ut alibi probatur auctoritate sancti Augustini.

Ast e contra si Henricum non pœnituerit fornicationum, quas ante dementiam suam commisit, nec cautiones omnes adhibuerit ad vitandum deinceps talem lapsum; tunc a mortali, etiam postquam amens factus est, frequenter ejus in fornicationem relapsus excusari nequeunt. Atqui verisimile est, hominem hunc ante amentiam suam libidinis suæ vere non pœnituisse, cum in ea, ut supponitur, perseveraverit; ac domi suæ Baldninam retinuerit; quam expellere coram Deo tenebatur, uti proximam peccati occasionem. Quocirca is cum homine conferri potest, qui expertus, se blasphemias proferre, cum nimis indulget vino, in ebriositate sua pergit: nam ut hic homo vere reus est omnium, quas ebrius protulit, blasphemiarum, ita Henricus, cum in pravo suo habitu ad dementiam suam perseveraverit; omnium, quas postea commisit, fornicationum reus est censendus; quandoquidem admissa prius crimina & pravus habitus, quem, dum sana esset mente, contraxerat, relapsuum veræ sint caussæ, & is effectum velle censeatur, qui vult caussam. *Duo vero casus dantur in quibus locum habet excusatio. Prior est: quando deficit usus rationis, ut in amentibus & ebriis, qui rationis compotes non sunt, nisi tale periculum præviderint, & neglexerint cavere sibi ab eo, quando potuerunt. In quo casu censendi sunt, tanquam periculum amantes, periisse in illo*. Ita sentit & loquitur Reginaldus (*d*).

(*d*) Valerius Reginaldus prax fori pœnit. l. 22. c. 3 sect. 2. n. 22.

FUCUS.

Fucus est Permixtio quædam confecta ex cerussa, minio, aut aliquo alio medicamine, qua vultum suum illiniunt mundanæ mulieres, ut cuti nitorem inducat, faciemque præster gratiorem: quod quidem alicujus est adjumenti ad pulchritudinem in quoddam tempus; sed cujus pœnam accelerant prematuræ ante senium rugæ, quibus fiunt deformes.

Non nunc primum fallacia ista utuntur mulieres ad captandam virorum gratiam; cum eam & referant & condemnent Plautus cœterique Auctores Ethnici. Unde mirum videri non debet, si tam acerbe scriptis suis christianas fœminas insectentur sancti Cyprianus, Gregorius Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, Augustinus, aliique Patres Ecclesiæ, quod ora fucando Ethnicas imitentur mulieres. Eorum modo verba referemus, simulque modum hac in re adhibendum.

CASUS PRIMUS.

Lydia, matrona nobilis, fuco plerumque ac Sericis maculis in vultu utitur, ut consuetudinem mulierum sui ordinis sequatur. An id ipsum potest absque gravi peccato, ita ut mortalis haberi debeat?

Respons.

Cum hujusmodi mulieres tam immoderato sui ipsius amore ardeant, ut hyperbolica habeant ea omnia, quæ in ridiculas illas glorias efferuntur; juvat hic tantum ea de re Patrum sententias ac verba referre. *Manus Deo inferunt*, inquit sanctus Cyprianus (*e*), *quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare* (fuco aut aliquo hujus-

(*e*) S. Cyprian. tract. de habitu virg. post med.

hujusmodi artificio) *contendunt ; nescientes , quod opus Dei est omne quod nascitur , diaboli , quocumque mutatur*. Quibus addit sanctus Martyr , quod *Lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt ; & nullarum fere pretiosior cultus est , quarum pudor vilis est . Sic in Scripturis Sanctis* , subjungit , *quibus nos instrui Dominus voluit & moneri , describitur civitas meretrix , compta pulchrius & ornata , & cum ornamentis suis , ac propter ipsa potius ornamenta , peritura* .

Sanctus Augustinus in sua ad Possidium Epistola (*a*) similiter loquitur dicens : *Fucare pigmentis , quo vel rubicundior vel candidior appareat , adulterina fallacia est , qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi . Nam verus ornatus maxime Christianorum & Christianarum , non tantum nullus fucus mendax .... Sed mores boni sunt* . Idem alibi asserit viduas alloquens (*b*): *Simulatum autem candorem ac ruborem & pigmentis illitum non adhibitis , etiamsi viros haberetis , non putantes dignos quos falleretis nec vos quod fallere deberetis* . Hæc sunt verba hujusce Doctoris .

(*a*) S. August. Ep. 245. alias 73. in can. Fucare . 38. de consecrat dist. 5.

(*b*) S. August. l. de bono viduit. cap. 19. seu n. 24.

Sanctus Clemens Alexandrinus eo etiam modo loquitur (*c*) , quo pudore suffundi deberent mulieres ac puellæ , quæ faciem pigmentis illinunt , ac sericis maculis eam distinguunt : *Quemadmodum autem* , inquit , *cui impositum est cataplasma , & cui inuncti sunt oculi , vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem , ita fuci , tincturæ , & colores illiti animam intrinsecus ægrotare significant* .

(*c*) Clem. Alex. in Pædag. l. 3. c. 2.

Ea ratione loquuntur vel antiquissimi Ecclesiæ Patres , quorum dictis adeo claris ac nervosis quiddam addendum non putamus . Mulieres quippe , quibus vel minima superest Religionis scintilla , venerandis adeo ac sanctis auctoritatibus cedere non dubitabunt . Igitur Lydiam , de qua in casu proposito fit sermo , a peccato excusare non possumus ; eoque gravissimo , quod etiam fieri posset mortale , si vanos illos adhibens ornatus , homines ad luxuriam provocare intenderet , uti constat ex doctrina sancti Antonini (*d*) .

Dicimus , quod peccatum illud *etiam fieri posset mortale* , si impura esset mulieri huic intentio ; nam fatemur illud natura sua non esse mortale ; quia , ut ait sanctus Thomas (*e*) : *Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali , sed solum quando fit propter Lasciviam , vel in Dei contemptum* . Qui duo sunt casus , in quibus Patres adeo vehementer in mulieres , quæ fucum seu pigmentum adhibent , invexere . *Quibus casibus loquitur Cyprianus* , inquit Angelicus Doctor , qui addit , mulieribus non esse vetitum faciei vitia occultare : quod probat his verbis , auctoritatem Apostoli adhibens : *Aliud est fingere pulchritudinem non habitam , & aliud occultare turpitudinem ex aliqua caussa provenientem , puta ægritudine , vel aliquo hujusmodi . Hoc enim licitum est ; quia secundum Apostolum , 1. Corinth. 12. quæ putamus ignobiliora membra corporis esse , his honorem abundantiorem circumdamus* .

(*d*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. lib. c. 23. §. 15. in fine .

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 2.

Id quidem confirmari potest ex his Silvii , incliti sancti Thomæ interpretis (*f*) qui loquens de compositoribus ac venditoribus fuci aliorumque similium dicit : *Quod attinet ad fucos ..... quamvis quibusdam videatur , quod homines ut plurimum iis utantur ad malum ; satis tamen certum est , quod non ut plurimum utantur in malum mortale . Et ideo non est in malo statu , qui talia facit aut vendit , nisi vendat ei , quem probabiliter dubitat hujusmodi rebus usurum ad mortale* . Quod confirmat auctoritate Silvestri Cajetani (*g*) & Vivaldi : *Est autem ratio* , inquit Cajetanus ; *quia fucatio species est fictionis . Constat namque quod fictio , nisi sit perniciosa , non est peccatum mortale , sicut de mendacio dicimus , quod solum perniciosum est mortale . Mulierum autem fucatio officiosa est ad pulchritudinem serviens , non perniciosa secundum se , sicut nec suprema pulchritudo naturalis . Quando enim natus effectus potest ab arte & natura fieri , ejusmodi rationis est , si a natura & si ab arte fiat , ut patet de sanitate . Et propterea si pulchritudo naturalis non est secundum se perniciosa , consequens est , quod nec pulchritudo artificialis secundum se sit perniciosa* .

(*f*) Silv. in 2. 2. q. 77 art. 4. quæsit. 1. Conclus. 5. §. Quod attinet.

(*g*) Silvest. de Prierio. v. Ars. q. 4. Cajetan. in 2. 2. S. Thom. q. 169. art. 2. ad 3. dub. Mart. Alph. Vivaldus de usu larvarum. n. 14.

C A S U S II.

Ancelinus , Mercator minutarum mercium , fucum componit & vendit nobilibus matronis . An id potest absque peccato , & quale est ipsius peccatum ?

R e s p o n s.

Mercator iste fucum absque peccato vendere non potest : hæc est enim morum firmissima ac certissima regula , ea sine peccato vendi non posse , quæ in usus absque peccato converti non possunt : *Si quæ ars est* , inquit sanctus Thomas (*h*) , *ad faciendum aliqua opera , quibus homines uti non possunt absque peccato : per consequens artifices talia faciendo peccarent* : atque dicti sui rationem istam affert Angelicus Doctor : *Utpote præbentes directe aliis occasionem peccandi* . Atqui , ut alibi docet sanctus Thomas (*i*) . *De fucato autem ornatu semper est peccatum . Mulieribus non permittitur ornari , nisi propter viros : & viri nolunt decipi , ut fucatæ eis appareant* . Quod asserit tantum Angelicus Doctor post sanctum Augustinum , qui de fuco loquens dicit (*K*) : *Adulterina fallacia est , qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi , quibus solis permittendæ sunt feminæ ornari secundum veniam , non secundum imperium* . Atque hinc sequitur ab Ancelino nec confici nec vendi posse matronis fuciei medicamen absque peccato . Hactenus dictis assentiuntur Hostiensis (*l*) , Joannes Andreas (*m*) , quos sequuntur Ancharanus , Antonius de Butrio , Abbas & Albericus , quos laudat Fagnanus (*n*) ipsis assentiens .

(*h*) S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 2. ad 4.

(*i*) Idem. in c. 2. 1. ad Timoth. lect. 2.

(*k*) S. Aug. ep. 245. alias 73. n. 2.

Quod pertinet ad Criminis qualitatem , non ducimus id defendi posse , quod sit mortale ; eo tamen casu excepto , quo sine caussa legitima putaret mercator , ab emptore fucum esse adhibendum ad committendum mortale peccatum , ut docent Silvius & Cajetanus , quorum verba in præcedenti decisione retulimus .

(*l*) Hostiensis in c. *Multa*. ne Clerici vel. Monac. &c. n. 9. & in Som. tit. de sacr. conferendis. §. *Ex qua* . v. *Sed quid est* .

(*m*) Joan. Andreas in Rubric. n. 4.

(*n*) Fagnan. in c. *Multa* . n. 44. tit. ne Clerici vel Monachi &c.

F U N D A T I O.

Vide { Beneficiarius. Legatum. Missa. }

FURARI.

FURTUM definitur *injusta & occulta rei alienæ acceptio*. Dicitur; *injusta*; quia per furtum detinetur bonum proximi contra ipsius voluntatem; unde sequitur, quod si quis illud juste acciperet, vel titulo justæ compensationis, aut consequenter ad repudiationem debitæ justitiæ, vel in extrema necessitate, in eo tum furtum non reperiretur. Additur *occulta*; ut distinguatur furtum proprie dictum a Rapina, quæ est furtum vi aperta factum. Dicitur etiam *rei alienæ*, hoc est, rei cujus dominium aut solum usus vel possessio alterius est; unde sequitur, quod si furtive subripiatur a debitore res creditori oppignerata ad assecurationem debiti, tum admittitur furtum; additur denique: *acceptio*: quo intelligitur injusta detentio rei, quæ antea juste fuisset accepta.

Multæ distinguuntur furtorum species: prima dicitur Rapina, quæ est *injusta & violenta rei alienæ acceptio*. Altera vocatur Plagium, estque *liberi hominis injusta acceptio*. Tertia est Peculatus, furtum videlicet publicæ pecuniæ. Quarta appellatur *abigeatus*, hoc est, *pecudum injusta & violenta, dolosa-ve abductio*.

Furtum generatim est semper mortale peccatum, quando res subrepta est gravis vel per seipsam, vel relate ad Dominum; sed est tantum venialis culpa, cum furtum est rei levis natura sua, aut respective ad commodum proximi.

Furti pœna Capitalis est; saltem cum est domesticum, aut nocturnum, aut violentum, & in publico itinere commissum. In aliis quidem circumstantiis minus gravibus a judicibus injungitur tantum pœna remorum, flagri vel exilii; attamen intra fines Jurisdictionis Burgundi Parlamenti, is, qui jam furatus, alterum admittit furtum, capite plectitur.

Hac autem de re sic statuerunt Gallicani Præsules in comitiis generalibus an. 1700. censura sex propositionum, quas protulerant recentes quidam Casuistæ moralis disciplinæ Corruptores.

PROPOSITIO XLV.

Permissum est furari, non solum in extrema necessitate; sed etiam in gravi.

CENSURA.

Hæc propositio, quatenus furtum permittit in gravi necessitate, falsa est, temeraria, & Reipublicæ perniciosa.

PROPOSITIO XLVI.

Famuli & Famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, furtis viam aperit; & famulorum fidem labefactat.

PROPOSITIO XLVII.

Potest uxor viro surripere pecuniam, etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis ac victu habeatur.

CENSURA.

Hæc propositio temeraria est, scandalosa & Familiarum pacem perturbat. Quod autem de Ludo alimentis æquiparando additur, furti iniquitati pessimas fallendi artes adjungit; & in vitam humanam necessitates inducit a Christiana simplicitate & honestate abhorrentes.

PRO-

PROPOSITIO XLVIII.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantacumque sit magna summa totalis.

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, perniciosa, & furta etiam gravia approbat.

PROPOSITIO XLIX.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

PROPOSITIO L.

Etiamsi donatario perspectum sit, bona sibi donata a quopiam, ea mente ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerariæ, fraudibus & dolis patrocinantur, & justitiæ regulis repugnant.

CASUS PRIMUS.

GUILLARDUS, præpotentis cujusdam Domini Cubicularius, ipsi aureum duplionem surripuit. Num ex hoc furto mortaliter peccavit? Ita affirmandum videtur; neque enim summa levis haberi potest aureus duplio: e contra videtur etiam Guillardi furtum non esse mortale; quia cum opulentissimus sit herus suus, duplionis amissio minus ei detrimentosa est, quam quinque assium agricolæ parum diviti.

RESPONS.

Certa est & constans regula, de furti gravitate ad amussim loquendo, judicium ferri debere ex damno, quod infert proximo. Unde sequitur, quod si ei tam levis fiat rei furtum, ut ex eo levissimum is patiatur damnum; peccatum est tantum veniale; cujus rei hanc rationem affert sanctus Thomas (*a*), quia *illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil*, inquit, *& ideo in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum fieri; & ille, qui accipit, potest præsumere, hoc non esse contra voluntatem ejus, cujus est res, & pro tanto si quis accipiat furtive hujusmodi res minimas, potest excusari a peccato mortali*. En Angelici doctoris principium.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.

Attamen, cum certum sit, furtum natura sua esse mortale, ut patet ex his Christi Domini verbis, quæ refert sanctus Matthæus (*b*): *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi: quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum*; & ex his aliis Apostoli Paulli (*c*): *Neque fures, neque avari .... neque rapaces Regnum Dei possidebunt*. Imprimis hac in re verendum est, ne quis sibi nimium blandiatur, levius existimans, furtum esse tantum veniale; dum coram Deo mortale est. Quod quidem dijudicari potest exemplo peccati Adami; nam ut dicit sanctus Leo (*d*) scribens ad Nicetam, Episcopum Aquilejensem, primi hujus hominis peccatum fuit furtum, & ipsum quidem, ut videbatur, rei levissimæ, pomi videlicet. *Furtum* (reperitur in Adami peccato) *quia prohibitus usurpatus est cibus*. Nec tamen a peccato mortali fuit immunis ob levitatem rei subreptæ.

(*b*) Matth. 19. 17.

(*c*) 1. Corint. 6. 10.

(*d*) S. Leo Ep. 86. c. 3.

Jure merito igitur dici potest, vanam esse Guillardi excusationem, cum ob heri sui opulentiam asserit, unius tantum duplionis jacturam levissimum ei damnum inferre, atque adeo legitime se præsumere posse, herum suum in se tam leve furtum non esse damnaturum: Nam e contra dici potest, herum nunquam esse censendum libenti animo proprium furtum pati, imprimis a famulis suis quorum operam convenienti mercede remuneratur, ac proinde ab eo Guillardum fore dimittendum, aut saltem emendandum, si ipsi nota foret ejus infidelitas. Deinde quamvis duplio parum sit pro divite, in se tamen res est notabilis, atque adeo de Guillardo affirmari potest, quod assert Catechismus Concilii Tridentini (*e*): *Quid quod audire licet interdum fures, qui nihil se eo peccare contendant, quod detrahant aliquid locupletibus & copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem? Misera sane & pestifera defensio*. Ex quibus verbis concludere necesse est, absque mortali delicto rem in se notabilem subripi non posse, quamvis homini opulento, qui ea privari potest, absque gravi incommodo. Hinc sanctus Augustinus a Gratiano in Decreti Canone relatus (*f*) severe eos redarguit, qui ab opulentis aliquid auferunt ad Eleemosynam dandam; & asserit, hujusmodi actionem a dæmone dumtaxat posse suaderi. *Forte aliquis hoc secum cogitat & dicit*, hæc sunt verba sancti Doctoris, *multi sunt Christiani divites, avari, cupidi: non habebo peccatum, si suum illis abstulero & pauperibus dedero. Unde enim nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego Eleemosynas dedero: etiam in hac re parcat unusquisque animæ suæ; quia hujusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etsi totum tribuat pauperibus quod abstulerit, addit potius peccata, quam minuat*. Ex qua sancti Patris doctrina videre est, reum imprimis esse Guillardum, nec a mortali peccato excusari posse, cum rem Domino suo subreptam sibi retinendo magis sit reus, quam ii, qui furta sua in Eleemosynas conferre destinant.

(*e*) Catech. concil. Trid. part. 3. de 7. præcepto n. 3.

(*f*) S. Aug. in can. Forte. 14. q.

CASUS II.

NUMERIANUS, Alexii & Helenæ filius unicus, quandam identidem a Patre subripit occulte pecuniam, qua non abutitur, sed ad commercium eam adhibet; cumque se unicum Patris sui fore hæredem præsumat, ex hoc furti conscium non fieri sibi persuadet. Nunquid in eo errat?

RESPONS.

Procul-dubio errat Numerianus, ac mortaliter peccat, si notabilis sit res ab eo Patri suo ablata. Ita sentit sanctus Antoninus his verbis (*g*): *Si quis rem aliquam occulte, invito Domino, non solum, si abstulit ab extraneo, sed etiam filius parentibus, uxor viro, servus Domino, discipulus magistro, socius socio, consanguineus consanguineo, furtum est, si est notabile damnum:*

(*g*) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 15. §. 6.

unde

unde est mortale, & tenetur ad restitutionem.

Sed frustra alibi potius, quam in Sacra Scriptura adeo certæ veritatis probationes conquirimus. *Qui subtrahit aliquid*, inquit Sapiens (*a*) hoc est furatur, juxta Hebraicum sensum) *a Patre suo & a Matre: & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*; aut juxta versionem septuaginta, *Particeps est impii*. Qua locutione adeo vehementi satis manifesta fit gravitas peccati, quod io casu proposito admittit Numerianus; cum satis coostet, rem, quam Patri surripuit, maximi esse momenti.

(*a*) Prov. 2. 21.

Gersonius quoque de furto filios-familias damnat, qui Patris bona surtipiunt. *Regula filiorum ad parentes*, ait doctus ille Auctor, *est, quod parentes honorent, & eis in bonis obediant, nec eis sua furentur* (*b*).

(*b*) Jo. Gerson. tract. de modo vivendi considerat. 15.

Juvat tameo observare 1. Non ita commoveri Patrem de furto sibi facto a proprio filio, atque ab extraneo, & ideo, ut filius furti conscius judicetur necesse esse, ut res a filio subrepta majoris fit momeoti, quam quæ ab extraoeo fuisset ablata, 2. ad judicandum, num filius-familias sit reus peccati mortalis ob rem subreptam, coosiderandam esse non solum Patris indolem ejusque in filium habitum, sed etiam rerum bonorumque illius statum, uti pariter pravum vel bonum usum rei a filio ablatæ; nam si filium Pater imprimis diligeret, dives esset, eique libenter pecuniam daret; dici posset, filium non esse peccaturum lethaliter; nisi subrepta ab eo pecuniæ summa longe major esset, quam ea, cujus furto alter peccati mortalis reus fieret. 3. si e contra filio ad victum vestitumque Pater parum æquus denegaret necessaria; quæ ut suppleret filius, furto usus est, tum fore necesse, ut multo major esset furtiva pecunia, quam si eam ad ludum aut ganeas adhibuisset. 4. Denique, si Pater egenus esset, multo magis ex furto filium fore reum, quam, si Pater dives esset; quo in casu furtum de facili in mortale peccatum abiret. Attamen, licet ad ista attendat Confessarius, imprimis cavere debet, ne pro hujusmodi furtis nimium indulgeat; alioqui nimia facilitate sua ad absolvendos filios familias de hujusmodi furtis, iis io crimine perseverandi occasionem præberet.

CASUS III.

Dionysia, quæ Eleonori viri sui areæ pecuniariæ clavem habet, quod is de privatis familiæ sumptibus oon curet, potest-ne propria auctoritate quandam pecuniæ summam notabilem alienare, seu ad amicorum suorum munera, seu ad ludum, quo ex conditione sua quaodoque obstringitur, aut denique ad alios similes usus; quod si faciat, peccat ne hæc mulier contra præceptum, quo prohibetur furtum.

Raspons.

Dicendum, in casu proposito verum a Dionysia furtum committi, cum arbitratu suo, insciisque viris suis aliquid paullo majoris momenti, quod ad communitatem pertineat abalieoare oequeant mulieres, præsertim cum illud ludo dilapidant.

Id quidem probari potest, ex præclaris S. Augustini (*c*), præceptionibus ad conjugem quandam, nomine Ecdiciam, quæ partem bonorum suorum absque viri sui consensu in Eleemosynas contulerat, caritatis opera exercere se putans: quod ipsi facere non licitum fuisse ostendit Sanctus Doctor absque viri sui assensu: *Nihil ergo de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia vel rebus ullis terrenis tuis, sine arbitrio ejus facere debuisti*. Tum subjicit: *scribe ad eum satisfactionem, petens veniam; quia in eum peccasti, quod ejus consilium & voluntatem de rebus tuis fecisti, quod faciendum putasti*. Quid ergo dixisset S. Augustinus, si bonum hoc in ludo vel in glotiis aut in aliquo pravo usu consumpsisset hæc mulier? Cum S. Augustino sentit S. Antoninus, cujus in præcedenti decisione testimoniom retulimus; cum asserat furtum esse, si quid abstulerit uxor viro, & furtum etiam illud esse mortale; cum res furtive sumpta est notabilis.

(*c*) S. August. Epist. 262. alias 199.

Confirmari potest hæc decisio auctoritate jurisperitorum, qui ex legibus unanimi consensu docent, dominium atque gestionem bonorum communitatis, quæ inter virum & uxorem intercedit, ad virum, stante Matrimonio, pertinere; cum nec de sua dote uxor disponere queat, licet sit bonum cum viri bonis non permixtum. *Si prædium uxor tua dotale venumdedit*, inquit Lex Codicis (*d*) *sponte nec contractum ratum habuerit; nihil interest, cum rei tibi quæsitæ dominium auferre nolenti minime potuerit*. Neque etiam de reditibus dotis suæ potest statuere; quippe qui viro concedantur pro oneribus Matrimonii sustioendis, ex hac alia lege (*e*): *Pro oneribus Matrimonis mariti Lucro fructus totius dotis esse, quos ipse cepit, manifestissimi juris est*. Quibus legibus congruit Parisiensis consuetudo cum aliis multis.

(*d*) Leg. Si prædium. 13. cod. de jure dotiom. lib. 5. tit. 12.

(*e*) Leg. Pro oneribus. 20. ibid.

His addi potest censura 3. Aug. an. 1658. a Vicariis generalibus Parisiorum lata in contrariam opinionem, quam contioet Liber inscriptus, *Apologia Casuistarum* (*f*), io quo objectionem sibi proponit Auctor, quam dissolvit suppooendo, mulierem viro suo pecuniam furtive ad ludendum posse surripere. En verba censuræ. *Hæc doctrina quatenus furtum mulieris, ad ludendum viro suo factum, approbat, temeraria est, scandalosa, & a mente honestæ atque Christianæ mulieris aliena, perniciosam inducit licentiam, atque familiarum quietem perturbat*.

(*f*) Apologia casuistarum. pag. 231.

Fatendum tamen, in quibusdam casibus mulieri forsan licitum esse, quidquam de bonis communitatis furtive ob justam aliquam necessitatem auferre; v. g. si vir esset libidini deditus, mulieris suæ dotalia bona & etiam propria dilapidaret, necessaria ad familiæ sustentationem non suppeditans; certum est enim, quod in hoc casu mulier res ad familiæ suæ sustentationem necessarias & quas is denegaret, absque peccato furtive sibi posset sumere, modo omne abesset scandalum. Qua de re consuli possunt, quæ jam de hac difficultate diximus, dum de communitate bonorum (*g*).

(*g*) V. Communitas bonorum. Col. 1.

CASUS IV.

Portianus, Sarcinator, sibi retinet minutias panni, ex quo vestes aliorum, qui suam frequentant tabernam, conficit: An id ipsum potest absque furti reatu? Videtur, quod possit tribus de causis. 1. Quia exiguum sane manupretium pro conficienda veste sibi tribuitur. 2. Quod nulla mercede redimatur temporis jactura in emptione pannorum consumpti. 3. Denique, quod minuta illa pannorum frusta reposcere non soleant illi, quibus operam suam locat: quibus etiam addi potest, quosdam contemptui id habituros, si ipsis reliquas illas offerret minutias. Nuoquid sufficiunt ratiooes istæ, ut a peccato excusetur Portianus?

Raspons.

De furto Portianus excusari nequit, & etiam affirmari potest, eum mortaliter peccare, si quas retinet panni miootias, notabilis sint valoris. Hinc vult S. Antoninus (*h*), ut Confessarii Sarcinatores interrogando, quærant, num quasdam pannorum sibi ad vestes conficiendas datorum minutias retinuerint, quia in hoc casu furti essent conscii. *Si quod restat sibi de serico, vel panno, vel tela, vel aliis sibi datis, pro fiendis vestibus retinet sibi*, inquit, *furatur illud si sit quid notabile; nisi illi minutias dedisset sibi in mercede laboris, & illud capit sibi ad supplendum tantum, vel ubi esset in pacto*. Ita S. Archiepiscopus.

(*h*) S. Anton. in summula Confessionali. 3. part. 6. 8. de Artificibus mechanicis. §. 6. de futore pannorum.

Irritæ quoque sunt omnino Portiani rationes; Prima & secunda; quia io hoc casu occulta nequit uti compensatiooe, ut constat ex dictis alibi, dum de jure compensatioois. Nec potior est tertia ejus ratio; quia qui de booo alieno quid retinet, *invito Domino*, noo debet expectare, dum id petatur, ot restituat; & si forte non petantur hujusmodi minutiæ, id fit, quia de eo noo cogitant, qui vestes conficiendas dedere, vel nimia in Sarcinatores suos fiducia, sibi persuadent, nihil superfuisse de panno; aut quia existimant, supervacaneum esse postulare, cum oihil superfuisse soleant reponere sutores vestium. Ceterum *gratis* & absque ulla ratione affirmatur, quibusdam fore offendiculum, si minuta pannorum frusta reddere vellet Sarcioator: Insuper, ut tuta is posset esse conscieotia & a restitutione immuois; scite pro certo deberet, pannorum minutias ab illis non esse accipiendas, pro quibus laborat; quod tuto nisi per expetientiam sciri nequit (*i*).

(*i*) De Genet. tom. 6. Theol. mor. tract. 5. c. 3. q. 10.

CA-

CASUS V.

Metaophanes, divitis publicani rei familiari ac mensæ præpositus, sæpe asses quosdam e pecunia heri sui retinuit in emptionibus vel ad ejus mensam vel ad cultum factis. Ex minimis illis furtis identidem a se repetitis, potest-ne fieri reus peccati mortalis?

Respons.

Primo certum est, quod, licet ob levitatem materiæ furtum possit esse veniale peccatum; is tamen, qui furatur, mortaliter peccat, cum rem minimam accipiens, intendit minima illa furta ad summam notabilem extendere, ut docet S. Thomas his verbis (a): *Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale*; quia non tam rei, quæ aufertur, quam furantis intentionis habenda est ratio. *Fur autem*, inquit S. Hieronymus (b), *non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur*. Unde sequitur, quod, licet is, qui ab eodem minima repetitis vicibus tantum furatur, a peccato excusari possit, si minima illa furta ad notabilem summam adducere statim non intenderit, dubium tamen esse non potest, quin ea continuando mortaliter peccet, non solum ob intentionem malam, quam præsumitur habere, magnum ex his proximo inferendi nocumentum; sed quia reipsa novit, se postea illud allaturum; quandoquidem ex minimis illis furtis ad notabilem summam deveniet; & quia, licet ex se non sint mortalia, si seorsim spectentur; ex unione tamen eorum morali, & ex circumstantia, qua summa fiet notabilis, evadunt mortalia. Ita docet inclytus S. Thomæ interpres, cujus hæc sunt verba (c): *Ex his, quæ supra diximus, facile est intelligere, eum qui ab initio voluntatem habet per plura minima furta notabilem quantitatem conferendi, aut res suas ita paulatim notabiliter augendi peccare mortaliter in singulis illis furtis, quia singulis vicibus aufert rem parvam cum intentione auferendi magnam*: Et paullo post (d): *Qui non habet intentionem aliquid notabile excipiendi, paulatim tamen quantitatem accipit; peccat mortaliter non quocumque actu, sed eo demum in quo habet notabilem summam alienam.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.

(b) S. Hieron. in can. Fur. 4. 24. q. 6.

(c) Fr. Silvius in cit. Locum S. Th. q. 3. conclus. 1.

(d) Idem ibi. conclus. 2.

Hactenus dicta probari possunt ex comparatione ebrietatis; nam is, qui paullo ultra justam necessitatem cognitam & ex levi intemperantia potat, statim venialiter tantum peccat; sed tam crebris denique se proluere potest calicibus, ut peccatum tandem mortale fiat, cum nimirum ex intemperantia fiat ebrietas. Idem etiam dici potest de eo, qui jejunio Ecclesiastico tenetur: Licet enim jejunii præceptum frustula quædam edendo non frangat, non intendens esum continuare; certum est tamen, quod pergendo edere repetitis vicibus peccati mortalis tandem reus fiet, cum eam notabilem quantitatem comederit & sufficientem, ut Lex jejunii frangatur. Nec dispar est ejus ratio, qui brevi tempore ad opus servile dominico festo-ve die incumbit, is enim diutius laborare non intendens, leviter peccat; sed si tot repetitis vicibus idem opus aggrediatur, ut in eo faciendo, notabile tempus occupet; peccat haud dubie mortaliter in præceptum Ecclesiæ, quo prohibetur opus servile, & statuitur festorum Dominicæque diei sanctificatio. Idem ergo dicendum de eo, qui multa minima furta exaggerat; cum ex his furtis simul unitis fiat summa notabilis; quæ proximo subripi aut detineri nequit absque peccato mortali: Et quidem si ita se res non haberet, sequeretur, quod utens falso pondere falsa-ve mensura non peccaret mortaliter, cum nimirum unius alterius-ve denarii v. g. jacturam privato cuique afferret; quod tamen omnino est falsum: Nam, ut ait Scriptura (e): *Statera dolosa abominatio est apud Deum*: Et iterum: *Abominatio est apud Deum pondus & pondus*; & alibi (f): *Non habebis in sacculo diversa pondera; majus & minus; nec erit in domo tua modius major & minor ... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc*. Ex his omnibus testimoniis ac rationibus manifestum fit; Metrophonem, de quo in casu proposito fit mentio, factum fuisse reum mortalis peccati & ad integram teneri restitutionem summæ subreptæ, quæ tandem per minima illa furta sæpius repetita notabilis facta est (g).

(e) Prov. 11. 11. & 20. 23.

(f) Deuter. 25. 13. & seq.

(g) De Genet. Theol. mor. tom. 5. tract. 7. cap. 8. Idem 4.

CASUS VI.

Proposita est in publico colloquio hæc quæstio; utrum videlicet, aliquando mortale peccatum reperiri queat in furto rei minimi valoris, ut acus, calami, alterius-ve rei similis. Quidam affirmarunt; alii vero negarunt. Cui jus?

Respons.

Cum ex furto rei minimi valoris nullum vulgo Dominus detrimentum patiatur, & qui eam furtive accipit, præsumere possit, quod eam non subripit invito Domino; affirmari potest, hujusmodi peccatum natura sua non esse mortale, sed tantum veniale: attamen, si qui eam furtive accipit, graviter proximo nocere intendat, aut grave damnum hoc furto ipsi afferat; peccaminosa est ipsius intentio, & furtum mortale, ut constat ex verbis sancti Hieronymi in superiori decisione relatis (h): v. g. Sarcinator seu vestium Sutor egenus, rure habitans, unam tantum actu habet acum; neque in eo est loco, ubi alias invenire possit; ipsi subripitur acus ista, sicque impeditur, ne laboret, ac labore per unum alterum-ve aut etiam dies complures vitam quærat; furtum in hoc casu, cum cognitione factum procul dubio potest esse mortale. Ita docet S. Thomas (i) his verbis: *Illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil, & ideo in his, quæ minima sunt, homo non sibi reputat nocumentum auferri: & ille qui accipit, potest præsumere, hoc non esse contra voluntatem ejus, cujus est res, & pro tanto; si quis furtive hujusmodi res minimas accipiat, potest excusari a peccato mortali: si tamen habet animum furandi & inferendi nocumentum proximo; etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale; sicut & in solo cogitatu per consensum.*

(h) S. Hieron in cit. can. Fur. 4. 14. q. 6.

(i) S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad 3.

CASUS VII.

Metaphrastus in extrema necessitate constitutus etiam cum vitæ periculo, quod huic nullatenus inopiæ mederi posset, furtive panem decem librarum abstulit, quo per dies decem vitam sustentavit: hoc autem elapso tempore ad eandem inopiam iterum redactus, in levamen miseriæ suæ simili pondere panem furatus est. Nunquid hæc furta committendo peccavit?

Respons.

Certum est, Metaphrastum in proposito casu non peccasse: quia, ut ait sanctus Thomas (k) omnia sunt communia jure naturali, cui jus humanum, quo constituta est divisio, proprietas ac possessio rerum temporalium in casu necessitatis hujusmodi derogare non potest. Quare egenus, qui nec labore, nec eleemosyna, vel aliter vitæ necessaria invenire nequit, ut in casu proposito Metaphrastus, absque peccato tantum de alieno bono furtive potest accipere, quantum sibi necesse est ad levandam præsentem miseriam. *Ea quæ sunt juris humani*, inquit sanctus Doctor, *non possunt derogare juri naturali, vel juri divino: secundum autem naturalem ordinem, ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc quod ex his subveniatur hominum necessitati: & ideo per rerum divisionem, & appropriationem, ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus, & ideo res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi*. Quod confirmat Angelicus Doctor ex his sancti Ambrosii verbis (l): *Esurientium panis est, quem tu detines. Nudorum indumentum est, quod tu recludis. Miserorum redemptio & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis*. Quibus dictis propius ad casum præsentem accedens sanctus Doctor dicit: *si tamen sit adeo*

(k) S. Thom. in 2. q. 66. art. 7. cap. 23.

(l) S. Amb. in can. Sicut. 8. dist. 47.

evi-

evidens & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, puta, cum imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest; tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifeste, sive occulte sublatis: nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinæ: cujus rei hanc affert rationem (*a*): *quia per talem necessitatem efficitur suum id quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.*

(*a*) S. Thom. ibid. ad 2.

Sanctus Raymundus in hoc Angelico Doctori assentitur (*b*): cum enim quæstionem hanc ita sibi proposuit: *Si aliquis furatur cibum, vel potum, vel vestimentum, propter necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, nunquid committit furtum?* ita respondet: *Ad hoc dicas, quod si patitur magnam necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris; ita quod nisi furetur, credit se non posse evadere mortem, non committit furtum, nec peccat; dum tamen propter hanc necessitatem faciat, can.* Discipulos *de consecratione dist. 5. dum, per segetes transeundo evellerent spicas & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, quod coacti fame hoc fecerunt. Idem propter necessitatem famis comedit David panes propositionis. 1. Reg. 21.* (*c*). Eandem veritatem probat hic sanctus ex laudato superius sancti Ambrosii testimonio, ex quo ita concludit: *Unde talis fur licite & debuit & potuit credere Dominum permissurum: & ita non commisit furtum.*

(*b*) S. Raym. in Sum. l. 2. c. de furtis. §. 10.

(*c*) 1. Reg. 21. 6.

Ex dictis sequitur, eum, qui tali proximi sui necessitati mederi non potest aliter, quam rem alienam accipiendo, idem pro eo, ac pro seipso facere posse, ut asserit Angelicus Doctor subjungens (*d*): *In casu similis necessitatis etiam potest aliquis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti.*

(*d*) S. Thom. cit. art. 7. ad 3.

CASUS VIII.

Launomarus, ad extremam quidem non redactus necessitatem, qua vitæ periculum subeat, nisi furetur, in gravi tamen versatur necessitate, ob quam notabilem pati potest infamiam, quia conformem conditioni suæ vitam agere nequit; & ad abjectum vivendi modum, etiam cum aliquo propriæ valetudinis periculo adigitur, potest-ne in hoc casu sibi necessaria furari absque peccato?

RESPONS.

Launumarus ob hanc necessitatis, qua premitur, speciem, a peccato non excusatur. Ita sentit sanctus Raymundus (*e*), qui, cum præmisit licitam esse furtum in extrema necessitate, hoc est, cum absolute necessaria ad vitam tuendam non suppetunt, nec ulla subest via statum hunc vitandi, addit, quod si non tanta sit necessitas, tunc a furto non excusat; atque eo sensu intelligenda est Decretalis ab ipso laudata, qua trium hebdomadarum injungitur pœnitentia illi, qui fame oppressus aut nuditate, in hanc eem sibi necessaria furatur: *Si autem non patitur ita magnam necessitatem, peccat* ... ait hic sanctus, *& in tali casu intelligitur Decretalis extra de furtis* (*f*) si quis propter necessitatem famis aut nuditatis, fuerit cibaria furatus, vel vestem, vel pecus; pœniteat hebdomadas tres. Quod consentaneum est argumento, quod in capite hujusce Decretalis terminis istis legitur: *Committens furtum en necessitate non multum urgente peccat, sed non graviter: unde imponenda est ei levis pœnitentia.* Certum est quidem, ut hoc argumento observatur, quod in hoc casu multo minus grave est peccatum, quemadmodum ait sanctus Raymundus. *Attenuatur* tamen peccatum propter necessitatem; & constat ex his verbis sapientis (*g*): *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Hinc in lege veteri prædiorum Dominis erat vetitum, ne iis molestiam afferrent, qui in sua necessitate racemos in vineis, aut spicas in agris colligerent (*h*): *Ingressus vineam proximi tui, comedes uvas, quantum tibi placuerit, ... si intraveris in segetem amici tui, franges spicas & manu conteres.* Unde Christi Discipulos de furto non accusarunt Judæi, quod in necessitate sua spicas collegissent, sed quod die Sabbathi, ut observat S. Augustinus (*i*): *Unde etiam spicas vellentibus Discipulis Domini, de Sabbatho potius, quam de furto Judæi calumniati sunt.*

(*e*) S. Raymund. l. 2. Sum. tit. de furtis. §. 10.

(*f*) Lib. 5. Decret. tit. 18.

(*g*) Prov. 6. 30.

(*h*) Deut. 23. 24. & 25.

(*i*) S. Aug. l. de opere Monachorum. c. 23. seu n. 28.

Attamen certum est, sola necessitate extrema quempiam ab toto prorsus excusari peccato, & qualibet alia, quamvis gravi, non omnino excusari, licet majus sit vel minus peccatum, prout magis minusve urgens est necessitas. Quorumdam Casuistarum opinio, qui ista propositione: *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*, contrarium defenderant, a Doctoribus Facultatis Theologicæ Lovaniensis an. 1657. damnata est isto Decreto: *Furari nullo casu permissum est, quia intrinsece malum: surripere autem alienum, permissum quidem est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest. Sed illud extendere infinite ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.* Quam eandem propositionem jure damnavit Innocentias XI. Decreto suo 2. Martii an. 1679. lato; quam doctrinam ad praxim reducere aut tueri vetuit Summus hic Pontifex indicta excommunicationis *ipso facto* pœna, & sedi Apostolicæ reservatæ.

Ex dictis hactenus satis aperte damnantur Nobiles quidam, qui sub specioso prætextu natalium suorum majorumque splendorem tuendi atque expensas sæpe inutiles aut superfluas explendi, aliena bona invadunt, atque injuste detinent, mutuasque contrahunt pecunias, apud Mercatores, Artifices aut alios; licet iis solvendis se haud idoneos esse certissime noverint; constat enim eos de furto fieri conscius, ac in illos vere cadit illud Davidicum (*K*): *Mutuabitur peccator & non solvet.* Et quidem sæpe sæpius intestinam hanc ipsis faciunt inopiam pravi mores & in peccato pervicacia; quippe qui Dei beneficiis libidinosa illa vivendi ratione fiunt indigni, quem largum in se ac munificentissimum experirentur, si fideliter ei deservirent, ejusque mandata servarent: Unde dicit Sapiens; *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt. Alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* Hæc dicta sint obiter, ac perpendat ex animo Launomarus, num inter fæcem illam peccatricis nobilitatis locum obtineat: in hoc enim casu multo gravius foret illius peccatum (*l*).

(*k*) Ps. 36. 21.

(*l*) De Genet. theol. moral. tom. 6. tract. 8. cap. 3. q. 3.

CASUS IX.

Laurentius, Mercator Batavus, cum ad Indias Orientales commercii caussa navem conscendisset, a Sinensi Prædone servus captus est. Potest-ne sine peccato pecuniam hero suo furari ad summam dumtaxat sibi necessariam, ut a servitute se se expediat?

RESPONS.

Præceptum, *non furtum facies* (*m*), adeo expressum est ac generale, ut dubium esse nequeat, Laurentium in proposita specie de furto conscium fieri, quandoquidem constet, hanc ipsum pecuniam esse surrepturum *invito Domino*: qua in re posita est vera furti ratio. Igitur servitutis suæ ærumnas patienter ferre tenetur, nec uti alieno potest bono, ut se in libertatem asserat; cum nunquam sit licitum, vel minimum perpetrare malum, ut aliud vitetur, aut etiam bonum, quantumcumque possit esse, comparetur. Ita docet Apostolus (*n*) his verbis: *Non faciamus mala, ut veniant bona.* Difficultatem hanc olim ita solvit inclytus Theologus (*o*).

(*m*) Exod. 20. 15.

(*n*) Rom. 3. 8.

(*o*) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 20.

GLORIA HUMANA.

CUM humana in gloria non minus sit temporale bonum, quam cetera vitæ hujus bona, absque peccato potest desiderari, ut docet sanctus Thomas; modo ad honestum finem propter actionem bonam referatur; cum necesse sit per-

sæpe, ut opera nostra bona cognoscat proximus, ad ipsius ædificationem, ut & ipse ad similia facienda inducatur. *Potest tamen appeti*, inquit sanctus Thomas (*a*) *in quantum est utile ad aliquid, vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur, vel ad hoc quod homines proficiant ex bono quod in alio cognoscunt; vel ex hoc quod ipse homo ex bonis quæ in se cognoscit per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare & ad meliora proficere: & secundum hoc laudabile est, quod curam habeat de bono nomine .... non tamen quod in hominum laude inaniter delectetur.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. qu. 132. art. 1. ad 3.

At cum gloria, quam quis appetit, & qua delectatur, vana est, tum est peccatum vel mortale vel veniale pro diversis circumstantiis; quam propositionem minutius non expendemus, quia Angelicus Doctor, cujus doctrinam in citatis postea testimoniis exponimus, regulas ad rem istam pertinentes liquido stabilir. Non omittendum tamen, vanam gloriam ex eodem Angelico Doctore, quæ est inordinata cupiditas famæ, laudis & honoris (*b*), esse peccatum capitale, licet semper non sit mortale; quia radix est aliorum multorum peccatorum; quæ ex sancto Gregorio magno (*c*) sunt *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordiæ & novitatum præsumptiones; quod manifeste probat idem sanctus Doctor (d)*.

(*b*) Palm. brev. theol. part. 2. a. n. 1677.
(*c*) S. Greg. lib. 31. moral. cap. 17.
(*d*) 2. 2. Thom. q. 132. art. 5. in corp.

CASUS PRIMUS.

VALERIANUS, vir nobilis, gloriæ imprimis est avidus. Huic probare conatur ipsius confessarius, in eo laudis appetitu esse peccatum; quod quidem sibi persuadere non potest, quia, inquit, appetitus ille Dei mandatis non est contrarius, nec in aliqua re proximo noxius. Cui jus?

RESPONS.

Ex principiis sancti Thomæ facilis est hujusce difficultatis solutio (*e*). Nam primo asserit angelicus Doctor, quod *nomen gloriæ*, proprie loquendo, *importat manifestationem alicujus de hoc, quod apud homines decorum videtur, sive illud sit bonum corporale, sive spirituale*, 2. affirmat, quod *non est peccatum, quod aliquis velit bona opera sua ab aliis approbari; dicitur enim Matth. 5.* subjungit sanctus Doctor, luceat Lux vestra coram hominibus: *& ideo appetitus gloriæ de se non nominat aliquid vitiosum: sed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat; nam quodlibet vanum appetere vitiosum est, secundum illud Psalm. 4.* ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? *Potest autem gloria*, pergit idem sanctus, *dici vana tripliciter. Uno modo, ex parte rei, de qua quis gloriam quærit: puta, cum quis quærit gloriam de eo quod non est, vel de eo, quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca. Alio modo, ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non est certum. Tertio modo, ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem.*

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. in corp.

Sequitur ex his regulis gloriam a nemine unquam propter se-ipsum solum esse expetendam, sed eam semper ad Deum esse referendam ex hoc Apostoli (*f*): *qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*: vel ad bonum & utilitatem proximi, ut ait Angelicus Doctor (*g*): *Similiter etiam homo laudabiliter potest ad aliorum utilitatem gloriam suam appetere, secundum illud Matth. 5.* Videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est: quo redeunt etiam hæc Apostoli verba (*h*): *Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus*: id est, curate, ut opera vestra bona, videant homines, quo debitam Deo gloriam reddant, cum ea facere, auxiliante ipsius gratia, tantum possitis.

(*f*) 2. Corinth. 10. 17. & 18.
(*g*) S. Thom. cit. q. 132. art. ad 1.
(*h*) Rom. 12. 17.

Colligitur ex dictis, quod si Valerianus appetens sit gloriæ, quæ vana sit una ex triplici ratione, quam explicat sanctus Thomas; (quo plerumque vitio laborant viri nobiles) a peccato excusari nequit, plus minus-ve gravi, prout minus magis-ve inordinata est ipsius animi cupiditas: at si gloriam tantum quærit, in ordine ad eam, quæ Deo debetur, aut ad utilitatem bonumque proximi, de aliquo damnari nequit peccato.

CASUS II.

VALERIANUS fatetur, gloriam, quam ambit, vanam esse secundum varios sensus, quos exponit sanctus Thomas; sed, quia contendit, in hoc venialiter tantum se peccare, vix ac ne vix quidem futuram suam promittere potest emendationem: qua de re quæritur, utrum non erret in eo, & utrum vana ipsius gloria quandoque nequeat esse mortalis?

RESPONS.

Duplici modo juxta sanctum Thomam (*i*) vana gloria potest esse mortale peccatum, quando amori debito Deo contraria est. Primo modo ratione rei, de qua quis gloriatur, uti de re falsa, & honori ac reverentiæ Deo debitæ contraria juxta illud sacræ scripturæ (*K*): *Elevatum est cor tuum; & dixisti: Deus ego sum*: aut cum Deo aliquid temporale præfertur, de quo quis gloriam quærit: quod designant hæc verba Prophetæ (*l*): *Non glorietur sapiens in sapientia sua; & non glorietur fortis in fortitudine sua; & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire non nosse me*. Vel denique hominum testimonium atque approbationem Dei testimonio atque approbationi anteponendo; uti faciebant ii, de quibus a sancto Joanne dicitur (*m*): *Dilexerant enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*

(*i*) S. Thom. 2. 2. qu. 132. art. 3. in corp.
(*k*) Ezech. 28. 2. Item S. Tho. q. 9. de malo. art. 2.
(*l*) Jerem. 9. 23. & 24.
(*m*) Joan. 12. 43.

Secundo modo ex parte ejus, qui gloriatur; cum nimirum bona opera sua præcipue & ut ad ultimum suum finem refert ad gloriam, quam intendit, & quam ut adipiscatur, Dei mandata contemnere non dubitat. Unde dicit Christus in Evangelio sancti Matthæi (*n*): *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est*. Ita de proposita difficultate loquitur sanctus Thomas; quibus positis sic postea concludit (*o*): *Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis sit inanis, non tamen repugnet caritati, neque quantum ad id de quo est gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non est peccatum mortale, sed veniale.* Ex his ergo principiis ferri debet judicium de peccato, quod admittit Valerianus ex vana gloria, cujus se avidum profitetur, quodque veniale dumtaxat esse potest; si debitam Deo & Proximo caritatem non destruat.

(*n*) Matth. 6.
(*o*) S. Thom. cit. art. 3. in corp.

GRA-

GRADUATUS.

GRADUATUS is dicitur, qui emenso per statutum tempus studiorum curriculo in celebri Universitate, post adhibitum examen in ea obtinuit literas Magistri artium, Baccalaurei, Licentiati, aut Doctoris: quod intelligendum est de Graduatis Facultatis alicujus in hac Universitate constitutæ; hæc enim universitas, in qua traditur dumtaxat jurisprudentia, ut Aureliæ, Gradus Theologiæ aut Medicinæ concedere nequit, & sic de aliis, in quibus Facultates omnes, uti Parisiis, non fuere constitutæ.

Graduatorum jus oritur ex constitutione Concilii Basileensis, quæ postea confirmata est a Pragmatica Sanctione, in comitiis Bituricensibus emissa, ab universo Galliæ Clero a Senatu Parisiensi recepta, ex qua Graduatis affectatur tertia pars Beneficiorum vacantium: sed post abrogatam Pragmaticam, ex Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. inito an. 1516 constitutum est, ut Graduati vacantia per tertiam anni partem, hoc est, mensibus Januario, Aprili, Julio & Octobri haberent.

Distinguuntur Graduati in Nominatos & Simplices. Graduati Nominati illi dicuntur, qui ad attestationem temporis studiorum suorum, ante nominationem suam perfecti (*a*), tales fuere nominati ab universitate, in qua studuerunt, ad obtinenda ad ipsorum petitionem & vi literarum nominationis suæ, beneficia ex obitu vacatura, mensibus sibi assignatis

(*a*) Arrestum Senatus Parisi. mens. August. 1523.

Graduati Simplices sunt qui nominationis literas non obtinuerunt ab Universitate, in qua requisito tempore studuerunt, sed literas tantum gradus sui, simulque attestationem temporis studii sui.

Beneficia Januario & Julio vacantia solis Graduatis nominatis affectantur, aliis exclusis; vacantia vero ceteris duobus mensibus Aprili & Octobri simplicibus Graduatis; uti statuit concordatum (*b*): Quare *Graduati simplices non possunt cum præjudicio Graduatorum nominatorum vacantia mense rigoroso Beneficia requirere; cum ea postulare queant Graduati nominati, quando vacant mense gratioso; si ea forsan collator illi, qui debitas non haberet qualitates, contulisset*, ut ait Dionysius Simon in suis Annotationibus in regulas Juris Canonici Galliæ (*c*).

(*b*) Concordat. tit. de collat §. *Præfatasque*. D. Abbas Fleuri Instit. ad jus Canon. tom. 2. p. 2. cap. 17. pag 380. Diction juris civ. & Canon. pag. 476. Bochel v. *Graduatis* p. 152. (*c*) Simon t. 2. p. 486. 5. edit.

Graduati tenentur 1 Collatoribus ac Patronis Ecclesiasticis exhibere Literas gradus sui, nec non attestationem temporis studiorum data etiam descriptione: Et si sint Graduati nominati, aut nobiles, literas nominationis suæ eum titulo nobilitatis eisdem pariter cum simili eorum descriptione pro ferre debent. Qua de re obiter advertendum est, admitti litem de attestatione temporis studiorum, ut ejus probetur falsitas adhibitis testibus, ob nimiam facilitatem qua hujusmodi attestationes in quibusdam Universitatibus conceduntur. Ita dijudicavit Senatus Parisiensis Arresto 6. Martii anno 1646. quod refert D. Piusson.

2. Tenentur iidem Graduati nomina sua & cognomina quotannis solo tempore quadragesimali alio vero non sufficiente, & ante vacans Beneficium significare & iterare ex Concordato & ex Constitutionibus Ludovici XII. ann. 1499. & 1510. & ex Constitutione Henrici III. an 1585. ut docent Louetus, Despeisseus & Molinæus (*d*), idque sub pœna nullitatis; quæ significatio fieri debet Collatoribus seu Patronis Ecclesiasticis, aut Vicariis eorum Generalibus, Officialibus, aut vicem gerentibus; aut denique per eorum absentiam, Prioribus aut Subprioribus claustralibus: quod satis est, si ab iis fiat Scribis seu Graphiariis Ecclesiasticarum insinuationum, eum abest Collator, nec in loco suum habet Vicarium generalem.

(*d*) Louet. Litter. c. ap. 3. Despeiss. tract. de benefic. tit. 3. n. 45. Molinæus in reg. *De infirmis resignantibus*.

Hujusmodi vero formalitates adeo sunt necessariæ, ut, si eas omiserint Graduati seu nominati, seu simplices facta alteri non Graduato Collatio subsistat: & ab iisdem Graduatis nullum vi graduum suorum Beneficium per quatuor prædictos menses hoc anno vacans requiri poterit. At vero si Literas suas debito modo ante Beneficii Vacantiam quis alius Graduatus insinuaverit; Collator alium de eo valide providere nequit Graduatum, quamvis

nominatum ; qui sibi instrumenta sua non significavit, nec insinuare fecerit : Et qui hanc observavit formalitatem ante vacans Beneficium, anteponitur illi, qui easdem tantum adhibuit post ejus vacantiam : licet illius obtineat sola requisitio & prævaleat in provisum a Papa, modo ordinario Collatori non præjudicet.

Insinuatio vero omnium hujusmodi Literarum temporis studii. Graduum & nominationis necessario fieri debet in Tabulariis insinuationum Ecclesiasticarum earum Diœceseon, in quibus sita sunt Beneficia ; idque intra mensem datæ suæ sub pœna nullitatis ex Ordinatione anni 1646. quod idem dici debet de requisitionibus, denegationibus, aliisque omnibus ejusmodi actibus. Ita etiam in Sanctiori Concilio dijudicatum est, Martii anno 1662. quoad instrumenta significationum & iterationum, quæ a Graduatis fieri debent, ut observat D. Simon in allegatis suis Annotationibus in regulas Juris Canonici D. Dubois (a), qui ejusdem Curiæ addit Arrestum 13. Martii ejusdem anni latum, quo statuitur, ut intra mensem a die datæ quodlibet instrumentum significationis indultorum, revocationum, nominationum & requisitionum Beneficiorum, quæ a Graduatis nominatis fiunt, similiter sub nullitatis pœna insinuentur, scilicet, ut jam dictum est, in Tabulariis insinuationum Ecclesiæ, ipsum Scribam seu Graphiarium, aut ejus substitutum, non vero alios alloquendo ex Arresto Superioris Curiæ Senatus Parisiensis 1. Martii anno 1666. Prima vero graduum significatio quolibet tempore fieri potest, modo non præcesserit quadragesima ante vacationem Beneficii, quod requirit Graduatus.

(a) Simon. tom. 1. p. 287. 3. edit.

Postulationi Beneficii a Graduato factæ nomen propriamque notam subscribere debet Episcopi Secretarius, qui eum ad acta publica referre debet una cum data, & nominibus atque cognominibus Notarii, Apparitoris & testium ; tumque Papæ ligat manus, etiam contra eundem Graduatum postulantem, qui in Romana Curia fuisset provisus, ut priores se tempore præverteret, nec non pro iis, qui nondum postulassent : Quocirca jam eos in eadem Curia prævertere nequit, neque eam aut alium quemlibet Papa providere non potest : quod verum est sive Graduatus per se, sive per alium Mandatarium sui requisierit.

Graduati nominati humaniores Literas septennio professi, ceteris Graduatis nominatis, quamvis data Superioribus anteponuntur, modo Literas suas *quinquennii* conformiter ad Arrestum Senatus Parisiensis mense Martio anno 1688 latum obtinuerint, exceptis tamen solis Theologicæ Facultatis Doctoribus, ut fert Statutum Parisiensis Universitatis, in Parlamento 3. Septembris anno 1598 confirmatum, cujus articulus 54. (b) a Bochelio relatum (c) his verbis effertur : *Ut plures ad docendum invitentur, magistri artium, qui per septennium continuum absque intermissione & citra fraudem in celebri collegio publice docuerit, præferantur omnibus Graduatis in jure nominationis, exceptis doctoribus in Sacra Theologia tantum*. Quod privilegium Graduatorum Professorum septennalium Parisiorum obtinet etiam in omnibus Beneficiis, quæ sita sunt intra fines aliarum Universitatum ex Arresto Senatus Parisiensis 23. Novembris anno 1607 lato pro Francisco Placet professore in collegio Parisiensi ad obtinendum Archipresbyterarum Bituticensem & Parœciam de Vernant ipsi annexam in Diœcesi And gavensi (d) in Stephanum Riniere Professorem Universitatis ; & ex alio Supremæ Curiæ 5. Januarii anno 1649 licet ad Jurisdictionem hujusce Senatus non pertineant ; uti dijudicatum est mense Martio anno 1688 pro N. Fretteau Professore Collegii Crassiniacensis (e):

(b) Statut. Univers. Parif. tit. de Facul. artium art. 5
(c) Bibliot. can. v. Graduati. p. 663. col. 2.
(d) Bochel. cit. p. 663. col. 2.
(e) Diarium forito. 5. l. 12. cap. 9.

Observandum tamen doctorem in Sacra Theologia non præponi Professori Septennali, nisi Doctoratus gradu fuerit insignitus ante vacationem Beneficii ; cum non sufficiat, ut eum postea obtinuerit, licet ante obtentionem provisionum suarum, uti judicavit Senatus Parisiensis 21. Februarii anno 1696.

Collationi Graduato nominato factæ apponi debet hæc clausula : *Tibi tanquam Graduato nominato*, &c. alioquin invalida est collatio ex Arresto Parisiensi 15. Aprilis anno 1535. sed quod spectat ad Provisiones simplici Graduato concessas, ex Arresto solemni ejusdem Senatus Parisiensis validæ sunt declaratæ etiam absque ista clausula (f).

(f) D. Brillon. dict. Arrest., v. Graduatus, n. 26.

Graduatis omnibus sive nominatis seu simplicibus jus competit ad omnia bene-

beneficia ex obitu vacantia, quæ sunt ordinariæ collationis: ita ut ab ordinariis collatoribus non Graduati de iis valide provideri, aut a Patronis Ecclesiasticis nequeant præsentari: quamvis non idem sit dicendum de Patronis Laicis: quod Graduati nullum jus habeant ad Beneficia ipsorum nominationis, neque etiam ad Beneficia collatoris, qui duo tantum conferre potest: quia ad tertiam tantum partem jus habent, quæ non inter duo sed inter tria tantum reperiri potest.

Quando vacat Beneficium, Graduatis obnoxium, mensibus Aprili & Octobri, de eo quem voluerit, providere potest collator, seu sit Graduatus simplex, seu nominatus (*a*), & si nullus sit Graduatus requirens: illud alteri non Graduato conferre potest collator, vel Graduato non qualificato, hoc est, in cujus titulo quæpiam inveniretur nullitas, vel qui proxime elapsa quadragesima nomen atque cognomen suum non declarasset. Attamen si post concessam collationem, tempore requisito unus aut plures se se offerrent Graduati, debite qualificati, collatio non obtineret, & in hoc casu collator de eo Graduatum providere teneretur, qui illud debito modo primus requisiisset (*b*): sed si vacet Beneficium mensibus rigorosis scilicet Januario & Julio; tunc ad antiquissimum e Graduatis nominatis pertinet, uti fert Concordatum.

(*a*) Concordat. tit. de collat. §. *Statuimus quoque & ordinamus.*

(*b*) Regulæ jurisd. cano. & Gallici. tom. 1. pag. 476. edit. an. 1703.

Cum idem Beneficium requirunt plures Graduati nominati; Collatori incumbit eum præferre, qui prior fuerit nominatus: modo omnia sua instrumenta ac literas habeat rite disposita.

Quando ad idem Beneficium concurrunt duo Graduati apprime qualificati cum literis nominationis ejusdem datæ, si ejusdem sint Universitatis, collator Provisionem requisitam concedens anteferre debet, 1. Doctores Theologos Licentiatis ejusdem facultatis. 2. Licentiatos Baccalaureis. 3. Baccalaureos Magistris artium & sic de ceteris pro nobiliori vel minus nobili eorum gradu, & habita ratione majoris vel minoris famæ Facultatis, cujus sunt supposita.

Ob eandem æquitatem, quando concurrunt diversarum Facultatum Doctores, jurium Canonici doctoribus præponi debent Theologi doctores: juris Civilis Doctoribus juris Canonici doctores, & hi doctoribus Medicinæ sunt anteponendi: quod etiam par est observari pro Licentiatis & Baccalaur eis variarum facultatum. An si ad plures ac varias pertineant Universitates isti Graduati; anteponitur qui a celebriori nominatus est Universitate. Quæ omnia rationi & æquitati non minus quam Concordato congruunt.

Interest tamen hic advertere de prioritate nominationis Graduati, quod, cum, ut ait doctus officialis Condomensis (*c*), duo concurrentes eodem anno, alter v. g. Januario, alter vero Martio, fuere nominati, non ab adscripta nominationis die, sed ab anno dumtaxat computandus est concursus conformiter ad hæc verba Concordati (*d*): *Concurrentibus autem nominatis ejusdem anni*: ad quæ verba dicit Rebuffus, parvi referre an Graduati ineunte aut exeunte quadragesima fuerint nominati, cum par sit jus eorum. At si duo illi Graduati non eodem solum anno fuissent nominati, sed in eadem Facultate pari gradu insigniti, tum ad nominationis datam esset recurrendum, uti subjungit concordatum his terminis: *Et si in eisdem Facultate & gradu concurrant, ad datam nominationis seu gradus esse volumus.*

(*c*) Praxis jurisd. Ecclef. volunt. c. 3. §. 4. edit. Antverp. in 8. an. 1695.

(*d*) Concordat de collat. §. *Statuimus*.

Graduatis seu simplicibus seu nominatis nullum jus competit in beneficia sibi affectata, nisi in casu vacationis ex obitu (*e*). Quare in permutationibus resignationibus & abdicationibus ad solos Collatores ordinarios pertinet de illis providere, vel ad alios, quorum interest, omisso penitus Graduatorum jure.

(*e*) Pragmat. § *Item quod omnia*.

Adverte tantummodo, quoad permutationes, quæ fiunt mensibus Januario & Julio, necesse esse ad earum validitatem, ut ante compermutantis obitum admittantur & insinuentur, nec probari possit, eas in fraudem juris Graduatorum fuisse factas: in hoc enim casu invalidæ declarantur a Parlamentis; quod probat Bochellus (*f*) ex celebri Arresto lato in prima inquisitionum Curia Senatus Parisiensis 9 Januar. 1616. Necesse est etiam, ut permutationes ac voluntariæ demissiones duobus integris diebus ante obitum Permutantis aut Resignantis, fuerint insinuatæ; ut constitutum est articulo edicti insinuationum Ecclesiasticarum.

(*f*) Bochel Biblioth can. v. *Graduatus*. p. 663. Le Pretre cent. 1. c. 88. p. 385. 25 edit. an. 1679.

Graduatis solis seu nominatis seu simplicibus jus competit possidendi Beneficia Curata oppidorum muratorum: ita ut aliis, quam ipsis, conferri nequeant, quocumque vacent anni tempore, ut statuit idem Concordatum (*g*), Edicto Henrici III. an. 1585. confirmatum. Quare nova provisio concessa a Summo Pontifice cum clausula, *perinde valere ac si qualificatus esset*, prorsus esset inutilis

(*g*) Ibid. § *Statuimus quoque quod parochiales*.

Parocho oppidi clausi, non Graduato, cui etiam non opitularetur regula *de pacificis possessoribus*, ad retinendam Parœciam oppidi clausi vi possessionis triennalis, ut docet Mainardus (*a*). Et dijudicatum est a Parlamentis Parisiensi an. 1536. & Tolosano mense Martio ann. 1594 Certum quidem est, quosdam a Summo Pontifice de Beneficiis locorum muratorum ad ann. 1550. fuisse provisos, *Quantumvis pudendum & absurdum esset*, inquit Molinæus (*b*): sed abusum hunc emendavit Henricus II. Edicto suo Rhemensi ann. 1551.

(*a*) Mainard. tom. 1. lib. 12. cap 56.

(*b*) Molin. in reg. de infirmis resignantibus. n. 273.

Superest hic enodanda difficultas, an videlicet necesse sit, ut Gradum suum obtinuerit talis Graduatus ante vacationem Beneficii, an vero sufficiat ut post vacationem eum adeptus sit? cui difficultati hæc una suppetit responsio, Arrestorum videlicet jurisprudentiam non esse uniformem: ex quibusdam enim Arrestis admissus est, uti validus & sufficiens gradus, solum ante obtentionem litterarum, quæ *Visa* dicuntur, acquisitus (*c*).

(*c*) Arrest. Parlam Tolos. 5. April. an. 1641. Arrest. aliud. 3 Mart. an. 1686.

Graduatus quilibet, qui Beneficium sui juris petere intra sex menses neglexit, privilegium suum amittit, nisi per se non steterit, legitimumque obstitisse impedimentum comprobet pariter: si Collator idem tempus sex mensium concedere denegaverit, aut neglexerit, devolvitur jus conferendi ad Superiorem ipsius immediatum; quo tempore elapso fit valida collatio (*d*).

(*d*) Innoc. III. in cap. *Quia diversitatem*. 5. de concess. præbend. &c. l. 3. tit. 8. De Selva tract. de benefic. part. 3. q. 61. Rebuffus de nominat. q. 10. n. 1. & 2.

Graduatus nominatus jure suo excidit, cum per decennium titulorum suorum insinuationem neglexit ex duobus Arrestis Senatus Parisiensis, altero mense Jul. an. 1528. altero vero Jun. an. 1545. quæ refert Papo (*e*). Licet aliud fuerit anterius ejusdem Senatus Arrestum 5. Aprilis an. 1541. quo fuit declaratum, quod jus insinuationis triginta tantum annorum spatio censebatur præscriptum. Sed facta semel intra decennium insinuatio ad triginta annos perseverat.

(*e*) Pap. l. 2. tit. 5. n. 1.

Ex utroque parente nobiles ad studiorum triennium tantum tenentur in ea jurium facultate, in qua gradum Baccalaurei sumpserunt, ut statuunt Concordatum (*f*), & Edicta: qua de re observandum 1. Nobilitatis suæ attestationem à judice loci nativitatis suæ, ipsis absentibus esse concedendam, postquam ipsi subscripsere testes quatuor coram illo judice jurati. 2. quod hujusmodi Graduati, aliorum instar, tenentur omnes observare formalitates, de quibus diximus.

(*f*) Præterea.

Graduatus sæcularis sæculare tantum; Regularis vero regulare dumtaxat Beneficium requirere potest, cum eorum quilibet statui suo convenientia beneficia sperare possit, quin sub quocumque prætextu ab iis infringi queat hæc regula. Quod adeo certum est, ut si regulare Beneficium diutissime per modum commendæ fuisset possessum, illud petere legitime non posset Graduatus sæcularis; quia Beneficii naturam commenda non mutat: At si per quadraginta annos Beneficium illud tribus vicibus consequentibus fuisset collatum sæcularibus, tunc legitimo præscriptionis jure censeretur seculare.

Dignitates electivæ & confirmativæ (*g*) Ecclesiarum tam Cathedralium, quam Collegiatarum, quales sunt dignitates Præpositi, Decani, Thesaurarii, Cantoris & Succentoris Graduatorum juri non subjciuntur, ut articulo 2. statuit Edictum ann. 1596 quod licet non approbatum, postea confirmatum est alio Edicto an. 1606. (*h*) sub ista conditione verificato, *salvo Indultariorum jure*. Neque etiam in earum collatores valet papalis præventio ante sex menses, Canonicis constitutionibus concessos, ut fiant electiones aut provisiones.

(*g*) Arrest. Sen. Paris. 14. Mart. an. 1625. & 23. Feb. an. 1538. Arrest. Parlam. Rotomag. 25. Maji an. 1674.

(*h*) Art. 1.

Advertit tamen Dionysius Simon (*i*); 1. laudata modo edicta duo executioni non fuisse mandata quoad Theologales ac Pœnitentarias, ex Pragmatica Graduatis affectatas, cui in hoc non derogavit Concordatum. Et quidem ex Arresto 17. April. ann. 1642. (*k*) Graduato, nomine Saint. Simon, Bellovacensis Ecclesiæ Theologi munus, quamvis ad id officii parum idoneo, Senatus Parisiensis adjudicavit. Est & aliud ejusdem Senatus Arrestum 29. Decemb. ann. 1606. priori simile, cui tertium 14 Feb. an. 1650 quoad Pœnitentiariam dignitatem addit D. Dufrene (*l*): hinc etiam quantum ad alias dignitates solum obtinet Edictum ann. 1606. 2 observat idem Auctor dignitates Cantoris, Succentoris & Thesaurarii, quæ in quibusdam Ecclesiis speciem quandam primævæ jurisdictionis suæ retinent, quæque aliunde præeminentiæ fruuntur prærogativa, nunc haberi tanquam veras dignitates, Graduatorum juri non subjectas 3. asserit etiam non esse necesse, ut illi, quibus aliqua confertur in Ecclesia Cathedrali dignitas, ad obtinendas provisiones suas gradus suos significaverint, neque etiam ut temporis studiorum attestationem proferant.

(*i*) Loco citato. pag. 181.

(*k*) Soefve. tom. 1. cent. 2. c. 51.

(*l*) Diar. aud. tom. 5. cap. 51.

Idem dicendum de Beneficiis, quæ in quibusdam Ecclesiis ante Concordatum,

tum; Cantoribus, Choristis, Musicis aut Mansionariis fuere addicta, & quæ ne quidem *in favorem* possunt resignari, ut probat Brodellus ex multis, quæ refert Arrestis (*a*).

Dicimus, *ante Concordatum*; Nam si ipso posterior esset talis addictio, & a quibusdam tantum particularium Ecclesiarum Statutis, Regio diplomate non confirmatis, suam duceret originem, tunc Graduatorum jus impedire non posset, ut dijudicavit Senatus Parisiensis ex Arrestis latis 22. Decemb. an. 1520. 28 Novemb. an. 1573. 4. Feb. an. 1586. & 6. 7 Aug. & 15. Decemb an. 1625 (*b*).

Graduatum quemlibet prævenire potest Summus Pontifex, *re adhuc integra*, hoc est, Beneficium conferendo ante Collatorem Ordinarium aut petitionem Graduati vel per se vel per Procuratorem factam(*c*); sed ipsa Graduati petitione adeo ligatur Pontificis potestas, ut provisio Romana, cujus data est ejus diei, quo facta est petitio, ex Arrestorum Jurisprudentia invalida penitus censeatur: quod idem debet affirmari de casu duarum provisionum ejusdem datæ, quarum altera ab ordinario Collatore, altera a Papa maneret: tunc nimirum Pontificiæ provisioni prævalet ordinaria. Ratio est; quia, cum Papæ jus tantum præventionis competat, provisus in Curia Romana præventionis tempus probare nequit, ut observat Molinæus in sua nota in Constitutionem Bonifacii VIII in sexto relatam (*d*). Et quod magis est, valere etiam posset facta invalide ab Ordinario alicui non Graduato collatio Beneficii Graduatis affectati, modo ipsi inserta fuisset clausula hæc, *aut alias capaci & idoneo*, nec a Graduato debite qualificato intra sex menses Benefic fuisset requisitum.

Inter Graduatos simplices & nominatos illud intercedit discrimen, quod simplices, nisi deficiant Graduati nominati, vacantia mense rigoroso Beneficia requirere non possint (*e*), cum Graduati nominati ea valeant Beneficia petere, quorum vacatio in alterutrum ex duobus gratiosis mensibus incidit: 1. quando Collator nullum providit Graduatum. 2 Quando Collator quempiam non debite qualificatum providit, ut observat Dionysius Simon (*f*), in regulas juris Canonici Galliæ D. Dubois: Existimat quoque hic Auctor, quod, ut non ligari potest Summi Pontificis potestas ex petitione alicujus non Graduati pro Beneficio Graduatis affectato; ita etiam impediri nequit Papalis præventio ex petitione a simplici Graduato Beneficii rigoroso mense vacantis facta; quia in tali casu nullo jure nititur talis petitio (*g*) Sed aliter rem putat esse hic Auctor de Graduato, qui postulavit Beneficium, quod mensibus gratiosis Aprilis scilicet & Octobris vacavit, quia verum ad hoc illi jus competit; quamquam per petitionem suam non possit Collatorem obligare, ut se alteri Graduato anteponat.

Quando Graduatus, cujus legitimi sunt tituli, collationem Beneficii ad quod jus habet, quodque requisivit, & ad quod aliunde idoneus est, obtinere nequit; tum petere debet, ut scripto mandetur debitæ sibi justitiæ recusatio, & Metropolitanum adire, qui petitam potest ei & etiam debet concedere collationem: quæ si pariter a Metropolitano denegetur, ad Primatem, quo denegante ad Summum denique Pontificem recurrere debet: horum prius juridice scripto consignata recusatione, ut statuit Concordatum.

Diximus: *& ad quod aliunde idoneus est*: Nam si ineptus esset, ad Prælatum Superiorem recurrere non posset. Est ergo Collatoris peritiæ ipsius facere periculum, tum quoad ipsius doctrinam, tum quoad mores: quamvis enim Graduati rigoroso jam fuerint subjecti examini, Patresque Tridentini (*h*) opportunum esse duxerint, eos ab omni postea examine dispensare; Ex Edicto tamen Molinensi (*i*) Ordinariis licitum est, iterum examini eos subjicere, quos offerunt Universitates, ut de eorum peritia fiant certiores: quod eo æquius videtur, quod constet, multos esse, qui obtentis gradibus, studium contemnant, & quam assiduo non ita pridem labore compararunt scientiam, præ socordia & negligentia amittant & obliviscantur. Insuper possent esse Graduati pravis moribus imbuti, aut in quibus inveniri potest inhabilitas quædam, parta ex censura Corporis juridica detentione, aut alia quavis ratione.

Graduati capacitas seu habilitas, ut provideatur, repetenda est tantummodo a tempore provisionis suæ, non vero nominationis, ut observant du Luc (*k*), Papo, Tournet, & D. Brillon (*l*), qui eos laudat, quique refert Arrestum conformiter a Senatu Parisiensi latum 11. Febr. ann 1537. & itidem aliud 13. Aprilis ann 1699 quoad gradum requisitum pro loco murato.

De ista vero procedendi ratione unum interest plurimi advertere, quod nimirum si Graduatus Beneficium requisivisset, a Capitulo conferendum juris-

dictioni

(*a*) Brodeau in Louetum. litt. q. c. 4.

(*b*) Bouchel. Biblioth. can. tom. 1. p. 270. & seq. D. Brillon Dictiona. Arrest. v. Grad. n. 208.

(*c*) Concordat. Apost. §. *Declaramus*.

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. Si *a Sede*. 31. de præbend. in 6. l. 5. tit. 4.

(*e*) Dionysius Simon to. 1. p. 277.

(*f*) Idem ibid. pag. 278. edit. 1703.

(*g*) Idem ibid. pag. 276.

(*h*) Concil. Trid. sess. 7. c. 13.

(*i*) Edict. Molin. art. 75. & Edict. an. 1629. art. 20.

(*k*) Du Luc. l. 2. tit. 14 c. 1.

(*l*) D. Brillon dict. Arrest. v. *Graduatus*. n. 20. & 57. & seq.

dictioni Papæ immediate subjecto, is cum non teneretur, accepto juridice denegationis sibi factæ instrumento, ad Papam recurrere, ut de eo provideretur; sed tantum ad Episcopum. Ratio est, quia, cum libera non sit collatio, nullum inde Curia Romana patitur detrimentum, quandoquidem ad eam non pertineant collationes hujusmodi.

Graduatorum sæcularium cessat privilegium, qui possident Beneficium reddens annuos ducentos florenos Cameræ Apostolicæ, hoc est, ut exponit Louetus (*a*), sexcentas libras monetæ Gallicæ; quare vi graduum suorum aliud jam censentur requirere non posse Beneficium. Hæc etiam summa a quibusdam Parlamentis ad 400. lib. fuit determinata, & imprimis ex Arresto Senatus Parisiensis, quod refert Blondellus in suis Decisionibus in Bochellum (*b*), quodque ad conclusiones D. Bignon Generalis Advocati an. 1656. latum est: qua de re ita etiam dijudicat supremum consilium licet Titularis tale Beneficium vi graduum suorum non obtinuerit: in quo Tribunal illud non judicat conformiter ad Edictum an. 1606. (*c*), in quo fit tantum mentio de Beneficio 400. librarum, vi graduum obtento, & a quo statuitur, sufficere tale Beneficium, ut cesset jus Graduati, nisi judicio contradictorio & absque dolo illud amiserit.

(*a*) Louetus lit. G. n. 1.

(*b*) V. Graduatus p. 628.

(*c*) Art. 10.

Differunt etiam Concordatum & Edictum, quod ex Concordato Graduati jus non desinat nisi ex obtentione Beneficii 600. lib. sive illud vi graduum suorum aut alia ratione acquisierit: ex Edicto vero jus suum amisisse censeatur, si vi graduum suorum de Beneficio 400. lib dumtaxat provisus fuerit: licet aliud postea resignasset aut permutasset, aut ob aliquem belli eventum de pacifica ejus possessione deturbaretur.

Acute etiam observat idem Auctor, in oppidis casualia stipendia inter Beneficii reditus esse computanda pro summa requisita, ut jus Graduati impleatur: alioquin magnarum Urbium, quarum reditus omnis in stipendiis & casuali positus est, jus Graduati Parœciæ non implerent: quod absque manifesto absurdo defendi nequit.

Idem dicendum de quotidianis Canonicorum distributionibus & iis, quæ manuales dictæ procedunt ex anniversariis fundationibus pro defunctis alioque casuali: cum ipsis liberum sit eas recipere, modo adsint choro, uti tenentur, & aliunde sint capitula, quorum reditus ad distributiones fuere destinati, ut tutius divino interesse officio obligentur Canonici.

Diximus: *Graduatorum sæcularium cessat privilegium*: Nam Graduati sæcularis prærogativa censetur impleta ex possessione Beneficii, cujus reditus est infra summam 400. lib. quod is paupertatis votum emiserit, eique sufficiens esse possit minor reditus, ut observat D. Abbas Fleuri, qui addit, jus Graduatorum in Britannia non magis quam reliquam Pragmaticam unquam viguisse. Hinc requirit Concordatum (*d*), ut omnes Graduati ab universitatibus, in quibus studuerunt nomina & qualitates Beneficiorum, quæ actu possident, justumque eorum valorem expresse designent: quod jam a Ludovico XII. sub pœna nullitatis nominationis ipsorum fuerat constitutum (*e*).

Vide titulum, *Indultarius*, de privilegio Indultariorum in Graduatos, quibus semper anteponuntur, conformiter ad edicta Francisci I. ann. 1541. & 1543.

(*d*) Concordat tit. de collat. §. *Volumus autem*.

(*e*) Edict. Ludov. XII. an. 1499. art 7.

CASUS PRIMUS.

GERALDUS, obtentis per gratiam aut astutiam Magistri artium & Baccalaurei gradibus in Universitate, in qua non studuerat, & aliunde necessaria destitutus scientia, in oppido præcipuo de parochiali Ecclesia provisus est. Nunquid canonice de isto Beneficio provisus est, aut illud tuta conscientia retinere potest, cum studio dare operam & necessariam ita acquirere scientiam constituerit?

RESPONS.

Beneficium quidem cui annexa est animarum cura, in loco murato, hoc est, loco valde populoso licet non cincto mœnibus, Graduatis tantum in Gallia conferri potest, uti statuit Concordatum an. 1516. inter Leonem X. & Franciscum I. initum (*f*), cui jam præiverat Edictum Ludovici XII. an. 1499. (*g*), & postea sancitum est duobus Edictis Henrici II. quorum alterum an. 1550. apud sanctum Germanum, alterum an. 1551. Rhemis emissum est (*h*).

(*f*) Concordat. de collat. in fine.

(*g*) Edict. Lud. XII. art. 3.

Verum ad Canonicam provisionem non sufficit obtentio gradus requisiti, sed huic accedat competens scientia, omnino necesse est: & insuper sufficienti tempore studuisse oportet in Universitate, in qua gradum quis obtinuit; cum nihil aliud sit gradus, quam testimonium Authenticum de peritia Graduati, ut fert idem Concordatum his verbis: *Qui per tempus competens in Universitate famosa studuerint*, nec non Edictum Henrici II. 2. Martii an. 1551. Necesse est igitur, ut Graduatus sufficienti scientia sit præditus, ut eum, quem obtinuit, gradum mereatur, & legitime annexa gradui prærogativa frui possit. Unde colligendum est ad solvendam propositam difficultatem, Geraldum de Beneficio suo curato legitime non esse provisum; 1. quia nullo reipsa gradu fuit insignitus ob falsitatem litterarum suarum; cum non studuerit in Universitate, in qua eas obtinuit.

(*h*) Edict. Henrici II. mens. Jun. an. 1550. art. 16. Edict. mens. Mart. an. 1551.

2. Quia

2. Quia ad hunc defectum alter accedit magis etiam præcipuus, necessariæ videlicet scientiæ defectus. Ita sentit Auctor Colloquiorum Condomens. (a).

(a) Colloq. Condom. 2. a. colloq. 1. sect. 2.

Vide Tertium Casum.

CASUS II.

Tarinus, Clericus Doctissimus, in Cancellarium Theologum, aut Pœnitentiarium titularem Ecclesiæ Cathedralis ab Episcopo eligitur. Sed quia ad possidendum hoc Beneficium, necesse est, ut Doctoris, aut saltem Licentiati in Theologia, vel jure Canonico gradum obtinuerit, cujusdam Universitatis Theologos Professores adit, quos novit faciles, quique admittendi ad Gradus jure potiuntur; & quamvis in eorum Universitate nunquam studuerit, ab iis tamen ob divulgatam apud eos Doctrinæ suæ famam Doctoris Theologi patentes litteras obtinet. Nunquid hunc ei gradum conferre possunt isti Professores absque peccato; & si Tarinus ad hunc gradum sit inhabilis, peccatum illorum posset-ne esse mortale? An Tarinus ipse peccavit ad illos recurrens Doctores, & gradum ab illis concessum accipiens?

RESPONS.

Respondemus 1. Doctores Theologos hujusce Universitatis neminem ad Doctoratum admittere posse, nisi conformiter ad statuta, quibus eorum ordinatur potestas, & consequenter eos tantum, qui in sua Universitate tempore ex his statutis præscripto studuere; & tituli hujusce merentur honorem: *Doctores, qui jus habebunt suffragii, solemni jurejurando se obstringant, se nihil gratiæ, nihil favoris daturos; sed veritati fidele testimonium laturos.* Hæc sunt verba statutorum Facultatis Theologicæ Parisiensis (b), quibus cum ceterarum Regni Universitatum statuta par est consentire. Quocirca, si alii, quantumvis periti, ab his Professoribus admittantur, graviter peccant infringendo jusjurandum, quo se obstrinxere, servandi hæc statuta, & perjurii adeo reatum contrahendo.

(b) Art. 31.

2. Gravius etiam delinquunt, cum eos admittunt, qui præterquam quod in Universitate sua per tempus statutis præscriptum non studuere, ad eum insuper gradum, quem ipsis conferunt, sunt inhabiles; & etiam affirmari potest, eorum tunc peccatum esse lethale ob triplicem rationem. 1. quia litteræ Doctoratus, quas tanquam veras conferunt, manifestam contineat falsitatem: ex his enim litteris affirmatur, eum, qui ad Gradum admittitur, in sua Universitate studuisse, ac peritiæ suæ publica dedisse specimina; licet id ipsum sit falsissimum. 2. Quia gradus istos eis concedendo, jus simul ipsis conferant possidendi beneficia, ad quæ prorsus inepti sunt, & de quibus aliter provideri non possent, uti sunt beneficia curata in oppidis muratis, Decanatus, Archidiaconatus, Cantoratus, Theologi dignitates, aliaque hujusmodi Beneficia in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, conformiter ad hæc verba Edicti ab Henrico magno an. 1606. Parisiis lati (c). *Nemo deinceps provideri poterit de dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, neque de primis Collegiatarum dignitatibus, nisi Graduatus fuerit in Facultate Theologiæ, aut Juris Canonici, sub pœna nullitatis provisionum.*

(c) Edict. an. 1606. art. 31.

3. Denique, quia ab istis Professoribus gravis universitati suæ infertur injuria, dum ignaros ad Gradus admittunt; sicque a lectionibus publicis alios eliminant ob spem, quam ingerunt præ nimia facilitate sua, omissis etiam studiis, ad gradus perveniendi: unde oritur universitatis ejusque graduum generalis contemptus; simulque Graduatorum in ea, qui tanquam inscii habentur, despectio.

Hinc sequitur, quod cum ex Principis legibus præcipue requiratur universitatum testimonium, quo eorum comprobetur peritia, qui gradibus insigniri cupiunt, ii nunquam imperitis conferri possunt absque formali legum istarum neglectu. Licet enim ex Edicto Molinensi (d) Episcopis licitum sit, Graduatorum in quibusdam casibus doctrinam periclitari; ex eodem tamen edicto Doctores, quibus gradus conferendi jus competit, non liberantur onere, officium suum digne adimplendi: econtra ad id stricte tenentur ex aliis Edictis, ac præcipue Blesensi an. 1579. in quo sic loquitur Henricus III. (e). „ Gradus non „ conferentur, nisi iis, qui per tempus & in„ tervallum competens & opportunum studue„ rint, juxta Edicta Regum Antecessorum „ nostrorum, cujus attestationes Professorum „ ac Rectorum suorum proferre tenebuntur. „ Et etiam ex Edicto Ludovici XIII. an. 1614. (f); cujus hæc sunt verba: „ Ad quos gra„ dus nemo admittetur, nisi triennio in di„ cta universitate studuerit, vel in alia pro „ parte dicti temporis, aut in dicta universi„ tate pro reliquo; cujus rei sufficiens affe„ ret testimonium, & nisi publice responde„ rit, sub pœna privationis Honorarii prædi„ ctorum Doctorum ac nullitatis dictarum lit„ terarum; quibus Doctoribus aliisque simi„ liter prohibetur, ne quasdam graduum lit„ teras concedant, nisi illis, qui præsentes „ publicum Doctrinæ suæ periculum coram „ ipsis & in dicta universitate fecerint. „

(d) Edict. Molinens. art. 75.

(e) Edict. Bles. art. 75.

(f) Edict. an. 1614. art. 45.

Idem quoque constituunt permulta Concilia Provincialia, & imprimis Burdigalense, Præside Cardinali Francisco de Sourdis, Burdigali Archiepiscopo an. 624. habitum, cujus tale est Decretum (g): „ Ne Graduati tantum, „ sed Docti ad beneficia assumantur Ecclesia„ stica, quibuscumque studiorum universitati„ bus generalibus nostræ Provinciæ prohibe„ mus, ne ulli, cujuscumque scientiæ, gra„ dus litteras concedant, quin prius ipse pu„ blice rigoroso examine probatus, omnium Do„ ctorum, debito modo ad id vocatorum vo„ tis & calculis nitatur. „ Ceterum, quod hactenus diximus, non excludit onus impositum ex aliis regulisque Concordato continentur, cum agatur de privilegio, quod non licet extendere ultra proprium sensum terminorum, quibus effertur.

(g) Concil. Burdigal. an. 1624. cap. 9. n. 19.

Quod pertinet ad Tarinum, qui universitatis, de qua agitur, Doctores adivit, quique vel per gratiam vel pecuniam necessarium sibi Doctoris aut Licentiati gradum obtinuit, dici nequit, ipsum a peccato esse immunem. Existimamus contra, eum gravissimam admisisse culpam, quamvis Doctrina polleat; idque ob duplicem præcipuam rationem. 1. Quia litteris illis Licentiati aut Doctoris manifesta continetur falsitas, eum videlicet in hac universitate studuisse, nec ad Gradum fuisse admissum, nisi postquam ad illum prævio examine idoneus est repertus, & quia conscius est hujus falsitatis, ad quam committendam Doctores illos sollicitavit. 2. Quia eosdem Doctores pecunia data impulit ad infringendam legem præcipuam, ab Ecclesia & Principe constitutam, uti constat. 1. ex Concilio Basileensi & ex Pragmatica Sanctione consequenter

ter ad illud stabilita, & in Senatu Parisiensi 13. Julii an. 1439. confirmata (a). 2. Eu Concilio quinto Lateranensi, quod 10. Maji an. 1512. sub Julio II. inceptum, an. 1517. sub Leone X. finitum est (b) iu quo sic loquuntur Patres hujusce Concilii: „ Monemus autem præfati regni (*Franciæ*) universitates „ sub pœna privationis omuium & singulorum privilegiorum, a nobis & sede Apostolica obtentorum: ne collatoribus, seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secuudum præfata tempora studueriut, & secundum dictarum universitatum statuta ad gradus, & non per saltum provecti fuerint. Quod si secus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatarum uominationum litteris declaramus, universitates ipsas nominandi privilegio ad tempus, secundum culpæ qualitatem suspendimus. „ Hæc est Lex Ecclesiæ, Principum Edictis supetius relatis admissa & confirmata; ad cujus infractionem Doctores illos, pecunia aut gratia corruptos impulit Tarinus, & quam ipse iufregit juxta hæc Bonifacii VIII. verba (c): „ Certum „ est, quod is commiteit in legem, qui legis „ verba complectens „ contra legis nititur vo„ luntatem.

(a) Apud Fontanon. t. 4. tit. 10. p. 382.

(b) Concil. Lateran. 5. sess. 11.

(c) Reg. 88. de regula juris in 6.

CASUS III.

Manco, qui tequisivit Parœciam sancti Cæsarii vi graduum a se obtentorum, quasi per quiuqueunium juri Canonico in universitate Parisiensi operam dedisset, Provisiones concessit Ordinarius, vi quarum beneficium illud adivit, non sine dettimento Guillelmi Graduati ipso multo posterioris, qui illud jam petierat: at Maurus, enm Parisiis nou studuerit, & studiorum suorum atteslationes dolo tantnm & Professores decipiendo obtinnerit, scrupulo angitur, quod Parœciam illam sibi conferri curaverit cum damno Guillelmi, qui re ipsa in Parisiensi nniversitate quinque annos seu Philosophiæ seu Theologiæ studuit, licet Mauro sit multo recentior Graduatus: qua de re quæritur 1. utrum Provisiones illius Canonicæ sint & validæ. 2. An tuta conscientia & rigorose loquendo sancti Cæsarii possit retinere Parœciam, de qua sic provisus est?

RESPONS.

Quamvis ex responsione nostra ad primam difficultatem sufficienter pateat, Maurum Canonice non fuisse provisum; de hac tamen fuse dicemus ob peculiarem circumstantiam, de qua loquitur casus propositus. Dicimus itaque; quod enm ex falso & supposito jure sancti Cæsarii parœciam Maurus obtinuerit, Provisiones ejus sunt irritæ, atque adeo illæsa conscientia Beneficium illud retiuere non potest; quod præ illo certius sit jus Guillelmi.

Ratio est, quia Collator id unum intendit, ut de beneficio illo verum provideret Graduatum, id est, enm qui in Parisiensi Universitate studiorum quinquennium impleverit. Atqui Maurus non est vere Graduatus, cum ex statutis hujusce Universitatis Concordati auctoritate munitis & Edicto Blesensi confirmatis ut jam vidimus, Gradus obtineri nequit nisi peracto illo studiorum tempore in aliqua Universitate. Igitur censeri non potest Collator hoc ei voluisse conferre Beneficium eu ista juris regula: *Cum nullus sit errantis consensus* (d). Provisio ergo illius habenda est tanquam irrita, ob defectum legitimi cousensus in collatores. Unde sequitur ipsum Beneficium illud vere usurpasse, quod tuta proinde conscientia retinere nequit, sed quod abdicare tenetur, quasi omni legitimo ad illud jure destitutus, nec potens coram Deo Beneficii ita usurpati fructus facere suos vi falsi tituli.

(d) *Leg. Non idcirco.* 9. cod. de juris & facti ignorantia. lib. 1. tit. 18.

Consentit hæc decisio Gallicæ jurisprudentiæ, quam stabiliunt Edicta Henrici III. & Ludovici XIII. in responsione ad superiorem difficultatem allata, quibus tantum confirmantur antiquiora Edicta, ac præcipue Edicta Ludovici XII. an. 1499. (e) Francisci I. an. 1515. (f) & an. 1539. (g) quibus is tantum vere Graduatus agnoscitur, qui præscripto tempore studuit; uti Edictum mensis Junii an. 1559. (h) quo declarat Henricus II. falsos omnes Graduatos omni excidisse jure ad Beneficia, quæ requisierant. „ Quicumque falsi„ tatem in re benaficiaria commiserit: *inquit* „ *Rex ille*, seu dando collationes, impetratio„ nes .... requisitiones, studiorum tempus, „ Graduum litteras, si sit Clericus, declara„ bitur excidisse jure suppositi possessorii ad „ dicta beneficia, ab ipso facta litigiosa, & „ puuietur ea pœna, quam idoneam judica„ bunt judices pro casu privilegiato, & ad „ suum remittetur. Prælatum & judicem or„ dinarium, ut in ipsum procedat seu per de„ clarationem perpetuæ inhabilitatis ad possi„ dendum iu hoc Regno Beneficium, seu per „ alias pœuas pro qualitate facti. Et quod ad „ laicos pertinet &c.

(e) Edict. an. 1499. art. 5.
(f) Edict. an. 1515. art. 7.
(g) Edict. an. 1539. art. 9. & 10.
(h) Edict. an 1550. art. 18.

Conformiter ad hæc Edicta ab omnibus Galliæ Parlamentis emissa sunt solemnia in falsos Graduatos Arresta; & imptimis Tolosanum 30. Martii an. 1693. unum tulit, quo quemdam Beneficiarium cognomine Rancoule coufirmavit in possessione Parœciæ de Villegalene (i) in Diœcesi Carcasonensi positæ contra D. Coste, qui antiquior erat Tolosanæ Universitatis Graduatus, sed in qua per quinque annos nou studuerat, quamvis id ipsum testarentur ejus litteræ quinquennii. Rebuffus in suo commentario in Concordatum (K) simile refert Arrestum Senatus Parisiensis 1. April. an. 1522. latum. Est & aliud simile 6. Martii an. 1648. Plura si quis requirat, consulat Dictionarium Arrestorum D. Brillon (l) causidici in Senatu Parisiensi.

(i) De Caste tract. de jurisdict. Ecclas. volant. cap. 1. §. 3. n. 2.

(k) Petr. Rebuffus in concordat. tit. de collationib. §. *Monemus*. v. *Studuerint*.

(l) D. Petrus Jacobus Brillon. Diction. Arrest. v. *Studium*. n. 22. & seq. & v. *Graduatus*.

Vide Secundam decisionem.

CASUS IV.

SYNESIUS peracto Rhedonibus, ubi non est Universitas, biennio philosophico; postea in urbe sua natali studio per tres annos operam dedit, ubi est Universitas, in qua quinquennii litteras obtinuit, ipsi concessas ob emensum Rhedonibus Philosophiæ cursum. Quo facto Parœciam requisivit, de qua provisus est. Potest-ne illam in conscientiæ foro tenere?

RESPONS.

Consultus olim de simili difficultate Doctor Sorbonicus (*a*), respondit, a tali Graduato retineri posse Beneficium, quod ea ratione obtinuit, donec juridica sententia de ipsius possessione depellatur. Cujus rei hanc affert rationem, quia titulus ejus absolute non est invalidus, sed qui possit invalidari. Quocirca, licet graviter peccaverit Synesius eo utens; curam tamen retinere potest, de qua a collatore provisus est; donec invaliditatis ipsius tituli declarationem a judice obtinuerit ejus competitor; quia litteræ ipsius quinquennii, cum sint Edictorum verbis contrariæ, non omnino tamen adversantur legis intentioni, quæ eo tendit, ut qui reipsa quinque annis non studuere, privilegio veris Graduatis concesso frui non possint. Unde inferri posset cum eodem Theologo, Synesium pecuniam in casu proposito absque Simoniæ reatu dare posse competitori, qui de eodem beneficio in Curia Romana provisus fuisset, ut jure suo cederet; quandoquidem verum esset dicere, Synesium tunc non pecunia, sed titulo suo Beneficium acquisivisse, qui juridice non fuisset invalidatus.

(*a*) de Sainte Beuve tom. 2. cas. 24.

CASUS V.

MAGLORIUS, Philosophiæ dans operam, pomeridianis tantum horis Scholam petit, unica etiam Professoris explicatione contentus, cujus scripta ter quater-ve dumtaxat intra biennium excepit, per duos eosdem annos matutinas horas adhibet ad scriptionem duorum Theologiæ tractatuum; biennioque illo elapso, a Philosophiæ Professore hujusmodi attestationem obtinet: *Testor Maglorium meas lectiones scriptis & auribus excepisse per biennium a Remigialibus anni &c.*

Postea Maglorius assidue duobus aliis annis Theologicas excipit lectiones, ac tertio denique anno, sed negligentissime, raro petens Scholam, sed Baccalaureorum tantum thesibus sæpe interesse contentus. Post id temporis Gradus Magistri Artium & Baccalaurei in Theologia acquirit, obtentisque quinquennii litteris uno adhuc anno studet, atque ad attestationem primi studiorum suorum quinquennii fit Graduatus nominatus, & ut talis curatum requirit Beneficium; quod ipsi confert Episcopus, *tanquam Graduato nominato capaci & idoneo.*

Denique propugnatis duabus litibus in Resignatarium & devolutarium, fit pacificus beneficii sui a quinque annis possessor. Sed perpendens, quod Artium Magister & Baccalaureus, Graduatus nominatus & Parochus factus est vi tantum quinquennii sui; licet scripta philosophica nullatenus accipiens unica Professoris explicatione, pomeridianis tantum horis, contentus fuerit, & per annum tertium Scholam Theologicam rarissime frequentarit, veretur, ne non legitime Graduatus nominatus fuerit, atque adeo debite de suo provisus beneficio. Nunquid legitimus est metus ejus? Nonne etiam in conscientiæ foro tenetur Beneficium illud abdicare, aut saltem aliquid restituere alterutri ex competitoribus suis?

RESPONS.

Quamvis probari nequeat quinquennium ea, qua in casu proposito exponitur, ratione transactum & obtentum; existimat tamen Auctor modernus, non teneri Maglorium suo ante sententiam judicis abire beneficio. 1. Quia studiorum temporis sequisiti negligentiam compensans non solum sexti anni studio, & per quintum annum assidua Thesibus Theologicis assistentia, sed etiam Baccalaureatum adipiscens, amissum hoc modo tempus resarcivit: ac tandem necessariam Parocho scientiam acquisivit: qua in re Concordati intentioni satisfecit, quo requiritur tantum studiorum quinquennium, ut comparetur idonea ad Ecclesiæ ministerium capacitas. 2. Quia, cum Maglorius neque sit intrusus neque Simoniacus, utpote qui canonice de Cura sua fuit provisus, quæ Canonica institutio est ipsi loco tituli saltem colorati, post diremptam litem ejus factus esset titularis legitimus ex solo jure triennalis possessionis, licet aliunde non eam legitime possideret, ex hac Concordati regula (*b*): *Statuimus quoque, quod quicumque, dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum pacifice & sine lite prælaturam, dignitatem ... seu quodcumque beneficium Ecclesiasticum, triennio proximo hactenus, vel pro tempore possederit, seu possidebit, in petitorio, vel possessorio, a quoquam, etiam ratione juris noviter reperti, molestari nequeat.*

(*b*) Concordat. tit. 28.

Attamen existimamus, Maglorii nominationem esse illegitimam; cum absolute falsa sit biennii ipsius philosophici attestatio, nec inter studii tempus computari possit Tertius annus Theologiæ, cui oscitanter incubuit, & cujus scholam perraro frequentavit: quia statutis Universitatum requiritur, ut studentes in iis ad gradus comparandos conscribant Tractatus, quos dictant sui Professores. Atqui ex eodem Concordato non solum constituitur studiorum integrum quinquennium, verum etiam jubetur, ut Graduum petitores litteras Graduatorum & nominationis obtinere nequeant, nisi conformiter ad regulas ab his Universitatibus constitutas sub pœna nullitatis. En verba Concordati (*c*): *Monemus autem præfati regni Universitates, sub pœna privationis omnium & singulorum privilegiorum, a nobis & sede Apostolica obtentorum, ne collatoribus, seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare nisi eos, qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum Universitatum statuta ad Gradus, & non per saltum promoti fuerint. Quod si secus fecerint, ultra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum litteris declaramus, nominandi privilegio, secundum culpæ qualitatem, suspendimus.*

(*c*) ibid. tit. 20.

Hinc igitur colligi debet, quod, cum Maglorius scripta philosophica absque ulla dispensatione non acceperit, & duos tantum rigorose loquendo annos Theologiæ computare valeat; titulus, quo fultus Graduatus nominatus est, non est legitimus, & quod de amissione Beneficii sui a quolibet æquo judice damnaretur conformiter ad verba Edicti an. 1550. & Arresta consequenter lata ab Parlamentis Parisiensi & Tolosano in tertia decisione a nobis relata; cum Edictum illud clare designet, eos, qui falsitatem quandam in re beneficiaria admisere seu quoad tempus studiorum, obtentionem litterarum graduum, vel aliter, declarandos esse de jure possessorii excidisse, & insuper severe esse puniendos.

CASUS VI.

GERMANUS, obtentis quinquennii litteris in Universitate Parisiensi, Parœciam sancti Richarii, uti Graduatus requisivit; quamvis ante obtentionem gradus aut ejus insinuationem & Collatori significationem beneficium illud vacasset. Nunquid ei jus competit in illam Parœciam, non obstante utroque isto defectu?

RESPONS.

Si Germanus non nisi a vacatione Parœciæ sancti Richarii gradus suos obtinuerit, eam requirendi jure non potitur: & idem dicendum, si ante beneficii vacationem obtento jam gradu, suas nominationis litteras collatori non significarit; ut statuunt Concordatum an. 1516. (*d*) & Edictum Henrici III. an. 1585. quod tamen ita intelligendum, si alii sint Graduati, quorum litteræ earumque insinuatio sint Anteriores: ut explicat Rebuffus. Nam si Graduatus solus sit ad illud beneficium, post notificationem graduum suorum illud requirere potest, priusquam collatum fuerit; cum certum sit, quod ubi primum fuit Graduatus, ei jus competit ad beneficia actu vacantia, uti deinceps vacatura. Ita Glossa in Pragmaticam san-

(*d*) Concord. tit. de Collationibus. §. *Præfatique Graduati.*

(a) Gloss. in Pragmat. tit. de collationibus, §. Si autem. v. Inane.

sanctionem (a): *quæritur*, inquit Auctor hujusce Glossæ, *an rigore nominationis possit acceptari Beneficium, quod vacavit ante datam nominationis, vel ante ejus insinuationem, quod reperitur adhuc vacans tempore insinuationis*. Ita quæstionem hanc sibi proponit, & quibusdam allatis objectionibus sic respondet: *Dic contra, quia nominationes non consueverunt continere, quod provideatur de Beneficiis vacaturis; sed simpliciter, quod de Beneficiis ad collationem &c. spectantibus dignanter providetur*: ad quod unicam istam admittit exceptionem: *Nisi Beneficium esset de novo creatum post datam nominationis: quia ad illud non extenderetur*. Quibus dictis hactenus congruit jurisprudentia primi Galliæ Parlamenti, uti constat ex Arresto, quod refert quartus Tomus Diarii forensis.

Juvat autem hac de re observare 1. necesse esse, uti ab initio hujusce tituli dictum est, ut Graduatus litterarum suarum, temporis sui studii & nominationis suæ dederit descriptionem Collatori Beneficii, quod petit, ejus-ve prædecessori, & eum rogarit, ut de eo se provideat. 2. Necesse etiam esse, ut nominationem suam quadragesimali tempore renovet, eamque curet ad tabulas referri insinuationum Ecclesiasticarum Diœcesis, in qua suum est Beneficium, quod requirit. Nam si alterutram ex his duabus formalitatibus omittat, ad annum fit ei jus suum inutile, ut statuit Concordatum (b) & ultimum postea Edictum Insinuationum Ecclesiasticarum (c). Consule hac de re Bouchellum, du Casse, aliosque, qui ea de re scripsere (d).

(b) Concord. tit. de collat. §. *Tenemur*.
(c) Edict. Insinuat. Eccles. art. 18.
(d) Bouch. Biblio. can. v. *Graduati*. Du Casse tract. jurisd. Eccles. volun. c. 3. §. 1.

CASUS VII.

Bartholomæus, Graduatus nominatus in Ecclesiam Aptensem, vigore graduum suorum, ejusdem Ecclesiæ Archidiaconatum requisivit vacantem per obitum mense Januario aut Julio; qui duo menses Graduatis nominatis sunt affectati, quique menses rigorosi dicuntur, quia data Anterior jus habet ad Beneficium vacans his mensibus. Sed Episcopus, nulla ipsius petitionis habita ratione, de eo Laurentium providit. Cui ex duobus competit jus ad illud Beneficium?

RESPONS.

Certum est Laurentio soli jus competere ad illud Beneficium, & de eo Canonice fuisse provisum. Ratio est, quia Cathedralium dignitates Graduatorum juri non sunt obnoxiæ, ut patet ex Edicto Henrici IV. an. 1606. (e): quod sapienter constitutum est; quia viris tantum doctrina & virtute præcipuis conferri debent hujusmodi Beneficia, ob præminentiam & functiones ipsis annexas, quorum proinde multi Graduati procul dubio sunt incapaces. Idcirco in supremo consilio declaratum est ex Edicto modo citato, per Arrestum 5. Julii an. 1672. latum (f) hujusmodi dignitates Indultariis jurisjurandi fidelitatis, & lati ad coronam adventus non subjici.

(e) Edict. an. 1606. art. 2.
(f) Laurent. Bouchel. Bibliot. can. t. 2. pag. 634. v. *Fidelitas*.

Addere etiam hic necesse est, 1. Graduatis nullum quoque, ut dictum est in proemio ad hunc titulum, jus competere ad Beneficia, quæ in Collegiatis aut Cathedralibus Choristis, aut Mansionariis dictarum Ecclesiarum addicuntur, uti constat ex Consuetudine legitime stabilita & pluribus Arrestis, quæ refert Brodelius in suo Commentario in Louetum (g) præscripta. 2. Provisos in Curia Romana ad resignationem *in favorem* de iisdem Beneficiis, nullum quoque ad ea jus habere, nisi resignationes istæ Regio diplomate in Parlamento verificato fuerint confirmatæ (h).

(g) Brodelius in Louet l. 9. c. 4.
(h) Idem ibid.

CASUS VIII.

Gilbertus, sancti Lupi Parochus, graviter ægrotans & Curam suam ad Ægidium nepotem suum, sancti Eutropii Capellanum transmittere cupiens, eam 29. Julii cum ipsius Capella permutat, & postridie moritur, post admissam ab Episcopo Collatore ordinario utriusque Beneficii permutationem. Geofridus, Graduatus nominatus ab ipso die postero Curam hanc uti per obitum vacantem requirit, licet notam habeat permutationem. Potest-ne legitime Ægidium interpellare in possessione hujusce Beneficii?

RESPONS.

Geofridus absque injustitia jus suum persequi potest, & Ægidium in possessione Parœciæ sancti Lupi interpellare. Ratio est, quia ejusmodi permutatio censetur facta esse in fraudem juris Graduatorum nominatorum; hinc ultimo suo Edicto de Insinuationibus Ecclesiasticis sancivit Ludovicus Magnus (i), Collationes consequentes ad hujusmodi permutationes aut demissiones fore invalidas, nisi biduo integro ante permutantium & resignantium obitum fuerint insinuatæ. En verba hujusce Edicti mensis Decemb. an. 1691. quod ad Acta Parlamenti 2. Januarii sequentis, summi rei tributariæ tribunalis 22. & amplioris & Consilii 22. ejusdem mensis relatum est. *Declaramus provisiones Collatorum ordinariorum per resignationem aut permutationem factas, invalidas & nullius effectus ac valoris; si per eas Indultarii, Graduati, Brevetarii lati ad Regnum adventus, & Sacramenti fidelitatis Regi præstiti gratiis suis expectativis aut Patroni jure præsentandi spolientur, si procurationes ad faciendas resignationes & permutationes, simul provisiones ab Ordinariis concessæ biduo integro ante obitum resignantis aut permutantis non fuerint insinuatæ, non computatis diebus insinuationis & obitus. Quod absque contraventione accurate a Judicibus nostris observari volumus sub pœna nullitatis eorum sententiæ.*

(i) Edict. de Insinuat. Ecclesiast. art. 13.

CASUS IX.

Paschalis, Graduatus nominatus Universitatis Parisiensis, & Paullus Graduatus quoque nominatus Universitatis Rhemensis, petita sancti Ursini Parœcia vi Graduum suorum, ambo eodem anno 1700. suum Gradum susceperunt: Sed data nominationis Paulli est mense Januario; data vero Paschalis est mense Martio. Præterea Paschalis est Doctor Theologiæ in Facultate Parisiensi, & Paullus est tantum Licentiatus. Cui ex duobus jus competit ad Parœciam?

RESPONS.

In concursu duorum Graduatorum, quorum alter alterum tempore non præcedit, Graduatus in Universitate magis famosa, quam alia, competitori suo anteponitur. Unde sequitur, Paschalem Graduatum Universitatis Parisiensis, quæ Galliæ nobilissima est & celeberrima, & insuper Doctorem ejusdem Theologicæ Facultatis, absque controversia esse anteponendum Paullo, qui est Graduatus Universitatis Rhemensis & tantum Licentiatus. Ita Concordatum, quod est Galliæ jus scriptum in hac materia (k). Quod verum est, quamvis adscripta litteris nominationis Paulli dies datam nominationis Paschalis antecedat: quia duorum Graduatorum ab anno, quo fuere Graduati, non vero a die datæ nominationis suæ computari debet juxta hæc ejusdem Concordati verba; *Concurrentibus autem nominatis ejusdem anni*. De quibus ait Rebuffus conformiter ad nostram decisionem, eum potiori jure non frui, qui ineunte, quam qui exeunte quadragesima nominatus est. Addendum insuper, quod si in eadem Universitate similem gradum susceperint concurrentes, ut doctoratum vel licentiam in eadem Facultate; tum ad litteras eorum nominationis est recurrendum, & qui data est anterior, alteri tunc prævalet, ut statuit idem Concordatum his verbis (l): *Et si in eisdem Facultate & Gradu concurrant, ad datam nominationis, seu Gradus recurrendum esse volumus.*

(k) Concordat. tit. de collat. §. *Statuimus*.
(l) Du Casse prax. jurisdict. Eccles. volunt. c. 5. §. 1. n. 4.

CASUS X.

Barnabas, Graduatus nominatus, decreta in ipsum Corporis detentione, sancti Gelasii Parœciam requisivit. Nunquid ex petitione sua jus acquirit ad illud Beneficium?

RESPONS.

Nullum legitime Beneficium requirere potest hic Graduatus, atque adeo ex facta petitione Parœciæ sancti Gelasii nullum ad illud Beneficium jus acqui-

acquirit. Ratio est, quia ad requirendum jure Beneficium, non sufficit scientia idonea, sed præterea necessarii sunt boni mores vitaque inculpatissima. Atqui is, in quem decreta est Corporis detentio, vel reus est, vel præsumitur talis. Igitur affirmari nequit, eum esse vitæ integerrimæ. Hinc civili Jurisprudentia excluduntur Graduati, qui sunt in tali casu, jure requirendi Beneficia vacantia, ut patet ex Arresto amplioris Consilii lato 4. Martii, an. 1673. referente D. de Bertage de Archipræsbitero Gradiniaci Diœcesis Burdigalensis (a).

(a) Idem. ib.

CASUS XI.

Ascleptus, Graduatus nominatus ad Abbatiam Sancti Luciani, requisita Sancti Paterni Parœcia, quæ ab ea pendes, Episcopum Diœcesanum adivit, ut ejus collationem & visa suum obtineret, quæ ipsi fuere denegata, quod examen subire noluerit, quo ex Concilio Tridentino (b) liberantur Graduati. Numquid jure Metropolitanum ea de re potest adire?

(b) Concil. Trid. sess. 7. c. 13.

Respons.

Graduatus illejure testimonium denegatæ sibi justitiæ petere non potest, ut litem coram Metropolitano instruat ex consuetudine in Gallico Regno observari solita; neque in Gallia admittitur iste Concilii Tridentini articulus, quo hæc exemptio Graduatis conceditur: Huic e contra expresse derogat Molinense Edictum mens. Feb. anno 1566. cujus hæc sunt verba (c): *Non obstantibus Gradibus & nominationibus quorumdam, qui se Graduatos nominatos appellant, inquit Carolus IX. volumus tamen & permittimus Regni nostri Prælatis, ut periculum faciant & inquirant de idoneitate eorum, qui se præsentant ad obtinendum in dicta qualitate quodcumque Beneficium, & scripto consignent eorum peritiam aut imperitiam, suamque responsionem aut recusationem, ut judicando de possessorio Beneficiorum, pro æquitate eorum habeant rationem Judices nostri.*

(c) Edict. Molin. art. 75.

Multis gravioris momenti rationibus fulcitur hoc Edictum. 1. Quia Universitates, quæ Graduatos nominant, eorum capacitatem tantum quoad scientiam attestantur, non vero quoad probitatem morum, quæ tamen Episcopo non minus certa esse debet, quam scientia. 2. Quia a multis annis Graduati partam tempore nominationis suæ scientiam studio sæpe sæpius non foventes, non eadem jam sunt peritia, cum Beneficium requirunt. 3. Quia refert plurimi ad salutem regimenque animarum, ut Graduati illi cum scientia cæteras in digno Pastore requisitas dotes conjugant idque Episcopo prævio examine manifestum fiat. 4. Quia notior est quarundam Universitatum incuria ad non concedendum gradua, nisi illis, qui studiorum quinquennio eosdem meruere. 5. Quia multi sunt Graduati, qui gradus dolo suppositisque nominibus obtinent, & iis plerumque indigui sunt. 6. Quia si absque examine quempiam non Graduatum, aut aliunde incapacem Beneficii obtinendi, eique deserviendi Collator admitteret, collario esset invalida, & conferendi jus ad Superiorem ipsius immediatum esset devolutum, amissa illud idem alteri perito Graduato iterum conferendi licentia; ut patet ex Decretali Innocentii III. in Corpore juris relata (d). Ex his rationibus plus quam superfluis confirmatur mos Episcoporum & Vicariorum Generalium præsens, quo Graduatos examinant, & eos præsertim, qui Gradibus suis ad obtinenda curata Beneficia utuntur. Hin a Prælatis in Concilio Burdigalensi sub Cardinali de Sourdis an. 164. habito emissum est istud Decretum (e): *Ne fraus aliqua in hujusmodi Graduatorum literis delitescat, posse ordinarium quosvis Graduatos, etiam nominatos pro Beneficiis obtinendis, examinare; & repellere indoctos declaramus.*

(d) Innoc. III. in c. *Dilectio.* fin. de supplenda negligentia prælat. l. 1. tit. 10.

(e) Conc. Burd. an. 1642. c. 9. n. 14.

CASUS XII.

Gaudus, Acolythus, Graduatus nominatus in Abbatia Sancti Audoeni anno post nominationem suam puellæ nupsit, cujus amore ob pulchritudinem moresque venustos captus fuerat. Mortua vero altero mense post nuptias contractas uxore, suam tandem Clericaturam resumpsit, & subdiaconatu initiatus est. Cum vero simplex Prioratus, qui ab ista pendebat Abbatia, mense Julio vacasset, ipsum vigore graduum suorum requisivit: sed Collator Ordinarius, contendens, ipsum jure suo ob contractum matrimonium excidisse; Prioratum hunc Justino simpliciter Tonsurato contulit. Ad quem e duobus jus pertinet?

Respons.

Justinus solus ad Beneficium illud jus habet; quia omnis Graduatus Clericus, qui nubit, actu fit privatus jure suo nominationis: *Clericus conjugatus*, inquit Joannes Andreas Auctor Glossæ (f) *amittit omnia privilegia Clericalia*. Ratio autem, quam hujusce rei affert Bartholomæus Brixiensis, in eadem Glossa relato (g), est quia talis Graduatus censetur jure suo absolute cessisse ex matrimonio postea contracto. *Sed numquid talis Clericus, si habebat rescriptum ad vacaturum, antequam contraheret, mortua tali uxore, si postea vacat illa præbenda, potest illam petere? Terminavit Bartholomæus Brixiensis in principio quæstionum suarum, quod non. Quod probat eadem Glossa sequentibus argumentis. Quia contrahendo matrimonium renuntiavit per ipsum factum, & animum deposuit .... & hoc verum est: uam tunc etiam perdidisset jus in re. Multo fortius ad rem ... item contrahendo voluit perpetuo adhærere uxori .... & eligendo alterum de contrariis, alteri renuntiavit.* Ita sentit etiam Rebuffus (h), & hæc est Senatus Parisiensis jurisprudentia ex Arresto lato ad relationem D. Daurat, Consiliarii tertiæ Inquisitionum Curiæ 13. Aug. an. 1671.

(f) Joan. Andreas. in Glossa c. Clerici. unic. de Clericis conjugatis in 6. lib. 3. tit. 1.

(g) Idem ibid. v. Clericalis. n. 13.

(h) Rebuff. tract. de nominat. q. ult.

CASUS XIII.

Duonacim sunt in Ecclesia Collegiali sancti Vedasti Præbendæ, quarum collatio alterna est inter Regem & Capitulum pro quolibet mense, Rege scilicet conferente per mensem Januarium, Capitulo vero per Februarium, & sic per cæteros menses. Protasius, Sacerdos, Graduatus Universitatis Parisiensis nominatus ad hoc Capitulum, 2. Augusti unam ex his Præbendis in forma requisivit vacantem per obitum ultimi Titularis, qui 10. Julii contigit: at Rex eandem Ferreolo, uni e suis Capellanis Ordinariis contulit. Qua de re quæritur, utrum Ferreolus jus ad illud Beneficium potius habeat, quam Protasius?

Respons.

Hæc est constans regula, quod si Beneficiorum Ecclesiæ alterna sit collatio inter Regem & Ordinarium, vel inter Regem & Capitulum, nullum Graduatis jus competit ad Beneficia mensibus Regi affectatis vacanti; uti dijudicavit Senatus Parisiensis ex Arresto supremæ Curiæ 5. feb. an. 1656. sed jus suum retinent erga Beneficia mensibus Episcopo aut Capitalo affectatis. Unde colligendum Ferreolo soli jus competere ad Canonicatum Ecclesiæ Collegialis sancti Vedasti, non vero Protasio; cum Beneficium illud mense Julio Regi affectato vacaverit.

Ratio Jurisprudentiæ illius evidens est; cum enim placuit Regi, seu ex Pragmatica, seu ex Concordato prælationis prærogativam pro quibusdam Beneficiis Graduatis concedere; censeri non potest, hac eos donasse gratia cum proprio detrimento & Contra jus coronæ suæ annexum, sed solum præjudicio competitorum Beneficiorum, quæ Graduati requirunt.

Advertendum occasione præsentis decisionis, aliter esse dicendum de duobus simul Patronis aut duobus Collatoribus, quorum alter est Clericus, alter Laicus, si amborum nominibus facta esset collatio; tum enim Laici privilegio frueretur Clericus: ita ut nullum Graduato jus competeret, ad Beneficium quod isti conferrent, aut ad quod præsentarent.

GULA.

(a) Polm. brev. theol. 2. part. n. 1206.
(b) Th. 2. 2. q. 148. a. 1. in corp.

GULA, inquit Theologus (a), *est inordinatus appetitus*, *usus-ve cibi & potus* dicitur *inordinatus*, quia, ut ait Sanctus Thomas (b) *recedit ab ordine rationis, in quo bonum virtutis moralis consistit*: & in hac inordinatione proprie, inquit idem sanctus, positum est istud peccatum; *ex hoc autem dicitur esse peccatum, quod virtuti contrariatur. Unde manifestum est, quod gula est peccatum*; & paulo post (*ad* 2.) *Vitium gulæ non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione*; cujus inordinatio hoc carmine continetur,

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

hoc est, manducare aut bibere ante tempus conveniens, nimia magnificentia & cupedia, immoderatione, aut nimis voluptuose; quod quidem ad amussim exponit sanctus Thomas (c).

(c) Idem q. cit. art. 4. in corp.
(d) Idem a. 5. in corp.
(e) S. Greg. Past. 4. 3. c. 20.
(f) S. Greg. l. 31. moral. cap. 17.
(g) S. Th. ib. a. 6. in corp.
(h) S. Th. ib. a. 5. in corp.

Peccatum istud, licet non semper mortale, inter capitalia tamen recensetur, (d); quia est origo ac radix multorum aliorum peccatorum: unde dicit Sanctus Gregorius Papa (e) a sancto Thoma relatus: *Dum venter in ingluviem tenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur*. Post sanctum Gregorium (f) addit Angelicus (g): quinque vitiorum genera ex gula oriri. *Ex ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam propagantur*. Quod fuse explicat sanctus Doctor articulo ad marginem indicato (h).

CASUS PRIMUS.

ANDREAS valetudini suæ valde obfuit, quod immoderate comedisset, aut saltem ea, quæ cognoverat esse nociva sanitati suæ; An judicandum, ipsum peccasse mortaliter?

RESPONS.

(i) S. Th. q. 14. de malo. a. 2. ad 14.

Existimat sanctus Thomas (i) eum non posse a mortali excusari, cum scienter & volens eo immoderationis adeo valetudini suæ noxiæ pervenit. En verba sancti Doctoris: *Si quis tamen scienter propter immoderatam concupiscentiam cibi grave suo corpori nocumentum inferret, nimis comedendo, & nociva sumendo, non excusaretur a peccato mortali.* Ex Doctrina sancti Doctoris asserendum, quod si qualitas ciborum & vini, quibus usus est Andreas, valetudini suæ imprimis nociva fuerit, eamque immoderationem sufficienti determinatione admiserit, difficillimum videtur, ipsum a peccato excusare.

CASUS II.

SYNUDINUS manducare & bibere solet ad satietatem, idque ob solam ciborum ac vini voluptatem. Numquid in eo peccatum aliquod committit, cum in neutro excedit ad infirmitatem?

RESPONS.

Peccat hic homo in casu proposito. Verum quidem est quempiam absque peccato, etiam voluntarie, affici posse voluptate, quæ a Deo comesturæ & potationi affixa est, modo eam voluptatem quis tanquam finem sibi non proponat, sed corporis tantum vires reficere ac cibo potuque sanitatem suam tueri intendat; cujus rei hanc rationem profert sanctus Augustinus (K). *Alimentorum sustentaculis indigemus*, inquit sanctus Doctor, *si suavia non sint, quæ ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & perniciosa sunt, cavenda fastidia. Non solum ergo cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.* Sed fit contra rectam rationem atque adeo peccaminose, quando comedendo aut bibendo intenditur voluptas, non vero necessitas. *Cum vero suppleta necessitate amor edendi animum sollicitat*, subjungit sanctus Doctor, *jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.*

(k) S. Aug. l. 4. contra Julianum c. 14. seu n. 67.
(l) S. Anton. 2. q. sum. th. t. 6. c. 2. §. 2.

Idem docet sanctus Antoninus his verbis (l); *quamvis autem, dum quis sanus existens, & indigene cibo vel potu, cum delectatione comedat vel bibat, plus & minus delectatus, secundum quod habet gustum melius dispositum, & secundum qualitatem cibi & potus, ipsa delectatio de se non est mala, cum sit naturalis: sed cum complacet sibi in cibi & potus usu propter ipsam delectationem, non propter sustentationem, ibi est peccatum, sive cum comedit vel bibit principaliter propter delectationem ipsam, sive comedat propter sustentationem: sed in ipso esu & potu, jam cum tentatur comedere propter ipsam delectationem.*

Jure merito igitur ac sapienter Innocentius XI. sequentem damnavit propositionem, quæ est octava inter 65. quas Decreto suo 2. Martii an. 1679 proscripsit. *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui* (m). Quæ doctrina pernicioso nititur principio, & quam prohibuit hic Papa sub pœna excommunicationis *ipso facto*, Apostolicæ sedi reservatæ, excepto solo mortis articulo. Papalem censuram admisit & confirmavit in comitiis generalibus an. 1700. Clerus Gallicanus, eandem damnans propositionem his verbis: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, & ad Epicuri scholam ablegenda* (n).

(m) Propositio damnata ab Innocentio XI.
(n) Censura 125. proposit. lata ab Episcopis Eccles. Gallic. art. 21. de intemperantia 69.
(o) S. Clem. Alex. lib. 2. Pædagogi c. 1.
(p) S. Aug. l. 10. confess. c. 31. seu n. 44.

Consentit hæc censura non solum cum Doctrina sanctorum, quam jam retulimus, sed & aliorum plurium, ac imprimis sancti Clementis Alexandrini, cujus hæc sunt verba (o): *Nondum enim didicerunt Deum parasse opificio suo, homini inquam, cibum & potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur*, Hinc Augustinus in suis confessionibus (p), *Hoc me docuisti*, inquit, *quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumturus accedam.* Hæc tandem sancti Gregorii magni præclara omittere nefas ducimus verba, quibus finitur hæc decisio. *Discretus vir ac continens & usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & a voluptate restringit. Sciendum vero est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit; & tanto gula securius in præceps rapit, quanto sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit* (q).

(q) S. Greg. Papa l. 30. moral. c. 24.

Vide { INTEMPERANTIA. EBRIETAS }

GYMNASIARCHA.

GYMNASIARCHA, seu *Gymnasii litterarii Præfectus* is dicitur, qui fuit præpositus, ad inspiciendam rationem agendi moresque eorum, qui in eo habitant, aut student, & cui incumbit onus ea omnia curandi, quæ ad studium ac pietatem referuntur.

Non fuse quoad moralem patent ea, quæ de Gymnasiarcha dici possunt; quia eo tendunt omnia, ut accurate suis fungatur officiis, & curet imprimis, ne quid ipse faciat, aut ab aliis fiat, quod sit contrarium intentioni Fundatorum redituum Collegii, neque statutis ac legitimis præscriptionibus, quæ in eo observari debent, nec tandem supremarum Curiarum ordinationibus aut Arrestis.

CASUS PRIMUS.

UNIVERSALIS est & communiter recepta in Gymnasiis Urbis Frisingæ consuetudo, ut Studentes Beneficiarii, neque veste neque capillis ab aliis Laicis distinguantur. Pamphilus, unius ex istis Collegiis Gymnasiarcha, eos utique adigere peroptaret ad gestandam tonsuram vestemque adolescentibus Clericis congruam: sed magna ipsi oriuntur impedimenta ab eorum parentibus, qui susceptum ejus scrupuli ac novitatis nomine appellant. Qua de re postulat, utrum in foro conscientiæ teneatur Scholares illos Beneficiarios ad tonsuram vestemque Clericalem sumendam cogere, etiam cum nocumento proprii Gymnasii?

RESPONS.

Certum est, Gymnasiarcham in conscientia teneri de institutione Scholarium Gymnasii sui, & uti eorum Superiorem, qui illud componunt, debere exigere, ut Ecclesiæ regulas observent. Unde sequitur, quod cum Summi Pontifices & Concilia ex innumeris Canonibus & Constitutionibus exigant, ut omnes Beneficiati, absque ulla ætatis exceptione, tonsuram vestemque habeant Clericalem, Gymnasii Præpositus in foro conscientiæ accurate debet inspicere, ut in eo observentur istæ Constitutiones, & omnes Scholares, qui Beneficia possident, cujuscumque sint ætatis, obligare ad modestiam capillorum, vestisque statui suo convenientis, ita ut a Laicis valeant distingui. Ita doctus Theologus, cui par olim proposita est difficultas (*a*), qui existimat, talem Gymnasiarcham ab hoc onere non fieri immunem ex metu, ne illi Scholares a Collegio suo discederent. Hanc igitur regulam sequi debet Pamphilus erga Collegii sui alumnos Beneficiarios. Cujus quidem rei plura si quis requirat argumenta, ea perlegat, quæ jam de Beneficiario diximus, & postea de veste Clericali sumus dicturi.

(*a*) De Sainte Beuve, t. 2. cas. 13.

CASUS II.

IGNATIUS sancti Joannis Gymnasio præpositus est, ob datam prius 1000. libr. summam amico, cujus gratia munus illud obtinuit. Cum ad vacantes Collegii sui convictus, Gymnasiarchæ titulo nominandi jus ei competat, a novis, quos admittit convictoribus, donum 100. lib. exigit, ut mille libras, quas ad obtinendum Gymnasiarchæ Officium solvit, paulatim resarciat. Nunquid id ipsum potest tuta conscientia?

RESPONS.

Cum Ignatius pecunia Gymnasiarchæ Officium acquirere nec debuerit, nec potuerit; neque etiam a novis, quos admittit, convictoribus pecuniam eo prætextu exigere potest, ut datæ amico pecuniæ ad munus suum obtinendum indemnitatem acquirat, neque sub alio quocumque prætextu. Ratio est, quia ordinario res hujusmodi commercio subjici non debent, & partum inde lucrum fit sordidum: quod etiam certius est de eo lucro, quod Gymnasiarcha iste e convictibus Gymnasii sui percipit. 1. Quia lucrum illud contra Fundatorum intentionem exigit, qui convictus illos non constituerunt, nisi ut gratuito conferrentur. 2. Quia convictus illi pro egenis duntaxat constituti sunt Scholaribus, a quibus proinde exigere pecuniam, ut de iis provideantur, est illegitimum (*b*).

Confirmari possunt hactenus dicta ex Edicto Blesensi ab Henrico III. ann. 1579. (*c*) promulgato, quo cunctis Gymnasiorum præpositis prohibet, ne quid ab iis accipiant, quos ad sua Collegia Professores admittunt: *Non poterunt, inquit Rex iste, prædicti Gymnasiarchæ, Officia sua conducere, neque a dictarum Scholarum moderatoribus pecuniam accipere, sub pœna privationis Officiorum suorum & Privilegiorum Universitatum*. Unde sequitur, a fortiori Gymnasiarcham pro convictorum admissione quidquam accipere non posse, cum hujusmodi convictus pro ipsis constituti, veræ sint eleemosynæ; quarum adeo injustum, indignum & turpe est iis præpositum velle fieri participem.

(*b*) De Sainte Beuve, t. 2. cas. 55.

(*c*) Edict. Blef. art. 73.

HABITUS PECCATI.

Vide { ABSOLUTIO. CONFESSARIUS. CONFESSIO. JUBILÆUM. PECCATUM. }

HÆRES.

HÆRES, dicitur *defuncti successor in universum jus illius*, inquit doctus Theologus (*a*), qui addit eum vocari hæredem, vel minus Latine *Hæreditarium*, inquit Auctor antiquus (*b*), quia *in bonorum successione defuncto ita hæres, ut personam illius repræsentet fictione juris*. Quæ definitio istis Legis verbis innititur: *Hæredes sui juris successores sunt* (*c*), & ex istis Legis alterius: *Hæres in omne jus mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit* (*d*).

Cum hæreditatis nomen ex æquo conveniat hæreditati, quæ testamentaria dicitur; & ei quæ *ab intestato* nuncupatur; ita pariter nomen hæredis convenit hæredi legitimo, & hæredi testamentario; quamvis in Regionibus consuetudini subjectis *legitimi hæredes* vocentur illi, qui proxime defuncto propinquitatis gradu sunt conjuncti, & *Legatarii* universi nomen ei tribuatur, qui testamento hæres est recitatus, & in Regionibus scripti juris in quem *testamentarium hæredem* dicimus, nominetur *hæres legitimus* ut is, qui testamento solo hæres est renunciatus: ambo tanquam veri hæredes habentur; unde paria ambobus jura conveniunt.

Actione qualibet jure hæredis facta major fit hæres, etiam invitus. Dicimus *major*; nam pupillus immutabiliter contrahere nequit, & quamvis hæredem se integrum ac simplicem profiteatur, hæres tamen beneficiarius semper reputatur (*e*). Atqui pro hærede se quis hæredem gerit in quinque sequentibus casibus Cum rem debitam aut censum recipit, quæ nisi ut hæres potest accipere (*f*). 2. Cum hæreditatis quosdam solvit creditores; cum enim sit debitor, ut hæres, hæredis quoque nomine solutionem facit (*g*). 3. Quando prædii cujusdam possessionem adit, illud colit, aut conducit; aut si mobilia prehendat, ea vendat, aut de iis aliter statuat. *Pro hærede autem gerere quis videtur, si rebus hæreditariis tanquam hæres utatur, vel vendendo res hæreditarias, vel prædio colendo, locandove, & quoquo modo voluntatem suam declaret, ... de adeunda hæreditate* (*h*). Cujus rei hanc Justinianus affert rationem: *Pro hærede enim gerere, est pro Domino gerere* (*i*). 4 Cum damnosam sibi putans hæreditatem, eam dat, cedit, aut alicui pro summa pecuniæ divendit; neque enim idipsum potest, nisi ut hæreditatis Dominus, quæ ad eum, uti hæredem pertinet (*k*). 5. Quando hæres aliquid de hæreditate, priusquam repudiarit, clam subduxit: in hoc nimirum casu, ut in quatuor prioribus hæres habetur, nec jam ab hæreditate abstinere potest (*l*).

Cum hæres universim in omnia bona ac jura defuncti succedat, de omnibus quoque tenetur hæreditaris oneribus, seu debitis, legatis, aut aliis rebus; cum par sit hæredis aliquo sensu atque defuncti conditio: *Sive solvendo sunt bona, sive non sunt*, inquit Lex (*m*), *Sive damnum habent, sive lucrum, sive in corporibus sunt, sive in actionibus, in hoc loco proprie bona appellantur*, hoc est, quæ non aliquod boni genus speciatim, sed jus hæredis, ex æquo hæreditati onerosæ atque utili conveniens significat; unde Lex, *hæreditatis appellatio* inquit, *sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem, juris enim nomen est* (*n*).

Hæres, qui talem nude ac simpliciter se gessit, aut aliqua actione se declaravit, licet damnosa sibi esset hæreditas, de tribus debitorum speciebus teneri potest. Prima sunt, quæ independenter a defuncti voluntate debentur, qualia sunt credita. Secunda sunt, quæ ipse constituit, ut legata: tertia denique sunt ea, quæ ipso mortuo adveniunt, uti impensæ funebres.

Hæreditatem qui semel adivit, jam repudiare nullatenus potest: unde quamvis eam acceptatam abdicet; aut in alicujus favorem donatione, cessione, venditione, aut aliter ipsam transmittat, hæres tamen semper censetur, & de omnibus per se tenetur oneribus, salvo ipsius in eum recursu, ad quem transtulit, aut cui vendidit: *Sine dubio hæres manebit, qui semel extitit*, ait Lex Digestorum (*o*). *Quamvis hæres institutus hæreditatem vendiderit*, inquit Lex alia Codicis (*p*), *tamen legata & fideicommissa ab eo peti possunt, & quod eo nomine datum fuerit, venditor ab emptore .. .. petere poterit*.

Duplex est caussa, ob quam hæres seu testamentarius, seu ab intestato scribi quis non potest, 1. si sit incapax seu inhabilis. 2. Si indignus.

Quilibet igitur, si non sit incapax, hæres esse potest, sed quidam hæ-

redes

(*a*) Polm. brev. Th. p. 2. 3 n. 318.
(*b*) Dirmaran l. 6. p. 77. apud Ducange in glos. v. Hæreditarii.
(*c*) L. *Quoties* 9. ff. de hæred. instituend. §. 24 l. 28 t. 5.
(*d*) L. *Hæres*, 37 ff. de acquirenda hæreditate l. 29. tit. 2.
(*e*) L. *Necessarii*. 57. §. 1. ff. eod. tit.
(*f*) L. *Pro hærede*. 20. §. 4. in t. ff eod. t.
(*g*) Lug. *Cum debitum*, 2. cod. de jure deliberandi. lib. 6. tom. 30.
(*h*) §. 7. instit. de hæred. quali & differ.
(*i*) Ibid.
(*k*) L. *Licet*. 2. ff *Si quis omissa caussa testam* lib. 27. t. 4. & L. *Si in fraudem*. 1. cod. si omissa sit caussa, &c. l. 6. t. 39.
(*l*) L. *Si servum*. 71. §. 4. ff de acquirenda vel omittend. hæredit.
(*m*) L. *Bona*. 3. ff. de bonor. possess. lib. 37. tit 2.
(*n*) L. *Hæreditatis*. 11. 9. ff. de verbor. significat. l. 90. tom. 86.
(*o*) L. *Ait*, *Prætor*. 7. §. 10. ff. de minoribus 25. an. l. 2. tom. 4.
(*p*) L. *Hæreditatis* in cod. de leg l. 6. t. 19.

redes esse nequeunt ab intestato, quamvis hæredes esse possint testamentarii. Sic illegitime natus hæres scribi potest secundum leges: licet vitio natalium successionis cujuslibet sit incapax ab intestato, si pueros suos legitime natos excipias.

Incapacitas succedendi *ab intestato* potest esse naturalis, qualis est puerorum qui mortui nati sunt, qui etsi in sinu matrum vixerint, neque *ab intestato*, neque vi testamenti hæredes esse possunt: quare hæreditatem ad eos non transferunt, qui ab illis eam accepissent, si vivi essent nati. *Qui mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur, quia nunquam liberi appellari potuerunt* (*a*): inquit Lex: quare subsistit mariti testamentum, qui aliquem instituit hæredem, post quam mortuus natus est infans; ut patet ex istis alterius legis verbis (*b*); *Uxoris abortu testamentum mariti non solvi ... juris evidentissimi est*: sed contrarium fit, cum vivus natus est, licet paullo post moriatur: tum enim hæres patris sui defuncti ab intestato, & ejus hæreditatem ad proximiorem suum hæredem transmisisse censetur. *Sancimus*, inquit Imperator Justinianus, *si vivus perfecte natus est, licet illico postquam in terra cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpit hoc tantum modo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum* (*c*): Quæ ultima verba notatu digna sunt. Enim vero *non sunt liberi*, inquit Lex Digestorum (*d*), *qui contra formam humani generis converso more procreantur, veluti si monstruosum aliquid aut prodigiosum mulier enixa sit*.

Observandum pariter, filium e ventre matris, statim atque decessit, a Chirurgo extractum, ipsius esse censeri hæredem, licet paucis post horis moreretur, & matris suæ hæreditas jam adita fuisset ante ipsum natum. Quod ita declarant leges æquitati consentaneæ; quia in hoc casu infantes illos uti jam natos habent, & eorum res agitur, quibus proinde jus favere debet. *Quod dicitur filium natum rumpere testamentum, tantum accipe, etsi exsecto ventre editus sit*, uti declarat Ulpianus in una ex istis legibus (*e*). Ita Patribus suis succedere possunt filii posthumi, & alterius etiam posthumus hæres institui potest, ut fert jus Romanum, quocum Galliæ usus consentit (*f*).

Alia est etiam incapacitatis species, quæ legalis dici potest, quod legibus constituta fuerit; qua nimirum illegitimi ex Galliæ jurisprudentia nunquam possunt esse hæredes ab intestato, neque suorum parentum maternorum, neque etiam propriæ matris: qua in re Galliæ usus, (si privatas quasdam excipias consuetudines) juri Romano adversatur, quo ad maternam hæreditatem vocabantur illegitimi una cum legitimis.

Quod spectat ad privilegium illegitimis concessum quo possunt habere testamento a patribus, matribus aut ab aliis derelicta, ex consuetudinibus & usu certos habent limites, quos sequi necesse est, quod una sit ea de re Galliæ jurisprudentia.

Sed observandum est illegitimi incapacitatem uno in casu desinere, cum videlicet tempore sui conceptus simul nubere poterant, aut reipsa post aut ante ipsum natum nubunt parentes ejus: quod idem statuunt leges ad marginem indicatæ (*g*).

Attamen non retroagit illa legitimatio, neque ex ea illegitimus fit capax ad succedendum in præteritis. Hinc pater, qui hæreditatem repudiavit, quæ sibi ante suum matrimonium contigerat, & quæ ad illegitimum ob hanc repudiationem devenisset, si tum legitimatus esset matrimonio, acquisita remanet proximiori hæredi, qui eam acceptaverit; quin eam recuperare queat illegitimus ex sequenti matrimonio factus legitimus: atque idem dicendum de advena, quem civitate Princeps donavit; qui fit capax futuras tantum capiendi hæreditates: cum utriusque incapacitas sit naturalis, & nixa statu suæ originis.

Albini sic dicti, *quasi alibi nati*, cum sint advenæ, pejoris etiam sunt conditionis, quam filii naturales; quia ex æquo sunt incapaces hæreditatem capiendi ab intestato ex testamento. *Peregrini* (hæreditatem) *capere non possunt*, inquit Lex (*h*). Quod de iis duntaxat est intelligendum, quos Princeps civitate non donavit, qua fieri potuerint capaces.

Religiosi, qui validam emisere professionem in Ordine ab Ecclesia approbato, ejusdem sunt conditionis ac Albini pro hæreditatibus capiendis, propter votum paupertatis, quod emisere; & quia sæculo mortui censentur. Dicimus, *validam*, hoc est, libere factam, post sexdecim annos completos & annum præcedentis probationis (*i*). Tunc enim perpetua est eorum incapacitas, eaque tolli nequit.

(*a*) L. *Qui mortui*. 12. 9. ff. de verborum signific.

(*b*) L. *Uxoris*. 2 de posthum. hæred. instituend. lib. 6. tit. 29.

(*c*) Leg. *Quod certatum*. 3. cod. eod. tit.

(*d*) L. *Non sunt*. 14. ff. de statu hominum. Item l. *quæret*. 135. ff. de verbor. signific.

(*e*) L. *Quod dicitur*. 12. ff. de liberis & posthumis hæred. instituend. l. 28. tit. 2. Item L. *Posthum*. 61. ff. de inoffic. testam. lib. 5. tit. 2. L. *Minus*. 132. de verbor. signific.

(*f*) §. 4. in fin. Inst. de hæred. qualit. & differ. Item ibid. tit. de bonor. possess.

(*g*) L. *Divi*. 5. & leg. *Cum quis*. 10. & L. *Nuper*. 11. cod. de naturalibus liberis. lib. 5. tit. 27. Item Novel. 12. c. 4. Novel. 74. c. 1. & Novel. 39. c. 8.

(*h*) L. *Qui deportantur*. 1. & leg. *Si compensanda*. 6. cod. de hæred. instituend. lib. 6. tit. 24.

(*i*) Concil. Trid. sess. 25. c. 5. Edict. Bles. c. 28.

Advertendum tamen Patres e societate JESU, qui simplicia vota professi ante ab omni hæreditate fuerant exclusi, nunc omnia, quæ sibi contigerunt aut deinceps contingere valent ante aut post emissionem votorum simplicium jura sua recuperare, eaque repetere possunt, si forte e societate sua ante an. 33. completos emittantur, ex art. 5. Edicti anno 1603. cum restitutione fructuum computata a die, qua ab egressu e societate eos postularunt, ut fert regia declaratio 15. Julii anno 1715.

Rei, qui vel capite, vel remis perpetuis, aut perpetua e regno deportatione seu exilio damnati sunt, quibus pœnarum tribus generibus mors civilis constituitur, juxta Edictum 1670. (a). Paris sunt cum Albinis conditionis; nisi gratiam ipsis Princeps concesserit, qua ad pristinum suum jus fuerint restituti. Quod etiam Romanis legibus fuerat constitutum. Edicto Prætoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt (b).

Dicimus, *qui capite damnati sunt*: quod intelligendum est de sententia damnatoria ante eorum obitum lata, aut a reo non invalidata. Alioqui incapacitati non esset locus, juxta hæc legis verba: *Si quis, cum capitali pœna, vel deportatione damnatus esset; appellatione interposita & in suspenso constituta, fati diem functus est, crimen morte finitum est* (c). Et quidem, si ex Arresto aut Principis gratia sententia damnatoria fuerit invalidata, reus ad omnia sua jura ut ante restituitur; uti patet ex allato legis textu.

Necesse est quoque observare, juxta Galliæ jurisprudentiam, capite damnatorum ex contumacia incapacitatem non obtinere, nisi per quinquennium vadimonium deseruerint, & per id tempus se se juridice purgare omiserint; ut statuunt Edictum Molinense (d) & edictum an. 1670 (e) Quocirca si ante ann. quinque è vivis migret damnatus, hæreditatem damnati capiunt ipsius hæredes, & eas etiam, quæ ipsi inter sententiæ & obitus temporis intereapedinem contingere potuissent. Hæc sunt potissimum, quæ dici poterant de eorum incapacitate, qui ad hæreditatem adspirant: nunc de altera, qua jure hæreditatis excluduntur, indignitate videlicet, dicendum.

(a) Art. 29.

(b) L. Edicto. 13. de bonor. possess. 37. tit. 1.

(c) L. ult. cod. si reus vel accusat. mortuus fuerit. Item L. *Qui a latronibus*. 22. §. 2. ff qui testam facere possunt. l. 28. tit. 1. & leg. *Si quis*. 6. ff. de injusto rupto testam. lib. 28. tit. 3.

(d) Art. 28.

(e) Art. 29.

Hæreditas alterius quandoque alicui, ut indigno, aufertur; licet quadruplici modo enumerata ratione nullatenus sit ejus incapax; nam ut qualitate ac jure hæredis quis excidat, satis est, ut in defunctum, seu dum luce potiebatur, seu postquam fato cessit, graviter deliquerit, quo in casu post obitum defuncti, hæreditas ad eum transmittitur, qui eam, ipso excluso, erat obtenturus, quod verum est, seu hæreditas ab intestato ipsi devoluta fuerit, seu sit testamentaria. Qua in re multo magis elucet æquitas Gallicæ Jurisprudentiæ quam, juris Romani, quo hæreditates ob indignitatem omissæ fisco addicuntur (f).

In jure quibusdam casibus notatur hæredis indignitas: sed casus sunt etiam nonnulli, in quibus a judicibus postulant boni mores & æquitas, ut pro qualitate delicti & circumstantiarum ejus declaretur quis alterius hæreditate indignus. Hinc fit, ut defuncti mariti hæreditatem colligere non permittatur mulier quæ cum ipso vivo in aperta libidine vixit.

(f) Leg. *Varia*. 3. & toto tit. ff. de jure fisci lib. 49. tit. 14. & cod. de his, quibus ut indignis &c. lib. 6. tit. 34.

Prima & potior caussa indigni hæredis est, cum vitam defuncti ipse appetivit, aut vitæ illius parari insidias conscius, ipsum non admonuit; aut si ipsum de vita aliter periclitantem pro viribus non adjuvit, quod locum habet in utraque hæreditatis seu testamentariæ seu ab intestato specie. Altera est, quando hæres seu legitimus, seu scriptus, defuncti honorem invadit, seu de crimine quodam ipsum juridice insimulando, aut inchoate ab alio in ipsum accusationi interveniendo, aut contumeliosos in ejus famam libellos promulgando. Tertia est capitale odium, quod contigit inter testatorem & institutum a se hæredem; præsertim, cum ad prioris mortem perducta est. Neque enim probabile est, eum Testatoris meruisse voluntatem, qui se illius inimicum palam professus est. Ita multis legibus expresse fuit sancitum in legatarios. Unde a fortiori idem inferri necesse est, in hæredem testamentarium, nisi aliter voluntatem suam Testator, ductus motivo charitatis, qua bonum pro malo redditur declaraverit. Quarta est, quando præsumptus ab intestato hæres, vi aut dolo prohibuit volentem facere testamentum, ne faceret, aut quando is, qui ex testamento scriptus est hæres, aut juxta solitum Galliæ loquendi modum, legatarius universalis impedivit, ne voluntatem seu testamentum prius mutaret, aut se hæredem scribere fraude aut vi coegit. Quæ omnia certa sunt

ex dua-

ex duabus legibus ad marginem indicatis (*a*), Aliæ etiam addi possent causæ indigni hæredis; sed hactenus dicta sufficiant.

Quemadmodum hæres quilibet defuncti hæreditatem potest adire, sic eam quoque repudiare potest, antequam eam aliquo actu acceptaverit (*b*). Sed illa renuntiatio 1. fieri debet actu juridico, aut iis, quorum scire interest debite significato. 2. qui renuntiat scire debet, se esse hæredem vel ab intestato, vel scriptum: quo cognito, jam ipsius renuntiatio irrevocabilis est (*c*), si alter in ipsius locum suffectus fuerit. Si igitur se hæredem ab Intestato existimans, ita se gesserit, & discat postea, se testamento scribi hæredem cum oneribus strictioribus, tunc illo actu hæreditatem accepisse non censetur, eamque repudiare potest (*d*), atque ne partem tantum hæreditatis acceptare nequit; ita non partem solum, sed totam repudiare tenetur. *Vel omnia admittantur*, inquit Lex, *vel omnia repudientur* (*e*).

Ne quis imprudenter hæreditatem adeat; eam potest sub Inventarii duntaxat beneficio acceptare, id est, rerum hæreditatis indicem fieri curando; ne hoc modo ultra valorem bonorum hæreditatis debitorum solutionem in se suscipiat; de quibus bonis in hoc casu rationum codicem habere debet, in quem accepta ex Inventario bona & impensas, debitorum aliorumque onerum solutionem debet referre; sed id præcipue memoria tenere debet, legatorum solutionem creditæ pecuniæ solutioni esse postponendam, servatis tamen aliis juribus, quæ sibi, tanquam creditori in hæreditatem competunt.

Quandoquidem hæres beneficiarius non teneatur de debitis, nisi ad concursum bonorum hæreditatis, ad securitatem suam necesse est, ut mobilia publice vendat, idque post publicas denuntiationes, aut alias ex consuetudine requisitas formalitates. At si nudum se ac simplicem profiteatur hæredem, aut aliqua actione talem se gerat, omnium hæreditatis debitorum solutionem irrevocabiliter in se suscipit, seu sibi sint cognita, seu non, & cujuscumque sint naturæ, & ad quamlibet summam perveniant (*f*).

Ex jurisprudentia Edicto ann. 1667. promulgata (*g*), hæredi tres conceduntur menses ab adita hæreditate, ut bonorum ejus inventarium condat; cum quadraginta dies ad deliberandum, num eam accepturus sit, an vero repudiaturus.

Ex Galliæ Jurisprudentia hæredes quidem tenentur de interesse civilibus, de restitutionibus debitis pro crimine, seu delicto eorum, quorum capiunt hæreditatem: Sed non tenentur de pœnis pecuniariis, quæ mulctæ dicuntur, neque de confiscationibus, nisi cum lata fuit damnatoria sententia ante obitum defuncti, nec interposita fuit appellatio, quæcumque in ipsum facta fuerit petitio; modo tamen hæres ejusdem cum defuncto criminis particeps non fuerit. Ratio est, quia ex obitu rei desinit actio criminalis, exceptis tamen criminibus læsæ Majestatis Divinæ vel humanæ, duelli, homicidii sui ipsius, & rebellionis vi aperta in justitiam factæ, quando in ea occisus est reus (*h*).

Si multi sint defuncti alicujus cohæredes, tunc in quemlibet eorum pro portione hæreditatis Creditores actionem suam dividere necesse est, neque in hos pro aliorum parte competenti agere, neque ab uno tantum debitum totum exigere possunt. Attamen si debita sint privilegiata, seu hypothecaria; tunc Creditor fundum pignoratitium repetere potest, salvo illius recursu, qui illum obtinuit in cohæredes suos, qui ipsi partem hæreditatis quilibet pro competenti parte, indemnem præstare debent (*i*).

Si multi sint cohæredes ab intestato; tunc inter omnes ex æquo dividenda est hæreditas, nisi aliter pro quolibet eorum Lege cautum sit (*k*). At si Lex aut consuetudo cujusque portionem constituat, necesse est, ut eam admittant. V. g. ego & quatuor fratris mei filii, hæreditatem Patris mei, quatuor Nepotum meorum avi dividimus, dimidiam ergo partem referam, ipsi vero alteram dimidiam, quæ Patri eorum obvenisset. Pariter, si ex consuetudine, cui quis est subditus, diversorum bonorum diversi quoque constituantur hæredes; consuetudo illa pro Lege tenenda est.

Cohæredes, hæreditatis bonorum condivisores, sibi invicem hæreditatis partem, quæ cuique obtigit, præstare tenentur. Quare si quis eorum portionem suam jure amitteret, tunc alios sponsores appellare posset.

Unus ex cohæredibus hæreditatis bona ex esse communia recusare potest, atque ab aliis portionem suam exigendo, eos ad bonorum divisionem cogere potest. *Arbitrium familiæ erciscundæ vel unus petere potest. Nam provocare apud Judicem, vel*

(*a*) Leg. *Qui cum captat.* 1. & leg. *Si quis.* 2. ff. si quis aliquem testari prohibuit, vel coegit, & leg. *Civilis.* 1. & leg. *Eos qui.* 1. cod. eod. tit. lib. 6. tit. 34.

(*b*) Leg. *Is qui* 13. ff. de acqu. vel omit. hæred.

(*c*) Leg. *Si majoribus.* cod. de dolo malo lib. 2. tit. 20.

(*d*) Leg. *Quidam* 20. cod. de jure deliberandi l. 6. tit. 30.

(*e*) Leg. *Si hæreditatem.* 19. & l. *Si is* 2. Leg. *Neminem.* 17. de acquir. vel omitt. hæred.

(*f*) Leg. *More.* 8. ff. de acquired. vel omitt. hæred.

(*g*) Edict. an. 1667. tit. de dilat. de deliberandum.

(*h*) Edict. Aug. an. 1670. tit. 22. art. 1.

(*i*) Leg. *Legatorum.* 33. ff. de leg. 2. l. 30. t. t. & Leg. *Pro hæreditariis.* 2. cod. de hæreditariis actionibus, l. 4. tit. 16

(*k*) Cit. Leg. *Quoties.* 9. § 12. de hæred. inst.

vel unum hæredem posse palam est ; igitur & præsentibus ceteris & invitis poterit vel unus arbitrium poscere. Hæc sunt verba Legis (*a*).

(*a*) Leg. Servus. 24. ff. famil. erciscundæ l. 10. tit. 2.

Donatarii universales omnium bonorum seu præsentium seu futurorum ex donationibus inter vivos, & quæ revocari non possunt, factis a donatoribus qui sibi per vitam necessaria retinuerunt, pro hæredibus habentur, cum facultate tamen ea solum admittendi præsentia bona, quæ donatores possidebant, tum cum facta est donatio, & parta deinde a donatoribus bona repudiandi; modo requisitas observent formulas.

Denique hæreditatis emptores pariter sunt loco hæredum; & cum omnia jura hæredis sibi habeant, de omnibus etiam hæreditatis oneribus tenentur.

Alias insuper quam plures omittimus regulas, quæ ad hanc consequuntur materiam, quales sunt lineæ & gradus cognationis; divisio hæreditatis & ejus consecutiones; discrimen, quod intercedit inter hæredes ascendentes, descendentes & collaterales; bonorum ad hæreditatem relatio; quid huic sit obnoxium, & quinam referre teneantur. Qui hæc nosse plenius desiderabunt, consulant Domat, a cujus eruditione hactenus dicta in hunc titulum mutuati sumus (*b*).

(*b*) Domat. Leg. civil. &c. 2. part. lib. 1. tit. 4. pag. 593. & seqq.

CASUS PRIMUS.

ATTALUS, filium suum in matrimonium collocans, ex nuptiali contractu declaravit, se erga eum de integra sua hæreditate servanda obstringere. Attamen biennio post feudum nobilem, potiorem ejus partem Gabrieli vendidit. Num id potuit illæsa conscientia, & infracto promisso suo?

RESPONSIO.

Quæstionis hujus, uti aliarum quam plurium solutio pendet ex constituto consuetudinis, cui subjicitur Attalus. Tali institutione, ut plurimum loquendo, Auctor ejus non ita manus habet ligatas, ut jam vendere, inter vivos donare, aut aliter bonorum suorum partem abalienare nequeat; licet ea donare universim non possit, ut ait Brodelius in Louetum (*c*): Ratio est, quia hæredis institutio facta a Patre in regionibus scripti juris suum in hæreditate effectum non sortitur, nisi secundum eum statum, quo in die obitus futura est. Contrarium tamen ex quibusdam consuetudinibus, ut Andegavensi statuitur (*d*), ex quibus Pater & Mater, qui sic ex nuptiali contractu sese obstrinxere, ita manus ab eo tempore habent ligatas, ut jam nullam bonorum, quæ institutionis tempore habebant, partem abalienare valeant; neque in tuto essent eorum donatarii aut emptores.

(*c*) Brodeau in Louet. lit. 5. n. 9.

(*d*) Consuet. Andeg. art. 249.

Observandum 1. talem nunquam fieri posse constitutionem, nisi ex contractu nuptiali, & pro solis filiis, eorumve posteris, ut advertit Coquille in consuetudine Nivernensi (*e*). 2. eam ex pacto nuptiali factam esse irrevocabilem, cum sub ea duntaxat conditione nuptiæ fuerint contractæ. 3. cum hujusmodi constitutio per nuptialem contractum fit a Patre aut Matre, aliove ascendente, aliorum, si qui sint, filiorum legitimam esse distrahendam. 4. si hæres ex pacto nuptiali institutus absque prole moriatur, jus illius ad collaterales hæredes non transire: sed si prolem relinquat, ad eam jus suum transmitti, eamque acquirere hæreditatem Patri suo derelictam, ut observat idem Brodelius (*f*). 5. hujusmodi constitutionem a consuetudine Bituricensi omnino reprobari & annullari (*g*), sed eam ex jurisprudentia Arrestorum, aliarumque consuetudinum, quæ de ea dicere omittunt, admitti ac vigere; ac tandem statutum localis consuetudinis esse hac in re servandum. 6. hujusmodi constitutionem hæreditariam etiam peregrinis esse concessam juxta multas consuetudines, cum nuptiali contractui illius interveniunt, cui gratificari volunt.

(*e*) Coquille in Consuetud. Nivern. tit. de donationibus. art. 12.

(*f*) Brodelius loco cit.

(*g*) Consuet. Bituricens. tit. de matrim. art. 3. & 6.

CASUS II.

MEDARICUS, cum nudum ac simplicem Jodoci hæredem sese gessisset, cujus pinguem existimabat hæreditatem, agnovit postea, eam ad 30000. m. lib. summam tantum pertingere, licet 40000. m. lib. debitis sit oppressa. Quare eam repudiare atque creditoribus derelinquere voluit; quns absque detrimento 10000. lib. de propriis bonis solvere non poterat. At Creditores oblatam acceptare noluerunt hæreditatem, eumque de solutione sua teneri contendunt. Nunquid injusta est eorum contentio?

RESPONSIO.

Certum est, Creditorum contentionem æquitati esse consentaneam, ac Medericum, cum nudum ac simplicem sese gesserit hæredem, indistincte teneri de solutione 10000. m. lib. quæ debita superfluunt bonis aditæ hæreditatis, ejusque alia omnia subire onera, etiam de propriis.

Ratio est 1. Quia ipsi liberum fuit eandem non acceptare. *Hæreditas autem quia obliget nos æri alieno, etiamsi non sit solvendo, plus quam manifestum est*, inquit Lex (*h*). 2. ex hoc etiam Medericus excusari non potest, & irrevocabiliter de omnibus hæreditatis Jodoci oneribus tenetur, quod Beneficio inventarii, si libuisset, uti poterat, hoc est, se hæredem profiteri valebat, inventarium rei hæreditariæ juxta formam præscriptam conficiendo, hoc est, auctoritate judicis, & appositis sigillis in rebus a Jodoco derelictis, *Adeat hæreditatem, vel se immisceat: omni tamen modo inventarium ab eo conficiatur*, inquit Lex codicis (*i*): Quo in casu ad onera hæreditatis subeunda non fuisset obligatus, nisi quoad valorem bonorum derelictorum, & ad rationes eorum cum creditoribus habendas. *In tantam hæreditariis creditoribus teneantur*, inquit Lex alia (*K*), *in quantum res substantiæ ad eos devolutæ valeant, & nihil ex sua substantia penitus hæredes amittant, ne dum lucrum facere sperant, in damnum incidant. Si vero & ipse* (hæres) *aliquas contra defunctum habeat actiones, non hæc confundantur*, subjungit Lex eadem (*l*); *sed similem cum aliis creditoribus per omnia habeat fortunam: temporum tamen prærogativa inter creditores servanda*.

(*h*) Leg. Mero. 8. ff. de acquir. vel omittenda hæredit. lib. 29. tit. 2.

(*i*) Leg. Scimus. fin. cod. de jure deliberandi & de &c. lib. 6. tit. 30.

(*k*) Cit. leg. Scimus. §. 4.

(*l*) Ibid. §. 3. in fine.

Aliud inde etiam commodum colligere potuisset Medericus, si se beneficiarium tantum hæredem gessisset; nam legatorum, quæ nimia fuissent, reductionem obtinere potuisset pro rata bonorum derelictorum; deductis prius debitis, aliisque oneribus, juxta duas leges, quas ad marginem indicamus: *Si præfatam observationem inventarii faciendi solidaverint*, inquit Prior Lex (*m*), *hæreditatem sine periculo abeant; & legis Falcidiæ adversus legatarios utantur beneficio. Bona intelligantur cujusque*, ait Lex altera (*n*), *quæ deducto ære alieno supersunt*. Interest tamen advertere, hæredes officialium, qui rationi reddendæ sunt obnoxii, censeri semper nudos ac simplices hæredes pro Rege, nec ipsis ullatenus prodesse Beneficium inventarii, ut statuit Ruscinonense edictum (*o*).

(*m*) Leg. fin. §. 9. cod. de jure deliberandi.

(*n*) Leg. Subsignatum. 39. §. 1. ff. de verborum significatione. l. 50. tit. 16.

(*o*) Edict. Ruscinonense. art. 16.

CASUS III.

PETRUS, Paulus, Joannes & Andreas cohæredes, hæreditatem inter se diviserunt. Petro

domus

domus ad portinnem suam obtigit : Post trimestre a facta divisione spatium, Jacobus, defuncti creditor, domum hanc pro sua hypotheca repetiit, & post litem diuturnam, a Petro eam evicit. Petrus cohæredes suos Paulum Joannem & Andream portionis suæ sponsores appellat; quam præstare quilibet eorum tenuir. Qua de re quæritur, utrum Petro suam possint tuta conscientia denegare indemnitatem, ipsi facta divisæ inter se quartæ portionis restitutione pro rata lucri, quod quisque ex hæreditate percepit?

R a s p o n s.

Paulus, Joannes & Andreas tuta conscientia eam, quam Petrus requirit, æquitatem ipsi denegare non possunt. Nam facta communium inter multos rerum divisione, quiliber ex divisoribus erga alium venditoris vicem obtinet : *divisionem prædiorum vicem emptionis obtinere placuit*, inquir Lex (*a*); & omnes sibi invicem portionis suæ indemnitatem præstare tenentur ab omni evictione, licet damni infecti non scripta fuisset promissio. *Si familiæ ercifcaada judicio*, inquit Lex alia codicis (*b*), *qua boaa paterna inter te ac fratrem tuum æquo jure divisa sant, nibil super evictione rerum singulis adjudicatarum, specialiter inter eos convenit; id est, at unasquisque eventam vel sascipiat; recte possessionis evictæ detrimentam fratrem & cohæredem tuam pro parte agaoscere, Præses Proviaciæ per actionem præscriptis verbis compellet*. Probatur quoque hæc eadem decisio ex istis alterius legis antiquioris verbis (*c*): *Judex familiæ ercifcandæ ... curare debet, ut de evictione caveatar his quibas adjudicat*.

(*a*) Leg. *Divisionem*. 1. cod. commun. utriusq. jud. cit. &c. lib. 3. tit. 38.

(*b*) Leg. *Si familiæ*. 14. cod. Summa ercifcundæ &c. lib. 3. tit. 39.

(*c*) Leg. *Hæredes*. 25. § 20. & 21. ff. eod. tit. l. 10. tit. 2.

Cum æquirate consentiunr omnino leges istæ : nam hæreditas ad hæredes non pertinet, nisi post defuncti persoluta debita. Quam Paulus, Joannes & Andreas portionem hæreditatis suam facere non possunt, oisi & suam Petrus similiter habeat. Cum igitur a Retro evicta fuerit para ea, quæ ipsi contigerat, hujus detrimentum ab aliis tribus debet resarciri, eum indemnem præstando data parte hæreditatis, quæ cujusque parti sit similis.

C A S U S IV.

Demophilus, Germanus, a decennio in Gallia habitaus, ibi ditissimus obiit; hæreditatem percipere volunt duo ejus filii, quos e Matrimonio ibi coorracto procreavit. Sed Fisci Regii officiarii contendunt e contra, hanc hæreditatem ad Fiscum integram pertinere, cum Pater eorum jus civitatis regio diplomate non obtinuerit, eamque propria auctoritate invaserunt. Num id potuere absque injustitia?

R e s p o n s.

Officiarii Fisci, Demophili hæreditatem absque injustitia invadere non potuerunt, si filii ejus aliive hæredes in Gallia nati sunt e legitimo thoro; aut si ibidem non nati, Regio diplomate civitate fuerint donati. Nam in hoc casu, ipsius liberi ex Galliæ jurisprudentia sunt legitimi hæredes. At si liberi illi essent illegitimi, tunc paternæ forent incapaces hæreditatis, quæ ad Fiscum jure, quod Albinatus dicitur, tunc esset devoluta. Quibus addendum est, quod si tales liberi aut hæredes in iis essent casibus, quos exprimunt Edicta quorumdam Galliæ Regum; uti Edictum Ludovici XI. Tarbellicis mense Martio an. 1462. factum (*d*); Caroli IX. apud Plessiacum ad Turres mense Martio an. 1569. & Henrici III. etiam mense Martio an. 1583. quibus peregrinis Mercatoribus, qui Lugdunenses nundinas frequentant, licitum est testari, eorumque liberis aut aliis legitimis hæredibus, ipsis ab intestato succedere, paternam quoque possint recuperare hæreditatem, absque ulla legitima officiariorum Fisci intercessione.

(*d*) Edicta Lud. XI. art. 9. Caroli IX. & Henrici III. Pontanon. t. 1. p. 1462. & t. 2 pag. 443.

C A S U S V.

Macrobius Justinæ maritus, obiit *ab intestato*, nulla derelicta prole legitima, neqne etiam cognitis parentibus. Justina defuncti hæreditatem, quasi defuncti hæres, adivir. At ipsi litem intulerunt officiarii Fisci, contendentes hæreditatem ad Regem pertinere jura, quod deshærentiæ, seu non derelictæ prolis dicitur. Nunquid pro iis stat Jus?

R e s p o n s.

Non ad Fiscum ex jure Romano, sed ad uxorem pertinet res a Macrobio derelicta; cum legitimis careat liberis, ac parentibus ascendentibus, aut descendentibus aur collateralibus, neque de ea testamentum scripserit. Nam in casu proposito, alteri, conjux superstes Fiscum excludit. *Maritas & uxor ab intestato iavicem sibi in solidam pro aatiquo succedaut*, inquit Lex (*e*), *quoties deficit omais parentam, liberorumve, seu propinquoram legitima, vel naturalis successio, fisco excluso*.

(*e*) Leg Unica. cod. unde vir & uxor item Leg un. ff. eod. tit. l. 6. tit. 18.

Diximus; *ex jare Romano* : id enim ita intelligendum est, nisi adversetur consuetudo, neque istam abrogarit regulam juris Romani, quod tanquam jus commune baberi debet in iis omnibus, quæ usui nostro non sunt contraria, & quod pro lege censeri debet, cum juri naturali & æquitati conforme est, ut in casu proposito contingit: cum Lex, quæ virum & uxorem ad hæreditatem superstitis appellat, jure naturali fulciatur ac divino; quo uterque tam stricto simul conjunguntur vinculo, ut unum totum e duobus efficiat, a quo oriuntur homines & cognationes, quarum proximiores multo laxiori uniuntur vinculo, quam sit nexus Matrimonii. Ita argumentatur peritus nostri temporis Jurisperitus (*f*), cui ceteri omnes assentiuntur (*g*).

(*f*) Domat. tract. de legibus Civilibus &c. t. 1. præfat. secund. partis num. XI.

(*g*) Loiseau de dominiis c. 12. num. 103. Coquil. q. 45. Bacquet. tract. de jure inhæredentiæ c. 4. n. 6. Chopin, Charondas, Argentræ &c.

C A S U S VI.

Ingens ortum est dissidium inter Paulinam Altini viduam, & viri sui defuncti hæredes; En factum; Mortuo Altino 15. Januarii, Paulina, quam is prægnantem dimiserat, puerum dimidio graviditatis suæ termino, hoc est, post quatuor aut quinque menses peperit; qui, cum celeriter aquis Baptismi fuisset ablutus, post horæ quadrantem obiit. Paulina, quæ alios e suo marito liberos non suscepir, ab hæredibus defuncti postulat id, quod contendit suum esse de bonis paternis hujusce filii, quasi hæredis facti bonorum Patris sui. Volunt e contra hæredes, puerum hunc non posse censeri Patris sui hæredem, quia eo tempore natus est, quo naturaliter fieri non poterat, ut vita diu frueretur; quod constat experientia pro quibuscumque infantibus, quorum adeo præmatura est nativitas : unde inferunt, ipsum Patris sui non potuisse fieri hæredem; cum ad mortem subitam tantum natus esse videretur. Qua de re quæritur, utrum pro istis hæredibus, non stet jus, cum infans ad vitam ineptus, ad hæreditatem quoque ineptior, & aliunde bonis neque egens, neque uti valens, eadem acquirere non potuisse censendus sit?

R e s p o n s.

Nulla ratione legitima nituutur Altini hæredes in sua contentione; & a Paulina stant jus & æquitas. En solutionis hujus argumenta a peritissimo jurisperito moderno relata (*h*).

(*h*) Domat. tract. de leg. civil. l. 1. tit. 1. sect. 2. num. 5. p. 315. edit. in fol.

1. Quia, licet verum sit, mortuum natum non fieri posse hæredem, quamvis in Matris utero tum viveret, quando contigit aliqua successio seu scripta, seu ab intestato; ac proinde hanc successionem ad eos ipsum transmittere non posse, qui ipsius fuissent hæredes, si vivus natus esset, ut constat ex his legis digestorum verbis : *Qui mortui nascuntur, neque nati, neque procreati videntur, quia nunquam liberi appellari potuerant* (i): & ex alia lege Codicis Justiniani, quæ sic habet : *Uxoris ab ortu testamentam mariti non solvi .... juris evidentissimi est* (K); non idem tamen dicendum de eo, qui vivus natus est; nam quamvis moriatur, ubi primum natus est, capax est cujuslibet hæreditatis, quæ contigit a sua conceptione ad mortem. Ita rem decernit Lex Justiniani his verbis : *Quod certatam est apud veteres, non decidimas .... & sancimus, si vivus perfecte natas est, licet illico, postquam in terram cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nibilominus testamentam rampit, hoc tantummodo requirendo, si vivus*

(i) Leg. *Qui mortui*. 129. ff. de verbor. significat. lib. 50. tit. 16.

(k) Leg *Uxoris*. 2. cod. de Posthumis hæredibus instituendis. lib. 6. tit. 29.

ad

ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum vel prodigium (*a*). Et quidem ortu suo inter vivos recensetur talis infans, & etiam proles parentum, quibus par pro eo cura fuit ac labor, atque pro alio, qui diutius vixisset.

(*a*) Leg. *Quod certatum est* 3. cod. eod. tit.

2. Quia certum est, puerum, qui paulo post nativitatem moritur, vere ac reipsa bonorum temporalium subsidio utuque indiguisse, cum absque illo auxilio ipsum vivum mater servare aut concipere non potuisset; unde non minus ad conservationem propriæ vitæ, quam mater bonis illis opus habuit. Hinc mater gravida, si vidua fiat, jure alimentariam provisionem in bonis defuncti mariti petere & obtinere potest ad salutem prolis, quam ab ipso suscepit. Unde sequitur etiam, eam frui posse commodis, quæ percipit ex obitu prolis, pro quo non minores curas, ærumnas ac dolores passa est, quam pro alia, quam naturali suo tempore vivam ac sanam fuisset enixa.

3. Quia nulla lege veri liberi nomen hujusmodi prææmaturæ denegatur proli; nec proinde qualitas hæredis; cum eum tantum ab ista prærogativa leges excludant partum, qui sine forma ac figura humana nascitur, quique ideo inter homines reputari non potest, ut multis statuitur legibus (*b*) quarum primæ, quam ad marginem indicamus, hæc sunt verba: *Non sunt liberi, qui contra formam humani generis converso more procreantur: veluti si mulier monstruosum aliquid aut prodigiosum enixa sit*. Hinc manifestum fit, quamvis negativo modo, omnem partum, qui vivus in humana forma nascitur in aliorum liberorum numero esse ponendum, & consequenter aliorum hæredum; licet paulo post nativitatem suam decedat; eumque necessario esse secernendum ab iis, qui aliter nascuntur, aut mortui nascuntur, quique soli ab hac prærogativa excipiuntur. Quod probat hæc communis regula: *exceptio firmat regulam*.

(*b*) Leg. *Non sunt*. 14. ff. de statu hominum l. 1. tit. 5. Leg. *Quæret*. 135. de verb. signific. & eit. Leg. *Certatum est*. 3. cod. de posthumis hæredibus instituendis.

4. Quia si verum sit, uti certum est, quod infans nondum natus, sed mortua matre Chirurgi industria ex ejus utero extractus: *etsi ex secto ventre editus est*, ut loquitur Lex (*c*). Successionis est capax, licet paulo post excisionem uteri moriatur; a fortiori idem potest affirmari de infante, qui juxta solitum naturæ cursum, viva matre, nascitur. Quod adeo certum est, ut hæreditas, quæ ad ipsum spectat, nunquam possit esse incerta, neque eam alius adire jure queat, cum eam iste alius habere non posset, si adhuc in utero matris esset inclusus.

(*c*) L. *Quod dicitur*. 12. ff. de liberis & posthumis hæredib. instituendis. &c. l. 28. tit. 2. & leg. *Etiam*. 14. 2. de verbor. signific.

5. Nititur etiam ista decisio caussa favorabili patris aut matris puero huic superstitia, & legum æquitate, qua bonorum jacturam amissioni infantis addere non licet (*d*); sed quæ exigit, ut aliquatenus *solatii loco* mortis ejus dolor bonorum quæ vivus habuisset, conservatione compensetur.

(*d*) Leg. *Jure*. 6. ff. de jur. dot.

6. Denique, quia si quadrimestri termino natus infans paternam obtinere non posset hæreditatem, neque is etiam hæres esse posset, qui octimestri pariter termino nasceretur; cum juxta communem medicorum opinionem, partus octo mensium diu luce frui nequeat: atqui nulla lege hæreditatis incapax declaratur is, qui octavo mense nascitur vivus; cum ergo excluderetur, qui mense 4. vivens in lucem prodit?

Equidem hoc unum intenderunt leges omnes, in quibus de pueris præmaturo nixu editis fit sermo, ut eorum statum perpenderent, hoc est, an sint legitimi, necne, non vero ut deciderent, an qui diu naturaliter vivere post partum non poterant, hæredes esse possent, & ad alium ex obitu suo hæreditatem transmittere, quam ipsi obtinuissent; cum apud omnes constet Jurisperitos, quemlibet infantem, qui legitimus est natus, simul hæredem esse posse bonorum, quorum successio a conceptu suo ad nativitatem sibi aperta est, ut jam dictum est, quantulumcumque sit vitæ suæ post partum spatium: *Hoc tantummodo requirendo, si vivus ad orbem totus processit, ad nullum declinans monstrum vel prodigium*.

Consentit hæc decisio non solum cum Romanis legibus, sed etiam cum jurisprudentia supremarum Galliæ curiarum, quæ semper pro infantibus præmature editis judicarunt, quoties certis probationibus manifestum fuit, eos natos esse vivos: quamvis vel minimo tempore post ortum suum vixerint.

CASUS VII.

Marcellinus, peregrinus, aut illegitimus ab Alexio hæres ex asse scriptus est: at de hæreditate cum eo litigare volunt defuncti hæredes. Quod quidem an tuta possint conscientia, quæritur; si nulla ipsis subsit caussa, nisi quia Marcellinus est peregrinus aut illegitimus?

Respons.

Ad solutionem hujus difficultatis, distinguendum est inter peregrinum & illegitimum. Illegitimus est quidem hæreditatum ab intestato incapax, nisi propriorum filiorum, qui de legitimo thoro sunt procreati; quia hæreditates hujusmodi non deferuntur nisi ob cognationem, quæ intercedit inter hæredem & eum, cui succedit, & quia ex usu Galliæ, qui hac in re non solum adversatur juri Romano, quo illegitimi ad maternam sed & ad maternorum parentum admittebantur successionem (*e*), sed quibusdam etiam consuetudinibus, quæ eos ad matris successionem admittunt una cum legitimis, quales sunt consuetudines Valentianarum (*f*) & sancti Audomari (*g*), nec non totius Delphinatus (*h*); nullum hac in re cognationem agnoscimus, nisi eam, quæ a legitimo Matrimonio procedit; qua in re juri Canonico assentimur, uti constat ex Decretali Cælestini III. ad Archiepiscopum Eboracensem, a quo consultus ea de re Summus hic Pontifex ita respondet (*i*): *Publicæ honestatis justitia prohibente, Matrimonium inter eos contrahi non potuit, & contractum debuit separari: ac per hoc cum filii nec per Ecclesiæ permissionem, nec per paternam ignorantiam excusentur: ad successionem bonorum paternorum non videatur aliquatenus admittendi*.

(*e*) Leg. *Hac parte* 2. ff. unde cognati. l. 38. t. 9. *Item* §. 4. instit. de succ. cognat.
(*f*) Consuet. Valent. c. 121.
(*g*) Consuet. S. Audom. art. 3.
(*h*) Expilli. collect. Arrest. c. 171. Salvaing. et de use feud. c. 66. Chorier. in Guidonem Pap. pag. 109.
(*i*) Cælest. III. in cap. Referente 10. qui filii sint legitimi. l. 4. t. 17.

Advertendum tamen, illegitimum posse legari vel quoad partem vel quoad totum, vel etiam hæreditatem ab intestato capere posse, si legitimus factus fuerit ex matrimonio, quod in ejus conceptu contrahere potuissent pater & mater, & quod postea reipsa contraxissent; modo ipsum tanquam suum agnovissent infantem, atque illa agnitio illius e duobus mortem antecessisset, cujus supponitur hæres esse futurus; nam si posterius a superstite parente fieret illa agnitio, ex hac non impediretur legitimi hæredis successio: quia nemo hæres esse potest, nisi illud jus ei competat ipso momento mortis illius, cujus sperat hæreditatem. Quæ hactenus dicta consentiunt cum multis legibus, quarum verba non referemus, quia ista animadversio ad præcipuam præcise difficultatem non spectat, de qua agitur in casu proposito, atque aliunde leges illæ in locis indicatis possunt inveniri (*K*).

(*K*) L. *Divi*. 5. leg. *Cum quis*. 10. & leg. *Nuper*. 11. cod. de naturalib. liberis. lib. 5. t. 27. & Nov. 89. c. 8.

Advertendum est etiam, quod cum affirmamus scriptæ hæreditatis aut legati universalis illegitimum esse capacem, id intelligendum est secundum varias rationes consuetudinum & usuum; qua de re id scitu præcipuum est. 1. ex quibusdam mitioribus consuetudinibus licere patribus, ut in eorum contractu nuptiali filios naturales scribant hæredes; aut donationem faciant, servata filiis suis e Matrimonio suo prognatis legitima bonorum portione, 2. ex aliis pariter consuetudinibus licitum esse patribus, ut filiis suis illegitimis ad victum vestitumque necessaria suppeditent. Quod consentit cum jure Canonico, quo statuitur, ut puerorum hujusmodi parentes ipsis necessaria præbeant alimenta; qua ratione omnis alia videtur eis esse interdicta liberalitas, præsertim erga illegitimos ex adulterio, incestu, aut aliquo pari crimine natus (*l*).

(*l*) Cit. Nov. 88. cap. ult.

Quod pertinet ad peregrinos, qui dicuntur Albini, quasi *alibi nati*, hoc est, qui in regione Principis

cipis

cipia dominio non subjecta nati sunt, nec civitate fuere donati, cujuslibet hæreditatis seu scriptæ seu legitimæ sunt incapaces; atque ut ipsis nemo, sic nemini ipsi succedunt; quod consentit cum jure Romano (*a*): *Peregrini*, inquit, *capere non possunt* (hæreditatem). Neque ipsi etiam hæredes instituere possunt; eorumque bona solius Principis fisco addicuntur; quo dicitur jus Albinatus. Qua de re legi potest Edictum Caroli VII. an. 1431. una cum aliis multis, ex quibus nulla etiam in Regno habere possunt beneficia (*b*).

Diximus: *nec qui civitate fuere donati*: nam Peregrini incapacitas tolli potest ex Regio diplomate civitatis, quo fit capax successionum, quæ sibi contingere possunt a die tantum, quod illud obtinuit: nam diploma illud vim non habet retroactivam, nisi forte peregrinus ille, in Gallia natus, & alterius Principis factus subditus aliquo munere, paternam requireret hæreditatem aliquanto post obtentas restitutionis in integrum litteras. Videtur enim exigere in hoc casu naturalis æquitas, ut ad pristinum suum statum restitutus plene Principis gratia frui possit, ex hac juris regula (*c*), *Beneficium Imperatoris .... plenissime interpretari debemus*. Hæc sunt potissimum, quæ observanda duximus circa propositam difficultatem ad majorem ejus elucidationem.

(*a*) Clemens. III. in cap. *Cum haberet*. 5. de eo qui duxit in matrim. qu. pol. luit per adulterium. Leg. *Qui deportantur*. & leg. *Nec apud* 7. cod. de hæred. instit. &c. lib. 6. tit. 24.

(*b*) Edictum Blesense art. 4. Edictum Juliodunense. art. 8. &c.

(*c*) Leg. *Beneficium*. 3. ff. de constitut. principum. tit. 4.

CASUS III.

Liminius, Menandri filius naturalis, obtentis a Principe legitimationis litteris, consequenter hæreditatem Patris sui una cum filiis legitimis dividere contendit. Num ei jus illud competit?

Respons.

Certum est, Liminio jus illud non competere. Ratio est, quia ex legitimatione a Principe concessa desinit tantum illegitimorum incapacitas, qua excluduntur a quibusdam honoribus, prærogativis ac muneribus, quorum ex hoc beneficio fiunt capaces; at ipsius effectus eo non extenditur, ut successionis jus obtineant, quod personis dumtaxat natu legitimis competit. Is nimirum legitimationis usus æquitatem bonosque mores læderet; esset enim injustum simul & inhonestum, si naturalis filius, quamvis a Principe legitimationis jure donatus, una cum legitimis filiis hæreditatem haberet; cum eos tantum hæredes jus agnoscat, qui ex Matrimonio juxta Ecclesiæ ac Principis leges contracto procreati sunt, ut eodem jure illi solum Patres agnoscuntur, qui tales fiunt ex hujusmodi Matrimonio, juxta hæc legis verba: *Pater vero is est, quem nuptiæ demonstrant*. (*d*) His adde vitium natalium illegitimorum adeo deleri non posse, ut naturalem filiorum legitimorum conditionem adipiscantur; & aliunde referre, ut filiorum illegitimorum incapacitate ad succedendum puniatur crimen parentum (*e*).

(*d*) Leg. *Quis semper*. 5. ff. de in jus vocand. lib. 2. tit. 4.

(*e*) Domat. tract. de jure publico. l. 1. tit. 2. sect. 2. n. 30.

CASUS IX.

Basilius, ob furtum capitaliter accusatus, & ex sententia in ipsum contumacem lata capite damnatus, unum e suis propinquis ad rem suam satis amplam derelictam gerendam scripto delegat: at huic propinquo notum fit, rem omnem Basilii ab officiariis regiis invadi, tanquam fisco acquisitam, ob judicium, quo Basilius capite damnatus est. Qua de re quæritur, utrum mortui civiliter Basilii omnia bona fisco acquirantur, an vero ipsius naturaliter mortui filii aut alii legitimi hæredes in foro conscientiæ, bona hæreditatis ejus mobilia sua facere nequeant?

Respons.

Quamvis jure Civili rei accusati in capitali causa bona omnia fisco essent addicta, nisi tempore præscripto Vadimonium obiret (*f*); idem tamen in Gallia non observatur. Nam juxta edicta duplex distinguenda est sententia damnatoria, Prior est, quam profert Judex in reum præsentem, altera est, quæ in eundem profertur, cum Vadimonium deserit, seu in judicio se præsentem sistere contemnit, & qua eum judex pœna criminis damnat, de quo accusatur. Ex utraque sententia incurritur mors Civilis, atque adeo bonorum confiscatio, & incapacitas ad successionem; cum hoc tamen discrimine, quod sententia damnatoria rei præsentis perficitur in illius persona atque bonis; ac necessaria consecutione a die latæ sententiæ computatur ejus incapacitas: e contra damnati ob contumaciam incapacitas ex edictis post quinque annos tantum obtinet: unde lata in contumacem sententia, suum pro confiscationibus & mulctis non sortitur effectum in bonis damnati, nisi postquam illud prætermisit, non se in judicio sistens ad sui defensionem & sententiæ obtentionem.

(*f*) Leg. Divi. 1. §. 4. ff. de requirendis vel absentibus damnandis lib. 48. tit. 7. Leg. *In pecuniariis*. fin. cod. de requirendis reis. Et leg. *Cum absenti*. 1. & leg. *Quicumque*. 2. cod. eod. tit. lib. 9. tit. 40.

Id quidem manifeste constat ex Edictis, & præsertim Molinensi an. 1566. mense Februario a Carolo IX. lato; (*g*) & juxta edictum an. 1670. non a die latæ sententiæ, sed a die perfectæ per suspensam e patibulo rei effigiem quinque anni numerantur (*h*). Quo tempore elapso, damnatus, naturaliter moriens, civiliter quoque censetur mortuus a die perfectæ modo prædicto sententiæ. Unde sequitur, juxta hæc edicta, si intra quinque annos vitam amittat damnatus ex contumacia, ipsius damnationem nullum sortiri effectum, quem tantum post elapsum illum ann. numerum exigunt edicta; atque adeo ipsum damnatum non esse incapacem fruendi bonis suis ante præteritum illud temporis spatium, neque etiam adeundi hæreditates, quæ ipsi possunt obvenire, quæque ob eandem rationem suis videntur acquiri hæredibus, cum intra quinque annos ultimum obit diem. Hæc est Galliæ solita jurisprudentia, licet aliter in quibusdam locis feratur sententia.

(*g*) Edict. Molineose art. 28.

(*h*) Edict. an. 1670. tit. de defectibus & contumaciis. art. 29.

Ex dictis igitur concludere est, quod in proposito casu, si Basilius quinque annos prætermiserit, ad contentionem non se sistens judicio; bona ipsius fisco addicuntur, hoc est, ad Regem pertinent, vel Dominum loci, cujus esse debet confiscatio: sed si tempus illud nondum fuerit elapsum, is non est censendus civiliter mortuus, neque adeo incapax possessionis bonorum suorum, testamenti condendi, atque adeundæ hæreditatis, cum ex edictis, quæ in Gallia vim legis obtinent, quinque concedantur anni damnatis ex contumacia, ut obeant Vadimonium, seque in judicio in præsentes defendant (*i*).

(*i*) Domat. loud. tract. de leg civ in suo naturali ordine. l. 2. de success. in gen. sect. 2. n. 39.

CASUS X.

Pomponius, ab inferiore judice morte damnatus, tanquam homicidii particeps, interposita ad Parlamentum appellatione, obiit ante latam appellationis sententiam: cumque Alexander, Pater ipsius ab interposita appellatione e vivis migrarat, & Pomponio rem amplam dereliquerat; quæritur, utrum bona illa ad fiscum pertineant, an vero ad Pomponii filios?

Respons.

Bona hæreditatis Alexandri sine controversia ad filios Pomponii attinent, quasi successores Patris sui, filii & hæredis Alexandri. Ratio est, quia Pomponii incapacitas ad succedendum, quæ ex ipsius condemnatione oriebatur, poterat extingui, etiam quoad præteritum tempus, non solum per litteras absolutorias, a Principe concessas; uti constat ex Lege Imperatoris Antonini, in Justiniani codice relata (*K*); sed etiam per Arrestum, quod sententiam circumscriberet, aut saltem mitigaret, pœnam constituendo, quæ civilem mortem non inferret; aut denique per interpositam, uti factum est, appellationem. *Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatio*, inquit Lex (*l*) *si quis, cum capitali pœna vel deportatione damnatus esset*; ait Lex alia (*m*) *appellatione interposita & in suspenso constituta, fati diem functus est; crimen morte finitum est*. Quocirca, uti testari poterat Pomponius legitime, quatenus manifestum fit ex hac lege (*n*) *Si quis in capitali crimine damnatus appellaverit, & medio tempore pendente appellatione fecerit testamentum, & ita decesserit, valet ejus testamen-*

(*k*) Leg. *Cum salutatus*. 2. cod. de sent. passis & restitutis. lib. 9. tit. 51.

(*l*) Leg. *Accusatorum*. 1. §. fin. ff. ad senatus consultum Turpilianum. l. 48. tit. 16.

(*m*) Leg. *Si quis*. 2. cod. si reus vel accusator mortuus fuerit. lib. 9. tit. 6. Item leg. *Si is*. 6. cod. si pendente appellat mors intervenerit. lib. 7. tit. 66.

(*n*) Leg. *Qui a latronibus*. 13. §. 2. ff. qui testam. facere possunt &c. & l. *Si quis*. 6. §. 6. ff. de in justo rupto & irrito facto testam. lib. 28. tit. 1 & 3.

mentam; ita ob eandem rationem in paternas opes succedere poterat.

CASUS XI.

Callinicus, perduellionis in Gallia factæ particeps, ex Arresto Parlamenti perpetua extra Regnum deportatione damnatus est; Claudio Patre mortuo intestato, Fratres illius hæreditatem adivere, Callinicum secum cohæredem agnoscere recusantes, quod eum civiliter mortuum esse contenderent ob latam in ipsum condemnationem. Num pro istis jus?

Respons.

Callinici fratribus favet jus. Hæc est enim generalis regula, non solum morte damnatos, sed etiam pœna, quæ civilem infert mortem, nemini posse succedere, seu ab intestato, seu scripto Testamento: *Edicto Prætoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt.* Hæc sunt verba legis Digestorum (*a*): Atqui Edictum an. 1670. (*b*) declarat, damnatos remis perpetuis, perpetuove e Regno exilio, censeri mortuos civiliter. Igitur Callinico jus non competit paternam cum fratribus suis dividendi hæreditatem, si a sua damnatione mors Claudii Patris contigerit.

(*a*) Leg. Edicto 2. de bonorum possess. l. 37. tit. 1.
(*b*) Edictum an. 1670. art. 29.

Adverte tamen, quod si Callinico sit filius quidam legitimus, Patris sui jura obtinet hic filius, ac defuncti hæreditatem cum cæteris hæredibus dividere debet ex his Legis terminis (*c*): *Si deportatus Patronus sit, filio ejus competit bonorum possessio in bonis liberti, nec impedimento est ei talis Patronus, qui mortui loco habetur*: Quod asserit etiam Lex alia (*d*) verbis istis: *Si qua pœna Pater fuerit affectus, ut vel civitatem amittat, vel servus pœnæ efficiatur, sine dubio nepos filii loco succedit.*

(*c*) Leg. Si nescim. 4. §. 2. ff. de bonis libertorum. lib. 38. tit. 2.
(*d*) Leg. Si qua. 7. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt. l. 1. tit. 6.

CASUS XII.

Eustrato mortuo absque parentibus majoribus aut posteris, Paternis aut Maternis, vel Collateralibus; petitur, utrum vici, in quo obiit, Parochus de bonis ab eo derelictis pro egenis statuere possit?

Respons.

Eustrati Parochus de bonis defuncti statuere nequit pro pauperibus. Nam in casu proposito omnia bona defuncti, qui de iis aut donatione, aut causa mortis non statuit, ad Regem jure exhæredentiæ pertinent, seu *jure in caduca bona*, cum nullus est hæres. Hic est Galliæ usus, qui fuit etiam Romanorum: *Scire debet gravitas tua intestatorum res, qui sine legitimo hærede decesserunt, fisci nostri rationibus vindicandas*, ait una ex Legibus Codicis Justiniani (*e*). *Vacantia mortuorum bona*, inquit etiam Lex alia (*f*), *tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo, legitimum reliquerit intestatus hæredem.*

(*e*) Leg Scire. cod. de bonis vacantibus & de incorporatione. lib. 10. tit. 10.
(*f*) Leg. Vacantia. 4. cod. eod. tit.

Observandum 1. jus exhæredentiæ seu jus in caduca bona non solum ad Regem pertinere, sed etiam ad Dominum, qui altam habet jurisdictionem intra fines dominii sui (*g*). 2. Ex quibusdam consuetudinibus, uti Normanna nullum esse parentem hæreditatis capacem ultra septimum gradum. Aliæ jus successionis limitant ad decimum gradum, aliæ ad infinitum extendunt. Denique in locis quibusdam series Materna Paterno generi in infinitum succedit; & e contra in aliis gradus Materni Paternis, nec vicissim Paterni Maternis succedunt (*h*). 3. Jure exhæredentiæ tam quoad Regem quam supremos Dominos supponi obligationem persolvendi debita a defuncto contracta, ut statuit Edictum Caroli VII. 30. Janu. an. 1455.

(*g*) Leg in metallum. 4. cod. de bonis proscriptorum seu damnatorum. lib. 9. tit. 49.
(*h*) Diction. Trevoltii v. Exhæredentia.

CASUS XIII.

Pantaleo, Religiosus mendicans, per errorem solemnia Religionis suæ vota professus est, natus tantum annos quindecim cum decem mensibus, cujus cum Pater Andreas quadriennio post decessisset, Daniel, nepos defuncti pro Pantaleone hæreditatem cepit: Sed alter ejus propinquus prosperæ Danielis fortunæ æmulator, Pantaleonem monuit, ipsum ante requisitum tempus vota emisisse, atque adeo iis reclamare jure posse, cui monito obsequens Pantaleo, Romanum obtinuit rescriptum, quo de votis solutus est. Quo facto nunc Danielem de capta hæreditate vult expellere. In ipsum vero Daniel ex eo jus suum tuetur, quod tum esset Religiosus & per quatuor annos in eodem statu ante Patris obitum perseverasset; atque adeo tunc temporis cujuslibet esset incapax hæreditatis; ac denique ipsius incapacitas sublata tantum pro futuro, non autem præterito tempore censenda sit; Nunquid jus suum in foro conscientiæ persequi potest Daniel?

Respons.

Certum est, quemlibet Professum Religiosum mundo esse mortuum, atque adeo Parentum suorum hæreditatis capiendæ esse incapacem. In Gallia Jurisprudentia illa etiam ad votum simplex extenditur, quod Religiosi societatis Jesu post duos novitiatus annos emittunt (*i*): Sed non minus certum est, omnem solemnem Religionis professionem, ante sexdecim annos completos & probationis annum emissam esse invalidam. *In quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum completum*; inquit Concilium Tridentinum (*K*), *nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.* Quod Decretum admittitur in Gallia ex his Edicti Blesensis verbis (*l*): *Professio seu Religiosorum, seu Religiosarum non fiet ante decimum sextum annum completum; nec ante probationis annum post susceptum habitum; & ubi fiet ante, declaravimus & declaramus Contractum, Obligationes & Dispositiones bene factorum hujus causa factas, invalidas nullinsque effectus: & qui ante dictum tempus Religionem fuerint professi, poterunt testamento aut quovis alio modo de suis bonis & successionibus captis aut capiendis in linea directa vel collaterali, in illius e suis propinquis aut aliis, quem magis libuerit, emolumentum statuere; non tamen alicujus Monasterii directe vel indirecte; idque post tres menses, quibus decimum sextum ætatis annum attigerint. Si vero tempore illo non disposuerint, prædicta bona ad proximos hæredes ab intestato deveniant.* Atqui incapacitas Religiosi ad succedendum, cessat omnino; ubi primum vota ejus sunt irrita. Unde sequitur, quod cum Pantaleonis incapacitas juridica sublata fuerit sententia, quæ irritam ipsius professionem declaravit, uti facta ante tempus præscriptum a Tridentino, quod probavit Edictum Blesense; & ex hoc in pristinum suum statum restituatur, quasi nullum unquam solemne votum emisisset, Danielem jure potest excludere, ac hæreditate *ab intestato* Patris sui Andreæ adire. Cum enim penitus sublata fuerit illius incapacitas, fit capax, non solum omnium hæreditatum, quæ deinceps ipsi poterunt contingere, sed etiam earum, quæ ab simulata illa professione ipsi fuerunt apertæ.

(*i*) Carol. Fevr. tract. de abusu. lib 4. c. 7. n. 24. Arrest. 30. Jan. an. 1635. Arrest. 29. Nov. an. 1632. Diarium fori. tom. 1. l. 4. cap. 32.
(*K*) Conc. Trid. sess. 25. de regular. & monial. c. 15.
(*l*) Edict. Bles. art. 28.

Idem dicendum de homine, qui capite, aut remis vel exilio in perpetuum damnatus, sententiam sui damnatoriam rescindi curat, aut qui appellatione interposita eam mitigari ac statutam a priori mutari curat pœnam in aliam, quæ civilem mortem non infert, uti pœnam remorum pro quinque aut novem annis. Unde patet discrimen, quod intercedit inter duas illas incapacitatis species, & incapacitatem illegitimi & alienigenæ. Nam incapacitas alienigenæ tolli non potest nec suum habere effectum, nisi pro futuro tantum. Discrimen autem harum incapacitatum oritur e diversitate causarum, quibus inducuntur. Atqui duarum prio-

rum

rum caussæ ita tolli possunt, ut idem sit, ac si nunquam fuissent; cum incapacitatis alienigenæ aut illegitimi non sint hujusmodi: quandoquidem, licet illegitime natus per subsequens matrimonium fiat legitimus; semper verum sit dicere, eum natum esse illegitimum; uti verum est, alienigenam extra Regni fines esse natum, quamvis a Rege Civitate fuerit donatus: cum igitur alterutrius incapacitas status sui originarii sit naturalis, numquam penitus tolli potest, neque adeo suum effectum sortiri nisi pro futuro.

Ex his colligitur ergo, quod modo Pantaleo professioni suæ reclamarit ante elapsos quinque annos, quos iis Ecclesia concessit, qui reclamare volunt, ac judicium caussæ suæ contra Danielem obtinuerit, Andreæ Patris sui hæreditatem potest adire legitime, quam ipsi Daniel absque injustitia denegare non potest.

CASUS XIV.

Arnaldus, Telonensis mercator, Testamento scriptus hæres a Simeone, timens, ne ob debitorum multitudinem ac negotiorum intricationem onerosa sibi esset hæreditas, ab ea se abstinuit pro Renato, qui futurus erat legitimus hæres ab intestato, modo is sibi summam præsentem 3000. lib. numeraret. Deinde creditores duo & legatarius unus, illi pro pecunia credita, is vero pro obtinendo legato litem ipsi intulere. Arnaldus vero eos ad Renatum remisit, cui se jure hæreditatis defuncti cessisse declaravit. At creditores illi atque legatarius ei significarunt, se velle, ut is solus de sua esset solutione onustus, cum Simeonis testamento hæres scriptus fuisset, neque gratuito hæreditatem prætermisisset. Cui jus?

Respons.

Pro duobus creditoribus hæreditatis Simeonis & legatario stat jus, ac legitime Arnaldum, uti debitorem suum, quatenus est defuncti testamentarius hæres, persequuntur. Ratio est, quia licet prætermittendo hæreditatem, jam uti hæredem se gerere nequeat quoad Renatum; hæres tamen haberi debet quoad creditores & legatarium: nam, licet non videatur hæres esse ob prætermissam hæreditatem, talis tamen est semper censendus, cum ab ea nude ac simpliciter non abstinuerit, sed accepto pretio 3000. lib. a Renato persoluto; & sic jus suum ad hæreditatem vendidit: quod non nisi ut hæres poterat; ut qui rem aliam quamlibet vendit, ex venditione illius rei Dominum se declarat: *Licet pro hærede gerere non videatur*, inquit Lex (*a*). *qui pretio accepto prætermisit hæreditatem; tamen dandam in eum actionem, exemplo ejus, qui omissa caussa testamenti ab intestato possidet hæreditatem, divus Hadrianus rescripsit. Proinde legatariis & fideicommissariis tenebitur*. Addi potest etiam Lex alia, cujus verba, non minus, quam Superioris, sunt expressa (*b*): *Si pecunia accepta omisit* (hæres) *aditionem; legata & fideicommissa præstare tenebitur*.

(*a*) Leg. *Licet*. 2. ff. si quis omissa caussa testament. &c. lib. 29. tit. 1.

(*b*) Leg. *Si in fraudem*. 1. cod. si omissa sit caussa testament. l. 6. tit. 39.

Uno verbo hæres quilibet, qui testatoris mortem cognoscens, & quo titulo ipsius sit hæres, aliquid agit, quod non agere potest, nisi ut hæres, ut si integram vendat hæreditatem, aut ejus tantum partem; aut a debitore censum hæreditatis accipiat, aut absque urgenti necessitate defuncti creditorem persolvit, vel prædium aliquod possidet, quod ad eandem pertinere novit hæreditatem, hinc pro nudo ac simplici hærede gerere videtur, & omnibus inde hæreditatis oneribus fit obnoxius; ut constat ex sequentibus legibus: *Tunc pro hærede geri dicendum esse ait, quoties accipit quod citra nomen & jus hæredis accipere non poterat* (*c*). *Cum debitum paternum te exsolvisse alleges pro portione hæreditaria, agnovisse te hæreditatem defuncti non ambigitur* (*d*). *Pro hærede autem gerere quis videtur, si rebus hæreditariis tanquam hæres utatur, vel vendendo res hæreditarias, vel prædia colendo, locandove, vel quoquo modo voluntatem suam declaret, vel re vel verbis de adeunda hæreditate* (*e*). *Gerit pro hærede, qui animo agnoscit successionem; licet nihil attingat hæreditarium. Unde & si domum pignori datam, sicut hæreditariam retinuit, cujus possessio qualis qualis fuit in hæreditate, pro hærede gerere videtur. Idemque est, etsi alienam rem ut hæreditariam possedisset* (*f*).

(*c*) Leg. *Pro hærede*. 20. § 4. ff. de acquit. vel omitt. hæred. l. 29. tit. 2.

(*d*) Leg. *Cum debitum*. 2. cod. de jure deliberandi lib. 6. tit. 30. & leg. *Parentibus*. 8. cod. de inoffi. cioso testam.

(*e*) §. 9. Instit. de hæred. qualit. & different.

(*f*) Leg. *Gerit*. 88. de acquit. vel omitt. hæreditate.

Observandum 1. quod si quis se hæredem gerere nolit, & justa subsit necessitas, cur aliquo actu sub nomine hæredis se gerat; necesse est, ut sibi caveat, suam exponens intentionem, & juridice attestans, ex actu suo non se fore impeditum, ne hæreditatem prætermittat, & acta ad hanc attestationem consequenter facta, non sibi fore nociva: *Et ideo*, inquit Lex (*g*), *solent testari liberi, qui necessarii existunt, non animo hæredis se gerere quæ gerunt; sed aut pietatis aut custodiæ caussa aut pro suo*.

(*g*) Leg. *Pro hærede*. 20. ff. de hæred. acquir. vel omit. Item leg. *Etsi* 14. §. 8. ff. de religionis & sumpt. funerum. l. 11. tit. 7.

Observandum 2. Pupillum valide nullo se actu gerere posse hæredem, quo irrevocabiliter teneatur. Nam in integrum semper restitui potest de iis, quæ uti pupillus propriæ rei contraria fecerit. Quare si se aliquo actu hæredem gessisset, & onerosa esset hæreditas, in integrum restitui posset ex hac lege (*h*). *Minoribus 25. annis, si damnosam hæreditatem parentis appetierint, ex generali edicto, quod est in minoribus 25. annis succurrit* (proconsul) *eum etsi extranei damnosam hæreditatem adierint; ex ea parte edicti in integrum eos restituit*. Atque hæc minoris prærogativa nullum creditoribus damnum inferre potest. Nam cum Minor hæres est, fit semper bonorum hæreditatis, quam acquirit, inventarium; ex quo inter beneficiarios hæredes semper annumeratur; atque inventarium illud hæreditatis Creditorum jura in tuto reponit.

(*h*) Leg. *Necessarias*. 57. §. 1. ff de acqu. vel omitt. hæred.

CASUS XV.

Riberius, paternam volens repudiare hæreditatem, multa clam ejus mobilia ante repudiationem subducit: quo facto hæreditatem repudiat, debitis aliisque oneribus solvendis imparem. Creditores quatuor, detecta Riberii infidelitate, ipsi litem inferre volunt, ut juridice hæres simpliciter declaretur, & sic ad solvenda omnia hæreditatis debita cogatur, quæ longe pretium ejus superant. An id possunt tuta conscientia, si Riberii damnum ad 2000. numerorum de bonis propriis venturum esse certo sciant?

Respons.

Quatuor illi Creditores absque injustitiæ reatu Riberium jure persequi possunt, eumque simplicem esse Patris sui hæredem sententia obtinere. Ratio est, quia, si furtive subducta ut hæres accepisset, constat ex eo solo futurum esse simplicem Patris in hæredem ex his verbis legis (*i*). *Pro hærede autem gerere quis videtur, si de rebus hæreditariis, tanquam hæres utatur*. Atqui certum est etiam, ipsius conditionem ex eo non fieri meliorem; quod hæreditaria Patris sui mobilia dolo malo subduxerit; atque idcirco par est, ut is habeatur tanquam hæres simpliciter paternæ hæreditatis, ejusque debitorum solutione adstrictus; quod exprese declarant duæ leges digestorum, quarum prior in præcedenti decisione relata his effertur terminis (*k*): *Tunc pro hærede geri dicendum esse ait* (Papinianus) *quoties accepit quod citra nomen & jus hæredis accipere non poterat*. Et posterior istis (*l*): *si quis servus se dicit retinere hæreditatem nolle, aliquid autem ex hæreditate amoverit, abstinendi beneficium non habebit*.

(*i*) §. 7. Instit. de hæredum qualit. & differ. lib. 2. tit. 19.

(*k*) Leg. *Pro hærede*. 20. § 4. ff de acquiren. vel omitt. hæred.

(*l*) Leg. *Si servum*. 7. § 4. ff. eod. tit.

Idem tamen non esset dicendum, si Riberius primo ab hæreditate abstinuisset, dein mobilia quædam amovisset; tum enim hæres non esset censendus, nisi ex quibusdam specialibus facti sui circumstantiis is produceretur effectus; sed solum furti conscius esset, de quo juxta leges esset puniendus. *Ceterum si ante se abstinuit, deinde tunc amovit; hic videamus, an edicto locus sit: magis est, ut putem istic Sabini sententiam admittendam, scilicet ut furti potius actione creditoribus teneatur. Etenim qui semel se abstinuit, quemadmodum ex post delicto obligare*. Ita Papinianus in lege nunc allata.

CASUS XVI.

Florus, Vir Nobilis in Provincia natus, cognita Valentini avunculi sui morte, qui Gratiæ obiit, cujus hæres est ab intestato, & adit hæreditatem bona fide, postea agnoscit, se ab avunculo suo testamento scriptum esse hæredem cum onere plurium Legatorum præcipui momenti, quorum solutionem ab eo requirunt Legatarii: Quo facto hæreditatis prætermissionem offert, omniumque mobilium ejus restitutionem: Sed oblatam Creditores recusant conditionem, cujus acceptationem non sibi fore utilem existimant; & contendunt, ipsum de omnibus: etiam cum proprio periculo, hæreditatis oneribus teneri; quod se justum ab intestato hæredem gesserit ab initio, Nunquid legitima est eorum contentio?

R a s p o n s.

In quibusdam casibus illegitima posset esse istorum Legatariorum contentio. Nam ut hæres de oneribus hæreditatis teneatur; non satis est, ut mortem illius, cui succedit, cognitam habeat; cognoscat etiam, se ejus esse hæredem, & aliquo actu talem se gerat; sed insuper requiritur, ut cognoscat, quo titulo hæres sit. Id autem Florus ignorabat, quando avunculi sui Valentini hæreditatem adivit; cum ignoraret, ipsum testamento scripsisse hæredem, cum onere plurium Legatorum. Igitur cum ab Legatariis certo addiscat, a Valentino conditum esse testamentum, ab hæreditate legitime potest abstinere, ipsis derelicta re omni hæreditaria. *Ut quis pro hærede gerendo obstringat se hæreditati, scire debet qua ex caussa hæreditas ad eum pertineat, veluti adgnatus proximus juste testamento scriptus hæres, antequam tabulæ proferantur, cum existimaret intestato Patrem familias mortuum, quamvis omnia pro Domino fecerit, hæres tamen non erit.* Hæc sunt ipsa Digestorum Legis verba (*a*), quæ addit, quod in hoc casu idem ferendum est judicium, ac de hærede, qui testamento, quod validum putat, institutus, nec aliunde hæres ab intestato, hæreditatem adiisset; quam postea repudiasset, ob defectus in testamento contentos. *Et idem juris erit, si non justo testamento scriptus hæres, prolatis tabulis, cum putaret justum esse; quamvis omnia pro Domino administraverit, hæreditatem tamen non acquiret.*

(*a*) Leg. Si is, 22. ff. de acqu. vel omit. hæred. lib. 29. tit. 2.

Diximus: In quibusdam casibus illegitima posset esse contentio Legatariorum, de quibus in casu proposito fit mentio; quamvis enim Legatorum, quæ nimia sunt, reductionem quandoque hæres obtinere possit, ut alibi dicimus; sunt tamen testamentariæ quædam dispositiones, quæ huic reductioni non subjiciuntur, ut cum hæreditatis dodrantem Legata non excedunt; qui litis instruendæ impensis additus ad illas reductiones obtinendas sufficit, ut hæres ab hæreditate se abstinere possit: Sed si Legata reduci possent, & reductioni eorum assentirentur Legatarii, aut facile eorum obtinere hac in re condemnationem; tunc ad repudium hæreditatis jure non admitteretur, si se tanquam hæredem cum cognitione caussæ gessisset (*b*).

(*b*) Novel. 1. cap. 2.

CASUS XVII.

Laurentius, futurus hæres Hugonis, cognito, quod Parens iste in Provincia mortuus esset, Gabrieli summam centum nummorum, ab hæreditate debitam persolvit, priusquam huic se immisceret; sed cognito etiam, defunctum scripsisse testamentum, quo exhæres erat, atque adeo perperam se nummos centum solvisse, horum restitutionem a Gabriele requirit, qui eam denegat, suamque asserit denegationem ista Lege (*c*): *Repetitio nulla est, ab eo qui suum recepit, tametsi ab alio, quam vero debitore solutum est.* Cui jus?

(*c*) Leg. Repetitio. 44. ff. de condictione indebiti. lib. 12. tit. 6.

R a s p o n s.

Ad propositam difficultatem cum distinctione respondendum. Nam si crediti sui titulum centum nummos accipiendo extinxisset Gabriel, ita ut eos jam ab Hugonis hærede repetere non posset, ut si titulus ille simplex esset Syngrapha, quam a Gabriele acceptam lacerasset Laurentius; & defectu tituli debitum a Creditore ita esset amissum; existimamus, centum nummos a Gabriele legitime retineri posse, atque a Laurentio male solutæ pecuniæ culpam sibi soli esse adscribendam salvo suo contra hæredem recursu, si ad eum pateat aditus: Sed si Gabriel titulum suum non extinxit, & debitam ab hærede summam recipere possit, tenetur erga Laurentium de restitutione centum nummorum, cum is de propria solverit pecunia; & speratam liberando hæreditatem, proprium quoque sibi debitum persolvere se putaret. *Quamvis debitum sibi quis recipiat*, ait Lex (*d*), *tamen si is qui dat, non debitum dat, repetitio competit; veluti, si is qui hæredem se, vel bonorum possessorem falso existimans, Creditori hæreditario solverit. Hic enim neque verus hæres liberatus erit; & id quod dedit, repetere poterit. Quamvis enim debitum sibi quis recipiat; tamen si is qui dat non debitum dat, repetitio competit.*

(*d*) Leg. Si pœna. 19. §. 1. ff. eod. tit.

Neque huic Legi derogat Lex a Gabriele allegata, ut Laurentium jure repetitionis centum nummorum privet; quia Lex illa, quam laudat Gabriel, intelligitur tantum de eo, qui Creditori de propria solvit pecunia debitum, quod ab alio novit esse contractum, & qui solvit, præsumitur alterius debitum liberaliter ex amicitia aut ob aliquam aliam rationem velle persolvere.

CASUS XVIII.

Lombardus, uti Sempronii hæres, ipsius bona possidens, & se unicum ejus hæredem contendens esse, a Tertullo in sua possessione interpellatus est, qui se quoque ejusdem successionis esse hæredem contendit.

Pendente lite, contagio aut aliter deperierunt pecora ad valorem mille & plurium librarum. Tertullus, adjudicata sibi hæreditate in judicio, a Lombardo hæreditatis simul & deperditi pecoris restitutionem petiit. Nunquid in Lombardum cadit illa jactura?

R e s p o n s.

Quandoquidem Lombardus, ut supponitur, bonæ fidei possessor fuerit, non tenetur ad restituendum Tertullo valorem pecorum, quæ lite pendente deperierunt. Hujusmodi namque detrimenta haberi debent uti casus fortuiti & improvisi: Dici etiam potest, quod, licet casus illos prævidisset Lombardus, ex timore talis eventus compelli non debuisset ad jus suum deserendum in hæreditatem Sempronii.

Consentit hæc decisio cum æquitate naturali & jure Romano: *Illud quoque quod in oratione divi Hadriani est*, inquit una ex Legibus Digestorum (*e*), *ut post acceptum judicium id actori præstetur, quod habiturus esset, si eo tempore, quo petiit, restituta esset hæreditas, interdum durum est. Quid enim si post litem contestatam mancipia, aut jumenta aut pecora deperierint? Damnari debebit secundum verba orationis, quia potuit petitor, restituta hæreditate, distraxisse ea. Et hoc justum esse in specialibus petitionibus Proculo placet. Cassius contra sensit. In prædonis persona Proculus recte existimat; in bonæ fidei possessoribus, Cassius. Nec enim debet possessor aut mortalitatem præstare, aut propter metum hujus periculi temere indefensum jus suum relinquere.*

(*e*) Leg. Illud. 40. ff. de hæred. petitione.

CASUS XIX.

Valentinus, qui se Juliani hæredem gessit, agnoscens bona hæreditatis non sufficere ad solvenda ipsius debita, ad falcidiam confugit, & quod supererat, creditoribus dereliquit. Num id ipsi est licitum?

R e s p o n s.

Antequam propositæ quæstioni fiat satis, quatuor sunt observanda. Primum est, quod *Falcidia* ab inventoris nomine in jure sic dicta, nihil aliud est, quam pars quarta bonorum hæreditatis, quam hæres sibi retinere potest, quando dodrantem seu tres quadrantes legata excedunt. *Quicumque civis*

Rom*a*-

Romanus post hanc legem rogatam , Testamentum facret, inquit Lex (a) , *is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare , legare volet ; jus potestasque esto ; dum ita detur legatum , ne minus quam partem quartam hereditatis eo testamento heredes capiant.*

(a) Leg. *Lex Falcidia*. 1. ff. ad Leg. Falcidiam. lib. 35. tit. 2.

Secundum est , quod quarta pars illa sumi non potest in hereditatem , nisi post deductum æs alienum , seu persolnta debita , cujuscumque sint naturæ . *Sicut legata non debentur, nisi deducto ære alieno aliquid superfit*, ait Lex alia (b) , *nec mortis caussa donationes debebuntur sed infirmantur per æs alienum*. Quod idem declarat hæc Lex alia (c) ; *Bona intelliguntur cujusque , quæ deducto ære alieno supersunt*. Quod verum est , etiam intellectis ipsius heredis debitis , quacumque ratione sit creditor. *Etiam quod ipsi heredi mortis tempore debitum fuerit ; quamvis aditione hereditatis confusæ sint actiones* (d).

(b) L. *Circa*. 90. §. 1. ff. eod. tit.

(c) L. *Subsignatum*. 39. §. 1. ff. de verbor. signif. l. 50. tit. 16.

(d) Leg. *In imponenda*. 6. cod. ad leg. falcid. lib. 6. tit. 50.

Tertium est, quod Falcidiæ beneficium , speciatim heredibus testamentariis concessum , eorum defectu pertinet etiam ad heredes , qui vocantur legitimi & ab intestato juxta hæc legis verba (e): *Dixi legem Falcidiam inductam esse a divo Pio , etiam in intestatorum successionibus propter fideicommissa* , sed quod jure illo nullus frui potest legatarius (f): *Numquam legatarius , vel fideicommissarius , licet ex Trebelliano Senatusconsulto restituitur ei hereditas , utitur legis Falcidiæ beneficio* , inquit Lex alia .

(e) L. *Filius familias*. 18. eod. tit.

(f) L. *Lex falcidia*. 47. §. 1. ff. eod. tit.

Quartum denique , quod beneficium & usus Falcidiæ non pertinet ad hereditates , quarum bona in regionibus juris consuetudinarii posita sunt , in quibus legitima ac legatorum reductio diversimode pro variis cujusque consuetudinis regulis statuitur ; sed quod jus illud spectat tantum ad eorum clausulas testamentarias , quorum bona in provinciis scripti juris posita sunt . Ex quibus animadversionibus facile solventur omnes difficultates , quæ ad Falcidiam pertinent . Quo præsupposito :

Ad quæstionem in casu de quo agitur , propositam respondemus dicendo , Valentinum vel se gessisse simpliciter heredem Juliani , vel solum beneficio inventarii : si se heredem simpliciter Juliani gesserit ; nullum ei jus competit ad Falcidiæ beneficium ; licet multo plura essent ejus hereditatis debita atque onera , quam bona : & absque ullo in aliquem recursu præstare tenetur non solum omnes rei hereditariæ imminutiones , sed etiam damna omnia , quæ fortuito casu absque legatariorum culpa contigere . *In ratione legis Falcidiæ* , inquit Lex (g) , *mortes servorum , ceterorumque animalium , furta , rapinæ , incendia , ruinæ , naufragia , vis hostium , prædonum , latronum , debitorum facta pejora nomina : in summa quodcumque damnum ; si modo culpa legatarii careant , heredi pereunt* .

(g) L. *In ratione*. 30. ff. eod. tit.

Si vero heredem se beneficiarium declaraverit ; vel bonorum defuncti inventarium descripsit , vel non si vere , sine fraude & cum debitis formulis descripserit , & comprobet , bona hereditatis ad debitorum solutionem non sufficere ; tunc jus habet ad Falcidiam , sed jus illud amittit , nisi caverit de inventario describendo : *Fiat igitur inventarium ab herede metuente , ne forte non habeat post debita & legata Falcidiam* , inquit Justinianus (h) ... *si vero non fecerit inventarium ... non retinebit Falcidiam , sed complebit legatarios & fideicommissarios ; licet puræ substantiæ morientis transscendat mensuram legatorum datio* . Quibus illud etiam addendum est , licet ad ipsum pertineant diminutiones ac damna hereditatis , etiam ut heredem beneficiarium , id ei tamen commodi evenire , quod hereditatem repudiare queat habita eorum ratione quæ ex ea percepit : quo in casu omnes casus qui a morte restantis contigere , ad solos pertinent defuncti creditores & legatarios , ut jus constituit (i) .

(h) Novella. 1. c. 2. §. 1.

(i) Leg. *In quantitate*. 73. ff. ad L. Falcidiam.

CASUS XX.

Simon , heres Leodegarii , qui Paullino 10000. lib. summam ex testamento legavit , hereditatem ejus pinguem existimans , eam statim non nisi ut beneficiarius heres adivit ; & tamen scripto erga Paullinum de solutione legati sese obligavit. Sed postea agnoscens , omnia bona hereditatis , deducto ære alieno , non sufficere ad solutionem hujusce legati ; ad Falcidiæ beneficium confugit , quo uti cupiens 10000. lib. quæ Paullino fuerant legata , solutionem negavit. Numquid legitima est ejus recusatio?

RESPONS.

Simon, Paullino legatæ a Leodegario 10000. lib. summæ solutionem absque injustitia denegare non potest. Cum enim heres , priusquam Falcidiæ beneficio uti constituerit, de integra se obstringit solutione legati , quod Falcidiæ locum dare potest , jam in integrum restitui nequit , cum Falcidiæ beneficio renuntiaverit ex contracta obligatione solvendi integri legati . Ratio est , quia præsumenda est hujusmodi obligatio esse facta , ut testatoris voluntatem compleret ; a qua libere poterat abstinere , & Falcidiæ tantum jus petere . *Si solverit* , inquit Lex (k) , *sive super* hoc cautionem fecerit , æquitatis ratio similia suadere videtur . En etiam Legis alterius verba (l) : *Scire debet omissa Falcidia quo pleniorem fidem restituendæ portionis exhiberet , non videri plus debito solutam esse* .

(k) L. *Cum certum*. fin. cod. ad legem Falcid. in fine lib. 6. tit. 50.

(l) L. *Scire*. 1. cod. eod. tit.

Nihilominus si heres iste solvisset, aut de solutione cavisset errore facti tantummodo ; ut si rem peregisset priusquam sibi notus esset codicillus , qui alia continebat legata , quibus demtioni locus esset ; tunc eorum quæ in solutione superabundarent , jus ei repetitionis competeret ; ut probari potest ex hac juris regula (m) : *Regula est , juris quidem ignorantiam cuique nocere , facti vero ignorantiam non nocere* ; & ex his verbis Legis (n) : *Si post divisionem factam testamenti , vitium in lucem emerserit , ex his quæ per ignorantiam confecta sunt præjudicium tibi non comparabitur* . Cujus rei hanc rationem affert Lex alia (o) : *Cum ... facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat* .

(m) L. *Regula*. 9. ff. de juris & facti ignorantia.

(n) L. *Si post*. 4. cod. tit.

(o) L. *In omni*. 2. ff. eod. tit.

Diximus : *Errore facti tantummodo* : nam si errore juris lapsus esset , v. g. si ignorasset , se Falcidiam retinere posse , aut putasset legatum illud detractioni non esse obnoxium , tunc ad pristinum non posset statum restitui . *Error facti quartæ , ex caussa fideicommissi non retentæ , repetitionem non impedit. Is autem qui sciens se posse retinere* (universum restituit) *condictionem non habet ; quia etiam si jus ignoraverit , cessat repetitio* . Hæc sunt verba legis Codicis (p) , quacum consentit hæc alia Digestorum (q) : *Si quis jus ignorans , lege Falcidia usus non sit , nocere ei dicit Epistola divi Pii* .

(p) L. *Error*. 9. cod. eod. tit.

(q) L. *Regula*. cit.

CASUS XXI.

Gamintus , civis Forijulii , heres Cæsaris qui ipsi multa eaque gravia legata erga eumdem legatarium testamento imposuit , nomine beneficiarii heredis accepta hereditate , libenter plus quam dimidiam legatorum partem exsolvit , nihil pro Falcidia deducens , sed agnoscens tandem , hereditatem iis omnibus persolvendis imparem esse , contendit , se de reliquis legatis Falcidiam deducere posse . Vult contra legatarius , cum prima absque diminutione neque exercito jure Falcidiæ persolverit , illud idem jus in reliqua eum jam exercere non posse . Cui jus?

RESPONSE.

Legatario jus non competit : nam certum est , heredem , qui imposito sibi multorum erga unum eumdemque legatarium oneri legatorum quoad majorem partem satisfecit , jure suam ex omnibus legatis Falcidiam retinere posse , licet unum dumtaxat legatum superesset solvendum : idemque dicendum est , si unius tantum legati solutione obstrictus , jam partem persolvisset , non deducta de solutione Falcidia . Ratio est , quia legitime præsumitur , solutionem ab illo herede non fuisse susceptam absque Falcidiæ deductione , nisi quia eam penitus extinguere constituerat ex iis quæ sibi supererant ; uti constat ex hac Digestorum Lege (r) : *Si ex pluribus rebus legatis heres quasdam solverit , ex reliquis Falcidiam plenam per doli exceptionem retinere potest , etiam pro his , quæ jam data sunt* . Unde sequitur , in casu proposito Geminum integram suam

(r) Leg. *Si ex pluribus*. 16. ff. ad Leg. Falcid.

jure repetere posse Falcidiam ex reliquis legatis persolvendis legatario.

CASUS XXII.

Nicasius civis Lugdunensis, heres beneficiarius ab intestato Cosmæ, civis pariter Lugdunensis, ex inventario bonorum defuncti agnoscens, ea non sufficere ad solutionem debitorum nec non legatorum, Falcidiam tantum vult petere, quartam bonorum quæ in hereditate supersunt, partem, deductis debitis retinendo, ac ceterum dodrantem legatarii relinquere: at legatarii, quorum legata 3000. lib. summam conficiunt, ipsi objiciunt, ea fructibus ac reditibus futuri temporis augendum esse legatorum fundum, eique pro quadrante illos adscribendos esse. Duo vero alii legatarii, quorum legata sunt alimentaria, contendunt nihil de concessa sibi pensione demi posse, utpote quæ sibi sit omnino necessaria. Qua de re quæritur, utrum omnino istorum legatariorum æqua sit ac legitima contentio?

RESPONS.

Illegitima est illorum legatariorum in Nicasium contentio: nam legibus constitutum est, quadrantem qui juxta scriptum jus ad heredem pertinet, esse computandum de bonis certis ac præsentibus, tempore obitus defuncti: quia cum illo tempore aperta sit successio, in iis tantum quæ tum supersunt, bonis consistit. *Mortis tempus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit observari (a)*, inquit Lex. Quare nulla est habenda ratio fructuum aut redituum qui futuri sunt, neque illos pro legatis fundum augere, neque pro Falcidia Nicasio possunt adscribi, cujus reditus ad ipsum pleno jure attinent. *Ex die mortis fructus quadrantis apud heredem relinqui necesse est*, inquit Lex alia *(b)*. Unde concludi necessum est, quod cum præcise tempore mortis defuncti Falcidia heredi acquiratur, eamque repetere jure possit ex omnibus bonis hereditatis; Cosmæ legatarii fructus in bonis hereditatis futuros nequeunt comprehendere, nisi fructus illi tempore mortis essent maturi. Certum quippe est, in hoc casu eorum habendam esse rationem in æstimatione fundorum, conformiter ad ista legis verba *(c)*: *In Falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant hereditatis æstimationem fundi nomine, qui videtur in illo tempore fuisse pretiosior*. Quod mutuo consensu fieri debet, si heres & legatarii inter se convenire possint; aut juridice, si non possint.

(a) Leg. Cum quo. 30. ff. ad Leg. Falcid.

(b) Leg. Quod bonis. 15. §. 6. ff. eod. tit.

(c) Leg. In Falcidia. 9. ff. eod. tit.

Constat vero eorum illegitimam esse contentionem, quorum legata sunt alimentaria, quique de iis ad Falcidiam nihil deduci posse contendunt. Neque enim legata alimentaria minus, quam alia Falcidiæ subjiciuntur, ut his terminis Lex declarat; *(d) Divi Severus & Antoninus, rescripserant pecuniam relictam ad alimenta puerorum, Falcidiæ subjectam esse*; quod quidem mirum videri non debet, cum legatum Principi factum eidem subjiciatur; uti statuit hæc alia Lex *(e)*: *Et in legatis Principi datis Legem Falcidiam locum habere merito divo Hadriano placuit*.

(d) Leg. Divi. 89. ff. eod. tit.

(e) Leg. Et in legatis. 4. cod. eod. tit. lib. 6. tit. 50.

Illud igitur unum intercedit discrimen inter legatum alimentitium, vel pensionem ad vitam seu usumfructum, ceteraque legata; quod cum legati cujusque pretium stabiliri debeat, ut pro omnibus constituatur Falcidia; videtur, quod legati alimentitii, pensionis ad vitam aut ususfructus pretium constitui debeat juxta modum valoris, quem respective ad suam ætatem acciperet legatarius, si vendere optaret. Sed legatarius ille statim post testantis obitum Falcidiam pretii sui legati solvere non teneretur, neque pro ratione valoris determinati, quia a primo anno mori potest, quo in casu non legatarius sed successionis debitor esset: neque etiam par est, ut debitam pro Falcidia detractionem non pateretur, nisi multis post annis, aut ultimo anno, quo legato suo frui debet. Ita igitur constituenda est hæc Falcidia, ut pro quolibet anno de hac pensione aut usufructu non detrahatur, nisi pro rata parte diminutionis constitutæ pro ceteris legatis; ita ut v. g. si Falcidia de omnibus legatis, non suppressa pensione ad vitam aut usufructu, juxta æstimationem generaliter factam, partem sextam demat; legatarius alimentitius quolibet anno pro parte Falcidiæ sibi competenti sextam partem suæ pensionis amittat, nisi forte aliter ab iis quorum interest, constituatur.

Juvat heic advertere, non idem esse dicendum quando is cui incumbit onus solvendæ pensionis alimentariæ, non heres est, sed legatarius, quem cum eo onere testator legavit. Tunc enim si obtineat Falcidia, ac partem legati sui ob eam amittat, aut etiam totum ejusdem proventum post præbita alimenta, detractionis illius partem in legatarium alimentitium transferre nequit *(f)*, & totam quam ipsi injunxit testator, pensionem solvere tenetur, non solum quia ipsum cum hoc dumtaxat onere testator legavit, sed etiam quia non tam favorabilis est legatarii caussa, quam heredis: unde fit, ut quamvis ex legibus heres qui de eo teneretur onere, partem ejus in legatarium alimentitium aut usufructuarium transferre posset, legatario tamen non idem per eas licitum sit.

(f) Leg. Liberto. 21. §. 1. ff. de annuis legatis & fideicommissis. lib. 33. tit. 5. Et leg. Cum pater. 77. §. 1. ff. de legatis & fideicommissis. 2. lib. 31. tit. 1.

CASUS XXIII.

Rutilius, civis Massiliensis, Gilberto heredi suam quinque diversorum solutionem legatorum imposuit, quæ quinque ex amicis suis testamento scripsit, simul prohibens, ne Falcidiæ jure uteretur. Legatarii isti legatorum suorum numerationem postulant a Gilberto, qui eam recusavit, uti volens jure Falcidiæ, quod sibi, inquit, lege acquisitum est; contra quam constituere non potuit Rutilius. Potestne hic heres absque injustitia in sua perseverare repulsa, & uti jure Falcidiæ?

RESPONS.

Certum est 1. Falcidiam esse jus legibus constitutum pro heredibus, qui eo uti cupiunt. 2. Omnes testamentarias dispositiones legibus debere esse conformes, neque iis derogare posse voluntatem testantis: quia effectum suum independenter a voluntate privatorum jura obtinent. *Jus publicum privatorum pactis mutari non potest*, inquit Lex *(g)*. *Privatorum conventio juri publico non derogat*, ait Lex alia *(h)*. *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, Lege contrahere prohibente*, ut fert etiam alia Lex *(i)*.

(g) Leg. Jus publicum. 38. ff. de pactis. lib. 2. tit. 14.

(h) Leg. 45. §. 1. ff. de diversis regulis juris antiqui lib. 50 tit. 17.

(i) Leg. Non dubium. 5. cod. de Legibus &c. l. 1. tit. 14.

Attamen testator heredi suo omnium, quæ scripsit legatorum solutionem conficiendi onus imponere potest, ac simul prohibere, ne utatur Falcidia. Ratio est, quia hæc est ejusdem Legis exceptio *(k)*, & quia heres libere hereditatem sub hac conditione potest accipere; aut ab ea abstinere. *Si in testamento ita scriptum sit*. Heres meus Lucio Titio decem dare damnas esto: & quanto quidem minus per legem Falcidiam capere poterit, tanto amplius ei dare damnas esto; *Sententiæ testatoris standum est*. Hæc sunt verba secundæ Legis ad marginem indicatæ.

(k) Leg. Si Debitor. 12. & Leg. In testamento. 64. ad Leg. Falcid. lib. 35. tit. 2.

Fatemur quidem contrarium videri fuisse constitutum ex quibusdam aliis Digestorum Legibus *(l)*. Sed postea rem aperte pro heredibus Justinianus definivit his verbis *(m)*: *Si vero expressim designaverit* (testator) *non velle heredem retinere Falcidiam, necessarium est, testatoris valere sententiam, & aut volentem eam parere testatori, forsan etiam quædam juste & pie relinquenti, lucrum non in percipiendo, sed solummodo pie agendo habentem; & non videri sine lucro hujusmodi esse hereditatem: aut parere noluerit, eum quidem recedere ab hujusmodi institutione*. His addendum, quosdam esse casus, in quibus obtinet prohibitio utendi Falcidia, licet ea sit tantum tacita, cujus rei exemplum suppeditat Lex ista *(n)*: *Si quando aliquis testamentum faciat, & aliquam rem immobilem suæ familiæ, aut alteri cuicumque personæ, nomine Legati reliquerit; & specialiter dixerit, nullo tempore hanc rem alienari; sed aut apud heredes aut apud successores illius, cui relicta est permanere: in hoc legato jubemus, Falcidiam Legem locum penitus non habere.*

(l) Leg. Seius 27. ff. eod. tit.

(m) Novella 1. c. 2. in fine.

(n) Novella. 119. c. finali.

Pro-

Prohibitin namque alienandi tacite volnntatem hujus testatoris includit qua vult, nt Legatarius iste ejusque hæredes, fundo sic Legato abique diminutione fruantur.

Colligendum itaque ex dictia, quinque Legatarios, de quibus loquitur casus propositus, integram suam a Gilberto Rutilii hærede Legati solutionem legitime posse exigere, cum ipsi prohibere potuerit hic testator, ne erga quinque Legatarios falcidiæ jure uteretur; ipsumque adeo perseverare non posse in repulsa solvendi integri Legati a Rutilio scripti.

CASUS XXIV.

Henricus, Albertus & Germanus, hæredes ab intestato, vel testamentarii Marci hæreditatem adiverant. Germanus, aliis duobus absentibus, 200. impendit libras ut ædes hæreditatis proximam ruinam minitantes fulciret. At cum fulmiue ictæ periissent, Henricus & Albertus sumptuum, quos fecerat Germanus propria auctoritate, participes esse noluerunt, quod sibi forent inutiles. Nunquid in foro cunscientiæ in sua permanere possunt repulsa?

RESPONS.

Duo pcimi isti hæredes in sua repulsa perseverare nequeunt absque manifesta injustitia. Cum enim unus ex hæredibus quosdam fecit snmptus ad commnnem utilitatem, eorum par est rationem habere cohæredes, & partem impensaram earum Auctori restituere pro rata, licet fortuito quodam casu res pereat. *Quod si sumptus quidem fecit*, inqait Lex una Digestorum (*a*), *nihil autem fructuum perceperit; æquissimum erit rationem horum quoque in bonæ fidei possessoribus habere*. Et in hoc positum est discrimen inter hæredem ac bonæ fidei possessorem & inter malæ fidei possessorem: Nam cum possessor malæ fidei nequidem sumptus necessarios aut utiles in re possessa factos jure repetere queat, nisi res actu subsistat, & melior ex his impensis facta fuerit, & e contra eos sumptus amittat, si res pereat, aut ex his melior non facta fuerit; hæres e contra aut quicumque alter bonæ fidei possessor hujusmodi sumptus legitime recuperase potest, quamvis res citra suam culpam pereat, ut in casu proposito. Ita statuit Lex verbis istis (*b*): *Plane in cæteris necessariis & utilibus impensis posse separari, ut bonæ fidei quidem possessores has quoque imputent; prædo autem de se queri debeat, qui sciens in rem alienam impendit; sed benignius est, in hujus quoque persona haberi rationem impensarum. Non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere; & id ipsum officio Judicis continebitur: Nam nec exceptio doli desideratur. Plane potest in eo differentia esse, ut bonæ fidei quidem possessor omni modo impensas deducat; licet res non extet, in quam fecit, sicut tutor vel curator consequuntur: prædo autem non aliter, quam si res melior sit*....

(*a*) L. *Quod si*. 27. ff. de hæred. petitione l. 5. tit. 3.

(*b*) Leg. *Plane*. 38. ff. eod. tit.

CASUS XXV.

Paulus ob admissum furtum, dum lis ei inferretur, mortuus, a Judice tamen damnatus est de restitutione rei subreptæ, damnis & interesse Domini rei, & mulcta pecuniaria 300. lib. Xenodochio generali eroganda. Ludovicus, qui defuncti hæredem se gessit, tenetur-ne non solum de restitutione rei subreptæ ejusve pretii, sed etiam de solutione damnorum & interesse; nec non mulctæ 300. librarum?

RESPONS.

Certum est, Ludovicum uti Pauli hæredem teneri non solum de restitutione rei subreptæ, aut legitimi ipsius valoris, sed etiam damnorum & interesse erga eum, cujus est res subrepta. Hæc est enim Galliæ Jurisprudentiæ regula, quod cum agitur de restitutione damni ex delicto seu crimine orti, seu Auctoris ejus bona aucta fuerint ex eo sive non, de eo tenetur ejus hæres, licet etiam nulla facta fuerit accusatio vel actio in defunctum. Qua in re jus Gallicum non sequitur Jus Romanum, verum certissimas naturalis æquitatis regulas jure Canonico stabilitas.

Veritatem istam asserunt Summorum Pontificum Decretales, in quarum una Alexander III. scribens ad Episcopum Claromontanum (*c*) de homine multorum criminum conscio, de quibus a Parocho suo in articulo mortis absolutus fuerat, Episcopo huic jubet, ut ab hærede defuncti omnium damnorum, quæ delictis suis defunctus intulerat, restitutionem exigat; licet ex his nullum hæres ille percepisset commodum. *Quapropter si ita se res habet*, inquit hic Papa, *mandamus ut corpus ejusdem appellatione cessante, facias in cæmeterio sepeliri, & hæredes ejus moneas & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condigne satisfaciant: ut sic a peccato valeat liberari*. Idem postea etiam statuit Gregorius IX. his verbis (*d*): *Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum injectione in personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum violatione, vel incestu, fuit, dum ageret in extremis, per Presbyterum suum juxta formam Ecclesiæ absolutus, non debent cæmeterium & alia Ecclesiæ suffragia denegari. Sed ejus hæredes & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censura sunt Ecclesiastica compellendi*.

(*c*) Alex. III. in cap. *In literis*. 5. de raptoribus incendiariis & violat. Eccl. l. 5. tit. 17.

(*d*) Greg. IX. in c. *Parochiano* fin. de sepult. lib. 3. tit. 28.

Id quidem si verum sit, etiam in eo casu, cum hæres nullam e crimine seu delicto defuncti commodum percipit; a fortiori idem dicendum, si quis ad eum inde eveniat proventus. Quod etiam manifestum fit ex Decisionibus ejusdem juris Canonici, uti constat ex his S. Gregorii verbis in Canone relatis (*e*): *Si Episcopum talem culpam admisisse constiterit, (quod absit) ut constet eum non irrationabiliter fuisse depositum, eadem ejus depositio confirmetur, & Ecclesiæ res suæ omnes restituantur, quæ ablatæ claruerint: quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum. Si enim, ut dicunt, Comitiolus defunctus est, ab hærede ejus quæ injuste ab illo ablata sunt, sine excusatione reddantur*.

(*e*) S. Gregor. in can. *Si Episcopum*. 3. 16. q. 6.

Ex variis hisce probationibas manifestum fit, hæredem de facto defuncti teneri. Quam veritatem vel ipsi Legum civilium Auctores, quamvis contrarium sentientes, agnovere loquendo alia de re. *Hæredis quoque succedentis in vitium habenda fortuna est*, inquit una ex his Legibus (*f*). *Hæres furis .... vitiorum defuncti successor est*; ait etiam Lex alia (*g*). Cum igitur Auctor delicti mortuus est, neque in ipsum instituta est aliqua accusatio aut actio, ad jus dicendum admittitur is, qui de eo queritur: & si hæres defuncti memoriam purgare nequeat, seu probationum insufficientiam manifestando, seu ipsum factis, quibus ejus ostendatur innocentia, purgando, de restitutione omnium damnorum & interesse, quæ Judex proferet, hæres tenebitur.

(*f*) Leg. *Litigator*. 2. cod. de fructibus & litium expensis.

(*g*) Leg. *Si Ego*. 11. §. 2. ff. de publicana in rem actione lib. 6. tit. 2.

Non idem dicendum de pœna pecuniaria, seu de mulcta. Cum enim in defunctum ante ejus obitum lata non est sententia; hæres, qui ipsius criminis non est conscius, non tenetur. Hæc enim pœna in reum ipsum tantum obtinet, & ex ejus obitu cessat merita damnatio. At si ante rei obitum lata fuerit sententia; hæres tenetur de mulcta pecuniaria, quam Judex protulit: Quia in hoc casu pœna ista est onus hæreditatis, cui uti ceteris satisfacere hæres tenetur. *Ex judiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus hæredes pœnæ bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta*. Ita Lex Digestorum de publicis loquens criminibus (*h*); quæ ita quoque ex usu Galliæ de privatis delictis intelligenda est. His addendum ducimus, quod si ante obitum defunctus mulcta fuisset damnatus, de ea non teneretur hæres, si defunctus ille appellationem interposuisset, quia ex appellatione suspenditur judicium damnatorium: quæ tamen appellatio hunc non produceret effectum pro quibusdam criminibus, qualia sunt crimina læsæ Majestatis divinæ vel humanæ, duelli, homicidii sui ipsius, apertæ rebellionis contra justitiam, in qua occisus fuerit defunctus.

(*h*) Leg. *Ex judiciorum*. 20. ff. de accusationibus & inscriptionibus. lib. 48. tit. 2.

CASUS XXVI.

Guarinus & Cyprianus Bricii fuere hæredes; at absente Guarino, Cyprianus commuois hæreditatis bona omnia gerens, per errorem, ut pote rerum non intelligens, lapsus est; unde notabiliter hæreditas deterior facta est. Ast aliunde ob industriam suam multo majus e fructibus hæreditatis commodum percepit, quam Guarinus ipse, si præsens fuisset. Qua de re duo quæruotur. 1. Utrum Cyprianus de dimidio damno teneatur erga Guarinum, quod passa est hæreditas, quam ob imperitiam suam male gessit. 2. Utrum integram cum Guarino lucri ex fructibus percepti rationem habere in foro conscientiæ teneatur; quamvis id sibi constet, a Guarioo tantum ex iis non fuisse reportatum lucrum, si hæreditatem is gessisset?

R e s p o n s.

Ad primum respondemus, Cyprianum, modo communem rem hæreditatis pari & debita cura, atque suam administraverit, oec ipsi adscribi possit infelix exitus aut damnum, de quo agitur, de nulla ipsum indemnitare teneri erga Guarinum; quamvis ob intelligentiæ aut experientiæ suæ defectum contigerit damnum illud, neque alter ipso peritior rerum eodem lapsus fuisset errore, qui damnum illud attulit. Neque eoim par est ejus ratio, atque hominis, qui absentis amici sui negotia propria auctoritate administrare fategisset, quæ ad ipsum non pertinebant; neque etiam uti Tutoris, Curatoris, aut Procuratoris constituti, qui omnes accurati ac vigilantis Patrisfamilias curam ac diligentiam adhibere debent; quia se ipsos intrudunt, aut præponuntur ad gerendas omni, qua fieri potest cura res, quæ ipsis committuntur; cum cohæres ad rei hæreditariæ gestionem proprio sui commodu naturaliter vocetur, uti statuit Lex oaturali innitaa æquitati his terminis (a): *Non tantum dolum, sed & culpam in re hæreditaria præstare debet cohæres, quoniam cum cohærede non contrahimus, sed incidimus in eum. Non tamen diligentiam præstare debet, qualem diligens paterfamilias; quoniam hic propter suam partem caussam habuit gerendi: & ideo negotiorum gestorum ei actio non competit. Talem igitur diligentiam præstare debet, qualem in suis rebus.*

(a) Leg. Heredes 25. § 16. ff. familiæ erciscun. lib. 10. tit. 2.

Ad secundum vero quæsitum respondemus, quod licet multo majus a Cypriano quæsitum fuerit lucrum, quam Guarinus ipse percepisset, atrameo in foro conscientiæ Cyprianus totum lucrum cohæredi suo præstare tenetur: quia lucrum illud e communi fundo processit, & aliunde fructuum productio aliquam semper industriam supponit. *Cum hæreditas petita sit*, inquit Lex Digestorum (b), *eos fructus, quos possessor percepit omni modo restituendos: Etsi petitor eos percepturus non fuerat.* Quod ita tamen intelligendum est, ut cohæres de fructibus necessarias aut utiles impensas ad accurandum fundum, aliave communis hæreditaris negotia gerenda a se factas deducat; quia *fructus intelliguntur* (tantum) *deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorumque eorum gratia fiunt*, ut loquitur Lex alia eorumdem Digestorum (c).

(b) Leg. Cum hæredibus 51. ff. de hæredit. petitione. l. 5. tit. 3.

(c) Leg. Sin Domine 30. §. fin. eod. tit.

CASUS XXVII.

Jacobus, Mercator Vinciensis, juridice accusatus est de re, in qua de vita, aut saltem de amissione famæ periclitabatur. Benedictus vero nepos ejus & hæres futurus eo duritiæ processit, ut caussæ Capitali ipsi illatæ interveniret. Jacobus autem cum relata lite se de crimine purgasset, testamentum condidit, quo Benedictum exhæredavit, aliumque sibi propinquum scripsit hæredem. Nunquid legitimum est illud testamentum, & hæres ille testamentarius potest-ne tuta conscientia mortui Jacobi hæreditatem adire?

R e s p o n s.

Cum ex Legibus is privari debeat hæreditate alterius, cujus erat proximus hæres; quando particeps fuit mortis illius, seu quod directi adjutor illius fuerit, seu quod ipsum in homicidas poteus non defenderit, ut statuunt Leges (d): *Indignum esse divus Pius illum decrevit, qui manifestissime comprobatus est exegisse ut per negligentiam & culpam suam mulier, a qua hæres institutus erat, moreretur*: Videtur dicendum ob eandem rationem, Benedictum factum esse indignum hæreditatis Jacobi, cum particeps fuerit actionis ipsi illatæ, in qua, si non vita, saltem honor ejus agebatur, atque adeo Jacobum testamento suo alium sibi scribere posse hæredem in foro coolcientiæ. Id quidem probari potest ex Lege, quæ asserit, defuncti hæredes non teneri de solutione Legati erga eum, qui in pari casu versatur. En verba Legis hujus (e): *Seia testamento suo legavit auri pondo quinque; Titius accusavit eam, quod patrem suum mandasset interficiendum: Seia post accusationem institutam codicillos confecit, nec ademit Titio privilegio legatum; & ante finem accusationis decessit. Acta caussa pronunciatum est, patrem Titii sceleri Seiæ non esse interceptum. Quæro, cum codicillis legatum, quod Testamento Titio dederat, non ademerit, an ab hæredibus Seiæ debeatur? Respondit secundum ea, quæ proponerentur, non deberi.* Unde sequitur a fortiori, proximum hæredem privandum esse hæreditate illius, quem ipse accusavit, aut cujus accusationis particeps fuit; quia majus est beneficium ab hærede, quam a legatario acceptum; ac proinde majus ac pœna dignius illius, quam hujus ingrati animi vitium.

(d) Leg. Indignum. 3. ff. de his quæ ut indignis auferuntur. lib. 34. tit. 9.

(e) Leg. Filio. §. penult. ff. de adimendis vel transferendis Legatis, vel Fideicom. lib. 34. tit. 4.

Idem dicendum de eo, qui testamento hæres scriptus, Testatorem atroci quadam iojuria affecisset; ut si Auctor aut conscius esset famosi libelli in ipsum promulgati; aut si ex malitia litem ipsi intulisset, ut eum illegitimum aut plebeium comprobaret; cum sit vir nobilis (f). *Si palam & aperte testatori maledixerit* (legatarius) *& infaustas voces adversus eum jactaverit, idem erit dicendum. Si autem status ejus controversiam movit, denegatur ejus, quod testamento accepit persecutio*: a fortiori id affirmandum est de hærede hujusmodi; cum inter crimina capitalia libelli famosi legibus recenseaotur (g).

(f) L. Si inimicitia. 9. § 1. & 2. ff. de his quæ ut indignis auferuntur. l. 34. tit. 9.

(g) L. Si quis un. cod. de famosis libellis. lib. 9. tit. 32.

Dicimus: *Si ex malitia litem ipsi intulisset*: quia si illa tantummodo fuisset illata ad cognoscendam veritatem, justa de caussa dubiam, quam tamen elucidare necesse esset; ex tali accusatione indignus hæres non fieret, qui illam intulisset. V. g. Joaones & Jacobus sibi invicem hæredes, Petri quoque se hæredes esse contendunt. Est Joaoni quod dubitet Jacobum esse illegitimum, atque ipsi ea de re litem infert. Lite cadit, & Jacobus legitimus declaratus decedit: huic tamen Joannes succedit; quia actio ipsi illata non pertinebat directe ad ipsius nocumentum vel offensam, sed ad defensionem juris sui elucidato Jacobi statu.

Inter indignos hæredes eum etiam leges reponunt (h), qui ante obitum defuncti, cujus vel hæres scriptus vel legitimus esse debet, eo fine de parte futuræ illius hæreditatis constituit absque consensu illius: ut eum, qui etiam testamento scriptus hæres, vi, minis, aut aliqua alia illicita ratione impediret, ne alterum scriberet testamentum: aut eum, qui cum legitimus hæres esse debeat, similem adhiberet viam, ne is testaretur, eujus hæreditatis spes ei incumbit. Consultu ista animadvertimus, ut aoticipetur responsio ad alias difficultates, quæ fieri possent eadem de re, & quidem a nobis leges afferentur, quibus res ita constituitur, præter eas, quæ ad marginem indicantur. En prima (i): *Qui dum captat hæreditatem legitimam; vel ex testamento, prohibuit testamentarium introire, volens eo facere testamentum, vel mutare, divus Hadrianus constituit, denegari debere ei actiones, denegatisque ei actionibus fiscum locum fore.* En altera (K). *Eos qui ne testamentum ordinaretur, impedimento fuisse monstrantur, velut indignas personas a successionis compendio removeri, celeberrimi juris est.* En etiam tertia (l): *Donationem quidem partis bonorum proxime viventis nullam fuisse constabat. Verum ei qui donavit, ac postea jure prætorio successit, quoniam adversus bonos mores jus gentium festinasset: actiones hæreditarias in totam denegandas respondit. Nam ei, ut indi-*

(h) L. Donari. 29. §. 2. & leg. 30. ff. de donat. lib. 39. tit. 5.

L. Aufertur. 1. ff. de his quæ ut indignis auferuntur.

(i) Leg. Qui dum. 1. & leg. Si quis. 2. ff. si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit. lib. 29. tit. 6.

(k) L. Eos qui. 2. cod. tit. lib. 6. tit. 34.

(l) Cit. Leg. Donari.

gno,

quo, auferitur hæreditas. Multæ sunt etiam aliæ caussæ exhæredationis, de quibus mentio fit in jure (*a*), quas sigillatim non prosequimur, quatuordecim caussas hic annorare contenti, quas continent quatuor sequentia disticha, a Peleo relata: *Julianus Peleus qq. illustres, q. 24.*

(*a*) Novella. 115.

His septem ex causis exhæres filius esto.
Si Patrem feriat, vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat, aut furiosum:
Criminis accuset, vel paret insidias:
Si dederit damnum grave, nec ab hoste redemit;
Si testari vetet, se societque malis.
Si mimos sequitur, vitietve cubile parentum:
Non Orthodoxus: filia, si meretrix.

Hæc sunt potissimum scitu necessaria hac de re. Addimus solum, quod si caussa, qua fit hæres indignus, non jam subsistat mortis tempore, qua ad hæreditatem patet aditus, v. g. si post capitale odium, hæres in illius gratiam rediisset, cujus successor futurus est, hoc obice sublato, jus ei competit ad capiendam hæreditatem; quandoquidem cum caussa, qua indignus fiebat hæres, penitus sublata fuerit, ejus quoque effectus omnino cessare debet.

CASUS XXVIII.

Maria, nobilis matrona multos habet bonorum suorum hæredes nepotes neptesque, inter quos est Titius ipsius cognominis, & paria habens cum ea gentilitii scuti insignia; unde ipsum præcipuo inter cæteros Maria prosequitur amore, quibus accedit, ipsi soli jus competere amplissimam in familia sua dignitatem, solis natu majoribus annexam conservandi, quam tamen absque sperato a Maria auxilio obtinere nequit. Ut autem sincerum suum ei testetur amorem matrona illa, constituit ipsum cum Sempronii puella in matrimonium collocare, & simul ei necessariam præstare operam ad obtinendam eam dignitatem, de qua dictum est.

Propositum tamen perficere nequit Maria, nisi Titium illustri quodam & clientelari prædio, cujus est Domina, donando. Sed quia juxta loci consuetudinem in quo situm est prædium, Maria neque ex donatione inter vivos, neque ex testamento dare potest, nisi partem tertiam rei propriæ; numerato pretio prædium illud Sempronio vendit, qui illud dotem filiæ suæ, futuræ Titii conjugi collocat. Ex alia parte Maria venditionis pretium ponit in fœnore apud Magistratus Basilicæ Parisiensis; & publico inter vivos donationis instrumento Titio pro futuro ipsius matrimonio fundum hunc confirmat, usumfructum tantum per vitam sibi retinens. Quæ omnia gesta sunt ex sententia duorum Magistratuum sagacissimorum, duorum illustrium Caussidicorum, totidemque Notariorum peritissimorum.

Constituto sic Titii matrimonio, Mariæ tantum de propriis supersunt circiter 30000. lib. supellectilium. Ast illa perpendens, tenuem esse rem Titio nepoti suo, pro dignitate, quam paulo post celebratas nuptias obtinuit, & habita ratione quatuor puerorum, quos ei jam peperit, cæterorumque, quos deinceps uxor parere poterit, Testamentum suum facit, & natu maximo Titii filio omnia sua legat supellectilia, ut paternam facilius possit obtinere, atque obtentam tueri dignitatem.

Henrica, neptis, & una ex genere materno proxima ex hæredibus Mariæ, queritur de venditione, quam eo fine tantum confecit Maria, ut post mortem suam Prædium ejus Titio soli confirmaret, se ipsa (Henrica) cæterisque hæredibus exclusis; qui, licet non egeant, & amplas habeant possessiones, hujusmodi abalienationis incommodo, inquit, affici non debent, quamvis a multis ex hæredibus probatum fuerit Mariæ consilium: & contendit, quod, cum prædium suum Sempronio Maria non vendiderit, nisi in fraudem consuetudinis Provinciæ, ubi situm est, qua prohibetur, ne fundorum Domini ex donatione inter vivos aut mortis caussa de propriis [illegible] taxat partem disponant [illegible] uri erga alios cohæredes [illegible] neatur pro rata parte damni [illegible] ditio; idque eo magis, quod [illegible] dicio contestaretur, & judicium [illegible] bationes de intentione Mariæ [illegible] suam Titio dandam subsidio [illegible] venditionis, rescindi posset, quod [illegible] judicio consuetudinis.

Rationi huic addit Henrica, quod [illegible] puella nobilis, jam quinquaginta [illegible] unicum habet vitæ subsidium, pensionem [illegible] cet 3000. lib. unde concludit, teneri Mariam [illegible] sibi speciatim jus faciendum de hoc damno [illegible] liquis supellectilibus, quæ adeo filio Titii legare non potest, nisi deducta prius summa, quæ sibi contingit de hæreditate.

Hæ sunt potissimum rationes Henricæ: quibus expositis, quærit Maria, utrum vere injustitiam admiserit in Henricam aliosque cohæredes propriorum bonorum naturam immutando, facta pro Titio venditione, ita ut sub mortali reatu de aliqua teneatur restitutione?

RESPONSA.

Videtur in proposito casu defendi posse de nulla Mariam teneri restitutione pro Henrica cæterisque cohæredibus:

1. Quia ex legibus Regni, bonorum possessorum Dominis est licitum ea vendere, & consequenter eorum naturam genere isto abalienationis immutare. 2. Quia quid contrarii non statuit regionis consuetudo, ubi situm est nobile prædium a Maria venditum: nam prohibet quidem, ne de propriis omnibus ex donatione inter vivos aut caussa mortis statuatur, sed tantum quoad tertiam eorum partem, sed venditionem eorum non interdicit, quia lege generali illud est licitum. Unde sequitur, Mariam in consuetudinem provinciæ, ubi situm est prædium, non quidquam peccasse. Certum quidem est, eam prædium non distraxisse, nisi ut pretium ejus in Titii nepotis sui favorem cederet, sed illud non præstitit, nisi suffragante lege, nec vetante jure consuetudinis.

Ratio hujus decisionis est, quia cum jus possessionis bonorum concedatur auctoritate legum; quas Princeps constituit, juxta illud S. Augustini (*b*): *Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano ... per jura Regum possidentur possessiones*: ita pariter de iis statuere nemo potest, nisi earumdem legum auctoritate & juxta earum præscripta. Atqui per leges omnibus licitum est, qui sunt *sui juris*, quique alienandi non sunt incapaces, mobilia vel immobilia, quorum sunt Domini, vendere; cum bonum illud commercio subjacet illæsis bonis moribus. Hinc cum Maria sit *sui juris* & aliunde capax proprium vendendi bonum: cumque bonum illud sit ejusmodi, ut abalienari queat, ipsi denegari non potest facultas illud vendendi, quidquid illud vendendo sibi proposuerit.

(*b*) S. Aug. in can. *Quo jure*. 2. dist. 8.

Addi potest, quod si ea fuisset mens consuetudinis regionis, in qua situm est prædium, ut propria vendendi bona facultas privatis adimeretur, id expresse animadvertissent ipsius Auctores aut potius collectores, ac talem utique prohibitionem manifeste designassent. Ratio est, quia prohibitio inducta consuetudine ista, ne quis scilicet de propriis non nisi quoad tertiam partem statuere possit ex donatione inter vivos, aut caussa mortis, est stricti juris, in eo quod juri naturali deroget ac communi, quo quilibet, qui sui juris est, suorum est Dominus, ac de iis prout libuerit, statuere potest. Unde sequitur, quod juxta istam juris regulam (*c*) *Odia restringi ... convenit*, hæc prohibitio in lege aut jure consuetudinario nunquam supponi debet, nisi in iis exprimatur hæc alia regula (*d*): *Expressa nocent: non expressa non nocent*. Igitur si Henrica, cæterive cohæredes de modo agendi Mariæ conquerantur, hæc respondere potest conformiter ad legem (*e*): *quod quidem perquam durum est: sed ita Lex scripta est.*

(*c*) Reg. 15. de regulis juris in 6.
(*d*) Reg. 155. ff. de diversis regulis juris antiqui.
(*e*) Leg. *Prospexit*. 12. § 1. ff. qui & a quibus manumissi liberti non fiunt, &c. lib. 40. tit. 9.

Et

Et quidem sola bona substituta vendere non possunt, qui sui juris sunt, quod eorum tantum sit usufructus, non dominium. Igitur si rerum Domini sua vendere non possunt, usufructuarii tantum essent suorum, nec melior esset ipsorum conditio, quam eorum, qui substituta possident; & omnia sua censerentur substituta: quo quid est absurdius? Quod cum ita sit, inde sequitur, Mariam jure statuere posse de bono parto ex prædii sui venditione, seu in Basilica Parisiensi, aut aliter; de quo cum statuerit pro Titio, qui unicus est e suis hæredibus, qui sibi cognominus est, & paribus secum gentilitii scuti insignibus, & in quo ob amplam, quam ope sua obtinuit dignitatem tota familiæ suæ spes recumbit, nihil est, quod suam hac in re conscientiam remordeat, non magis quam quoad supellectilia, quæ natu maximo Titii filio pronepoti suo legavit.

At durius egisse videri posset Matrona illa nobilis in venditione prædii sui ceterisque testamenti sui clausulis; si Henrica, aut alii cohæredes reipsa egerent: in hoc quippe casu ad æquitatem naturalem pertineret, ut eorum necessitatibus ipsa prospiceret, cum semper æquitatis potior sit habenda ratio, quam juris rigorosi, uti Lex asserit (a): *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem.* Sed in proposita specie conceditur, Henricæ annuam esse 3000. lib. pensionem, cæterosque cohæredes potentia & opibus valere, quorum alii, nedum in Henricam conquerantur, potius silent, alii operam suam ad conficiendum Titii matrimonium commodarunt, & Mariæ agendi rationem, etiam consiliis juvantes approbarunt: ex quo valens ducitur præjudicium, istis hæredibus esse persuasum, jure se impedire non posse, ne, facta Sempronio prædii sui venditione, Titio nepoti suo gratificaretur illa Matrona.

(a) *Placuit*. 8. cod. de judic.

Quod ad Henricam speciatim pertinet, dici nequit egestate premi, cum certam habeat & accurate solutam 3000. lib. pensionem: qui reditus mulieri absque familia, absque prole, prolisque ob ætatem spe sufficit; quo quidem jam diu commode & honorifice usa est. Ad id autem, quod addit, venditionem a Maria factam a judicibus fore rescissam, si contestaretur; merum est & inane figmentum, quo animum pascere videtur; cum verisimile non sit, irritum in judicio declarari posse contractum, qui legitimus est, nec consuetudini oppositus. Insuper de suis bonis sic pro Titio statuit tantum Maria ex sententia duorum Magistratuum sagacissimorum, duorum illustrium causidicorum, totidemque Notariorum peritissimorum, qui omnes talem ei non suasissent venditionem, nisi eam tutam, legitimam & forensi Stylo conformem judicassent; neque Semproniua ipse, cujua intelligentia pollebat consultor, tam amplæ emptionis periculum subiisset, si quod reipsa fuisset.

Denique ad confirmationem hujusce decisionis dici potest, magnum esse discrimen inter filios hæredesque collaterales & remotos. Nam verum est, a Patre exhæredari non posse filium aut nepotem directe aut indirecte absque legitima caussa; quia cum filii sint pars suæ substantiæ, eorum necessitatibus providere jure naturali tenetur, simulque impedire gravissima, quæ fratrum invidiam Zelotypiamque consequuntur incommoda. Sed non eodem modo se res habet erga propinquos collaterales & remotos; & multo minor incumbit æquationis inter eos obligatio, præsertim cum æqua, ut in casu Mariæ erga Titium, & valida subest unum aliis præponendi ratio.

CASUS XXIX.

Croesus, omni re vel paterna vel proprio labore parta destitutus, sed Beneficiorum reditibus ditissimus non ita pridem decessit. Omnia ejus bona ex obitu derelicta invasere hæredes. Quæritur, utrum in foro conscientiæ ea possint facere sua?

R e s p o n s.

Nullatenus est necesse, ut propositæ diu immoremur quæstioni, de qua fuse egere peritissimi Theologi, nec non celeberrimi Canonistæ, quorum alii partem affirmantem, alii negantem tenuere, & qui suam omnes validis opinionem firmant argumentis. Nam de alia jam egimus difficultate (b), quam ista necessario consequitur, utrum videlicet Beneficiarii dominium habeant redituum Beneficiorum suorum, ita ut de iis libere & pro quovis, quem magis libuerit, statuere possint; an vero simplicem tantum eorum administrationem & usum. Ostendimus ex Decisionibus 18. Conciliorum seu generalium seu particularium, antiquorum & modernorum, ex Decretalibus Alexandri III. & Bonifacii VIII. quibus aliæ duæ Gregorii IX. addi possunt (c); tertia a Concilio generali Lateranensi sub Alexandro III. an. 1179. habito (d) desumpta, & aliæ duæ ejusdem Pontificis in Corpore Juris relatæ; ex auctoritatibus sanctorum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Bernardi, Thomæ, Raymundi; ex suffragiis aliorum quam plurium Auctorum, quales sunt Gratianus, Innocentius IV. Albertus Magnus, Alexander Halensis, Panormitanus, Major, Joannes Andreas & Navarra; Ostendimus, inquam, Titulares & possessores bonorum Ecclesiasticorum, quæ Deo fuere consecrata, & ad ipsius cultum, communemque Ecclesiæ utilitatem destinata, absolutum non habere dominium, eaque proinde in pia opera, hoc est, in pauperum subsidium & Ecclesiæ utilitatem ab iis esse convertenda. Unde sequitur necessario, ipsorum hæredes, qui egestate non premuntur, illis tanquam suo uti non posse; præcipuas eorum, qui contrariam tuentur opinionem, rationes solvere ac penitus de medio tollere conati sumus: ita ut quidquam hic addere non necesse nobis videatur, fusæ, quam ibidem de ea re dedimus, responsioni.

(b) V. *Beneficiarius*. Cas. 14.

(c) Greg. IX. in cap. *Quorumdam* 1. & in cap. *Filius* 9. de testamentis & ult. voluntatibus lib. 3. tit. 26.

(d) Alex. III. in c. *Quia nos*. 7. & in cap. *Relatum*. 12. eod. tit.

Vide { HYPOTHECA.
LEGATUM. Cas. 17. 18. 19. 20. & 21.
TESTAMEMTUM. Cas. 28. }

HOMICIDIUM.

Vide OCCIDERE.

HONESTAS.

Vide IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

HONORARE.

AD perfectam termini *honorare* intelligentiam requiritur, ut nota sit vocis hujus, *honor*, significatio. Quandoque terminus iste, *honor*, sumitur, pro *existimatione*, *gloria*, *fama*: sic dicitur *honori inservire*. Quandoque significat officia, munera, dignitates: & sic vulgo dicitur, *honores mutant mores*. Sed eo quo heic accipitur, sensu *honor*, inquit sanctus Thomas (*a*), *est quoddam testimonium de virtute ejus, qui honoratur*; unde Belgicus quidam Doctor hanc honoris definitionem desumsit (*b*): *Honor*, ait, *est testimonium æstimationis propriæ de excellentia aliena*, vel, est *testimonium excellentiæ alienæ* (*c*). Quocirca proprie loquendo, honorare aliquem est ipsi signis externis æstimationem & reverentiam testari, ob ipsius virtutem ac scientiam (*d*).

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 3.

(*b*) Polm. brev. Thp. 2. 2. n. 49.

(*c*) Idem ib. n. 786.

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. in corp.

Ostendemus postea, posse & quandoque honorari debere dignitatem alicujus, quamvis ipse in se consideratus nullo sit propter vitia sua dignus honore: atque ita quempiam honorari posse vel ob propriam virtutem ac meritum, vel ob dignitatem personæ quam gerit, & cujus est Minister; quales sunt Prælati, & Magistratus: vel denique quod superiorem inter homines gradum obtineat ob generis sui nobilitatem, vel propter divitias suas atque potentiam.

Vulgo periculosum est homini honorem peroptare. quod desiderium illud ex cupiditate seu amore proprio semper ferme oriatur; attamen huic desiderio non semper inest peccatum, modo desiderium illud sit moderatum, & a caritate & divina gloria, aut amore proximi oriatur, atque ut ipsa Angelici Doctoris verba usurpem (*e*): *in quantum ex hoc paratur sibi via ad hoc, quod aliis prosit*.

(*e*) S. Thom. 2. 2. b. 2. in corp.

CASUS UNICUS.

FLAVIANUS certo novit, Publium, Prælatum suum fœdissimam ducere vitam. An tenetur nihilominus sub peccati reatu ipsum honorare, ipsi reverentiæ signa exibendo, ubi sese offert occasio?

RESPONS.

Duo ex S. Thoma in Prælato debent distingui (*f*). Primum est, ejus persona; alterum est, ipsius dignitas. *In Prælato*, inquit Angelicus Doctor, *duo possumus considerare, scilicet personam propriam, & dignitatem, secundum quam est persona publica*. Si personam spectes, nullo dignus est honore, cum est improbus: *Si ergo prælatus sit malus*, subjungit hic Sanctus, *ratione personæ suæ non est honorandus: quia cum honor sit reverentia alicui exhibita, testimonium virtutis; falsum testimonium de eo proferret, si quis eum obtentu propriæ personæ honoraret*. Sed idem non evenit, si dignitatis ejus ratio habeatur, atque ut publica persona consideretur. „ Sed in quantum est „ persona publica, *pergit idem Sanctus*, sic gerit „ typum & locum, non suum ipsius, sed alterius, „ scilicet Christi in Ecclesia ..... & sic valor ejus „ non computatur secundum personam, sed secundum eum, cujus loco præsidet ... & ita est ho- „ nor ei exhibendus non propter se, sed propter „ eum, cujus locum obtinet. Sic adoratio imagi- „ nis refertur ad prototypum, ut dicit Damascenus. „ Unde & malus Prælatus idolo comparatur Za- „ chariæ II. *O Pastor & idolum derelinquens gregem*. Ita D. Thomas: Unde colligendum est, quod, licet Flaviano certum sit, Publium nullo dignum esse honore, uti personam privatam propter depravatos mores; tenetur tamen sub peccati reatu ipsum honorare propter dignitatem suam ac personam Christi, cujus locum tenet in Ecclesia.

(*f*) S. Thom. lib. 8. a. 7. in corp.

HYPOCRISIS.

HYPOCRISIS juxta verba sensumque Scripturæ & Patrum est, falsa pietas & fictio in re ad Religionem pertinente, vel dolosum factum improbi hominis; qui vitiosam ducens vitam, virtuosus tamen haberi contendit, quod proprie *fucata virtutis species*, aut *simulata probitas* dicitur. Hæc autem Hypocriseos vulgo circumfertur definitio: *Hypocrisis* (*g*) *est fictio peccatoris, se justum simulantis*: quam definitionem desumsit auctor Belgicus ex his S. Augustini verbis (*h*): *Quisquis se vult videri, quod non est, hypocrita est: simulat enim justum nec exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit*.

(*g*) Polm. brev. Thom. p. 2. a. n. 146.

(*h*) S. Aug. l. 2. de serm. dom. in monte c. 2. seu n. 5. tom. 3. art. part.

Perpenditur in hoc titulo, quomodo, & quo in casu hypocrisis possit esse mortale delictum, & quando veniale dumtaxat peccatum.

Duplici modo per hypocrisim quis peccare potest. 1. per actionem, externum aliquem producendo actum virtutis, quam re ipsa non habet. 2. per verba; cum ita loquitur, ut insinuet, se habere virtutem, quam re ipsa non habet: sic impudicus homo potest esse hypocrita, castam faciendo actionem, aut laudabiliter de castitate loquendo eo fine, ut suadeat, se virtutem hanc

& ama-

& amare & colere: quod vitium istis Scripturæ sacræ textibus condemnatur (a): *Ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.* Tum Christus in Evangelio, (b) *Væ vobis*, inquit, *Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa: intus vero plena sunt spurcitia.*

(a) Eccli. 1. 36. & 37.

(b) Matth. 23. 27.

Duobus istis textibus alia multa addi possent Scripturæ loca, in quibus hypocrisis & hypocritæ acerrimis terminis damnantur. Re ipsa nihil Deo magis injurium isto peccato; cum per hypocrisim agatur, quasi falsa virtutis specie falli posset ipse Deus, qui scrutator est cordium, intimosque eorum recessus, latebras atque abyssos summa sua luce illuminat ac detegit: præterquam quod proximo illudunt hypocritæ, & per eam sint multi Pastores, *qui*, ut Scripturæ verbis utar, *veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* (c).

(c) Matth. 7. 15.

CASUS UNICUS.

Eparcutus, sancti Patricii Parochus audita multoties duorum e suis Parochianorum confessione agnoscit, eos plerumque hypocrisis esse conscios. Qua de re postulat, quibus principiis nixus de peccatis eorum judicium ferre queat, & utrum dici possit, quamlibet hypocrisim esse semper mortale peccatum, an vero quandoque tantum veniale?

Respons.

Parochus iste principia S. Thomæ (d) sequi debet, qui de re ista accurate ac dilucide egit. *Hypocrisis*, inquit Angelicus Doctor, *habet eamdem rationem peccati, sicut & mendacium: mendacium autem non semper est peccatum mortale; sed quando est perniciosum. Et similiter hypocrisis non semper est peccatum mortale; sed quando est perniciosa, cadens in nocumentum alterius personæ, dum per creditam sanctitatem alium defraudat se quam habet, vel habere debet; aut in nocumentum fidei & Ecclesiæ, dum propter sanctitatem creditam de ipso, ei contra fidem & Ecclesiam creditur.*

(d) S. Thom. in 4. dist. 16. q. 6. art. 2. quæstiunc. 3. in corp.

Asserit alibi idem S. Doctor (e), quod si hypocrita nullatenus de christiana vita agenda curet, & id unum intendat, ut coram hominibus in vivendi modo ac moribus sanctus appareat, tum ipsius hypocrisis est mortalis. *In hypocrisi duo sunt*, inquit, *scilicet defectus sanctitatis & simulatio ipsius. Si ergo hypocrita dicatur ille cujus intentio fertur ad utrumque; ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solum sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura; sic manifestum est, quod est peccatum mortale: nullus enim totaliter privatur sanctitate, nisi per peccatum mortale.* Sed quod si pie vivere fingat, non tamen vitæ sanctitatem contemnens, quamvis aliunde peccati mortalis sit conscius, tum ipsius hypocrisis potest esse quandoque venialis: *Si autem dicatur hypocrita ille, qui intendit simulare sanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale; tunc quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale; quod discernendum ex fine*, pergit idem sanctus Doctor, *qui si repugnat caritati Dei vel proximi, erit peccatum mortale: puta, cum simulat sanctitatem ut falsam doctrinam disseminet; vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet caritati, erit peccatum veniale: puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur; de quo dicitur 4. Ethicorum*, quod magis videtur vanus, quam malus. *Contingit tamen quandoque, quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate: Et talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali.* Ex quibus ultimis verbis manifestum fit, hominem v. g. qui majorem, quam re ipsa habeat, perfectionem ostendere affectaret; non idcirco lethaliter ex tali hypocrisi semper esse peccaturum: quia sanctitas quam fingit, non est ad salutem necessaria.

(e) Idem. 2. 2. q. 21. art. 4. in corp.

Addemus heic, quod, quamvis fingi non debeat ab aliquo virtus qua caret, potest tamen dissimulari aut occultari vitium vel defectus, cujus is est conscius: quod quidem in quibusdam casibus fieri debet, ne iis præbeamus scandalum, qui nos hujusmodi vitiorum reos esse existimarent. v. g. quispiam in adulterio occulto vitam agit: in amicorum cœtu, ipso præsente, de hoc vitio fit sermo; & novit, se in quorumdam præsentium suspicionem cadere de hoc vitio; tum non solum potest, sed & loqui debet, uti illius esset insons criminis. Sacerdos, aut Religiosus Confessarius coram suis pœnitentibus aut aliis mansuetudinem, castitatem, modestiam affectat, ut eos ad colendam virtutem exemplo suo inducat, eorumque animis debitam status sui sancti reverentiam inculcet; tum non peccat, licet re ipsa coram Deo alius sit, atque coram hominibus. Sic enim sua duntaxat vitia occultat, ac virtutis speciem præbet ad majorem Dei gloriam ac proximi exemplum. Contra vero præceptum istud Evangelicum aliquatenus perficit (f): *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*: Et hoc aliud Apostoli verbum (g). *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; cum eaterna modestia sit virtus, quam vel maximi peccatores absque majoris delicti reatu omittere non possunt.

(f) Matth. 5. 16.

(g) Philip. 4. 5.

HYPOTHECA.

HYPOTHECA est *contractus, quo res immobilis nuda conventione*, (hoc est, *absque traditione*) *obligatur creditori* (b); ita ut Creditor, qui solutionem exigit tempore convento, rem hypothecariam possit aggredi. Dicitur; *quo res immobilis obligatur*, hoc est, ager, domus &c. Quamvis enim ex Jure Romano mobilia uti immobilia hypothecæ sint subjecta, & ob eam rationem ex ejusdem Juris Legibus nullum sit discrimen inter pignus & hypothecam, ut patet ex istis locis (i): *Inter pignus autem & hypothecam, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interest*; & in Digestis: *Inter pignus autem & hypothecam tantum nominis solius differt*: Alia tamen in Gallia observatur Jurisprudentia: neque ulla agnoscitur hypotheca quoad mobilia,

(b) Polm. brev. Theol. part. 2. 2. n. 138.

(i) §. 7. Instit. de action. & Leg. Res hypotheca. 5. §. 1. ff. de pignor. & hypothec. lib. 20. tit. 1.

lia, nisi quatenus a Debitore possidentur, aut a Creditore forsitan detinentur; ita ut, ubi primum mobile a Debitore venditum, datum, aut oppigneratum fuit, cesset hypotheca Creditoris ad tale mobile: Unde constans hæc est in Regno ac certa regula, nimirum quod *mobile non sequatur hypotheca*. Quare pignus ab hypotheca secernitur & pignus fit de mobili, hypotheca vero de immobili.

Non solum immobilia, quæ actu possidentur, sed etiam, quæ postea, seu hæreditate, donatione, seu emptione, aut aliter possunt acquiri, hypothecæ dari queunt. *Conventio generatis in pignore dando bonorum, vel postea quæsitorum recepta est*, inquit Lex (*a*): Atque hæc bonorum universitas ex se omnia bona præsentia & futura continet, licet de futuris non fieret mentio; quare hæc regula nullam patitur exceptionem, nisi cum ad quædam determinata bona restringeretur hypotheca, tumque ea bona hypothecæ non essent obnoxia, uti definiunt quamplures Digestorum, & Codicis Leges (*b*), in quarum secunda ad marginem citata ita loquitur Imperator Justinianus *Si quis in cujuscumque contractus instrumento ea verba posuerit*: FIDE ET PERICULO RERUM AD ME PERTINENTIUM, VEL PER EARUM EXACTIONEM SATIS FIERI TIBI PROMITTO; *Sufficere ea verba ad rerum, tum earum quas in præsenti Debitor habet, quam futurarum hypothecam sancimus ...... Sancimus, si res suas supponere debitor dixerit, non adjecto: tam præsentes, quam futuras, jus tamen generalis hypothecæ, etiam ad futuras res producatur*.

(*a*) Leg. *Conventio*. ff. de pign. & hypoth. l. 20. tit. 1.

(*b*) Leg. *Et qua*. 15. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.
Leg. *Signis*. fin. cod quæ res pignori obligari possunt. l. 8. tit. 17.

Advertendum est duntaxat, hypothecam non habere vim retro-activam quoad bona a debitore quæsita a tempore contractus facti, hoc est, eam tantum incipere a die novæ acquisitionis, non vero a die constitutæ hypothecæ; quo quidem æquitati eo magis est consonum, quod aliter inferretur damnum juri Creditorum illius, a quo Debitor iste emisset fundum, qui non potuit abalienari cum præjudicio eorum hypothecæ. Quare antiquiores hujus emptoris Creditores aliis debent anteponi in hoc fundo post suam hypothecam acquisito. Ita acute observat Domat (*c*).

(*c*) Domat. Leg. civ. 2. part. l. 3. tit. 1. sect. 12.

Quando specialis est in fundo hypotheca, ad omnes fructus fundi, & etiam ad illius accessorium extenditur. Unde fructus non maturi hypothecæ, uti fundus ipse subjacent pariter, quando ager aut pratum augetur cursu amnis, & ad hypothecam Creditoris pertinet illa agri prative auctio. *Si fundus hypothecæ datus sit*, inquit Lex, *deinde alluvione major factus est, totus obligabitur* (*d*).

(*d*) Leg. *Si fundus*. 16. ff. de pign. & hypothec.

Diximus: *& etiam ad illius accessorium*; qualis esset domus a tertio possessore in fundo hypothecæ dato ædificata: domus enim ista, cum sit fundo accessoria, fit etiam, ut fundus, hypotheca; sed in hoc casu Creditori Domus non addicetur, nisi impensas a tertio possessore factas ipsi renumerando, modo justum Domus pretium non excedant; at tertius hic possessor potest tamen & fundum & Domum retinere, Creditoris hypothecarii debitum solvendo (*e*). A fortiori cum Domus hypothecæ data, si incendio aut aliter perierit, a Domino fuerit denuo extructa, eidem hypothecæ subjecta est nova Domus (*f*), quod idem dici debet de omnibus mutationibus, quæ fiunt in fundo oppignerato (*g*).

(*e*) L. *Paulus*. 29. §. 2. ff. eod. tit.

(*f*) L. *Si insula*. fin. 26. §. 2. ff. eod. tit.

(*g*) Cit. L. *Si fundus*. §. 2. eod. tit.

Quando inter multos divisus est ager, qui a defuncto jure hypothecæ mihi obligatus est, totus mihi, etiam post divisionem, eodem jure manet obligatus Quare, licet mihi debiti partem sibi competentem, ex quo oritur hypotheca, solverit unus ex hæredibus: jus tamen meum hypothecæ obtinere possum in toto agro; salvo tamen ipsius recursu in suos cohæredes pro rata parte eorum. *Si unus ex hæredibus*, inquit Lex, *portionem suam solverit; tamen tota res, pignori data, venire poterit, quemadmodum si ipse debitor (defunctus) portionem solvisset* (*h*). Ob istas leges ex Galliæ jurisprudentia *de toto hypothecæ nomine omnes tenentur haredes*: quia semper manet hypotheca in toto fundo indiviso affectata, quamvis personaliter eorum quilibet de sua parte teneatur.

(*h*) L. *Si necessarias*. 1. §. 2. ff. de pignor. act. l. 13. tit. 7.
Item leg. *Actio*. 2. cod. si unus ex plurib. hæred. Credit. lib. 8. tit. 32.
L. *Unus*. 16. cod. de distr. pignor. lib. 8. tit. 28.
L. *Qui pro parte*. 1. cod. de luitione pignoris. lib. 8. tit. 31.

Hypothecæ nomine ea numquam dari possunt, quæ non possunt abalienari; quales sunt res publicæ, aut sacræ: *Eam rem quam quis emere non potest, quia commercium ejus non est, jure pignoris accipere non potest* (*i*).

(*i*) L. *Sed et quod*. 9. §. 1. ff. de pig. & hypoth.

Absque stellionatus reatu res hypothecæ dari non potest, cujus se quis novit non habere Dominium: *Si quis rem alienam mihi pignori dederit sciens, prudensque, ... inquit Lex (k) ... Crimine* (stellionatus) *plectetur*. Si tamen postea Dominium ejus acquiratur, teneret hypotheca & suum sortireur effectum, post eorum hypothecas, quibus res ista a Domino ejus hypothecæ data fuis-

(*k*) L. *Si quis*. 36. §. 1. dig. de pignoraticia act.

ta fuisset. *Rem alienam pignori dedisti: Deinde Dominus rei ejus esse cœpisti, datur utilis actio pignoratitia Creditori* (*a*).

Absque stellionatu fundus quispiam alia voce alteri non potest hypothecæ dari, nisi debitor primam Creditori suo declaret hypothecam (*b*).

Generali aut speciali adstrictione hypothecæ dari possunt res etiam incorporeæ, qualia sunt jura & actiones, modo inter immobilia recenseantur qualia sunt census & officia (*c*).

Hypotheca, quantumvis generalis in ea non cadit, quibus ex æquitate spoliari non debet debitor: qualia sunt vestis, lectus, & alia hujusmodi, quæ absque inhumanitate detinere non potest Creditor (*d*): quod consentit cum jure naturali in scriptura sacra exposito (*e*), & cum Edictis Regum Galliæ (*f*). Idem dicendum de rebus omnibus Agriculturæ necessariis, etiam ex jure Romano (*g*).

Antichresis, qua datur jus percipiendi fructus fundi, qui Creditori datur hypothecæ (*h*), non est licita, ex usu Galliæ, quem probat æquitas, nisi ea conditione, ut ejus fructus Creditor sit compensaturus cum usuris legitime debitis: quam conditionem non admittebat jus Romanum, quo licita erat usura.

Dare autem quis hypothecam potest, sive pro sua obligatione, sive pro aliena, ut loquitur Lex Digestorum (*i*).

Dividi potest hypotheca in expressam & legalem, seu tacitam. Prior est illa de qua pacti sunt contrahentes, hoc est, Creditores & debitores, quales sunt usitatæ hypothecæ, quæ apponuntur contractibus, qui coram publicis Notariis conficiuntur. Altera est, quam expresse Lex inducit, aut quæ ab ea consequitur subintellecta, qualis est hypotheca mulieris in bonis mariti ad cautionem dotis suæ, aut Pupilli in bonis Tutoris sui debitoris (*k*), vel prodigus aut furiosus aut amens in suum Curatorem (*l*).

Hypotheca expressa vel est generalis, hoc est, in omnibus bonis debitoris, vel est specialis, hoc est, quæ ad quosdam tantum fundus extenditur (*m*); & ambæ in eodem contractu simul conjungi possunt.

Duplex insuper distinguitur hypothecæ species: simplex una, privilegiata altera. Ex simplici fundus vario tempore multis oppigneratur Creditoribus, singulis addicitur absque ullo sibi invicem prælationis jure, nisi eo, quod ex data contractuum suorum oritur: *Cùm de pignore utraque pars contendit: prævalet jure, qui prævenit tempore* (*n*): Econtra ex hypotheca privilegiata præfertur aliis Creditor, nulla habita anterioris ratione. Sic hypothecæ privilegiatæ jure potitur is, qui ædes lapsas & antiquis Creditoribus oppigneratas propriis refecit sumptibus: cæterisque anterioribus Creditoribus in solutione præfertur.

Præter varias hypothecæ species, de quibus dictum est, est & alia quæ Judicis auctoritate acquiri potest, ut cum ad judicata fuit ex sententia, quæ nullam admittit appellationem, aut ex Arresto supremæ alicujus Curiæ (*o*).

Quatuor sunt hypothecæ seu generalis seu specialis effecta. Primum est, quod Creditori jus conferat venditionem rei obligatæ exigendi. *Si in hoc quod jure tibi debetur satisfactum non fuerit*, inquit Lex Codicis (*p*), *Debitoris res obligatas tenentibus, aditus Præses Provintiæ tibi distrahendi facultatem jubebit fieri*. Secundum; quod Creditori in fundum semper competat actio, cuicumque ipsum Debitor tradiderit; aut quocumque modo abalienaverit (*q*), atque a Judice publicam ejus petere venditionem juxta præscriptas formulas, si forte ipsius venditioni reus nolit assentiri. Tertium est, quod inter plures Creditores simpliciter hypothecarios, qui data primus est, fundum sibi addici requirere potest: licet posterior a Debitore in ejus possessionem missus fuisset, ut constat ex Lege jam superius laudata & ex his alterius Legis verbis: *In pignore placet, si prior con venerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem* (*r*). Quartum est, quod hypotheca non sortem tantum præstet, sed & sortis consecutiones, quibus augebitur: qualia sunt usuræ juridicæ impensæ, damna & interesse, aliaque hujusmodi (*s*).

Quatuor illis effectis quintum addi potest, nimirum quod si dies solutionis nondum advenerit, Creditor agere queat, si crediti periculum immineat. Sic ad jus suum conservandum venditioni rei sibi obligatæ potest intercedere. *Quæsitum est*, ait Lex, *si nondum dies pensionis venit, an & medio tempore persequi pignora permittendum sit: Et puto dandam pignoris persecutionem, quia interest mea* (*t*).

Præcipua Creditoris in Debitorem adstrictio est, quod si fundum obligatum Antichresis titulo possideat, tenetur erga debitorem de restitutione accepti

ultra

(*a*) L. *Rem alienam*. 41. ff. eod. tit. Itam l. *Cum res*. 5. aod. ff. aliena res pign. data &c. lib. 8. tit. 16.
(*b*) L. *Si quis*. 36. §. 1. ff. de pignor. act. L. *Improbus*. 1. cod. de crimina stellionatus. l. 9. tit. 34.
(*c*) Edict. Feb. an. 1683.
(*d*) L. *Obligatione*. 6. L. *Vel quæ*. 7. ff. de pignor. & hypothec. & l. *Alumnos*. 1. cod. quæ res pignor. obligari possunt vel non &c. lib. 8. tit. 17.
(*e*) Exod. 22. 26. Deut. 16. & 17. & Job 24. 3.
(*f*) Edict. April. 1667. tit. 33. art. 14. 15. & 16. Edict. Aur. art. 28. Blef. art. 57. Edict. 16. Mart. an. 1595.
(*g*) L. *Executores*. 7. cod. quæ res pign. oblig. possunt vel non. L. *Pignorum*. 8. cod. tit. l. 8. tit. 17.
(*h*) Leg. *Si is qui*. 11. §. 1. ff. de pignor. & hypoth.
(*i*) L. *Res hypotheca*. 5. §. 2. ff. eod. tit.
(*k*) L. *Contrahitur*. 4. ff. de pig. & hypot. L. *Eo jure*. 4. ff. in quibus causis pignus vel hypoth. tacite contrahit. lib. 20. tit. 2. Item L. *Pro officio*. 20. cod. de administr. tutor. 130. 128. cap. 5. in fine. lib. 5. tit. 37.
(*l*) L. *Cum unus*. 22. ff. de reb. auct. judicis possid. lib. 4. tit. 5. Leg. *Rem in præsenti*. unic. §. 1. cod. de rei uxoriæ actione. l. 5. tit. 13.
(*m*) L. *Senatus consulto*. 2. ff. in quibus causis pign. vel hypothec. tacite contrahitur. L. 20. tit. 2. L. *Quamvis*. 3.
(*n*) L. *Si non* 5. L. *In gradus*. 7. & l. *Tutoris*. fin. eod. tit. Novel. 12. cap. 1.
(*o*) L. *Si Debitoris*. 2. in fin. cod. qui potiores in pign. habeant, lib. 8. tit. 18.
(*o*) Edict. Molin. art. 53. Declaratio 10. Feb. 1666. in hunc art. Edict. an. 1539. art. 92. & 93.
(*p*) Leg. *Si in hoc*. 14. cod. de distract. pign. lib. 8. tit. 28. Itam L. *Quæ specialiter*. 9. cod. tit. & Leg. *Si convenit*. 4. ff. de pignorat. action.
(*q*) Leg. *Si convenerit*. 18. §. 2. ff. de pign. action. nov. 1. 12. cap. 1.
(*r*) Leg. *Creditor*. 12. ff. fin. ff. qui potiores in pignore. lib. 20. tit. 4.
(*s*) Leg. *Creditor*. 2. in fin. ff. eod. tit.
(*f*) Leg. *Si necessarius*. 8. §. fin. ff. de pign. action. & Leg. *Si convenerit*. cit.
(*t*) Leg. *Quæsitum*. 14. inde pig. & hypo.

ultra censum, aut legitimum lucrum, sibi debitum. V. g. Joannes annuam 500 lib. mihi pensionem debet, quam ut mihi præstaret, domum obligavit, simul & possessionem dedit, quæ quotannis 600. lib. locatur; quolibet anno de restitutione 100. lib. erga ipsum teneor, quæ pensionem meam excedunt; alioquin usuræ reus sum. *Ex pignore percepti fructus imputantur in debitum .... si debitum excedunt, qui supererunt redduntur*; hæ Lex Codicis Justiniani (*a*).

Idem tamen non dicendum de fructibus e fundis perceptis, quos a me derelictos possidet Creditor, ut sint ad usuras persolvendas summæ, pro qua ipsum hypothecæ dedi: Nam bonam fidem utrinque supponendo, cum fructus illi sint incerti, nec si pensionis meæ pretium reddant, jure repetere non possum, quæ desunt; sic in hoc casu, quod superfluit, reddere non teneor, si quid ultra producant; ut probant hæc verba Legis alterius in Codice contentæ. *Si ea Lege possessionem mater tua apud Creditorem suum obligavit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur; obtentu majoris percepti emolumenti propter incertum fructuum proventum rescindi placita non possunt* (*b*).

Duo hic tantum supersunt examinanda. Primnm est; quo obice tollatur usus hypothecæ. Secundo, quomodo hypotheca intereat.

Privilegia, quibus fruuntur quidam Creditores, in jure consistunt, quod parit natura crediti sui, & quo ceteris Creditoribus, quamvis sibi tempore prioribus & hypothecariis in solutione anteponuntur; unde hæc sunt Jurisperiti Pauli verba in Lege Digestorum; *Privilegia non tempore æstimantur, sed ex causa* (*c*): Ex quo fit, ut qui ultimus est, fiat primus, & se tempore priorem antecedat: *Interdum posterior, potior est priori* (*d*).

Inter diversa Creditorum privilegia, quædam aliis anteponuntur, sed ex omnibus, nullo excepto, Creditor privilegiatus Creditori simpliciter hypothecario sit anteponendus. Sed ista minutim expendamus.

Quatuordecim recensentur privilegiorum species.

Primum est, cum emptori mutuum datur venditionis pretium, & necessariæ observantur formulæ, ut jus venditoris acquirat is, qui suam dat emptori pecuniam mutuam ad solutionem rei (*e*): Quod tamen in mobilibus tantum obtinet, cum ea sunt in potestate Debitori. Nam, uti jam dictum est, cessat privilegium & etiam omnis hypotheca, cum ad tertium possessorem devenere.

Secundum, quando ad rem conservandam aut reficiendam mutuum datur. Nam mutuator in hoc casu & rebus Domini & Creditorum consulit (*f*).

Tertium, quando fit mutuum, ut melior fiat fundus, idque solum, dum ex mutuo fundus melior subsistit, v. g. ad ædificandum novum, aut vetus augendum ædificium (*g*).

Quartum, quando Architecti, operæ & artifices laborem suum curasque adhibent, & utilia seu copias suppeditant pro quibusdam operibus, pro conservanda aut reficienda domo aut alia re.

Quintum, cum his Architectis mutua datur pecunia, ut ad domum aut aliquod aliud opus construendum adhibeatur, modo id fiat jubente Domino, & non aliter (*h*).

Sextum, quando vecturam exercens merces transportat, & impensas ingressus in provinciam, portorii & alia hujusmodi jura seu vectigalia in antecessum numerat (*i*). Tum enim privilegiarius est creditor quoad merces sibi commissas.

Septimum, Dominus prædii conducti præfertur etiam in fructibus ejus, donec persolutum sit conductionis pretium, modo fructus sint immaturi, aut in potestate conductoris (*k*).

Octavum, Dominus fundi censualis aut Emphyteutici pariter est privilegiarius quoad censum suum, non solum immaturis, sed etiam maturis a quocumque detentis (*l*).

Nonum, Dominus præfertur quoad mobilia inquilini sui pro locationis pretio, aliisque locationis consecutionibus, ut si ædes culpa inquilini factæ sint deteriores; aliisque hujusmodi (*m*): sed nullum ei jus competit in hæc mobilia extra potestatem inquilini posita, nisi ea fraudulente subduxerit.

Decimum, idem dicendum de præcipuis inquilinis erga inferiores quoad mobilia, seu supellectilia, quibus domus instruitur (*n*).

Undecimum est pro Rege, seu fisco, qui privilegium suum exercet adversus

(*a*) Leg. *Ex pignore*. 1. cod. de pignorat. actione. lib. 4. tit. 24. Item Leg. *Creditor*. 3. eod. tit. Leg. *Eleganter*. 24. §. 2. in fin. ff. eod. tit. Leg. *Secundum*. fin. cod. de distract. pignor.

(*b*) Leg. *Si ea Lege*. 17. cod. de usuris lib. 4. tit. 32.

(*c*) Leg. *Privilegia*. 17. ff. de privileg. Creditor. l. 42. tit. 6.

(*d*) Leg. *Interdum*. 5. §. ff. qui potiores in pignore &c.

(*e*) Leg. *Licet*. 7. cod. qui potio. in pign. habeant. lib. 8. tit. 18. Leg. *Quamvis* 17. cod. de pignor. & hypothecis lib. 8. tit. 14.

(*f*) Leg. *Creditor*. 25. ff. de rebus creditis &c. l. 12. tit 1. Leg *Creditori*. 1. ff. de cess. bonor. lib. 42. tit. 3.

(*g*) Leg. *Senatus consulto* 1. ff. in quibus causis pig. vel hypoth. tacite contrahitur. lib. 20. tit. 2. Leg. *Julianus*. supra cit.

(*h*) Cit. Leg. *Senatus consulto*.

(*i*) Leg. *Hujus*. §. 1. & 2. ff. qui potiores in pign. hypoth. habeantur. &c. lib. 20. tit. 4.

(*k*) Leg. *In prædiis*. 7. ff. in quibus caussis &c.

(*l*) Leg. *Etiam*. 15. ff. qui potiores in pignore &c. Leg. *Lex*. 31. de pign. & hypoth.

(*m*) Leg. *Eo jure*. 4. ff. in quibus caussis &c. Leg. *Sancimus*. cod. eod. tit. lib. 8. tit. 15. Leg. *Certi juris*. 5. cod. de locato & conducto. lib. 4. tit. 65. Leg. *Pomponius*. 2. ff. quibus caussis &c.

(*n*) Leg. *In prædiis*. 7. §. 1. ff. in quibus caussis &c. Leg. *Debitor*. 32 in fin. ff. de pign. & hypotheeis.

sus omnia bona suorum Publicanorum, Officiariorum, qui reddendæ rationi sunt obnoxii, & eorum, qui Regis auctoritate argentariam coactionem publice factitant (*a*). Hæc autem hypotheca incipit, ubi primum obligantur, ut declarat articulus quartus Edicti an. 1679. Nihilominus creditores, qui hypotheca sua Rege priores sunt, eam retinent in immobilibus, quæ prædicti officiarii acquisiverant, priusquam Regi obligarentur, cujus hypotheca in hoc casu non obtinet nisi secundum suum ordinem. At quoad immobilia, quæ ab obligatione sua compararunt, Rex suum exercet privilegium ante alium quemlibet creditorem, exceptis venditore & eo, qui mutuam dedit pecuniam ad emptionem, qui Regi anteponuntur; at qui pretium empti dedit, usum hunc pecuniæ suæ ex suo contractu confirmare debet, ut fert articulus tertius ejusdem Edicti; alloquin jus prælationis amittit. Chirographariis autem Creditoribus, aut quibus competit tantum actio personalis in Creditorem, Rex semper anteponitur in Immobilibus, consequenter ad jus suum tacitæ hypothecæ erga omnes, qui rationi publicæ reddendæ sunt obnoxii; quamvis ipsi non competat hypotheca erga privatos, qui debent vectigalia. Eidem quoque Regi competit jus prælationis in mobilibus cuilibet alteri creditori non privilegiario, quamvis is primus manum juridice in ea injecerit. Sed si creditor esset privilegiarius, ipsi Regi anteponeretur ex eodem edicto, nisi quod Domini locati privilegium in bona inquilini sui in eo restringitur ad sex ultimos menses debiti pro locatione pretii.

Duodecimum pertinet ad eos omnes, quibus debentur impensæ funebres, & quibus competit actio in hæredes, &c. & pro iis hypothecæ privilegium habent in bonis defuncti (*b*).

Decimum tertium est pro iis, quibus debentur sumptus juridici, ut pro sigillis appositis, inventariis confectis, aliisque hujusmodi (*c*).

Decimum quartum denique eorum est, cum privilegiatæ hypothecæ possessores ad alium jus suum transferunt (*d*), aut suo loco sufficiunt (*e*) aut cedunt ex pacto inito cum debitore, requisitas ex edicto an. 1609. formulas observando.

Alterum superest examinandum, qua ratione videlicet hypotheca extinguatur: hæc est constans regula, hypothecam nihil esse quam accessorium debiti, atque ut sortem sequitur accessorium, soluto debito, solvi quoque hypothecam. Atqui multis modis solvitur hypotheca.

1. Extinguitur hypotheca tituli novatione: v. g. Hieronymus summam mille librarum ex publico obligationis instrumento mihi debebat, pro qua domum hypothecæ dedit: postea pro obligationis instrumento Syngrapham accepi in diem solvendam; ex hac mutatione extinguitur hypotheca domus, & ipsius sum tantum Creditor chirographarius ex his verbis: *Novata debiti obligatio pignus perimit* (*f*).

2. Specialis hypotheca in fundo constituta pro eo fundo desinit, si alluvione, fulmine, aut alio simili casu fundus pereat.

3 Desinit quoque hypotheca, si fundus, in quo constituta est, commercio jam non subjiciatur, ut cum in eo Ecclesia exstructa est, aut Cœmeterium factum est; & creditori superest tantum actio in pretium a venditore receptum.

4. Quando præscriptione solvitur debitum, hypotheca quoque, ejus accessorium perimitur.

5. Quando debitor amisit jus suum in fundum hypothecæ datum absque sua culpa, vel quia evictus est juridice, vel quia venditoris propinquus illum recuperavit, ipsius hypotheca ex hac mutatione finitur.

6. Si de consensu creditoris hypothecarii debitor rem oppigneratam vendiderit, aut factam venditionem ratam habeat omisso jure suo, ipsius hypotheca extinguitur. *Creditor, qui permittit rem venire, pignus dimittit* (*g*), inquit regula juris. *Si consensit venditioni creditor, liberatur hypotheca*, ait Lex (*h*): sed aliquo actu ad hunc effectum manifestari debet hic consensus (*i*).

Si quis vero pleniorem hujusce rei expositionem velit, adeat auctorem a nobis ad marginem laudatum (*k*), a quo plerosque allatas hactenus regulas excerpsimus.

(*a*) Leg. *Si cum. pecuniam.* 3. cod. de privilegio fisci l. 7. tit. 73. Edictum mensis Aug. ann. 1669. art. 4.

(*b*) Leg. *Qui propter.* 1. & leg. *Impensa.* 45. ff. de religiosis & sumptibus funerum &c. l. 11. tit. 7.

(*c*) Leg. *Si ut.* 8. in fin. ff. depositi vel contra. l. 16. tit. 3. Leg. *Quantitates.* 72. ff. ad leg. *Falcidiam.* lib. 35. tit. 2. Leg. *Scimus.* fin § 9. cod. de jure deliberandi &c. lib. 6. tit. 30.

(*d*) Leg. *Emptori.* 6. de hæreditate vel actione vendita leg. *Si creditori* 7. cod. de obligatione & action. l. 4. tit. 10. Leg. *Modestinus.* 76. ff. de solutioni. & obligat. lib. 46. tit. 3.

(*e*) Leg. *Si in se.* fin. cod. de privilegio fisci. Leg. *Si prætorium.* 1. cod. de præc. pign. &c. lib. 8. tit. 18. Edict. an. 1609.

(*f*) Leg. *Solutum.* 11. §. 10. ff. de pign. actione.

(*g*) Leg. 18. ff de reg. juris.

(*h*) Leg. *Si debitor.* 4. §. 1. & leg. *Sic consensit.* 7. §. 1. ff quibus modis pignus vel hypotheca solvi lib. 20. tit. 6.

(*i*) Leg. *Sicut.* 8. §. 15. ff. eod tit.

(*k*) Domat. leg. civil. &c. part. 2. lib. 3. tit. 1.

CASUS PRIMUS.

Berardus, hæres victoris beneficiarius agnoscens, rem ab eo derelictam solvendo æri alieno esse imparem, septem octove statim creditores Chrirographarios, data aliis pecunia, aliis veto supellectili solvit. Exhausta solutionibus istis hæreditate, Emilianus Creditor hypothecarius summæ præcipuæ, solutionem suam ab eo exegit. At retulit Berardus, nihil sibi de hæreditate superesse: ad quem Emilianus resert, eum perperam solvisse: quia, cum esset Creditor hypothecarius, potior quoque in solutione ante alios simplices creditores erat futurus. Num de aliquo erga Emilianum tenetur Berardus?

R e s p o n s.

Respondemus, de re quapiam non teneri Berardum erga Emilianum; quia beneficiarius hæres variam creditorum hæreditatis qualitatem agnoscete non tenetur; quare primos debitum suum postulantes solvere potest, cum ab aliis non reperitur juridica detentio, aut aliud quod impedimentum: quocirca sibi uni Emilianus culpam adscribere debet non manifestati Berardo debiti, neque soluti. *Eis satisfaciant*, inquit Lex (*a*), *qui primi venient creditores: & si nihil reliquum est, posteriores venientes repellantur.*

(*a*) L. *Scimus.* fin. §. 3. cod. de jure deliberandi &c. l. 6. tit. 30.

Attamen si Berardus primis illis Creditoribus fundum Emiliano oppigneratum dedisset; tunc iste suam in hoc fundo posset exercere hypothecam. Quo in casu beneficiarius hæres quidquam præstare non teneretur, neque erga eum, cui fundum dedisset, neque erga alios pro integra eorum solutione, nisi quatenus superessent aliqua hæreditatis bona. Ita statuunt leges, naturali æquitati consentientes. *Si vero hæredes*, addit Lex eadem, *res hæreditarias creditoribus hæreditariis pro debito dederint in solutum, vel per dationem pecuniarum satis eis fecerint; liceat aliis creditoribus, qui ex anterioribus veniunt hypothecis adversus eos venire, & a posterioribus Creditoribus secundum leges eas abstrahere, vel per hypothecariam actionem, vel per condictionem ex lege, nisi voluerint eis debitum offerre. Contra ipsum tamen hæredem .... qui quantitatem rerum hæreditariarum expendit, nulla actio extendatur.*

CASUS II.

Eustachius, Alexander & Bernardus sunt Creditores quilibet pro 1000. lib. in Mævii hæreditate, cujus quatuor sunt cohæredes, qui rem hæreditariam in æquas partes inter se distribuerunt, ita ut quilibet 800. libras retulerit. Qua de re quæritur, utrum unus ex Creditoribus ab uno ex cohæredibus, quem magis libuerit, totum suum possit exigere debitum?

R e s p o n s.

Ut difficultati huic fiat satis, tres sunt distinguendi Creditores varii, scilicet Chirographaeli, hypothecarii & privilegiati, Quando multi sunt defuncti hominis cohæredes, in quemlibet eorum agere debent Creditores Chirographarii pro parte hæreditatis, quæ cuique contigit, neque unum pro aliis aut de toto debito convenire possunt. Unde sequitur, quod si Eustachius, Alexander & Bernardus sint tantum Creditores Chirographarii, totum debitum nemo ex iis ab uno tantum ex hæredibus exigere potest, sed solum partem ab hærede debitam pro rata hæreditatis quam habuit; quod etiam verum est, quamvis unus ex iis solvendo non esset idoneus. In hoc quippe casu Creditor suæ culpæ tantum adscribet, si ad cautionem suam hæreditatis divisioni prius non intercesserit (*b*): *Nec pro his, qui solvendo non sunt, onerari cohæredes oportet*, inquit Lex Digestorum. Sed non idem evenit in Creditoribus hypothecariis vel privilegiatis. Cum enim omnia hæreditatis bona ipsorum hypothecæ vel privilegio sint subjecta, absque injustitia totum suum possunt exigere debitum in bonis istis. Unde est ista juris regula: hæredes de successionis debitis pro rata singuli tenentur, & hypothecarie de toto: quæ regula ex his paucis verbis legis desumitur (*e*): *Pro hæreditariis partibus hæredes onera hæreditaria agnoscere, etiam in fisci rationibus placuit; nisi intercedat pignus, vel hypotheca: tunc enim possessor obligatæ rei conveniendus est.* Quocirca Creditoribus jus suum manet integrum in omnia bona hæreditatis hypothecæ suæ aut privilegio subjecta, idemque jus suum in omnibus aliis bonis experiuntur, neque actionem suam in singulos hæredes pro parte hæreditatis dividere possunt. Si igitur Creditores, de quibus agitur, sint hypothecarii vel privilegiati, de solutione sua quemlibet ex hæredibus singuli convenire possunt pro ratione acceptæ partis hæreditariæ.

(*b*) L. *Legatorum.* 31. ff. de legatis & fideicommissis. 1. lib. 30. tit. 1.

(*e*) L. *Pro hæreditariis.* 2. cod. de hæreditariis actionibus. lib. 4. tit. 16.

Sed observandum, quod licet Creditor hypothecarius vel privilegiarius ab hærede rei hypothecariæ possessore totum suum debitum exigere possit; huic hæredi patet recursus in suos cohæredes, qui portionem suam præstare tenentur; quia, quamvis debitum hypothecarium vel privilegiatum pro isto creditore divisionem non patiatur: par est tamen ut illud inter cohæredes dividatur; ita ut ejus partem quisque ferat pro rata acceptæ hæreditatis; nisi aliter testamento statuerit defunctus. *Actio quidem personalis inter hæredes, pro singulis portionibus quæsita, scinditur*, inquit Lex alia (*d*), *pignori autem jure multis obligatis rebus, quas diversi possident; cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur; qui possident tenentes non pro modo singularum rerum substantiæ conveniuntur, sed in solidum, ut vel totum debitum reddant; vel eo quod detinent, cedant* (e).

(*d*) L. *Actio.* 2. cod. si unus ex pluribus hæredibus Creditoris vel debitoris &c. l. 8. tit. 32.

(*e*) Domat. Tract. de leg. Civil. &c. de hæredibus in genere. l. 1. tit. 1. sect. 9. & 10. & seq.

CASUS III.

Bauduinus simplicem se Armandi hæredam gessit, cujus debita ignorabat, quæ derelictam hæreditatem longe superant, cum Leporius & Titius illi hæreditatis sint hypothecarii Creditores alii vero duo tantum Chirographarii. A Bauduino debitum suum requirunt Leporius & Titius, & ob hypothecam suam aliis anteponi pro toto contendunt, non solum in bonis defuncti, sed & in ipsa re Bauduini. Num æquitati consentit eorum contentio?

R e s p o n s.

Priorum illorum Creditorum Leporii & Titii æqua est contentio quoad bona defuncti sibi hypothecæ data. Nam, uti jam diximus, hypothecarii Creditores defuncti de bonis successionis pro Crediti sui ordine Chirographariis Creditoribus in solutione debent anteferri. *Cum de pignore utraque pars contendit*, inquit Lex (*f*), *prævalet jure, qui prævenit tempore*: Item; *Si fundum pignori accepisti, antequam reipublicæ obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure.* Quod consentit cum jure antiquo Digestis contento, cujus hæc est regula (*g*): *Potior est in pignore, qui prius credidit pecuniam, & accepit hypothecam.*

(*f*) L. *Si Decreto.* 2. in fine eod. qui potiores in pignore habeantur.

Leg. *Si fundum.* 4. cod. eod. tit.

(*g*) L. *Potior.* 11. ff. eod. tit. lib. 20. tit. 4.

Sed cum res a defuncto derelicta solvendis debitis hypothecariis impar est, & de ipsis bonis hæredis solutionem suam exigunt Creditores, tunc Creditores omnes, quicumque sint, concurrunt, nec ullo prælationis jure potiuntur; ex quo sequitur, Leporium & Titium, quorum solutioni integræ impar fuit Armandi hæreditas, hypothecam suam exercere non posse in bona Bauduini ante duos alios Creditores Chirographarios. Ratio est, quia omnes illi Creditores in hæredem jus suum a die tantum acquisierunt, qua Armandi hæreditatem adivit. Quocirca non æquum est, ut aliis anteponantur, nisi sii forsan, qui primi hypothecam acquisivissent in bonis illius hæredis, qui apud eos nomina posuisset, aut de aliqua summæ solutione damnatus fuisset (*h*).

(*h*) Domat. cit. n. 8.

CASUS IV.

Patricius, datis hypothecæ omnibus bonis suis seu præsentibus, seu futuris Lamberto pro summa 10000. libr. quam is sibi mutuam dederat, tribus postea mensibus hæreditatem 12000. librarum cepit, in cujus bonis par 10000. lib. summa debetur Dionisio, Creditori tantum Chirographario. Contendit Dionysius se priorem esse Lamberto, qui vult e contra primas sibi partes in integra solutione sua deberi, quippe qui hypotheca-

rium habeat debitum, cum Dionysio actio sit tantum personalis & absque hypotheca. Quis alteri est anteponendus?

RESPONS.

In casu proposito Dionysii solutio est anteponenda. Nam Creditores, etiam Chirographarii alicujus defuncti priores de bonis hæreditatis solutionem suam debent accipere, quam Creditores, etiam Hypothecarii ipsius hæredis. Ratio est, quia licet bona hæreditatis naturaliter Creditoribus ipsius possessoris sint oppignerata, cum ipsis præsentia ac futura bona sua ipsis oppigneravit, attamen bona ipsius hæreditatis defuncti Creditoribus præcipue addicuntur, & cum onere eorum solvendi debita ad hæredem possunt tantum transire. *Paulus respondit*, inquit Lex Digestorum (*a*), *generalem quidem conventionem sufficere ad obligationem pignorum, sed ea quæ ex bonis defuncti non fuerunt, sed postea ab hærede ejus ea alia caussa acquisita sunt, vindicari non posse a Creditore testatoris*. Unde sequitur, quod Dionysius suum cupiens jus experiri, bonorum hæreditatis separationem jure petere potest ab iis, quæ Patricio, uti hæredi supersunt, ac debitum suum sibi vendicare ex hac Lege (*b*): *Est jurisdictionis tenor promptissimus, indemnitatisque remedium, edicto Prætoris Creditoribus hæreditariis demonstratum, ut quoties separationem bonorum postulant, caussa cognita impetrent*. Unde etiam hæredis Creditores eodem prioritatis jure potiuntur in hæc bona propria, & eorum possunt requirere separationem, ut ante defuncti Creditores solutionem suam accipiant ex hac alia Lege (*c*): *Quoties hæredis bona solvendo non sunt, non solum Creditores testatoris, sed etiam eos, quibus legatum fuit, impetrare bonorum separationem æquum est*.

(*a*) L. Paulus. 29. ff. de pignor. & hypothecis &c. lib. 20. tit. 1.

(*b*) L. Est jurisdict. 2. cod. de bonis auctoritate Judicis possidend. &c. lib. 7. tit. 72.

(*c*) Leg. Quoties. 6. ff. de separationibus, lib. 42. tit. 7.

CASUS V.

THELEMACHUS Theotimo domum vendidit 16000. lib. intra annum solvendis, quam ipsi statim tradidit; cum autem Theotimus post sex menses Creditoribus suis omnia bona sua cedere coactus fuisset, plerique ex illis, quibus sunt hypothecæ vetustissimæ, contendunt, se esse præferendos, etiam quoad domum quam acquisivit, salvo tamen Thelemaci recursu in reliqua Theotimi bona, si quæ supersunt, servato crediti sui temporis ordine. Quamobrem Thelemacus Creditoribus illis litem infert, quibus se in solutione 16000. lib. esse anteponendum contendit. Nunquid legitima est lis Creditoribus illata?

RESPONS.

Legitima est lis, quam Thelemacus antiquis Theotimi hypothecariis Creditoribus infert. Nam qui rei immobilis venditæ a se pretium non accepit, ad solutionem suam ceteris emptoris Creditoribus præfertur. Ita his verbis (*d*): *Hæreditatis venditæ pretium pro parte accepi, reliquum emptore non solvente. Quæsitum est, an corpora hæreditaria pignoris nomine teneantur? Respondit nihil proponi cur non teneantur*. Hujus autem rei ista potissimum afferri potest ratio, quia secundum juris regulas, venditione hæc tacita contineretur conditio, quod nimirum Emptor venditæ domus non fieret dominus, nisi post ejus pretium persolutum. *Quod vendidi non aliter fit accipientis*, inquit Lex (*e*), *quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum*. Idem confirmavit Justinianus (*f*). Ita ut non accepto pretio venditor fundum ante solutionem traditum recuperare possit, aut nondum traditum retinere; *Venditor enim*, inquit Lex alia (*g*), *quasi pignus retinere potest eam rem quam vendidit*.

(*d*) L. Hæred. 22. ſio de hæred. vel actione vendita. l. 18. tit. 4. Item. L. Quod si. 31. paragr. 8. ff. de ædilitio edict. &c. l. 23. tit. 2.

(*e*) Leg. Quod vendidi. 19. ff. de contrahen. empt. &c. item L. Ut res. 53. ib. l. 18. tit. 1.

(*f*) Paragr. 41. Inst. de rerum divisione. l. 2. tit. 1.

(*g*) L. Julianus. 13. §. 8. ff. de actionibus empti, & venditi. l. 9. tit. 1.

Advertendum tamen 1. hactenus dicta de prælatione venditoris esse tantum intelligenda, si ex contractu venditionis de non soluto pretio constet. Nam si contractus acceptum ferret pretium, & venditor simplici contentus fuisset syngrapha, ex hoc jus suum prælationis amitteret. Alioquin futuri postea hujus emptoris Creditores sæpe deciperentur. 2. eadem pariter, quæ dicta sunt, non obtinere in mobilibus: cum enim mobilia non sequatur hypotheca, eorumque omnino dominium venditor amittat, si emptori tradita fuerint; hoc unum potest, ut ea detineat, si adhuc sint penes emptorem, in quo solo casu in solutione præfertur. At si emptor ea abalienaverit, eadem jam vendicare nequit prior horum venditor, aut intra manus tertiæ personæ juridice detinere: Si unicum ex quibusdam consuetudinibus casum excipias, quando scilicet res mobilis non servatis formulis ex consuetudine præscriptis vendita est, hoc est, absque data die numerationis pecuniæ, quod venditor præsentem ac brevi tempore speraret pecuniam: quo in casu ex his consuetudinibus, non jam ut Creditor, sed uti Dominus rei habendus est venditor ad integram suam solutionem, eamque a quolibet potest repetere.

CASUS VI.

URBANUS 100. libr. pensionis annuæ vigesimam scilicet sorris datæ partem debet Joanni, cui prædium in quemlibet annum 600. lib. conduxit. Joannes tribus annis integris prædium illud possidet non persoluto ipsius conductionis pretio: quo facto ob inconsideratam & inconsultam agendi rationem haud solvendo fit, & paulo post moritur.

Multi Joannis Creditores Urbanum conveniunt de solutione 2000. lib. quæ sortem efficiunt census, quem habent in hæreditate defuncti, non deducendo triennale conductionis pretium nondum ipsi persolutum, quia hypotheca sua potiores sunt. At vero ex Consilio Causidici, qui Urbanum esse anteponendum censuit, ab instituta actione desistentes, rationem habent 1800. libr. quarum ipsi debitor erat Joannes ob conductionis pretium non solutum, ac præsenti pecunia 200. ipsis, quæ supererant, libras numeravit.

Confectis hoc modo rationibus istis detexit Urbanus, Joannem 30. lib. impensas tolerasse ob aliquam partem census addicti prædio, quem ex conductitio contractu solvere tenebatur: quas impensas ad rationes adducere non potuit cum defuncti Creditoribus; quod sibi essent ignotæ, & quarum proinde jacturam ipsum ferre necesse est, eo quod Joannes solvendo non sit, quod tamen non contigisset, quia e summa 200. librarum, quas solvit, 30. librarum sibi retinuisset, si notum sibi fuisset illud debitum.

Qua de re quærit Urbanus 1. utrum tuta conscientia ante Joannis Creditores hypotheca se priores quoad annuum 100. lib. censum sibi debitum, solutionem suam exigere potuerit, & utrum ex dato consilio advocati, quem consuluere isti creditores, coram Deo eximatur a restitutione 1800. lib. quæ pro se non sine eorum detrimento fuere subductæ. 2. Utrum legitime possit uti compensatione quantum ad impensas 30. lib. eisque parem non numerare summam, quam a se Joanni debitam esse meminit?

RESPONS.

Cum æquitate consentit datum a causidico consulto responsum: quare tuta conscientia ante alios creditores hypotheca se priores in bonis a Joanne derelictis solutionem suam repetere potuit Urbanus. Ratio est, quia Urbano competebat naturalis hypotheca ac speciale privilegium in hac hæreditate, quo ceteri erant destituti, quandoquidem sibi a Joanne erant debiti fructus proprii, quem ipsi elocarat, fundi, & cujus pretium non solverat, quantum videlicet erat pretium locationis.

Decisionem istam stabiliunt hæc legis verba (*h*): *In prædiis rusticis fructus, qui ibi nascantur, tacite intelliguntur pignori esse Domino fundi locati; etiamsi nominatim id non convenerit*, & quamvis fructus illi a Joanne fuerint venditi aut dissipati, privilegium tamen suum obtinet semper Urbanus in cetera omnia illius bona, in quibus nullum est jus creditoribus aliis, etiam prioribus cum Urbani detrimento, ex hac juris regula (*i*): *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex caussa*.

(*h*) Leg. In prædiis. 7. ff. in quibus causis pignus vel hypoth. tacite contrahit. l. 20. tit. 2.

(*i*) L. Privil. 27. ff. de privilegiis creditorum. l. 42 t. 6.

Ob eandem rationem Urbanus compensatione uti potest absque injustitia pro 30. lib. sumptuum, quos

quos injuste tulerat Joannes ob contractam ex conductione sua obligationem, debitum privato cuidam solvendi censum de fructibus prædii a se conducti (*a*).

(*a*) De Sinta &c. ove. to. 1. cas. 190.

CASUS VII.

GERVASIUS & Fredericus singuli 2000. num. Justino mutua dedere ad emendum munus judiciarium. Mense uno prius est Gervasii creditum, quam Frederici. Numquid etiam in solutione prior est Frederico?

RESPONS.

Non temporis ordine, sed solum privilegii sui natura distinguuntur privilegiarii creditores. Cum igitur parem Gervasius ac Fredericus prærogativam habeant, alter altero non est potior jure, quamvis mense uno anterius sit Gervasii creditum: quocirca in solutione simul concurrunt; uti declarat Lex superius citata, cujus hæc sunt verba (*b*): *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex caussa: & si ejusdem tituli fuerunt, concurrant, licet diversitates temporis in his fuerint.*

(*b*) Cit. Leg. Privilegia. 27. ff. de privileg. creditorum.

CASUS VIII.

DIOMEDES, generalem habens hypothecam in bonis præsentibus ac futuris Bertrandi agricolæ ob summam 1500. lib. ipsi mutuo datam; tria boum juga cum aliis quibusdam aratoriis animalibus, nec non gregem 500. ovium juridice detinuit: quod ea speciali hypothecæ suæ a Bertrando fuerint subjecta, utpote quæ certius sint bonum illius. Potestne Diomedes eo usque summæ sibi debitæ executionem prorogare, illæsis æquitate naturali nec non isto scripturæ sacræ præcepto (*c*): *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quasi exactor.*

(*c*) Exod. 22. 25.

RESPONS.

Constitutæ ac legibus confirmatæ hypothecæ non subjiciuntur res, quibus absque inhumanitate spoliari nequit debitor; qualia sunt vestis, lectus, cœteraque non minus necessaria; neque ea etiam opignerare potest debitor ipse ad præstandam specialiter creditoris mutuo datam pecuniam; quia pactæ etiam in res hujusmodi hypothecæ jus experiri nequit Creditor, nisi æquitatis naturalis regulas infringat, bonosque mores offendat. *Obligatione generali rerum quas quisque habuit, habiturus-ve sit*, inquit Lex (*d*), *ea non continebantur, quæ verisimile est, quemquam specialiter obligaturum non fuisse: ut puta, supellex: item vestis relinquenda est debitori; & ex mancipiis, quæ in eo usu habebit; ut certum sit, eum pignori daturum non fuisse. Proinde de ministeriis ejus, perquam ei necessariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant, vel quæ in usum quotidianum habentur, servada non competit.* Cui legi hæc quoque conformis est (*e*): *Res quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conventione, quæ de bonis suis facta est, in caussa pignoris non fuisse, rationis est.* Ita pariter statuunt Edicta Regum Galliæ (*f*), ac præsertim Edict. Car. IX. mense Jan. an. 1560. Edict. Blesense Henrici III. & Edict. Ludovici Magni mensis Aprilis an. 1667.

(*d*) Leg. 6. 7. Junctis. ff. de pignorib. & hypothecis. l. 20. tit. 2.

(*e*) L. Alumn. 1. eod. quæ res pignori obligari possunt, vel non &c. l. 8. tit. 17. Item Exod. 22. 26. Deut. 24. 6. & 17. Job 24. 3.

(*f*) Ed. Aur. or 0. Bles. 1457. Ed. an. 1667. tit. 31. ar. 14. 15. & 16.

Hinc infertur, quod, quamvis Diomedes ovium gregem Bertrando possit auferre, vi tamen hypothecæ suæ boves, aliaque aratoria pecora juridice detinere nequit illæsa naturali æquitate, & sine reipublicæ detrimento. *Pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit*, inquit Lex codicis (*g*). Est & alia Lex hac de re formalis, cujus hi sunt termini (*h*): *Executores a quocumque judice dati ad exigenda debita ea quæ civiliter poscuntur, servos, aratores, aut boves aratorios, aut instrumentum aratorium pignoris caussa de possessionibus non abstrahant, ex quo tributorum illatio retardatur.*

(*g*) L. Pign. 8 eod. quæ res pignori obligari possunt, vel non &c.

(*h*) L. Executores. 7. eod. cod. tit.

CASUS IX.

ISACIUS, a Jodoco, aliisque creditoribus quatuor, permultas pecuniæ summas ad 15000. libr. mutuatus, oppigneratisque cunctis bonis suis;

quinque videlicet domibus suis, e vivis excessit; quas Paulo & Andreæ filiis suis hæreditarias reliquit, qui eas amica æquatione inter se diviserunt: Paulus competentem sibi debitorum solvit portionem: At Creditores, cum ab Andrea solutionem suam obtinere non possent, jus suum hypothecæ exercuerunt in partem hæreditatis Pauli, qui de ipsorum injustitia conqueritur. Qua de re quæritur, utrum creditores isti tuta conscientia Paulum judicio persequi valeant pro debito fratris sui, etsi dimidium communis debiti jam solverit?

RESPONS.

Paulus quinque Isacii Patris sui creditores injustitiæ insimulare jure non potest. Cum enim ipsis cautum sit omnibus defuncti bonis, ipsius filii, hæredis nomine, in solidum tenentur de 15000. libr. quas a Jodoco & aliis quatuor creditoribus mutuo acceperat. Ratio est, quia facta inter hæredes Isacii bonorum æquatio creditorum hypothecæ omnino non nocet, neque eam immutat: cum cujuslibet hæredis portio, uti fundus communis ipsorum hypothecæ subjecta remaneant. Ita definit Lex his verbis (*i*): *Si unus ex hæredibus portionem suam solverit, tamen tota res pignori data, venire poterit, quemadmodum si ipse debitor portionem solvisset.* Cujus rei rationem istam affert hæc Lex alia; quia nimirum fundus, hypothecæ datus, non personæ, de solutione tenetur (*K*). *Actio quidem personalis inter hæredes pro singulis portionibus quæsita scinditur; pignoris autem jure multis obligatis rebus, quas diversi possident; cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur: qui possident tenentes, non pro modo singularum rerum substantiæ conveniuntur, sed in solidum, ut vel totum debitum reddant, vel eo, quod detinent, cedant.*

(*i*) L. Si necessar. 8. §. 2. ff. de pign. actione vel contra l. 13. tit. 7.

(*k*) L. Actio. ff. eod. si unus ex plurib. hæred. creditor. &c. 3. l. 8. tit. 2.

Hinc sequitur, quod licet Paulus & Andreas seorsim teneantur personaliter de parte 15000. lib. sibi competenti, indivisim tamen hypothecarie obligantur pro tota summa, pro qua & hæreditas tota & quælibet pars hæreditatis fuit addicta. Ita a Senatu Parisiensis dijudicatum fuit ex Art. 6. Sept. an. 1608. atque ex hoc principio fit, ut cum Joannes v. g. hypothecarius Jacobi creditor obiit; si unus ex hæredibus creditoris suam a debitore partem debiti accipiat, integra omnino cohæredibus suis remaneat hypotheca pro parte eorum in omnem factam Joanni hypothecam. *Si creditori plures hæredes extiterint*, inquit Lex (*l*), *& uni ex his pars ejus solvatur: non debent cæteri hæredes creditoris injuria affici, sed possunt totum fundum vendere, oblato debitori eo, quod cohæredi eorum solvit.*

(*l*) L. Solutum. 11. § 4. ff. de pignor. actione, vel contra.

CASUS X.

GODALANUM, qui a Theobaldo 4000. lib. data bonorum suorum cautione mutuatus est, & qui postea domos duas, prædiumque unum emit, quatuor quinqueve post annis judicio is prosequitur ad recuperandam solutionem suam; atque omnia ipsius bona juridice detinet, contendens ea universim hypothecæ suæ esse subjecta. Hubertus, alter Godeleni creditor inchoatæ liti intervenit, & contendit, quod cum pro Theobaldo obligatione transacta coram Notariis non contineatur vox, *omnium bonorum*, sed tantum *bonorum suorum*, ea sola comprehendi debent ejus bona, quæ tum actu possidebat, cum scripta est obligatio; addit insuper, hypothecæ nomine sibi data fuisse domos duas, prædiumque ob summam 1000. numm. quos venditori mutuos dederat priusquam ea acquisivisset Theobaldus, & quod proinde jure prior est quam Theobaldus. Qua de re quæritur, utrum domus illæ & prædium a Godeleno acquisita ante mutuationem 4000. lib. hypotheca Theobaldi contineri censenda sint; cumque generali hypotheca sua Theobaldo sit anterior, utrum ipsi in solutione non sit anteponendus?

RESPONS.

Constat, quod datis a debitore bonis hypothecæ ad præstandam summam a se mutuatam, si hy-

potheca ad hoc vel illud specialiter bonum non restringatur; omnia bona seu præsentia seu futura hypothecæ subjici censeantur; quacumque ea ratione debitor acquisierit, nec obligatione seu contractui appositæ fuerint voces, *omnium bonorum*, vel etiam *præsentium & futurorum*. Ita rem definiunt Leges duæ, quarum prima sic habet (*a*): *Quod dicitur creditorem probare debere, cum conveniebat, rem in bonis debitoris fuisse, ad eam conventionem pertinet, quæ quotidie inseri solet cautionibus, ut specialiter rebus hypothecæ nomine datis, cætero etiam bona teneantur debitoris quæ postea acquisierit, perinde atque si specialiter hæ res fuissent obligatæ*. Alterius vero Legis hæc sunt verba (*b*): *Si quis in cujuscumque contractus instrumento ea verba posuerit*. Fide & periculo rerum ad me pertinentium, *vel*, per earum exactionem satisfieri tibi promitto, *sufficere ea verba ad rerum, tam earum quas in præsenti debitor habet, quam futurarum hypothecam sancimus*. Id ipsum denique ex his aliis ejusdem Legis verbis manifeste constituitur: *Sancimus, ut si res suas supponere debitor dixerit non adjecto*, Tam præsentes, quam futuras: *Jus tamen generalis hypothecæ etiam ad futuras res perducatur* (*c*).

(*a*) L. Et quæ. 15. §. ff. de pign. & hypoth. l. 20. tit. 1.

(*b*) L. Si quis fin. cod. quæ res pign. obligari possunt. l. 8. tit. 17.

(*c*) Cit. Leg. Si quis. in fin.

Hinc concluditur; 1. Theobaldo veram in omnibus Godeleni bonis competere hypothecam. 2. Hubertum tamen ipso potiorem esse in speciali hypotheca duarum domorum & prædii; quia Theobaldus suam tantum in futuris Godeleni bonis hypothecam obtinet a die, qua ea acquisivit Godelenus, non vero a die adscripta obligationi a Godeleno sibi scriptæ: & quia fundi isti hypothecæ Huberti prius erant subjecti, quam eos emisset Godelenus: quod cum jure consentit; alioquin injuriam pateretur Hubertus, cujus hypothecæ detrimento fundorum horum Dominus, qui eos jam hypothecæ dederat, eosdem abalienare non potuit.

CASUS XI.

Metrodori domus, qui Hyppolito eam hypothecæ nomine dederat ob summam 2000. lib. quam ab ipso mutuam acceperat, casu pure fortuito incensa est, atque illo incendio res tota Metrodori periit. Hyppolitus vero statim non aream tantum domui proximam, sed & ipsum domus solum occupavit, contendens ad utrumque pertinere hypothecam suam. Huic autem possessioni intercedere volunt alii quidam creditores, & asserunt, domum duntaxat speciali Hippolyti hypothecæ fuisse addictam, quæ cum perierit, ejus pariter hypotheca extincta est; unde nulla ei competit prioritas in se. Cui jus?

RESPONS.

Pro Hippolyto stat jus: nam certum est, ipsum præ cæteris Metrodori creditoribus jure esse potiorem: Ratio est, quia hypotheca domus non ipsius duntaxat ædificii solum, sed & rudera areamque ipsius, tanquam accessorium comprehendit. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*, inquit Bonifacius VIII. (*d*) *Domo pignori data*, inquit Lex una Digestorum (*e*) *& area ejus tenebitur: est enim pars ejus: & contra, jus soli sequitur ædificium*. Unde sequitur, quod si domus cum ipsius area, in hortum, saltum, vineam, aut portum conversa fuerit; solum illud antiquæ semper subjiceretur hypothecæ, non obstante facta mutatione. *Si res hypothecæ data postea mutata fuerit*, inquit Lex alia (*f*) *æque hypothecaria actio competit, veluti de domo data hypothecæ & horto facta. Item si de loco convenit, & domus facta sit. Item de loco, dato deinde vineis in eo depositis*. Tandem ex hoc principio dicendum, quod si eversa domus a debitore reficeretur, idem hypothecæ jus in novo ædificio creditori competeret ex hac alia Lege (*g*): *Si insula, quam tibi ex pacto convento licuit vendere, combusta est: deinde debitore tua restituta, idem in nova insula juris habes*.

(*d*) Reg. 42. de reg. jur. in 6.

(*e*) L. Domo. 21. ff. de pign. actione vel contra.

(*f*) L. Si fundus. 16. §. 2. ff. de pign. & hypotheca.

(*g*) . Si insula. 29. ff. eod. tit.

CASUS XII.

Norbertus pecuniæ indigens Nicolaum rogat, ut sibi mutuam dare velit 2000. lib. summam, pro qua ipsi oppignerare offert veterem 100. libr. annui census contractum, simulque 2000. libr. obligationem ab Oliverio sibi debitam. Nicolaus vero his contentus pignoribus ipsi mutuo dat 2000. libr. millia.

Anno elapso, cum Norbertus 2000. libr. denuo opus haberet, eadem a Petro mutuatur, cui duobus libr. millibus sibi ab Oliverio debitis cedit, eique Petrus factam sibi a Norberto transcriptionem denuntiat.

Quo cognito Nicolaus in Norbertum debitorem suum agit, atque Petrum, conquerens de fraude atque invaliditate transcriptionis. Nunquid jure suam exercere potest hypothecam in hac obligatione?

RESPONS.

Hypothecam suam Nicolaus exercere potest in contractu censuali 100. lib. non vero in obligatione 2000. libr. Quamvis enim ex Legibus Romanis (*h*) res etiam incorporeæ, qualia sunt debita, actiones & alia jura hypothecæ subjici valeant, & hujusmodi bona, licet non expresse generali contineantur hypotheca; attamen Nicolaus suam non potest exercere hypothecam in obligatione a Petro transcripta, atque adeo jure in ipsum pro hac re nequit agere. Sciendum nimirum, quædam esse jura, quæ ad immobilium naturam pertinent, quales sunt Contractus censuales; alia vero inter mobilia recensentur, uti obligationes aliaque debita personalia. Quod ad census spectat, jus suum hypothecarium in iis semper obtinet creditor, quamvis iis tertiæ personæ cedat debitor. At non idem dicendum de obligationibus aliisque debitis personalibus: quia, cum mobilibus annumerentur, ea sequi jure non potest creditor, uti census, cum tertiæ personæ iis cessit debitor, & tertia hæc persona cessionem denuntiavit ei, qui huic debitori obligatur, aut eam acceptavit. Unde sequitur, quod, cum Norbertus 2000. lib. obligatione Petro cesserit, eamque iis Oliverio summæ hujus debitori denuntiarit; jam obligationem istam inter manus Petri detineri non potest Nicolaus, neque ea de re ipsi litem inferre. En usum Galliæ (*i*).

(*h*) L. Nomen. 4. cod. quæ res pign. obligari possunt, &c. l. 8. t. 6. l. Ertiam. 5. cod. de execut. rei judicatæ. l. 7. tit. 53. L. Si prætor. 2. cod. de prætor. pign. &c. l. 8. tit. 22. L. Si convenerit. 18. ff. de pign. actione vel contra.

(*i*) Domat. L. Civil. &c. l. 3. tit. 1. Sect. 1. n. 13.

CASUS XIII.

Guido prædii Dominus, quod quolibet anno 2000. libr. censum affert, ipsum jam pro 1000. nummis mutuis Publio obligatum, illud idem pro 2000. quibus Guido indiget sibi Pomponium vult obligari, qui ignorat, illud jam Publio hypothecæ datum fuisse. Potest-ne Guido tuta conscientia, & absque fraudis reatu, illud iterum Pomponio hypothecæ dare prædium?

RESPONS.

Certum quidem est, accurate loquendo, quod infidelitatis cujusdam, quæ Stellionatus dicitur, is sit reus qui obligatum jam alicui creditori specialem fundum, alteri denuo obligat, priorem isti non declarans hypothecam. *Si quis alii obligatam* (rem) *mihi obligavit*; inquit Lex (*K*), *nec me de hoc certioraverit, eodem crimine* (Stellionatus) *plectetur*. Et de tali est crimine infidelitatis, qui fundum possidet multo amplioris pretii, quam sit mutua pecunia ob talem hypothecam recuperanda. Lex enim modo relata eo sensu debet intelligi, ut sequens hypotheca creditoribus ac præsertim secundo sit noxia, quare Lex eadem addit: *Plane si ea res ampla est, & ad modicum æris fuerit pignorata, dici debebit: cessare non solum Stellionatus crimen, sed etiam pigneratitiam & de dolo actionem, quasi in nullo captus sit, qui pignori secundo loco accepit*.

(*k*) L. Si quis. 16. §. 1. ff. de pign. actione vel contra.

Hinc infertur, quod, cum Guidoni sit prædium 2000. lib. census annui, cujus valor ad 40000. lib. pertingit, & duo debita pro quibus illud oppigneravit, 9000. duntaxat libr. summam efficiant: illud idem tuta conscientia, & absque ma-

malæ fidei reatu Pomponio obligare poteſt, cum omni alieno ære diſſoluto, ſibi ad minimum 1000. nummor. e ſuis bonis ſint reliqua.

CASUS XIV.

Barnabas, 500. numm. a Benedicto mutuatus 80. ſylvæ cæduæ jugera ipſi oppigneravit, parem quoque poſtea ſummam a Baſilio mutuans, ipſi eandem pignori dat ſylvam, quam ei fruendam tradidit ad legitimum conductæ ſummæ lucrum accipiendum. Biennio triennio-ve poſt Benedictus ad ſolutionem ſuam ſylvam hanc vindicare contendit jure ſuæ hypothecæ, utpote quæ prior eſt hypotheca Baſilii, & quæ proinde ſuæ nocere non poteſt. Affirmat contra Baſilius, quod cum ad ſuam hypothecam accedat poſſeſſio, jure prior eſt, quam Benedictus; quia ex Legibus (a) *in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Quis e duobus alteri eſt anteponendus; ſi utriuſque integræ ſolutioni non ſufficiat?

(a) L. 170. ff. de div. reg. jur. ant. L. 50. t. 27.

Respons.

Cum anterior ſit Benedicti hypotheca, quam Baſilii, ille quoque in ſolutione præferri debet ex his verbis Legis (b): *Cum de pignore utraque pars contendit, prævalet jure, qui prævenit tempore*. Neque Baſilii poſſeſſio quidquam in Benedicti hypotheca immutare poteſt, uti expreſſe definit hæc alia Lex (c): *Si priori hypotheca obligata ſit; nihil vero de venditione convenerit, poſterior vero de hypotheca vendenda convenerit; verius eſt, priorem potiorem eſſe. Nam & in pignore placet, ſi prior convenit de pignore, licet poſteriori res tradatur, adhuc potiorem eſſe priorem*.

(b) L. ſi Decr. a cod. qui potior. in pign. habeantur l. 8. tit. 18.

(c) L. Creditor 12. §. fin. ff. qui potior. in pignor. vel hyp. habeantur.

Ex quibus manifeſtum fit, quod in quamcumque manum tranſeat res immobilis, qualis eſt ſylva cædua, de qua agitur; cum pignori data eſt, ſeu alteri eam debitor creditori oppigneret, facta ei poſſeſſione rei aut facultate abalienandi; ſeu eam debitor ipſe quacumque ratione alienet; ipſam primus creditor vendicare poteſt in ejus poſſeſſores, eoſque ad integram ſolutionem ſuam ſpoliare: ac juvat hic advertere, id non ſolum intelligendum eſſe de ſorte, cui cautum eſt ex hypotheca: ſed etiam de omnibus conſecutionibus, quæ inde manantes eam augent, qualia ſunt uſuræ, ſumptus juridici, damna & intereſſe, necnon alia hujuſmodi (d): ita ut creditori ſua ſit hypotheca pro his conſecutionibus ab ea die, qua eam pro ſorte obtinet (e): quod verum eſt ſeu hypotheca ſit generalis, ſeu ſit ſpecialis (f).

(d) L. Si neceſſar. 8. §. fin. ff. de pign. act. vel contr. lib. 13 tit. 7

(e) L. Lucius 8. ff. qui potiores, &c. lib. 20. tit. 4.

(f) L. Qui generaliter 2. ff. eod. tit.

CASUS XV.

Oldradius, mercator adoleſcens, qui Didymo ex ſyngrapha coram Notariis facta 1000. numm. debet, Fulviæ nubit, cui dos eſt 10000. lib. Elapſis annis aliquot in pejus ruunt Oldradii negotia, & poſtea moritur, derelictis 1000. tantum nummis præſenti pecunia. Hos Fulvia clam abducit ad recuperandam aliquatenus dotem ſuam. Queritur Didymus, quod defuncti res hæreditarias furtive iſta ſubduxerit; quam tamen accuſationem comprobare nequit. Nunquid 1000. nummos retinere non poteſt Fulvia?

Respons.

Certum eſt, a Fulvia, Oldradii vidua 1000. numm. abſque injuſtitia retineri non poſſe, eamque proinde de eorum reſtitutione erga Didymum teneri. Ratio eſt, quia mulieri non competit jus hypothecæ ad bona viri ſui, niſi a data contractus ſui Matrimonialis, & ſolum pro dote ſua pactiſque nuptialibus (g), Atqui Didymi hypotheca prior eſt tempore ipſius contractu nuptiali, ut ſupponitur; jure igitur 1000. nummos a viro ſuo derelictos retinere non poteſt, ſed eos Didymo, Creditori hypothecario priori reſtituere debet; quanta ſit, quam patitur jactura conſentit hæc deciſio cum multis Legibus, quas jam retulimus in reſponſionibus ad ſuperiores difficultates, & quas denuo afferre ſupervacaneum eſt (h).

(g) Domat L. Civ. &c. l. 1. 9. in proœmio.

(h) De Sainte Beuve tom. 3. caſ. 294.

CASUS XVI.

Mainfradus eodem tempore 8000. lib. a Gervaſio, & 4000. a Protaſio mutuatur, atque eorum cuilibet totum pignori dat fundum, qui quadraginta prati jugera continet: poſtea res ejus ita delabuntur, ut, eum dato ex obligatione die ſolutionem ſuam accipere non poſſent duo illi Creditores, hypothecam ſuam in fundo ſibi addicto ſeparatim exerceant. Sed cum fundus ille utriuſque ſolutioni integræ non ſufficiat, quippe qui 8000. lib. dumtaxat valeat; vult Protaſius ipſum biſariam & in æquas partes dividi; contra Gervaſius contendit, diviſionem ejus ita eſſe inſtituendam, ut pro rata ſui crediti quiſque accipiat; ita ut duos ipſe trientes, Protaſius vero unum e pretio fundi habeat. Cui jus?

Respons.

Legitima eſt Gervaſii contentio. Nam certum eſt, quod cum fundus idem eodem tempore duobus Creditoribus ob varias cauſas hypothecæ datus eſt, omiſſa fundi diviſione pro utriuſque hypotheca, tum fundus totus utrique manet obligatus. At quando fit, ut is amborum ſolutioni non ſufficiat, tum pro ratione ſuorum Creditorum, jus quoque hypothecæ dividi debet: quocirca cum Gervaſii creditum ſit 8000. lib. Protaſii vero 4000. lib. Gervaſius trientes duos, Protaſius autem trientem reliquum accipere debet. Deciſio iſta in jure his verbis exprimitur (i). *Si duo pariter de hypotheca paciſcuntur, in quantum quiſque obligatam hypothecam habeat, utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis, quæritur? Et magis eſt, ut pro quantitate debiti pignus habeant obligatum. Sed utraque, ſi cum poſſeſſore aget: quemadmodum? Utrum de parte quiſque, an de toto quaſi utrique in ſolidum res obligata ſit? quod erit dicendum, ſi eodem die pignus utrique datum eſt ſeparatim: ſed, ſi ſimul, illi, & illi; ſi hoc actum eſt, uterque in ſolidum recte aget; ſi minus, unuſquiſque pro parte*.

(i) L. Si fundo 10 §. 8 ff. de pign. & hyp. item Leg. Si Debitor. 10. ib. 20. tit. 1.

Attamen hujuſce caſus admittenda eſt exceptio in quo alteruter Creditorum fundi eſſet poſſeſſor? tum enim alteri is anteponeretur ex hac Lege (k): *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet*. Et ex iſta alia (l). *Si debitor res ſuas duobus ſimul pignori obligaverit, ita ut utrique in ſolidum obligatæ eſſent, ſingulis in ſolidum adverſus extraneos Serviana utantur. Inter ipſos autem ſi quæſtio moveatur; poſſidentis meliorem eſſe conditionem*. Quod juri canonico conforme eſt, ex quo: *De jure melior eſt conditio poſſidentis*, ut loquitur Alexander III. (m).

(k) L. 170. ff. de diver. reg. juris ant.

(l) L. ſi Debitor 10 ff. de pign. & hyp.

(m) Alex. III. in c. Ad aures 6. de præſcriptionib. l. 2. tit. 26.

CASUS XVII.

Natalis, 2000. lib. a Bartholomæo mutuatus, pro debito veterem ei domum hypothecæ dedit; quam cum reſici poſt ſex menſes neceſſe eſſet; ad ejus reſtaurationem 500. lib. inſumpſit. Hyeme ſequenti domus hæc proximi fluminis diluvione diruta eſt, atque hoc modo Bartholomæi hypotheca extincta eſt. Nunquid tenetur Natalis præter ſortem hanc etiam 500. lib. ſummam Bartholomæo reſtituere?

Respons.

Certum eſt, Natalem erga Bartholomæum de reſtitutione 500. lib. teneri. Ratio eſt, quia cum neceſſariam Creditor fecit impenſam ad conſervandam rem ſibi datam hypothecæ; tum Debitor ad reſtitutionem prædictæ impenſæ tenetur, licet de præſenti non permaneret, ut fit in caſu propoſito: *Si neceſſarias impenſas fecerim ..... in fundum quem pignoris cauſa acceperim*, inquit Lex (n), *non tantum retentionem, ſed etiam contrariam pigneratitiam actionem habeo*. Cujus rei iſta Lex profert exempla: *Finge enim medicis, cum ægrotaret ſervus, dediſſe me pecuniam, & eum deceſſiſſe: item, inſulam fulſiſſe, vel refeciſſe; & poſtea deuſtam eſſe, nec habere, quod poſſim retinere*. Hanc quoque difficultatem ſolvit aperte iſta hæc Lex alia (o): *In ſumma debiti computabitur etiam id quod propter poſſeſſiones pignori datas ad collationem piarum muniendarum, vel quodlibet aliud neceſſa-*

(n) L. Si neceſſar. 8. ff de pigneratitia act. vel contr. l. 13. tit. 0.

(o) L. In ſumma 6. cod. de pign. & hyp. l. 8 t. 14

rium

rium obsequium præstitisse Creditorem constiterit. Ac Natali quidquam non prodest allegare, domum fuisse dirutam: cum enim ejus semper dominium obtineret, non obstante hypotheca ipsi soli periit ex hoc juris effato: *Res perit Domino* (*a*) quare non solum de duobus lib. millibus, sed etiam de quingentis libris ad reficiendam domum insumptis erga Bartholomæum tenentur.

(*a*) Arg. L. *Pignus* 9. cod. de pign. actione l. 4. tit. 24.

CASUS XVIII.

Casimirus duorum jugerum agrum, qui ipsius erat, legavit ad constitutionem Ecclesiæ ac cœmeterii, & quem Machuto pro mutuata ab ipso 300. lib. summa hypothecam dederat. Machutus vero legato huic scripto consensit, atque ita jure suo hypothecæ cessit: Ast evenit, ut irritum esset Casimiri testamentum, ac proinde non obtineret ejus legatum, aut non fuerit acceptum. Num in eo casu jus suum hypothecæ adhuc retinet Machutus?

RESPONS.

Non solum in hoc casu jus suum hypothecæ denuo acquirit Machutus; Ast etiam in aliis omnibus illud recuperaret, in quibus abalienatio de consensu Creditoris sui facta a Debitore, irritaretur, aut suum non haberet effectum. *Si voluntate Creditoris fundus alienatus est*, inquit Lex Digestorum (*b*) *inverecunde applicari sibi eum Creditor desiderat; si tamen effectus secutus venditionis; nam si non venierit, non est satis ad repellendam Creditorem quod voluit venire*.

(*b*) L. Sicut 8. §. 6. ff. quibus modis pignus vel hyp. solvitur l. 20. n. 6.

Ratio est, quia, cum Machutus jure suo hypothecæ tantum cesserit pro singulari alienatione a Casimiro constituta, Machutus jus suum in eo solum casu repudiare voluisse censetur, si hæc alienatio suum non obtineret effectum. *Voluntate Creditoris pignus Debitor vendidit*, inquit etiam Lex alia (*c*), *& postea placuit inter eum & emptorem, ut ab venditione discederent; jus pignorum salvum erit Creditori; nam sicut debitori, ita & Creditori pristinum jus restituitur. Neque omni Creditor pignus remittit; sed ita demum, si emptor rem retineat, nec reddat venditori*.

(*c*) L. Volunt. 10. ff. cod.

Quod his Legibus affirmatur de venditione, quæ suum non obtinet effectum, de legato pariter est intelligendum, quod irritatur, aut non acceptatur, uti expresse docet hæc Lex alia (*d*) *Venditionis autem appellationem generaliter accipere debemus, ut & si legare permisit, valeat quod concessit: quod ita intelligimus, ut & si legatum repudiatum fuerit, convalescat pignus*.

(*d*) L. Sicut. 8. §. 11. cod. tit.

CASUS XIX.

Leufridus, cui Villam pro summa mutua 1800. libr. Landericus hypothecæ dedit; testis nomine duobus subscripsit publicis instrumentis, quibus jure suo hypothecæ cessisse videtur. Primum instrumentum est contractus nuptialis, quo Landericus Debitor suus pro filiæ suæ dote omnem rem suam oppignerabat: Alterum est contractus, quo idem Landericus eandem Villam Joanni iterum hypothecæ dabat, declarans eam nullius esse hypothecæ obnoxiam. Nunquid ex ea re Leufridus jure suo hypothecæ excidit, ita ut eam tuta conscientia in Joannem, aut in alios, quorum interest, defendere nequeat?

RESPONS.

Magnum intercedit discrimen inter exempla duo, quæ in casu proposito referuntur. Nam in primo jus suum hypothecæ non amittit, in altero amittit Leufridus. Ratio est, quia, cum instrumento publico, uti testis tantum & absque fraude subscribit Creditor hypothecarius, hoc est, ita ut nemini ejus subscriptio sit noxia, nihil inde sequitur, quod ad rem ejus pertineat, quia id unum efficit ejus subscriptio, ut contrahentium acta eorumque veritatem confirmet. Quare dicimus, Leufridum jure suo hypothecæ non excidere, cum nuptiali contractui testis nomine subscribit, cum ex se nulli fraudi locum det, nec ullum præbeat consensum, quo labefactetur jus suum. Id ipsum manifeste Lex evincit, qua affirmatur, eum, qui fundum suum hypothecæ Creditori dederat, illum tamen fundum non amittere, quod, uti simplex testis signaverit testamentum illius Creditoris, qui declarat, se velle, ut fundum hunc habeat unus e suis filiis, licet falso ab eo testatore fuisset additum, se fundum hunc ab illo teste emisse. En verba Legis hujus (*e*): *Gajus Sejus ob pecuniam mutuam fundum suum Lucio Titio pignori dedit. Postea pactum inter eos factum est, ut Creditor pignus suum in compensationem pecuniæ suæ certo tempore possideret: Verum ante expletum tempus Creditor, cum suprema sua ordinaret, testamento cavit*, ut alter ex filiis suis haberet eum fundum, *& addiderit*: Quem a Lucio Titio emi, *cum non emisset, hoc testamentum inter cæteros signavit & Gajus Sejus, qui fuit Debitor. Quæro, an ex hoc quod signavit, præjudicium aliquod sibi fecerit, cum nullum instrumentum venditionis proferatur; sed solum pactum, ut Creditor certi temporis fructus caperet? Herennius Modestinus respondit, contractui pignoris non obesse, quod Debitor testamentum Creditoris, in quo se emisse pignus expressit, signasse proponitur*.

(*e*) L. Gajus 39. ff. de pign. actione vel contra.

Sed quando subscriptioni seu Chirographi appositioni inest dolus, qualis est subscriptio Leufridi in II. casu, in quo subscribit contractui inter Landericum & Joannem scripto & quo Landericus falsum declarat Leufrido id confirmante ex subscriptione sua; tum jus suum hypoth. amittit. Nam silentio ipsius liquido mala continetur fides, qua fit conscius fraudis Landerici Debitor. sui, ipsique fert opem ad decipiendum Joann. qui Villam hanc hypothecar. non acciperet, si eam anteriori cuidam Creditori hypoth. datam fuisse notum haberet; uti probat hæc alia Lex (*f*) *Inveniebatur autem Mævius instrumento cautionis cum re publica facta a Sejo interfuisse & subscripsisse, quo caverat Sejus, fundum nulli alii esse obligatum. Quæro, an actio aliqua in rem Mævio competere potest? Modestinus respondit; pignus, cui is, de quo quæritur, consensit, minime eum retinere posse*. His addi potest, quod, si jus suum hypothecar. retinere posset Leufridus, non obstante mala fide; hinc sequeretur, lucrum ex fraude ipsum esse percepturum contra regul. juris ab Alex. III. his verbis constitut. (*g*): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*. Cum ex his alterius Legis terminis (*h*): *Æque in omnibus fraus puniatur*.

(*f*) L. Titius 8. §. 1. ff. quibus modis pignus vel hyp. solvitur.

(*g*) Alex. III. in cap. Offic. 16. de testam. & ult. volunt. l. 3. t. 26.

(*h*) L. in fraudem 45. ff. de jure fisci l. 49. tit. 14.

JACTANTIA.

JACTANTIA juxta expositionem S. Th. (*i*), apprime definiri potest, *Vitium quo quis se effert supra id quod in ipso est, vel supra id quod est in opinione hominum*, vel his verbis juxta Cajetanum (*k*): *Est vitium, quo quis plus de se quam sit, aut apparet elevando dicit*. Denique Varro, quem laudat de Rochefort (*l*) asserit, quod Jactantia est *inanis & stulta prædicatio, qua quis se extollit supra id quod est in eo*. Ex quibus constat, inter se consentire non minus profanos, quam sacros Auctores de natura, causa fineque ejus vitii, quod ex intima superbia amoreque proprio nascitur, & illud etiam speciem quandam esse mendacii ex Angelico Doct. (*m*): Cujus rei hanc Cajetanus affert rationem (*n*), quia *jactantia*, inquit, *proprie dicta, opponitur veritati per modum excessus*.

(*i*) S. Th. 2. 2. q. 112. a. 1. in corp.

(*k*) Cajet. in sum. v. jactan.

(*l*) Cesar. de Rochef. Diction. gen. & curios. v. Jactantia.

(*m*) S. Th. l. c. art. 2. ad 3.

(*n*) Cajet. l. c. q. 112. a. 1.

Vitium hoc vel ipsis ethnicis tanto fuit odio, ut ipsi ferendo essent impares,

res. Ex eo namque Alcibiades, magnificus opum suarum & assiduus prædicator Socrati ipsi invisus fuit, & Sylla Regis Agrippæ exercituum Imperator, Principis hujus nec non Aulicorum odium contraxit, quod indesinenter armis præclare gesta sua laudaret, ut observat Josephus in sua de bello Judaico Historia (a). Inquiremus modo, quæ sit natura atque proprietas hujusce vitii.

(a) Joseph. l. 19. c. 7.

CASUS PRIMUS.

Duorum, qui simul de vera Jactantiæ origine differebant, Theologorum alter voluit, eam nihil aliud esse quam ipsam superbiam; Alter vero contendit eam esse vanitatem seu inanem gloriam. Retulit prior, superbiam inanemque gloriam unum esse & idem: quod is negavit: Num pro posteriore stat jus?

RESPONS.

Non sine caussa inter inanem gloriam & superbiam posterior distinguit. Nam superbia proprie loquendo est amor propriæ excellentiæ inordinatus, quo quis se aliis majorem perfectione mve existimat; est cæca libido, qua impeditur homo, ne res, ut sunt in se, cognoscat, sed qua fit, ut eas tales esse putet, quales esse peroptaret: unde est illud Sapientis (b): *Via stulti recta in oculis ejus, qui autem sapiens est, audit consilia.*

(b) Prov. 12. 15.

Inanis gloria seu vanitas est superbiæ prima soboles; nihil quippe magis naturale atque magis commune homini superbo, hoc est, homini, qui se immoderato prosequitur amore, quam ut cupiat, omnes pari existimationis opinione de se sentire. Atqui præcipuus inanis gloriæ effectus est jactantia; *ex inani gloria oritur jactantia*, inquit S. Thomas (c), qua impellitur homo ad gloriandum de iis omnibus, quæ sibi videntur excellentia, aut de iis, quæ novit ab illis æstimari quos alloquitur, aut qui ipsum vident, seu relate ad gentem suam, natalium splendorem, bona sua, favorem erga potentes, amicos eosque, qui ad ipsum pertinet, aut protegunt; seu relate ad virtutes suas, bona opera, rerum peritiam, præclare gesta, dotes nativas, ingenii aut corporis robur, venustatem, aut formam liberalem, industriam suam aut solertiam, vel etiam vitia, aut etiam facinora, juxta falsam, quam de iis fingit, ideam.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 112 in arg. *Sed contra.*

Sex alii sunt quos notat sanctus Gregorius magnus (d), inanis gloriæ effectus: *Nam ex inani gloria*, inquit, *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ & novitatum præsumptiones.* Ex quo patet ex inani gloria infeliciter oriri innumera peccata gravissima, qualia sunt mendacia, juramenta, perjuria, inimicitiæ, discordiæ, rixæ & convicia.

(d) S. Greg. l. 13. moral. c. 17. post med.

Hinc manifestum fit discrimen, quod intercedit inter superbiam & inanem gloriam; quandoquidem inanis gloria, quæ parit jactantiam, nihil aliud sit, quam immoderata cupiditas apparendi aliorumque captandi existimationem; unde a S. Augustino loquente de jactantia (e), vocatur *libido gloriandi*; atque ab eo jactantia definitur *vitium .... animæ perverse amantis laudari ab hominibus, spreto consilio conscientiæ*. Ast superbia est occultus animi motus, quo quis impellitur ad opinionem propriæ excellentiæ majoris, quam sit in aliis, nullam tamen inde ambiendo ostentationem. V. g. cum quis ingenio ceteris præpollere se existimat, quin tamen eximii ingenii famam ambiat; aut dona Dei proprio adscribit merito.

(e) S. Aug. lib. 4. de civit. Dei c. 15. in fin.

CASUS II.

Duo iidem Theologi, cum istam proposuissent quæstionem, utrum scilicet homo, qui se jactat, quandoque mortaliter peccare valeat; an vero semper peccet venialiter; & qua ratione unum ab alio secerni possit, a se invicem dissensere, altero affirmante, jactantiam aliquando posse fieri peccatum mortale, & altero negante. Cui jus?

RESPONS.

Difficultatem istam clare admodum elucidat S. Thomas dicens (f), jactantiam secundum se spectatam in eo tantum casu lethale esse peccatum, cum divinæ gloriæ debitoque Deo amori opponitur; aut cum proximi dilectionem destruit, & extra duos illos casus, quorum insolita prorsus & rarissima profert Angelicus Doctor exempla, eam esse tantum veniale peccatum. En S Doctoris, simulque exempla, quæ affert. *Peccatum mortale est, quod caritati contrariatur. Dupliciter ergo jactantia considerari potest. Uno modo, secundum se, prout est mendacium quoddam & sic quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Mortale quidem, quando aliquis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei: sicut ex persona Regis Tyri, Ezech.* 28. Elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum: *Vel etiam contra caritatem proximi; sicut, cum aliquis, jactando seipsum, prorumpit in contumelias aliorum; sicut habetur Luc.* 18. *de Pharisæo, qui dicebat*: Non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. *Quandoque vero est peccatum veniale, quando scilicet aliquis de se talia jactat, quæ neque sunt contra Deum, neque contra proximum.*

(f) S. Thom. 2. 2. q. 112. art. 2. in corp.

Addit sanctus Thomas, idem vitium altero etiam modo posse considerari secundum suam caussam, quæ est superbia, aut avaritia, tumque illud esse mortale peccatum, si eo malitiæ pertingat superbia, quæ sit mortale peccatum; & aliter esse tantum veniale. *Alio modo potest considerari secundum suam caussam, scilicet superbiam, vel appetitum lucri, aut inanis gloriæ: & sic, si procedat ex superbia, vel inani gloria, quæ sit peccatum mortale, etiam jactantia erit peccatum mortale: alioquin erit peccatum veniale.* Quod spectat ad lucri aviditatem, est tantum peccatum mortale, cum proximo damnum affert; extra casum hunc est solum veniale .... *Non tamen semper est peccatum mortale: quia potest esse tale lucrum, ex quo alius non damnificetur.* Hactenus dictis ab Angelico Doctore addamus, jactantiam posse esse etiam mortale peccatum, si æquitati notabiliter esset noxia, ut fieri posset v. g. si Caussidicus domicilium alicubi statuens, peritiam suam in jure, quamvis omnino ignarus, ostentaret; sicque litis justæ amissionem procuraret; aut isto modo clientis nimium creduli facilitate in ejus fraudem abuteretur. Hæ sunt, uti videtur, potissimum regulæ, quas adhiberi necesse est, ut hac in re mortale a veniali distinguatur.

JEJUNIUM.

DIVIDI potest jejunium in jejunium naturale, jejunium spirituale & jejunium Ecclesiasticum.

Jejunium naturale consistit in abstinentia cibi potusve cujuscumque a media nocte, seu per modum victus, seu medicinæ, aut aliter.

Jejunium spirituale, proprie loquendo, in eo positum est, ut quis se a peccato abstineat, sensus suos moderetur, atque cupiditates refrænet.

Jejunium Ecclesiasticum, de quo solo in hoc titulo agitur, his verbis definit insignis Theologus: *Jejunium Ecclesiasticum est voluntaria victus abstinentia secundum Ecclesiæ præscriptum* (a). Per hæc verba, *victus abstinentia*, intelligitur. 1. Christianorum obligatio, qua tenentur sese a quibusdam abstinere alimentis, qualia sunt caro, omniaque ipsi adhærentia, ut adeps, intestina, & alia similia: quibus addi debet ovorum usus in quibusdam regionibus, uti in Parisiensi diœcesi solo quadragesimæ tempore, & lactis, nec non butyri & casei in aliis, ubi ab Ecclesia interdicitur; quod hujusmodi alimenta a quibusdam animalibus suam ducant originem. 2. Per has voces intelligenda est quoque obligatio unius duntaxat comestionis his pœnitentiæ diebus, computata die ab una media nocte ad aliam sequentem. 3. Hora quoque intelligenda est, qua sumi debet illa refectio, quæ olim non fiebat, nisi occidente sole, & postea ad horam vesperarum, hoc est, ad horam tertiam post meridiem, & post vesperarum officium, quod solum tempus in jure constitutum fuisse invenitur, & pro solo quadragesimali tempore, ut constat ex Capitulari Theodulphi Episcopi Aurelianensis an. 797. (b). Quod etiam erat in usu tempore sancti Thomæ, qui jejunium quadragesimale ab aliis non distinguit. Hæc tandem refectio juxta hodiernam consuetudinem hora meridiana sumi potest, cum antiquæ suæ disciplinæ lapsum hunc passa sit Ecclesia, uti eum, qui inductus est, levem sumendi ad vesperam refectionem, quæ cœnula dicitur, hac in re consuetudine vim Legis obtinente. Sanctus Bonaventura, sanctus Thomas aliique permulti Auctores non consentiunt de ætate, qua urget obligatio jejunii Ecclesiastici: Ast usus additus rationi, qua nititur Angelicus Doctor, ipsius invexit sententiam, qua censet, hanc obligationem non urgere nisi completis viginti & uno annis: quod etiam cum eo docent Paludanus & Archidiaconus.

(a) Polm. Brev. Theol part. 2. a. n. 1002.

(b) Can. Solent, 30. de consecrat. dist. 3.

Quod pertinet ad tempus, quo desinit hæc obligatio, cum ea de re nihil ab Ecclesia fuerit constitutum, uti nec de tempore, quo ea desinit, dicendum eam tandiu permanere, quamdiu præceptum illud adimpleri potest.

Non solum ob ætatem, sed etiam ob alias & urgentes quas postea exponemus, rationes, a jejunio quis excusari potest.

En censura quatuor sequentium propositionum ad jejunium spectantium, quam emisere Comitia Præsulum Cleri Gallicani an 1700. habita, in quibus 127. propositiones morales, quarum pleræque jam a Summis Pontificibus fuerant præscriptæ, damnaverunt.

PROPOSITIO XCII.

Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia, hoc faciat; puta quia non vult se subjicere præcepto.

PROPOSITIO XCIII.

In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

PROPOSITIO XCIV.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

PRO-

PROPOSITIO XCV.

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, & etiamsi iter non sit necessarium, & etiamsi iter unius diei conficiant.

CENSURA.

Doctrina his quatuor propositionibus contenta, falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, Ecclesiasticorum mandatorum incuriam inducit, jejunii Leges pravis artibus eludit.

CASUS PRIMUS.

SIXTO decem & octo annos, & Martino novendecim annos natis, tempore paschali cum eorum confessiones excepisset Parochus, magnum is injecit scrupulum, quod nullo quadragesimalis jejunii die jejunium observassent; simulque ipsis præcepit, ut deinceps singulis præceptis diebus accurate jejunarent. Num ipsi Lege Ecclesiastici a jejunii sub reatu mortalis peccati tenentur; licet tertium nondum ætatis suæ septennium attigerint?

RESPONS.

En de re quidquam non definivit Ecclesia, atque sapientum arbitrio, & cujuslibet conscientiæ determinationem suam dimisit. Multi ex iis, quos in Sanctorum numerum retulit, Doctores a se invicem dissentiunt; sunt qui existimant jejunii præceptum obligare ætate annorum octodecim. At putat sanctus Thomas non urgere hujusmodi præceptum ante completum ætatis tertium septennium; quæ opinio magis probatur & admittitur; & quam ista potissimum ratione comprobat Angelicus Doctor; quod pueri frequentiori indigeant cibo, ut integram acquirant Corporis sui accretionem. *In pueris maxime est evidens caussa*, inquit sanctus Doctor (*a*), *tam propter debilitatem naturæ: ex quo provenit, quod indigent frequenti cibo, nec non multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quandiu sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus, usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia observanda.* Theologi communiter & Canonistæ (*b*) Doctoris Angelici sententiam amplexi sunt, qui addit: *Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus vel minus, secundum modum suæ ætatis.* Et alibi (*c*): *Ideo secundum quod magis appropinquant ad predictum terminum, sunt eis jejunia magis commensuranda.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 2. Item in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 3. in corp.

(*b*) Petrus Palud. Fr. Sylvius, Angelus de Clavasio, Sylvest. de Prierio. Bapt. Trovamala in Rosella. Navarrus.

(*c*) Idem S. Thom. in 4. loco cit.

Adstrictio ista eo majoris est momenti, quod a vigesimo ætatis anno jejunio teneri adolescentes contendant multi, iique peritissimi Theologi; alii vero decimo octavo, uti Halensis (*d*), qui vult etiam eos, qui ad istam nondum pervenerunt ætatem, identidem jejunare: *Pueri non tenentur ad jejunia Ecclesiæ*, ait inclytus hic Doctor, *nisi forte interpolate jejunent, & tales sint, quod virtus in eis suppleat ætatem. Non enim possunt jejunare continue sine magna læsione personæ.*

(*d*) Alexand. Halensis Part. 4. q. 28. n. 6. art. 2. §. 5.

Alii denique contendunt ab ætate jam quindecim annorum instare præceptum jejunii Ecclesiastici; verum excedit hæc opinio. At vero ex hac opinionum varietate constat manifeste, non omnino certam esse Angelici Doctoris sententiam, sed solum esse probabiliorem; unde nihil contrarium definiente Ecclesia ac obtinente universim ejus in praxi usu, sine formidine teneri potest, adhibita tamen adstrictione, quam addit Angelicus Doctor. Unde colligitur, Sixtum ac Martinum de mortali non esse damnandos, quod integra non jejunaverint quadragesima; sed attinere imprimis, ut eis quandoque jejunare Parochus eorum jubeat, quantum per vires licebit; quod prudentia sapientis tantum conscientiæ moderatoris ordinare potest.

CASUS II.

ROMUALDUS & Gratianus, septendecim annos nati, solemnem professi sunt Religionem, is in Monasterio non reformato, alter vero in reformato. Nam duo illi Religiosi ante expletum ætatis suæ tertium septennium sub conscientiæ reatu per totam quadragesimam aliosque jejunii dies præceptos jejunare tenentur?

RESPONS.

Duo illi Religiosi singulis jejunii diebus, quod præcipit Ecclesia jejunare tenentur, si ex regula Ordinis sui hæc sibi imponatur obligatio; quia ex voto obedientiæ suæ obligantur ad illud observandum a die emissæ professionis. *Qui professi sunt regulam*, inquit Sylvius (*e*), *in qua jejunium quadragesimale est sub præcepto, sicut Fratres Minores, ut ex capite tertio Regulæ sancti Francisci habetur, & si qui sint alii, tenentur ad jejunium quadragesimale; etiamsi annum vigesimum primum non expleverint. Quicumque enim sunt professi, obligantur ex vi suæ Regulæ, seu voti professionis ad omnia, quæ Regula, quam professi sunt, præcipit.* In hoc assentitur hic Theologus aliis, qui ante se ea de re egerunt, ut Sylvester, Tabiena, Azorius, aliique sex, quos laudat (*f*).

(*e*) Fr. Sylvius resol. var. v. Vigilia. concl. 2.

(*f*) Sylvester de Prierio. v. Jejunium. q. 6. Joan. Tabiena eod. v. q. 6. Joan. Azorius tom. 1. l. 7. c. 7. q. 5. &c.

Advertit tamen Sylvius post eosdem Auctores, ad verbum exponendam esse regulam; ita ut si in ea de quadragesimali jejunio fiat tantum mentio, ad alia extendi non debeat; eamque proinde non obligare ad jejunium quatuor temporum & vigiliarum eos, qui vigesimum primum ætatis suæ annum nondum expleverunt.

Quod spectat ad Religiosos ordines, quorum regula de jejunio quadragesimali aut aliis ab Ecclesia præceptis non loquitur, professi horum ordinum ad illud nonnisi post hanc ætatem tenentur, ut docet idem Theologus his verbis: *Regulares eo hoc, quod sunt professi, aut professæ non obligantur ad jejunium quadragesimale, uti nec ad alia jejunia Ecclesiastica, sive vigiliarum, sive quatuor temporum, antequam prædictum annum vigesimum primum expleverint: quia neque Ecclesia eos magis, quam alios fideles obstrinxit; cum nullum extet Ecclesiæ præceptum, quo ipsi præ aliis obstringantur, neque Regula, cum ea nihil ista de re disponat.* Qua in re assentitur hic Doctor aliis multis gravibus Auctoribus, quales sunt Gabriel Biel, aliique quos jam laudavimus.

CASUS III.

MARCULPHUS, Religionem in ordine reformato professus, peculiaria ordinis jejunia sæpe sæpius non observat, quod decimum octavum ætatis suæ annum nondum expleverit. Nunquid in eo peccat?

RESPONS.

Procul dubio peccat Religiosus iste non servans jejunia præscripta ab ordinis Regula, quem professus est. *Ad jejunia ordinis, seu Regulæ tenentur qui professi sunt*, inquit Sylvius (*g*), *etsi sint juniores, & annum illum ætatis vigesimum primum non attigerint. Ratio est*, pergit doctus ille Duacensis Professor, *quia per professionem se obligarunt ad præcepta Regulæ, ac sponte susceperunt legem in ea expressam.* Sicut igitur Laici ante vigesimum primum ætatis annum quibusdam singularibus diebus ad jejunium tenerentur, si ad illud voto se adstrinxissent; non dubium est etiam, quin in casu proposito ad illud pariter teneantur Religiosi. Sylvio in eadem sententia præiverant Sylvester, Joannes Azorius, & Laurentius Portel, quos laudat idem Sylvius in decisione sua 6. Feb. An. 1644.

(*g*) Fr. Sylvius resol. var. v. Vigilia. concl. 4. Item in 2. 2. q. 147. art. 4.

CA-

CASUS IV.

Monica, a duobns tribusve mensibus gravida mulier & Gertrudes soror ejus, quæ propriam prolem mammis suis nutrit, tenenturne ad jejunium, saltem aliquot quadragesimæ diebus?

RESPONS.

Quamvis multi sint Auctores a quibus mulieres gravidæ ac nutrices in eo tantum casu a jejunii lege eximuntur, si proli suæ sibive aliquod immineat periculum; multo tamen probabilius affirmatur, eas absolute a lege jejunii liberari; quia moraliter fieri nequit, ut illud observent absque gravi detrimento prolis, quam utero gestant, aut mammis suis alunt. Ita sentit Sylvius (a), qui loquens de iis, qui excusantur a jejunio, sic dicit: *Similis impotentia est in mulieribus gravidis & lactautibus, quæ non solum eucusantur a jejunio propter alimentum, non tantnm sibi, sed etiam fœtui & proli necessarinm, sed etiam peccabunt jejunando, si inde sit periculum notabilis nocumenti, vel ipsis, vel proli*: Et quidem fœtus gravidæ, aut lactantis proles multo magis alimento indigent, quam puer decem duodecimve annos natus, quem tameu Theologi omnes absque ulla exceptioue vel restrictione a lege jejunii liberant. Existimamus igitur, in casu proposito Monicam ac Gertrudem nulla jejunii lege teueri?

(a) Fr. Sylvius. in 2. 2. q. 147. art. 4 ante med.

CASUS V.

Aimericus tanta rerum omnium premitur inopia, ut victum suum ostiatim mendicare teneatur. An dici potest, ipsum jejunia ab Ecclesia præscripta teneri servare?

RESPONS.

Asserit sanctus Thomas (b), pauperes, quibus suppetit copia integræ & sufficientis comestionis, a lege jejunii non esse immunes; aliter excusari. En verba sancti Doctoris: *Pauperes, qui possunt sufficieuter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem, a jejuniis Ecclesiæ; a quibus tamen excusari videntur illi, qui frustratim eleemosynas mendicant, qui non possunt habere simul quod ad victum eis sufficiat.* Et alibi (c): *Paupertas non semper excusat a jejunio, sed in illo casu, quando simul habere non potest tantum hora comestionis, quod ad victum totius diei sufficiat, sicut frequenter egenis contingit, qui frustatim eleemosynas quærunt; vel etiam, quando ex præcedenti inedia tantum debilitati sunt, quod jejunium sufferre non possunt.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4 ad 4.

(c) Idem in 4. dist. 15. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 4. ad 2.

Alexander Halensis rem eandem ante doctorem Angelicum docuerat (d), & distinguens inter pauperes, qui non mendicant, & alios mendicantes, asserit, mendicantes a jejunio excusari, cum necessaria ad sufficientem comestionem simul uon habeut, pauperes vero, qui non mendicant, teneri: Respondeo, inquit, *quod sicut habetur ab Augustino, differentia est inter pauperem & egenum. Egenus enim est ille, qui indiget petere ab aliis: non manet in domo sua; sed circuit domos aliorum: & tales, aut habent determinatam aliquam annonam sufficientem, quæ datur ab aliquibus personis; & si hoc, tenentur jejunare: aut non habent aliquid certum & determinatum, sed quotidie vivunt de eo quod mendicant: & tales, ut existimo, non tenentur, quia non datur eis totum simul; & quia uno die abundant, altera nihil habent. Pauperes vero sunt, qui non ex toto sibi sufficiunt, non tamen mendicant, sed maneut in domibus suis: & tales non excusantur a jejunio.* Ita cum Halensi sentiunt Richardus, Trovamala, Augelus de Clavasio, Azorius, Emanuel Sa, Paludanus, Sylvester & Navartus (e).

(d) Alexand. Halensis part. 4. quæst. 28. memb. 6. art. 2. §. 4.

(e) Richard. de Media villa. 4. dist. 15. art. 3. q. 4. Petrus Palud. In 4. dist. 5. q. 6. Navarr. Manual. c. 21. n. 13. &c.

Colligendum est itaque, quod, cum victum suum ostiatim quærat Almericus, nec legitime præsupponi queat, ipsi suppetere necessaria ad sufficientem comestionem, ut jejunii rigorem ferre possit, ab eo servando liber habendus est: cum aliunde constet, mendicantes in vicis aut Provinciarum oppidulis, sæpe sæpius panem tantum habere; quod non sufficit ad ferendam jejunii macerationem.

CASUS VI.

Ascanius frequenter Parisiis, Nannetes aut in alias Regni urbes commercii sui caussa iter agere cogitur. Leontius operarius pariter ad victum labore quærendum adigitur. Nuuquid ambo a jejunio diebus ab Ecclesia imperatis excusantur, prior, dum iter agit, alter veto dum laborat?

RESPONS.

Distinguendum cum sancto Thoma (f): *Circa peregrinos*, seu iter facientes & *operarios distinguendum videtur*, inquit, *quia si peregrinatio & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis & exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ; non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.* Tum alteram distinctiouis partem subjungens, *si autem*, ait, *immineat necessitas statim peregrinandi & magnas dietas faciendi, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non possint Ecclesiæ jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum.* Cujus rei hanc affert rationem: *Quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias & magis necessarias caussas.*

(f) S. Thom. tom. 2. p. 147. art. 4. ad 8.

Hinc sequitur, quod, si Ascanius aut alius quilibet die jejunii absque necessitate & ob solam suam oblectationem iter susciperet, tum is peccaret, si ob eam caussam jejunium omitteret, quantuscumque posset esse itineris labor. Si tamen ex devotionis motivo peregrinaretur, aut suscepto jam itinere aliquis occurreret dies jejunii, quod ob viæ laborem ferre non posset, tum videtur jejunii obligatio a legitimo superiore ipsi posse remitti. Ita quoque alibi sentit Angelicus Doctor his verbis (g): *Si autem peregrinatio commode differri non potest, vel quia tempus jejunii hominem in via præoccupat, vel quia dies festus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit ... potest cum dispensatione superioris, omnia prædicta pensantis, peregrinari & jejunium solvere. Hoc tamen intelligitur de his, qui labore itineris ita affliguntur, quod simul cum jejunio itinerari non possunt.*

(g) Idem in 4. dist. 15. qu. 3. art. 2. quæstiunc. 4. ad 1.

Sed quia objici potest, quod, cum jejunium sit de præcepto, illud est anteponendum peregrinationi, quæ fit tantum ex devotione, addit sanctus Thomas: *Nec obstat, quod præceptum debeat præponi consilio; quia intentio præceptum hujusmodi dantis non est alias pias & magis necessarias caussas excludere.* Quæ decisio adeo est manifesta, ut alias ad ejus confirmationem probationes adducere, omnino foret inutile. Id unum observabimus cum inclyto sancti Thomæ interprete, quod qui pedibus iter peragit, is multo facilius excusatur a jejunio, quam is qui equo vel curru, quia illius major est corporis defatigatio, quam istius, qui vix a lege jejunii dispensari potest, nisi ob magnam fatigationem. *Si faciant iter pedestres*, inquit Sylvius (h) ... *excusantur .... non excusantur, ... si sic proficiscantur curru vel equo, ut non inde magnam patiantur fatigationem corporis.*

(h) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 147. art. 4. ante med.

ÇASUS XII.

Gildas Parisiis profectus prima februarii die ad habitandum in remota provincia, veterem ibi constitutam invenit consuetudinem, ex qua observatur jejunium Vigilia sancti Mathiæ, uti Parisiis die Vigiliæ sancti Matthæi & aliorum multorum. Existimavit, se ob talem consuetudinem jejunio non teneri 1. quia nullo statutu aut constitutione Diœcesani Episcupi confirmatur. 2. Quia peculiaris est huic provinciæ consuetudo, quæ nullibi in aliis Regni Provinciis observatur. Nonne ob eas rationes ab ea tenenda abstinere potest?

RESPONS.

Variæ consuetudines, quæ in Ecclesia observantur pro variis locis ac temporibus inte merate tenendæ sunt, quando sacris Canonibus non sunt oppositæ, uti dicit Gratianus in canone, quem e duobus summis Pontificibus desumpsit (a): *Nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines; si illis canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis obviare debeamus. Unde non judicamus eis debere vel posse resistere.* Hæc sunt hujus Canonis verba. Hanc suam esse opinionem declarat S. Augustin. scribens ad Januarium his verbis (b): *Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant sabbato, alii non.... tot hoc genus rerum liberas habet observationes; nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam, ad quam forte devenerit.*

(a) Leo IX. & Nicol. I. in can. Scie. sancta. 3. dist. 12.

(b) S. Aug. ep. 54. n. 2. & 3. alias 118. in can. Illa. 11. dist. 12.

Atque ut Januario magis inculcet S. Doctor, a fideli Christiano tenendam esse hanc regulam, ipsi affert Exemplum S. Monicæ Matris suæ, ipsum Mediolanum usque secuta, ubi non servabatur jejunium Sabbati, uti fieri solebat in Africa, variis conscientiæ motibus anxia fuit, ignorans, an jejunare deberet, an vero non. Augustinus vero S. consulturus Ambrosium adivit, a quo unicam hanc responsionem accepit: *Cum Romam venio, jejuno Sabbato; cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.* Ex quo intellexit S. Augustinus tenendam esse consuetudinem Ecclesiæ, ad quam quis venerit, cum laude digna est, nec ipsi contrarium aliquid definivit Ecclesia; unde est illud effatum, quod refert Paludanus: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi, vivito sicut ibi.*

Atqui consuetudo, de qua agitur in casu proposito, est hujusmodi, quam proinde tenere debet Gildas eo libentius, quo magis est meritorium, vigilia festi Apostoli jejunare, quam non jejunare.

Imo dicendum, omnes Provinciæ, ubi viget talis consuetudo, incolas absolute ex ea teneri ad jejunium sub reatu peccati mortalis: nam ut ait Paludanus (c): *Ad jejunia consuetudinaria consuetudo ipsa obligat, etiamsi scriptura non dicat.* Quod probat ex his S. Augustini verbis ad Casulanum scribentis, quæ in Canone referuntur (d): *In his rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi Dei & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.* Unde hanc conclusionem elicit vetus ille Theologus; *Si ergo consuetum est in aliqua Diœcesi, quod jejunetur certo die, illi de Diœcesi tenentur jejunare, sicut & tenerentur si Episcopus indiceret .... Consuetudo enim rationabilis & præscripta obligat* (e). Ex quo concludimus, in proposito casu Gildam pro certo ad jejunium teneri vigilia S. Matthiæ; cum hæc sit consuetudo Provinciæ Domicilii sui, & aliunde æqua sit & legitima hæc consuetudo: nam licet hactenus de oriundis ex Provincia locutus sit Paludanus, & hoc quoad indigenas, subdit statim: *Alienigenæ vero, si veniunt animo habitandi, ea tunc ligantur jejunio consuetudinario, sicut & scripto.*

(c) Palud. in 4. dist. 15. Conclus. 2.

(d) Can. In his 7. dist. 12.

(e) Can. Illud &c. illa ibid.

Confirmari potest hæc decisio ex decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum Bracarensem, in qua Prælato huic de festo S. Bartholomæi interroganti ita respondet hic summus Pontifex (f): *De festivitate vero beati Bartholomæi Apostoli, de cujus festivitate dubietas oritur apud quosdam, respondemus, quod in hoc consuetudinem tuæ regionis observes.* Ac similiter eidem respondet ad factam quæstionem, num licitus esset esus carnium die Sabbati, præsertim in infirmitate: *Respondemus*, ait, *quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observari; sic tamen, quod debilibus & infirmis propter hoc periculum non emergat.* Ex quo patet, consuetudinem vim legis obtinere, nec minus eam obligare, quam Lex ipsa obliget. Ita Hostiensis (g) & alii multi.

(f) Innoc. III. in can. Consilium. de observat. jejunior. lib. 3. tit. 46.

(g) Hostiens. in dict. cap. Consilium. n. 4. v. Consuetudinem. & nu. 5. v. Si tamen de Autrio. num. 6 Cardinalis §. Item de illis. n. 1.

CASUS VIII.

FROBERTUS Vinitor, cui non incumbit cura alendæ uxoris aut familiæ, facile jejunare potest, quia absque immodico labore dimidiæ diei necessaria ad sufficientem comestionem lucrari potest: sed quia dimidium mercedis diurnæ non vult amittere, tota die laborat; unde jejunium jam observare nequit. Potestne excusari a peccato?

RESPONS.

Difficultatem istam solvit Halensis (h) dicens, & in simili casu hominem non excusari a jejunio. *Si tamen operarius*, inquit hic Auctor, *non habet familiam sed se solum pascere, sive substentare, si potest laborando tantum lucrari, quantum sibi sufficit ad victum; non debet solvere jejunium. Dico, sine labore immoderato: si enim non posset laborando acquirere sibi victum sine labore immoderato & corporis proprii enervatione, credo quod non tenetur & excusat eum necessitas debilitatis.* Unde sequitur in casu proposito Frobertum non excusari ab obligatione jejunii; cum facile jejunare queat minus laborando, & tota die ideo tantum laboret ad faciendum lucrum, quo fit ut ob laborem diuturniorem, operosiorem, nec legitime necessarium laboret, ut supponimus.

(h) Alex Halensis 4. part. q. 102. art. 5.

Confirmari potest hæc decisio auctoritate Paludani (i), qui loquens de illis qui labori voluntario & compatibili cum jejunio dant operam, asserit eos ad jejunium teneri; nec eos a peccato excusari ob cupiditatem lucri, quo ad immodicum ducuntur laborem, quo non compatitur adimpletio jejunii: *Ubi autem voluntarie laborant, tenentur* (jejunare), *nisi sit tantus labor, cui non compatiatur jejunium, & sit necessarius propter victum & vestitum sui & suorum & non voluntarius propter cupiditatis lucrum.* Idem docet Baptista Trovamala in sua summa, quæ *Roseliæ* (K) inscribitur, his verbis: *Si autem victum necessarium possunt acquirere cum labore, cum quo convenienter exercere possunt opus suum & jejunio, tunc a fractione jejunii non excusantur.* Peropportune ad propositam difficultatem hic referri potest censura Alexandri VII. huic quorumdam casuistarum propositioni 18. Martii an. 1666. inusta, quæ propositio sic habet: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

(i) Petr. Palud in 4. dist. 15. q. 4 art. 2. n. 19.

(k) Bapt Trovamala. v. Jejunium. n. 19.

CASUS IX.

ROLANDUS, agricola singulis diebus ad propriam, familiæque sustentationem laborare tenetur, cumque improbus sit labor suus, omnino jejunare nequit. Sed contingit quandoque per Quadragesimam, aliosve dies jejunii festum, aut tempus adeo pluvium, ut laborare nequeat. Num his diebus ad jejunium tenetur?

RESPONS.

Eandem sibi difficultatem Sylvius proponit his verbis (l): *Difficultas est, utrum Agricolæ & similes opera laboriosa facientes, debeant servare jejunium, eo die quo laboriosa opera intermittunt, veluti quando est festum.* Ad quam quæstionem ita respondet: *Sunt* (Doctores) *qui simpliciter eos excusant, eo quod labore diei præcedentis multum fatigatis vix possibile videatur, una tantum refectione corpus sustentare.* Hanc tamen opinionem omnino non approbat. *Sed respondeo*, inquit, *communiter eos non esse excusandos; quandoque enim eo die non laborent, præcedenti autem die sicut laboraverunt, ita corpus plene refecerunt.* Optime quidem adjunxit Doctus hic Theologus, *communiter eos non esse excusandos*; nam fieri potest, ut præcedentis diei labor hominem adeo debilitarit, ut ex jejunio, quo in hoc casu se maceraret, ad laborem sequentis diei fieret inhabilis. 2. id quoque considerandum est, homines hujusmodi infirmissimo vitam cibo sustentare, & ob eam rationem multos pro certo non teneri ad jejunium, etiam cum non laborant; aut non multum operose laborant; eorum quippe ven-

(l) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 147. art. 4. submed.

vendi ratio continnum ferme est jejuninm. Igitur nihil certi generatim statui potest, sed advertit noster idem Theologus, *Pudentiæ .... Confessarii esse relinquendum, an hic & nunc iste possit excusari ob laboris magnitudinem & complenionis qualitatem*. Hæc sunt potissimnm, quæ de proposita difficultate dici possunt, quæque ad Rolandum transferra hand difficile est.

CASUS X.

Evandea, cui incumbit nxorem & prolem sustentare, Quadragesimæ tempore opus aggreditur, quod quidem servando jejunium perficere potest; quod tamen non servato multo majus ex eo opere lucrum habe et: quia jejunio non debilitarus ex majori opera majorem quoque mercedem referret. An ob eam rationem excusari potest n jejunio.

Raapons.

Si nlinnde homini huic suppetat copia sustentandæ familiæ suæ independenter a labore suo, aut factum ab eo lucrum, dum jejunat, sufficiat propriæ suæ necessitati, nec non familiæ suæ; certum est quod laborando ad jejunium teneatur; modo non tantus sit ejus labor, ut cum jejunii maceratione compati possit, neque enim ex majoris lucri motivo, quo non indigat, legitime ab obligatione jejunii excnsatur. Ita sentit Angelicus Doctor (*a*): *De operariis distinguendum videtur: quia si jejunaado possunt competenter victum pro sua persona habere & pro familia, cujus cura eis incumbit, sive quia alias divites suat, sive quia de eo quod minori labore, qui secum jejuaium compatiatur, lucrari sufficientia possunt, a jejunio aon excusantur. Si autem alias non possunt*, pergit Angelicus Doctor, *tantum laborare, quod victnm sufficientem* (sibi & familiæ) *acquiraat, nisi jejunium frangendo; possunt secundum dispensationem Sacerdotis sui jejunium solvere, & laborare, ex quo patet, quod intentio majoris lucri non necessarii eos a peccato non excusat*.

(*a*) S. Th in 4 dist. 15. q. 3. art. 2. quæstiunc. 4. ad 3.

Idem jam ante sanctum Thomam, discipulum suum docuerat Alexander Halensis (*b*); *ille*, inquit, *qui non habet unde vivat, & sustentet familiam suam, nisi labore suo, & non conduceretur, nisi solveret jejunium suum, non tenetur*. Ex hoc itaque principio sumi debet regnla pro Evandro.

(*b*) Alex. Halensis part. 4. q. 28. memb. 6 art. 2. §. 3.

Cæterum advertendam est, hactenus dicta sic esse intelligenda, si Evandro sit persuasum, se finita quadragesima, inventnrum occasionem labore acquirendi necessaria sibi familiæque suæ: nam si prævideret, occasionem istam non sibi esse adfuturam, in hoc casn jejunium posset omittere, nt longiorem ferendo laborem, vitæ sibi necessaria pararet.

CASUS XI.

Gsamanicus qnadragesimæ tempore domum ædificare volens, viginti conducit operarios, quibus singulis 30. assea diurnam mercedem dat ea conditione, ut jejnuium non sint observaturi quo majori labore susceptnm breviori perficiant tempore. Num homo ille reus est peccati quod admittere possent ii, qui jejunium observare tenentur?

Respons.

Si laborando jejunare queant illi operarii, & aliunde ob ætatem ad jejunium teneantur; certum est, Germanicum eornm peccati fieri participem, nisi justa de cansa opus suum accelerare obligetur; ut docet S. Thomas his verbis, quæ allatis in superiori decisione subdit (*c*): *Nec iterum illi a peccato immunes sunt, qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejuaium solvant: nisi forte sit causa necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat*.

(*c*) S. Th. in quæstiunc. 4.

CASUS XII.

Fulgentius quandoque extra tempus comestionis potat ad seipsum refrigerandum. Num ideo solvit is jejunium suum, aut saltem illud solveret, si multoties in die potaret?

Respons.

Licitum est ex D. Thoma (*d*) potus extra comestionem diebus jejunii, *quamvis enim aliquis potus aliquo modo nutriat*, inquit Angelicus Doctor; *tamen de se non ordiaatur ad nutriendum, sed magis ad dispositionem bonam corum, quæ nutriunt; ut scilicet per membra deducantur, & in stomacho noa comburaatur. Unde sumptio potus, manducatio non dicitur: & ideo ille, qui potat extra horam unicæ comestionis, non dicitur bis manducare: & propter hoc nec statutum Ecclesiæ fraagit, nisi fraudem faciat; quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit*. Et alibi (*e*). *Non autem intendit Ecclesia interdicere abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem; licet aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries jejunantibus bibere*. Itaque in casu proposito non dicendum a Fulgentio aliquoties axtra horam comestionis bibente solvi jejunium.

(*d*) S. Th. in 4. dist. 15. q. 3 art. 4. quæstiunc. 1. ad 2.

(*e*) Idem 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2.

Acute tamen observat Angelicus Doctor, quod *si .... immoderate potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere; sicut etiam, si immoderate cibum in una comestione sumat*. Licet ex sententia S. Doctoris, absolute loquendo, jejunium rigorose & stricte sumptum in neutro casu frangeret. *Quamvis*, ait alibi S. Doctor (*f*), *per inordinationem circa illas circumstantias peccet & meritum jejunii amittat, vel ia toto, vel in parte, non tamen Ecclesiæ statutum transgreditur, & ideo jejuninm noa solvit*. Qua in re tamen Angelico Doctori non assentiuntur alii permulti Doctores, qui contendunt, quod si pro potú sumatur vinnm, tnnc non solum admittitur intemperantiæ peccatum, sed & jejunii violatur præceptum, quod vinum nutriat & corpus multum sustentet: unde in hoc casu perimitur finis, quem sibi proposuit Ecclesia præcipiens jejunium, qui in eo positus est, ut corpus abstinentia maceretur ac debilitetur. Attamen facile est, ut videtur, Angelicum Doctorem in concordiam cnm oppositis sibi Auctoribus adducere, si dicatur, S. Doctorem, de iis tantum loqui, qui extra tempus comestionis bibunt ob solam necessitatem, non vero de iis, qui absque necessitate bibunt; atqua id ipsum significant ejus verba, in responsione ad Casum, *Candidus*, inferius allata; *Nisi forte aliquis in fraudem .... assumat*.

(*g*) Idem in q. cit. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2.

CASUS XIII.

Eutropius totius Quadragesimæ jejunium observavit prandens hora decima matutina; & septima vespertina levem tautum faciens cœnulam. Ipsius Confessarius ipsi persuadere conatus est, ab eo infractum fuisse jejunii præceptum; quia prandii tempus duabus horis absque causa legitima præverterat, quod haberi solet circa horam ferme meridianam, conformiter ad consuetudinem, quæ in Ecclesia nunc generatim obtinet. Hic vero istam affert excusationem, quod unica tantum in die comestione, ut jnbet Ecclesia, se refecerit, & contendit, tempus comestionis ad naturam judicii non pertinere, cum certum sit, quod ab Apostolicis temporibus ad præsens sæculum varia fuerit de hora comestionis Ecclesiæ disciplina. Nonne ex istis rationibus excusatur a peccato?

Respons.

Eutropio non sufficiunt, quas affert rationes, ut in casu proposito a peccato sit immnnis. Nam ut conformiter ad mentem Ecclesiæ servetur jejunii præceptum, non sufficit, ut nna tantum in die absque carne sumatur refectio, sed requiritur atiaio, ut indicta fiat hora. Id ultro quidem fatemur, quod, cum sæpius imminutus fuerit fidelium zelus, Ecclesia pia mater eorum obsecuta est infirmitati; nec jam nunc, uti primis sæculis necesse est, ut ad refectionem sumendum expectetur noctis initium, nec etiam Vesperaram aut Nonæ tempus, nti fiebat eo, quo vivebat S. Thomas, sæculo, sed ad verum jejunium ad meridiem usque aut circiter procrastinanda est refectio.

Id quidem manifeste probatur ex multis ea de re constitutionibus, quas diversis temporibus emisit Ecclesia. Unam suppeditat Theodulphus (*g*), qui loquens de quadragesimali jejunio, quod suis vigebat temporibus, hoc est, exeunte sæculo octavo, & ineunte nono, refectionem sumendo post Vesperarum

(*g*) Theodul. Capit. ad Parochiæ suæ Sacerdotes. c. 39.

tan-

tantum horam, verbis expressis declarat, ab iis non satisfieri Ecclesiastico Jejunii præcepro, qui hanc antevertebant horam, & Nonæ tempore, hoc est tertia post meridiem hora prandebant: *Solent plures*, inquit, *qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad nonam manducare; qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.* Est & alia constitutio Concilii Rothomagensis sub Alexandro II. an. 1072. habiti, quo tempore invaluerat mitior usus, cui obstiterat Theodulphus, ac denique vim consuetudinis obtinuerat, quandoquidem tunc temporis prandii hora ad Nonam, & ad initium Vespertinæ fuerat constituta; nam expresse declarat illud Concilium, ab his violari jejunii legem, qui ante tempus illud manducabant: en verba Concilii (*a*): *Si autem est, ut nullus in Quadragesima prandeat, antequam hora Nona peracta Vespertina incipiat, non jejunat, qui ante manducat.*

(*a*) Concil. Rothom. an. 1071. can. 21.

Ex his videre est, tempus ad refectionem sumendam ab Ecclesia determinatum, aut universali consuetudine constitutum non esse anteverrendum, ut ad mentem Ecclesiæ servetur jejunium. Cum igitur pia in fideles indulgentia severiorem disciplinam eo adduxerit Ecclesia, ut pateretur, fideles ab hora meridiana posse manducare, proculdubio Eutropius peccavit, duabus horis propria auctoritate tempus statutum antevertendo, ac de eo dici potest, quod Rothomagensis Concilii Patres de illis asserebant, qui statutum tunc tempus prævertebant: *Non enim jejunat, qui ante manducat.*

Confirmari potest hæc decisio Auctoritate S. Thomæ ita sentientis (*b*): *Ille jejunium solvit*, inquit, *qui Ecclesiæ determinationem non servat. Unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit. Non enim Ecclesia arctare intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet Astrolabium accipere ad horam comestionis cognoscendam. Unde sufficit si circa horam illam, quam Ecclesia instituit, jejunans sumat cibum, etiamsi aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet.* Atqui idem Sanctus (*c*) alibi asserit, tempus comestionis in die jejunii ad horam tertiam pomeridianam fuisse determinatum. Certum quidem est Doctorem Angelicum ad confirmationem dicti sui allegare auctoritatem Canonis, quam ipse Concilio Chalcedonensi, Gratianus vero Concilio Cabillonensi adscribit; sed quamvis constet, utrumque per errorem lapsum esse, & Canonem hunc, ut optime advertit Pirhæus; (*d*) eumdem esse cum Canone Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui an. 797. vivebat, semper tamen manifestum est, ita sentire Angelicum Doctorem. Advertendum tamen, sæculo sequenti tempus illud ad horam meridianam fuisse redactum. Ut igitur solvebatur Lex jejunii sæculo, quo vivebat S. Thomas, eum horæ tertiæ notabiliter tempus prævertebatur; ita pariter qui antevertit duabus horis tempus meridianam, ut fecisse dicitur Eutropius, is profecto Ecclesiæ præceptum frangit.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 15. qu. 3. art. 4. quæstiunc. 3. in corp.

(*c*) Idem 2. 2. q. 147. art. 7. in arg. Sed contra.

(*d*) Pirhaus in c. Solent. 50. de consecrat. dist. 2.

CASUS XIV.

Candidus persæpe Quadragesimæ tempore post aliquot a prandio horas mixtam haurit potionem ad alimentorum digestionem: Nunne frangit jejunium, cum potio illa nutrit, qualis est v. gr. cocolata, aut aqua ordeacea cum aliquantulo saccharo, aut potio alia hujusmodi?

Responsio.

Certum est, Candidum ex S. Thoma jejunii legem solvere (*e*), si potio ista sit in gravi quantitate, aut eam, quamvis in minori quantitate sumat in fraudem jejunii, hoc est absque necessitate. Nam, licet hujusmodi potio aliquatenus nutriat, a peccato excusari potest, si vere illa indigeat ad faciliorem alimentorum prandii digestionem. *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.* Ita Angelicus Doctor.

(*e*) S. Thom. 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2. Item in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.

Existimamus tamen quoad cocolatam, si tempore Angelici Doctoris in usu fuisset, eam a Sancto Doctore ab aliis electuariis specialiter fuisse distinctam; nam certum est, eam magis nutrire, quam Caffetum aut Theum, aut Aquam hordeaceam, aut Salviæ. Quod propria nobis compertum est experientia, cum sumpto hora meridiana cocolatæ vasculo, diem sine cibo facile transegimus. Quare si notabilis esset cocolatæ sumptio, in casu proposito Candidus, ut nostra fert opinio, non esset excusandus, idque eo certius nobis videtur, quod facilem reddere posset alimentorum coctionem aliorum liquorum ope, qui eundem producerent effectum, nec tamen ullatenus, aut parum omnino alerent.

CASUS XV.

Manlius vir pietate insignis aliquando suis fungi nequit officiis, quod severiorem observet abstinentiam. Nonne in eo peccat?

Responsio.

Asserit S. Thomas, virum talem peccare, ejusque rei multa profert exempla (*f*) ut patet ex his ejus verbis: *Si vero aliquis*, inquit, *in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia & vigilias & alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera peragere; puta, Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & sic de aliis, proculdubio peccat: Sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum*: Quod confirmat Sanctus Doctor ex his Sancti Hieronymi verbis: *Rationalis hominis dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vigilias sensus integritati præfert.* Si igitur ea officio suo Manlius teneatur confessiones excipere, prædicare, aut aliud ministerium obire, quod cum immoderata ipsius abstinentia sociari nequeat: Certum est, quod nedum mereatur, ut potius peccet, perperam, ut ait Hieronymus, jejunium debitæ proximo charitati anteponendo.

(*f*) S. Thom. in 4. cit. loco & q. 117. art. 1. ad 1.

CASUS XVI.

Rodulphus Cesaloniensis Episcopus ab aliquot annis tulit in quadam Synodo statutum, quo jejunium indixit per triduum Rogationum servari. Monasterium S. Mauri, quod jurisdictionis Ordinarii sibi vindicat immunitatem, quodque ponitur intra Territorium Diœcesis præfati Episcopi, subjicitur ne ejusmodi statuto: adeo ut Religiosi non servantes triduum istud jejunii, perinde mortaliter peccent ac peccarent, si dies aliquos, qui fuissent ab eodem Episcopo solemnes instituti, Festos non agerent, aut attentarent aliquod interdictum, quod idem Prælatus dictasset adversus urbem, in qua situm foret eorum Cœnobium, perfringere?

Responsio.

Siquidem Monasterium Sancti Mauri gaudeat immunitate jurisdictionis Cesaloniensis Episcopi, non obligantur Religiosi, qui commorantur ibidem, ad jejunium tridui Rogationum ea conscientia servandum, licet jejunium istud statuto Synodi Diœcesani fuerit institutum ac præscriptum. Ratio est, quod statuta vim non obtinere censeantur, nec eo fine lata considerentur, nisi quantum ad eos, qui jurisdictioni Episcopi Diœcesani subjiciuntur, cui quidem Religiosi de prædicto Monasterio nulla ratione subjacent.

Quæ comparatio instituitur de interdicto, quod Episcopus adversus aliquam urbem pronunciavisset, aut de diebus, quos tanquam solemnes ac Festos celebrari decrevisset, nihil juvare potest ad evincendum contrarium illius,

quod asserimus de jejunio triduano Rogationum. Jure namque communi tenentur omnes Religiosi etiam immunitatis privilegio donati ad interdictum ejusmodi servandum, ad eosque dies agendos solemnes, qui tanquam Festi ab Episcopo Diœcesano indicuntur: quippe hoc utrumque determinatum fuerit ab Ecclesia tota in postremo Concilio generali congregata, in quo sic declaratur (a): *Censuræ & interdicta, nedum a Sede Apostolica emanantia; sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur. Dies etiam Festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus serventur*: At nusquam legitur in jure, Religiosis immunitatis gratia potientibus eandem obligationem induci quantum ad jejunia particularia, quæ statutis Episcuporum indicuntur; nisi, silente Jure, obligatio ejusmodi fuerit legitime inducta consuetudine antiqua & generali, quæ invaluerit in Provincia, aut in loco, in quo Monasterium poneretur. In eo etenim casu vim legis obtineret consuetudo, & obligationem induceret prædictis Religiosis jejuniorum, de quibus instituitur quæstio, servandorum. *Obligantur .... ex vi talis consuetudinis: etsi non ex vi legis Episcopalis*, ait Sylvius (b), post plurimos alios Auctores juxta (c) sententiam Synodi Cameracensis secundæ, quam allegat laudatus Theologus. Quæ tamen affirmamus de prædictorum Religiosorum immunitate, sic volumus intelligi, modo periculum absit omnibus cujuscumque offensionis.

(a) Conc. Tr. sess. 25. de regular. & monialib. c. 12.

(b) Fr. Sylvius resolut. var. v. Rogationes 2. Respons. ad quæsit. 5. Et apud eum Azorius p. 2. l. 7. c. 19. q. 2. Suarez Tom. 5. de legibus c. fin. Hieronymus Rodericus q. 5. S. Laurent. Farcel. v. Festi dies & alii.

(c) 2. Synod. Cameracens. tit. 4. q. 4. c. 3.

C A S U S XVII.

Augustinus sexaginta annos completos natus, nullum jam Ecclesiæ jejunium observat, quod sibi dictum fuerit, elapsa ista ætate hominem, etiam firma valetudine ad jejunium non teneri. Contrarium tamen alii ipsi asseruerunt. Quærit, quæ sit ejus obligatio rigorose loquendo?

R E S P O N S.

Sanctus Thomas ætatem accurata designavit, qua instat præceptum jejunii; at eam, qua cessat obligatio ejusdem determinare opportunum non duxit; quia re ipsa non ætatis, sed virium personæ habenda est ratio ad dijudicandum, num ipsi jam non incumbat obligatio jejunii, ut docet S. Antoninus (d) dicendo, non desumendam esse obligationem jejunii a senectute, sed a viribus & habitu corporis. Et quidem multi sunt septuagenarii senes viribus & valetudine firmiores, quam qui quinquaginta nondum annos attigere. Unde concludendum est, nullum esse determinatum tempus, quo dici queat cessare jejunii obligationem, & consequenter sexaginta & plures etiam annos natum hominem jejunii Lege teneri, dum absque notabili sanitatis suæ detrimento ipsius austeritatem per vires ferre potest. *Senes si sunt multum debiles*, inquit Sanctus hic Archiepiscopus, *eo modo possunt excusari sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sufferendum jejunium: nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium.*

(d) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 6. c. 2 §. 6.

Navarrus quoque hanc esse sententiam suam manifeste ostendit, dum eam, etiam de se loquens, his verbis aperit (e): *Impotentia eximit ab hac Lege pueros usque ad vigesimum primum annum*, inquit hic Canonista, *hæc eadem eximit senes sexagenarios secundum communem; quamvis S. Thomas nihil de hoc dicat, & merito quia, at ibi ait Cajetanus, alii aliis citius fiunt ad id impotentes, & ideo arbitrio prudentis, aut Superioris id relinquendum est. Equidem* (gratia Deo) *octuagesimum natum agens perinde possum jejunare ac cum agerem sexagesimum, imo & quinquagesimum.*

(e) Nav. Man. c. 21. n. 12.

Idem de nobis, inquit Pontas, affirmare possumus, qui octuagesimum septimum ætatis nostræ annum mense Januario ann. 1725. attigimus.

Consulat ergo vires suas Augustinus, nec sibi aduletur. Nam quamvis probabile sit ex sententia quorumdam Auctorum (f), post completam sexaginta annorum ætatem non instare jejunii præceptum, aut ex aliis (g) post septuaginta annos; certum est tamen, neque Ecclesiam, neque Angelicum Doctorem a jejunio sexagenarios excusare, ac S. Antoninum, Navarrum & alios bene multos iis tantum favere, quorum infirmitas talis est, ut jejunii austeritatem ferre nequeant. Unde colligimus, quod si Augustinus ea sit valetudine, ut jejunium observare possit, ob solam ætatis suæ rationem non excusatur a jejunio, neque a peccato, si illud non observet.

(f) Jo. Azor. l. 7. Institut. moral.

(g) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 61.

C A S U S XVIII.

Nunquid ab omni peccato immunis est parvæ, quæ nunc fit, cœnulæ usus, qui ex abusu inductus est, & nunquam ab Ecclesia fuit approbatus?

R E S P O N S.

Certum quidem est, usum cœnulæ, quæ diebus jejunii nunc fit, labente fidelium disciplina fuisse inductum, neque ulla Ecclesiæ de hac re lege comprobatum, nec etiam S. Thomæ temporibus vigebat hic abusus; nam expresse docet, diebus jejunii unicam permitti refectionem. *Ecclesiæ moderatione statutum est*, inquit (h), *ut semel in die jejunantibus comedatur*. Et alibi: *Intendit autem Ecclesia .... ut scilicet semel in die jejunans manducet. Et ideo si aliquorum sumptio, secundum quæ manducatio solet compleri, iteretur, jejunium solvitur ......* Attamen cum Ecclesia usum hunc toleraverit, eumque saltem tacite silentio suo probare censeatur, de peccato ii nequeunt damnari, qui serotinis horis levi se reficiunt cœnula.

(h) S. Th. 2. 2. q. 147. art. 6. in corp. Et in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæstiunc. 1. in corp.

Vide Casum sequentem.

C A S U S XIX.

Leonorius, Cœnulam faciens, pisciculos aliquot frixos diebus jejunii solet edere. Huic unus e suis familiaribus vir religiosus affirmavit, se non putare, id ipsi tuta conscientia licitum esse. Contendit e contra Leonorius in hoc se non peccare, quia leviter admodum cœnulam fecit, cumque in quantitate non delinquat, non existimat, ex hoc cibo, se alicujus peccati conscium fieri. Qua de re quæritur, cui sit jus?

R E S P O N S.

Antequam solvatur proposita difficultas, juvat observare, cœnulam esse refectionem penitus olim ignotam Ecclesiæ, quo lapsu disciplinæ tantum strictioris invecta est, uti jam advertimus in responsione ad superiorem difficultatem. Vulgo existimatur, cœnulam hanc originem suam ducere ex licentia quorumdam Religiosorum, qui statim ante completorium diebus jejunii, e sua tantum Regula indictis, aut ante spiritualia colloquia sua aquam bibebant: quod probari potest ex summario conventus Abbatum Galliæ Aquisgrani, Imperatore Ludovico debonnario, ipsom ann. 814. indicente, habiti (i): in eo quippe hæc bibendi facultas etiam ad jejunia Quadragesimæ prolata est, cum nimirum ob laboris defatigationem, aut cantus Officiique divini diuturnitatem bibere Religiosis esset necesse: En ipsius verba: *Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem post refectionem vespertinam, etiam & in quadragesima pari modo, & quando Officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.* Ad hæc usque tempora in aquæ potu cœnula erat posita: at tandem mitius actum est, & parum fructus ac denique panis additum est.

(i) Convent. Aquisgran. Abat. Franciæ cum Monachis suis 4. idus Julias c. 12.

His ita præsuppositis dicendum, absque peccato non posse Leonorum ad cœnulam suam frixos adhibere pisciculos, quod faciendo manifeste abutitur licentia Ecclesiæ, quæ, cum non aliter, quam

silen-

silentio suo, cœnulæ usum approbavit, a tali prorsus licentia abhorret. Et non ita pridem etiam non unanimis erat consensus, an in cœnula licitus esset panis usus, ut videre est ex his S. Antonini verbis (a), *Quia panis est principalis cibus ordinatus ad nutriendum, minus congruum videtur, panem sumere: sumendo autem buccellam panis frangitur jejunium*. Contrarius tamen postea usus invaluit; *nec sumere in jentaculo serotino parum panis, franget jejunium*, inquit Cajetanus (b). En modus cœnulam faciendi: & procul dubio is licentiæ hominum atque immoderationi faveret, qui in hac refectione piscium usum approbaret.

(a) S. Anton. a. p. sum. Theol. tit. 6. c. 2. §. 9.

(b) Thom. de Vi. Card. Cajet. in sum. v. Jejunium.

CASUS XX.

GILDAREDUS, Tabernarius, multos apud se mensa accipit, qui cœnam ab eo paratam diebus jejunii exposcunt: quod exequitur, quamvis moraliter sibi compertum sit, eos ad jejunium teneri, quod ad solam impietatem eos frangere pariter novit. Ob has potissimum rationes existimat, se non peccare 1. quia, si instructam opipare cœnam ipsis deneget, aliam quærent tabernam, nec jam penes se erit, se suamque sustentare familiam. 2. quia vicini sui Tabernarii idipsum facere nullatenus cunctantur, nec sibi soli ait, constituta esse debet regula; quippe qui aliorum exemplo Cœnam hujusmodi recusare paratus sit. 3. quia eidem mensæ multi assident, qui non lege jejunii tenentur; cumque unam tantum mensam instruat, a cœna eos prohibere nequit, qui ad jejunium sunt obstricti, quique aliunde sibi reponent, se jejunium observare non posse. Num ex his rationibus a peccato excusatur ille Tabernarius?

RESPONS.

Facilis est propositi casus solutio, si illud S. Raymundi supponatur principium (c), eos scilicet peccare, qui res vendunt emptoribus ad peccandum, cum sibi compertum est, aut legitime præsumunt, ita affectos esse illos emptores. Atqui novit Gildaredus, ad cœnam necessaria non requiri ab hospitibus, nisi ut ea manducent contra Ecclesiæ vetitum, cui obtemperare sub reatu mortalis tenentur, cum nulla ipsis suppetit legitima dispensationis causa; novit pariter, uti supponitur, eos absque legitima causa, & ob solam impietatem Ecclesiæ præceptum transgredi: igitur cœnam his diebus illis ministrare nequit, nisi eorum peccati fiat particeps, simulque conscius spiritualis damni, quod sibi legum Ecclesiæ infractione inferunt, juxta istam Nicolai I. regulam (d): *Facientem & consentientem pari pœna constringit*.

(c) S. Raym. in sum. l. 2. tit. de negot. secular. §. 6.

(d) Nicol. I. in can. Notum 10. 2. q. 2.

Non ergo allatis rationibus a peccato excusari potest Gildaredus, neque enim sustentationi suæ peccando is providere potest, neque perniciosum eorum, qui eamdem secum artem exercent, sequi exemplum; cum ex doctrina Apostoli certum sit, quod *Qui talia agunt, digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus* (e), decisioni huic assentitur Auctor Theologiæ moralis Gratianopolitanæ (f).

(e) Rom. 1. 32.

(f) Fr. de Genet. theol. mor. to. 2. tract. 9. c. 5. quæst. 7.

Vide ROGATIONES.

IGNORANTIA.

IGnorantiæ definitionem ac divisionem exponet prima decisio, simulque in ea, uti in secunda explicabuntur præcipuæ hac de regulæ. Quare ad eas decisiones Lectorem remittimus.

CASUS PRIMUS.

EPHIDIUS ex lectione Auctoris agnovit, se ex mera ignorantia præterito tempore malas quasdam & damnandas commisisse actiones, quæque sunt peccata mortalia pro iis, qui eas norunt. An dici potest ipsum peccasse eas committendo, ita ut eum apud Deum non excuset ipsius ignorantia? Atque ut ejus rei detur exemplum supponamus, quod, cum Ephidius semper ignoraverit, mollitiem esse peccatum mortale, in illud sæpe ab ætate quindecim annorum ad ætatem viginti inciderit; quo tempore elapso cum ex lectione Casuistæ rem noverit, peccatum illud deinceps non admisit. Num dici potest, ipsum in hoc casu toties mortaliter peccasse, quoties in mollitiem incidit?

RESPONS.

Priusquam quæstioni huic fiat satis, sciendum est, quid sit & quotuplex ignorantia.

1. *Ignorantia*, inquit S. Thomas (g) *importat scientiæ privationem, dum scilicet alicujus deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire*, hoc est, quæ potest, aut debet scire v. g. qui nescit simoniam esse peccatum, in ignorantia versatur.

(g) S. Th. 1. 2. q. 76. ar. 2. in cor.

2. Multiplex est distinguenda ignorantiæ species, prior est ignorantia juris, qua quis ignorat legem; quæ rem aliquam vetat aut præcipit; v. g. quando ignoratur præceptum, quo jubetur inimicorum dilectio, aut quo furtum prohibetur. Altera est igoorantia facti, qua quis ignorat, oon quidem legem, sed actionem in particulari esse contra legem; ut quando accipitur res aliena ab aliquo, quam putat esse suam, & quam non acciperet, si novisset esse alterius. Ad objectum pertinet duplex illa ignorantia.

3. Ignorantia facti vel est antecedens, vel concomitans, vel subsequens actionem. Antecedens est, cum est causa actionis, v. g. cum venator, existimans occidere bestiam, hominem interficit, quem nullatenus occidere intendebat. Concomitans est, quando oon est quidem causa actionis, sed ipsi reperitur adjuncta (h), ut cum venator ille prosera inimicum suum, non de eo cogitans, interficit, quem tamen occidisset, si suum esse novisset inimicum. Ignorantia denique subsequens est, cum a voluntate procedit, seu directe, qualis est ignorantia affectata; seu indirecte, qualis est ignorantia, quam parit cupiditas, quam quis reprimere negligit. Ita rem omnem exponit Angelicus Doctor (i).

(h) Idem ib. ar. 1. & 3. in corp.

(i) Idem 1. 2. q. 6. ar. 8. in corp.

4. Duplex est etiam alia ignorantiæ species quoad personam. Prior, quæ vincibilis dicitur, ea est, quæ potest & debet superari. Altera, quæ invincibilis nominatur, ea est, quæ nec mediate, nec immediate superari potest, aut quam vincere quis non tenetur. Consentit hæc definitio cum doctrina S. Thomæ (K). Prior appellatur *crassa & supina*, quando culpabili ignorantia quis ea ignorat, quæ scire tenetur; *affectata vero & voluntaria*, cum quis legem vult ignorare, ne, si sciret, ad eam implendam teneretur, atque de hac ultima ignorantiæ specie Job loquitur, dicens in persona peccatorum, qui idipsum scire nolunt, quod absque crimine ignorare non possunt (l): *Recede a nobis: & scientiam viarum tuarum nolumus*. Asserit etiam S. Thomas (m) quod *talis ignorantia videtur augere voluntarium: ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi*.

(k) S. Th. 1. 2. q. 76. art. 2. in cor.

(l) Job. 21. 14.

(m) S. Th. cit. q. 76. ar. 2. in cor.

Præsuppositis illis principiis ad propositam difficultatem respondemus, quod, licet proprie loquendo ignorantia sit effectus labis originalis, quæ ob tenebras, quibus mentem offundit, impedit cognitionem veritatis, ignorantia, inquam, ipsa est peccatum, si sit eorum, quæ quis & scire tenetur & addiscere potest.

Rem ita docet S. Hieronymus (a), qui in Pelagianos contra sentientes scribens, eam solide demonstrat: quæ veritas etiam in sacris scripturis tam firmis est stabilita testimoniis, ut de ea nullum esse queat dubium. 1. probatio sumitur ex Ps. 24. (o), in quo Deum orat Psaltes regius, ut *delicta*, inquit, *juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*. 2. ducitur ex I. Epist. S. Pauli ad Corinth. (p), in qua affirmat Apostolus, quod qui ea ignorat, quæ scire tenetur, is a Deo ignorabitur: *Si quis*

(a) S. Hieron. lib. 1 dialog contra Pelag.

(o) Psal. 24. 7.

(p) 1. Cor. 14. 38.

autem ignorat, ignorabitur. Unde asserit, ob ignorantiam suam non excusari idolorum cultores; quod solo naturali lumine, & ex miris ejus operibus attente inspectis haberi posset veritas & existentia Dei (*a*); *Invisibilia enim ipsius Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ita ... ut sint inexcusabiles*. Quare certus est eorum reatus: hinc a Deo punitionem his verbis petit David. (*b*) *effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverant; & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*. Hinc asserit etiam idem Apostolus, quod isti ignorantiam suæ pœnas luent (*c*): *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, qui pœnas .... dabunt in interitu æternas a facie Domini & a gloria virtutis ejus*: cæcitas quippe cordis eorum iram Dei in ipsos convertit, ut loquitur idem Apostolus (*d*) *Propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiæ*.

(*a*) Rom. 1. 20.
(*b*) Psal. 78. 6.
(*c*) 2. Thess. 1. 8. & 9.
(*d*) Ephes. 5. 6.

Ex his itaque colligendum est, Ephidium, qui, licet ignorans, egit contra legem Dei, quæ indicta æternæ damnationis pœna factum ejus prohibet, *neque molles .... Regnum Dei possidebunt* (*e*), haud dubio peccasse; quamvis minus graviter, quam si veritatem peccando cognovisset. Dicimus, *minus graviter*: quia ignorantia, quamvis crassa, modo non sit affectata, minuit peccatum, quia minus est voluntaria. *Talis ignorantia diminuit voluntarium & per consequens peccatum*, inquit Angelicus Doctor (*f*), sufficienter tamen est voluntaria, ut actionem peccaminosam efficiat; quia vinci posset hæc ignorantia, adhibita cura doctrinæ & veritatis requirendæ. *Sed & illa ignorantia*, inquit S. Augustinus (*g*), *quæ non est eorum, qui scire nolunt* (nam hæc est affectata & omnino voluntaria) *sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat. Sed propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet, sed fortasse, ut minus ardeat*.

(*e*) 1. Cor. 6. 10
(*f*) 1. 2. Th. 2. q. 76. ar. 4. in corp.
(*g*) S. Aug. de grat. & lib. arbitr. c. 3. seu n. 5.

Ex dictis hactenus constat, adolescentem, de quo in casu proposito fit mentio, a mortali non posse excusari ob ignorantiam, in qua fuit a decimo quinto ad vigesimum ætatis suæ annum, & e contra toties mortalis conscium fuisse, quoties mollitie se inquinavit; quia hac de re instrui neglexit, nec verisimile est, lumen vel naturale vel supernaturale ipsi non dictasse, actionem suam esse illicitam, ut docet S. Thomas, his verbis (*h*): *Pollutio, quæ semen humanum solitarie effunditur .... si est voluntaria, peccatum mortale est: & est unum de peccatis contra naturam, & vocatur mollities*. Ita sentiunt Cajetanus, Toletus, & Navarrus (*i*). Quare ob ignorantiam suam inter ætatem prædictam a peccato excusari nequit Ephidius.

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 154. art. 2. in corp. & ibi Cajet.
(*i*) Card. Tol. instr. sacerd. l. 5. c. 14. Nav. Man. c. 16. n. 9.

Vide CONSCIENTIA. Cas. Primus.

CASUS II.

Nonne etiam dici potest, fieri non posse, ut Ephidius contra jus naturale agat ex ignorantia invincibili; quæ ipsum a peccato excuset?

RESPONS.

Ad claram hujusce quæstionis solutionem; 1. adhibenda est distinctio inter principia generalia juris naturalis, & conclusiones ex iis deducendas. 2. fieri nequit, ut homo rationis compos prima juris naturalis principia invincibiliter ignoret: sed fieri potest, ut ejus conclusiones remotas invincibiliter ignoret.

Præsupposito hoc effato, ad quæstionem propositam respondemus, quod si jus naturale in primis ejus principiis violaret Ephidius, a peccato excusari non posset; quod ea invincibiliter ignorare non potuerit; atque ita intelligendus est S. Augustinus, qui hæc Apostoli (*k*) verba *Legem non habentes ipsi sibi lex sunt*, exponens dicit (*l*): *Legem naturæ non finitur ignorare*; Quippe quæ a Deo in mentibus hominum una cum ratione insculpta fuerit, quare ab eodem Doctore *lex rationis* nuncupatur (*m*): Quia lumen est sufficiens, cujus ope bonum a malo in casu proposito possimus secernere, nisi dictamen ejus peccati tenebris offundamus; & quia, si jus illud naturale ignoramus, id uni nostræ culpæ debet adscribi, quod ad ejus cognitionem omnem nostram animi attentionem, atque curam non adhibuerimus.

(*k*) Rom. 2. 14.
(*l*) S. Aug. in Psal. 118. ser. 25. n. 4. & in Ps. 57. n. 1.
(*m*) Idem ep. 157. alias 289. n. 16.

Quæ modo diximus de ignorantia principiorum generalium juris naturalis, non de iis solum principiis, sed etiam de conclusionibus, quæ ex iis *proxime & immediate* deducuntur, intelligi debent; neque enim minus impossibile est, ut istæ, quam principia ipsa ignorentur. Solæ conclusiones mediatæ & remotæ, ex sententia saltem multorum Theologorum, invincibiliter ignorari possunt. Quæ addimus hic, consentiunt cum 27. articulo doctrinæ sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, cujus hæc sunt verba: *Certum est non dari ignorantiam invincibilem circa generalia juris naturalis principia, neque circa Decalogi præcepta, neque circa conclusiones saltem ex iis proxime deducendas*.

At si Ephidius jus naturale in quibusdam tantum ejus conclusionibus remote deducendis infringeret, ipsiusque ignorantia foret invincibilis, tum non esset conscius peccati: Qui contrarium sentiret, admittendo, jus naturale violari posse ex ignorantia invincibili, is necessario in errorem prima ac tertia Jansenii propositione contentum incideret: nam supponamus, puerum baptizatum illibatam baptismi sui innocentiam ad duodecimum ætatis suæ annum servare, tuncque jus naturale in quibusdam illius conclusionibus violare ex ignorantia invincibili, nisi a peccato excusetur, sequitur 1. ipsum, quantumvis justum, quædam Dei præcepta adimplere non potuisse. 2. Ipsum ex necessitate peccasse, aut saltem absque libertate indifferentiæ quoad præceptum, quod infregit; cum præceptum non cognitum observari nequeat. Quare inter multas propositiones morales, quas 7. Decembris an. 1690. Alexander VIII. proscripsit, hæc trigesima prima legitur: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*.

Hic tamen non omittendum, 1. triplicem a quibusdam Theologis distingui præceptorum naturalium speciem: Prima continentur in prima Decalogi tabula, quæ pertinent ad cultum ab homine Deo debitum. Altera sunt ea, quæ continet secunda tabula, quæque spectant ad officia proximo debita. Tertia denique sunt tantum conclusiones ex his primis deductæ. Addunt illi Theologi, non posse quidem reperiri ignorantiam invincibilem quoad primas duas præceptorum species, sed invincibiliter & absque peccato ignorari posse conclusiones remotas, quæ ex his sequuntur. Distinctionem istam adstruunt ista Angelici Doctoris verba (*n*): „ Ad Legem naturalem „ pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: quædam „ autem secundaria præcepta, magis propria, „ quæ sunt conclusiones magis propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia: Lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali, deletur tamen „ in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulara operabile propter concupiscentiam, vel „ aliquam aliam passionam .... quantum vero ad „ alia præcepta secundaria, potest Lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas „ persuasiones, eo modo, quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias, vel etiam propter pravas consuetudines „ & habitus corruptos, sicut apud quosdam non „ reputabantur latrocinia, peccata.

(*n*) 1. 2. q. 94. ar. 6. in corp.

CASUS III.

TROPHIMUS, Doctor fama insignis, Parochus S. Castriciani, cum doctrinam uni ex articulis fidei Catholicæ contrariam divulgasset, Parochianos habuit, homines rudes & rusticos, qui doctrinam ipsius secuti sunt, putantes, eam esse orthodoxam. Numquid apud Deum a peccato sunt immunes propter ignorantiam suam; & numquid idem dicendum, si falsam hanc ipsis doctrinam nunciaret Episcopus?

RESPONS.

Verisimile est Parochianos illos excusari *a tanto*

at

at certum est, eos excusari *a toto* peccato; hoc est ex ipsorum ignorantia minui peccatum, sed penitus coram Deo non tolli; quia habitus fidei eos semper inclinat ad sensus falsæ, quæ ipsis nuntiatur, doctrinæ oppositos, & gratia Spiritus Sancti nulli fidelium deest in his, quæ pertinent ad æternam salutem, si non sit proclivis ad credendum omni spiritui contra vetitum Apostoli; & si hæsitans Deo committat ea, quæ vim ingenii sui excedunt, nullatenus præsumens mysteria penetrare, quæ non intelligit. Sed juvat hic ipsum Angelici Doctoris afferre ratiocinium (*a*) *Prælato contra fidem prædicanti non est assentiendum, quia in hoc discordat a prima regula; nec per ignorantiam subditus excusatur a toto, quia habitus fidei facit inclinationem ad contrarium, cum necessario doceat de omnibus, quæ pertinent ad salutem* 1. Joan. *Unde si homo non sit facilis nimis ad credendum omni spiritui; quando aliquid insolitum prædicatur, non assentiet, sed aliunde requiret, vel Deo se committet in ejus secreto supra modum suum non se ingerendo.*

(*a*) S. Th. in 3. Senten. dist. 25. q. 1. ar. 5. q. 4. ad 3.

Et quidem, nisi certum esset illud S. Thomæ principium, dicendum foret, eos, qui olim Lutheri & Calvini doctrinam ab ipsis divulgatam amplexi sunt, coram Deo excusatione dignos fuisse, eorum sententiam absque peccato sequi potuisse. Atque Oloronenses diœcesani fuissent innoxii, falsæ inhærendo doctrinæ, quam ipsis prædicavit hæreticus ipsorum Episcopus. Denique illos omnes, qui hæresiarcharum, eorumque asseclarum doctrinæ essent assensi, a peccato fuissent immunes: quod nonnisi absurde potest affirmari, uti per se manifestum est.

CASUS IV.

Probus, moralis Theologiæ Professor, de re usuraria erroneam discipulos suos propositionem docuit: Qui adolescentes postea Professoris sui doctrinam secuti sunt, cum sibi persuasum foret, eam veram esse, aut saltem probabilem. Potestne dici, eos peccasse ipsam sequendo?

Respons.

A peccato excusari nequeunt illi Probi discipuli, si opinio illa erronea ad fidem, bonosve mores pertineat; nisi invincibili premantur ignorantia; quod moraliter fieri non posse videtur in casu proposito; ubi quis in ea regione versatur, ubi notum est, sanam doctrinam hujusmodi Professoris opinioni adversari: atque ita exponendus est Angelicus Doctor (*b*), dicens: „ In his vero quæ pertinent ad „ fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus magistri: „ in talibus enim ignorantia non excusat: Alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti „ sunt opinionem Arii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere „ propter simplicitatem auditorum, si in talibus „ erroneam opinionem sequantur. In rebus enim „ dubiis non est de facili præstandus assensus. „ Quin imo, ut Augustinus docet in libro tertio „ de doctrina Christiana, consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus „ locis & Ecclesiæ auctoritate percepit. Qui ergo „ assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium; sive contra „ id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.

(*b*) S. Th. quodlibet. 3. ar. 10. in corp.

Vide { Conscientia. Dispensatio Irregularitatis. Cas. II. Suspensio Cas. II. }

ILLEGITIMUS.

CUM vocis istius, ILLEGITIMUS, latius pateat significatio, quam istarum *Nothus*, aut *spurius*, & vulgo conceptorum species varias eadem vox includat, hanc in hujus tituli capite usurpandam esse duximus.

Terminus ille generatim eos omnes designat, qui non ex legitimo thoro sunt procreati; quamvis secundum proprium & naturalem sensum suum eum significet potissimum, qui natus est *ex soluto & soluta*, hoc est, ex Patre & Matre, *qui ipso coitus tempore* erant liberi ad contrahendum simul matrimonium. De istis illegitimis Lex ita loquitur: *Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem: sed eum habent, quem habere non licet* (*c*): atque hujusmodi personæ adeo contemptui erant, ab ipsis etiam Mosaicæ legis temporibus, ut ab aliorum societate usque ad decimam generationem arcerentur juxta hæc Deuteronomii verba (*d*). *Non ingredietur Manzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem*: hoc est, juxta expositionem Cornelii a Lapide, tanquam peregrini habebantur ob vitium natalium, & e politica Judæorum societate excludebantur, nullo potientes jure eorum privilegiorum, nec matrimonii cum puella Israelitica. In Gallia etiamnum tanquam non nati habentur in iis, quæ pertinent ad hæreditates *ab intestato*; atque, ut nemini, nisi filiis suis legitimis succedunt, sic ipsis nemo succedit, nisi filii eorum legitimi, quorum defectu bona ipsorum vel Regis, vel Domini altæ jurisdictionis intra fines ejus fisco addicuntur, cum de iis testamento non statuerunt; qua in re Romanam non sequimur jurisprudentiam, ex qua illegitimi cognatis suis, hoc est, parentibus e materno genere succedebant (*e*) & qui etiam jure novo, quod constituerat Imperator Justinianus, hæredes erant ex parte sexta in hæreditate Patris sui, cum absque filiis legitimis mortem obibat (*f*); attamen si per subsequens patris matrisque matrimonium fiant legitimi, ea qua explicamus ratione in hoc titulo, eorum bona hæreditate capere possunt.

(*c*) L. Vulgo 23 ff. de statu hominum l. 1. tit. 5.

(*d*) Deut. 23. 2.

(*e*) L. Hæc parte 2. ff. unde cogn. l. 38. tit. 8. §. 4. Instit. de success. cognat.

(*f*) Novel. 18. c. 1.

Ex usu Galliæ pari cum cœteris jure de suis possunt statuere illegitimi; sed quamvis aliorum donationes possint accipere, iis ex legibus Romanis,

& Gal.

& Galliæ consuetudinibus præscripti sunt limites, quos sequi necesse est juxta locum domicilii sui.

Natalium defectus in Ecclesia græca non est impedimentum ad suscipiendos ordines, & ad Beneficia possidenda, contra quod statutum est in Latina, in qua illegitimi absque dispensatione legitima ad statum Clericalem non admittuntur. Vetustissimum, quod extat, hujusce disciplinæ monumentum reperitur in Concilio Meldensi an. 845. & constitutio ejus facta est Lex Generalis, quæ in quarto Concilio Lateranensi an. 1215. habito sub Innocentio III. firmata est.

CASUS PRIMUS.

Hebertus & Monica clandestino juncti matrimonio, hoc est, absque publicis denuntiationibus, nec obtenta dispensatione, filium procrearunt. Num filius iste est illegitimus?

RESPONS.

Constat, filium hunc inter illegitimos non esse censendum ex hoc solo defectu. Ratio est, quia Heberti & Monicæ validum est, licet non promulgatum matrimonium. Atqui filius quilibet ex vero natus matrimonio est legitimus juxta hæc legis verba (a): *Filium eum definimus, qui ex viro & uxore nascitur*. At foret illegitimus: si v. g. Hebertus & Monica nuptias in prohibito consanguinitatis aut affinitatis gradu, quamvis sibi incognito, contraxissent; quia in hoc casu culpabilis esset eorum ignorantia, & censeretur voluntaria in sua causa ob omissionem denuntiationum, quibus aptius, quam alia quacumque ratione detegi potest tale impedimentum dirimens. Id quidem probari potest ex Concilio Tridentino, quod easdem infligit pœnas iis, qui in hoc casu voluntarie & scienter futuri matrimonii denuntiationes nubendo omittunt (b): unde sequitur, nullum esse discrimen in his duobus casibus. *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *& spe dispensationis consequendæ careat .... quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur pœnis*.

(a) L. Filium ff. de his qui sui, vel alieni juris sunt l. 1. t. 6.

(b) Conc. Tr. sess. 24. de ref. mat. c. 5.

CASUS II.

Placidus Mariæ coram Ecclesia nupsit, sed ficte, nulloque dato consensu matrimonii, unum intendens ut eam falleret, & sub specie matrimonii puella abuteretur. Ab ipso Maria filium peperit, quo nato ipsam is dereliquit, & alteri nupsit. Numquid filius hic censendus est legitimus?

RESPONS.

Filius hic censendus est legitimus, quippe qui ex sola bona matris fide talis in hoc casu sufficienter reputatur. Decisionem istam astruunt decretales multorum Pontificum, & præsertim Decretalis Innocentii III. ad duos Beneventinæ Ecclesiæ Canonicos scribentis (c), in qua declarat hic summus Pontifex, filios esse legitimos, licet mater sola fuerit in bona fide, matrimonium contrahendo cum homine jam nupto, sed quem solutum putabat. *In favorem prolis potius declinamus*, inquit hic Papa (d), *memoratum R. legitimum putantes*. Idem jam statuerat Alexander III. pro filiis ex muliere natis, quæ vivante primo marito jam dudum absente alteri nupserat de licentia Episcopi. *Mandamus*, inquit hic summus Pontifex, *quatenus si constiterit, quod Episcopus inter eos sententiam divortii tulerit, filios, quos sustulit de alio, ad cujus copulam auctoritate prædicti Episcopi migravit, legitimos judicetis, eos hac occasione ab hereditate non patientes excludi*. Addi potest & tertia ejusdem summi Pontificis Decretalis (e), qua videtur, quod, ut legitimi sint filii ex invalido matrimonio procreati, sufficit, ut matrimonium illud publice & coram Ecclesia fuerit contractum. *Cum parentes eorum publice & sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscuntur*. Atqui matrimonium Placidi & Mariæ publice & juxta requisitas ab Ecclesia formalas contractum fuit. Igitur natus ex eo filius est legitimus, non obstante patris mala fide (f).

(c) Inn. III. in c. Ex tenore 14. qui filii sint legitimi l. 4. t. 17.

(d) Alex. III. in c. perlatum 8. eod. tit.

(e) Idem in c. Cum inter fin. eod. tit.

(f) Colloq. Lucon. To. Conjug. c. 9 ...

CASUS III.

Gustavus & Susanna, bona fide & juxta formam ab Ecclesia præscriptam contracto Matrimonio, e quo filium susceperunt, postea agnovere, se in quarto gradu esse affines, ac proinde irritum esse Matrimonium suum: quo cognito Judex Ecclesiæ divortii sententiam tulit. Numquid illegitimus est eorum filius, præcipue ob sententiam Judicis, qua irritum esse declaravit ipsorum Matrimonium?

RESPONS.

Susceptus ex invalido Gustavii & Susannæ Matrimonio filius procul dubio est legitimus: nam, uti jam ex multis decretalibus probavimus, ex sola bona fide contrahentium legitimi fiunt eorum filii, ut expresse asserit Alexander III. in præcedenti decisione laudatus. „ Cum inter J. virum & „ T. mulierem divortii sententia canonice sit prolata, *inquit hic Summus Pontifex* (g), filii eorum non debent exinde sustinere jacturam, cum „ parentes eorum publice & sine contradictione „ Ecclesiæ contraxisse noscantur. Ideoque sancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui concepti fuerant ante latam „ sententiam, non minus habeantur legitimi.

Idem quoque definierat Innocentius III. (h), pro vidua, quam nonnulli e suis parentibus a paterna volebant eo prætextu excludere hæreditate, quod esset illegitima: ut pote ex invalido procreata Matrimonio: eamque legitimam declarat ob fidem bonam, qua Matrimonium illud fuerat contractum: *Mandamus itaque quatenus, si est ita dictam viduam legitimam nuntietis*. Hæc sunt verba hujus Papæ, qui econtra illegitimos declarat filios ex invalido Matrimonio natos; quod contrahentibus tempore Matrimonii notum esset impedimentum illud invalidans (i).

Idem docet S. Thomas (k): *Ignorantia*, inquit, *excusat illicitum coitum a peccato, nisi sit affectata. Unde illi qui conveniunt bona fide in facie Ecclesiæ, quamvis sit impedimentum, dum tamen ignorent, non peccant, nec filii sunt illegitimi*. En casus propositæ speciei.

Decisioni huic consentit supremarum Curiarum Jurisprudentia, ut constat ex multis Arrestis, quæ refert D. Brillon (l), & inter cætera ex Arresto 30. Aug. an. 1597. & ex alio 16. Januarii an. 1610. quod apud D. Le Pretre legi potest. Unum quoque Parisiensis Senatus refert Sœfvius, 12. Januar. an. 1645. latum pro filio, quem ex altero viro falso habito susceperat mulier, verum suum maritum jam obiisse existimans, qui redux eam repoposcit. At si impedimentum illud ipsis est cognitum, inquit, peccant, etsi eos ad Matrimonium Ecclesia, cui ignotum est eorum impedimentum, admittat, & ob malam contrahentium fidem filii eorum sunt illegitimi. Et idem dicendum, quando clandestine contrahunt, quamvis impedimentum ignorent; quia in hoc casu ipsorum ignorantia censetur affectata, hoc est, quia censetur utique velle ignorare impedimentum, absque præviis contrahendo denuntiationibus, quæ ideo ab Ecclesia fuerunt constitutæ, ut futuri Matrimonii impedimenta dirimentia possent detegi: *Si autem sciat*, addit S. Thomas, *quamvis Ecclesia sustineat, quæ ignorat impedimentum, non excusantur a peccato, nec filii ab illegitimitate. Si autem nesciant, & in occulto contrahant*, hoc est, absque præsentia Parochi & testium; quæ forma a Concilio Tridentino præscripta est,

(g) Alex. III. in cit. c. Cum inter fin. qui filii sint legitimi item in cit. cap. Perlatum.

(h) Inn. III. c. Pervenit. eod. tit.

(i) Idem ibid. c. fin. §. 1. de clandest. desponsat. l. 4. tit. 3.

(k) S. Th. in 4. dist. 41. q. 21. ar. 4. ad 1.

(l) D. Brillon. Diction. Arrest. v. Matr. n. 26. Vide eundem n. 128. Le Prêtre cent. 2. c. 3. Sœfvius T. 5. cent. 2. c. 84. S. Th. cit.

Non

Non excusantur, quia talis ignorantia videtur affectata.

CASUS IV.

Nicanor Joannæ maritus, mortua Joanna, per cujus vitam e puella filium susceperat, eidem puellæ nupsit, quæ alterum ei filium conjux peperit. Teneturne is primo susceptum filium cum alterius præjudicio legitimum habere?

Respons.

Nicanor non solum primo susceptum filium agnoscere non tenetur, sed nequidem potest; nam timus, per subsequens Matrimonium fit tantum legitimus quando filii parentes quoad Matrimonium tum erant liberi, cum illud susceperunt. Ita Alexand. III. in decretali ad Exoniensem Episcopum his verbis (*a*): *Si autem vir, vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit; licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius & ab hæreditate repellendus.* In hoc consentit Jus Romanum (*b*) cum Jure Canonico.

(*a*) Alex. III. in c. Tanta 6. qui filii sint legitimi.

(*b*) §. Aliquando fin. instit. de nuptiis lib. tit. 10.

CASUS V.

Guillebaldus, ad mortem decumbens, quam sibi per decem annos concubinam habuerat, duxit uxorem, & biduo post e vivis excessit. An ea tali Matrimonio legitimi facti sunt, quos ab ea susceperit, filii?

Respons.

Juxta antiquam Galliæ Jurisprudentiam legitimi fiebant filii ex Matrimonio, quod, *etiam in extremis*, cum sua concubina contrahebat concubinus; quia tale Matrimonium censebatur legitime contractum, ut observat D. Ferrerius in Parisiensem consuetudinem (*c*), proferens etiam Arrestum, quod citat D. Le Pretre (*d*) latum in Parisiensi Senatu die Jovis 29. Martii ann. 1599. a Protopræside Harlæo, qui rem ita dijudicavit, & ab eodem Senatu idem judicatum est 4. Martii Ann. 1636.

Verum Jurisprudentiam istam omnino immutavit Declaratio Ludovici XIII. (*e*) An. 1639. quæ in Senatu 19. Decembris sequentis confirmata est, in qua Rex ita loquitur: *Volumus, ut eadem pœna obtineat in filios aut filias, qui nati sunt a mulieribus, quas patres habuere concubinas, & quas ad extrema redacti sibi sumunt Matrimonio uxores, uti etiam in filios aut filias ab iis procreates, qui nubunt, postquam capitali sententia damnati sunt, etiam ex sententiis judicum nostrorum, latis ob vadimonium non obitum, nisi ante mortem suam ad pristinum statum fuerint restituti juxta rationes Edictis nostris præscriptas.* Hinc sequitur, quod, quamvis tale Matrimonium sit validum quoad Sacramentum, non eos tamen producit civiles effectus qui ad alia consequuntur Matrimonia, qualis est legitimitas prolis ob contrariam Principis legem; atque adeo proles, quam e concubina sua Guillebaldus susceperit, non reputanda est legitima, & ob eam causam defuncti hæreditatem habere non possunt cum præjudicio legitimorum ejus hæredum.

Juvat hic observare cum Ferrerio 1. Regis declarationem non esse intelligendam, nisi de casu, in quo Pater moritur ex morbo, qui ipsum oppresserat paulo post contractum Matrimonium, non vero de morte fortuita, quæ ipsi contingeret. Sic, quando vir bene valens, quamvis ætate provecta concubinæ suæ nubit, & post aliquot dies ab inimico aut a latrone occiditur, proles, quam dimittit, licet ante Matrimonium nata, profecto est legitima, & nuptiales pactiones jure repetere potest uxor sua. 2. Declarationem loqui tantum de patribus, qui, cum *sint in extremis*, concubinæ suæ nubunt, & eam proinde non obtinere quoad Matrimonium contractum ab homine, qui bene valens uxorem ducit concubinam suam, quæ in extremis versatur & quæ paulo post moritur. 3. Matrimonia *in extremis* inita non deterioris esse conditionis, quam cetera omnia quoad effectus civiles, quando nullus inter contrahentes intercessit Pellicatus (*f*).

(*c*) D. Ferrer. in consuet. Paris. tit. 15. art. 318. n. 40. & seq. Tom. 3. p. 116. Edit. an. 1681.

(*d*) Le Pretre cent. 2. c. 29. 27.

(*e*) Art. 6.

(*f*) D. Ferrer. laudat. n. 46. & seq.

CASUS VI.

Publius, suscepto e Maria concubina sua filio, postea Laurentiæ nupsit: sed paulo post Laurentia mortua, Publius Mariæ nupsit, & nubendo filium, quem ei primo pepererat, agnovit. Num ex illo Matrimonio legitimus fit ille filius?

Respons.

Filius iste est legitimus, quamvis Publius pater eum tantum post contractas cum Laurentia nuptias agnoverit, nec Mariæ, nisi post obitum prioris uxoris suæ, nupserit. Ita Hostiensis in Decretalem Alexand. III. qui scribens ad Exoniensem Episcopum (*g*), generatim & absque restrictione asserit, natos *ex fornicatione* fieri legitimos per subsequens Patris cum matre conjugium. *Tanta est vis matrimonii; ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Ex quibus verbis concludit inclytus ille Cardinalis, quod licet intermedium matrimonium pater contraxerit, filius tamen fit legitimus, cum mortua sua, filii matri nupsit. *Nota* 2. inquit, *quod jus istud non requirit, ut nullum matrimonium sit intermedium, scilicet ante nativitatem filiorum & contractum matrimonii cum illa muliere. Et ex his hoc infertur, quod si habens filios ex concubina contrahat cum alia muliere, & ea mortua contrahat cum concubina, quod filii legitimantur, non obstante matrimonio intermedio.* In hoc assentitur Hostiensis Joanni Andreæ (*h*), qui asserit in jure, quidquam huic sententiæ contrarium non reperiri. *Constat quod jus positivum, quod jubet per parentum matrimonium legitimari prolem, non distinguit, an fuerit matrimonium intermedium, vel non; Sed hoc solum requirit matrimonium inter parentes secutum ... ubi autem jus non distinguit, nec nobis distingui licet* (*i*) *... satis urge sit .. quod matrimonium, tempore contractum quo fuit, inter parentes fieri potuit, nec nocet, quod tempore medio fieri non potuerit.* Inclytus hic Auctor ad confirmationem dicti sui viginti quatuor affert auctoritates depromptas e jure canonico, Digestis & Codice, quas discutere longius esset, & ex quibus illam, quam eruit, juvat tantummodo referre complexionem. *Concludamus ergo, quod illius jus legitimandi, quod habebant parentes, antequam alter contraheret, impeditum pro tempore contractus, reviviscat impedimento sublato, & sic satis sit in principio & in fine, hoc licuisse ... nec nocet tempus medium ad hoc.*

(*g*) Hostiens. in c. Tanta vis 6. qui filii sint legit.

(*h*) Jo. Andr. in reg. Sine culpa, de reg. jur. in 6. n. 8. & apud eum Gofred.

(*i*) C. Si dormierit 32. q. 1. c. Salisa de major. & obe.

CASUS VII.

Babolenus, jacens in mortis lecto declaravit, Palladium, qui alter filius suus legitimus habetur, quia stante matrimonio natus est, ex adulterio tamen natum fuisse, & Julitta uxor ejus confessa est, id verum sibi videri, maritum suum non esse patrem ejus, sed se eum suscepisse e quodam duce cohortis, tum cum virtuus menstruum iter fecisset. An tenetur Palladius in his circumstantiis se habere illegitimum, atque ita ab dividenda Baboleni & Julittæ hæreditate cum fratre suo natu majore sese abstinere?

Respons.

Celebre est juris axioma, quo dicitur (*k*): *Pater ... is est, quem nuptiæ demonstrant.* Unde sequitur, non admittendam esse neque tanquam veram audiendam mariti declarationem, qui vulgo eum muliere sua commoratur, qua declarat, filium, quem peperit *constante matrimonio*, non esse suum (*l*): *Filium eum definimus, qui ex viro & uxore ejus nascitur*, ait Ulpianus, *sed fingamus abfuisse maritum ... non tamen ferendum Julianus ait, eum qui cum uxore sua assidue moratus, nolit filium agnoscere quasi non suum.*

Neque etiam fides est adhibenda matri, quæ in filii injuriam propriam fatetur turpitudinem, ut fert alia Lex Digestorum (*m*). Non sufficit igitur, ut Babolenus & Julitta talem faciant declarationem, quæ omnino inutilis futura est, nisi ejus certas afferant probationes, uti constat ex alia lege, quam ad marginem indicamus (*n*).

(*k*) L. Quia semper 5. ff. de in jus vocando l. 2. t. 4.

(*l*) Ulpian. in L. Filium 6. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt l. 1. tit. 6.

(*m*) Scævol. in L. Imperator. 29. ff. de probationib. & præsum. l. 22. t. 3.

(*n*) L. Non andis 14. cod. de probationib. l. 4. tit. 19. & ib. Baldus & Accursius.

Anti-

Antiquam illam jurisprudentiam secutus est in suis judiciis Senatus Parisiensis, ut patet ex Arresto 5. Julii an. 1665. quod refert ... Fresne in suo fori diario, quo filius declaratus est legitimus non obstante declaratione viri de sua impotentia, quam & ipsa mulier confirmavit. Idem Auctor aliud etiam profert Arrestum ab eodem Senatu 26. Jan. an. 1664. latum, quo curia declarat, filium habendum esse legitimum, quando vir cum muliere sua rem habere potuit (*a*); sed al ter dicendum foret, si, ut notat Lex, quam modo laudavimus (*b*), invicte probaret maritus, filium esse adulterinum; ut si per multos annos absens continue, mulierem suam aut gravidam, aut puerperam inveniret; cum talis absentia factum contrarium probaret (*c*).

(*a*) Du Fresne tom. 2.
(*b*) Cit. L. Filium.
(*c*) D. Ferrer. in consuetud. Paris. to. 3. tit. 15. ar. 318. n. 73.

Vide Restitutio, Cas. 152. & Cas. SEVERIANUS postea.

CASUS VIII.

Flavius & Visigarda, quibus notum erat, se in tertio gradu collaterali lineæ esse parentes, cum ex Flavii concubitu Visigarda fuisset gravida, simul matrimonio juncti sunt vi Papalis dispensationis, quæ ante natum puerum obtenta & executioni mandata fuerat; & cum celebratum ast matrimonium declaravit Fulvius, puerulum, cui Philberti nomen impositum est, esse suum. An filius iste censeri debet legitimus ob matrimonium istud, atque declarationem?

Responsio.

Doctus jurisperitus (*d*) existimat, talem filium legitimum non esse censendum, quia necesse est, inquit, ad legitimationem ejus, ut parentes ad matrimonium contrahendum tempore conceptus habiles fuerint. Ita quoque sentiunt duo periti jurisconsulti Cynus & Paulus Castrensis (*e*): nam contendunt, conceptum *ex matrimonio nullo* puerum non fieri legitimum, quamvis ortum ejus antecessitit dispensatio, quæ matrimonium parentum suorum in integrum restituit.

(*d*) Salleque in L. Filium cod. de suis & leg. l. hæredib.
(*e*) Cynus & Paulus Castr. in l. filium cit.

Nititur hæc decisio 1. Lege Digestorum (*f*), in qua Jurisconsultus Paulus vult, ut ad judicandum de statu pueri conceptus ejus temporis ratio habeatur, & si tempore conceptus parentes ejus ad matrimonium contrahendum erant inhabiles, illegitimus semper remaneat, qua de ta juvat observare, Auctorem Glossæ (*g*) perperam ex hac lege probare, temporis conceptus rationem tantum esse habendam, cum de pueri utilitate agitur; cum in casu legis hujus de ipsius incommodo manifeste agatur.

(*f*) L. Paulus 19. ff. de statu hominum lib. 1. tit. 5.
(*g*) Gloss. in e. Cum inter 2. qui filii sint leg. v. conceptus

Confirmatur etiam hæc sententia ex duabus aliis legibus (*h*), quarum prior, ex græco prototypo, eos tantum admittit pueros legitimos, qui tum concepti sunt, cum pater, & mater ad matrimonium contrahendum erant habiles, ut observat Auctor Glossæ minoris. Altera Lex est etiam magis aperta: nam de statu filii fert tantum judicium relata ad ejus conceptum, non vero nativitatem: *ex libera conceptus & servo natus spurius habetur*. Quod Glossa (*i*) confirmat & lege Digestorum (*K*), quæ affirmat, filium ejus, qui fuit Senator, non esse habendum, uti Senatoris filium, si conceptus fuerit, postquam pater ejus Senatu motus est. *Eum qui postea quam pater ejus de Senatu motus est, concipitur & nascitur; Proculus & Pegasus opinantur non esse quasi Senatoris filium, quorum sententia vera est; nec enim proprie Senatoris filius dicitur is, cujus pater Senatu motus est, antequam iste nasceretur, & conciperetur*, addit Glossa (*l*): & ob contrariam rationem is, qui conceptus est, tum cum pater ejus Senatoriam obtinebat dignitatem, haberi debet uti filius Senatoris, quamvis post motionem patris tantum natus sit. *Si quis conceptus quidem sit, antequam pater ejus Senatu moveatur*, subjungit eadem Lex (*m*), *natus autem post patris amissam dignitatem; magis est, ut quasi Senatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis spectandum plerisque placuit.* Uno verbo leges permultæ ad conceptionem pueri tantum attenditur, ubi de ipsius statu constituera. Quod verum est tam de legibus antiquis, quam de

(*h*) L. & si contra 1. cod. de nuptiis 1. tit. 5. & L. Ex iis bers 6. cod. de suis & legit. hæredibus l. 6. tit. 55.
(*i*) Gloss. v. Defendi potest.
(*k*) L. Emancipatum 6. ff. de Senatorib. l. 1. tit. 9.
(*l*) Gloss. in e. l. v. antequam
(*m*) L. Cit. §. 10.

novis, ab Imperatore Justiniano promulgatis (*n*). Quo circa generatim dici potest, ad conceptionis tempus, potissimum spectasse leges, eosque omnes habuisse illegitimos, quorum vitiosa erat conceptio: unde Baldus (*o*) *infectio*, inquit, *parentum inficit filium post conceptum*.

(*n*) §. Illud autem 9. instit. Quibus modis jus patriæ potestatis solvitur l. 3. tit. 19.
(*o*) Baldus in arg l. Imperialis 20 cod. de nuptiis l. 5. tit. 4.

Aperte sententiæ huic favet Jo: Andreas (*p*), qui hujusmodi filii legitimitatem vi subsequentis matrimonii tantum admittit sub ista conditione, *dummodo coitus tempore parentes conjuges esse potuerunt*; eique assentiuntur Bartholus (*q*) & Panormitanus; utroque contendente, omues filios, qui procedunt *ex coitu a jure reprobato*, esse illegitimos, scilicet *spurios*, hoc est ex eorum numero, quos jus seu Canonicum, seu Civile declarat, nunquam fieri posse legitimos & per subsequens parentum suorum matrimonium, etiam vi Ecclesiasticæ dispensationis contractum. *Licet enim postmodum contrabat matrimonium per dispensationem Ecclesiæ*, ait Panormitanus (*r*), *non tamen filii nuntea geniti legitimantur; quia tunc non poterat esse matrimonium, non obstante impedimento affinitatis vel consanguinitatis*.

(*p*) Jo. Andr. reg. fine culpa n. 7.
(*q*) Barth. in L. Si gener. ss. ff. de his qui sunt indignis aufer. rantur l. 34. l. 9.
(*r*) Panor. in c. Tanta 6. qui filii sint legit. n. 10.

Confirmari potest hæc decisio exemplo filii adulterini, quem vir matrimonio ligatus e puella suciperet. Nam licet puellæ huic, mortua uxore, nuberet; ex matrimonio eorum filius non fieret legitimus; quia conceptus aut natus esset eo tempore, cum ad matrimonium illi secum invicem contrahendum essent inhabiles, ut ait Alexander III. his verbis (*f*): *Si autem vir vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit; licet post mortem uxoris eamdem duxerit; nihilominus spurius erit filius & ab hæreditate repellendus.* Quibus verbis non pueri nativitas, sed conceptus ejus ex commisso scelere proveniens designatur. Unde sequitur, quod sufficit, parentes in gradu prohibito conceptionis tempore esse ad matrimonium inhabiles, ut filius vere possit esse *spurius*, hoc est, incapax, ut per subsequens patris ac matris connubium fiat legitimus, etiam contractum cum dispensatione necessaria. Quo circa de filio illo ex incestu nato idem dicendum est atque de adulterino, ita ut quemadmodum conceptus ex adulterio in quocumque casu nunquam fieri potest legitimus, sic natus ex incestu meliorem non habet conditionem.

(*f*) Alex. III. in cit. c. Tanta

Notum quidem nobis est, quotumdam casuistarum, uti Sanchez & aliorum, quos laudat, contrariam esse sententiam: at opinio nostra, ut rite observat Auctor colloquiorum Andegavensium (*t*), tutior est, & addere possumus, eam magis esse consentaneam legibus Romanis atque menti juris canonici, quod profecto filiis ex copula illegitima & ab Ecclesia omnibus sæculis tam stricte fidelibus prohibita natis favere non intendit.

(*t*) Coll. Andegav. mense Maji 1710. q. 2. p. 24.

Inclytus Covarruvias (*u*), qui cum postremis istis casuistis per quatuor primas operum suorum editiones senserat, fatetur, adeo solidas sibi visas fuisse Francisci Sarmientis Hispani Doctoris, quem etiam laudat, & a se dissentientis rationes, ut dubitet, num justa de causa docuerit, non necesse esse, ut temporis conceptus ratio haberetur, & lectorem moneat, ne pari secum audacia quæstionem hanc definiat: *cujus*, inquit (Francisci Sarmientis) *rationibus ingenue fateor me dubium esse... atque ideo lectorem admoneo, ut in judicando & consulendo, caute & cum judicio quæstionem istam desinire velit*.

(*u*) Covarr. de matrim. p. 2. c. 8. § 2. n. 6.

Decisionem tandem hanc absolvemus, objectionis, quæ fieri potest, solutionem afferendo: matrimonium, inquiet aliquis, cum legitima dispensatione contractum vim habet retro-activam quoad conceptionem & nativitatem infantis, qui consequenter juris fictione ex matrimonio legitimo conceptus & natus esse censetur. Ad quam objectionem respondemus 1. vim talem retro-activam nunquam locum habere, ubi ei jus contradicit, ut ajunt Jo: Andreas (*x*) & Auctor Glossæ, quos ad marginem indicamus (*y*); atqui ei jus aperte contradicit in casu de quo agitur, uti probavimus. Talis ergo juris fictio locum habere nequit in casu proposito; *nec enim trahi habet ad tempus quo sequi possit juris repugnantia*, inquit hic Canonista, qui dictum suum probat ex tribus aut quatuor legibus Digesto-rum

(*x*) Jo. Andr. in cit. reg. sine culpa 23. de reg. jur. in 6. n. 14. ver. ad 3. argumentum.
(*y*) Glossa in l. Talis 30. ff. de legatis 2. l. 31. tit. 2.

rum & Codicis (*a*), quas referre longius simul & inutile foret. Ratio est; quia fictio juris, qua matrimonio duorum parentum quoad vitiosum infantis conceptum tribuitur viris retroactiva admitti nequit in proposito casu; quia æquum non est, eam habere locum cum alterius detrimento.... *Licet ergo quoad parentes contrahentes & ipsum filium procedere possit; non tamen quoad præjudicium primogeniti legitimi habentis efficax jus ad rem. Plus videtur*, subjungit, *quod fictio locum non habeat cum alterius præjudicio*. Atqui fictio juris admitti nequit pro Philberto, nisi præsupponendo detrimentum, quod inde paterentur filii legitimi ceterive hæredes Flavii & Visigardæ; igitur pro eo obtinere nequit.

(*a*) Leg. si is qui. 25. ff. de usurpat. & usucapionib. l. 41. tit. 3. L. Donationes. 25. cod. de donat. inter. virum & uxorem. l. 5. t. 16. & L. Si parat 2. cod. de inofficiosis donationibus. l. 3. tit. 29.

Juvat observare quoad præsentem difficultatem, quod si Flavius & Visigarda matrimonium contraxissent, ignorantes etiam, se esse consanguineos aut affines, & postea matrimonium eorum tale agnitum esset; natus ante matrimonii in integrum restitutionem filius, non fieret legitimus ea novo matrimonio contracto vi dispensationis obtentæ, cujus nullus esse potest alius effectus, quam matrimonii in integrum restitutio.

CASUS IX.

ALLUCIUS, ortu Gratianopolitanus, filius illegitimus Germanæ, quæ a mense in eadem urbe obiit, in omnium matris bonorum possessionem statim venit; qua obtenta hujus mulieris hæredes Allucio litem intulere, contendentes, defunctæ hæreditatem jure esse suam. Nunquid illæsa conscientia litem hanc prosequi valent?

RESPONS.

Illegitimi omnes, generatim loquendo, in Gallia censentur nullos habere parentes; neque etiam Patri aut matri ferme in omnibus Regni Provinciis succedunt. Dicimus *ferme*, quia in quibusdam, uti in Delphinatu, matribus suis succedunt, ut iis matres; quoties tamen sunt ex fornicatione tantum nati, adulterinis namque aut incestuosis denegatur illud privilegium; ut videre est apud Bassetum (*b*) in sua Arrestorum collectione.

(*b*) Basset. tom. 1. l. 5. tit. 39. c. 3.

His ita præsuppositis, ad propositam difficultatem dicendum, Germanæ hæredes sine causa Allucio litem intulisse, eamque prosequi non posse, si is sit simplex illegitimus, hoc est, si parentes ejus tempore conceptionis & nativitatis fuerint liberi ad contrahendum; sed si adulterinus sit aut incestuosus, hoc est, si pater aut mater ejus, aut ambo tum cum aliquo matrimonio juncti essent, aut essent consanguinei vel affines in casu prohibito; his hæredibus plenum esse jus ad Germanæ hæreditatem, e qua Allucii exclusionem possunt requirere, qui in hac suppositione de ea quidquam sperare nequit.

CASUS X.

RUFFINIANUS, civis Alenconii 500. libras Didaco illegitimo, & non ita pridem in hac urbe mortuo debebat. Qua de re quæritur, utrum Ruffinianus summam hanc in eleemosynas aut alia pia opera ad ejus restitutionem impendere, aut eam Domino loci, ejus solutionem requirenti, cui Rex Dominium suum oppigneravit, solvere nequeat?

RESPONS.

Bona mobilia in casu illegitimitatis, uti in casu exheredentiæ pertinent ad Regem, nisi ea contractu suo pigneratitio ea Rex expresse cesserit. Ita seruut duo Arresta, alterum 27. Aprilis an. 1624. quod refert Basnagius (*e*), alterum vero 8. Junii an. 1646. Unde sequitur, cum inter mobilia censeantur 500. libræ, quas Didaco Ruffinianus debebat, hanc summam Regi esse solvendam, ad quem solo supremi Dominii titulo pertinet, si ex contractu pigneratitio non dicatur, mobilia illegitimorum fore Domini oppignerantis, qui aliunde illegitimis succedit in immobilibus intra Dominii sui fines positis & sibi clientelaribus.

(*e*) Basnag. in consuetud. norm. art. 147.

Quod cum ita sit, absque manifesta injustitia 500. libras a se Didaco debitas in eleemosynas aliave pia opera impendere nequit Ruffinianus; cum de re proximi absque consensu ejus statui nequeat. Igitur summam istam vel Regi si non cesserit, vel Domino loci, si Rex jure suo cesserit, solvere tenetur.

CASUS XI.

ILDEFONSUS, Parœciæ sancti Pontii Dominus, abusus Maria puella nobili, ex ea Julianum filium suscepit, quem secreto ea peperit; cumque eum viginti leucas inde distantem, nutriendum dedisset, deinde puellæ huic juxta præscriptas ab Ecclesia formulas nupsit, atque ex matrimonio suo alterum filium nomine Joannem; tulit Julianus vigesimum ætatis annum natus, cognitus ex rumore publico suis parentibus ad Parochiam S. Pontii venit, Ildefonsum ac Mariam rogaturus, ut se filium suum agnoscerent. Cum autem conjux uterque valenter contendisset, ipsum esse impostorem, cum ipsis Julianus vadimonium ac judicium subscripsit, ob quasdam probationes, quas ipsi quidam Ildefonso infensus suppeditavit.

Cum res ita se habeat, quæritur, utrum Ildefonsus & Maria sub reatu mortalis peccati Julianum filium suum agnoscere teneantur; an vero illatæ sibi litis sententiam expectare nequeant?

Ob eam vero potissimum rationem sibi persuasum est, se non teneri ad eum filium agnoscendum, quod cum eum ante matrimonium suum ex *coitu fornicario* susceperint, ipsum filium agnoscere non possunt absque maximo Joannis filii sui legitimi & futuri hæredis Dominii S. Pontii detrimento?

RASPONS.

Ut difficultati huic fiat satis, certa juris est regula præsupponenda, omnem videlicet prolem ex soluto & soluta natam, per subsequens Patris ac matris connubium fieri legitimam. Idem aperte definit non solum jus civile (*d*) sed etiam canonicum, in quo extat decretalis Alexandri III. (*e*), qui de simili quæstione interrogatus pro puella, nata ante contractum a parentibus suis matrimonium, quam ideo illegitimam declarari judicio contendebat patruus ejus, ut eam a paterna qui filii sint legit. hæreditate amoveret, respondet, eam per subsequens matrimonium uti legitimam esse habendam. *Mandamus*, inquit hic summus Pontifex, *quatenus si est ita, eam legitimam judicetis: prædicto R.* (Patruo ejus) *inhibentes, ne dictæ mulieri hac occasione super hæreditate paterna molestiam inferat vel gravamen*. Expresse quoque eandem difficultatem solvit hic Papa ad Exoniensem Episcopum scribens his verbis (*f*): *Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*.

(*d*) Cit. §. Aliquando fin. instit. de nuptiis.

(*e*) Alex. III in c. Conquestus est. 1. qui filii sint legit.

(*f*) Idem in c. Tanta e. cod.

Præsuppositis istis ad difficultatem propositam respondemus, quod si Ildefonsus & Maria certo sciant, eum, qui postulat, ut eorum agnoscatur esse filius, a se re ipsa ante matrimonium suum fuisse genitum, sub mortalis reatu ipsum agnoscere teneantur, non expectato etiam illatæ sibi litis eventu. Neque ullius est momenti ratio, quam allegant, istum videlicet a se agnosci non posse, nisi Joannem jure primogenitorum & hæreditatis privando: nam jura illa non ad Joannem, sed ad Julianum solum, quasi natu majorem pertinent (*g*).

Non abs re erit advertere, hactenus dicta non vigere in Anglia, neque in Scotia, ubi filii ante matrimonium nati non agnoscuntur legitimi, etiam post contractum matrimonium; ita ut primus, qui post nuptias nascitur, aliorum semper natu maximus & solus legitimus censeatur. Hæc in his regnis lex obtinet. Ea hac quoque regula, si advena jus civitatis in his locis obtineat, filius natus post obtentas naturalitats literas ceteris ante natis præfertur in hæreditate paterna, exemplo Persarum, qui Regis filium ab obtento imperio natum iis anteponunt, quorum præcesserat nativitas.

(*g*) De sainte Beuve to. 1. cas. 278. Colloq. Lucon. 10. 5. colloq. 6. q. 2.

CA-

CASUS XII.

Manilia in gravem infamis cum Titio commercii suspicionem actu veniens, Antonio nubuit, & post menses septem filium parit, ut præsumi debet filium hunc esse legitimum?

RESPONS.

Filius iste legitimus est habendus; cum enim *in matrimonio* natus sit, præsumendum quoque, eum de matrimonio natum esse. Ratio est, quia mulier septimo mense parere potest, uti definierunt leges Romane: *De eo autem, qui centesimo octogesimo secundo die natus est, Hypocrates scripsit & divus Pius Pontificibus rescripsit, justo tempore videri natum*: inquit una ex his legibus (*a*). *Septimo mense nasci perfectum, partum jam receptum, ac propter auctoritatem doctissimi viri Hypocratis. Et ideo credendum est, eum qui ex justis nuptiis septimo mense natus est, justum filium esse*, ait etiam lex alia (*b*): Unde conjici debet, Maniliæ filium vere esse Antonii & ipsius Maniliæ filium. Si tamen compertum haberet, Maniliæ filium hunc libidinis suæ fructum esse, certum est, quod in foro conscientiæ nullum ei jus competeret ad bona Antonii, neque etiam ad Maniliæ dotalia, ipsique cum Antonio viro suo communia bona.

(*a*) L. intestato. 3. §. fin. ff. de suis & legitimis hæredibus l. 38. tit. 17.
(*b*) L. Septimo. 12. ff. de statu hominum. l. 1. t. 5.

CASUS XIII.

Cum Savertanus, vir nobilis Parisiensis uxorem derelinquere coactus, ut Ducis copiarum titulo arma in Germaniæ exercitu Gallo gereret, ibi per biennium remansisset, in Galliam non rediens, Henrica, quæ ex eo nondum prolem susceperat, corrupta est ab Aleaio, S. Pathi Barone, viro ligato, cujus coitu filium peperit, octodecim mensibus post discessum mariti sui.

Filius iste Gerardi nomine dictus est, & ex scripto, quo ipsum baptismo fuisse initiatum constat, legitur, ipsum esse filium Alexii Baronis S. Piatbi & Henricæ uxoris Severiani. Quarto a partu Henricæ mense, Severianus, Augusta Vendelicorum, ubi stationarius commotabatur, Lutetiam profectus, Argentorati nulla re derelicta, post quatuor ægritudinis dies obit. Qua de re quæritur, 1. utrum Gerardus natus *in matrimonio*, licet *non de matrimonio* haberi debeat, uti legitimus? 2. an tuta conscientia Severiani matris suæ viri nomen, scutumque gentilirium sibi sumere nequeat? 3. an etiam Henricæ obeuntis hæreditatem adire non possit?

RESPONS.

Constans hæc est regula, in dubio videlicet hoc juris effatum *Pater ... is est, quem nuptiæ demonstrant* (*c*), hoc est, *præsumptione juris*, ut loquitur Glossa (*d*), atque ut ait Accursius (*e*) locum habere pro filio adulterino: quia semper præsumi debet de ortu legitimo, cum non suppetunt sufficientia in contrarium argumenta, ex hac juris regula, *semper in dubiis quæ benigniora, præferenda sunt* (*f*). Quo circa hujusmodi filius matri turpitudinem suam manifestanti, fidem adhibere in conscientia non tenetur, ut alibi probamus, cum nulla sit fide digna mulier, quæ talia fatetur, ut ait Glossa in Decretalem Innocentii III. (*g*), & docent Panormitanus (*h*), Sylvester (*i*), Angelus de Clavasio (*K*) Ugolinus (*l*), Aloysius Riccius (*m*), Didacus Covarruvias (*n*) Sairus Benedictinus Anglus, Suarez & alii, quos sequitur Bonacina (*o*): qua in re consentiunt illi Auctores cum jurisprudentia, in Galliæ Parlamentis constituta, ut videre est apud D. de la Guessiere (*p*), qui refert Arrestum unum inter alia multa 20. Martii an. 1660. latum, quo Parisiensis Senatus filii legitimitatem non obstante matris ipsius contraria declaratione constituit.

At non putamus, Gerardum versari in casu dubii, de quo hactenus dictum est, unde de ejus ortu favorabilis queat ferri sententia. Ratio est, quia ut apprime asserunt Bonacina & alii, filius in conscientia tenetur matris suæ declarationi, quantumvis sibi noxiæ, fidem adhibere, cum ejus rei manifesta ipsi suppeditare potest argumenta. Atqui Henrica Gerardo facile probare potest, virum suum Severianum tempore conceptus ejus abfuisse, eumque e Germania in Galliam post quartum mensem ab ejus ortu profectum esse, atque in via obiisse. Probatio ista fieri potest facile 1. ex literis, quas ad se e Germania vel aliunde scripsit vir suus, aut ad propinquos aut amicos; cum in tali casu literæ hujusmodi vim probationis obtineant, ut patet ex lege ff. (*q*), in qua sic de ea re dicitur: *Epistolas, quæ uxoribus missæ allegarentur si de fide earum constitit, nonnullam vicem instrumentorum obtinere decretum est*; qua de re asserit Glossa, quod hujusmodi literæ *semiplenam, non autem plenam probationem faciunt*.

(*c*) Leg. quia semper. 5. ff. de in jus vocando. l 2. t. 4.
(*d*) Gloss. fin. in L. Filium. 6. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt. l. 1. tit. 26.
(*e*) Accursius in D. L. Filius
(*f*) Reg. 32 ff. de regul. jur.
(*g*) Gloss. in c. officii de pœnit. & remiss.
(*h*) Panor. in c. Per tuas de probat.
(*i*) Sylvest. v. Adulterium. n 4.
(*K*) Angelus de Clavasio v. Eodem n. 8.
(*l*) Ugolinus de irregul. c. 41.
(*m*) Aloysius Ric. dec. 206.
(*n*) Did. Cov. in reg. peccatum 2. p n 6.
(*o*) Bonac. de matr. q. 4. p. 25. n. 21. & 22.
(*p*) De la Guessiere 20. b. l. 3. c. 23.
(*q*) L. Imperatores. 29. ff. de probat. lib. 22. tit. 3.

2. Continua per duos annos Severiani absentia etiam probari potest ex testimonio parentum suorum, vicinorum domui suæ, ductorum, aliorumque, quibuscum collocutus est, aut in Germania arma gessit, aut Domini vel præcipui locatoris domus, in qua per duos annos commoratus est.

3. Henrica etiam Gerardo statum suum certius etiam manifestare potest instrumento, seu scripto, quo ipsum fuisse baptizatum constat, quale nimirum reperitur in publicis tabulis; cum ex illo instrumento expresse constet, ipsum esse genitum, non Severiani matris suæ mariti; sed Alexii, S. Piathi Baronis copula, & huic etiam addere potest exceptum instrumentum Sepulturæ Severiani factæ Argentorati, ubi transiens ad redeundum Parisios ultimum diem obiit. Quæ probationes omnes fidem merentur: duæ quidem priores; neque enim legitime præsumi potest, Severianum per duos annos in Germania commoratum non scripsisse aut ad uxorem suam, aut parentes vel amicos, & multo minus ad eos falsas ac suppositas misisse Epistolas, aut multorum vicinorum vel aliorum probatæ fidei veritati adversari. Tertia etiam probatio ceteris est certior: Nam constat, publica baptizatorum acta *in utroque foro* fidem facere: atqui ex actis illis certum fit Alexium vere Gerardi esse Genitorem, & Gerardum matrem habere Henricam, Severiani uxorem. Unde sequitur, quod, si Parisios redisset Severianus, atque filium hunc alienum invenisset; ipsum e domo abigere jure potuisset juxta legem, qua statuitur, ut is, qui post diuturnam absentiam, natum a muliere sua filium redux invenit, ipsum tanquam suum agnoscere non teneatur (*r*): *Placet nobis Juliani sententia, tunc non esse mariti filium*; Idem affirmat Accursius ceterique Jurisconsulti, uti Angelus, Sylvester, aliique moralis disciplinæ Auctores.

(*r*) L. Filium ff. de his qui sui, vel alieni jur. sunt. l. 1. tit. 6.

Obiiciet forsan aliquis, eo minus teneri Gerardum ad fidem adhibendam publicis baptismorum actis, quod in iis ignominiose habeatur mater sua, si quæ unquam possit esse infamia; cum ex iis constet, eam viri uxorati copula & absente marito suo genuisse; quod malitiose & ex mera calumnia iis insertum fuisse actis videtur. At respondetur, Gerardum instrumento, quo declarantur ortus suus, baptismus, ceteraque ibi expressa adjuncta, fidem non posse denegare, cum in foro externo seu Ecclesiastico, seu civili, tale instrumentum sit legitimum & ita authenticum, ut a nemine repudiari possit. *Romanorum temporibus*, inquit Bochellus (*s*) *ad demonstrandam nobilitatis originem, erant acta publica, quibus fides adhibebatur. Acta hæc*, pergit hic Auctor, *erant commentarii publici, quibus puerorum suorum nativitatem mandabant parentes.* Quod probat hic Jurisperitus ex testimonio plurimorum Auctorum profanorum, & ex legibus Romanis, in quibus tale instrumentum vocatur *Natalis professio* (*t*): atque hujusmodi commentariorum inventio, & generalis omnium nationum consuetudo ad eos recurrendi adeo Galliæ Regibus necessaria visa est, ut opportunum duxerint formalem hac de re legem sancire, uti videre est ex constitutionibus Francisci I. (*u*), & Henrici III. an. 1579. quibus statuunt illi Reges, ut ad eos pateat recursus (*x*), tanquam ad instrumenta authentica, cum alicujus ortum, ejusque circumstantias probare incumbit.

(*s*) Bochel. Bibliot. can. v Baptismorum index.
(*t*) L. Status tum. 6. cod. de fidei instrum. l. 4 tit. 21.
(*u*) Edict. Francisci I. art. 51.
(*x*) Edict. Bles. art. 181.

Neque facti, quod in baptismi instrumento scripto exprimitur, veritati obstant matris atque filii pudor & infamia. Huic etiam, de quo nunc agitur casu, simile repetimus exemplum in una lege Digestorum, in qua dicitur, quod *Mulier*

gra-

lege Digestorum, in qua dicitur, quod *Mulier gravida*, hæc sunt Legis verba (*a*), *repudiata, filium enixa, absente marito, ut spurium, in actis professa est*. Sive ergo Patris ac Matris Gerardi vera ac realia nomina alterutrius mandato fuerint expressa, aut eadem proprio marte imprudenter scripserit Parochus ejusve Clericus, aut etiam ob aliquem conscientiæ scrupulum, non minus verum nec adeo ad probandam facti veritatem authenticum censeri debet instrumentum. Hoc unum superest Gerardo medium ad impugnandam instrumenti illius veritatem, si nimirum illius abolitionem a Judice requireret hoc est postularet, ut calumniosum & falsum declararetur. Ad id ipsum judex integer nunquam constituet, nisi de facto certus sit prævia inquisitione juridica, quæ in casu proposito nunnisi in Gerardi confusionem vertere potest.

(*a*) Cit. L. Imperatores, §. Mulier.

Cæterum id quoque attendendum, quod si Gerardus nomen & gentilitium scutum mariti matris suæ sumere posset, hioc magna orireotur incommoda: 1. Enim Severiani filii legitimi jura omnia, ac præcipuæ viri nobilis acquireret, quod 26. Edicto mensis Martii an. 1600. quod refert Papo (*b*), illegitimis omnibus denegatur & prohibetur; ita ut ipsis non sit licitum viri nobilis nomen aut scutum gentilitium affectare, ut dijudicavit Senatus Parisiensis 14. Feb. an. 1639. referente Bardeto (*c*): at omnes annuo vectigali non minus, quam alii plebeii sunt obnoxii. Igitur ab eo solvendo sine injustitia se ipsum, posterosque suos eximere hac ratione non posset Gerardus.

(*b*) Papo l. 11. tit. 3. n. 2.

(*c*) Tom. 2. l. 8. cap. 8.

2. Hæreditario jure bona acciperet, quæ postea successionis titulo aut aliter venirent ad hæredes Severiani, qui licet sine se mortuus, propinquos habere potest, seu proximos, seu remotos, quorum habere potuisset hæreditatem & quorum adeo hæres esset pro illo Gerardus, si filius esset legitimus, aut talis haberetur.

3. Hæreditario quoque jure Henricæ matris suæ bona seu præsentia seu futura acciperet contra omnem æquitatem, quandoquidem bona post mortem ejus pleno jure futura sunt legitimorum ejus hæredum, non vero Gerardi, qui ut spurius & adulterinus ad hæreditatem parentum adeundam est inhabilis Jurisprudentia Galliæ Jureque consuetudinario.

Ex his igitur rationibus colligimus Gerardum non esse nec ab aliis, nec a se ipso habendum, nisi ut adulterinum, adeoque ipsum tuta conscientia non posse nomen & gentilitium scutum Severiani matris suæ mariti sibi arrogare; quod si faceret, viri nobilis ordinem sibi adscribere non posset, neque adeo maternam adire hæreditatem, neque eam, quæ proximioribus Severiani & Henricæ parentibus contingere posset.

Cæterum juvat observare, hic a nobis eam omitti, quæ fieri posset, quæstionem, utrum videlicet Gerardo status ipsius veritatem ipsi mater declarare teneretur, si eam forte ignoraret; nam hæc difficultas a superiori est omnino diversa, de qua non interrogamus, & quam alibi solvimus (*d*).

(*d*) V. Restitutio. cas. 152.

CASUS XIV.

BASSINIANO Joanne marito Kalendis Januarii ann. 1700. mortuo, Joanna 15. Novembris sequentis Ludovica enixa est. An legitima reputari debet Ludovicam, quamvis a decem mensibus cum dimidio Bassinianus ultimum diem obierit.

RESPONSIO.

Ludovica censeri debet legitima juxta Jurisprudentiam quorumdam Arrestorum Senatus Parisiensis, qui rem in simili casu ita dijudicavit. Primum Arrestum latum est 6. Sept. Ann. 1653. pro filia undecimo mense post mortem patris nata, ut refert Du Frene in suo Juri diario, in quo & aliud commemorat Arrestum 2. Aug. Ann. 1649. latum pro filio posthumo decimo mense cum diebus decem post obitum patris nato.

Attamen Jurisprudentiæ huic adversatur Jus Romanum, ut videre est ex hac Justiniani constitutione (*e*) *Neque enim in tantum* (scilicet ondecim mensium, *tempus conceptionis extensum est*: ad quod Gloss. *Nam per decem menses*, inquit, *& duos dies per tare mulier in ventre & non plus*; nuvu Juri in hoc vetus consentiebat, ut patet ex his Ulpiani verbis in lege Digestorum (*f*): *post decem menses mortis, natus non admittetur ad legitimam successionem*: in collatione tamen Arrestorum D. Bouguier (*g*) invenitur Arrestum ejusdem Senatus Parisiensis latum 22. Aug. Ann. 1626. duobus superioribus contrarium, & Romanæ Jurisprudentiæ conforme: sed existimamus, tenendam esse Jurisprudentiam posterioribus Arrestis constitutam.

(*e*) Novella 39. c. 2. (Auth. col. 4. t. 32.) Gloss. v. perfecto.

(*f*) L. Intestato 3. ff. de suis & legitimis hæredib. §. 11. l. 38. tit. 17.

(*g*) Bouguier, Lit. S. c. 4.

Vide (DISPENSATIO IRREGULARITATIS. Cas. 12. 3. & 4. RESTITUTIO. Cas. 152. TESTAMENTUM.)

IMPEDIMENTA MATRIMONII IN GENERE.

IMPEDIMENTUM Matrimonii, definiente Polmano (*h*), *est quid præexistens, jure reddens illud invalidum, aut illicitum*, hoc est, *jure naturali* vel *jure divino*, vel *jure humano*. Sive impedimentum illud sit quid positivum, ut raptus & votum, seu quid negativum, ut defectus ætatis & impotentiæ.

(*h*) Polm. p. 31. n. 925.

Matrimonii impedimenta, generatim duplicis sunt generis. Alia dicuntur prohibentia, seu impedientia quorum nonnulla jam non sunt in usu, uti suo loco dicemus; alia sunt dirimentia, quæ numero quatuordecim, his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis:
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta impedientia Matrimonium tantum reddunt illicitum, & dirimentia invalidum, cum illud antecedunt, & fuit contractum absque legitima dispensatione. *Impedimentum dirimens*, inquit Polmanus (*i*), *est illud, quod impedit Matrimonium contrahendum & invalidat contractum*.

(*i*) Idem ib. p. 1. n. 488.

Quæcumque ad impedimenta, dirimentia pertinent, in septemdecim sequentibus titulis exponentur; tum de impedientibus, quæ duodecim numerantur, & quo-

& quorum nonnulla, ut jam diximus, non sunt in usu, fiet sermo; hæc autem sex versibus initio responsionis ad primum casum tituli, qui ad ea pertinet, allatis comprehenduntur.

Fuse de utrisque in sequentibus decisionibus agetur, & simul de necessitate eadem revelandi Ecclesiæ, aut contrahentibus, qua tenentur ii, qui ea noverunt, & de dispensationibus necessariis ad tollendos varios effectus, quos, iis non obtentis, in contrahentibus producerent; minutim quoque causas persequemur; ob quas legitimæ fieri possunt hujusmodi dispensationes, simulque circumstantias, quas exponi necesse est, ut obtineantur, & absque peccato ad usum revocari possint. Quare hic subtilius rem exequi omittimus, ne jam dicta iterentur.

Advertere tantum opportune ducimus, inter impedimenta dirimentia, multa reperiri, quæ sunt Juris naturalis, ut fusius infra dicemus; qualis est, v.g. in linea directa, cognatio inter ascendentes & descendentes in quolibet gradu, & alia etiam esse permulta, quæ sunt tantum Juris Ecclesiastici, hoc est, quæ ab Ecclesia ob legitimas & fidelibus utiles rationes fuere constituta. Priora tolli aliqua nequeunt dispensatione; contra quod dicendum de iis, quæ sunt tantum Juris Ecclesiastici, de quibus absque discrimine dispensare potest Papa, & etiam Episcopus, in quibusdam casibus infra dicendis.

CASUS PRIMUS.

Sempronii cum Sylvia Matrimonio contracto, elapsis octo diebus supervenit impedimentum dirimens. Num ex eo invalidum fit eorum Matrimonium?

Respons.

Sempronii cum Sylvia Matrimonium ex superveniente impedimento non potest fieri invalidum. Nam certum est, Matrimonium semel valide contractum aliquo nunquam invalidari posse impedimento. Ita docet S. Thomas, qui eamdem his verbis solvit quæstionem (a): *Impedimenta prædicta non dicuntur interimere Matrimonium contractum quasi solventia verum Matrimonium, quod rite contractum est: sed quia solvunt Matrimonium, quod contractum est de facto & non de jure. Unde si impedimentum aliquod Matrimonio rite facto superveniat; Matrimonium solvere non valet.* Hæc vero decisio, utpote certa, aliis non eget probationibus.

(a) S. Th. in 4. d. 34. q. 1. a. 1. ad 2.

CASUS II.

Anselmus, qui e Nicolaa, a se corrupta sub spe Matrimonii, duos suscepit filios, jam ad propriæ conscientiæ levamen suo cupiens stare promisso, anxius est imprimis, quia inter se & Nicolaam intercedit impedimentum dirimens; neque toto eo tempore necessario expectare potest ad obtinendam dispensationem in Curia Romana, ob urgens Regis mandatum, intra biduum in Poloniam proficiscendi. Numquid tamen in hac adeo urgente occasione, in qua salus sua agitur, absque reatu mortalis peccati Matrimonium contrahere potest, saltem postquam Campsori dispensationis obtinendæ curam demandaverit, ut factam Nicolaæ injuriam resarciat, & duos ejus filios legitimos efficiat consequenter ad dispensationem, qua ipsa obtinebit, & qua validum fiet eorum Matrimonium?

Respons.

Certum est, Anselmum ita Matrimonium contrahere non posse: nam mortaliter is semper peccat; qui illud impedimento dirimente ligatus contrahit. Ratio est, quia illud ita contrahendo, in re gravissima infringit Ecclesiæ interdictum, quæ ad Matrimonium inhabiles eos declaravit, qui aliquo sunt impedimento dirimente irretiti; unde declarat Innocentius III. (b) eum qui se legitime nuptum existimans, postea agnoscit, Matrimonium suum ob aliquod impedimentum dirimens, quantumvis occultum, esse invalidum, neque reddere neque petere posse debitum conjugale, & excommunicationis sententiam potius ferre debere: *Debet potius*, inquit, *excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.* Videtur itaque, quod Anselmus eo, quod supponitur, negotio implicitus, ut conscientiæ suæ officium impleat, primum demandare debet, ut obtineatur dispensatio; qua semel obtenta specialem ad quemdam amicum suum procurationem mittat, qua ipsi potestatem faciat, Nicolaæ nomine suo nubendi & simul duos ejus filios agnoscendi legitimos, donec a Polonia redeat.

(b) Inn. III. in c. inquisitioni 44. de sentent. excommunicat. &c.

CASUS III.

Leodegarius, S. Antonii Parochus ex confessione duorum Parochianorum suorum, qui nuptias parant, novit, inter eos impedimentum dirimens, procedens ex occulto peccato, quod alter eorum cum patre aut matre alterius commisit. Quid acturus est, si quantumvis ab eo moniti Matrimonium perficere constituerint? An eos ad Episcopum debet remittere; vel, si in nubendi proposito perseverent, potest sine peccato eorum adesse Matrimonio, ipsisque nuptialem impertiri benedictionem ad vitandum scandalum; an vero ipsis suum tenetur denegare ministerium, quocumque inde scandalum oriatur?

Respons.

Certum est absque peccato mortali Leodegarium Episcopo duorum suorum Parochianorum impedimentum dirimens non posse manifestare sine formali eorum consensu; nam ita se gerens, graviter in re maximi momenti peccaret contra Jus naturale, Divinum, & Ecclesiasticum, confessionis sigillum frangendo, & juxta S. Thomam (c), non tenetur ad requirendum eorum consensum, saltem quando commode non potest; igitur eos, quantum in se erit, a nubendi proposito debet avertere, ipsisque criminis sui gravitatem manifestare, si tale contraherent Matrimonium

(c) S. Th. in 4. dist. 21. q. 3. art. 2. ad 3.

In his igitur casibus 1. id tantum adhibendum, quod aptius Christiana suadet prudentia; ut in tuto ponatur & conscientia & fama eorum, qui hujusmodi implicantur negotiis, ut suadet S. Antoninus (d). *Quidquid videtur confessori faciendum vel omittendum pro bono ipsius pœnitentis, vel bono communi, potest facere vel omittere, dummodo per hoc non reveletur confessio, ad quod solum obligatur.*

(d) S. Anton. 3. p. sum. Th. t. 17. c. 12. §. 3.

2. Si duplex illa via non succedat, contrahentibus suadere debet Leodegarius, ut bona fide sub ista conditione nubant: *Si Papa dispensaverit*, cum formali intentione Matrimonium non consummandi ante obtentionem & approbationem dispensationis, sed simul fraterne vivendi ad id tempus.

3. Si denique ad amplectendam aliquam ex his rationibus eos adigere nequeat, nec ipsis suum recusare possit ministerium, nisi infracto etiam tacite confessionis sigillo, aut parto ex sua denegatione scandalo, ipsorum debet adesse Matrimonio, eisque nuptialem impertiri benedictionem, quasi non sibi notum esset eorum dirimens impedimen-

men-

mentum: quia consentientibus jam partibus, designata die, convocatis parentibus & amicis, malæ inde nascerentur suspiciones. Ita Sylvius *(a)*, *Si Parochus*, inquit doctus hic Theologus, *novit ex confessione sponsum & sponsam esse affines, tenetur, si extra confessionem petant, eos conjungere, nisi vel in confessione possit dissuadere; vel etiam aliter, quam ex confessione noverit esse impedimentum*. Et iterum alibi *(b)*: *Si per solam confessionem sciat impedimentum, in ea sola pœnitentem moneat, & a contrahendo avertat: quod si sit refractarius, & extra confessionem petat conjungi, oportet acquiescere, eosque conjungere*. Ratio est, quia idem de hoc Sacramento dicendum, atque de sacrosancta Eucharistia: atqui consentiunt omnes Doctores, homini publice petenti non posse denegari Communionem; quamvis notum sit, eum esse reum peccati mortalis occulti, ut docet Christus ipse sua agendi ratione erga Judam, cui ut ait sanctus Augustinus *(c) dedit primam Eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam*. Igitur, si ex eodem Doctore *(d)* tali peccatori denegari non possit Communio, & si satis sit eum monere de pravo ejus usu: *Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ in mensa Domini, sed exactorem moneat timere*: a fortiori Parochus iste Matrimonio debet adesse, & benedictionem nuptialem dare petentibus extra tribunal pœnitentiæ.

(a) Fr. Sylvius Supplem. 3. part. S. Th. q. 12. art. 1.

(b) Id. Ibid. q. 55. art. 9.

(c) S. Aug. in Psalm. 10. in can. *Christus*. 88. 1. q. 1.

(d) Idem in can. *Non prohibeat*. 67. de consecrat. dist. 2.

Confirmari etiam potest hæc decisio alio argumento *a simili*, ducto *a* Decretali Alexandri III. *(e)*, qui declarat ab Episcopo conferendos esse Ordines publice petenti, quamvis noverit, eum esse in crimine occulto. *Verum*, inquit hic Papa, *quoniam peccatum ipsius fere occultum dimisti, mandamus, quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & suadeas, ut parte pœnitentiæ peracta, ordine suscepto utatur, quo contentus existens, ad superiores non amplius ascendat: verumtamen, quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere*. Licet ergo verum esset, Parochum esse Matrimonii ministrum, ut contendunt multi Theologi doctrina præcipui, matrimonii celebrationem duobus illis Parochianis denegare nequit Leodegarius: & multo minus potest, si præsens matrimonio, honorarii tantum & publici testis vices gerat, ut alibi dicemus *(f)*.

(e) Alex. III. in cap. *Ex tenore*. 4. de temporibus Ordinationum & qualitate ordinand. lib. 1. tit. 2.

(f) Adrianus in 4. q. 5. de confess. dub. 7. Paludanus & Sotus apud Sylvium loco cit.

CASUS IV.

Silvester, Parochus Sancti Amatui certo novit, duos e suis subditis, qui se ad matrimonium sibi præsentes sistunt, dirimente impedimento occulto ligari, de quo dispensare non potest Episcopus. Potestne absque mortali peccato eos matrimonio conjungere, cum impedimentum illud tantum novit extra confessionem?

Respons.

Parochus ille in casu proposito absque gravi peccato duorum illorum parochianorum matrimonio adesse non potest; quandoquidem præbens ipsis ministerium suum ad celebrationem matrimonii, directe & efficaciter ad peccatum quod nubendo committerent, & ad concubinatum in quo viverent, conferret, atque adeo conscius ac particeps esset peccatorum eorum, juxta illud Apostoli *(g)*: *Qui talia agunt, digni sunt morte; & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Contrahentes itaque monere tenetur de impedimento suo dirimente, eosque a matrimonio avertere: qui si moniti acquiescere noluerint, id ipsum monebit Episcopum, ut ejus deinde sequatur sententiam, quæcumque futura sit; & quantumvis ipse de impedimento dirimente sit certus. Ita sentit Sylvius his verbis *(h)*: *Si vero ipse Parochus illud impedimentum novit*, ait hic Theologus, *& quidem extra confessionem, caveat ipsos, tametsi impedimentum negantes, conjungere: sed ipsos contrahere volentes moneat, ne procedant ulterius, addens, quod non possit eos conjungere, neque sit conjuncturus, negotiumque ad Episcopum tempestive deferat; ad eum quippe pertinent caussæ matrimoniales. Si tamen ab Episcopo compellatur eos conjungere, eo quod ipsi ostenderint, nullum esse impedimentum, non peccabit Parochus obediendo, quamvis impedimentum noverit, quia justam habet caussam fungendi suo munere*.

(g) Rom. 1. 32.

(h) Fr. Sylvius in suppl. S. Thom. q. 55. art. 9. sub. fin.

Æquius tamen & tutius ad conscientiam Silvestri nobis videtur, dicendo, quod penitus abstinere debet a præsentia tali matrimonio, ne ministerio suo auctoritatem tribuat iniquitati certo sibi cognitæ, & ob malam fidem & malitiam duorum parochianorum Episcopo ignotæ, qui negata veritate ab ipsis deceptus est.

CASUS V.

Duo jam matrimonio juncti, Juliano Parocho suo confitentes, se ipsos de peccato accusando, ipsi manifestant impedimentum, quo invalidum fit matrimonium suum, & quod penitus est sibi ignotum. An Parochus ille tenetur sub conscientiæ reatu ipsis tale impedimentum declarare, ut ejus dispensationem requirant, & jubere, ut interim ab usu matrimonii abstineant, donec eam obtinuerint?

Respons.

Si duo illi conjuges matrimonii sui invaliditatem ignorantia vincibili & culpabili ignorent, tenetur Parochus eos de tali impedimento monere; seu eorum ignorantia ad jus divinum, aut solum ad jus humanum pertineat. Ratio est, quia talis ignorantia eos apud Deum non excusat, ipsisque peccato imputatur; quia non debet poni discrimen inter rem scire, aut velle eam ignorare, ex his Glossæ verbis in Constitutionem Gregorii X. *(i)*: *Æquipollent ergo scientia & ignorantia affectata .... & dicitur affectata, ex quo scire potuit, sed noluit, immo dissimulavit*. Quod etiam declarat Innocentius III. in una e suis Decretalibus *(k)*. Quare Parochus ipsis statum in quo sunt, manifestare tenetur, cum in hoc casu ipsi conjuges Sacramentum pœnitentiæ valide recipere, & absque peccato simul copulam habere nequeant; & aliunde Parochus ipsos ea omnia docere compellatur quæ scire debent fideles, ut constat exemplo sancti Pauli omnes Pastores his verbis alloquentis *(l)*: *Mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei in vobis*. Quod verum est, quamvis præsumeret hic Parochus, monitionem suam fore inutilem.

(i) Glossa in cap. *Eos qui*. 2. de temporibus ordinat. &c. in 6. v. *Affectata*. lib. 1. tit. 9.

(k) Innoc. III. in cap. *Cum inhibitio*. 3. §. *Si quis*. de clandestina desponsat. l. 4. tit. 3.

(l) Actor. 20

At si ignorantia ipsorum sit penitus invincibilis, seu sit de jure seu de facto, eos Parochus aut alius quilibet Confessor monere de invaliditate matrimonii ipsorum non tenetur; nisi certum sibi fuerit moraliter, ipsis utilem fore monitionem suam.

Ex dictis sequitur, in his casibus prudentiam tamquam regulam potissimum esse adhibendam, & permulti referre, ut accurate perpendatur, an conveniens sit vel loqui vel silere, conformiter ad hæc præclara sancti Gregorii verba *(m)*: *Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat; nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant, in errore derelinquit*.

(m) S. Gregor. in can. *Sit rector*. 1. dist. 43.

Decisioni nostræ assentitur Sylvius *(n)* his verbis: *Huc pertinet*, inquit, *quod si Confessarius videat pœnitentem versari in juris vel facti ignorantia crassa, sive contra jus divinum, sive contra jus humanum .... teneatur eum monere & instruere; & similiter, si videat ipsum laborare ignorantia inculpabili, sed ex monitione speret fructum, nec ullum metuat notabile incommodum*. Quod probat ista ratione: *Confessarius enim est Doctor, Consultor, Medicus & Judex pœnitentis; ideoque debet ipsum docere, ei bene consulere, diligenter curare*. Tum subjungit: *Si vero pœnitentis ignorantia sit inculpabilis, nec videtur monitio profutura, vel ex ea timentur gravia incommoda; non debet Sacerdos eum monere, quia monitio esset inutilis ac perniciosa*. Tum generalem hanc regulam speciali quo de agimus, casui applicat hic Theologus, vultque, ut eam sapiens Confessarius sequatur. *Hinc*, addit, *si Confessarius noverit esse impedimentum dirimens inter conjuges qui ipsi confitentur, & illud sit omnino occultum, invincibiliterque ignoratum a conjugibus, qui nihil aliud sciunt, quam se esse legitime conjunctos, & si aliud scirent, numquam vellent carnaliter commisceri, non debet illud revelare, quando ex revelatione apparent secutura magna incommoda*.

(n) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. sum. S. Thom. q. 58. art. 5 quæsito 7.

Sylvio jam in hac doctrina præiverat Navarrus *(o)*, & am-

(o) Navarr. man. c. 21. n. 83.

& ambo eam fuerant mutuati a Dominico Soto (a), cujus hæc sunt verba: „ Quando ignorantia est juris, quod omnes tenentur scire, sive divini, sive humani, vel facti quod ille pœnitens scire tenetur, Sacerdos obligatur pœnitentem instruere, quidquid sequatur, siva prosit, sive obsit. Res est clara: nam omnis talis ignorantia est culpabilis & peccatum; quare si pœnitens ignorat articulum aliquem fidei, nulla de caussa debet silere Sacerdos, sed illum docere. Si autem ignorantia sit eorum quæ non omnes tenentur scire, sive sit juris divini, sive sit humani, tunc distinguendum est: Si Sacerdos viderit quod possit prodesse, idque sine gravi scandalo, tunc tenetur rem detegere: Si vero videt, quod nullatenus prodesse potest, aut non sine gravi scandalo, tunc tenetur tacere & dissimulare. Si vero non interrogatur, aut si alter non confitetur de illo, tamquam de re scrupulosa, verbi gratia, in exemplo præsenti ignorantia est divini juris nescire, quod matrimonium primum sit validum & secundum irritum: sed tamen non omnes id tenentur scire, immo inter Sacerdotes plurimi id ignorant. Videt tamen Sacerdos, quod maritus non credet uxori dicenti, quod primo fuerat alii nupta, immo a Judice compelletur manere cum illo. Quare tunc nihil aliud Sacerdos, si diceret, ageret, quam cogere miseram mulierem, ut numquam posset debitum petere, immo neque reddere; nam cum sciat illum non esse suum, scit subinde quod ad illum quomodocumque accedere est fornicari; quod priusquam faciat, mori debet. In hoc ergo casu tacendum est .... Præterea etiam est attendendum, si magnum scandalum sequeretur ex separatione; quia non sunt personæ nobiles; aut alias aliquod nomen habentes in Republica, & habentes liberos. Et idem est de ignorantia humani juris, ut si ignorans putet matrimonium in quarto gradu esse licitum; aut ignorantia facti, ut si ignoret maritum suum esse sibi consanguineum, cum tamen sit. „ Totum hunc, licet paullo fusiorem ab Auctore excerptum textum referendum putavimus, ut manifestius vis ejus tota appareret. Acute etiam idem observat, ejusdem rei ignorantiam quandoque invincibilem esse posse respectu quorumdam, & vincibilem respectu aliorum, pro diverso eorum statu atque peritia; atque ita prudentis est & docti Confessarii unum ab alio secernere. Tandem quia Adrianus (b) eamdem tuetur doctrinam, excepta ignorantia rerum quæ sunt juris divini, quam numquam invincibilem esse supponit, *nisi quando non est, qui veritatem docere valeat*. Hanc Sotus exceptionem refellit, & contrarium demonstrat.

(a) Dom. Sotus in 4. dist. 29. c. 3. a. 4. §. *Secundum*.

(b) Adrianus. de confess. q. 5. dub. 6.

Heic prætetire nefas est sapiens monitum Auctoris Colloquiorum Ecclesiasticorum Parisiensis Diœcesis de præsenti difficultate (c), ut nimirum si fieri possit, peritus quidam consulatur Doctor ac præcipue Episcopus, quo certius innotescat, quid juxta caritatis & prudentiæ regulas faciendum sit. Istam quoque cautionem præscribit Rituale Burdigalense (d). At si Confessarius ipse sit vir intelligens, & certo noverit pœnitentis sui ignorantiam esse invincibilem; tum hujusmodi consultatione non opus esse existimamus.

(c) Colloq. Paris. de matr. tom. 1. pag. 374. & seq.

(d) Ritual. Burdigal. pag. 210.

C A S U S VI.

Theodebertus, qui bona fide nupsit, invincibiliter ignorans impedimentum dirimens matrimonii sui, post multos annos ex lectione Casuistæ cujusdam ea de re levi quodam conscientiæ angitur scrupulo. De hoc suum consulit Confessarium, qui noscit, matrimonium illud re ipsa esse invalidum, at Theodeberti ignorantiam esse invincibilem, atque adeo inculpabilem. An tenetur ille Confessarius absolute ad ei detegendam matrimonii ipsius invaliditatem; an vero non potest hanc ipsi sollerter dissimulare, nihilque contra veritatem respondens, præsertim, cum prævidet ex manifestatione invaliditatis aut scandalum, aut gravia futura esse incommoda?

R e s p o n s.

Confessarius iste sub mortalis reatu Theodeberto matrimonii ipsius invaliditatem manifestare tenetur. Ratio est, quia, licet quis fuerit in ignorantia inculpabili, eo quod esset invincibilis, ubi jam oritur dubium, ignorantia tunc censetur vincibilis, & etiam affectata, si dubitans veritatem addiscere negligat. Hinc Sylvius inter utrumque nullum affert discrimen, & asserit, Confessarium teneri veritatem petenti manifestare, sive ignorantia sit vincibilis, seu pœnitentis conscientia sit scrupulosa: *Huc pertinet*, inquit, *quod si Confessarius videat pœnitentem versari in juris aut facti ignorantia .... aut habere scrupulum, teneatur eum monere & instruere &c.* (e). Theodeberti itaque Confessarius veritatem ipsi manifestare tenetur, neque hanc ei absque crimine dissimulare potest; quodcumque inde scandalum, aliudve oriri possit incommodum.

(e) Ex Sylvius cit. quæsito 7.

C A S U S VII.

Gilbertus, Octavio & Mæviæ familiaris, certo novit, reperiri dirimens impedimentum in matrimonio, quod bona fide & illius rei omnino inscii contraxerunt. Teneturne sub reatu peccati eos monere de tali impedimento, præsertim cum videt, monitionem suam non fore utilem, immo vero forte noxiam?

R e s p o n s.

Certum est, non teneri Gilbertum ad manifestandam Octavio & Mæviæ matrimonii ipsorum invaliditatem, ipsis eorum impedimentum dirimens revelando, si sint in ignorantia invincibili, & impedimentum illud sit occultum: nam cum non peccent in hoc casu ex usu matrimonii, monitio facta ipsorum saluti nullatenus esset necessaria; & e contra fieri posset, ut cognita matrimonii sui invaliditate, alteruter divortium cum scandalo tentaret. Ita sentit Sylvius (f): *Si impedimentum est prorsus occultum, & inter conjuges est bona fides*, inquit hic Auctor, *magna autem incommoda apparent secutura, sive infamiæ, sive aliorum damnorum, si agatur de divortio; nec obtineri possit dispensatio, vel aliud remedium adhiberi, nisi cum maxima difficultate .... qui tale impedimentum novit, tacere debet, & relinquere hujusmodi conjuges in sua bona fide.* Idem ante Sylvium docuerat Navarrus (g).

(f) Ex Sylvius in supplem. S. Tho. q. 55. art. 9.

At si eorum ignorantia sit affectata aut culpabilis, non eos a peccato excusat coram Deo bona eorum fides: quare eos monere debet, si id ipsis profuturum existimet, aut Superiorem commonere, aut alium quempiam qui malo huic possit mederi.

(g) Navarr. Man. cit. cap. 22. n. 83.

C A S U S VIII.

Thalemacus certo novit, esse impedimentum dirimens inter Philippum & Henricam, qui intra biduum secum invicem matrimonio jungi debent. An tenetur illud Superiori revelare, cum ipse solus novit impedimentum, nec ullam ejus probationem afferre potest?

R e s p o n s.

Certum est, teneri ad revelationem impedimenti dirimentis in casu proposito, seu ad obtemperandum Ecclesiæ ita jubenti, seu ad impediendum, ne invalidum partes contrahant matrimonium, a quo orirentur multa in castitatem mortalia peccata, quorum ipse coram Deo fieret conscius; quandoquidem tale impedimentum non revelans, iis silentio suo ansam preberet. Quod probatur auctoritate sancti Thomæ (h), qui asserit, quod ea manifestare tenetur homo, quæ proximo sunt valde noxia: *Quandoque enim sunt talia*, inquit, *quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare teneatur; puta si pertineat ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.* Idque eo certius est, quod nullum ei qui dirimens impedimentum revelat, damnum contingere queat, licet illud probare non possit, & aliunde unius tantum hominis revelatio sufficiat ad impediendum, ne conficiatur matrimonium, uti declarat Alexander III. scribens ad episcopum sanctæ Agathæ in Romana Campania (i), & in Decretali ad Cardinalem scripta (K), in qua expresse decla-

(h) S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

(i) Alex. III. in cap. *Præterea* 12. de sponsal. & matrim. l. 4. tit. 1.

(K) Idem in cap. *Super eo*. 22. de testibus & attestation. lib. 2. tit. 20.

declarat, non perficiendam esse matrimonii celebrationem, licet ab uno tantum reveletur impedimentum dirimens. *Super illa vero quæstione*, inquit hic Papa, *an mulier conjungenda non sit viro, pro eo quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur; respondemus, quod si non est firmatum matrimonium inter eos, matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debeat conjungi, quia præsumptio est non modicà, quod se linea consanguinitatis attingant*. Ratio autem, quæ hujusce obligationis afferri potest, est; quia licet unus testis probationem completam non efficiat, unius tamen testimonium ad legitimam sufficiat conjecturam, uti asserit Glossa (*a*), & doctor Covarruvias, Navarrus, Sylvester & alii; præsertim cum testis est integer & incorruptus, ut ait Panormitanus (*b*), & declarat etiam Innocentius III. in una e suis decretalibus ad Episcopum Bellovacensem (*c*).

(*a*) Glossa in cap. *Licet*. 3. v. *Unius*. eod. tit.

(*b*) Panormit. in cit. c. *Praterea*.

(*c*) Innoc. III. in cap. *Cum in tua*. 27. de spon. & matrim.

C A S U S IX.

RANALDUS cum Paulina matrimonio jungi cupiens & futuri connubii actu denuntiationes fieri curans, sub arcani lege Huberto declaravit, impedimentum dirimens esse inter se atque Paulinam; eo quod cum Paulinæ matre libidinose egerit. An commissum sibi secretum Hubertus servare absolute tenetur; an vero illud absque peccato detegere potest Parocho?

R E S P O N S.

Quamvis Sapiens (*d*), cujus verba in Canone decreti Gratiani referuntur, asserat, quod *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum*; Certum est tamen, in casu proposito Hubertum teneri ad detegendum tale impedimentum; quia in hoc agitur de contrahentium salute, & quam servandi secreti obligationi debet anteponere, quæ in hoc casu desinit, juxta hæc Angelici Doctoris verba (*e*): *Contra hoc debitum* (denuntiandi) *obligari non potest* (quis) *per secreti commissum; quia in hoc frangeret fidem, quam alteri debet*. Quibus addi possunt alia ejusdem sancti verba in responsiona ad proximam difficultatem allata.

(*d*) Proverb. 11. 13. in can. *Qui ambulat*. 3. q. 5.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2.

Ac frustra quis objiciet, secreti servandi legem esse de jure naturali: nam pariter obligatio, quæ cuilibet Christiano incumbit, grave, si possit, malum avertendi, est etiam de jure naturali; & strictius, quam prior, obligat. Atqui malum est gravissimum pollutio sacramenti, ac matrimonii invaliditatem necessario consequitur perpetuus concubinatus, a quo gravius etiam malum oritur, nempe liberorum procreatio, qui injusti fiunt hæredes rei non suæ; unde sequitur, uti jam diximus, non teneri Hubertum lege secreti, & econtra ipsum eo strictius teneri ad illud detegendum Parocho, quod unius tantum testimonio impediatur sufficienter matrimonii celebratio, ut patet ex decretalibus Alexandri III. & Innocentii III. in præcedenti decisione relatis.

C A S U S X.

NATALIS cognoscit, impedimento dirimente criminis ligari duos, qui brevi matrimonio conjungi debeant, ejusque rei idoneas penes se habet probationes; sed moraliter sibi certum est, inutilem fore suam declarationem, aut ex ea oriundum esse vel maximum damnum, vel gravissimum scandalum. Nunquid tamen illud Ecclesiæ manifestare tenetur?

R E S P O N S.

Casus iste a regula generali, quam in præcedenti decisione statuimus, omnino est excipiendus. Dicimus ergo, non teneri Natalem ad revelandum sibi notum inter illos duos sponsos impedimentum interjacens: nam ut ait Innocentius I. ad Hispanos Episcopos in Concilio Toletano coactos scribens, uti refertur in Canone decreti Gratiani (*f*), aliquando ad vitandum scandalum iis parcendum est, quæ aliter fieri esset necesse.

(*f*) Innoc. I. Ep. 24. cap. 2. in can. *Aliquantos*. 1. dist. 50.

Decisionem istam admittunt Theologi complures atque Canonistæ inclyti (*g*): *Si satis intelligit ex sua denuntiatione magnum scandalum secuturum, quamvis probare possit, ad denuntiandum non tenetur*, inquit Navarrus (*h*). *Respondeo*, ait Sylvius (*i*), *illud esse denuntiandum ab eo qui habet notitiam, etiamsi solum noverit ex auditu, modo audiverit ex persona fide digna, & denuntiare possit absque gravi suo & aliorum detrimento: quia hoc pertinet ad evitandum damnum contrahentium & liberorum ipsorum*.

(*g*) Adrianus in 4. de Confess q. 1. dub. 7. Sylvius, Navarrus &c.

(*h*) Navarr. manu. cap. 22. n. 83.

(*i*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. Sum. S. Thom q. 55. art. 9.

Confirmari potest hæc sententia ex hoc effato Apostoli, qui dicit (*K*): *Non faciamus mala, ut veniant bona*: atqui Natalis, ut supponitur, impedimentum dirimens, sibique notum, quo ligantur duo mox futuri conjuges, declarare non posset absque gravi malo, hoc est, scandalo maximo. Igitur istud denuntiare non tenetur, ea de caussa, ne illegitimum contrahant matrimonium.

(*k*) Rom. 3. 8.

C A S U S XI.

AMMIANUS novit, Patrem suum Viduamque, mox futuram ejus conjugem ligari impedimento dirimente; An tenetur, illud Ecclesiæ revelare; An idem pariter dicendum de Patre erga filium; licet neuter adversus alterum ad testimonium ferendum admittatur?

R E S P O N S.

Certum quidem est neque filium in patrem, neque patrem in filium admitti ad testimonium dicendum in re capitali; sed uterque admittitur quoad matrimonium, quæ res est favorabilis. Ita declarat Clemens III. scribens ad Episcopum Florentinum his verbis (*l*): *Quod parentes, fratres & cognati utrinsque sexus in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur* (*m*) ... *qui enim melius recipi debent, quam illi, qui melius sciunt, & quorum est interesse? quod vero legitur, pater non recipiatur in caussa filii, nec filius in caussa patris, in criminalibus caussis & contractibus verum est: in matrimonio vero conjungendo & disjungendo, ex ipsius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res est, congrue admittuntur*.

(*l*) Clem. III. in cap. *Videtur*. 3. qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. l. 4. tit. 18.

(*m*) L. *Quamvis*. 2. cod. ad legem Juliam de adult.

Dicendum itaque, patrem filiumque respective teneri ad revelationem impedimenti dirimentis sibi noti, eorumque ab Ecclesia admitti debere testimonium. Ob eam caussam Alexander III. in responsione ad octavam difficultatem laudatus, interrogatus, num ratio habenda esset testimonii matris alterutrius ex contrahentibus, quæstionem his verbis solvit (*n*): *Respondemus, quod si non est firmatum matrimonium inter eos matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent conjungi: quia præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingant*.

(*n*) Alex. III. in cap. *Super eo*. 22. de testibus & attestationibus.

C A S U S XII.

COPERIUS, actu contrahens matrimonium, & Parocho, ut fieri solet ex Rituali, interrogante, num ullum agnoscat inter se & sponsam dirimens impedimentum, recordatur, uno se ligari, de quo ad hoc usque tempus non cogitaverat. An tenetur illud declarare, si id fieri nequeat absque sui infamia, atque matrimonium abjicere, donec necessariam obtinuerit dispensationem?

R E S P O N S.

Coperius non tenetur ad declarandum impedimentum dirimens in suppositis circumstantiis; cum de jure naturali suæ cuique famæ cura incumbat, nec id absque sui infamia & scandalo manifestare possit. Illud e contra celare potest, modo omne absit mendacium: at necessario tenetur matrimonium non consummare, donec legitimam obtinuerit dispensationem: & si eam aut petere nolit, aut obtinere non possit, Religionem potius profiteri, quam de salute sua periclitari tenetur.

IMPEDIMENTUM ERRORIS.

PRimum ex impedimentis, quæ dirimentia vocantur, & quæ matrimonium invalidant, est impedimentum erroris. Quadruplex est autem error diversus, scilicet personæ, conditionis servilis, qualitatis & fortunæ. Duo priores ad essentiam matrimonii, duo posteriores, ad id quod ipsi accidentarium est pertinent.

Error personæ, definiente Polmano (*a*), *est judicium quo quis judicat personam, cum qua contrahit matrimonium, esse aliam, quam sit. v. g.* Si Joannes Mariæ, Potri primogenitæ se nubere putaret, & Magdalenæ sorori ejus natu minori nuberet inscius, & Mariæ soli nubere intendens.

(*a*) Polm. part. 3. n. 502.

Error iste invalidum jure naturali matrimonium reddit, eo quod consensum impediat, qui necessario ad validitatem matrimonii requiritur, uti necessarius est ad valorem ceterorum omnium contractuum uti patebit in aliqua ex decisionibus hujusce tituli.

CASUS PRIMUS.

THacusa, puella nobilis, cum Remberto nubit, quem Marchionis aut alterius viri nobilitate conspicui filium putat. Ex alia parte Theculam sibi uxorem ducit Rembertus, existimans eam semper fuisse sapientem virginem, esse & ditissimam; licet reipsa libidinose aliquandiu vixerit, & omni re careat. An validum est illud matrimonium; an potius ex mutuo contrahentium errore sit invalidum?

R E S P O N S.

Antequam proposito casui fiat satis; sciendum 1. duplicem esse errorem, qui spectat ad id quod matrimonio essentiale est (*b*): primus est error personæ: alter est error conditionis liberæ aut servilis; 2. Duplex est etiam alius error, qui pertinet ad id, quod matrimonio accidentale est, scilicet error qualitatis, & error fortunæ, ut jam supra dictum est.

(*b*) Magist. sent. l. 4. dist. 30. & S. Thom. ibid. q. 1. art. 4. in corp.

Error personæ & conditionis servilis matrimonium invalidant, quia uterque liberum excludit consensum, sine quo verum esse nequit matrimonium; quod non efficit error qualitatis & fortunæ. *Consensus*, inquit Gratianus (*c*), *est duorum vel plurium sensus in idem; qui autem errat non sentit, ergo non consentit; id est, simul cum aliis non sentit .... verum est, quod non omnis error consensum excludit, sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper; vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui est servus. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui est malus. Error fortunæ & qualitatis conjugii consensum non excludit: error vero personæ & conditionis conjugii consensum non admittit.* Antiquus ille Canonum collector, distincto illo quadruplici erroris genere, ejus postea discrimen ostendit, illudque apertis probat exemplis: sic autem ratiocinatur: *Si quis enim*, inquit, *pacisceretur se venditurum agrum Marcello, & postea veniret Paulus, dicens, se esse Marcellum, & emeret agrum ab illo; numquid cum Paulo convenit iste de pretio, aut dicendus est agrum sibi vendidisse.* Tum aliud subjungens exemplum: *Item si quis promitteret*, ait, *se venditurum mihi aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet, numquid diceret consensisse in aurichalcum? Numquam volui emere aurichalcum; nec ergo aliquando in illud consensi: quia consensus non est, nisi voluntatis.* Ex quibus hanc postea conclusionem elicit: *Sicut ergo hic error materiæ excludit consensum, sic & in conjugio error personæ: non enim consensit in hunc, sed in eum, quem putabat esse ..... quia ergo hæc persona, decepta errore, non in hunc, sed in eum, quem iste se mentiebatur esse, consensit; patet quod ejus conjux non fuerit.*

(*c*) Gratianus §. *Quod autem.* 29. q. 1.

Non idem vero dicendum de errore fortunæ aut qualitatis personæ, quia neuter liberum excludit consensum. Sic puella, quæ pauperi nubit, credens hunc esse divitem, matrimonium suum, quasi invalidum dissolvere nequit, eo quod illud contrahendo erraverit. *Error fortunæ & qualitatis non excludit consensum*; ita semper Gratianus, *veluti si .... quæ nubit putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit.*

Nec aliter de errore qualitatis sentiendum: is enim consensum quoque non perimit, *Error qualitatis*, addit tandem Gratianus, *non excludit similiter consensum; utpote si quis emerit agrum vel vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis iste erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere. Similiter, qui ducit in uxorem meretricem vel corruptam, quam putabat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere & aliam ducere.*

Ita tum Gratiano sentiunt communiter Theologi & Canonistæ, ac præcipue sanctus Thomas his verbis (*d*): *Oportet quod error qualitatis qui matrimonium impedit, sit alicujus eorum, quæ sunt de essentia matrimonii. Duo autem includit matrimonium ipsum, scilicet personas, quæ conjunguntur, & mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium consistit. Primum autem tollitur per errorem personæ: secundum per errorem conditionis, quia servus non potest potestatem sui corporis alteri tradere sine consensu Domini sui: & propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, & non alii.* Ita de duplici primo errore sanctus Thomas sentit, de duobus aliis ita subjungens (*e*): *Diversitas fortunæ non vitiat aliquid eorum quæ sunt de essentia matrimonii, nec diversitas qualitatis, sicut facit conditio servitutis.*

(*d*) S. Thom. in 4. sent. dist. 30. q. 1. art. 2. in corpore.

(*e*) Idem ib. ad 4.

Error quidem personæ jure ipso naturali matrimonium invalidat, ex quo jure sine libero & reciproco contrahentium consensu matrimonium stare nequit: atqui ut fert Lex (*f*) *quid tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit?* Unde sequitur, quod error personæ irritum prorsus, etiam inter fideles, conjugium efficit. Id ipsum quoque multoties declaravit Ecclesia, ut videre est præcipue in antiquo Galliæ Concilio, quod refert Canon (*g*) & ex Decretali Innocentii III. in corpore juris relata (*h*).

(*f*) Leg. *Si per errorem.* 2. ff. de jurisdict. omnium judicum l. 2. tit. 1.

(*g*) Concil. Vermeriense in can. *Si quis.* 4. 29. q. 2.

(*h*) Innoc. III. in c. *Tuanos.* 26. de sponsal. & matrim.

Idem quoque sentiendum de errore conditionis servilis ob triplicem rationem depromptam ex bonis matrimonii, quæ sunt *Proles*, *Fides*, *Sacramentum*. Prima ratio est, quia conditio servilis opponitur bono liberorum, qui e matrimonio nascuntur contracto cum servo; quia quidquid acquirit servus, non sibi, sed Domino, acquirit cujus est servus; quod noxium tantum esse potest & liberis & liberorum institutioni. Secunda; quia servus debitum reddere nequit, quoties exigit persona libera, cum sui non sit juris, neque

quoad

quoad personam, tempus, actionesque suas non magis, quam rei partæ. Tertia denique, quia simul cum persona libera habitare nequit, a qua eum separari necesse est, quoties vult Dominus.

Denique ad majorem hujusce rei expositionem, & facilem aliarum quamplurium, quæ fieri possent, difficultatum solutionem, advertendum est, impedimentum qualitatis aut fortunæ fieri posse dirimens in duobus casibus. 1. Si hæc expresse apponeretur conditio, sub qua quis contraheret, intendens formaliter suum conjugio non præbere consensum, nisi impleatur conditio, uti eveniret, si Joannes Mariam ducens uxorem diceret, *duco te, si dives es*: tunc enim contractus foret invalidus, si Maria esset egena, uti observat Magister sententiarum (*a*). 2. Si error qualitatis fiat error personæ: quod fit, quando error hic ad determinatam & specialem personam spectat; ut si Maria nuberet cum Joanne, qui se filium esse Marchionis simularet: in hoc quippe casu error non est error simplex qualitatis, cum præter qualitatem directe ad determinatam spectet personam, cui nubere credebat Maria, & cui tamen nuberet, ut observat Panormitanus (*b*): *Error nobilitatis*, inquit sanctus Thomas (*c*) *in quantum hujusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione, qua nec error qualitatis: sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium. Unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error de nobilitate ipsius non impedit matrimonium. Si autem directe intendit consentire in filium regis, quicunque ille sit, tunc si alius præsentetur ei, quam filius regis, est error personæ, & impeditur matrimonium.*

(*a*) Magister sentent. lib. 4. dist. 30. cit.

(*b*) Panormit. in c. *Cum in Apostolica*. 6. de sponsal. & matrim.

(*c*) S. Thom. in 4. cit. dist. 30 q. 1. art. 2. ad 5.

Cum certa sint hactenus dicta, facile est præsentis casus difficultatem solvere, dicendo, matrimonium Remberti & Theculæ esse invalidum, si Thecusa credidit, se nubere cum filio talis Marchionis, v. g. Marchionis sancti Pauli; nam in hoc casu error qualitatis transit in errorem personæ. At si existimaverit, Rembertum esse virum nobilem & filium cujusdam Comitis vel Marchionis in genere, validum est matrimonium, quod in hoc casu error iste sit tantum error qualitatis, qui irritum facere nequit matrimonium, uti ostendimus: & idem dicendum de errore, in quo supponitur fuisse Rembertus; quia hic error spectat tantum ad qualitatem puellæ virginis & divitis; quæ circumstantiæ nullatenus ad essentiam matrimonii pertinent.

CASUS II.

Tarbulus Genovefæ nupsit, cum esset in errore personæ, qui dicitur concomitans, hoc est, in errore, qui matrimonium non antecedebat, sed comitabatur. An ex illo errore invalidum fuit ipsius matrimonium?

RESPONSIO.

Priusquam huic quæstioni sua sit responsio, præsupponendum id quod jam diximus de errore personæ, respondendo ad proximam difficultatem; quod hic repetere inutile est; sed ad solutionem præsentis difficultatis addimus, errorem, qui dicitur concomitans, sufficere ad impedimentum dirimens constituendum, quia positivum is excludit consensum, sine quo verum stare nequit matrimonium, ut declarat Innocentius III. scribens ad Episcopum Brixinionensem (*d*) & in Decretali ad Episcopum Arelatensem (*e*). Atque ut apprime probat Gratianus exemplis, ab eo allatis, & a nobis in superiori decisione relatis. Verum quidem est, ex hujusmodi errore positive involuntariam non fieri actionem, sed tantum negative, ut in scholis dicitur, hoc est, non voluntariam, ut ait sanctus Thomas (*f*); quod sufficit ad tollendum consensum necessarium in matrimonio, cujus plena debet esse & perfecta libertas ex Doctrina ejusdem Angelici Doctoris his verbis contenta (*g*): *Quidquid impedit caussam de sua natura, impedit effectum similiter. Consensus autem est caussa matrimonii ...., & ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus qui præsupponit actum intellectus; deficiente autem primo, necessarium est defectum contingere in secundo; & ideo quando error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu defectus, & per consequens in matrimonio, & sic error de jure naturali habet, ut evacuet matrimonium.* Ita sentiunt sanctus Antoninus (*h*) Dominius Sotus (*i*); & alii multi.

(*d*) Innoc III. in c. *Tua Fraternitati*. 15. de sponsal. & mat.

(*e*) Idem. in c. *Cum apud*. 23. ibidem.

(*f*) S. Thom. 1. 2. q. 76 art. 3. in corpore.

(*g*) Idem. in 4. dist 30. q 1. art. 1. in corp.

(*h*) S. Anton. 3. part. Summ. Theol. tit. 1. c. 5.

(*i*) Dominic. Sotus in 4. dist. 35. art. 2.

IMPEDIMENTUM CONDITIONIS SERVILIS.

VOx ista, *Conditio*, secundum triplicem sensum hic sumi potest; unde triplex conditionum genus distinguitur. Primum conditionis genus vim habet cohibendi consensum necessarium ad matrimonium, quod proinde suum nequit sortiri effectum, nisi impleta ista conditione. v. g. Si quis diceret: *Tibi nubo, si pater tuus consentiat: Conditio suspensiva est particula, si, vel alia æquipollens, consensui matrimoniali opposita, eumque tollens, non impleta*, inquit Polmanus (*k*).

Altera conditio ipsimet substantiæ matrimonii est opposita, aut alicui ex his tribus ejus bonis, quæ dicuntur, *Fides, proles, sacramentum*: ut si homo his verbis contraheret: tibi nubo ea conditione, ut mihi liberum sit mœchari; aut ut te ipsam sterilem efficias, ne ullus ex nostro procreetur infans conjugio, aut, ut possim ad libitum alteri nubere, vel, ut habeam potestatem in tuum corpus, non vero tu in meum; *Conditio contraria matrimonio*, inquit idem Auctor (*l*) *est additio illi opposita, directe evertens substantiam* (matrimonii) *bonave illius*.

Tertia denique conditio, de qua speciatim agitur in hoc titulo, est privatio libertatis. *Conditio servilis est status personæ, quæ non est sui juris*, inquit idem noster Theologus (*m*); nam quamvis libertas hominibus sit naturalis, jure tamen gentium quidam aliis ita fuere subjecti, ut de iis tanquam de re sua disponant ex hac servitutis definitione (*n*): *Servitus est juris gentium constitutio, qua quis alieno Dominio subjicitur*. Quando igitur una e contrahentibus persona est libera, & alteri servilis conditionis nubit, quam liberam existimat, id ipsum vocatur hic error conditionis servilis, quæ ita definitur (*o*): *Error conditionis est judicium, quo liber judicat, personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit*. Quo impedimento matrimonium fit invalidum.

(*k*) Polman. part. 1. n. 507.

(*l*) Polm. cit. ibid. 508.

(*m*) Id. ibid. n. 512.

(*n*) Ib. n. 515.

(*o*) Ib. n. 515

Addi

Addi potest hic, alias esse conditiones, quæ, licet ad superiorum naturam non accedant, sunt tamen, vel bonis moribus contrariæ, vel impossibiles; ast earum non magis habetur ratio, quam si nulla de iis facta esset mentio. En exempla, quæ earum dari possunt. Tibi nubo, modo pedes Parisiis Lugdunum uno die me conferre possim, aut si hodie sol non occidat, aut ipse solus decem milla copiarum hostilium dissipem; & alia similia, quæ habentur uti inutilia, aut impossibilia, quæ nullum sortiuntur effectum.

CASUS PRIMUS.

NUMMIUS, Titium, cujus conditio libera est, connubio junxit Semproniæ, servæ suæ, occultans ipsi viro conditionem ejus servilem, & asseverans econtra, eam esse liberam. An validum est matrimonium non obstante errore Titii de servili conditione Semproniæ?

RESPONS.

Constat equidem, invalidum esse matrimonium, quando unus contrahentium, qui liber est, uxorem ducit servam, quam putat liberam, ut declarat Innocentius III. in una e suis decretalibus (*a*), his verbis: *Mandamus, quatenus si constiterit, quod miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem ... contrahendi cum alia liberam ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem*. Quod jam pridem ante Innocentii III. tempora fuerat definitum ab antiquo Concilio Vermeriensi, cui adfuit Pepinus Rex, & quod refert Gratianus in suo decreto (*b*): quod idem etiam declaraverat Alexander III. in una e suis decretalibus (*c*).

Certum est tamen, Titii cum Sempronia conjugium esse validum, quamvis ei nubens fœminæ, hujus conditionem ignoraverit. Ratio est, quia, ubi Nummius servam suam hoc modo uxorem Titio dedit, facta est libera, atque adeo erroris jam Titii locus non fuit, nec is debuit esse impedimentum dirimens hujus matrimonii. *Si Dominus ancillæ tanquam liberam tam alicui tradat in uxorem*, inquit Glossa (*d*), *qui liber est, eo ipso intelligitur ei dedisse libertatem*. Quod probat ex Constitutione Imperatoris Justiniani, cujus hæc sunt verba (*e*): *si tradiderit tanquam liberam ancillam Dominus, ille autem liber existens & credens tradenti, hanc accepit ... non erit justum tale non constare matrimonium; sed tacitam libertatem sequi, sive virum* (servum) *sive mulierem* (ancillam). *Cum tale aliquid a Domino fit, sancimus & rapi talem virum aut fœminam ad ingenuitatem & caussam, tanquam super liberis & ingenuis judicari*. Ita quoque docent celeberrimi Canonistæ (*f*). His addamus, quod si Nummius Semproniam ancillam suam Titio, qui novit ejus servitutem, tradendo uxorem, ipsi dotem constituat, ob eam solum rationem censetur libera ex jurisprudentia civili. *Sed & si quis*, inquit lex codicis Justiniani (*g*), *homini libero ancillam in matrimonium collocaverit, & dotem pro ea conscripserit* (*quod solitum est in liberis personis solum procedere*) *ancilla non Latina, sed civis efficiatur Romana*. Cui rei consentiunt Panormitanus & Glossa in decretalem Alexandri III. ad Genuensem Archiepiscopum (*h*). Cujus rei hanc textus modo laudati afferunt rationem, quia dos scilicet dari non præsumitur, nisi personis liberis.

(*a*) Innoc. III. in cap. *Ad nostram*. 4. de conjugio servorum. lib. 4. t. 9.

(*b*) Concil. Vermeriense in can. *Si quis*. 4. 29. q. 1.

(*c*) Alex. III. in c. *propofuit*. 2. de conjug. serv.

(*d*) Glossa in c. *Ad nostram*. cit. v. *Nec facto*.

(*e*) Authent. collat. 4. de nuptiis tit. 1. c. 11.

(*f*) Hostiensis. Abbas. Sylvester Navarra &c.

(*g*) Leg. *Cum dedititii*. un. §. *Sed & si quis*. ff. cod. de Latina libertate tollenda. lib. 7. tit. 6.

(*h*) Panorm. & Glossa in c. *Illud*. 11. de præsumptionibus. v. *Donationem*. lib. 2. tit. 23.

CASUS II.

GUNTAMNUS, Servus Berthæ pariter servæ, sed quam liberam putabat, nupsit, cui tamen non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset. An validum est illud matrimonium.

RESPONS.

Incertum esse nequit, matrimonium illud esse validum. 1. quia, cum ambo contrahentes paris sint conditionis, Guntamno, neque injuriosum, neque noxium est. 2. quia cum par sit ex utraque parte, mutua, quæ ex matrimonio procedit obligatio, una pars contrahens ab altera majorem jure exigere non potest quam ipsa adimplere teneatur. Matrimonium itaque inter personas dissimilis conditionis in eo tantum casu est irritum, in quo altera contrahens, quæ est libera, servæ, quam putat liberam, nubit. Ita docent sanctus Bonaventura (*i*), & cum eo sanctus Thomas his verbis (*K*): *quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere: & propter hoc servus etiam, si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium, & sic patet quod servitus non impedit matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjuge, & si ille sit liberæ Conditionis* (*l*).

(*i*) S. Bonavent. in 4. dist. 36. art. 2. q. 2. in conclus.

(*k*) S. Thom. in 4. dist. 36. art. 2. ad 2.

(*l*) Item ib. Santus. q. 1. §. *Dic ergo*. Durandus q. 1. Petrus Palud. q. 1. a. 1. & alii.

CASUS III.

BENEDICTUS, servus, invito Domino, cum puella pariter serva, & quam talem cognoscebat, matrimonium contraxit. An validum est illud conjugium?

RESPONS.

Matrimonium illud amborum Servorum est validum: Ratio est, quia ex Angelico Doctore cuicumque nubili licitum est jure naturali matrimonio se conjungere: quare, cum jure tantum positivo inducta fuerit inter homines servitus, matrimonium irritare nequit, quia jus positivum juri naturali, rebusque ipsi consentaneis derogare nequit. *Quamvis jus positivum*, inquit sanctus Thomas (*m*).... *progrediatur a jure naturali; ideo servitus quæ est de jure positivo, non potest præjudicare his quæ sunt de jure naturali; sicut autem appetitus naturæ est ad conservationem individui, ita est ad conservationem speciei per generationem. Unde sicut servus non subditur Domino, quin libere possit comedere & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent, sine quibus natura conservari non potest; ita non subditur ei quantum ad hoc, quod non possit libere matrimonium contrahere, etiam Domino nesciente aut contradicente*.

Angelici Doctoris sententiæ consentiunt decisiones Ecclesiæ, ut videre est in antiquo canone, cujus hi sunt termini (*n*): *Omnes, cujuscunque conditionis sint, unam legem, quantum ad Deum, habere non dubitamus*; & in decretali Adriani Papæ jam citata in alia difficultate (*o*), quæ sic habet: *sane juxta verbum Apostoli, sicut in Christo Jesu, neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiæ removendus; ita nec inter servos matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc dissolvenda*. Si fusiores quis requirat probationes, Sylvium consulat (*p*).

(*m*) S. Thom. in 4. dist. 10. q. 1. art. 2. in corp.

(*n*) Can. *Omnibus*. c. 29. q. 2.

(*o*) Hadrian. in c. *Dignum*. 1. de conjug. servorum.

(*p*) Fr. Sylvius. in suppl. 3. part. Sum. S. Thom. q. 52. art. 2.

CA-

CASUS IV.

Guerricus, contracto matrimonio ob ignorantiam conditionis servilis sponsæ suæ invalido, cum cognovisset, se fuisse deceptum, initum jam matrimonium ratum habere utique voluit, eo quod existimaverit, se illud valide contraxisse. An sufficit illa ratihabitio, ut validum fiat matrimonium?

Responsio.

Cessante errore quo invalidum erat Guerrici matrimonium, ipsius ratihabitione jam validum factum est, modo tamen Guerricus baptizatus illud in facie Ecclesiæ, & juxta formam a Tridentino præscriptam contraxerit. Ratio est, quia is præcedenti statim errore deficientem consensum ratihabitione sua supplevit; & quamvis perperam existimaverit, validum esse a se contractum in hoc errore matrimonium; hinc non fit, ut non sufficiat præbitus denuo ipsius consensus; cum error quo factus erat præcedens consensus invalidus, cessaverit, quando eum cum plena prius ignotæ sibi veritatis cognitione renovavit. Ita Glossa in Decretalem Innocentii III. *(a)* Quod ipsa probat ex multis textibus, ac præcipue ex Decretali Innocentii III. *(b)*, cujus hi sunt termini: *Mandamus, quatenus si constiterit, quod idem vir præfatam mulierem, postquam istam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit; ipsum, monitione præmissa, compellas, ut eam, sicut uxorem, maritali affectione pertractet.* At non alia opus est probatione, quam ipsa Decretali Innocenti III. cum summus hic Pontifex, invalidum declarans matrimonium, quod liber cum ancilla, quam liberam putabat, contraxerat, hanc addat exceptionem: *Ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem.*

(a) Glossa in c. *Ad nostram.* fin. de conjugio servorum. v. *Nec facto.*

(b) Alex. III. in cap. *Proposuit.* 4. eod. tit.

CASUS V.

Coelius, servus Alexandri, nubere cupiens, dominum suum rogat, ut matrimonio suo velit assentiri. An potest Alexander tuta conscientia suum ipsi denegare consensum?

Responsio.

Affirmat sanctus Thomas de hac difficultate, servum absque consensu domini sui posse nubere: *(c) Nec tenentur servi dominis .... obedire de matrimonio contrahendo .... sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum tenetur subditus suo superiori obedire, secundum rationem superioritatis, sicut servus domino in his quæ pertinent ad servilia opera exsequenda.* Quibus verbis manifestum fit, a conjugio impediri non posse tuta conscientia servum a domino; cum in externis tantum rebus quæ ad ejus ministerium spectant, ipsi sit subditus; atque adeo Alexandrum jure non posse impedire, ne meditatas Coelius perficiat nuptias. Attamen si Alexandro foret jure persuasum, matrimonio servi sui damnum grave inferri ministerio sibi debito; videtur affirmari posse, quod huic expresse assentiri sub peccati reatu non teneretur, & tunc fore satis, ut auctoritate sua non uteretur ad eum vi, minis, verberibus a conjugio arcendum: quia tunc ageret contra jus naturale, ex quo licitum est servo, uti libero, matrimonium contrahere, ut modo probatum est ex sancto Thoma. Ita communiter sentiunt Theologi & Casuistæ *(d)*.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corpore.

(d) Petr. Palud. Richardus. Dominic. Soto. S. Antoninus. Glossa in cap. 2. de conjug. servor. v. Sacramentis. Fr. Toletus instruct. Sacerd. lib. 7 c. 7. n. 3. &c.

CASUS VI.

Potamius, Bernardi servus, de ipsius consensu matrimonium contraxit. Teneturne tamen debitum ei, ut ante, præstare servitium, posthabita mulieri suæ debitum conjugale reddendi obligatione?

Responsio.

Servus ille in casu proposito non tenetur anteponere debitum hero suo servitium obligationi quæ ipsi incumbit, conjugale debitum mulieri petenti reddendi. *Si servus volente domino matrimonium contraxit*, inquit sanctus Thomas *(e)*, *tunc debet prætermittere servitium domini imperantis, & reddere debitum uxori.* Cujus rei hanc S. Doctor affert rationem: *Quia per hoc quod dominus concessit, ut matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia quæ matrimonium requirit.*

(e) S. Thom. in 4. dist. 36. art. 2. ad 3.

CASUS VII.

Vinebaldus, Paulli servus, invito domino, cum puella libera matrimonium contraxit: hæc autem quandoque eo tempore debitum exigit, cum Paullus ab eo quoddam exigit servitium. An potius mulieri, quam domino tenetur obtemperare?

Respons.

Domino potius, quam mulieri suæ tenetur obedire, cum utrique eodem tempore satisfacere nequit. Id probari potest ex Decretali Hadriani Papæ ad Archiepiscopum Salisburgensem *(f)*, in qua, cum præmisit, servorum matrimonia, qui invitis dominis contraxere, non esse dissolvenda, addit, quod *debita tamen & consueta servitia non minus debent propriis dominis exhiberi.*

(f) Hadrian. in cap. *Dignum.* 1. de conjug. servor.

Is tamen, ut videtur, casus est excipiendus, in quo mulier vi pravæ cujusdam tentationis incontinentiæ periculo manifesto committeretur: tum enim debitum conjugale quod est de jure naturali, anteponi debet servitio debito ratione servitutis, quæ est tantum de jure humano. Ita sentit sanctus Thomas *(g)*: *Si autem*, inquit, *matrimonium ignorante vel contradicente domino est contractum; non tenetur reddere debitum; sed potius domino obedire, si utrumque simul esse non possit.* Postea subjungit: *Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus, scilicet periculum castitatis imminens uxori, & impedimentum quod ex redditione debiti servitio imperato generat, & aliis hujusmodi: quibus omnibus rite perpensis judicari poterit, cui magis servus obedire teneatur, domino vel uxori.* Idem docet sanctus Bonaventura *(h)* cum Panormitano & aliis.

(g) S. Th. in 4. dist. 36. art. 2. ad 3.

(h) S. Bonav. in 4. dist. 36. art. 1. q. ad 4. & 5.

CASUS VIII.

Bertinus, vir matrimonio ligatus se ipsum servituti mancipavit, domino se vendens, reclamante uxore sua. An id potuit tuta conscientia? An etiam mulier, nolente marito, se posset servituti addicere?

Rasponsio.

Vir ille se ipsum in servum vendera potest in ea regione, ubi servitua est in usu, & si ad id teneatur ob urgentem necessitatem. Ita docet sanctus Thomas his verbis *(i)*: *Vir subditur uxori solum in his quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus sunt æquales, ad quæ servitutis subjectis se non extendit: & ideo vir nolente uxore potest se alteri in servum dare.* Idem quoque alibi probat hoc ratiocinio *(k)*: *Quilibet potest dare alteri quod suum est: sed vir est sui juris, cum sit liber: ergo potest jus suum dare alteri.* Et paullo post *(l)* subdit, non idem esse dicendum de muliere, quippe quæ non sit domina sui suarumque actionum. *Quamvis in actu matrimoniali & his quæ ad naturam spectant, ad paria vir & uxor judicentur, ad quæ conditio servitutis non se extendit; tamen quantum ad dispensationem domus & ad alia hujusmodi superaddita, vir est*

(i) S. Thom. in 4. dist. 36. art. 3. in corp.

(k) Idem ibid. in arg. *Sed contra.*

(l) Idem ibid. ad 3.

capue

caput mulieris & debet corrigere ; non autem e converso : & ideo uxor non potest se dare in ancillam, nolente viro. Quocirca hæc verba sancti Hieronymi, in Canone relata (*a*), *quod non licet feminis, æque non licet viris, & eadem servitus pari conditione censetur*, intelligenda sunt tantum de conjugali debito & in sensu Angelici Doctoris.

(*a*) S. Hieron. in can. *Apud nos*. 20. 32. q. 5.

Observandum tamen cum Sylvio (*b*), virum non posse se servum venundare, nisi legitima ei subsit ratio. *Si vero justa caussa non subsit*, inquit, *maritus non potest se servituti subjicere, invita uxore: quod si faciat, potest illa propter hanc separationem quam maritus ab ea facit, petere divortium*.

(*b*) Fr. Sylvius in suppl. S. Thom. q. 52. art. 5.

C A S U S IX.

Amalaricus, qui servum habet matrimonio junctum, potestne ipsum absque peccato vendere ducendum in dissitam regionem, ubi matrimonii debitum reddere non poterit, quia huc mulier ejus ipsum sequi non potest; aut quia eam emtor ducere non vult?

R e s p o n s.

Ad solutionem hujus quæstionis distinctione utendum: nam vel servus ille nupsit de consensu domini sui; val sine ejus consensu: si absque consensu domini sui nupserit, ipsum Amalaricus vendere potest ducendum in quamlibet regionem; præsertim si ipsum in proxima nequeat vendere regione. Ratio est, quia hoc ei jus competebat in servum suum, nondum matrimonio junctum, quod se invito & inscio contraxit, & cui juri non derogavit, cum matrimonio huic non consenserit. Sed contra sentiendum, si matrimonio servi sui consenserit Amalaricus; quia, ut jam supra diximus, consentiendo matrimonio, censetur quoque ejus usus facultati & medio consensisse, cum debitum ex eo naturaliter ac necessario sequatur, ut ait S. Thomas (*c*): *In tali casu .... dominus cogendus est, ne servum vendat taliter, quod faciat onera matrimonii graviora: præcipue cum non desit facultas ubique servum suum vendendi justo pretio*. Angelico Doctori assentiuntur Navarrus & Toletus (*d*).

(*c*) S. Thom. In 4. dist. 36. art. 1. ad 4.

Multas heic omittimus alias difficultates, quæ de re ista fieri possunt; quia Christiana Religio feliciter servitutem ex iis omnibus regionibus abegit, ubi dominatur, & parvi adeo interest fusius hanc rem pertractare, ac scire, si Missionarios excipias, qui apud infideles versantur, & qui minutius ea quæ ad servitutem pertinent, callere tenentur, ut Christianos servos sua doceant officia.

(*d*) Navarr. Man. c. 22. n. 34. Tolet Instruct. Sacerd. l. 7. c. 7.

IMPEDIMENTUM VOTI.

DUPLEX distinguendum est votum; aliud solemne, quod explicitum vel implicitum; & aliud simplex.

Votum solemne explicitum est illud quod fit per solemnem Religionis professionem in Religioso ordine ab Ecclesia approbato, aut a Papa.

Votum solemne tacitum, seu implicitum, est illud quod fit, suscipiendo Ordinem subdiaconatus, qui ad perpetuam castitatem servandam obligat. *Votum solemne castitatis illud est, quod fit in professione Religionis approbata, vel in susceptione Ordinis Sacri*. Sic ipsum Polmanus definit (*e*).

(*e*) Polman. 3. Part. n. 5.

Utrumque votum ex constitutionibus Canonicis est impedimentum dirimens matrimonii; cum hoc tamen discrimine, quod ex solo voto solemni explicito invalidum fiat non solum matrimonium postea contrahendum, sed etiam contractum, si sit tantum ratum & non consummatum; ita ut ille contrahentium qui laicus est, valide ac licite aliud possit matrimonium contrahere, postquam solemnem alter Religionis professionem emisit: quem effectum non parit solemne votum tacitum, quod fit susceptione primi Ordinis sacri, uti definivit Joannes XXII. (*f*).

Votum simplex, quod fit aliter quam per professionem Religionis & susceptionem Ordinis sacri, non minus coram Deo obligat, quam solemne; sed tamen invalidum non efficit matrimonium ab ejus emissione contractum, quamvis ejus usum illicitum pro eo reddat, qui votum emisit.

(*f*) Joan. 22. in extravag. *Antiqua*. unic. de voto & voti redempt.

Unum est tamen, quod excipias circa votum simplex post duos probationis annos in Societate Jesu emissum, ut alibi dicemus.

C A S U S P R I M U S.

CUm Cyconius Justinæ nupsisset, nova hæc sponsa a marito suo, qui vel ipso primo nuptiarum die altiores sibi sumebat spiritus, aversa est; atque se ab eo ante matrimonium consummatum separavit, eoque invito Religionem ingressa, solemnem in ea Professionem emisit. Potestne Cyconius secundas cum altera inire nuptias?

R e s p o n s.

Res est ab Ecclesia definita, solemnem videlicet Religionis professionem, etiam a conjuge ante matrimonium consummatum factam, matrimonii vinculum omnino dissolvere; ita ut post emissam ab uno professionem, conjux in sæculo superstes liber sit, & alteri nubere queat, ut decrevit Alexander III. scribens ad Archiepiscopum Salernitanum. *Post legitimum consensum de præsenti*, inquit hic summus Pontifex (*g*), *licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium .... dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti .... licitum est ad secunda vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire & alter in sæculo remanere*. Ejusque rei istam Angelicus Doctor affert rationem, quia, inquit, *sicut corporalis mors viri* (*h*), *hoc modo vinculum matrimoniale solvit, ut mulier nubat cui vult, secundum Apostoli sententiam; ita etiam post mortem spiritualem viri per Religionis ingressum, poterit cui voluerit, nubere*.

(*g*) Alex. III. in cap. *Verum*. 2. de convers. conjugat. lib. 3. tit. 32.

(*h*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in corp.

Verum

Verum ad confirmationem hujusce decisionis non alia opus est auctoritate, quam Concilii Tridentini (*a*), cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. Colligendum itaque, Cyconium in casu proposito cuilibet alteri posse libere nubere mulieri.

(*a*) Conc. Tr. sess. 24. de matr. can. 6.

Vide IMPEDIMENTUM LIGAMINIS. Cas. 1.

CASUS II.

LUCIANA, nupta Guillelmo, ante matrimonii consummationem Religionem ingredi cupiebat, at per duos menses, quos ad deliberandum de hoc consilio, Ecclesia concedit, Guillelmus, ipsius consilii conscius, eam nec opinantem oppressit, & vi, atque ipsa dissentiente, matrimonium consummavit. An ipsi Jus est, cum ita se res habeat, Religionem, ipso invito, ingrediendi, eamque solemniter profitendi?

RESPONS.

Quamvis ex consummatione, quocumque modo contigerit, indissolubile fiat matrimonium quoad vinculum, *modo copula non solum attentata, sed vera & perfecta fuerit per seminis intra vas emissionem*; Cum ea ratione conjuges fiant *duo in carne una*, ut loquitur Scriptura (*b*); atque adeo qui superstes est in sæculo, vivente altero conjuge, validum nunquam possit matrimonium contrahere: dicendum tamen, quod, licet indistincte determinet Jus, non licitum esse Religionis ingressum post consummationem matrimonii, id solum intelligendum est de consummatione libera & voluntaria, non vero de violenta, & alterutri ex sponsis injuriosa; atqui consummatio, de qua agitur, in casu proposito, non solum est violenta, sed etiam Lucianæ, Religionis ingressum meditanti, quod consilium ex legibus Ecclesiæ perficere poterat, injuriosa; igitur affirmari potest, Lucianam jure suo non excidisse, vi & injustitia, quam a Guillelmo passa est, qui juste commodum ex injuria ipsi illata percipere non potest, ex hac juris regula a Bonifacio VIII. (*c*) constituta: *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare*. Quare violenta illa consummatio tanquam non facta censeri debet ex hac alia regula: *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*: atque adeo Luciana semper eodem, quo prius, Religionem solemniter profitendi jure potitur. Ita sentiunt Paludanus (*d*) & celeberrimi Canonistæ, ac præ cæteris Joannes Andreas (*e*), qui contrarias refellit rationes, & fuse ac multis probat testimoniis, talem virum nec posse, nec debere fructum consequi ex sua injustitia, & vi sponsæ suæ illata cum detrimento bimestris prærogativæ, quæ ipsi jure conceditur ad deliberandum de ingressu religionis. Idem docet Bartholomæus Brixiensis & Panormitanus (*f*), nec non Felinus (*g*): *Non discedo*, inquit is, *a Joanne Andrea in dicta regula*, quæ contra Jus &c. *ubi concludit, quod cognita per vim non dicitur matrimonialiter cognita, nec impeditur ingredi Monasterium*. Consului potest Fagnanus (*h*) de hac quæstione, quam accurate perpendit, opinionem tredecim Auctorum inclytorum conciliando cum sententia quatuordecim, quos sequimur.

(*b*) Gen. 2. 24.

(*c*) Bon. VIII. in reg. 38. de reg. juris in 6.

(*d*) Petrus Palud. in 4. dist. 27. q. 3. n. 16.

(*e*) Joan. Andreas in reg. Quæ contra jus &c. n. 32. & apud eum Bart. Brixiensis q. 80.

(*f*) Panor. in c. Verum. 2. de conversi. conjug.

(*g*) Felin. Sandeus in c. causam. 14. de probationib.

(*h*) Fagn. in c. ex publico. de convers. conjug. n. 27. & seqq.

CASUS III.

VICTOR, Catharina sub spe futuri conjugii abusus, quæ ipsi clam filium peperit; postea, jubente confessario suo, ei in facie Ecclesiæ nupsit: at facti statim pœnitens, ipsam non consummato matrimonio dimisit, & in Daniam se contulit: Catharina, cujus præcedens delictum erat incognitum, anno post Religionis ingressum meditata, eam deinde solemniter professa est. Victor autem post septem octo-ve annos redux, eam repetiit: Catharina vero contendit, se ad id non teneri, & votum suum esse validum, cum matrimonium non fuerit consummatum. Victor vero in sua petitione commoratur, & vult, ut ea fornicatio, quæ præcessit, consummationis locum habeat. An potest Catharina vel etiam sub conscientiæ reatu tenetur Victoris petitioni obtemperare; an vero, ipsa denegante, secundas potest Victor contrahere nuptias?

RESPONS.

Casus propositi totus cardo in eo consistit, ut dijudicetur, an vir fornicatus cum puella, cui deinde nupsit, censeri debeat consummasse matrimonium ex sola fornicatione ante commissa cum ea; qua de re in triplicem doctores abeunt opinionem.

Prima opinio est eorum, qui docent, carnalem copulam viri cum puella aut muliere, antequam ipsi nubat, non esse obicem, quominus ingredi possit Religionem, eamque solemniter profiteri; cum sponsalia delictum præcessit; sed impedimentum esse legitimum, si a factis sponsalibus fornicatio fuerit commissa. Ita sentit Sylvester: *quaritur*, inquit (*i*), *utrum intrare possit* (Religionem) *qui duxit........aliquam in uxorem: & dico, quod si duxit per verba de præsenti, & consummavit, non potest intrare; sed intellige, si copula secuta est contractum matrimonii, vel sponsalium; non, si præcessit: quia sic non impediret nec diceretur matrimonium consummatum. Arg. capitis veniens de sponsalibus*.

(*i*) Sylvester. v. Relig. 2. q. 9.

Confirmari potest prima hæc opinio ex Decretali Alexandri III. ad Episcopum Exoniensem (*K*), in qua declarat hic Summus Pontifex, mulierem posse solemne Religionis votum emittere, invito etiam conjuge suo, modo secum non habuerit copulam, post acceptam ab ea futuri matrimonii promissionem, hoc est, post sponsalia. *Si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis*; in quo textu verbum *desponsatio*, sumitur pro matrimonii promisso, ut patet ex casu in hac decretali proposito, in qua dicitur, de eo fieri quæstionem, qui *de contrahendo matrimonio fidem dedit*.

(*k*) Alex. III. in cap. Commissum re. de sponsal. & matrim.

Altera opinio est eorum, qui volunt, fornicationem quocumque tempore matrimonium antecedentem nunquam obtinere pro consummatione subsequentis matrimonii; atque ita puellam, in Catharinæ casu positam Religionem posse ingredi, eamque solemniter profiteri, antequam matrimonium fuerit consummatum, licet ante sum sponso suo fuerit fornicata. Ita sentit inclytus Covarruvias (*l*): *Non enim dicitur conjugium consummatum ex coitu præcedenti, sed ex secuto: ille siquidem fornicarius est, hic vero conjugalis*: Ita loquitur doctus hic Canonista, qui addit etiam: *Illa enim conjugalis (copula) non fuit, sed fornicaria, nec in illa traditio conjugalis dari potest*.

(*l*) Didacus Covar. a Leyva de sponf. tom. 1. par. 2. c. 4. §. 1. n. 13. & 14.

Tertia denique est eorum, qui defendunt, ex antecedenti copula sufficienter esse consummatum subsequens matrimonium; atque adeo in mulieris potestate non esse positum, ut Religionem suscipere ac profiteri in proposito casu queat. Modernus Theologus tres hujusce opinionis assertores laudat (*m*), eorum autem præcipua ratio hæc est, quia videlicet cum ea fit ut vis matrimonii subsequentis fornicationem, legitimi fiant filii, qui ex hoc peccato oriuntur; nec minorem quoque vim habere debet, ut actio, qua fuere geniti, habeatur, tanquam consummatio subsequentis matrimonii. Addunt insuper, sententiæ suæ aperte favere Decretales summorum Pontificum: Nam Alexander III. in duabus suis Decretalibus, scriptis, altera ad Archiepiscopum Salernitanum, altera ad Episcopum Brixianum (*n*) in Longobardia generalibus terminis mentem suam aperit, affirmando, absque ulla restrictione ad tempus, quod matrimonium subsequitur, quod *post consensum legitimum de præsenti*, inquit hic Papa in priore Decretali, *licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium... dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos*.

(*m*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 100. & apud eum Hyppolit. in sign. 500. Claudius in Rubr. ff. solut. matr. Sylva nuptiarum. Baldus in c. Licet. 4. de transl. Ep. l. 1. Decretal. tit. 7.

(*n*) Alex. III. in c. Verum 2. & in c. ex public. 7. de convers. conjug. l. 3. t. 32.

tos. In altera quoque sua Decretali generaliter loquitur: *Si prædictus vir*, ait, *ipsam carnaliter non cognoverit*: quæ modi loquendi ratione sensuque indefinito exprimuntur, non restricta carnali copula ad solum tempus subsequens matrimonii celebrationem.

Triplici huic opinioni sua non deest cuique ratio. Prima, quæ est Sylvestri, nobis minus ratione fulta videtur: nam alicujus non esse videtur momenti distinctio, quam affert inter tempus præcedens & subsequens sponsalia, præsertim a tempore Concilii Tridentini; Nam Decretalis Alexandri III. quam affert hic Auctor, quæ loquitur *de desponsatione & copula*, non debet intelligi de simplici promissione matrimonii, eo sensu, quo nunc sumitur, & quæ *sponsalia* dicitur; sed de vero ac reali matrimonio propter carnalem copulam promissum illud subsecutam. Ratio est, quia sæculo Alexandri III. hoc est, ante Concilium Tridentinum copula carnalis addita promissioni antecedenti sponsalia reddebat verum matrimonium in foro conscientiæ (*a*).

Tertia quoque opinio suam habet difficultatem; nam in omnibus allatis Decretalibus, Pontifices summi certissime non loquuntur, nisi de copula conjugali, non vero de fornicaria, ut manifeste constat ex propositis difficultatibus; atque ut expresse designat proposita ab Archiepiscopo Lugdunensi difficultas; de qua interrogatus Innocentius III. ita respondit (*b*): *Nos tamen volentes a prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti, antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ipsum tibi consulimus observandum in articulo prænotato.*

Secunda itaque opinio, quam sequitur Covarruvias, Pontificiarum Decretalium menti videtur magis esse consentanea, & duabus reliquis anteponenda. Reipsa evidens est, omnes Decretales, quæ loqui videntur indefinite *de commixtione carnali habita*, esse tantum intelligendas *de copula conjugali*, non vero *de copula fornicaria præcedente*: nam quando asserit Alexander III. (*c*), quod is, qui *cuidam mulieri de matrimonio fidem dedit*; potest solemniter Religionem profiteri; *si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis*, loquitur de matrimonio reipsa consummato, uti jam observavimus.

Nihilominus cum omnino inconcussa non sit ea, quam sequitur, opinio; tutius dici potest, respondendo ad difficultatem casus propositi, Victorem non posse, dolente Catharina Religiosum abjicere statum, alteri nubere mulieri, priusquam Judex Ecclesiæ sententia juridica declaraverit, matrimonium ex præcedenti fornicatione vel non fuisse, vel fuisse consummatum. Quod si Judex declaret, matrimonium non censeri fuisse consummatum, Catharina potest, imo & debet in statu religionis permanere, quam solemniter professa est, & in hoc casu Victor liber est, & matrimonium contrahere potest: ac econtra si judex declaret, matrimonium illud habendum esse, tanquam consummatum; alteri nubere Victor non potest, atque Catharinam debet accipere & habere, tanquam legitimam conjugem suam, quæ vicissim tenetur latam acceptare sententiam ad suum virum redeundo.

CASUS IV.

Eustachius, inito cum Renata matrimonio, ante ipsius consummationem in Monasterium secedens, in eo per triennium remansit, non emissa religionis professione, & tamen proprium Religiosorum Ordinis habitum gerens. An ipsi licitum est, ex eo migrare, ut ad Renatam redeat, aut secundas cum Maria nuptias contrahat, si e vivis Renata migrarit?

RESPONSIO.

Contendunt Auctores nonnulli, omnino dissolvi matrimonium per professionem solum tacitam, quæ fit, cum per tres annos defertur habitus Religiosi professi, seu is a Novitiorum habitu discrepet, seu non: modo libere deferatur & cum cognitione obligationis, quæ inde contrahitur, nec huic rei reclamatum fuerit. Ita S. Thomas (*d*), cum aliis quibusdam Theologis.

(*a*) Alex. III. in c. Veniens. 15. Greg. IX. in c. 12 qui. 30. & toto fere tit. de spons. & matrim.

(*b*) Inn. III. in c. ex parte 14. de convers. conjug.

(*c*) Alex. III. in cit. c. Commissum.

Ab aliis annum dumtaxat requiritur spatium ad validitatem tacitæ professionis; ita ut qui finito anno religiosum pergit deferre habitum & in cœteris se uti Religiosum professum gerit, is censeatur vere esse professus, nec jam ad sæculum redire valeat. Ita sentit Glossa in multas Decretales (*e*). Et cum ea Toletus (*f*) & alii nonnulli, qui existimant, non esse necesse, ut per tres annos deferatur Religiosus habitus, quia 1. unum dumtaxat probationis annum ad solemnem emittendam religionis professionem exigit Ecclesia. 2. Quia si trium annorum requireretur spatium, sequeretur, quod ante completos tres annos posset quis exire de religione; quod fieri sine aliquo non posset scandalo, & sine suspicione labentis disciplinæ in Ordine religioso. 3. Quia rem ita præcise definivit Honorius III. sic enim loquitur scribens ad Episcopum Venetiarum (*g*); *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus quoslibet tibi lege Diœcesana subjectos, qui prædicto modo terram duabus viis* (Religionis scilicet & sæculi) *ingredi non veretur, ut postquam per annum gestaverint habitum Monachalem, Regulam secundum formam Ordinis profiteantur & servent, Ecclesiastica censura compellas*. Cui decretali consentiunt & alia Clementis III. (*h*), & Canon antiquus e Concilio Triburiensi habito an. 995. depromptus (*i*), qui sic habet: *Puella, si ante duodecim annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus vel tutores id factum irritum facere, si voluerint, at si annum & diem id dissimulando, consenserint; ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt*. Hæc est jurisprudentia canonica, ab Innocentio IV. expresse confirmata, ut videre est in una ex ejus Decretalibus in sexto relata (*K*).

Verum observare interest, tacitam Religionis professionem, qualiscumque sit, in Gallia non admitti (*l*), & solam professionem expressam ibi esse validam; cum duas habet conditiones a Tridentino requisitas, quarum prima est, ut eam antecedat probationis annus integer; & altera, ut non fiat professio ante annum 16. expletum (*m*): *In quacumque Religione, tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante 16. annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla &c.* Quare superius relata nullius sunt usus in Regno Galliæ, ubi nulla admittitur tanquam legitima professio tacita, qualis in corpore juris admittitur (*n*). Atque hinc sequitur, quod Eustachius, expresse Religionem non professus per tres annos, quibus Religioso indutus est habitu, 1. ad sæculum redire potest; & cum Renata suum consummare matrimonium; 2. vel alteram ducere uxorem, si Renata obierit.

Certum quidem est, Navarrum, & alios quosdam Canonistas existimare, quod e tribus in jure memoratis professionum speciebus, primam solam irritat Concilium Tridentinum (*o*), de qua loquitur Decretalis e Concilio Arelatensi deprompta (*p*), qua is, qui Religiosum induerat habitum, & sponte, atque cum cognitione professi exercitia observaret, censebatur Religiosus; & alteram, de qua loquuntur Alexander III. & Bonifacius VIII. (*q*), juxta quos is, qui per triduum solum professi vestem tulerat, si a novitiorum habitu esset diversa, pariter Religiosus professus habebatur: at contendunt iidem illi Auctores tertiam professionis tacitæ speciem non fuisse abrogatam a Concilio, de qua loquun-

(*d*) S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. q. 5. ad 2. Richard. Palud. &c.

(*e*) Glossa in c. 1. Meminimus. 3. qui Clerici vel voventes matrim. contrahere possunt v. Nec habitum in cap. Antiquæ de voto & voti redempt. in extravag. Joann. XXII. v. Tacite & in reg. 43. de reg. juris in 6.

(*f*) Fr. Tolet. Inst. sacer. l. 7. c. 1. n. 1.

(*g*) Honorius III. in cap. Ex parte 22. de regularibus transeuntibus ad religionem l. 3. tit. 31.

(*h*) Clemens III. in c. Consuluit 32. de convers. conjugat. eod. l. tit. 32.

(*i*) Conc. Triburiense. c. 24. in can. Puella 2. 20. q. 2.

(*k*) Inn. IV. in c. 13 qui 2. de regularibus & transeuntibus ad Relig. in 6. l. 13 tit. 14.

(*l*) Ed. Molin. an. 1560. art. 55. Ed. Bles. 1579. ann. 28.

(*m*) Con. Tr. sess. 25. de regular. & monial.

(*n*) Citatis capit. & cap. Vidua 4. & c. Ad nostram 8. de regular. &c. & c. constitutionem. 3. eod. tit. in 6. & Clem. Eos qui 2. l. 3. tit. 9.

(*o*) Conc. Tr. sess. 25. de regular. cit. c. 15.

(*p*) Cit. can. Vidua.

(*q*) Alexan. III in cit. c. Ad nostram Bonifac. VIII. in cit. et constitutionem.

loquuntur Innocentius IV. & Clemens V. qui declarant, eum fieri professum, qui per annum & diem Religiosum fert habitum, quando professis & Novitiis est communis. Attamen tenenda est Regni Galliæ disciplina, qua omnis Professio, ut sit Canonica & valida, debet esse expressa, quamvis ab his Auctoribus, tertia hæc professionis species pro his tantum admittatur, qui expleto 16. ætatis suæ anno probationis annum in Novitiatum transegerunt, ut vult Concilium.

CASUS V.

Donatus post emissum Religionis aut castitatis votum Lucinam duxit uxorem. Nunquid validum est illud matrimonium?

RESPONS.

Si Donati votum de Religione suscipienda non sit solemne, tenet ejus matrimonium; sed si sit solemne, & in Religione approbata a Sancta Sede factum, valide contrahere non potuit: nam certum est, ut jam probavimus, votum solemne Religionis esse impedimentum dirimens, & tali emisso voto quodlibet conjugium esse irritum, ut a Viennensi Concilio, cui an. 1311. præerat Clemens V. (a) & a Tridentino definitum est (b), conformiter ad plures antecessorum ejus Summorum Pontificum decretales (c), necnon ad multos etiam Canones ipso antiquiores. (d) Idem dicendum de voto castitatis emisso per susceptionem sacrorum Ordinum.

At vero non idem dicendum de voto simplici: quamvis enim gravissimum is admittat peccatum qui tali voto ligatus matrimonium contrahit, illud tamen est validum, uti declarat Alexander III. in una e suis decretalibus (e), & Cœlest. III. in alia (f). Verum quidem est, voto simplici coram Deo non minus quam solemni ligari voventem, ut affirmat Cœlestinus III. *Cum simplex votum*, inquit, *apud Deum non minus obliget quam votum solemne, votum quod Deo fecit, studeat observare*. At invalidum non reddit matrimonium, *cum votum simplex matrimonium impediat contrahendum*, subjungit hic Papa, *non tamen dirimat jam contractum*. Cum e contra voto solemni dirimatur jam contractum, quia voto solemni ligatos ad contrahendum inhabiles declaravit Ecclesia: cujus discriminis rationem istam affert Angelicus Doctor: (g) „ In voto enim simplici est sola
„ promissio, qua quis promittit Deo se continentiam
„ servaturum: ex sola autem promissione non
„ transfertur dominium. Unde si aliquis promittat
„ rem aliquam alicui, & postea det eandem al-
„ teri, hujusmodi donatio non potest rescindi per
„ priorem promissionem, quamvis male faciat
„ dando: & sic ille, qui emisit votum simplex
„ continentiæ, potest postmodum corpus suum tra-
„ dere uxori, & quamvis peccet hoc faciendo,
„ tamen matrimonium non dirimetur propter vo-
„ tum præcedens: In voto autem solemni est si-
„ mul promissio, & collatio; tunc enim est vo-
„ tum solemne, quando simul aliquis cum voto
„ consecratur Deo, & ponitur in aliquo statu
„ sanctitatis, vel per susceptionem Ordinis, vel
„ per professionem certæ regulæ, & sic non potest
„ alterius corpus suum tradere uxori, & si tra-
„ dit, contractus nullus est; & sic matrimonium
„ dirimitur per votum solemne, non autem per
„ simplex.

(a) Clem. V. In Clement. eos qui an. de consang. & affin. l. 4. tit. un.
(b) Conc. Tr. sess. 24. can. 9.
(c) Bon. VIII. in c. Quod votum de vot. & vot. redem. in 6. l. 3. tit. 15. Jo. XXII. extrav. antiqua unic. eod. tit. Urb. III. in c. Ex parte 9. de conv. conjug. Clem. III. in c. Consuluit. 20. eod. tit. Alex. III. in c. Meminimus 3. qui Clerici vel vov. &c. Inn. III. in c. Insinuante 7. eod. tit. Nicol. I. in can. quod interrogasti 6. dist. 27.
(d) Conc. Calced. can. 16. Conc. Tolet. IV. can. 52. Conc. Tolet. VIII can. 6 Conc. Turon. III. can. 56.
(e) Alex. III. in c. Consuluit. 4. qui Clerici vel vovent. &c.
(f) Cœlest. III. in c. Rursus 6. eod. tit.
(g) S. Th. quodlibet. 3. a. 10. in corp. Item in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiun. 2. in cor.

CASUS VI.

Ausbertus Castitatis votum intra manus Superioris cujusdam Religiosæ domus & coram omnibus ejus Religiosis, nec non aliis solemniter emisit. Nunquid votum illud in his circumstantiis consideratum est impedimentum dirimens matrimonium, ita ut jam valide deinceps contrahere nequeat?

RESPONS.

Votum illud, ab Ausberto emissum, non est solemne, quamvis sit publicum: cum Religionem non sit professus, nec Monasterii, in quo illud emisit, regulam amplexus fuerit. Reipsa ergo est tantum simplex votum. Atqui simplex votum non est impedimentum dirimens, uti constat ex probationibus in superiori decisione allatis. Unde sequitur, ab Ausberto valide contrahi posse matrimonium, quamvis non possit id ipsum facere absque peccato mortali, nisi legitimam prius obtineat dispensationem.

Unum est tamen, quod excipias pro iis, qui post duos probationis annos in religioso Societatis JESU ordine votum simplex emisere; nam is, qui triplex castitatis obedientiæ & paupertatis votum in hoc ordine post statutum Novitiatus tempus emisit, jam matrimonium valide contrahere nequit, ut declaravit Gregorius XII. expressa constitutione 15. Maji ann. 1584. lata (h) quæ est octogesima nona in magno Bullario postremæ editionis. Si igitur in communitate Patrum Societatis tria simplicia vota post duos probationis annos emisisset Ausbertus, matrimonium jam valide contrahere non posset. Ita difficultatem istam solvunt Sylvester de Prierio, Toletus; qui Archidiaconum laudat, & Auctor Colloquiorum Luconensium (i).

(h) Gr. XIII. in bulla ascendente §. 18. & 23.
(i) Sylvest. v. Matrimon 8. q. 1. Fr. Tolet instr. Sacer. l. 7. c. 118. n. 1. & apud eam Archidiac. Colloq. Lucon. to. 9. Colloq. 9. q. 2.

CASUS VII.

Thrason post factum simplex castitatis votum ducta uxore Anna absque dispensatione, potest ne absque mortalis peccati reatu suum consummare matrimonium, saltem conjugale debitum uxori petenti reddendo?

RESPONS.

Dicendum est, a Thrasone suum non posse consummari matrimonium in casu proposito sine peccati mortalis reatu. Ratio est, quia suum tenetur, cum potest, servare votum. Atqui una adhuc ipsi via illius servandi suppetit, scilicet Religionem solemniter profitendo ante consummationem matrimonii sui; cum duos ei ad deliberandum menses concedat Ecclesia. *Ille qui contrahit matrimonium per verba de præsenti, post votum simplex*, loquit S. Thomas (K), *non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali; quia adhuc sibi restat facultas implendi continentiæ votum ante matrimonium consummatum*. At si semel is matrimonium consummasset, jam conjugii debitum absque Dei offensa reddere posset, imo teneretur, licet ipsa interpretative tantum seu tacite peteret: *Sive mulier petat expresse, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti: tunc enim sine peccato reddere potest*, addit idem Angelicus Doctor. (l) At certum est, quod illud is exigere non posset sine peccato, etiam post copulam, ut observat idem Sanctus.

(k) S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. ar. 4. q. ad 3.
(l) Id. ib. in 4.

CASUS VIII.

Thrasillus emisso simplici Religionis voto, potest ne sine mortali peccato Magdalenam ducere uxorem, perseverans in voluntate suum conficiendi votum, Religionem suscipiendo ante consummationem matrimonii sui?

RESPONS.

Non potest sine gravi peccato, nisi legitimæ ipsi & maximi momenti rationes sint adimplendi votum suum; quamvis enim contra votum suum præcise non delinqueret, cum illius adimplendi voluntatem servaret: peccaret tamen contra bonam fidem sponsam suam decipiens, & rem faciens, quæ ipsi grave damnum afferret, in eo, quod ipsa secundas jam inire non posset nuptias, nisi post annum probationis ad solemnem ipsius Religionis professionem requisitum. Addi etiam potest, Magdalenam haud facile esse forsan nupturam ob suspicionem consummationis, aut etiam præviæ matrimonio copulæ, aut ob aliquam aliam ab ea discendi rationem occultam. Ita sentiunt Navarrus,

(a) Dominiens Sotus, & Sylvester, quos primos his laudat verbis: *Nunc autem de illo dico peccare*; inquit hic Canonista, *non tantum eo quod frangit votum, quam eo quod sponsam decipit, ut Sotus recte dixit, & ante eum Sylvester, ... & quia magnum damnum infert ei, quippe quæ non ita facile alii nubet ob suspicionem copulæ cum eo habitæ.*

(a) Nav. Man. c. 16. n. 30. Et apud eum Sotus in 4. dist. 30. q. 1. ar. 1. Sylvestr. v. Matrimon. 7. q. 5. Richard. & Archidiac.

Diximus: *nisi legitimæ ipsi & maximi momenti sint rationes adimplendi votum suum*: quod post eundem addimus Auctorem, qui istam affert exceptionem: *Credo tamen, quod si aliqua causa urgeret eam ad matrimonium contrahendum cum ea simulato ejusmodi proposito, qualis esset notabilis mortis aut infamiæ metus, quamvis non esset satis justa ad matrimonium dirimendum, non peccaret, modo daret operam, ne quid detrimenti sua culpa ei eveniret: quo casu opinio Angeli & Calderini intelligi posset.*

CASUS IX.

Petrus Mariam uxorem suam vi aut minis adegit ad assentiendum suscepto a se de Religionis ingressus consilio, quo facto solemnem emisit professionem. Num is cogi potest, si nota sit vis & attestata, ut e Monasterio post factam professionem exeat, & maritali affectu cum uxore sua vivat?

Respons.

Is profecto cogi potest ad exeundum e Monasterio, in quo Religionem professus est, ob extortum vi a sua conjuge assensum: & tenetur coram Deo, ad ipsam, si postulet, redire; uti expresse declarat Innocentius III. (b). *Quocirca discretioni vestræ mandamus*, inquit hic Papa, de simili quæstione loquens, de qua fuerat consultus; *quatenus, si res ita se habet, dictum virum, aut eam recipiat, eique affectum exhibeat conjugalem, appellatione remota cogatis*. Ratio est evidens; nam ex vi & metu gravi fit invalidus mulieris consensus in hoc casu, ut declarat Alexander II. in Canone relato in Decreto Gratiani (c). Ita sentit inclytus Panormitanus (d) & cum eo ceteri Canonum interpretes.

(b) Inn. III. in cap. Accedens 17. & ib. Glos. de conver. conjugatorum.

(c) Alex. II. in can. Notificasti c. 27. q. 2.
(d) Panorm. in c. Consuluit 10. de conver. conjugat.

Advertendum tamen, id sub ea conditione esse intelligendum, si Petro nulla subsit legitima excusatio, cur ad mulierem suam redire non teneatur, qualis esset v. g. causa adulterii ab eo non ita pridem commissi, aut si jure suo cesserit, ut fieri posset, si ipsa solemnem Religionis professionem emisisset a suscepta a viro suo vita cœlibe: tunc enim eam recipere non teneretur, ut patet ex alia decretali ejusdem Papæ Innocentii III. ad Episcopum Patavinum scribentis (e).

(e) Inn. III. in c. Veniens 26. eod. tit.

CASUS X.

Valeria, Aigulphi uxor, octodecim aut circiter viginti annos nata, & cujus mores quoad castitatem sunt suspecti, viro suo permittit, ut Religiosum amplectatur institutum, non existimans & penitus ignorans, se quoque in hoc casu teneri ad Religionem profitendam, ut castitati suæ consulat, aut saltem ad simplex castitatis votum emittendum. An tenetur Aigulphus, solemniter professus, eam recipere, atque, ut ante cum ea cohabitare, si mulier sua Religionem ingredi, aut castitatem vovere omnino renuat?

Respons.

Datus ille a Valeria consensus tantum ex ignorantia, validam mariti sui professionem efficere nequit: ex quo sequitur, ipsum non teneri ad remanendum in Monasterio, nisi ipsa mutet consilium Religionem profitendo, aut se voto ad servandam castitatem obstringat; sed eumdem teneri ad redeundum cum Valeria, si id necessarium judicet Episcopus, ut illius adolescentulæ mulieris in tuto ponatur castitas; quo in casu omnia mariti jura recuperat. Id quidem clare definitum videtur ab Urbano III. (f), qui declarat, concessum a muliere viro suo consensum profitendi Religionem esse invalidum, quando suspectis circa castitatem moribus suis ipsa remanet in sæculo. *Licet prædictus D. uxore sua remanente in sæculo, de jure ad Religionem nequiverit proficisci.* Hæc sunt verba hujus Summi Pontificis; ex quibus sequitur emissam ob talem consensum professionem esse similiter invalidam.

(f) Urb. III. in c. ex parte 9. eod. t. t.

Difficultas ista ex alia etiam Decretali Alexandri III. manifestius definita videtur (g): hac autem de re summum hunc Pontificem consuluerat Hungariæ Episcopus: *Utrum Laicus uxoratus, qui præsentibus Sacerdotibus & monachis, ignorante Episcopo, de licentia & permissione uxoris Monasterium ingressus, professionem fecit, uxore in sæculari habitu remanente, nec transeunte ad Religionem, aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad thorum revocari uxoris: an illa compellenda sit, continentiam observare.* Ad quam interrogationem sic respondet Papa, solvens difficultatem, de qua in præsenti casu agitur. *Dicimus, quod nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari.*

(g) Alex. III. in c. Praeterea 2. eod. tit.

CASUS XI.

Patroculus, qui iter apud Turcas suscepit, & qui mulierem suam Joannam deserere peroptat, quod noverit, eam Religionis desiderio teneri, se mortuum esse simulat, ipsi curans dari litteras falsamque mortis suæ attestationem, Joanna, de obitu viri sui convicta, Religionem ingreditur, elapsoque probationis anno solemniter in eo profitetur. At reduce in patriam suam Patroculo, ipsa vero monasterii pertæsa, ex eo vult exire, atque virum suum recipere. An id ipsum potest hæc mulier absque peccato, & potest pariter virum suum cogere, ut secum habitet?

Respons.

Certum quidem est, quod ex regula juris *fraus & dolus alicui patrocinari non debent* (h), ut loquitur Innocentius III. sed pactum fraus non invalidat in rebus spiritualibus, licet ipsum in temporaneis vitiosum efficiat, ut fert Lex (i), & docet Navarrus (k), hinc, cum solemne Joannæ votum saltem voti simplicis continentiæ vim habeat, absque gravissimo peccato exire nequit e Monasterio, ubi solemniter professa est, aut ad virum suum reverti, quod eo certius est, quia non posset sine gravi scandalo.

(h) Inn. III. in c. officii, 13. de testam. & ul. tim. volunt. l. 3. tit. 26. & in c. Cum dilectus 3. de religiosis Domib. eod. lib tit. 36.
(i) L. Pactum cum lin. ff. de heredib. instituend. l. 28. t.
(k) Navar. l. 3. consil. tit. de convers. conjug. cons. 6.

Navarrus conclusionem istam tribus asserit rationibus. 1. Quia votum quodlibet juste emissum religiose observandum est, ut constat ex Decretali Cælestini III. (l), & ex alia Innocentii III. scripta ad Episcopum Trecensem. Atqui Joanna in casu proposito justum & legitimum votum emisit, quia juste præsumens de obitu viri sui illud emisit; igitur illud in conscientia observare tenetur, in iis præsertim, quæ spectant ad continentiam. *Pro parte negante facit primo*, inquit hic Auctor, *quod vota juste emissa servanda sunt .... sed illa uxor juste vovit & sancte professa est; quia juste credidit maritum mortuum: ergo.*

(l) Cælest. III. in c. Placet 22. de conver. conjug. & Inn. III. in c. Magnæ 7. de voto & voti redem. l. 3. tit. 34.

2. Quia cum alteruter conjugum Religionem ingressus est absque alterius consensu, in ea perseverare debet, nisi alter eum revocet; uti definivit Clemens III. (m): ex quo concludit Panormitanus (n), quod is, qui solemnem Religionis professionem emisit, altero, seu ignorante seu sciente, sed simulante se nescire, aut qui emisit hanc professionem non obstante alterius intercessione, jam ad sæculum redire non potest, nisi cum superstes in sæculo ipsum revocet. *2. Facit capat, consuluit, quatenus probat, quod conjux ingressus Monasterium absque consensu alterius, debet in sua professione permanere, nisi a conjuge, dum vivit, revocetur. Et Panormitanus relatis multis modis intelligendi illud capitulum, concludit, quod conjux professus, sive ignorante, sive sciente & dissimulante, sine cujus consensu intravit, repetatur ab ea.*

(m) Clem. III. in c. consul. 10. de conver. conjug.
(n) Panorm. in cit. c. Consul.

Denique *quia conjux potest vovere continentiam*, pergit Navarrus, *sine consensu viri, & valet quoad voventis præjudicium, licet non ad præjudicium conjugis secundum Glossam memorabilem (o), & ita non potest exigere debitum, licet teneatur reddere. Ergo etiam professio, facta sine licentia alterius conjugis,*

(o) Gl. in c. Ignoratus 0. de conv. conjug.

na-

valebit quoad suum præjudicium; & ideo si non quæratur ab altera parte, non potest exire. Quibus dictis sic concludit idem Auctor: *Super quæ omnia videtur, quod prædicta uxor* (Joanna scilicet in casu proposito) *non potest sua sponte redire ad sæculum, nec repetere maritum approbantem suam professionem*, (ut fit in casu præsenti), *nisi viveret incontinenter, & Episcopus ex officio suo juberet, ut cohabitarent simul.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS NATURALIS.

TRIPLEX distinguitur Cognatio, ut observat S. Antoninus (*a*): prima est cognatio naturalis, altera cognatio spiritualis dicitur; tertia vero legalis: de duabus postremis in sequentibus titulis fiet sermo: in hoc enim agitur tantum de cognatione naturali, quæ consanguinitas appellatur; & cujus istam definitionem offert Polmanus (*b*): *Consanguinitas*, inquit, *est vinculum personarum, carnali generatione a se mutuo, communive stipite descendentium.*

(*a*) S. Anton. 3. part. sum. tit. 1. c. 1.

(*b*) Polm. 3. part. n. 926.

Stipitis nomine heic intelligitur persona patris vel matris pro filio, nepote ex filio aliisque descendentibus In linea directa, & pro fratribus; eorum filiis, aliisque lineæ transversæ seu collateralis.

Linea directa definitur: *Ordinata series consanguineorum, a se mutuo descendentium* (*c*): quod intelligendum est relate ad patrem, avum, aut abavum, aut alios ascendentes; vel relate ad filios, aut nepotes, aut pronepotes, aliosve descendentes: cum ii qui in linea collaterali se tangunt, alii ab aliis suam non ducant originem, licet communem habeant stipitem cum iis, qui in linea directa sunt positi: v. g. Joannes duos habet filios, Petrum & Paulum. Duo illi fratres duos quoque habent filios. Petrus & Paulus respective ad Joannem sunt in linea directa: sed filius Petri est tantum cognatus filii, qui est Pauli, in linea collaterali: nam quamvis Joannem habeant pro communi stipite, alter tamen ab altero non fuit genitus.

(*c*) Id. ibid. n. 510.

Ex jure Romano *agnati* dicuntur, qui a patre, *cognati* vero, qui a matre oriuntur.

Impedimentum cognationis naturalis est perpetuum, eoque continentur ii omnes, qui sunt in linea directa, absque ulla exceptione, & in quocumque sint, quantumvis remoto gradu. At non obtinet in linea collaterali, nisi ad quartum usque gradum inclusive.

Gradus nominatur, distantia cognationis, quæ reperitur inter cognatos, quæque ex jure Canonico computatur per unam aut plures generationes. Sic filius est consanguineus patris sui in primo gradu; quia inter eos una tantum intercedit generatio; nepos vero in secundo gradu, quia duæ sunt generationes; ita ut tot sint numerandi consanguinitatis gradus, quot sunt personæ, excepto communi stipite, qui non est computandus.

Advertendum est, in Orientali Ecclesia etiamnum antiquam teneri disciplinam, ex qua ad septimum usque gradum exclusive prohibitum erat matrimonium. Hac de re consuli possunt itineraria liturgica Galliæ, pag. 472.

CASUS PRIMUS.

QUIRINUS & Reyneldis consanguinei sunt, alter in quarto, alter vero in quinto gradu. An simul nubere possunt valide absque dispensatione Pontificia, aut Episcopali: & quo pacto numerandi sunt gradus, ut certo dignoscatur gradus consanguinitatis sponsorum?

RESPONS.

Certum est, Quirinum & Reyneldem simul nuptias inire posse sine ulla dispensatione: cum enim gradibus inter se discrepant lineæ, a gradu remotiori semper inchoanda est graduum numeratio, ut docent sanctus Thomas, Sylvius (*d*) aliique Auctores seu Theologi, seu Canonistæ. Sed ad istas auctoritates alia certior accedit, Gregorii scilicet IX. (*e*), qui rem ita in una e suis Decretalibus definit: *Vir qui a stipite quarto gradu*, inquit hic Papa, *& mulier quæ ex alio latere distat quinto, per regulam approbatam, qua dicitur: quanto gradu remotior differt a stipite & a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem; licite possunt matrimonialiter copulari.*

(*d*) S. Tho. in 4. dist. 40. q. un. art. 2. in corp.

(*e*) Greg. IX. in c. *Vir qui*. fin. de consanguin. & affin. t. l. 4. tit. 14.

Quod pertinet ad rationem, qua gradus debent numerari, tres sunt regulæ certissimæ ex Angelico

Doctore, ceterisque, qui ea de re scripserunt.

Prima regula his verbis a Sylvio effertur (*f*): *Personæ consanguineæ*, inquit, *in linea recta tot gradibus inter se distant, quot progressiones generationis factæ sunt a stipite ad ipsas, sive quot sunt personæ in ea linea ordine sanguinis collocatæ, una demta, nempe stipite. Sic filius a patre distat primo gradu: nepos ab avo, secundo: pronepos a proavo, tertio — & sic deinceps.*

(*f*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. sum. S. Th. q. 54. art. 2.

Secunda regula, quæ ad lineam indirectam seu collateralem pertinet, ab eodem Auctore sic proponitur. *Personæ consanguineæ in linea transversa, si æqualiter distant a communi stipite; quoto gradu ab eo distans, eodem distant ab invicem: quia cum non habeant inter se consanguinitatem, nisi ratione communis stipitis, ex quo descendunt, necesse est gradus attendi penes distantiam ab illo stipite. Ac proinde duo fratres, itemque frater & soror, quia uno tantum gradu differunt a communi ipsorum patre, distant etiam uno solum gradu inter se: filius vero unius fratris, quia duobus gradibus distat a communi stipite, duobus etiam gradibus distat a filio alterius fratris.*

Tertia Regula, quæ ad eamdem spectat lineam, est quod, cum lineæ collaterales gradibus sunt inæquales, numeratio inchoanda est a remotiori (*g*), nulla habita ratione propinquioris. Sed juvat heic ejusdem Theologi verba referre. *Tertia*

(*g*) Gloss. in arbor. Consang. & affinit.

via regula; ait Sylvius, *si personæ consanguineæ inæqualiter distant a communi stipite; eodem distant inter se .... quia, cum tota ratio propinquitatis, vel distantiæ collateralium inter se fundatur ex ordine ad communem stipitem, non possunt esse conjunctiores inter se, quam sint cum illo stipite. Si autem haberetur ratio propinquitatis, ille qui est in quinto gradu, esset propinquior ei qui est in secundo gradu; quam stipiti.* Addit hic Auctor, istam numerandi rationem a quarto Lateranensi œcumenico Concilio & ab Alexandro III. fuisse approbatam; & ob eam causam atque conformiter ad hanc regulam asserimus, duas personas de quibus agitur in casu proposito, simul valide nubere posse; cum una sit in quinto gradu, in quo licitum est matrimonium ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & Tridentino.

CASUS II.

Jonas Raymundi filius illegitimus potest ne valide matrimonium contrahere cum una consanguinea Patris sui in tertio aut quarto gradu lineæ collateralis?

Respons.

Consanguinitas; quæ est *vinculum ab eodem stipite descendentium carnali generatione contractum* (*a*), ex jure antiquo erat impedimentum dirimens matrimonii usque ad septimum gradum (*b*): at nunc ad quartum usque gradum inclusive tantum extenditur, ut definivit Innocentius III. in quarto Lateranensi œcumenico Concilio, in Decretali relata in corpore juris (*c*); cujus hic est tenor: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari .. Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta; eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus Constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis vel a nobis; ut si quis contra prohibitionem hujusmodi præsumserit copulari; nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporum non minuunt peccatum, sed augent, tantoque sint graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent illigatam.* Cui Constitutioni nullatenus derogavit Concilium Tridentinum (*d*). Atqui Lateranense Concilium non distinguit inter consanguinitatem legitimam & illegitimam. Unde sequitur, futurum Judæ, licet illegitimi cum consanguinea patris sui in tertio aut quarto gradu matrimonium, fore omnino invalidum.

(*a*) S. Th. in 4. dist. 40. q. un. art. 1. in corp.

(*b*) Nicolaus II. in c. *De consanguinitate.* 17. 35. q. 3. & 3. Can. *Nullum*, 7. ibid. Can. *Ad sedem*. 3. 35. q. 5.

(*c*) Innoc. III. in c. *Non debet*. 8. de consanguin. & affinit.

(*d*) Conc. Tr. sess. 24. de sacram. matrim. c. 2, & 3.

CASUS III.

Gerundius & Olympia consanguinei, unus in quarto, altera vero in quinto gradu, simul nupsere, existimantes, se esse ambos consanguineos in quarto gradu. Num validum est eorum matrimonium?

Respons.

Quamvis ob malam suam fidem Gerundius & Olympia peccati mortalis sint concii; ex hoc non fit, ut irritum sit eorum matrimonium, si illud se contrahere valide putaverint; quandoquidem in hoc casu consensus eorum est verus & absolutus: at si contra existimaverint, se invalide contrahere ob impedimentum dirimens, quod inter se supponebant; invalidum est eorum matrimonium. *Si hujusmodi impedimento non obstante, putant se posse inire validum contractum, valebit*, inquit Sylvius (*e*). *Si autem credunt non valere, non valebit, quia deest consensus*: Ita quoque docent Sylvester & Navarrus.

(*e*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. sum. S. Th. q. 55. art. 9 & apud eum Sylvester & Navar. Manu. c. 22. n. 43.

CASUS IV.

Abraham & Rachel, Calvinistæ, in tertio gradu consanguinei, olim in Gallia matrimonio juncti a quodam Religionis prætensæ reformatæ Ministro vi 41. articuli secreti Edicti Nannetensis, quo ipsis licitum est tale matrimonium, Catholicam fidem amplexi sunt. Numquid in conscientiæ foro tenentur, ab Ecclesia dispensationem obtinere de impedimento consanguinitatis, quo non obstante contraxere? An etiam necesse est, ut coram Parocho suum renovent consensum?

Respons.

Licet conjuges pagani aut infideles ad Christianam religionem transeuntes, Ecclesiastica non indigeant dispensatione, ut matrimonium suum in consanguinitate contractum retinere valeant; tenentur tamen hæretici, qui Catholicam fidem amplectuntur. Ratio hujusce discriminis est; quia; ut ait Innocentius III. (*f*), infidelium matrimonium invalidari non potest *Constitutionibus Canonicis*, quibus ipsi *non arctantur*. At vero iis contra tenentur hæretici ob acceptum baptismum, quo facti sunt Ecclesiæ filii, cujus proinde legibus obtemperare debent. Quamobrem contra vetitum earumdem legum matrimonium numquam contrahere possunt; quamcumque hujus contrahendi licentiam iis Princeps faciat; cum ea licentia dirimens nequeat tollere impedimentum a Concilio generali, in quo tota congregatur Ecclesia, constitutum; & ex ea tantum fiat, ut in foro externo ii non puniantur, qui eo modo nupsere; ut ad separationem non cogantur, nec filii eorum illegitimi declarentur. Id manifestum fit ex ipsis Edicti Blesensis terminis, in quibus sic habetur: „Sua quoque Majestas non vult etiam, ut ii prædictæ Religionis, qui antea contraxerint aut postea matrimonium contrahent in tertio & quarto gradu, ex eo molestia afficiantur, aut validitas prædictorum contractuum in dubium revocetur, nec pariter hereditas tollatur aut disputetur filiis natis aut nasciturís: & quoad matrimonia jam contracta in secundo gradu, aut a secundo ad tertium, inter illos prædictæ Religionis, qui ad suam Majestatem accedent; iis qui erunt hujusmodi & in tali gradu matrimonium contraxerint, concedentur tales provisiones, quæ erunt necessariæ, ne inquirantur, aut molestia afficiantur, aut hereditas filiis controvertatur„.

(*f*) Innoc. III. in c. *Gaudemus*. 8. de divortiis. l. 4. tit. 19.

Observare juvat, quod, ut mitius & humanius haberentur novi ad fidem conversi ea ratione nupti, Apostolica sedes Congregationi sancti officii potestatem fecit, ipsis gratuito omnes concedendi necessarias dispensationes, ut valida fiant ipsorum matrimonia ita contracta.

Ex dictis hactenus sequitur, quod, cum ex constitutionibus Canonicis invalidum sit omnino Abrahami & Rachelis matrimonium; ad ejus redintegrationem absolute necesse est, ut legitimam obtineant dispensationem; & suum renovent consensum coram Parocho & duobus testibus; ut statuit Concilium Tridentinum.

IMPE-

IMPEDIMENTUM COGNAT. SPIRIT.

COGNATIO ſpiritualis hic dicitur affinitas ſpiritualis quæ contrahitur ex adminiſtratione ſacramentorum Confirmationis vel Baptiſmi, & quæ matrimonium reddit invalidum inter perſonas, de quibus mentio fiet in prima & ultima deciſione.

Oritur quoque ſpiritualis affinitas ex adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ inter Confeſſarium & Pœnitentem: eo quod Confeſſarius habeatur tanquam pater ſpiritualis illius, quem abſolvit, quia dando ipſi abſolutionem ipſum ad ſtatum gratiæ per peccatum amiſſæ reſtituit At de ea nihil dicemus, quia ſpecies illa affinitatis inter impedimenta dirimentia matrimonii non recenſetur, & aliunde Sacer ordo Confeſſarii unum eſt ſingulare, de quo poſtea fiet ſermo.

CASUS PRIMUS.

PASCHASIUS & Maria de ſacro baptiſmi ſonte Beatricem, filiam Catharinæ, viduæ Joannis ſuſceperunt. Quam e tribus uxorem ducere poteſt Paſchaſius abſque diſpenſatione!

RESPONS.

Certum eſt, Mariam ſolam a Paſchaſio ſumi poſſe uxorem: nam ex Concilio Tridentino (a) cognatio ſpiritualis non contrahitur per baptiſmum 1. niſi inter baptizantem & baptizatum. 2. Inter baptizantem ac baptizati Patrem ac matrem 3. inter ſuſcipientes e ſacro ſonte & infantem ſuſceptum ex una parte & ſuſcepti parentes ex alia. *Sancta Synodus*, inquiunt Patres Concilii .... *ſtatuit, ut ... ad ſummum unus & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant; inter quos & baptizatum ipſum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem ac baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahitur .... omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis*. Quo circa ſuſceptores ſeu Patrinus ac Matrina, qui in caſu propoſito ſunt Paſchaſius & Maria, inter ſe nullam cognationem ſeu affinitatem ſpiritualem contrahunt, atque ita ſimul nuptias abſque diſpenſatione inire poſſunt. Ob eam cauſam 1. Conjuges puerum e ſacro baptiſmi ſonte ſuſcipere poſſunt retento jure mutuo a ſe invicem conjugale exigendi debitum, quamvis ſimul infantem ſuſcipere abſque peccato nequeant in iis Diœceſibus, ubi illud eſt vetitum; uti Bonacina id vetari in Mediolanenſi teſtatur. 2. Ob eandem rationem viduæ Patrini ſui nubere poſſet Paſchaſius, modo eum cum viro defuncto non ſuſcepiſſet. 3. Sic etiam baptizatus filiæ patrini ſui vel illius a quo baptizatus eſt, nubere poteſt, quia a Concilio Tridentino Confraternitas jam non eſt in uſu.

(a) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de ref. matrim. c. 2.

Confirmari poteſt hæc deciſio ex Conſtitutione S. Pii V. lata 28. Aprilis an. 1566. & quæ in magno Bullario poſt decimam quartam ipſius Bullam reperitur (b): en ipſius verba: „ Ab aliquibus „ dubitari accepimus, an ſaltem impedimentum „ cognationis ſpiritualis hujuſmodi inter maritum vel uxorem ſuſcipientis & baptizatum, nec „ non inter maritum vel uxorem ſuſcipientis, „ & patrem ac matrem baptizati vigeat .... Nos „ .... a præciſis verbis Concilii minime diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus: & propterea „ nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujuſmodi ſubeſſe decernimus & declaramus, quominus inter dictos maritum vel uxorem ſuſcipientis & baptizatum, baptizatique „ patrem & matrem, & quaſcumque alias perſonas, tam ex parte ſuſcipientis quam & baptizatis, in dicto Concilio nominatim non „ expreſſas, matrimonium licite & libere contrahi poſſit.

(b) S. Pius V. in conſt. Cum illius vicem &c. in Bullar. to. 2. pag. 203. col. 2.

CASUS II.

NICETIUS ab Alexandro ſeptemdecim annos natus baptizatus eſt: aliquando poſt Alexander nubens Mathurinam duxit uxorem, & elapſis tribus menſibus obiit, An poteſt deinceps Nicetius Matrimonium inire cum Mathurina ſine diſpenſatione?

RESPONS.

Ad ſolutionem præſentis difficultatis ſufficiunt præmiſſa in ſuperiori: neque enim ulla intercedit cognatio vel affinitas ſpiritualis inter Nicetium & Mathurinam; ita ut ſimul nubere poſſint abſque diſpenſatione. Ratio eſt, quia hujuſmodi cognatio non contrahitur inter perſonas in jure expreſſas, quæ actu ipſis attributas habent qualitates, uti declarat S. Pius V. in relata modo conſtitutione, Concilii Tridentini Decreto (c) omnino conſentanea.

Certum quidem eſt, aliter ſenſiſſe Doctorem Angelicum (d) pro iis, qui ſuum conſummarunt matrimonium: ſed advertendum, S. Thomam diu ante Tridentinum ſcripſiſſe, & eſſe locutum conformiter ad jus antiquum (e), quod ſuo vigebat tempore, quodque ab illo Concilio fuit reformatum. Ita obſervat Sylvius his verbis (f): „ Docet „ cognationem ſpiritualem a viro tranſire in uxorem & contra, ſecundum ſcilicet jus antiquum, „ quo tranſibat a viro in mulierem carnaliter cognitam: ſed nunc poſt conſtitutionem Concilii „ Tridentini res non ſe habet, nec enim eſt ſpiritualis propinquitas ſeu cognatio inter baptizantem & ſuſceptorem, neque inter ſuſceptuſ„ ros, neque inter baptizatum & filios baptizantis vel ſuſceptoris; ſed tantum eſt propinquitas „ baptizantis cum baptizato & ejus parentibus; „ ſuſcipientis aut ſuſcipientium etiam cum baptizato & ejus parentibus .... nec aliquid prohibet filiaſtrum accipere in matrimonium uxorem aut filiam ſui patrini (g).

(c) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de ref. matrim. c. 2.
(d) S. Th. in 4. diſt. 42. q. 1. ar. 1. quæſtiunc. 2. in corp.
(e) Bonif. VIII. in cap. ſedum t. de cogn. ſpir. in 6. 1. 4. tit. 3.
(f) Fr. Sylv. in ſuppl. S. Th. q. 56. ar. 4.
(g) Item Nav. Man. c. 22. n. 19. & alii omnes DD.

CASUS III.

AUDENTIUS in urgenti neceſſitate puerum ſacris baptiſmi aquis abluit, quem ab Apollonia, puella a ſe corrupta ſuſcepit. An ex facto Audentii oritur ſpiritualis cognatio inter ipſum & Apolloniam; quæ ſit impedimentum dirimens matrimonii, quod cum ipſa contrahere intendit, licet neceſſarium penitus ei fuerit, proprium filium brevi moriturum baptizare?

RESPONS.

In hoc caſu inter Audentium & Apolloniam interjacet impedimentum dirimens cognationis ſpiritualis, quam iſte ſuam baptizans prolem contraxit; atque adeo cum Apollonia nubere valide non poteſt, niſi poſt obtentam diſpenſationem legitimam. Neque ex neceſſitate baptizandi impeditur hujuſmodi cognatio: cum enim impedimentum illud Eccleſia non conſtituerit tanquam pœnam, quam mereantur illud contrahentes, ſed tan-

tanqnam mutuæ & indebitæ in ſe invicem teverentiæ teſtimonium; dici nequit, abſque ſua culpa puniri Audentium iſtam contrahendo affinitatem, cum ea contrahi etiam poſſit per actionem bonam, uti contrahi poteſt irregularitas aliquid ſaciendo, quod ſit coram Deo remuneratione dignum. Ita communiter docent Theologi & Canoniſtæ celeberrimi. *Si quis in neceſſitate baptizaret filium ſuum*, inquit doctus S. Thomæ interpres (*a*).... *Talis incurreret impedimentum dirimens: adeoque non poſſet inire validum matrimonium cum ſua concubina*. *Si dicas*, addit Theologus, *neque hunc debere puniri propter actum baptizationis licitum, imo neceſſarium: Reſpondeo, eum non puniri: contrabit enim cognationem, quæ ſubſequens matrimonium dirimit non ad pœnam, ſed ad quoddam amicitiæ genus pertinet*. Nec aliter ſentiunt Proſper Fagnan. & Navarrus (*b*).

(*a*) Fr. Sylv. in ſuppl. 3 part. ſum. S. Th. q. 56. art. 1.

(*b*) Proſper. Fagn in c. ſi vis de cogn. ſpirit. Navar. Man. 2. 1. n. 4. & conſil. 5. de cognat. ſpirit.

CASUS IV.

Joannes Laicus, viginti annos natus, cum puerum Mariæ in urgenti neceſſitate baptizaſſet, cum ea poſtea rem habens adulterinum etism ſuſcepit filium quem in ſimili pariter neceſſitate baptizavit: qua de re quæritur, utrum cum ea ſpiritualem in utroque caſu cognationem contraxerit, hoc eſt, quia in tali neceſſitate primum Mariæ, quacum nondum deliquerat, filinm baptiaavit, & quia alterum, eujus ipſe pater erat, filium ſimiliter baptiaavit, & uttum ob eam rationem validum cum ea non poſſit inire matrimonium?

Respons.

Conſtat, Joannem, qui primum Mariæ filium licet in extrema neceſſitate baptiaavit, cum ea ſpiritualem contraxiſſe affinitatem, quæ eſt impedimentum dirimens matrimonii, quod cum illa cupiebat inire. Id probatur Auctoritate Bonifacii VIII. (*c*), qui cum præmiſit, eum, qui de ſacro fonte puerum ſuſcipit, cognationem ſpiritualem contrahere cum patre & matre pueri, & eum ipſo puero, addit, *& eadem, quæ de ſuſceptione ſunt dicta, ſunt etiam de baptiſmate cenſenda*. 2. Ex Concilio Trid. quod idem in pari caſu definit (*d*): neque ex præſuppoſita baptiſmatis neceſſitate impeditur, ne cognationem iſtam Joannes contraxerit, ut docent Hoſtienſis, Archidiaconus, Bellamera, Angelus de Clavaſio, Covarruvias, Sylveſter, aliique Canoniſtæ (*e*).

(*c*) Boniſac. VIII. in c. nedum 2. de cognat. ſpir. in 6. l. 4. tit. 3.

(*d*) Conc. Tr. ſeſſ. 26. c. 2. de reform. matr.

(*e*) Hoſtien. in ſum. eod. t. § Et an aliquis n. 5. Archidiacon. & Bellamera in can. Omnes § 30. q. 1. Angelus de Claval. v. Matrimon. 3. impedim. 6 in 16. Covarruv. in lib. 3 Decret. 2. part. c. 6. § 4. n. 4. Sylveſt. v. Matrimon. 8. q. 7.

Nec minus certum eſt, uti probamus in reſponſione ad caſum proximum, Joannem contraxiſſe impedimentum dirimens cognationis ſpiritualis in ſecundo caſu, ſacris abluendo aquis baptiſmi filium, quem e Maria ſuſcepit, quamvis eum in extrema tantum neceſſitate baptizaverit: nihil quippe in jure reperitur, quo excuſari poſſit. Equidem Joannes VIII. (*f*) ſcribens ad Anſelmum, Epiſcopum Lemovicenſem de patre, qui in neceſſitate pari ſuum coactus fuerat baptizare filium, aſſerit, quod propter hanc cauſam a muliere ſua non debet ſejungi *quoad thorum*; quia in hoc laudabiliter tantum egit: *Bene feciſſe laudatur: idcirco ſuæ uxori ſibi jam legitime ſociatæ, impune, quamdiu vixerit, judicavimus manere conjunctum*. At ſi jus in ſimili circumſtantia legitimo patri faveat, nihil tale reperitur, quod ei faveat, qui, Joannis inſtar, eſt tantum filii pater naturalis. Et quidem ob eam rationem maritus qui ſuum baptizavit filium, a propria uxore ſeparari non debet, quia non æquum eſt, ut ex eo quod laudabiliter egerit, jus amittat jam acquiſitum in corpus uxoris ſuæ: at idem nequit affirmari de illo, qui filium, infelicem criminis ſui factum baptizavit, cui ei nullum jus competeret in corpus Mariæ, & cui etiam deinceps commiſceri nequit abſque novo crimine. Colligendum eſt itaque, Joannem validum cum Maria non poſſe matrimonium inire, cum actu baptizandi filium, quem ab ea ſuſcepit, factus eſt ejus compater, uti jam contraxerat affinitatem in primo caſu. Ita rem definit Canon antiquus, quem Gratianus Papæ Deo-dato (*g*), quamvis falſo, adſcribit, loquendo de iis, qui proprios filios de ſacro baptiſmi fonte abſque neceſſitate ſolum levaverant: nam Papa declarat Gordiano, Epiſcopo Hiſpalenſi, in ſua conſtitutione ſe Prædeceſſorum ſuorum Julii, Innocentii, & Cœleſtini ſequi veſtigia. Multa quoque poſſent afferri juris teſtimonia; at ſuperfluum jam allatæ probationes, ut nobis videtur; addemus tantum quod de ſe loqnens aſſerit Navarrus (*h*), quod nimirum. *Interrogatus Romæ*, inquit, *an qui infantem ſemeſtrem filium ſuum, quem abortivit amica ejus, baptizavit jam moriturum, abſente Clerico, poſſet ducere in uxorem illam amicam: reſpondit non poſſe: quia licet neceſſitas efficiat, ut poſſit compater cum uxore ſua jam nupta, eademque commatre, licitam rem habere .... non tamen efficit, ne naſcatur compaternitas, quæ ante matrimonium illud impediat & dirimat*. Alibi rem eandem docet hic Canoniſta (*i*). Ita quoque ſentiunt Sanchez, Fagnanus, aliique permulti Doctores (*K*).

(*f*) Joannes VIII. in can. Ad limina 7. 30. q. 1.

(*g*) Can. Pervenit t. 30. q. 4.

(*h*) Nav. Man. c. 20. n. 13.

(*i*) Id. Conſ. 5. de cogn. ſpir.

(*k*) Sanchez. de matr. l. 7. diſp. 62. n. 10. Fagn. in c. ſi vis de cognat. ſpirit.

CASUS V.

Josapha, puella nobilis octo tantum annos nata, de ſacro baptiſmi ſonte Armandum ſuſcepit. Num duo illi aliquando ſimul nuptias inire poſſunt?

Respons.

Generalis eſt regula, perſonam, quæ aliam de ſacro ſonte ſuſcipit, cum ea contrahere impedimentum dirimens, ſcilicet affinitatem ſpiritualem. Atqui Concilia omnia, Canones, & Decretales, quibus conſtituta eſt illa impedimenti ſpecies, univerſim loquuntur, & ne uno quidem excipiuntur impuberes; unde ſequitur, quod, cum de omnibus indiſtincte jus loquatur, inter eos quoque nulla adhibenda eſt diſtinctio, juxta illud juris effatum: *ubi jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus* (*l*). Atque adeo veram cognationem ſpiritualem cum puero a ſe ſuſceptam Joſepha contraxit; qua cognatione ad contrahendum ſimul fiunt inhabiles. Ita nimirum rem definivit Congregatio Concilii, ut teſtatur Fagnanus his verbis (*m*): *Reſpondit* (Sacra Congregatio) *contractum quidem eſſe Cognationem ſpiritualem non obſtante ætate*. Ejuſque rei quatuor potiſſimum affert rationes *quia 1. nullus Canon, nullum Concilium, nullus Doctor in terminis decidit contrarium: 2. tum quia ſicut ætas levati non impedit, quin levans major 14. annis contrahat hanc cognationem cum levato, quamvis anniculo, vel paucorum menſium, aut dierum, ita nec impedit, quando levans eſt minor quatuordecim. 3. tum quia licet minor quatuordecim, potuit tamen inſtruere minorem. 4. tum quia, reperiuntur Canones tantum, qui repellunt non baptizatum, Abbatem & Monachos, nec alii repelluntur: ergo etiam infantes & impotentes admiſſi cenſebuntur*. Quæ ultima ratio, quamvis negativa, alicujus tamen eſt momenti.

(*l*) Arg. leg. de pretio ff. de publicana in rem actione l. 5. til. 2.

(*m*) Fagn. in c. Ex litteris de cognat. ſpirit. n. 10.

CASUS VI.

Theodatus, hæreticus, ſchiſmaticus, aut infidelis baptizavit aut de ſacro ſonte Nicolaam ſuſcepit. An ex eo ſpiritualem contraxit cognationem, quæ ſit impedimentum dirimens matrimonii, quod ſimul inire intendunt?

Respons.

1. Si Theodatus ſit infidelis, aut nondum baptizatus, nullam ſpiritualem contraxit cognationem cum Nicolaa, quam baptizavit, vel de ſacro fonte ſuſcepit; quia nondum baptizatus, cum non habeat in ſe ſpiritualis vitæ principium, nullum ejus poteſt recipere effectum, uti probant iſta S. Thomæ verba (*n*): *Qui non eſt baptizatus non poteſt aliquem levare de ſacro fonte, cum non ſit membrum Eccleſiæ, cujus typum gerit in baptiſmo ſuſcipiens, quamvis poſſit baptizare, quia eſt creatura Dei, cujus typum gerit baptizans, nec tamen aliquam cognationem contrahere ſpiritualem poteſt, quia eſt expers ſpiritualis vitæ, in quam homo primo per baptiſmum naſcitur*. Alibi ſententiam ſuam probat Angelicus Doctor (*o*) hac ratione; quia patrini tenentur docere filios ſuos ſpirituales ea omnia, quæ pertinent ad fidem, & neceſſaria ſunt ad ſalutem. Eccleſia enim recens baptizatis patrinos concedens hoc unum intendit, ut eorum ſaluti conſuleret, uti ait S. Auguſtinus,

(*n*) S. Th. in 4. diſt. 41. q. 1. ar. 3. q. 3. ad 4.

(*o*) Idem 3. par. q. 27. ar. 8.

nus, a Gratiano in canone relatus (*a*) necesse est igitur ut fidem ac Religionem Christianam profiteantur, de qua pueros illos imbuere tenentur. Id quoque probat Glossa in canonem depromptum ex Concilio Moguntino (*b*): en autem verba Canonis: *In baptismate vel in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus vel confirmatus.* Cujus rei hanc rationem profert Glossa; *quia patrini debent instruere filiolos suos in symbolo & in aliis .... hoc facere non possunt, qui primo in eis instructi non fuerint.* Quod probat auctoritate Gratiani (*c*), quibus probationibus istud addi potest ratiocinium. Qui nondum secundum carnem natus est, non potest habere consanguineos aut affines secundum carnem. Ergo qui non natus est secundum spiritum per Baptismum, eosdem habere nequit secundum eundem spiritum (*d*).

(*a*) S. Aug. in can. Vos ante 105. de consecrat. dist. 4.
(*b*) Glos. in c. Baptismatis 102. ibid. v. Baptizatus.
(*c*) Gratian. §. Necesse dist. 47.
(*d*) Sylv. in 3 par sum. S. Th. q. 67. ar. 7. & in suppl. qu. 56. Richar. & alii DD. in 4.

2. Quod spectat ad baptizatos, constat, quod puerum vel baptizando, vel de sacro baptismi fonte levando, cognationem spiritualem contrahunt, quamvis sint hæretici, schismatici aut Apostatæ, ut patet ex rationibus hactenus allatis, quæ simul probant, omnes hujusmodi homines, nunquam esse admittendos, ut sint patrini vel matrinæ (*e*).

(*e*) Domin. Sot. in 4. dist. 42. q. 2. ar. 5.

CASUS VII.

Servius, Christianus, Amurati infidelis filiam baptizavit. An ideo cum patre & matre hujus filiæ cognationem spiritualem contraxit?

Respons.

Quamvis Servius cognationem hanc spiritualem cum puella a se baptizata certo contraxerit, certum est etiam hanc ipsum non contraxisse cum parentibus infidelibus filiæ; quia, ut in superiori decisione probavimus, nullius cognationis spiritualis infideles sunt capaces, quia unicum hujus principium est baptismus, quem non receperunt. Cumque cognatio illa sit qualitas relativa, quæ proinde esse nequit in baptizante, nisi sit in baptizato: contrahi non potest a Servio pro patre & matre, cum duo illi infideles hanc pro se ipso contrahere non possint. Ita sentit S. Thomas, ut patet evidenter ex ejus verbis in præcedenti decisione laudatis. Ita quoque Richardus & Navarrus (*f*).

Eandem quoque Doctrinam tuetur Dominicus Sotus angelici Doctoris auctoritatem allegans: sic autem quæstionem proponit (*g*), *Utrum si quis baptizet, aut levet de fonte filium Judæi vel Gentilis, contrahat cum patre affinitatem?* ad quam petitionem ita respondet; *Glossa canonis 1. 30. q. 1. illud affirmat. At vero divus Thomas id meritissimo negat, neque in dubium revocari debet, quoniam fundamentum cognationis spiritualis esse est spirituale, quod per regenerationem baptismi suscipimus, & ideo, sicut non baptizans nullam contrahit cognationem cum baptizato, ita e converso neque baptizatus ullam contrahit cum non baptizato.*

(*f*) Navar. Man. c. 22. n. 36. Et apud eum S. Th. & Richard. in 3. dist. 42. q. 1. a. 3.
(*g*) Dom. Sot. in 4. dist. 42. q. 1. ar. 3. Concl. 2. §. Postrema.

CASUS VIII.

Cæsar de sacro fonte levavit Agnetem, quæ jam domi ab Obstetrice baptismi aquis fuerat abluta, & cui baptismi cæremoniæ supplebantur. An inter ipsum & Agnetem in hoc casu intercedit cognatio spiritualis, quæ sit impedimentum dirimens matrimonii?

Respons.

Diximus supra in solutione primæ difficultatis, quæ ad rem istam pertinet, affinitatem seu cognationem spiritualem, quæ est impedimentum dirimens matrimonii, tantum in baptismo vel confirmatione contrahi inter quasdam personas, Concilio Tridentino expressas (*h*): Unde sequitur nullam reperiri inter Cæsarem & Agnetem: quandoquidem Concilium de iis tantum loquitur, qui puerum in solemni baptismi administratione facta cum solitis Ecclesiæ cæremoniis suscipiunt; non vero de iis, qui patrini vices in cæremoniarum tantum supplemento gerunt. Consentit hæc sententia cum ista juris regula (*i*): *Odia restringi & favores convenit ampliari*: nam impedimentum illud est res odiosa, eo quod voluntatem eorum, qui nubere cupiunt, restringat, iisque facultatem matrimonii adimat, cum inter eos intercedit ista cognationis species.

(*h*) Conc. Tr. sess. 24 de ref. matrim. c. 2.
(*i*) Reg. 15. de reg. jur. in 6.

Probari potest nostra hæc opinio auctoritate supplementi S. Thomæ, cujus hæc sunt verba (*K*): *sicut cognatio carnalis*, inquit, *non contrahitur nisi per actum generationis completum: unde etiam affinitas non contrahitur nisi facta commixtione seminum ex qua potest sequi generatio carnalis; spiritualis autem generatio non perficitur nisi per aliquod Sacramentum. Unde non videtur conveniens, quod spiritualis cognatio contrahatur nisi per aliquod sacramentum.* Ita quoque manifestius rem definit Sylvius (*l*) dicens; *si quis post Baptismum, domi propter necessitatem collatum, adhibeatur ut patrinus, tunc quando solemnes cæremoniæ supplentur, nullam etiam contrahit propinquitatem.* Eandem opinionem tuentur Navarrus (*m*) Bancelius, & Auctores Colloquiorum Luconensium (*n*), & Andegavensium (*o*).

(*k*) Suppl. 3. p. sum. S. Th. q. 56. a. in corp.
(*l*) Fr. Sylvius in cit. q. at. 3.
(*m*) Navarr. Man cap 22. n. 20.
(*n*) Lud. Bancel. v. Matrimon. ad q. 8. Colloq. Luc. 9. q. 2.
(*o*) Colloq. Andeg. Octob. an. 1703. q. 4.

CASUS XI.

Leopoldus puerum de sacro baptismi fonte suscepit, ut procurator Theotimi, quem patrinum parentes elegerunt, quamvis abesset. An spiritualem contraxit propinquitatem cum puera ejusque parentibus?

Respons.

Respondemus, Leopoldum, cum puerum hunc Theotimi solum nomine & tanquam ejus in hanc rem procurator susceperit, nullam & cum puero & cum parentibus ejus spiritualem contraxisse cognationem. Ratio est, quia cum ex Concilii Tridentini (*p*) terminis: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahant*, satis manifeste apparet nullam contrahi ab eo propinquitatem, qui alterius tantum nomine & ut ejus procurator puerum suscipit, cum curator ipse non eligatur, neque designetur patrinus, sed ille solus, cujus in hoc munere est procurator. Quam rationem urget Sylvius (*q*) asserens, ita fuisse definitum a sacra Cardinalium congregatione (*r*). *Procurator autem*, inquit hic Theologus, *est ultra designatos: designantur enim principales, non autem eorum procuratores. Ita respondit congregatio Cardinalium ut tradit Emmanuel Sa*, verb. *matrimonii impedimenta*, opinionem suam multis rationibus confirmat Sylvius, quarum præcipua est: *quia quæ procurator agit, non agit nomine suo, sed alterius.* Ex quo ita concludit: *Ergo non ipse cognationem contrahit, sed alter.* Decisioni huic assentiuntur permulti insignes Canonistæ, quales sunt Panormitanus, Joannes de Anania, Joannes Andreas, Navarrus & Fagnanus (*s*).

(*p*) Conc. Tr. cit. cap. 2.
(*q*) Fr. Sylv. in suppl. 3. part. summæ S. Th. q. 56. art. 3.
(*r*) Pius IV. in Bulla alias 81 Sixtus V. in Bulla Immensa, 74. Bullar. mag. to. 2. pag. 112.
(*s*) Panor. in c. veniens de cognat. spirit. Jo. Andr. in c. potest quis de reg. juris in 6. Prosp. Fagn. in cit. c. veniens.

CASUS X.

Marcellinus ab Ambrosio rogatus, ut modo parituræ conjugis prolem de sacro fonte vellet levare, & in longinquam regionem iter habere coactus, Marcum constituit procuratorem suum, qui puerum nomine suo susciperet. An cognationem spiritualem Marcellinus, quamvis absens contraxit?

Respons.

Marcellinus juxta probabiliorem sententiam cum puero, quem ipsius nomine Marcus e sacro fonte suscepit, & cum patre & matre ejus, spiritualem contraxit cognationem. Cujus rei rationem præcipuam suppeditat ista juris regula (*t*): *Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum.* Ex ea quippe colligi potest, quod, cum Marcellinus a parentibus pueri patrinus designatus fuerit, & Marci ministerio, quem specialiter ad id commisit, munus illud obierit, per se ipsum illud obiisse censetur, cum de mandato proprio illud obierit ipsius procurator; ut

(*t*) Reg. 72. de reg. juris in 6.

do-

docet Sylvius (*a*), qui asserit, quod, si is, qui procuratori partes suas demandat, spiritualem non contraheret cognationem, nullus puero esset patrinus, cum procurator ipse nec suo nec mandantis nomine eam contrahat. „ Alioquin dicendum „ foret, illi puero, quem soli procuratores suscipiunt, nullos esse patrinos, si nolint eum suscipere nomine proprio, sed tantum alieno: id „ quod non videtur admittendum, quia hoc esset „ contra universalem Ecclesiæ legem & consuetudinem.

(*a*) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 56. art. 3.

Id unum apparenter objici potest. Quando pater pueri Parochum rogavit, ut suum baptizaret puerum, certum est, quod, si Parochus ille alium committat Sacerdotem, qui pro se baptiet; non Parochus, sed solus Sacerdos commissus & baptizans spiritualem contrahit affinitatem. Ergo a pari idem dicendum de eo, qui alium committit, ut nomine suo, puerum suscipiat; cum potior videatur esse ratio contrahendi in mandante, quam in Parocho.

Argumento huic respondet Sylvius negando consequentiam; quia non valet paritas inter Parochum & Patrinum mandantea, ut is pro se baptizet, alter vero pro se suscipiat. „ Respondeo, „ *inquit hic Auctor*, negando consequentiam, quia „ iste alius baptismum ministrat, & non Parochus; Jure autem Ecclesiastico eam cognationem contrahit baptizans: qui vero, ut procurator, baptismo assistit, officium susceptoris non „ acceptat sibi, sed principali: cognationem autem contrahit is, qui sit susceptor, seu qui „ officium susceptoris sibi acceptat.

CASUS XI

APOLLONIUS, S. Ildefonsi Parochus, factam a Concilio Tridentino (*b*) prohibitionem, ignorans, ne plures, quam unum patrinum, aut saltem patrinum unum cum matrina admittantur ad baptismum Tertullo, Parœciæ suæ Domino ita indulsit, ut patrinos duos matrinasque duas admitteret. An isti quatuor spiritualem omnes contraxere propinquitatem cum baptizato ejusque parentibus? An vero duo solum contraxere, & quinam sunt?

(*b*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matrim. c. 2.

RESPONSIO.

Certum quidem est, quod ista a Concilio Tridentino facta fuerit prohibitio, imo statuit sacrosancta ista Synodus, ut, *si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur*. At non declarat, quod si plures, quam unum admiserit patrinos, omnes spiritualem non contraherent affinitatem. Unde videtur, nihil de novo fuisse constitutum a Concilio de hac parte disciplinæ, atque adeo patrinos omnes matrinasque statutum superantes numerum, cum baptizato ejusque parentibus spiritualem, ut ante, contrahere propinquitatem. Ita docet Sylvius his verbis (*c*): „ Verum, cum Concilium nihil dicat „ de simili casu, sed loquatur solum de illo, ubi „ ex pluribus duo tantum, ut fieri vult, desig„nantur, Navarrus (*d*) censet omnes contrahere, idemque asserit de alio casu, ubi nulli „ essent a Parocho designati, & plures suscipe„rent, & favet Concilium dicens: *Si Parochi* „ *culpa vel &c.* Cum alioquin dicendum fuisset: „ *nulli contrahant. Quare in simili casu* esset ergo, „ *addit idem Theologus* saltem pro securitate, petenda dispensatio: nec deberet Parochus ante „ illam conjungere eos, de quibus esset hæc difficultas. „ Subjungitque idem Sylvius, ita sentire sacram congregationem Cardinalium Concilii Trid. interpretum, aliosque permultos, quos laudat, Auctores (*e*).

(*c*) Fr. Sylv. in 1. par. sum. S. Th. q. 67. art. 6. in fine.

(*d*) Nav. Man. cap. 22. n. 19.

(*e*) Marinus Alphons. Vivaldus Molanus Cabrera Henriquez Carolus Fevret apud cit. Sylvium.

CASUS XII.

BERTOLDUS, qui Patrini munia obivit in baptismo Marthæ, neque suscepit, neque omnino tetigit hanc puellam per totam baptismi Cæremoniam. An tamen cognationem spiritualem non minus contraxit, quam si tetigisset?

RESPONSIO.

Contendunt nonnulli Auctores, quod juxta ista Tridentini verba: *Si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant* (*f*), necesse sit ut puer tangatur ad contrahendam cognationem. Verisimilius tamen videtur, ex verbis non probari, quod necessarius sit ad illam contrahendam pueri contactus corporeus, sed quod sufficit, ut quis designetur & admittatur ad functionem Patrini: præterquam quod post Sylvium dici potest (*g*), ad literam & rigoroso sensu verbum, *tetigerint* non esse sumendum, uti sumunt quidam Auctores (*h*), sed latiori significatu, pro *susceperint*, aut *fidejusserint*. Existimamus igitur satis esse, si verbo, aut præsentia sua ostendat quis, se de sacro fonte, puerum suscipere. „ Ex iis enim verbis, ait Sylvius, habetur „ quidem non sufficere contactum, nisi is qui „ tangit fuerit ad hoc designatus: sed non dici„tur, quod ille contactus sit necessarius „. Alibi etiam sic loquitur (*i*): Ut quis sit patrinus, debet eum quem suscipit manu tenere, vel signis, verbis & assistentia declarare, quod eum officio susceptoris offerat ad baptismum.

(*f*) Conc. Tr. sess. 24. c. 2. cit.

(*g*) Fr. Sylv. in 3. par. q. 67. ar. 7. cit.

(*h*) Mart. ana Bonacina & Petr. Ledesm.

(*i*) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 56. art. 3.

Videtur quoque, decisionem istam confirmari posse ex variis Diœceseon usibus: in aliis quippe, uti in Cameracensi, Mephliniensi & Yprensi, ex Pastorali constituitur, ut, dum abluitur infans, eum Patrinus tangat. Atrebatense vero Rituale tantum exigit, ut tangatur dum accipit stolam candidam & lampadem ardentem; qua in re consentit cum Ordine Romano (*k*). Alcuinus, Præceptor Caroli Magni, & discipulus Venerabilis Bedæ, loquens de patrinis, asserit, eos intra manus suas pueros suscipere, statim atque baptismo initiati sunt, eis Sacerdos orationem recitavit, quæ immediate post susceptionem hujosce Sacramenti dicitur. Denique Rituale Romanum statuit quidem, ut patrini puerum teneant, eum ipsi per immersionem conferatur baptismus; sed eum excipit casum, in quo ipsi confertur per effusionem, ut advertit Sylvius. Ex his igitur diversis usibus concludi potest, non necessarium esse absolute pueri contactum, ut cognatio aut affinitas spiritualis contrahatur.

(*k*) Ordo Roman. tit. de Sabbato sancto.

CASUS XIII.

CUM SI QUATUOR homines obtulissent ad suscipiendum de sacro baptismi fonte puerum, Parochus eum omisit designare, qui patrinus admitti poterat conformiter ad constitutionem Tridentinæ Synodi. An illi omnes spiritualem contraxere propinquitatem?

RESPONSIO.

Videtur non esse dubium, quominus illi quatuor spiritualem affinitatem cum baptizato ejusque parentibus contraxerint; ut patet ex definitione Bonifacii VIII. (*l*), qui in una ex Decretalibus suis ita loquitur. „ Quamvis non plures, quam u„nus vir, vel una mulier accedere debeant ad su„scipiendum de baptismo infantem juxta Sacro„rum Canonum instituta; si tamen plures ac„cesserint, spiritualis cognatio inde contrahitur ma„trimonia contrahenda impediens & etiam post „ contracta dissolvens. *Ad quod ait Glossa* (*m*): Sci„ licet cum omnibus, & sic multa fieri prohi„bentur, quæ facta tenent.

(*l*) Bonifac. VIII. in cap. Quamvis fin. de cognat. spirit. in 6.

(*m*) Glos. in cit. c. Quamvis v. Contrahitur.

Confirmari potest hæc sententia ex ipsis Concilii Tridentini verbis: nam prohibuit quidem illud Concilium, ne plures, quam duo admitterentur ad suscipiendum puerum in baptismo: at non declaravit, quod tres quatuorve admissi cognationem spiritualem non contraherent: econtra manifeste supponit, quoslibet designatos & admissos eam contrahere, affirmando, quod non designati eam non contrahant (*n*): *Si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem non contrahant*. Atqui quatuor illi homines, de quibus fit mentio in casu proposito, indistincte a Parocho fuere admissi, cum nemo ex iis fuerit exclusus. Igitur illi quatuor eam contraxerunt, quamvis Parochus deliquerit in regulas Ecclesiæ, quæ prohibet, ne plures, quam duo admittantur. Ita sentit Sylvius cum aliis permultis, quos laudat (*o*).

(*n*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matr. c. 2. cit.

(*o*) Sylv. in 3. par. sum. S. Th. q. 67. ar. 3. Et apud eum Navar. Man. c. 22. n. 39. Molanus Vivald. Cabr. Henriquez.

CA-

CASUS XIV.

Gracilianus, qui Benedicti in confirmatione fuit patrinus, potest ne valide uxorem ducere matrem aut sororem Benedicti?

Respons.

Magnum est in casu proposito discrimen inter matrem & sororem Benedicti? nam Gracilianus valide quidem potest nubere cum ejus sorore absque ulla dispensatione; sed non potest cum ipsius matre. Ratio est, quia cognatio seu affinitas spiritualis eodem modo in confirmatione contrahitur, atque in baptismo, uti declarat Bonifacius VIII. (*a*): *Ex Confirmatione, sta frontis Chrismatione*, inquit hic Papa, *spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impeditus contrahenda, & dirimeus post contracta*. Atqui cognatio spiritualis, ut diximus, contrahitur tantum inter patrinum & filiastram & matrem ejus, & inter matrinam & filium spiritualem & patrem ejus. Ita in Confirmatione non contrahitur, nisi inter confirmantem & confirmatum, & inter patrinum & eumdem confirmatum, & patrem ac matrem confirmati. *Ea quoque cognatio*, inquit Concilium Tridentinum (*b*), *quæ ea Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

(*a*) Bonifac. VIII. in c. Nondum. 1. §. 1. de cognat. spirit. in 6.

(*b*) Concil. Trid. sess. 26. de refor. matrim. c. 2. cit.

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS.

COGNATIO Legalis est impedimentum dirimens matrimonii, quæ contrahitur per adoptionem, quæ ex Polmano (*c*) nihil est aliud quam *naturalis generationis imitatio inventa ad illiberorum solatium, ut naturæ infecunditatem, familiæve orbitatem illa suppleret.*

(*c*) Polm. part. 3. n. 147.

Duplex est adoptionis species: prior, quæ *adrogatio* dicitur, his verbis definiri solet: *Adrogatio, est personæ sui juris in alienam familiam assumtio*. Altera, ea est, quæ simplex seu civilis adoptio nuncupatur, & definitur, *filiifamilias in alienam familiam assumtio* (*d*). Patebit in sequentibus decisionibus, 1. Inter quas personas adoptio sit impedimentum dirimens. 2. Quæ sint personæ, quibus liberum est adoptare. 3. In quibus circumstantiis fieri potest adoptio.

(*d*) Id. ibid. n. 148. & seq.

CASUS PRIMUS.

BLASIUS, recens Parochus, & jurisprudentiæ non ita peritus, scire peroptat, utrum quælibet adoptionis species sit impedimentum dirimens matrimonii. Quid ipsi respondendum est?

Respons.

1. Parocho huic exponendum est, quid sit adoptio, cujus definitionem istam affert Sylvius (*e*) post sanctum Thomam. *Docet* (sanctus Thomas) (*f*), *adoptionem convenienter definiri quod sit*; Personæ extraneæ in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumtio. Qua de re observandum est, verbis istis *personæ extraneæ*, intelligi personam, *quæ erat extra potestatem adoptantis, & a jure, ad quod assumitur, aliena*, ut loquitur idem Theologus: & istis aliis verbis, *legitima assumtio*, intelligi adoptionem, *quæ debet fieri secundum formam legum*.

(*e*) Sylvius. suppl. S. Tho. q. 17. art. 1.

(*f*) S. Th. in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. ad 7.

2. Blasio dicendum, quod duplex est adoptionis species: una perfecta, quæ a Jurisconsultis proprie dicitur, *adrogatio*, qua is qui, cum esset sui juris, adoptatur, transit in potestatem adoptantis, eique succedit, uti filius ejus aut heres: quæ adoptionis species a solo Principe confirmari potest. Altera adoptionis, simplicis dictæ, species, fit per solam Magistratus auctoritatem, quin adoptatus transeat in potestatem adoptantis, aut jus acquirat ad ejus hereditatem, & necesse sit, ut adoptatus sit *sui juris*. Sic autem de duplici illa adoptionis specie leges loquuntur: *Generalis enim adoptio duobus modis fit*, inquit una ex his legibus (*g*), *aut Principis auctoritate, aut Magistratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt: quæ species adoptionis dicitur adrogatio; quia & is qui adoptat, rogatur, id est interrogatur, an velit, eum quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse: & is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. Imperio Magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt, sive primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia; sive inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis &c.* Lex illa jure novo Imperatoris Justiniani (*h*) confirmata est, ac duplicem illam adoptionis speciem agnoscit Ecclesia, de qua sic loquitur sanctus Thomas (*i*): *Filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis; & ideo duplex est adoptionis species. Una, quæ perfecte imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur adrogatio, per quam redacitur adoptatus in potestatem adoptantis: & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum sine culpa privare quarta parte hereditatis. Sic autem adoptari non potest, nisi ille, qui sui juris est, qui scilicet postquam adoptatur, non habet potestatem, aut si habet, est mancipatus, & hæc adoptio non fit nisi auctoritate Principis. Alia est adoptio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfecte, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis: unde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta: & secundum hanc potest adoptari etiam ille, qui non est sui juris & sine auctoritate Principis, ex auctoritate Magistratus; & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit.*

(*g*) L. Generalis. 2. ff. de adopt. L. 1. tit. 7.

(*h*) §. Adoptio. Institut. eod. tit.

(*i*) S. Th. cit. art. 1. ad 2.

3. Parocho huic respondendum, ex S. Thoma & Sylvio (*K*) solam priorem adoptionis speciem esse impedimentum dirimens matrimonii, eo quod simplex adoptio nullam queat producere cognationem. *Hanc autem esse mentem beati Thomæ patet, cum ex corpore hujus articuli*, inquit Sylvius, *tum ex responsione ad primum & quartum articuli sequentis*. Idem quoque docent alii multi primæ notæ Auctores.

(*K*) Sylvius loc. cit. art. 2. Et apud eum Sylvester de Prierio. v. Matrimonium 8. q. 8. Innocent. I. Dom. Soto. in 4. dist. 42. art. 2. q. 2. Petrus Ledesma Sanchez.

CASUS II.

BLASIUS iterum postulat, quotuplex sit species cognationis legalis proprie dictæ, qua illicitum fiat, aut invalidum matrimonium.

Respons.

Ad quæsitum illud respondendum, triplicem esse cognationis legalis speciem. *Prima* (species cognationis legalis) *est ascendentiam & descendentium*, inquit Sylvius (*l*), *quæ scilicet contrahitur inter adoptantem & adoptatum, ac adoptati filios & nepotes usque ad quartam gradum*: atque hæc cognationis legalis species est impedimentum dirimens matrimonium, quod durat etiam post solutionem adoptionis, aut emancipationem personæ adoptatæ. Quod probat hic Theologus ex antiquo Canone Nicolai

(*l*) Sylvius in suppl. S. Tho. q. 17. art. 7.

lai I. (*a*), in quo sic habetur: *Nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, veneranda Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt.*

(*a*) Nicolao I. in can. *Ita.* 2. 30. q. 3.

Secunda *est Lateralis*, inquit idem Auctor, *inter adoptatum & filium seu filiam naturalem adoptantis*; neque in hac linea ultra progreditur. Hinc filius matrimonio jungi nequit cum filia, quam pater suus adoptavit *per adrogationem*: (nam de hac sola adoptionis specie heic agitur); verum illa legalis cognatio non est impedimentum dirimens, nisi quamdiu persona adoptata manet in potestate adoptantis; ut fert Canon, quem e Lege Digestorum (*b*) depromsit Gratianus: quare mortuo patre, aut filiis emancipatis, aut extra potestatem patris quacumque ratione factis, desinit impedimentum. *Per adoptionem quæsita fraternitas eo usque impedit nuptias*, inquit hic Canon, *donec manet adoptio: ideoque eam quam pater meus adoptavit & emancipavit, potero uxorem ducere, æque & si me emancipato, illam in potestatem retinuerit, poterimus jungi matrimonio: itaque volenti generum adoptare, suadetur ut filiam emancipet; similiter suadetur ei qui vult nurum adoptare, ut emancipet filium.*

(*b*) L. *Per adoptionem*. 17. ff. de ritu nuptiar. in can. *Per adoptionem*. 6. ead. causa & q.

Tertia denique aliquatenus *respondet affinitati*, ait Sylvius, *& est 1. inter adoptantem & uxorem adoptati. 2. & inter adoptatum & uxorem adoptantis.* Tertia hæc cognationis legalis species, eodem modo ac prima, matrimonium dirimit, ut fert Lex, cujus hæc sunt verba (*c*): *Adoptivus filius, si emancipatur, eam quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habet. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filii, ducere potest, quoniam aliquando nurus ei fuit.*

(*c*) Leg. *Adoptivus*. 14. ff. de ritu nuptiarum. c. 23. tit. 2.

CASUS III.

Blasius denique rogat, utrum dici possit, intercedere cognationem legalem 1. inter adoptantem & matrem personæ adoptatæ. 2. inter Petrum & Joannam ab Antonio adoptatos?

Respons.

Respondetur, nullam esse cognationem legalem inter personas in proposito casu enuntiatas, quia de ea nulla fit in jure mentio; & illa tantum debet cognatio agnosci, quæ in ipso exprimitur, ut docet Navarrus (*d*); qui tam aperte exponit ea, quæ debent inferri ex divisione cognationis legalis, de qua in duobus superioribus casibus dictum est, ut ejus textum non futurum sit abs re afferre. En igitur ipsius verba: „ Sequitur ... quod adoptans aliquam in filiam suam, non potest cum illa, neque cum aliqua ejus descendente intra quartum gradum matrimonium contrahere: quia sunt tamquam ascendentes & descendentes. Item quod non potest contrahere cum uxore filii adoptivi, eo mortuo, nec filius adoptivus cum matre adoptantis, eo mortuo; quia est cognatio tertiæ speciei, quamvis cum ejus matre, etiam filio vivente, quia inter illos nulla cognatio intercedit. Sequitur item, quod filius adoptivus cum filia naturali adoptantis, hoc vivente, & illa in ejus potestate manente, contrahere non potest: sed sic patre mortuo, aut filia emancipata, ... aut ipse est jam emancipatus: quia hæc cognatio his modis solvitur secundum omnes.

(*d*) Navarr. Manual. c. 22. n. 41.

Idem dicendum de duobus ab eodem homine adoptatis, quales essent Petrus & Joanna ab Antonio adoptati: nam inter duos illos nulla intercedit legalis propinquitas, non magis, quam inter Patrinum & Matrinam, qui eumdem puerum simul de sacro fonte levarunt: atque adeo licite & valide matrimonio jungi possunt. Consentiunt hæc omnia cum legibus & doctrina S. Thomæ (*e*), Sylvii & aliorum Theologorum atque Canonistarum.

(*e*) S. Thom. in 4. dist. 42. q. 2. art. 3. in corp. ad 1. & 2.

CASUS IV.

Archembaldus, triginta annorum ætate provectus, Josephum, octodecim annos natum, filium sibi adoptare cupit. Numquid illud potest legitime?

Respons.

Non licet Archembaldo Josephum pro filio sibi adoptare in præsuppositis circumstantiis: sunt enim regulæ atque conditiones, quibus non observatis unus ab alio nequit adoptari.

Prima est, ut adoptans sit de præsenti connubio, aut fuerit junctus; aut saltem possit conjungi.

Secunda: ut ætatis suæ vigesimum quintum attigerit annum, & sit *sui juris*, ut docet S. Thomas his verbis (*f*): *Adoptio ordinatur ad hereditatis successionem; & ideo illis solis competit, qui habent potestatem disponendi de hereditate sua. Unde ille qui non est sui juris, vel qui est minor viginti quinque annis, aut mulier, non potest adoptare aliquem nisi ex speciali concessione Principis.*

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 42. q. 0. art. 1. ad 3.

Tertia: ut adoptans octodecim annis adoptatum ætate superet, ut statuunt leges (*g*): *Non tantum cum quis adoptat, sed & cum adrogat, ait una ex his legibus, major debet esse eo, quem sibi per adrogationem vel adoptionem filios facit ... decem & octo annis eum præcedere debet.* Idem asseruit Justinianus his verbis (*h*): *Minorem natu majorem non posse adoptare placet: adoptio enim naturam imitatur, & pro monstro est, ut major sit filius, quam pater. Debet itaque is qui sibi filium per adoptionem vel adrogationem facit, plena pubertate, id est, decem & octo annis præcedere.* Ad quæ ultima verba ait Glossa: *Id est, decem & octo annos debet habere plus adoptans, quam adoptatus.* Atque eo nixus fundamento regulam istam statuit Angelicus Doctor, (*i*), *quod minor non potest adoptare seniorem: & ideo oportet secundum leges, quod adoptatus sit in tantum adoptante junior, quod possit ejus naturalis esse filius.*

(*g*) Leg. *Adrogato* 40. §. 1. ff. de adoptionib. & emancipat. l. 1. tit. 7.

(*h*) §. *Minorem natu*. 4. Instit. de adoptionib. l. 1. tit. 11.

(*i*) S. Thom. loco cit. ad 5.

Hinc sequitur, eos qui defectu naturali potentiæ generandi sunt ad contrahendum matrimonium inhabiles, quales sunt, qui utroque teste carent &c.; jure quoque adoptandi carere, ut observat idem S. Thomas (*K*). dicens: *Qui habet impedimentum perpetuum ad generandum ... ei non competit adoptare, sicut nec naturaliter generare.*

(*k*) Idem ibid. ad 4.

Denique addendum est, jus adoptandi mulieribus, uti eo potiebantur in lege Mosaica, non competere: *Mulier non potest adoptare aliquem*, inquit S. Thomas; quod jus ipsis ademit Justinianus (*l*): *Feminæ quoque adoptare non possunt*, inquit hic Imperator, hanc dicti sui rationem afferens, *quia nec naturales liberos in sua potestate habent. Sed ex indulgentia Principis*, subjungit iste, *ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.* Quod etiam cum Justiniano asserit Angelicus Doctor dicens (*m*): *Mulier non potest adoptare aliquem, nisi ex speciali concessione Principis.* Idem observat Glossa in Canonem Decreti Gratiani (*n*).

(*l*) §. *Feminæ*. 10. instit. de adopt.

(*m*) S. Thom. loco cit. ad 3.

(*n*) Glossa in c. *Ismael*. 9. dist. 53. v. *Potestas*.

CASUS V.

Eduardus a Jacobo adoptatus, potest ne valide uxorem ducere filiam illegitimam illius?

Respons.

Panormitanus (*o*) & Angelus de Clavasio existimant, tale matrimonium esse invalidum. Putamus tamen, contrariam opinionem esse probabiliorem; quare etiam magis est communis Dicimus itaque, Eduardum valido posse conjungi matrimonio cum filia illegitima Jacobi, a quo fuit adoptatus, quia soli legitimi filii adoptantis impedimentum cognationis legalis cum adoptato contrahunt. Ratio hujus rei est aperta: nam legalis cognatio merus est juris civilis effectus; quare ab iis contrahi nequit, quos uti veros filios Jus illud non considerat. Atqui constat, illegitimos civilibus legibus non haberi tamquam veros patris sui filios, quoad effectus civiles: atque ideo *Filius illegitimus non* censetur esse, seu, ut loquitur Baptista Trovamala (*p*), *non est in potestate patris, & ideo potest copulari filiæ adoptivæ patris*: Qua in re Astesanum seu Astensem sequitur. Eamdem opinionem tuetur Sylvester de Prierio (*q*) cum Hostiensi & aliis permultis. Ita quoque sentiunt Toletus & Navarrus (*r*), uti Glossa (*s*).

(*o*) Panorm. in un. de cognat. legali. l. 4. tit. 12.

(*p*) Bapt. Trovamala in Summa Rosella. v. *Impedimentum*. 7. n 8.

(*q*) Sylvester. v. *Matrimonium*. 8. q. 2. §. 8. & apud eum Hostiensis &c.

(*r*) Toletus Instr. Sacerd. l. 7. c. 4. Sanchez l. 7. disput. 63. & alii apud eum.

(*s*) Gloss. in c. *Si qua*. uni. de cognat. legali.

Non

Non fusius ea de re dicemus, quod adoptio non fit in usu in Galliæ Regno, nisi in Regionibus scripti juris, in quibus Parochus difficultate aliqua distentus eam facile elucidare posset, consulens Auctores, qui de hoc argumento egerunt, quales sunt ii, quos jam laudavimus, & Joannes Andreas, Felinus Sandæus, Hostiensis, & plerique Galliæ Jurisperiti.

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

AFFINITAS ex Auctore Glossæ (*a*), ut videre est in primo casu hujus tituli, *est personarum proximitas, ex coitu proveniens, omni carens parentela*. Per istas voces.... *Ex coitu proveniens*, designatur affinitatem procedere, non solum ex carnali copula in matrimonio licita, sed ex quacumque etiam alia (*b*) seu legitima seu illicita, per tres autem voces istas: *omni carens parentela*; affertur discrimen, quod intercedit inter affinitatem & consanguinitatem; quamvis enim affinitas & consanguinitas ex carnali copula oriantur; attamen definitio ista non potest convenire consanguinitati, quæ non potest esse absque omni parentela, cum affinitas contrahatur inter personas, quæ nulla inter se parentela ligantur; quamvis fieri possit aliquando per accidens, uti loquitur S. Thomas, ut personæ consanguineæ contrahant affinitatem, quam tamen contraherent absque illa consanguinitate.

(*a*) Glossa ad arborem affinit. 35. q. 1.

(*b*) Soto sit de eo qui cognovit consang. uxor. suæ vel sponsæ.

Affinitas a marito non contrahitur, nisi cum uxoris suæ consanguineis; & a muliere, nisi cum consanguineis viri sui, quin tamen utriusque parentes affinitate aliqua ligentur: unde fratres duo duabus sororibus nubere possunt (*c*).

(*c*) Inn. III. c. quod super 2. de consang. & affinit. lib. 4. tit. 14.

Impedimentum affinitatis proveniens ex copula conjugali tot gradus complectitur, atque cognatio naturalis, hoc est, ad quartum usque gradum inclusive extenditur. Atqui ut facile dignoscatur, quotum affinitatis Jacobus v. g Luciæ maritus obtineat gradum erga consanguineos uxoris suæ, id unum notum esse debet, quo in gradu consanguinitatis sit Luciæ consanguineus: Jacobus enim huic consanguineo erit affinis in eodem gradu, quo consanguineus est hujus uxoris: & idem dicendum de Lucia pro affinitate, quam ipsa contraxit cum mariti sui consanguineis.

Quod pertinet ad affinitatem, quæ ex coitu illicito oritur, ultra secundum gradum non extenditur, ut definivit Concilium Tridentinum. (*d*).

(*d*) Conc Tr. sess. 24. de reform c. 4.

CASUS PRIMUS.

THEOGENES, ducta uxore Elisabeth orbus remansit, nondum consummato matrimonio; an potest deinde nubere Mariæ, consanguineæ uxoris suæ defunctæ in tertio gradu, absque dispensatione Romana?

RESPONS.

Affinitas ex S. Thoma (*e*), nunquam oriri potest, nisi ex copula completa; hoc est, in qua adfuerit commixtio seminum: quare sic loquitur S. Doctor: *Quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas*, cujus rei Glossa (*f*) hanc affert rationem, quia *affinitas est personarum proximitas ex coitu proveniens, omni carens parentela*.

(*e*) S. Th in 4. dist. 41. q. un. a. 1. quæstiun. 4. ad 2.

(*f*) Gl. in declar. arbor. affin. 35. q. 2. §. Est autem.

Nunquam igitur oriri potest ex matrimonio non consummato, ut constat ex duobus Canonibus a Gratiano relatis, quorum alter est Benedicti I. (*g*), & alter Urbani II. (*h*), & ex constitutione duorum aliorum, qui reperiuntur etiam in decreto ejusdem Gratiani, quorum prior est S. Gregorii Magni (*i*) posterior vero Zachariæ Papæ (*k*), atque, ut docent Panormitanus (*l*), Dominicus Sotus (*m*) aliique Theologi & Canonistæ.

Verum quidem est, aliter sentire Sylvium (*n*), sed huic assentiri non possumus post allatas auctoritates, quibus addere licet, huic decisioni favere Innocentium III. (*o*), supponendo, ut reipsa facit, impedimentum, de quo loquimur, provenire e carnali copula: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis*, inquit, *quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cetero non excedat*; termini quippe isti *copulæ conjugalis* evidenter propositionem nostram confirmant. Concludendum est itaque, Theogenem secundas cum Maria nuptias inire posse absque ulla dispensatione affinitatis, quamvis illa sit prioris ejus uxoris consanguinea in tertio gradu; cum inter eos nulla intercedat affinitas.

(*g*) Bened. I. in can. lex divina 28. 27. q. 2.
(*h*) Urb. II. in can. extraord. 2. 33. q. 2. & 3.
(*i*) S. Greg. in can. Fraternitat. 2. 35. q. 10.
(*k*) Zach. can. Pos. 3. 35. q. 9.
(*l*) Panorm. in c. Sponsam 8. de sponsalib. & matrim.
(*m*) Dom. Sot. in 4. dist. 41.
(*n*) Fr. Sylv. in supp. q. 55. a. 4.
(*o*) Inn. III. in can. Non debet de consang. & affin.

Dicimus *absque ulla dispensatione affinitatis*; quo non sit, ut is non teneatur ad dispensationem petendam de impedimento publicæ honestatis, quod e tali matrimonio oritur, quodque locum habet ad quartum usque gradum inclusive, uti probabimus sequenti titulo; nam absque tali dispensatione Mariæ nubere non posset Theogenes, licet non ei affinis.

CASUS II.

MARIA nupsit cum Petro fratre meo, post cujus obitum secundas ista nuptias iniit cum Titio; Maria vero mortua paulo post, Titius Annam uxorem duxit. Possumus ne ego, an soror mea cum aliqua ex istis personis matrimonio conjungi?

RESPONS.

Antequam propositæ difficultati fiat satis, sciendum 1. ex jure antiquo triplex esse genus affinitatis (*p*), quod his verbis exprimit Pithæus: *Frater uxoris mihi primo gradu affinis est; uxor ejus, secundo gradu: soror uxoris, primo gradu: maritus est secundo: uxor secunda istius mariti tertio*. 2. id supponendum, solam primam affinitatis speciem esse impedimentum dirimens matrimonii, duabus prioribus abrogatis ab Innocentio III. in quarto Lateranensi œcumenico Concilio, cujus est tale decretum (*q*): *Cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando pericula pariant animarum; cum cessante prohibitione, cesset effectus, Constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, præ-*

senti

(*p*) Can. De propinquis, 3. 35. q. 2. & 3. Can. Nullam 7. & can. Nulli 20. 35. q. 8.

(*q*) Inn. III. in c. Non debet cit. de consan. & affinit.

senti constitutione decernimus, ut sic contrahentes libere copulentur.

Hoc præsupposito, respondemus, quod contracto & consummato inter Mariam & Petrum matrimonio, nullam frater Petri affinitatem contraxit cum Mariæ consanguineis, sed solum cum ipsa Maria, ac proinde, licet frater Petri Mariæ copulari non possit, ipsum tamen cum ejus consanguineis posse matrimonio conjungi. At mortuo Petro, & Maria ipsius vidua secundis conjuncta nuptiis cum Titio, soror Petri, mortua Maria, Titio nubere potest; quia Petrus, ejusque consanguinei Titio non sunt affines, nisi in secundo genere affinitatis, quod jam amplius non subsistit. Ita pariter, si Titius mortua Maria Annæ nubat, frater Petri licite potest cum ea matrimonium contrahere post Titii obitum; quia non sunt affines nisi in tertio genere affinitatis, quod uti secundum abrogatum est, ut jam diximus.

CASUS III.

Florianus matrimonium contraxit cum Juliana vidua Jacobi, cui filiam, Mæviam nomine peperit. Nunquid Ludovicus, Floriani filius valide cum Mævia matrimonio jungi potest?

RESPONS.

Certum est, in casu proposito Ludovicum valide ac licite matrimonio cum Mævia jungi posse. Ratio est, quia affinitas non parit affinitatem, atque adeo affines viri & affines mulieris inter se affinitate sunt conjuncti. Unde, licet Mævia Floriano sit affinis; eo quod Julianæ matri suæ nupserit, & Ludovicus, filius Floriani, Julianæ sit affinis, quia Floriano patri suo nupsit, Mævia tamen cum Ludovico nulla est affinitate conjuncta; atque ob eam causam fratres duo sororibus duabus nubere possunt, uti pater & filius matri atque puellæ possunt nubere.

Decisionem istam asserit Innocentius III. qui de simili difficultate interrogatus, his verbis respondet (*a*). *Super eo igitur, quod pater & filius cum matre & filia, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonium, taliter tibi duximus respondendum, quod, licet, omnes consanguinei viri sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris, sint viri affines* (*b*): *inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus est affinitas contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri.* Ex quo sequitur, Ludovicum cum Mævia, filia ex priori conjugio Julianæ, Jacobi viduæ, & altero ejusdem cum Floriano patre suo nata matrimonium contrahere posse. Ita quoque docet S. Thomas (*c*).

(*a*) Inn. III. in c. Quod super §. de consang. & affinit. lib. 4. tit. 14.

(*b*) S. Greg. in can. Nec eam no. 35. q. 8.

(*c*) S. Th. in 4. dist. 41. q. 1. ar. 0. qu. 5. ad 6.

CASUS IV.

Christianus, Susannæ maritus, non ita pridem ipsi superstes fuit. Nunquid ex obitu Susannæ desinit impedimentum affinitatis inter Christianum consanguineasque uxoris suæ, atque adeo nonne alicui ex iis ejus consanguineis iste nubere potest; licet sibi fuerit affinis in tertio & quarto gradu?

RESPONS.

Constat, Christianum valide matrimonium contrahere non posse cum aliqua ex consanguineis uxoris suæ defunctæ, nisi ultra quartum gradum. Ratio est, quia post obitum alterutrius contrahentium manet affinitas (*d*): quocirca viduus maritus uxoris mortuæ consanguineis manet affinis ad quartum inclusive gradum; quod idem dici debet de uxore pro consanguineis viri sui defuncti. Ita docet S. Thomas de his verbis (*e*) *Causatur* (affinitas) *ex hoc, quod aliqui conjuncti sunt, non ex hoc quod conjungantur: unde non dirimitur manentibus illis personis, inter quas affinitas est contracta, quamvis moriatur persona, ratione cujus contracta fuit.* Ejusque rei istam ab Angelico Doctore depromptam rationem affert Sylvius (*f*): *quia est relatio fundata in conjunctione, quæ est, vel fuit. Relationes autem quæ fundantur in actione præterita, non pereunt, nisi destruatur alterum extremorum*: unde sic concludit: *quamvis ergo moriatur maritus, consanguinei tamen illius manent affines uxori superstiti, & contra.* Idem multo ante definierat S. Gregorius Papa scribens ad Benerium, Caralitanum Episcopum (*g*): *Porro, uno defuncto*, inquit, *in superstite affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ solvere potest.*

(*d*) Inn. III. in c. Non debet supra cit.

(*e*) S. Th. in 4. dist. 41 q. 1. ar. 1. q. 2. in corp.

(*f*) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 41.

(*g*) S. Greg. in can. Fraternit. 2. 35. q. 10.

CASUS V.

Tetradius cum Tertulla fornicatus est. Nunquid ex eo crimine oritur affinitatis impedimentum inter hominem istum, Tertullæque consanguineos; præsertim cum per vim cum ea fornicatus fuerit?

RESPONS.

Affinitas non minus oritur ex tali crimine, quamvis per vim patrato, quam ex actu conjugali; uti declarat Innocentius III. in duabus suis Decretalibus, quarum unam scribit ad Archiepiscopum Magdeburgensem (*h*), & alteram ad Præpositum ejusdem Ecclesiæ (*i*). Verum tamen est, impedimentum illud non obtinere nisi in primo & secundo gradu, ut definivit his verbis Concilium Tridentinum (*K*) *Præterea sancta Synodus... impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.* Unde sequitur, quod post habitam cum Tertulla carnalem copulam, Tetradius valide matrimonium contrahere non potest cum puella aut vidua ipsius consanguinea in primo aut secundo gradu, quales sunt Mater ipsius, Abavia, Soror, Amita, Neptis, & Patruelis, seu Germana consobrina; & contra Tertulla nulli eorum potest nubere, qui in alterutro eorum graduum Tetradii sunt consanguinei, quales sunt Pater ipsius, Avus, Frater, Avunculus, Nepos, & Germanus. At vero alteruter matrimonium valide contrahere potest & licite cum alterius consanguineis in tertio gradu, uti expresse declaravit S. Pius V. in Constitutione lata 18. Novemb. an. 1556. (*l*) his verbis. *Nos omnes ambiguitatem tollere & animarum tranquillitati, ac matrimonii libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus & auctoritate Apostolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi libere & licite matrimonium contrahi possit.* Quibus verbis eorum tollitur scrupulus, qui possent existimare a Concilio non abrogatum fuisse impedimentum dirimens in tertio & quarto gradu affinitatis.

(*h*) Inn. III. in c. Veniens q. de eo qui cognov. consanguineam uxoris suæ vel sponsæ l. 4. tit. 13.

(*i*) Idem in c. Discretionem t. eod. tit.

(*k*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matrim. c. 4.

(*l*) S. Pius V. in Bulla ad Romon in Bullario magno to. 2. p. 191. col. 2.

CASUS VI.

Nonne intercedit impedimentum dirimens affinitatis in tertio gradu inter eas personas, quarum una nata est *ex fornicaria copula*, v.g. inter Stephanum & Mariam in sequenti schemate?

NICOLAUS
Pater
JOANNIS & MAGDALENÆ illegitimæ
Patris — Matris
LUDOVICÆ — JOANNIS
Matris — Patris
MARIÆ — CATHARINÆ
Uxoris
STEPHANI.

Quæritur itaque, utrum, mortua Catharina, Stephanus dispensatione non indigens, Mariam uxorem sibi sumere possit?

RESPONS.

Priusquam difficultati propositæ fiat satis; sciendum 1. affinitatem tantum contrahi inter maritum & consanguineos uxoris suæ ex una parte, & inter uxorem atque consanguineos mariti sui ex alia; atque adeo nullam esse affinitatem inter consanguineos mariti & uxoris; quo fit, uti jam in superiori decisione diximus, ut fratres duo sororibus duabus nubere possint. 2. id quoque notandum est, eandem esse vim & extensionem impedi-

que cognationis, hoc est, ipsum extendi ad quartum inclusive gradum: nam, ut fert Canon antiquus, cum ex scriptura vir & uxor sint una caro ex matrimonio consummato, par est, ut unius propinqui consanguinitate, fiant & alterius affinitate: *Porro*, inquit Canon iste (a), *de affinitate, quam dicitis parentelam esse; quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet; manifestissima ratio est, quia, si secundum divinam sententiam, ego & uxor mea sumus una caro, profecto mihi & illi mea, suaeque parentelæ propinquitas una efficitur. Quo circa ego & soror uxoris meæ in uno & primo gradu erimus: filius vero ejus in secundo gradu erit a me: neptis vero in tertio: idque utrimque in cæteris agendum est successionibus: uxorem vero propinqui mei, cujuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque aliqua femina propriæ propinquitatis sit; quod nimirum uxori de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observari.*

(a) In can. Porro. 3. 35. q. 10.

Præsuppositis istis principiis tamquam certis, ad quæstionem propositam respondemus: Stephanum, post mortem Catharinæ uxoris suæ, secundas non posse cum Maria inire nuptias, nisi requisitam obtineat dispensationem, quia inter eos intercedit impedimentum dirimens ob eorum affinitatem in tertio gradu: quæ affinitas legitima est, quia oritur ex matrimonio legitimo contracto inter Stephanum & Catharinam, quo hic homo affinitatem contraxerat cum parentibus Catharinæ, inter quos Maria recensebatur: quod quidem certum est, licet Catharina Stephani conjux Mariæ non esset consanguinea, nisi ratione fornicationis Magdalenæ, ipsius Stephani Abaviæ, e qua natus erat Joannes pater ipsius: nam cognatio legitima, aut illegitima ex æquo impedimentum dirimens pariunt, ut docet S. Thomas his verbis (b): *Etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, in quantum habet aliquid de naturali conjunctione*: idque eo certius est, quod a Tridentino inter utramque cognationem nulla admittatur distinctio; quod Concilium adeo non derogavit juri antiquo, quod similiter inter duplicem illam cognationis speciem, quoad effectum, quem parit, nullatenus distinguit. Quibus addendum est, ex obitu Catharinæ, qua Stephanus Mariæ factus erat affinis, non cessasset affinitatem, quam is cum Maria, Catharinæ nubens contraxerat, ut paret verbis expressis alterius Canonis ex operibus S. Gregorii Magni deprompti, & ad finem solutionis quarti casus, relati, quem proinde hic repetere non vacat.

(b) S. Thom. in 4. dist. 42. q. un. art. 1. quæstiunc. 3. in corp.

CASUS VII.

Geduinus, viduus amissa Justina conjuge, nubere cupit cum Agadreme, quam pepererat Justina, primum nupta cum Alexandro. An idipsum potest tuta conscientia, si Romanam forte obtinere queat dispensationem?

Respons.

Nostra hæc est sententia, Geduinum videlicet tuta conscientia Agadremem uxorem ducere non posse; nam puellæ huic affinis est in primo gradu lineæ directæ, in quo de jure naturali invalidum est matrimonium, ita ut Ecclesiæ nulla sit potestas matrimonium permittendi inter Vitricum & Privignam, uti in proposita specie, neque inter Socrum & Privignum. Cujus rei hæc afferri potest ratio, quia ex S. Augustino (c), Privigna contrahere non potest cum Vitrico suo, non aliter quam filia cum proprio patre; *Si enim vir & uxor, sicut Dominus dicit, non jam duo, sed una caro est; non aliter nurus est deputanda, quam filia*. Unde sequitur, quod, uti filia nullo in casu cum proprio patre conjungi potest intactis naturæ legibus, sic Nurus seu Privigna cum Vitrico nubere nequit, nisi violatis legibus iisdem; ea autem de re hic supersedeo, quod jam de eadem fuse sim locutus, dum de dispensationibus matrimonii, quas potest aut non potest concedere Summus Pontifex, verba fecimus (d).

(c) S. Aug. l. 12. contra Faustum c. 61.

(d) v. *Dispensatio matrimonii*. cas. 3.

CASUS VIII.

Petrus Mariam conjugem prima vice carnaliter cognoscendo, virginitatis quidem claustrum fregit ac in ipso actu conjugali ita sese retraxit, ut extra vas muliebre semen effuderit. Oriturne ex tali concubitu affinitatis impedimentum inter Petrum ac uxoris consanguineas?

Respons.

Nullam in hoc casu inter Petrum ac uxoris consanguineas affinitatem exurgere patet ex argumentis alibi jam a nobis allatis; cum copula fuerit incompleta, nec ulla adfuerit seminum commixtio. *Vir & mulier*, inquit B. Thomas (e) *efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum. Unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas*. Idem omnino docent (f) S. Antoninus, Navarrus, Covarruvias, Toletus & alii communiter. Neque vero refert, an sigillum pudoris violatum fuerit, necne; cum ex sola virginitatis claustri fractione affinitatis impedimentum oriri nequeat, ut cum S. Thoma & aliis sentit Glossa communiter recepta (g).

(e) S. Th. in 4. dist. 4. q. un. art. 1. quæstiun. 4. ad 2.

(f) S. Anton. in 2. p. sum. theol. tit. 1. c. 11. init. &c. 12. §. 2. Navarr. man. c. 22. n. 43. &c.

(g) Glossa in c. *Extraordinaria*. 11. 35. q. 3. v. *Impedire*, & in declar. arbor. consanguin. v. *Est autem*. 35. q. 5.

CASUS IX.

Si quis intra vas muliebre semen emitteret, sine membri genitalis introductione, nasceretur ne affinitas ex tali copula?

Respons.

Certum videtur, quod ex hujusmodi copula affinitas exurgeret, quandoquidem ex seminum commixtione, quæ hic adest, oritur. Ita censent Auctor supplementi S. Thomæ, S. Antoninus, Paludanus, Dominicus Soto, Angelus de Clavasio, Silvester Prierias, & alii (h). Porro ad hoc quod seminum fiat commixtio, necesse non est, ut mulier ipsa semen emittat; sed satis est, quod per matricis attractionem fiat. Ratio est, quia juxta S. Thomam (i), S. Antoninum, Sylvium, & alios, semen femineum non est materia ad conceptionem necessario. Unde sequitur, solam ex parte viri seminationem ad efficiendam affinitatem sufficere. Per commixtionem seminum igitur intelligendum est ex parte viri, vel id quod verum est semen, aut id quod est loco seminis, qualis est sanguis, ex quo & ex semine viri, secundum Aristotelem, sequi potest generatio. Ita censent præfatus Sylvius in supplemento tertiæ partis summæ Theologiæ Doctoris Angelici (K), & alii complures.

(h) Supplem. S. Th. q. 57. art. 3. & 4. S. Anton. 3. part. summ. theol. t. 1. c. 11. & alii apud eum. Petrus Palud. in 4. & Dom. Sot. ibid. dist. 27. q. 2. art. 4. &c.

(i) S. Thom. 3. par. q. 31. art. 5. & ib. Sylvius art. 4. & 5.

(K) Fr. Sylvius in supplemen. cit. q. 55. ar. 3.

CASUS X.

Carolus uxorem sibi Cæciliam exposcit: ut Cæcilia communi & incerto rumore novit, Carolum cum matre sua libidinose egisse. Potestne tuta conscientia ipsum sibi virum sumere, & Parochus ipse nonne talis conjugii celebrationem declinare tenetur?

Respons.

Publicus & incertus rumor, per se loquendo, nullam meretur fidem: *Fama per se nihil probat*, inquit Glossa (l). Hinc Cælestinus III. (m) declarat matrimonium non esse sejungendum ob publicum rumorem præcedentis inter sponsos affinitatis, *quamvis aliqua pars vicinia hoc exclamare dicatur*. Non ergo tenetur, Cæcilia vago & communi rumori fidem addere; quem econtra uti matri suæ injurium & parum tutum habere debet. Unde sequitur, quod sic intra se cogitans, absque peccati reatu Carolo nubere potest; cum experientia constet, sæpe sæpius injuriosas conflari suspiciones ob innoxias virorum cum mulieribus frequentiores conversationes; eamque postea famam facile divulgari a malignis obtrectatoribus, quibus credi nequit leviter sine peccato contra caritatem, ex his verbis Canonis in Gratiani Decreto relatis (n): *Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is, qui aurem cito criminibus præbet*.

Insuper Parochus partium, de illo supposito libidinis commercio penitus incertus, eis quoque matrimonium denegare non potest; quia aliter se gerens, injuste gravissimum pareret scandalum, quod in Cæciliæ matrem recideret; & quia repulsa sua publicam famam confirmaret, & fidem incerto adderet (o).

(l) Glossa in can. *Si testes*. 3. §. *Sæpe* 4. qu. 2. v. *Fama* item in c. *Qualiter*. 24. de accusationibus, inquisitionibus, & denuntiat. v. *Et famam*. l. 5. tit. 1.

(m) Cælest. III. in c. *Super eo*. 3. de eo, qui cognovit consang. uxoris suæ &c.

(n) Can. *Non solum* 77. 11. q. 3.

(o) De Sainte Beuve. tom. 2. cas. 181.

IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

(a) S. Th. in 4. dist. 41. q. un. artic. 1. quæstiunc. 4. in corp.

HONESTATIS publicæ definitio apud Sanctum Thomam (a) his verbis utcumque reperitur: honestas publica est *propinquitas*, inquit, *ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem*. Ast accuratior est ea, quam affert Polmanus, definitio. *Honestas*, ait, seu *justitia publicæ honestatis, est apparens propinquitas, orta ex matrimonio rato, non consummato, & ex sponsalibus validis* (b).

(b) Polman. Brev. theol. part. 3. n. 571

Magnum intercedit discrimen inter honestatem, quæ oritur ex matrimonio rato & non consummato, & inter eam, quæ ex sponsalibus procedit: prior namque matrimonium irritat ad quartum usque gradum inter virum & uxoris ejus consanguineas ac vicissim inter uxorem ac viri consanguineos. Qua in re viguit semper jus antiquum (c), etiam a Concilio Tridentino, quod nihil contra statuit (d); cum honestas, quæ ex sponsalibus provenit, ultra primum gradum non extendatur; & etiam necesse sit, ut ex eodem Concilio, cui scriptis suis præivit Angelicus Doctor, sponsalia sint valida (e): ita ut juxta præsentem usum sponsus valide contrahere non possit cum matre, sorore, ac filia sponsæ suæ, nec sponsa cum patre, fratre, & filio sui sponsi; ut fusius in hoc titulo exponetur.

(c) Canon. *Si quis uxorem* & can. *Si quis desponsaverit*. 27. q. 2.

(d) Bulla. *Ad Romanum*. ann 1568.

(e) Conc. Tr. sess. 24. de reform. matrim. c. 3.

CASUS PRIMUS.

PALLADIUS cum Antonia invalidum contraxit matrimonium ob impedimentum dirimens quo ligabantur; & matrimonium non fuit consummatum. An tamen ex invalido illo matrimonio oritur impedimentum dirimens, quod dicitor publicæ honestatis; ita ut Palladius cum aliqoa Antoniæ consanguinea, aot vicissim Antonia cum aliquo Palladii consanguineo ad quartum inclusive gradum valide nuptias inire nequeat?

RESPONS.

Quamvis matrimonium sit invalidum, ex eo tamen oritur impedimentum publicæ honestatis. Quare Palladius cum aliqua Antoniæ consanguinea, ac vicissim Antonia cum aliquo Palladii consanguineo ad quartum inclusive gradum matrimonio valide conjungi nequit; nisi ex defectu consensus oriretur ejus invaliditas. Ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis, ex antiquo jure (f) oritur, non solum ex sponsalibus, sed ex matrimoniis quoque, etiam invalidis, licet non consummatis; modo, uti diximus, ex defectu consensus non sint invalida; ut probant ista Bonifacii VIII. verba (g): *Ex sponsalibus puris, & certis etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut alia quavis ratione sint nulla, (dummodo non sint nulla ex defectu consensus) oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.* Atqui jus novuoi a Concilio Tridentino constitutum ea de re quoad matrimonium nihil innovavit: at solum declaravit, impedimento huic locum non esse, cum oriretur ex sponsalibus invalidis, omisso illo impedimento, quod parerent matrimonia nulla: atque adeo, ut ante Conciliom, ita etiamnum obtinet jus antiquum. Idem quoque definivit S. Pius V. ex Bulla sua sexagesima secunda 1. Julii an. 1568. lata (h), in qoa declarat, impedimento huic locum esse, etiam de præsenti, in omnibus casibus & gradibus, uti ante Concilium: *Tenore præsentium declaramus & definimus*, inquit hic S. Papa, *Decretum Concilii hujusmodi omnino intelligeudum esse & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur, contracto, sed in eo adhuc durare impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum Decretum Concilii interdictum erat.*

(f) Can. *Desponsatum* 12. §. 2. & can. *Si quis*. 15. &c. 27. q. 2.

(g) Bonifac. VIII. in c. *Ex Sponsalibus*, unic. de spons. & matr. in 6.

(h) S. Pius V. in Bulla *Ad Romanum*. 62. in magno Bullar. tom. 2. p. 237. col. 1.

Eo certior est hæc sententia, quod, ut ait Lex, (i) jus antiquom semper retinendum sit, com huic a novo non fuit derogatum: atqui jus novum veteri non derogavit de impedimento publicæ honestatis, nisi quoad sponsalia, nec de matrimonio rato & non consummato loquitur. Juri ergo veteri stat robur suum. His addi potest, quod asserit Bonifacius VIII. in constitutione superius relata, scilicet matrimoniom oullum & non consummatum esse pro sponsalibus, & ex eo oriri impedimentum dirimens honestatis publicæ. *Per dictum tamen contractum, qui valuit, ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducta.* Quæ omnia argumenta nobis firmiora videntur, quam ut a nostra possimus discedere sententia, quam tenent Panormitanus. Petrus Paludanus, Covarruvias (k), & alii complures.

(i) L. *Præcipimus*, 32. cod. de Appellat. & Consultat. lib. 7. tit. 62.

(k) Panorm. in c. *Sponsam* de sponsal. & matr. Petrus Palud. in 4. dist. 41. q. 2. nu. 5. Didac. Covar. a Leyva 2. part. de matrim. c. 6. §. 2.

CASUS II.

OLODIMIRUS, jam cum Flaminia desponsatus, *de facto* Henricæ sorori ipsius nupsit, oec matrimonium consummavit. Cognita deinde matrimonii sui invaliditate ob impedimentum publicæ honestatis, ortum ex sponsalibus suis prius cum Flaminia conventis, ad medelam patrati a se mali Flaminiam uaorem ducere se se offert. At relatum est ipsi; quod nupta jam, licet invalide, Henrica, pari fuit impedimento ligatus, quoad Flaminiam, quacum valido proinde jungi nequit matrimonio. Numquid ita se res habet?

RESPONS.

Profecto Olodimiros impedimentum publicæ honestatis quoad Flaminiam non contraxit ea supposito suo cum Henrica matrimonio, quamvis simili fuisset ligatus impedimento quoad Henricam ex sponsalibus suis cum Flaminia.

Ratio est, quia ea jure novo, quod constituit Tridentinum (l), sponsalia, quacumque ratione invalida, nullum pariunt honestatis publicæ impedimentum: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, ista Synodus prorsus tollit*, inquiunt Patres hujusce Concilii. Atqui matrimonium suppositum Olodimiri com Henrica ad summum haberi nequit, nisi ot sponsalia invalida ob præcedens eorum impedimentum. Nam de hujusmodi matrimooio idem dicendum, atque de eo, de quo loquitur Bonifacius VIII. (m), hoc est, quod, cum verum non sit matrimonium, sponsalium tantum vim habere potest. ea his aliis ejusdem Papæ verbis: *Sponsalia illa* (de præsenti) *juris interpretatione, tantum fuerunt sponsalia de futuro; licet verba consensum exprimentia, de præsenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent contrahentes.* Igitur, ut invalida essent sponsalia, quæ cum Henrica contraxisset, neque ullum parerent honestatis publicæ impedimentum pro matrimonio, quod postea cum Flaminia contrahere vellet; ita ex hoc falso credito matrimonio nullum oritur impedimentum,

(l) Conc. Tr. sess. 24. de reform. matrim. c. 3.

(m) Bonifac. VIII. in cap. *Si infantes* 1. de desponsat. impub. in 6 §. *Idem quoque, qui valuit, ut potuit, non sicuti agebatur.*

tum quominus Olodimirus cum Flaminia, uti tenetur, nubere possit: honestas quippe publica est impedimentum, quo matrimonium & subsequentia sponsalia contracta cum sponsæ consanguinea ad quartum inclusive gradum invalidantur ex his ejusdem Papæ Bonifacii VIII. (a): *Ex sponsalibus... oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.*

(a) Bonifac. VIII. in c. *Ex sponsalibus*. 1. de sponsal. & matrim. in 6.

CASUS III.

Cum Vitellius Sophiæ, Georgli viduæ desponsatus fuisset, Sophia elapsis octo diebus mortua est. Qua de re quæritur, utrum Vitellius cum Julitta, Sophiæ filia matrimonium valide contrahere possit?

Respons.

Respondemus, Vitellium cum Julitta valide contrahere non posse: nam inter ipsum & Julittam intercedit impedimentum dirimens publicæ honestatis; hoc est, *propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem*, ut definit sanctus Thomas (b), quo irritum fit matrimonium, tam in linea directa, quam collaterali, uti declarat Alexander III. ad Papiensem Episcopum scribens (c), at in solo primo gradu; uti constitutum est a Concilio Tridentino his verbis (d): *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quo circa post conditum illud Decretum jam valide matrimonium contrahi nequit, cum Patre, Matre, filiis, filiabus, fratribus & sororibus eorum vel earum, quibuscum sponsalia fuere inita, hoc est, cum iis personis, quæ sunt in primo grudu lineæ directæ vel collateralis, ut ait Bonifacins VIII. (e). Cum igitur Julitta sit in primo gradu lineæ directæ, Vitellius ipsi valide nubere nequit.

(b) S. Th. in 4. dist. 41. q. un. art. 1 quæst. 4. in corp.

(c) Alex. III. in c. *Ad audientiam*. 4. de spons. & matrim.

(d) Conc. Trid. sess. 24. de reform matrim. c. 3.

(e) Bonifac. VIII. in c. *Ex sponsalibus*. un de sponsal. & matrim. in 6.

CASUS IV.

Cum Dominicus cum Genovesa sponsalia contraxisset, cognitum est, eos inter se esse affines in quarto gradn, & sponsalia proinde esse irrita. An tamen, quamvis invalida, pariunt impedimentum publicæ honestatis?

Respons.

Nullum est in casu proposito honestatis publicæ impedimentum: nam certum quidem est, aute Tridentini Concilii celebrationem, ex quocumque sponsalium genere, etiam invalido, oriri hoc impedimentum, nisi, cum sponsalia erant invalida defectu consensus, uti definierat Bonifacius VIII in constitutione sua proxime laudata: at impedimentum illud post habitum illud Concilium jam non oritur, nisi ex sponsalibus certis, absolutis & validis, ut constat ex Decreto in præcedenti decisione relato.

Cæterum observandum est, 1. ex hoc impedimento, uti jam advertimus, invalidari matrimonium inter sponsum & sponsæ consanguineas in primo grada, hoc est, Matrem ejus, sororem & filiam; uti etiam inter sponsam & sponsi quoque consanguineos in primo gradu, scilicet Patrem ipsius, filium & fratrem; quod impedimentum illud a Concilio ad primum duntaxat gradum fuerit redactum. 2. Impedimentum illud oriri etiam ex matrimonio rato tantum & non consummato, etiamsi illud validum esset, ut explicuimus in responsione ad primam difficultatem. 3. Certum quoque esse, cum ad validitatem sponsaliorum a Concilio non requiratur præsentia Parochi, absolute non esse necesse, quo sint valida, ut in Ecclesia aut palam fuerint contracta, sed satis esse, ut privatim facta fuerint ad inducendum publicæ honestatis impedimentum eodem modo, ac si publice & in Ecclesia fuissent celebrata (f), ut sase probat Sanchez (g), contra opinionem quinque sex ve jurisperitorum, qui contrarium tenent unico fulti ratiocinio, quod valide refellit Author ille e societate Jesu, & suam confirmat sententiam authoritatibus sancti Antonini, Hostiensis, Soti, Covarruviæ, Navarri, & plurium etiam, quam quinquaginta Authorum, quos hic referre nullius est usus.

(f) Colloq. Condom. tom. 1. Colloq. 11. sect. 4. & Colloq. Lucon. tom. 9. Colloq. 9. p. 6.

(g) Tho. Sanches de sponsal. disp. 13. n. 2.

CASUS V.

Clemente desponsato Christinæ, mutuo utriusque consensu, aut ex sententia Officialis sponsalia fuere dissoluta. An etiam post eorum solutionem remanet impedimentum publicæ honestatis inter Clementem & Consanguineas Christinæ in primo gradu, & vicissim Christinam & Consanguineos Clementis in eodem gradu?

Respons.

Certum quidem est, ex Decreto Concilii Tridentini in secunda decisione allato, impedimentum illud non oriri ex sponsalibus, qua cumque ratione invalidis: at si valida semel fuerint sponsalia, uti fuere inter Clementem & Christinam; partum jam ex iis impedimentum neque mutuo sponsorum consensu, neque Judicis sententia, solutionem proferentis, neque alterutrius contrahentium obitu posse dissolvi: cum enim impedimenta matrimonium dirimentia legitime authoritate universæ Ecclesiæ fuerint constituta, eadem tantum authoritate possunt abrogari ex hac juris regula e sancto Chrysostomo deprompta (h), *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Ita sentit Prosper Fagnanus (i), qui ita dijudicatum fuisse Romæ affirmat, sedente Alexandro VII. pro sponsalibus factis inter Alphonsum Ruiaa & Isabellam Rodriguez, qua mortua Alphonsus cum sorore defunctæ nubere volebat. *Sacra Congregatio censuit*, inquit hic Canonista, *sponsalia hæc, cum a principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo consensu dissoluta, quia Concilium hoc solum considerat, quod a principio valida sint, & quia a principio valida, deinde dirempta per mortem id impedimentum inducunt, ita & dissoluta consensu*: Addit postea de aliis sponsalibus, quæ valide contracta, mutuo duarum partium consensu fuerant dissoluta, eandem sacram Congregationem censuisse, quod semper manebat impedimentum publicæ honestatis. *Pluries proposito dubio, ac maturo examinato, tandem sub die sexta Julii 1658. Eminentissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consistentes, censuerant non esse sublatum* (impedimentum). *Cujus sententiæ*, tum subjungit, *una cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis facta relatione ad Sanctissimum; Sanctitas sua die 10. ejusdem mensis prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium non revocari.*

(h) S. Chrysost. in cap. *Omnis*. 1. de regulis juris in antiquis. l. 5. decretal. tit. 41.

(i) Prosp. Fagn. in c. *Ad audientiam*. 4. de spons. & matrim. n. 27.

Certum quidem est, aliter sensisse quosdam Authores, quos allegat Sanchez (K); sed absque ratione: quia standum est Decisioni Concilii, quod jus antiquum duntaxat emendavit ea in re, pro sponsalibus, quæ *ab initio* fuere invalida, aliter quam per defectum consensus; & idem jus antiquum, a quo constitutum est illud impedimentum, vigere permisit pro quibuscumque sponsalibus valide contractis; & etiam pro quibuscumque aliis, etiam invalidis ob quamlibet rationem, ut asserit idem Tridentinum Concilium, cujus Decretum in secunda decisione attulimus. Ex quibus omnibus colligitur, ex sponsalibus inter Clemenrem & Christinam contractis, ortum esse impedimentum dirimens publicæ honestatis inter Clementem & Christinæ consanguineas in primo gradu, & vicissim inter Christinam Clementisque consanguineos in eodem gradu; quamvis mutuo utriusque consensu fuerint dissoluta, aut Judicis Ecclesiastici authoritate sponsalia.

(K) Sanchez de matrim. l. 7. disp. 68. n. 2.

CASUS VI.

Cum Cassallius Paulæ despondisset, & postea cum ea copulam habuisset, aliquanto post de communi utriusque consensu soluta fuere sponsalia. Deinde Cessellius vi Pontificiæ dispensationis Martinæ Paulæ sorori nubere constituit. Ao absolute requitur, ut in libello suo supplici duo impedimenta affinitatis *ex illicita copula*, & publicæ honestatis exponat?

RESPONS.

Tenetur Cessellius, duo impedimenta in libello suo supplici, implicita saltem ratione, Papæ exponere; alioquin invalida foret dispensatio, & contractum exinde matrimonium, irritum. Ita docet Sylvester (*a*), qui Toletum sequitur, ut patet ex his ejus verbis (*b*): *Aliquando accidit, ut simul sit impedimentum affinitatis & honestatis publicæ: & tunc qui petit dispensationem debet utrumque saltem implicite declarare, alias invalida esset dispensatio.*

(*a*) Sylvester de Prierio v. *Matrimonium* 8. q. 14. §. tertium.
(*b*) Toletus instruct. Sacer. lib. 7 c. 15. n. 2.

Cum Toleto dicimus, *implicita saltem ratione*; quia ut post Panormitanum advertit Sylvester (*c*), non necesse est, ut expressa fiat mentio de publica honestate, cum necessario affinitatis expressæ gradui annectitur, quando quidem eam tum Summus Pontifex ignorare non potest; sed juvat hic ipsa Sylvestri verba referre. *Si honestas*, inquit, *sub affinitate necessario comprehenditur, satis est de affinitate fecisse mentionem, & sic procedit Glossa in cap. Non debet: Ut si impetro ducere uxorem consanguinei mei defuncti, non obstante affinitate in tertio gradu: quia eo quo feci mentionem, quod fuerit uxor consanguinei mei, consequenter feci mentionem de publica honestate: & sic per consequentiam videtur sublata, virtute dispensationis. Si vero in narratione verborum non comprehenditur; ut, si impetro dispensationem, ut liceat mihi ducere Blancham uxorem, non obstante, quod sit mihi affinis in tertio gradu, non valet dispensatio, eo quo de publica honestate non est facta mentio expressa, vel tacita; quia affinitas potest contrahi sine matrimonio.*

(*c*) Sylvestr. loco cit. Et apud eum Panormit. in c. *Non debet* 8 de consang. & affinit.

CASUS VII.

Callistratus, contractis cum Nicolaa sponsalibus, deinde cum Juliana Nicolaæ sorore contra datam fidem, copulam carnalem habuit. Alterutri e duabus is nubere offert: Quam sibi uxorem valide sumere potest absque dispensatione?

RESPONS.

Valide cum neutra matrimonium contrahere potest; est enim impedimentum publicæ honestatis inter ipsum & Julianam ob sponsalia cum Nicolaa contracta, & aliud impedimentum affinitatis inter ipsum eandemque Nicolaam, ortum ex illicita copula, quam habuit cum Juliana, sponsæ suæ sorore. Ita docet Sylvius his verbis (*d*): *Si ergo sponsus de facto contraheret cum sorore suæ sponsæ per verba de præsenti, deberet redire ad priorem. Si autem consummaret matrimonium cum secunda, neutram posset accipere in uxorem: non priorem, quia obstaret affinitas; non posteriorem: quia obstaret justitia publicæ honestatis.* Ita quoque docent Toletus, Navarrus & alii, seu Theologi, seu Canonistæ (*e*).

(*d*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. sum. S. Thom. q. 43. art. 3. quæstio 3.
(*e*) F. Tolet. instr. Sacerd. l. 7. c. 15. n. 3. Navarr. Man. c. 22. n. 27. & alii in c. *Litteras*. 4. de spons. impub. & in c. *Ex Litteris*, de eo qui cognovit consang. uxoris, &c.

CASUS VIII.

Eligius, Adrianæ maritus, duas habebat filias, scilicet Danielam e legitimo matrimonio natam, & Cordulam ante matrimonium suum e concubina susceptam. Danielæ spopondit Saturninus; sed ista brevi mortua, Cordulæ jam is vult nubere. Num id potest, non indigens dispensatione; atque locum non habet impedimentum publicæ honestatis pro Cordula, licet Danielæ sit tantum soror illegitima?

RESPONS.

Quandoquidem præcipue *in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inspiciendus est*, inquit Lex (*f*); dici necesse est, publicæ honestatis impedimentum ad omnes consanguineos, seu legitimos, seu naturales tantum in primo gradu pertinere; cum reipsa & secundum naturam ex æquo utrique sint consanguinei, & hoc unum inter eos discrimen intercedat, quod eos Leges consanguineos non agnoscant, qui e legitimo thoro non sunt procreati, in odium ac pœnam sceleris, quo nati sunt (*g*): *Ex complexu nefario, aut incesto, seu damnato, liberi nec naturales sunt nominandi*, ait Lex. Non minus ergo prohibet publica honestas, in proposito casu, ne cum istis potius, quam cum legitimis nuptiæ contrahantur. Quod cum ratione eo magis congruit, quia, cum in jure Canonico inter eos nulla sit differentia in his, quæ spectant ad consanguinitatem, affinitatem, & cognationem spiritualem, nulla quoque debet admitti quoad publicam honestatem (*h*). Valide igitur cum Cordula nuptias inire non potest Eligius ob impedimentum dirimens publicæ honestatis, quo invicem obstringuntur.

(*f*) Leg. *Adoptivus*. 14. §. *Serviles* 8. ff. de rit. nuptiarum l. 23. tit. 2.
(*g*) Autent. *Ex complexu*. Cod. de incestis & inutilibus nuptiis. l. 5. tit. 5.
(*h*) Fr. de Genet. Th. mor. tom. 4. part. 2. tract. 3. cap. 6. n. 27.

CASUS IX.

Ali, Religione Turca, Adelaidæ, Christianæ puellæ desponsatus, fidem Christi amplexus est: & paulo post cum ea contrahere detrectans, nunc matri ipsius, aut sorori, aut filiæ vult nubere. Num id potest valide, non obstante impedimento publicæ honestatis?

RESPONS.

Valide nubere potest; nam impedimentum publicæ honestatis, uti cetera, authoritate tantum Ecclesiæ constitutum est, ut fert definitio Thomæ (*i*): *Robur trahens ab Ecclesiæ institutione*. Atqui Ecclesiæ authoritas ad infideles non extenditur, neque eos aliqua Lege sua ligare potest: *Constitutionibus Canonicis non arctantur*; ut ait Innocentius III. (*K*); quia ejus non fieri possunt subditi, aut ejus subjici jurisdictioni, nisi per baptismum, ex hoc Apostoli dicto (*l*): *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Quare, cum nondum Christianus esset Ali, quando Adelaidæ spopondit matrimonium, ex ipsis cum ea sponsalibus oriri non potuit impedimentum honestatis publicæ; quo adeo prohiberetur, ne cum aliqua ex dictis in casu proposito nuberet personis.

(*i*) S. Thom. in 4. dist. 41. q. unic art. 1. quæstiunc. 4. in corp.
(*k*) Innoc. III. in c. *Gaudemus*. 8. de divortiis.
(*l*) 1. Corint. 5. 12.

IMPEDIMENTUM ORDINIS.

IMPEDIMENTUM ORDINIS pro iis tantum obtinet, qui aliquo sacro Ordine fuere initiati, quales sunt Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium, quibus ex Canonicis Constitutionibus (*m*) annexa est servandæ castitatis & continentiæ necessitas, quæque illius votum implicite continent, ut jam dictum est, dum de impedimento voti.

Advertendum est autem, istam servandæ castitatis necessitamen obtinere duntaxat in Ecclesia Latina. Nam apud Græcos pro Episcopis tantum viget Lex ista, apud quos Clerici, Sacris Ordinibus initiati, matrimonio libere uti possunt, ante ordinationem suam contracto, qua semel accepta jam contrahere nequeunt. Quæstio est solum difficillima, an scilicet Ordo sacer, metu gravi, & in virum constantem cadente susceptus, sit impedimentum dirimens matrimonii, quod postea contrahit is, qui hoc modo ordinatus est. Quæsitum vero illud perpendimus in responsione ad ultimam decisionem hujusce tituli.

(*m*) Innoc. III. in c. *Cum olim* de Clericis conjug. & in c. *A multis*. 9 de ætate & qualit. &c. Et Bonifac. VIII. in exp. *Quod votum*. unic. de voto in 6.

CA-

CASUS PRIMUS.

ADOLPHUS uxoratus, consummato matrimonio suo, invita aut inscia muliere, sacros suscepit Ordines. An tenetur cum ea maritali affectu remanere eodem prorsus modo, atque ante Ordinationem suam; an vero ab ea debet recedere, ut Clerici more vivat, ac novæ obligationi suæ satisfaciat?

RESPONS.

Certum est, Adolphum sub peccati reatu teneri ad cohabitandum atque vivendum cum muliere sua eodem prorsus modo, ac si non esset ordinatus; ut is ex sancto Gregorio (*a*) teneretur, qui invita uxore sua religionem fuisset ingressus, eumque etiam per censuras Ecclesiæ, requirente uxore sua, ad id posse compelli: quod verum est, licet nondum matrimonium fuisset consummatum, nisi in hoc ultimo casu solemnem Religionis professionem emitteret. Ita docet sanctus Thomas (*b*), & declarat Joannes XXII. in una e Constitutionibus suis, his verbis (*c*): *Præsenti declaramus edicto, quod licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum matrimonium contrahendum & dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit effi ax reputandum. Ad dissolvendum tamen prius contractum, etiam si per carnis copulam non fuerit consummatum ... invalidum est censendum. Quod si secus a quoquam forsitan attentatum fuerit .... ipsum, si sponsa ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare.*

Advertendum tamen 1. quod, licet Adolphus petenti uxori conjugale debitum reddere teneatur, illud tamen ipse absque reatu peccati mortalis exigere nequit; cum juri huic sacrorum Ordinum susceptione renuntiasse censeatur, & quod ipsi petenti reddere non teneretur mulier. *Qui Ordinem suscipit*, inquit sanctus Thomas.... *non potest petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere ....sed.... ipse uxori tenetur debitum reddere, si non possit eam ad continentiam inducere*. 2. Quod si de consensu mulieris suæ sacris fuisset initiatus Ordinibus, non jam ei jus competeret ipsum ad se revocandi; & si forte rediret, ambo tenerentur vivere, uti frater & soror; quod in hoc casu jure suo pariter cessisse mulier censeatur, ut ait idem Doctor Angelicus (*d*): 3. Quod si matrimonium suum non consummasset, solemnia Religionis vota posset emittere, invita muliere sua, quamvis ad id non teneretur, si eum vellet recipere; ut inferri potest ex laudata mox constitutione, in qua Joannes XXII. eo uno contentus asserit, ipsum monendum esse & acriter inducendum ad Religionis ingressum, quod si deneget, ad debitum uxori reddendum per censuras Ecclesiasticas compellendus est. *Ad ingressum hujusmodi* (Religionis) inquit hic Papa, *sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus & induci; quod si forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare*. Ad quod Glossa exponens hæc verba, *si forsitan renuerit*, inquit; *supponit expresse quod possit renuere*. 4. Quod hæc omnia intelligenda in eo casu, si legitimam et divortii perpetui causam mulier non præbuerit, qualis est causa adulterii, ut notat sanctus Gregorius in laudato superius Canone. Ita sentit & observat Sylvius, cujus textum referre longius esset (*e*).

(*a*) S. Greg. in can. Agathosa 27. q. 2.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. ad 1.

(*c*) Jo: XXII. in extrav. Antiquæ. un. de voto & voti redemp. extrav. 9. tit. 6.

(*d*) Id Thom. ib. ad 2.

(*e*) Fr. Sylv. in supplem. S. Thom. q. 54. art. 4. conclus. 3. & quinque seq.

CASUS II.

MEDARDUS Acolytus & Prior sancti Fantini susceptum clam nubendi consilium perfecit. Nunquid validum est ejus matrimonium?

RESPONS.

Matrimonium, quod contraxit Medardus Acolythus & Beneficiarius, procul dubio est validum: quia Ordines non sacri non sunt impedimentum dirimens matrimonii; quod tribus tantum conveniit majoribus ordinibus, ut declarat Leo IX. in sua ad Nicetam Abbatem epistola his verbis (*f*): *Sancta Romana Ecclesia ... Clericos, tantum Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, si extra votum & habitum Monachi inveniantur, & continentiam profiteri noluerint, uxorem ducere virginem cum benedictione Sacerdotali permittit*. Alexander III. scribens ad Archiepiscopum Cantuariensem ejusque suffraganeos rem eandem determinat istis terminis (*g*): *Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica & retinendas uxores districtione Ecclesiastica compellatis. Sed si subdiaconatu & aliis Superioribus Ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere & pœnitentiam agere de commisso per suspensionis & excommunicationis sententiam compellere procuretis*. Denique Clemens V. Bonifacius VIII. & Concilium Tridentinum idem definierunt (*h*): cujus rei hanc rationem affert Sanctus Thomas (*i*), quia, *illi*, inquit, *qui sunt in minoribus ordinibus constituti ... quamvis ordinet illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediate habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi qui sunt in sacris ordinibus*. Advertendum tamen est, Medardum Prioratu suo fieri privatum ex matrimonio, quod contraxit, quem proinde retinere nequit sine crimine, ut docent omnes Canonistæ post Sanctum Antoninum (*k*).

(*f*) Leo IX. in can. Sciatis, 32 d'st. 32.

(*g*) Alex. III. in c. si qui, de Cler. conj. lib. 3. tit. 3.

(*h*) Clem. V. in Conc. Vienn. in Clem. Eos qui eric. de conf. & affinit. Bon. VIII. in cap. Quod votum un. de voto & voti redempt. ivo 1. 3. t. 15. Conc. Tr. sess. 24. de Sacram. matrim. can. 9.

(*i*) S Thom. a 4 d 8 37. q un. ad 4.

(*k*) S Anton. 3. part sum. Theol t. 1 c. 8.

CASUS III.

AGAPIUS, contracto cum Mævia sed non consummato matrimonio, Religionem ingredi constituit; quod quidem ut facilius perficiat, sacris vult initiari ordinibus, prius quam Religiosum induat habitum. Qua de re quæritur, utrum subdiaconatum suscipere ad minimum queat absque consensu sponsæ suæ?

RESPONS.

Non putamus, Agapium in casu proposito subdiaconatum posse suscipere, invita aut inscia uxore sua, absque reatu mortalis peccati. Decisionis hujus hæc afferri potest ratio, quia ordinari nequit, nisi committendo se periculo dehonestandi postea ordinem sacrum, quem susciperet, cum fieri posset, ut ordinatus ad solemnem Religionis professionem non admitteretur, aut ipse consilium mutaret, atque adeo teneretur manere sæcularis cum obligatione reddendi uxori conjugale debitum. Huic decisioni favet Sylvius, ita loquens (*l*): *Si quis uxore invita ordinetur ante consummationem matrimonii, cum animo ingrediendi Religionem, non videtur ea hoc a mortali excusandus; quia se exponit periculo dehonestandi ordinem; si eum non admittatur ad professionem, manet obligatus ad reddendum debitum*.

Addi potest, quod Ecclesia Ministris suis matrimonium prohibens non distinxit inter matrimonium ratum duntaxat, & matrimonium consummatum, nec prius excepit. Cum igitur prohibitio ista sit de re gravissima, ejus transgressio proculdubio est lethalis. Unde sequitur, teneri absolute Agapium ad consummationem matrimonii sui, aut ad solemnem Religionis professionem, quæ sola matrimonii tantum rati, & non consummati vinculum potest dissolvere (*m*); quæ vis non competit voto tacito, quod in susceptione ordinum emittitur, ut definivit Joannes XXII. in constitutione ad primum casum relata.

(*l*) Sylvius in suppl. S Th. q 53. art. 4. concl. 4.

(*m*) Alex. III. in c. Verum. 2. de conversi. conjugat. l. 4. tit. 30.

CASUS IV.

HERMOCRATES, invalide subdiaconatu initiatus, quamvis se valide ordinatum fuisse putarit, tumque intenderit, continentiæ lege sese obstringere, aliquanto post ordinationis suæ invaliditatem cognovit: quo facto est, ut cum Anna, qua deperibat, nubere voluerit. Nunquid idipsum potest tuta conscientia?

R E S P O N S.

Respondemus, in casu proposito Hermocratem tuta conscientia matrimonium contrahere non posse. Ratio est, quia ad continentiam tenetur servandam ob simplex votum, quo se obstrinxit (*a*); quia convictus de validitate ordinationis suæ, continentiæ lege, quantum potuit, sese devincire intendit: quare, licet a parte Ecclesiæ ad contrahendum matrimonium non sit inhabilis ob nullitatem ordinationis suæ; promissam tamen Deo continentiam servare, & in perpetuum matrimonio valedicere sub mortali reatu tenetur.

(*a*) S. Greg. in can. Nullam. dist. 27. Alex. III. in c. Sane. 2. de Clericis conjug. Suppl. S. Thom. q. 53. art. 3.

Confirmari potest nostra sententia exemplo viri, qui Religionem absque consensu uxoris suæ professus esset: quamvis enim ipsius professio sit invalida, eumque mulier cogere possit ad exeundum e Monasterio, ut secum cohabitet; certum est tamen, quod uxori suæ vir superstes, alteri nubere non posset; quam rem si faceret, dirimeretur ipsius matrimonium, ut definivit Clemens III. in una e suis Decretalibus (*b*). Ratio est, quia sese obstrinxisset, quantum in se erat, ad amplectendam Religionem, ac morte uxoris suæ factus liber ad implendam obligationem suam, primum suum tenetur perficere consilium, ad Monasterium remigrando. *Respondemus*, inquit hic Papa, *quod prædictus vir, nec habitum potest abjicere, quem assumpsit, nec aliquam sibi matrimonio copulare. Quod si contraxerit, matrimonium ipsum decernimus dirimendum*. Sic statuit Cælestinus III. in una e suis Decretalibus (*c*), in qua declarat, mulierem, quæ mortuum virum suum, licet vivum, existimans, solemnem emiserat Religionis professionem, & quæ ad virum suum redire coacta fuerat, post obitum conjugis sui manere tamen obligatam ad tenendam castitatem, quod præsumi debeat, sufficienter ad eam servandam sese obstrinxisse voto simplici, quo bona fide se obligarat. *Licet votum ejus usquequaque non tenuerit*, inquit hic Papa, *eatenus tamen fuit obligatorium, quatenus se poterat obligare; promisit enim intrando Monasterium se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius: redire vero ad sæculum in ejus potestate non erat, sed in potestate viri; & ideo quantum ipsam ad tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit*.

(*b*) Clem. III. in c. Consuluit 10. de conversione conjugat.

(*c*) Cælest. III. in c. Placuit. 5. eod. tit.

Nunc vero facile est casui proposito ista accommodare exempla: nam idem dicendum de Hermocrate, qui in sua ordinatione invalida quidem sese tamen obstringere continentiæ voto existimavit, quod aliquo sensu dici potest, *solemnisatum ... per susceptionem Sacri Ordinis*, ut loquitur Bonifacius VIII. (*d*). Et qui proinde ad illud servandum, saltem ex adstricto voti simplicis, teneri censetur. Si tamen Hermocrates subdiaconatum suscipiens, nullatenus sese voto ligare ad castitatem servandam intendisset, sed tantum legi ab Ecclesia subdiaconis impositæ obedire, dispensatione non indigens contrahere valeret, modo posset absque scandalo, quia in hoc casu ista eum Lex non obligaret.

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. Quod votum un. de voto & c. in 6. l. 3. tit. 15.

C A S U S V.

Fulvia consensit, ut vir suus sacros susciperet ordines: quo facto perpetuam ipsa vovit continentiam. An potest manere in sæculo, & etiam in eadem urbe, ubi commoratur ipsius maritus; an vero tenetur in conscientia Religionem profiteri?

R E S P O N S.

1. Si de marito agatur, qui nondum Sacerdotio initiatus fuerit, ipsum Episcopus ordinare non debet, nisi mulier ipsius, si sit adhuc juvenis, solemniter se Religionem esse professuram promittat: nam quamvis omnino certum non sit, necesse esse, ad ordinationem mariti, ut Religionem profiteatur uxor ejus; cum pro utraque parte decertent inter se Authores: nihilominus, quia ordinatio est actus voluntariæ jurisdictionis, & proinde Episcopus ordinationem cui magis libuerit denegare potest, de eo apud Deum tantum rationem reddere coactus; maxime conveniens est, ut ad ordines eum non admittat, cujus mulier est etiamnum juvenis, nec extra omnem suspicionem posita, donec Religionem ingressa fuerit: quamvis enim Alexander III. in sua ad Archiepiscopos duos Hungariæ Decretali (*e*), non exigat, ut mulier juvenis Religionem profiteatur, cum simpliciter dicat: *Nullus conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*; non addens, *& ad Religionem migrante*; hinc non fit, ut eam ad id cogere non possit Episcopus, cum id utile judicat ad bonum Ecclesiæ, & necessarium ad animarum salutem: quippe qui neminem ad ordinationem, quæ mere est gratuita, admittere teneatur, nisi sub conditionibus, quas duxerit opportunas. Insuper multi doctores (*f*) hæc tantum verba *continentiam profitente*, intelligunt de muliere etiamnum juveni; quod probant ex Canone, quem suppeditat Agathense Concilium (*g*).

(*e*) Alex. III. in c. Conjug. 4. de convers. conjug.

(*f*) S. Thom. n. 5. dist. 37. q. 2. art. 2. ad 2. Albert. Magnus Petr. Paludan. Dom. Sotus Covar. Aug. Barbosa Navarr. Sanc. & alii.

(*g*) Concil. Agath. in can. Episcopus, 6. dist. 77.

Addi potest, esse etiam convenientius, ut Sacerdotis mulier juvenis, quando viri sui Ordinationi assentitur, Religionem profiteatur, quam ea, quæ mariti sui Religiosæ professioni assentiretur; cum multo facilius sit, ut Sacerdos cum uxore sua frequens sit, quam Religiosus, qui Monasterii septis continetur, e quo sine comite non exit. Ergo si apud omnes sit in confesso, uxorem juvenem, quæ mariti sui professioni religiosæ assentitur, teneri pariter ad Religionem amplectendam; a fortiori idem dicendum de ea, quæ viri sui ordinationi Sacerdotali suum præbet assensum. Nihilominus, si Episcopo foret persuasum, talem uxorem esse sapientem & ab omni suspicione immunem, ipsi permittere posset, ut in sæculo maneret, ab ipsa continentiæ votum exigendo *ad tempus*. Hoc est, ad tempus mortis mariti sui; quo in casu alteri posset nubere, si primus ipse moreretur.

Ast e contra si mulier ista sit senex, Episcopus maritum ejus ordinare potest, simulque dissimulare, quod ea in sæculo remaneat. Ratio hujusce decisionis est, quia videtur, Episcopum eodem modo se gerere debere pro Ordinatione Sacerdotis conjugati, quo exigunt Canones, ut agatur pro Religiosa professione, quam idem conjugatus vellet amplecti. Atqui prohibent Canones, ne ad solemnem Religionis professionem admittatur, nisi mulier ipsius, si sit juvenis, eam simul profiteatur; & e contra si sit senex, & ab omni suspicione libera, ad id cogi non debet, uti declarant Alexander III. scribens ad Exoniensem Episcopum & Innocentius III. in sua ad Pisanum Archiepiscopum Decretali (*h*): *Verum*, inquit Alexander III. *Si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem*. Dicit quoque Innocentius III. *Nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere*.

(*h*) Alex. III. in c. Cum sis. de convers. conjug. Innocent. III. in c. Ad Apostol. 13. eod. tit.

2. Si vir uxoris illius, de qua fit mentio in proposito casu, jam Sacerdotio initiatus est de consensu mulieris suæ, quæ se voto tantum simplici continentiæ obstrinxerit, Religionem sequi nullatenus intendens; dicendum cum Angelico Doctore jam superius laudato, eam, neque ob votum suum, neque aliter teneri ad amplectendam Religionem, cum hæc ipsi non incumbat necessitas ex aliquo Canone aut Ecclesiæ constitutione. *Si uxor sciat*, inquit hic Sanctus, (*i*), *& de ejus consensu vir ordinem sacrum susceperit; tenetur continentiam perpetuam vovere, non tamen tenetur Religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis propter hoc quod vir ejus solemne votum emisit .... Si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur: quia ex hoc nullum sibi præjudicium generatur*. Sed quia ex præcepto caritatis tenetur omnem vitare scandali occasionem, Religionem debet amplecti, aut saltem in aliquem recedere locum, ubi Sacerdotis uxor non agnoscatur, donec eam attigerit ætatem provectam, qua extra omnem sit posita suspicionem.

(*i*) S. Thom. loc. cit.

C A S U S VI.

Renatus, suscepto subdiaconatu cum intentione formali, se ad continentiam servandam voto non adstringendi, postea nupsit, existimans se valide posse contrahere. An invalidum est ipsius matrimonium?

RESPONS.

Certum est, contractum a Renato post susceptum subdiaconatus ordinem, matrimonium esse invalidum; quamlibet habuerit non servandæ continentiæ intentionem. Ratio est, quia invalidum fit matrimonium contractum post susceptionem majorum ordinum, ut his verbis declarat Bonifacius VIII. (a) *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem.... factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

(a) Bonifac. VIII. in cap. Quod votum unic. de voto & voti redem. in 6.

Concilium Rhemense habitum an. 1148. sub Eugenio III. qui huic præfuit, contra Eonem hæreticum, qui se filium Dei profitebatur, & contra Gilbertum Porretanum, Episcopum Pictaviensem, primum declaravit, Ordinis Sacri susceptionem deinceps futurum esse impedimentum dirimens matrimonii (b). Sic autem loquitur hic Summus Pontifex in hoc Concilio: *Quia vero continentia & Deo placens munditia in Ecclesiasticis personis & Sacris Ordinibus dilatanda est, sanctorum Patrum & Prædecessoris nostri Papæ Innocentii vestigiis inhærentes, statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, subdiaconi, regulares Canonici, Monachi, atque conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur: hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.*

(b) Concil. Rhem. anno 1148. can. 7.

Alexander III. scribens ad Cantuariensem Archiepiscopum ejusque suffraganeos Episcopos, hujusce Concilii decisionem secutus est exeunte eodem sæculo (c), hoc est, ad annum 1180. Sic autem loquitur: *Si qui .... Clericorum in subdiaconatu & aliis Superioribus Ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere & pœnitentiam agere de commisso per suspensionis & excommunicationis sententiam compellere procuretis.*

(c) Alex. III. in c. Si qui c. de Cler. conj.

Constitutiones istas firmat jam prius facta ab Ecclesia subdiaconis cæterisque Sacris Ministris nubendi prohibitio, ut videre est 1. ex Concilio Constantinopoli an. 692. habito in Palatio Imperatorio, & quod idcirco dicitur, *Concilium Trullanum*, uti etiam *Synodus Quini sexta*, in quo sic habetur (d): *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari: hoc ante ordinem subdiaconatus faciat*. 2. ex Sancto Gregorio Magno in sua Epistola ad Bonifacium Episcopum Rhegiensem (e). 3. ex Decreto Urbani II. in Concilio Melphitano (f). 4. ex Concilio Carthaginensi an. 398. (g).

(d) Quini sex. synod. cap. 6. in can. si quis 7. dist. 35.
(e) S. Greg. in can. subdiac. 0. dist. 31.
(f) Urb. II. in can. Eos qui 20. ibid.
(g) Concil. Carthag V. c. 3. in can. Placuit, 25. ibid.

His ita positis, dicendum est, Renatum teneri ad vivendum in statu subdiaconi, & ad servandam continentiam; quamvis enim Ecclesia neminem cogat invitum ad suscipiendos ordines atque, ut ait sanctus Ambrosius (h), votum castitatis imperare fidelibus nequeat: *Sola est enim virginitas*, inquit, *quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti, quam præcepti*; constituere tamen potest, uti reipsa multis canonibus statuit (i), ut qui sacris cupiunt initiari ordinibus, ad contrahendum, iis susceptis, sint inhabiles; quos quidem suscipiendo, inhabilitati huic libenter se submittunt, uti ajunt Paludanus, Scotus (K), cæterique Theologi. Hinc dicit sanctus Thomas (l), loquens de voto continentiæ: *quod etiamsi quis verbotenus non emittat; ex hoc ipso quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse*. Qua de re, etiam dilucidius loquitur Paludanus his verbis: *In susceptione sacri ordinis est votum præsumptum præsumptione juris & de jure, contra quam non admittitur probatio. Unde si quis, non intendens vivere caste, nec se obligare, nihilominus volens suscipit subdiaconatum, nihilominus obligatur ad continentiam vi statuti & non voti. Imo etiamsi contrarium protestaretur, nihilominus obligaretur*. Eandem doctrinam verbis expressis tuetur sanctus Antoninus (m).

(h) S. Ambr. in can. Integr. 13. 32. q. 1.
(i) Cit. can 7. Conc. Rhem. Conc. Ancir. III. in canon. Præterea 4. d. 28. Conc. Aurelat. IV. in can. Assumi. 6. ib. Concil. Tolet. III. in can. De iis. 5. ib. Conc. Tolet. IV. in can. Quando 3. ib. S. Greg in can. Nullum. ibid. can. Ante. 1. dist. 32.
(k) Petr. Palud. in 4. dist. 38. q. 2. Scot. in 4. dist. 37. qu. 1.
(l) S. Thom. in 4. dist. 37. q. 1. art. 2. in corp.
(m) S. Anton. in 3. p. summ. Theol. tit. 1. c. 6.

Cæterum observandum est quoad præsentem difficultatem; 1. Renatum ita contractis nuptiis in excommunicationem incurrisse, ut fert Constitutio Clementis V. his verbis (n): *Clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia contrahentes refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere*. 2. in irregularitatem quoque ipsum incidisse, juxta definitionem Innocentii III. (o), atque ut docent sanctus Antoninus post Paludanum & Richardum, quos sequuntur Covarruvias, Navarrus & alii (p). Certum quidem est, juxta quorumdam opinionem in hoc casu irregularitatem non incurri, nisi cum suppositum matrimonium fuit consummatum, at Covarruvias istam distinctionem, nullo canone fultam, refellit.

(n) Clem V. in Clem. Eos qui. init. de consan. & affinit.

CASUS VII.

Si Renatus ordinem sacrum, non nisi invitus & ex metu gravi suscepisset, & expresse significasset, se non intendere, ut se ad servandam continentiam obligaret, sed econtra se velle nubere, matrimonium, quod postea contraheret, esset-ne in hoc casu invalidum?

(o) Innoc. III. in c. A nobis, fin. de bigam. non ordinand. dis l. 2. t. 2.
(p) S. Anton. 2. part. sum theol. tit. 3 c. 5. & Petr. Palud in 4 dist. 37. Richard. ibid. art. 4. q. 3. Navar. manual. c. 27. n. 194. Covarr. & alii.

RESPONS.

Ordo sacer, quamvis ea, qua fertur in proposito casu, ratione susceptus, est impedimentum dirimens, atque adeo matrimonium, quod in his circumstantiis contraheret Renatus, esset omnino invalidum. Ratio est, quia ordines sacri non sunt impedimentum dirimens matrimonii præcise ob solam, quæ ipsis annexa est, servandæ castitatis promissionem, sed ob inhabilitatem eos suscipientium ad contrahendum matrimonium; quæ inhabilitas originem suam vimque omnem ducit a legibus & universali Ecclesiæ consuetudine, ut probat ipsum Ecclesiæ Græcæ exemplum (q), in qua matrimonium post susceptionem sacrorum ordinum contractum est irritum, quamvis nullum huic castitatis votum annexum agnoscat, ut fatetur Innocentius III. dicens (r): *Orientalis Ecclesia votum Continentiæ non admisit*: quod idem asserit etiam sanctus Thomas (s): quare, si puerulo conferrentur ordines sacri, etiam ante usum rationis; certum est, quod, licet spirituali charactere esset insignitus ob ordinationem, ut docent Sanctus Thomas, (t) Sanctus Bonaventura aliique Theologi contra Durandum, nec teneretur ad servandam castitatem, ut docent Paludanus, Dominicus Sotus, Sylvester & Richardus (u); quia implicat votum absque consensu saltem tacito, cujus absolute incapax est hujusmodi puerulus; attamen ex proprio suo statu esset inhabilis ad contrahendum matrimonium, juxta Doctrinam sancti Antonini Paludani, Gabrielis Biel, Sylvestri & aliorum.

(q) S. Anton. loc. cit.
(r) Innoc III. in cap. cum olim. c. de Clericis conjug.
(s) S. Thom in 4. dist. 40. q. 1. art. 1. in corp. S. Anton. loc. cit. Joan. major. in 4. d. 24. & 27. q. 1. Alphonso a Castro. Domin. Sot. Paludan. Scot. Richar. Sylvester. de Prier. Didac. Covarruv. de matrim. 3 p. c. 65. §. 1 n. 20.
(t) S. Thom. in 4. dist 25. q. 2. art. 1. qu. 2. in corp.
(u) Richard. in 4. dist. 39. art. 1.

Certum quidem est, a quibusdam Casuistis, quos laudat Sanchez, existimari, talem subdiaconum valide matrimonium contrahere posse: at consentit hic author, contrarium a multis aliis defendi, *valde probabiliter*, inquit, nec sine ratione; nam pro quatuor, quinque-ve Casuistis, quos pro sua laudat opinione, fatetur alios novendecim, quos appellat, & quorum plerique magnam obtinent famam, ipsi esse oppositos, quales sunt sanctus Antoninus, sanctus Raymundus, Paludanus, Hostiensis, Panormitanus, Joannes Andræas, Cardinalis, Albericus, Goffredus, Sotus & Sylvester (x). Ad hæc octavum Concilium Toletanum an. 659. habitum (y), de eo loquens, qui ordines suscepit *aut eventu necessitatum aut metu periculorum* (hæc sunt ejus verba) & qui postea nubit non obstante sacro, quem suscepit ordine, declarat, quod vir talis *non omni Ecclesiastici ordinis dignitate privatus, vere, ut Apostata, a sanctæ Romanæ Ecclesiæ liminibus & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, Monasterii claustris, donec advixerit, sub pœnitentia retrudendus*. Hæc sunt hujusce Concilii verba, quæ Sanchez, eo, quo in actis ejus legimus, modo non retulit.

(x) S. Anton. supra cit. loc. S. Raymund. in sum. l. 3 §. 10. de ætat. ordinandor. &c. Palud. in 4. d. 35. q. 3. art. 4. concl. 6. Hostiens. cit. tit. de ætat. &c. 6. Panorm. ib. Jo. Andr. in c. Major. de bapt. in fin. Cardin. in Clem. fin. de ætat. & qualitate ordinand. Albericus in dict. Lit. O v. Ordinat 2. Goffr. in sum. de ætate & qualit. ordin. n. 11. Sylvest. vers. Ordo 4 qu 1. dicto 2. Anton. in novissimis c. 1. d. c. 569. Sotus de just. & jure. 7. q. 1. a. 5. in corp. ad arg. & alii plures.
(y) Concil. Toletan. III. can. 7.

Ex quibus colligendum est, quod, quamvis is, qui metu quantumcumque gravi, ordinatus est, nullo voto (z) ad servandam continentiam teneatur,

(z) Idem ib. q. 2.

status

ſtatus tamen ſui ſanctitate tenetur cælibatum obſervare & ad contrahendum eſt inhabilis. In jure huic noſtræ deciſioni contrarium nihil reperitur: Canones enim, qui huic videntur oppoſiti, intelligi ſolum debent de ipſo uſu matrimonii ante ordinationem contracti, qui Græcis eſt permiſſus, quibus, ut jam dictum eſt, non magis, quam Latinis eſt licitum nubere poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum; quidquid in contrarium afferat Gratianus (a), qui hac in re hallucinatus eſt, & poſt ipſum Cajetanus.

(a) Gratian. 8. Ecce hoc. d. 28.

IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS.

RELIGIONE ſeu cultu quis ab alio diſpar eſſe poteſt duplici ratione; prima, cum alter Chriſtianam profitetur religionem, alter vero eſt paganus, aut infidelis; de hac autem cultus diſparitate agitur in hoc titulo, quam hoc modo definiunt Theologi (b): *Cultus diſparitas, qua matrimonio jungendorum, unus baptizatus, colit Deum verum; alter non baptizatus colit Deum falſum*: vel *diverſitas Religionis baptizati matrimonium contrahentis cum non baptizata, vel e contrario*. Altera; cum ambo ſunt Chriſtiani; ſed unus eſt Catholicus, & alter Hæreticus. Licet abſque crimine matrimonium contrahi non poſſit cum Hæretico, qui baptiſmum ſuſcepit; certum eſt tamen, validum eſſe illud matrimonium. At vero non idem dicendum de eo, quod contrahit Chriſtianus cum infideli, quamvis Cathecumena, aut viciſſim; nam invalidum eſt, ut patet ex authoritatibus in prima deciſione relatis.

(b) Polman. brev. Theol. p. 3. c. 158. & ſeqq.

Multæ ſparſum reperientur regulæ in reſponſionibus noſtris ad difficultates, quæ ad materiam hujus tituli pertinent; quare ea de re quidquam hic addendum non putamus, ut vitentur repetitiones.

CASUS PRIMUS.

MARINUS Chriſtianus Hildegardæ infideli nupſit. An licitum eſt, & quidem validum illud matrimonium?

RESPONSIO.

Conſtat, matrimonium Chriſtiani cum infideli eſſe prohibitum: 1. ob præſens diſcrimen, in quo ferme ſemper verſatur Chriſtianus ratione mutui conjugum amoris, & intimæ, qua ſimul vivunt, familiaritatis. Hanc veritatem nimis comprobat magno ſui infortunio experientia ſapientiſſimi regum Salomonis, cujus *depravatum eſt cor*, inquit ſcriptura (c), *per mulieres, ut ſequeretur deos alienos*. Inſuper conſtans eſt Eccleſiæ regula, quam docent Patres, ac ſtabiliunt Concilia, & præſertim Eliberitanum an. 305. ſub Marcello Papa habitum (d); Concilium œcumenicum Calcedunenſe an. 451. (e); Agathenſe an. 506. quod in ſuo decreto refert Gratianus (f); ſecundum Aurelianenſe an. 536. (g) & quartum Toletanum an. 533. coactum, quod pariter laudat idem Gratianus (h). Hanc eandem regulam docent ſancti Patres, ac præſertim SS. Cyprianus, Ambroſius & Auguſtinus (i).

Altera hujuſce prohibitionis ratio eſt, quia religionis illa diſparitas noxia eſt debito Deo cultui, ut libertati & fidelitati, qua Chriſtiana & Catholica Religio exerceri debet, familiarum quieti, bonæ puerum inſtitutioni, ac denique mutuo conjugum ac debito in ſe invicem amori. Hinc etiam ſtricte prohibita fuerunt hujuſmodi matrimonia in antiqua lege, in qua dicitur (K): *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias .·. nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis*: & iterum (l): *neque ſociabis cum eis conjugia, filiam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo*. Ob eam quoque cauſam eadem prohibentur in nova lege: *Nolite juga ducere cum infidelibus*, ait Apoſtolus (m), *quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ conventio lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Et alibi (n): *Qui vult, nubat tantum in Domino*, hoc eſt, mulier fidelis, cui voluerit, poteſt ſociari marito, modo is ſit Chriſtianus: ſic enim intelligi debent iſta ſancti Pauli verba, juxta interpretationem ſanctorum Patrum, ac præſertim Tertulliani, ſanctorum Cypriani, Hieronymi, Chryſoſtomi, Auguſtini, & Theodoreti (o); quam etiam interpretationem confirmant Concilia a nobis ſuperius laudata.

(c) 3. Reg. 11. 4.
(d) Concil. Eliber. can. 16.
(e) Concil. Calced p. 2. act. 15. can. 15.
(f) Conc. Agathen. can. 67 in can. Non oportet. 16. 28. q. 1.
(g) Conc. Aurel. can. 10.
(h) Conc. Toletan. IV. in can. Judæi 2. 10. & duob ſeqq. 28. q. 1.
(i) S. Cypr. l. 3. contra Judæos n. 62. & ſerm. de lapſ. S. Ambroſ. l. 1. de Abraham c. 9. in can. Cave. 15. 28. q. 1. S. Aug. l. de conjug. adult. c. 25 ſeu n. 32.
(k) Exod. 34. 12. & 16.
(l) Deuter. 7. 3. Item 2. Eſdræ. 3. & ſeqq. & 2. Eſdræ 13. 23. & ſeqq.
(m) 2. Cor. 6. 14. & 15.
(n) 1. Cor. 7. 39.
(o) Tertull. l. 2. ad uxorem c. 2. S. Cyp. lib. 3. teſtimoniorum c. 62. S. Hier. l. 1. contr. Jovinianum c. 5. S. Chryſoſt. & Theodor. in 1. Cor. c. 7. S. Aug. loc. cit.

Conformiter ad Eccleſiæ conſtitutiones a Chriſtianis Imperatoribus prohibitum eſt indicta etiam capitali pœna, ne fideles cum Judæis matrimonia contraherent, ut fert lex codicis (p), & cum Gentilibus, ut legere eſt in codice Theodoſiano (q), & alibi.

Verum tamen eſt, matrimonium Chriſtiani cum infideli, quamvis prohibitum, non eſſe invalidum jure naturali vel divino, ut docent Scotus (r), Durandus, Covarruvias, aliique poſt ſanctum Auguſtinum, cujus verba inferius referemus. 1. quia non adeo fini conjugii contrarium eſt, ut, abſolute loquendo, pueri religione Chriſtiana & Catholica imbui non poſſint; quamquam id rarius & difficilius eveniat, præſertim cum pater eſt infidelis, ob majorem ejus in pueros authoritatem. 2. quia multa ſunt ſeu in lege naturæ ſeu ſcripta hujuſmodi matrimoniorum exempla: nam temporibus legis naturæ Joſeph uxorem duxit Aſenet, filiam Putiphare Ægyptiam (s); Eſaü, uxores Chananæas (t). Tempore legis ſcriptæ Moyſes uxorem accepit Sephoram, filiam Jethro Æthiopem (u), Booz uxorem Moabitidem, Eſther, virum Aſſuerum Chaldæum, Salomon plurimas uxores peregrinas & idololatras (x). Hujuſmodi matrimonia pariter quatuor primis Eccleſiæ ſæculis non abſolute & univerſim fuere prohibita; ut conſtat ex multis iiſque inclytis exemplis, atque inter cætera, exemplo ſanctæ Monicæ, quæ virum habuit Patricium, quamvis ethnicum, ut teſtatur ſanctus Auguſtinus, ipſorum filius in ſuis Confeſſionibus, ſancta Clotildis etiam Clodovæo, Franciæ Regi nupſit, dum adhuc ethnicæ ſuperſtitioni ſubjaceret, ut teſtatur ſanctus Gregorius Turonenſis (y). His addi poſſunt exempla Berthæ, cum Rege Angliæ idololatra nuptæ; Dingundæ principis e ſtirpe regia Gallorum Regum ortarum, Theodelindæ Reginæ Longobardorum, & aliorum plurium, quibus probatur, fidelium cum infidelibus conjugia primis ſæculis paſſam eſſe Eccleſiam, ut patet ex hoc ſancti Auguſtini teſtimonio (z) *Quæ* (matrimonia videlicet cum infidelibus contracta) *noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata: quoniam*, ait ejus rei ſubjiciens rationem, *revera in novo teſtamento nihil inde præceptum eſt; & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum*. Hæc ſunt verba ſancti Doctoris, qui eandem alibi rationem iterat (aa): *Non enim*, inquit, *tempore revelati Teſtamenti novi in* Evan-

(p) L. Nequis 6. cod de Judæis & Cœlicolis l. 1. t. 9.
(q) Codex Theodoſ. l. 3. tit. 14.
(r) Jo: Duns vulgo Scotus in 4 diſt. 39. art. 2.
(s) Geneſ. 41: 45.
(t) Geneſ. 26. 30.
(u) Exod. 2. 21.
(x) 3. Reg. 11. 1. & 2.
(y) S. Greg. Turon. lib. 2. hiſt. c. 28.
(z) S. Aug. l. de fide & operib. c. 19. ſeu n. 35.
(aa) Id. l. de conjug. adult. c. 25. ſeu n. 32.

Evangelio, vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratam esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles eam infidelibus jungi.

Attamen, quamdiuturna fuerit hæc tolerantia, certum est adhuc, hujusmodi matrimonia ab Ecclesia nunquam fuisse probara & confirmata; & econtra, quamvis statim ea vituperare contenta fuerit, non irrita declarans, postea ab eadem Ecclæsia habita fuisse tanquam invalida, ut patet ex allatis jam argumentis, & fusius probat ipse Gratianus ex multis decreti sui canonibus (*a*): quamvis, ut observat Estius, (*b*) nulla tum lege positiva declarentur invalida. Nunc itaque tanquam invalida haberi debent, ob generalem consuetudinem, quæ vim legis obtinet. *Si infidelitas in altero conjugum matrimonium præcedat*, inquit sanctus Thomas (*c*), *dirimitur matrimonium sequens, etiam, quantum ad vinculum*. Ratio est, quia, uti jam dictum est, omnimoda Religionis diversitas multis in rebus bonis matrimonii adversatur, ac præcipue optimæ ac liberali prolis educatiooi, quæ cum Patris ac Matris authoritati curisque sit aunexa, certo sit, ut uterque parens Religionis suæ sensus atque regulas ipsi instillare contendat: *Parentes ad diversa prolem trahere intendunt* (*d*). Unde si unius Religio alterius fidei sit contraria, fieri oon potest, quin prolis fides titubet, ex & diversa parentum religione oriatur inter eos dissidium, ac proinde eadem varietas optimam puerorum suorum institutionem destruat. Ratiocinium istud urget Angelicus Doctor his verbis (*e*): *Principalius bonum matrimonii est prolis ad cultum Dei educandæ. Cum autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare, & ideo, si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit: & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium; & propter hoc disparitas cultus, præcedens matrimonium impedit, ne contrahi possit.*

Sed quia generalior haberi posset ista ratio, & ex ea concludi posse quis asseveraret, matrimonium cum hæretico contractam pariter invalidum fore; aliam addimus, quæ nullatenus refelli posse videtur; quia nimirum, cum Baptismus primum sit & unicum cæterorum sacramentorum fundamentum, quo eadem recipiendi homo capax fit, infidelis homo, qui baptismo non initiatus est, Sacramenti matrimonii, uti aliorum, capax esse nequit, ut ait Glossa (*f*). Id ipsum quidem declaravit Innocentius III. ad Episcopum Ferratiensem scribens (*g*) his terminis: *Ubi fundamentum non est, superædificari non potest*: nam quamvis matrimonium inter infideles sit verum, quatenus est contractus civilis, uti asserit idem Papa in alia Decretali (*h*), nunquam tamen sacramentum proprie dictum esse potest, dum in infidelitate sua remanent; quod declarat idem Summus Pontifex his verbis: *Et si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.*

Superest igitur, ut post tot authoritates adeo decretorias concludamus, matrimonium a Marino Christiano contractum cum Hildegarda infideli neque validum esse, neque licitum: nam, ut loquitur sanctus Ambrosius (*i*): *Quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugii communis caritas? Sæpe plerique capti amore fœminarum fidem suam prodiderunt, ut Patrum populus in Beelphegor.* Indulgentius ergo accipi Marinus non meretur, quam statuit Canon primo Nicæno Concilio adscriptus (*k*) cum muliere fideli quæ cum infideli nupsit, cum uterque in simili casu versetur: sic autem loquitur ille Canon. *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque ab Ecclesia ejiciatur; quæ si pœnitentiam egerit maleficii, & eum virum, quem habere non poterat, id est, infidelem, dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur, qui, postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.*

(*a*) Toto causa 28 q. 1.
(*b*) Guill. Estius in 4. dist. 39. §. 3.
(*c*) S. Thom. in c. ad Hannibaldum dist. 39. art. 2. in corp.
(*d*) Idem in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad 2.
(*e*) Idem ib. art. 1. in corp.
(*f*) Glossa in can. *Pervenit.* 2. 30. q. 1. v. *Pabolo*.
(*g*) Innoc. III. in c. *Veniens*. 3. de Presbyter. non bapt. lib. 3. tit. 42.
(*h*) Idem in c. *Gaudemus*. 8. de divortiis.
(*i*) S. Ambros. epist. 19. n. 7.
(*k*) Conc. Nicæn. Alphonsi Lisani. lib. 3. can. 67.

CASUS II.

SELIMUS, infidelis, Christianam amplexus est religionem. Huic tres actu erant uxores. Post contractum cum prima matrimonium, eam juxta legem suam repudiarat; altera ipsi consanguinea est in secundo gradu lineæ collateralis; tertia vero, nullo ipsi consanguinitatis conjuncta, Christianam quoque fidem amplexa est. Consentiunt tres illæ mulieres cum eo pacifice & conjunctim vivere: quam e tribus potest, aut tenetur habere legitimam conjugem suam?

RESPONS.

Innocentius III. (*l*) Evangelii atque Apostoli doctrina fultus aperte difficultatem istam solvit. *Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiaverit uxorem*, inquit hic Summus Pontifex, *cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente poterit aliam etiam ad Christi fidem conversus habere; nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso; aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale.* Quibus verbis manifestum fit, unum e conjugibus infidelibus, qui ad fidem convertitur, alterum dimittere non posse, nisi tribus in casibus. 1. Cum is, qui in infidelitate remanet, ab eo separari cupit, qui convertitur. 2. Quando cum eo manere non consentit, qui fuit conversus, nisi semper in Deum aut Christianam religionem blasphema verba proferendo, seu de Deo loquendo cum contemptu, seu nomen Christi audire nolendo, aut pueros suos, famulosve a divino cultu amovendo, aut aliqua alia simili ratione. 3. quando conversum pervertere nititur, ipsum inducendo ad abnegandam fidem, quam amplexus est.

Eandem rem asserit prædictus summus Pontifex in alia Decretali, quam ad Episcopum Ferrariensem scribit (*m*), & in qua sic loquitur: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus (n); si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi; & Canonem etiam, in quo dicitur;* Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur.

Hinc sequitur, teneri Selimum sub conscientiæ reatu, ad redeundum cum prima sua uxore, postpositis aliis duabus; licet eam, infidelis adhuc, repudiarit, cum, ut supponitur, pacifice & conjunctissime cum eo vivere protestatur, absque blasphemia in Deum vel in religionem Christianam. Ratio est, quia ab ea resumenda non dispensatur ex ejus repudio; quia Ecclesia, cujus membrum factus est baptismo, hujusmodi divortium non agnoscit. Ita docet sanctus Thomas his verbis (*o*): *Repudium uxoris ... est contra legem naturæ; unde non licet infideli uxorem repudiare; & ideo si convertatur postquam una repudiata alteram duxit; idem judicium est de hoc & de illo, qui plures uxores habebat, quia tenetur primam, quam repudiaverat accipere, si converti voluerit, & aliam abjicere.* Ita quoque sentiunt Panormitanus, Hostiensis, S. Bonaventura, sanctus Antoninus, Sotus, Covarruvias, Navarrus, Sylvius, aliique Doctores (*p*), quorum sententia nititur. 1. his Apostoli verbis (*q*): *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*: quæ verba juxta expositionem Tertulliani (*r*), & S. Hieronymi (*s*) non pro simplici consilio, sed pro vero præcepto sumenda sunt. 2. Et istis aliis, quæ refert Innocentius III. *Si infidelis discedit, discedat &c.* Hoc est, si infidelis a fideli facto discedit, cum eo pacifice vivere nolens, tunc infidelem dimittere potest, & Christiano nubere; at si infidelis cum fideli pacifice habitare consentiat,

(*l*) Innoc. III. in c. *Gaudemus*. 8. de divortiis. l. 4. tit. 19.
(*m*) Idem in c. *Quanto*. 7. eod. tit.
(*n*) 1. Corinth. 7. 15.
(*o*) S. Th. in 4. dist. 39. q. un. art. 2. ad 5.
(*p*) Panorm. & Hostiensis in c. *Quanto*. cit.
S. Bonavent. in 4. dist. 39. art. 2. quæstio 2 & 4.
S. Anton. 3. part. Summ. Theolog. tit. 1. c. 6.
Dom. Sotus in 4. dist. 17. q. 1. art. 4. Concl. 1.
Didac. Covarruvias a Leyva de matrim. 2. par. c. 7. §. 4. n. 5.
Navarr. Man. c. 20. n. 49.
Fr. Sylvius in suppl. S. Th. q. 59. art. 3. & 4. & alii.
(*q*) 1. Corint. 7. 12. & 13.
(*r*) Tertul. lib. 2. ad uxorem. c. 2.
(*s*) S. Hieron. l. 1. contra Jovini. c. 5.

tiat, alteri nubere non potest fidelis, quamvis ipsi sit licitum ab infideli discedere, *quoad thorum & cohabitationem* tantum, ex sancto Thoma (*a*). Unde colligendum est, quod, licet Selimus, de quo fit mentio in casu proposito, cum prima uxore sua habitare nollet, nec cum ea maritali affectu vivere, uni e duabus reliquis nubere non posset, sed in castitate permanere tenetur. *Quando alter conjugum*, inquit Doctor Angelicus, *altero in infidelitate remanente, distinguendum est; quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis libere discedere, sed discedens non potest vult cohabitare alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens; tunc, si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens potest alteri per matrimonium copulari.*

(*a*) S. Th. cit. dist. 39. art. 5. in corp.

CASUS III.

Achmetus et Æmilia infideles, in gradu prohibito Consanguinei, simul nuptias contraxere, Achmetus vero paulo post ad Christi fidem conversus potestne, aut debet, ut ante, cohabitare cum Æmilia, quæ, licet infidelis, cum eo pacifice remanere consentit, neque verbo, neque facto viri sui religionem offensura; an vero quadam indiget dispensatione?

Respons.

Cum sint gradus jure divino prohibiti (*b*), alii vero solis Ecclesiæ legibus; ut quæstioni propositæ fiat satis, dicendum cum sancto Thoma (*c*), *quod Infideles non baptizati, non sunt astricti statutis Ecclesiæ, sed sunt astricti statutis juris divini: & ideo, si contraxerint aliqui infideles in gradibus secundum legem divinam prohibitis* Levit. 18. *sive uterque, sive alteruter ad fidem convertatur, non possunt in tali matrimonio commanere. Si autem contraxerint in gradibus prohibitis per statutum Ecclesiæ, possunt commanere, si uterque convertatur, vel si, uno converso, spes sit de conversione alterius.* Si igitur Archmetus & Æmilia sint in primo casu, hoc est, consanguinei in gradu prohibito vi juris divini, simul habitare nequeunt conversi, ut vir & mulier, & a se invicem discedere omnino tenentur: at vero, si tantum sint cognati in gradu prohibito solis Ecclesiæ legibus, simul, ut ante, possunt & debent manere, cum uterque consentiat.

(*b*) Levitici 18.
(*c*) S Th. in 4. dist. 39. q. un. art. 3. ad. 3.

Decisionem istam asserit Innocentius III. his verbis (*d*); *Utrum pagani uxores accipientes in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam insimul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postulasti.* En quæstio, quam proponit Episcopus, ad quam ita respondet his summus Pontifex. *Super quo taliter respondemus, quod... in præmissis gradibus a paganis, quo ad eos, matrimonium licite sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur; quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his qui foris sunt judicare?* Hactenus dictis addendum, quod, si Achmetus & Æmilia sint tantum cognati in gradu prohibito solis Ecclesiæ legibus, non necesse est, quo in matrimonio suo remanere queant, ut ea, quæ ad validitatem matrimoniorum præscribit Tridentinum, ab iis suppleantur; cum tempore conjugii sui legibus Ecclesiæ non essent subditi, uti jam diximus cum sancto Thoma & Innocentio III.

(*d*) Innoc III. in c. Gaudemus. t. de divortiis. Item in cap. Os Infidelibus. 4. de con. sang. & affin.

CASUS IV.

Mahometes, Religione Turca, sumptis sibi matrimonio uxoribus quinque, fidem Christianam amplexus est, ipsiusque exemplum uxores suæ omnes secutæ sunt. Potestne eligere & retinere sibi uxorem legitimam, eam, quam voluerit e quinque uxoribus?

Respons.

Ad solutionem præsentis difficultatis sufficit ampla, quam attulimus, ad secundum casum responsio: ibi enim ostendimus, in simili casu virum, qui ab infidelitate sua ad Christi fidem conversus est, non retinere posse, nisi primam mulierum, cui ante conversionem suam nupserat. Hic igitur unicum sancti Thomæ addemus testimonium, quo sic quæstio ita solvitur. *Habere plures uxores*, inquit Angelicus Doctor (*e*), *est contra legem naturæ, ... cui etiam fideles sunt astricti: & ideo non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa, cum qua primo contraxit. Unde, si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur, potest cum prima cohabitare, & alias debet abjicere.*

(*e*) S. Th. in 4. dist. 39. q. un. art. 3. ad 4.

Juvat hic observare, quod, si prima uxor pertinaciter in infidelitate sua maneret, nec cum viro suo ob religionis mutationem vivere pacifice nollet; inter quatuor alias ad fidem conversas eam, quam magis vellet, uxorem sibi legitimam eligere posset; sed in hoc casu de novo contrahere juxta solitam Ecclesiæ formam teneretur Mahometes, quia prius contractum cum ea matrimonium non est validum, cum juri naturali contraria sit Polygamia. *Si autem prima converti noluerit, & aliqua aliarum convertatur*, inquit idem sanctus, *idem jus habet contrahendi cum illa de novo, quod cum alia haberet.*

CASUS V.

Hassanus & Sophia, simul connubio juncti, matrimonium suum consummarunt; Sophia deinde ad Christi fidem conversa, solemnem Religionis professionem, inconsulto Hassano, emisit. Num ex hoc matrimonium illud sit dissolutum, quoad vinculum; ita ut Hassanus Sophiam cogere non possit, ut ad se redeat; aut econtra alteri nubere ipsi liberum sit?

Respons.

Quandoquidem Christianorum matrimonium, quod *ratum* ab Ecclesia dicitur & exinde fit verum sacramentum, dissolvi possit quoad vinculum per solemnem Religionis professionem, cum non fuit consummatum; a fortiori idem dici potest de matrimonio infidelium, licet consummato, cum proprie loquendo, non sit sacramentum, neque adeo indissolubile, sed simplex contractus naturalis & Civilis. Unde sequitur, ab Hassano Sophiam cogi non posse, ut post solemnem Religionis professionem suam e monasterio egressa ad se redeat.

Advertendum tamen, hoc disciplinæ punctum ab Ecclesia nunquam fuisse definitum: sed in hoc sequimur sententiam sancti Bonaventuræ (*f*) & multorum Theologorum, ac præcipue Sylvii (*g*) dicentis: *Notandum etiam probabile esse, quod etiam per professionem Religionis dissolvatur matrimonium in infidelitate contractum, quamvis consummatum; hoc enim licet non inveniatur definitum. en communi tamen sententia Bonaventuræ, Richardi, Dominici & aliorum in 4. dist. 39. habetur.*

(*f*) S. Bonavent. in 4. dist. 39. art. 2. q. 2. in resp ad argum.
(*g*) Fr. Sylvius in suppl. s. Th. q. 59. art. 1. quæstio 2. a.

CASUS VI.

Solimanus a Mahumetana secta, in qua natus erat, ad fidem Christi conversus est; at Irene, uxor ipsius in infidelitate sua perseverare voluit: qua de re quærit Solimanus 1. utrum Sacerdos fieri possit, aut Religiosus. 2. Utrum ad Irenem postea conversam & se ipsum petentem redire teneatur, quamvis Sacerdos aut Religiosus?

Respons.

Ad similem difficultatem ita respondet S. Thomas (*h*): *Si autem non sit spes de conversione* (uxoris) *potest ad sacros Ordines vel ad Religionem accedere, prius requisita uxore, quod convertatur; & tunc, si postquam vir Sacros Ordines accepit, uxor convertatur, non est sibi vir reddendus; sed debet sibi imputare*

(*h*) S. Th. in 4. dist. 39 art. 5. ad 4.

in

„ in pœnam tardæ conversionis, quod viro suo „ privarur „. Idem docet Sanctus Bonaventura. (a) Unde sequitur, Solimanum fieri posse Sacerdotem vel Religiosum, si spretis instantibus precibus suis, uxor ipsius Christianam sequi religionem abnuat, & eum postea non coactum iri ad redeundum cum illa, si forte convertatur.

(a) S. Bonav. in 4. cit. dist 39. artic. 2. q. 2.

CASUS VII.

Sergius Christianus, & Catholicus, nuptias contraxit cum Berenice; quæ etiamnum Cathecumena erat, & quæ cito se Christianam Religionem esse amplexuram promiserat. Numquid validum est illud matrimonium?

Respons.

Probavimus fuse in responsione ad primam difficultatem, invalidum esse Christiani cum infideli matrimonium. Atqui verum est dicere, personam, quæ nondum sacris baptismi aquis abluta est, semper infidelem censeri, quamvis sit Catechumena, ac in voto baptismi: atque adeo Christianum valide cum ea matrimonium contrahere non posse. *Si aliquis Catechumenus, habens rectam fidem*, ait Sanctus Thomas (b), *sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium*. Unde concludimus, quod, cum *jure Ecclesiastico, sive scripto sive non scripto* irrita sint hujusmodi matrimonia, valide Sergius cum Berenice contrahere non potuit.

(b) S. Th. in 4. dist. 39. q. un. artic. 1. ad 1.

Objiciet forsan aliquis, magnum esse discrimen inter Catechumenum, aliumque infidelem, quia non immineat ab eo periculum perversionis partis fidelis, neque etiam perversio futuræ prolis, cum in corde jam fidelis sit Catechumenus. Verum huic objectioni facilis est responsio. Nam 1. Experientia apud omnes constat, non Cathecumenum dumtaxat, sed Neophytos ipsos sæpe sæpius in fide esse instabiles, debiles, & incertos: & sic, licet non tantum ab ipsis immineat subversionis discrimen, aliquod tamen esse; quod sufficit, ut sua Ecclesiæ hujusmodi matrimonia prohibenti certa maneat & inconcussa auctoritas. 2. Insuper nullum debet poni discrimen inter Catechumenum aliumque infidelem quoad susceptionem sacramentorum, inter quæ recensetur matrimonium; cum ea recipiendi uterque ex æquo sit incapax, & eorum susceptionis capax fieri nequeat, nisi post susceptionem Baptismi, ut probavimus in prima decisione. Unde inferre necesse est, Berenicem Catechumenam, quæ nondum baptismo initiata est, contrahendi Christianum, de quo solo hic loquimur, matrimonium esse incapacem, & ipsum, quod contraheret nondum baptizata, haberi tantum posse, uti merum civilem contractum, ut constat ex dictis Innocentii I. ad Episcopos Macedoniæ scribentis (c), & Innocentii III. in sua ad Episcopum Ferrariensem Decretali. (d) Auctor Glossæ (e), Navarrus, Sylvius, Hambertus, aliique complures seu Theologi seu Canonistæ de hac difficultate cum Angelico Doctore consentiunt.

(c) Innoc. I. in can. *Deinde*. 3. dist. 20.

(d) Inn. III. in cit. c. *Veniens* 3. de Presby. non baptizato. l. 3. t. 43.

(e) Glossa in can. *Cave*. 15. 28. q. 1. v. Alienam & initio causæ 30. qu. 1.

CASUS VIII.

Januarius. Catholicus Judithæ hæreticæ, aut nominatim excommunicatæ & palam denuntiatæ nupsit. Num validum est illud matrimonium?

Respons.

Matrimonium, quod cum Juditha, quamvis hæretica, aut excommunicata denuntiata contraxit Januarius, est validum. Ita docet Sanctus Thomas his verbis (f): *Si aliquis fidelis cum hæretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo, si sciat eam hæreticam; sicut peccaret, si cum excommunicata contraheret: non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur*. Et iterum (g): *Crimen hæresis impedit matrimonium semper contrahendum, sed non dirimit contractum, nisi sit talis hæretica, quæ baptismi sacramentum non acceperit, aut non in forma Ecclesiæ fuerit baptizata*. Ita quoque sentit Glossa (h), & quod videtur ex statuto unius e Decretalibus Bonifacii VIII. (i), in qua tale matrimonium ab eo Papa validum, quamvis illicitum supponitur.

(f) S. Th. in 4. dist. 3. q. un. art. 1. ad 5.

(g) Idem ib. in expos. tex.

(h) Glossa in c. *Non oportet*. 16 28. q. 1. v. *Hæretici*.

(i) Bonifaci VIII. in c. *Decrevit* 14. de hæreticis in 6. l. 5. tit. 2.

Hujus vero decisionis hæc afferri potest ratio, quia ea est vis Caracteris baptismi recepti, ut matrimonium, eo accepto contractum indissolubile efficiat. Ita quoque sentiunt Sanctus Antoninus (k), Sylvius (l), aliique omnes Auctores, qui ea de re scripsere.

(K) S. Anton. 3. par. summ. theol. t. 1. c. 6.

(l) Sylv. in suppl. S. Th. q. 59 art. 1. quæsito 2.

CASUS IX.

Gerundius Catholicus, cum Daniela hæretica matrimonium contraxit, seu ob eximias ejus animi dotes, sapientiam nataliumque splendorem, seu ob dotem ejus summam. An ipsi potuit absque mortali culpa nubere?

Respons.

Certum quidem est, Gerundium in hoc lethaliter peccasse: nam cum hæreticæ nubere Catholicus vir non potest absque reatu gravissimi peccati: *Prope nihil gravius, quam copulari alienigenæ*, inquit Sanctus Ambrosius, ad Vigilium Tridentinum Episcopum scribens (m). Equidem ex Sancto Cypriano, qui tali modo nubit, membra Christi infidelibus mancipat (n). Is pariter maximi momenti interdictum infringit ab Ecclesia sub gravissimis pœnis factum in multis Conciliis suis, ac præsertim in Eliberitano ann. 305. in Laodicæno sub Pontificatu Sancti Silvestri habito, in Chalcedonensi ann. 451. in Agathensi ann. 506. & in alio Constantinopolitano ann. 692. habito in Trullo, seu Imperatoris Palatio (o). Eliberitanum quidem in parentes, qui hujusmodi matrimoniis consenserint, in eorumque odium ita statuit: *Hæretici, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsas Catholicas dandas esse puellas, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli. Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere* (hoc est, a fidelium communione separari) *per quinquennium placet*. En Decretum Concilii Eliberitani: *Quod non oportet cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare, aut filias* .... Decretum Concilii Constantinopolitani his verbis exprimitur: *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari*. Cujus rei hanc rationem afferunt Patres hujusce Concilii .... *Neque enim ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet*. Addita etiam in refractarios excommunicationis pœna: *Si quis autem ea, quæ a nobis decreta sunt, transgressus fuerit, segregetur*.

(m) S. Ambr. ep. 19

(n) S. Cypria. apud S Aug. l. 1. de conjugiis adult. c. 25. seu n. 31.

(o) Concil. Eliber. can 15. & 16. apud Gratian. 28. q. 1. Concil. Laodicæn. can 3. Conc. Chalced can. 14. Conc. Agat. c. 67. in can. *Non oportet*. 16. 28. q. 1. Conc. Quinisextum Constantinopol. in Trullo can. 72.

Igitur de hujusmodi matrimonio utique dici potest, quod asserit Sanctus Hieronymus (p) de mulieribus Christianis, quæ cum infidelibus copulantur; earum videlicet corpora esse, *non templa Dei viventis, sed fana & idola mortuorum*. Hæc sunt etiam gravissima Sancti Ambrosii verba (q); „ Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro & unus spiritus est? Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo: Cave Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave Gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam & omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi „. Hæc sunt inclyti hujusce Doctoris Ecclesiæ verba. Reipsa, qui potest Catholicus, membrum scilicet Christi mysticum, cum eo, quam maxime fieri potest, conjungi, qui ei apertus est hostis? Nam si conjux consortem suam in matrimonio habere debet, uti donum Dei, juxta illud Sapientis dictum (r): *Domus & divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens*: quo pacto sibi persua-

(p) S. Hiero. l. 1. contra Jovinian. c. 3.

(q) S. Ambr. l. 1. de Abraham. c. 9.

(r) Prov. 19. 14.

suadere potest pars, quæ Catholicam profitetur fidem, hæreticam sibi a Deo destinatam fuisse personam? Si eo præcipue fine nuptiæ a conjugibus contrahi necesse est, ut salutem suam in eo operentur; quo pacto sperare potest Catholicus, hæreticam personam salvam fore, dum in sua permanebit hæresi, cum ei, utpote excommunicatæ, omnis ad salutis viam occludatur aditus?

Verum ad has rationes, accedit etiam, in legem naturalem certissime peccare Catholicam personam, dum se ex tali cum hæretica connubio, perversionis manifesto committit periculo: uti Regum sapientissimo contigit, qui adeo immoderate infidelibus, quibus nupserat, uxoribus indulsit, ut idolis earum sacrificia offerret, templaque ædificaret.

Præsentius etiam videtur hoc discrimen pro suscepta prole, ut jam advertimus in responsione ad primam difficultatem; ac præcipue cum pater hæresi est infectus, quod maternæ auctoritati ejus prævaleat auctoritas. Hinc est illud Toletani Concilii Decretum (a): *Judæorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus* inquit illud Concilium, *deputatos *aut Monasteriis, aut Christianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut sub eorum conversatione Dei cultum discant.*

(a) Conc. Tolet. IV. in can. Judæorum. 1. 28. q. 1.
* Alias deputandos.

Catholicus etiam in Legem peccat Divinam, quæ hæreticos devitare imperat, & prohibet, ne ulla cum iis familiaritate sit conjunctus, ne dum patiatur, ut cum iis matrimonium contrahat. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita*, inquit Apostolus Paulus scribens ad Titum (b). Longius etiam procedit Sanctus Joannes (c) ita scribens: *Nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Idem quoque apprime probat Sanctus Cyprianus (d), qui auctoritate Apostoli comprobat, cum hæreticis non esse cibum sumendum: & profert exemplum Prophetæ, qui ad Jeroboam a Deo missus, ut facta ejus pessima ei exprobraret, & divinam ipsi minaretur vindictam, a leone dilaniatus est, quod apud hunc infidelem Principem contra expressam Dei prohibitionem cibum potumque sumpsisset. *Quod cum non custodisset, divina sententia, inde rediens, morsu leonis in itinere interiit.*

(b) Tit. 3. 10.
(c) Ep. 2. Jo. c. un. v. 10.
(d) S. Cypr. in c. Si quis. 70. 1. qu. 1.

Ex his igitur testimoniis concludimus, Catholicum quempiam in nullo casu hæreticam uxorem ducere posse absque reatu peccati mortalis: cum Sacramentum matrimonii gratiam sponsis conferat, cujus recipiendæ indignus & incapax est hæreticus, cum a corpore Ecclesiæ avellatur per excommunicationem, qua ligatur; qua ratione potissimum nititur prohibitio Concilii Narbonensis ann. 1609. hujusmodi matrimonia vetantis his terminis (e): *Non contrahant Catholici cum hæreticis: neque enim fas est ad Sacramentum matrimonii, quod gratiam confert, excommunicatum, talis gratiæ incapacem recipere.* Ceterum hinc necessario sequitur, lethaliter quoque peccare Sacerdotem, qui tale celebrat matrimonium, ad susceptionem Sacramenti eos admittendo, quos illius novit esse indignos: Ast insuper suspensionem Ordinum suorum *ipso facto* incurrit in quibusdam Diœcesibus, ut in Parisiensi.

(e) Conc. Narbon. an. 1609. c. 28. matrim.

Vide DISPENSATIO Matrimonii
CASUS XXXI.

CASUS X.

THEODORUS & Gabriela conjuges, ambo Catholici contraxere matrimonium; at Gabriela recens conversa, ad infidelitatem, aut hæresim, quam ante erat professa, denuo incidit; & nedum cum viro suo pacifice vivere velit, eum, quantum in se est, ab exercitio Religionis suæ amovet, de ea non sine contemptu loquens ac blasphemiis. An ob eam causam dissolvitur eorum matrimonium quoad vinculum, ita ut Theodorus absque peccato nuptias cum alia muliere, quæ sit Catholica, possit inire?

RESPONS.

Matrimonium Theodori & Gabrielæ manet indissolubile; quæcumque sint mulieris hujus pertinacia ac blasphemiæ. Quare Theodorus cum alia muliere, viventa Gabriela, nubere non potest. *Ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur*, inquit Innocentius III. ad Archiepiscopum Lugdunensem scribens (f), „ illis viventibus in nullo casu potest dissolvi, ut „ vivente reliquo, alter ad secunda vota transmi„ gret], etiamsi unus fidelium, inter quos est ra„ tum conjugium, fieret hæreticus & nollet per„ manere cum altero sine contumelia Creatoris „. Alibi quoque rem eamdem declarat hic Papa (g), scribens ad Episcopum Ferrariensem: „ Si vero al„ ter fidelium conjugum, *ait*, vel labatur in hæ„ resim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, non „ credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, „ vivente altero, possit ad secundas nuptias con„ volare.

(f) Inn. III. in c. Ex Parte. 14. de conv. conjug.
(g) Idem in c. Quanto. 7. de Divortiis.

Doctrinam quoque eamdem his exprimit verbis Angelicus Doctor (h): „ Si infidelitas in altero „ conjugum matrimonium præcedat, dirimitur „ matrimonium sequens, etiam quantum ad vin„ culum; si vero infideliras conjugis matrimo„ nium sequatur, non propter hoc vinculum ma„ trimoniale dirimitur, sed potest fieri separatio „ a thoro & cohabitatione, sicut & propter for„ nicationem carnalem „. Id tamen a Concilio Tridentino sic definitum est (i) *Si quis dixerit propter hæresim aut molestam cohabitationem ...... a conjuge posse dissolvi matrimonii vinculum, anathema sit*. Ceterum constat, hanc decisionem esse veram, etiam quoad matrimonium non consummatum; cum in eam rem non distinguant Concilium, Innocentius III. & Angelicus Doctor inter matrimonium consummatum, & non consummatum.

(h) S. Thom. in 4. ad Hanibald. dist. 19 ar. 1. in corp.
(i) Conc. Trid. sess. 24. de Sacram. matrimon. c. 5.

CASUS XI.

VALERIUS Catholicus, & Paulina hæretica simul matrimonio conjuncti, ex nuptiali contractu convenerunt, ut e prole sua futura, filii religionis paternæ, filiæ vero maternæ elementia imbuerentur. Numquid omni peccato vacat tale pactum? & Valerius potestne, an etiam tenetur illud exequi?

RESPONS.

Certum est, a Valerio talem fieri non potuisse pactionem absque gravi peccato: neque enim Patri in aliquo casu prolis suæ damnationi æternæ assentiri unquam est licitum: Atqui ex hac actione filiarum suarum damnationi assentitur ille Pater, permittens, ut a Matre falsis hæreseos elementis imbuantur. Iniqua est igitur hujusmodi pactio, & contraria ipsi juri naturali, ac fini matrimonii, quo exigitur, ut proles ex eo nascitura veræ Religionis doctrina imbuatur, ut Deum cognoscere, diligere, eique servire valeat, uti tenentur veri fideles: quæ veritas adeo certa nobis videtur & indubitata, ut probatione eam indigere non existimemus.

Vide DIVORTIUM Cas. XX. & XXI.

IMPE-

IMPEDIMENTUM CLANDESTINITATIS.

VERBUM, CLANDESTINITAS, non est ferme in usu, nisi secundum stylum forensem, juxta quem significat defectum formalitatum requisitarum, quæ rem clandestinam efficiunt: in hoc vero titulo de verbo illo non fit mentio, nisi relate ad matrimonium, quando occulta ratione fuit contractum, & in quo omissæ sunt requisitæ formalitates, quarum aliæ sunt tantum de præcepto, & accidentariæ, uti promulgatio triplex futuri matrimonii: aliæ vero essentiales ad ejus validitatem ut v. g. si contractum fuerit absque præsentia proprii Parochi contrahentium, aut alterutrius eorum, aut Sacerdotis in eam rem a Parocho commissi: aut cum testes duo § saltem juxta Tridentinum non adfuere; ex quo duplici defectu invalidum est matrimonium aliter contractum, ut definivit idem Concilium.

§ In Gallia ex Ed. quatuor requiruntur testes.

De hoc autem impedimento fuse dicemus in viginti novem decisionibus hujusce tituli, in quo etiam verba faciemus de variis pœnis, quas infligit Ecclesia infractoribus Legum, quas ea de re condidit: quibus etiam addentur similiter pœnæ constitutæ a Galliæ Regibus, quibus competit jus faciendi Leges de matrimonio respective ad id, quod ad contractum civilem pertinet.

CASUS PRIMUS.

SERGIUS & Apollonia, factis inter se sponsalibus *per verba de futuro*, coram proprio Pastore, duobus testibus, & cognatione sibi proximis, paulo post inter se clandestino contraxerunt *per verba de præsenti*, & ab eo tempore affectu conjugali ut conjuges inter se vixere. Nunquid dici potest eos vere & coram Deo contraxisse validum matrimonium, quod conscientiæ vocatur?

RESPONS.

Quamvis hujusmodi matrimonia ante Concilium Tridentinum essent valida, ut constat ex multis Decretalibus in Corpore juris relatis (*a*); Certum est tamen, a tempore hujusce Concilii eadem esse clandestina & invalida; quia contrahentes necessario consensum præbere debent requisitum ad legitimum matrimonium *per verba de præsenti* coram proprio parocho suo, & duobus tribusve testibus, & quidem juxta Galliæ Jurisprudentiam coram quatuor testibus.

(*a*) Alex. III. in c. Veniens. 15. de sponsal. & matrim. & passim. eod. loc.

Dicimus, *per verba de præsenti*, quia promissiones *per verba de futuro*, quæ sponsalia dicuntur, quamvis in Ecclesia & coram proprio parocho & testibus factæ, non sufficiunt, ut verum sit matrimonium; quæ de re homines indocti in suo perseverarunt errore, uti advertunt Synodi Diœcesis Alectensis, ab an. 1640. ad an. 1674 (*b*), & statuta ejusdem Diœcesis, ab eodem anno 1640. ad an. 1659. emissa (*c*). Quippe qui existimaverint, etiam longo post tempore ab habito Concilio Tridentino, se posse sequi jus antiquum, ex quo promissiones illæ ad essentiam matrimonii sufficiebant *accedente copula carnali*, *animo conjugali facta*, atque adeo sponsos secum invicem maritali affectu cohabitare posse: Unde prohibita est in hac Diœcesi & abrogata sponsalium cæremonia (*d*): quod tamen non probamus.

(*b*) Synod. Alect. tit. 3. n. 13.
(*c*) Statut. Alect. n. 34.

(*d*) Rituale Alect. de Sacr. matr. p. 141.

Ut igitur propositæ quæstioni respondeatur, dicendum est, nullum esse verum matrimonium inter Sergium & Apolloniam, si in ea sint regione, ubi Concilium Tridentinum, saltem quoad rem istam, ut in Gallia fuerit promulgatum & admissum; ac proinde eorum inter se copulam merum esse concubinatum. Id quidem probari potest ex his S. Caroli Borromæi verbis in quinto suo Mediolanensi Concilio, an. 1679. habito (*e*): „ Si quis ætate etiam „ legitima, & parocho præsente, testibus duobus „ adhibitis, & Notario; item jurati spoponderunt, „ se matrimonium inituros, ac deinde non contra„ cto legitime per verba de præsenti matrimonio, „ copulationem inter se inierunt, eorum matrimo„ nium nullum ab Episcopo declaretur, ac decer„ natur.

(*e*) Conc. Med. v. 1. par. 2. 97. quæ ad matr. pertinent.

Pontas Tom. II.

Diximus: *Si in ea sint regione, ubi Concilium Tridentinum fuerit admissum*: Nam si in Regno aut Principis aut Reipublicæ ditione manerent, ubi disciplina ab eo Concilio in eam rem constituta non esset recepta, duo illi vero inter se conjuncti essent matrimonio; quod jus antiquum vigere non desinat nisi ex promulgatione & acceptione juris alterius contrarii (*f*).

(*f*) Colloq. Lucon. tom. 9. Colloq. 4. q. 4.

CASUS II.

JOANNES, Sacerdos sæcularis aut regularis, eo temeritatis accessit, ut matrimonio adesset quasi Parochus contrahentium, quamvis non esset reipsa parochus, nec a proprio parocho, aut Episcopo Diœcesano hanc obtinuisset licentiam. Nunquid irritum est matrimonium, & Sacerdos ipse in aliquam pœnam Canonicam incurrit?

RESPONS.

Certum est 1. matrimonium illud esse invalidum, quia ex Concilio Tridentino ad validitatem matrimonii absolute requiritur, ut præsens hic Sacerdos sit Parochus proprius, vel si non sit proprius parochus, specialem a proprio contrahentium Parocho facultatem, aut saltem generalem conficiendi Sacramenta in ipsius Parochia licentiam obtinuerit; uti definivit sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum 22. Junii an. 1681. referente Fagnano (*g*). 2. Constat etiam, Joannem suspensione fuisse innodatum; quilibet enim Sacerdos sæcularis aut regularis, qui loco proprii Parochi matrimonio adesse præsumit absque ejus licentia, vel ordinarii, aut nuptialem contrahentibus benedictionem impertit, fit *ipso jure* suspensus, & de hac censura tantum absolvi potest ab Episcopo parochi illius, ut declarat Tridentinum Concilium (*h*): *Si quis Parochus*, inquiunt Patres hujus Concilii, *vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, etiamsi id ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Insuper Sacerdos regularis, qui hanc admittit culpam, a Clemente V. dum Viennensi œcumenico Concilio præesset an. 1311. (*i*), excommunicatus *ipso facto* declaratur: *Religiosi qui... matrimonia... solemnisare non habita... Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam* ipso facto *per sedem Apostolicam duntaxat absolvendi*, inquit hic Papa: quæ excommunicatio etiamnum obtinet,

(*g*) Prosp. Fag. in c. Quod nobis 2. de Clandestina desp. n. 32.

(*h*) Con. Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 1.

(*i*) Clem. V. in c. Religiosi de privilegiis & excess. privilegiatorum. l. 5. clementinarum. tit. 7.

tinet, ut docet Navarrus (*a*); quidquid in contrarium afferant Decius & Sairus (*b*).

(*a*) Navarr. l. 5. Consiliorum de pœnit. Conf. 5.
(*b*) Philippus Decius in c. De causis. de officio judicis delegati. Gregorius l. 4. thesauri casuum conscientiæ c. 25. n. 9.

Justa igitur de causa Galliarum Rex Ludovicus XIV. edicto suo an. 1697. jubet, ut præter solitum lis instruatur in omnes Parochos, tam sæculares, quam regulares, qui eorum matrimonio, qui non sunt Parœciani sui, adesse temere præsument, nisi scriptam habeant licentiam proprii Parochi contrahentium, aut Episcopi, & ut præter Canonicas pœnas Beneficiorum suorum reditibus per triennium mulctentur prima vice, quo dicti reditus in pia opera adhibeantur; & si iterum in similem incidant culpam, per novem annos exulent. Addit hoc idem Edictum, ut Sacerdotes, qui beneficium non obtinentes ejusdem culpæ conscii futuri sunt, prima vice per tres annos, & altera per novem exulent, ac denique, si sint regulares, in tali monasterio vel conventu includantur, quem designaverint Judices, quin ex eo per totum tempus sententia in ipsos lata determinatum exire valeant.

CASUS III.

Lambertus, Sacerdos mansionarius Parœciæ Sancti Guillebaldi, duorum hujusce Parœciæ sponsorum matrimonio adfuit, ad licentiam, quam per fraudem & mendacium obtinuit a Parocho. An validum est illud matrimonium?

Respons.

Matrimonium illud validum est, si dolo aut mendacio tantum inductus est Parochus ad concedendam facilius hanc licentiam: v. g. si Sacerdos iste hanc requisierit a parte personæ nobilis quam multi facit parochus. Ast e contra non tenet matrimonium istud, si fraus & mendacium præcise ad causam pertinerent, ob quam parochus licentiam concessit, ita ut eam certo denegasset, si nota sibi fuisset causæ falsitas, ac suppositio. *Quid enim* ut ait Lex (*c*), *tam contrarium est consensui, quam error?* Quo circa dici potest, in hoc casu parochum non verum præbuisse consensum; *Cum nullus sit errantis consensus*, ut loquitur Lex alia (*d*), cui consentit illa Juris regula: *Non videntur qui errant, consentire* (*e*).

(*c*) L. Si per errorem 15. ff. de jurisf. omnium judicum l. 2. tit. 1.
(*d*) L. Non idcirco 9. cod. de juris & facti ignorantia l. 1. tit. 18.
(*e*) Leg. Nihil, 116. ff. de diversis regulis juris antiqui. l. 50. t. 17.

Hactenus dicta confirmari possunt duabus aliis Innoc. III. Decretalibus, in quibus declarantur dispensationes aut permissiones mendaciis obtentæ, invalidæ ob eandem rationem, quam supra diximus, hoc est, ob defectum consensus in concedente (*f*).

(*f*) Inn. III. in c. Super eo de consang. & affin. l. 4. t. 14. & in cap. Quia circa 9. de consang. & affin. l. 4. t. 14.

CASUS IV.

Lucilius Lovanii in Parœcia sancti Pauli bona fide habitans, verum a paucis diebus, in ea coram Parocho matrimonium contraxit cum intentione biduo post celebratas nuptias in alia Parœcia domicilium suum eligendi. An validum est illud matrimonium, & Parochus ille censeri debet proprius ejus Parochus in eam rem?

Respons.

Existimamus, eum, qui est proprius Parochus quoad Sacramentum Pœnitentiæ & communionis Paschalis, esse quoque proprium Parochum quoad matrimonium (*g*); & absolute loquendo non diuturnior pro uno, quam pro altero requiritur habitatio. Parvi ergo interest, an diu, paucis-ve diebus in Parœcia Sancti Pauli, in qua contraxit, Lucilius commoratus fuerit; modo tempore nuptiarum ibi bona fide & sine fraude moraretur, nec alibi præcipuum actu haberet domicilium, & quamvis tum in ea diu permanere non intenderet. Nam ad validitatem matrimonii sui satis est, ut habitatione sua Parochianus S. Pauli factus sit. Id quidem luculente probat inclytus Canonum interpres (*h*) ex Decretali Cælestino III. adscripta, quæ tamen est Innocentii III. ut observat Pithæus, in qua dicitur, incolas Hierosolymæ, qui durante sacræ terræ bello Anconam confugerant, ultimæ hujus Urbis parochianorum titulum jusque acquisivisse: quamvis expressam semper retinuerint voluntatem Hierosolymam redeundi, ubi sita erant omnia bona sua, ut primum bello finis imponeretur. Sic autem loquitur hic Author: *Nota ex illis verbis*: Ad habitandum in ea se quam plurimi contulissent, *ad hoc, ut quis efficiatur Parochianus & recipiatur ad Ecclesiastica Sacramenta, non requiri formalem translationem domicilii, sed sufficere simplicem habitationem de præsenti: nam ad hunc effectum ibi quis dicitur habere domicilium ubi habitat, ut dicit Glossa I. hic per textum in Leg.* Municeps §. Miles ff. *ad municipalem .... & secundum hanc opinionem hodie cum ex Decreto Concilii Tridentini .... non aliter contrahi possit matrimonium, quam præsente Parocho &c. validum esset matrimonium contractum coram Parocho habitationis.*

(*g*) Colloq. Condom. t. 3. Colloq. 24. sect. 3.
(*h*) Prosp. Fag. in c. Significavit. 5. de Parochiis & alie. Parochianis. 10.

Ad majorem partis hujusce disciplinæ elucidationem, observandum cum eodem Canonista (*i*), quod *maxima est dissensio inter Doctores*, inquit, *qualis habitatio requiratur, ut quis dici possit alicujus Parochianus*; præsertim quoad matrimonium. Author iste post relatas tres opiniones, quas improbat quartam addit, dicens (*k*); *At vero*, ait, *alii tenent ex sola habitatione quem effici Parochianum alicujus Ecclesiæ, dummodo non sit ibi recreationis gratia, vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi causa, statim reversurus ad primam Parochiam.... quæ opinio, sicuti est magis communis, ita est verior.* Acuta est sane hæc exceptio; *dummodo non sit ibi &c.* Et Bonifacii VIII. Constitutioni conformis, in qua sic habetur (*l*): *Is qui habens domicilium in Civitate vel Castro quandoque ad Villam ruralem se transfert, recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ Villæ, sed in sua Parœciali... sepeliri debebit.*

(*i*) Id. ibi. n. 20.
(*k*) Id. n. 27. 31. & 32.
(*l*) Bon. VIII. in c. 10 qui 11. de sepulturis in 6. l. 3. t. 12.

Denique peritus hic Author objectionem anteoccupat quæ fieri posset, quoad discrimen, quod quis vellet apponere inter matrimonii celebrationem, aliorumque Sacramentorum receptionem, eamque solvit his terminis: *Neque enim constituenda est differentia inter Sacramentum pœnitentiæ & matrimonii, cum sæpe non minor sit necessitas nubendi, quam confitendi, ut contingit in his, qui continere non possunt: Nam melius est nubere quam uri .... ideoque communiter is dicitur esse Proprius Parochus ad conjungendos aliquos in matrimonium, qui in cap.* Omnis utriusque sexus *appellatur proprius Sacerdos ad confessiones audiendas.*

Sylvius eandem sequitur sententiam, ut constat ex his ejus verbis (*m*): *Verior sententia est, illum esse* (Parochum contrahentium) *qui habet potestatem ordinariam administrandi illis Sacramenta, ut idem in Concilio Tridentino proprius Parochus, qui in cap.* Omnis utriusque sexus..... *quæ igitur habitatio sufficit ad esse Parochianum alicujus quantum ad confessionem & communionem, eadem sufficit quantum ad matrimonium; quin neque Pontifex, neque Concilium substraxit ministerio proprii Sacerdotis collationem matrimonii; & propterea non refert, an quis animo permanendi longo, vel exiguo tempore alicubi habitet, modo vere habitet, ita ut ex habitatione sortiatur Parochiam & Parochum.... & verbo* Parochus, *ad matrimonium sufficit vel modica habitatio.* Addit denique, hanc quæstionem ita fuisse solutam a Sacra Cardinalium Congregatione; quod etiam testatur Riccius (*n*).

(*m*) Fr. Sylvius in suppl. 3 par. sum. S. Th. c. 45. art. 5. quæsito 5.
(*n*) Aloysius Riccius decisione 244.

Ex dictis hactenus sequitur, scholares, qui in aliqua Urbe Gymnasia frequentant, præsidiarios ejus milites, Tyrones & famulos ibi ministrantes, pro matrimonio eundem proprium habere Parochum, quem habent pro aliis Sacramentis; quia Incolas.... domicilium facit, ut loquitur Lex (*o*).

(*o*) L. Cives 8. cod. de incol. & ubi quisque domicilium habere videtur. l. 10. t. 12.

Cæterum ad casum propositum non respondimus, nisi conformiter ad id, quod in eo dictum est de bona fide Lucilii; nam ad validitatem matrimonii absolute necesse est, ut contrahens sit Parochianus bona fide. Quare si legitimam suam & solitam mala fide relinqueret Parœciam, eo fine in aliam migraturus, ut proprii parochi sui auctoritati se subtraheret, ibique matrimonium contraheret brevi in propriam Parœciam rediturus, certum est, ipsius matri-

matrimonium fore invalidum defectu præsentiæ proprii Parochi, cum verus non esset Parœcianus illius, qui suis adesset nuptiis: quod manifestum est ex hoc Concilii Tridentini Decreto (*a*): *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & annullat.*

(*a*) Con. Trid. sess. 24. de ref. matrim. 1.

Priusquam autem decisioni huic finis imponatur, observandum 1. eos censeri esse proprios contrahentium Parochos, quibus in ipsos competit jurisdictio ordinaria, uti Papæ in tota Ecclesia, Cardinalibus in iis Ecclesiis, quarum habent titulum; Episcopis aut ipsorum Vicariis generalibus in eorum Diœcesibus; aut Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Sede vacante; Prælatis inferioribus, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent in suis Ecclesiis; ac denique Parochis in suis Parœciis. 2. Pariter referre ac necesse esse, ut teneantur Principis constitutiones & Episcoporum, uti statuta Diœceseon in hoc quod pertinet ad tempus requisitum ad acquirendum sufficiens domicilium, quo contrahantur nuptiæ. Atqui in Gallia ex Edicto a. Martii an. 1697. tempus illud ad sex menses protenditur pro iis, qui ante in alia ejusdem Diœcesis Parœcia manebant, & ad annum pro iis, qui suum in alia Diœcesi domicilium habebant; ac denique determinat, quodnam debeat esse pupillorum domicilium. En propria hujus Edicti verba: *Prohibemus singulis Parochis ac Sacerdotibus seu Sæcularibus, seu Regularibus, ne alios matrimonio jungant, quam eos, qui veri sunt eorum & Ordinarii Parœciani, qui actu & palam in eorum habitent Parœcia, saltem a sex mensibus, pro iis, qui manebant ante in alia Parœcia ejusdem Urbis ejusdem Diœcesis, & ab anno pro iis, qui in aliena Diœcesi manebant .... Declaramus, filiorum filiarumque minorum 25. annis esse domicilium Patrum ac Matrum, aut mortuis eorum Parentibus Tutorum ac Curatorum suorum: Et si aliud defacto habuerint domicilium, statuimus, denuntiationes futuri matrimonii faciendas esse in Parœciis prædicti domicilii sui, & in Parœciis Patrum, Matrum, Tutorum Curatorumque suorum.* Hæc est Lex Principis, quam sequi tenetur in Gallia quilibet Parochus, in iis, quæ spectant ad eorum domicilium, qui ad matrimonium se repræsentant; quia non censentur veri ejus Parochiani, nec ipse verus eorum Parochus, nisi postquam in sua Parœcia toto, quod statuit Edictum, tempore bona fide permanere.

CASUS V.

Flavius, qui plerumque sex menses in Parœcia sancti Joannis, sex vero alios menses in Villa sua Parœciæ sancti Jacobi habitat, in Parœcia sancti Joannis matrimonium contraxit, licet actu in Parœcia sancti Jacobi habitaret. An validum est ejus matrimonium?

Respons.

Licet matrimonium, ut plurimum, in ea Parochia debeat celebrari, in qua de præsenti manent contrahentes; Videtur tamen, affirmari posse, Flavii matrimonium esse validum, quamvis illud contraxerit coram Parocho sancti Joannis, in cujus Parœcia tum non remanebat: cum enim æquo anni tempore in utraque Parœcia habitet, Parochus sancti Joannis non minus est proprius ejus Parochus, quam Parochus sancti Jacobi.

Nititur hæc decisio certissima ista regula, qua videlicet asseritur, eidem posse competere duo æqualis temporis domicilia, ut constat ex Constitutione Bonifacii VIII. in texto relata (*b*), his verbis: *Cum ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura, domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere Canonicam portionem*; & ex Glossa in plures alias Decretales (*c*), quæ in primam earum quas ad marginem indicamus, ita loquitur: *Bene potest quis habere domicilium in pluribus locis, dummodo se in utroque æqualiter collocasse videatur.* Quod probat ex multis Legibus, & inter cæteras ex ista, in qua sic Ulpianus loquitur (*d*): *Prudentibus placuit duobus locis posse aliquem habere domicilium, si utrobique ita se instruxit, ut non idem minus apud alteros se collocasse videatur.*

(*b*) Bon. VIII. in c. Cum quis 8. de sep. in 6.
(*c*) Glossa in c. Cum dilectus 49. v. Domicilium de rescriptis l. 3. t. 3. & in c. Ex part. 25. v. Andegavensi de foro competenti l. 2. t. 2. & in c. Cum nullus 5 v. Domicil. de temporibus ordinationum & qualit. ordinand. &c. l. 3. tit.
(*d*) L. Assumptio 5. ff. ad municipalem & de incol. 15. a. lib. 59. tit. 1.

Isto fultus principio Sylvius hanc nostram sequitur opinionem: *Qui vero habent duplicem Parochiam*, inquit (*e*), *regulariter videntur debere contrahere coram illo*, (Parocho) *in cujus Parochia manent tempore matrimonii contrahendi; quamvis si coram altero contraherent, videatur fore validum; quia etiam ille censetur proprius eorum Parochus*. Qua in re sentit hic Theologus cum aliis multis, quos laudat, & a quibus tamen dissentit Navarrus, quamvis absque sufficienti, ut putamus, ratione. Verum tamen in simili casu tutius est, ut contrahentes utriusque Parochi consensum obtineant, quo nullus sit alicui dubio locus.

(*e*) Fr. Sylvius in supl. 3. Th. q. 45. ar. 4. qu. & sit. 4. & apud eum Th. Sanchez de matr. l. 2 disp. 24. & Henriq. l. 6 c. 7. Item Aloysius Riccius Aonae. & alii contra Navarrum de clandestin. despons. consil. 7. n. 3.

CASUS VI.

Psatoculo e Parochia sancti Paterni, Diœcesis Briocensis, & Bibiana e Parochia sancti Amandi Diœcesis Trecoriensis nubere volentibus, Pepinus Parochus sancti Paterni Sacerdotem delegavit, ut eorum adesset matrimonio in Parœcia sancti Amandi, inscio, aut etiam invito ultimo isto Parocho. Nunquid valet illud matrimonium?

Respons.

Validum est illud matrimonium: Nam semper vere dici potest fuisse celebratum coram proprio contrahentium Parocho; quod ad ejus validitatem sufficit, non quid ultra requirente Tridentino Concilio. Hanc rationem his verbis affert Fagnanus (*f*): *Nam Concilium Tridentinum*, inquit, *ea tantummodo matrimonia annullat, quæ celebrata sunt aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius licentia, & duobus testibus: sed hoc matrimonium habuit præsentiam Sacerdotis de licentia Parochi, quamvis in alia Parochia fuerit celebratum; ergo satisfactum est formæ Concilii, nihil aliud quam alternative talem præsentiam requirentis, ut in hac specie argutt Rota decisione 730. n. 1. part. 1. divers.*

(*f*) Prosp. Fag. in c. Quod nobis 2 de Clandestin. despons. n. 34.

Et quidem, licet Papinus Sacerdotem istum commiserit ad celebrandum istud matrimonium extra fines territorii sui, illud tamen non minus est validum; ob duas rationes. 1. Quia, ut observat idem Canonista (*g*): *Concilium nihil de loco expressit*: *Ergo*, inquit, *ubicumque celebretur matrimonium præsente Parocho, vel alio Sacerdote de Parochi licentia, validum existit*. Addit hic Author, idem ab Hostiensi (*h*) adhiberi ratiocinium ad probandum, sola sua authoritate Parœcianum suum a Parocho valide posse absolvi in alterius Parœcia; quia de loco nihil constituit Lateranense Concilium. 2. Ob eam quoque rationem validum est tale matrimonium, quia celebratio ejus est tantum actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra limites proprii territorii exerceri potest, ut ait Lex (*i*), & consentiunt jurisperiti omnes & Canonistæ. Dici potest etiam cum Fagnano (*K*), ad cujus sententiam accedimus, Sacerdotem delegatum, ut matrimonio intersit, proprie loquendo, jurisdictionis voluntariæ actum non exercere; quia in functione ista nudam suam exhibet præsentiam. *Vere in dubio proposito non agitur de jurisdictione exercenda, sed de exhibenda nuda præsentia.*

(*g*) Ib. ib. n. 3.
(*h*) Hostiensis in sum. tit. de pœnit. & remiss. §. Cui confitendum. v. Emunquid
(*i*) L. Omnes a. ff. de offic. Proconsulis l. 1. t. 1 a. Item D. D. inc. Nuvit. 7. de officio legati l. 1. tit. 30.
(*k*) Prosp. Fag. in cit. c. Quod nobis n. 30.

CASUS VII.

Theodemirus, e Parœcia sancti Blasii, & Elisabeth e Parœcia sanctæ Honoratæ, a Parocho sancti Blasii in sua Ecclesia matrimonio conjuncti sunt, invito Parocho sanctæ Honoratæ, & quamvis id expresse sit vetitum Constitutionibus Diœceseos, quibus statuitur, ut solus sponsæ Parochus matrimonium celebret. Quid sentiendum de validitate hujusce matrimonii?

RESPONS.

Cum ex Concilio Tridentino id solùm requiratur, ut celebrentur nuptiæ coram proprio contrahentium Parocho, omisso casu, in quo contrahentes e diversis sunt Parochiis, benigne ipsius Decretum exponendum est, & dicendum, quod in hoc casu satis est, ut unus e duobus Parochis intersit. Id quidem declaravit sacra congregatio sub Pontificibus Sancto Pio V. & Gregorio XIII. testante Fagnano (a), qui cum speciem præsenti casui omnino similem retulit, postea narrat, ex undecim Cardinalibus qui tum Congregationi aderant, quinque sensisse, tale matrimonium esse invalidum; sex vero reliquos in contrariam abiisse sententiam: qua de re consultus Papa, sententiam eorum, qui pro validitate matrimonii opinabantur, approbavit. *Sanctissimus*, inquit hic Author, *audita relatione opinionum congregationis approbavit sententiam sex Cardinalium pro validitate matrimonii, & quod in futuram ita respondeatur nulla habita ratione alterius decisionis, edita 15. Decemb. an. 1574. qua dictam fuit sufficere præsentiam solius Parochi mulieris, si in ejus Parochia matrimonium contrahatur: item sufficere præsentiam Parochi viri, si contrahatur in Parochia viri; ideoque si vir unius Parochiæ accesserit ad mulierem alterius Parochiæ, & secum duxerit suum proprium Parochum, & coram eo solo matrimonium contraxerit sine licentia seu præsentia Parochi mulieris vel Ordinarii, matrimonium esse nullum*. Unde constat, anteriorem decisionem, hoc est, in contrarium editam 15. Decemb. an. 1574. per istam abrogari & invalidari. Idem quoque testatur Navarrus (b): ratio autem, qua nititur ista decisio, est, quia in matrimonio necessaria est & essentialis unius personæ ad aliam habitudo: ita ut, cum Parocho cuilibet indubitatum jus competat suum matrimonio jungendi Parochianum; eum proinde conjungere potest cum persona, cui vult nubere. Ex quo inferri necesse est, contractas a Theodemiro & Elisabeth nuptias esse omnino validas; quamvis eas celebrans sancti Blasii Parochus peccaverit, quod non Diœcesani interdicti rationem habuerit.

(a) Prosp. Fagn. in c. Quod nobis 2. de Clandest. desponsat. n. 33.

(b) Navarr. l. 4. consilium de clandest. desponsat. cons. 8.

CASUS VIII.

Franciscus, sancti Genesii Parochus, cum legitimo suam titulo Parœciam non obtineret, multa tamen celebravit matrimonia. An ista sunt valida?

RESPONS.

Legitima sunt hæc matrimonia, 1. Si Franciscus titulum habebat coloratum & præsumptivum; hoc est, si a legitimo superiore Parœciæ suæ collationem acceperit, quamvis ex parte sui aliunde sit invalida ob impedimentum aliquod, provisiones suas irritans, quale est impedimentum simoniæ, seu collationem antecesserit, seu subsecuta sit: ideoque functiones omnes Parochi qui litigiosam per vindicias seu recredentia mobtinuit Parœciam, sunt validæ; licet deinceps jure prætenso cadat, & juridice invalidus declaretur ejus titulus. 2. Modo hic Parochus nullo innodetur impedimento, quod sit de jure naturali vel divino, & communiter habeatur Parochus. Sed econtra matrimonia illa essent invalida, si Parochus ille esset intrusus, hoc est, si absque legitima authoritate & Canonica institutione, saltem colorata, Parochiam suam adierit, & intrusio illa sit publica.

Difficultatem istam sic paucis solvit verbis Sylvius (c): *Quid si Parochus fuerit intrusus sine legitima authoritate?* Ita proponit hic professor inclytus, & ad quæsitum sic respondet: *Respondeo, matrimonium coram eo contractum non subsistere: secus, si obtinuerit institutionem, vel canonicam, vel coloratam, & communiter habeatur pro legitimo Parocho*. Idem ante Sylvium docuerat Navarrus (d).

Diximus: modo Franciscus *communiter habeatur Parochus*: quod probari potest ex lege Digestorum (e), quæ loquens de quodam fugitivo servo, qui industria sua & bona fortuna ad Prætoriam dignitatem pervenerat, dum occulta maneret servilis ejus conditio, asserit latas ab eo sententias, priusquam servus agnosceretur, habendas esse tanquam validas, cum haberetur communiter legitimus, licet reipsa non esset: *Et verum puto, nihil eorum reprobari*, inquit Ulpianus in hac lege. Ad quod Glossa (f): *Nota hic*, ait, *quod circa factum error communis facit jus*: Idem quoque docet Gratianus (g). Ex hoc exemplo inferri potest, paritatem tamen limitando, quod, cum errore communi vere Parochus censeretur Franciscus; functio curialis, quam obivit, matrimonia Parochianorum sancti Genesii celebrando, haberi debet uti legitima, & quod matrimonia illa sunt valida.

(c) Fr. Sylvius in suppl. S. Th. q. 45. ar. 5. quæsito 7.

(d) Navarr. l. 4. consil. de Clandest. desponsat. consil. 8. Item Sanchez disput. 22.

(e) L. Barbarius 3. ff. de officiis Prætorum. l. 1. t. 14.

(f) Glossa in cit. L. Barbarius v. reprobari.

(g) Gratian. §. Verumtamen c. q. 7.

CASUS IX.

Alphonsus Dominus Parœciæ sancti Elredii, Judittæ, rusticæ pauperi nubere cupiens, Parochum se matrimonio jungere recusantem coegit, duosque pariter testes suo adesse matrimonio; vel dolo usus est, ut huic interessent. An validum est hujusmodi matrimonium?

RESPONS.

Validum est illud matrimonium: cum enim Clandestina matrimonia irrita declaravit Concilium Tridentinum, Clandestinorum nomine ea tantum intellexit, quæ absque Parochi duorumque testium præsentia contrahuntur. In casu autem proposito adsunt Parochus testesque duo: igitur Clandestinum non est, & irritum matrimonium in sensu Concilii, cum eum casum non exceperit, in quo interveniret fraus & vis. Reipsa dolus & vis non impediunt, quominus isti animo & corpore huic matrimonio sint præsentes, & testari valeant, illud fuisse celebratum: ob quam potissimum rationem constitutio ista a Tridentini Patribus fuit edita.

Propositionem nostram luculente confirmat Fagnanus his verbis (h): *Non est cur matrimonium ob dissensum Parochi sit dicendum irritum, cum verbis & menti Concilii sit satisfactum. Verbis quidem, quia coram eo præsente & intelligente fuit contractum: menti autem, quia Parochi sola præsentia excludit Clandestinitatem. Nec credendum est*, addit hic Author, Concilium, *quod maxime studuit libertati matrimonii (i), adeo ut noluerit, contradictionem seu dissensum patris obesse validitati matrimonii, voluisse illud subjicere consensui Parochi*. Suam confirmat sententiam declaratione sacræ Congregationis, quæ interrogata, num valeret matrimonium coram Parocho dissentiente, & nullum quidem obeunte ministerium, duobusque testibus contractum, respondit valere: *Sacra Congregatio*, inquit, *die 2. Martii an.* 1580. *respondit: illa verba (K) cap.* 1. *vers.* Ubi Parochus viro & muliere interrogatis, *non pertinere ad substantiam matrimonii: ideoque matrimonium valere etiamsi verba prolata sint tantum a contrahentibus, & non a Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi, quam absque verbis sufficere putavit*. Idem a fortiori dicendum de testibus, cum certum sit eorum consensum minus ad validitatem matrimonii esse necessarium, quam Parochi.

(h) Fagn. in c. Quod nobis supra cit. nu. 48 & seq. Item c. 1. de matrim. contra interdictum Ecclesiæ contracto. n. 14.

(i) Conc. Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 1. & 2.

(k) Scilicet conc. Trid. sess. 24. c. 1. cit.

Fagnanum sequitur Sylvius his verbis (l); *Si autem Parochus aut testes sint præsentes per violentiam, vel contradicant; intelligant tamen & advertant id quod geritur: matrimonium erit ratum, quia satisfit Decreto Concilii, nec requiritur ad valorem contractus, ut Parochus eum approbet, vel quicquam dicat aut faciat*. Cum Fagnano & Sylvio sentit Cabassutius (m).

(l) Sylvius sup. cit. q. 4. art. 5. quæsito 0.

Post expressa illa tantæ famæ authorum testimonia, assentiri non possumus Theologo nostri temporis (n), qui putat, valde probabile esse, non validum esse tale matrimonium. Certum est tamen, eos, qui tali modo contrahunt, mortaliter peccare, habendos esse, uti peccatores publicos & scandalosos, & excommunicationem *ipso facto* incurrere in multis Diœcesibus, ac præcipue in Parisiensi, in qua statuta est illa censura occasione Domini Germain, qui ita nubere Parisiis ausus est in Ecclesia sancti Nicolai de Cardoneto, præsente quidem sed dissentiente Domino Froger illius Parœciæ Pastore.

(m) Joan. Cabassutius Juris can. theor. & prax. l. 3. c. 20. n. 32.

(n) De Sottenave tom. 3. cas. 104.

Eadem

Eadem excommunicationis pœna est constituta 26. statuto inter Synodalia Eminentissimi Cardinalis de Noailles Archiepiscopi Parisiensis, quæ 26. sept. an. 697. promulgata sunt (*a*); in quo sic habetur. „ Renovantes, & veteres Ritualis nostri con„ stitutiones confirmantes, omnibus & singulis fi„ delibus sub pœna excommunicationis *ipso facto* „ prohibemus, ne cum Notariis & testibus, & „ quandoque etiam sine Notariis & cum duobus „ testibus se præsentes sistant Parocho proprio, aut „ Sacerdoti ab eodem delegato, ut in eorum præ„ sentia dolo & contra eorum voluntatem matri„ monium contrahant, non accepta ab iis nup„ tiali benedictione, neque observatis aliis præs„ criptis cæremoniis; atque ut hujusmodi matri„ moniorum, quæ semper improbavit Ecclesia, „ nemo fidelium sit particeps; prohibemus pariter „ Notario cuilibet, ne illius ullum scripto det te„ stimonium & singulis aliis personis, ne ut te„ stes eidem intersint sub pœna excommunicationis „ *ipso facto*, de qua prædicti Notarii, & testes, at„ que contrahentes a nobis tantum poterunt absol„ vi post exemplarem satisfactionem „. Quæ ultima verba intelligenda sunt, excepto mortis periculo.

(*a*) Synodus Parisiensis an. 1674.

Objicient forsan adversarii nostræ sententiæ; quod, cum Parochus sit minister Ordinarius sacramenti Matrimonii, tale matrimonium nequit esse validum, quandoquidem huic non volens, sed potius expresse dissentiens intersit hic minister. En unica, quæ cum aliqua verisimilitudine fieri potest objectio; sed respondendum, juxta opinionem communiorem & firmioribus munitam authoritatibus, quam fuse probat Fagnanus (*b*), Parochum non esse hujusce sacramenti Ministrum, & matrimonio non interesse, nisi ut testem publicum; cum illud sacramentum sibi administrent contrahentes, ut docent sanctus Bonaventura, Scotus, Paludanus, Dominicus Sotus, Richardus, Melchior Canus, Estius, Cardinalis Cajetanus, Bellarminus, Thomas Sanchez (*c*), aliique complures Theologi & Canonistæ, quorum Doctrina hac in re omnino conformis esse videtur sententiæ sancti Thomæ dicentis (*d*): *Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale*; & iterum (*e*): *Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum matrimonium facit. Alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur, ut convenientius fiat. Unde, si omittantur, verum matrimonium est, quamvis peccent sic contrahentes.* Quod confirmari potest ex Decreto Eugenii IV. ad Armenos, quod in Concilio Florentino an. 1438. conditum est (*f*): in quo manifestum videtur, ipsos contrahentes solos esse sacramenti administros, cum declaret, quod *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. His denique addi potest, quod, si Parochus esset hujusce sacramenti minister, ut volunt Authores nonnulli, dicendum esset, omnia matrimonia Clandestina, ante Concilium Tridentinum facta non vera fuisse sacramenta, cum non fuissent indissolubilia; quæ indissolubilitas ex ratione sacramenti potissimum oritur: quod formaliter contradicit, non solum Doctrinæ sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ aliorumque, quos prius laudavimus, Authorum; sed etiam his Concilii verbis: *Dubitandum non est, Clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, & proinde jure damnandi ... illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant* (*g*).

(*b*) Fag. in cit. c. Quod nobis.

(*c*) S. Bonav. in 4. dist. 28. q. 5. resp. ad arg. Scotus in 4. dist. 2. ad Pal. q. 4. n. 23. Richar. ib. dist. 25. q. 2. art. 4. Estius dist. 22. § 12. Melchior Canus de locis Theologicis l. 8. c. 5. Cajetan. de matrim. inter absent. Bell. l. 1. de matr. c. 9. 10. & 11. &c.

(*d*) S. Th. in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. ad 1.

(*e*) Id. ib. dist. 28. q. 1. art. 3. in corp.

(*f*) Decr. Eug. IV. pro unione Armenorum apud Philip. Labbe t. 13. concilior. col. 530.

(*g*) Conc. Tr. sess. 24. de ref. matrim. c. 1.

CASUS X.

Ancelinus matrimonium contraxit coram Parocho, cui ab Episcopo suo prohibitum fuerat, ne cui matrimonio interesset; quod unum contra statuta Diœceseos celebrasset. An validum est Ancelini matrimonium?

RESPONS.

Ancelini matrimonium est validum; licet enim certum sit, Parochum contra Episcopi sui interdictum matrimonio cuipiam non posse interesse absque peccato mortali: attamen si Episcopi sui interdictum prætergrediatur, matrimonium, cui interest, validum erit. Ratio est, quia hoc interdicto jurisdictionem suam non amittit ille Parochus, sed illius tantum usum. Atqui multa sunt, quæ prohibentur, & quæ contra prohibitionem facta, sunt valida.

Decisionem istam affert Fagnanus (*h*), qui suam probat sententiam authoritate sancti Thomæ (*i*), cujus hæc sunt verba: *Ecclesia in his, quæ ad matrimonium pertinent, tripliciter se habet: uno quidem modo per modum judicantis ... alio modo se habet per modum prohibentis, vel punientis, & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum ... Tertio modo se habet per modum statuentis.* Ad quod Fagnanus: *Hæc potestas*, inquit, *secundum quam Ordinarius inhibuit, non refertur nisi ad secundum modum; & tunc, etiamsi matrimonium impediatur contrahendum, non dirimitur contractum.* Septem iterum aliis argumentis, quæ referre longius esset, suam Doctus ille Canonum interpres sententiam probat: sed quia ex iis tertia nobis videtur omnium maxime peremptoria, non existimamus, eam esse omittendam (*k*): *Per hanc inhibitionem sibi factam*, ait, *Parochus non desinit esse Parochus: ergo matrimonium coram Parocho, licet inhibito factum, ratum erit & validum; quia de eo vere enuntiatur, coram Parocho fuisse contractum juxta requisitionem Concilii: & quamvis ex parte Parochi ejus interventus, utpote contra præceptum Episcopi, dici possit non licitus, ex parte tamen contrahentium & ipsius contractus, legitimus censeri debet: nec dicendum est, hoc casu, propter illam prohibitionem factam Parocho, inhabiles redditas esse personas ad sic contrahendum a Concilio.* Quæ omnia consentiunt cum Decretali, quam exponit hic Author, Alexandri III. scribentis ad Patavinum. Episcopum. Qui fusiorem ea de re cupient expositionem, Fagnanum ipsum consulant, qui post assertam opinionem suam plurimis rationibus, ad quinque insuper objectiones sibi factas respondet, & tandem concludit, hanc esse sacræ Congregationis sententiam. *Episcopus Vicennensis*, inquit (*l*) *dubitavit, an validum sit matrimonium adhibito Parocho, cui ab Episcopo fuerat interdictum ne illi matrimonio interesset; & sacra Congregatio censuit esse validum.* Eandem quoque sacræ Congregationis authoritatem multorumque Authorum suffragia urget Cabassutius (*m*), ad probandam hanc nostram sententiam.

(*h*) Prosp. Fag. in c. Literæ 1 de matr. contractu contra interd. Eccl. n. 6

(*i*) S. Th. quodl. 5. ar. 25. ad 1.

(*k*) Id. Fag. ib. n. 21.

(*l*) Ib. Ib. n. 5. seqq.

(*m*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 2. c. 26. n. 27.

Objici potest, invalidum esse, regulariter loquendo, actum factum contra interdictum legitimi superioris; licet ipsum talem non declaret, ut probari potest ex lege Codicis, qua utitur sanctus Gregorius, ad Caralitanum Episcopum in Sardinia scribens (*n*): *Licet legislator*, inquit Lex illa, *fieri prohibuerit tantum; nec specialiter dixerit, inutile esse debere quod factum est, sed & si quod fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum, illud quoque cassum atque inutile esse præcipimus.* Quod etiam docent famosissimi Canonistæ ac jurisperiti (*o*). Ad quam objectionem respondet idem Fagnanus, huic non esse locum regulæ, nisi in casu, in quo superior ille talem actum facienti communicat, idque certis quibusdam conditionibus; uti evenit pro iis, quos delegat. *Hoc tamen procedit, si eodem contextu superior tribuat potestatem & adjiciat prohibitionem ne actus fiat, nisi hoc vel illo modo; tunc enim recipitur potestas qualificata, seu modificata, & ideo actus, non servatis modis præscriptis a superiore, redditur nullus ex defectu potestatis, ut in judice delegato, qui formam delegationis non servat*, Verum non idem evenit, quando quis faciens actum, eum potest facere independenter a superiore, ut in casu proposito, in quo Parochus, uti talis, non obtenta ab Episcopo licentia, matrimonio potest adesse. *Secus vero*, pergit idem Fagnanus (*p*) *Si prohibitio fiat illi, qui prius potestatem habebat actum celebrandi, ut hoc casu, quia tunc actus sustinetur in vim potestatis præexisten-*

(*n*) L. Non dubium. eod. de legibus & constitutionibus principum & edict. l. 1. t. 14. can. Imperiali 81. 25. q. 2.

(*o*) Hostiensis, Joannes Andreas & alii in c. Ad Apostolicam. 16. de regularibus &c. l. 3. t. 31.

(*p*) Fagn. ib. n. 34.

existentis, licet transgrediens sit puniendus. Hanc proprio suo marte distinctionem non excugitavit iste Canonista, quam profert tantum post Auctorem Glossæ (*a*), multosque alios, quos ipse laudat Canouum interpretes.

(*a*) Glossa in Clem. de jure patronatus v. Inhibentes §. sed quaro.

Quod hactenus de Parocho diximus, idem pariter de ipsius Vicario intelligendum, est, supposito quod sit talis pro omnibus functionibus curialibus, aut saltem pro administratione matrimoniorum, nisi ex interdicto Episcopi constaret, ipsius potestatem esse revocatam. Ita sentit etiam Fagnanus noster, qui ita a sacra Congregatione fuisse determinatum asserit (*b*): „ *Eadem conclusio*, inquit, *procedit in Vicario Parochi, licet temporali, supposito quod habuerit licentiam generalem administrandi omnia sacramenta; & alia gerendi, quæ ad proprium Parochum pertinent, vel saltem specialem licentiam matrimonii celebrandi, juxta declarationem sacræ Congregationis Concilii in causa Januensi. Quod si ex inhibitione constaret de revocatione licentiæ ab Episcopo concessæ, secus dicendum esset, non propter inhibitionem, sed propter revocationem*: tum subjungit: *Si tamen habuisset licentiam a Parocho, dubitari posset, an hujusmodi licentia ab Episcopo revocari posset per inhibitionem illi factam; quandoquidem Concilium pariter loquitur de matrimonio celebrato de licentia Parochi aut Ordinarii.*

(*b*) Id. Fag. b. n. 17.

Putat tamen Sylvius (*c*), quod, si Parochus esset excommunicatus denuntiatus, matrimonium a Vicario, quem in eam rem committeret, celebratum esset invalidum; quin ob censuram privaretur delegandi potestate, quia potestas illa ex eodem Sylvio est actus jurisdictionis; qua in re Theologo huic non assentitur Fagnanus: ideoque dicimus, tutiorem in hoc casu viam esse futuram, si ad Episcopum recurratur & accepta ejus sententia maudatum ipsius conficiatur.

(*c*) Fr. Sylvius supp. S. Th. q. 45. ar. 3. quæsito 8.

C A S U S XI.

Columbanus, sancti Nectarii Parochus, excommunicatus denuntiatus, duos suos Parœcianos junxit matrimonio. Au illud est validum?

R e s p o n s.

Tenet illud matrimonium: nam a Concilio Tridentino uuda Parochi contrahentium præsentia requiritur, non eo excluso vel excepto, qui foret interdictus, aut excommunicatus. Atqui Parochus, quantumvis excommuuicatus, Parochi semper qualitatem retinet, donec beneficio suo ex sententia juridica fuerit privatus. Igitur matrimonium, ipso præsente celebratum, censetur vere celebratum coram, proprio Parocho; atque adeo est validum. Ita docet Fagnanus, qui asserit, ita sensisse sacram Congregationem Cardinalium sacrosancti Tridentini Concilii interpretum. En ipsius Fagnani verba (*d*): *Suspensio ab omnibus sacramentis, non debet operari nullitatem sacramenti matrimonii, in quo Parochus nullam exercet jurisdictionem; sed exhibet nudam præsentiam & ministerium facti.... & propterea valet matrimonium contractum coram Parocho excommunicato, si sit toleratus, secundum Navarrum* (*e*). *quin imo & coram Parocho denuntiato excommunicato, ut respondit Congregatio Concilii tempore Cardinalis Matthæi, re diligenter examinata.*

(*d*) Fagnan. in sup. cit. c. 3. Literæ 1. n. 6.

(*e*) Navarrus Manual. c. 27. n. 2.

C A S U S XII.

Sabinus et Valeria, qui sedem stabilem & domicilium certum uon habent a multis annis, quia victum suum pagatim e provincia in provinciam migrantes quæritant, coram primo, cui occurrere, loci, in quo erant, Parocho matrimonium contraxere. An validum est & legitimum eorum matrimonium?

R e s p o n s.

Ad solutionem propositæ difficultatis, dicendum est, stricte teneri Parochos ista Concilii Tridentini constitutione (*f*): *Multi sunt, qui vagantur*... *Parochis autem præcipit* (Sancta Synodus), *ne illorum matrimonio intersint, ni prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod idem Provinciæ suæ Parochis expresse jubet etiam Sanctus Carolus Borromæus (*g*): *Vagantium hominum & peregrinorum matrimonia non facile celebrabit*, inquit, *sed diligenti primum, ex Concilii Tridentini præscripto, inquisitione facta, & testimoniorum, quibus de illis testatum fuit, cautione studiose adhibita, reque omni ad Archiepiscopum delata, de facultate celebrandi matrimonii ab eodem impetrata.*

(*f*) Conc. Tr. sess. 24. de reformatr. c. 7.

(*g*) Act. Med. Eccl. par. 4. de sacram. matr. 1. Quæ parochus doceat. tom. 1. p. 457.

Attamen, si æquas illas Parochus non adhiberet cautiones, validum adbuc esset vagorum illorum hominum matrimonium; modo nullum inter eos esset aliunde impedimentum dirimens. Prima quæ hujusce rei afferri potest ratio, est, quia vagi illi domicilium in eo loco habere censentur, ubi sunt de præsenti; hac in re militum haud absimiles, qui in propria patria domicilio bonisque carentes, in iis omnibus locis suam habere domum censentur, ubi sunt, juxta hæc legis verba (*h*): *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi inhæret, si nihil in patria possideat.* Unde sequitur, hujusmodi vagis eundem esse pro matrimonio proprium Parochum, atque pro Pœnitentia, communione & extrema unctione, quæ sacramenta iis administrare potest quilibet Parochus loci, in quo commorantur: cum matrimonium, sub ratiune remedii concupiscentiæ consideratum, certissime permultis sit necessarium, ut tutam præstent salutem suam. Secunda ratio est, quia Parochus iste non minus censetur proprius eorum Parochus, quam ordinarius censetur esse proprius eorumdem Episcopus, atqui, ex ipsius Concilii terminis, ordinarius locorum habetur tanquam proprius eorum Episcopus, cum asserat Concilium, eos de licentia tantum Episcopi a Parocho esse conjungendos. Ergo loci Parochus, in quo sunt, pariter eorum proprius est Parochus. *Vagi autem & qui certas sedes non habent*, inquit Sylvius (*i*), *contrahere debent coram illo Parocho, ubi se reperiunt, & ubi confessionis & Eucharistiæ sacramenta possunt recipere, quia nullus est alius proprius eorum Parochus.* Addit postea hic Theologus, verum quidem esse, ex mente Concilii a Parochis hujusmodi vagos homines non esse conjungendos, nisi præmissa diligenti de eorum statu inquisitione, & obtenta ordinarii licentia: *Si tamen*, subjungit, *de facto assisterent* (Parochi) *absque tali licentia, quamvis peccarent, matrimonium tamen valeret; quia tam sunt Parochi talium, quam Episcopus sit eorum ordinarius. Ita Ledesma q. 4. art. 5. Henriquez lib. 11. c. 3. & Sanchez disput. 25. hæc ille.*

(*h*) L. municeps 23. §. 1. ff. ad municipalem & de incolis l. 52. n. 1.

(*i*) Fr. Sylvius in suppl. S. Th. q. 45. ar. 4. quæsito 3.

Verum tamen est, Parochum gravissime esse peccaturum, qui in simili casu adeo justas ac necessarias adhibere cautiones negligeret, eumque strictissime teneri, ad consulendum Episcopum suum, ejusque mandata exequendum; quamlibet ipse de hujusmodi hominum statu cognoscendo præmiserit inquisitionem.

Objicient forsitan illi, quibus minus arridebit nostra hæc sententia, ex Edicto an. 1697. eis, qui nubere volunt, opus esse domicilio sex mensium integrorum in Parœcia Parochi, aut etiam unius anni, cum sunt ex aliena diœcesi.

Ad quam objectionem respondetur. 1. quod si attente ac mente liquida legantur verba edicti, manifeste apparebit, nullam a Principe in eo fieri mentionem de iis personis, quæ nullum habent domicilium, quæque ostiatim mendicato pane vescentes, dum e vico in vicum, e provincia in provinciam migrant, in horreo pernoctant, aut stabulo loci, quo eos introducere non dedignantur in egenos misericordia commoti: verum de iis tantum loquitur illud edictum, qui actu in una Parœcia habitantes, prius suum habebant in alia domicilium.

2. Quod si ea esset mens edicti, ut illo continerentur vagantes, sequeretur, eos necessario teneri, quo matrimonium contrahere possent, ad commorandum saltem mensibus sex aut sæpe anno integro in eo-

in eodem loco, priusquam ad nuptias possent admitti, vel ad unnquam contrahendam. Ast unde sumerent habitationis suæ mercedem? quis ipsius gratuito victum tandin suppeditaret? comperta est satis Rusticorum paupertas, quorum pars maxima subsidiis indiget, nedum aliis ipsis præstare querant. An istud Parochis imponetur onus? At 1. sæpe non suppetit Parocho Hospitium pro hujusmodi gente vaga.

2. Quod si hospitium haberet, non sineret prudentia, ut eam exciperet, non solum ob sexus diversitatem, & ignota sibi capita illa transeuntia, sed quia pleramque pravis inficiuntur moribus, & *improbi sunt ingenii*, ut loquitur Tridentinum 3. Parochus subditos suos potius eleemosynis pascere debet, quam vagantes incognitos, qui in sua tantum commorarentur parœcia, donec nuptias iniissent, & qui ob eam causam bona fide domicilium non acquirerent.

3. Respondetur, quod pauper vagus, qui cum puella a se sub spe matrimonii vel aliter corrupta, per multos annos libidinose vixisset, quique cura propriæ salutis, & susceptam jam prolem legitimam efficiendi desiderio ipsius requireret matrimonium, duplici huic oneri, vellet, nollet satisfacere omnino non posset, matrimonio suo præsentiam ipsi denegante Parocho; ob eam videlicet causam, quod contrahere volentes in sua Parœcia unius anni aut sex mensium domicilium non acquisivissent; qua quidem ratione isti præsentissimo, quodque moraliter certum dici potest, producendæ, etiam ad mortem, libidinis suæ periculo atque occasioni proximæ committerentur, nullatenus ipsa opitulante Ecclesia in his circumstantiis, quæ in omnibus aliis casibus filiorum saluti omni remediorum genere novit prospicere; quod nequit defendi, nisi ultra quam par est, procedendo, & moralia severius ac vehementius pertractando.

CASUS XIII.

Simplicius qui nullam certam habet sedem Natatiæ nupsit, quæ fixum habet domicilium, ac matrimonium illud a primo loci Parocho, in quo se reperit Simplicius, celebratum est. An dici potest illud esse validum?

Respons.

Videtur affirmari posse, absolute loquendo, matrimonium illud esse validum: nam matrimonium quodlibet coram proprio Parocho contractum cum omnibus formalitatibus requisitis est validum, si nullum aliunde adsit impedimentum dirimens atqui Parochus loci, in quo se reperit is, qui nullum habet Domicilium censetur esse proprius illius hominis Parochus igitur validum est illud matrimonium; cum ad ejus validitatem id unum sufficiat, ut coram alterutro contrahentium Parocho celebretur, quamvis ex regula communi coram proprio sponsæ Parocho debeat celebrari. Ex antecedenti sequitur decisio ista. Quo circa Parochus, antequam nuptias illas celebret, eodem prorsus modo, quo superius dictum est, se gerere debet.

CASUS XIV.

Philemon & Paulina, tribus factis matrimonii sui denuntiationibus, aliquot postea diebus piam suscepere peregrinationem ad B. Virginem in alia Diœcesi sitam, cum Parocho suo qui sibi eos conjunxit. An validum est illud matrimonium?

Respons.

Negari non potest a quopiam, matrimonium illud esse validum. Ratio est, quia id unum constituit Tridentina Synodus, ut matrimonium celebretur coram proprio contrahentium Parocho, nullam faciens mentionem de loco, ubi debeat celebrari. Unde, modo celebretur coram Parocho ac testibus requisitis, constat, illud esse validum, in quocumque loco celebretur, cum solius contentiosæ jurisdictionis actus, qui extra limites proprii territorii exercentur, sint invalidi: uti observat Auctor Colloquiorum Luconensium (a), post Gaugericum ad summulam Cajetani (b).

(a) Coll. Lucon. tom. 9. Coll. 7. q. 3. p. 307.

(b) Gaugeric. annotat. ad Summulam Cajetani de matrim. clandest. n. 1.

Verum in casu proposito observandum 1. rationi pariter & æquitati consonum esse, ut Philemonis & Paulinæ Parochus ante celebrationem eorum matrimonii ab Episcopo alterius illius Diœcesis licentiam scripto obtineat, quam conjungat cum instrumento matrimonii celebrati. 2. Pariter conveniens & æquum esse, ut de consensu tantum Parochi matrimonium illud celebret; quamvis illa Parœcia non esset alterius Diœcesis.

CASUS XV.

Basiliscus, Vicarius imperpetuus Parœciæ Sanctæ Fidei, unum e suis amicis Sacerdotem delegavit ad Celebrationem matrimonii hujusce Parœciæ. An validum est illud matrimonium, ac dici potest contra istam juris regulam: *delegatus delegare non potest* (c), Basiliscum, cui competit tantum jurisdictio delegata, valide Sacerdotem hunc delegare potuisse, ut nuptiis illis interesse?

(c) Gloss. in c. Cum causam 62. v. Delegatus. de appellat. &c. l. 2. t. 28.

Respons.

Valet illud matrimonium: nam licet verum sit dicere, delegatum ad negotium aut ministerium singulare, alium non posse subdelegare ad ejus executionem, ut declarat Gregorius IX. (d), nisi, ut ait Honorius III. sit a Principe delegatus; *cum non, nisi delegatus a Principe, causam alii valeat delegare* (e): Attamen generaliter delegatus, uti Basiliscus, potest subdelegare ad aliquam rum particularem eorum, quorum ipsi universim administratio commissa est: *Si ei esset delegata universitas causarum*, ut loquitur Glossa, a qua deprompta est juris regula, quæ opponitur; idque avidens est ex Decretali Innocentii III. ad Archiepiscopum Cantuariensem (f) atqui Vicarius, quantumvis imperpetuus & temporalis, generatim delegatur ad regimen Parœciæ, quam ei commisit ipsius superior: Alium igitur subdelegare potest Sacerdotem, ut aliquam ministerii sui partem exequatur, & quandam e suis obeat functionibus, qualis est matrimonii celebratio. Ita sentit Fagnanus (g), & affirmat, ita definitum fuisse a sacra Congregatione Cardinalium, cujus erat Secretarius; quare præcipuam in hoc fidem meretur. *In casu præsenti*, inquit, *sacra Congregatio sentit* (Vicarios temporales) *posse & matrimonio interesse, & aliis dare licentiam, ut intersint, hujusmodique matrimonia esse valida.*

(d) Gregor. IX. in c. Quoniam. fin. de officio & potest. judicis delegat.

(e) Honor. III. in cit. c. Cum causam.

(f) Inn. III. in c. Super 27. de officio & potest. judicis deleg. l. 1. tit. Gloss. ib. v. Quicumque

(g) Prosp. Fagn. in c. Quod nobis l. de Clandest. desponsat. n. 31.

Ceterum ex posito nunc principio sequitur quod si Sacerdos a Vicario Sanctæ Fidei delegatus, alium qui pro se matrimonium celebraret, subdelegasset, tum invalidum esset matrimoniam, & quod in hoc casu obtineret illa regula, *delegatus delegare non potest*: cum ipse ad functionem particularem delegatus, alium ad eandem functionem obeundam subdelegare non posset.

CASUS XVI.

Heliodorus & Justina ortu suo Parœciæ S. Fursei incolæ in Diœcesi Meldensi Parisios se contulerunt ad contrahendas nuptias in Parœcia S. Pauli, coram Sacerdote, quem in eam rem delegavit ipsorum Episcopus, & duobus testibus. An validum est illud matrimonium, quamvis eorum suscepto intercesserit proprius Parochus, & Episcopi mandato reclamarit?

Respons.

Certum est, matrimonium illud esse validum; nam Concilium Trident. (h) loquitur duntaxat de præsentia aut licentia proprii Parochi, vel Ordinarii nihil statuens de loco, ut jam diximus in responsione ad decimam quartam difficultatem. *Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Hæc sunt verba Trident. Atqui Heliodorus & Justina contraxere solum de licentia Episcopi, qui ex Concilio hanc eis concedere potest, quantumvis intercesserit & huic obstiterit Parochus S. Fursei; cum Episcopus quilibet in tota Diœcesi sua Pastor esse censeatur, uti Papa in tota Ecclesia, &

(h) Conc. Tr. sess. 24. de sacram. matrim. c. 1.

Paro-

Parochus in Parochia sua. Igitur verum est affirmare, Heliodorum & Justinam ex præscripto hujusce Concilii matrimonium contraxisse. Nec vacat objicere, illud fuisse contractum extra proprium Episcopi territorium; quandoquidem datum Sacerdoti ab ipso mandatum, sit tantum actus jurisdictionis voluntariæ, quæ in quocumque loco exerceri potest; in quo ista discrepat a jurisdictione contentiosa, quæ proprii territorii limites transgredi non potest, ut videri potest ex tertia lege, quam in sequenti decissione afferemus.

C A A S U S XVII.

Camillus & Columba simul nubere cupientes, matrimonii sui futuri denuntiationes fieri curant, nemine huic intercedente: at Parochus haud ipsis amicus, multas obtendit difficultates, ut nuptias eorum discutiat, earumve Celebrationem proroget; quare sponsi isti supplicem officiali dant libellum, quo ipsum rogant enixe, ut ipse vel matrimonium suum celebret, aut auctoritate sua ministerium illud Sacerdoti cuipiam demandet: Petitis eorum acquiescit officialis, finitimum substituens Parochum, qui juxta præscriptas ab Ecclesia solemnitates celebrat. An validum est eorum matrimonium?

R e s p o n s.

Priusquam solvatur hæc difficultas, certæ quædam præmittendæ sunt regulæ. Prima est duplicem esse jurisdictionem; unam, quæ voluntaria, alteram quæ contentiosa dicitur. Distinctio ista legis verbis hisce continetur (*a*): *Omnes proconsules, statim quum urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem, sed non contentiosam, sed voluntariam.* Jurisdictio voluntaria ea est, quæ exercetur erga eos, qui non litigant, *quæ inter volentes tantum locum habet*, inquit Glossa (*b*): Contentiosa vero ea est, quæ exercetur erga eos, qui litigant; *quæ redditur in invitum*, inquit eadem Glossa; ut etiam constat ex alterius legis verbis (*c*). *Stipulatio ex utriusque consensu valet; judicium autem etiam in invitum redditur:* Jurisdictio voluntaria in omni loco exerceri potest, exceptis quibusdam casibus, qualis est Ordinatio; at contentiose intra fines proprii territorii duntaxat exerceri potest: *Extra territorium jus dicenti impune non paretur*, inquit Lex (*d*).

(*a*) L. Omnes, ff. de officio proconsulis l. 1. t. 16

(*b*) Gloss. in l. Omnes.

(*c*) L. Inter 38. § Si Stichus ff. de verborum obligat. l. 45. t. 1.

(*d*) L. Extra. fin. ff. de jurisd. omnium judicum l. 2. tit. 1.

Secunda regula hæc est, duplicem nimirum illam jurisdictionem vere pertinere ad Ecclesiam, cujus ministri, qui utramque obtinent, diversa ratione eam exercent; scilicet voluntariam, *de plano*: & contentiosam *pro tribunali*, ut videre est ex antiquo Decreti Gratiani Canone (*e*). Per se ipsum Episcopus, vel per Vicarium suum Generalem voluntariam exercet; at in Gallia per Officialem suum aut Vicegerentem tantum contentiosam exercere potest, uti solent Domini, qui altam habent jurisdictionem & qui per se ipsos jurisdictionem suam exercere non possunt, sed tantum per Officiarios, quos instituunt & ad eam rem delegant. Attamen Episcopus, si opportunum duxerit, unius duntaxat ministerium utramque exercere potest, ipsum simul & Vicarii generalis & Officialis insigniendo.

(*e*) Canon Si quem. 82. q. 3.

Tertia regula est, Vicarium generalem, qui voluntariam tantum obtinet Jurisdictionem, nihil in contentiosa posse moliri, & eum vicissim, qui contentiosam habet, iis, quæ ad voluntariam pertinent, se immiscere non posse: nisi forte de expresso Episcopi consensu, qui in casu Vicarii generalis munus obiret. Aliter quod ab uno fieret in præjudicium jurisdictionis alterius, defectu potestatis prorsus esset invalidum. Quo circa si Vicarius generalis, uti talis, de re contentiosa cognoscere se ingereret; instructa ab eo litis series & redditæ Ordinationes essent abusivæ, & in omnibus Galliæ Parlamentis ut tales judicarentur, & hac juris regula (*f*): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi:* quam regulam desumpsit Bonifacius VIII. a S. Gregorio Magno, quem laudat Canon Decreti Gratiani (*g*), & ob eandem rationem, si Officialis jurisdictionem voluntariam exercere se immisceret, invalida essent acta ipsius. Idcirco dimissorias dare non potest literas ad recipiendum Tonsuram vel Ordines: *Cum ad hoc se ipsius officium non extendat*, ut loquitur Bonifacius VIII. (*h*). Ideo quoque uti Officialis, quod docent Hostiensis, Sylvester aliique Canonistæ, in foro pœnitentiæ valide absolvere nequit a casibus Episcopo reservatis; quia hujusmodi absolutio est actus jurisdictionis voluntariæ. Quare is in omnibus Officialitatibus mos obtinet, ut jubeatur, eos, qui in excommunicationem, vel jure latam, vel ab Episcopo decretam inciderunt, Pœnitentiario se præsentes sistere, ut absolvatur. Certæ sunt istæ omnes regulæ & in Gallia non controversæ, ut consentiunt Officiales omnes, qui ea de re scripsere (*i*), ac præsertim Bordenave, Audoux & du Casse.

(*f*) Bonifac. VIII. in reg. 64. de reg. juris in 6.

(*g*) S. Greg. in can. Imperiali 13. 25. q. 2.

(*h*) Bonifac. VIII. in can. Cum nullus. 3. de temporibus ordinat. in 6.

(*i*) Bordenave officiel lasceuron. tract. de Curiis Ecclesiast. edit. Par. an. 1655. Audoux offic. Caduceens. Theorie practice officialit. edit. Paris. an. 1648. Du Gasse official. Condo. prax. Jurisdict. Eccles. volunt. & Conten. edit. Aginnet. 1696. & 1697.

Ex dictis facile colligitur, ab officiali, de quo loquitur casus propositus, finitimum non potuisse delegari Parochum, ut Camilli & Columbæ matrimonio interesset; cum tale mandatum sit actus jurisdictionis mere voluntatiæ, quam, uti officialis exercere non potuit. Ex quo sequitur matrimonium illud esse invalidum, quippe quod celebratum fuerit a Sacerdote, qui huic interesse legitime non poterat, conformiter ad Decretum Tridentini Concilii, in responsione ad decimam sextam difficultatem allatum (*K*),

(*k*) De Ste. Beuve to. 3. cas. 143.

C A S U S XVIII.

Archiepiscopus Viennensis, matrimonio adfuit duorum nobilium e Diœcesi Genevensi, cujus Episcopus est unus e suffraganeis suis. An validum est illud matrimonium?

R e s p o n s.

Constat, matrimonium illud esse irritum: si Archiepiscopus iste illud propria auctoritate & absque consensu Episcopi suffraganei sui, aut Contrahentium Parochi celebraverit. Ratio est, quia Archiepiscopo nulla competit jurisdictio ordinaria in Diœcesanos suffraganeorum suorum, nisi in causa appellationis; uti nullam Patriarcha vel Primas obtinet in Archiepiscopum, neque in suffraganeos suos, nisi in eadem appellationis causa, *nisi causa per appellationem ad eius audientiam perferatur*, ut loquitur Innocentius III. in una Decretali ad Archiepiscopum Turonensem (*l*).

Firmatur iste Disciplinæ articulus hac regula, *si sua unicuique jurisdictio non servetur, Ecclesiasticus ordo confunditur*; quam Glossa (*m*) deprompsit e scriptis S. Gregorii, quem laudat Canon Decreti Gratiani; cui Auctor addit, quod, quamvis Archiepiscopus sit judex Ordinarius provinciæ suæ, non est tamen cujuslibet de provincia, cum potestatem habeat legatam quoad rem illam. *Est tamen judex Ordinarius totius provinciæ, quia ejus gerit sollicitudinem* (*n*): *nec ideo sequitur, quod cujuslibet de provincia: vel potest dici, quod habet jurisdictionem super quemlibet, sed impeditam & ligatum eu qua non habet, nisi in quibusdam articulis*, uti est appellationis causa, sicut dicimus.

(*l*) tom. II. in c. Duo simul. 9. de officio Judicis ordinarii. l. 9. t. 31.

(*m*) Gloss. in c. Pastoralis. 11. v. invitum cod. t. ex S. Gregorio in can. Pervenit. 1911. q. 1.

(*n*) Can. 9. & a. 9. q. 3.

C A S U S XIX.

Pamphilus, non quidem Episcopus, sed tamen Prælatus Ordinarius Balthazaris & Annæ, quia jurisdictionem quasi Episcopalem obtinet in incolas oppidi S. Cheremundi, ubi ab ortu suo habitant duo illi sponsi, ipsis scriptam concessit licentiam ad nubendum coram vicino Parocho, simulque ultimæ denuntiationis dispensationem. Nunquid validum est illad matrimonium, cum *de Ordinarii licentia* celebratum fuerit; quod ex Tridentino sufficit ad ejus valorem?

R e s p o n s.

Fatendum est, de proposita difficultate a se invicem Auctores dissentire. Sylvius & Navarrus contendunt, verbo *Ordinarii*, quo utitur Concilium, intelligendum esse, non solum Episcopum, sed etiam Prælatum quemlibet inferiorem, qui potestatem quasi Episcopalem obtinet. *Illos quoque*, inquit prior ex his duobus (*o*), *qui jurisdictionem Episcopalem habent, posse licentiam interessendi matrimo-*

(*o*) Fr. Sylv. in sum. S. Th. q. 45. art. 5. quæsito. 3.

niis

concedere: cujusmodi sunt Abbates Ecclesiarum; nulli subjectarum, cum multis aliis tradit Barbosa (a); *quia tales Prælati sunt ejusmodi Ecclesiarum* (Prælati) *Ordinarii*. Barbosæ quoque & Sylvio assentiens Navarrus dicit: *Sufficit licentia illius Ordinarii, cujus præsentia sufficeret ad contrahendum in Parochia hujusmodi Parochi; ita quod sufficeret licentia Episcopi vel Vicarii ejus Generalis, vel alterius Prælati, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem, qua esset superior Parocho, cujus Parochianus est, qui, vel vult contrahere, qualem habent Illustrissimi Cardinales in suis titulis* (b).

(a) S. Aug. Barb. allegat. 32 n. 121. & 122. & ad cap. 1. session. 24. Conc. Tr. Navarr. l. 4. consilior. consil. 24.

(b) C. Hic. quæst. 31. de majoritate &c. l. 1. tit. 31.

Ab opinione tamen illorum Authorum in contrariam abeuntes, existimamus, nomine *Ordinarii*, in hoc Concilii textu intelligendum esse solum Episcopum Diœcesanum contrahentium, exclusis aliis omnibus Prælatis inferioribus; quamlibet alionde Ecclesiasticam jurisdictionem obtineant; ut docet Fagnanus his verbis (c): *Cum tamen Concilium in cap. 1. sess. 24. de reformatione matrimonii loquatur de Ordinario, intelligi debet de Episcopo Diœcesano, non autem de aliis, qui sunt ordinarii de jure speciali, etiamsi a Papa fuerint constituti*. Inter autem præcipuas rationes, quas affert inclytus hic Canonum interpres, ad probandum dictum suum, hæc verisimillima videtur, quia videlicet Concilium, quando de dispensatione proclamationum, quam justis de causis concedere potest Ordinarius, locutum est; declarat postea, *quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur*. Hæc sunt verba Concilii, a quo additur: *Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit* (sancta Synodus) *ut, cum primum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum Diœcesum Parochialibus Ecclesiis; idque in primo anno quam sæpissime fiat*. Ex quibus colligit Canonista noster, omnes illas expressiones proprie intelligi non posse, nisi de Ordinariis, qui Diœceses habent, ut aperte indicant verba ista: *In singulis suarum Diœcesum Parochialibus Ecclesiis*, hoc est, de iis, qui titulo Episcopatus ordinariam ex jure communi jurisdictionem obtinent (d), non vero de aliis Prælatis inferioribus, qui Ordinarii sunt tantum vi exemptionum aut privilegiorum, quæ ipsis concessere vel Pontifex summus, vel ipsimet Episcopi. *Hæc opinio*, addit insuper hic Author, *jam videtur carere difficultate ob aliam decisionem sacræ Congregationis, tempore Gregorii XIII. editam & ab ipso approbatam, qua declaratum fuit, Alexandrum Cardinalem Farnesium, Commendatarium Abbatiæ Farfensis, jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, carere facultate has denuntiationes remittendi, quam ei ex Gratia speciali Gregorius, vita Cardinalis durante concessit, & in libris sacræ Congregationis manu bonæ memoriæ Cardinalis Caraffa adnotatum est, Gregorium dixisse in Decreto dicti capitis 1. appellatione Ordinarii non venire, nisi solum Episcopum*. Quæ verba Canonistæ hujus eo majori fide digna sunt, quod is esset Congregationis ejusdem Secretarius, & ejus acta in manibus haberet.

(c) Prosp. Fagn. in c. Cum inhibitio 3. de Clandest. desponsi. n. 6. & seqq.

(d) Bonifac. VIII. in cap. Cum Episc. 7. de officio Ordinarii in 6.

Concludimus ergo, Balthasaris & Annæ matrimonium, de quo loquitur casus propositus, esse invalidum, quia legitima illud celebrandi facultas vicino Parocho non competebat: Pamphilo quippe jus non erat Sacerdotem ad eos conjungendos delegandi; nec ipse per seipsum matrimonio huic adesse poterat, nisi dignitati ipsius annexa esset animarum cura.

CASUS XX.

Catholici permolti, hæreticæ regionis incolæ, uti Sueviæ, ubi 1. Episcopo, Parocho, aut alio Sacerdote carent, qui sui invicem locum supplere valeant. 2. vel qui, cum eos habeant, de ipsis quid certi addiscere nequeunt, quod ob hæreticorum persecutionem se se occultent. 3. Denique, vel qui, cum præsentes sint, ab ipsis nullum possunt sacramentum suscipere, id ipsum vetante Principis lege, indicta incarcerationis, exilii, aut mortis pœna, ne ullam Catholicæ Religionis functionem exerceant; ob istas rationes coram Magistratu loci Domicilii sui nuptias inire tenentur, vel coram duobus tantum testibus. An valide contrahunt?

RESPONS.

Catholici isti, qui in his casibus coram duobus testibus nuptias contrahunt, valide nubunt. Validum quidem est ipsorum matrimonium in primo & altero casu, in quo supponuntur contrahentes nullum habere Episcopum, vel Parochum, neque alium Sacerdotem ab alterutro legitima authoritate munitum; vel si quis sit in ea regione, de eo nihil addiscere valent. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum de simili difficultate ab Octavio, sanctæ Sedis in Germania Nuntio consulto occasione matrimoniorum, quæ hoc tum modo in Batavia, Zelandia & Frisia contrahebantur, matrimonia illa valida declaravit 19. Januarii an. 1603. Conformiter ad ea quæ jam ad eundem Nuncium Apostolicum his verbis scripserat Cardinalis Bellarminus (e): *De matrimoniis contractis, ubi nulli jam sunt proprii Pastores, jam olim actum fuit cum sanctissimo Domino nostro, & cum Congregatione Concilii Tridentini, & sententia communis fuit, illa esse rata, nec ad ea pertinere Decretum Concilii, cum in ejusmodi locis observari non possit. Non video ergo, cur ea matrimonia non debeant tolerari, cum satis constet Concilii Decretum, quod jubet matrimonium fieri coram Parocho, non se extendere ad ea loca, ubi nulli sunt Parochi*. Idem nuntius Octavius ad Mechliniensem Archiepiscopum scripsit, testante Sylvio (f), qui ita concludit: *Sive ergo dispensatione Pontificia, sive juris interpretatione in oppidis & Pagis illis, ubi nec Pastor, nec vicem ejus gerens haberi potest, valide Christiani contrahunt sine illo*.

(e) Bellarm. Octavio Episc. in Tricarien. & Nuncio Apostol. per Germaniam & Belgium. Apud Ohapenvilleo Vic. General. Leodiens. q. 25. de matrimonio.

(f) Sylvius in supp. 3 p. Sum. S. Th. q. 45. a. 3. quæsito 4.

In tertio quoque casu valida sunt illa matrimonia, in quo supponitur esse Episcopus aut Parochus, sed cui Principis lege vetitum est, ne ullam Catholicæ Religionis functionem exerceat sub pœna mortis, exilii aut Carceris, & cujus ministerium adhibere nequeunt contrahentes, vitatis malis hujusmodi: Idem enim est, ac si eo carerent, cum moraliter ipsis impossibile sit, ejus uti ministerio. Ut igitur sacra Congregatio valida declaravit matrimonia contracta in iis regionibus, ubi nullus est Episcopus, nullus Pastor; idem videtur dici posse de illis, quæ in hoc tertio casu contrahuntur. Ac tale reipsa fuit responsum Doctissimi Estii, 10. Martii an. 1607. datum Miræo, Andegavensi Episcopo, a quo de eadem re fuerat consultus, ut testatur idem Sylvius. Attamen si Sacerdos ab Episcopo legitima auctoritate munitus: aut Episcopus ipse proprio marte ac libenter tali matrimonio interesse vellet, quamvis hujusmodi pœnarum discrimen subiens, sponsi, qui contrahere vellent, ipsius ministerium acceptare tenerentur; alioquin invalidum esset eorum matrimonium. *Invalide contrahunt*, inquit Sylvius, *quia licet Sacerdos, non sine suo periculo præstet operam, cum tamen eam offerat, contrahentes possunt servare Decretum Concilii, ideoque ad illud tenentur*.

CASUS XXVI.

Dioecessani duo Parisienses, derelicta Gallia, ac Londinum aut in aliam regionem hæreticam commigrantes, ibi perpetuo habitaturi, ubi Tridentinum Concilium nunquam promulgatum est, anno postea elapso, ibi coram Magistratu Civili juxta legem patriam contraxere. An validum est eorum matrimonium?

Re-

R e s p o n s.

Non minus validum est eorum advenarum matrimonium, ac si in regione illa extera nati essent. *Incolæ locorum*, ait Sylvius (*a*), *ubi viget Decretum Concilii, venientes ad locum, ubi non est publicatum, ibique habitantes valide contrahunt, non servata forma Concilii.... Unde non est hic considerandum, ex quo loco sit quis oriundus; sed ubi habitet eo tempore, quo matrimonium contrahit, sive cui Parochiæ sit subjectus*. Suam probat hic Theologus sententiam authoritate sacræ Cardinalium Congregationis, quæ difficultatem istam hoc modo solvit, respondens ad Episcopum Antverpiensem, a quo de simili quæsito fuerat consulta, ob duos Diœcesanos suos, qui Notarii publici ministerio in regione hæretica, ubi suum dicarant domicilium, matrimonium contraxerant.

(*a*) Id Sylv. cit. quæsito 4. Et apud eum Vetrus Lecef. q. 45. de matr. in fine.

Equidem, cum duo illi Parisienses Diœcesani legitimum Londini acquisierint domicilium ex his Legis verbis (*b*): *In eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi qui larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet*; eadem frui debent prærogativa, qua omnes hujus Urbis incolæ, nubendi videlicet juxta Legem patriam, cum Lex a Concilio Tridentino edita de præsentia proprii Parochi, in Anglia nunquam recepta nec promulgata sit, & aliunde declaret illud Concilium, Decreto suo non teneri fideles, nisi ipsis juxta formam promulgatum fuerit, ut patet ex his ejus terminis (*c*) *Decrevit insuper* (sancta Synodus), *ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factâ numerandos*. Sed constat, tale matrimonium fore invalidum, si in exteris regionibus admitteretur hoc Decretum, ubi celebratæ essent nuptiæ; ut declaravit laudata superius sacra Congregatio.

(*b*) L. Cives. 7. cod. de incolis &c.

(*c*) Conc. Tr. sess. 24. de refor matrim. c. 1. in fine.

Ratio hujus decisionis est, quia Lex Ecclesiastica vim non habet obligandi eos, quibus non fuit promulgata, & a quibus non fuit acceptata, ut jam diximus. Unde, cum neque materia neque forma matrimonii a Concilio fuerint invalidatæ, quia ad ejus essentiam pertinent, ac sint de jure Divino, & eos tantum ad contrahendum inhabiles declarare voluerit sancta Synodus, qui Decretum suum non observarent, eodem suo Decreto illos continere voluisse non censenda est, quibus non promulgatum, & apud quos admissum non fuit.

Ac frustra quis hic objiciet, quod, cum duo illi e regione illa sint oriundi, ubi Concilii Decretum receptum fuit, illud idem servare tenentur, in quamcumque migrent regionem: Nam certum est, Concilium Lege sua obligare noluisse subditos, nisi in ordine ad regionem, in qua commorantur. *Nec obstat*, addit Sylvius (*d*), *quod prioribus Decretum fuerit publicatum, posterioribus autem non fuerit: quia publicatio non est personalis, sed localis, ideoque comprehendeas personas pro omni & solo eo tempore, quo subjectæ sunt locis illis*. Ob eandem quoque rationem incolæ regionis illius, in qua non promulgatum est Tridentinum, qui domicilium suum, etiam ad breve tempus, in eo loco collocant, ubi promulgatum fuit & admissum, matrimonium tenentur contrahere sub forma a Concilio præscripta, hoc est, coram proprio Parocho, & duobus tribusve testibus; alioquin erit invalidum; quia tunc Lex ejus, utpote promulgata & admissa, generalis est, & omnes incolas de præsenti obligans. Paludanus, Richardus, Durandus aliique Theologi idem cum Sylvio docent.

(*d*) Sylv. cit. quæsito 4.

C A S U S XXII.

Paschalis & Ludovica, Parisienses Diœcesani, e Parœcia sancti Nicolai, objectas sibi ob meditatum suum matrimonium difficultates, impatienter ferentes, consulto in Angliam migrant ad ibi contrahendum juxta Legem patriam, contractisque nuptiis in Galliam remigrant. Nunquid validum est eorum matrimonium, cum in ea contractum fuerit regione, ubi Decretum Concilii, quo requiritur præsentia proprii Parochi, nunquam promulgatum, neque receptum est, & ubi proinde coram Deo non obligat?

R e s p o n s.

Matrimonium in præsenti casu expositum est invalidum; quia Paschalis & Ludovica Concilii Decreto tenentur; utpote Parisiorum Diœcesani, ubi receptum est & viget tale Decretum. Atqui Decretum illud eos ad matrimonium contrahendum inhabiles declarat, qui illud absque præsentia proprii Parochi, duorumque aut trium testium contrahere præsumunt. Igitur valide non contraxerunt, cum nubere, omissa illa Ecclesiæ constitutione, temere præsumpserint. Nec vacat dicere, quod cum in peregrina sint regione, ejus usus Legesque ibi constitutas sequi potuerunt. Hæc enim ratio non obtinet, nisi pro iis tantum, qui ibi certam suam sedem domiciliumque collocarunt, & bona fide prioribus ædibus suis valedixere, in ea regione positis, unde egressi sunt, & hac mutatione subditi esse desierunt Ecclesiæ, ubi Concilii Decretum obtinet. Atqui Paschalis & Ludovica bona fide ædes suas non dereliquerunt, cum in Angliam non se contulerint, nisi in fraudem Legis, qua tenebantur, & dedita opera in pristinum redeundi domicilium. Igitur semper habendi sunt Parœciani sancti Nicolai, uti sunt reipsa; quamvis Ecclesiæ Legi fraudem facere voluerint, & quæ proinde nullatenus ipsis favere potest, ex hoc afflato Innocentii III. (*e*): *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*: Alioquin clandestinis permultis aperiretur via matrimoniis contra intentionem Legemque Ecclesiæ, quæ ea abrogare unice intendit in Concilio Tridentino: nam, ut ait Glossa (*f*) in Decretalem Honorii III. *Qui facit in fraudem Legis, contra ipsam Legem videtur facere*.

(*e*) Inn. III. in c. Officii. 14. de testament. & ultimis volunt. l. 3. t. 26.

(*f*) Gloss. in c. Quanto 26. de privilegiis & excessib. privileg. v. In fraudem l. 5. t. 33.

Sententiam nostram amplectitur Sylvius (*g*), a qua nonullos dissentire Authores fatetur, qui contendunt, quod, ut quis propriæ Diœceseos jejunia ac festa observare non tenetur, si sit in aliena; ita Decretum Concilii tenere non obligatur, cum eam habitat regionem, in qua illud non viget. Ast opinionem hanc refellit, & suam probat isto ratiocinio, quod jam supra a nobis allatum est. *In quibuscumque enim Parochiis publicatum fuit Decretum Concilii Tridentini, irritans clandestina matrimonia; eorum Parochiani post triginta dies a prima publicatione, illo Decreto obligantur: Atqui Diœcesani, de quibus quæritur, sunt Parochiani Ecclesiæ, in qua ejusmodi publicatio fuit facta; neque enim per suum illum transitum in aliam Diœcesim desinunt esse Parochiani Ecclesiæ illius, e qua veniunt, cum ponatur, quod alio transeant, non intentione habitandi, sed solummodo clandestine illic contrahendi. Ergo Decreto Concilii obligantur, & per consequens sunt inhabiles ad clandestine contrahendum*. Addit postea hic Theologus, quod si inhabilitas ad contrahendum clandestine prædictas personas non sequeretur, cum illius vitandæ causa in aliam transeunt regionem; frustra esset & inutile remedium, quo clandestinitatis mala cohibere voluit Concilium, pro innumeris personis, quæ adeo Sanctam impune frangerent Legem.

(*g*) Fr. Sylv. in supp. 3. p. sum. S. Th. q. 45. 1. 5. quæsito 4. cit. & fusius resolvar. v. Matrimonium 8.

Quod spectat ad festa ac jejunia, quæ quis observare non tenetur, in aliena Diœcesi commorans, ubi non sunt imperata: Respondet Sylvius 1. ad eorum quidem observationem non teneri, si bona fide abfuit, quia eos tantum obligare intenderunt Synodi aut Episcopi, a quibus fuere constitutæ, qui in suo essent territorio. 2. Eos, qui in aliena Diœcesi versantur, ab illorum observatione coram Deo non esse immunes, cum de industria & in fraudem Diœcesanæ Legis abfuere, quamvis eadem non teneantur, si bona fide absint. *Adde quod illi demum Diœcesani sint immunes ab observatione festorum & jejuniorum suæ Diœcesis, qui seclusis fraude & dolo extra eam diversantur*.

C A S U S XXIII.

Suaci duo Lutherani, contracto ex Legis patriis coram Ministris suis aut Magistratibus matrimonio, aliquot post annis a labe Lutherana ad Catholi-

tholicam fidem in Gallia, quo fecesserant, conversi, postulant, utrum matrimonium suum sit invalidum, ita ut illud denuo celebrare juxta formam a Concilio Tridentino præscriptam teneantur; an vero satis sit, ut mutuum suum renovent consensum?

RESPONS.

Ad solutionem propositæ difficultatis, distinctione opus est: Nam certum est, hæreticorum matrimonia in iis Regnis seu Imperiis esse valida, ubi Concilium Tridentinum, vel saltem illius Decretum pertinens ad rem matrimonii, neque promulgatum fuit, neque receptum; cum Lex Ecclesiastica vim obligandi eos, pro quibus condita est, non habeat; cum neque promulgata, neque fuit acceptata, ut docent communiter Canonistæ (*a*): Et inde Concilium Tridentinum, postquam declaravit, clandestina matrimonia (*b*): *Rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit*; & postquam protulit, quod *hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit; prout præsenti Decreto irritos facit & annullat*, scilicet pro futuro tempore; postea addit se velle, ut præsens suum Decretum *Robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis .... numerandos*. Unde sequitur, quod ex mente Concilii matrimonia illa non sunt invalida in iis regionibus, ubi Decretum suum non fuit promulgatum, cum illud vim seu robur tantum habere decernat triginta diebus post ipsius promulgationem. At si ibidem fuisset promulgatum, invalida essent matrimonia; quamquam jam ibi non observaretur, eo quod a pauco tempora huc introducta fuisset hæresis. *Et propterea*, inquit Sylvius (*c*), *in his locis, hæreticorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico vel Magistratu loci, contracta, Congregatio Cardinalium censuit nulla atque irrita esse.*

(*a*) O. D. in c. Treugas t. de Treugna & pace l. 1. Decretalium 36.
(*b*) Conc. Tr. sess. 24. decret. matr. c. 1. cit.
(*c*) Sylvius in suppl. S. Th. q. 4. art. 5 q. 4. cit.

At vero in Gallia matrimonia illa sunt invalida, ubi Decretum illud fuit receptum & confirmatum Edictis Henrici III. Ludovici XIII. & Ludovici Magni (*d*): Et idem dicendum de aliis regionibus, ubi Concilium fuit promulgatum. Hinc igitur inferendum est, Suecorum illorum, de quibus fit mentio, conjugium esse validum, cum in Suecia Concilium nunquam fuerit promulgatum; atque adeo eos non teneri ad contrahendum de novo post ejuratam hæresim suam.

(*d*) Ed. Bles. an. 1579. art. 4. Ed. an. 1639. Ed. an. 1697.

CASUS XXIV.

THEOPHRASTUS cum Theonilla matrimonio junctus est coram Hieron. proprio suo Parocho, sed nondum Sacerdote. An validum est hoc matrimonium.

RESPONS.

Navarrus cum aliis multis existimat (*e*), probabile esse, tale matrimonium esse validum; quia Parochus, qui matrimonio interest, non Sacerdotis, sed publicæ tantum testis functionem exercet. Ita fuisse declaratum a sacra Cardinalium Tridentini Concilii interpretum Congregatione testatur Fagnanus (*f*), & addit, errasse Navarrum cum scribit, eandem Congregationem in contrariam inclinasse opinionem. Ita quoque cum aliis multis quos laudat sentit Barbosa (*g*). Verum tamen est, eorum opinionem, qui volunt Parochum esse Sacerdotem, tutiorem esse, ut fatetur Navarrus. Hanc eandem tuetur Sylvius cum aliis qui putant, proprium Parochum esse Ministrum matrimonii, istis fulti verbis Concilii: *Parocho vel alio Sacerdote*, & terminum *alio*, tanquam relativum usurpantes, qui proinde Sacerdotii dignitatem supponit in Parocho, uti in eo, quem is delegat. At vero dici posse videtur, ita loqui duntaxat Concilium, quod Parochi vulgo sint Sacerdotes, & si forte non sint, Sacerdotem debent committere, qui nuptialem benedictionem, quam Sacerdotalem appellat Concilium, Conjugibus impertiatur. Quæ cum ita sunt, putamus Theophrasti & Theonillæ matrimonium esse validum; licet proprius eorum Parochus non sit Sacerdos. Attamen Parochus iste in dubio tutiorem debuit partem sequi, Sacerdotem videlicet delegando, qui hoc matrimonium celebraret, si quem invenire potuit, qui vices suas impleret.

(*e*) Navarr. l. 2. consil. de clandest. desponf. consilio 10.
(*f*) Prof. Fag. in c. Quoniam de constitutionibus n. 26.
(*g*) Aug. Barbosa ad sess. 24. Con. Tr. c. 1. n. 97. & alii apud eum.

CASUS XXV.

PROTASIUS & Luciana juxta omnes præscriptas ab Ecclesia formulas matrimonium contraxere. At Petrus & Paulus, qui huic, ut testes adfuere, erant excommunicati denuntiati. Num validum est eorum matrimonium?

RESPONS.

Validum est hujusmodi matrimonium; licet testes, qui huic adfuere, sint notorie excommunicati, & etiam tales a Judice Ecclesiastico declarati. Ratio est, quia, licet in re civili & capitali cujuslibet non admittatur testimonium, sed illius duntaxat, qui dotes habet ad testandum requisitas, ut videre est ex multis Canonibus (*h*); non idem tamen dici potest de matrimonio, quia res est maxime favorabilis, uti asserunt Gregorius IX. & Clemens III. (*i*), & ad illud testes adhibeantur, ad testificandum in aliis rebus aliunde jure inhabiles; ut declarat Alexander IV. in quadam Constitutione sua ad Inquisitores fidei (*K*), in qua excommunicati & criminis hæreseos participes admittuntur, uti testes legitimi contra hæreticos.

Ob eandem quoque rationem Tridentina Synodus duorum triumve testium requirens præsentiam præter Parochi proprii, ad validitatem matrimonii, terminis generalibus, nullaque adhibita exceptione vel distinctione de testibus loquitur. Atqui *quod generaliter dicitur, generaliter est intelligendum*, inquit Sylvius (*l*), conformiter ad hæc verba Glossæ (*m*): *Ubi jus non excipit, nec nos excipere debemus.* Quod ista probat ex multis testimoniis sive Juris Canonici sive Civilis. Unde sequitur, quemlibet pro matrimonio idoneum esse testem, seu fidelem, seu infidelem, Catholicum, hæreticum, aut excommunicatum, cognatum, affinem, aut peregrinum, conjugio junctum vel non, uxorem vel puellam puberem aut impuberem; modo eo sint judicio, ut cognoscant id quod fit in celebratione hujus Sacramenti.

(*h*) Can. Testes. & 2 seqq. 4. q. 2. & 3. Can. Nullus 15 q. 4. Can. Placuit. 53. 2 q. 7. Can. Non potest. 4. ib. Can. observ. 18. 3. q. 9. & tota causa q. 5. & toto tit. de test. b. & attestatione l. 2 tit. 20.
(*i*) Greg. IX. in c. Quoniam frequenter de sent. & re jud. cata l. 2. t. 27. Clem. III in c. Videtur. 3 qui matr. accusare possunt vel contra illud testari l. 4. t. 19.
(*k*) Alex. IV. in c. In fidei favorem 5 de hæreticis in 6. l. 5. t. 2.
(*l*) Fr. Sylv. in c. suppl q. 45. art. 5 qu. 9.
(*m*) Glossa in c. Quoniam 2. de conjug. l. 4. tit. 8.

Difficultatem istam sic solvit Sylvius: *Dicendum est non esse necessarium, ut illi testes sint omni exceptione majores*, inquit hic Author, *sive ut habeant qualitates jure in aliis negotiis requisitas, sed sufficere quoscumque, qui possint intelligere, ac etiam intelligant quid contrahentes dicant & faciant: cujusmodi sunt parentes, consanguinei, viri & mulieres, boni & mali, infames, excommunicati &c.* Qua in re doctus hic Professor Duacensis Barbosæ (*n*) assentitur & aliis multis, suamque probat sententiam ipsiusmet Tridentini authoritate Concilii, quod, ut modo diximus, exponit; addens, Sacrosanctam Synodum, dum novum condidit Decretum, noluisse matrimonii validitatem magis dubiam, quam ante efficere, sed ejus duntaxat clandestinitati mederi. Atqui contractus validitatem, cognitu difficiliorem, quam ante effecisset, si intendisset, quod testes, quorum præsentiam requirit, essent locupletissimi ac religiosissimi, hoc est, haberent omnes qualitates quas exigit Canon in iis, qui in negotiis vel civilibus vel criminalibus testantur, cum certum sit, eum nunc integrum posse esse testem, qui postea non erit audiendus. Non ergo verisimile est, quod Patres Concilii in suo Decreto intenderint, ut testes matrimonii essent integri & incorrupti. Addit idem Author, ad validitatem matrimonii nullatenus requiri, ut Parochus ipse vir sit integer & innocens. Ergo a fortiori, ita colligit, non necesse est, ut testes ipsi sint certissimi & integerrimi. Reipsa cognatorum & affinium in matrimonio adhiberi potest testimonium, ut declarat Clemens III. in Decretali superius laudata, & affirmat Canon, quem his verbis refert Gratianus (*o*): *Quod autem parentes, fratres & cognati utriusque sexus in testificationem suorum ad matrimonium conjungendum .... admittantur, tam antiqua consuetudine, quam Legibus approbatur* (*p*). Atqui certum est, hujusmodi testes non semper esse admittendos, cum eos ne quidem jus admittat ad dicendum testimonium in rebus criminalibus, ut fatetur idem iste Summus Pontifex. Quæ tertia ratio in confirmationem sententiæ suæ ab hoc affertur Authore, qui hanc tandem Octavii Frangipani Constitutionem addit: *Quando ob periculum persecutionis alius magis idoneus testis haberi non poterit, coram duabus fœminis, aut impuberibus, doli capacibus testibus & proprio Parocho, vel alio Sacerdote ad hoc potestatem habente, contractum matrimonium ratum habeatur; quoniam non rei arduæ aut difficilis, sed luculenter manifestæ, quam observare etiam feminæ ac impuberes doli capaces, æque ac viri possunt, testes requirantur.*

(*n*) Aug. Barb. ad cit. sess. 24 Conc. Tr. alleg. 32. n. 238.
(*o*) Clem. III. in cit. c. Videtur.
(*p*) Can. Videtur. 3. 35. q. 6. §. 1.

tur. Atqui testes illi non sunt *omni exceptione majores*: Igitur illa qualitas non necessario ad validitatem matrimonii requiritur. Fatendum tamen est, quod, cum tutior pars sit semper eligenda, ubi agitur de validitate Sacramenti, Parochus, qui Protasii & Lucianæ nuptias celebravit, Petri ac Pauli testimonium accipere non debuit; si noverit, eos esse excommunicatos, aliosque invenire testes potuerit; & quod cum aliter fuerit, graviter etiam deliquit.

CASUS XXVI.

Urbanus cum Valentina matrimonium contraxit coram proprio utriusque Parocho, duobusque testibus Scholasticis Parochianis ejus, quorum alter undecim, alter vero duodecim natus est annos. An validum est illud matrimonium, non obstante testium infima ætate?

Respons.

Quamvis matrimonium illud validum putemus, fatendum tamen est, non sine causa validitatem ejus in controversiam venire posse, ob infimam præsertim duorum testium ætatem; nam inter Authores non convenit de eorum qualitate, qui testium nomine matrimonio intersunt, aliis affirmantibus, eos legitimos esse non posse, nisi sint *omni exceptione majores*, hoc est, nisi sint tales, ut quidquam ipsis objici nequeat, quod eorum possit aut elevare, aut infirmare testimonium; atque talis est, ex ipsorum sententia, defectus pubertatis: Aliis vero contendentibus, hanc in ipsis non requiri qualitatem, & quamlibet personam, quæcumque illa sit, idoneum esse hac in re testem, modo sufficienti sit prædita judicio.

Priores duas præcipue afferunt opinionis suæ rationes: 1. Quia Ecclesia testium necessitatem in Tridentino Concilio constituens, hunc potissimum sibi finem præstituit, ut Ecclesiam statumque legitimæ celebrationis matrimonii tuta efficeret; quod fieri nequit absque eorum testimonio, qui pubertatem judiciumque perfectum assecuti sunt, ex hoc dysthico.

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides: in testibus ista requiro.

2. Quia præsumi non potest, *testium* nomine alterius qualitatis testes a Concilio fuisse comprehensos, quam eos, qui ex Legibus vulgo legitimi agnoscuntur, e quorum numero istæ impuberes excludunt, aliosque omnes, quorum testimonium aliquatenus refelli potest. Pro impuberibus ratio est, quia ea non sunt discretione, ut verum facere queant judicium de iis, quæ in celebratione matrimonii inter contrahentes gerantur; quod tamen omnino necessarium est, quia quid coram eo factum non censetur, qui factum non intelligit, ut patet ex istis Legis verbis (*a*): *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus aut infans sit .... non videtur coram eo fuisse.*

(*a*) L. Coram 209. ff. de verborum signific. l. 59. t.

Qui vero contrariam sequuntur opinionem, contendunt, eos omnes, qui tali sunt intelligentia, ut cognoscere queant, quid a contrahentibus matrimonium agatur, testes esse posse, cujuscumque sint qualitatis, hoc est, sive boni sint, sive mali, pueri aut senes, fideles aut infideles, vel alii hujusmodi. Hanc sententiam in superiori decisione fuimus amplexi post Sylvium, qui eam solide fuseque probat (*b*), ut ostendimus, referendo præcipuas rationes & authoritates, quas adhibet, & quas hic denuo inculcare foret inutile. Id tantum addetur, quod objectioni huic respondet: *Ad probandum matrimonium fuisse irritum requiruntur testes omni exceptione majores: Ergo etiam ad valide contrahendum.* Ad quam objectionem respondet 1. negando consequentiam, *quia causa matrimonialis*, inquit, *est favorabilis, ideoque difficilius probatur fuisse irritum, quam vel sit ratum, vel ratum esse probetur: præsertim cum in contractu authoritas Parochi suppleat, si quid legalitatis ex parte testium desideretur.* 2. Dicendo, ipsum quidam antecedens non omnino evidens esse, quia, licet Alexander III. (*c*) asserat, matrimonium inter duas personas, in quarto gradu cognatas, debere dissolvi ad attestationem duorum testium integrorum; *per testes circumspectos*, ait, *omni exceptione majores*, Clemens III. (*d*), vult tamen, ut parentes proximi, viri, aut mulieres, ad testimonium admittantur, ubi de solvendo aut contrahendo matrimonio agitur; neque tamen exigit hic Papa, ut sint integri omnino & innocentes, ut reipsa non omnes plerumque sunt hujusmodi: *Hoc autem constat non esse omni exceptione majores*; ut loquitur noster idem Theologus.

(*b*) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. q. 45. a. 3. quæsito 9.

(*c*) Alex. III. in c. Ex litteris t. de consang. & affin. l. 4. t. 14.
(*d*) Clemens III. in c. Videtur. §. qui matrimon. accusare possunt.

Hæc sunt potissimum, quæ in utramque partem de hac difficultate dici possunt. Cum argumenta, quibus nituntur prioris opinionis assertores, omnino sunt infirma, & facile solvi possunt ex iis, quibus altera firmatur, pergimus dicere, omnem & quamlibet personam admitti posse ad testimonium matrimonii, ne exceptis quidem impuberibus, quando sunt *doli capaces*, ut loquitur Octavius Frangipani, quem in responsione ad superiorem difficultatem attulimus; hoc est quando sunt capaces ad ferendum verum judicium de iis, quæ fiunt in celabratione matrimonii, quales sunt illi, qui undecimum aut duodecimum ætatis suæ annum attigere. Atque hinc colligimus, dici non posse, invalidum esse testium defectu Urbani & Valentinæ matrimonium, si, qui adfuere testes, ea fuerint intelligentia, ut quæ fiebant in ejus cæremonia, apprime cognoscerent. Quia tamen nihil periclitandum est, ubi de validitate Sacramenti agitur & tutior pars est eligenda, hujusmodi pueros admittere nunquam debet Parochus ad testimonium, cum alios omni exceptione majores invenire potest testes.

Cæterum in Gallia non obliviscatur Parochus, ex edicto Blesensi & edictis an. 1639. & 1697. constitui, ut matrimonium quodlibet coram testibus quatuor celebretur, & Rituale Parisiense, quod ex decreto Concilii Tridentini duos tres-ve tantum exigit ad ipsius validitatem, velle tamen, ut a Parocho coram quatuor duntaxat celebretur, quo impleantur Principis edicta. Quod eo accuratius ab ipso observari necesse est, quod, cum fit, ut ex parte Clandestinitatis impugnetur matrimonii validitas, requiritur seu in Curiis sæcularibus seu Ecclesiasticis, ut probatio contraria fiat per testes quatuor, qui in actis Parochi subscripserint.

CASUS XXVII.

Hierophylus Olympiæ nupsit, omissis in Parœcia sua futuri matrimonii denunciationibus absque dispensatione necessaria. Etiam nocte media nuptiæ celebratæ sunt, non a Parocho, sed a Sacerdote a expresse delegato a vicario Generali Episcopi, coram duobus tamen testibus. An clandestinum est & invalidum illud matrimonium?

Respons.

Matrimonium illud clandestinum est in foro externo civili; At, rigorose & ad mentem Ecclesiæ loquendo, non est clandestinum, saltem clandestinitate, qua fiat invalidum. Ratio est, quia ex jure novo, quod constituit Tridentinum, & cui consentit Blesense Edictum, in iis, quæ ad Clandestinitatem pertinent, matrimonium illud duntaxat clandestinum dicitur, quod contrahitur sine testibus, aut sine præsentia proprii Parochi. Atqui Hierophylus & Olympia contraxere, non quidem coram proprio suo Parocho, sed coram Sacerdote expresse delegato a Vicario Generali; quod idem est, ac si ab ipso Episcopo fuisset commissus & quod ex Concilio Tridentino sufficit, a quo statuitur, ut matrimonium contrahatur *præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu ordinarii licentia* (*e*), *& duobus vel tribus testibus*. Adfuere quoque testes duo, quos exigit Concilium: non igitur ad mentem ejusdem Concilii Clandestinum est ipsorum matrimonium, hoc est, ea clandestinitate, qua irritum sit & invalidum, cum nimirum certum sit, ex defectu proclamationum nunquam invalidari matrimonium, ut alibi ostendimus, dum de matrimonii denuntiationibus dictum est.

(*e*) Conc. Trid. sess. 24. de ref. matr. cap. 1.

CASUS XXVIII.

Ambrosius, sancti Gregorii Parochus, peccati mortalis conscius, duorum e suis Parœcianis matrimonio interfuit, non præmissa delicti sui confessione, ejusdem-ve. Contritione. An mortaliter peccavit functionem istam in hoc statu obiens?

Respons.

Si proprius Parochus non sit matrimonii minister, sed ipsimet contrahentes; dicendum est, Ambrosium non novo se ligasse mortali, dum conscius lethalis culpæ duorum e suis subditis matrimonium celebravit, quia huic tantum, ut testis honorarius & publicus

blicus

blicus interfuit, uti cum multis Theologis & Canonistis sentimus.

Nititur hæc nostra sententia verbis S. Thomæ (a) asserentis, Sacerdotalem benedictionem in celebratione matrimonii non esse formam hujus Sacramenti, cujus essentia in mutuo contrahentium consensu posita est, sed meram ejus esse Cæremoniam. *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti*, inquit, *non autem benedictio Sacerdotis quæ est quoddam Sacramentale*; & alibi *Sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia Sacramenti*. Matrimonio igitur non interest Parochus, nisi ut testis præcipuus ab Ecclesia delegatus; quo munere fungens in statu mortalis peccati, sic non posse videtur, novo se ligare delicto mortali.

(a) S. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1.

CASUS XXIX.

Olympius secreto Eleonoræ nupsit, coram tamen proprio Parocho, duobusque testibus. Ab annis octo celebratum fuit illud matrimonium, e quo quatuor jam suscepti sunt infantes, quin tamen illud hactenus promulgare voluerit Olympius ob privatas quasdam rationes, quantumvis ab Eleonora hanc gratiam enixe rogatus. An tenetur sub conscientiæ reatu illud declarare?

RESPONS.

Certum est, Olympium teneri ad promulgandum matrimonium suum. Ratio est, quia vel remotissimis sæculis Ecclesia semper constituit, ut publica essent matrimonia; & quia ob mala, quæ ex occultis nuptiis oriebantur, eandem cum Concubinatu comparavit, ut mox ostendimus ex multis Canonibus.

Equidem evenit plerumque 1. ut qui occultas habent nuptias suas, dum simul maritali affectu convescentes habitant, aut saltem secum invicem sæpe frequentes sunt, iis scandalum pariunt, qui eos inter se conjugio junctos non noverunt, & qui proinde eos habent tanquam dissolutiores vitæ homines, aut ad minus de incontinentia valide suspectos. 2. fieri potest, ut vir, qui liber censetur, ad petitum aliud connubium admittatur vel in proprio domicilii sui loco vel in alio loco remoto, & sub hac specie simplicitatis & bonæ fidei parentum puellæ illud. 3. etiam contingere potest, ut, alterutro præ moriente, superstes alteras ineat nuptias, quasi nunquam connubio junctus fuerit, quamvis ex occulto suo conjugio prolem susceperit, ut in proposito casu. unde imposterum lites, unde jurgia in familiis exoriri possent. Ex quo sequitur, quod hujusmodi conjugia haberi debeat, tanquam mala, quæ damnat Ecclesia, quæque severe Principum legibus puniuntur.

Ad probandum vero has ab Ecclesia damnatas fuisse nuptias, simulque accurate prohibitas, legi tantum satis est sex primos Canones, quos refert Gratianus, in quæstione 5. Causæ trigesimæ, quorum primus ab inclyto illo Collectore Evaristo Papæ; quamvis falso, adscribitur, alter Hormisdæ; tertius Nicolao I. quartus depromitur ex Epistola S. Leonis; quintus ex quarto Concilio Carthaginensi an. 398. & sextus ex Concilio Arelatensi, quod habitum est ineunte sæculo sexto: quibus addi possunt Concilium Veronense imperante Pepino an. 755. habitum (b), & Capitularia Caroli Magni (c), in quibus ita loquitur hic Imperator: *Sancitum est, ut publicæ nuptiæ ab his, qui nubere cupiunt, fiant*: quia sæpe in nuptiis clam factis, graviora peccata, tam in sponsis aliorum, quam in propinquis, sive adulterinis conjugiis, & (quod pejus est dicere), consanguineis accrescunt vel adcumulantur.

(b) Conc. Veron. cap. 15.
(c) Capitular. Caroli Magni l. 7. c. 179. apud Basiliem t. 2. col. 1062.

Quod spectat ad Interdictum Principis legibus factum, id unum observare sufficiat, ed. an. 1639. (d) nominatim proferre, quod hujusmodi occultæ nuptiæ concubinatum redolent, eoque constitui, ut ex iis nascitura proles tanquam inhabilis ad paternam maternamque hæreditatem capiendam, ac proinde ut illegitima censeatur: qua in re consentit illud edict. cum primo Canone a nobis laudato (e), cujus hæc sunt verba: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ... uxor... solemniter accipiatur ... Ita peractu, legitima scitote esse connubia; Aliter vero præsumpta, non conjugia sed adulteria, vel contubernia, vel stupra aut fornicationes, potius quam legitima conjugia esse non dubitate.* Unde colligitur, graviter peccare Olympium, qui suum cum Eleonora promulgare matrimonium recusat, cum Ecclesiæ & Principum legibus non obtemperet, & filios suos illegitimitatis atque exhæredationis tam in suis quam Eleonoræ bonis, periculo committat (f).

(d) Art. 5. & 6.
(e) Can. Aliter. c. 30. q. 5.
(f) De Sainte Beuve t. 2. cas. 63. & to. 1. cas. 161.

IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

VErbo LIGAMEN, intelligitur, ut definit Polmanus (g) *indissolubile vinculum matrimonii, quo conjux obligatus est conjugi, durante vita ipsius*: quod solum debet intelligi de conjugibus Christianis, qui suum consummarunt matrimonium: quia cum matrimonium est tantum ratum & non consummatum; ipsis licitum est, illud etiam quoque vinculum dissolvere, solemnem Religionis emittendo professionem in Ordine approbato ab Ecclesia, aut a Summo Pontifice (h), uti jam supra diximus. Ast in alio quolibet casu vinculum est indissolubile usque ad obitum præmorientis.

(g) Polman. breviar. theol. par. 3. n. 569.
(h) Conc. Trid. sess. 24 de matr. cap. 6. Cap. Ex publico 7. de conjugat. & ex c. Ex parte tua. ibid.

CASUS PRIMUS.

CHristianos juxta formam a Concilio Tridentino præscriptam Dariæ matrimonio junctus est, at ipsa matrimonium consummare recusavit, religionemque ingressa, eam deinde solemniter professa est. An alteram sibi ducere uxorem absque peccato potest Christiernus?

RESPONS.

A nobis jam dictum est, dum de impedimento voti (i), matrimonium non consummatum, quoad vinculum posse dissolvi per solemnem Religionis professionem; idque probatum fuit ex Decretali Alex. III. S. Thoma, & Concil. Trid. quibus addi possunt aliæ duæ ejusdem Sum. Pont. Decretales (K), scribentis ad Episcopos Exoniensem, & Brixionensem, & una etiam Innocentii III. ad Archiepiscopum Lugdunensem, quem his verbis alloquitur (l): *Nos tamen nolentes a Prædecessorum nostrorum vestigiis declinare, qui respondere consulti antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari, hoc ipsum sibi consulimus observandum.* Antiquitas plura nobis suppeditat exempla, quæ hanc doctrinam asserunt, quorum nonnulla refert Gratianus (m), ut exempla Sancti Macarii, S. Alexii, quæ deinde ex multis Canonibus confirmat (n). Respondemus itaque, Christiernum absque peccato alteri posse nubere uxori post solemnem Dariæ professionem.

(i) Cas. 6.
(k) Alex. III. in cap. Commissum. 16. de sponsalib. & matr. & in c. Ex publico de convers. conjug.
(l) Innoc. III. in c. Ex parte 14. eod. tit.
(m) Gratian. §. Ecce ad cas. Scripsi. 27. q. 2.
(n) Can. Desponsatam 27. & can. Decretа 29. q. 2.

CASUS II.

Calixtus, ducta sibi uxore Valentina juxta omnes præscriptas ab Ecclesia formulas, nec dum consummato cum ea matrimonio, Ulricam secundo nupsit, quacum matrimonium per carnalem copulam consummavit. Quodnam e duobus conjugiis legitimum est & validum?

RESPONS.

Constat, primum duntaxat Calixti cum Valentina matrimonium esse legitimum & validum, & alterum esse invalidum & nefandum. Ita rem definivit Alex. III. in Decret. ad Archiepiscopum Salernitanum (o) a quo de simili difficultate fuerat consultus; *Consultationi tuæ respondemus*, inquit hic Papa, loquens de muliere, quæ in simili casu alteras se posse inire nuptias contendebat, *quod si inter virum & mulierem legitimus consensus intervenit de præsenti, ita quidem*

(o) Alex. III. in c. Licet. 3. de sponso duorum. l. 4. tit. 4.

quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat, utroque dicente; Ego te accipio in meam; & ego te accipio in meum ... non licet mulieri alii nubere; & si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat Ecclesiastica districtione compelli. Est & alia decisio ejusdem Papæ scribentis ad Archiepiscopum Senonensem in tertio Lateranensi Concilio, quod habitum est an. 1179. cujus hæc sunt verba: *Porro si qui vir & mulier pari consensu contraxerit matrimonium, & vir ea incognita aliam duxerit in uxorem, & eam cognoverit, cogendus est secundam dimittere, & ad primam redire.* Denique Greg. IX. (a) eandem rem expressis verbis definit, & declarat, in casu proposito *secundum matrimonium de facto contractum, etiamsi sit carnalis copula subsecuta, separari debere, & primum in sua firmitate valere.*

(a) Greg. IX. in c. Si inter. 31. de spons. & matrim.

CASUS III.

Nebridius in regione habitans, ubi nondum receptum est Concilium Tridentinum, occulte Titiæ nupsit, quacum matrimonium non consummavit. Paulo post Mæviam publice duxit in uxorem, quacum matrimonium consummavit. Quam sibi tuta conscientia uxorem retinere potest; An Titiam retinere tenetur, quamvis idipsum non possit absque sui infamia; & Mæviam dimittere, quamvis inde futurum sit scandalum, & etiam excommunicatio, quam in se obtinebit promulgari hæc secunda mulier, ut Titiam dimittere, & ad se redire compellatur. Quid facto opus est in hoc difficili negotio ut in tuto suam habeat conscientiam?

RESPONS.

Certum est 1. in casu proposito validum esse Nebridii & Titiæ matrimonium, eumque proinde absque mortali peccato alterum cum Mævia contrahere atque consummare non potuisse matrimonium; quod, licet publice contractum, est invalidum. 2. Id quoque certum est, eum primum suum non posse consummare matrimonium, nisi absit omnis infamia omneque scandalum. Si igitur eum damnet Ecclesia ad retinendam Mæviam, quam legitimam suam uxorem esse judicat; quia *Ecclesia non judicat de occultis*; ut loquitur Concil. Trid. (b), cum ea remanere tenetur uti frater cum sorore sua; modo nullum sit incontinentiæ periculum; alioquin sub peccati reatu eam dimittere tenetur, quæcumque in ipsum lata fuerit excommunicatio; quippe quæ censura tum coram Deo inutilis evadit. *Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*, ut loquitur Innocentius III. (c). *Cum illa contra Deum non debet in hoc judicio obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere*, ait etiam idem Summus Pontifex in Decretali ad Archidiaconum Bituricensem scripta de muliere, cui nota erat matrimonii sui invaliditas; quæque virum suum idcirco dimiserat, qui eam ad se redire compellere volebat (d).

(b) Conc. Tr. sess. 24. de reform. matr. c. 1.

(c) Innoc. III. in c. Inquisitioni 44. de senten. excomm. &c. l. 5. tit. 39.

(d) Idem in c. Litteras. 13. de restitut. spoliatorum l. 2. tit. 13.

CASUS IV.

Germanicus & Flora juxta solitam formam in facie Ecclesiæ matrimonio juncti, Parocho suo se sistentes declararunt, invalidum esse matrimonium suum ob occultam affinitatem a Germanico ante cum Flora contractam ex fornicatione cum ipsius sorore, ac divortium postulabant: At Parochus eos ad judicem Ecclesiæ, tanquam ad eum, ad quem pertinet cognitio causæ illius, remisit. Ambo jurati affirmarunt Officiali, rem ita se habere, uti reipsa erat rumor. An eos quoad vinculum separare debet hic judex, eisque facultatem facere nubendi, cui voluerint; & si jam matrimonium contraxerint, an eos in suis debet relinquere secundis nuptiis, nec eos cogere, ut ad se invicem redeant?

RESPONS.

Officialis in casu proposito Germanicum & Floram quoad vinculum non debet separare: nam verum quidem est, contrahentium consensum primam esse validitatis matrimonii causam; at solutio ipsius a consensu contrario non dependet. Quare ista juris regula (e) *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, non obtinet in matrimonio. Ratio est, quia a Christo Dominio indissolubile factum est ob dignitatem Sacramenti, ad quam illud evexit; ita ut homo illud dissolvere nequeat, juxta illud (f): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

(e) Regula 1 de reg. juris in antiquis.

(f) Matth. 19. 6.

Decisionem illam affert Cælestinus III. in una e suis Decretalibus in corpore juris relata (g), in qua ad similem propositam quæstionem *Respondemus*, inquit, *quod propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ, separari non debet* (conjugatus) *cum & quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestus facile prosilirent, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quod, nisi rationabiles & fide dignæ probationes accedant, possit bene contractum matrimonium irritari.* Addi etiam potest pro altero argumento, verum quidem esse quod nonnulli admittantur ad testimonium contra se, non vero pro se: atqui ii, qui dirimens impedimentum proponunt ut irritum declaretur matrimonium suum, eo tantum fine illud sæpe proponunt, ut suam facilius assequantur libertatem: igitur eorum solius testimonii non est habenda ratio. Ita argumentatur Glossa in decretalem modo relatam (h), & post citatas leges quasdam Romanas (i), & etiam decretalem Innocentii III. (K), quibus probari videtur, standum esse partium testimonio; tum ostendit, quod *in isto casu non statur confessioni contra matrimonium*, hæc sunt ejus verba, *propter rationem, quæ hic in litera redditur; & est ratio*, addit, *quia contra se quisque testificari potest, pro se vero, minime*: quod probat ex multis textibus juris (l): quibus allatis denique subjungit: *Præterea iste non confitetur contra se, imo pro se. Unde jure communi non prodest ei talis confessio; nam iste petit separari ab uxore, quia dicit se cognovisse ejus consanguineam ... sed ... speciale est in matrimonio, ubi non creditur viro, vel uxori in præjudicium conjugii.* Ex his probationibus sequitur, quod, si privata auctoritate a se invicem discesserint Germanicus & Flora, & cum aliis secundas contraxerint nuptias, ad se invicem redire a judice Ecclesiastico compelli deberent. At si verum sit, quod narrat Germanicus, teneretur in foro interiori ad vivendum cum Flora, uti frater cum sorore, saltem quoad usque legitimam obtinuisset dispensationem, qua suum matrimonium in integrum posset restitui.

(g) Cœlestin. III. in c. Super eo. 5. de eo qui cognovit consang. uxoris suæ vel sponsæ. l. 4. t. 13.

(h) Glossa in tit. c. Super eo.

(i) Leg. Confessus 11. Cod. de confessis l. 7. t. 59. Leg. Confessus ff. eod. tit. & Leg. Certum. 6. ibid. l. 42. tit. 2.

(k) Inn. III. in cap. Olim. 20. de causis. l. 3. tit. 19.

(l) 19. q. 2. § 11 & Leg. De aetate. ff. de interrogationibus in jure faciendis &c. l. 11. tit. 1.

CASUS V.

Porphyrius existimans, mulierem suam adhuc luce frui, quamvis reipsa ultimum diem obiisset, cum Joanna matrimonium contrahit. An validum est illud matrimonium; & si tale non sit, quomodo validum fieri potest?

RESPONS.

Si Porphyrius ea fuerit imperitia & simplicitate, ut crediderit, se vere contrahere nubendo Joannæ, & vere consenserit, validum est illud matrimonium, quamvis mortaliter peccaverit. Sed e contra, si existimaverit, se valide non contrahere, invalidum est ipsius matrimonium defectu legitimi consensus; cum eum non præbuerit matrimonio, quod contrahere intenderit, sed adulterio, quo se sub nuptiarum specie inquinare intendebat, & in hoc casu, neque reddere, neque petere debitum conjugale potest, nisi de novo libere & sincere consentiat, eumque validum fiet ipsius matrimonium, modo juxta formulas ab Ecclesia præscriptas celebratum fuerit, nec Joanna suum revocarit consensum, nec consilium mutaverit. Quod probant duæ decretales, altera Innocentii III. (m), & altera Alex. III. in quibus declarant duo illi sum. Pontif. tale matrimonium, cum serva contractum, quam liberam sponsus existimabat, fieri validum & legitimum, cum suum renovat consensum agnito errore conditionis servilis sponsæ suæ. Eamdem rem probat Glossa in quamdam decretalem (n).

(m) Inn. III. in c. ad nostram. fin. de conjugio servorum. Alex. III. in c. Proposuit. 20. eod. tit.

(n) Glossa in 1 c. Non debet. 9. v. De cætero de consang. & affin.

Et quidem absolute non est necesse ad validitatem matrimonii, ut contrahentes eodem tempore & loco consentiant; quidquid in contrarium sentiat Panormitanus (o): nam rigorose loquendo sufficit, ut unus hodie, & alter alio tempore consentiat, uti docent Hostiensis (p), Joannes Andreas, Joannes Major, Navarr. Sylv. & alii plurimi. Ratio est, quia prior is consensus perseverare censetur, donec fuerit revocatus, ut probari potest exemplo Sacramenti Pœnitentiæ, in quo Sacerdos valide de peccatis absolvere potest, quæ pœnitens multis ante diebus & etiam mensibus confessus est: Nam quamvis uno tempore fiat

(o) Panorm. in c. Dilectus de sponsal. & matr.

(p) Henricus Cardinalis Episc. Hostiensis. Navar. Man. in c. Dilectus. cit. c. 22. n. 80 & Sylvius in suppl. 6. Th. q. 45. art. 2. quæsito 2.

con-

confessio, & alio conferatur absolutio, validum est tamen Sacramentum, eo quod utrumque tempore eodem moraliter fieri censeatur. Idem dici potest de mutuo contrahentium consensu, qui, ut fert communior opinio, quam solam veram putamus, locum habet materiæ & formæ sub variis respectibus in Sacramento matrimonii. Ita etiam Silvester & Toletus (a).

(a) Silvester v. *Matrimonium*. 8. q. 15. Fr. Tolet. instr. Sacerd. l. 7. c. 13.

CASUS VI.

Marcellinæ persuasum est, Hieronymum virum suum, qui Moscuam petiit a quindecim annis, in cruento certamine cum Turcis post ejus discessum collato, & ubi tanquam ductor copiarum Imperatoris Moscoviæ militabat, mortem oppetiisse; cum ab ejus profectione de eo quidquam audire non potuerit, nisi ejus adventum in hanc regionem. Qua de re postulat hæc mulier, utrum Ambrosio, quo ardere cœpit, nubere non possit?

Respons.

Olim juxta Leges Romanas licitum erat mulieri, quæ de absente viro suo a quinquennio aliquid non audierat, alteri nubere (b). At Justinianus Imperator Leges istas abrogavit, & prohibuit, ne mulieres ante aliis nuberent, quam certo conjugis sui obitum didicissent. Idem quoque prohibet Jus Canonicum, ac præcipue Canon (c) a Gratiano depromptus e Concilio Compendiensi *, quod habitum est an. 757. cujus hæc sunt verba: *Si quis necessitate inevitabili cogente in alium Ducatum seu Provinciam fugerit, & ejus uxor, cum valet & potest, amore parentum & rerum suarum eum sequi noluerit, ipsa omni tempore, quandiu vir ejus, quem secuta non fuit, vivit, semper innupta permaneat.* Siricius Papa scribens ad Himerium Episcopum Tarraconensem (d), prohibet quoque, ne secundæ contrahantur nuptiæ, donec priores alterutrius ex conjugibus obitu fuerint dissolutæ. *Tale ergo connubium anathematizamus, & modis omnibus, ne fiat, prohibemus*, inquit hic Papa.

(b) Leg. Uxor e. ff. de divortiis & repudiis. l. 24 tit. 2.

(c) Can. Si quis. 4. 34. q. 1. & 2.

* Pithæus.

(d) Siricius in Can. De conjugali. 20. 27. q. 2.

Mulier itaque absque mortali peccato alteri viro nubere nequit, sub obtentu diuturnitatis absentiæ prioris conjugis sui, ut expresse definivit Clemens III. (e), nisi probationes habeat de ipsius obitu, quibus convinci possit vir sapiens & prudens. *Quantocumque annorum numero ita remaneant, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Hæc sunt verba hujus Papæ. Lucius III. ad Christianos scribens, quos captivos detinebant Saraceni, idem declarat (f), dicens, alteram non posse duci uxorem, nisi constet de obitu priori. *Sane*, inquit hic Summus Pontifex, *super matrimoniis, quæ quidam ex vobis, nondum habita obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* Quocirca si mulier ista alteri viro nuberet, priore superstite & apparente, illum indesinenter dimittere in conscientia teneretur, & ad Judicem Ecclesiasticum recurrere; ut, exposita ipsi tota facti serie ac veritate, ab eo sententiam obtineret, qua irritæ declararentur secundæ, quas contraxit, nuptiæ.

(e) Clemens III. in cap. *In præsentia*. 19. de sponsal. & matrim.

(f) Lucius III. in cap. *Dominus* 2. de secundis nuptiis.

Ex dictis hactenus sequitur, Marcellinam in proposita specie Ambrosio nubere non posse, quia ob diuturnam Hieronymi conjugis sui absentiam a mortali non eximeretur, si secundo nuberet, omissis aliis testimoniis, quibus de obitu viri sui moraliter certa fieri posset; cum aliter continue cum Ambrosio mœchandi periculo se committeret. Atqui ea certitudo videtur fore moralis, & consequenter sufficiens, ut a mortali excusetur, si testis unus fide dignus & integer affirmaret, se vidisse morientem maritum suum, aut, cum eum initio pugnæ vidisset, jam non ipsum inventum esse neque inter superstites e pugna, aut captivos. In hoc casu existimamus, Marcellinam Ambrosio nubere posse, modo accedat licentia Ecclesiastici Judicis: At cum & teste & omni alia probatione deficiat, in eo, in quo est, statu permanere debet.

Juvat hic observare, ut unus e conjugibus mortaliter peccat, quando nubit absque morali certitudine de morte alterius, ita pariter eum Parochum fieri lethalis noxæ conscium, qui tale celebrat matrimonium, si novit, nullam suppetere probationem de ipsius obitu: 1. Quia efficaciter confert ad periculum, cui se committunt contrahentes, in adulterio vivendi, & ad scandalum cæteraque mala, quæ e tali matrimonio possunt oriri. 2. quia justum Ecclesiæ interdictum in materia maximi momenti transgreditur.

IMPEDIMENTUM METUS.

Quemadmodum ad validitatem matrimonii absolute necesse est, ut eum libero partium consensu contrahatur, certum est quoque, ab eo illud valide non contrahi, qui metu gravi, injusto & cadente in prudentem & constantem virum ad consensum suum præstandum cogitur; quandoquidem metu illo absolute tollitur consensus ad quemlibet contractum requisitus, & præcipue ad contractum matrimonialem, cujus obligatio ad mortem usque perseverat, & cujus consecutiones tanti sunt ponderis ad felicitatem vitæ, prolis educationem, salutemque æternam. Hinc Alexander III. scribens ad Episcopum Vigormiensem (g), *Quæ metu & vi fiunt*, inquit, *de jure debent in irritum revocari*: Quod idem asserit Innocentius III. in Decretali ad Decanum & Canonicos Lincolnienses his verbis (h): *Quæ vi metusve caussa fiunt, carere debent robore firmitatis.*

(g) Alex. III. in c. *Abbas*. 2. de his quæ vi metusve caussa fiunt. l. 1. tit. 40.

(h) Innoc. III. in c. *Ad audientiam*. 4. eod. tit.

Exponet octava decisio, quodnam sit discrimen inter constantem personam & non constantem, & in quo suum sit discrimen illud; explicabitur pariter quid sit metus justus & metus injustus, & quæ debeat adhiberi distinctio inter utriusque effectus.

CASUS PRIMUS.

Cestius ob metum gravem, cadentem in constantem virum matrimonium invalide contraxit, illudque ob eundem metum consummavit. An ex copula carnali matrimonium ejus validum factum est? An etiam mortaliter non peccavit, illud consummando?

Respons.

Matrimonium, quod ex metu gravi contraxit Cestius, non factum est ex consummatione validum; cum, ut supponitur, illud ex eodem metu consummaverit. Ratio est, quia ad essentiam matrimonii requiritur, ut consensu integro, pleno & libero fiat, ut constat ex duabus Decretalibus Alexandri III. & Honorii III. (i). Atqui a Cestio non datus est consensus liber, cum ex metu tantum gravi & in virum generosum & constantem cadente illud matrimonium contraxerit; invalidum igitur semper remanet illud matrimonium, etiam ex eodem metu consummatum juxta istam Alexandri III. ad Episcopum Vigormiensem scribentis regulam (K): *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari.*

(i) Alex. III. in cap. *Cum locum*. 14. de sponsal. & matrim. Honorius III. in c. *Consultationi*. 25. eod. tit. Item Clemens III. in c. *Ad id*. 21. ibid.

(k) Alex. III. in c. *Significavit*. 3. de eo qui duxit in matr. quam polluit per adul.

Nec minus constat, a Cestio consummari non potuisse conjugium illud absque reatu mortalis peccati, quia ad committendum mortale sufficit consensus etiam non omnino liber: Nam quamvis is, qui ex hoc timore agit, directe ac præcipue peccatum non intendat; vult tamen sufficienter, facere volendo & reipsa faciendo, quod sine peccato facere nequit. Id quidem aperte docet S. Augustinus; cum propositam sibi quæstionem istam (l), *Quæritur, quæ sint ipsa peccata nolentium ... an etiam recte possit dici esse peccatum nolentis quod*

S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. in corp. Alex. III. in c. *Abbas*. 2. de his quæ vi metusve caussa fiunt. lib. 1 tit. 40.

(l) Aug. l. 4. qq. q. 24. in num. in c. *Merito*. 1. 15.

facere compellitur: Nam & hoc contra voluntatem facere dici solet? His verbis dissolvit: *Sed utique vult propter quod facit; tamquam si pejerare volit, quod tamen facit, cum vult vivere, si scilicet quisquam, nisi fecerit, mortem minetur: Vult ergo facere, quia vult vivere, & ideo non per se ipsum appetendo ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat.* Postea asserit, hunc hominem, qui pejerat ut vivat, peccare, & hanc dicti sui rationem subjungit: *Omnes quippe homines, qui scientes faciunt, quod non licet, vellent licere.* Hic autem facile componi possunt dicta sancti Augustini cum actione Cesti, dum ex metu gravi matrimonium consummat: Cum enim in hoc prohibitam a Deo actionem committat, ut imminens sibi malum declinet; certum est, ipsum propriam quietem remque suam conscientiæ suæ atque saluti antefer, & volendo hanc actionem censeri quoque necessario velle crimen ab ea inseparabile.

Doctrinam eandem his verbis inculcat S. Antoninus (*a*): *Si mulier*, ait, *post consensum coactum carnaliter cognoscitur, si habuit opportunitatem reclamandi, præsumitur tacite consentire in matrimonio: si coacta fuit per vim absolutam vel metum sufficientem, non est matrimonium.* Ita quoque Panormitanus (*b*), Navarrus, Silvester & alii complures.

(*a*) S. Ant. in 3. part. Sum. Theol. tit. 1. c. 7. sub finem.

(*b*) Panorm. in c. Consultationi 28. de sponf. & matr.

CASUS II.

ALPHONSUS, qui filiam suam Antonio renuenti in matrimonium collocare vehementer optat; mortem, aut grave aliquod aliud incommodum minatur, non quidem Antonio, sed quibusdam e propinquis ejus, quos in ipsum auctoritate plurimum novit valere, uti Patri aut Matri, Patruo vel Patruæ, fratri aut sorori ipsius, si in sua perseveret repulsa. Antonius timens, ne quid male propinquis suis contingat, ex hoc metu se determinat ad ducendam in uxorem Alphonsi filiam. An validum est matrimonium?

RESPONS.

Quamvis, non Antonio ipsi, sed tantum propinquis ejus mortem minetur Alphonsus, matrimonium tamen ex hoc metu contractum est irritum: quia factæ propinquis Antonii minæ a puellæ Patre, Antonio ipsi fieri censentur, ut docet S. Thomas his verbis (*c*): *Nec differt utrum hæc* (scilicet mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus) *pertineant ad propriam personam vel uxoris, vel filiorum aut aliorum hujusmodi.* Doctori Angelico assentitur sanctus Antoninus (*d*).

(*c*) S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 2. ad 2.

Id ita tamen est intelligendum, si Antonio sit persuasum, Alphonso minas suas perficiendi nec voluntatem nec potestatem deficere: In hoc quippe casu ipsius consensus, utpote non liber, foret invalidus: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit: necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur*, ut loquitur Alexander III. scribens ad Episcopum Papiensem (*e*).

(*d*) S. Anton. 3. part. Sum. Theo tit. 1. c. 7.

(*e*) Alex. III. in c. Cum locum, 14. de sponf. & matr.

CASUS III.

FLORENTIANUM, qui per vim Elisabeth filiam familiæ vitiarat, carcere ob illud crimen detentum, Judex damnavit aut mori, aut ipsi nubere: Florentianus autem vitæ suæ consulens, nuptias elegit, eamque duxit uxorem, priusquam e carcere exiret. Matrimonium illud, ex hoc metu contractum, est-ne validum?

RESPONS.

Certum est, matrimonium Florentiani cum Elisabet esse validum: Nam, quamvis metus gravis & cadens in constantem virum, qualis est metus carceris perpetui, aut diuturni, mutilationis aut mortis, servitutis, aut jacturæ bonorum suorum, aut cujusvis alterius mali hujusmodi, sit impedimentum dirimens matrimonii, cum a caussa externa procedit, quæ tendit ad extorquendum matrimonio consensum, ut definiunt plures Summi Pontifices in suis Decretalibus, & docent sancti Bonaventura, Thomas, Antoninus, necnon Scotus, Sotus, Richardus, Paludanus, Joannes Major, Navarrus, Silvius, aliique Auctores tum Theologi, tum Canonistæ: Constat tamen, quod metus juste illatus, qualis est in casu proposito, irritum non efficit matrimonium, modo is, qui nubit, vere ac sine figmento internum suum præbeat consensum. Ratio est, quia Judex metum incutiens, jure suo utitur, nec proprie loquendo est caussa matrimonii, sed huic tantum præbet occasionem, munus suum ex regulis justitiæ exercens: & qui metum patitur, vera est ejus caussa ob justam rationem, quam Judici suppeditavit, ipsum ad consentiendum matrimonio, cogendi. Consentit hæc decisio cum Decretali Gregorii IX. (*f*), in qua sic statuit hic Summus Pontifex in eum, qui puellam vitiaverat: *Si renuendum putaverit*, inquit, *corporaliter castigetur, excommunicatusque, in monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur.*

(*f*) Greg. IX. in c. Pervenit. 2. de adulter. & stupro.

Confirmari potest hæc decisio nostra auctoritate S. Thomæ (*g*), qui duplicem vult distingui metum: Alter est, qui liberum penitus tollit consensum, & sic invalidum omnino efficit matrimonium. Alter vero est, qui eum penitus non tollit; & cum libera voluntatis determinatione potest subsistere, ut probat illius exemplum, qui metu naufragii merces suas in mare projicit: quæ species timoris, de qua videlicet in casu proposito agitur, interiorem non destruit consensum, sed sufficientem relinquit libertatem, atque adeo irritum non reddit matrimonium. *Duplex est coactio, vel violentia*, inquit Angelicus Doctor; *una, quæ facit necessitatem absolutam; & tale violentum dicitur a Philosopho, violentum simpliciter, ut cum quis alium corporaliter impellit ad motum: alia, quæ facit conditionatam necessitatem; & hanc vocat Philosophus violentum mixtum; sicut cum quis projicit merces in mare ne periclitetur: & in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se voluntarium, tamen, consideratis circumstantiis, hic & nunc voluntarium est, & quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium. Unde hæc violentia vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis; non autem prima.* Atqui certum est, Florentianum non cogi ad nubendum Elisabeth, nisi secunda hac specie metus: igitur ex Angelico Doctore validum est ejus matrimonium.

(*g*) S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 1. in corp.

Ex hoc principio dicendum 1. eum, qui vitandæ mortis caussa, quam ei intentat inimicus, viri potentis qui periculum potest repellere, filiam ducit uxorem, valide contrahit, licet reipsa ipsi solo mortis metu nubat. Ratio est, quia hic inimicus, qui est caussa externa metus illius hominis, non intendit ipsum ad conjugium hujus puellæ cogere, sed tantum ob conceptam animo invidiam eundem interficere. Ita Judex, qui Florentianum morte damnavit, præsertim intendit, ut is lege constitutam in tali casu lueret pœnam, a qua tamen liberum ei voluit esse se se eximere, nubendo puellæ, quam vitiavit.

2. Idem etiam dicendum est, cum metus ex caussa naturali aut interna oritur; qualis esset metus hominis, qui se damnatum iri putaret, nisi puellæ a se corruptæ nuberet: ex hoc enim metu, quantumcumque magno, non fit invalidum matrimonium. Ita etiam si homicida carcere detentus, & qui mortem vitare nequit, ut vitæ suæ consulat filiæ carcerum Custodis nubit, tenet matrimonium, quamvis solo vitæ amittendæ metu contractum. Convenienter hactenus dictis inclytus Covarruvias loquens de antiqua quadam consuetudine, ex qua reus capitalis mortis eripiebatur, si meretricem uxorem duceret, asserit, valere ejusmodi matrimonium; quia metum mortis ipsi Judex ad nubendum non infert, sed reus ipse ejus est unica & vera caussa de crimine, propter quod a judice morte damnatur. Sed juvat hic ipsa docti hujus Canonistæ verba referre (*h*): *Matrimonium contractum ab existente in mortis periculo, naufragii, prælii, ægritudinisve caussa cum concubina, non ex eo nullum erit, quod timore illius periculi sit contractum, quod alias minime contraheretur: is enim metus ad illum actum non fuit illatus .... si quis autem ad mortem damnatus meretricem uxorem acciperet, minime posset allegare matrimonium esse nullum propter metum mortis; is enim metus a nemine ad illum contractum agendum infertur, sed sibi ipse eum intulit, & eundem metum habebat, ac potius ab eo timor mortis aufertur, quam infertur.*

(*h*) Didac. Covarruvias de matrim. 2. part. §. 4. n. 25. & 49.

CA-

CASUS IV.

FESTUS, falso accusatus, quod seductam spe ac promissis Angelicam, puellam nobilem, quæ erat sub potastate parentum, corrupisset, ad testificationem duorum falsorum testium damnatus est, vel ipsi nubere, vel caput amittere: qua dicta sententia, reipsa eam, unice vitandæ mortis causa, duxit uxorem. An validum est illud matrimonium?

RESPONS.

Certum quidem est, legitimam latam fuisse sententiam a judice, qui judicare tenetur secundum legem, quæ in simili casu talem pœnam constituit, & secundum allegata in judicio & probata, ut asserit S. Ambrosius, a Gratiano relatus (a) *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & Domesticæ proposito voluntatis; sed juxta leges & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: sed sicut audit, ita judicat*. Sed quia injustus erat metus, quo passus est Festus ad nubendum puellæ huic, ut pote qui adscripti sibi criminis insons erat atque adeo dignus, qui indemnatus remitteretur, datus ab eo consensus nuptiis est invalidus, quia a causa externa & libera procedit, hoc est, ab accusatore falsisque testibus, quibus judex tantum instrumento fuit & solum per accidens in perniciem ipsius innocentiæ, & quia reipsa vis ipsi illatæ authores isti fuere: unde sequitur, quod, cum metus contra omnem æquitatem eo fine illatus fuerit, ut matrimonio assentiretur, & aliunde metus ille talis sit, ut in constantem virum cadat; certum est, tale matrimonium coram Deo esse invalidum (b). His addimus, Angelicam injustitiæ ac vis illatæ Festo fuisse participem, eoque proinde marito esse indignam, quod siluerit de falsa ejus accusatione, cum ejus innocentiam, aperta rei veritate judici, tegere deberet.

(a) S. Ambr. in can. Judicet 4. §. 1. 3. q. 7.

(b) Fr. de Genet. Th. mor. to. 4. part. 2. tract. 9. c. 2. n. 13. Colloq. Lucon. to. 9. Colloq. 5. q. 2.

CASUS V.

BARNABAS, cum Guillelmum cum filia sua fornicantem de improviso occupasset, ipsum detinuit, atque ad judicem vi ducere voluit, ut accusatus aut morte aut remis damnaretur ex præscripto legis, quæ ita in corruptores filiarum familias statuit, vel mortem ei minatus est, nisi filiæ suæ nuberet: Guillelmus vero, carcere, quo ducebatur, vel morte aut remis, debita crimini suo pœna exterritus, aut denique minis mortis, quibus in ipsum Barnabas intonabat, Henricæ nubere consensit, ac reipsa, dum erat in Barnabæ potestate, eidem nupsit. An validum est illud matrimonium?

RESPONS.

Matrimonium illud in primo casu validum est, in quo supponitur Barnabas Guillelmum vi ducere velle ad judicem, ut morte vel remis, debita crimini suo pœna, ab eo damnetur. Ratio est, quia, cum Barnabæ jus competat, pœnas exigendi a corruptore filiæ suæ, si forte ipsi nubere recuset, ut ademptum ei restituat pudorem, metum, quo concutitur Guillelmus, pariunt, stricte loquendo, tum legum severitas, tum natura criminis ipsius, quod talem meretur pœnam. Quo circa metus iste a causa naturali & interna procedit atque adeo irritum nequit facere matrimonium, non magis, quam votum, ex pari metu emissum (c) cujus radix & origo est in animo delinquentis, qui ob crimen suum pœnæ legibus constitutæ in reum, sese subjicere voluit. Quare, si crimen commisit Guillelmus intra fines jurisdictionis Parlamenti, ubi morte aut remis damnentur hujus conscii, certum est, quod matrimonium ab eo cum Henrica contractum, ut jam ostendimus in responsione ad præcedentem difficultatem, esse validum, cum, ut ait Ulpianus (d) in lege Digestorum, sola vi atroci & contra bonos mores illata, contractus irritari queat, non vero vi a Magistratu incussa, *Sed vim accipimus atrocem, eam, quæ adversus bonos mores fiat, non eam, quam Magistratus recte intulit; scilicet jure licito & jure honoris, quem sustinet*. Ita Lex mox laudata.

(c) Didac Covarruviae de matrim. 2. p. §. 4. n. 28.

(d) Ulpian. in L. Continet. 3. §. Sed vim. ff. quod metus causa gestum erit. l. 4. t. 2.

Idem quoque manifeste probari potest ex Decretali Gregorii IX. scribentis ad Episcopum Sipontinum (e), in qua Summus hic Pontifex consultus de stupro, quod vi quidam, Felix nomine, puellæ intulerat, respondet, eum ad nuptias esse cogendum; sed juvat ipsa Decretalis verba, pœnamque in ea constitutam referre. *Pervenit ad nos*, inquit Papa, *quod Felix quandam virginem stupro decepit: quod si verum est, quamvis esset de Lege pœna plectendus, nec aliquatenus legis duritiam mollientes, hoc modo disponimus, ut, aut quam stupravit, uxorem habeat; aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in Monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia*. Atqui fatendum est, pœnas omnes in Felicem constitutas, si nubere recusaret, esse gravissimas, & quæ vel fortissimi viri constantiam debilitare possent, eumque ad eligendum matrimonium cogere, ut eas evitaret. Igitur, cum ex jure valeat matrimonium Felici sub his minis propositum, metus quantumvis gravis sit, cum legitimus est, matrimonium non irritat.

(e) Greg. IX. in c. Pervenit 2. de adult. & stupro. l. 5. tit. 16.

Decisionis hujusce adeo constans est veritas, ut metus iste non sit vera causa matrimonii, ab eo, cui incutitur, contracti; sed ipse sibimet metum hunc incutiat, atque adeo a causa externa non procedat: & de hoc metu idem dici potest, atque de eo, quo quis manumissus aliquid dederit, ne in pristinam quam ob ingrati animi vitium meruit, servitutem incidat; adeo ut donatio ista legitima sit, quia hunc ipse sibi metum infert, ut ait Lex ista (f): *Si mulier contra patronum suum ingrata facta; sciens se ingratam, cum de statu suo periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum; quia hunc sibi metum ipsa infert*. Pariter matrimonium ex hujusmodi metu contractum est legitimum; cum ejus causa sit reus ipse, vel ad summum Lex; non vero judex, qui conformiter ad legem judicare tenetur, unde ait S. Augustinus. *Cum homo juste occiditur, Lex eum occidit, non tu*.

(f) Mulier. 2. ff. quod metus causa gestum erit.

At vero aliter omnino dicendum est in secundo casu, in quo supponitur Barnabas Guillelmo necem minari, nisi filiæ suæ nubere velit: neque enim ei jus competit, huic privata authoritate eripiendi vitam. Quare metus ex mortis minis injustis oriens, ob quem matrimonio assentitur, est impedimentum dirimens mattimonii, quo fit invalidum (g). Quod certum est, sive metus gravis sit in se ipso iniquus, ut cum mortem immeritam quis nobis minatur, sive sit injustus in modo, quo infertur, ut cum privatus homo, qui nos de improviso occupavit in crimine, quod mortem aut grave aliquod meretur supplicium, nobis necem intentat, ut fit in casu proposito: nam metus illa utroque modo injustus eo fine incussus ad extorquendum matrimonio consensum, ipsum invalidat, quicumque huic interior accedat consensus, quia ex hoc metu penitus extinguitur voluntatis libertas, sine qua nullum unquam potest esse legitimum matrimonium, aut eam saltem notabiliter minuit, & ideo *Talis coactio*, inquit S. Antoninus (h), *consensus per talem metum matrimonium impedit, & quantum ad judicium Dei, & quantum ad judicium Ecclesiæ, etiamsi adsit consensus interior in matrimonio: quamvis enim consensus interior sufficienter cogi non possit, tamen per prædictum tam vehementer inducitur, quod multo in ipso diminuitur de ratione voluntarii: & ideo nec Deus nec Ecclesia voluerunt hominem per talem consensum esse ligatum, & ratio est duplex. Una est, quia matrimonium significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, quæ fit per liberum amorem. Alia, quia talia matrimonia malos exitus haberent: potest etiam dici secundum aliquos, quod Ecclesia aliquo modo instituit, ut persona, modo prædicto coacta sit illegitima, durante prædicta coactione, ad contrahendum cum illa, ad quam ducendum cogitur*.

(g) Alex. III. in c. Veniens. 15. de spons. & matr.

(h) S. Anton. 3. p. 1. 1. c. 7.

CASUS VI.

Stephanus Martinam duxit uxorem, quæ matrimonio non consensit, nisi ex metu gravi, injuste sibi ab homine illo incusso, at consensum suum jure jurando confirmavit. An validum est matrimonium, ut cæteri contractus, propter jusjurandum?

Respons.

Matrimonium illud est invalidum, licet Martinæ juramento confirmatum: & in hoc nuptialis contractus differt a cæteris, qui facti metu gravi & injusto, censentur tamen validi, quando jurejurando firmati sunt. Discriminis hujusce ratio ab eo petitur, quod cæteri contractus authoritate judicis facile rescindi, & aliis multis juris rationibus invalidari possunt, & damnum ex iis emergens facile pariter reparari potest: at idem de matrimonio dici nequit; nam legitime semel contractum dissolvi neque invalidari potest ob sacramenti dignitatem, qua fit indissolubile. Unde de isto, uti de cæteris & usitatis contractibus idem ferri non debet judicium, cum, si metui gravi aut vi additum jasjurandum ipsum validum efficeret, jam in potestate cujuspiam judicis non esset, eum sub quocumque obtentu dissolvere; quare maximum esset absque remedio malum, & gravissimum damnum, quod reparari non posset. Igitur integræ libertati, qua matrimonium, ut sit validum, contrahi debet, nunquam supplere potest juramentum. Nam, licet absolute loquendo dici queat, non omni coactione destrui libertatem in contractibus, certum est tamen, quod ab hia excipiendus est matrimonialia contractus, juxta Glossam, quæ differentiæ hujus hanc affert rationem (a) *coacta voluntas, voluntas est*, inquit .·. *secus in matrimoniis, ubi exigitur voluntas directa vel spontanea*: quod probat Authoritate Alexandri III. jam in responsione ad secundam difficultatem laudata.

(a) Gloss. in c. Notificasti a. 15. q. 5. v. Licentiam.

Probari potest decisio hac regula Alexandri III. in responsione ad primam difficultatem relata: *Quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari* (b): & hac Bonifacii VIII. (c): *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

(b) Alex. III. in c. Abbas. de his quæ vi metusve causa fiunt.

(c) Reg. 64. de seg. juris in 6.

Confirmari possunt hactenus dicta authoritate Innoc. III. qui ad Archiepiscopum Genuensem scribens (d) dicit, quod *si post hujusmodi juramentum* (hoc est, contrahendi matrimonii) *mulier fieret, non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius evenerit .·. nunquid non ductam admittere tenetur?* Hæc sunt verba hujus Papæ, ex quibus colligi potest, non urgere obligationem adimplendi juramenti in casu proposito; quandoquidem in primo casu cessat obligatio juramenti, quamvis valide facti, & in secundo est invalidum sufficientis consensua defectu, atque vim non habet obligandi jurantem. Insuper si nuda corporis difformitas, quæ matrimonio non est contraria, fit causa sufficiens abstinendi ab eo contrahendo, quamvis adsit jusjurandum; a fortiori dicendum, vim & coactionem, utpote libero contrariam consensui, quem omnino destruit aut valde notabiliter minuit, legitimam esse causam non implendi hujusmodi juramenti. His denique addi potest, quod, licet sit obligatio, vulgo loquendo, implendi juramenti, cessat tamen hujusmodi obligatio, ubi adimpleri nequit sine periculo salutis, ut declarat Gregorius IX. scribens ad Archiepiscopum Senonensem (e). Atqui moraliter impossibile est, ut servato juramento tale matrimonium permanere possit *sine interitu salutis æternæ*, ob exitus periculosos, qui illud ferme semper comitantur. Quare si velit Cœlestinus III. in Decretali scripta ad Episcopum Brundusinum (f), ut remittantur juramenta metu facta, & jurati relaxentur, procul dubio multo majoris est & momenti & æquitatis, ut in hac materia nullam obligandi vim obtineant. Ita sentit nobiscum Sylvius (g), & evidenter probat, Canonem, quem a S. Augustino duprompsit Gratianus (h), suæ nullatenus adversari sententiæ.

(d) Inn. III. in c. Quemadmodum 25. de jurejur. l. 2. t. 24.

(e) Greg. IX. in c. Si vero. 8. eod. tit.

(f) Cœlest. III. in c. Verum. 27. eod. tit.

(g) V. Sylvius in suppl. S. Th. q. 47. ar. 3.

(h) V. Aug. in can. Inter. 2. q. 4.

CASUS VII.

Marinus metu Fabiæ nupsit; at juste dubitari potest, an metus ejus tam gravis fuerit, ut in virum constantem cadere posset. Quid cogitandum de validitate aut invaliditate hujus matrimonii?

Respons.

Expeditior ac facilior via in simili casu hæc est, ut, si aliunde conjugium illud juxta omes requisitas formulas contractum sit, mutuum *animo conjugali* Marinus & Fabia consensum renovent: quod quidem si fieri nequeat, seu propter repulsam, seu ob aliquam aliam justam rationem, tenenda est sententia Auctoris Glossæ (i), cui *videlicet relinquendum arbitrio judicis, an verba, vel minæ, vel potestas hominis sit justa causa metus*: quod probat hic Auctor ex lege digestorum (K), qua his verbis idem statuitur: *Non sufficit quodlibet terrore abductum timuisse; sed ejus rei disquisitio judicis est*: idem docet Navarrus (l): *Omnis rectus judex*, inquit hic Canonum interpres, *considerabit ... non solum ipsum malum objectum, sed etiam circumstantias fortitudinis, vel fragilitatis, non solum sexus .·. sed etiam ætatis, innatæ magnitudinis, vel parvitatis animi, aliorumque accidentium metum passi, ita quod ejusdem mali objecti metum in alio judicabit justum, in alio vanum*. Ita quoque sentit Covarravias (m). Ex hoc igitur principio æstimanda est qualitas metus, quo perculsus Marinus Fabiæ nupsit, & consequenter validitas aut invaliditas ipsius matrimonii.

(i) Glossa in c. Cum dilectus 2. de his, quæ vi metusve causa fiunt. v. Metum mortis.

(K) L. Metum ff. ex quibus causis majores 25. ann. in integr. restitut. l. 4. t. 6.

(l) Navarrus Manua. c. 22. n. 51.

(m) Didac. Covarruv. a Leyva de matrimonio a. p. §. 4.

CASUS VIII.

Servia Tullio nubere consensit ob metum sibi ab eo illatum, publice seipsam infamandi sparso habitæ secum copulæ rumore, seu verum sit illud, seu falsum. An validum est illud matrimonium? Nunquid dici potest, metum, quo perculsa est Servia, amittendæ famæ suæ, esse metum vere gravem & cadentem in constantem puellam, atque adeo matrimonium ipsius non valere?

Respons.

Priusquam solvatur proposita difficultas, præsupponendum est illud S. Thomæ principium simulque discrimen, quod affert, inter constantem & inconstantem hominem. *Cadere metum in aliquem, est aliquem metu cogi*, inquit Angelicus Doctor (n), *cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit quod alias non vellet, ad evitandum aliquid quod timet. In hoc autem constans ab inconstanti distinguitur quantum ad duo: primo, quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia constans sequitur rationem rectam, per quam scit aliquid, pro quo sit dimittendum vel faciendum, semper autem minus malum vel majus bonum eligendum est. Et ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut evitet minus malum: sed inconstans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, sicut ad peccatum propter metum corporis pœnæ. Secundo*, pergit idem, *differunt quoad æstimationem periculi imminentis, quia constans non nisi ex forti æstimatione & probabili cogitur, sed inconstans ex levi*. Quod probat ex his verbis Sapientis (o). *Fugit impius, nemine persequente.*

(n) S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 2. in corp. Idem 3. 2. quæst. 6. art. 6.

(o) Prov. 28.

His præsuppositis dicendum est, infamiæ metum non talem esse, ut in hominem vere constantem cadere debeat, quia, licet grave sit malum, huic de facili remedium afferri potest, atque adeo, cum Servia ex hoc metu suum præbuerit consensum ad contrahendum cum Tullio, ob eam causam matrimonium non est invalidum. *Infamia, quamvis sit magnum damnum*, ait S. Thomas (p), *tamen ei de facili occurri potest, & ideo non reputatur cadens in constantem virum metus infamiæ secundum jura.*

(p) S. Th. q. cit. ar. 2. ad 3.

CASUS IX.

Lampridius in secessu domus suæ, ubi eam inclusam habebat, repertam Joannam vi subito stuprare minatus est, nisi sibi promitteret esse nuptutam: promisit quidem; & paulo post conjugii promissum nubendo perfecit, perterrita minis violentiæ, quam sibi minabatur. An validum est matrimonium?

R e s p o n s.

Si Joannæ vere persuasum fuit, Lampridio voluntatem reipsa, simul & potestatem esse minas suas exercendi, ita ut eas declinare non posset, matrimonium, quod cum eo ex hoc metu contraxit, est invalidum. Ratio est, quia in hoc casu metus ejus gravis est, & cadens in mulierem constantem; cum ex S. Thoma (*a*), *mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus* adeo gravia sint mala, ut hujusmodi metum procreare valeant, cum is qui minatur, ea potest inferre, nec impediri potest: ast e contra, si Joannæ foret persuasum, ipsum minis suis exercendis imparem esse, metus hic non censeretur gravis & cadens in constantem personam; nam ex S. Bonaventura talis metus duntaxat levis est, ut patet ex his ejus verbis (*b*): *Cum quis parvum malum minatur, vel cum talis minatur, de quo præsumitur, quod implere non possit, talis metus non facit consensum adeo defectivum, quo impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat jam contractum, sed consensus cum tali metu facit matrimonium.*

(*a*) S. Thom. in 4. cit. dist. 29. q. un. art. 2. ad 2.

(*b*) S. Bonav. in 4. dist. 29. q. 3. resp. ad argum.

In casu autem proposito non supponendum est, Joannæ metum fuisse gravem, si extra manus ac potestatem Lampridii posita, tum ipsi nupsit juxta formulas ab Ecclesia præscriptas; cum facile Parocho, parentibus, amicis suis intentatas ab hoc homine sibi minas declarare, eorumque non solum, sed & judicis Ecclesiastici, aut sæcularis præsidium implorare posset: quocirca metus ejus non potest censeri gravis, nisi dum ipsi non fuere vires aut viæ resistendi, uti per id tempus, quo sola erat & absque subsidio, aut apud eum inclusa.

CASUS X.

Alcimus Leonardæ nupsit ex timore gravi injuste illato a causa externa & libera eo fine, ut matrimonio assentiretur. An idipsum is potuit absque peccato?

R e s p o n s.

Videtur, Alcimum sic contrahendo a peccato excusari non posse, cum ita nubere non potuerit, nisi affirmando, suum matrimonio se præbere consensum: quamvis enim ex timore mentitus sit loquendo contra mentem suam, attamen peccavit; certum quippe est, id, quod natura sua peccatum est, uti mendacium, in nullo casu unquam fieri posse licitum; uti manifeste ostendemus, loquendo de hoc peccato, atque ut probari potest testimonio S. Augustini, allato in responsione ad primam difficultatem, quodque repetere inutile est.

CASUS XI.

Felix jussit filiæ suæ, ut Ferdinando nuberet; hæc autem ob timorem & reverentiam paternam oblatum matrimonium recusare non ausa est, & celebratæ sunt nuptiæ. Nonne ex hoc solo timore invalidum est matrimonium?

R e s p o n s.

Timor ille filialis seu reverentialis non censeri debet metus gravis, neque adeo capax ad irritandum matrimonium, quod filia ista contraxit. Ita fert Lex Digestorum, quæ hanc affert rationem liberi consensus hujus puellæ matrimonio, quod Patri displicere noluerit (*c*): *Si Patre cogente ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur; maluisse enim hoc videtur.* Si tamen Felix præceptioni suæ minas graves, uti exhæredationis, aut malam quandam tractationem addiderit, certum videtur, quod in casu isto metus ille invalidum efficeret matrimonium, ut patet ex Decretali Urbani III. de puella, quæ (*dolens & invita, minis parentum impulsa*) matrimonium contraxerat (*d*). Idem dicendum foret, si filia moraliter compertum haberet, se Patris iram diuturno tempore in se esse conversuram, ut existimat Author Glossæ (*e*). Ita sentiunt celeberrimi Canonistæ (*f*).

(*c*) Leg. Si Patre. 22. ff. de ritu nuptiarum. leg. 21. tit. 2.

(*d*) Urbanus III. in cap. Ex litteris 21. de despons. impuberum.

(*e*) Glossa in c. Præsens. 4. 30. q. 3. v. Patrem.

(*f*) Abbas in c. Veniens. 15. de sponsal. & matr. Præpositus in c. cum locum 14. eod. tit. Covarruvias de matr. part. 2. §. 0. n. 338. & alii.

IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

Dari potest generalis definitio, quæ duo criminum genera includat, quibus inducitur impedimentum dirimens: Hæc autem a docto Theologo profertur (*g*): *Hoc crimen est machinatio in mortem conjugis, aut adulterium cum attentato permissove matrimonio.* Duo criminum genera complectitur hæc definitio. Primum est illud, quo de viri aut mulieris morte fit conspiratio, & meditatum patratur mortis consilium, illata quidem eo fine nece, ut cum participe facinoris matrimonium contrahatur.

(*g*) Polman. brev. theol. p. 3. n. 156.

Dicimus, *& meditatum patratur mortis consilium*; Nam si mortis tantum sumeretur consilium, nec perficeretur, tum inter conscios non intercederet impedimentum dirimens. In uno etiam casu esset impedimentum dirimens homicidium, licet ab uno fuisset commissum, altero inscio & non consentiente; nimirum quando inter eos adulterium commissum est.

Alterum crimen, quo inter duas personas inducitur impedimentum dirimens, est adulterium, commissum *constante matrimonio*, cum ea persona, quam quis vult ducere, adjuncta promissione contrahendi matrimonium post mortem naturalem conjugis sui, aut suæ mulieris; quando promissio illa a consentiente fuit acceptata, & promittentem actu matrimonio teneri cognovit.

Sed de hoc impedimento fusius dicere inutile est, cum hactenus dicta tot sint regulæ certæ, quarum probationem afferent sequentes Decisiones, in quibus etiam de circumstantiis rei hujusce fusius dicetur.

CA-

CASUS PRIMUS.

ALBINUS, Ludovicæ maritus, derelicta uxore sua in remotam Urbem abiit; ac secum Mariam abduxit, quacum ab anno libidinose agit: At cognita certo morte Ludovicæ post aliquod tempus, Mariæ nubere constituit. An idipsum valide potest?

RESPONS.

Certum est, Albinum valide matrimonium contrahere posse cum Maria, si inter eos solum interveniat adulterii crimen, non addita promissione ipsam ducendi in uxorem, post obitum prioris suæ conjugis, neque mulieris hujus mortis ex iis quisquam particeps fuerit: Nam ex quibusdam antiquis Canonibus prohibetur quidem matrimonium inter conscios adulterii (a): Sed ex hac prohibitione invalidum non fit matrimonium. Hanc decisionem asserit S. Augustinus his verbis (b): *Mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit*. Id quoque sic definivit Innocent. III. in Decretali ad Episcopum Spoletanum scripta (c): Hæc autem Sanctissimo proposita fuerat quæstio: *Significasti nobis, quod, cum P. Civis Spoletanus, quandam M. mulierem duxisset legitime in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæsit. Verum, cum uxor ipsius esset viam universæ carnis ingressa, meretricem cui adhæserat, desponsavit*. En ipsius responsio: *Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod, nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judicet matrimonium supradictum*.

(a) Can. Nullus. 1. & can. Illud. 3. 31 q. 1.
(b) S. Aug. l. 1. de nuptiis & concup. cap. 10. seu n. 11.
(c) Inn. III. in cap. Significasti, 6. de eo qui duxit in matr. quam polluit per adult. capit. 4. tit. 7.

CASUS II.

THEOGENIUS promisit puellæ, cujus amore ardet, se ipsi nupturum post mortem Bertæ uxoris suæ omnino infirmæ. Promissio ista bona fide facta est, neque eam antecessit aut subsecutum est adulterium, aut prava aliqua in vitam Bertæ molitio. An tenetur in hoc casu Theogenius filiæ huic juxta promissionem suam nubere; & si ei nuberet, an validum tunc foret matrimonium?

RESPONS.

Promissionem suam exequi nullatenus tenetur homo iste, quia injusta est, nec eam absque gravi peccato facere potuit; nisi forte ipsum coram Deo, *a tanto* si *non a toto* excusaverint ignorantia atque bona fides. Ob eam vero causam illicita est talis promissio, quia periculosa est, utpote quæ adulterio ansam præbere potest, aut pravæ alicui molitioni in ejus vitam, cujus mors expectatur: & certum est, tale promissum manifeste eo spectare, ut ipso destruatur, aut multum saltem minuatur amor debitus a promittente conjugi suæ.

Attamen, si postea perficeretur promissum, teneret matrimonium, modo non præcesserit adulterium, aut nefaria in vitam defunctæ personæ molitio, ut clare patet ex Decretali Gregorii IX. (d), cujus hæc sunt verba: *Si quis uxore vivente, fide data, promisit aliam se ducturum, vel eam ipsa de facto contraxit, si nec ante nec post, legitima ejus superstite, cognovit eandem; quamvis utrique ipsorum, pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda, non est tamen matrimonium quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum*.

(d) Greg. IX. in c. Si quis un. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium.

CASUS III.

CELARINUS, Joviæ maritus, uxore sua superstite, alteras contraxit nuptias, quas consummavit cum Gilberta, quæ utique noverat, ipsum esse matrimonio ligatum, vel potius omisso illo supposito conjugio, cum ea adulterium commisit, promittens, se illam ducturum post obitum uxoris suæ, & promissum illud Gilberta acceptavit. Qua de re quæritur, utrum Celerinus in utroque casu cum ipsa valide possit contrahere?

RESPONS.

In neutro casu matrimonium valide contrahere potest Celerinus cum Gilberta ob impedimentum dirimens, quod in utroque casu reperitur. In primo quidem est impedimentum dirimens; quia qui alteram ducit uxorem, etiam matrimonio junctus, & cum ea sub specie alterius illius matrimonii copulam habet, scientibus ambobus, priorem conjugem etiamnum esse superstitem, posteriorem hanc sibi uxorem retinere nequit, & ambo inhabiles fiunt ad contrahendum simul de novo: Igitur si Gilbertæ notum erat, Joviam esse superstitem, & ita quoque noverit Celerinus, cum Gilbertam carnaliter novit, eam jam uxorem ducere nequit absque legitima dispensatione, quod verum est, seu copula carnalis præcesserit, aut subsecuta fuerit suppositum illud matrimonium, ut dicit Gregorius IX. in Decretali citata in decisione præcedenti (e): *Tolerari non debet* (tale matrimonium) *si prius vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset*.

(e) Greg. IX. in c. Si quis. supra cit.

Verbis quoque expressis ejusmodi matrimonii invaliditatem declarat Clemens III. (f) in duabus Decretalibus suis, quarum textum, quem in summa juris videre est, longius esset referre.

(f) Clemens III. in 6. Ex literarum. 4. & in c. Cum haberet. 1. de eo qui duxit in mat. quam &c.

Diximus: *Si Gilbertæ notum erat, Joviam esse superstitem*: Nullum quippe esset impedimentum dirimens, si existimaret, Celerinum esse liberum, aut si cognito, Joviam esse superstitem, omnem Celerino carnalem copulam denegasset, ut declarant Alexander III. & Innocentius III. in duabus Decretalibus, quas ad marginem indicamus (g).

(g) Alex. III. in c. Propositum. 1. & Innoc. III. in c. Veniens. 7. eod. tit.

Est etiam impedimentum dirimens in secundo casu proposito: Nam ex adulterii crimine adjuncto promissioni nubendi consorti criminis, prorsus fit invalidum matrimonium, quod simul contrahere postea vellent personæ adulteræ, quamvis liberæ: Si igitur Celerinus cum Gilberta adulterans, quæ, ut ipse, novit etiamnum vivere ipsius uxorem, ipsi se nupturum, mortua uxore sua, promittat, statim contrahit impedimentum dirimens, quo fit irritum matrimonium, quod post obitum Joviæ uxoris suæ contrahere vellet, præsertim cum Gilberta ipsius promissionem acceptavit, ut observant Paludanus, Gabriel Biel, Dominicus Soto & Angelus de Clavasio.

Impedimentum illud in jure constituitur 1. ex Concilio Tribuciensi habito an 895. (h), quod refert Gratianus his verbis: *Relatum auribus sanctorum Sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mœchæ, vivente viro suo juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem: quod & factum est; tale ergo connubium prohibemus & anathematizamus*; 2. Ex Alexandro III. (i) & Innocentio III. (K) 3. Ex S. Thoma (l), Magistro sententiarum, S. Antonino, Sylvio, aliisque omnibus Doctoribus, qui hac de re scripsere.

(h) Concil. Tribur. c. 40. in can. Relatum. 31. q. 1.
(i) Alex. III. in c. Super hoc de eo qui duxit in matrim. &c.
(K) Inn. III. c. Significasti 6. & in c. Veniens. 7 eod. tit.
(l) S. Thom. in 4 dist. 35. in exposit. Literæ. & dist. 4. q. un. a. 4. quæstiunc. 5. ad 2.

Juvat hic advertere, quosdam esse Casuistas, qui contendunt, nullum tunc esse impedimentum, cum sincera non est & ex animo facta promissio; sed Authorum illorum non est tenenda opinio; nam ideo Ecclesia impedimentum illud solum constituit, ne fideles in adulterium & homicidium inciderent: Atqui certissimum est, non minus ad hæc crimina quempiam indui ex ficto promisso, quod sincerum putat, quam ex promisso sincero: Quocirca utrumque promissum ex æquo impedimentum dirimens producit. Ita argumentantur celeberrimi nostri Canonum Interpretes (m), ut Joannes Andreas, Ancharanus, Alexander de Nevo, Veracruz, Bartholomæus a Ledesma, Andreas Vega, Graffius, Sanchez, aliique permulti, quos sequitur Author Colloquiorum Luconensium.

(m) Joan. Andr. in c. Significavit. 2. de eo qui duxit &c. nu. 2. Petrus Anchar. ibidem. nu. 2. Alexander de Nevo ib. n. 9. Veracrux. 2. part. specul. artic. 35. conclus. 9. Joan. a Graffis 1. part. dec. 1. 2. c. 85. num. 8. Barth. a Ledesm. de matrim dub. 18. concl 5. Sanchez de matr. disp. 79 n. 10.

CASUS IV.

MARCELLUS, commisso cum Æmilia adulterio, ei se nupturum etiam spopondit: Atque Æmilia inscia ipsius matrimonii, promissionem ejus acceptavit, & sic per annum in eodem libidinis commercio vixere: Ast Marcellus factus liber ex obitu suæ conjugis, Æmiliam uxorem duxit; qua de re quæ-

quæritur utrum ex promissione facta nubendi Æmiliæ, cum adulterio conjuncta matrimonium non fiat iovalidum?

R a s p o n s.

Mattimonium a Marcello cum Æmilia in expositis circumstantiis contractum est validum: Nam ut promissio matrimonii adulterio adjuncta sit impedimentum dirimens, non sufficit, ut fuerit acceptata; sed insuper necesse est, ut ei qui promissionem acceptat, notum sit, alium de præsenti matrimonio esse ligatum; cum aliter ipsius acceptatio, in se ipsa considerata, non esset nefaria; unde colligitur, Æmiliæ cum Marcello, qui ex obitu uxoris suæ factus erat liber, matrimonium esse validum, cum ipsa Marcelli conjugium eo tempore ignoraret, quo ejus promissum acceptavit. Id expresse definivit Alexander III. in una e suis Decretalibus ad Abbatem sancti Albani (*a*), in qua sic habetur: *Propositum est nobis*, inquit hic Summus Pontifex, *quod vir quidam uxorem habens, sibi aliam, hujusmodi rei insciam, copulavit; sed prima mortua nititur discedere a secunda. Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente ..... quia tamen præfata mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet, consultationi tuæ taliter respondemus, quod nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.*

(*a*) Alex. III. in c. *Propositum*. supra cit.

C A S U S V.

Cassius, vir matrimonio junctus, adulterio cum Anna commisso promissionem eam ducendi post obitum uxoris suæ adjungit; verum ea conditione, ut sibi mille nummorum dotem afferret, quam conditionem ipsa accepit. An sufficit talis promissio conditionalis, ut inter eos impedimentum ditimens inducat?

R e s p o n s.

Quamvis promissio conditionalis vim obligandi non obtineat, nisi post impletam conditionem, verum tamen est semper, dicere, esse promissionem veram & realem, quæ proinde impedimentum dirimens, de quo nunc agitur, vere inducit, cum huic adjungitur adulterium. Ita sentit Navarrus his verbis (*b*). *Licet enim promissio conditionalis non habeat effectum obligandi promittentem, ante conditionem impletam, habet tamen effectum ad hoc, ut vere dici possit, esse datam fidem, quia datio cum adulterio sufficit.* Postea subjungit: *Quia non requiritur valor promissionis ad hoc, ut ex illa & ex adulterio oriatur impedimentum; cum palam sit omnem promissionem, etiam puram de contrahendo cum adultera post mortem ejus mariti valere.* Hinc sequitur, ex promissione a Cassio facta, quam Anna acceptavit, & adulterio adjuncta, eos inhabiles fieri ad contrahendum simul matrimonium; licet a Cassio facta fuerit sub conditione dotis mille numinorum.

(*b*) Navarr. l. 4. consilior. tit. de eo qui duxit in matr. quam polluit per adult. consil. 2.

C A S U S VI.

Blosius lento veneno Magdalenam uxorem suam interemit, ut Niculaam cujus amore deperibat, sibi matrimonio copularet. An crimine illo inducitur impedimentum dirimens inter ipsum & Nicolaam, cui notum est crimen, quod etiam probavit?

R e s p o n s.

Inducitur profecto impedimentum dirimens, inter Blosium & Nicolaam, quoad contrahendum simul fiunt inhabiles, ob homicidium Magdalenæ, quod consentiente Nicolaa commisit Blosius: Nam ex jure persona conjugata, quæ per se ipsa, aut alterius ministerium conjugi mortem eo fine procurat, ot cum alia persona, homicidii conscia, aut consentiente matrimonium contrahat, ei jam valide absque Pontificia dispensatione nubere non potest, licet nullum fuerit inter eos adulterium commissum. Id ita definitum est a Cælestino III. (*c*) in una e Decretalibus suis, in qua loquens de quibusdam mulieribus, quæ viros suos a Saracenis captivis trucidari consenserant, asserit eas non posse homicidis istis, licet ad fidem Christianam conversis nubere, atque in eam rem Triburiense laudat Concilium: En decisio hujusce Summi Pontificis: *Hic Triburiensis Concilii regula* (*d*), *contenti sumus, asserentis, quod, si in mortem ipsorum maritiose fuerint machinatæ, licet earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhærere debent, nec sunt, si adhæserint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit*: Ad quod Glossa (*e*): *Nota*, inquit, *quod mulier non potest contrahere cum illo, qui virum suum interfecit, si mortem ejus fuerit machinata*. Idem jam ante statuerat Vermeriense Concilium habitum an. 752. quod refert Decretum Gratiani (*f*). Addendum insuper, quod, ut impedimento sit locus, satis est, ut alterutrius consilio facinus sit patratum, altero consentiente, & ambo cuntrahere simul intendant, uti advertunt (*g*) S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antonious, Ricardus, Durandus, Scotus, & Dominicus Sotus, & post ipsos (*h*) Navarrus, Bellarminus, & Toletus, qui omnes contendunt, non satis esse, ut homicidium factum sit, sed insuper esse necesse, ut subsecutum fuerit *vi machinationis*: Quod videtur conforme verbis Decretalis Cælestini III. qui declarat, eum quidem, qui ex consensu mulieris ejus virum in bello occidit, ea mente, ut ei nuberet, cum ea valide non posse matrimonium contrahere: Sed tamen posse, si occiderit eum dumtaxat, uti hostem Reipublicæ. Sic autem Pontifici huic proposita fuerat quæstio: *Saraceni quidam in bello sunt Christianos interfecisse notati, & Christiani similiter Saracenos: postea vero Saraceni ad fidem conversi, uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, matrimonialiter copularunt, & idipsum Christiani de Saracenis mulieribus conversis ad fidem fecisse noscuntur: quæ postquam de priorum virorum morte compererint veritatem, divortium instanter exposcunt.* Quam quæstionem his verbis solvit Papa: *In his igitur respondemus, quod cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujusmodi personas licite potest contrahi, & taliter copulati divortium nequeunt postulare.*

(*c*) Cælestin. III. in c. *Laudabilem*. 1. de convers. infidelium, lib. 3. tit. 3.

(*d*) Concil. Tribur. Can. 40. & 51.

(*e*) Glossa in cit. cap. *Laudabilem*. v. *Ex hoc*.

(*f*) Concil. apud Vermerias in can. *Si qua*. c. 31. q. 1.

(*g*) S. Thomas in 4. dist. 37. art. 2. in corp.

(*h*) Navarr. Manual. c. 22. n. 46. Bellarm. de matrim. c. 22. Tolet. instr. Sacerd. lib. 7. c. 12.

Verum quidem est, Cajetanum & Bartholomæum Fumum in summa sua inscripta, *Armilla* (*i*) sentire, ex solo homicidio perpetrato, etiam absque proposito nubendi superstiti, induci testimonium dirimens inter homicidam & uxorem viri ab isto interfecti: Verum hallucinantur hi duo Auctores; nam ex Concilio Vermeriensi & Decretali Cælestini III manifestum est, hujusmodi matrimonia non fuisse ab Ecclesia invalidata, eo solum fine, ut vitarentur homicidia; sed etiam ne homicida lucrum de suo crimine referat, illud ad propositum suum referendo, ut expresse asserit Alexander III. loquens de adulterio (*K*): *Nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet*. Unde sequitur, quod, si reas superstiti nubere non intendat, censetur Ecclesia non intendisse ipsi pœnam infligere interdicto matrimonii, quod homicidio non quæsivit: quod reipsa manifeste apparet ex terminis Decretalis Cælestini III.

(*i*) Cajetan. in Sum. v. *Matrimonium*. n. 12. & 13. & Armil.

(*k*) Alex. III. in c. *Propositum*. 1. de eo, qui duxit in matr. quam polluit per adult.

C A S U S VII.

Antonia, post transactum tempus aliquod in adulterio cum Symphoriano, Ludovicæ viro, Ludovicam veneno interemit, inscio Symphoriano, cui nubere intendebat. Num inter eos inducitur ex hoc crimine impedimentum dirimens?

R e s p o n s.

Existimant Auctores quidam, quod, cum non satis sit apertus Decretalium, in quibus ista de re agitur, sensus de hoc particulari casu, non affirmandum est, esse impedimentum dirimens in

casu

casu proposito. 1. Quia impedimentum dirimens ad duas spectat personas: Hic autem una tantum est conscia. 2. Quia antiquo juri, quo constitutum fuerat illud impedimentum (*a*), derogavit consuetudo.

(*a*) Can. *Interfectores* 31. q. 1. & c. *Admonere*, 33. q. 2.

Opinionem tamen istam, utpote, quæ parum solida niti ratione nobis videatur, complecti non possumus; cum opinio contraria, quam sequimur, sit procul dubio magis tuta & Pontificum Decretalibus consentanea. Dicimus ergo, esse impedimentum dirimens in casu proposito: Nam expresse jus constituit, quod cum inter duos reperitur adulterium, & alteruter alterius conjugi mortem affert, hi duo tum valide inter se contrahere non possunt, seu adulterium necem antecesserit, seu fuerit subsecutum; seu ambo homicidio consenserint, aut unus tantum sit conscius altero inscio.

Hæc decisio est Alexandri III. ad Episcopum, a quo de hac difficultate fuerat interrogatus, respondentis (*b*): *Respondemus*, inquit hic Papa, *quod si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dedit, sive non, quod ea defuncta, hanc esset ducturus, secundum Canones ab ejus consortio prohibeatur: & hæc prohibitio perpetuo est servanda*. Idem declarat Innocentius III. Nam ab Episcopo Spoletino consultus, num vir uxorem valide eam posset ducere, quam, superstite sua, adulterio polluerat, his verbis respondet (*c*): *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supradictum*.

(*b*) Alex. III. In cap. *Super*. 3. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adult.

(*c*) Innoc. III. in cap. Significe. c. eodem tit.

Consentit hæc decisio cum doctrina Patrum & antiquorum Conciliorum, ut videre est ex Canonibus, quos refert Gratianus (*d*), & ex Glossa in istos Canones: Hinc eandem admittunt sanctus Thomas, S. Bonaventura, Richardus, Scotus, Durandus, Hostiensis, Joannes Andreas & alii multi.

(*d*) Passim caussa 31. q. 1. & ibi Glossa.

Ceterum, satis apparet, Leges omnes, ab Ecclesia de mulieris homicidio conditas, pariter de viri nece esse intelligendas, cum non minor sit ratio, secundum hoc ulciscendi crimen, quam primum; ut docent Panormitanus, Paludanus, Navarrus, Silvius (*e*), aliique Doctores. Neque est, quod quis istam Juris Romani objiciat regulam (*f*): *Pœnæ Legum interpretatione molliendæ sunt potius quam exasperandæ*: Nam intelligenda est tantum de personis correlativis, quibus ob paritatem rationis par quoque pœna debet infligi: *Fallit* (hæc regula) inquit Navarrus, *in illis correlativis, in quibus eadem ratio idem suadet secundum Panormitanum in Proœmio, Gregorium & alios*.

(*e*) Petrus Palud. in 4. dist. 34. q. 2. Navarr. Manual. c. 22. n. 74. & apud eum Felinus. Fr. Silvius in suppl. S. Tho. q. 60. art. 2.

(*f*) Leg. 42. ff. de pœnis, in Can. Pœna. 18. de pœnitentia. dist. 1.

IMPEDIMENTUM IMPOTENTIÆ.

IMPOTENTIA nihil aliud est, quam *inhabilitas ad habendam copulam carnalem*; seu inhabilitas ista ab ipsa oriatur natura, aut aliqua caussa libera, vel denique a quacumque caussa. Copula vero carnalis dicitur, *emissio seminis virilis in vas muliebre*.

Multiplex est autem impotentia; absoluta una, alia relativa tantum: una perpetua, alia temporalis. Impotentia absoluta est *inhabilitas habendæ copulæ cum quacumque diversi sexus persona*; relativa vero est *inhabilitas habendæ copulæ cum certa tantum persona*; ut vulgo fit in iis, qui impotentes sunt dumtaxat *ex maleficio*, ut loquitur sanctus Thomas (*g*).

(*g*) S. Thom. in 4. dist. 34. q. unic. art. 2. in corp.

Impotentia absoluta & perpetua ea est, quæ semper remanet, quæ nimirum tolli non potest citra miraculum aut citra peccatum, aut citra periculum mortis; hæc autem impotentia matrimonium dirimit, non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturæ: Et si forte aliqua ex his rationibus desinat ad illud impedimentum, matrimonium, quod prius ex hoc defectu erat invalidum, non ideirco fit validum: Quocirca duobus contrahentibus liberum est, aut novum contrahere matrimonium, aut simul remanere consentiendo de novo matrimonio, quod se contrahere posse existimaverant.

Impotentia temporalis ea est, quæ processu temporis auferri potest, ut in impubetibus, aut solitis medicinæ remediis, *secluso mortis periculo*. Quæ species impotentiæ matrimonium non dirimit, si impuberum impotentiam excipias, qui, licet eorum impotentia progrediente ætate desinat, non tamen valide contrahere possunt, uti Canonicis statutum est Constitutionibus.

Priusquam autem articulo huic finis imponatur, id necessario observandum duximus, nimirum, quando legitimum est dubium, num impotentia sit perpetua, an vero solum temporalis, ab Ecclesia triennii spatium concedi, ut veritas experimento comprobetur: quo tempore elapso dissidii quoad vinculum sententiam profert, cum perseverat impotentia, & alias inire nuptias permittit, in casu solum impotentiæ respectivæ: *Ad hoc experiendum*, inquit hic sanctus, ... *Ecclesia tempus triennii præfixit*.

CASUS PRIMUS.

VALET-NE matrimonium cum arcta muliere, contractum?

RESPONS.

Validum esse hujusmodi matrimonium censent Thomas Sanchez (*h*), & alii nonnulli; licet strictioris sit orificii vulva; modo per incisionem, citra vitæ illius periculum, opera Chirurgi remedium afferri possit; tunc enim impedimentum istud non reputatur perpetuum, sed tantum temporale (*i*), cum *præter divinum miraculum, per opus humanum absque corporali periculo*, ut loquitur Innocentius III. valeat removeri. Fatentur autem feminam arctam non teneri incisionem pati, virumque, ea vivente, tunc cum alia nec licite nec valide posse matrimonium contrahere, sed utrumque simul convivendo, debere continentiam servare.

(*h*) Thom. Sanchez de matrim. l. 7. disp. 93. & alii apud eum.

(*i*) Innoc. III. in c. *Fraternitatis*. 6. de frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi. 4. q. tit. 15.

Alii vero e contra docent (*k*), feminam, etsi talem incisionem pati queat, non tamen ad eam subeundam teneri. 1. Quia arctationis impedimentum censendum est perpetuum, non modo cum absque vitæ mulieris periculo tolli nequit: Verum etiam

(*k*) Basilius Pontius de matr. l. 7. c. 22.

quando

quando remediom quod adhiberi potest, repugnat justitiæ ac honestati. Talis autem incisionis remedium videtur injustum ac honestati contrarium; quid enim turpius, quam ot virgo nuda oculis ac manibus Chirurgi subjecta, tam gravem incisionem pati cogatur? 2. Quia sui corporis potestatem viro tradidisse æstimanda non est, nisi sub ea conditione, quod viri genitale membrum esset proportionatum, aptumque ad conjugale debitum sibi reddendum. Cum ergo vir ob disproportionem membri debitum reddere nequeat, nullam in mulieris corpus potestatem acquisivit. 3. Quia Ecclesia nunquam talem incisionem fieri mandavit, sed solam cohabitationem triennalem permisit; quia scilicet persuasum habuit, fœminam, quæ ab initio nimis erat arcta, posse viro idoneam effici per frequentem copulæ nisum, & huic quidem sententiæ eo lubentius adhærendum nobis esse putamus, quod certius esse vid atur, nollam unquam inveniri posse fœminam, quæ tam gravi, tamque inhonestæ incisioni consentire vellet, si ante initum matrimonii contractum et subeunda proponeretur: ac proinde nullum ejus in hoc casu præsumi posse tacitum in talem incisionem consensum.

CASUS II.

Antonius Mæviam uxorem suam prima vice caroaliter cognosce e uon potuit ob nimiam vulvæ illius arctationem, cum ramen posset, si prius a viro poteutiori cognosceretur. Judicio aotem Ecclesiæ ab illa separarus Titiam uxorem duxit: potestoe huic adhærere? Seu, ut verbo dicam, talis Mæviæ impotentia estne censenda perpetua respectu Aotonii?

RESPONS.

Titiæ adhærere posse Antonium constat: non enim quælibet impotentia, quæ cessare potest, temporalis existimanda est, sed ea duntaxat, quæ, ut cum Innocentio III. loquar, *præter Divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo removeri potuit* (a). Unda sequitur præfatæ mulieris impotentiam respectu Antonii censeri perpetuam: proindeque impedimentum dirimens inter utrumque constituere, ut intelligitur ex Innocentio III. (b) juncta Glossa. Ita sentit S. Antonious, cujus hæc verba sunt (c): „Si vero „nec per incisionem, nec per usum ejus fieri po„test cognoscibilis ab isto; quamvis potest fieri „cognoscibilis per usum alterius, non est sepa„tanda ab illo secundo, si cum eo contraxerit, „nec reddenda primo, etiamsi per alium fiat „aptata. quia quamdiu est juncta, non potest „alter ea uti, & sic illud remedium est impossibi„le de jure divino & positivo, quia esset adul„terium vel fornicatio „. Huic eidem sententiæ adstipulatur Panormitanus, Richardus, Durandus, Paludauus (d) & alii. Attamen aliter omnino sentiendum esset, si Mævia absque vitæ periculo & gravi incommodo posset, velletque incisionem pati, ex qua viro fieri posset idonea. Tunc enim illius impotentia non censeretur perpetua, valeretque prius matrimonium, ac proinde teneretur Aotonius, Titia relicta, ad Mæviam reverti; eique ut uxori legitimæ cohabitare, ut docent S. Thomas, ac S. Antoninus (e).

(a) Innoc. III. in cit. c. Fraternitatis.
(b) Id. ibidem §. Similiter. & ibi Glossa. v. Simili & v. Debeat.
(c) S. Anton. 3. part. Sum. theol. tit. 1. c. 12. §. 1.
(d) Panorm. in cit. c. Fraternitatis. Richard. in 4. dist. 14. art. 2. q. 2. Durand. ib. q. 2. Petrus Paludanus ib. q. 2. a. 4. 14.
(e) S. Th. in 4. dist. 34. a. 2. in corp. loco cit. Item Sotus. Armilla &c.

CASUS III.

Ægious Mariam uxorem duxit, ac ita arcta inventa est, ut judicio medicorum absque vitæ periculo apta copulæ per incisionem fieri non posset. Postea tamen periculum sponte subire voluit, ac incisionem passa, apta facta est. Quæritur an eo ipso convalescat matsimonium, quod ante nullum erat?

RESPONS.

Non fieri matrimonium eo ipso validum, nisi accedente novo utriusque consensu, docent Sylvester de Prierio (f), Bartbolomæus Fumus in aurea Armilla, Joannes, Fagnatius, vulgo Tabiena, & alii.

(f) Sylvester v. Matrimonium 8. q. 14.

CASUS IV.

Rodanus, qui copulæ ac generationis potens est, cum Titia ad otrumque impotente scienter contraxit. Potestne se se ab ea separare, & aliam in matrimonium ducere?

RESPONS.

Certum est Rodanum copulæ ac generationis potentem, se a Titia impotente, & ea etiam invita, separare posse, imo ac debere; nisi secluso omoi incontinentiæ periculo, velit eam, quasi sororem habere. Ratio est, quia impotentia absoluta aot relativa perpetua est impedimentum, quo matrimonium postea contractum dirimitur. Talis quippe impotentia, sive sit oota, sive ignota, contra substautiam matrimonii militat; quia traditionem corporis ad copulam conjugalem excludit.

Neque obstat, quod qui novit impotentiam alterius, videatur juri suo renuntiare, si cum eo contrahat. Cum enim cessio illa sit juris ad substantiam matrimonii coutractu spectantis, admitti non potest; sicut nec cessio, qua quis matrimooium contrahens, indissolubilitatis juri cedere præsumeret.

Nec iterum obstat, quod juxta Lucium III. (g) potens qui scienter cum impotente contraxit cum eo remanere, ac instar fratris & sororis uterque vivere teneatur; summus enim ille Pontifex, hoc non ut præceptum, sed tantum ut consilium, tradit, ut docet Glos. (h): *Hic non præcipit* consuetudinem esse servandam, inquit, sed potius consilium est.

Hanc uostram sententiam tuentur Navarrus (i), Cardinalis Toletus, & apud eum Panormitanus, Hostiensis & Inoocentius (K).

(g) Luc. III in c. Consultationi. 4. de frigidis, & maleficiatis &c.
(h) Glossa ib. v. Judicare.
(i) Nav. Manual c. 22. n. 2. contra Palud. in 4. dist. 34 q. 2.
(k) Panormitan. Hostiensis & Innoc. in c. Consultationi. 18. de sponsal. & matr. Colleq. Condomens. to. 2 colloq. 21. sect. 4.

GASUS V.

Quando conjugum alter copulam sæpius tentatam perficere non potuit, unde se impotentem ante ipsum contractum fuisse suspicatur; potestne imposterum sioe lethali crimine licentia uti conjugali?

RESPONS.

Difficillimum quidem est, impotentiam perpetoam a temporali discernere: unde Innocentius III. ait (l): *De talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro*. Quapropter, ut observat Angelicus Doctor (m), ad dignoscendam rei veritatem experientiæ triennium ab Ecclesia concessum est, intra quod tempus carni operam dare conjugibus licet, ut intelligitur ex cap. *Accepisti*, & Et ex Innocentio III. in citato capite *Fraternitatis*, tit. *de frigidis &c.* quo quidem tempore elapso separari debent, si copulam perficere nequiverint; aut saltem simul instar fratris ac sororis convivere, modo absit omne scandali & incontinentiæ periculum, ut eis indulget Cœlestious III. (n), post S. Gregorium (o), & Lucium III. (p).

Porro diximus; *instar fratris ac sororis*: his quippe nefas est, non tantum actui carnali, sed & nequidem tactibus amplexibus aut osculis vacare, statim ut certo deprehendunt se esse impotentes.

(l) Innoc. III. in c. Fraternitatis. 6. de frigidis &c.
(m) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. art. 2.
(n) Cœlest. III. in c. Laudabilem. 5. de frigidis &c.
(o) S Greg. in c. Requisisti. 2. 33 q. 1.
(p) Luc. III. in c. Consultationi 4. de frigidis &c.

CASUS VI.

Qui certo scit se impotentem fuisse, antequam matrimonium contraherer, potestne sine peccato mortali ad alias nuptias propria auctoritate, & non expectata judicis sententia, convolare?

RESPONS.

Quamvis matrimonium, ab imporente contractum, sit omnino irritum, a neutro tamen coojugum sine Ecclesiæ judicio separari potest: tum quia ex tali divortio scandalum nasceretur, tum etiam quia is, qui ab altero privata auctoritate recederet, debitam Ecclesiæ obedientiam violaret, ideoque gravissime peccaret. Hoc patet ex Concilio Agathensi (q), in quo sub excommunicationis pœna statutum est, ne quis conjugum consortem selinquat, nisi prius dissidii cauta probetur. *Si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causam dixerunt* (hæc

(q) Concil. Agathens. c. 25 § in can. Seculares. 1. 30. q. 2.

ipsa

ipsa sunt præfati Concilii verba) *& priusquam in judicio damnentur, uxores abjecerint, a communione sanctæ Ecclesiæ & populi cœtu.... excludantur,*

CASUS VII.

Qui utroque teste carente virili tamen membro valent, possuntne valide matrimonium contrahere?

Respons.

Utriusque testiculi privationem perpetuam censeri impotentiam, ex qua matrimonium post contractum omnino dirimitur, consentiunt omnes. Ratio est, quia genitalis hujus partis defectu prolificum semen emitti nunquam potest; ac proinde qui hac privati sunt, matrimonio sunt ipso naturæ jure prorsus inhabiles, ut a Sixto V. die Junii vigesima septima anni 1587. declaratum est in literis ad Episcopum Navariensem, apud Regem Hispaniarum Nuntium Apostolicum scriptis (a), quas quidem idem Nuntius per omnia Hispaniarum regna intimari voluit, & auctoritate Apostolica declaravit matrimonium talium eunuchorum irritum esse; eosque ad contrahendum esse prorsus inhabiles, jussitque hujusmodi conjunctos statim separari. *Fraternitati tuæ præsentes committimus, & mandamus*, inquit Sixtus V. *ne conjugia per dictos & alios quoscumque eunuchos & spadones, utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & tam locorum Ordinariis ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto etiam matrimonium contraxerint separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Hoc autem Apostolicum Breve Matriti publici juris factum est die decima septima Novembris ejusdem anni.

(a) Bulla Cum frequenter. §. 12. in magno Bullario i. 2. p. 157.

Porro hæc sententia certissima est, etsi talis impotentia utrique contrahentium, aut alteri tantum nota sit, quia potentia ad copulam carnalem exercendam est de essentia matrimonii, quamvis ipse actus copulæ ei non sit essentialis, ut docet Angelicus Doctor, qui ait (b); *quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia matrimonii; tamen potentia ad hoc est de essentia ejus, quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulæ*: Quod idem docent Richardus, Scotus & Durandus (c), ac post ipsos Sylvius (d). Hinc Parisiensis Senatus decretum dedit die 8. Januarii an. 1665. quo tales Eunuchos, etiam mutuo consensu & scienter nuptias inire volentes, declaravit ad contrahendum prorsus inhabiles.

(b) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. art. 2. ad 2.

(c) Richard. Scot. & Durand. in cit. dist. 34.

(d) Sylvius in supplem. S. Th. q. 58. art. 1. quæstio 4.

CASUS VIII.

Defectus alterius tantum testiculi constituitne etiam impedimentum dirimens?

Respons.

Cum vir uno tantum teste carens verum ac prolificum semen possit emittere, constat eum non esse ad contrahendum inhabilem. Ita docent S. Antoninus, Petrus Paludanus, Dominicus Soto, Sylvester de Prierio, Franciscus Sylvius & alii communiter, quod & ante hos docuerat Panormitanus (e).

(e) Panorm. in c. Quod sedem. de frigidis, & maleficiatis &c.

CASUS IX.

Procopius, vir cui angusta fluit inguinis vena, ducta uxore Claudia, impotens extitit, nec unquam per integrum quadriennium matrimonium consummare potuit. Claudia vero a Georgio vicino suo corrupta, ex eo filium peperit, cujus se Patrem esse Procopius existimavit, licet omnino certum sit, quod toto illo quadriennii spatio nunquam semen intra vas emisit. Hinc conscientiæ stimulis valde angitur Claudia, quod Procopio licentias maritales denegare nequeat, quasi verus esset maritus. Qua de re quæritur, quid ipsa sit actura ad conscientiæ suæ securitatem, & qua ratione erga ipsam se gerere debeat ipsius Confessarius in his circumstantiis?

Respons.

1. Respondemus, quod absque crimine Claudia licitas in matrimonio libertates Procopio tandiu permittere non potuit: nam ad comperiendam rei veritatem in dubio impotentiæ tres tantum ab Ecclesia conceduntur anni; quare nullam afferre potest legitimam excusationem, quod quarto anno libertates istas Procopio permiserit, & eam cogere debuit ipsius Confessarius 1. ut se quoad thorum a Procopio separaret, nec ei aliquam licentiam maritalem permitteret. 2. Ut omnem adhiberet diligentiam, ad obtinendam ab officiali divortii sententiam, & si forte monitis suis obtemperare noluisset, ipsi absolutionem recusare, quod dicimus in casu tantum impotentiæ certæ, quia vir v. g. nunquam mentulam intromisit, nec in vase seminavit; nam si aliquoties intromisisset, majus profecto hinc nasceretur impotentiæ dubium; potest siquidem eunuchus intromittere, nec tamen potest seminare: attamen in casu proposito præsumendus esset seminasse Procopius: et nequidem quoad thorum posset Claudia ab ipso sine Ecclesiæ judicio separari.

2. Dicimus, supposita certitudine impotentiæ Procopii, Claudium semper teneri necessario ad ipsi denegandum, quidquid castitatem lædere potest, quin ei quidquam contrarium permittere queat; licet ei Judex Ecclesiæ sub excommunicatione pœna injungeret, ut prætenso suo mariro debitum redderet, uti alibi probamus * pro alio impedimento dirimente ex Decretali Innocentii III. (f).

Certum quidem est, ob filium, quem e Georgio Claudia peperit, insuperabilem divortio nasci obicem cum ejus esse patrem Procopio sit persuasum, atque adeo ipsi impotentiam suam a Claudia non posse objici, neque multo minus divortium ab ea postulari juridice posse; quod ipsi procul dubio in quolibet Tribunali denegaretur: non minus tamen coram Deo tenetur ad vivendum cum Procopio, uti cum fratre suo, nihil ipsi concedens, quod castitati aliquatenus adversari queat. Id unum igitur superest, ut moneatur, se aliter agere non posse sine reatu gravissimi peccati.

* v. Debitum Conjugale. cas. 47.

(f) Inn. III. in c. Litteras ep. de restit. spoliat.

3. Certum est denique, Claudiam teneri de resarciendo damno, quod legitimis Procopii hæredibus inferet filius suus adulterinus, bona ejus post ipsius obitum hæreditate capiens non sine eorum præjudicio: at hic obligationes ejus pro re ista minutim non persequemur, quod alibi fuse de simili difficultate agatur.

CASUS X.

Epimenides quatuordecim annos integros, & Sempronia totidem ætatis suæ annos nati, a Parentibus suis matrimonio juncti sunt, ipsa die postera, qua ætatem hanc attigere. Jam a tribus annis simul viventes nondum matrimonium suum ob temperamenti debilitatem consummare potuerunt. An valide contractum est illud matrimonium; nec a se invicem sunt separandi?

Respons.

Certum est, Epimenidem & Semproniam valide contraxisse ac proinde non esse sejungendos, nisi constet, præsentem, quæ in ipsis nunc apparet, impotentiam fore perpetuam. *De illis, qui in minori ætate desponsantur*, inquit Alexander III. ad Archiepiscopum Genuensem scribens (g): *Respondemus, quod si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint carnali copula conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debeat, si unus in aliam visus fuerit consensisse, cum in eis ætatem supplevisse malitiam videatur.* Quibus verbis videtur, Epimenidem & Semproniam, licet eam, qua matrimonio juncti sunt, ætatem nondum attigissent, legitime tamen esse copulatos, si carnali copula conjungi potuerint; quod quidem ante pubertatis ætatem potest accidere, ut

(g) Alex. III. in c. De illis. 9. de desponsat. impuberum l. 4. tit. 2.

ut ait sanctus Isidorus Hispalensis, in alia Decretali his verbis relatus (*a*): *Puberes a pube sunt vocati, id est, a pudentia corporis nuncupati, quia hæc loca primo lanuginem ducunt. Quidam tamen ex annis pubertatem existimant, id est, eum esse puberem, qui quatuordecim annos impleverit, quamvis tardissime pubescat. Certum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest; & puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt.* Unde colligimus, inter istos conjuges dari locum dissidii, quamvis a triennio nuptiis copulati matrimonium suum nondum consummaverint: nam verum quidem est, ab Ecclesia tres tantum annos concedi (*b*), ad experiendum, num Impotentia haberi debeat, tamquam perpetua vel solum temporalis; at vero ab ætate tantum octodecim annorum pro viris, & quatuordecim ann. pro feminis tempus illud computari debet; quia ex Canonistarum sententia perfectæ pubertatis annos attigisse tantum censentur, quando illum annorum numerum complevere (*c*).

(*a*) Isidorus in c. *Puberes*, 3. eod. tit.

(*b*) Celest. III. in c. *Laudabilem*. 5. de frigidis & maleficiatis &c. l. 4. tit. 15.

(*c*) Colloq. Lucon. tom. 9. Colloq. 9. q. 4.

CASUS XI.

Hippolytus, octoginta & plures etiam ætatis suæ annos natus, Hortensiæ, viduæ septuaginta annis ætate provectæ cupit nubere, e qua proinde nulla est spes suscipiendæ prolis. An absque peccato matrimonium simul contrahere possint, non obstante impotentia sua naturali, quæ præcipue pro Hortensia est perpetua?

RESPONS.

Ad solutionem hujusce difficultatis præsupponenda est certa regula, quam in variis operum suorum locis docet sanctus Augustinus: scilicet valide matrimonium contrahi posse cum expressa intentione ab ejus usu abstinendi, & perpetuam colendi continentiam. *Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum abstinere*, inquit sanctus Doctor (*d*), *absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: immo firmius erit quo magis ea pacta secum inierunt, quæ carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum.* Ex hac regula matrimonium B. V. cum sancto Joseph verum fuit matrimonium, ut probat idem sanctus his verbis: *Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.*

(*d*) S. Aug. l. 1. de nupt. & concupiscent. c. 11. seu n. 12. item l. 1. de consensu Evangelist. c. 3. & serm. 51. alias 63. c. 13. seu n. 21. & l. 23. contra Faustum c. 8.

Præsupposita ista regula, in dubium non revocanda est validitas matrimonii Hyppolyti cum Hortensia, licet ista sit impotens ad suscipiendam prolem; cum teneret adhuc ipsorum matrimonium licet contractum cum expressa intentione ab ejus usu in perpetuum abstinendi: & quia rarissime fit, ut ea mente contrahatur matrimonium, quod omnibus non concedatur continentiæ donum; hi duo conjugati licite matrimonio uti possunt, modo vir possit perfectam cum illa copulam habere; id est, semen intra vas uxoris emittere, quamvis forte per accidens, scilicet ob senilem ætatem, frigidioremque corporis constitutionem, illius semen non sit prolificum.

Dicimus, *modo vir possit perfectam cum illa copulam habere*; quia, uti ait sanctus Thomas (*e*), matrimonio essentiale est, ut *fiat mutua traditio corporum ad copulam carnalem: hoc autem fieri nequit sine commixtione seminum, aut eorum saltem* (respectu mulieris) *quæ in ea loco seminis sunt, cujusmodi est sanguis aliusve humor seminis similitudinem referens.* Hinc hujusmodi matrimonia neque damnavit umquam, neque prohibuit Ecclesia, neque contrahentes tamquam reos habuit; cum contra, eos semper ad hoc Sacramentum admiserit.

(*e*) S. Th. in 4 dist. 34. q. uo. art. 2. in corp.

Hæc decisio consentit cum doctrina sancti Thomæ, qui ait (*f*): *Vetuli quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam; & ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturæ.* Idem asserit Angelicus Doctor de iis, qui steriles sunt ob imbecillitatem virium corporis (*g*); quod etiam docet Glossa (*h*) nec non sanctus Antoninus (*i*). Annus 1708. singulare nobis suppeditat exemplum matrimonii, quod mense Januario contraxit Timotheus Blanche mercator e diœcesi Vasatensi, qui natus annos centum & septemdecim cum tribus mensibus, ad nuptias admissus est cum N. Vigniau de Droine, quæ decimum octavum ætatis suæ annum nondum compleverat (*k*). Quidam nomine Lacher, in suburbio sancti Marcelli olitor, centum tresque annos ætate provectus mulieri septuaginta sexque annos natæ nupsit anno 1713. in Ecclesia Parochiali sancti Hippolyti. An. 1711. Eduardus Korkain Joannæ Serimphavv, 3. Aprilis an. 1584. natæ, atque adeo centum viginti septem annorum ætate provectæ nupsit. Quæ duo ultima exempla nobis præbuit Verodunense Diarium (*l*). Ac multo minor est difficultas pro viro, quantumvis decrepitus videatur, cum infantariæ nubit: nam certum est virum, licet jam omnino grandævum, posse generare, ut probat exemplum fabri armorum e Monte Falcone in Velauniorum tractu qui ætatis suæ an. 86. mulieri nupsit, quæ ei filios peperit (*m*). Quatuor etiam alia illustriora exempla retulere nuntii publici. Primum est Davidis Bergeron, in vico nomine de Salles, distante a Rupella duas leucas mortui, qui ætatis suæ an. 86. tertiæ nupsit mulieri, e qua tres suscepit filios. Alterum est Pharmacopolæ cujusdam Britanni, qui primo nuptus ætatis suæ anno 50. sexdecim e muliere sua suscepit pueros, & secundis initis nuptiis totidem procreavit filios, quorum duo gemelli nati sunt cum 103. ætatis annum ageret (*n*). Tertium exemplum est Joannis Mansurt e Parœcia de Chalivoi-Milon in diœcesi Bituricensi, qui cum novies nupsisset, decimam duxit uxorem, ann. 99. natus, & biennio post hæc ei filium peperit (*o*). Quartum exemplum est Francisci Maille, in Pago Pontnez e Provincia nati, qui 100. ætatis suæ annum agens illegitimum suscepit filium e puella Castrinovi, & elapso 19. annorum spatio tantum mortuus est mense Januario anno 1710. Multa denique hujusmodi exempla Fagnanus refert, plurium quos laudat, Auctorum testimonio nixus (*p*).

(*f*) Id. ibid. ad 4.

(*g*) Idem in exposit. textus.

(*h*) Gloss. in c. *Nuptiarum* 4. v. *In quibusdam*. 27. q. 1.

(*i*) S. Anton. 3. part. Sum. theol. tit. 1. c. 21. §. 2.

(*k*) Mercurius Mensis Feb. an. 1708.

(*l*) Diarium Verodunense Mens. Sept. an. 1713. art. 10.

(*m*) Idem Apeil. an. 1709.

(*n*) Idem an. 1709.

(*o*) Act. temp. 18. Jan. an. 1710.

(*p*) Fagn. in c. *Cum sis*. de convers. conjugat. n. 67. & 68.

Ceterum, cum in casu proposito objectum fuerit impedimentum impotentiæ naturalis, opportunum duximus, heic annotare præcipuas regulas, quæ hac in re tamquam certæ haberi debent. Istæ autem potissimum recensentur.

Ut impotentia matrimonium dirimat, duo requiruntur: primo enim necesse est, ut sit antecedens, id est, matrimonium præcesserit; quia si ei superveniat, ex ea matrimonium dirimi numquam potest, ut docet sanctus Thomas (*q*); patetque ex Gratiano (*r*). Deinde debet esse perpetua, ut docet idem Angelicus Doctor (*s*), rescribitque ad Episcopum Antissiodorensem Innocentius III. (*t*). Perpetua autem censetur, quando sine miraculo, vel absque vitæ periculo, aut tandem sine peccato removeri nequit, ut expresse notat idem summus Pontifex, intelligiturque ex alia Alexandri III. Decretali (*u*). Quod quidem verum est, sive impotentia nascatur ex impedimento naturali, puta respectu viri ex naturali frigiditate, propter quam membrum erigere, aut semen intra vas uxoris emittere non potest; respectu vero feminæ si vas illius ita sit arctum, ut ipsi conjungi vir nullatenus possit; sive denique aliunde proveniat impotentia. Temporalis igitur impotentia, quæ vel naturaliter, aut quopiam remedio facile tolli potest, matrimonium post contractum non dissolvit, ut alibi diximus; quia contra substantiam matrimonii non militat. Hoc autem inter utramque impotentiam discrimen ex S. Thoma desumsimus; sic enim loquitur: *Impotentia coeundi .... potest .... esse vel ex caussa intrinseca & naturali, vel ex caussa extrinseca accidentali, sicut per maleficium .... si autem sit ex caussa naturali, hoc potest esse dupliciter, quia vel est, temporalis, cui potest subvenire beneficio medi-*

(*q*) S. Th. cit. dist. 34. art. 4. in corp.

(*r*) Gratianus §. *Ecce impossibilitas*. 27. q. 2.

(*s*) S. Th. cit. dist. 34. art. 2. in corp.

(*t*) Innoc. III. in c. *Fraternitatis*.

(*u*) Alex. III. in c. *Ex literis*. 3. eod. tit.

medicina, vel processu ætatis; & tunc non solvit matrimonium: vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium ita, quod ille ex cujus parte allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe conjugali; alius nubat cui vult in Domino.

Sequitur ex dictis virum morti proximum impotentem pariter non esse censendum: in moribundo enim manet adhuc potentia ad coitum, etsi per accidens, scilicet vi morbi, ad actum heic & nunc reduci nequeat, quod quidem sufficit, cum, uti dictum est, sola ad coitum potentia matrimonio sit essentialis. Huic sententiæ favet ipsa Ecclesiæ praxis, quæ sæpius viris, morti etiam proximis, præcepit, ut quas prius habuerant concubinas, in matrimonium ducerent, tum ad tollendam earum infamiam, tum etiam ut prolem ex eis natam hoc modo legitimam, nisi Principis edicto contrarium caveretur, efficerent. Ita Didacus Covarruvias a Leyva.

CASUS XII.

Mirocles, scortator insignis, contracto morbo venereo ejusque curatione neglecta, Titiæ nupsit, quæ, cum is matrimonium consummare non potuerit, ipsum impotentem existimans, juridice requisivit, ut irritum declararetur matrimonium suum: quo facto cum requirente Titia, Mirocles ex prescripto judicis fuisset inspectus, & Chirurgi deputati ad inspectionem pro impotentia stetissent; judex sententiam tulit, qua matrimonium invalide contractum declaravit, & Titiæ permisit, ut quem vellet, sibi conjugio jungeret, facta simul Mirocli prohibitione, ne secundas iniret nuptias: at iste adhibita periti Chirurgi manu, & recuperata omnino valetudine, secundo Sylviæ nupsit, non obstante judicis interdicto, & ex ea multos suscepit pueros. Qua re cognita, Titia perspiciens ipsum non impotentem asse, petivit, ut ad se rediret; at respondit se ad eam redire non posse, cum suum cum ea matrimonium irritum declaraverit judex Ecclesiæ, & secundum cum Sylvia contraxerit & consummarit conjugium. Cum itaque Titiam redire deneget Mirocles, cum Alexandro matrimonium hæc inire constituit.

Qua de re quæritur 1. utrum invalidum sit primum matrimonium, in primis post declarationem Ecclesiæ; & consequenter ad latam sententiam Mirocles valide cum Sylvia contraxerit. 2. Utrum Sylvia cui notum erat primum matrimonium, absque peccati reatu debitum conjugale Mirocli reddere potuerit, aut saltem cum ipso habitare, instar fratris ac sororis cum eo convivens. 3. Utrum denegante Mirocle ad Titiam redire, absque culpæ reatu Alexandro nubere possit, 4. Utrum moriente Titia, dum Mirocles est cum Sylvia, tuta conscientia cum ea permanere queat, non contractis de novo in facie Ecclesiæ nuptiis?

R E S P O N S.

Manifestum est, deceptum fuisse Officialem, dum ex sententia sua contractum inter Miroclem & Titiam matrimonium irritum declaravit, & ad relationem Chirurgorum quos ad inspectionem hujusce hominis deputaverat, protulit, hujusce hominis perpetuam esse impotentiam, quæ temporalis tantum erat, uti certo probavit suscepta a secundo matrimonio ipsius proles. Unde sequitur 1. primum matrimonium esse validum, & alterum proinde irritum, ut constat ex decisione Innocentii III. ad Episcopum Antissiodorensem rescribentis (a) 2. si nuptæ fuerint Sylviæ priores nuptiæ, uti fert casus expositio, eam Mirocli debitum absque mortali peccato reddere non potuisse, ubi primum eum novit non esse impotentem, cum legitimus ejus non esset maritus; & si ei nubendo sibi persuasum fuit, eum esse impotentem, ipsam quoque mortaliter peccasse. Neque etiam cum viro isto sororis instar permanere potest, sed ab eo debet recedere; is enim absolute tenetur ad resumendam Titiam, solam suam legitimam conjugem, & a Sylvia recedere ut tuta sit conscientia, & simul eorum tollat scandalum, quibus nota est prioris sui conjugii validitas. 3. Titiam neque licite neque valide secundas cum Alexandro inire posse nuptias, ob eam videlicet caussam, quod ad se redire sibi denegarit Mirocles, cum ignorare hæc non potuerit, ipsum non esse impotentem; & divortii sententiam quam obtinuit, reipsa esse injustam, quod judex falsa Chirurgorum relatione deceptus fuerit, atque adeo ipsa non uti potuisse ad convolandum ad alias nuptias. 4. Denique, si Titia moreretur, prius quam ad eam rediret Mirocles; ipsum cum Sylvia remanere non posse, nisi de novo coram proprio parocho & testibus contrahendo, quia impedimentum ligaminis prioris matrimonii erat publicum; & solum post obtentam ab officiali facultatem, cum utrique apprime notum sit, ipsum fuisse deceptum in prima sententia, quam tulit non sine damno prioris matrimonii quod erat validum. At si impedimentum illud prioris matrimonii erat occultum, non necesse esset iterum in facie Ecclesiæ contrahere, & satis esset mutuum inter se occulte renovare consensum. Ita peritus ultimi sæculi Theologus (b), cujus decisio congruit doctrinæ sancti Thomæ (c), qui ita loquitur: *Ecclesia, si se deceptam inveniat per hoc, quod ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum alia vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia sit factum.* Idem docet Sylvius cum ceteris Theologis.

(a) Innoc. III. in c. Fraternitatis sup. cit.

(b) De Sainte-Beuve tom. 3. cas. 259.

(c) Suppl. 3. part. Sum. S. Tho. q. 58. art. 1. in corp. & ibi Sylvius quæsito. 8.

CASUS XIII.

Daniel, semel a conjuge sua ob impotentiam in perpetuum separatus, & postea solemniter Religionem professus, aut omnibus sacris initiatus ordinibus, tenetur ne sub conscientiæ reatu ad suam redire, si certo appareat, ipsius impotentiam non esse perpetuam?

R E S P O N S.

Certum est, quod si Daniel solemnem Religionis professionem emiserit, ad conjugem suam absolute redire nequit, quandoquidem ipsius matrimonium non consummatum *ipso jure* dissolutum est, etiam quoad vinculum, per solemne ipsius Religionis votum. At si Novitius tantum esset, nec dum professus esset, ad eam redire posset, si vellet, nec tamen ad id teneretur, si Religionem sequi, eamque solemniter profiteri constituisset. Ita rem definivit Innocentius III. (d), qui consultus ab Episcopo Antissidorensi de muliere, quæ a viro suo ipsius Præsulis auctoritate fuerat sejuncta, quia ex relatione obstetricum a quibus fuerat inspecta, numquam poterat esse mater aut conjux, tamquam cui naturale deerat instrumentum, & quæ alteri nupta viro, cum eo tamen matrimonium consummarat, respondet primo impedimentum, quod reperiebatur inter mulierem hanc & priorem ejus virum, non esse perpetuum, ac proinde matrimonium primum esse validum: *Impedimentum illud non erat perpetuum,* inquit Innoc. *quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri .... cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur: & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium exstitisse.* Eo verba summi Pontificis qui inde sic concludit: *Quare* ait, *inter eam & præfatum Guillelmum* (secundum illius maritum) *matrimonium non esse censemus, eosque præcipimus ab invicem separari.* Quibus dictis duo addit hic Papa primum est, quod si mulier ista solemnem emiserit Religionis professionem; secundum matrimonium ab eo contractum, a quo fuerat separata, remanere debet validum, quia prioris vinculum voto solemni Religionis ab hac priore conjuge emisso dissolutum est: *Et si prædicta mulier ad Religionem transivit .... primus vir qui non cognovit eamdem, cum ea remaneat cum qua postmodum Ecclesiæ auctoritate contraxit.* Alterum est, quod si hæc Religionem non fuerit professa, primus ejus & solus legitimus sponsus ad eam redire tenetur: *Alioquin ea dimissa debet ad illam redire cum qua primo contraxit.* Cum hac tamen exceptione: *Nisi se fornicario modo alii viro miscuerit, ut primus vir prætexta fornicationis ejus velit consortium declinare.* Ceterum quidquid asserit sanctissimus de muliere, idem de viro in simili casu dicendum est.

(d) Innoc. III. in cit. c. Fraternitatis 6. de frigidis &c.

At vero non idem evenit, si Daniel sacros tantum susceperit ordines, Religionem non professus: nam in hoc casu ad conjugem suam, si ipsum postulet, redire tenetur: nisi Religionem solemniter profiteri velit. Cujus rei hanc rationem post sanctum Thomæ

affert

affert inclytus Theologus, (*a*) quia *Ordo post matrimonium, sive consummatum, sive inconsummatum susceptus, non dissolvit matrimonium*; quod probat iste non solum auctoritate Angelici Doctoris: *Ita beatus Thomas heic*: sed etiam ex decretali Joannis XXII. (*b*) qui sic loquitur: *Votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis … ad dissolvendum …. prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum …. invalidum est censendum.*

(*a*) Fr. Sylvius in suppl. 3. part. Sum. S. Thomæ q. 53. art. 4 concl. 1.

(*b*) Joan. XXII. in Extravagan. ei *Antiquæ*. de voto & voti redempt. tit. 6.

C A S U S XIV.

Theocritus cum Thomassina, quam duxit uxorem, matrimonium consummare non potuit, utpote impotens ex maleficio, vel ex frigiditate naturali. An invalidum est illud matrimonium?

R e s p o n s.

Difficultatem istam solvit sanctus Thomas dicens (*c*): *Impotentia coeundi ex maleficio*, ait hic sanctus, *aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit; aut non est perpetua, & tunc non dirimit: & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus præfinit; triennium scilicet, sicut & de frigiditate dictum est. Tamen hæc est differentia inter maleficium & frigiditatem, quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam; & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut alteri conjungatur: sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam: & ideo quando judicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia quod alteram copulam quærat.*

(*c*) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. art. 3. in corp.

Sciendum autem; quod, priusquam tale matrimonium ab Ecclesia invalidum declaretur, necesse est ut duo conjugati simul per triennium cohabitaverint, & cum juramento affirment se matrimonium consummare non potuisse: id enim jure præscribitur his verbis. (*d*) *Si ita est, & constiterit vobis, præfatum virum & mulierem intra prædictos octo annos per continuum triennium insimul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commisceri carnaliter nequivisse; proferatis divortii sententiam inter eos.*

(*d*) Honorius III. in c. *Litteræ*. fin. de frigidis & maleficiatis, &c.

Non abs re forte putamus, si proponantur regulæ quædam, quibus dignosci possit, num impotentia a maleficio procedat: sunt autem istæ. Prima: *Quando uxor virum ad se accedentem pati recusat, quod ipsius mentulam tantæ magnitudinis imaginatur, ut se ab eo cognosci fere nequeat.* Secunda: *quando conjuges, cum alias sese diligant, odio tamen inflammantur, vel exhorrescunt, quando ad coitum veniendum est.* Tertia: *Quando vir, quem ad alias feminas potentem esse constat, cum sola uxore in qua nullum est obstaculum, est impotens.* Quarta: *Quando vir coitum appetens, & mentula erecta paratus est ad copulam, subito riget, organumque relaxatur & concidit.*

Juvat etiam observare, quo pacto maleficium a dæmone produci queat. De eo autem ita loquitur sanctus Antoninus (*e*) post Paludanum, cujus propria refert verba: *Potest (diabolus) corpora impedire, ne sibi mutuo appropinquent, vel directe, vel indirecte interponendo se inter eos; corpore assumto …. Secundo modo potest inflammare ad actum illum vel refrigerare ab actu illo, adhibendo occulte vires rerum, quas optime novit ad hoc validas. Tertio modo turbando imaginationem & phantasiam æstimativam, quæ reddit mulierem exosam: quia potest imaginationem imprimere. Quarto modo, prohibendo directe rigorem membri, sicut & motum localem cujuscumque organi. Quinto modo, prohibendo missionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiva, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis descendat, vel ne ab eis recedat, vel ne excidat, vel ne emittatur, & multis aliis modis. Hæc Petrus de Palude.*

(*e*) S. Ant. 3. part. summ. theol. tit. 1. c. 12. §. 3.

C A S U S XV.

Liberius, maleficiatus, aut naturaliter frigidus, jam a triennio matrimonium suum cum

Martha consummare non potuit, quam ob rem Martha sententiam obtinuit, qua irritum declaratur eorum matrimonium. Deinde alteri nupsit liberius, quacum absque ulla difficultate matrimonium consummavit, nec jam maleficiatus, aut frigidus videtur. Potest ne tuta conscientia cum hac ultima muliere remanere, an vero ad Martham redire tenetur?

R e s p o n s.

Magnum intercedit discrimen inter maleficium & frigiditatem naturalem: nam, ut superius ex sancto Thoma probavimus, impotens ex maleficio talis est tantum, ut sit plerumque, erga hanc, & non erga alias; at impotens ex frigiditate naturali talis est erga omnes: (*f*) quare valide cum nulla alia muliere contrahere potest, quando ob eam causam irritum declaratum est ipsius matrimonium: unde sequitur in casu proposito, quod si Liberius, qui se frigidum naturaliter cum Martha putabat, contrarium expertus sit, alteram tenetur sub conscientiæ reatu dimittere mulierem, cui nubere voluit, & ad Martham redire, non obstante sententia judicis, qui deceptus est, juxta decretales Cælestini III. & Innocentii III. superius laudata, (*g*)

(*f*) S. Th. sup. cit. art. 3. & can. *Requisisti* 2. 33. q. 2.

(*g*) Cas. 9. 10. 11. & 12.

At vero si Liberius esset impotens *ex maleficio* cum Martha, atque impotentia ejus perpetua judicata sit, alteri nubere potuit, quacum consummato matrimonio, ad Martham redire non tenetur; & contra, cum altera cui nupsit, & pro qua non est impotens, remanere debet. Ad auctoritatem Angelici Doctoris, qui multis in locis operum suorum quæstionem hanc ita definit, (*h*) accedit etiam Canon a Gratiano relatus, cujus hæc sunt verba: (*i*) *Si per sortiarias atque maleficas, occulto sed nunquam injusto Dei judicio permittente & diabolo præparante, concubitus non sequitur …. si forte sanari non poterit, separari valebant, sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus quibus juncti fuerant, prioribus quas reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Depromitur Canon iste e scriptis Hincmari: (*K*) idem docet auctor Glossæ. (*l*)

(*h*) S. Thom. cit. dist. 34. art. 3. & in exposit. textus & quodlib. 11. art. 11.

(*i*) Can. *Si per sortiarias*. 4. 33. q. 2.

(*k*) Ex Hincmar. lib. ad q. 21. de matrimonio Lotharii Regis. (Pithœus)

(*l*) Glossa in cap. *Fraternitatis*. 6. de frigidis &c. v. *Divinum*.

C A S U S XVI.

Nicander *ex maleficio* impotens erga Paullam, cui nupsit, ab ea ex Officialis sententia post triennalem cohabitationis quam Ecclesia requirit, experientiam separatus est: Deinde Geltrudi matrimonio se sociavit; pro qua non minus quam pro Paulla impotens fuit. Sui autem status pertæsus maleficio suo se liberavit, aliud adhibens maleficium; cujus usum edoctus est, & sic pro utraque potens factus est. Quam e duabus sibi uxorem legitimam sumere debet?

R e s p o n s.

Impedimentum quodlibet, si maleficio dumtaxat tolli non possit, censetur perpetuum, ut docet sanctus Thomas: (*m*) *Tamen*, inquit, *si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputatur, quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare.* Idem quoque docet S. Antoninus, (*n*) dicens: *Nota, quod si maleficium non potest revocari nisi per aliquod illicitum, ut per dæmonis auxilium & hujusmodi, etiamsi sciret sic posse revocari; nihilominus impedimentum perpetuum judicabitur, quia remedium non est licitum.* Quod dictum suum confirmat S. Archiepiscopus auctoritate sancti Thomæ mox laudati, Alberti magni, & Cardinalis Hostiensis. Unde sequitur, Nicandrum ad Paullam non posse reverti, quacum valide non contraxit; sed eum cum Geltrude permanere debere, cum pro ea, licet non sine gravi peccato, impotens esse desierit: sed quia invalide cum ea contraxerat, necesse est, ut ambo suum renovent consensum, seu expresse, seu animo conjugali copulam habentes.

(*m*) S. Thom. in 4. cit. dist. 34. art. 3. ad 3.

(*n*) S. Ant. 3. part. summ. Theol. tit. 1. c. 12. §. 3.

C A S U S XVII.

Henricus impotens ex maleficio, hominem detexit, a quo fascinatus est: Potest ne veneficum suum cogere, ut rem comburat cui affixum esse novit maleficium, aut eam ipse comburere, aut alia

qnacnmque ratione destruere, nt pro muliere sua, uti pro alia qnalibet potens fiat?

RESPONS.

Antequam peculiari huic difficultati sua sit responsio, præsupponenda est simulqne probanda regula certa, scilicet, maleficin tolli aut destrui nnn posse absque peccato mortali; est enim apostasiæ & idolnlatriæ species, uti ope dæmonis ant ministrorum ejns ad producendum talem effectum, nt docent Albertus magnus, sanctus Bonaventura, Durandus, aliique Theologi post sanctum Chrysostomum, qui dicit: (a) *Ea res est idololatria*. Eodem modo loqnitur sanctus Basilius (b). Idque confirmari potest præclaris hisce sancti Augustini verbis (c): *Ad hæc omnia supra dicta pertinent, ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat, seu in præcantationibus, seu in characteribus, vel in quibusque rebus suspendendis atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Unde cuncta vitanda sunt Christiano, & omni penitus exsecratione repudianda atque damnanda*. Hinc dicit sanctus Thomas, quod *ea quæ sunt supra facultatem humanam & naturæ, a solo Deo requirenda sunt*: *ideo*, subjnngit, *sicut graviter peccat, qui illud quod est Dei, creaturæ impendit per idololatriæ cultum; ita etiam graviter peccat, qui ea quæ a Deo expetenda sunt, auxilio dæmonum implorat,... in his enim omnibus est apostasia a fide per pactum initum cum dæmone, vel verbo tenus, si invocatio intersit, vel facto aliquo*. Quod si crimini huic aliqua snbjiciatur excusatio, magna videlicet quæ ex eo percipitur utilitas, cum eodem Sancto dicendum. (d) *Nulla utilitas esse potest, pro qua aliquid faciendum sit quod in Dei vergat injuriam; quod contingit, quando quod ipsius est, non ab ipso quæritur, sed cum ejus adversario fœdus initur*.

(a) S. Chrys. hom. 8. in Epist. ad Coloss.
(b) S. Basil. in Psal. 45. initio.
(c) S. Aug. in can. *Nec mirum*, 14. 26. q. 5.
(d) Idem ibid. ad ff.

Nec minus excusari potest crimen illud ex bona intentione committentis; nam nt vana adeo tollatur excusatinnis species, satis est, nt legatur ista Alexandri III. decretalis, (e) in qua de Presbytero quodam, præpostere superstitioso sic loqnitur hic summns Pontifex: *V. Presbyter cum quodam infami ad privatum locum accessit*, hæc sunt verba decretalis, *non ea intentione ut vocaret dæmonium, sed ut inspectione Astrolabii, furtum cujusdam Ecclesiæ posset recuperare: verum licet hoc ea bono zelo & simplicitate se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit*.

(e) Alex. III. in c. *Ex tuarum*. 2. de sortilegiis. l. 5. tit. 21.

Præsnpposita illa solidaqne firmata præcipui momenti regnla, dicimus, non licere quidquam fieri, quod vel minimum habeat ad superstitinnem respectum, ut destruatur maleficinm quo qnis vexatur; uti qnærere sub limine januæ ceræ figuras, ossa, papyros aliave hnjusmodi, quæ supponi potuere ab iis, qui vulgn sponsorum fascinatores, Gallice *Noueurs d'aiguillette*, hoc est, ab iis qui auctores sunt maleficii de quo loquimur; uti etiam snlvere nodnm quempiam, in qun positum esse vulgn dicitur maleficium; cum hoc unum dæmon intendat, ut simplicibns suadeat, hisce rebns hanc esse vim, ut maleficinm producant; quamvis certum sit, quod *hoc permissu Dei fit, ut ipsi qui hæc audiunt vel vident, probentur, & appareat qua fide sint vel devotione erga Deum*, inquit Canon antiquus (f).

Non alia igitur adhiberi debent remedia, quam quæ præscribit Hincmarus, (g) Confessionem videlicet, preces, eleemosynas, lacrymas & jejunia cum exorcismis sacerdotnm. *Si per sortiarias atque maleficas, occulto, sed numquam injusto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur; hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito & spiritu humiliato Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejuniis Domino satisfaciant; & per exorcismos, ac cetera ecclesiasticæ medicinæ munia ministri Ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent*. Hæc snnt salubria media, quæ proponit doctissimus ille Præsul; quibus adhibitis, nihil superest faciendum, nisi ut sponsi separentur. *Quod si forte sanari non potuerint, separari valebunt*.

(f) Can. *Nec mirum*. 14. 26. q. 5.
(g) Hincmarus in can. *Si per sortiarias*, 4. 33. q. 1.

Ad confirmationem hactenus dictorum addi potest præclarum sancti Hilarionis exemplum, de qun loqnitur sanctus Hieronymus in vita hujusce solitarii: (h) is enim narrat, quod, cum virgo adolescens dæmone vexaretur, neqne se ex ejns cnrpore exiturum profiteretur malus genius, priusquam snblata fuisset cuprea lamina, sub limine jannæ recondita; S. Hilario dæmnnis propositum dedignans ipsnm e corpore puellæ hujus precum snarum fervore expulit. *Exire me cogis*, solitario ait dænon, & *ligatus subter limen teneor; non exeo, nisi adolescens qui tenet, dimiserit*: cui sanctus Hilario: *Grandis fortitudo..... tua, qui licio & lamina strictus teneris*. Subjnngitque sanctus Hiernnymus: *Noluit autem sanctus (Hilario) antequam purgaret virginem, vel adolescentem signa jubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem, asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos*.

(h) S. Hieron. in vita S. Hilarion.

Concludimus, ad casum propositum respondendn, ab Henrico cogi non posse auctorem maleficii quo vexatur, ad cnmburendam rem cui affixum esse maleficjum existimat; cum ita ad dæmonem recurreret, si illjus qui dæmonis est minister, ope nteretur ad recuperandam sanationem suam; quam a Deo solo exspectaturus est, & quam ab ejus bonitate sperare tantum debet ob pœnitentiæ opera, ut loquitur sanctus Augnstinus. (i) Id ipsum consentit cum istis verbis 72. Capituli Martini Episcopi Bracarensis anno 572. (K): *Si quis autem Paganorum consuetudinem sequens, divinos & sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inveniant, quinque annis pœnitentiam agant*.

(i) S. Aug. lib. 10. de civit. Dei c. 22.
(k) Concil. Martini Bracar. in can. *Non liceat*, 3. 26. q. 5. ex Collect. de Syn. græc.

Fatemur tamen, neglecta auctoris maleficis ope, ejus signa tolli & comburi posse, eo tantum fine, nt destruantur opera diaboli, nec ab eo exspectetur quod nocere desinat, ex eo quod ejusmodi signa fuerint combnsta aut snblata: nam si ea intentinne cnmburerentur tollerenturve; ab ea non abesset superstitio. Uno verbo signa comburendo necesse est, nt omne cum diaboln pactum rejiciatnr, nec ea ratione qnidqnam ab eo exspectetur; atque eo sensu intelligendum est Ritnale Rnmanum, (l) quando præscribit, nt exorcista *jubeat dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica signa vel instrumenta; quæ si obsessus ore sumserit, evomat: vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur*.

(l) Ritual. Rom. tit. de exorcinandis obsessis a dæmonio. in fine.

CASUS XVII.

NORBERTO & Julianæ, matrimonio jnnctis, datum est maleficium, qun jam a sex mensibus a matrimonii consnmmatione impediuntur, nb mutuum vehemens & subitum odium, quo in se invicem corripiuntur, ubi copulam habere volunt. Notum est ipsis, qnosdam simili vexatos maleficio, iteraia matrimnnii celebratione fuisse sanatos: Possunt ne absque peccato hanc eamdem adhibere viam, cum ex iteratione hnjusce Sacramenti nullum oriatur incommodum?

RESPONS.

Certum quidem est, quando justa subest cansa, nullum ex iterata matrimonii celebratione nriri incommodum, cum omnia sacramenta quæ nullum imprimunt characterem, iterari possint; & ista etiam sub conditione possunt iterari, quando legitima est de eorum validitate dubitandi ratin: at id non esse licitum in casn proposito contendimus, qnia in iteratinne esset superstitin, nt docet inclytus Theologus: (m) *Existimo*, inquit, *illam praxim pertinere ad varias superstitiones, quæ licet aliquando reperiantur habere effectum, non idcirco tamen desinunt esse vana*. Ratio evidens quam affert hic auctor dicti sui, est, quia inde speratus effectus, hoc est, cessatio maleficii naturaliter ex hac iteratione oriri neqnit, cum ad

(m) Fr. Sylvius resolut. var. v. *Maleficium*.

hunc

hunc finem non institutum fuerit matrimonium neque umquam medium illud ad tollendum maleficium Ecclesia adhibuerit. Ratio ista petitur ex S. Thoma dicente (*a*): *In his quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, utrum naturaliter videantur tales effectus caussare: sic enim non erit illicitum ...... si naturaliter non videatur posse tales effectus caussare; consequens est, quod non adhibeantur ad hos effectus caussandos tamquam caussa, sed solum quasi signa: & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita.*

(*a*) S. Th. 2. 2. q. 96. art. 2. in corp.

Nec prodest dicere, simili ratione alios a maleficio suo fuisse sanatos: constat enim, quod si ita res evenerit, effectus ille uni dæmonis astutiæ ac fraudi adscribi debet, non vero cærimoniæ iterandi matrimonium quæ nullam cum tali effectu potest habere connexionem: *Multa per hujusmodi observationes eveniunt per deceptionem dæmonum, ut in his observationibus homines implicati curiosiores fiant, & se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris.* Ita Doctor Angelicus iterum post sanctum Augustinum (*b*) quem laudat.

(*b*) S. Aug. l. de doctr. Cristiana. 23.

Hinc severe damnatur mos ille ex antiquo exorcismorum Manuali quod iterum anno 1618. probavit Episcopus Antuerpiensis, in quo hæc leguntur verba. *Cavebit autem Sacerdos diligenter, ne permittat illum errorem & rei sacræ abusum, qui hodie in nonnullis vigere dicitur; quo aliqui tali maleficio vexatis succurri posse putant, si vir & mulier priori matrimonio legitime & in facie Ecclesiæ contracto, mutuo consensu renuntient, & novum coram Sacerdote contrahant: est enim hoc diabolicum inventum superstitionis inducendæ caussa, vel ut res sacras hominibus ludibrio exponat, & Sacramento Christi gravem irroget injuriam.* Ex allatis igitur auctoribus manifeste constat, Norbertum & Julianam absque reatu superstitionis, matrimonii sui celebrationem eo fine non posse renovare, ut hac ratione a maleficio quo vexantur, fiant immunes; illisque ea tantum suppetere remedia quæ in præcedenti decisione sunt a nobis notata.

CASUS XIX.

Si in caussa divortii Theocritus affirmet, se esse potentem: neget vero uxor illius, cui potius e duobus fides est adhibenda?

RESPONS.

Cum vir sit caput mulieris, in casu proposito fides Theocrito est adhibenda, ut docet S. Thomas (*c*), præcipue si cum eo satis longo tempore vixisset absque querela, ut fert decretum istud Concilii Compendiensis anni 757. *Si quis accepit uxorem & habuit eam aliquo tempore, & ipsa femina dicit, quod numquam coisset cum ea; ille vero dicit quod sic fecit; in veritate viri consistat, quia vir est caput mulieris* (*d*). Si tamen requireret, ut inspiceretur vir suus, aut alia quacumque ratione Theocriti impotentiam posset certo probare, ad audientiam deberet admitti.

(*c*) S. Th. in 4. dist. 34. in exposit. Litter.

(*d*) Conc. apud Comp. in can. Si quis. 3. 31. q. 1. & ibi Glossa.

Idem quoque expressis terminis definit decretalis in corpore juris relata cujus hi sunt termini (*e*): *Illa autem* (mulier) *si prior post annum aut dimidium ad Episcopum aut ejus missam proclamaverit dicens, quod non cognovisses eam, tu autem contrarium affirmas; tibi credendum est, eo quod caput es mulieris: quia si proclamare voluit, cur tam diu tacuit? cito etiam & in parvo tempore scire potuit, si secum coire potuisses. Si autem statim in ipsa novitate post mensem aut duos ad Episcopum aut ejus missam proclamaverit dicens ..... Vir quem accepi, frigidæ naturæ est, & non potest illa facere propter quæ illum accepi; si probari potest per rectum judicium, separari potest is; & illa si vult, nubat in Domino.*

(*e*) C. Accepisti. 1. de frigidis &c.

Advertendum autem heic, idem dici non posse de viro: nam si se impotentem profiteatur, & contrarium uxor ejus affirmet, mulieri fides est adhibenda, quia ea non præsumitur velle manere cum viro impotente, & aliunde pateret aditus divortio; quod injuste attentare multi conjuges attentarent, si affirmationi eorum crederetur. Ita S. Thomas quem laudavimus. *Si autem*, inquit, *vir neget copulam carnalem præcessisse, non est dandum juramento ejus, quamvis sit caput mulieris, si mulier affirmet: quia sic daretur facultas multis viris dimittendi uxores suas.*

CASUS XX.

MALIO & Lucia, de impotentia litigantibus cujus mulier ista virum suum postulabat, a judice constitutus conjugum congressus coram duobus testibus. Num legitimum est illud judicium, & sine peccato prolatum?

RESPONS.

Notum satis est infame illud impotentiæ viri experimentum jam a 120. annis in Gallia obtinuisse, fierique solitum coram Chirurgis & Matronis ad sententiam judicis ecclesiastici vel sæcularis: at dubitare non possumus, quominus judices graviter peccaverint, hujusmodi ferendo judicia 1. Quia turpes impudentia sola sustinere potest formulas congressus, quo vel magis communis læditur pudor, & quia honestati ac bonis moribus adversatur. 2. Quia ex congressu incertum omnino ducitur argumentum virilitatis aut impotentiæ conjugis, ut evidenter probat Venettus (*f*): quare ob istas rationes Parisiensis senatus Arresto suo 18. Februarii anni 1677. quod forensi diario insertum est, congressus usum omnino abrogavit. Qua autem occasione latum fuerit sapiens illud arrestum, legi potest apud Cabassutium (*g*), qui congressus originis & abolitionis historiam narrat. Abrogatio congressus aliquatenus debetur Vincentio Tangereau, qui in suo tractatu de impotentia viri & mulieris (*h*) manifeste infamiam simulque injustitiam tam damnandæ praxis, nec non mala ex ea oriri solita detegit; qua in re Ambrosium Paré sequitur (*i*) qui acriter in tam infamem consuetudinem invexerat.

(*f*) Nicolaus Venette, effigies amoris conjugalis p 378. & 379. editione septima.

(*g*) Joan Cabassut Juris can. Theor. & prax. l 3. c. 25. n 6. & seqq.

(*h*) Vincentius Tangereau tract. de impotentia, e 4. edit. Paris. an. 1612.

(*i*) Ambr Parè, tract. de relax. impotentiæ viri & mulieris l. 28. operum ejus. Dictionarium Trevulliense v. Gilienetus.

CASUS XXI.

Si quis post matrimonium ratum, necdum consummatum, fit ad copulam perpetuo impotens potest ne compar illius ad alias nuptias, saltem obtenta judicis venia, convolare?

RESPONS.

Matrimonium semel ratum, etsi nondum consummatum, numquam solvi potest quoad vinculum, nisi per solam Religionis professionem solemnem; proindeque ob quamvis impotentiam supervenientem numquam illud posse dirimi certum est, ut intelligitur ex S. Augustino, cujus hac de re sententiam in Decreto suo refert Gratianus (*K*): & ex his Glossæ verbis (*l*): *Post matrimonium contractum, si superveniat impedimentum, non debeat separari.* Quod quidem auctor istius Glossæ probat auctoritate Nicolai Papæ ad Carolum Moguntinum scribentis (*m*). Idem communiter docent S. Thomas ac ceteri Theologi. Itaque etiamsi vir utriusque testis exsectione fieret ad coitum impotens, uxor ab eo separari non posset.

(*k*) S. Aug in can. Si uxorem. 18 32 q 5.

(*l*) Gloss. in c. Fraternitatis, v. diuturnum de frigidis &c,

(*m*) Nicolaus I in can. Si qui. 25 32. q. 7.

CASUS XXII.

MARGARITA, existimans virum suum esse impotentem, tenetur ne sub reatu mortalis culpæ ad debitum ei conjugalem reddendum?

RESPONS.

Si mulieri huic non omnino comperta sit viri sui impotentia, tenetur, etiam sub reatu mortalis culpæ, ad ei reddendum conjugale debitum per triennium, ut docet S. Thomas (*n*): *Quia*, inquit S. Doctor, *ad hoc experiendum ..... Ecclesia tempus præfixit triennium.* Quocirca mulier virum suum absque peccato nequit jure privare quod ei concedunt Ecclesiæ regulæ.

(*n*) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. a. 2. in corp. & a 3. in corp.

Diximus: *Si mulieri huic non omnino comperta sit viri sui impotentia.* Nam si certo eam novisset, cognoscendo v. g. quod utroque teste carebat; tunc se ipsam ab eo separare valeret, nihil insuper exspectans; ac nedum in hoc casu ei debitum reddere teneatur, ut potius absque reatu mortali non posset. *Si est evidens impedimentum, ut in Eunuchis*, ait Angelicus Doctor, *possunt statim separari.*

IMPEDIMENTUM RAPTUS.

RAPTUS est *feminæ invitæ abductio, matrimonii contrahendi, libidinisque explendæ caussa*. Ita raptum definit Polmanus, stricto sensu & propre sumtum (*a*): At definitio ista non satis convenit & Galliæ moribus, & sensui, quo sumitur hic terminus in hoc titulo, ob duplicem rationem.

(*a*) Polm. 3. Part. 501.

Prima est, quia duplicem distinguimus raptus speciem: prior dicitur raptus violentus; alter vero raptus fraudulentus. Raptus violentus is est, quem supra definivit hic Theologus, quo persona invita & dissentiens, & etiam renitens ab ea abducitur, quæ ei cupit nubere. Raptus vero fraudulentus is est, quo promissis, argento, vel aliter captatur filius-familias, & invitis parentibus suis, tutore vel curatore ad contrahendum matrimonium ducitur: quod crimen ex Legibus nostris pœna infamante sæpe judices puniunt, & quandoque capite, pro diversis facti circumstantiis, & personarum qualitate.

Secunda ratio est, quia Raptores tantum puellarum vel mulierum comprehendit definitio, nihil exponens de raptu viri a muliere facto; quod tamen viri legibus est prohibitum. Verum quidem est, Concilium Tridentinum loqui dumtaxat de raptu puellarum invitarum facta a viro, omissa abductione viri a muliere: tamen ex jurisprudentia Galliæ, edicto Blesensi innixa, ut inferius videbitur, in utrisque ex æquo punitur illud crimen.

CASUS PRIMUS.

MAXIMIANUS & Rosa, filia-familias nuptias simul meditantur. Rosa vero, viginti tantum tresque annos nata, quæ patris tutorisve sui consensum obtinere non potest, permittit, ut Maximianus vim adhibeat, seque in difficilem locum abducat; quo cum ambo pervenere, ibi constituto domicilio suo, coram Parocho loci duobusque testibus matrimonii contrahendi viam inveniunt. An censeri potest Maximianus conscius raptus, ac matrimonium illud est ne invalidum?

RESPONS.

Ex crimine raptus, cujus conscius est Maximianus, invalidum est illud matrimonium: nam raptus est, si quis puellam, etiam consentientem, abducat, invitis ejus parentibus, tutoribus aut curatoribus, ut docet Barbosa (*b*) post Gratianum (*c*). Id constat ex antiquo canone deprompto e primo Concilio Aurelianensi anno 511. habito, in quo dicitur: (*d*) *Si vero quæ rapitur, patrem habere constiterit, & puella*, inquit canon, *raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius*. Ad quod Gratianus: *ex hac*, ait, *auctoritate liquet, quod aliquando vis infertur parentibus, non puellæ*.

(*b*) Aug. Barbosa in remissionibus ad c. 6. session. 24. Conc. Trid.
(*c*) Gratianus §. Ex hac 36. q. 2.
(*d*) Conc. Aureli. 1. in can. de Raptoribus. 3. 36. q. 1.

Equidem in casu proposito, licet apertam Rosæ parentibus aut tutori vim non intulisset Maximianus, certum est tamen, eos ab ipso atroci fuisse affectos injuria, qua erga ipsos non ferme minus fieret conscius, quam vi aperta: parentes quippe ac tutores puellarum suarum sunt quasi sequestres, dum istæ minores sunt, ut patet ex juris præscripto, quod ea de re constituit Tridentinum Concilium (*e*). Idem docet S. Thomas dicens (*f*): *Violentia*, inquit, *quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri; quandoque autem infertur patri, sed non virgini; puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo patris abstrahatur... qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus*.

(*e*) Conc. Trid. sess. 24. de refor. matr. c. 6.
(*f*) S. Th. 2. 2. q. 154. art. 7. in corpore.

CASUS II.

MARTIALIS Justinam, invitam quidem, at consentiente patre ipsius aut tutore, abduxit. An conscius est criminis raptus, & matrimonium quod cum ea contraxit, dum erat in potestate sua, est irritum?

RESPONS.

Certum est, Martialem raptus esse conscium, atque ex hoc crimine invalidum esse matrimonium, quod cum Justina contraxit. Ratio est, quia patri in propriam filiam, ac multo minus tutori in pupillam suam talis non competit potestas; licet splendidissime collocari deberet. *Puella non est in potestate patris, quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat*, inquit Sanctus Thomas (*g*).

(*g*) Idem in 4. dist. 18. q. unic. art. 3. ad 1.

Probari potest hæc decisio 1. ex antiquo canone, quem concilio Meldensi adscribit Gratianus, sed qui ut observant emendatores Romani, e Capitularibus Caroli Magni depromitur (*h*), in quo sic habetur: *Placuit, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur aut seducunt eas, nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint*. 2. Idem probari potest auctoritate Gratiani, dicentis (*i*): *Puellæ autem, non parentibus vis infertur, cum voluntate patris puella violenter abducitur, ut ejus patiatur concubitum, cujus copulæ numquam consensum adhibuit*. Quocirca sive patri simul & filiæ, seu filiæ tantum vis inferatur, verus semper est raptus, ut supra ex sancto Thoma diximus: Hinc casum hunc particularem non excipit Concilium Tridentinum, & generatim Raptorum matrimonium cum puellis aut mulieribus raptis irritum declarat (k): *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium*. Ita Concilium. Necesse est igitur, quo validum sit matrimonium, ut rapta tuto reddatur loco & libero, priusquam ei raptor nubere valeat; alioquin ambo ad contrahendum sunt inhabiles ex decreto Concilii, a quo sic constitutum est, ut omnis tollatur violentiæ occasio in matrimonio: qua in re Innocentii III. decretalem (*l*) emendavit, a quo tale matrimonium declaratum erat validum, quando rapta nubere raptori consentiebat: & res omnes ad eum restituit statum, in quo a primo concilio Aurelianensi fuerunt constitutæ, statuendo, ut, si raptor in Ecclesiam se se cum rapta reciperet, is servituti manciparetur, & filia patri redderetur, licet abductioni suæ consensisset. Leges Principum etiam severiores omni ævo fuere in raptores eorumque participes, quos capitali pœna damnavere, ut videre est ex legibus Imperatorum Justiniani & Joviniani (*m*) & quas multis edictis confirmarunt Galliæ Reges, ac præsertim Edicto Blesensi (*n*) lato ab Henrico III. mens. Maii anno 1579. in quo sic legitur: *Nihilominus volentes ut, qui invenientur filios aut filias minores viginti quinque annis subornasse sub specie matrimonii aut alio prætextu, absque nutu, scientia & consensu expresso patrum, matrum & tutorum, morte plectantur absque spe gratiæ & veniæ, non obstante quolibet consensu, quem postea prædicti minores affirmare possent, se dedisse prædicto*

(*h*) Lib. 7. capitular. c. 395. in can. *Placuit*. 11. 36. q. 2.
(*i*) Grat. tit. §. *Ex hac*.
(K) Conc. Tr. sess. 24. c. 6.
(*l*) Inn. III. in c. *Accedens*. fin. de raptoribus &c. l. 5. tit. 17.
(*m*) Justinianus in L. *Raptores*. un. cod. de rapto virginum seu viduarum &c. l. 9. q. tit. 13. Et Jovinianus in can. *Si quis*. 3. 36. q. 2. Ex lege *Si quis*. 5. cod. de Episc. & Clericis lib. 1. tit. 3.
(*n*) Edictum Bles. a. 42.

dicto raptui, tum cum factus est, aut ante. Quod confirmavit Ludovicus XIII. edicto suo an. 1639. (*a*).

(a) Edict. an. 1639. a. 3.

Advertendum autem circa præsentem difficultatem, existimare quosdam Auctores, raptum quem vocant fraudulentiæ seu seductionis, non esse impedimentum dirimens; quia, cum ea de re non manifesta sit Concilii expositio, rigorose illud intelligendum est, neque ampliandum ultra proprium verborum sensum, quæ adhibuit, & quæ raptum tantum violentiæ designant. Verum attendendum est ad mentem sacrosanctæ Synodi, quæ raptum fraudulentiæ excipere non intendit: quia fraudulentia seu seductio, propriæ loquendo, impedimentum istud dirimens inducit; vis enim est alia impedimenti species, quando infertur intento fine matrimonii, qui si absit, jam vis desinit esse impedimentum; ut si quis puellam abducat, non matrimonii, sed fornicationis causa, ut declaravit sacra Cardinalium congregatio an. 1585. Hinc Galliæ Regum edicta inter raptum violentiæ & raptum fraudulentiæ non distinguunt, sed utrique parem imponunt pœnam. Qua de re ad majorem difficultatis elucidationem observandum 1. raptum, qui dicitur fraudulentiæ, supponi formalem abductionem, cum motivo contrahendi matrimonii factam, & cum persona seducta meditatam; aut ejus receptum e domo paterna cum raptore meditatum. 2. minoritatem personæ seductæ: nam adolescens triginta annos natus, aut filia, viginti quinque annorum non jam deceptionis, quoad rem matrimonialem, capaces censeri debent, licet sint ante istam ætatem. 3. puellæ corruptelam seu deceptionem, præclaris fultam promissis, & insciis ejus parentibus: nam si consentirent parentes, jam non esset deceptio: hisque omnibus addimus, manifestius ac certius patere seductionem, quando inter personas reperitur conditionum inæqualitas, ut cum servus heri sui filiam subornat, aut cum filia ab eo corrupta est, qui eam decepit, & in cujus potestate versatur.

CASUS III.

MUTIUS Serviam, quam de consensu patris ejus desponsaverat, ipso postea sine legitima ratione sibi matrimonium collocare recusante, abduxit, ac biduo post ei nupsit. An conscius est raptus, & invalidum est matrimonium, licet huic libere consenserit Servia, & de ejus consensu abductio facta fuerit?

RESPONS.

Matrimonium, quod cum Servia sponsa sua contraxit Mutius, validum est, licet eam vi de manibus patris ejus abduxerit: neque in hoc casu conscius est raptus, quamvis peccaverit vim adhibendo, cujus rei hanc rationem affert sanctus Thomas (*b*), quia *sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa: & ideo*, inquit, *quamvis peccet, violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus*. Quod probat auctoritate Gelasii Papæ: *Gelasius Papa dicit* (*c*): *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dicit esse commissum, ubi puella de cujus nuptiis nihil actum fuerat, videatur abducta*. Idem asserit Lucius III. cum Gelasio his verbis: *Respondemus, quod, cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur; iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse*. Ad quod Glossa dicit (*e*), re ipsa, ex rigore legum Romanarum (*f*), quoad admitti quidem crimen raptus, etiam quod desponsatam sed contrarium jure canonico fuisse constitutum, cum ea a sponso abducitur, ut patet ex hac decretali: *sed canon præjudicat ut heic*.

(b) 2. Th. 2. 2. q. 154. a. 7. ad 4.

(c) Gelasius in can. Lex illa. 2. 36. q. 1.

(d) Lucius III. in c. Cum causam. 5. de raptoribus &c. l. 5. tit. 17.

(e) Glossa in cit. cap. Cum caussam. v. dicatur admitti.

(f) L. un. cod. de raptu virg.

Idem quoque docet Sylvius (*g*), ob istam rationem; *Quia scilicet sponsus ratione sponsalium habet aliquid juris ad matrimonium cum ipsa consentiente perficiendum, etiamsi parentes reclament*. Quibus addit hic Theologus, qui post Sanchez, Azorium & Filliucium (*h*) loquitur, quod juxta probabiliorem opinionem, quam amplectuntur Azorius & Bonacina, sponsus fieret conscius criminis raptus, nisi sponsa abductioni suæ consentiret; quia jure quod in ipsam habet, vi ad matrimonium eam compellere non potest: *Si sponsus talem suam sponsam rapiat invitam ad matrimonium, quia vim infert puellæ, non habet autem jus ad eam vi compellendam, ut matrimonium promissum perficiat*. Ceterum Sanchez pro nostra sententia laudat Panormitanum, Angelum de Clavasio, Baptistam Trovamalam, Silvestrum de Prierio, Joannem Tagnatium seu Tabienam, Henriquez & novem alios Auctores (*i*). Quibus verbis constat non incurri crimen raptus, nisi cum abducitur persona omnino voluntate sua libera, & quacum nullum contractum est vinculum per præcedentia sponsalia.

(g) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 154. a. 7. §. Petes.

(h) Th. Sanch. de matrim. l. 7. disput. 12. n. 15. & disp. 13. n. 5. Joan. Azorius instit. moral. 3. p. l. 3. c. 14. Filliuc. tr. 30. c. 6. n. 113.

(i) Abbas in cit. cap. Cum caussam. n. 2. Notabili 1. & n. 4. Angelus v. Raptor. n. 3. Rosella. v. Luxuria. n. 2. Silvester q. 6 dicto 4. Joann. Tabiena v. Raptor. n. 2. v. 2. Henriquez. de matrim. l. 11. c. 14. n. 4. & 5. Coninck Auſius & alii.

Testimoniis istis addi potest auctoritas Gregorii II. qui raptores excommunicatos declarans, eamdem ponit exceptionem (*k*): *Si quis virginem vel viduam, nisi desponsaverit, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, cum sibi faventibus anathema sit*. Hæc sunt verba ipsa, quæ refert Gratianus.

(k) Greg. II. in can. Si quis. 2. 36. q. 2.

CASUS IV.

ANTONIUS Carolam filiam majorem quæ suæ consentiebat abductioni, stricto etiam ense repulsis parentibus ejus, qui sibi eam e manibus suis eripere contendebant, domum suam deduxit, eique nupsit. An vir ille conscius est raptus, & matrimonium ejus est ne invalidum?

RESPONS.

Dicendum est, Antonium non esse raptus conscium, proprie loquendo; & verbum illud juxta sensum canonum usurpando: cum enim Carola *sui juris* esset ob majoritatem suam, & suæ consenserit abductioni, atque matrimonio suo cum Antonio, nullam passa est injuriam ex hac juris regula (*l*): *Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus*. Neque parentibus puellæ illius injuriam intulit Antonius, cum jam in eorum non esset potestate, atque sui juris esset. Igitur caussa raptus non invalidum est illud matrimonium: hinc Edictis Regum Galliæ in raptores indicitur tantum iis pœna, qui *filios aut filias minores viginti quinque annis rapiunt*, ut loquitur Edictum Blesense in decisione secundæ difficultatis relatum; nihilque constituitur in illos in eo casu, in quo personæ raptæ ad majoritatem pervenere, & sunt consentientes.

(l) Reg. 27. de reg. juris in 6.

In istam decisionem objici potest Edictum anno 1639. art. 3. in quo his verbis loquitur Ludovicus XIII. *Declaramus conformiter sacrosancta Decreta, & canonicas constitutiones, matrimonia eorum, qui rapuerint & abduxerint viduas, filios & filias, cujuscumque sint ætatis & conditionis, invalide contracta*. Cui edicto consentaneum videtur Concilium Tridentinum, in eo quod loquens de raptu, nullum ponit discrimen inter majores & minores, & generatim declarat matrimonium cum raptis contractum esse invalidum, atque adeo non distinguendum esse inter minores, & eos qui majoritatis ætatem attigère, ex hac juris regula (*m*): *ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus*.

(m) Argum. legis de pretio ff. de publiciana in rem actione l. 6. t. 2.

Objectio ista nullius est ponderis: nam Edicto an. 1639. ceterisque ejus vel antecedentibus vel subsequentibus intelligitur raptus in sensu canonum sumtus, hoc est, raptus vi commissus & contra raptæ personæ voluntatem, aut ejus parentum, cum ob minoritatem in eorum est potestate; neque de se absque eorum consensu disponere potest: & ob eam caussam edicta illa voce *rapere*, Gallice, *ravir*, utuntur, ad exprimendam vim, quæ in raptus crimine admittitur. Neque ullus reperitur vel canon vel decretalis, quæ terminum raptus alio sensu usurpent, & quibus personæ majori, quæque sui juris est, tollatur facultas disponendi de persona sua, factis & actionibus suis; præsertim in iis quæ spectant ad matrimonium, quod a Tridentino etiam validum agnitum est in minoribus, qui illud absque parentum seu patris & matris consensu contrahunt. Fatemur itaque, juxta mentem Edicti anni 1639. ab iis valide contrahi non posse cum personis majoribus, qui vi eas & dissentientes abducunt; quod sic ab Ecclesia ac Principibus statutum fuerit, ut matrimonio sua

statet

ſtaret libertas quæ ab eo ſeparari non debet: ſed contendimus, neque Eccleſiam, neque Principes perſonam majorem privare voluiſſe plena libertate quam ipſi concedunt leges omnes ſeu civiles, ſeu canooicæ. Quæ cum ita ſit, jure dicimus, cum Carola ſit major & ſe ab Antoaio abduci nuptiarum cauſſa conſenſerit, ejus cum eo matrimonium validum eſſe, licet huic præter æquum & rationem intercesſerint ipſius parentes.

Certum quidem eſt, præter raptum violeotiæ, alium quoque admitti, quem fraudulentiæ ſeu ſeductionis vocamus, qui vulgo ſuppooitur, & reipſa ſæpe ineſt matrimoniis quæ minores cootrahunt ſine conſenſu, aut præter conſenſum patris, matris, tutorum, curatorumve ſuorum. Sed hæc numquam in majoribus præſumitur fraudulentia, qui de ſe ſuaque voluntate ad arbitrium ſuum diſponere valent; quare hæc altera raptus ſpecies non obtinet in caſu propoſito.

CASUS V.

Anastaaia, matrona vidua nobilis & potens, adoleſcentem pariter nobilem qui etiamnum in patris erat poteſtate, octodecim videlicet tantum anoos oatum rapi curavit, & quidem de ipſius cooſenſu; eique nupſit coram proprio ſuo Parocho multiſque teſtibus. Quæritur utrum validum ſit illud matrimooium?

Raspons.

Cum lex ultra ſenſum ſuum litteralem & nativum non ſit exponenda, & ex hac juris regula: *In pœnalibus* præſertim *cauſſis benignius interpretandum ſit* (*a*), videtur Lex, in viros puellarum aut mulierum raptores jure lata, ad ipſas puellas aut mulieres non eſſe amplianda quæ viros rapiunt abductioni ſuæ cooſentientes: atque adeo, cum de raptoribus tantum puellarum aut mulierum loquatur Trideatini Concilii decretum, nihil ſtatuens in mulieres quæ ſimili uterentur violentia, matrimonium inter mulierem & virum quem abduci curavit, eſſet validum, cum, ut in caſu propoſito, vir abductioni ſuæ & ſecuto ex ea matrimonio libere cooſenſit (*b*). Teſtatur Fagnanus, hanc opinionem non ſolam probabilem eſſe, ſed commuoiter etiam receptam (*c*): *probabilis & communis opinio*.

Cootraria tamen viget juriſprudentia in Gallia: nam feminæ quæ viros rapiunt, principum Legibus, eiſdem ibi ſubjiciuntur pœnis, quibus feminarum raptores: quocirca in foro externo invalide contractum declararetur tale matrimonium eo ſenſu, quo invalidum eſt illud quod contrahit pupillus ſine conſenſu parentum ſuorum aut tutoris curatoriſve ſui.

(*a*) L. *Fadlum* 187. §. 16. ff. de diverſ. reg. juris antiqui.

(*b*) Petrus Fulleoſis de præceptis decalogi c. 6. ar. 2. Andreas Victorellus ad Inſtruct. ſacerd. Tolet. l. 7. c. 17.

(*c*) Fagnanus in cap. *Ne innitaris*, de conſtitutionibus. n. 37.

Sponsalia, Matrimonium. Dispensatio Matrimonii.

IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA.

IMPDIMENTUM impediens tantum, eſt *illud quod impedit matrimonium contrahendum, ſed non invalidat contractum* (*d*). Duodecim autem vulgo recenſentur hujuſmodi impedimenta impedientia, quæ ſeorſim exponentur in prima hujuſce tituli deciſione, in qua oſtendetur, quatuor prima etiamnum obtinere; cetera vero conſuetudine oppoſita ſuiſſe abrogata.

(*d*) Polm. brev. Theol. 3. part. n. 415.

CASUS PRIMUS.

Jodocus, quamvis ligatus impedimentis quibuſdam quæ *impedimenta impedientia* vocantur, matrimonium contraxit. An ita ſe ſe gerere potuit abſque mortali peccato?

Raapons.

Priuſquam difficultati huic fiat ſatis, juvat heic exponere quæ ſint hujuſmodi impedimenta quæ dicuntur impedientia, & quæ oumero duodecim his verſibus comprehenduntur.

Eccleſiæ vetitum, nec noa tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito Votum,
Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Suſceptus propriæ prolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
Accipiat. Prohibent hæc conjugium ſociandum.

En terminorum illorum expoſitio, una cum probationibus horum impedimentorum quæ ad margioem indicantur.

Eccleſiæ vetitum ſignificat 1. prohibitionem ab Epiſcopo, aut Vicario ejus generali aut Officiali aut etiam a ſolo Parocho alicui factam, ne matrimonium contrahat, donec manifeſtum fiat, nullum eſſe impedimentum dirimens, quo invalidari poſſint meditatæ nuptiæ; vel Epiſcopum ipſum conſultaverint, 2. excommunicationem majorem vel minorem & interdictum quo durante prohibita eſt matrimonii celebratio, 3. omiſſiooem promulgatioois triplicis futuri matrimonii.

Tempus feriatum (*e*) tempus eſt Adveotus & Quadrageſimæ, quo durante non licet nubere.

Catechiſmus (*f*) deſignat impedimentum quod contrahitur ex una parte ab eo qui puerum dumtaxat ſuſcipit iis cærimoniis quæ baptiſmum antecedunt, aut quæ ſupplentur cum domi baptizatus eſt infans; & ex alia parte a patre & matre iofantis.

(*e*) Conc. Tr. ſeſſ. 24. de ref. matr. c. 10. & c. 1. & 2. de matrim. contracto contra interdict. Eccl. L. 4. 1. 16. can. *Non oportet*. 10. 33. q. 4.

(*f*) Cap. *Per catechiſmum*. 2. de cognat. ſpirit. in 6. 36.

Sponſalium (*g*) nomine intelliguntur ſponſalia quæ fuere valida, nec legitime fuere ſoluta.

Votum (*h*) ſignificat votum ſimplex caſtitatis ad quod referuntur Vota Religionis, ſacri Ordinis ſuſcipiendi & numquam nubendi.

Inceſtus (*i*) eſt copula carnalis habita cum defunctæ mulieris conſaoguinea in primo aut ſecundo gradu, noo vero in tertio aut quarto, ut vult Toletus (*K*): nam a ſancto Pio V. in conſtitutione 18. Novembris anni 1566. lata (*l*), declaratum eſt impedimentum illud ſecundum affinitatis gradum non excedere: quo circa reus hujus jam criminis alteras cum alia perſooa nuptias licite non poteſt contrahere.

Raptus ſponſatæ (*m*) ſignificat abductionem ab homine factam illius quæ alteri jam ſpopondit eo fine, ut cum ea carnaliter peccet, eoque interdicto ipſa continetur ſponſa, ſi ſuæ conſentiat abductioni.

Mors mulieris (*n*), hoc eſt mors quam privata ſua auctoritate vir mulieri ſuæ attulit, quo crimine fit, ut ex canonibus alteri nubere non poſſit; qua de re animadvertit Toletus, idem jure non fuiſſe conſtitutum impedimentum pro muliere quæ virum ſuum interfecit.

Suſceptus propriæ prolis (*o*) fit ex peccato quod alteruter conjugum committeret, ſuum e ſacro baptiſmatis foute puerum eo fine ſuſcipiens, ne alter uſum matrimonii poſſet requirere.

Mors presbyteralis (*p*) ſignificat homicidium commiſſum in perſona ſacerdotis, ac præcipue, ut advertit Panormitanus (*q*), cum reus convictus eſt, & juridice damnatus.

Si pœniteat ſolemniter (*r*): quibus verbis illud dumtaxat tempus intelligitur quo ſubſiſtit publica quæ injuncta eſt pœnitentia.

Aut monialem accipiat (*ſ*): hoc eſt illius auſus nefarius qui religioſæ præſumſiſſet nubere perſooæ.

(*g*) Cap. *Veniens*. 15. & c. *Si inter*. 3. de ſponſal & matrim. ex cap. *Accepiſti*. 2. & cap. *Licet*. 3. de ſponſa duorum.

(*h*) Cap. *Meminimus* 3. & c. *Veniens*. 5. qui Clerici vel voventes &c.

(*i*) Cap. *Transmiſſa*. 4. de eo qui cognovit conſanguineam oxoris ſuæ &c.

(*K*) Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 7. c. 19.

(*l*) S. Pius V. in Bulla *Ad Romanum*. Mag. Bullar. tom. 2. pag 193. col. 2.

(*m*) Can. *Statutum*. 34. 27. q. 2.

(*n*) Can. *Interfectores*. 5. & can. *Admonere* 8. 33. q. 2.

(*o*) Can. *De eo*. 5. 30. q. 1

(*p*) Cap. *Qui Presbyt*. 2. de pœnitentiis & remiſſ.

(*q*) Panor. in c. *Qui presbyt*.

(*r*) Can. *De his*. 12. 33. q. 2.

(*ſ*) Can. *Hi ergo*. 13. 27 q. 1. & can. *Si quis*. 17. ibid.

His

His præsuppositis, ad propositam quæstionem respondemus, dicendo, mortale admitti peccatum cum matrimonium contrahitur, non obstante impedimento interdicti, quo matrimonii celebrationem prohibet Ecclesia 1. a prima Adventus die dominica ad Epiphaniam; & a die cinerum ad octavam Paschatis inclusive. 2. non obstante illo impedimento, quo ab ecclesiastico superiore prohibetur matrimonii celebratio, donec ea quæ intervenire potuit, elucidetur difficultas: quæ prohibitio duabus Alexandri III. (*a*) decretalibus continetur. Idem dicendum de impedimentis sponsalium & voti. Ita nobiscum sentiunt Silvester, Petrus Sotus, Cardinales Cajetanus & Toletus, Navarrus & Sylvius. (*b*)

(*a*) Alex. III. in cap. *Littera*. 8. & in c. *Ex Litteris*, de matrim. contracto contra interdict. Ecclesiæ.

(*b*) Fr. Sylvius in suppl. sancti Thom. q. 40. art. un. quæsito 4. conclus. 2. 3. 4. 5. & 6. Silvester *Matrimonium*. 6. q. 10. Tolet. instruct. Sacerdot. l. 7. cap. 2. Ferrand. Lec. 4. &c.

1. Quod ad interdictum pertinet, seu hac voce intelligatur tempus illud, quo durante matrimonii celebrationem prohibet Ecclesia, aut ipsa legitima superioris ecclesiastici probibitio, a peccato mortali eximi posse non videntur inobsequentes: nam si interdicti nomine intelligatur prohibitio justa a superiore legitimo iis facta, qui contrahere volunt, certum est, id ab eis fieri non posse absque scandaloso ecclesiasticæ auctoritatis contemtu; qua in re leve non potest esse peccatum, ut probari potest ex iis, quibus utitur terminis Alexander III. scribens ad Episcopos Vigormensem, Bathuensem & Patavinum: (*c*) sic enim ad Patavinum rescribit de muliere, quæ, contemta Præsulis hujus prohibitione, matrimonium contraxerat. *Mandamus, quatenus...præfatam mulierem, ne præfatum mandatum tuum contemtibile videatur, ad domum matris redire compellas, & imposita sibi de tanto excessu pœnitentia condigna, postquam in domo materna per mensem steterit, ad torum reverti permittas*. Quæ pœna nititur ista Joannis VIII. regula, (*d*) *Quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur*. Hoc est, mulier illa digna erat, ob inobedientiam suam, quæ ab eo ad tempus quoad torum & domicilium sejungeretur, cui nubere contra Episcopi sui vetitum præsumserat, licet suum valeret matrimonium. Et quidem tantopere cavet Ecclesia, ut hac in re sua sarta tectaque teneantur mandata, ut quemlibet Parochum, seu sæcularem seu regularem, qui probibita illa non impedit matrimonia, trium annorum suspensione puniri jubeat, ut fert ista Innocentii III. decretalis in corpore juris relata: (*e*) *Sane si paræcialis sacerdos*, inquit hic Papa, *tales conjunctiones probibere contemserit, aut quilibet etiam regularis qui eis præsumserit interesse; per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit*.

(*c*) Alex. III. in cit. c. *Littera*.

(*d*) Joan. VIII. in can. *Vides*. dist. 10.

(*e*) Innoc. III. in cap. *Cum inhibitio*. 3. §. 2. de clandest. desp.

Pariter si voce interdicti sumatur pro tempore, quo matrimonium contrahere non licet; dubium esse non potest, quin mortale insit peccatum transgressioni prohibitionis, quam ea de re emisit Ecclesia in multis suis Conciliis seu œcumenicis seu privatis, quæ legi possunt in canonibus, a Gratiano in Decreto suo relatis, (*f*) ac præcipue in Tridentina synodo, quæ antiquas omnes innovat prohibitiones hoc suo decreto: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus præcipit*.

(*f*) Conc. Laodicen. an. 320. in can. *Non oportet*. sup. cit. Conc. Martini Bracarens. in can. *Non licet*. 9. 15. q. 4. Nicolaus Papa in can. *Nec numerum*. Il. ibid.

Contendunt quidem auctores quidam, nuptiarum tantum solemnitatem hoc tempore a sacrosancto illo Concilio prohiberi; quod quidem satis manifeste ex ipsius probari posse videtur Concilii terminis, (*g*) a quo antiqui dumtaxat renovantur Canones, qui solas interdicebant solemnitates; ut nuptialem dare benedictionem, publice conjugatam in domum mariti deducere, nuptiales apparare epulas: quæ sententia confirmari potest, 1. ex bis Ritualis Romani terminis: (*h*) *Meminerint Parochi, a dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive, solemnitates nuptiarum probibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia; matrimonium autem omni tempore celebrari posse*. 2. ex declaratione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, data die 31. Maii anno 1597. cujus hæc sunt verba: *Sacra Congregatio censuit ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive, convivia nuptiarum, solemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam decreto Concilii, decimo capite sessionis 14. de reformatione matrimonii prohiberi: sed matrimonium coram Parocho & testibus & eo tempore contrahi posse*.

(*g*) Fr. Sylvius loco cit. & Cajetan. in summa. v. *Nuptiarum peccata*.

(*h*) Ritual. Rom. tit. de matrim.

Verum omissa illa quæstione, an videlicet privatim & absque solemnitate matrimonium contrahi possit, ut volunt isti auctores; hoc unum asserere sat est, in hoc tenendam esse Ecclesiarum consuetudinem, quæ ne quidem privatas & absque solemnitate nuptias admittunt: quæ consuetudo, teste Sylvio, viget in diœcesibus Mechliniensi, Cameracensi & Audomaritana; quod etiam in omnibus Galliæ diœcesibus obtinet, quæ multorum secutæ sunt Conciliorum provincialium statuta, ac præcipue diœcesis Bituricensis, Narbonensis & Burdigalensis, quæ terminis generalibus, nullaque adhibita distinctione, matrimonii celebrationem hoc tempore prohibent (*i*).

2. Quod spectat ad impedimentum voti castitatis, religionis, sacros suscipiendi ordines, vel prorsus a matrimonio abstinendi; certum est, eum qui aliquo ex his votis ligatur, absque mortali peccato matrimonium contrahere non posse, licet votum esset tantum ad tempus limitatum, & nondum finitum. Ita docet sanctus Augustinus (*K*) his verbis: *In virginali & viduali continentia*, inquit sanctus Doctor, *excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa & voto debito debito oblata, jam non solum capessere nuptias, sed etiam, si non nubant, nubere velle damnabile est*. Quod probat hic sanctus auctoritate Apostoli, (*l*) addens: *Nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: cum in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed* nubere volunt, habentes, *inquit*, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Idem docet sanctus Hieronymus in canone relatus (*m*). Hinc alio legimus canone sic fuisse statutum (*n*): *Si vir simplex votum virginitatis habens, adjungitur uxori*, ait iste canon, *postea non dimittat uxorem, sed tribus annis pœniteat*.

(*i*) Conc. Sitoricens. an. 1584. de matrim. tit. 27. can. 14. Conc. Narbon. ann. 1609. c. 32. Conc. Burdigal. an. 1624. de matr. c. 7. n. 5.

(*k*) S. Aug. l. de bono conjugali c. 8. in can. *Nuptiarum*. 41. 27. q. 1.

(*l*) 1. ad Timoth. 5.

(*m*) S. Hieron. in can. *Si nupserit*. 5. dist. 27.

(*n*) Can. *Si vir*. 3. ead. dist.

3. Quod ad sponsalia pertinet, loquendo ut plurimum, contrahi non possunt nuptiæ cum alia persona non sine ejus prejudicio, quacum jam inita sunt sponsalia, absque reatu mortalis peccati; cum data fides servari debeat, factaque promissio confici. Dicimus, *ut plurimum loquendo*, quia in contrarium legitimæ quandoque haberi possunt rationes, uti observabitur, dum de sponsalibus.

4. Denique affirmari potest, non esse peccatum, si quis matrimonium contrahat, non obstantibus aliis impedimentis, de quibus dictum est: quod iis diuturna & contraria consuetudo ita derogasse videatur, ut ab iis jam dispensari nemo postulet, sciente Ecclesia, quæ tamen veteres suas non renovat prohibitiones. Ita sentiunt sanctus Antoninus, Paludanus, Ricardus, aliique Theologi; quibus assentiuntur Navarrus, (*o*) Sylvius, (*p*) Sanchez & Cabassutius, qui dicit, (*q*) his non opus esse immorari, quia jam omnino sublata sunt: *nam bis irretiti*, inquit, *sine ulla dispensatione videntibus Prælatis contrabunt*.

(*o*) Navar. Manual cap. 22. n. 75.

(*p*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thomæ. q. 52. art. un. quæsito 4. conclus. 5.

(*q*) Sanchez de matrim. l. 7. disp. 17. n. 8. Cabassut. l. 3. cap. 22. in fine.

CASUS II.

Candido notum est impedimentum impediens inter duas personas desponsatas, quarum factæ sunt futuri matrimonii denuntiationes: An tenetur sub reatu mortalis peccati, illud Parocho revelare?

Respons.

Existimamus, in casu proposito teneri Candidum ad revelandum Parocho tria ultima impedimenta,

dimenta, de quibus dictum est in responsione ad superiorem difficultatem; hoc est ea quæ continentur his vocibus: *Interdictum, sponsalia, votum*, sumtis eo quo explicuimus sensu: cum enim absque letali culpa hujusmodi impedimentis ligatus matrimonium contrahere nequeat; is profecto cui nota sunt, sub reatu ejusdem pœnæ eadem superiori revelare tenetur; cum aliter in re gravi Ecclesiæ revelationem imperantis mandatum infringeret; & aliunde eorum fieret particeps criminis, qui in hoc statu contraherent juxta illud Apostoli: (a) *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

(a) Roman. 1. 32.

INCESTUS.

INCESTUS *est copula carnalis consanguineorum, vel affinium intra gradus prohibitos*. Ita Polmanus incestum definit, (b) in se sumtum, & extra casum in quo conscii hujusce criminis, qui matrimonium vellent contrahere, legitimam obtinuissent dispensationem de consanguinitate, cujus Ecclesiæ prohibitio ad quartum inclusive gradum extenditur; aut de affinitate, quæ eamdem habet graduum amplitudinem, ea excepta quæ oritur *ex illicita copula*, quæ ad secundum tantum gradum protenditur.

(b) Polm. brev. Theol. part. 2, n. 2116.

Ex hac definitione liquet, duplicem distinguendam esse incestus proprie dicti speciem: unus est, qui inter personas consanguineas; alter vero qui inter affines committitur: quocirca ut consanguinitas & affinitas duplicem constituunt cognationis speciem, sic incestus uterque a se invicem specie differt. At tertia est etiam incestus species qui spiritualis dicitur, quod ad eas spectet personas, quibus cum cognatio seu spiritualis affinitas Baptismi, aut Confirmationis sacramentis contracta est; quibus a nonnullis Theologis sacramentum quoque Pœnitentiæ adjungitur: qua de re fuse agetur in secunda decisione.

Incestus est impedimentum matrimonii, quod per legitimam tantum dispensationem desinere potest, quodque post contractum matrimonium reum hujusce criminis privat jure debiti conjugalis exigendi, quod jus sola Episcopali dispensatione recuperare potest. (c)

(c) D. Genevn. tom. 2, pag. 324.

CASUS PRIMUS.

ABRAHAM commissum a se incestum cum Ansgarda, puella viginti annos nata, consanguinea sua, Parocho suo, uti simplicem fornicationem in confessione declaravit, quod sibi persuasum foret, non requiri ut Ansgardam suam esse consanguineam aperiret, cum ambo matrimonii lege essent soluti. Qua de re inquiritur, num circumstantiam istam reticere poterit, quin invalida fieret confessio sua?

RESPONS.

Id primo pro principio statuendum est, incestum videlicet crimen esse specie diversum a simplici fornicatione: ab eo namque pendet difficultatis propositæ nodus.

Certum est igitur, ab Abrahamo debuisse in Confessione manifestari, eam fornicationem de qua se ipsum accusabat, fuisse incestum, simulque exprimi gradum consanguinitatis, quo Ansgardæ junctus erat; quo omisso confessionem ipsius ex hoc defectu fuisse invalidam.

Ratio est quia declarari necesse est circumstantias quæ speciem peccati immutant; atqui circumstantia de qua in casu proposito agitur, peccati quod admisit Abrahamus, speciem immutat; quia fornicationis peccato novam addit alterius generis peccati deformitatem, scilicet reverentiam violandam in iis a natura impressam, qui consanguinitatis aut affinitatis vinculo sunt conjuncti. En verba sancti Thomæ ea de re loquentis: (d) *Circumstantia peccatum in aliud genus mutat, quando alterius generis peccati deformitatem addit. Et secundum hoc ...... incestus, qui est consanguinearum vel affinium abusus ..... quia castitatem violat in illis qui maximo fœdere conjunguntur, addit specialem deformitatem, scilicet naturalis fœderis violationem.* Eamdem rem alibi fuse probat Angelicus Doctor (e) his terminis: *Ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriæ, ubi invenitur aliquid repugnans usui debito venereorum. In usu autem consanguineorum vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ.* Quod probat idem sanctus Doctor tribus rationibus, quibus quartam ex Aristotele deductam superaddit.

(d) S. Thom. in 4. dist. 41. q. 1. art. 4. in corp.

(e) Idem 2. 2. q. 5 art. 2.

Prima ratio est ita: *Primo quidem*, inquit, *quia naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt ..... Manifestum est autem secundum prædicta, quod in actibus venereis maxime consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria. Unde de his homines verecundantur. Et ideo incongruum est, quod commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem. Et hæc caussa videtur ex primo Levitici 18. ubi dicitur:* Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus: *Et postea dicitur in aliis.*

Secunda ratio est: *Quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari. Unde si homines non arcentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis; & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam.*

Tertia ratio est: *Quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum: dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quasi speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui ...... Addit autem Aristoteles quartam rationem in 2. Politicorum; quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione venerea, fieret nimis ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat.* Ex quibus rationibus ita concludit sanctus Doctor: *Unde manifestum est, quod incestus est determinata luxuriæ species.*

CASUS II.

Vigilius Sancti Patricii Parochus de libidinoso commercio convictus est, habito cum puella, quam confitentem audierat. An idcirco spiritualem commisit incestum, & debitam incestuosis ferre debet pœnam?

Respons.

Priusquam sua sit difficultati huic responsio, sciendum est, incestum esse crimen commissum cum persona alteri conjuncta cognatione naturali aut spirituali, vel affinitate; & quodlibet aliud peccatum cum alis qualibet persona commissum dici non posse incestum.

Hoc præsupposito, dicimus, juxta quosdam Theologos spiritualem intercedere affinitatem inter Confessarium & personam, quam in confessione Sacramentali audivit; atque adeo, si cum ea fornicatus fuerit, conscium fieri criminis incestus, & tamquam incestuosum esse puniendum. Ita sentit Paludanus (*a*), & cum eo alii nonnulli, qui opinionem suum probant ex multis antiquis Canonibus, ac præcipue ex his verbis Symmachi Papæ a Gratiano in Decreto suo relatis (*b*): *Omnes quos in pœnitentia suscepimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unde Sacri Baptismatis regeneravit*: Et ex his aliis Papæ Cælestini I. (*c*): *Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessa peccata. Si forte, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteant, quo modo de filia spirituali.*

(*a*) Petr. Palud. in 4. dist. 42 q. 1. art. 2.

(*b*) Symmachus in can. Omnes. 8. 30. q. 1.

(*c*) Cœlestin. in can. Non debet. 10. ibid.

Attamen contrarium sentiunt alii omnes Theologi, & contendunt, spiritualem affinitatem proprie loquendo, non oriri, nisi ex administratione Sacramentorum Baptismatis & Confirmationis; non vero Pœnitentiæ; ut expresse declarat Bonifacius VIII. (*d*), qui, cum præmisit, ex administratione duorum illorum Sacramentorum spiritualem contrahi affinitatem, tum addit: *Ex datione vero aliorum Sacramentorum spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat vel dissolvat.* Idem quoque docet sanctus Thomas his verbis (*e*). *Per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur, proprie loquendo spiritualis cognatio .... nec obstat, quod per Pœnitentiam tollatur peccatum actuale: quia hoc non est per modum generationis; sed magis per modum sanationis.*

(*d*) Bonifac. VIII. in cap. Quamvis. 3. de cognat. spirit. in 6.

(*e*) S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 2.

Eamdem sententiam amplectitur Dominicus Sotus (*f*), quam ista ratione asserit: *Quod aliorum* (Sacramentorum) *nullum censetur generatio*, uti Baptismi & Confirmatio, *sed vel alimentatio, ut Eucharistia, vel sanatio & reconciliatio, ut Pœnitentia.* Quo dicto, tum Symmachi Papæ verba exponit, dicens: *Sed dicuntur filii spirituales; quia per doctrinam & monita atque administrationem Sacramenti reconciliat eos Deo; quod quamdam gerit cum spirituali genitura similitudinem*, Denique subjungit, nullam esse agnoscendam spiritualem affinitatem, quæ sit realis & proprie dicta, nisi eam quæ oritur ex administratione Baptismi & Confirmationis, atque adeo peccatum a personis commissum quæ hujusmodi affinitatem non contraxerunt, verum non esse incestum. *Attamen illa species peccati spiritualis incestus, qui committitur inter cognatos spirituales, non nisi cum illis, quos nec Sacerdos vel alius baptizavit, vel levavit de fonte.*

(*f*) Dom. Sotus in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.

Eamdem quoque doctrinam expresse tuetur Gamachæus his verbis (*g*): *Unde & solvitur quod alii opponunt de cognatione spirituali ex ministerio absolutionis Sacramentalis. Non enim absolutio hæc inducit proprie paternitatem spiritualem aut generationem .... Quia non fuit instituta ad tribuendas omnes prorsus virtutes, exempli gratia, fidem & spem: siquidem fides & spes manent in peccatoribus simul cum peccato mortali. Sed est potius ad solam justificationem & gratiam gratum facientem: ac proinde non est proprie generatio; quia non dat esse spirituale simpliciter. Adde quod absolutio habet potius rationem suscitationis, quam generationis; itaque nec proprie parit cognationem: non enim intelligitur cognatio inter eum qui suscitat, & eum qui suscitatur, sicut est inter illum qui generat, & illum qui generatur.*

(*g*) Gamachæus tract. de Sacram. matrim. c. 10.

Canones igitur summorum Pontificum Symmachi & Cælestini, ex quibus opinionem suam firmat Paludanus, intelligi tantum debent de cognatione spirituali impropria, uti eos exponit S. Thomas; & quæ ob eam tantum caussam talis dicitur, quia, ut loquitur idem sanctus Doctor, similitudinem quamdam habet cum vera proprieque dicta cognationem. Unde inferri necesse est Confessarium qui cum sua fornicatur pœnitente, incestus non esse conscium, sed criminis dumtaxat incestui valde affinis, & quo fit, at *tantum peccet*, pergit idem sanctus (*h*), *eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia.* Hinc sacri Canones eamdem pœnam pro utroque crimine imponunt, ne ob nimiam suam familiaritatem ad scelus ac libidinem invitentur hujusmodi personæ. *Hoc scelus si quis perpetraverit*, inquit Symmachus Papa (*i*), *non solum dignitatis honorem amittat, verum etiam usque ad exitum vitæ suæ jugi pœnitentiæ se subdat.* Hæc sunt etiam Cælestini Papæ (*K*) verba: *Ab omni officio deponatur & peregrinando duodecim annis pœniteat. Postea vero ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ suæ Deo serviat.* Denique nullum hic summus Pontifex discrimen ponit inter pœnam utrique crimini debitam. *Sic pœniteat*, inquit (*l*), *quomodo de filia spirituali, Episcopus quindecim annis, Presbyter duodecim, & deponatur, si tamen in conscientiam populi devenerit.* Secundus Canon inter eos qui pœnitentiales dicuntur, eamdem præscribit pœnam. Vigilius itaque eamdem subire debet pœnitentiam, quam ipsi sapiens imponeret Confessarius, si realem commisisset incestum, licet similitudinarii sit tantum reus (*m*). Ceterum de verbo *Incestus*, fusius hejc non agemus, quod de eo alibi multa fiat mentio.

(*h*) S. Thom. cit. loco.

(*i*) Symmachus in cit. can. Omnes.

(*k*) Cœlest. in can. Si quis. 9. 30. q. 1.

(*l*) Idem in can. Non debet. eod. loco cit.

(*m*) De Sainte Beuve, t. 3. cas. 184.

INDULGENTIÆ.

NOmen INDULGENTIA, juxta Silvestrum de Prierio (*n*), derivatur a verbo Latino, *Indulgere*, quod significat remittere, seu alicui condonare culpas, quarum factus est reus: quocirca Indulgentia eo sensu sumta, quo in hoc titulo intelligitur, significat *veniam & remissionem*: unde olim, *remissionum* nomine dictum est, quod hodie *indulgentiarum* verbo intelligitur; ut constat ex his verbis trigesimi octavi tituli, Libri quinti Decretalium Gregori IX. *De pœnitentiis, & remissionibus*; & ex hisce aliis Auctoriis Glossæ (*o*), *remissiones* seu *Indulgentias*. Id quidem manifestissimum fit ex Decretali Alexandri III. ad Archiepiscopum Cantuariensem in Anglia (*p*), a quo fuerat consultus hic summus Pontifex de amplitudine potestatis Præsulum pro concessione Indulgentiarum: quamvis enim in summario, quod huic Decretali præfixit sanctus Raymundus de Pennafort, adhibeatur vox ista, *Indulgentia* summus tamen hic Pontifex ver-

(*n*) Silvester de Prierio. v. Indulgentia. num. 1.

(*o*) Glossa in can. Romana. 1. hoc tit.

(*p*) Alex. III. in c. Quod autem. 4. eod. tit.

verbum dumtaxat, *remissiones* usurpat. Sic autem suam incipit responsionem: *Quod autem consuluisti, utrum remissiones quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum .... aliis prosint, quam his, qui remittentibus subsunt.* Et sic concludit: *Remissiones prædictas prodesse illis eatummodo arbitramur, quibus, ut possint proprii judices (id est Episcopi)* addit Glossa, *specialiter indulserunt.* Advertit Bellarminus (*a*), quod Ecclesia termino *Indulgentiæ* utens ac veniæ, loco termini *Remissiones*, in hoc tantum usurpasse sibi loquendi modum scripturæ, quæ modo hoc, modo illo utitur verbo, ad rem ferme eamdem significandam, ut videre est ex his Isaiæ verbis (*b*): *Prædicate captivis indulgentiam*; quod idem istis aliis sanctus Lucas exprimit terminis; *Prædicate captivis remissionem*. Qua in re eadem divina scriptura veterum Romanorum sequitur loquendi rationem Imperatorum, qui publicis ac generalibus quibusdam diebus pœnas remittere solebant, quarum digni erant nocentes, quibus delictorum suorum gratiam facere volebant. Quod quidem in Codice Theodosiano videre est titulo *de indulgentiis criminum* (*c*).

Explicato hoc modo Indulgentiæ nomine, jam ipsius exponenda est natura ac definitio, quæ triplex affertur, quæ ad eumdem redit sensum: prima est Angeli de Clavasio (*d*) Auctoris sæculi 15. qui eam sic definit: *Indulgentia est quædam remissio pœnæ debitæ pro peccato, post contritionem habitam de eo*. Altera est Silvestri, quæ sic habet: *Est .... Indulgentia Ecclesiastica donatio alicujus sumti de thesauro spirituali Ecclesiæ, facta peccatori, ut inde satisfaciat Deo pœnarum creditori.* Tertia denique est Polmani, qui indulgentiam universim sumtam ita definit: *Indulgentia est absolutio, potestate clavium a pœna injuncta, vel injungenda.*

Indulgentiarum virtus a solis omnium sanctorum meritis oritur, quæ ad Ecclesiæ thesaurum non pertinent, nisi ut subsidium, unice meritis Christi Domini subnixum, ut explicat Clemens VI. in una e Constitutionibus suis titulo 9 Extravagantium relata, cujus hæc sunt verba: *Ad cujus quidem thesauri cumulum, Beatæ Dei genitricis, omniumque electorum a primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur* (*e*).

Heic varias cum Van Espen Indulgentiarum species quæ in Ecclesia fuere in usu, non recensebimus, neque etiam de tempore fiet mentio, quo vigere cœperunt, neque etiam de variis quas refert, opinionibus multorum illustrium quos laudat, Theologorum, quales sunt Guillelmus Episcopus Antissiodorensis (*f*), Pater Morinus (*g*), & Cardinalis Baronius, unica fidei professione contenti, qua dicitur; *Indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse*, (primis scilicet pastoribus ejus,) *illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse*. At vero immoderatos earum abusus comprobare non possumus, in quos prærupere quidam Præsules post sæculum decimum secundum, de quibus loquitur quartum Lateranense Concilium, habitum an. 1215. sub pontificatu Innocentii III. cujus Decretum refertur in corpore juris Canonici, in quo dicuntur indiscretæ & superfluæ; quod antiquæ Ecclesiasticæ Disciplinæ vigorem debilitarent, & ex earum facilitate Indulgentiæ tantum a fidelibus haberentur ut facile medium, quo integram pœnarum delictis suis debitarum remissionem obtinere poterant, quin eadem convenienti satisfactione expiarent; cum eas tantum habere deberent, uti medium supplendi impotentiæ suæ atque infirmitati, ut earum ope plenius divinæ justitiæ satisfacerent.

Equidem stolide errat, si quis putet, sub obtentu quarumdam orationcularum, nec non aliquot eleemosynarum modicarum, se debitis justitiæ divinæ ob crimina sua omnia pœnis esse defunctum. *Pœnitentiales Presbyteri*, inquit Christianus Lupus (*h*), Van-Espen relatus (*i*), *qui tempore indulgentiæ pro gravibus peccatis imponunt leves pœnitentias, hallucinantur insigniter, & peccatoribus plurimum nocent: quo major ei pœnitentia imponitur, fiunt viciniores satisfactioni, & ad Indulgentiæ fructum aptiores*. Unde sequitur nulla tutiori atque utiliori via pœnitentes peccatores ad lucrandas indulgentias magis esse paratos, quam, si laboriosis pœnitentiæ operibus mereantur, ut Ecclesiæ eorum infirmitati atque bonæ voluntati indulgens defectum pœnitentiæ, oblatæ sibi indulgentiæ auxilio suppleat; ut scite exponit sanctus Carolus Borromeus, de Jubilæo loquens (*K*). Rei psa, qua lætitia, animi alacritate atque fortitudine Romam, aut etiam in aliam multo etiam remotiorem urbem quis se conferret, si hinc amplas opes temporales, licet fluxæ sint & caducæ, se asportaturum speraret, tamquam hujusmodi itineris mercedem & earum quæ in eo conficiendo toleratæ sunt, defatigationum? Quid

igitur

(*a*) Bellarm. l. 1. de Indulgent. c. 2.

(*b*) Isai. 61. Luc. 2.

(*c*) Cod. Theodos. l. 9. tit. 38.

(*d*) Summa Angeli ad v. *Indulgentia*.

(*e*) Clem. VI. in c. *Unigenitus*. 2. de pœnit. & remiss.

(*f*) Guillelm. Antissiod. in Sum. l. 4.

(*g*) Morinus l. 10. c. 20.

(*h*) Christianus Lupus dissertat. prœmio li. c. 8.

(*i*) Van-Espen. jus Ecclesiasticum Universum. 2. tit. 7. num. 16.

(*k*) S. Carol. Act. Eccles. Mediol. part. 7. tom. 2. p. 951.

igitur Chriſtiano faciendum, ut ab Eccleſia copioſe & gratuito divitias ac ſpirituales theſauros obtineat, quorum adminiſtrationem ac diſpenſationem habet. Ita ratiocinatur ſanctus Archiepiſcopus.

CASUS PRIMUS.

CUM Breve Papa conceſſiſſet, quo ſeptennales decernebantur Indulgentiæ pro ſodalitio in Eccleſia ſancti Mammeſti erecto, illud Diœceſanus Epiſcopus examinare ſe poſſe contendit, priuſquam ejus promulgationem fieri permitteret. Numquid hoc ei jus competit?

RESPONS.

Certum eſt jus illud Epiſcopo competere, quia ſolus Brevis illius publicationem permittere poteſt ex decreto Concilii Tridentini (a): *Indulgentias vero, aut alias ſpirituales gratias, quibus non ideo Chriſti fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum (adhibitis duobus de Capitulo)* (clauſula hæc in Gallia non obtinet) *debitis temporibus populo publicandas decernit* (ſancta Synodus).

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 9.

Intereſt autem plurimi ad bonum ſpirituale populorum qui Epiſcopi juriſdictioni ſubjacent, ut ſibi Brevia eſſe authentica, non vero abuſiva, conſtet; quod quidem prævio tantum examine diſcernere queunt Præſules. Hinc Clemens V. cum per ſe Concilio Viennenſi œcumenico, in Delphinatu an. 1311. habito præeſſet, loquens de quæſtoribus, quos ſibi miniſtros habebat eo tempore Eccleſia & qui a Concilio Tridentino penitus fuere ſuppreſſi, juſſit, ut Diœceſani quos adirent, Epiſcopi Brevia diligenter examinarent, vi quorum collecta ſua mendicabant, ut eorum falſitatem, vel, ſi qui eſſent, abuſus cognoſcerent. *Litteras quoque Apoſtolicas Diœceſani Epiſcopi*, inquit hic Papa (b), *ne quid fraudis committi valeat per eaſdem, antequam admittant quæſtores ipſos, examinent diligenter*.

(b) Clem. V. c. Abuſionibus. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 5. Clement. tit. 9.

Idem conſtitutum eſt a Concilio Cameracenſi an. 1567. his verbis (c): *Prohibet ſancta Synodus, ne quis ullas novas aut ignotas Indulgentias populo commendet, aut promerendas offerat; niſi prius ab Ordinario viſitatæ fuerint & probatæ*. Sic etiam ſtatuit Concilium Rotomagenſe an. 1581. (d), loquens de Indulgentiis a Papa conceſſis Xenodochiis: *Statuimus, ne deinceps a noſtris Officiariis recipiantur aut ſubſignentur, priuſquam Epiſcopis de Sanctæ Romanæ Eccleſiæ diplomate per ipſius inſpectionem conſtiterit*. Nec aliter loquitur Concilium Turonenſe an. 1583. (e), cujus hæc ſunt verba: *Sublato etiam, qui in multis Diœceſibus invaluit, abuſu, omnibus Eccleſiaſticis cujuſcumque ſtatus, ordinis aut dignitatis exſiſtant, prohibemus; ne Indulgentias aut alias ſpirituales gratias, ſive ab antiquo ſive poſt Tridentinum Concilium conceſſas, audeant in poſterum publicare, præter eas quas Ordinarii locorum ..... debitis temporibus populo publicandas judicaverint*. Ita quoque rem expreſſe definivit Aquenſe Concilium an. 1585. (f) Eſt etiam Narbonenſis Concilii an. 1609. (g) Conſtitutio iſta: *Statuimus, ne in Eccleſiis, aut alias quoquomodo publicentur Indulgentiæ, niſi ab Epiſcopis viſæ, & per eorum ſigillum aut ſignum & Secretarii ſuſcriptionem, appareat Parochis eas a ſummo Pontifice conceſſas fuiſſe*.

(c) Conc. Camer. tit. de Indulg.

(d) Conc. Rotomag. tit. de Epiſc. off. §. 31.

(e) Conc. Turon. init. ſcilicet de profeſſionis fidei tuendæ cura.

(f) Concil. Aquenſ. tit. de Indulgentiis.

(g) Concil. Narbon. c. 12.

Denique iſtud diſciplinæ caput univerſim tenetur in Gallia, ut patet ex hac Comitiorum Cleri Gallicani an. 1625. (h) ordinatione: *Prohibetur omnibus Religioſis & aliis, ne ullas promulgent Indulgentias abſque licentia ſcripta Epiſcopi Diœceſani*.

(h) Comitia general. Cleri Gallic. an. 1625 art. 9.

CASUS II.

CUM Religioſa Communitas, Epiſcopi auctoritati ſubdita pro ſeptennio Breve Apoſtolicum Indulgentiæ plenariæ obtinuiſſet in favorem ſodalitatis recens conſtitutæ; illudque Communitatis ſuperior Epiſcopo examinandum obtuliſſet ad obtinendam illius promulgationis facultatem, Breve illud per tres menſes retinuit Epiſcopus, non concedendo requiſitam licentiam; num ita ſe gerere potuit Epiſcopus illæſa juſtitia, ſervatoque officio ſuo?

RESPONS.

Quamvis authenticum agnoſcat Epiſcopus Indulgentiarum Breve quod ſibi offertur, nec ſit in eo quod reprehendat, non tamen illius promulgandi licentiam facere ſubito non tenetur, ſed eam ad tempus prorogare poteſt, quo id ipſum ſpirituali fidelium bono convenientius judicat. Ratio eſt, quia, cum ſummus Pontifex ad ſpiritualem tantum fidelium utilitatem hujuſmodi gratias concedat, neque ipſe legitimum ferre queat judicium de tempore quod magis conveniens eſt; id ipſum Ordinariorum judicio permittitur, ut patet ex verbis iſtis Concilii Rotomagenſis in ſuperiori deciſione allatis, quæ conveniunt pariter cum dictis Concilii Tridentini: *Quas Ordinarius locorum ..... debitis temporibus populo publicandas judicaverint*.

Obtinet uſus, ut quibuſdam hebdomadis Bullarum etiam Jubilæi univerſalis promulgationem differant, cum id ſibi faciendum ob aliquam legitimam cauſam putant. A fortiori ad aliquod tempus ſimplicis Brevis Indulgentiarum publicationem prorogare valent, cum ſibi perſuaſum eſt, opportune eam differi poſſe. Unde dici nequit, Epiſcopum de quo loquitur caſus propoſitus, in juſtitiam officiive ſui debitum peccaſſe, ſi fidelium bono conveniens exiſtimaverit petitiam prorogare licentiam, eamque tribus poſt menſibus tantum ejus petitione concedere (i).

(i) De Sainte Beuve, tom. 3. caſ. 37.

CASUS III.

CUM Innocentius Papa XI. Indulgentiarum Breve ad annos novem conceſſiſſet pro Eccleſia parochiali ſanctæ Julittæ, cujus promulgationem neglexit Parochus, qui etiam præmortuus eſt; Indulgentiæ illæ non niſi poſt decem annos a data Brevis publicatæ ſunt cura ipſius ſucceſſoris: qua de re quæritur, num iſte defuncti Parochi ſucceſſor non peccaverit, populo ſuo Indulgentiarum iſta ſpecie illudens, cum earum tantum promulgationem obtinuerit anno & amplius poſt elapſum terminum?

RESPONS.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, id tamquam regula certa præſupponendum eſt, Breve videlicet Indulgentiarum ſuum non obtinere effectum, niſi a die promulgationis ipſius, ut ſatis indicant verba Tridentini Concilii aliorumque in prima deciſione citatorum. Quod cum ita ſit, dicendum, Breve de quo agitur, tantummodo defectu promulgationis fuiſſe ſuſpenſum, neque lapſu temporis irritum evaſiſſe; ſed, ut lex Principis, quæ decennio poſt quo lata eſt, tantum promulgata fuit, ſuum a die promulgationis ſortitur effectum; ita pariter Breve illud ſuum obtinere effectum inito calculo a die qua Epiſcopi auctoritate promulgatum eſt; quod novem Indulgentiarum anni non incipiant a die datæ aut receptionis Apoſtolici Brevis, verum a die ipſius promulgationis. Unde ſequitur, Parochum qui illud exſecutus eſt, obtenta illius promulgandi venia, non peccaſſe, nec Parochianorum ſuorum credulitate abuſum fuiſſe: cum Breve illud ſit authenticum, nullamque includat clauſulam: qua irritum declaretur defectu publicationis in tempore determinato (k).

(k) Idem tom. 2. caſ. 32.

CASUS IV.

ARSANIUS, ſancti Gaudentii Abbas regularis, cujus Abbatia intra fines Parœciæ Sancti Lupi poſita eſt, Breve Indulgentiarum obtinuit pro Eccleſia Parochiali quæ Abbatiæ ſuæ juriſdictioni ſubjacet; Breveque illud ſcribitur *viro in dignitate conſtituto*. Id autem Abbas promulgari curavit a Parocho die feſto Patroni; multique loci incolæ In-

dulgentias illas lucrari voluerunt: quo cognito Episcopus prohibuit, ne qua earum haberetur ratio. Quæritur autem, num Episcopus, tuta conscientia, his adversari potuerit, nec veræ sint istæ Indulgentiæ?

Respons.

Episcopis jus illud competit, ut omnem Indulgentiarum promulgationem, vel factam, vel faciendam, absque auctoritate sua, intra fines diœceseon suarum impedire valeant; eæque tamquam obreptitiæ vel subreptitiæ possunt haberi. Ratio est, quia jus illud habent a Concilio Tridentino, aliis omnibus exclusis personis; uti ab aliis quinque supra laudatis in responsione ad primam difficultatem, quorum verba heic denuo afferre inutile est. Juvat tantum heic recitare decretum quinti Concilii Provincialis Mediolanensis, sub sancto Carolo Borromæo an. 1579. habiti, cujus hæc sunt verba decretoria quoad propositum casum (a): *Ne cuivis Rectori Ecclesiæ, etiam exemtæ, quovis modo, neque ulli Ordini Regularium, neque cuiquam scholæ, etiam Confratriæ, Rosarii & Crucesignatorum, locive pii Collegio, prætextu, causave vel privilegiorum antiquiorum, vel Indulgentiarum, quas sibi quovis modo Confratriarumve urbis Romæ, habet, liceat illas ipsas in suis Ecclesiis promulgare: sed, ut decreto Tridentino cavetur, per Episcopum ... illæ quatenus statato tempore publicentur atque evulgentur.*

(a) Conc. Mediol. 5. part. 2. tit. 5.

CASUS V.

Cum Cyrillo Ulyssiponensi Archiepiscopo ablatum fuisset Breve Indulgentiarum; advertit hic Præsul, eas esse immoderatas ac nimias; quare earum promulgationem concedere gravatur. An earum publicationem recusare potest, illæsa Apostolicæ sedi debita reverentia?

Respons.

Certum est hanc non esse Papæ intentionem, ut effusas immoderatasque concedat Indulgentias quæ eo tantum conferunt, ut Ecclesiasticæ disciplinæ vigor debilitetur, ac plebs credula decipiatur. Præsul itaque cui hujusmodi offeruntur Indulgentiæ, eas subreptitie obtentas fuisse judicare, & earum in sua diœcesi promulgationem recusare debet.

Nititur hæc decisio decretali Innocentii III. (b), in qua declarat hic summus Pontifex, quod *Per indiscretas & superfluas Indulgentias*, hæc sunt ejus verba, *quas quidam Ecclesiarum Præsules facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur & Pœnitentialis satisfactio enervatur*. Quibus addit: *Cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare*. Cum igitur videntur Indulgentiæ 20000. vel 35000. & etiam 58000. annorum, uti vidimus typis excusas ac publice expositas in Ecclesia monasterii cujusdam, cujus nomen silere congruum ducimus; ipsæ procul dubio spectari debent, uti abusivæ ac subreptitiæ; ac dici potest cum docto Theologo (c): *Solus Papa Christus*, hæc sunt propria ejus verba, *potest illam tot dierum & annorum mille millium Indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diversis concessionibus summorum Pontificum vel aliorum sub variis temporibus, locis & causis*. Cujus rei hanc subjungit causam: *Et forte talis enormitas concessionis ab aliquibus quæstuosis, aut aliter male motis conficta est*. Addit etiam hic Auctor inclytus (d) quod *Indulgentiarum concessio per tot millia nedum dierum, sed & annorum videtur difficulter salvabilis post remissionem æternæ pœnæ & commutationis in temporalem* (scilicet absolutione sacramentali factam). *Constat enim, quod nec homo singularis in hac vita potest, aut debet ad tot annos obligari pœnitentiam agere; cum non victurus sit ad millesimam partem tot annorum; & nemo ad impossibile obligatur. Constat præterea, quod dum mundus finem habebit, cessabit Purgatorium; & tu consequuti dies pœnarum suarum.*

(b) Innoc. III. in cap. Cum ex eo, 14. de pœnis. & remissionibus. lib. 5. tit. 38.

(c) Joan. Gerson. tract. de indulg. consid. 8.

(d) Idem ibid. consid. 10.

Ob istas rationes alibi concludit hic Auctor, quod (e), *fatuæ sunt & superstitiosæ quædam intitulationes de Indulgentiis mille annorum .... & esset per Prælatos providendum: quia cedit hoc in contemtum & irrisionem Indulgentiarum; nec continet veritatem*. Hinc Prælati Concilii Rhotomagensis an. 1581. sub Cardinali Carolo Borbonio coacti ita summum Pontificem exorandum esse duxerunt (f). *Supplicandum duximus sanctissimo Domino nostro Papæ*, inquiunt, *ut in his condendis moderatio juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhibeatur, quandoquidem vilescunt propter frequentiorem usum, & earum in omnibus festis solemnioribus multitudinem, quum ad quæstum nunc interpretantur. Deinde nimia facilitate & frequentia indulgendi omnia graviora crimina, etiam reservata, sine expressa restitutione & satisfactione aut confessione proprio Parocho facienda, Ecclesiastica disciplina enervatur, & ad eadem, aut majora perpetranda crescit hominum audacia. Vilescunt insuper ex Curatorum in his publicandis irreverentia, qui populo nec annuntiant sua scelera; nec peccata, nec pœnas norunt explicare, quibus illa sunt obnoxia, & quanta egeant indulgentia* (g).

(e) Idem opusc. de Confess. sacramentali. q. 2.

(f) Conc. Rothomag. an. 1581. tit. de Episcop. officiis. §. 35.

(g) D. Thiers. tom. 4. de superst. cap. 13. p. 184. 185.

Ex dictis hactenus manifestum fit, Archiepiscopum de quo in casu proposito agitur, non posse solum, sed & debere etiam, oblatum sibi Indulgentiarum Breve promulgandi licentiam denegare, cum sint nimiæ & immoderatæ; neque ipsum quidquam in debitam Apostolicæ sedi reverentiam esse acturum, cum hujusmodi Indulgentias concedere non intendat summus Pontifex; quippe quæ menti Ecclesiæ sunt contrariæ atque adeo abusivæ.

CASUS VI.

Cum Parochus atque æditui Ecclesiæ Parœcialis sancti Lucæ a summo Pontifice Breve obtinuissent, quo iis omnibus plenaria concedebatur Indulgentia, qui rite dispositi in sacello beatæ Virginis in hac Ecclesia posito communicarent die festa Annuntiationis, quæ in vigesimam quintam Martii diem incidit; cumque festum illud ob Paschatis solemnitatem ad mensem Aprilem fuisset translatum; quærit hic Parochus, utrum Indulgentia quoque translata præsumenda sit; ita ut qui contenta in pontificio Brevi perficiunt, eam re vera lucrentur eo ipso die, ad quem translata est?

Respons.

Sylvio an. 1623. similis ferme proposita est quæstio (h), ad cujus solutionem multos laudat Auctores, qui contendunt, in tali casu Indulgentiam cum Festo non transferri, nisi privilegium illud expresse Brevi continentur, quo concessa est Indulgentia. Ipsorum opinionem probat & sequitur doctus hic Theologus; sed cum hac adstrictione, quod si Breve generatim diem festum designet, non designato præcise 25. Martii, probabile est, tum Indulgentiam transferri ad diem quo celebratur & solemnitas festi: & in exemplum affert eundem hunc festum diem Annuntiationis. En verba ipsius: *Unde, si conceditur Indulgentia in festo Annuntiationis B. Virginis; & quoniam dies vigesimas quintas Martii cadit in septimanam sanctam, festum simul cum officio transfertur ac celebratur post Dominicam in Albis, probabile esse Indulgentias lucrandas esse, non in die 25. Martii, sed eo die quo post Pascha festum illud celebratur.*

(h) Fr. Sylv. resolut. veri. v. *Indulgentia*. & apud eum Joan. Azorius. tom. 2. l. 5. c. 28. q. 8. Laurent. Portell. qq. de Regular. v. *Festi dies*. & Fagundez.

Confirmari potest hæc sententia ex præsumtiva intentione Papæ, dum talem Indulgentiam concedit: cum enim eam præcise ad talem aut talem mensis diem non restringat, sed ad eum dumtaxat quo celebranda est hujus festi solemnitas; censetur etiam assentiri, Indulgentiam suum sortiri effectum, quocumque die festum celebretur: quod consentaneum est cum regula juris, qua dicitur: *Favores convenit ampliari*. Et quidem si obtineat hæc regula pro gratiis temporalibus, quas concedunt sæculares Principes, ex his Legis verbis: *Beneficium Imperatoris,*

quod

quod a divina scilicet Indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus (*a*): quanto magis obtinere debet pro gratiis pure spiritualibus, quas ad salutem dumtaxat Fidelium concedit Ecclesiæ capue: alioquin sequeretur quod eos quibus ista fuisset gratia, ejus beneficio privarentur pro re quæ sua careret culpa, contra istam S. Gregorii regulam: *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit* (*b*).

(*a*) Leg. Bonifacium. 3. ff. de constitutionibus Principum. l. 1. tit. 4.

(*b*) S. Greg. in cap. Cognoscentes. 2. de constitutionibus. l. 1. decretal. tit. 2.

CASUS VII.

SANCTI Tarini Parochus ab annis 30. Indulgentiarum perpetuarum Breve obtinuit pro Ecclesia sua, quæ ad diem S. Nominis Jesu fuere assignatæ. Mortuo isto Parocho, Gilbertus ipsius successor Parochianis suis declaravit Indulgentias istas non amplius subsistere: Quod ejus dictum scandali occasionem præcipuis loci illius præbuit incolis; qui illas semper se posse lucrari contendunt. Numquid pro ipsis stat jus?

RESPONS.

Hallucinantur illi Parochiani. Quamvis enim Indulgentiæ Brevibus concessæ, in iis perpetuæ dicantur; verum est tamen, vocem hanc ad literam non esse sumendam, ut sumuntur illæ, de quibus in VI. decisione fit mentio, sed conformiter ad stilum Curiæ Romanæ & ad interpretationem ejusdem Romanæ Cancell. quæ in LVII. regula sua declarat vocem *perpetuæ*, ad 20. dumtaxat annorum spatium esse restringendam. Ex quo sequitur, non sine caussa Gilbertum contendisse Indulgentias a prædecessore suo jam ante 30. ann. obtentas, non amplius subsistere. Sic autem de re ista loquitur inclytus Doctor Sorbon. (*c*): *Reduci semper debet Indulgentia perpetua ad curriculum 20. annor. propter Regul. 57. Cancellar. Roman. in qua habetur, Indulgentiam absolute concessam alicui Ecclesiæ pro tali die cujuslibet anni futuri; restringendam esse ad 20. annos, ut recte notat Nav.* En verba Navarri, quem laudat hic Theologus: *Concessio Indulgentiarum stricte interpretanda est; quoniam Indulgentia pro certis diebus Festis cujuslibet anni futuri restringenda est usque ad 20. ann. ex Regula Cancell. 57. Cum tamen in alia materia restrictio non fiat.* Addit postea Gamachæus, quosdam esse Auctores, (*d*) qui aliter sentiunt. *Alii volunt*, inquit, *dictas Indulgentias communiter extendi ad proximum Jubilæum, quo scilicet omnes plenariæ remissiones suspenduntur, etiamsi perpetuæ illæ ac perennes fuerint*. Ad quam sententiam ita respondet idem Gamachæus: *Atqui hoc spatium*, ait, *est circiter 20. annor. aut ad summam 23. annor. siquidem anno 24. solet summus Pontifex suspendere omnes Indulgentias usque ad finem Jubilæi anni sequentis; vel etiam quamdiu placuerit, ut patet ex Bulla Greg. XIII. & Clem. VIII. ..... Deinde & alii respondent satis probabiliter, nullas hodie amplius esse Indulgentias perpetuas, stricte & proprie sumtas, sed tantum improprie & late: quia etsi per quasdam Bullas Pontificias videantur formaliter explicite in perpetuum concedi; attamen virtute implicite sunt solum ad tempus 20. ann. ob supradictam Cancellariæ Regulam, quæ in his Bullis omnibus semper intelligi debet.* Navarro & Gamachæo assentitur Reginaldus; qui suam multorum suffragiis auctorum opinionem confirmat (*e*), quibus Jacobus de Graffiis addemus (*f*).

(*c*) Gamach. Tract. de Indulg. c. 60.

(*d*) Benson. l. 4. c. 4. dubio 6. Zerola l. 2. de Indulg. n. 10. §. 8.

(*e*) Valerius Reginaldus in Praxi fori pœnitentialis. l. 7. sect. 2. §. 039. & apud eum Anasan & alii.

(*f*) Jacobus de Graffiis in appendice decisionum aurearum. l. 2. c. 8. n. 3.

CASUS VIII.

SUMMUS Pontifex plenariam concessit Indulgentiam Ecclesiæ S. Paullini ad diem festum S. Jo: Baptistæ, cum solita ista clausula Brevi inserta: *Volumus autem, quod si in dicta Ecclesia aliæ Indulgentiæ perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturæ, concessæ sint ...... præsentes, nullius sint valoris.* Atqui jam similis erat Indulgentia perpetua in eadem Ecclesia pro die festo S. Patroni. Quæritur ergo, an invalidum sit Breve illud propter priorem Indulgentiam; an vero intelligenda sit tantum & exponenda clausula Brevi inserta de festo die S. Jo: Baptistæ; ita ut, cum huic diei nulla sit Indulgentia, hæc suum debeat habere effectum, licet alia fuerit jam concessa pro die festo S. Patroni?

RESPONS.

Clausula ultimi Brevis intelligenda est de quacumque alia Indulgentia plenaria concessa huic Ecclesiæ pro quacumque die: quare secundum illud Breve nullum habere potest effectum, cum eidem Ecclesiæ similis jam concessa fuisset Indulgentia in diem festum Patroni. *Nobis innotuit*, inquit Sylvius (*g*), *mentem Pontificis esse, ut Indulgentiæ, quas cum ejusmodi clausula concedit, nullæ sint; si pro eodem, vel pro quocumque ullo die anni concessæ sint aliæ Indulgentiæ perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturæ, eamdem Ecclesiam visitantibus*. Sententiam suam probat hic Theologus ex Epist. quam Leodic. Episc. 22. Maii ann. 1642. scripsit ad D. Vant Laurentem, cujas hic est tenor: *Sua Eminent. Dom. Card. Barberinus per Epistol. de data 51 mensis Apr. mihi mandat, quod sua Sanctitas * ad intentionem suam melius explicandum contra interpretationem dictæ clausulæ, per aliquos Religiosos datam statuit, ut deinceps in iisdem Indulgentiis inseratur sequens clausula*: Volumus autem, si alias pro Christi Fidelibus in quocumque anni die dictam Ecclesiam, sive Capellam, aut Altare in ea situm visitantibus aliquam aliam Indulgentiam, etiam dissimilem perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus; præsentes nullæ sint.

(*g*) Fr. Sylvius resolut. Vari. v. Indulgentia. 3.

* Urbanus VIII.

Addit Sylvius sub eadem clausula ab Urbani VIII. die 1. Aprilis concessum fuisse Breve Indulgentiarum Religiosis Monialibus S. Catharinæ Senensis Duaci pro die Assumtæ Virginis, aliudque simile sub eadem clausula visitantibus Ecclesiam S. Brigittæ ejusdem urbis.

Certum est itaque, Indulgentiarum litteras a Papa concessarum visitantibus Ecclesiam S. Paullini die S. Jo: Baptistæ, esse prorsus irritas; quandoquidem pro alio die jam in eadem Ecclesia erat similis Indulgentia.

CASUS IX.

PLENARIA a Summo Pontifice concessa est Indulgentia perpetua pro Ecclesia S. Clotildis. Superior hujusce Ecclesiæ, constituto recens in eadem Ecclesia sodalitio, quod probavit Episcop. Breve plenariarum Indulgentiarum pro ipsius sodalibus ad septennium in Romana Curia obtinuit. An Breve illud promulgari potest & suum obtinere effectum, dum plenaria subsistit Indulgentia?

RESPONS.

Altera hæc promulgari potest Indulgentia, quam proinde lucrari possunt Sodales. Nam, quamvis subsistente actu plenaria ac perpetua Indulgentia in aliqua Ecclesia, novi Brevis, quo alia ad septennium obtenta est plenaria Indulgentia in eadem Ecclesia, promulgatio permitti nequeat, quia Brevibus ad septennium hæc vulgo inseritur clausula: *Volumus autem, ut si alias Christi fidelibus in quocumque alio die, dictam Ecclesiam, seu Capellam, aut Altare in ea situm visitantibus, alia aliqua Indulgentia, vel perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit; præsentes nullæ sint*: Nihilominus, cum clausula ista intelligi tantum debeat de alia Indulgentia plenaria locali, non vero de personali; dici potest, quod cum ea de qua agitur, Indulgentia perpetua sit mere localis, Breve Indulgentiæ plenariæ ad septennium concessæ promulgari potest, suumque sortiri effectum; cum certum sit, Indulgentias Sodalitio seu Confratriæ concessas esse personales, ac proinde eas posse subsistere cum iis quæ mere sunt locales; qualis est Indulgentia concessa Ecclesiæ S. Clotildis (*h*).

(*h*) De Sainte Beuve, t. 3. cas. 37. p. 134.

CASUS X.

CUM Breve septennalis Indulgentiæ plenariæ a Papa fuisset concessum Sodalitio S. Sepulcri Domini nostri Jesu Christi instituto in Ecclesia regulati

gulari S. Francisci; Confratres libellum suum supplicem 1. Sept. 1796. Campsori eo fine commiserunt, ut ad alios annos 7. ejusdem Indulgentiæ prorogationem obtinerent, eumque datis ipsi commentariis suis monuerunt, priorem Indulgentiam ultima tantum Decembris consequentis die esse elapsuram. Alterum, quod postulabant Breve 1. die Octobris obtentum est, iisdem terminis atque sub iisdem conditionibus enuntiatum, & istia in primis; *Volumus Ecclesiam N. N. simili ad præsens privilegio, ut accipimus, minime decoratam, hoc speciali dono illustrare.* Qua de re quæritur 1. utrum alterum illud Breve non sit obreptitium ac nullum; cum in eo declaretur contra veritatem, nullam esse similem Indulgentiam in Ecclesia, ubi constituta est hæc Sodalitas; & tamen in ea primum Breve subsistat, quod post ultimam tantum diem Decembris debet desinere. 2. Utrum, posito quod non sit invalidum, suum debeat habere effectum a die datæ tuæ, hoc est, 1. Octobris & ejus promulgatio concessa fuerit?

R E S P O N S.

Alterum Indulgentiarum breve validum est, non vero obreptitium, quamvis in eo declaretur, nullam similem esse Indulgentiarum in Ecclesia, in qua instituta est Sodalitas ista, *Ecclesiam simili ad præsens privilegio minime decoratam.*

Ratio est, 1. quia ut libello supplici sua stet veritas, sufficit verum esse, quod hæc Ecclesia septennalem hanc non habeat Indulgentiam pro tempore, pro quo a Papa requirebatur, neque etiam pro tempore quo eam concedebat Pontifex. Atqui non requisita fuit, nec etiam concessa a Papa, nisi pro tempre incipiendo post ultimam Decembris diem, qua primum Breve finiebatur; quo tempore verum erat, Ecclesiam istam simili Indulgentia non esse decoratam, cum prima esset in exitu, & eo pertineret supplex libellus, ut ejus tantum obtineretur prorogatio, cum spatio septem annorum esset finita.

2. Nisi alterum illud Breve eo sensu interpretari liceret, sequeretur, quod in regionibus Roma valde remotis, ut in Gallia, Hispania, Lusitania, Peruviensi aut Canadensi regione Indulgentiæ illæ non possent continuari, nisi per multos interruptæ menses: quod proculdubio est contrarium intentioni Summi Pontificis, qui eas vult concedere prolationes, ut suum habeant eo tempore effectum, quo postulantur.

3. Clausula hæc universim omnibus apponitur hujusmodi Brevibus; unde manifestum fit, eam mere ad stilum Romanæ Curiæ pertinere, eamque benigne esse exponendam, conformiter ad istam jam superius laudatam Juris regulam, qua dicitur: *Favores convenit ampliari* (a): quod conforme est isti Juris Romani regulæ (b): *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius*: nec non isti alteri (c): *In ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est ejus, qui protulisset.* Ad quod Glossa: *Hæc regula obtinet in rescriptis.*

(a) Bonifac. VIII. in cit. reg. 15. de reg. juris in 6.
(b) Leg. Proxima. 3. ff. de his, quæ in testam. delentur, vel inscribuntur. L.28. tit.4.
(c) Reg. 96. ff de diversis reg. juris antiqu. L.50. tit.17.

4. Denique addi potest, nullum esse dubitandi locum, quo minus Campsor cujus ministerio alterum Breve fuit impetratum, Papæ exposuerit ex iis quæ accepit monitis, primum Breve ultima Decembria die esse finiendum, & secundum a Papa fuisse concessum cum solita clausula ea intentione, ut in alterius exitu istud suum haberet effectum, non obstante illa declaratione. Ita sentit Sylvius, cujus verba referre longius esset (d).

(d) Fr. Sylvius resolut. var. v. Altare privilegiatum. respons. ad quæstionac. 1.5.

C A S U S XI.

Nicephorus, Conventus Mendicantium Superior, obtento ad septennium Brevi Indulgentiarum pro Altari privilegiato, cum hac clausula: *Ut quandocumque Sacerdos ejusdem Ecclesiæ dumtaxat ad præfatum Altare celebrabit, Indulgentiam consequatur*; postulat, utrum religiosi qui ex aliis quotidie veniunt monasteriis transeunter tantum, & per dies aliquot, ex Brevis intentione censeri debeant Religiosi Conventus, cujus est Superior, ita ut in hoc Altari privilegiato celebrantes, indulgentias lucrentur.

Ratio dubitandi est, quia non vere ad corpus Communitatis pertinent, cum sint tantum, ut vocantur, *Hospites*: unde inferri posse videtur, eos Indulgentias non lucrari, dum in hoc Altari celebrant.

Aliunde videtur affirmari posse, eos esse Religiosos hujusce Conventus; quia, ubi primum advenerunt, ei sunt subjecti qui est Superior, cui etiam jus competit eos puniendi, si demererentur, uti alios omnes Religiosos Conventus.

R E S P O N S.

Certum esse videtur, hoc unum intendere Papam, ut Indulgentiam solis concedat Religiosis, in hoc Altari privilegiato celebrantibus, qui sint de Communitate Conventus cujus Nicephorus est Superior; non vero externis Religiosis, qui ex aliis Conventibus huc adveniunt, quique solo hospitalitatis jure potiuntur. Ita sentit Sylvius (e): *Respondetur*, inquit, *Religiosos ex diversis Conventibus venientes, quos vocant Hospites, non videri posse uti privilegio de quo quæritur; quia non sunt Sacerdotes istius Ecclesiæ; & sic his non convenit quod Sacerdotibus ejusdem Ecclesiæ dumtaxat concessum est.*

(e) Fr. Sylvius resolut. var. v. Altare privilegiatum. 2. resp. ad 3. quæst.

Neque peremtoria est, quæ in exposito affertur ratio, dicendo, quod, ubi primum Conventum ingressi sunt, fiunt subditi Superioris: quamvis enim ex Ordinis Constitutionibus, Conventus quo veniunt, Superiori subjaceant; hinc non fit, ut non sint vere *Hospites*, pro Communitate. *Etsi Hospites subjiciantur per Constitutiones Priori Conventus ad quem veniunt*, addit hic Theologus; *non tamen desinunt esse Hospites, neque fiunt Sacerdotes illius Ecclesiæ; alioquin non dixisset Pontifex*: Quandocunque Sacerdos ejusdem Ecclesiæ dumtaxat; *sed*, quandocumque Sacerdos ejusdem Ordinis dumtaxat. *Secundum enim ea quæ opponuntur, omnis Sacerdos ejusdem Ordinis esset Sacerdos ejusdem Ecclesiæ, quando est in illo Conventu; quod non est concedendum.* Atque ut probet idem Auctor, hospites istos non esse censendos Religiosos Communitatis, quibus solis in Altari privilegiato Indulgentiam concedit Papa, hoc utitur ratiocinio: *Si procedendum*, inquit, *ad electionem Prioris, aut alterius Officiarii, in qua soli Patres istius Conventus habent vocem; isti hospites non admitterentur ad dandum suffragium. Signum ergo est, quod non habentur tamquam Sacerdotes istius Conventus vel Ecclesiæ.*

C A S U S XII.

Eucherius Religiosus, commissis quamplurimis culpis, ob quas ei Superior ipsius multas in Capitulo pœnas satisfactorias imposuit; earum se posse remissionem obtinere contendit, plenariam lucrando Indulgentiam. An id ipsum potest?

R E S P O N S.

Certum est, Eucherium plenariam lucrando Indulgentiam, obtinere non posse remissionem pœnarum, quas ipsi Superior in Capitulo imposuit. Ratio est, quia Ecclesia plenarias concedens Indulgentias regularem non intendit exercere disciplinam: quare hac via non remittuntur pœnæ hujusmodi; cum suum Indulgentiæ effectum habeant pro pœnis dumtaxat peccato in externo pœnitentiæ foro debitis. Ita docet S. Thomas his verbis: *Nec iterum per Indulgentias remittuntur pœnæ injunctæ in Capitulo: quia in Capitulo agitur forum quasi judiciale magis, quam pœnitentiale; (unde etiam non Sacerdotes Capitulum tenent). Sed absolvitur a pœna injuncta, vel debita pro peccato in foro pœnitentiali.*

C A S U S XIII.

Innocentius, cupiens septennalem lucrari Indulgentiam, a Papa iis concessam qui preces quasdam recitabunt, & eleemosynas pariter erogabunt

Pre-

preces voluntario distractus recitavit, & ex jactantia stipem dedit; quamvis ad mortalem culpam non pervenerint ipsius vanitas atque mentis evagationes. Numquid in hoc casu Indulgentiam lucratus est?

RESPONS.

Videtur, affirmari posse hominem hunc in specie proposita Indulgentiam esse lucratum. Ratio est, quia juxta opinionem S. Thomæ aliorumque Theologorum, quorum multi a Bellarmino laudantur *(a)*, ad lucrandam Indulgentiam sat est, ut quis sit immunis a peccato mortali & in statu gratiæ. Atqui si Innocentius aliorum non sit conscius peccatorum, quam jactantiæ mentisque evagationum, quas habuit conficiens res ex Indulgentiarum Brevi præscriptas, procul dubio est in gratiæ statu; cum gratia non tollatur ex venialibus tantum peccatis, eaque solum ex peccato mortali privari queat peccator. Ita sentit S. Antoninus *(b)*.

(a) Bellarm. 6. de Indulg. c. 23.

(b) S. Anton. 2. part. sum. Theol. tit. 10. §. 5.

Contendunt etiam Auctores inclyti, uti S. idem Antoninus *(c)*, post Paludanum, ad lucrandam Indulgentiam, satis esse, ut quis sit in statu gratiæ, eo ipso momento quo ejus fructum percipit, ultimam rem perficiens ex iis quæ a Superiore eam concedente fuere præscriptæ. Nihilominus, quamvis hæc opinio innumeris faveat hominibus, qui mortalis culpæ rei, preces, eleemosynas & jejunia imperata exsequuntur, priusquam in gratiam redierint per sacerdotalem absolutionem, aut perfectam contritionem, quando non suppetit copia Confessarii; existimamus tamen contrariam sententiam Bellarmini aliorumque quos laudat, Auctorum, solam in praxi esse tenendam, ut fatetur idem S. Antoninus dicens: *Quamvis utique tutius & utilius etiam tunc esse sine mortali.*

(c) Idem ibid. cit. §. 3. in fin.

Advertendum tamen, quod in proposito casu, ex Indulgentia quam lucratus est, Innocentium non obtinuisse remissionem pœnæ debitæ peccatis jactantiæ & distractionis, quæ commisit: *Ex eo quod pœna non remittitur, remanente culpa etiam veniali*: quam rationem affert idem S. Archiepiscopus.

CASUS XIV.

FRODMANOUS, Præsul, cujus vitam solutiorem esse norunt omnes, Indulgentias concessit. An validæ sunt?

RESPONS.

Doctor Angelicus qui hanc sibi proponit difficultatem, huic affirmative respondet *(d)*; ejusque rei hanc affert rationem, quia Præsul ob peccatum mortale jurisdictionem non amittit: atqui potestas concedendi Indulgentias oritur ex Jurisdictione Præsulum. Igitur, ait, Præsul improbus non minorem, quam Sanctissimus, potestatem habet, Indulgentias concedendi, cum propriis ejus non fulciantur meritis, sed meritis Christi ipsius & Sanctorum. *Elargiri Indulgentias, pertinet ad Jurisdictionem*, ait hic sanctus Doctor: *sed per peccatum homo non amittit jurisdictionem. Et Indulgentiæ æque valent, si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est Sanctissimus: cum non remittat pœnam ex vi suorum meritorum; sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ.* Idem sentit S. Antoninus *(e)*. Validæ sunt igitur Indulgentiæ quas concessit Ferdinandus, quantumvis immoderata sit vita ipsius; easque lucrari potuere ipsius Diœcesani, res ab illo in hanc rem præscriptas exsequendo.

(d) S. Thom. in 4. dist. 20. art. 4. quæstiunc. 4. in corp.

(e) S. Anton. 1. part. cit. §. 2.

CASUS XV.

(1) CUM Leander Episcopus Vernoniensis unius anni Indulgentiam concessisset iis, qui sancti Celerini Ecclesiam eo ipso die visitarent quo eam consecrabat, Thomas incola oriundus e vicina Diœcesi, consulto venit ut hanc lucraretur Indulgentiam, & omnia ab hoc Præsule injuncta opera confecit. An Indulgentiam re ipsa lucratus est, quamvis ex alia quam Vernoniensi Diœcesi oriundus?

RESPONS.

Thomas in casu proposito Indulgentiam non est lucratus. Nam Episcopus, Indulgentiam iis tantum qui jurisdictioni suæ subjiciuntur, hoc est Diœcesanis suis concedere potest, ut docet S. Antoninus *(f)*: *Episcopi dare possunt tantum* (Indulgentias) *in suo Episcopatu*; conformiter ad decisionem Alexandri III. *(g)*, qui in una Decretali ad Cantuariensem Archiepiscopum; a quo de simili quæstione consultus his verbis: *Quod autem consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum ... aliis prosint, quam his qui remittentibus subsunt*: ita respondet: *Hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum a suo judice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut possint, proprii judices specialiter indulserunt.*

(f) S. Ant. cit. §. 2.

(g) Alex. III. in c. quod autem. 4. de pœnit. & rem. lib. 5. tit. 38.

Ita quoque docet Sylvius, suamque probat sententiam auctoritate ejusdem Decretalis *(h)*: *Indulgentia quæ conceditur vivis*, inquit, *non est valida, nisi concedatur subditis. Ergo requirit, ut concedens habeat jurisdictionem in eos, quibus concedit ... Huc pertinet caput* Quod autem &c.

(h) Sylvius in supple. S. Thom. q. 25. art. 1. q. 2.

CASUS XVI.

CUM Episcopus Cremonensis quadraginta dierum Indulgentiam concessisset visitantibus Ecclesiam parochialem sancti Maximi, Tristanus, unus e Diœcesanis suis hanc bis Indulgentiam se lucraturum existimavit, hujus Ecclesiæ visitationem, ceteraque ab Episcopo præscripta iterando. An re ipsa plus quam dies quadraginta Indulgentiarum lucratus est?

RESPONS.

Quando perpetua est Indulgentia, nec ad certum annorum numerum limitatur seu determinatur, qualis est ea quæ conceditur iis, qui sancti Petri Romanam Ecclesiam invisunt, toties obtineri potest, quoties visitatur Ecclesia designata, & cetera quæ præscripsit Pontifex qui solus talem potest concedere Indulgentiam, adimplentur. At non idem dicendum, ubi ad quoddam tempus determinatur Indulgentia: nam semel tantum obtineri potest, quia talis est concedentis intentio. Decisionem istam affert sanctus Thomas *(i)*: *Nec tamen quotiescumque vadit infra tempus Indulgentiæ, toties eam consequitur*, inquit Angelicus Doctor; *quando autem ad determinatum tempus datur, ut cum dicitur: Quicumque vadit ad Ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de Indulgentia; intelligitur, semel tantum. Sed si in aliqua Ecclesia sit Indulgentia perennis, sicut in Ecclesia divi Petri quadraginta dierum; tunc quoties vadit aliquis, toties Indulgentiam consequitur.*

(i) S. Th. in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4.

CASUS XVII.

EPISCOPO Algeriensi in Sardinia defuncto, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ jurisdictionem Episcopalem occupavit, cujus exercitium incepit mandato, quo quadraginta Indulgentiarum dies concedit iis omnibus, qui Ecclesiam suam parochialem visitabunt, ibique rogabunt Deum, ut dignum sibi velit in Episcopatu dare successorem? An Capitulo huic jus competit emittendi tale mandatum?

RESPONS.

Quando Ecclesiæ Cathedralis Capitulum defuncto Episcopo in Diœcesis regimine succedit, jurisdictionem tamen Episcopalem non obtinet tanta amplitudine, ac Episcopi ipsi, ut alibi diximus: atqui potestas concedendi Indulgentias, jus est quod Episcopo personale est, & quod in aliquo casu non potest devolvi ad Capitulum; cum & eo ne quidem Generalis Episcopi Vicarius uti possit. *Ecce ergo ex parte dispensandi thesaurum sumitur prima ratio, cur solis Prælatis tamquam Ecclesiæ Principibus ex proprio Officio incumbat Indulgentias conferre*, inquit inclytus Theologus Hispanus *(K)*: *Capitulum autem Cathedralis Ecclesiæ, sede vacante, hac non pollet auctoritate, quia est potestas Episcopalis. Capitulum vero Cathedrale non habet plenam jurisdictionem*

(K) Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. §. Ad quæstionem.

(1) Vide Mendo Pontas. Observ. IV. num. XVI.

nisi secundum limitationem Ecclesiæ (*a*). Id quidem fuse probant Calderinus (*b*), Navarrus (*c*), Archidiaconus (*d*), Joannes Andreas (*e*), de Buirio (*f*), Ancharanus (*g*) & Fagnanus (*h*) qui eos laudat, quique jus idem Ordinum Generalibus denegat, nisi speciale ad hoc habeant privilegium, & qui eadem re opinionem Emmanuelis Roderici (*i*) improbat. Navarrus tamen jus illud admittit, *ubi viget consuetudo*, quod idem acriter negat Cardinalis a S. Sixto, seu de Turrecremata (*K*). Hujusce rei S. Thomas profert rationem (*l*). *Solus ille qui præficitur Ecclesiæ, potest Indulgentiam largiri. Sed cum Ecclesia sit congregatio fidelium; congregatio autem hominum sit duplex, scilicet œconomica, ut illi qui sunt de una familia; & politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia similatur congregationi politicæ: quia ipse populus Ecclesia dicitur ... & ideo solus Episcopus proprie Prælatus Ecclesiæ dicitur: & ideo ipse solus habet plenam potestatem in dispensatione sacramentorum & jurisdictionem in foro causarum, quasi persona publica; alii autem secundum quod ab eo eis committitur ... Unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi Prælati non possunt hujusmodi Indulgentias dare.* Quod quidem evidens est ex Decretali ab Innocentio III. in quarto Lateranensi Concilio emissa in quosdam Abbates, qui jus sibi Indulgentias concedendi arrogabant; *qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt ... concedendo etiam Indulgentiarum* (*m*) *litteras*; cujus Decretalis summarium his verbis enuntiatur: *Indulgentias concedere spectat ad Episcopalem dignitatem.*

(*a*) Idem ib. ad 2. arg. vers. *Hinc fit*.
(*b*) Calderinus in c. *Nostro*. de pœnit. & remiss. cnl. penult. & fin.
(*c*) Navarr. tract. de Indulg. *Notabili* 31. n. 6.
(*d*) Archid. in c. *Romana*. eod. tit. 6. in vers. *Multo fortius*.
(*e*) Andreas in c. *Accedentibus*. de excessu Prælatorum & subditorum n. 2. in fine. l. 5. tit. 31.
(*f*) Butrio n. 4. v. *Ex his*.
(*g*) Ancharan. n. 4. v. *Ex prædictis*.
Cardinalis sancti Xisti tract. de Indulg. art 5.
(*h*) Fagnan. cit. n. 15.
(*i*) Rodaricus qq. regular. tom. 2. q. 56. art. 3. v. 2. *Ecto*.
(*K*) Joan. de Turrecremata tract. de Indulg. a. 5. cit.
(*l*) S. Th. in dist. 20. art. 4. q. 1.
(*m*) Innoc III. cap. *Accedentibus*. 2. de excess. Prælat.
(*n*) Archidiac. in c. *Romana*. de pœnit. & remiss. b. v. *Indulgentias*.
(*o*) S. Th. in qq. addita ad 3. part. q. 26. per totam.

Ceterum, quæ diximus de Capitulo, pariter intelligi debent esse Abbatibus, ceterisque Prælatis inferioribus, ut observat Archidiaconus (*n*), & aperte declarat Decretalis Innocentii III. modo laudata, cui consentanea est doctrina S. Thomæ, quem citat Auctor Glossæ (*o*).

CASUS XVIII.

Pantænus, Abbas regularis S. Jobi, quasi Episcopalem obtinens jurisdictionem, propria auctoritate Indulgentiam iis concessit, qui intra fines territorii sui resident. Qua re offensus Episcopus Diœcesanus Indulgentiam hanc abusivam & nullam declaravit. Quæritur autem ea de re, an ii qui mandato Pantæni præscripta omnia confecerunt, non vere Indulgentiam fuerint consecuti.

Videtur, hanc Prælato inferiori non competere potestatem, quippe quæ de jure soli summo Pontifici & Episcopis conveniat.

E Contra videtur, hanc ad ipsum pertinere potestatem, atque adeo sibi subditos istam potuisse lucrari Indulgentiam. Nam Episcopus, licet solum electus & confirmatus, & nondum consecratus Indulgentias, ut omnes consentiunt, concedere potest: quo manifestum fit, hanc Episcopos non obtinere potestatem vi caracteris Episcopalis, sed propter Episcopalem solum jurisdictionem, qua etiam, nondum consecrati, potiuntur. Unde sequitur, quod cum Abbas iste quasi Episcopalem habeat jurisdictionem, eodem quoque jure frui censendus est.

Respons.

Qui intra fines territorii hujusce Abbatis resident, Indulgentiam, quam ipsis concedere se posse contendit, non lucrati sunt. Ratio est, quia, ut ait Cardinalis Bellarminus (*p*), præter summum Pontificem & Episcopos nullus inferior Prælatus Indulgentias potest elargiri. Ita rem definivit Innocentius III. (*q*), dum Concilio Lateranensi habito an. 1215. his verbis: *Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt ... concedendo etiam Indulgentiarum litteras, & similia præsumendo. Unde contingit interdum, quod vilescit Episcoporum auctoritas apud multos. Volentes igitur in his & Episcoporum dignitati & Abbatum providere saluti, præsenti Decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere, si proprium voluerit periculum evitare, nisi forsan quis eorum speciali concessione, vel alia legitima caussa valeat se tueri.* Ex quibus ultimis verbis Abbates aut alii Prælati inferiores videntur Indulgentias valide concedere posse ex speciali Papæ aut Episcopi mandato, sed aliter non posse.

(*p*) Rob. Bellarm. l. 1. de Indulgen. c. 11.
(*q*) Innoc. III. in c. *Accedentibus*. de excessibus Prælatorum. l. 5. tit. 3.

Quod spectat ad rationem in casu proposito allatam, ad probandum, Pantænum Indulgentiam potuisse concedere, quia jurisdictionem quasi Episcopalem obtinet; dicendum cum S. Thoma magnum esse discrimen inter Jurisdictionem Episcopalem, & eam quæ *Quasi Episcopalis* dicitur: quia prior est jurisdictio ordinaria & perfecta; posterior vero, jurisdictio tantum delegata, atque adeo imperfecta: unde fit, ut hujusmodi Abbates non sint Præsules, nisi modo quodam loquendi improprio. *Abbates autem & Parochi*, inquit Sylvius (*r*), *cum suis conventibus & Parochiis præsunt, non uti politicæ multitudini; sed solum ut œconomicæ; id est, non tamquam civitati, vel provinciæ; sed tamquam uni cuidam familiæ, non sunt simpliciter Prælati Ecclesiæ, sed secundum quid & improprie. Unde nec plenam habent potestatem in dispensatione omnium sacramentorum, nec omnimodam in suos subditos jurisdictionem, quam habent Episcopi.*

(*r*) Fr. Sylvius in suppl. cit. loco.

Soli ergo Episcopi, præter summum Pontificem, sunt Ordinarii dispensatores, per modum Indulgentiæ, gratiarum, hoc est, meritorum infinitorum vitæ, mortis & passionis Jesu Christi, & superfluentium meritorum omnium sanctorum, qui sunt in cælo & super terra: ex quibus thesaurus Ecclesiæ, qui a Clemente VI. *Infinitus thesaurus* (*s*) dicitur, & quem *cælestes ... Ecclesiæ thesauros* vocat Concilium Tridentinum (*t*), componitur. Omnes quippe alii Clerici ipsis inferiores hac uti nequeunt potestate, nisi ex licentia & delegatione speciali, uti jam diximus.

(*s*) Clemens VI. in c. *Unigenitus*. 2. de pœnis. & remiss. l. 5. extravag. com. tit. 9.
(*t*) Conc. Trid. sess. 25. c. 9.

CASUS XIX.

Aldaricus, qui Romæ commorans Indulgentiam obtinuerat in articulo mortis applicabilem, post suum in Galliam reditum adeo gravi morbo affectus est, ut morti vicinus fuerit, & præscripta ad eam lucrandam perfecerit; quo facto sanitatem recuperavit. Postulat utrum hanc Indulgentiam lucratus fuerit; an vero ipsius effectus ad aliam vicem maneat suspensus!

Respons.

Existimamus, Aldericum vere Indulgentiam sibi a Papa ad mortis articulum concessam lucratum fuisse. Ratio est, quia ad lucrandam hujusmodi Indulgentiam, sufficit ut æger morti proximus videatur: alioquin sequeretur, Indulgentiæ effectum manere suspensum ad extremum usque spiritum, postquam æger imposito sibi a Papa opere fuisset defunctus: quod tamquam verum defendi nequit. Igitur his verbis, *in articulo mortis*, intelligendus ast status, quo existimatur æger juxta majorem verisimilitudinem brevi esse moriturus; non vero instans ipsum, quo a corpore anima per mortem dirimitur.

Hactenus dicta probari possunt ex paritate absolutionis, quam Sacerdos quilibet, quamvis non approbatus, conferre potest iis qui in articulo mortis sunt constituti, de omnibus peccatis, etiam Papæ reservatis: nam ut certum est, talem absolutionem esse validam, nec ægro, si valetudinem recuperet, ad superiorem opus esse recursu, ut ab eo de iisdem peccatis alteram accipiat absolutionem; dicendum pariter, Alberieum in casu proposito Indulgentiam vere esse consecutum, cum in tali mortis periculo versatus fuerit, ut nulla appareret recuperandæ sanitatis species: atque, ut effectus absolutionis in nostra hypothesi non potest manere suspensus, sic etiam Indulgentiæ effectum in casu proposito non posse manere suspensum.

Diximus: *Ut alteram a superiore accipiat absolutionem*; neque enim loquimur de aliis obligationibus, quas ægris quandoque imponit Confessarius, & quibus satisfacere tenentur recuperata sanitate.

CA-

CASUS XX.

Geranus, Parœciæ ſanctæ Claræ Parochus, plenariam promulgans Indulgentiam, a Papa conceſſam in favorem ſodalitatis Moribondorum, aſſeruit, ab iis omnibus qui eam lucrarentur, plenam eſſe obtinendam peccatorum ſuorum remiſſionem, non ſolom quoad pœnam, ſed etiam quoad culpam. Numquid in hoc Iodulgentiarum valorem exaggeravit?

Respons.

Certum eſt, ab eo Parocho non ſolum oltra modum auctum fuiſſe Indulgentiarum valorem, ſed ipſum etiam contra veram Eccleſiæ doctrinam locutum fuiſſe.

Prima quæ afferri poteſt, hojos aſſertionis ratio eſt qoia Eccleſiæ non competit poteſtas remittendi culpam mortalia peccati, niſi mediantibus ſacramentis; quia peccatum mortale remitti tantum poteſt per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quam onica hac via communicare poteſt.

Secunda ratio eſt, qoia ligandi aut ſolvendi poteſtatem Eccleſia non accepit, niſi ſpeciem judicii exercendo: atqui non per modum judicii, ſed per modum gratiæ conceduntur Indulgentiæ. *Uno ore*, inquit doctus Jeſuita (*a*), *omnes Theologi, nemine excepto, reſpondent Indulgentiam non eſſe remiſſionem culpæ. ſed pœnæ*. Unde addit hic Auctor; *Reſpondeo*, inqoit, *illum eſſe abuſum; & multos eſſe Theologos bonos, qui affirmant nullum Pontificem dediſſe unquam ſub illa forma, ſed verbum illud* a colpa *eſſe additum ab illis ad quos pecunia pertinet*. Et alibi (*b*): *Negari non poteſt, multa irrepſiſſe per abuſum in formam dandi Indulgentias, quale eſt illud, quod ab omnibus reprehenditur, quod dicatur dari Indulgentia a* pœna & culpa, *eo quod dicatur* plenaria, plenior & pleniſſima.

(*a*) Maldonat. tom. 1. de pœnit. q. 6. tit. de Indulg. 1. p. q. 1.

(*b*) Id. ibid. 2. p. 2. q.

Addi poteſt, terminos iſtos, *ab omni culpa & pœna*, foiſſe inſertos a qoæſtoribus, quibus decimo tertio & quarto ſæculo demandata eſt cura, fidelium eleemoſynas colligendi, qoique a Concilio Tridentino (*c*) penitus fuere ſoblati. Certam hojuſce rei probationem ſuppeditat conſtitutio Clementis V. (*d*), io qua hic ſummus Pontifex, inter ceteras abuſiones quibos utebantur iſti Quæſtores, & quas damnat; iſta expreſſe notator his verbis: *Cum aliqui ex hujuſmodi Quæſtoribus ... non ſine multa temeritatis audacia & deceptione multiplici animarum Indulgentias populo, motu ſuo proprio, de facto concedant ..... remiſſionem peccatorum indulgeant, & aliqui & ex ipſis eos a pœna & a culpa (ut eorum verbis utamur) abſolvant: nos abuſus hujuſmodi, per quos cenſura vileſcit Eccleſiaſtica, & clavium Eccleſiæ auctoritas ducitur in contemptum, omnimode aboleri volentes &c.*

(*c*) Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 9. de reform.

(*d*) Clemens V. in Clementina *Abuſionibus*. 2. §. *Ad hac*. de pœnit. & remiſſ. l. 5. tit. 9.

Ob eam quoque cauſſam Patres Conſtantienſis Concilii (*e*) inter cetera poſtularunt, ut Papa revocaret Indulgentias, quæ ſub titulo *plenariæ Indulgentiæ*, remiſſionem peccatorum promittebant quoad pœnam & quoad culpam; cum Chriſtus ſolus talem poſſet concedere remiſſionem. *Solus Papa ſupremus, cum Patre & Spiritu ſancto, poteſt dare plenaria auctoritate remiſſionem omnimodam a pœna & culpa*; ita loquitur inclytus Cancellarius Pariſieoſis, Gerſooius, qui huic aderat Concilio (*f*).

(*e*) Concil. Conſtantienſ. ſeſſ. 40.

(*f*) Joan. Gerſon. tract. de Indulg. Conſider. 5.

INDULTARIUS.

QUAMVIS Apoſtolica mandata Conciliis generalibus Baſileenſi & Tridentino (*g*) fuerint ſublata, permanſerunt tamen Indulta, & alia nonnulla.

Indultum eſt gratia exſpectativa, ab Apoſtolica ſede iis conceſſa, qui primas Senatus Pariſienſis dignitates obtinent, in cujus vim Rex jubet expediri Cancellariæ litteras, ad Collatores ſcriptas, quibus mandat, ut in iis deſignatos de beneficio proxime vacaturo Collationis ſuæ Indultarios provideant.

(*g*) Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 24. de reformat.

Gratiam hanc primo conceſſit an. 1381. Clemens VII. Illuſtriſſimis Magiſtratibus Senatus Pariſienſis. Eugenius IV. qui an. 1431. ſummus Pontifex denuntiatus eſt, & an. 1447. obiit, gratiam hanc confirmavit; quæ iterum an. 1538. a Paulo III. confirmata eſt & perpetua reddita: huic tandem multas prærogativas adjunxit Clemens IX.

(1) Præcipui illi Magiſtratus ſunt ſupremus Regni Cancellarius, Majorum Regis ſigillorum cuſtos, Præſides, ſupplicum libellorum Magiſtri, Curiæ Conſiliarii, Generales Advocati, Primarius ſcriba, quatuor Notarii ſcribæ curiæ, & primus Apparitor (*h*). Qua de re obſervandum 1. eos, qui matrimonio juncti ſunt, aut jungi meditantur, teneri ad nominandum ſui loco Clericum. 2. Clericos ſe ipſos poſſe nominare. 3. Cum ſupremus Cancellarius, ſigillorum ſimul eſt cuſtos, duas eum habere nominationes. 4. Regios Officiarios Aulæ qui non ſunt membra Parlamenti, jure Indultariorum non potiri. 5. Quæſtorem Ærarium Regium, cui incumbit cura ſolvendi honoraria Officiariorum Parlamenti, cui jus illud fuerat denegatum, jam eo jure frui conſequenter ad Regia diplomata conceſſa 6. Octob. an. 1677. & Arreſtum Sanctioris Conſilii latum 30 Martii an. 1701. 6. Eum qui munus obtinebat, quo jure Indulti potiebatur, altera vice nominare poſſe; quando aliud munus obtinet, v. g. quando Curiæ Conſiliarius fit ſupplicum libellorum Magiſter, Advocatus Generalis aut Præſes honorario cudone inſignis. 7. Indultum eſſe irrevocabile, ac proinde perpetuum, quicumque fiat Papæ adventus, aut Regis ipſius mors eveniat (*i*).

(*h*) Arreſtum Conſilii 20. Aug. an. 1678.

Ut autem hujuſce Indulti fiat uſus, ejus fieri debet ſignificatio per Notarium Apoſtolicum (k), Collatori, ſeu Archiepiſcopo, Epiſcopo, Abbati vel Capitulo, a quo pendet Beneficium requiſitum, ejuſque dari debet ei deſcriptio coram duobus teſtibus; ac tandem fieri inſinuatio in Tabulario Collatoris

(*i*) Bon. VIII. in c. *Si cui*. de præbendis in 6.

(*k*) Edict. menſis Decembris an. 1691.

(1) Vide *Menda Pensaſ.* Obſerv. III. num. XXXVII.

ris ante vacantiam Beneficii requisiti: qua de re admonendum, quod ad hoc Edicto non viget Arrestum Majoris consilii an. 1666. quo injungebatur, significationem esse fieri ab Apparitore duobusque testibus, non amplius viget.

Collatores omnes ac Patroni Ecclesiastici Galliæ semel in vita tantum Indulto gravari possunt (a), modo Collator de beneficiis decem providere queat, & communitates etiam semel tantum Indulto Senatus Parisiensis, Rege vivente, qui solus Senatus in Gallia privilegio isto potitur.

Indultum juri Graduatorum (b) & eorum, qui habent indulta juramenti præstiti fidelitatis, aut læti ad Regnum adventus.

Unicum dumtaxat vi Indulti obtineri potest Beneficium, & Collator unica tantum Indulti nominatione gravari potest, quantum ad se pertinet.

Consilium majus, solus est judex Indultorum Senatus, & generatim eorum omnium, quæ ad Indulta spectant (c).

Cardinales, qui Indulto obnoxii declarati fuerant a Francisco I. ab eo immunes declarati sunt a Clemente IX.

Indultis continetur irritans Decretum, quo caduca redditur Ordinarii collatio & nulla ex Indultarii requisitione: quod Decretum non continetur in Indultis præstiti Regi fidelitatis sacramenti, & læti adventus.

(a) Declarat. Henrici II. mensis Nov. 1558.

(b) Declarat. Francisci I. 18. Jan. 1541. 30. die in supremo consilio confirmata.

(c) Ex litteris patentibus Julii an. 1668. in maj. consilio confirmatis 16. Nov. sequentis, datis ad acceptationem Bullæ ampliativæ Clementis IX.

Indultarius, cujus nominatio a Rege facta prior est data sua, ei anteponi debet, cujus nominatio est data sua posterior; quamvis qui postremus est data, jam Beneficium petiisset, & Indultum nominationis suæ Collatori significari curasset.

Si Collator Beneficium conferat de quo Indultarium providere debebat, atque is sex menses elabi permittat, Beneficium non requirendo aut querendo, tenet collatio, nec Indultario datur locus intercessionis: at si intra sex vacationis menses conqueratur, tunc facta cum suo detrimento collatio fit invalida, & Collator potest etiam in hoc casu iterum Indultarium providere; aut si providere recuset, jus ei datur contestationis in ipsum collatorem, modo tamen scripto de ejus recusatione constet, & actus iste intra mensem fuerit insinuatus.

Indultarii non tenentur petere, vel acceptare quodlibet Beneficium, quando reditus ejus sunt infra valorem 600 librarum, sed unum etiam minoris valoris pro arbitrio possunt requirere (d); quo in casu jus ipsorum fit consummatum.

(d) Clem. IX. in Bulla Summi. regis, an. 1667.

Dignitates Ecclesiarum Cathedralium & Collegialium, quæ sunt electivæ collativæ, Indulto subjacent: quod edictum ann. 1606. quo Indultis eximebantur in majori consilio ad publica acta non fuerit relatum: at sunt ad Indultis immunes, quando sunt electivæ confirmativæ, hoc est quando electio canonica a superiore legitimo debet confirmari.

Denique Indultum Magistratuum Officiariorumque Senatus Parisiensis locum habet in Britannia, ut alibi, etiam per menses Papales, quia censetur esse collator ordinarius Regni, his mensibus pro Beneficiis hujusce Provinciæ.

Duplex distinguitur Indultorum genus, scilicet Indulta activa, & Indulta passiva: Indulta, quæ activa dicuntur, ea sunt, quibus Regi fit facultas nominandi ad Beneficia. Tale est Indultum Regi concessum ab Alexandro VII. & Clemente IX. ad nominandum ad Episcopatus Metarum, Tulli & Veroduni, & ad alia Beneficia Consistorialia; quales sunt in his tribus Diœcesibus præcipuæ dignitates Cathedralium post Pontificales & ad primas Collegialium; quamvis eo jure Rex non utatur in aliis Galliæ Ecclesiis; licet illud Carolo IX. illud concessisset Pius IV. & confirmatum fuerit regio diplomate Henrici II. quamvis neque Bulla, neque regium diploma in ampliori consilio inter acta publica fuerint relata. Hoc privilegium vulgo Principibus, Cardinalibus, aut aliis quibusdam Præsulibus conceditur.

Indulta passiva ea sunt, de quibus agitur in hoc titulo, quibus Indultariis fit potestas obtinendi aliquod Beneficium.

Alias quasdam preterimus regulas quę ad hanc spectant materiam, quod in sequentibus decisionibus reperientur: qui fusiorem de Indultis explicationem requirent, consulant pręclarum, quem hac de re D. Præses Cochet de S. Vallier scripsit, Tractatum.

CASUS PRIMUS.

Cum ex obitu, aut voluntaria Titularis demissione vacasset dignitas aut Præbenda Ecclesiæ Cathedralis Gratiensis, de ea Theogenem providit Episcopus, aut a Capitulo electus est. Paullo post Theophilus Indultarius Theogenis, dignitatis vel Præbendæ aditioni intercessit, Indultoque suo significato, ab Episcopo vacantis Beneficii provisiones petiit. An potest absque injusta vexatione Theogenem in sua possessione interturbare?

RESPONS.

Species de qua hic agitur, modo sane æquivoco proponitur; at priusquam res explicetur, distinguendum est ante, quid sit Indultum & Brevetum, quæ est alia species Indulti; & quodnam discri-

discrimen intercedat inter hasce gratias exspectativas, quæ sunt in usu apud Gallos.

1. Indultum, ut jam diximus, est gratia exspectativa a summo Pontifice concessa Galliæ Cancellario, sigillorum Regiorum custodi, præsidibus & consiliariis Senatus Parisiensis, & ex usu, Magistris libellorum supplicum, (quamvis de his non fiat mentio in Bulla Paulli III. quia habentur tamquam membra Senatui adjuncta) ut etiam Primario Scribæ, quatuor Secretariis, primo Apparitori ejusdem Senatus, quibus collatores ordinarii, exceptis Cardinalibus, tenentur conferre primum vacans Beneficium, modo dotes habeant requisitas; vel Clericis, quibus Indultum suum transtulerunt.

Jus illud concessum est istis, qui primas togæ dignitates obtinent, ab Eugenio IV. Bullis ipsius ann. 1431. 1434. & 1435. Caroli VII. caussa, cujus patrocinium ambiebat, & a Paullo III. in colloquio, quod Niciæ cum Francisco I. & Carolo V. habuit, ut observat Carolus Molinæus in suo commentario in XVIII. regulam Romanæ Cancellariæ (a) (Bulla hujus Pontificis data est 6. Junii an. 1538.) ac denique a Clemente IX. Bulla sua data 19. Martii an. 1678. Contendunt etiam nonnulli auctores, hujusmodi gratias esse antiquiores. Ita sentit Louetus (b).

(a) Carol. Molinæus in reg. de infirmis resign. n. 224. tom. 5.

(b) Georg. Louet. litt. G. cap. 20. Item. litt. B. num. 16.

2. Indultarius olim Beneficium ab Episcopo sibi collatum acceptare tenebatur, licet 200. tantum librarum essent ipsius reditus. Ita dijudicatum est in ampliori consilio ex Arresto suo lato 4. Decembris an. 1657. conformiter ad Bullam Paulli III. datam 19. Junii an. 1538. At obsolevit ista jurisprudentia, ex quo tempore Clemens IX. Brevi suo dato 1. Aprilis an. 1667. declaravit, Indultarium cogi non posse ad accipiendum Beneficium, nisi 600. esset librarum annui reditus: ac Breve illud confirmatum & ad acta publica relatum est in majori consilio 16. Novemb. an. 1668.

3. Indultariis nullum jus competit, nisi ad Beneficia ex obitu vacantia; non vero ad Beneficia ex demissione aut aliter vacantia; quod Indultariorum litteræ de sola ex obitu vacatione loquantur; quod idem aliis omnibus Mandatariis commune jure declaratur, ut patet ex multis constitutionibus summorum Pontificum (c). His addi necesse est, collatorem in vita sua unn tantum gravari posse Indulto; Capitulum vero semel tantum per vitam cujusque Regis ex Edicto Henrici II. an. 1550.

(c) Bonifac. VIII. in c. *Licet*. un. de rerum permutat. in 6. l. 3. tit. 10. & in cap. *Si te*, 2. de renuntiatione in 6. l. 1. tit. 7. Clemens V. in Clement. *Ne concessione*, unic. de rerum permutat. lib. 3. tit. 5.

4. Iisdem Indultariis jus competit Canonicas requirendi Præbendas; & etiam dignitates. Nam Regium diploma Henrici IV. sub forma edicti datum 9. Decembris an. 1606. quo a dignitatibus excludebantur, in ampliori consilio non fuit confirmatum, neque in ipso Senatu acceptatum est, nisi sub ista restrictione: *Non derogando juribus Indultariorum*. Excipiendæ sunt tamen 1. dignitates, quæ sunt electivæ confirmativæ, ut declarat Clemens V. in Concilio Viennensi in Delphinatu an. 1311. habito (d); quod observat Rebuffus (e): 2. Præbendæ Theologales & Pœnitentiariæ, ex edicto Caroli IX. an. 1560. (f).

5. Quando Indultarius Patrono & collatori Indultum suum significavit, jam ad aliud Beneficium obtinendum eo uti non potest, neque is ad quem jus suum trastulit, nominationem suam mutare juxta constitutionem Henrici IV. quam apud Fontanum legere est (g).

(d) Clem. V. in Clemens. *Si dignitatem*. 1. de præb. & dignit.

(e) Petr. Rebuffus in Praxi benefic. tit. de classe seu mandatorum. n. 34.

(f) Edict. an. 1569. art. 2.

(g) Fontanon. tom. 4. pag. 169.

6. Duplex est genus Brevetorum: priora sunt ea, quæ Rex Clericis concedit ob suum lætum ad Coronam regiam adventum. Altera sunt ea, quæ Rex concedit, cum novus Episcopus apud eum se fidelitatis Sacramento obstringit: ob hujusmodi Breveta seu indulta Regia, tenetur Episcopus Brevetario primum conferre Beneficium vacans, cujus est collator, postquam is suum ei Brevetum significavit: atque in solo ampliori consilio admittuntur duæ illæ gratiarum exspectativarum species, earumque probatur executio, quod eas Senatus non recipiat.

7. Brevetarii ad dignitates Cathedralium, quæcumque illæ sint, aspirare nequeunt, uti constitutum est ex declaratione Ludovici XIV. dicti Magni data 15. Martii an. 1646. & judicatum ex Arresto amplioris consilii lato 5. Julii an. 1672.

8. Ob indultum nulla fit collatio ab Ordinario concessa in præjudicium Indultarii: at eadem vis Brevetis non competit: quo circa Ordinarius dum manus, ut ajunt, ligatas non habeat per requisitionem Brevetarii, valide Beneficium vacans confert, & posteriorii Brevetarii intercessione non irritatur ipsius collatio. Ita dijudicat amplius consilium, quod tamen in hoc casu jubet, ut teneatur Ordinarius ad conferendum Brevetario primum vacaturum Beneficium: quod facere si recuset, altero Arresto tenetur erga eum de solutione pensionis æqualis reditibus Præbendæ, donec ipsum de simili providerit: idque consentit cum iis quæ constituuntur pro mandatis Apostolicis ab Innocentio III. ad Episcopum Vercellensem scribente: *Fraternitati tuæ mandamus*, inquit hic Papa (h), *quatenus si tibi constiterit, quod in Novariensi Ecclesia præbenda vacavit tempore, quo ejusdem Ecclesiæ Canonici nostras litteras receperunt, cum eam alii in elusionem mandati nostri duxerunt conferendam; eumdem Clericum, si non habet sufficiens Beneficium Ecclesiasticum, in Canonicum recipi facias, & sibi de reditibus Ecclesiæ singulis annis assignari proventus, donec sit ei beneficio Præbendali provisum*.

(h) Innoc. III. in c. *Dilectus*. 27. de Præbend. & dignit. l. 3. tit. 5.

9. Indultarius & Brevetarius statim Indultum suum collatori significare tenentur: atque significatio ista a Notario cum duobus testibus fieri debet. Cumque vacat Beneficium aliquod, iterari debet hujusmodi significatio, qua vacans Beneficium requiratur; qua requisitione jus ad Beneficium istud acquiritur, modo Indultis fiat insinuatio in Tabulario Ecclesiastico Diœcesano: quo facto Papali jam non datur locus præventioni contra Indultarium, ut observat Rebuffus (i). Ceterum necessitas hujusce significationis & requisitionis omnibus Mandatariis communis est, ut patet ex duabus Constitutionibus Bonifacii VIII. (k).

1. Tandem his addemus, in concursu, ut probat Blondellus (l), auctoritate Loveti & Molinæi in Rebuffum, Indultarium Graduato prævalere ex Edictis & Declarationibus Galliæ Regum; ac præsertim conformiter ad Edictum Francisci I. latum 18. Januarii an. 1541. uoobservat Cabassutius (m).

(i) Petr. Rebuffus in concordat. tit. de Mandatis Apostol. §. *Declarantes*. v *Jura proventionis*.

(k) Bonifac. VIII. in c. *Tibi*. 22. de rescriptis in 6. *Si Clericus*. 11. de Præb. & dignit. in 6.

(l) Blondeau in Biblioth. can. Bochelli. v. *Indulta*. n. 713.

(m) Cabassut. juris canon. theor. & prax. lib. 2. c. 4. n. 3.

Præsuppositis istis regulis, tamquam certis, ad propositam difficultatem respondemus, quod, si Theophilus sit Indultarius, & præter Indultum suum, regiam habeat nominationem, ad Episcopum Gratiensem scriptam una cum litteris testimonialibus religionis, vitæ morumque; ac Prælato huic aut ipsius Generali Vicario, omnium quæ necessaria sunt, instrumentorum debitum dederit exemplar, ac tandem omnia hæc instrumenta in Tabulario Insinuationum Ecclesiasticarum ejusdem Diœcesis fuerint insinuata ante vacationem Beneficii requisiti; quibus omnibus confectis ipsum adierit Episcopum intra sex menses, inito calculo a die vacantis Beneficii: (nam elapso illo sex mensium spatio jam admitti non potest ex Ordinatione an. 1606.) Jus habet ad dignitatem de qua agitur, si ejus collator sit Episcopus ipse; qui eam cum sui detrimento Theogeni conferre non potuit; at vero quod ad eam nullum ipsi jus competit, si sit electiva-confirmativa, a fortiori jus habet ad Præbendam.

At si Theophilus sit tantum Brevetarius; Episcopi collatio legitima est. 1. Quia Brevetariis nullum jus competit ad dignitates Ecclesiarum Cathedralium, uti observavimus. 2. Quia, si esset simplex Canonica Præbenda, cum Episcopus liber fuerit, seu manus ligatas non habuerit ex Brevetarii petitione, tum cum ab eo facta est collatio, valide conferre potest: quod Breveto, uti Indulto, non inseratur Decretum irritans.

CASUS II.

Lævius, Sacerdos, Indultum habet, sibi a consiliatio Senatus Parisiensis datum; at cum apud Domi-

Dominium Cancellarium amico sit destitutus, cujus gratia id obtinere queat, ut collocetur Indultum in Episcopatu vel Abbatia; nisi positis in Provincia a patriis laribus remotissima, ubi nullo familiarium consortio uti potest: hominem habuit, qui hanc sibi gratiam obtinuit pretio centum nummorum, quos ipsi dono dedit. An id ipsum facere potuit absque peccato?

Ratio dubitandi est; quia amicus ille Indulti sui collocandi occasionem sibi præbens, non solum Beneficium sibi non confert; sed ne quidem jus ad Beneficium aliquod, cum actu nullum vacet, nec jure deinceps vacaturum possit obtinere, nisi observatis omnibus requisitis formulis. Aliunde jus sibi acquirit petendi primum, quod vacabit. Ob duas istas rationes oppositas scrupulis angitur, nescius, quæ ex duabus sit legitima.

R e s p o n s.

Quamvis Indulti exsecutionem procurando in Episcopatu vel Abbatia, actu non conferatur Beneficium, neque etiam determinatum jus ad aliquod particulare, vere tamen dici potest, procurari jus, primum quod vacabit, Beneficium petendi & obtinendi: atqui jus illud, cum sit mere spirituale, pecunia comparari non potest. Lævius igitur Indulti sui exsecutionem sibi procurare non potuit pretio centum quos dedit, nummorum; cum hac via Beneficium obtinere numquam liceat.

Confirmari potest hæc decisio 1. Exemplo hominis, qui in præmium temporalis cujusdam ministerii Beneficium promittit, aut illius obtinendi viam aperit. Cum enim absque simonia fieri nequeat tale promissum, ut definivit Alexander III. in Concilio œcumenico Lateranensi habito an. 1179. (*a*); a fortiori dicendum, procurari non posse aut pecunia acquiri jus alicujus obtinendi. 2. Auctoritate Grogorii IX. (*b*), qui expresse declarat omnem illicitam esse pactionem pro rebus spiritualibus: *Cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare*, ut loquitur hic Papa: atqui in specie proposita, non solum pactio occurrit, sed & pecunia data ad obtinendum jus Ecclesiasticum & spirituale, quo pro certo obtinebitur Beneficium. Igitur a gravi peccato atque simonia excusari non potest Lævius.

(*a*) Alex. III. in c. *Cum essent*. 12. de simonia &c. l. 5. tit. 3.

(*b*) Greg. IX. in c. *Pactiones*. 8. de pactis. lib. 1. tit. 35.

INDULTUM REGIUM, ET INDULTARIUS REGIUS.

INDULTUM Regium, quod modo Brevetum ad distinctionem nominavimus, nihil aliud est, quam expeditio gratiæ a Rege concessæ ad Beneficii obrentionem; quare dicitur Indultum nominationis.

Rex hujusmodi Indulta ad Beneficia numquam confert, nisi actu sint vacantia, nomenque ultimi Titularis in libello supplici qui Regi offertur, debet exprimi.

Indultum Episcopatus non complectitur jus conferendi Beneficia huic annexa: sed Regis est ad ea nominare, si vacent, exceptis tamen Beneficiis Curatis.

Triennali possessione excluditur quodlibet Indultum a Rege concessum.

Indulta ad Coadjutorias non nisi raro conceduntur, pro Beneficiis commendatariis.

Rex nullum dat Indultum in Abbatias ac Prioratus Religiosarum, nisi cum Abbatissa, aut Priorissa resignare vellet; quo in casu ipsi ad vitam attribui debet pensio 300. lib. ad summum.

Indultum quodliber a Rege concessum subscribi debet a scriba Regni, & ad Indicem scribæ illius qui mense illo ministrat, esse relatum. Legi etiam possunt alii quidam articuli in præscripto ea de re emisso, quod refert Bochellus (*c*).

(*c*) Alblioth. can. t. 1. pag. 170. & 171.

Duplex distinguitur hujusmodi Indultorum particularium genus: scilicet Indultum læti ad Regnum adventus: alterum præstiti fidelitatis juramenti. Quod ultimum, uti prius, non perantiquum est, cum de iis non fiat mentio in Concordato an. 1516. inter Leonem X. & Francisc. I. inito, neque in stilo Parlamenti (*d*), neque apud Auctores sæculi decimi sexti.

(*d*) Concord. tit. de Regul. ad Prælat. nominat. fac. stil. parlam. part. tit. 44. de privilegiis Apost. Regi concessis.

Jus Regium ad dandum Indulta læti ad Regnum adventus, quæ ad solas Præbendas, exclusis Cathedralium dignitatibus (*e*), extenditur, non fuit constitutum, nisi an. 1577. (*f*) ab Henrico III. diplomatis ejus mense Martio ejusdem anni emissi: sunt & aliæ ordinationes 12. Octobris an. 1612. & mensis Januarii an. 1629. in majori tantum consilio ad acta publica relata, quæ jus illud ordinant.

(*e*) Arrest. amplioris consilii. 5. Julii an. 1672.

(*f*) Chopin. lib. 2. de domon. tit. 12. num. 11.

(1) Ceterum jus illud, quod tantum in qualibet Regis mutatione obtinet, a Senatu semper improbarum est, uti liberæ Ordinariorum collationi contrarium, ut testatur Brodelius, qui id probat ex duabus solemnibus Arrestis in Curia prolatis: præsidente D. Verduns, uno 13. Decembris ann. 1612. ad requisitionem Advocati Generalis D. Servin, & altero 7. Januarii an. 1616. conformiter ad requisitionem D. Lebret Advocati Regii. Hinc a Parlamento numquam confirmatum est diploma Regium Henrici III. Attamen declaratio mensis Octobris ann. 1646. (*g*), quæ inter acta publica relata est a Parlamento 2. Augusti ann. 1646. expresse inter gratias exspectativas in Regno Galliæ probatas comple-

(*g*) Art. 17.

(1) Vid. *Menda Pontas*. Observ. III. num. XXXVIII.

plectitur non solum gratias Indultariorum & Graduatorum; sed etiam gratias præstiti fidelitatis juramenti & ad læti Regnum adventus. At cum Senatus duo ista semper jura improbarit, resistentiam ipsius in proprium lucrum vertit amplius Consilium: & sibi soli de eis cognoscere attribuit.

Indultum, quod dicitur præstiti fidelitatis juramenti, qua Rex primam confert Præbendam a præstito fidelitatis sacramento ab Episcopo, nititur tantum Regio diplomate, quod in ampliori Consilio 3. Aprilis an. 1597. inter acta publica relatum est & multis postea arrestis in hoc Tribunali latis confirmatum: tamen jus illud censetur inter gratias nunc in Regno approbatas, uti statuitur declaratione an. 1649. (a).

Indulto utroque Regio nullum inseritur decretum irritans, atque simplex a Rege Episcopo facta commendatio; quare provisiones Episcopi concessæ ante requisitionem Indultarii validæ sunt; atque is tantum decretum obtinere potest, quo statuatur, ut Episcopus ei primam vacaturam Præbendam conferat, ut illius defectu ad vitam ei tribuat pensionem Beneficii valoris æqualem.

(a) Decla r. an. 16 . art. 7.

Vide Titulos (GRADUATUS.)
(INDULTARIUS.)

INFIDELIS.

MAGNUM intercedit discrimen inter Infideles & Paganos. Hi nimirum verum Deum non agnoscunt, & Idola sua tantum adorant. Tales sunt Mogoles, Cambajenses, Siamenses, Cocincinenses, Tanguinenses, Sinenses, Tartari superiores, Japonenses & innumeri tum Africæ tum Americæ incolæ. Infideles contra, quales sunt Judæi, Turcæ, Persæ, Tripolitani, Tunetes, Algerienses & Marochiani, verum Deum agnoscunt; jure tamen Infideles vocantur, quia sanctissimam Trinitatem, Jesum Christum, nec Christianas credunt veritates.

Cum neutris Christiani communicare possunt in iis, quæ ad suam pertinent Religionem, absque reatu criminis vel atrocissimi: at possunt in iis rebus quæ ad commercium spectant aliasque occasiones, quando id ipsum postulat Justitia vel Caritas. Alia permulta omittimus, quæ spectant ad Infideles, quia de iis in hoc titulo & aliis sex, verba facimus, ut videre est in indice rerum, *verbo* Infidelis.

CASUS PRIMUS.

AMURATUS, Infidelis, qui Christianam & Catholicam Religionem professus, ad sacramentum Pœnitentiæ recipiendum se disponit, postulat, utrum quot admisit actiones, tot sint peccata, quæ proinde in confessione accusare teneatur?

RESPONS.

Certum est omnes Amurati Infidelis actiones, durante Infidelitate factas, non esse tot peccata. Ratio est, quia, licet peccato mortali tollatur gratia habitualis justificans, non omnino tamen bonum naturale hominis destruitur. Quare, cum Infidelitas sit mortale peccatum, Infideles gratia quidem privantur, sed in iis quodiam tamen naturale bonum superest. Constat igitur, Infideles bona non posse exercere opera, quorum gratia sit principium, scilicet opera meritoria; quamvis bona aliquo modo opera facere queant; ad quæ sufficit bonum naturale. Unde sequitur, Infideles in omnibus actionibus suis non peccare, quamvis toties peccent, quoties ex Infidelitate sua agunt. Ita sanctus Thomas ratiocinatur, cujus hæc sunt verba (b): *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem; non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Unde cum Infidelitas sit quoddam peccatum mortale, Infideles quidem gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est, quod Infideles non possunt operari opera bona, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent; sed quandocumque aliquod opus operantur ex Infidelitate, tunc peccant.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4. in corp.

Decisio ista conformis est cum multis Bullis & Constitutionibus summorum Pontificum, & præcipue Constitutionibus Sancti Pii V. I. Octob. an. 1567. Gregorii XIII. immediati huic successoris. 28. Jan. 1579. & Urbani VIII. 6. Martii an. 1642. quibus damnatæ sunt 72. Propositiones Michaelis Baii, inter quas istæ 25. & 65. recensentur: *Omnia opera Infidelium sunt peccata*. Et ista, quæ est 65. *Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

CASUS II.

HORTENSIUS mercaturæ caussa Pechinum & Nanchinum profectus, ubi multos annos commoratus est sæpe cum Paganis & Infidelibus harum regionum communicavit. Num id potuit absque peccato?

RESPONS.

Potuit iste sine peccato cum ethnicis aut infidelibus communicare, inter quos vitam egit; modo non communicaverit in iis quæ ad Religionem spectant. Ita docet sanctus Thomas (c) qui statim duplicem distinguit causam, ob quam Fidelibus quorumdam prohibetur communio hoc modo: *Communio alicujus personæ interdicitur Fidelibus dupli-*

(c) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 7. in corp.

dupliciter, inquit Angelicus Doctor. *Uno modo in pœnam illius, cui communio Fidelium substrahitur. Alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne aliis communicent.* Qua distinctione facta, tum subjungit: *Primo ergo modo non interdicit Ecclesia Fidelibus communionem Infidelium, qui nullo modo fidem Christianam susceperunt, scilicet Paganorum, vel Judæorum: quia non habet de eis judicare spirituali judicio. Si autem*, addit postea, *sint simplices & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab Infidelium communione, & præcipue, ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.*

Si igitur Hortensius cum Pechini & Nanchini incolis commercii sui caussa duntaxat communicaverit, neque ullum perversionis periculum adfuerit; certum est, in hoc eum nullo peccato esse damnandum; sed eum fore reum & absque excusatione, si cum eis communicasset in iis quæ ad Religionem spectant.

CASUS III.

Timoleon, dominus Catholicus, & e Turcico apud Hungaros bello rediens Turcas duos sibi famulos adduxit. An potest absque peccato duos illos Infideles in famulatu suo retinere?

RESPONS.

Quandoquidem *magis est probabile*, inquit sanctus Thomas (a), *quod servus, qui regitur imperio domini convertatur ad fidem domini fidelis, quam e converso; Et ideo non est prohibitum, quin fideles habeant servos Infideles.* Tale nobis exemplum Scriptura sacra suppeditat, in qua legitur, (b) Salomonem a Rege Tyri petiisse operarios ligni Cedrini cædendi peritos, cujus opus ei erat ad ædificandum Templum, quod Hierosolymæ construere cupiebat; quamvis servi illi, non minus quam Rex eorum, essent Infideles. *Si tamen domino*, subjungit Angelicus Doctor, *periculum immineret ex communione talis servi, deberet eum a se abjicere, secundum illud mandatum Domini, Matth. 18.* Si pes tuus scandalizaverit te, abscinde eum & projice abs te.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9. ad 3.

(b) 3. Reg. 5. 6. & seqq.

CASUS IV.

Jovius, & Mævius, supremam in ditione potestatem habentes, pœnarum rigore Judæos aliosque infideles ibi habitantes cogere ad amplectendam ac profitendam Christianam Religionem constituerunt. An tale consilium tuta possunt exsequi conscientia?

RESPONS.

Distinguendum est cum sancto Thoma (c): Nam *Infidelium*, inquit, *quidam sunt, qui numquam susceperunt fidem, sicut Gentiles & Judæi; & tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant; quia credere voluntatis est. Alii vero sunt Infideles*, addit idem Sanctus, *qui quandoque fidem susceperunt & eam profitentur, sicut Hæretici & quandoque Apostatæ: & tales sunt, etiam corporaliter, compellendi, ut impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt.*

(c) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. in corp.

Consentit hæc doctrina cum dictis sancti Augustini, qui de hæreticis suæ ætatis loquens, scribendo ad Vincentium (d), dicit: *Hæc primitus mea sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum; disputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos Hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis .... Legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt divino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant .... Gratias Domino, qui vincula nostra disrupit, & nos ad pacis vinculum transtulit.* Et alibi in sua ad Bonifacium Comitem Epistola (e): *Ubi est quod isti clamare consueverunt, liberum esse credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit? Quem coegit? Agnoscant in eo* (sancto Paullo) *prius cogentem Christum, & postea docentem, prius ferientem & postea consolantem ..... Quis enim nostrum non velit non solum aliquem illorum* (Hæreticorum) *perire; verum etiam aliquid perdere? Sed si aliter non meruit pacem habere domus David, nisi Absalon filius ejus, in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus ..... quid ei restitit, nisi perditum flere; & sui regni pace acquisita suam mæstitiam consolari? Sic ergo Catholica Mater bellantibus adversus eam quibus aliis, quam filiis suis ...... si aliquorum perditione ceteros tam multos colligit ..... dolorem materni cordis lenit & sanat tantorum liberatione populorum.*

(d) S. Aug. Epist. 93. olim 48. c. 5. seu n. 17. & 16.

(e) Idem Epist. 185. olim 50. n. 22. & 32.

INIMICUS.

Vide { CHARITAS. ODIUM. }

INJURIÆ.

VOX, INJURIA, est terminus universalis, sub quo varias injuriarum species in hoc titulo complectimur, ut eas, quæ Latine quoque dicuntur *convicium, contumelia, improperium & maledictio*; quarum quælibet suum habet proprium sensum.

Terminus iste in proprio sensu sumitur, pro injuria quæ actu committitur; jus alienum absque legitima caussa violando; unde definitur: *Alieni juris violatio facta sine justa caussa.*

Convicium a Polmano definitur: *Objectio mali pœna coram facta, per violationem honoris alieni* (f), seu objectio pertineat ad mentem, seu ad defectum corporeum; ut cum alicui exprobratur, ipsum esse ignarum, esse illegitimum, aut alio quovis corporeo defectu insignem. Idem Auctor dicit etiam: *Contumelia est injusta honoris violatio, irrogata præsenti & scienti*; improperium vero juxta eumdem, est *indulgentiæ objectio*. Ad quod referenda est exprobratio collati beneficii in alicujus necessitate. Denique maledictio

(f) Polm. brev. Theol. part. 2. 2. n. 101. 1148. & seq. & 496.

est

est *mali imprecatio* alicui facta, quas omnes definitiones affert idem Theologus.

Diversæ illæ injuriarum species huic titulo materiam præbent, in quo notabimus, quibus in casibus sint tolerandæ absque ulla defensione, & quandonam earum satisfactionem juridice petere, aut licitum est, aut etiam necessarium.

CASUS PRIMUS.

HILARINUS injuriosa quandoque verba eo fine in quempiam protulit, ut ipsum offenderet. An dici potest, eum toties mortaliter peccasse, quoties ea protulit?

RESPONS.

Certum est, omne verbum injuriosum non semper esse peccatum mortale; sed quandoque veniale tantum, ut cum leve est, & ex animi levitate profertur; nec multum dehonestat eum in quem profertur; aut denique ex levi motu iræ, ut contristetur aut humilietur is, in quem profertur absque ulla intentione ipsum dehonestandi. *Cum peccatum convicii, vel contumelia ex animo dicentis dependeat*, inquit S. Thomas (*a*), *potest contingere, quod sit peccatum veniale; si leve sit convicium, non multum hominem dehonestans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira absque firmo proposito aliquem dehonestandi; puta cum aliquis intendit aliquem per hujusmodi verbum leviter contristare.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 3.

Ex hoc itaque sancti Thomæ principio difficultas proposita solvenda est: Quocirca si Hilarini verbis injuriosis notabili afficiatur is infamia, aut offendatur, quem istis afficit; a mortali eximi non potest, quoties ea profert: At si verba illa leviter tantum sint contumeliosa, aut, cum sint notabiliter, ea proferat ex inadvertentia, aut nimia animi levitate absque proposito notabiliter offendendi aut probro afficiendi eum in quem proferuntur; dici potest ipsius peccatum in his circumstantiis esse tantum veniale.

CASUS II.

FALCIDIUS injuriis valde contumeliosis Eliæ sæpe insultat. An tenetur Elias sub peccati conscientia ex præcepto charitatis eas pati contumelias, nec eas ulcisci, aut repellere.

RESPONS.

Certum est, vindictam ad Deum solum pertinere, *Mihi vindicta; Ego retribuam* (*b*), atque ut ait Sapiens (*c*): *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam*. A Christiano quidquam igitur dici, aut fieri non debet animo ulciscendi.

(*b*) Rom. 12. 19.
(*c*) Eccl. 28. 1.

Attamen *Quandoque oportet*, inquit sanctus Thoma, *ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter* duo. *Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert; ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero non talia attentet, secundum illud* Prov. 27. *Responde stulto justam stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur. Alio modo*, pergit idem Angelicus Doctor, *propter bonum multorum, quorum profectus impeditur, propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit super* Ezechiel Hom. 9. *Quorum vita in exemplo imitationis posita est, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant*. Idemque Angelicus Doctor perpendens modum, quo contumelia debet repelli, & quo motivo (*d*): *Audaciam conviciantis contumeliosi debet aliquis moderate reprimere, scilicet propter officium charitatis, non propter cupiditatem privati honoris*: Quod confirmat istis Sapientis verbis (*e*): *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.*

(*d*) Idem ibi. ad 2.
(*e*) Prov. 26.

Principia itaque ista consulere debet Elias quoad contumelias, quas a Falcidio patitur: Quocirca absque ullo peccato eas repellere ac reprimere potest legitimis rationibus; modo tum agat motivo charitatis erga hunc hominem; aut in aliqua dignitate vel Ecclesiastica, vel sæculari constitutus judicet, hoc esse necesse ad bonum Ecclesiæ, vel publicum, vel privatum. At si ex odio aut vindicta, vel etiam ex immoderata privati honoris cupiditate se gerat, a peccato nequit esse immunis. Qua in re consuli debent hæc tria Scripturæ Sacræ testimonia (*f*): *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur*. Alterum sic habet: *Dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Est etiam illud Apostoli: *Nulli malum pro malo reddentes, ... Non vosmet ipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ.*

(*f*) Eccli. 28. 2. Matth. 4. 39. Rom. 12. 17. & 19.

CASUS III.

POSSIDIUS, a Saturnino contumeliis affectus, qui ne quidem contumeliis atrocibus, quas in eum protulit, contentus, ipsum etiam palma aperta coram multis graviter percussit, quærit, utrum absque ullo peccato inflictæ sibi injuriæ satisfactionem nec non pœnam juridice reposcere queat, cum privata auctoritate hanc ulcisci injuriam non sinat Religio?

RESPONS.

Dubium esse non potest, quin Possidius Saturnino litem inferre, ac justitiæ ope illatæ sibi contumeliæ satisfactionem exigere queat, quamvis majoris esset perfectionis, hanc ei condonare injuriam, atque patientiam Christi Domini imitari, qui ne quidem unquam in aliquo Tribunali conquestus est de conviciis immanibus, quibus ipsum homines tam crebro, tamqua injuste affecerunt.

Attamen ut Possidius absque ullo peccato Saturninum juridice prosequi queat, id tantum facere tenetur ad ejus emendationem, ne se deinceps videlicet contumeliis afficiat, aliosve, penes quos non esset propulsare injuriam; vel ut justitiam conservet, non vero ut ulciscatur. Hæ sunt conditiones, quas ab eo requirit sanctus Thomas (*g*), qui Judicem adit de satisfactione illatæ sibi injuriæ. En ipsius verba: *Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis; puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem & Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis*. Istæ autem circumstantiæ, quas requirit Angelicus Doctor, sic a Silvio exponuntur (*h*): *Et si serventur aliæ circumstantiæ, hujusmodi sunt, ut optetur inferri major pœna, quam peccator meruerit, nec illa inferatur, nec desideretur inferri, nisi auctoritate publica*. 2. Requiritur, ut omnis deponatur vindictæ libido, atque intacta servetur charitas, unicam sibi finem proponendo Dei gloriam, & nocentis spirituale bonum, animoque ad majores perpetiendas injurias sincere disposito potius quam Christiana amittatur charitas. *Si vero animus vindicantis aut vindictam expetentis*, addit hic doctus Interpres, *feratur principaliter in pœnam, seu supplicium ejus qui peccavit, vindicatio erit illicita, quia est actus odii, delectari malo alterius. Tenemur autem diligere proximum, etiam eum qui nos læsit. Sicut ergo non licet odientem non habere odio; ita non licitum, injuriam facienti velle malum, quatenus malum est*. Unde colligere necesse est, actiones illas, quæ tam sæpe juridice inferuntur, perquam raro coram Deo esse innoxias; licet æquæ ac justæ hominibus videantur: quia a paucis, qui actiones illas inferunt, istæ servantur conditiones, & e contra omnes ferme libidini suæ indulgent, & vindictam suam cum detrimento Christianæ charitatis meditantur.

(*g*) S. Thom. 2. 2. qu. 108. art. 1.
(*h*) Pr. Sil. in cit. locum S. Thom.

CASUS IV.

Sostanas quospiam aliquando verbo laceſſit, quod ex ſe ipſo, & juxta naturalem ſuum ſenſum eſt contumelioſum, ſed ille jocoſe tantum profert, & abſque ulla intentione illos lædendi, neque contemnendi. An idcirco peccatum aliquod ab eo committitur?

Respons.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 1.

Non eſt in eo peccatum ex ſancto Thoma (*a*), modo ſerventur debiti ex prudentia & modeſtia limites. Res eſſet tamen omnino damnabilis, ſi Soſtenes hoc proferret verbum ea mente, ut præſentibus riſum moveret, non curans an iis, ad quos dirigitur illud verbum, eo offendantur, nec ne. *Ad Eutrapeliam pertinet dicere aliquod leve convicium, non ad dehonorationem, vel ad contriſtationem ejus in quem dicitur; ſed magis cauſſa delectationis & joci: & hoc poteſt eſſe ſine peccato, ſi debitæ circumſtantiæ obſerventur.* Ita S. Thomas, qui ſubjungit: *Si vero aliquis non reformidet contriſtare eum, in quem profertur hujuſmodi jocoſum convicium, dummodo aliis riſum excitet; hoc eſt vitioſum.*

Addendum tamen, perquam rariſſime fieri, ut hujuſmodi joci ſint penitus abſque peccato; quamvis non adſit expreſſa intentio eos offendendi, qui dicteriis iſtis appetuntur; quia vulgo non omnes obſervantur circumſtantiæ, quæ ex regulis charitatis, honeſtatis, ſapientiæ & modeſtiæ debent teneri. Quare cavere debet Soſtenes, ne blandus nimium conſcientiæ ſuæ ſit Judex; dum levius iſtos jocandi modos perſtringit, a quibus quandoque abſtinere exigit prudentia, ne proximus contriſtetur, vel præſentibus occaſio ſcandali præbeatur; præſertim, cum iſti nimium infirmi exiſtimantur.

CASUS V.

Volusianus, cui multi ſunt liberi & quatuor quinqueve famuli, qui graviſſime quandoque delinquunt, aliquando contumelioſa aut injurioſa in eos verba profert, ut ipſos deprimat, vel emendet. An in hoc peccatum aliquod committit?

Respons.

Exiſtimamus, Voluſianum verbis contumelioſis, aut injurioſis uti poſſe abſque peccato, quando id ipſum neceſſe putat, ad corrigendos reprimendoſque liberos ſuos atque Domeſticos: Cum ex eo quod Pater ſit vel Dominus hanc habeat licentiam, ut eam, quæ ſibi magis conveniens videtur, rationem emendandi adhibere poſſit. Ratio eſt, quia verberibus etiam jure eos plectere poteſt, ut ipſos in officio ſuo contineat, cum nec minis, nec verbis convicioſis poteſt. Ita ſentit ſanctus Thomas, cujus tuto ſententia teneri poteſt, quam his verbis exprimit (*b*): *Sicut licitum eſt aliquem verberare, vel in rebus damnificare cauſſa diſciplinæ, ita etiam & cauſſa diſciplinæ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convicioſum dicere.* Quod probat ex multis exemplis Scripturæ Sacræ, addens: *Et hoc modo Dominus Diſcipulos vocavit ſtultos; & Apoſtolus Galatas, inſenſatos.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 2. ad 2.

Nihilominus, quia raro fit, ut verba illa ex motivo charitatis proferantur, ac ſæpe ſæpius iræ impetus potius quam æquitas ac recta ratio verba iſta ſuggerat, intereſt maximi, hujuſmodi convicia, non niſi raro & in ultima neceſſitate adhibere. Tamen addit Angelicus Doctor, *ſicut Auguſtinus in libro de Sermone Domini in monte* (*c*), *raro & ex magna neceſſitate objurgationes ſunt adhibendæ, in quibus non nobis, ſed ut Domino ſerviatur, inſtemus.*

(c) S. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 30. in fin.

CASUS VI.

Paulinus, primo verbis, deinde factis ab Alexandro, qui ipſum abſque ratione aggreſſus eſt, appetitus, vim vi repellere conatus eſt, & ipſum quibuſdam ictibus male mulctavit. Num id ipſum potuit abſque peccato, & potius fugam arripere debuit?

Respons.

Reſpondemus, quod, ſi Paulinus ſe ſolum defenderit, ut illatam ſibi injuriam repelleret, & debitam adhibuerit moderationem, ita ſe gerere abſque peccato potuit juxta Doctrinam S. Thomæ, his verbis contentam (*d*): *Si ſolo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione ſe defendat, non eſt peccatum; nec proprie poteſt dici rixa ex parte ejus. Si vero*, pergit idem Sanctus Doctor, *cum animo vindictæ vel odii, vel cum exceſſu debitæ moderationis ſe defendat; ſemper eſt peccatum: Sed veniale quidem, quando aliquis levis motus odii, vel vindictæ ſe immiſcet; vel cum non multum excedit moderatam defenſionem: mortale autem, quando obfirmato animo in impugnantem inſurgit, ad eum occidendum, vel eum graviter lædendum.* Perpendat igitur Paullinus ſecum, qua ratione injurioſam Alexandri aggreſſionem repulerit, & dicta ſancti Thomæ conſulat ad dijudicandum, num peccaverit, & quale ſuum fuerit peccatum.

(d) S. Thom. 2. 2. q. 41. art. 1. in corp.

INSINUATIO.

INSINUATIO nihil aliud eſt juxta ſtilum forenſem, quam inſtrumenti alicujus in publicas tabulas relatio; quocirca inſinuare idem eſt, atque *in eaſdem publicas tabulas inſtrumentum aliquod referre*, ut fidem faciat, & in neceſſitate pateat huc recurſus. Publica ſunt Inſinuationis Tabularia in diverſis Urbibus conſtituta, tam pro rebus Sæcularibus, quam Eccleſiaſticis.

Multa ſunt Edicta, quibus dirigitur, quidquid ad Inſinuationes pertinet. Edicto an. *1646.* exigitur, ut omnes Litteræ, Graduum, Nominationum, Requiſitionum, Inſtrumenta recuſationis, aliaque hujusmodi ad Tabularium Inſinuationum Diœceſis intra menſem referantur inita numeratione a die datæ ſuæ ſub pœna nullitatis. Conformiter ad hoc Edictum in ampliori Conſilio latum eſt Arreſtum *6.* Martii an. *1662.* ac ſimile tulit Senatus Pariſienſis 1. Martii an. *1666.*

(e) Art. 18.

Ex eodem Edicto (*e*) inſinuari debent Procurationes ad reſignandum aut permutandum, quando ad Romanam Curiam mittuntur, & etiam antequam mittantur, uti Proviſiones Papæ vel Ordinarii, Præſentationes, Litteræ, quæ *viſa* dicuntur, miſſiones in poſſeſſionem, idque intra menſem poſt miſſionem in poſſeſſionem.

Si ab Ordinario conceſſæ fuerint Beneficiariis proviſiones, ſeu reſignationis, ſeu permutationis cauſſa ex utraque parte vivente perfecta expe-

ditione

ditione Provisionum, necesse est, ut, si ad Indultarios graduatos, aliosve expectantes, aut præsentatos a Patronis Clericis res pertineat, indeque patiantur incommodum; missio in possessionem ad Tabulariam Insinuationum Ecclesiasticarum loci referatur biduo integro ante obitum Resignantis; ex eodem Edicto an. 1646. (a). Idem denique dicendum, de Revocationibus, Resignationibus, & Rettactationibus inito mensis numero a die significationis, ut videbitur in casu *Leufridus*, secundo hujus tituli.

Donationes mutuæ inter virum & mulierem, ante matrimonium, aut eo stante, factæ, pariter Insinuationi sunt obnoxiæ ex Edicto Molinensi (b): Et Insinuatio illa fieri debet in Tabulario Regiæ Jurisdictionis sub pœna nullitatis. Ita sentiunt Carondas, Le Pretre, Bacquetus & Tronconius, quos laudat D. Ferrerius (c).

Donationes quoque conjugum mutuæ ex nuptiali contractu factæ, seu reciprocæ sint, seu non, necessario quoque debent insinuari; quia termini isti articuli 58. Edicti Molinensis, *in favorem matrimonii & aliorum, quacumque forma & qualitate inter vivos factæ fuerint*: sunt generales, & aliunde usus invaluit contra opinionem contrariam, quam tuetur Bacquetus (d).

Quando dotalia a marito post mortem suam uxori concessa absque regressu instrumento scripta sunt, & bono immobili mariti constituuntur, tunc Contractus Insinuationi est obnoxius, *quia tunc Contractus ille est donatio*, inquit D Ferrerius (e), *quæ dotalia post mortem ex consuetudine relinqui solita superat, quæ in solo usufructu posita sunt*.

Omnes pariter donationes inter vivos, seu mere gratuitæ aut mutuæ & onerosæ (f), a Donatariis acceptatæ, Insinuationum juribus subjacent, ut postea probabitur ex septem Edictis Galliæ Regum; que confirmata sunt Edictis an 1690. & 1703.

Edicta illa intelligi tantum debent de immobilibus, qualia sunt agri, domus & Officia ex sententia Bourdini (g), Loueti, Le Pretre, Bacqueti, Carondæ & D. Ferrerii in consuetudinem Parisiensem (h); nisi omnium mobilium universalis facta fuerit donatio ex Loueto & Bacqueto; vel saltem majorem bonorum Datoris partem auferat, ex Richardo (i), Tronconio (k), & Loiseau (l).

A Lege Insinuationis eximendæ sunt. 1. Donationes a Rege factæ bonorum Fisco addictorum liberis damnatis, ut docet Chopinus (m); & idem dicendum est de aliis omnibus donationibus, quas Rex subditis suis concedit. Quod pertinet ad alia dona a Rege concessa, is est ordo, ut ad Compactorum Curiam referantur (n).

2. Donationes Patrum ac Matrum liberis suis factæ anticipatæ hæreditatis causa ex contractu ipsorum matrimonii, & non aliter, quod probat D. Ferrerius (o) ex tribus recentibus Arrestis Senatus Parisiensis: primum latum est 27. Martii an. 1673. Alterum 31. Julii ejusdem anni, & tertium 14. Maii. Tria alia a Basseto quoque referuntur Arresta, quæ eamdem confirmant jurisprudentiam. Dictum est: *Donationes Patrum ac Matrum*: Nam quando fiunt hujusmodi donationes a fratribus, aut sororibus, vel ab aliis; validæ non fiunt nisi ex Insinuatione.

3. Pacta nuptialia insinuatione non indigent, nisi iis adjuncta sit donatio, qualis foret, si adjungeretur clausula, qua diceretur, quod penes maritum manerent omnia conquisita (p), vel penes mulierem omnia mobilia & acquisita.

4. Ab Insinuationis quoque necessitate immunis est titulus Clericalis, quem filio suo Pater scribit (q): Quod probat D. Ferrerius de tribus Arrestis Senatus Parisiensis, quorum primum est 26. Januar. ann 1610. alterum 5. Decemb. ann. 1619 & tertium 29. Maii ann. 1645. & aliter diceretur, si ab alio, quam Patre scriberetur hic titulus (r).

Formulæ in Insinuationibus requisitæ adeo necessariæ sunt ad validitatem donationis juxta Louetum (s), ut suppleri non possint aliqua significatione, publicatione, aut alia quavis simili ratione. Ratio est, quia tale instrumentum non solum pro præsenti, sed etiam pro futuro tempore debet esse publicum: quod fieri nequit per insinuationem seu in publicas tabulas relationem, ad quam recurrere possunt ii, quorum interest, si opus sit.

Insinuatio instrumenti facta prius, quam illud sit perfectum, est invalida; talis est insinuatio donationis, quæ nondum acceptata fuisset, ut postea ostendemus.

(a) Art. 13.

(b) Edict. Molin. art 5. & consuet. Parisi. art. 284.

(c) D. de Ferriere in consuetud. Paris. tom. 3. tit. 13. p. 231.

(d) Tract. de juribus justitiæ cap. 2. n. 375.

(e) D. de Ferriere ibid. n. 73.

(f) Declaratio in Parlam. Paris. confirmata 5. Decemb. an. 1623.

(g) Bourdin. in Edict. an 1538. Louetus L. D. n. 24. Le Pretre. Bacquet tract. de Juribus justitiæ cap. 21. n. 401. Carondas in art 272. consuetud. Paris.

(h) D. de Ferriere in consuetud Parisi. tom. 3 tit. 11 p. 892.

(i) Ricard. tract. de donat. part. 1. cap 4. sect. 3. gl. 1. n. 1154.

(k) Troncon. in art. 214. ejusdem consuetud v. *Debet esse*.

(l) Loiseau tract. de offic.

(m) Chopin. in art. 248. consuet. Parisi. n. 27.

(n) D. de Ferriere loco citato. n. 39.

(o) Idem ib. n. 56. 57. & 58.

(p) Arrest. Parlamenti Paris. 14. Aug. 1571. Arrest. 21. Feb. an. 1681.

(q) D. de Ferriere ibid. n. 61. p. 295.

(r) Arrest. 4. Septem. an. 1649.

(s) Arrest. Senatus Paris. 8. Aprilis an. 1597. a Loueto relatum.

Insinuatio fieri potest, etiam absente donatore, & absque ejus procuratione. Idem dicendum de insinuationibus, in materia Ecclesiastica (*a*).

Insinuatio fieri debet in Regia jurisdictione, conformiter ad Declarationem an. 1594. qua expositus est articulus 132. Edicti an. 1539. cui conformis est Edicti Molinensis articulus 58. quo fertur, *Insinuationem faciendam esse in tabulariis Curiarum nostrarum solitarum, ubi sita sunt bona data, & domicilium contrahentium*. Quo articulo cœteræ omnes excluduntur jurisdictiones, etiam eæ, quæ ad Ducatos Paris. dignitatis Franciæ pertinent; uti a Senatu Parisiensi dijudicatum est ex duobus Arrestis, latis in quinta Inquisitionum Curia 16. Aprilis an. 1615. & 1664.

Observandum est, quod ex Edicto Ludovici XII. 17. Decembr. an. 1612. insinuatio fieri potest in Tabulario Balliviatus aut Præposituræ; in iis urbibus, in quibus duplex illa Jurisdictio regia est, & quod, cum in duobus locis diversis sunt constitutæ, in eo potissimum loco debet fieri insinuatio, ubi sola reperitur Præpositura juxta Arrestum confirmationis hujus edicti. Attamen Parlamentum Tolosanum insinuationem admittit factam in Tabulario Balliviatus pro personis nobilibus in iis urbibus, ubi reperitur tantum Balliviatos, licet Præpositura in alia urbe sit constituta. Ita jodicatum est ab hoc Parlamento 19. Augusti ann. 1695. (*b*).

Insinuatio rerum datarum requiritur tantum in jurisdictione domicilii donatoris, uti putant Carondas, Bacquetus (*c*) & Ricardus (*d*); quia edicti hæc tantum fuit intentio, ut promulgarentur donationes inter vivos, quas de bonis suis fecissent donatores. Idem Ricardus duo Arresta supremæ Curiæ Senatus Parisiensis refert, quibus ita dijudicatum est mensis Februarii ann 1638. & 5. Augusti anno 1539.

Quando immobilia data in diversis sita sunt jurisdictionibus, tunc in qualibet earum fieri debet insinuatio. Ita sentit Chopinus (*e*) & cum eo Carondas, qui Arrestum conformiter latum anno 1585. refert. Ita quoque Ferrerius (*f*): & idem dicendum, si res datæ sint census domniales, quia census illi censentur positi, ubi sunt dominia. Qood spectat ad census pecunia emptos, sufficit, ut eorum donatio insinuetur intra fines jurisdictionis, ubi positum est donatoris domicilium; uti dijudicatum est Arresto Curiæ edicti anno 1606. quod refert Le Petre (*g*), idem quoque dicendum est de donatione rerum mobilium in quocumque reperiantur loco, quia naturaliter donatoris domicilium sequuntur.

Sufficit, ut insinuatio donationis dominii cujusdam fiat in Tabulario jurisdictionis loci, ubi præcipua sedes est dominii, licet aliæ multæ sint dependentiæ positæ in aliis jurisdictionibus. Regiis Ratio est, quod sedes seu mansio sit cæterorum caput, cœtera vero, uti accessoria haberi debeant. Id quidem luculenter probat Ricardus (*h*). Idem sentit Chopinus (*i*), & Arrestum Parlamenti profert latum conformiter 22. Maii ann 1552.

Donatio officii insinuari debet in Tabulario jurisdictionis domicilii Donatoris, & in Tabulario, in quo fit officii exercitium, si fit diversum a jurisdictione domicilii ejusdem Donatoris.

Tempus, quo fieri debet insinuatio, his verbis articuli 58. Edicti Molinensis notatur: *Intra quatuor menses inita numeratione a die & data earumdem donationum, quoad bona & personas eorum, qui intra Regni nostri fines habitant; & intra sex menses, pro iis qui erunt extra Regni nostri limites: et si intra illud tempus Donator aut Donatarius mortem oppeteret, insinuatio tamen fieri poterit intra prædictum tempus, inita, ut supra, numeratione a die contractus*.

Voces istæ; *a die & data earumdem donationum*, intelligendæ sunt tantommodo de donationibus acceptatis & perfectis: quo circa si donatio facta fuerit prima die Martii, & solum acceptata prima Aprilis; tempus insinuationis numerari tantum debet a prima Aprilis.

Ex Arrestorum Jurisprudentia, insinuatio donationum, quæ ex contractu noptiali factæ sunt, aut aliter, quæ non facta est tempore, quod præscribit edictum, deinceps fieri potest; modo actu viventes supersint donator & donatarios, ex Arrestis Senatus Parisiensis 8. Martii anno 1578. 17. Septembris 1584. & 5. Augusti 1603. quæ refert D. Ferrerius (*k*): At si Donatarius post quatuor Menses elapsos, obiisset, quamvis superstes foret Donator, insinuatio foret invalida (*l*).

Cum insinuatio facta est dumtaxat post tempus edicto determinatum, nullum habet effectum retro agentem, in detrimentum creditorum intermedio-

(*a*) Bourdin. paraph. in art. 132. Ed. ann. 1529. Chop. Charon. Arrest Senat. Paris. 23. Maii ann. 1661.

(*b*) D. Olive l. 4. c. 2.

(*c*) Caronda Baquettr. de jurib. Instit. c. 21. n. 3. 83.

(*d*) Ricard. tr. de donati p. 1. c. 4. sect. 3. glos. 6. n. 1212.

(*e*) N. 14.

(*f*) Chopin. loc. cit. n. 209.

(*g*) De Pigne centuria 3. c. 16.

(*h*) Ricard. loco c. c. m. 1217.

(*i*) Chopin. loc. cit. nu. 16.

(*k*) N. 129.

(*l*) Arrest. Parlam. Paris. 17. Aprilis 1610.

medio-

mediorum, hoc est, qui contraxerunt a quatuor mensibus Lege concessis, & ante insinuationem: nam Donatario anteponuntur. Ita quippe dijudicatum est Arrestis Senatus Parisien. & Curiæ Edicti 5. & 21. Martii an. 1588. & 1595.

Donum mutuum inter maritum & conjugem intra quatuor menses insinuari debet: & si postea insinuetur, existimat D. de Ferriere, id faciendum esse de utriusque consensu. At putat Richardus (*a*), quod, cum donum mutuum fieri nequeat, nisi a conjugatis bene valentibus, insinuari quoque non potest, nisi tempore bonæ valetudinis ex Arresto Senat. Parif. mensis Sept. an. 1612. quod refert idem Auctor. Attamen D. Ferrerius (*b*) & Brodeus (*c*) in Lovetum contra sentiunt, ob eam potissimum rationem, quia omnis donatio acceptata est perfecta, licet nondum insinuata: quod insinuatio sit simplex cautio & formula, pro hæredibus Donatarii constituta, & etiam pro creditoribus, qui postea cum Donatore contrahentes decipi possent, si publicæ non fierent ex insinuatione donationes. Prior horum duorum jurisperitorum Arrestum profert latum 22. Julii ann. 1540. conformiter ad sententiam suam; & alter aliud etiam refert latum ann. 1618.

(*a*) Ricard. cit. n. 126.
(*b*) D. Ferriere n. 328. 329.
(*c*) Brodeus in Lovetum lit. d n. 4.

Mulieri quatuor conceduntur menses ab obitu viri sui ad insinuationem donationis, sibi ex contractu suo nuptiali factæ; quia jure præsumitur mulier, vivente marito suo, insinuationem istam sibi procurare non potuisse. Ita fert fori consuetudo.

CASUS PRIMUS.

ALEYDIS, adolescentula vidua, quæ primo suo conjuge defuncto pueros tres susceperat; secundis cum Anthimo contractis nuptiis parem ei cum uno e pueris suis prærogativam ex contractu suo nuptiali juxta consuetudinem Parisiensem dedit. Anthimus datum sibi contractus exemplar, & in arca conclusum 12. annis & plusibus etiam reliquit, omissa ejus insinuatione in Tabulario Regiæ jurisdictionis, uti necesse erat, propter factam sibi ab Aleyde donationem.

Postea obiit Aleydis, & Anthimus a forensi viro monitus, ad validitatem donationis omnino necesse esse, ut ejus insinuatio intra quartum a data contractus mensem, aut saltem Aleyde superstite, facta fuisset, defectum hunc formalitatis subdole supplendi artem invenit, obtinendo ut anterior octo diebus data huic insinuationi apponeretur; ita ut octo ante hujus mulieris obitum diebus facta esse videatur; quamvis reipsa morte illius sit posterior. Qua de re quæritur, utrum donatio ista inutilis facta fuerit, etiam in foro conscientiæ, quod tempore juxta Edictum requisito in tabulas publicas non fuerit relata.

Multas quidem rationes affert Anthimus, ut probet, factam sibi ab Aleyde donationem esse validam, saltem in foro interno. Prima est constans Aleydis voluntas, quæ a nullo sollicitata, sed mera sua generositate hanc sibi donationem facere non dubitavit. Altera ejus ratio est, acceptatio a se facta, cum nuptiali contractui subscribit. Tertia est, quia si donum illud non sibi Aleydis obtulisset, ne de ejus matrimonio unquam cogitasset. Quarta petitur ex integra & bona fide, in qua ambo, stante matrimonio suo, fuere, cum de validitate donationis, qualis erat, ambo numquam dubitarint, nec a quopiam audierint, insinuationem factam supra notato tempore, esse necessariam ad validitatem hujusmodi contractus. Ex quo colligit, quod, cum nulla sibi possit imputari negligentia; nec aliunde ex statu suo teneatur ad juris peritiam, talem defectum præstare non debet, atque adeo non par est, ut ex tali defectu gravetur. Quinta denique ratio, quam affert est, quia sibi persuasum est, quod si rem, uti gesta est, tres pueri e primis nuptiis suscepti callerent, nullam a se in casu proposito restitutionem exigerent. Numquid ille istis rationibus sufficienter ac legitime ab omni restitutione erga tres illos pueros immunis est?

RESPONS.

Non recens est Lex illa, qua jubetur quorumdam insinuatio instrumentorum, qualia sunt ea; quibus instituitur donatio, cum a tempore Romanor. Imperat. vigeret. Primum ejus vestigium in codice Theodosii (*d*), deinde Justiniani (*e*) reperitur, in quo legere est, ab Imperatorib. Rom. constitutam fuisse insinuationis necessitatem, non determinato tamen tempore, quo fieri deberet. Quod postea ab Imperatorib. Leone & Anastasio diversimode fuit institutum (*f*).

Jurisprudentiam istam adoptarunt Reges Galliæ Edict. suis; ac 1. Francisc. I. Edicto suo an. 1519. (*g*), in quo sic legitur: *Volumus, ut donationes quælibet a subditis nostris & inter eos faciendæ inserantur, & ad Curiarum nostrarum & Jurisdictionum partium & rerum datarum publicas tabulas referantur; alioquin invalidæ reputabuntur, & suum tantum effectum habebunt a die prædictæ insinuationis*. Henric. II. Edicto suo an. 1548. & Declarat. sua an. 1549. cum Franc. I. consentit. Carol. IX. Edicto suo Aurelian. (*h*), & strictius Edicto Molinensi ann. 1566. idem imperat his verbis: *Atque ut deinceps omnis tollatur fraudis occasio ac dubiorum, quæ oriri possent pro insinuatione donationum, quæ postea fient inter subditos nostros, ordinavimus, ut deinceps omnes donationes inter vivos factæ, mutuæ, reciprocæ, onerosæ, cujuscumque formæ & qualitatis sint, inter vivos factæ, referendæ sint ad Tabularia nostrorum Tribunalium consuetorum, in quibus res datæ, contrahentiumque domicilia erunt posita, intra quatuor menses, incipiendo numerationem a die & data earumdem donationum quoad bona & personas incolarum Regni nostri, & intra sex menses quoad eas, qui erunt extra ejusdem limites. Aliter in defectu dictæ insinuationis, erunt & permanebunt dictæ donationes invalidæ, & nullius effectus ac valoris, tam pro creditore, quam pro hærede donatoris.*

(*d*) L. 1. cod. Theo. de sesp
(*e*) L. Data 17. cod. de donat. L. In hac 20. L. In donat. & 3. L. Secund. 3 cod. sit. cod. L. A. tit. 54.
(*f*) L. In hac 30. L. Secund. 32. ibid.
(*g*) Edict. an. 1539. ar. 132.
(*h*) Ed. Aurel. ar 136. Edict. Molin. ar. 58.

Is est legis tenor, quæ absque ulla expositione; clare ostendit, quemlibet donationis contractum esse invalidum, nisi per insinuationem tempore requisito factam publicetur. Quod authentice confirmavit Ludovic. Magnus Declarat. sua 17. Nov. an. 169.... qua permittit, ut post quatuor menses fiat insinuatio, modo superstes sit ac vivus Donator. *Donationes ad publicas tabulas insinuatione poterant referri post quatuor menses, modo adhuc superstes sit Donator: donationes, inquit hæc Declaratio, poterunt insinuari per vitam Donatorum, licet a pluribus, quam mensibus quatuor factæ fuerint, quin opus sit alio consensu Donatoris, aut sententiæ, qua sic ordinatum fuerit: & quando post quatuor tantum menses earum fiet insinuatio, nullum eæ obtinebunt effectum contra emtores bonorum datorum & contra creditores Donatorum,*

nisi a die earumdem insinuationis. Mandamus amatis & fidelibus consiliariis nostris, ut legi, promulgari, & ad acta publica referri & in iis contentum, servari curent hæc nostræ declarationis jussa.... non obstantibus mandatis articulorum 57. & 58. Edicti Molineasis, quibus in eam rem derogavimus & per præsentes derogamus. Huic igitur ultimæ legi standum est, & stant reipsa supremæ Regni Curiæ.

Quæ cum ita sint, & consentientibus Theologis omnibus cum sancto Thoma, teneri subditos in foro conscientiæ & coram Deo ad observationem Legum Principum, quæ ad communitatem spectant, & sub pœnis, imponunt; dicimus, quod, cum Anthimus contractum suum nuptialem ad publicum Tabularium referri non curaverit saltem ante obitum Aleydis uxoris suæ; prærogativa, qua eum donare voluerat, ipsum cum pueris suis primo susceptis parem efficiendi, facta caduca, & donatio nulla, etiam in foro interno, atque adeo datam sibi portionem accipere non potest, sed quam pueris Aleydis aut derelinquere, aut restituere debet.

Anthimo autem prorsus inutile est, constantem hic Aleydis allegare voluntatem, quæ solo ducta amicitiæ nomine, nec cujusquam sollicitationibus inducta, hanc ei prærogativam concedere voluit: nam ex sola voluntate valida non fit donatio facta contra regulas lege præscriptas; necesse est igitur, ut præter voluntatem dandi, Donator & donatarius ejus accurate regulas istas observent; & cum in donationibus insinuatio præscripta tempore facta ad earum valorem absolute necessaria sit, Anthimusque contractus sui insinuationem neglexerit; apposita ipsi donatio, ex obitu uxoris suæ invalidata fuerit.

Quod spectat ad acceptationem donationis, quam a se factam profitetur Anthimus, nuptiali contractui subscribendo; Respondetur, hac in re sufficientem ac validam fieri non posse acceptationem, nisi ope insinuationis, quam lex requirit; & constat ex terminis edicti Francisci 1. mensis Aug. an. 1539. (a) & edicti an. 1549.

(a) Edict. an. 1539. ar. 139.

Cum vero addit Anthimus iste, se Aleydi nunquam fuisse nupturum, nisi hanc sibi donationem prælegasset, sit ita sane: sed quis inde potest inferre pro sa, & cum detrimento prolis primo susceptæ? nam ipsi, neque mater eorum Aleydis hunc insinuationis defectum præstare debent, hancque sibi tantum soli culpam adscribere potest.

Frustra Anthimus fidei suæ integritatem legumque imperitiam obtendit: neque enim præsumi potest, ipsum ea fuisse ignorantia, qua excusetur pro lege, quæ recepta est & in omnibus supremis Regni Tribunalibus promulgata, & quæ etiam diebus singulis in omnibus regiis jurisdictionibus observatur, qualis est Lex insinuationis. Equidem si ob talem rationem quis ab observatione Legis se se excusare posset, nulla jam esset Lex, quæ non impune violaretur, & quæ specioso bonæ fidei atque ignorantiæ prætextu pro subditis non fieret inutilis. Cæterum si Anthimus ea non erat conditione, ut jus forensiaque negotia sciret; eo minus excusatione dignus est, quod eam non sumpserit curam donationis suæ validitatem cognoscendi, ope scilicet Notarii sui, Procuratoris vel Advocati.

Tandem frustra prætendit hic homo tacitum & præsumptivum consensum puerorum e primo thoro natorum proposito suo, si rem, uti est, cognoscerent nam præsumtus tantum consensus non sufficit, ut tuta sit conscientia contra injustitiam realem & manifestam. Oporteret igitur, ut pueri illi apprime donationis nullitatem edocti, postea suum & omnino libere præberent consensum; alioquin ipsis debitam tenetur reddere æquitatem, illis portionem restituendo, quam ipsi ex nuptialibus pactis dare voluerat Aleydis, & quam non par est, eum suam facere sub specie insinuationis suppositæ, quam fieri curavit; & cujus gratia severam debet amplecti pœnitentiam.

Tres hic addere observationes opportunum ducimus ad majorem hujusce argumenti elucidationem in eorum favorem, quibus res non satis est perspecta.

Advertendum itaque 1. per Edictum insinuationum derogari privatis Regni Provinciarum consuetudinibus, ex quibus alio modo statuitur: quia edictum illud Lex est generalis, quæ omnes Regis subditos obligat.

Advertendum 2. in reciproca conjugatorum donatione ex contractu nuptiali insinuationem non requiri; at in eo tantum casu esse necessariam, cum vir solus mulieri suæ, aut mulier sola viro suo donationem facit; cum hoc tamen discrimine, quod, cum mulier dat viro suo, insinuatio fieri debeat, saltem ipsa vivente: cum econtra si vir sit Donator, sufficit, ut mulier insinuationem fieri procuret intra quatuor menses ab obitu mariti; atque hæres defuncti in ipsam defectum factæ insinuationis allegare nequit. Ratio est, quia mulieri sub potestate viri constitutæ exprobrari nequit, quod observationi adeo rigorosæ formalitatis invigilare potuerit, ut ait Bacquetus in suo tractatu de juribus justitiæ (b), atque ut dijudicatum est ex multis Arrestis Senatus Parisiensis, atque inter cetera ex Arresto 2. Feb. 1595. referente D. le Pietre quintæ Inquisitionum Curiæ consiliario; & ex alio lato in eadem curia, referente D. du Vaire 14. Julii an. 1587. Si tamen ex donatione attribueretur pecuniæ summa ex immobilibus Donatoris, aut ex eorumdem immobilium usufructu deducenda, tunc præviæ subjaceret insinuationi; quia tunc esset illorum prædiorum seu immobilium affectatio & hypotheca, quæ absque insinuatione valere nequit cum præjudicio creditorum, qui sunt hypothecarii.

(b) Bacquet. tract. de juribus Just. cap. 21. l. 185.

Advertendum 3. quod, cum intra quartum mensem non facta est insinuatio; sed ver. gr. decennio post, creditores intermedii Donatoris, hoc est, qui contraxerunt inter tempus donationis & tempus insinuationis, Donatario anteponuntur; quia jus hypothecæ non obtinet, nisi ab insinuationis die, cum econtra intra quatuor menses insinuando, insinuatio retroagit, & ad dictum diem hypothecam adducit. Ab hac tamen regula jurisdictionem Tolosani Parlamenti excipit Louetus (c), ubi insinuatio, intra tres menses facta, nullum habet effectum retro agentem. Qui majorem requiret horum expositionem, consulat ea de re Dictionarium civile & Canonicum, Dictionarium Arrestorum D. Brillon, uti Bacquetum, Ricardum aliosque Galliæ jurisperitos.

(c) Louvet. v. Insinuatio. n. 2.

CASUS II.

Leufridus, Sancti secundi Prior, cum infirma esset valetudine, in Romana Curia Prioratum Julio nepoti suo resignavit. Julius vero acceptis provisionibus suis, & obtento *visa* suum prioratum adivit, non præmissa insinuatione procurationis *ad resignandum*, neque provisionum suarum, neque *visa* sui, neque missionis in possessionem tempore, quo requirit Edictum. Post hæc Germanus, qui cognita Leufridi morte, Provisiones *per obitum* de eodem prioratu, Romæ obtinuerat, ipsius possessionem adivit, contendens Julium perperam esse provisum ob insinuationis defectum; & ipsi lite illata, Arrestum obtinuit, quo sibi Prioratus adjudicatur, eoque defectus Julius declaratur.

Respons.

Respondemus, quod, cum insinuationis defectus hac in re sit essentialis, & contractus huic obnoxios invalidet, Germanus tuta conscientia omnem, quam sibi Arrestum suum procurat, utilitatem percipere potest. Ratio est, quia, ut pro insinuationibus Laicis, sic pro insinuationibus Ecclesiasticis viget Lex, quæ eos ad quos pertinet, etiam sub conscientiæ reata obligat. Id quidem probatur ex Edicto Martii an. 1555. quod 20. ejusdem mensis die in Parlamento confirmatum est, quo Henricus II. ordinat, *quod omnes collationes, præsentationes, & aliæ quæcumque provisiones Beneficiorum, Officiorum & Ecclesiasticarum dignitatum, cujuscumque sint qualitatis & quæcumque sint ratione, factæ a Sanctissimo Domino Papa, Legatis Apo-*

Apostolicæ sedis, collatoribus Ordinariis & Patronis Ecclesiasticis & Laicis... referuntur ad publicas tabulas dictorum Tabulariorum Archiepiscoporum aut Episcoporum, in quorum Diœcesibus dicta Beneficia, uti dictum est, erunt sita & permanenta. Hæc sunt hujus Edicti verba, quo etiam continentur Beneficiorum Missiones in possessionem, & alia multa instrumenta, quæ Rex iste designat, & quæ vult a Judicibus tamquam nulla haberi ob solum Insinuationis defectum.

(a) Acta Cleri to. 2. part. 2. p. 524.

Acta Cleri Gallicani (a) integrum eeferunt illustreque Arrestum Senatus Parisiensis, huic edicto contentaneum 15. Julii an. 1625. latum per modum regulæ. En ipsius verba: *Et rationem habens (Senatus) conclusionum dicti nostri Procuratoris Generalis, jubet ut omnes Ecclesiastici, qui deinceps provisionee habebunt Abbatiarum, Prioratuum aliorumque Beneficiorum, teneantur, ad insinuandum cum dictis suis Provisionibus, instrumentum Missionis in possessionem dictorum Beneficiorum in actis publicis Insinuationum Diœceseon, in quibus sita erunt dicta Beneficia: quo omisso, habebuntur prædicta instrumenta Missionis in possessionem nulla & nullius effectus, & valoris. Quod præsens Arrestum cura substitutorum Procuratoris nostri Generalis legetur, promulgabitur & in Regiis Tribunalibus hujusce jurisdictionis ubisque locis, quorum intererit, inter acta publica referetur.*

Ludovicus XIII. declaratione sua 31. Decembris ejusdem anni 1625. jubet etiam, ut omnia Superiora edicta de insinuatione provisionum aliorumque actorum, ad res Beneficiatias pertinentium facta, religiose observentur, ut omnia instrumenta, de quibus in eo fit mentio, insinuentur sub nullitatis pœna. *Volumus, nobisque placet, inquit hic Princeps, ut omnia Edicta a Prædecessoribus nostris facta de insinuatione Provisionum & actorum ad res Beneficiarias pertinentium, inviolate custodiantur, observentur & teneantur juxta formam eorum, ac tenorem: ac præcipue, ut omnes Bullæ, Tituli ac Provisiones Beneficiorum & alia instrumenta in dictis Edictis designata ac specificata.... insinuentur in Tabulariis insinuationum tempore determinato in Ordinationibus nostris, Regumque Prædecessorum nostrorum. Aliter, eoque omissa ea declaravimus nulla & nullius effectus & valoris. Prohibemus singulis & omnibus, ne se immisceant possessioni Beneficiorum sibi concessorum, seu a Sanctissimo Patre nostro Pontifice, a nobis, aut ab Ordinariis, quin prius ipsorum Bullæ, Provisiones & acta Missionis in possessionem insinuentur; quæ ipsis injungimus ut insinuari curent intra mensem post aditum Beneficium. Aliter & quo neglecto declaramus de præsenti dictam Missionem in possessionem nullam nulliusque effectus, qui continua eadem possessio, ullum ipsius jus acquirere possit.* En aliud Edictum an. 1629. *(b)*, quo statuitur eadem nullitatis pœna omnium hujusmodi instrumentorum, quæ non fuerint insinuata.

(b) Edictum an. 1629. art. 24.

Ordinationes istas accepit famosum Edictum de publica recognitione juridicorum instrumentorum, latum mense Novembri an. 1635. cujus abrogationem obtinuit Clerus Gallicanus declaratione mensis Octobris an. 1646. confirmata 2. August. 1649. consequenter ad diploma provocationis ad Parisiensem Senatum, ut confirmationem prosequeretur: quæ omnia referuntur in secundo Tomo Actorum Cleri (c) hæc autem declaratio sic habet (d): *Volumus & Ordinamus, ut omnes Procurationes* ad resignandum, *aut permutandum referuntur ad Tabularia Insinuationum Diœceseon, in quibus sita sunt Beneficia, priusquam ad Romanam curiam mittantur, & ut alia omnia instrumenta; quæ scripta fuerint, & dicta Beneficia pertinebant seu Bullæ, Provisiones Apostolicæ vel ordinariæ, Bullarum fulminationes, Literæ testimoniales, quæ Visa dicuntur Præsentationes, repræsentationes instrumenta Missionis in possessionem, publicationes & alia generaliter quæcumque sint (exceptis (e) expeditionibus Beneficiorum, quæ ad Regiam nominationem & collationem pertinent;) similiter referuntur ad Tabularia insinuationum post mensem a missione in possessionem: uti etiam revocationes & retractationes intra eundem mensem, postquam fuerint significata: eaque omnia statuta volumus, sub pœna nullitatis, tam missionum in possessionem quam dictarum Provisionum, aliorumque instrumentorum.*

(c) Acta Cleri to. 2. p. 528. & seq.

(d) Declarat. an. 1646. art. 16.

(e) Nota quod exceptio ista revocata est art. 25. edicti an. 1691. c.

Atticulus iste 16. modo exscriptus alia declaratione mensis Januarii an. 1651. confirmata 31. Martii sequentis expositus est: sic autem in ea loquitur Rex Ludovicus XIV. *Ordinamus, exponendo articulum 16. Dictæ declarationis mensis Octob. ann. 1646. ut omnes procurationes ad resignandum, aut permutandum, referantur ad Tabularia Diœceseon, in quibus Procurationes & alia instrumenta quorum jubetur insinuatio, scripta fuerint; illque unquam ad Romanam Curiam mittuntur: quas procurationes provisi de præbendis Beneficiis super tenebantur referre ad Tabularia insinuationum Diœceseon, in quibus sita sunt Beneficia, sex septimanas post expeditionem dictorum Beneficiorum; eaque omnia statuimus sub pœna nullitatis.*

Observandum ex Arresto confirmationis dictæ declarationis trimestre concedi spatium pro sex septimanis ab expeditione Provisionum, conformiter ad quam declarationem Parlamentum multa tulit arresta, ex quibus celeberrimum est 20. Aug. ann. 1668. latum per modum regulæ, quam sequi tenentur ceteri omnes jurisdictionis ejusdem Senatus judicea, & quo constituitur pœna nullitatis omnium instrumentorum, quæ hac declaratione insinuationi sunt obnoxia, & insuper infligitur punitio contra inobsequentes: quod jam constituerat idem Senatus alio Arresto 15. Julii an. 1623. Legi possunt hæc arresta citata in actis Cleri *(f)*. Parlamentum Britanniæ simile jam tulerat arrestum per modum regulæ 4. Julii an. 1634. Eandem jurisprudentiam amplexum est majus consilium, ut videre est ex duobus Arrestis 9. Martii an. 1593. & 29. Januarii an. 1695. quæ refert Auctor diarii forensis *(g)*.

(f) Acta Cleri tom. 1. t. 9. n. 7. p. 187. & tit. 10. nu. 9. pag. 301.

(g) Blondeau diarium for. tom. 2. p. 7. & 8.

Asserit quidem hic Auctor in suis additionibus ad Bochellum quasdam supremas Curias non semper attendisse ad ordinationes, quibus requiritur ut Procurationes *ad resignandum* insinuentur sub pœna invaliditatis: nisi cum fraus aliqua legitime præsumi poterat; & cum res bona fide actæ videbantur, tunc ordinationum rationem non haberi. Ea de re Blondellus refert Arrestum amplioris consilii 4. Aprilis an. 1675. latum pro Ludovico Pean, qui litigabat cum Nicolao Ronichon, de Præbenda sancti Honorati Parisiensis; licet in ipsius instrumentis esset Insinuationis defectus *(h)*.

(h) Idem to. 1. p. 350. & seqq.

Verum Ludovicus Magnus edicto suo mensis Decemb. an. 1691. Confirmato 2. Jan. 1692. *(i)* hanc stricte sententiarum quorumdam judicum varietatem prohibuit; & omnibus Regni sui curiis imperavit, ut uniformem sequerentur jurisprudentiam, iterum confirmando superiora Edicta & declarationes, quæ ea de re fuerant constituta sic autem in hoc Edicto rex loquitur (K)... Edicta a Regibus Antecessoribus nostris lata de insinuatione instrumentorum, quæ ad statum personarum *Ecclesiarum, Beneficiorumque titulos spectant, deinceps religiose observabuntur... eaque innovanda, si opus esset, eisque addenda, Jubemus, ut Tonsuræ literæ, simul (l) Procurationes ad resignandum pure ac simpliciter, in favorem, permutationis caussa... aut alia quacumque ratione; etiam ad... revocationes earumdem procurationum, earum significationes: Provisiones Curiæ Romanæ, legationis, vel Ordinarii expeditas super dictis resignationibus... literæ quæ Visa dicuntur, procurationes ad possessionem adeundam, ipsæ missiones in possessionem, Publicationes earum... insinuentur tempore postea declarato omnes Procurationes (m) ad resignandum in favorem, vel ad permutandum, insinuabantur, priusquam ad Romanam Curiam mittantur, in Tabulario diœcesean, in quibus eas Notarii scripserint; & si fuissent transactæ extra diœceses, in quibus sita sunt Beneficia resignata, Provisi de dictis Beneficiis earum caussa, insuper tenebuntur,*

(i) Edict. an. 1691. art 9. 10. 11. 14. & 22.

(K) Art. 9.

(l) Art. 10.

(m) Art. 11.

eus

CASUS UNICUS.

THecla, insigni pietate puella, quandoque experitur, se instigari divinitus ad facienda opera bona, quæ sunt tantum consilii. Potestne absque peccato suam non sequi inspirationem?

Respons.

Puella illa absque peccato opera illa bona potest omittere, ad quorum praxim se instigatam divinitus experitur. Cum enim sub peccati reatu ad opera consilii perficienda, quis non teneatur, ut v.g. omnia sua bona vendere, eorumque pretium pauperibus erogare, virginitatis votum emittere, aut religionis, aut piæ cujusdam peregrinationis; etiam is non tenetur ad obtemperandum hujusmodi inspirationibus; quandoquidem non magis ligare possint, quam ipsum consilium, ad quod sufficit non habere contemptum; ad evitandum peccatum. *Cum conscientia non liget, nisi ex virtute ejus, quod in conscientin habetur*, inquit S. Thomas (a), *conscientia, quæ ex consilio sequitur, non alio modo potest obligare, quam ipsum consilium, ex quo aliquis obligatur, ut non contemnat, sed non ut impleat.* (a) S. Tho. q. 27. de coe. scient. art. 3 ad a.

Idem alibi docet S. Doctor (b). Addit tamen, quod si cuiquam esset persuasum rem inspiratam esse de præcepto; licet reipsa esset tantum de consilio, aut etiam ex seipsa foret indifferens, tum peccaret, qui eam omitteret. *Conscientia... obligat virtute præcepti divini*, inquit, *sub cujus ratione apprehendit illud, quod ratio dictat. Et ideo si illud apprehendatur, ut directe cadens sub præcepto, vel prohibitione; tunc non fit directe contra conscientiam, sed præter eam: & ita non peccatur mortaliter, sed venialiter; vel etiam nullo modo: sicut quando conscientia dictat alicui, quod bonum est facere aliquod opus consilii; si non facit, non peccat, quia non apprehendit illud, ut bonum debitum & necessarium ad salutem & præcepto subjacens.* (b) Idem in. a. sentent. dist. 30. q. 3. art. 3. ad 6.

INTEMPERANTIA.

CUm INTEMPERANTIA sit vitium, quod in eo, quod nunc intelligitur, sensu alia multa includit, quæ contraria sunt abstinentiæ, sobrietati, & castitati, de quibus alibi variis titulis agimus; hic tantum dicemus, quod ut vitium contrarium sobrietati consistit in appetitu usuque immoderato liquorum, qui possunt inebriare; pariter vitium, quod intemperantia dicitur, consistit proprie in immoderata eiborum sumptione & satisfactione nimia sensuum gustus & tactus. *Inordinatus affectus ususve delectationum gustus & tactus* (c): Ita intemperantiam definiunt Theologi: Quo circa intemperantiæ nomine hic intelligimus omnem appetitum immoderatum potus & cibi, seu respective ad ciborum qualitatem potusque exquisitioris; seu relate ad nimiam quantitatem; seu etiam quoad sensualem delectationem, quæ in iis reperitur; seu quoad temporis spatium, quod ad comestionem adhibetur; aut tempus ab Ecclesia prohibitum, aut aliunde non conveniens. (c) polmao. bev Theol. part. a. a. n. 208.

Delectatio quæ ex intemperantia oritur, semper est peccatum quando propter se ipsam requiritur, nec ad bonum finem refertur: nam proprie loquendo, ea est frui, non vero uti. *Comedere, vel bibere, aut alias sensuum delectationes quærere propter voluntatem peccatum est.* Contrarium dicere, est Manichæorum errorem amplecti, qui contendebant, absque peccato esse consensum datum concupiscentiæ motibus; quia ex eorum principio, concupiscentia non erat res mala.

Quælibet igitur intemperantia peccatum est, modo lethale, modo veniale; mortale est, 1. Quando ultimus finis in ea constituitur; quod faciunt ii, de quibus loquitur Apostolus (d) *Quorum finis interitus; quorum Deus venter est* 2 Quando ad comedendum vel bibendum infringitur aliquod Præceptum divinum vel Ecclesiastieum, ut cum ob intemperantiam non servatur jejunium ab Ecclesia præscriptum; aut quis præ nimio ad mensam sumptu debita sua persolvere, aut rem alienam restituere nequit. 3 Cum immoderatis excessibus notabiliter læditur sanitas. 4. Cum ex intemperantia proximo scandali præbetur occasio. 5. Quando quis prævidet, intemperantiam fore causam cujusdam mortalis peccati, seu impuritatis, blasphemiæ, convieiorum, aut aliorum hujusmodi. (d) Philip. 3. 19.

CASUS PRIMUS.

GErardus, gulæ imprimis deditus, & opiparæ cupidus mensæ, ad epulas suas largam sumit pecuniam, nullam tamen vini immoderationem committens, quæ rationem interturbet, aut ejus valetudini notabiliter noceat. At vero ob nimias impensas Creditoribus suis debitam non potest solvere pecuniam, qui inde grave patiuntur detrimentum. An mortaliter peccat ob intemperantiam suam?

Respons.

Ille mortalis peccati fit conscius, qui ob hujusmodi immoderationes præceptum notabile, naturale aut divinum non adimplet. Atqui naturali ac divino præcepto æs alienum persolvi debet, nisi absoluta adsit illius solvendi impotentia. Unde sequitur, Gerardum esse censendum reum peccati mortalis ob sensuum Delectationes, quibus non vult abstinere; cum ex iis vere oriatur injustitia, quam committit in creditores suos, quos vel ex toto, vel ex parte persolvere facile poterat, si necessaria tantum ad vitam insumendo, reliquum in solutione debitorum suorum collocare vellet.

CASUS II.

Theooelinda, puella quindecim, aut 16. annos nata, sæpe poma ex horto paterno decerpta, aut condita saccharo, aliasve cupedias comedit, quamvis apprime noscat, se istis non egere, sed solum ut palato suo satisfaciat. An dici potest, eam in hoc peccare ex intemperantia?

Respons.

Non putandum est, in hoc esse peccatum, si quis cum delectatione rem gustui gratam manducet: alioquin

quin dicendum foret, quamlibet delectationem sensibilem futuram esse peccatum; quod falsum est. *Gulæ peccatum*, inquit Cajetanus, *consistit non in hoc quod cibus delectabilis delectabiliter sumitur; quoniam in hoc nullum est peccatum; nisi quis sit adeo insipiens, uti putet omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum.*

Equidem voluptas sensuum, proprie loquendo, nihil aliud est, quam via a natura concessa, qua impellimur ad actiones necessarias ad vitæ nostræ conservationem, nec non generis humani: quo circa honeste ac sine peccato adhiberi potest, tanquam medium legitimum; at nunquam licitum est, eam sibi ut actionum suarum finem proponere, agendo propter voluptatem: ut loquitur inclytus Doctor Sorbonicus (*a*): in hoc igitur tantum adest peccatum, quod quis appetat aut habeat hanc delectationem contra regulam & ordinem, quem præscribit ratio, quæ teneri debet: *Sed consistit in hoc*, addit Cajetanus, *quod inordinate delectatio cibi appetitur aut habetur*: vel ut propria sancti Thomæ verba usurpem (*b*): *Consistit .... in concupiscentia, non regulata ratione*. Quod quinque hisce vocibus designatur: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose*, & quæ ex S. Gregorio (*c*), designant quinque rationes diversas, quibus lædi potest temperantia. *Quinque nos modis gulæ vitium tentat*, inquit hic S. Doctor; *aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. Aliquando vero tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit. Aliquando quælibet quæ sumenda sunt præparari accuratius expetit. Aliquando autem & qualitati ciborum & temperi congruit: sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam vero & abjectius est quod desiderat; & tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat.* Quæ omnia probat S. Doctor ex exemplis scripturæ sacræ, quæ ad marginem indicamus (*d*).

(*a*) D. Haber. Prax. sacram. Pœnit. tract. 6. cap. 6. pag. 466.

(*b*) S. Th. 2. 2. q. 148. art. 1 ad 2.

(*c*) S. Greg. l. 30. moral. c. 27. in can. Quinque 22. de consecrat. dist. 5.

(*d*) Genes. 3. Genes. 15. 1. Reg. 2. 1. Reg. 14. 3. Reg. 17. Ezech. 16. Matth. 4.

Idem quoque apprime explicat S. Thomas his verbis (*e*): *Gula importat inordinatam concupiscentiam edendi. In esu autem duo considerantur, scilicet ipse cibus qui comeditur, & ejus comestio. Potest ergo inordinatia concupiscentiæ attendi dupliciter. Uno quidem modo quantum ad ipsum cibum qui sumitur, & sic quantum ad substantiam vel speciem cibi quærit aliquis cibos lautos, id est, pretiosos. Quantum ad qualitatem, quærit cibos nimis accurate præparatos: id est studiose. Quantum ad quantitatem, excedit nimis in edendo. Alio vero modo attenditur inordinatio concupiscentiæ quantum ad ipsam sumptionem cibi, vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quod est præpropere; vel quia non servat modum debitum in edendo; quod est ardenter.*

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 148. art. 4. in corp.

Hinc facile est concludere, quod, cum Theodelinda fructus illos, sacchare conditos, aliasque cupedias, de quibus fit mentio, tantum edat solo desiderio satisfaciendi palato suo, & sensuum, quam experitur delectationem sibi procurandi, quam etiam sibi tanquam finem proponit, quin ullatenus egeat, ac denique eadem non convenienti tempore comedat, a peccato intemperantiæ excusari nequit.

Vide { Gula / Jejunium / Ebrietas, Cas. 5. }

INTENTIO.

QUÆ ad hunc titulum pertinent, duabus decisionibus sequentibus complectemur; scilicet definitionem diversasque species intentionis, principia ac regulas, quas sequi necesse est, ut tuto solvantur difficultates, quæ ea de re fieri possunt. Quod cum ita sit, lectorem remittimus ad casum sequentem; nec non etiam consulere potest titulos *consecrare, Famulus, ordo, & occidere, in quatuor casibus, qui in indice indicantur, verbo.* INTENTIO.

CASUS PRIMUS.

MARCULPHUS, Sacerdos, Pœnitentiæ sacramentum administravit, nullam habens intentionem actualem vel virtualem, sed solum habitualem. An validæ sunt absolutiones, quas ita contulit?

RESPONS.

Priusquam fiat responsio, scire necesse est.

1. Quod intentio nihil aliud est, quam voluntas quidquam faciendi.

2. Quod voluntas illa potest esse absoluta vel conditionalis tantum.

3. Quod voluntas, seu intentio absoluta est vel actualis, vel virtualis, vel habitualis.

4. Quod intentio vocatur actualis, quando immediate antecedit & comitatur actionem, quæ ex ea fit, v. g. Si Sacerdos velit immediate administrare sacramentum & vi illius voluntatis absque dilatione illud administret, nec talem deponet intentionem, tunc dicitur habere actualem intentionem.

5. Quod intentio virtualis nihil aliud est, quam virtus intentionis actualis, seu actus, in quo quis voluit sed qui jam non subsistit, quamvis non revocatus talis actus sit causa ejus quod fit & quod aliter non fieret, Unde virtualis intentio a Theologo quopiam definitur; relatio dependentiæ effectus ad anteriorem intentionis actum, qui jam non subsistit, sed tamen qui præsentis est causa actionis. Exemplum quod retulimus verbo, *consecrare* manifeste sensum hujusce definitionis declarat; & ita docet S. Thomas (*f*). *Si postea in ipso exercitio actus*, inquit, *cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum.*

(*f*) S. Thom. 3. parte sum. q. 64. art. 8. ad 3.

6. Quod utraque intentio vel est explicita, vel solum implicita: explicita; ut si baptismum conferendo, expresse & formaliter intendat Sacerdos sacramentum Baptismi conferre: implicita; cum generalis est ejus intentio faciendi per hanc actionem, quod in hoc Ecclesia intendit & solet facere, aut facere, quod ab ipsa requiritur.

7. Quod intentio habitualis non est vera intentio. Non enim aliud quidquam est, quam habitudo, seu facilitas habendi intentiones, aut exercendi actiones ex intentionibus factas: quæ habitudo potest esse in dormiente, ebrio vel phrenetico. Non est igitur actus voluntatis humanæ seu rationalis, sed solum facilitas illum exercendi; ut habitus cantandi, qui reperiri potest in eo, qui nullatenus cantat.

Præsuppositis illis principiis tanquam certis, ad propositam quæstionem respondemus 1. certum esse in Theologia, quod ad validitatem Sacramenti necessaria est in illius Ministro intentio actualis, aut virtualis faciendi quod facit Ecclesia, ut isto Concilii Tridentini decreto fuit definitum (*g*): *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Cujus rei istam rationem affere Sanctus, quia necesse est, ut hic minister applicationem materiæ ad formam determinet ad conficiendum Sacramentum; quia res ex se ipsis indifferentes ad producendos varios effectus, absolute determinari debent ad producendum hunc potius, quam alium. Sed juvat ipsa Angelici Doctoris verba referre: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat: ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi: sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari, & ad munditiem corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad alia multa hujusmodi: & ideo oportet, quod determinetur ad unum; idest, ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis: & hæc intentio exprimitur per verba quæ in Sacramentis dicuntur:*

(*g*) Concil. Trid. sess. 7. Can. 11.

tur: *puta cum dicit: Ego te baptizo &c.* Unde sequitur, quod si Marculpho nulla fuerit intentio vel actualis vel virtualis, ut dicitur in proposito casu, collatæ ab eo absolutiones sunt invalidæ.

Consentit hæc Doctrina sancti Thomæ cum Tridentino Concilio (*a*), quod asserit, quod *Ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, & vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere & coram Deo esse absolutum.*

(*a*) Idem Conc. sess. 14. cap. 6. & loco cit.

2. Dicimus, quod intentio, quæ est tantum habitualis, hoc est qua res fit ex puro habitu & absque ulla advertentia & deliberatione, non sit sufficiens ad valorem Sacramenti, quodcumque illud sit; quia ex habitu agere, non est humano modo agere, ut quisque fatetur de eo, quod stultus aut phreneticus agit, vi habitus quem contraxit; atqui *Dispensatio Sacramentorum*, inquit sanctus Bonaventura (*b*), *est opus hominis, ut rationabilis, ut Ministri Christi, & ut Ministri Salutis. Hinc est necesse, quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere, quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere, quod facit Ecclesia. In quo clauditur in generali intentio prædicta, quia ipsa Ecclesia sicut a Christo Sacramenta accepit, sic ad fidelium salutem dispensat.* Quamvis hic Minister non crederet, Sacramento produci gratiam; ignoraret etiam, Ecclesiam Catholicam esse veram Ecclesiam, ut observat sanctus Thomas (*c*), & post ipsum Innocentius IV. (*d*).

(*b*) S. Bonav. in breviloq. 6. p. c. 5. de sacr. dispens.

(*c*) S. Thom. 3. part. Sum. q. 64. art. 9 ad 2.

Eandem de habituali intentione doctrinam tradit Silvius, cujus hæc sunt verba (*e*): *Habitualis intentio dicitur, vel promptitudo quædam operandi ex habitu, sive infuso, sive acquisito: vel intentio, quam præcessit voluntas operis faciendi; sed postea nullo modo influit in operationem: quia nec est in memoria vel cognitione, nec per se, nec per aliud est caussa talis actionis.* Sic autem definita vel potius descripta intentione habituali, subjungit: *Collatio Sacramenti debet esse actus humanus ex judicio rationis procedens: ab intentione autem solum habituali non procedit actio deliberata: Est enim indifferens ad hanc vel illam actionem: potestque esse in ebrio, aut dormientibus. Ergo illa non sufficit.*

(*d*) Innoc. IV. in cap. Si quis puerum. de Bapt.

(*e*) Fr. Silvius in 3. p. S. Thom. qu. 64. art. 8. conclus. 6. ult.

Observandum tamen, ne erroris sit occasio, quosdam Theologos, ut ipsum Doctorem Angelicum (*f*), aliquando intentionem virtualem dicere nomine intentionis habitualis; sed ex verbis suis manifeste ostendunt, se loqui de intentione virtuali, quam habitualem vocant in sensu tantum improprio, & forsan juxta modum loquendi inter alios Theologos ævi sui usitatum.

(*f*) S. Thom. loco cit.

Objicitur ad tollendam necessitatem intentionis actualis, vel virtualis; quod si ad validitatem Sacramentorum esset necessaria; a sancto Alexandro Alexandriæ Episcopo Baptismus a sancto Athanasio, *adhuc impuberi*, inquit Sozomenus, sociis suis jocose & per modum oblectamenti collatus, dum imitari, quod in Ecclesia viderat factum vellet, non fuisset, uti reipsa fuit, comprobatus. Additur, quod cum S. Genesi a Comœdo deridente Baptisma Christianorum Baptismus collatus fuisset, idem uti validus, comprobatus est; quamvis præsumi non potest sanctum Athanasium, aut eum, a quo baptizatus est sanctus Genesius, in hac occasione ullam habuisse sacramentum administrandi intentionem.

Sed respondendum 1. si vera sit sancti Athanasii historia, qualis a Gratiano (*g*) refertur, Baptismum quem ludendo contulit, validum esse potuisse; si eum administrans intentionem habuerit faciendi quod facit Ecclesia: *Dico etiam*, inquit Auctor Glossæ (*h*), *Quod licet formam ludendo accipiat, dum tamen baptizare intendat, baptizat. Si autem omnia jocose fiant, non erit baptismus*: certum esse debet puerum Athanasium hanc habuisse intentionem, cum interrogatus a sancto Alexandro, de eo quod fecerat; respondit se facere voluisse, quod ab Episcopo Alexandrino fieri viderat. Unde sequitur, Baptismum ab eo collatum, non alia de caussa fuisse approbatum, nisi quia judicatum est, eum similem habuisse intentionem cum Episcopo, cujus actionem imitabatur: & inde justa ac vera persuaderi debet hæc præsumptio, quod declaret, se solos Catechumenos baptizasse. Ita ad hanc objectionem respondet sanctus Thomas (*i*): *Dicitur quod puer Athanasius, ludendo simulans se Episcopum, baptizavit quosdam, & judicatum ab Alexandro Episcopo, ut non rebaptizarentur: quia inventum est, quod ipse intentionem baptizandi habuit: quod etiam patet ex hoc quod non baptizabat nisi Catechumenos.*

(*g*) Gratianus. §. Ecce quomodo. can. Spiritus Sanctus 18. 1. q. 1.

(*h*) Gloss. in cit. can. v. integris.

(*i*) S. Thom. in 4. dist. 6. in exposit. textus.

Diximus *si vera sit sancti Athanasii historia*: nam factum illud non multam fidem meretur; unde illud ut dubium tantum, & auditione acceptum refert Sozomenus: *Istud ei, adhuc impuberi, accidisse fertur.* Reipsa ob duas rationes videtur fabulosum, aut saltem modica fide dignum.

1. Quia non consentit cum disciplina, quæ tum in Ecclesia tenebatur: Nam supposito quod si Achillas an. 310. mortuus sit, eique in Alexandrina sede successerit sanctus Alexander an. 311. S. Athanasius hujus successor immediatus, tum quatuordecim annos natus esse debebat; quandoquidem, cum Nicæno concilio an. 325. habito adfuit, jam erat diaconus, & post quinque menses post habitum illud concilium sancto Alexandro successit, atque adeo tum 35. ætatis suæ annum attigerat juxta disciplinam hujusce temporis, qua vetitum erat, ne quis diaconatu ante 25. Presbyteratu ante 30. & Episcopatu ante 40. ætatis suæ annum initiaretur.

2. Quia si Alexander Alexandriæ Episcopus renuntiatus est tantum an. 321. ut fert chronicum sancti Hieronymi, ad Episcopalem dignitatem ab anno ætatis suæ 19. evectus fuisset sanctus Athanasius, quod omnem fidem superat; cum Ariani pro falsis in eum accusationibus, hoc unum allegare potuissent, quod irregulariter fuisset consecratus ad exequendum pravum suum consilium.

Respondendum 2. ad historiam sancti Genesii, quod is a quo baptizatus est, perfecte Christianorum cæremonias, simulare cupiens, veram habuit intentionem faciendi id ipsum, quod agebat, baptismum conferendo: quod sufficit ad validitatem sacramenti; quæcumque pro se vel pro aliis intendatur oblectatio, ipsum conferendo.

Ceterum Usuardus, qui de sancto illo mentionem facit 25. Aug. non refert, ipsum fuisse comœdum, nec in scena mimice fuisse baptizatum; sed eum generosum fuisse martyrem, qui crudelissima patiens tormenta, generose exclamavit: *Non est Rex præter Christum, pro quo si millies occidar, ipsum mihi de corde auferre non poteris* verum quidem est, quod ab Adone, *mimus, themelæ artis magister* vocatur, qui ad scenam coram Diocletiano Christianorum Baptismum adducere voluit, & qui partes agebat ægroti, qui Baptismum postulabat; sed quidquid sit ea de re, huc semper revertendum, quod si comœdus a quo baptizatus est, veram habuerit intentionem faciendi, id, quod in Ecclesia christiana fieri solitum erat, sancti hujusce Baptismum fuit validus; at quod, si eum baptizando mimicum tantum intenderit jocum, vere non est baptizatus; quo in casu certum est, eum paullo post in sanguine suo fuisse baptizatum illustri Martyrio quod pro Christo pertulit.

CASUS II.

Amelius at Gentianus, Adolescentes Theologi simul disserebant; quorum alter contendebat, quamlibet actionem in materia morum non esse bonam vel malam, nisi ex intentione, qua fiebat, alter econtra volebat, ut sæpe actio mala esset, quamvis cum bona intentione conjuncta; cui jus?

RESPONSIO.

Priusquam ad difficultatem istam respondeatur, juvat hic multa afferre principia, auctoritate S. Augustini, sancti Thomæ & S. Antonini fulta.

Primum est: intentio, in materia morum, nihil aliud est, quam voluntatis actus, quo finem determinatum sibi proponit ad agendum. *Intentio est volitio finis per medium assequendi*, inquit Polmanus

manus (*a*); vel *actus voluntatis, tendentis in finem per medium ad eum ordinatam*, quæ definitio consentit cum doctrina sancti Thomæ (*b*), qui postquam probavit, quod *intentio proprie est actus voluntatis*, & non intellectus, subiungit: *intentio primo & principaliter pertinet ad id quod movet ad finem*: & iterum (*c*) *intentio est actus voluntatis respectu finis*: & alibi iterum (*d*). *intentio respicit finem secundum quod est terminus motus voluntatis*.

(*a*) Polm. brev. Theol. part. 3. n. 131. & 132.
(*b*) S. Thom. 1. 2. q. 12. art. 1. in corp.
(*c*) Idem ibid. ad 4.
(*d*) Idem ibid. in corp.

Alterum: quælibet intentio est bona vel mala; bona intentio est actus voluntatis impellentis ad actionem ob finem, qui vere bonus est, qui & pro christiano, ut sit meritorius, Deum respicere debet, uti finem ultimum. Mali intentio econtra ea est, qua ad actionem impellimur ob malum finem; seu actio illa ex genere suo bona sit seu non.

Tertium: duplex distingui debet actionum diversarum genus. Quædam, quæ vel natura sua malæ sunt, vel aliunde illicitæ; aliæ, quæ malæ sunt ob malum duntaxat intentionem qua fiunt; nam, ut ait sanctus Thomas (*e*), *Malitia voluntatis sufficit ad hoc quod actus malus esse dicatur: quia quod malo fine agitur, malum est*, unde ait sanctus Augustinus (*f*) *cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur*. Et alibi (*g*); *Interest quidem plurimum qua caussa, quo fine, qua intentione quid fiat*. Et Boetius (*h*) a sancto Thoma laudatus (*i*): *cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est; & cujus finis malus est, ipsum quoque malum est*; & ipse sanctus Thomas (*K*): *actiones humanæ ... habent rationem bonitatis ex fine, a quo dependent præter bonitatem absolutam, quæ in eis existit*; cui consentiunt hæc alia sancti Augustini verba (*l*): *Ea quippe opera hominum, sicut caussas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per se ipsa peccata*. Inter exempla, quæ possunt afferri ad asserendam hanc veritatem, eleemosynæ exemplum affert sanctus Doctor: *sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit caussa misericordiæ cum recta fide .... hæc atque hujusmodi*, subjungit, *secundum suas caussas opera sunt bona, vel mala: quia eadem ipsa, si habeant malas caussas, in peccata vertuntur: velut, si caussa jactantiæ pauper pascitur*.

(*e*) S. Thom. quodlib. 9. art. 15. q. 7.
(*f*) S. Aug. l. 4 contra Julian. c. 3. seu n. 21.
(*g*) Idem lib contra mendacium c. 7. seu n. 18.
(*h*) Boetius l. 3. topic. c. 1.
(*i*) S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 4. in argum *sed contra*.
(*k*) Idem ibi. in corp.
(*l*) S. Aug. l. 1 ant. mendac. c. 7. seu n. 18.

Quartum, quod ex duobus præcedentibus sequitur, licet sufficiat mala intentio, ut fiat actio mala; bonitas tamen intentionis non sufficit, ut bona fiat actio, quæ natura sua mala est. *Malitia voluntatis*, inquit sanctus Thomas (*m*), *sufficit ad hoc quod actus malus esse dicatur: quia quod malo fine agitur, malum est. Non autem bonitas voluntatis intendentis sufficit ad bonitatem actus: quia actus potest esse de se malus, qui nullo modo bene fieri potest*.

(*m*) S. Thom. in 2 sent. dist. 40. q. 1. art. 2. in corp.

His ita præsuppositis: dicimus, propositionem Amelii esse universaliorem: quia, ut animadversum est, actio, quæ ex se mala est, nunquam bona fieri nequit vel recta ex quacumque bona intentione, v. g. vox blasphemia, mendacium aut adulterium nullo in casu fieri possunt licita, quia eo tantum fine admittuntur ad proximi vel etiam propriam salutem. *Sed ea quæ constat esse peccata*, inquit sanctus Augustinus, *nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt ... cum vero jam opera ipsa peccata sunt sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cætera talia; quis est qui dicat caussis bonis esse facienda, ut vel peccata non sint, vel, quod est absurdius, justa peccata sint*; atque in hoc sensu vera est Gentiani propositio, Amelii vero falsa. Ob eandem quoque caussam asserit sanctus Antoninus (*n*); *quod si quis fœnus exerceret, ut Hospitalia & Ecclesias consecraret; vel etiam aliena raperet, ut pauperibus subveniret; se ipsum deciperet; cum nil mereretur, sed peccatum incurreret: quod ergo dicitur, quod quicquid agant homines, intentio judicat omnes; intelligendum est hoc, non de his, quæ mala sunt secundum se, sed de bonis, seu indifferentibus*.

(*n*) S. Anton. 2. p. tit. 4. c. 5. §. 1.

At cum actio, quæ fit, per se mala non est, fit bona vel mala ea intentione & fine, quem sibi quisque proponit, dum agit. Quare plurimi interest, ut ait sanctus Augustinus modo laudatus, perpendere caussam, finem & intentionem, ob quam agimus, ad dijudicandum, num actiones nostræ bonæ sint vel malæ v. g. vetitum est mihi rem alienam furari; at si extrema me premat necessitas, nec aliter vitam conservare possim, non erit peccatum, si rem alienam rapiam. Pariter, si ad populum sacra verba faciam, bonam possum actionem facere, ministerium illud exercendo ex mera, quam mihi propono, intentione ignaros edocendi, & ad peccatorum conversionem cooperandi: at si conciones habeam turpis lucri gratia, mala fit actio mea ex malo fine, quem mihi propono. Confessarius tandem casuistam legit, qui de sexto fuse agit mandato, ut rem istam apprime noscat sicque alios, qui conscientiæ suæ moderamen sibi confidunt, edoceat: in hoc bene agit, propter intentionis suæ rectitudinem: at si lectionem istam eligat, ut sensuum delectationem in ea reperiat, aut curiositati suæ satisfaciat, ipsius actio pro certo mala est & damnanda coram Deo cui non potest esse cor hominis absconditum. Sic ergo conciliandæ simulque intelligendæ sunt ambæ propositiones contrariæ Amelii & Gentiani.

Ex his principiis & regulis in hac decisione positis innumeræ propemodum solvi possunt ea de re quæstiones, ut v. g. utrum famulo liceat hero suo famulari in ipsius amoribus, quod per hoc nihil aliud intendat, quam ejus iram declinare, aut famulatum suum retinere, e quo amplam colligit mercedem: quod olim affirmarunt esse licitum, quidam casuistæ; sed quod damnavit Innocentius XI. 4. Martii an. 1679. in quinquagesima propositione Morali inter sexaginta quinque, quas in falsas & perniciosas damnavit. Multæ aliæ proponi possent difficultates, quæ facile solvi possunt, suppositis principiis, quæ constituimus, quæque omnia fulta sunt doctrina S. Augustini, S. Thomæ & sancti Antonini, & ab omnibus Theologis approbata.

INTERDICTUM.

OPERÆ pretium est, scire, quid sit interdictum, & quæ ejus origo. Interdictum *est censura, qua quibusdam personis, aut locis, prohibetur sacramentorum, divinorum officiorum, sepulturæque sacræ celebratio*; definitionem istam affert Polmanus (*o*), qui eam exponit, addens, per voces istas, *quibusdam personis* interdictum personale; per istas *aut locis*, Interdictum locale, ac denique per ultimas hasce, *Sacramentorum* intelligendum esse interdictum eorundem Sacramentorum non quidem omnium, sed quorumdam dumtaxat, de quibus postea fit sermo.

Perperam contenderunt auctores quidam, Interdicti originem acceptam referendam esse ad Alexandrum III. qui an. 1159. Papa electus est; nam censura ista clare designatur in operibus Jvonis, & Fulberti Carnotensis; in secundo Concilio Lemovicensi an. 1031. aut circiter habito, & in S. Gregorio Turonensi (*p*). Ejus itaque origo repetenda est a sola ligandi & solvendi potestate, quam Christus Ecclesiæ suæ contulit. Vide ad majorem rei hujusce elucidationem quatuor observationes nostras primi casus responsioni appositas.

(*o*) Polm. brev. Theol. part. 3. n. 409
(*p*) Yvo Carnotensis epist. 50. & seqq. Fulbert. ep. 3. & 92. Concil. Lemovicens. 2. S. Greg. Turon. l. Hist. Franc. c. 73. & lib. 2 de gloria Martyr. c. 71. & l. de gloria confess. c. 71.

CASUS PRIMUS.

INTSADICTO lato a Papa Bagoxi urbis populo, Armandus, qui ibi Episcopatum obtinet quærit, utrum ipsemet omnesque urbis Clerici subjacere sint censendi?

RESPONS.

Priusquam sequentium difficultatum perpendatur solutio, juvat observare 1. juxta prudentiæ regulas non esse licitum, ut summi Pontifices suo utantur jure generali mulctandi interdicto; deerrant spiritualium fulminum ictus, inquit D. Abbas Fleuri (*a*) ab iis qui eos reformidare nolunt: quia, nedum corrigantur, ut potius indurantur, eisque novorum præbetur criminum occasio. Addit hic Auctor inclytus, censuras hujusmodi nedum Ecclesiæ prosint, ipsis perniciosas fieri, malorum omnium maximum pariendo, schisma videlicet, ipsamque ob nimiam armorum suorum profusionem exarmando. Velle, inquit doctus hic Auctor, omnes peccatores ab Ecclesia divellere, est insanum imitari Principem, qui subditos suos omnes, quos novit conscios, ferro interimeret, non sine periculo regnum suum incolis spoliandi.

(*a*) D. Abbas Fleuri sem. init. 23. vol. Histor. Eccl.

2. Ad confirmationem dictorum D. Abbatis ipsos esse consulendos summos Pontifices qui fateri coguntur funestos exitus, ac mala incredibilia quæ ferme semper ex interdictis nascuntur. Sic enim de iis loquitur Bonifacius VIII. (*b*): *Interdicti tempore organa suspenduntur & laudes; nec Ecclesiastica sacramenta ministrantur, ut solent, tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia præsertim per oblationem frequentem hostiæ salutaris; adolescentes & parvuli, participantes rarius sacramentis, minus inflammantur, & solidantur in fide. Fidelium tepescit devotio. Hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum.*

(*b*) Bon. VIII. in extr. provide 2. de sent. excom. l. 5. extrav. com. tit. 10.

3. Ad evitanda tam horrenda mala, in Regno Galliæ non tolerari hujusmodi interdicta; sive a parte Papæ, sive Episcoporum, ut patet ex his terminis diplomatis Regis Joannis 13. Novemb. an. 1330. *Licet alicui non liceat in dominio nostro apponere interdictum, seu cessum &c.* quod dixit hic Princeps occasione interdicti, qua Monsferrandum oppidum ejusque incolas mulctarat Episcopus Claromontanus (*c*), quam praxim secutus est Senatus Parisiensis arresto suo 11. Decemb. an. 1468. quo decreta est corporea detentio in officialem Vesuntinum ob interdictum quod protulerat in urbem diœcesimque Nivernensem, & in Joannem Loyte qui illud sollicitationibus suis obtinuerat.

(*c*) Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ tit. 22. c. 4. nu. 6. p. 90. tit. 2. c. 4. n. 5. p. 32.

Cum igitur summi Pontifices tam insuperabiles interdictis suis obices in Gallia opponi animadvertissent, ut ab eo non sine honore se expedirent negotio, Regibus Galliæ Bullas privilegiarias concesserunt quibus ab omni interdicto Regnum eximitur, & quæ relate inveniuntur in tabulis Senatus *libro antiquarum ordinationum* fol. 62. uti refertur in codicibus Jacobi Capel (*d*), quondam Regii in eodem Senatu Advocati. Ibidem legi possunt litteræ patentes Regis datæ & promulgatæ 5. Januarii an. 1369. quibus prohibitum est cunctis Regni Episcopis eorumque Officialibus, ne deinceps ullum proferrent edictum in urbes aliaque loca quæ sua sunt in Gallia, aut ab ea pendent.

(*d*) Cod. Capell n. Pithæo relati c. 2. de probationibus Libertatum &c. p. 53.

4. Cum hæc ita sint, dicenda postea de interdicto intelligenda esse tantum pro exteris regionibus & ditionibus ubi ejus toleratur usus.

Quatuor istis animadversis, ad propositam difficultatem respondemus, neque Armandum neque clericos urbis Bagoxi censeri interdictos. Ratio est, quia, cum interdictum illud sit generale & personale; quandoquidem omnis ei populus subjiciatur, ad eum solum populum spectat, neque adeo Episcopum aut urbis clerum obligat: nam interdictum personale, seu generale, seu personale unice in personas in eo designatas cadit. Ut igitur interdictum in oppidi cujuspiam clerum prolatum, incolas ejus non ligat, ita pariter interdictum in solam plebem latum in eam solam cadit, non vero in clerum, quia in eo non designatur.

Idem dicendum de interdicto prolato in Ecclesias loci alicujus, nulla de incolis facta mentione; quamvis enim in hoc casu incolæ sacro adesse nequeant in his Ecclesiis, ipsis tamen est licitum, imo vero tenentur se ad alias, si possint, conferre Ecclesias non interdictas, ad audiendum sacrum, ut postea ostendemus; denique si incolæ soli sint interdicti, Ecclesiæ loci non censentur interdictæ. Unde sequitur, quod, quamvis incolæ Sacramenta nequeant suscipere, neque in iis Ecclesiis adesse sacro, peregrini vel advenæ illud absque ullo peccato audire possunt, & ibi Sacramentorum fieri participes, quæ omnia fulciuntur non solum ista juris regula (*e*): *odia restringi, & favores convenit ampliari*, sed etiam formali decisione Bonifacii VIII. (*f*) quæ reperitur in constitutione ab eo facta de re ista. *Si senten ia interdicti*, inquit hic Papa, *proferatur in clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus. Nec etiam e converso. Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad divina.* Decisionem istam accipit Auctor Glossæ dicens (*g*): *Hoc idem probatur olim per decretalem 1. de privilegiis, ubi lata fuit sententia interdicti in clerum & populum: sed ibi unum esset superfluum, si interdicto uno, intelligeretur alterum interdictum.*

(*e*) Bon. VIII. in reg. 15. de reg. juris.
(*f*) Id. in c. Si sententia, de sen. excommunicationis in c. 1. e. tit. 32.
(*g*) Gloss. in c. Si sententia. v. e converso.

Advertendum tamen, clericos, qui sunt e familia interdicta, censeri interdictos, ut alios privatos qui ejus sunt membra: quia nomen & idea naturalis familiæ absque exceptione omnia ejus membra complectitur, & quia prolato interdicto in totum, totius quoque partes sunt interdictæ, cum econtra prolatum in partem, in totum non cadat.

CASUS II.

CUM Populum, omnesque Ecclesias Volaterris interdixisset Papa, singulis tamen diebus Episcopus in cathedrali Ecclesia missam celebravit. An idcirco statutam canonibus pœnam in eos, qui hanc infringunt censuram, incurrit?

RESPONS.

Distinctione opus est: nam si nominatim designatus fuerit Episcopus, aut censuræ huic ansam præbuerit, certum est, ipsum celebrare non potuisse, ne quidem in cathedrali, absque incurrendo penas canonicas contra inobedientes latas; at si expresse nominatus non fuerit, neque ob aliquam sui culpam interdicto occasionem dederit; certum est, eum licite in cathedrali sua, nonobstante interdicto, celebrare potuisse, ut patet ex constitutione Innocentii III. in quarto Lateranensi Concilio œcumenico lata, quæ refertur in corpore juris Canonici (*h*). At celebrare non potest, nisi *excommunicatis & interdictis exclusis ... januis clausis, suppressa voce, & non pulsatis campanis*, ut ait eadem decretalis.

(*h*) Can. III in c. quod nonnullis 25. de priv. & excessibus privilegiatorum l. 5. e. 34. e 58.

Bonifacius VIII. (*i*) hanc eamdem omnibus indistincte sacerdotibus potestatem facit sub iisdem conditionibus. *Adjicimus præterea*, inquit hic summus Pontifex, *quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis missæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis*. Quod intelligendum est de Ecclesiis non specialiter interdictis, in quibus divina non licet celebrare officia, nisi semel in hebdomada sacrum facere, uti permittit Greg. IX. (*K*) *causa conficiendi corpus Domini*, inquit, *quod decedentibus in pœnitentia non negatur*: quod idem dicit Innocentius III. (*l*) Consule Sylvestrum & Navartum (*m*).

(*i*) Bon. VIII. in cap. *Alma mater*, fin. de sent. excomm. in 6.
(*k*) Greg. IX. in c. *permittimus* 35. de sent. excom. &c.
(*l*) Inn. III. in c. *quod in te* 22 de pœnit. & remiss.
(*m*) Silvest. v. *interdictum*. 3. Navarrus man. c. 27. tit. de interdict.

CASUS III.

CUM PAPIAS, Archiepiscopus & Patriarcha Aquilejus generale interdictum in omnes Urbis Ecclesias & capellas protulisset, ne cathedrali quidem excepta, huic submittere recusarunt Religiosi duorum Monasteriorum, quod Archiepiscopus iste nullam in eos obtineat jurisdictionem, & immediate sedi Apostolicæ subjaceant. Numquid legitima est hæc ratio ut interdicto obtemperare non teneantur; præsertim si ad Papam de interdicto appellaverint?

RESPONS.

Non legitima est istorum Religiosorum ratio, neque ob eam a custodiendo interdicto eximuntur. Nam Religiosi omnes seu exemti, seu non exemti, cujuscumque sint ordinis, absque exceptione in Ecclesiis Monasteriorum suorum vel conventuum, generale interdictum servare tenentur, latum in omnes Ecclesias urbis, cujus sunt incolæ. Ita definitum est a Clemente V. in generali concilio Viennensi in Delphinatu: *Nos igitur in sancta Dei Ecclesia ... uniformitatem, quantum commode possumus, conservare volentes*, inquit hic Papa (a), *circa interdictorum observantiam prædictorum, auctoritate sedis Apostolicæ vel a locorum ordinariis positorum... Mandamus, quatenus religiosi quicumque tam exemti, quam non exemti, cujuscumque ordinis & conditionis existant, cum cathedralem, vel matricem, seu parœcialem loci Ecclesiam illa viderint aut sciverint observare, absque dolo & fraude, cum moderatione decretalis* Alma *inviolabiliter conservent*: quibus hic summus Pontifex addit pœnam excommunicationis *ipso facto*, in casu *inobedientiæ, alioquin non servantes excommunicationis sententiæ hos volumus subjacere*. 2. quod appellatio quæ interdicti sententiam præcesserit, licet ad apostolicam sedem, aut ad alium Episcopo superiorem interposita, nullius ipsis usus erit, nec impediet, quominus in excommunicationem incurrant illud non servantes, *non obstantibus quibuscumque appellationibus, antea etiam ad eamdem sedem vel alium, seu alios interjectis quibuscumque*. 3. pœna illa a fortiori locum habebit, quando interdictum a Provinciali Concilio fuerit positum, *non obstantibus*, inquit, *privilegiis, conventionibus, statutis & consuetudinibus quibuslibet, quæ contra præmissa .... religiosis ipsis in nullo volumus suffragari*. 4. sed tamen, quod hanc censuram servare non tenebuntur nisi cum moderatione, quam ipsi attulit Bonifacius VIII.: (b) *in una constitutione, quam alia decisione exponimus*.

(a) Clem. V. in C. ex frequentibus. de sent. excomm. l. 5. t. 10.

(b) Bon. VIII. in c. Alma fin. in 6. de excom. sent.

(c) Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 12.

Hactenus dicta etiam confirmari possunt auctoritate Tridentini Concilii (c) quod Constitutionem Clementis V. innovavit, nulla adhibita distinctione inter Religiosos exemtos vel non exemtos: *Censuræ & interdicta*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *ne dum a sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata mandante Episcopo a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur*.

CASUS IV.

Cum Philastrius, Bacconiæ in Moldavia Episcopus catholicus omnes hujus urbis Ecclesias & incolas interdicto subjecisset, ob nimiam eorum cum schismaticis ac pertinacem familiaritatem, in iis, quæ ad spirituale pertinent non obstante sui ipsius defensione; unus e Parœcis existimavit, se moribundo non Viaticum solum, sed & extremam unctionem administrare, nec non matrimonia celebrare posse. An id ipsum potuit sine peccato, & infracto interdicto?

RESPONS.

Observandum ante omnia duplicem esse interdictorum generalium speciem: primum est personale, & alterum locale; & durante utroque interdicto, Sacramenta neque administrari, neque suscipi, neque Ecclesiæ officia posse celebrari solito more, exceptis solis casibus jure permissis. Bonifacius VIII. (d) de priore his verbis loquitur: *Cum vero alicujus terræ populus interdicto nodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cum divinorum auditio & Sacramentorum perceptio populo, ut universis non competant, non debent alicubi) casibus expressis a jure dumtaxat exceptis (audire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta*. Alibi quoque de interdicto locali loquitur idem Papa dicens (e): *A nostris dudum fuit prædecessoribus constitutum, ut in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta*. Qua de re observandum, his verbis, *divina officia*, intelligendum esse non solum quod in choro decantatur, sed & quamlibet actionem quæ ad ordines refertur, & quæ ex Ecclesiæ regulis exercenda est a personis consecratis, aut ab iisdem in hanc rem deputatis: quales sunt omnes benedictiones quæ fieri debent a Ministris, ut benedictiones cinerum, ramorum, cerei Paschalis, cereorum in die Purificationis, mapparum altaris, calicum & ornamentorum sacerdotalium; processiones, collationes ordinum etiam minorum, & alia hujusmodi.

(d) Bon. VIII. in c. Si sententia. 25. de sent. excomm. in 6.

(e) Idem in c. Alma ad 2. in 6.

2. Quod ex antiquo jure certum erat non esse licitum ægris extremam unctionem ministrare per interdictum generale, ut ait Innocentius III. in una e decretalibus suis (f): *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus tam unctio, quam Ecclesiastica sepultura &c.*

(f) Inn. III. in c. quod in te. 11. de pœnit. & remiss. l. 5. tit. 38.

3. Quod idem summus Pontifex, & alii nonnulli, ut Gregorius IX. & Innocentius IV. & post ipsos Bonifacius VIII. multum antiquam disciplinam mitigarunt, quæ olim ab Ecclesia quoad interdictum tenebatur; permittendo id quod antea stricte vetitum erat.

4. Quod Bonifacius VIII. qui de quibusdam capitibus amplius remisit, nihil tamen immutavit, quoad extremam unctionem, neque etiam quoad Ordinem, & antiquum hac in re jus retinuit, quale erat tempore Innocentii III. Unde sequitur, etiamnum non licitam esse ejus administrationem alicui ægroto, licet clericus esset vel religiosus; seu Interdictum accurate servaverint, sive non, aut etiam nominatim non sint interdicti: ratio est, quia cum ab Ecclesia generaliter facta est prohibitio, ea semper permanere censetur, donec expressam attulerit exceptionem, ex hac Clementis V. Regula (g) *Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum*.

(g) Clem. V. in Clement. exivi. de verb. signif. post. med. l. 5. tit. fin.

Existimamus igitur, Parochum urbis Bacconiæ, licet nominatim non interdictum, absque peccato, & etiam non infracto interdicto, petenti moribundo extremam unctionem administrare non potuisse; quod ipsi jure antiquo sit ei vetitum, nec novo permissum. Ita sentiunt Silvester, (h) Panormitanus (i), Antonius de Butrio (K), Joannes Andreas & Joannes Calderinus.

(h) Silvest. v. Interdictum. 5. q. 7. inst.

(i) Panor. in c. Responso. 43. de sent. excom.

(k) Ant. de Butrio in cap. non est vobis. 11. de spons.

Idem dicendum de matrimonio, de quo etiam non locutus est Bonifacius VIII. attamen matrimonium durante tali interdicto contractum est validum, ut valet illud excommunicati, ex Decretali Innoc. III. ad Spoletanum scribentis Episcopum. (l) *tenet etiam matrimonium tempore interdicti*, inquit Glossa (m), *cum teneat etiam contractum ab excommunicato majori*.

(l) Inn. III. in cap. significasti. 6. de eo qui duxit in matr. quam polluit per adulter. l. 4. tit. 7

(m) Glosse in cit. c. Alma. v. Sacramentis.

Putant etiam Auctores inclyti, licitum esse celebrare matrimonium non obstante interdicto generali, modo contrahentes nominatim & specialiter non sint interdicti; horum autem Auctorum celeberrimus est Innocentius IV. qui in suo commentario in decretalem Alexandri III. (n) dicit: *Matrimonium creditur posse fieri apud interdictos*, & alibi (o): *Si contraxerint, tenet matrimonium*. Eamdem opinionem sequitur Silvester, & fatetur solum, quod *Benedictio tamen nuptialis prohibetur secundum Innocentium IV.* (p). Eidem sententiæ adhæret Auctor Colloquiorum Andegavensium (q), qui & etiam contendit, dari posse benedictionem nuptialem, modo id fiat, 1. suppressa voce, 2. januis Ecclesiæ clausis, 3. contrahentes non sint excommunicati, neque personaliter interdicti.

(n) Inn. IV. ad cit. c. Non est vobis.

(o) Idem in c. ut privilegia. 24. de privilegiis & excess. privilegiat. l. 5. tit. 31.

(p) Silvest. v. Interdictum. 5. q. 7. §. quinta exceptio.

(q) Colloq. Andeg. mensis Oct. an. 1712. q. 3.

Ultro quidem fatentur, Innocentium IV. quem hujus opinionis Auctorem agnoscunt illius defensores, & cujus potissimum auctoritate nituntur, præcipua quadam dignum esse veneratione: at vero quæritur, utrum de validitate tantum hujus matrimonii, an vero de licita illius celebratione loquatur. Nos autem existimamus, ipsum de sola validitate loqui, ut videtur satis manifeste id ipsum verbis istis indicare: *Si contraxerit, tenet matrimonium*, cum immediate post hanc addit paritatem: *Quia & apud infideles est*. Hoc est, ut agnoscitur validitas matrimonii infidelium, eadem quoque agnosci debet in matrimoniis tempore interdicti generalis contractis. Hinc id unum secundum naturalem suum sensum significant isti termini, *si contra-*

xerint

terint, tenet matrimonium; hoc est, tale matrimonium est validum, nec dissolvi potest: quam veritatem ultro fatemur; sed inde concludi nequit, quod, cum sit validum, ita quoque licitum est, cum matrimonium posset esse validum & simul illicitum, quale esset illud, quod contraheretur absque præviis promulgationibus, aut tempore ab Ecclesia prohibito.

Putamus ergo, eos, qui tale matrimonium validum existimant, frustra Ionocentii IV. authoritatem allegare; unde opinionem eorum rejicimus. Equidem si vera esset regula ista juris a Clemente V. constituta, & oobis superius relata, *ubi aliquid alicui generaliter prohibetur quod expresse non conceditur, intelligetur drnegatum*; absolute esset falsa. Constat autem jure antiquo prohibitam fuisse administrationem & usum omnium Sacramentorum in Ecclesiis ioterdictis, uoiversa Sacramenta Ecclesiastica interdicta erant, ut loquitur Innoceotius III. (*a*), exceptis quibusdam in antiquo novoque jure designatis. Certum est etiam, nullum extare Canonem, nullam decretalem, qua matrimonium vel extrema unctio a regula generali excipiatur. De utroque igitur idem statuendum est, & inferendum, quod, ut non licet extremam unctionem administrare, quia jure noo excipitur; neque etiam aliquod matrimonium in Ecclesia, duraote interdicto generali locali celebrare licet.

(*a*) Inn. III. in c. *Respons.* 43. de sent. excomm.

CASUS V.

Patricius, Episcopus Fulgniensis, interdicto generali totam Clericorum communitatem, ob uoius superioris culpam, subjecit. Paulo post singuli quique, qui istam componebant communitatem secesseruot, & diversis sese implicuere muneribus, atque oegotiis. Nunquid tamen etiam interdicto subjacent, post dissolutam communitatem, donec de eo fuerint absoluti?

Respons.

Nullus ex privatis, qui communitatis illius erant membra, ligatus remauet interdicto hujus Episcopi, solo superiore excepto, qui cum solus sit reus, debitam peccato suo pœnam debet luere. Ratio est, quia communitas sit omnino soluta, nec amplius subsistit, secessione atque receptu membrorum suorum; atque adeo, interdictum in ipsam prolatum, nullum jam habere potest effectum, nisi in Authorem peccati, qui censuræ hujus causa fuit: quod quidem adeo verum est, ut si post interdictum in communitatem prolatum, privatus quispiam, eam in perpetuum relinqueret, jam interdicto subjectus esse desineret; modo ista non esset ligatus censura, quod huic ansam præbuerit: oam iis omnes, qui vel ex toto vel ex parte interdicti causa fuere, jam de hac censura ob recessum eximi nequeunt. Ratio est, quia interdictum, utpote pro iis personale, eos ubique sequitur; donec de eo fuerint absoluti a legitimo superiore, qui nou alius est, quam is, qui illud protulit, vel quem delegavit, suusve successor, aut in casu appellationis, superior suus major immediatus. Id ita observavit acutus doctusque Author colloquiorum Andegaveosium (*b*).

(*b*) Colloq. Andeg. mensis Nov. ann. 1712. q. 3. pag. 319. & seq.

Advertendum 1. de interdicto *a jure*, si ei fuerit reservatum, a quo latum est, ab eo solo illud quoque jure remitti posse; sed si non sit reservatum, a quolibet Confessario approbato illud posse semitti, uti excommnnicationem & suspensionem reservatas; ut alibi diximus. Atque secundum hunc sensum intelligenda sunt ista absolutionis verba Sacramenti Pœnitentiæ, *absolvo te primum ab omni vinculo excommnnicationis suspensionis* (si pœnitens sit sacris initiatus Ordiuibus) *& interdicti, in quantum possum & tu indiges*.

2. Quod si interdictum locale ad quoddam determinatum tempus limitaretur, aut sub quadam conditiooe fuisset prolatum; ubi tempus illud esset finitum, aut impleta conditio, tunc desineret, nulla requisita absolutione.

3. Quod interdictum Generale locale tolli nequit per absolutionem *ad cautelam præsenti generali declaramus edicto*, inquit Gregorius X. in secundo generali Concilio Lugdunensi; *Beneficium relaxationis ad cauteiam, quo ad interdicti sententias, in civitates, castra vel quælibet alia loca, sive terras generaliter promulgatas locum aliquatenus non habere* (*c*).

(*c*) Greg. X. in c. *præsentium*. de sent. excomm. in 6.

Cum usus interdicti non sit frequens, præcipue extra ditiones Italiæ, & ipsi summi Pontifices magna mala ac perniciosos cognoscant exitus, qui hodie etiam nimium patent in actis non ita pridem Siciliæ, non ultra de hac difficultate verba faciemus, cujus præcipuas sufficienter elucidasse difficultates putamus.

CASUS VI.

Cornelius Chonadii io Hungaria Episcopus, & superior natus numerosæ communitatis ejusdem urbis communitatem illam totam interdicto subjecit. Nunquid ipse tali ioterdicto continetur, cum totius sit caput communitatis; & nonoe, ut alii ejusdem communitatis, irregularis fieret, si censuram istam infringeret?

Respons.

Episcopus iste tali interdicto non ligatur. Ratio est, quia magnum est discrimen inter interdictum locale, & interdictum personale. Nam certum quidem est, quolibet interdicto locali contineri non eum tantum, qui interdictum protulit; sed etiam ipsius æqualem, & quidem ipsius superiorem; quocirca, si Ecclesia, v. g. foret interdicta, talis esset pro superiore, uti pro inferioribus: atque superior iste, aut quilibet alius in ea celebrare non posset, nisi irregularitatem incurrendo, exceptis jure concessis diebus. Ratio est, quia *loco interdicto intelligitur omnibus interdictum*, ut loquitur Sylvester, (*d*), post Hostieusem aliosque Canonistas. Unde alibi concludit hic Author, quod *non interdictus exercens ea* (quæ interdictis sunt propria) *in loco interdicto .... est irregularis* (e).

(*d*) Sylvest. *Interdictum*. 2. q. fin. vers. *decimum nonum*.

(*e*) Id. v. *Interdictum*. 6. q. 2. §. *secundum*.

Et vero interdictum tantum personale, superiosem a quo prolatum est, non comprehendit. Ratio est evidens: quia nemini competit *autboritas*, ut ajunt, *coactiva*, vel in se ipsum vel in superiores suos, vel etiam io suos æquales, sed tantum in suos inferiores. Quibus addi potest, quod, ubi de interdicto & suspensione agitur, Episcopus istas non incurrit censuras, quando terminis generalibus exprimuntur, quia eum tali modo a cæteris clericis atque laicis secernit ipsius dignitas, ut iis ipse continere non censeatur; nisi expresse fuerit designatus ab eo, qui censuram protulit. *Episcopi non incurrnnt aliquam sententiam suspensionis vel interdicti, prolatam vel ab bomine vel a jure; nisi specifice exprimantur*, inquit Sylvester (*f*): Idemque declarat Innocentius IV. io una e suis constitutionibus, in primo Concilio œcumenico Lugdunensi emissa, quæ in Sexto (*g*) relata his verbis continentur *duximus statuendum, ut Episcopi & alii superiores prælati, nullius constitutionis occasione, sententiæ sive mandati, prædictam* (interdicti vel suspensionis) *incurrant sententiam ullatenus ipso jure, nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio babeatur*.

(*f*) Sylvest. v. *Interdictum*. 1. q. 2. §. *differ.*

(*g*) Inn. IV. in c. *quia periculosum*. 4. de sent. excomm. in 6.

Cum igitur Cornelius se ipsum non designaverit, & sola ratione motus se ipsum judicio a se prolato submittere non deberet, quod in solos tantum reos proferebat; dici nequit absque absurditate ipsum ioter interdictos comprehendi. Ita quoque seotit Author colloquiorum Andegavensium (*b*).

(*b*) Colloq. Andeg. mensis Oct. anno 1712. q. 1.

CASUS VII.

Tynoaaus, Dominus comitatus Sancti Luciani in Provincia Lusitaniæ Regni, qui decimas 4. agrorum Diœcesano Episcopo debeat, cum pertioacia a tribus annis eas persolvere recusat, & Collectores earum male habet: quam ob rem Episcopus Ecclesiam loci interdixit, ut comitem ad officium redigat, & ad debitum sibi jus seddendum compellat. Nunquid eo se modo gerere potuit hic Episcopus?

Respons.

Episcopus viam interdicti in casu proposito adhibere non potuit. Ratio est, quia Bonifacius VIII. postquam sex numeravit gravia mala, quæ ex interdictis nascuutur, prohibet, ne quis superior Ecclesiasticus hac censura utatur pro quocumque debito, aut ulla re civili. *Præsentis constitutionis providemus edicto*, inquit hic Papa (*i*) *ut nulla Provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium vel districtus* au-

(*i*) Bon. VIII. in c. *provide* 2. de sent. excom. In extrav. communibus lib. 5. tit. 10.

authoritate ordinaria vel delegata supponatur Ecclesiastica interdicto, prapecaniario debito, vel pro cujusvis moneta vel pecaniæ quantitate, quacumque occasione vel causa, seu quovis quæsito colore præco maxime, quod ipsorum Domini, rectores, seu officiales, quocamque nomine censeantur, aut incolæ seu habitatores, aut singulares personæ. ipsorum statutis vel vel statuendis, ardinatis vel ordinandis terminis hujusmodis debitum, seu quantitatem non solverunt hactenus, aut ia aurea non persolvat. Nos enim ex tunc decernimus irritum & inane, si secus hactenus eatitis attentatum, vel contigerit attentari; illudque revocamus omnino, non obstantibus quibuscumque contractibus, compositionibus, submissionibus, fidejussionibus, cansensibus & senteutiis super hoc habitis, vel habendis, juramentorum, pœnarum spiritualium & temporalium, seu mulctarum appositione, vel quacumque alia firmitate vallatis.

Decretalis ista adeo in Gallia viguit, ut conformiter ad illam, Parlamenta semper abusivum declararint interdictum hujusmodi; ut testatur Fevretus in suo tractatu de abusu (*a*), in quo, postquam antiquum retulit usum, ex quo adhibebatur via excommunicationis & suspensionis *a Divinis*, ad cogendum Clericos ad solutionem debitorum suorum, talis abusus abolitionem probat ex Edicto Henrici III. an. 1571. (*b*), Aurelianensi, & Blesensi, quæ Senatus Parisiensis, Britanni & aliorum authoritate confirmata executioni fuere mandata ex multis eorum Arrestis, quæ referuntur in Commentatore Loveti (*c*) apud Bellordeau (*d*), apud Carondam (*e*), apud Peleum (*f*), & apud Chenu (*g*). Addit hic Canonista, quod pariter Episcopi viam interdicti adhibere non possunt pro civili debito in aliquam Ecclesiam, aut Collegium: Atque ut dictum suum confirmet, profert Arrestum Senatus Parisiensis, quo abusivum declaratum est interdictum latum ab Episcopo Bajonensi in Ecclesiam d' Athran, quod ipsi jus visitationis denegaverit: qua de re consuli possunt etiam Mornacius (*h*) & Molinæus (*i*, quos ad marginem laudamus, cum aliis Atestographis modo citatis.

(*a*) Fevret. tr. de abusu. t. 7. c. 3. n. 18.
(*b*) Ed. Henrici III. 1751. ar. 18. Ed. Aurel ar. 18. Ed. Blef. ar. 21.
(*c* Brodeau in Luvetum. lit. C. n. 31.
(*d*) Bellord. l. 1. c. 37. observ. 501.
(*e*) Carundas l. 3. respons. 4.
(*f*) Peleus act. forens. l. 2. c. 37.
(*g*) Chenu centur. 1. c. 52.
(*h*) Mornacius ad L. *Hi qui* 3. cod. de Apostatis.
(*i*) Molinæus ad c. *Romana*. de sent. excommun. in 6. v. *Penitus benefici*.

Hæc autem Jurisprudentia non minus in Lusitania aliisque passim locis vigere debet, quam in Gallia: cum ad omnes omnino regiones, ubi admissa est, pertineat Constitutio Bonifacii VIII. atque adeo ad Lusitaniam.

CASUS VIII.

Ecclesia Barcinonensi Cathedrali nominatim interdicta, Geofridus, Parochus unius e Parœciis Barcinonis, in sua Ecclesia celebravit, in ipsis etiam casibus, qui durante interdicto, ex jure ipso non sunt liciti. Qua de re quæritur, utrum Parochus ille peccaverit, nec etiam interdictum violaverit?

Respons.

Certum est, quod præcipua loci alicujus Ecclesia interdicto, Ecclesiæ inferiores, tam Collegiatæ quam Parochiales interdictum quoque servare debent, quoad speciem, hoc est, quod clausæ debent esse earum januæ, nec pulsari Campanæ: Si Ecclesiæ illæ nominatim in interdicto non sint expressæ, in iis solito more Divina celebrari possunt Officia, verum submissa voce, ita ut, qui foris sunt, quidquam audire nequeant, ut fert Constitutio quædam Bonifacii VIII. (*K*): Qua in re Summus hic Pontifex aliam Innocentii III. ea de re Constitutionem (*l*), mitigavit; *Concedimus*, inquit Bonifacius VIII. *quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati... singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, sicut prius; submissa tamen voce, & januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis*. Unde sequitur, quod, si Geofridus celebrans præscriptas ex ista Bonifacii VIII. Constitutione regulas servaverit, nec peccavit, nec interdictum infregit latum in Cathedralem Ecclesiam Urbis, in qua posita est ipsius Parœcia.

(*k*) Bon. VIII. in c. *Almai* 24. de sent. excomm. susp. & interd. in 6.
(*l*) In III. in c. *Quod in te* 11. de pœnit. & remiss.

Defendi potest e contra, ut mihi videtur, promulgato in omnes alicujus Urbis Ecclesias generatim interdicto, non contineri Ecclesiam Cathedralem ob dignitatem suam; nisi expresse in eo fuerit denominata, ut probari potest ex istis ejusdem Bonifacii VIII. verbis (*m*). *Cathedralem Ecclesiam, quam propter ipsius honorem sub hac generalitate, nolumus hoc casu includi*. Quamvis enim Constitutio, ex qua verba illa fuere deprompta, de interdicto non loquatur, sed de alia re; ex ea tamen manifeste satis ostenditur, Cathedralem sub nomine & expressione generali Ecclesiarum Urbis, aut Diœcesis non contineri ob debitum ipsi honorem, & singularem, quam in omnes alias Ecclesias obtinet, prærogativam.

(*m*) Bonifac. VIII. in c. *Quamvis* 4. de prabendis &c. in 6. l. 3. t. 4.

CASUS IX.

Interdicta Sancti Joannis Ecclesia cum omnibus aliis Urbis Bambergæ, Sacerdos quidam loci hujus incola, solo ductus pietatis motivo, & absque necessitate publice in ea celebravit, feria secunda post Corporis Domini diem festum. An potuit absque mortali peccato, nec facto interdicto?

Respons.

Potuit hic Sacerdos absque ullo peccato, nec fracto interdicto, in hac Ecclesia dia illa celebrare, non obstante generali interdicto, cui omnes Bambergæ Ecclesiæ fuerant suppositæ. Nam de jure licitum est 1. celebrare, etiam publice, ac pulsatis campanis Divina Officia in Ecclesiis, quæ nominatim non sunt interdictæ, diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, ut declarat Bonifacius VIII. Constitutione consulto data (*n*) *In festivitatibus vero Natalis Domini*, inquit hic Papa, *Pascha ac Pentecostes & Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis alta voce, divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis; sed interdictis admissis... quibus præfatis diebus participationem permittimus divinorum*. Attamen, qui interdicto locum dedere, ad altare non debent accedere, neque ad oblationem se præsentes sistere; quod quidem ab Ecclesia ipsis est prohibitum, ut eos aliquatenus deprimat, ad pœnitentiam excitet, nec non ad reparandum scandalum suum compellat. 2. Martinus V. festis hactenus declaratis addit festum Corporis Domini & totam ejus Octavam, ut declarant hæc ejus Bullæ verba quæ 26. Maji an. 1429. lata est (*o*): *Quodque in festo, & diebus Octavarum hujusmodi, etiam in terris & locis Ecclesiastico quavis authoritate suppositis interdicto, pulsatis campanis, januis apertis & alta voce, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis, ut citius reconciliari studeant, admissis, & illis, qui causam, vel occasionem hujusmodi interdicti dederint, Altari tunc nullatenus appropinquantibus, missa & prædicta Officia celebrari possint, authoritate Apostolica concedimus*. Non idem foret dicendum, si Sacerdos iste hoc modo celebrasset alia die, quæ in jure non esset expressa. Tunc enim graviter peccasset, & interdicto infracto in irregularitatem adeo incurrisset, juxta Decisionem ejusdem Papæ Bonifacii VIII. (*p*).

(*n*) Bon. VIII. in c. *Alma*. 24. de sent. excomm. susp. & interd. in 6.
(*o*) Martin. V. in Bulla *Ineffabile* §. 3.
(*p*) Bon. VIII. in c. *Is cui*. 20. eod. tit. in 6.

CASUS X.

Philopomenus, Urbis Parochus, cujus incolæ omnes generali interdicto fuere suppositi, Baptismum & Sacrum Viaticum multis e suis Parœcianis administravit, omnes ab Ecclesia usitatas Cæremonias adhibendo, atque etiam Sacrum Viaticum cum omni pompa exteriori, extra tempus interdicti adhiberi solita, detulit, hoc est, cum umbella, duobus cereis accensis & tintinnabulo; quod quibusdam magnæ fuit admirationi. Nunquid in hoc interdictum violavit?

Respons.

Putant Authores nonnulli, Baptismum & Sacrum viaticum non solitas adhibendo solemitates, sed solum clam posse administrari. Ita censet Author Colloquiorum Luconensium, nixus potissimum Rituali Alectensi, quod contendit, opinionem

hanc

hanc confirmari auctoritate Bonifacii VIII. in famosa ipsius Constitutione *Alma Mater*, a nobis jam superius laudata. Contrariam opinionem, cui non sine ratione subscribimus, amplectitur editor Colloquiorum Andegavensium (*a*), nam cum jure horum Sacramentorum licita sit administratio, licitus quoque eorum rituum esse usus ex eodem jure non sine caussa præsumitur. 1. quia ex eodem Bonifacio VIII. in una e suis juris regulis: *plus semper in se continet quod est minus*: Atqui jus terminis generalibus utriusque Sacramenti administrationem permittit. Præsumendum itaque, ex eodem licitas esse omnes cæremonias in eorum administratione adhiberi solitas: cum Sacramentum quodlibet sit quid præstantius & multo dignius, quam Cæremoniæ simplices, quæ ejus sunt comites: igitur licitæ censeri debent ex hac alia regula: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*. 2. quia certum est, cæremonias Sacramento esse tantum accessorias; atqui *accessorium*, ut ait idem summus Pontifex in ista alia juris regula, *naturam sequi congruit principalis*.

(*a*) Colloq. Andeg. mensis Octobris an. 1712. q. 3.

Equidem si Bonifacius VIII. Sacramentorum cæremonias, quæ tempore interdicti administrari permittit, vetare interdixset, eas procul dubio prohibuisset expresse, uti divinorum officiorum, quorum ritus præcipuos interdixit, statuendo, ut suppressa tantum voce, non pulsatis campanis, & januis Ecclesiæ clausis celebrarentur, exceptis festis anni solemnioribus, quæ a regula generali demit. Atqui summus hic Pontifex Baptismi atque Sacri Viatici administrationem permittens, nullatenus mentionem fecit de cæremoniis, quæ sunt in usu in Ecclesia, cum ista administrantur Sacramenta. Non putandum igitur, quod intenderit, ut ea nude & absque debita ipsis decentia administrarentur.

Ao frustra a compositoribus Alectensis Ritualis allegatur constitutio *Alma Mater*: ex ea quippe exigit quidem Bonifacius VIII. ut solemnes demantur Cæremoniæ, quæ in Officiis divinis Ecclesiasticis observantur; at perperam ratiocinatur, dum inde colligit, ab eo Pontifice fuisse quoque exactum, ut pariter Sacramentorum cæremoniæ demerentur; quandoquidem Officia divina de quibus loquitur, & administratio Sacramentorum duæ sunt res diversæ; & Ecclesia Sacramentorum administrationem tempore interdicti absque ulla restrictione permisit.

Decisioni huic consentit Sylvester (*b*), & dicit Bonifacii VIII. Constitutionem referendo (*c*), quæ Baptismum permittit, cæremonias omnes, quæ Sacramentum illud vel antecedunt vel subsequuntur, pariter habendas esse ut licitas: *Et consequenter Officium baptismi tanquam accessorium, & omnia per quæ venitur ad baptismum, & sine quibus expediri non debet, cujusmodi est Catechismus ante baptismum ... & idem intellige de pœnitentia & aliis concessis*. Quod de Baptismo, idem de Sacro Viatico specialiter asserit hic Canonum interpres (*d*): *Nam dari & deferri potest morientibus*, inquit, ... *etiam cum campana & lumine, in præsentia astantium & venientium & cum aliis consuetis*. Qua in re Calderini sententiam amplectitur, quam hac ratione probat, quæ tanquam juris regula haberi potest: *Cum aliquid permittitur, nisi aliud appareat, intelligitur permitti, secundum quod jus disponit & observat usus*.

(*b*) Sylvest. V. *Interdictum*. 3. q. 7. §. *prima*.

(*c*) Bonifac. VIII. Cap. *quoniam*. de Sent. excom. in 6.

(*d*) Idem ibi. §. *quarta exceptio*.

Concludimus itaque, Philopomenum potuisse, nec non debuisse Baptismum sacrumque Viaticum egentibus administrare, solitas Ecclesiæ cæremonias adhibendo.

CASUS XI.

Proposita a duobus Canonistis quæstione ista, utrum videlicet tempore interdicti generalis in loco Sacro inhumari possent fidelium corpora; alter contendit, id absolute & indistincte esse vetitum: alter vero dixit, hanc prohibitionem non adeo esse generalem, ut nullam pateretur exceptionem, præsertim pro personis innocentibus. Nunquid pro isto stat jus?

Respons.

Priusquam respondeatur, advertendum est duplicem esse interdicti generalis speciem: alterum personale; ut cum Clerus totus, aut totus urbis populus interdicto subjacet. Alterum simpliciter locale, ut cum Ecclesiæ omnes aut urbis cœmeteria fuere interdicta: quo supposito.

Dicimus, quod in utraque hujusmodi interdictorum specie, prohibitio non adeo generalis est, ur nullam patiatur executionem. Certum quippe est, in decretali Clementis V. approbante Concilio generali Viennensi, emissa, expresse vetitum esse, ne interdicti nominatim sepeliantur, & prohibitioni huic pœnam excommunicationis *ipso facto* contra inobsequentes fuisse additam. Eos, inquit hic Papa (*e*), *qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu Clavium Ecclesiæ, in cœmeteriis, interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice aut nominatim interdictos .. scienter sepelire præsumunt, decernimus ipso facto excommunicationis sententiæ subjacere, a qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem: nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacumque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante*.

(*e*) Clem. V. in Clement. *Eos qui*. 1. de sepulturis. l. 3. tit. 7.

Idem quoque generatim prohibitum fuisse ab Innocentio III. excommunicatione tamen excepta, etiam constat; attamen hic summus Pontifex (*f*) exceptionem adjunxit, de qua nec Clemens V. nec alii summi Pontifices mentionem fecerant, pro Clericis videlicet, quos, si interdictum accurate servaverint, in cœmeterio sepeliri permittit, omissis tamen solitis Ecclesiæ solemnitatibus, ut ex his ejus patet verbis: *Licet autem per generale interdictum denegetur omnibus Ecclesiastica Sepultura*, inquit hic Papa, *Concedimus tamen ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamen servaverunt interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ, sine Campanarum pulsatione, cessantibus Solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur*. Illi vero, qui temere interdictum violaverint, atque ex eo facti sunt irregulares, absolute Ecclesiasticæ sepulturæ jure privantur (*g*).

(*f*) Innoc. III. in c. *quod in te*. 12. de pœnit. & remiss.

(*g*) Bonifac. VIII. in c. *is qui*. 18. §. 1. de sent. excomm. in 6.

Ultro fatemur, quod toto tempore interdicti generalis localis, loquendo ut plurimum, absque crimine concedi nequit Ecclesiastica sepultura illis omnibus, qui sunt intra limites locorum, quæ interdicto sunt supposita, nisi ex speciali privilegio hanc obtineant gratiam: at inde non fit, ut cum species illa interdicti non in personas, sed in Ecclesias tantum & cœmeteria cadat, in quolibet alio loco Sacro non interdicto, sepeliri nequeant; modo interdicto personali non sint ligati, nec interdicto locali ob suam culpam occasionem dederint. Immo vero existimant nonnulli Canonistæ peritissimi, quod cum Innocentius III. Clericos sepeliendi, qui interdictum fideliter servaverint, tempore interdicti, gratiam generatim concesserit, non ponenda est distinctio inter interdictum personale, & interdictum locale, seu generale, seu particulare, atque adeo licitum est, ipsis sepulturæ gratiam in Ecclesia aut cœmeterio generaliter aut specialiter interdictis concedere: quod tamen asserere non audemus, nisi forsan moraliter fieri non possit, ut in alio loco sacro non interdicto inhumarentur. At cum ea de re in jure expressa non fiat mentio; tutius est eos non sepelire, & ultra juris statutum mitiori interpretatione, quæ huic videtur contraria, non procedere. Hactenus dicta consulere tanquam regulam suam debent illi duo, de quibus in casu proposito fit mentio, canonum interpretes.

Juvat observare, ex jure constitutionibus modo relatis præscripto, in loco sacro inhumari posse infantes, qui ante rationis usum decedunt, non obstante interdicto generali personali: quia, cum innocentiæ prærogativa gaudeant, præsumi non debet, eos isto interdicto Ecclesiam voluisse

contineri. At contrarium dicendum est, si interdictum sit locale; nam ob eorum innocentiam non fit, ut locus interdictus seu generaliter seu specialiter, non sit incapax ad recipienda eorum corpora.

CASUS XII.

Cum Messanæ incolæ una cum Urbis Ecclesiis interdicto fuissent suppositi, quidam ex iis in Parœcialem vicini pagi Ecclesiam se contulerunt, ibique Missæ divinisque officiis adfuerunt. Num idcirco interdictum violarunt?

RESPONS.

Si privati illi incolæ, de quibus loquitur casus propositus, nullatenus conscii sint peccati, in cujus pœnam latum est interdictum, Missam cæteraque Divina officia in Parochiali pagi vicini Ecclesia potuerunt audire, ut dictum est in superiori decisione: at si conscii sint, & ob malos eorum mores interdictum latum fuerit, non potuerunt, quin interdictum violaverint, adeoque constitutam ex Canonibus pœnam in hoc casu incurrerint, se in istam quidem conferre Ecclesiam ad audiendum sacrum, cæteraque divina officia: quia, cum personæ ipsorum interdictum sit annexum, eos ubique sequitur, donec de eo fuerint absoluti. *Si propter aliquos puniendos, vel alium in eis, veluti dominum, vel familiam, positum sit interdictum, etiam extra terram, non possunt audire officium. Si autem non deliquerunt, nec caussam aliquam præstiterunt, quare terra interdiceretur; si terra, provincia vel villa pro alio delicto interdicta est; tunc secus est. In hoc casu non sunt personæ interdictæ; vel si sunt, ad hoc tantum sunt interdictæ, ne ibi accipiant Sacramenta, vel audiant divina, & ideo bene audient divina extra terram interdictam.* Hanc difficultatem verbis istis solvit Paludanus (a).

(a) Paludan. in 4. dist. 18. q. 8. art. 20. fol. 151. Edit. Paris. an. 1518.

CASUS XIII.

Athenagoras, Judex Civilis & Criminalis Syracusarum, qui a summo Pontifice obtinuit privilegium, ut minori Missæ aliisque posset adesse divinis officiis, quæ submissa voce dicuntur in Ecclesia sua Parochiali, quæ cum aliis urbis Ecclesiis fuit interdicta, huc se comitari jubet quatuor quinqueve e famulis suis. Nunquid ipse aut famuli illi Interdictum violant?

RESPONS.

Athenagoræ famuli suum ad Ecclesiam comitari possunt dominum, ibique sacro, divinisque adesse officiis, absque periculo violandi interdictum & absque peccato. Ita declarat Bonifacius VIII. istis constitutionis suæ terminis (b). *Cum conceditur singulari personæ, ut modo præmisso, (hoc est) januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, voce submissa, interdicti tempore celebrare valeat, vel audire divina; ejus familiares domestici, ad audiendum cum ea, & celebrandum sibi divinum officium licite admittuntur.* Si tamen Athenagoræ domestici ob aliquam sui culpam interdicto locum dedissent, hac prærogativa non frui possent, ut patet ex his ejusdem constitutionis verbis: *Hujusmodi quoque concessione gaudere non potest is, cujus caussa, sua culpa, dolo vel fraude, fuit sententia interdicti prolata: seu qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione lata extitit, præbuit consilium, auxilium vel favorem.* At privilegium illud non concedit hic Papa domesticis Conventuum aut Communitatum: quare sine crimine & interdicti violatione Missæ vel divinis officiis interesse non possent. *Non autem sic in familiaribus alicujus Conventus, seu Collegii, est censendum; illi enim, nisi privilegiati fuerint, admitti non debent.*

(b) Bonifac. VIII. in c. Licet. 11. de priv. in 6.

Interest autem advertere, hactenus dicta pertinere tantum ad casum interdicti localis generalis. Nam si locale tantum esset particulare, hoc est, si talis & talis urbis Ecclesia foret interdicta; nullum ibi celebrari posset officium, quocumque anni festo, excepta Parochiali Ecclesia, ubi semel tantum in Hebdomada Missa celebrari posset voce submissa & januis clausis, ut consecrarentur Hostiæ, destinatæ ad Viaticum ægrotorum, juxta datam a Gregorio IX. licentiam.

CASUS XIV.

Navigius, qui juridice ab ingressu Ecclesiæ fuerat interdictus, correptus morbo violento, quo intra unius horæ spatium e vivis sublatus est, omnibus, qui præsentes fuere, de peccatis suis se dolere vehementer testatus est, & de eo præsertim, pro quo talem incurrerat censuram; quo cognito ipsius Parochus eum in cœmeterio sepelivit; ob eam potissimum rationem, quod Innocentius III. Ecclesiastica non privet sepultura, nisi eum, qui in interdicto *ab ingressu Ecclesiæ* moritur, sub ista tantum conditione; *nisi pœnituerit*. An quidquam in hoc Ecclesiæ legibus contrarium egit iste Parochus?

RESPONS.

Facilior fuit iste Parochus in hac occasione: nam Christianam Navigii, quamvis in sincero pœnitentiæ affectu mortui, corpori sepulturam concedens, mentem Ecclesiæ non est secutus.

Id quidem probari potest exemplo hominis excommunicati, qui moriens sinceræ de peccatis suis pœnitentiæ signa præbet, & vehementis etiam affectus, ut Ecclesiæ reconcilietur. Nam quamvis tam sancte dispositus obierit hic homo, pro ipso tamen nomine Ecclesiæ preces fundi non debent, nisi, cum a superiore sublata est excommunicatio, qua erat ligatus: quia ista censura privatus erat jure participandi communibus fidelium suffragiis, nec jus illud recuperare poterat, nisi ex Ecclesiæ Indulgentia, & excommunicationis relaxatione, ut patet ex decretali Innocentii III. ad Abbatem sancti Andreæ (c): *Statuimus*, inquit hic Papa, *ut illius mortui absolutio a Sede Apostolica requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat absolvendus; aliorum autem absolutionem ex præmissa caussa ceteris indulgemus, a quibus dum viverent, fuerant absolvendi.* Pariter, cum obierit Navigius jure Ecclesiasticæ sepulturæ privatus ob ejus interdictum ab ingressu Ecclesiæ, eoque jure ipsum Ecclesia privaverit; jus illud recuperasse censeri non debet, nisi ex Indulgentia Ecclesiæ, si solum postquam interdictum, etiam post illius mortem, a superiore Ecclesiastico sublatum est, nisi per ejus vitam tolli potuerit.

(c) Innoc. III. in c. A nobis. 28. de sent. excom.

Fatemur tamen a quibusdam mitioribus canonistis contrariam defendi opinionem, quorum hæc est ratio, quod magnum sit discrimen inter excommunicatum & interdictum, & excommunicatus majori severitate ab Ecclesia excipiatur; cum exigat, ut corpus ejus, si in loco sacro fuerit sepultum, exhumetur, in loco profano inhumandum.

Ceterum, si tempore interdicti accideret, ut in loco profano quorumdam corpora fuissent sepulta; e loco illo essent eruenda post sublatam censuram, & in loco sacro, adhibitis solitis Cæremoniis sepelienda; modo non fuissent auctores vel participes Criminis, quod interdicto locum præbuisset. Consentit hæc decisio cum opinione Auctoris Colloquiorum Andegavensium (d).

(d) Colloq. Andeg. mense Nov. an. 1712. q. 2. pag. 387. & seqq.

CASUS XV.

Virginius, Sacerdos, interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quod celebrasset coram homine, quem noverat interdictum, nominatim denuntiatum; in eam tamen ingressus est, quasi laicus fuisset, & solus ibi Officium Breviarii recitavit. Qua de re duo quæruntur. 1. utrum in eam ingredi potuerit absque peccato? 2. utrum ex hoc in irregularitatem incurrerit?

RESPONS.

Constat 1. Virginium in Ecclesiam ingredi non potuisse, nisi peccando in regulas Canonicas; cum id ipsi jure vetitum esset. 2. ipsum tamen ob inobedientiam suam irregularitate non fuisse ligatum. Ratio est, quia ii, qui ab ingressu Ecclesiæ sunt interdicti, irregularitatem non incurrunt, nisi, cum in eam ingressi solemniter aut publice aliquod Ecclesiasticum munus exercent; ut expresse definivit Bonifacius VIII. (e) his ver-

(e) Bonifac. VIII. in c. is cui. 20. de sent. excom. in 6.

verbis: *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus (eam sibi perconsequens conscatur in ipsa divinorum celebratio interdicta) irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingesserit, in suo agens officio, sicut prius*. Addit etiam hic Papa: *Talis quoque si hoc interdicto durante, decedat, non debet in Ecclesia, vel cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Sane, sicut excommunicatio, sic ab Officio vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur.*

CASUS XVI.

Clodomirus absque necessitate cum multis communicavit, qui nominatim denuntiati fuerant interdicti. An potuit absque peccato, nullamque incurrens canonicam pœnam?

Respons.

Respondemus 1. Clodomirum non potuisse absque gravi peccato cum istis communicare in rebus divinis, aut sacris, quæ ipsis erant interdictæ; tum enim cum hujusmodi personis eodem modo agendum est, atque cum excommunicatis denuntiatis; cum jure eodem ponantur ordine in defensionibus, quæ ipsis quoad rem istam fiunt (*a*), licet eadem non urgeat obligatio ante publicam hujus censuræ denuntiationem, ex constitutione *Ad evitandam scandala*, quam tulit Martinus V. (*b*).

(*a*) Bonifac. VIII. in c. *alma*. Supra cit. Innoc. III. in c. *quod in te*. 11. de pœnit. & remiss. Greg. IX. in c. *permittimus*. 57. de sent. excomm.

(*b*) Martin. V in bulla *ad vitandam* quæ extat apud pragmaticam sanct. p. 575.

2. Clodomirum non peccasse, si in aliis rebus cum iis communicaverit, quia hujusmodi communio non prohibetur, cum nullus adest Ecclesiæ contemptus.

3. Eundem nullam incurrisse canonicam pœnam, ex eadem Constitutione, quamvis cum illis interdictis communicasset: *Nemo deinceps*, inquit eadem Martini constitutio, *communicatione alicujus ... prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ .... teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Ecclesiasticum observare; ... vel Censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam ... Ecclesiam, aut locum certum aut certam, a judice publicata & denuntiata specialiter & expresse.*

4. Clodomirum, si esset sacerdos, & cum interdicto communicasset celebrando in loco interdicto (extra casus, jure exceptos) 1. irregularitatem incurrisse, non quod sacrificium coram interdicto celebrare præsumpsisset; quod tamen absque mortali peccato non potuisset; sed quia celebrasset in loco interdicto; & a solo Papa absolvi posset si foret publica, ut fert constitutio Bonifacii VIII. 2. eum ob ingressu Ecclesiæ *ipso facto* interdictum fore, quod coram persona interdicta celebrasset; licet esset privilegiata vel exempta, donec Deo & Ecclesiæ ob peccatum suum satisfecisset ad arbitrium superioris sui, ut jure constituitur (*c*): *Ingressum Ecclesiæ noverint sibi interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter*: & idem foret dicendum, si Clodomirus, posito quod esset laicus interdictus, sacerdotem coegisset ad celebrandum in Ecclesia vel Capella interdicta, ut eadem Constitutione statuitur.

(*c*) Bonifac. VIII. in c. *si cui*. 20. de sent. excom. in 6. Id. Bonifacius VIII in c. *Episcoporum*. 1. de priv. in 6.

CASUS XVII.

Interdicto Generali suppositis omnibus vici sancti Symphoriani incolis, quosdam tamen in confessione, licet non ægrotantes, audivit Parochus, quibusdam ægrotantibus sacrum porrexit viaticum. Nunquid in eo peccavit, aut interdictum violavit?

Respons.

Parochus absque peccati reatu, aut interdicti violatione ad Confessionem sese offerentes admittere potuit: nam Ecclesia tempore Generalis interdicti non solum Baptismum & Confirmationem administrare permittit, sed etiam sacramentum pœnitentiæ; modo illud requirentes non sint excommunicati, aut nominatim interdicti; nisi in mortis articulo essent constituti: & etiam periculose ægrotantibus sacrum viaticum petendi & recipiendi licentiam facit: atque illa sacramenta tunc cum omni reverentia atque decentia ipsis debita administrari debent: sed in Ecclesiam ad Baptismi administrationem admitti tantum debent ii, qui ad Cæremoniam sunt necessarii:

Quod pertinet ad Baptismi & Confirmationis administrationem, id expresse statuit Innocentius III. in sua decretali ad Episcopum Ferrariensem (*d*), cui declarat, ipsum durante interdicto hæc duo sacramenta administrare posse: *sicut baptizari possant pueri*, inquit, *sic & baptizati ad confirmationem in frontibus a te possunt sacra Chrismate deliniri.*

(*d*) Innoc. III. in c. *responso*. 43. de sentent. excomm. &c. lib. 5. tit. 39. Item Bonifac. VIII. in c. *quoniam*. in eod. tit. in 6.

De pœnitentiæ sacramento ita constituit Bonifacius VIII. (*e*): *Concedimus*, inquit, *quod tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati, non tantum morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam, quam infirmi ad pœnitentiam, quam propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum summe necessaria est, licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolumus ad eandem.*

(*e*) Bonifac. VIII. in c. *alma* 24. eod. tit. in 6.

Denique de viatico probationem suppeditat decretalis Gregorii IX. (*f*) in qua sic habetur: *Permittimus*, ait, *Ecclesiarum Ministris semel in hebdomada, tempore interdicti, januis clausis, voce submissa excommunicatis, & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare, caussa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.*

(*f*) Greg. IX. in c. *permittimus*. 57. de sent. excomm. &c.

Advertendum tamen quoad propositam difficultatem, auctores, aut criminis participes, cujus caussa Ecclesia vel locus fuere interdicta, absque peccato nec celebrare, nec corpus Dominicum sumere, neque divinis officiis adesse, neque dare aut recipere posse sacramenta, neque etiam ad pœnitentiam posse admitti; nisi prius, quantum in se est, de ipso malo & scandalo, quod attulit eorum crimen aut inobedientia, Ecclesiæ satisfecerint. Id ipsum addit Constitutio Bonifacii VIII. a nobis mox laudata, in qua sic subjungit hic Papa: *Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occasione interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel favorem, nisi de ipso delicto, si sint tales, quod id facere valeant, prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem, juraverint, quod cum poterunt, satisfacient ... non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum.*

CASUS XVIII.

Almachus, Parochus S. Florentiani, die S. Patroni publice sacram habuit Concionem, coram majori incolarum numero; quamvis Ecclesia cum omnibus incolis foret interdicta. Nunquid in hoc interdictum violavit hic Parochus?

Respons.

Parochus ille interdictum non violavit, in sua Ecclesia prædicans in tali occasione: nam certum est quidem prohibitum esse, ne tempore Generalis interdicti in Ecclesia celebrentur divina Officia, hoc est, Officia, quæ a Clericis celebrari solent, quale est inter cætera Missæ sacrificium, exceptis quibusdam diebus jure expressis, horæ Canonicæ, & Benedictiones, quas dare possunt Ecclesiæ Ministri: sed in iis non continetur prædicatio: quidquid in contrarium sentiat Auctor Glossæ in Clementinas.

Decisionem istam astruit Innocentius III. qui ad Episcopum Ferrariensem scribens, a quo de simili difficultate consultus fuerat (*g*), declarat, quod tempore Generalis interdicti in Ecclesiam convocari potest populus & huc absque scrupulo convenire, *sine scrupulo conscientiæ hoc facere poterit*, ad audiendum verbum divinum; *dummodo contra formam interdicti*, subjungit, *nullum ibi divinum Officium celebretur*. Equidem si populo demerentur Instructiones, exhortationes & prædicationes, tum præcipuum ei demeretur Conversionis medium; & fieret contra Dei ipsius & Ecclesiæ intentionem, qui nihil aliud volunt, quam ut convertantur peccatores.

(*g*) Innoc. III. in c. *responso*. 43 de sent. excom. suspens. & interdicti.

CA-

CASUS XIX.

Capella & Cœmeterium, Ecclesiæ sancti Marculphi contigua, juxta præscriptam formam ab Episcopo Diœcesano fuere interdicta; ab eo tamen tempore in eadem Ecclesia Missæ sacrificium celebravit Parochus. Nunquid in eo interdictum violavit?

Econtra si Ecclesia nominatim fuisset interdicta, & in hac Capella celebraret, aut demortui corpus in hoc cœmeterio inhumaret; An interdictum frangeret?

RESPONS.

Magnum intercedit discrimen inter duas hasce difficultates: nam in primo casu Parochus in Ecclesia Parochiali celebrans, interdictum non violaret: certum quippe est, Capella aut Cœmeterio interdictis Ecclesiam, cui alterutrum est contiguum, non censeri interdictam ex hac juris regula, qua dicitur, quod *accessorium naturam sequi congruit principalis* (a). In secundo vero casu interdictum violaret iste Parochus, quia Ecclesia interdicta, vere quoque interdicto subjacent Capellæ & Cœmeterium ipsi contigua, & quæ ejus sunt accessorium: atque adeo Parochus iste post latum interdictum in Ecclesiam, non posset celebrare in Capella ipsi contigua aut mortui Cadaver sepelire in Cœmeterio ipsi adjacente, nisi interdictum violaret, atque adeo in irregularitatem incurreret; Ita rem definivit Bonifacius VIII. (b): *si sit Ecclesia interdicto supposita vel subjecta*, inquit hic Papa, *nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius, eidem Ecclesiæ contiguis, poterit sepeliri: secus, si ei contigua non existant.*

(a) Reg. 42. de regulis juris in 6.

(b) Bonifac. VIII. in c. Si civitas. 17. de sent. excomm. &c. in 6. & ibi Glossa.

Ex hoc igitur principio dicendum, interdictum latum in locum integrum, in omnes ejus partes cadere; ac proinde Urbis interdicto contineri non omnes tantum Urbis ædes, sed etiam suburbia omnia, quæ sunt pars ejus, ut declarat idem Papa (c): *si Civitas*, ait, *Castrum aut villa subjiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia & continentiæ ædificia eo ipso volumus interdicta*; cujus rei hanc subjicit rationem: *ne vilipendi*, inquit, *valeat sententia interdicti: quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel Continentibus ædificiis licite celebrari*: immo si eveniret, ut intra alterius Diœcesis limites situm esset suburbium; tamen interdictum esset *a jure*, quamvis ob defectum jurisdictionis Episcopi in istud suburbium, non esset interdictum *ab homine*. Sed econtra parte interdicto supposita, totum, cujus est pars, non censetur interdictum; quocirca una urbis Parœcia, aut ejus suburbiis interdictis, tota urbs non censetur interdicta.

(c) Idem ibid.

CASUS XX.

Burchardus, Sancti Eutropii Parochus, die dominica Missam celebrans solemnem, Licinium videt, qui nominatim fuit interdictus ab Episcopo; mittit ad eum, qui referat, ipsi exire esse necesse; at non obtemperat. Quid igitur acturus est hic Parochus? Potest ne absque aliquo culpæ reatu sacrosanctum Missæ sacrificium illo præsente perficere?

RESPONS.

Qui personas interdictas ad divina admittunt Officia, *ipso facto* fiunt privati ingressu Ecclesiæ; donec satisfactionem superiori debitam dederint, cujus sententiam contempserunt. *Præsenti decreto duximus statuendum*, inquit Bonifacius VIII. (d), *ne aliqui sæculares aut Regulares .... excommunicatos publice, vel interdictos ad divina Officia, seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant: qui vero contra præsumpserint, præter alias pœnas a jure statutas ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.*

(d) Bonifac. VIII. in c. Episcoporum 1. de privilegiis in 6. lib. 5. tit. 7.

Ex hoc itaque statuto concludendum, Parochum, ubi primum in Ecclesia hominem nominatim interdictum videt per Missæ sacrificium, aliave divina officia, teneri ad imperandum ei, ut exeat; & ipso exire recusante, ad abstinendum ab Officiis & Missa etiam, si nondum sit inchoata: & si forte sit inchoata, eam perficere debet ad communionem inclusive; tum reliquas preces in sacrario recitabit, ut manifeste constat ex statuto Clementinæ in juris corpore relatæ (e). Ita igitur agere debet Burchardus, de quo loquitur casus propositus.

(e) Clemens V. in Conc. gener. Viennens. in c. *Gravis*, sup. cit.

Advertendum de præsenti difficultate, quod si Licinius Parochi jussa perficere negaret, & pertinaciter in Ecclesia remaneret, excommunicationem *ipso facto* incurreret, quæ pœna constituitur in omnes laicos, qui interdictum seu locale seu personale violant, sive interdicto locum dederint, sive non; uti irregularitas pœna est, quam in simili casu incurrunt Ecclesiastici, qui interdicto personali absque restrictione ligati, quandam Ordinis sacri functionem exercent, aut in Ecclesia interdicta celebrant: qui duo sunt casus, in quibus fiunt singulares per violationem interdicti.

Quod hactenus diximus de excommunicatione, quam incurreret Licinius, manifeste probatur ex Constitutione Clementis V. in Concilio œcumenico Viennensi emissa (f), in qua dicit hic summus Pontifex: *Qui in ipsis Ecclesiis nominatim a Celebrantibus ut exeant, moniti, remanere præsumpserint, excommunicationis sententia .... sacro approbante Concilio, innodamus.*

(f) Clem. V. in Clement. Gravis. 2. de sent. excom. lib. 5. tit. 10.

CASUS XXI.

Licinius, ab ingressu Ecclesiæ interdictus, & talis denuntiatus, Parocho divina officia, aut missam celebranti obtemperare recusavit, simulque imperanti, ut ex Ecclesia exiret. Solutus de interdicto, de inobedientia sua se se in Confessione accusavit apud Sacerdotem unum e mansionariis Parœciæ. An potuit hic Sacerdos solito more ipsi absolutionem concedere; si promiserit hic pœnitens a Parocho suo veniam coram multis esse petiturum?

RESPONS.

Laicus, qui interdicto non obtemperat, ex Ecclesia exire recusans, cum jubetur, & qui in ea pertinaciter remansit, licet interdictus esset denuntiatus, actu propter inobedientiam suam in excommunicationem incurrit, de qua a solo Papa absolvi potest, uti jam probavimus in superiori decisione ex Constitutione ista Clementis V. (g): *Ne igitur excussus, sic graves excedentium impunitates trahantur ab aliis in exemplum, præsumtores præfatos ..... nec non excommunicatos publicos & interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim a celebrantibus ut exeant moniti, remanere præsumpserunt, excommunicationis sententiæ, a qua per sedem duntaxat Apostolicum possint absolvi, sacro approbante Concilio, innodamus.* Quod cum ita sit, ipsum Licinii confessarius valide absolvere non potuit, priusquam solutus esset ab excommunicatione, quam propter inobedientiam suam incurrerat.

(g) Clemens V. in c. Gravis. supra cit.

Quod spectat ad Clericos, qui nominatim interdictum iri Ecclesia aut cœmeterio sepeliunt, & Laici omnes, qui suum præstant auxilium, excommunicationem quoque *ipso facto* incurrunt, de qua a solo superiore queunt absolvi, qui interdictum protulit (h).

(h) Colloq. Condom. to. 1. colloq. 6. sect. 2.

CASUS XXII.

Quadraginta aut quinquaginta privati, incolæ oppiduli S. Galmerii, Sacerdotes communitatis, qui ibi sedem suam collocarunt, expellere voluerunt, eosque male omnino exceperunt: Episcopus Diœcesanus oppidum illud interdicto supponere ob nefarium hunc ausum sollicitatur. An potest, aut etiam debet susceptum exequi consilium?

RESPONS.

Supponendum hic, tanquam certum, ex interdicto sæpissime gravius oriri malum, quam sit ipsum crimen, cui hoc modo remedium afferri constitutum est, ut patet ex constitutione Bonifacii VIII. cujus verba retulimus in secunda observatione, quæ titulo huic præsupposita est.

Quod

Quod cum ita fit, Episcopo Diœcesano tale non debet suaderi remedium, quod malo ab his incolis admisso vix ac ne vix quidem mederi posse videtur, Dici etiam potest, ipsum, ut videtur, tuta non posse conscientia; quia, licet crimen publicum & scandalosum hac pœna ulcisci possit, Episcopus hanc tamen pœnam adhibere non debet, nisi cum ab omnibus communitatis incolis, in unum corpus coactis admissum est, ut putat Rebuffus in suo commentario in concordatum & cum eo Author Glossæ in Pragmaticam sanctionem. Atqui quadraginta aut quinquaginta illi incolæ, nudi erant privati homines, ut fert expositio casus, qui nec ab Urbis Magistratibus, nec ab ipsa communitate aliquam obtinebant authoritatem. Insuper injuria affecti Sacerdotes solita judiciorum forma pœnas a consciis exigere, eosque in officio hac via continere possunt, non requisitis Ecclesiæ spiritualibus armis. Satius est igitur, eos hanc ultimam adhibere viam. Ita sentit Author rei hujusce peritissimus, qui Condomensis Diœcesis generalis Vicarii, nec non Officialis munus obtinebat (*a*).

(*a*) Du Casse praxis Jurisd. Eccl. voluntariæ. c. 11. §. 2. n. 4.

INTERSTITIA.

VOX Interstitium, in re Ecclesiastica nihil aliud significat, quam intervallum tempocis ab Ecclesia constituti ad suscipiendos licite Ordines.

Statutum est illud intervallum temporis, ut nota esse possit atque perspecta morum probitas, capacitas, ac vecitas vocationis Clecicocum: *Ut in eis* inquit Concilium Tridentinum (*b*) loquens de interstitiis, quæ obsecvari cupit etiam inter quamlibet Minorum Ordinum susceptionem, *Cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat: quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesia ministerium ... maxime comprobabunt*.

(*b*) Conc. Tr. sess. 23. c. 11. de reform.

Concilium in Dalmatia habitum, cui præerant legati Innocentii III. constituit, ut annus intecjaceret inter susceptionem Subdiaconatus, & Diaconatus, & idem etiam temporis intervallum inter Diaconatum & Presbyteratum: idque sub pœna suspensionis *ipso facto* ab Episcopo incurrenda quamdiu summo Pontifici placet, si Decreto huic contradicecet. Tridentini Concilii Patres (*c*) significarunt etiam, se cupere, ut Subdiaconatus non confecatur nisi iis, qui per annum fuissent Acolythi, & qui pec id temporis minocum Ordinum functiones exercuissent; nec pariter quis initiacetuc Diaconus, nisi anno post susceptionem Subdiaconatus, & Presbytec post simile a Diaconatu temporis intecvallum, nisi exigeret necessitas aut Ecclesiæ utilitas, ut in breve contcahecetur illud tempus.

(*c*) Conc. Tr. sess. 23. c. 13.

Episcopus de intecstitiis dispensare potest, modo ordines non conferat, nisi statuto ex Canonibus tempore, hoc est, quatuor anni temporibus: vecum dispensare nunquam debet absque causa legitima, quæ ad necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ pertineat, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*, inquit idem Concilium (*d*) Non lat igitur reprehendi possunt ii, qui bcevi tempore ocdines suscipere festinant, prætecmissis ea de re Ecclesiæ regulis, nimirum ex S. Gregorio (*e*) *Ordinate ad Ordines ascendendum est; num cujum appetit qui ad summa loci fastigia, postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum*.

(*d*) Conc. Tr. cap. 23.

(*e*) S. Greg. l. 7 indict. 1. ep. 110. ad Syagrium. & in Clem. 1. §. Iacet Certum diem de reliq. & vener. sanctorum

CASUS PRIMUS.

AMPHILOCHIUS, Diaconatus ordine initiatus Sabbatho quatuor temporum quadragesimæ anni superioris; hoc anno simili die Sacerdotium suscepit; licet dies ille, anni supecioris diem viginti diebus præcesserit, nec adeo inter ordinationes duas annus integer intercesserit, neque eum Episcopus de interstitiis dispensarit. Nunquid legitima est ista ordinatio, nec is, qui ita ordinatus est, aliquam incurrit pœnam Canunicam?

RESPONS.

Certum quidem est, ex Canunibus annum præscribi inter quodlibet sacrorum Ordinum interstitium; neque eos in tenorem istorum Canonum non posse suscipi; nisi de iis ad utilitatem Ecclesiæ dispensare Episcopo opportunum videatur eum, qui ante annum elapsum ordinationem suam postulat; at duplex anni species distinguenda est, scilicet annus naturalis seu annus civilis, de quo loquitur Jurisconsultus Paulus in una Digestorum lege dicens (*f*): annum civiliter ... ad dies numeramus, & annus Ecclesiasticus.

(*f*) L. *Anniculus*. 134. ff. de verborum significat. l. 50. tit. 16.

Annus naturalis constat 365. diebus & sex ferme horis, ex quibus cum quarto quolibet anno dies fiat, hic annus vocatur bissextilis (*g*), quia bis numeratur *sexto kalendas*.

(*g*) Gloss. in c. 40. *Dies* de consecrat. dist.

Annus Ecclesiasticus non dierum numero computatur, sed sacris temporibus, quæ celebrat Ecclesia, ut ab uno Paschate ad sequens Pascha. Certum est autem a Concilio in suo de interstitiis decreto usurpari annum Ecclesiasticum, non vero annum civilem. Unde sequitur, ordinationem Amphilochii esse legitimam, ac proinde eum in nullam incucrisse Canonicam pœnam.

Decisionem istam astruit Fagnanus in suo commentario in Decretales (*b*), qui testatur, id ita declaratum fuisse, approbante Clemente VIII. a Congregatione Cardinalium constituta ad expositionem Concilii Tridentini in iis, quæ pertinent ad mores & disciplinam, & cujus ipse Secretarius fuit. *Porro*, inquit hic Canonista, *cum Concilium dicat annum integrum, hoc intelligas non de anno naturali vel civili... sed de Ecclesiastico; ita ut si ordinatus Diaconus in quatuor temporibus quadragesimæ (i) ordinetur Sacerdos in quatuor temporibus quadragesimæ anni sequentis, annus dicatur integer judicio Ecclesiæ, licet Pascha celerius advenerit, quam præcedens* (K). *Cum alias dubitatum esset in sacra Congregatione Concilii, an qui ad Diaconatum promotus fuerat an. 1566. in quatuor temporibus quadragesimæ posset an. 1567. sequenti ad Presbyteratum promoveri; licet lapsus non esset integer annus; quia pascha an. 1567. serius adveniebat, quam præcedens; sacra Congregatio censuit posse: quia judicio Ecclesiæ iste videtur annus*

(*b*) Fagnan. in c. Liter. 8. de temporibus ordinationum num. 8.

(*i*) Ordinetur Sacerdos in quatuor temporibus quadragesimæ anni &c.

(*k*) Id in c. Ad nostram n. 18 § Et confirmatur. de regularibus l. 3. tit. 31.

unus integer; quam Congregationis sententiam Clemens VIII. ad se relatam approbavit.

CASUS II.

Flodoardus, non servatis interstitiis a Concilio Tridentino (*a*) constitutis, nec obtenta de iis ab Episcopo dispensatione, Sacerdotium suscepit. An idcirco aliqua fuit Canonica pœna ligatus.

(*a*) Conc. Tr. sess. 23. 11.

Respons.

Quidam Authores contenderunt, eos, qui non servatis interstitiis aliquos suscipiunt Ordines, suspensione & irregularitate ligari; atque nituntur Bulla Sixti V. quæ est 91. ab hoc Pontifice lata 5. jan. an. 1689. (*b*). At nulla ex iis re incurritur pœna in hoc casu. Certum est enim, eas non incurri, nisi in casibus jure expressis; ut probari potest ex Constitutione Bonifacii VIII. qui loquens de Sacerdote, qui in Ecclesia polluta, aut coram excommunicato celebravit, declarat, ipsum irregularitate non fuisse ligatum; cujus rei istam affert rationem; *Cum id non sit expressum in jure* (*c*): quam rationem quoque post alios Canonistas affert Cabassutius (*d*): *Ratio in promptu est, quia nulla est inducenda censura, quam jus non expresserit*. Atque, ut ait hic Professor Avenionensis ad nostram respondens difficultatem: nullibi jus exprimit, infligi suspensionem, Ordines sacros recipiendo non servatis interstitii, Nulla est igitur in hoc casu pœna Canonica vel irregularitas: *incurritur tamen grave peccatum*, subjungit hic Canonista,... *quatenus in re gravi prohibitio Ecclesiæ violatur*.

(*b*) Sixtus V. in 91. Bulla, quæ incipit, *Sanctum & salutare*.

(*c*) Bonifac. VIII. in c. is cui. 18. de sent. excom. &c. in 6.

(*d*) J. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 14. n. 7.

Objici quidem potest, ultimum provinciale Concilium Tolosanum constituisse, ut accurate teneretur Constitutio Sixti V. At responderi facile potest. 1. Statutum hujusce Concilii usu non fuisse comprobatum, 2. Bullam Sixti V. fuisse revocatam a Clemente VIII. in Bulla sua data 28. Feb. an. 595. & quæ redigitur ad terminos alterius Constitutionis S. Pii V. & Concilii Tridentini (*e*), uti observant Zerola (*f*) & Prosper Fagnanus (*g*).

Unde colligimus, Flodoardum in casu proposito neque suspensione neque irregularitate fuisse innodatum; quamvis aliunde gravis sit conscius peccati, ut jam cum Cabassutio diximus, eumque merer, ut aliquam ei suus pœnam infligat Episcopus (*h*).

(*e*) Clemens VIII. in Bulla Romanum. 40.

(*f*) Zerola. 2. p. prax. Episcop. v. Ordo.

(*g*) Prosp. Fagn. in c. *Vel non est*. de temp. ordinat. num. 12.

(*h*) Du Casse prax. jurisd. Eccles. voluntariæ c. 3. §. 2.

CASUS III.

Theophanes Diaconatum suscepit ad dimissorias litteras, quas ei Ferdinandus Vicarius Generalis Diœcesanus concessit, & quibus cum eo de interstitiis dispensabat. An valide fuit ordinatus?

Respons.

Respondemus, Theophanem legitime esse ordinatum, modo tamen provisionibus Vicariatus Generalis Ferdinandi expressis terminis contineatur potestas concedendi dimissorias. Nam si clausula speciali hæc ei non facta fuerit potestas; dimissorias tunc nequit concedere, quod adversetur jus commune, ut patet ex istis Bonifacii III. (*i*) verbis: *Inferiores quoque Prælati .... vel Officiales Episcopi (cum ad hoc se ipsius Officium non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri*. Qua de re Glossa, loquens de Vicario Generali, dicit, *nisi habeat speciale mandatum*. Casum unum tamen excipit hic Papa, in quo jure potestatem hanc absque speciali mandato obtinet Vicarius Generalis, cum videlicet Episcopus e sua Diœcesi valde est dissitus. *Episcopo autem in remotis agente*, inquit hic Summus Pontifex, *ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis ... vel is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi*. Cum tamen isti termini; *Episcopo in remotis agente*, multos eosque diversos sensus patiantur, de quibus ne quidem inter se consentiunt Authores; tutius est, si Vicarius Generalis ab exercitio hujusce potestatis se abstineat, nisi Episcopus sit extra Regni fines; quamvis putet Glossa, sufficere Episcopi absentiam, cum est extra Provinciam suam, & minorem etiam requirat distantiam: quam ejus sententiam tenendam non putamus.

(*i*) Bonifac. VIII. in cap. *Cum nullus*. 3. de temp. ordin. & qualit. ordin. in 6. & ibi Glossa v. *Non extendat*. l. 1. tit. 9.

Dispensationem vero de interstitiis, absente Episcopo, concedere potest Vicarius Generalis, & tunc solummodo, cum dimissorias concedere potest, ut docet Fagnanus (*K*), & definivit Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum 5. Martii an. 1597. *Quin imo* hæc facultas dispensandi super Interstitiis ex sententia Sacræ Congregationis competit etiam Vicario Generali, absente Episcopo, posito quod habeat mandatum Generale in forma. Ita sentit Author nuperus (*l*).

(*K*) Prosp. Fagnan. in c. *Dudum*. 3. de temp. ordin. &c. num. 32. l. 1. t. 11.

(*l*) Du Casse prax. jurisd. Eccl. voluntaria. c. 3. §. 2. n. 2.

Vide { Dimissoriæ Litteræ. Ordo. }

INVENTARIUM.

INVENTARIUM dicitur juxta stilum forensem, quod ab Ulpiano *Repertorium* dicitur (*m*): hoc est, descriptio effectuum hæreditatis alicujus facta cum formalitatibus jure aut consuetudine requisitis.

Priusquam autem rem istam aggrediamur, juvat observare, quod, ut hæres quilibet jus obtinet accipendi & adeundi hæreditatem, quæ sibi obtigit aut eam repudiandi; sic ei competit jus deliberandi de alterutrius delectu, ut cognoscat, an sibi sit fructuosa, necne, *ut perinde instruere se possit, expediet necne agnoscere hæreditatem* (*n*). Nam nec damnosam *quisquam hæreditatem adire compellitur* (*o*), ait Lex.

Hæres tamen in dubio valoris bonorum hæreditatis se pro hærede gerere potest, Inventarii Beneficio utens, quod de justo rei hæreditariæ pretio certus esse potest. *Sin autem dubius est* (hæres).... *Inventarium ab eo conficiatur* (*p*).

Modus ille se hæredem gerendi dicitur *Beneficium Inventarii*, quia ejus hic est effectus, quod si a defuncto rei derelictæ valorem superent hæreditatis onera, de iis non tenebitur hæres nisi ad concursum acceptæ hæreditatis, conformiter ad hæc Legis verba: *In tantum hæreditariis Creditoribus teneantur, in quantum res substantiæ ad eos devolutæ valeant* (*q*). Alioquin se nudum ac simplicem gerens hæredem de toto excessu teneretur.

Quando hæres Beneficiarius est defuncti Creditor, qualecumque sit creditum

(*m*) L. Tutor. 7. ff. de administrat. tutorum & cur. l. 26. t. 7.

(*n*) Leg. *Aristo* 5. ff. de jure deliberandi. l. 6. t. 8.

(*o*) Leg. *Nec emere*. 16. cod. de jure deliberandi. l. 6. tit. 30.

(*p*) L. *Scimus*. fin. §. 2. cod. eod. tit.

(*q*) Cit. L. *Scimus*. §. 4. cod. de jure delibes.

ditum

ditum suum, jus suum retinet; & cum aliis creditoribus concurrit, servans quoque hypothecam aut privilegium suum, si quod habeat. *Si vero & ipse aliquas contra defunctum habeat actiones, non ha confundantur: sed similem cum aliis creditoribus habeat fortunam, temporum prærogativa inter creditores servanda.* Ita statuit Lex Codicis (*a*). Habenda est quoque ratio sumtuum, quos necessarios impendit in funebres impensas, ad inventarium, reparationes & alia hujusmodi.

(*a*) Cit. L. Scimus. §. 9. cod. de jure deliberandi.

Si heres beneficiarius tantum æris alieni persolvisset, quantum ex hereditate collegit, & postea alii accederent creditores, ipsis satisfactum esset, accepti & expensi rationes habendo: *Et si nihil reliquum est, posteriores venientes* (creditores) *repellantur* (*b*).

(*b*) Cit. L. Scimus. §. 4.

Heredi ex Edicto an. 1667. (*c*) tres conceduntur menses ad describendum hereditatem, numeratione facta a die aditæ hereditatis; & quadraginta dies pariter ab eo tempore obtinet ad deliberandum ob cognitionem ex inventario partam, an eam sub tali beneficio velit acceptare, an vero repudiare; & si forte ante aut post inventarium; aut per quadraginta dies quid urgens negotium contingeret, tunc in hereditate nominandus esset creditor, qui eam procuraret.

(*c*) T. de dilationibus ad deliberandum.

Pariter si inter idem medium tempus, rebus periclitantibus providere necesse esset, qualia sunt fructus, grana & vina, aut quorum conservatio impensam inutilem pareret, ut equorum v. g quos alere inutile esset, heres ista aut curator vendere posset, requisitas observando formulas, quæ juxta Galliæ usum in eo consistunt, quod Judicis auctoritate fiat eorum venditio; aut si res illæ parvi essent momenti, eorum consensu, quorum aliquatenus interest.

Si heres deliberans decedat e vita ante factam declarationem suam, successor ejus *ab intestato*, vel aliter, & ad quem transmitti debet successio nondum acceptata, simili gaudet deliberandi jure uti defunctus. At si pure ac simpliciter eam accepisset defunctus, illo jure careret.

Heres quilibet statim absque deliberatione, se beneficiarium heredem profiteri potest, & inventarium omnium bonorum & instrumentorum hereditatis procurare; sed quia ad creditores & legatarios pertinet de inventario, necessario ex usu Galliæ fieri debet auctoritate Judicis & ab officiario publico, postquam omnia hereditatis mobilia publico consignata fuere sigillo; ac priusquam instituatur inventarium, heredis atque famulorum defuncti exigitur jusjurandum de occultatione aut receptione fraudulenta mobilium hereditatis. Atque hæc sunt præcipuæ regulæ, quæ ad rem istam pertinent.

CASUS PRIMUS.

THEODRADA, vidua Ludovici, Pannorum Mercatoris, Civis Parisiensis, quæ cum isto bonorum Communitate erat sociata, non curavit fieri inventarium bonorum Communitatis, nisi post tres annos a morte viri sui, cum nimirum alias volebat inire nuptias: At filii ejus, qui erant pupilli, ab ea bona paterna petierunt cum dimidio augmento Communitatis, quam secum invicem contraxerant, inita numeratione a die nuptiarum ejus cum Ludovico Patre suo ad diem petitionis suæ. Vult quidem Theodrada dimidium iis numerare lucrum Communitatis, quod viri sui mortem præcessit, non vero dimidium illius, quod ab ejus obitu retulit; quandoquidem haud æquum videtur, ut defuncto tribuatur, quod curis suis ac proprio labore lucrata est. Numquid pro ea fiat jus?

RESPONS.

Ludovici & Theodradæ filii, utpote subditi consuetudini præpositura & Vice comitatus Parisiensis a Matre sua jure possunt exigere dimidium lucrum Communitatis mutuæ ad diem petitionis suæ. Nam juxta consuetudinem Parisiensem (*d*) Communitas conjugum post obitum viri pro pupillis perseverat donec repertorium factum & perfectum fuerit, & clausum juxta præscriptam formam tribus mensibus postquam confectum est, & formalitates quæ requiruntur, sunt 1. Quod ejus clausura in publico Tabulario fiat. 2. Quod is vel ea, quæ eam exigit simpliciter affirmet, se nihil occultasse ac fidelem esse bonorum indicem: 3. Quod affirmationi suæ subscribat. 4 Quod Tabularius inventarii primo exemplari Chirographum apponat, postquam hæc scripsit verba: *ad clausuram*, & anni mensisque datam expressit. Formalitas ista est conditio necessaria juxta consuetudinem Parisiensem ad dissolutionem Communitatis conjugatorum, ut dijudicavit Parisiensis Senatus 23. Decembris an. 1529. ex Arresto lato in Parisiensi consuetudine, quod refert Imbertus in suo Enchiridio (*e*), & Du Luc (*f*). Ex alio Arresto lato in consuetudine Andegavensi 19. Decembris an. 1598. (*g*). Ex alio lato in consuetudine Rupellensi 5. Martii an. 1606. a Domino Protopræside Harlæo in viduam cujusdam, nomine Champferant: Ex alio in consuetudino Carnutensi 15. Feb. an. 1612. & alio in consuetudine Drocensi 10. Julii an. 1627. tria quoque alia Arresta profert Brodeus (*h*) istis consentanea; quorum primum latum ex 22. Martii an. 1622. Alterum 29. Aprilis 1606. & tertium 18. Junii 1622. (*i*): Aliter dicendum foret, si vidua Communitati renuntiasset, quia tunc necessaria non est inventarii clausura & ejus renuntiatio facta, *re adhuc integra*, sola sufficit ad eam dissolvendam, nisi id expresse postularet loci consuetudo, uti dijudicatum est ex Arresto Parlamenti Parisiensis 18. Novembris 1600. quod refert Louetus (*K*). Ex eo petitur ratio hujusce discriminis, quod consuetudo Parisiensis (*l*) nullam in hoc casu de clausura mentionem faciat, nec ea subintelligi queat: quia consuetudines sunt *stricti juris*; ac proinde ultra litteram ac proprium sensum, etiam in pœnalibus extendi nequeunt.

Hactenus dictis duo notatu digna addere interest: Primum, quod juxta articulum 237. consuetudinis Pa-

(*d*) Consuetudo Parisiens. a. 240. & 241.

(*e*) Imbertus Enchiridion. v. Societas. p. 298.

(*f*) De Luc l. 8. Placitorum t. 3. Arrest. 1.

(*g*) Louet lit. C. n. 20.

(*h*) Brodeau in Louetum lit. C. n. 30

(*i*) Ibid.

(*k*) Louet. lit. I. n. 11.

(*l*) Consuetudo Paris. art. 237.

Parisiensis necesse est, ut inventarium sit factum & clausum intra tres menses post viri obitum, ut effectum habeat retro agentem ad diem dissolutionis matrimonii, & ut communitatis cursus impediatur & finis ejus ad diem obitus præmortui determinetur quasi reipsa clausum fuisset ipso die ejus obitus: qui effectus non competit invenrario post tres menses elapsos confecto, licet aliunde valeat, & a die perfectionis suæ suum habeat effectum, ut observat D. Ferrerius (a), in consuetudinem Parisiensem, qui pro sua opinione laudat Molinæum in articulum 118. ejusdem consuetudinis (b). & Carondam qui refert Arrestum Senatus Parisiensis, latum conformiter 13. Aug. an. 1557. Qua in re nova consuetudo reformavit antiquam, quæ mox dictis contraria, exigebat ut de Creditorum medietate teneretur mulier quæ Communitati renuntiare non poterat.

(a) D. de Perriere in consuetud. Parif. a. 241. Glos. 3. n. 6. & 3.
(b) Du Moulin in Consuetud. Parisiensem n. 31.

Alterum observatione dignum est, quod Communitatis continuatio ob inventarii defectum non obtinet, nisi pro pupillis, non vero pro heredibus Collateralibus, quibus tantum actio competit in superstitem, quem ad inventarium faciendum cogere possunt: quod a pupillis fieri nequit. Ita dijudicavit Senatus Parisiensis ea Arresto lato in quinta inquisitionum Curia, referente D. de Flexelles 10. Aprilis an. 1610.

Vide { COMMUNITAS. MULIER CONJUGATA. HÆRES. }

CASUS II.

ATHENAGORAS, in Normannia natus, & Rothomagi habitans, cum Visigardæ in eadem Provincia manenti nupsisset, ex contractu nuptiali communitatem bonorum admisit, non obstante Normanna consuetudine, quæ inter virum & uxorem eam non admittit, & quæ ob eam caussam nihil de inventario constituit, quod ex consuetudine Parisiensi necessario exigitur ad dissolutionem Communitatis, & in eam rem renuntiavit consuetudini hujus Provinciæ, & Parisiensi usui se submisit. Præmortua Visigarda, Athenagoras nullum juxta formam præscriptam fecit inventarium & quod juxta Parisiensem usum clausum fuerit. Ipsius pueri sex elapsis a Matris obitu annis, facti majores, non solum ab eo rem maternam postularunt, sed etiam dimidium augmentum Communitatis; inita numeratione a die nuptiarum ad diem petitionis suæ, quod nec factum neque ex usu Parisiensi clausum fuerit inventarium. Athenagoras vero ipsis rem maternam obtulit, at alterum eis denegavit articulum, qui ad continuatam communitatem pertinet, contendens, se Normannam consuetudinem non abjecisse, nisi quoad communitatem bonorum, quam non admittit; non vero quoad alias ejusdem consuetudinis formalitates. An pueri illi suam judicio, tuta conscientia, petitionem tueri possunt?

RESPONS.

Athenagoras filii procul dubio a Patre suo non modo bona Matris defunctæ, quæ sua sunt, jure possunt exigere, sed etiam ut dimidium sibi is præstet communitatis augmentum a die celebrati matrimonii ad diem requisitionis suæ; cum certum sit mutuam interfuisse & Matrem suam communitatem ad diem illum perseverasse, quod post Visigardæ mortem inventarium non fecerit juxta formulas consuetudine Parisiensi, cui voluntarie se submisit, præscriptas.

Id quidem probari potest famoso exemplo similis quæstionis, quæ olim in Senatu Parisiensi agitata est, in quo soluta est Arresto lato 19. Augusti anno 1655. quod in suo fori Diario refert D. du Frene, pro pupillis in D. Turgot, Dominum Sancti Clari, Regni Consiliarium, qui Parisiis Dominæ Annæ Favier anno 1619. nupserat, cujus bona in Normanna Provincia erant posita. Ex ipsorum nuptiali contractu scripta fuerat inter eos bonorum communitas, non obstante Normanniæ consuetudine, cui expresse derogabant, Parisiensem admittendo in iis omnibus, quæ e suo contractu matrimoniali procederent.

Post mortem illius Matronæ, D. Turgot quosdam scripsit indices omnino deficientes & invalidos ob defectum formalitatum, quas exigit consuetudo Parisiensis, quæ requirit, ut inventarium fiat & claudatur cum legitimo Contradictore, hoc est, Curatore, aut subrogato Tutore, qui pupillorum jura defendit. Ex quibus filii ejus, quorum unus erat Consiliarius in Parlamento Rothomagensi, concludebant, quod, cum Normanna consuetudo nihil constituisset de necessitate inventarii, quod sequitur ex bonorum communitate, quam non admittit, & cum aliunde Pater suus eam abjecisset, adoptata Parisiensi, qua statuitur, ut conjugum alter superstes inventarium conficere juxta omnes formas requisitas in hoc casu teneatur; necesse erat ut hanc ultimam sequeretur.

Sic reipsa dijudicavit Curia ex Arresto, quod tulit, etiam contra requisitiones D. Advocati Generalis Bignon. Idem jam prius judicatum fuerat 5. Martii an. 1574. quod Arrestum refert D. Troncon (c) & post ipsum D. Ferrerius (d), in articulum 241. consuetudinis Parisiensis.

(c) Troncon v. Communitas continuata.
(d) D. de Ferriere in a. 241. Gloss. 3. n. 1.

CASUS III.

LAMBERTO, Parisiensi Cive mortuo 1. Januarii an. 1650. Juliana vidua ejus elapsis octo diebus inventarium condere instituit; ut communitati finem imponeret cum duobus filiis suis pupillis, quos e suo procrearant matrimonio. At via alterum finierat justitium, cum pestilenti morbo, qui in dies augebatur, coacta est inceptum interrumpere indicem & apud Patrem in Provinciam quinquaginta & amplius distantem Leucas secedere, ubi per menses sexdecim, quibus grassabatur morbus, commorata est, quo tempore elapso Lutetiam rediens inventarium statim perfecit, quod in Castellana Parisiensi jurisdictione post duos menses ipsa requirente, clausum est. Cum multum ab obitu Lamberti adaucta esset communitas, filii contenderunt, eam pro se fuisse prorogatam, quoniam nec tempore nec forma ex consuetudine requisitis describi inventarium non curaverat Mater sua, nec quidquam se detrimenti pati debere ob fortuitum pestis supervenientis casum. Contra Mater contendebat, sibi non adscribendam esse moram inventarii; cum non in se culpa resideret, & in Provincia tantum esset profecta, ut tutam tectamque præstaret suam salutem. Cui jus?

RESPONS.

Affirmari posse videtur, pro Matre jus stare; Cum enim ex Ulpiano Legis Digestorum Auctore (e) Tutor excusetur, quod pupilli sui bona non recensuerit, quando legitima caussa prohibitus est, *Nisi aliqua necessaria & justissima caussa allegari posset*, Juliana pariter in casu proposito debet excusari, quandoquidem nihil magis necessarium est, & æquitati consonum, quam vitæ consulere in manifesto grassanti discrimine: atque adeo perperam Lamberti filii Matri suæ adscribere volunt temporis defectum, quod consuetudine præscriptum est, ut conficiatur simul & claudatur inventarium bonorum, quæ sibi viroque suo erant communia. Ita quidem sentit Molinæus in articulum 245. consuetudinis Borboniæ, qui refert Arrestum Senatus Parisiensis 3. Feb. an. 1597. latum in Codice caussarum Silvanectensium pro Patre in filiam suam. Est hæc etiam opinio aliorum plurium consuetudinis nostræ interpretum, ut observat D. Ferrerius (f).

(e) L. Tutor. 7. ff. de administrat. & periculo Tutorum h. 26. t. 2.

Attamen cum generalem & absolutam regulam nullaque modificatione vel exceptione, expressa vel tacita limitatum consuetudo includat, tutius videtur eam sequi, ut ait Auzanet in titulo; *Quod Communitatem dissolvere potest*. Quod spectat ad Legem Digestorum laudatam, ea ea illata *a pari* conclusio non videtur legitima: Nam Lege ista continetur exceptio legitimi impedimenti, *nisi aliqua necessaria & justissima caussa allegari possit*. Cum articulus consuetudinis Parisiensis sit generalis, nullam-

(f) D. de Ferriere in consuetud. Parif. a. 241.

jamque admittat exceptionem. Quare ad propositum casum ea applicari nequit.

Ratio, quæ pro Juliana affertur dicendo, eventum morbi pestilentis esse mere fortuitum, ex quo proinde damnum eam pati non æquum est, non ipsi magis favet, quam filiis ipsis, qui etiam affirmare possunt, non minus jus suum æquum esse, cum ille casus sit mere fortuitus: quoniam consuetudine, quæ Legis vim obtinet, non fuerit exceptus a regula generali, ut excipere potuissent consuetudinis Auctores, si opportunum duxissent, uti Ulpianus citatus.

Denique quod spectat ad Arrestum an. 1567. dici potest, Molinæum & Tournetum, a quibus profertur, ejus motivum non afferre, neque rationem exponere, vel causam, propter quam a Patre plus, quam annuo temporis spatio dilatum fuerat inventarium.

CASUS IV.

Joachim mortuo, Apollonia vidua ejus, quæ tres ex eo peperit filios, accuratum confici curavit inventarium omnium bonorum mobilium, obligationum, syngrapharum, titulorum, Instrumentorum boni conquisiti, immobilium, debitorum & creditorum, quæ inter se virumque suum erant communia: at ob quasdam rationes contractum 10000. librarum, etiam ante nuptias sibi proprium, cujus dissoluta non erant, reliqua, declarare noluit, & in judicio affirmavit, se quidquam fraudulenter occultasse. An male egit?

R e s p o n s.

Necesse non est, ut qui bonorum sibi cum præmortuo communium inventarium describit, propria sibi bona declaret, nisi quatenus defuncti hæredes jus habent ad fructus, reliquationes, aut usuras; quæ attulerunt bona hujusmodi usque ad obitum præmortui. Cum igitur contractus ille, cujus sors est 10000. lib. quique proprius est Apolloniæ, quolibet anno 500. lib. lucrum afferet, hunc ipsa in inventario declarare tenebatur, ut æstimarentur reliqua elapsa usque ad mortem Joachimi viri sui: quia usuræ illæ seu reliquationes attinebant ad communitatem inter se virumque suum initam, quæ ex obitu tantum defuncti, & post inventarii clausuram tantum desierat, & quia earum participes erant alii, uti Patris sui hæredes. Quo circa absque perjurii reatu affirmare non potuit, se quidquam fraudulenter occultasse (a).

(a) De Sainte Beuve tom. 3. c. 186.

Vide Testamentum.

INVIDIA.

INVIDIA est peccatum Charitati oppositum, quod his verbis definitur: *invidia est tristitia de proximi bono, tanquam malo proprio* (b); hoc est, tristitia concepta de bono proximi nostri, quia illud, tamquam malum nostrum spectamus quod putemus ex eo minui gloriam, meritum, aut excellentiam nostram; definitionem istam Polmanus ex istis Sancti Thomæ verbis depromsit (c); *alio modo bonum alterius æstimatur, ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ vel excellentiæ, & hoc modo de bono alterius tristatur invidia.* Atqui de bono alterius multimode quis potest contristari, ex eodem Doctore Angelico.

(b) Polman. brev. Theol. par. 2. n. 25.

(c) S. Th. 2. 2. q. 11. art. 2. in corp.

1. Metu, *cum aliquis de bono alicujus tristatur*, ut loquitur idem Sanctus Thomas, *in quantum ex eo timetur nocumentum, vel sibi ipsi, vel etiam aliis bonis: & talis tristitia*, inquit, *non est invidia.*

2. *Aliquis tristatur de bono alterius*, pergit idem, *in quantum ille, cui accidit bonum, est eo indignus*: quod non intelligit, nisi de bonis illis, *quæ possunt provenire dignis & indignis*, ut loquitur.

3. Quando quis contristatur, quod alter bonum possideat, eoque privetur: quod proprie dicitur *æmulatio.*

4. Cum quis de bono alterius contristatur, & econtra non nisi malum ei imprecatur: quod potius odium, quam invidia vocari debet.

5. Quando quis contristatur de prospera fortuna vel divitiis malorum, quod iis utantur ad offensam Dei, quæ tristitia, ne dum sit criminosa, ut potius est effectus charitatis.

Sed tristitia, quatenus est effectus invidiæ, est ea, qua quis afficitur ob alterius bonum, quatenus existimat illud esse diminutivum boni sui; species hæc tristitiæ, aut potius invidia, ex qua oritur, est peccatum, quod est mortale quando magna est ab imaginatione ad voluntatem transit, & pro objecto habet bonum aliquod excellens & magni momenti: hac invidiæ specie peccavit Diabolus, & impulsus est & ad tentandum protoparentem Adamum, cujus felicitatis invidus est factus: quod Sapiens hoc verbo exprimit (d) *Invidia ..... Diabolis mors intravit in orbem terrarum*: quo circa invidi Dæmonem imitantur; & graviter delinquunt in charitatem, quæ semper de alterius bono lætatur, uti de ipsius malo dolet; cum invidia de ipsius malo gaudeat & de bono contristetur.

(d) Sap. 2. 24.

CASUS PRIMUS.

Fastidius, pauper, sæpe contristatur, videndo divitiis affluere vicinum suum. Num ex eo fit conscius invidiæ?

R e s p o n s.

Id ipsum, proprie loquendo, vocatur peccatum invidiæ: quare criminosa est species hæc tristitiæ, neque unquam potest esse licita. *Quarto modo*, inquit Sanctus Thomas (e) *aliquis tristatur de bonis alicujus, in quantum alter excedit ipsum: & hoc proprie est invidia, & illud semper est pravum.* Cujus rei hanc affert rationem; *quia dolet de eo de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi*, scilicet, juxta regulas charitatis. Unde sequitur, quod, cum Fastidii tristitia sit invidiæ effectus, innoxia esse nequit.

(e) S. Th. 2. 2. q. 36. art. 2. in corp. item q. 10. de malo. art. 1.

Verum quidem est, quod, si homo iste non contristaretur præcise de eo, quod dives sit vicinus suus,

ſuus, ſed quod ipſe tot non poſſideat divitias, quibus ad familiæ ſuæ ſuſtentationem indigeret, ex eo non fieret invidiæ conſcius, cum ipſi licitum ſit neceſſaria ſibi peroptare, modo ea ambiens mente & animo ſit perfecte Deo ſubmiſſus, neque ambiat niſi ad libitum ejus.

Addere poſſumus 2. abſque peccato quempiam poſſe contriſtari de bono proximi, quando nota eſt omnino ipſius indignitas, v. g. poſſum mœrere, quod Petro collatum fuerit Beneficium curatum, quia certo ſcio, ipſum eſſe vitiis deditum & ignarum: vel etiam, quod Paulus Magiſtratum obtinuerit, quia incapacitati ſuæ injuſtitiam addit & avaritiam, qua apud ipſum venialis erit juſtitia; vel denique quod Jacobo pinguis obtigerit hæreditas, quia, cum libidinoſus ſit homo, ex hoc augmento libidini impenſius indulgebit, aut ſaltem in pravis moribus perſeverabit. Hujuſmodi triſtitiæ ſpecies inter invidiæ peccata cenſeri non debent, cum ex ſolo Dei aut proximi amore oriantur. Contriſtari etiam ſine peccato poſſumus, quod homo nobis aperte inimicus ad Magiſtratum evectus ſit, quo ſit litis noſtræ Judex, cum præter ejus in nos odium, novimus eum inſuper eſſe injuſtum, & talem, qui vel cum juſtitiæ detrimento ulciſcatur.

CASUS II.

Cæsar in Confeſſione ſe de peccato invidiæ quam ſæpiſſime accuſat; quas debet conſulere regulas ipſius Confeſſarius, ut mortale peccatum a veniali ſecernat?

Respons.

Mortale peccatum a veniali non tutius ſecernere poteſt Confeſſarius, quam rationes & exempla illa conſulens, quæ profert Doctor Angelicus, de peccato invidiæ diſſerens (a): *Poteſt contingere*, inquit, *quod aliquis motus invidiæ non eſt peccatum mortale, quamvis invidia ſecundum ſuum genus ſit peccatum mortale, propter imperfectionem ipſius motus, vel quia eſt ſubitus & non procedit ex ratione deliberata, vel quia homo triſtatur de aliquo bono alterius, quod eſt adeo parvum, quod non videtur eſſe aliquod bonum. Puta ſi quis invideat alieno ſimul ludenti, quod vincat in ludo; puta cum eo currendo, vel aliquod hujuſmodi ludicrum faciendo*. Si igitur quandam ex his circumſtantiis obſervet Confeſſarius Cæſaris in peccatis, de quibus ſe ipſum accuſat, ea non debet habere uti peccata mortalia, ſed tantum venialia.

(a) S. Th. q. 10. de malo. art. 2. in corp.

CASUS III.

Scipio, videns, multum auctam eſſe & rem & gratiam Proſperi, de eo contriſtatur, quia timet, ne hic homo, de quo olim male omnino meritus eſt, aſcenſu ſuo in propriam ruinam ſuam abutatur, ſeu lites injuſtas ſibi inferendo, ſeu aliter. Num ex eo ſit conſcius peccati invidiæ?

Respons.

Scipionis triſtitia, proprie loquendo non oritur ex peccato invidiæ. Ratio eſt, quia præcipuum ejus objectum eſt timor mali ſibi a Proſpero impendentis, non vero privatio divitiarum atque gratiæ, quæ poſſidet. Ita ſentit S. Thomas (b), qui aſſerit, ſpeciem hanc triſtitiæ non eſſe proprie invidiam, & eam poſſe eſſe ſine peccato; quod probat S. Doctor auctoritate S. Gregorii. En utriuſque verba. *Invidia eſt triſtitia quædam de alienis bonis: Sed hæc triſtitia poteſt contingere quatuor modis: Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicujus, in quantum ex eo timetur nocumentum, vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis, & talis triſtitia non eſt invidia ..... & poteſt eſſe ſine peccato. Unde Gregorius ait* (c): Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa conſtet, cum & ruente eo quoſdam bene erigi credimus; & proficiente illo pleroſque injuſte opprimi formidamus.

(b) S. Th 2. 2. q. 36 art. 2. in corp. & q. 10. de malo art. 2. in corp.

(c) S. Greg. l. 22. moral. c. 11. ſob initio.

At non idem foret dicendum, ſi Proſperi rem & favorem cuperet Scipio cum ejus detrimento: tunc enim Scipionis triſtitia eſſet effectus peccati invidiæ, & eſſet damnabilis; quia tunc contradiceret Ordinationi Divinæ Providentiæ, quæ ſemper juſta eſt & adoranda in diſtributione hujuſmodi bonorum. *Secundum Doctrinam fidei*, ait S. Thomas loco citato, *temporalia bona, quæ indignis proveniunt, ex juſta Dei ordinatione diſponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem ... & ideo hujuſmodi triſtitia prohibetur in Scriptura Sacra*.

JOCATIO.

Vide IRONIA.

IRA.

IRA *Paſſio eſt naturalis*, inquit Cajetanus (d), *qua appetimus vindictam*. Quæ definitio conformis eſt ſententiæ Sancti Thomæ (e). *Non enim*, inquit, *inſurgit motus iræ ... niſi adſit deſiderium & ſpes ulciſcendi*; & Sancti Bonaventuræ (f): *Ira eſt motus & fervor ſanguinis ex evaporatione fellis, propter appetitum vindictæ*. Hanc aliam Caſſiodori definitionem refert S. Bonaventura (g), *Ira eſt animi motus concitatus, ad pœnam provocans inferendam*; & alias multas quæ ad eumdem ſenſum redeunt, & quas e S. Auguſtino, Sancto Damaſceno aliiſque Auctoribus inclytis depromſit.

(d) Cajetan. in ſum. v. Ira n. 2.
(e) S. Th. 1. 2. qu. 46. in corp.
(f) S. Bonav. opuſc. declar. term. Theolog. t. 10. o. pag. 20.
(g) Id centiloq. 1. part. ſect. 20.

Quando paſſionem iſtam ratio moderatur, tum non eſt peccaminoſa; ſed alias ſit. *Si ratione reguletur*, ait Cajetanus, *non eſt peccatum; ſed ſi a recta ratione exorbitet, peccatum eſt*. Sic non peccat Pater, qui Filio inobſequenti, aut libidinoſo iraſcitur; aut qui eum pro merito caſtigat. At ſi pœnæ appetitus, aut pœna ipſa rationi atque charitati ſit contraria: certum eſt, eum peccare. Ira igitur, ut non ſit peccaminoſa, ratione dirigi debet: at ſi contraria ſit amori, qui Deo & proximo debetur, aut adeo immoderata, ut rationem perturbet, nunquam apud Deum excuſari poteſt. *Attenditur ordo rationis circa iram*, inquit Sanctus Thomas (h), *quantum ad modum iraſcendi; ut ſcilicet motus iræ non*

(h) S. Th. 2. 2. q. 158 art. 2. in corp.

non immoderate fervescat, nec interius nec exterius: quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato; etiamsi aliquis appetat justam vindictam.

Peccatum iræ juxta qualitatem suam, potest esse majus vel minus, pro variis, quæ ipsum comitantur, circumstantiis. *Potest esse motus iræ inordinatus*, subjungit Sanctus Doctor (*a*), *quantum ad modum irascendi: ut pote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestat signa iræ: & sic secundum se ira non habet de suo genere rationem peccati mortalis. Potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale, puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei & proximi.*

(*a*) S. Thom. ibid. art. 3. in corp.

Perturbatio illa facile agnoscitur ex effectibus, quos exterius producit illa cupiditas uti eos describit sanctus Gregorius (*b*) verbis istis: *Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat; corpus tremit; lingua se præpedit; facies ignescit, exasperantur oculi & nequaquam recognoscuntur noti: ore quidem clamorem format; sed sensus quid loquitur, ignorat;.....unde fit, ut plerumque usque ad manus ira prosiliat, & quo ratio longius recedit, audacior exurgat, seque ipsum animus retinere non valeat; quia factus est potestatis alienæ..... aliquando vero manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit..... atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur.*

(*b*) S. Greg. l. 5. Moral c. 30.

Ira, generatim loquendo, duplici modo rationi potest esse contraria 1. relate ad excessum vindictæ, quæ appetitur. *Puta, si appetat punire eum, qui non meruit vel ultra quam meruit*, inquit sanctus Thomas (*c*): v. g. si mors ei peroptetur, cui quis est iratus; etiamsi eam non mereatur: aut, cum est eam meritus, ipsi peroptatur contra ordinem formamque justitiæ; *vel etiam non secundum ordinem*, addit sanctus Doctor; vel denique cum ei peroptatur, non ut justa, verum ut expleatur vindictæ desiderium & propria cupiditas; *vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ* (*d*). 2. Relate ad immoderatum iræ interioris excessum, aut externos motus, quos producit, quosque tam graphice depingit sanctus Gregorius, ut constat ex ejus terminis modo allatis.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 158. art. 3. in corp.

(*d*) Id. ibid.

CASUS PRIMUS.

LUcius in confessione de multis iræ peccatis se accusat; at Confessarius ejus, qui eo non pollet judicio, ut venialia a mortalibus distinguat, quærit, utrùm sint quædam certæ regulæ, quibus dignosci queat, quale sit peccatum illius, qui ira commotus est?

RESPONSIO.

Ut difficultati huic fiat satis, supponendum est, iram quandoque posse esse laude dignam ac sine peccato, cum eam moderantur justitia ac ratio. *Ira,.... propriè nominat quandam passionem*, inquit sanctus Thomas (*e*): *Passio autem appetitus sensitivi in tantum est bona, in quantum ratione regulatur: si autem ordinem rationis excludat, est mala.* Hoc est, absque illa regula est peccatum mortale vel veniale. Ut autem de qualitate peccati fiat judicium; ira consideranda est non solum in ordine ad appetitum, quem excitat, finemque, quem sibi proposuit homo iratus; sed etiam in ordine ad personam, quæ agit irata.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 158. art. 2. in corp.

Si primo modo ira consideretur, ut cum is, qui ira commotus est, injustæ in proximum suum vindictæ desiderio æstuat, volendo v. g. punire per se ipsum, aut per alium, eum qui non meritus est, vel ultra quam meritus est; aut volendo, hanc pœnam, quamvis in se justam, ab eo exigi, qui authoritatem non habet; aut denique eam non appetendo ob bonum finem, qualis est intentio boni publici, aut privatæ emendationis rei, sed odio & animositate in ipsum solum commotus; tunc judicandum est, vitium illud natura sua esse mortale; quia contrarium est caritati & justitiæ. *Motus iræ potest esse inordinatus & peccatum dupliciter*, inquit S. Thomas (*f*), *uno modo ex parte appetibilis; ut pote cum aliquis appetit injustam vindictam: & sic ex genere suo ira est peccatum mortale; quia contrariatur caritati & justitiæ.* Fieri tamen potest aliquando, ut sit tantum veniale, ut cum sufficiens non est deliberatio: aut iræ impetu abripitur ratio; aut de re modica appetitur vindicta. *Potest tamen contingere*, addit idem Sanctus, *quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prævenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale: puta, si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi.*

(*f*) Idem ib. a. 3. in corp.

Si ira consideretur in ordine ad eum, qui irascitur, ut cum motus internus hujusce affectus immoderate est vehemens, aut majora hujus præ se fert signa; quamvis ex eo non sit semper peccatum mortale, fieri tamen potest, si tanta sit ejus vehementia, ut dilectio Dei vel proximi amittatur, licet ira in se sit justa. *Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi*, ita pergit idem sanctus, *ut pote si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ: & sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis. Potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale: puta, si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei & proximi.* Hæ sunt potissimum regulæ, quas consulere debet Confessarius, ad ferendum judicium de peccato iræ, & ex quibus mortale a veniali tantum potest secernere.

Eandem rem post sanctum Thomam, quem in omnibus suum profitetur Magistrum, docet Sylvius his verbis (*g*): *Ira, quæ solum ex modo irascendi vitiosa est, non est ex suo genere peccatum mortale. Potest tamen esse mortale, si vehementia sit tanta, ut vel scandalum magnum infirmis præbeat, vel irascentis valetudini multum noceat, vel alioquin destruat caritatem sive in opere externo, sive tantum in animo.* Atque hæc est iræ species, de qua ait S. Gregorius Magnus (*h*), *rixa, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio & blasphemiæ proferuntur*, & quæ ex Apostolo (*i*) tali modo irascentibus Regnum cœlorum occludit. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt.... ira, rixæ, dissensiones.... quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

(*g*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 158. art. 3. concl. 3.

(*h*) Greg. Pap. l. 31. Moralium in Job. c. 37. v. 19. & seqq.

(*i*) Galat. 5.

CASUS II.

Paulus, dissolutis moribus filium habens, quem nec lenitate sua, nec charitate plenis monitis emendare potuit, eo adactus est, ut eum castigare teneretur, ut ipsum ad officium suum motu verberum adduceret. At ferme semper irascitur ipsum castigando. An dici potest, talem iram esse peccatum, saltem veniale?

Respons.

Cum ira Pauli ea sit, quæ a S. Thoma *ira per zelum* dicitur, de peccato damnari non potest, modo absit omnis excessus, eamque dirigant justitia & charitas. Certum est enim, quod cum ira sit animi passio, indifferenter boni malive potest esse instrumentum, & esse innoxia, vel criminosa, ut patet ex primo S. Thomæ testimonio, quod in responsione ad superiorem difficultatem attulimus, in quo S. Doctor, postquam præmisit, passionem quæ ratione regulatur non esse damnabilem, ostendit postea, quo pacto intelligi debeat hæc regula in ordine ad iram. *Ordo autem rationis in ira potest attendi ad duo*, inquit, (*a*) 1. *quidem quantum ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta: unde si aliquis appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis; puta si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ & correctio culpæ; erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram; quantum ad modum irascendi; ut scilicet modus iræ non immoderate fervescat, nec interius, nec exterius: quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam.*

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 158. ar. 2. in corp.

Ulterius etiam progreditur idem S. Doctor (*b*), & ex S. Chrysostomo (*c*) probat, iram quandoque esse necessariam. En ipsius verba: *Chrysostomus dicit super Matthæum*: Qui sine causa irascitur, reus: qui vero cum causa, non erit reus; nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur.

(*b*) Idem ib. a. 3. in arg. sed contra.
(*c*) S. Chrys. Hom. 11. in Matth.

Ex dictis hactenus videre est, duplicem esse iræ motum; nam ut docet S. Greg. Papa (*d*): quidam sunt iræ motus, quos in nobis excitat impatientia; & sunt etiam qui ex solo justitiæ amore oriuntur. *Alia est ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.* Probatque Sanctus hic Papa iram esse quandam, quam parit amor justitiæ; 1. exemplo iræ Phinees, qui gladio suo usus est, ut divinam compesceret vindictam. 2. Verbis istis Prophetæ (*e*), *Irascimini & nolite peccare*. Unde colligendum est, hanc iræ speciem non esse damnandam; cum & suos zeli motus habeat charitas, uti lenitatis atque benignitatis sensus; sed eam tantum, quæ ex impatientia oritur, quæ in nobis charitatem destruit, qua Christo similes esse debemus, & quæ animam perturbans hominem reddit incapacem justitiæ leges amplectendi; quia judicium & rationem confundit. Quare eam Christus severe damnat in Evangelio (*f*). *Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus*, infert S. Gregorius (*g*), *per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur; ut quia quodve ordine agendum omnino nesciatur.... quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem commovendo confundit* (*h*).

(*d*) S. Greg. l. 5. Mor. c. 30.
(*e*) Psal. 4. 5.
(*f*) Matth. 5. 22. & seqq.
(*g*) S. Greg. ibid.
(*h*) Colloq. Petrocoric. tom. 3. Colloq. 4. q. 2.

CASUS III.

Servianus, ira commotus, in ea perseveravit per diuturnum tempus; insuper eo vitio laborat, ut ira frequenter fervescat; & aliquando scandalose. An ex his circumstantiis judicandum, ipsum lethaliter peccasse?

Respons.

Quamvis ira diuturno tempore perseverat, ac frequens sit, hujus tamen passionis natura ex eo non immutatur, nisi aliqua alia circumstantia, ut inobedientiæ aut contemptus speciem ejus immutet: Tale est Sancti Thomæ principium (*i*): *Diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem*, inquit hic Sanctus; similiter *nec frequentia, vel assiduitas: nisi forte per accidens ex aliquo supervenienti. Non enim aliquod acquirit novam speciem ex hoc quod multiplicatur, vel protelatur; nisi forte in actu protelato, vel multiplicato superveniat aliquid, quod variet speciem; puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi.* Judicium ergo ferri debet de qualitate peccati iræ, præsertim ex fine hujusce passionis; v. g. si eam comitetur appetitus proximo nocendi. Quocirca si homo, qui ira commovetur, non grave ei damnum cupiat, cui irascitur; at in re tantum levi ipsi nocere desideret, & quæ de seipsa non est peccatum mortale, judicandum est, ipsius peccatum esse tantum veniale, nisi forte ex aliquo gravi scandalo, aut ex aliqua alia circumstantia mortale fieret. Ita concludit idem Sanctus ex principio supra posito: *Dicendum ergo*, inquit, *quod cum ira sit motus animæ ad nocendum proximo; si sit tale nocumentum, in quod tendit motus iræ, quod ex genere suo sit peccatum mortale, sicut homicidium, vel furtum, talis ira ex genere suo est peccatum mortale. Sed quod sit peccatum veniale habet ex imperfectione actus, in quantum est motus subitus sensualitatis: Si vero sit diuturna, redit ad naturam sui generis per consensum rationis. Si vero nocumentum, in quod tendit motus iræ, esset veniale ex genere suo, ... non erit ira peccatum mortale, quantumcumque sit diuturna, nisi forte per accidens, si ex hoc grave scandalum oriatur, vel propter aliquid hujusmodi.*

(*i*) S. Tho. 1. 2. q. 88. a. 5. ad 1.

Ex hoc S. Thomæ ratiocinio manifeste sequitur, non judicandum esse Servianum peccati mortalis fieri conscium, ex hoc præcise quod in ira sua diu quandoque perseveret; aut quod facile ac frequenter iræ indulgeat. At si ira ejus esset conjuncta cum appetitu notabiliter nocendi ei, cui irascitur, tunc a peccato mortali non posset excusari: hæc sunt potissimum, quæ generatim de proposita quæstione dici possunt, quæque obviis passim casibus applicare facile est.

I R O N I A.

IRONIA juxta proprium sensum, est urbana quædam cavillatio, qua quis quempiam ingeniose irridet, eique illudit.

Quamvis Ironia, sit modus quidam loquendi ingeniosus & lepidus quo subtiliter manifestantur defectus illius, cui, aut de quo fit sermo: Perraro tamen ac difficile omnino adhiberi potest absque peccato, seu ex imprudentia, aut ex defectu charitatis, vel quia verba, quæ usurpantur, sunt verba otiosa, quæ Christus in Evangelio damnat; vel quia denique cum aliis quibusdam, ex quibus fit vitiosa, circumstantiis conjuncta est.

Est & alia Ironiæ species, de qua in hoc titulo non fit sermo, quæ semper est peccatum; quia ea mendacium continetur; quando nimirum aliquis eos sibi adscribit defectus, quos in se non agnoscit, aut aliquam negat de se virtutem, aut præclaram animi dotem contra propriæ conscientiæ dictamen; atque hæc est Ironiæ species, quam peccaminosam esse asserit Angelicus Doctor, ut postea dicetur.

CASUS PRIMUS.

Claudius, qui ingenio est faceto ac lepido, sæpe Ironia utitur in familiaribus amicorum aliorumque colloquiis. Ipsi inculcatum est, id non esse sine peccato: at existimat ipse, se in hoc non peccare! Nunquid pro eo stat ratio!

R e s p o n s.

Affirmari nequit, Ironiam ex genere suo esse peccatum; cum usum ejus ipsa confirmet Scriptura. Sacra Primum omnium & certissimum rei hujusce testimonium in Genesi reperitur (*a*), in qua Deus his dæmonis tentatoris verbis alludens (*b*) Evam alloquendo: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, Adamum sic affatus est, ipsi inobedientiam exprobrans: *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum &c.*

(*a*) Genes. 3. 22.
(*b*) Ibid. v. 5.

Aliud quoque Ironiæ exemplum suppeditat tertius Regum liber (*c*), in quo Elias Propheta quadringentos falsos Baal Prophetas irridens, qui a primo mane ad meridiem idolum hoc frustra invocaverant ad obtinendum ignem miraculosum, quem postulabant ad consumptionem Sacrificii sui, eos hortatur, ut clamores suos ingeminent, ut a falsis diis suis promptius audiantur. *Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: clamate voce majore: Deus enim est: & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Unde Ironiam adhibere in quibusdam casibus vel ipsi Sancti non timuerunt, teste Basilio, qui officiario juridico sibi ministranti jecur avellere, nisi a defensione viduæ abstineret, quæ huic nubere homini nolebat: & quæ, ut ejus vim evitaret, in Ecclesiam secesserat, respondit: *Gratias tibi habeo; etenim haud mediocriter mihi jecur molestum est* (*d*).

(*c*) 3. Reg. 18. 27.
(*d*) Brev. Paris. in Festo S. Basil. 14. Junii in 2. lect. 2. Noct.

Manifestum est igitur Ironiam non esse ex se peccatum, & eam quandoque adhiberi posse, seu cum utilis reputatur vel ad tuendam veritatem, vel ut merentes pudore suffundantur: nam ut ait Tertullianus (*e*) *Congruit veritati ridere, quia lætans; de æmulis suis ludere, quia secura est .... cæterum ubicumque dignus risus, officium est.* At illæsa charitate, adhiberi nequit Ironia, cum illud fit ex contemptu, superbia, aut prava aliqua intentione. *Curandum plane, ne risus ejus videatur, si fuerit indignus*, inquit idem Auctor.

(*e*) Tertull. l. cont. Valentin. c. 6.

Perpendat igitur Claudius, qua mente ironice loquatur; nam si honesti causa oblectamenti Ironiam adhibeat, proximum contemnere vel offendere non intendens, aut finem quemdam legitimum ac justum sibi proponens, in hoc nullum admittit peccatum. At si criminosa sit ejus intentio, absque peccato non potest.

Ceterum observare est, hic vocem, *Ironia*, a nobis eodem sensu non usurpari, atque a S. Thoma (*f*), qui hoc termino solum intelligit mendacium, quod committitur, res haud veras de se enuntiando, ut quis se deprimat. Certum est enim, quod Ironia hoc sensu sumpta nunquam excusari potest de peccato; cum pariter certum sit, mendacium quodlibet, quantumvis leve sit & ad quemcumque finem referatur semper esse peccatum, ut alibi ostendemus. Hic autem Ironiæ nomine intelligi tantum debet species quædam jocationis, atque facetiæ, qua proximo, non intenta tamen ejus offensione, ingeniosa quadam ac lepida ratione ipsius defectus manifestantur.

(*f*) S. Thom. 2. 2. q. 113.

C A S U S II.

Lucius, quandoque ludo Natalis pietatem vertit, quod sæpe ad confessionem sacramque Synaxim accedat, & scrupulosius mundanorum cœtus devitet. Ironia, quam in hac occasione adhibet Lucius, est-ne semper peccatum, & quale peccatum?

R e s p o n s.

A peccato eximi nequis hujusmodi Ironia? quia tacitum saltem bonorum proximi morum contemptum continet, quia interius ipsum pudore atque perturbatione suffundit, & ex se tendit ad avocandum a pietate, non eum solum, cujus actiones pietatis vel sanctissimæ, ac laudibus dignissimæ ludo vertuntur! sed etiam testes hujusmodi cavillationum. Unde ait Auctor modernus (*g*) rerum Moralium peritissimus: *Lethale peccatum est irridere justos. Per hujusmodi enim irrisionem multi revocantur ab colenda virtute, quam alioqui strenue capesserent.* Et inferius: *ipsa virtutis derisio pestilentissimum est vitium, & ut plurimum peccatum lethale, etiamsi fiat, nullo proximi pudore suffundendi consilio.* Quare de illis irrisoribus apte satis dici potest, verendum sibi esse imprimis, ne in die Judicii in eorum numero reprobatorum censeantur, de quibus loquitur Sapiens, quique tum de justis dicent (*h*): *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem eorum sine honore*: Terribilem hanc confessionem facere tenebuntur coram supremo Judice homines hujusmodi, qui Christianæ simplicitatis contemptores jocis suis ea aspernantur, quæ ad religionem pertinent, quod iis non sapiant cœlestia, sed tantum terrena.

(*g*) Merbesius in sum. Chr. part. 1. q. 126. t. 2. fol. 748.
(*h*) Sap. 5.

Colligimus ergo, a peccato eximi non posse Lucii cavillationes de Natalis pietate. Certum quidem est, hanc joci speciem, quandoque non esse lethalem, ac constat, saltem eam esse non posse absque veniali, eoque gravissimo, ac proinde omni prorsus cura esse vitandam.

C A S U S III.

Samuel ironice Gilbertum solet alloqui in frequenti cœtu. Hoc unum vero intendit Samuel, ut vanam Gilberti ostentationem deprimat & ejus audaciam retundat, qua loqui consuevit. At cum sæpe expertus sit, Gilbertum, ne dum emendetur, ea de re offendi, & audaciorem fieri, timet ne in ea peccet. Quid videtur?

R e s p o n s.

Existimamus Samuelem in casu proposito absque peccato Ironiam eo fine adhibere non posse, ut Gilberti ostentationem reprimat. Ratio est, quia correctio quælibet fraterna e Christiana manare debet charitate, nec adhiberi debet, nisi juxta regulas a Christo & Ecclesia præscriptas. Atqui Samuel non modo Charitatis regulas non sequitur, sed eam aperte offendit: cum Gilberto, ut supponitur, scandalum præbeat, ipsi peccati occasionem præbendo ex Ironia, qua in eum frustra utitur, & qua superbior fit, quam antea. Igitur male agit; cumque illud sit Apostoli mandatum, *ut non faciamus mala, ut veniant bona* (*i*), a peccato immunis esse nequit ipsius Ironia.

(*i*) Rom. 3. 8.

Equidem Christianus quilibet proximum suum, ut seipsum diligere debet, ut præcipit Christus (*K*), *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Atqui is, qui proximo occasionem peccandi suppeditat, non vere eum diligit, uti seipsum diligere debet: enim vero

(*k*) Matth. 22. 29.

vero cum nollet ipse, ut sibi alter peccandi ansam præberet, seipsum ad iram aut superbiam sponte impellendo, illi quoque peccati occasionem suppeditare non debet. Sed longius progrediamur, quamvis ironia res esset ex se bona & laude digna, eam tamen in proposito casu adhibere non liceret, cum vel bonum opus facere non liceat ad quod proprio quis officio non tenetur, eo quod natura sua bonum sit, quando aliunde experientia compertum est, ex eo oriri scandalum, & proximo illud esse occasionem pertinacius in peccato remanendi.

IRREGULARITAS.

IRREGULARITAS non est censura, quia non est pœna medicinalis ad emendationem peccatoris constituta; sed Irregularitas est tantum, inquit Theologi & Canonistæ, *Impedimentum Canonicum, quo quis prohibetur ad Tonsuram, Ordinesque promoveri, & ministrare in iisdem* (a).

Ex hac definitione liquet, duplicem esse irregularitatis speciem: alia est enim irregularitas Juris divini; qualis est personæ non baptizatæ, aut sexus muliebris: alia est juris Ecclesiastici, qualis est Natalium defectus, mutilatio, & alia hujusmodi.

Irregularitas juris divini definitur: *Inhabilitas ordinatione divina reddens personam incapacem ordinis Ecclesiastici* (b).

Irregularitas vero juris Ecclesiastici est *inhabilitas ordinatione Ecclesiæ impediens directe susceptionem Tonsuræ & Ordinum, indirecte usum susceptorum.*

Dividi potest etiam irregularitas in totalem & partialem. Ex priore homo fit irregularis in perpetuum, qualis v. g. muti aut cæci irregularitas.

Altera est, quæ ad quoddam tempus subsistit; qualis est irregularitas pueruli nondum loquentis; aut qualis est inhabilitas illius, qui ad quasdam tantum functiones est ineptus, qualis esset Sacerdotis, cui pollex fuisset abscissus; qui, quamvis ad celebrandum inhabilis, confessiones tamen audire, aut alias exercere posset functiones sacerdotales.

Denique alia duplex distinguitur irregularitas: una quæ dicitur *ex delicto*, hoc est, quæ ex aliquo crimine contrahitur, ut ex homicidio, aut censuræ violatione, aut ex procurato abortu fœtus animati, aut mutilatione; altera, quæ *ex defectu* dicitur, incurritur ex aliquo facto, quod omnis est expers peccati; qualis est irregularitas bigami, Judicis, qui capitis aut mutilationis sententiam in reum protulit, cum sententia fuit peracta.

De Irregularitate, cum non sit peccatum, neque absolvere, neque dispensare potest Confessarius, nisi potestatem ad hoc habeat sibi concessam a superiore, qui vulgo est Papa, aut, in multis casibus, Episcopus: quod verum est, etiam tempore Jubilæi, nisi ex Bulla hæc formaliter & expresse Confessariis fiat potestas.

Potest etiam quandoque contrahi absque ullo peccato a Laicis, uti a Clericis; at nunquam incurritur, nisi in casibus jure expressis, ut declarat Bonifacius VIII. (c).

Irregularitatis effectus isti sunt. I. Mortaliter peccatur ordines suscipiendo, aut susceptos exercendo; nisi ab eo excusent, vel urgens necessitas, vel inculpabilis ignorantia. 2. Beneficii collationem irritam efficit, licet *ipso facto* non privet de Beneficiis antea collatis (d).

Irregularitas nunquam per se irregularitatem parit.

Multæ sunt irregularitatum species, quæ sola Baptismi susceptione, aut solemni Religionis professione desinunt. At in centum triginta quatuor sequentibus decisionibus reperiuntur istæ regulæ passim expositæ.

(a) Polman. brev. theol. par. 3. n. 241.

(b) Idem ibid. n. 243.

(c) Bonifac. VIII. in cap. Is qui, 18. de sent. excom. in 6. l. 3. t. 12.

(d) Navarr. Manu. c. 27. 231.

CASUS PRIMUS.

MARINUS, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Volaterranæ irregularitate ligatus, quod homicidium suasisset & etiam procurasset, post acceptam absolutionem de peccato suo, simulque huic annexa excommunicatione, choro adesse, ibique cum aliis confratribus suis psallere, nec non etiam vice sua canonicam celebrare Missam non intromisit. An idipsum potuit absque reatu novi peccati?

RESPONS.

Extat in corpore Juris Decretalis Alex. III. ad Episcopum Exoniensem, ad homicidium S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis emissa (e), in qua sum. hic Pont. loquens de Clericis, qui consilio suo ad mortem S. hujusce Martyris contulerunt, puniendis, ista statuit: *Perpetuo non solum ab Altaris ministerio deponendos esse censemus, sed etiam quod in Ecclesiis nullo unquam tempore lectiones legant, vel Responsoria in choro separatim cantent.* Unde concludunt quidam Canonistæ, uti Tancr. Abbas (antiquus) (f) & Cardinalis Florent. (g), quos sequitur Fagn. (h), eos igitur cum aliis Canonicis posse psallere, cum eis tantum sit vetitum ne Responsoria *separatim* cantent; cum non censeatur hic Papa hanc inutiliter vocem, *separatim*, apposuisse; nec intendisse hoc eis permittere, ut eam officii partem cantarent, quæ conjunctim cum aliis omnibus Canonicis decantatur.

Hæc autem opinio mitior nobis videtur erga hominem, qui uti Marinus, tantum admisit flagitium, quale est homicidium, quod tam nefario consilio suasit: hinc addit hic Papa, Clericos hujusce criminis participes in Religiosorum, si fieri potest, Monasterium esse detrudendos ad pœnitentiam, eosque ab ingressu Ecclesiæ per septem, aut saltem quinque annos esse arcendos. *Ita quod usque ad septennium, vel quinquennium, debeant ab Ec-*

(e) Alex. III. in c. 5 cap. di gnum. de homicidio 6. par. Clericos.

(f) Tancredus & Abbas antiquus in dict. cap. v. Separatim.

(g) Cardinalis ibid. n. 4.

(h) Fagn. in d. a. n. 2. & seq.

Ecclesiarum introitu coerceri. Quod manifeste ostendit, Alexandrum III., nedum approbet, eos choro adesse & una cum aliis psallere, judicare potius eos indignos ingressu Ecclesiæ tam diuturno tempore; ut melius nota fieret omnium in eos indignatio. Hanc eandem nobiscum sententiam tuentur Hostiensis (*a*), Joannes Andreas (*b*) Antonius de Butrio (*c*) Joannes de Anania (*d*), & Petrus Ancharanus (*e*).

(*a*) Hostiens. in d. c. Sicut dignum v. separatim n. 10.
(*b*) Andr. ib. n. 10
(*c*) Anton. de Butrio. 17. n. 24. 2. Cleric.
(*d*) J. de Anan. §. Cleric.
(*e*) Petr. de Anchar. n. 6. notabili 11.
(*f*) Bon. VIII. in c. Si Papa. 10. de privil. l. 5. tit. 7.

Frustra igitur mysticam quandam vocis hujus, *separatim*, expositionem quærit Fagnanus; quasi talem Canonicum, jure cum aliis psallendi privare non intendisset Pontifex. Atque id etiam frustra probare nititur ex his verbis, quæ leguntur in Constitutione Bonifacii VIII. (*f*), *cum verba aliquid operari debeant*. Quia hic Papa loquitur tantum de privilegiis quibusdam, quæ nullam cum repræsenti habent affinitatem, & aliunde Glossa aperte ostendit, rerum potius, quam solorum verborum habendam esse rationem: *Lex tamen non debet imponi verbis, sed rebus*. Quam regulam deprompsit e constitutione Bonifacii VIII. quam laudat, & in qua eodem sensu iisdemque ferme verbis loquitur hic summus Pontifex: denique addit Fagnanus, talem Canonicum sibimet ipsi fore scandalo, si aliis psallentibus ipse sileret. Nam 1. si id fieret, scandalum sibimet deberet adscribere. 2. Quia Canonicus iste a choro potest abesse certo quodam dierum anni numero, ex decreto Concilii Tridentini, & tum, si velit abesse potest, simulque absentiæ suæ tempus occupare ad peragendam pœnitentiam, & clam obtinendam a superiore legitimo dispensationem suam, ut deinde ad chorum redeat, atque ita scandalum quodlibet seu activum seu passivum evitabit.

Ceterum multo minus celebrare, aut aliquam ordinum suorum functionem exercere potest Marinus priusquam fuerit rehabilitatus, ut consentit idem Fagnanus (*g*) post Marianum Socinum (*h*), Innocent. IV. & Abbatem (*i*). Ita quoque sentit Navarrus (*K*).

(*g*) Fag. in d. c. Sicut. n. 4.
(*h*) Marian. Socin. in c. Ad audientiam. de homicid. 105.
(*i*) Inn. IV. & Abbas in c. 1. de Cler. pug. in duello de irreg. n. 191
(*k*) Nav. c. 27.

CASUS II.

CALLIGONUS, Sacerdos Missionarius in regione peregrina, in qua capite damnantur ii, qui se Catholicos profitentur, Henricum superiorem suum consuluit, num sibi licitum esset Religionem suam dissimulare, si forte juridice de hoc articulo interrogaretur: licet id ipsum facere non posset absque gravi multorum scandalo, qui clam erant Catholici; respondit, illud ab eo non posse absque reatu gravis peccati. Triduo post Calligonus in vincula, uti Catholicus conjectus est, & fidem confessus, morte damnatus fuit. Nunquid Henricus in irregularitatem incurrit ob consilium a se datum, quod vera fuit causa mortis hujusce Sacerdotis?

RESPONS.

Tanquam principium certum supponendum est, Christianum in quolibet casu teneri, ad confitendam, ut corde, sic ore, veram Religionem. *Corde enim creditur ad justitiam: ore autem Confessio fit ad salutem* inquit Apostolus (*l*). *Qui autem me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, inquit Christus Dominus (*m*). Hinc Augustinus (*n*), *non solum abnegat Christum*, ait, *qui dicit eum non esse Christum, sed ille etiam, qui cum sit negat se esse Christianum .... negavit ergo ipsum* (Petrus) *eum se negavit esse ejus discipulum*. Unde etiam ex eodem sancto Patre, *Primum est capitale mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina Religionis* (*o*); cum eam nimirum profiteri quis tenetur. Ob eam quoque causam Auctor homeliæ 25. operis imperfecti in S. Matthæum, qui inter opera S. Chrysostomi (*p*) recensetur, exponens hæc Christi verba: *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*q*). Asserit, tunc prodit veritatem, quando non manifestatur, si urgeat necessitas: *Sic ergo*, inquit, *in his verbis ostenditur, quod non solum ille proditor & veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium loquitur; sed etiam ille qui non libere veritatem pronunciat, quam libere pronuntiare oportet ..... proditor est veritatis*.

(*l*) Roman. 10. 10.
(*m*) Matth. 11. 33.
(*n*) S. Aug. in Can. Non solum 55 12. q. 3.
(*o*) S. Aug in Can. primum est 8. 22. q. 2.
(*p*) Apud S. Chrysost. in can. Nolite. 56. 11. q. 3.
(*q*) Matth. 10. 32.

Quod cum ita sit, Henricus igitur non censeri debet irregularis, quod Calligono consilium dederit, quod ad ipsius salutem absolute pertineret: Henricus quippe contrarium dare non poterat, quin particeps fieret sceleris atrocis, quod admisisset hic Missionarius Religionis suæ veritatem prodens in articulo adeo gravi, ut est articulus Catholicæ Religionis.

Hinc sequitur, cum asserit Alexander (*r*) incurri irregularitatem, quando dato consilio vel aliter cujuspiam mors procuratur, ab hac generali regula excipiendum esse casum, de quo loquimur, ut observat Innocentius IV. (*s*) his verbis: *Sed si ei consulat, quod se exponat indubitatæ morti pro honore Christi vel pro fide, vel pro statu Ecclesiæ, non fit irregularis, etiamsi sequitur mors; cum Christus mortem subierit pro nobis, & SS Martyres pro Ecclesia sanguinem suum fuderint*, Ita quoque sentit Archidiaconus (*t*).

(*r*) Alex. III. in c. 1. Ocre. tero 11. de homicidio.
(*s*) Inn. IV. in c. Ad audientiam n. 5. vers. Sed & si consul. de homicid.

Ob eam rationem dicit Fagnanus (*u*), judices inquisitores fidei, in regione, ubi admittitur fidei inquisitio, non incurrere irregularitatem judicando reum esse hæreticum; licet pro comperto habeant, ipsum capite a Laico Judice esse minuendum, uti Officiorum suorum præscripto tenetur juxta præclarum dictum S. Hieronymi (*x*), qui probat non modo ex antiqua Lege (*y*), sed etiam exemplis Phinees, Heliæ (*z*), Ss. Apostolorum Petri (*aa*) & Pauli (*bb*), eos piam & religiosum opus facere. *Non est crudelitas pro Deo punire, sed pietas*, quod etiam probat S. Cyprianus (*cc*) exemplo Mathatiæ (*dd*).

(*t*) Archid. in sum 23. q. 8 n. 4 vers. Sed & si consulet.
(*u*) Fagn in d. c. De cetero. n. 30.
(*x*) S. Hier. in can. Legi. 15. 24. q. 5.
(*y*) Deut. 13.
(*z*) 4. Reg. 1.
(*aa*) Act. 5.
(*bb*) Act. 13.
(*cc*) S. Cypr. l. de exhort. ad martyr. c. 5. in can. Si audieris 32. 23. q. 5.
(*dd*) 1. Machab. 2.

CASUS III.

LATRO Aqualem argenteum Parocho suo Julio subreptum, dum in furto deprehensus est, Aqualem fugiens in puteum Presbyterii projecit, in quo modica tantum erat aqua, ut si in fuga detineretur, cum eo non detineretur. In puteum Julius Paulum demittit, nepotem suum, adolescentem Clericum, prius novo ligatum fune, qui sat validus esse videbatur, ut Aqualem e puteo educeret, quo facto ipsum hinc extrahere tentavit: At funis in lapidem putei attritus, & aliunde in medio deficiens ruptus est, atque Paulus in eum decidit & aqua fuit suffocatus. An irregularis est factus Julius ob casualem nepotis sui mortem?

RESPONS.

In hoc tota vertitur quæstio ad dignoscendum videlicet, an Julius in proposito casu rem licitam fecerit eamque faciens nullius sit culpæ conscius. Nam si hoc sit, dicendum est, ipsum in irregularitatem non incidisse: Duplex est autem ea de re opinio.

Prior opinio est eorum, qui putant, non illicitum quid ab eo Parocho fuisse admissum, neque ullam proinde culpam; cum omnes, quantum in simili casu fieri poterat, cautiones adhibuerit. Nihil quippe, inquiunt, magis rationi est consonum, quam eniti, ut res amissa recuperetur, cum id fit prudenter, ut ab illo Parocho factum est. Igitur innocens est de morte Pauli, neque ullam adeo irregularitatem incurrit, ut ajunt. Opinionem suam confirmant auctoritate Gregorii IX. (*ee*) occasione cujusdam hominis, quem vocarat Sacerdos, ut ad movendam trabem opem sibi præstaret, quique se ipsum interemerat, cum trabe cadendo; eo quod declaret hic Papa, quod cum in ea re conscius non sit hic Sacerdos, irregularitatem quoque non incurrit. Ejusque rei hanc profert rationem, *quod Sacerdos ipse dabat operam licitæ rei: studuit etiam quam debuit diligentiam adhibere...... ob hanc causam, vel quia omnes casus fortuitos qui prævideri non possunt, forsitan non prævidit*. Quod etiam asserit Honorius III. (*ff*), loquendo de Sacerdote, qui campanam pulsabat, ut populum convocaret, & cujus lapsa clava proximum sibi puerum occiderat: *Dicto Sacerdoti qui dabat operam rei licitæ nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prævidit*.

(*ee*) Greg IX. in c. Quidam. 25. de homicidio.
(*ff*) Honor. III. in c. Joannes. 23. ib.

vidit. Arque hæc funt potiora argumenta, quibus innituntur prioris hujufce opinionis affertores, qui funis ruptionem non confiderant, nifi ut cafum mere fortuitum, quem prævidere non potuit hic Sacerdos.

Altera opinio eft eorum, qui volunt, in cafu propofito irregularitatem inveniri: quia Julius in hoc rei de fe illicitæ dedit operam, nec culpa vacat: Cum nepotem fuum in puteum demittere non potuerit, licet fune ligatum, abfque aliquo mortis periculo, non folum ob funis ruptionem, fed etiam ob aliquam vertiginem aut pavorem, quæ adolefcenti illi Clerico poterant contingere. Id probat Covarruvias (*a*) *a fimili* ex duabus Decretalibus Innocentii III. aliifque textibus, quos prætereimus.

(a) Covarr. in Clement. c. Farinfus de homicidio. 2. part. §. 4. n. 10.

Secundam hanc fententiam priori effe anteponendam exiftimamus. Licet enim valde probabile fit, Julium in hoc rei de fe licitæ operam dediffe; attamen omni carere culpa cenferi non debet: ac fufficit ad incurrendam irregularitatem, ut culpa, quam commifit, fit folum *culpa leviffima* eo fenfu, quo in jure intelligitur, uti explicamus in Cafu *Calliftratus*.

Atqui confcius videtur faltem hujufmodi culpæ. 1. Quia abfque manifefta imprudentia in puteum adolefcentem Clericum fic demittere non poterat, qui ob folam ætatis fuæ & modicæ agilitatis circumftantiam timore magis & pavore percelli poterat, fe ipfum in puteo videns, cujus aqua & tenebræ ipfum terrore facile percellere, atque phantafiam perturbare poterant, quam homo maturæ ætatis, agilior atque fortior.

2. Quia facile dignofcere poterat Parochus funis attritum, & utrum talis effet ejus defectus, ut ipfius fractio inde fequeretur.

3. Quia alia ratione æqualem fuum e puteo educere poterat, feu hunc hominem expertum & huic defcenfui affuetum demittendo, quales funt ii, qui puteos folent purgare: feu ferreum adhibendo uncinum tali ufui deftinatum. Julius igitur cum nullam ex his cautionibus adhibuerit, faltem imprudentiæ aut negligentiæ reus cenferi debet: quod fufficit ad inducendam irregularitatem ex *homicidio cafuali*, præfertim cum agitur de actione quadam. Ita fentit doctiffimus Abbas a Fagnano (*b*) his verbis laudatus: *Unde, ut ait Abbas, ...ut quis cafu fortuito non teneatur, intelligitur de fortuito, quem etiam diligentiffimus prævidere non poteft*, ut *Lege*. fi quis domum ff. *de locato*. Addit hic Canonifta, ubi nimiam fuam feftinationem ad recuperandum Aqualem fuum, a latrone in puteum conjectum, Julium fieri potuiffe reum culpæ etiam gravis, quæ Legibus dicitur *lata culpa*: quod probat Auctoritate Felini Sandei (*c*), qui proponere non dubitat, quamvis nimium univerfim, ex morte hominis contingente obactionem factam ad recuperandum bonum fuum fieri Clericum irregularem, licet contra voluntatem fuam mors illa contigerit: *Imputatur Clerico, fi ex actu, per quem nititur confervare bona, fequitur homicidium, etiam ultra propofitum*.

(b) Fagnan. in cap. Quidem fin. de homicid. n. 27. ult. notabili.

(c) Felin. in cap. Sufcepimus. 19. init. eod. tit.

CASUS IV.

Tribonianus, Galterii, qui ex vehementi febre phrenefi laborabat, hæres futurus, feneftram cubiculi, in quo jacebat hic æger, aperuit, ut frigidum, inquiebat, aerem fpiraret; ut reipfa cum fecreta intentione ut Galterius in vicum fe dejiceret; Galterius autem fe folum confpiciens, revera fe dejecit, atque interiit. An ea illa fola intentione Tribonianus fit irregularis?

Respons.

Ea fola fua occulta intentione Tribonianus non fit irregularis; At nefaria illa intentio cum actione, qua feneftram reliquit apertam, ut fuum intentiu fortiretur effectum, conjuncta, procul dubio ipfum irregularem reddit. Neque enim ipfam latere poterat, hoc unum phreneticos quærere, ut fe per feneftram præcipites dejiciant, uti omnibus notum eft. Id quidem Triboniano erat perfuafum quando prævidebat, hunc eventum effe futurum, Galterium fine auxilio, & feneftram apertam relinquendo. Quare haberi debet hæres ille indignus, uti vera caufa necis Galterii. Certum quidem eft, aperire feneftram effe rem de fe licitam neque directe ac proxime eam ad homicidium referri: At fit criminofa ob perniciofam intentionem ipfi adjunctam.

Probari poteft hæc decifio duplici paritate. Prioris exemplo hominis, qui furiofo gladium cum mala intentione daret, quo fe ipfum, aut alium interimeret. 2. Ea paritate hominis, qui alicujus morti occafionem præbuit lapfu arboris, quam modo exciderat. Nam, ut ex Alexandro III. (*d*) primus vere effet irregularis, quod homicidii caufa fuiffet; ita etiam, fi alter cujufpiam negligentiæ fit confcius, v. g. non monendo ad tempus, ut is recederet, proculdubio, erit quoque irregularis, ut declarat Papa antiquus in Canone, qui fic habet (*e*): „Hi qui arbores incidere videntur, fi „ contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, „ inculpabiles funt: atque innoxii: quia nec voluntate eorum, nec defiderio homicidium perpe„ tratum eft. Si vero aliqua culpa eorum, vel „ neglectu, morientis hominis interitus cogno„ fcitur advenisse; abjiciendi funt a grado, & „ in facro ordine nullatenus fufcipiendi. „ Atqui manifeftum eft, Tribonianum non meræ tantum negligentiæ effe confcium, fed eum reipfa Galterii mortem intendiffe & procuraffe: igitur dubitari nequit, quin fit homicidii reus, ac proinde irregularis, quamvis caufa mortis hujufce videatur effe caufa duntaxat remota. *Idem videtur in remota*, inquit Gloffa (*f*), *fi animo nocendi hoc faciat, vel minori diligentia*. Et alibi (*g*): ita punitur, qui caufam caufæ præftat. Ita Marianus Socinus (*h*) & poft eum Fagnanus (*i*).

(d) Alex. III. in c. De Cetero 13. de homicidio voluntario vel cafuali.

(e) Nicol. in Can. Hi qui arbores 49. d. 50. Item c. Sape 50. ib.

(f) Gloffa in c. de cetero. 13. de homicidio v. Caufam. dediffe.

(g) In c. Presbyterum. 7. ib. v. Aliam infirmiteram

(h) Marian. Socinus in c. Ad audientiam n. 137. de hom.

(i) Fagn. in c. Ad audientiam de homicidio n. 49. & feqq.

CASUS V.

Callistratus, Ecclefiæ S. Caprafii apparitor, die Fefti hujufce campanas numerofe pulfans, & perfpiciens, unum ex funibus campanæ cujufdam ab ima campanilis parte attrahi, ad fe eundem retraxit, ex pondere judicans puerulum quendam ab eo pondere, eumque tigno cuidam affixit; quo circa viribus deficientibus puerulus ifte nondum feptennis quinque texve pedium altitudine decidit, & fracto capite, biduo poft e vulnere accepto obiit. An irregularis eft Calliftratus?

Respons.

In hoc fita eft tota difficultas, ut cognofcatur, an Calliftratus in hac occafione prudenter fe gefferit. Nam fi res ita non fit, de peccato excufari nequit, ac proinde de irregularitate: licet culpa illius de earum effet genere, quæ jure leviffimæ dicuntur.

Videtur autem, defendi non poffe, Calliftratum egiffe prudenter, cum ex pondere & refiftentia, quam funem attrahendo fentiebat, facile judicare poterat, puerum illi effe appenfum, & eum ad fe trahere, atque retinere non poffe, abfque certo lapfus periculo, qui viribus deficientibus diu fe fufpenfum in aere retinere non poterat, ut re ipfa puerulo illi contigit. Igitur ob fupinam imprudentiam fuam mortem illi attulit: atque adeo in irregularitatem ex homicidio incurrit.

Contigit hic cafus, quo tempore Fagnanus facræ Congregationis erat Secretarius, & refert, quod *Sacra Congregatio habuit Clericum pro irregulari*; inquit (*K*), fubjiciens eandem, quæ fuperius allata eft, rationem: *Quia dum chordam onuftam trahebat, advertere potrat, & debebat, aliquem effe illi appenfum; & inde poffe illi aliquid nocumenti contingere*.

(k) Fagn. in c. Ad audientiam de homicid. n. 44.

Diximus, Calliftratum irregularitate fuiffe obligatum. *Licet culpa illius de earum effet genere, qua jure leviffime dicuntur*. Quamvis enim contendant nonnulli Auctores, quos laudat Fagnanus (*l*), qua-

(l) Idem in c. Quidam. fin. eod. tit. n. 9.

quales sunt Abbas (a), Navarr. & alii quidam, irregularitatem nnn induci *& culpa levissima*, ipsis tamen putamus Glossam esse anteponendam (b), quæ dicit de homicidio, quod ... *negligentiæ imputatur*. Idem sentiunt Hostiensis & Joannes Andreas (c), & etiam Auctores ipsi, qui contrariam Glossæ tuentur opinionem, fatentur, ex levissima culpa irregularitatem induci; cum de actione agitur, non vero de omissione tantum, ait Canon (d), quem Stephano V. adscribit Gratianus, loquens de parentibus, qui suos adhuc infantes in eodem secum lecto reponentes, eos postridie mane suffocatos reperiunt, quia tunc culpa levissima *transit in culpam levem*.

(a) Abbas in c. Quæsitum. 7. de pœnit. & remiss. n. 2.
(b) Glossa in c. Significasti. 16. de homic. v. Negligen.
(c) Host. ubi supra & Joan. Andr. in d. c. Significasti.
(d) Canon. Consuluisti. 20. 5. q. 1.

In proposito autem casu agitur de actione, eaque præcipui momenti, a Callistrato admissa qui ignorare non poterat, se puerulum quendam una cum fune ad se trahere, cum pondus illius sentiret. Quod confirmari potest ex Lege (e) *Si merces* 29. *ff.* cujus hæc sunt verba: *Culpa autem abest, si omnia acta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset*. Lege etiam (f), quæ asserit, quod *imperitia culpæ est adnumeranda*; confirmari potest dictum nostrum. Atqui Callistratus in eo casu non est positus; quippe e contra non eam adhibuit cautionem, quam ab eo exigebat pondus solum, quod sentiebat funem retrahendo. Igitur de irregularitate eximi nequit.

(e) Leg. Si merces. 25. ff. Locati. §. Qui columnam l. 9. tit. 2.
(f) Leg. Si quis domum. §. Celsus. ff. cod. tit.

CASUS VI.

Marius ad singulare certamen Maxentium provocavit, & Cajum sibi adjutorem; Maxentius vero Salvium sibi pariter elegit. Marius neque interemit, neque mutilavit Maxentium: at Cajus ipsi adjutor Salvium occidit. An Marius est irregulatis?

Respons.

In hujusmodi difficultatibus semper ad illud redeundum est principium, quod in decretalibus suis constituunt summi Pontifices, ac præsertim Alexander III. (g) eum videlicet qui est causa homicidii, non minus esse reum, quam ipsum interfectorem: *Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus*. De quibus verbis advertere juvat, vocem, *videtur*, non significare dubium quoddam, sed constantem veritatem, quando in aliqua lege vox illa reperitur; atque adeo, *non videtur*, idem significare, *ac non est*, ut docent Cardinalis Zabarella, Antonius de Butrio (h), Marianus Socinus (i), & Joannes Andreas (K), qui id ipsum probant ex lege digestorum ad marginem indicata (l). Ratio est, quia *Constitutio Apostolicæ Sedis .... nihil debet obscurum, vel ambiguum continere*. Sed ex æquo debet esse justa & intellectu facilis, ut loquitur Gregorius IV. (m), ut debet esse justa & utilis, uti ait S. Isidorus, pariter debet esse clara, neque aliquos continere terminos æquivocos aut dubios (n). *Erit autem Lex honesta, justa .... utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat*. Quæ qualitates a Constitutione Alexandri III. abessent, si voce ista, *non videtur*, aliquod de sua decisione dubium indicare voluisset. Marius autem est vera causa, cur Salvium interfecerit Cajus: igitur pariter cum eo irregularitatem incurrit Marius.

Decisio ista omnimode consentit cum decretali Cælestini III. (o), qui respondens ad similem ferme huic, quæ proposita est, quæstionem, dicit; *Tales pugiles homicidæ veri existunt; nec prædictus Sacerdos, licet non ipse, sed alius pro eo in duello pugnaverit*, non debet in Sacris ordinibus ministrare, sicut tradunt Sacrorum Canonum instituta (p).

(g) Alex. III. in c. Sicut dignum 6. & in c. de cætero tit. de homicidio.
(h) Ant. de Butrio. o. n. 6.
(i) Mar. Soc. in d. cap. n. 1.
(k) J. Andr. in n. De cætero. cit. n. 1.
(l) Leg. Quod tamen ur. ff. de receptis, qui arbitr. receperunt, aut sententiam dicunt. §. 1. l. 4. tit. 8.
(m) Greg. IX. in c. Quoniam 31. de constit. l. 1. tit. 3.
(n) Isidor. in c. erit autem. 9. dist. 4.
(o) Cælest. III. in c. Henricus 2. de Clerie. pugnant. in duello l. 5. tit. 14.
(p) Can. Si quis. 5. dist. 50 &c.

CASUS VII.

Tiberianus, Sacerdos sæcularis, *a divinis* suspensus declaratur, multoties tamen a tribus mensibus sacram ad populum concionem habuit.

1. An ex hoc irregularitatem incurrit?
2. Essetne irregularis, si a prædicatione suspensus, in hoc statu positus prædicasset?

Respons.

Priusquam afferatur responsio, scire necesse est, jus, ut plurimum loquendo, terminis istis, *divina Officia*, prædicationem verbi divini non comprehendi. *Concludo igitur*, inquit Fagn. (q) *prædicationem verbi Dei, non venire divinorum appellatione*. Ob eamque causam excommunicati & interdicti absque peccato prædicationi adesse possunt, licet ipsis non sit licitum ullis adesse divinis Officiis, ut declarat Innocentius III. scribens ad Episcopum Ferrariensem de incolis Ferrariæ, qui erant excommunicati & interdicti, quibus sub ista conditione prædicationem audire permittit, *dummodo contra formam interdicti nullum eis divinum Officium celebretur*. Equidem extat in corpore juris titulus expressus de celebratione Missæ aliisque divinis Officiis (r) in quo nullum quidem verbum de prædicatione profertur; ex quo manifestum fit, eam inter divina non recenseri Officia. Atque hinc inferendum est cum eodem Canonista, quod *suspensus a divinis non intelligitur suspensus a prædicationis officio, nec a converso*.

(q) Fagnan. c. Respons. 41. de senten. excom. n. 20
(r) Decretal. l. 3. t. 41. de celebr. Mis. ... & divinis officiis.

Quod cum ita sit, dicimus, quod, licet juxta canones (s), qui celebrat suspensus a divinis, Irregularitatem incurrat, non idem tamen asserendum est de eo, qui est suspensus a prædicatione, quæ, ut ait Glossa (t), viginti duas suspensionis species cum earum divisionibus afferens, inducit *novam speciem suspensionis*, nam si verba ad populum faciat, non obstante illa suspensione, irregularis non fit, quamvis ob inobedientiam suam graviter peccet. *Si vero sit* (suspensus) *ab Officio prædicationis*, inquit Sylv. (u), *non efficitur irregularis prædicando & celebrando*: quod etiam asserit Calderinus (x), & post ipsum Fagn. (y) his verbis: *Quamvis suspensus a divinis, celebrando efficiatur irregularis ... tamen secus est in suspenso a prædicationis Officio*. Ratio præcipua, qua fulciuntur isti Canonistæ, est, quia Ministerium prædicationis non adeo cuipiam ordini sacro est annexum, ut auctoritate Episcopi a Clerico sola tonsura initiato exerceri nequeat, uti præclarum hujus rei præbet exemplum defunctus D. Abbas Gaillard qui sacro illo Ministerio functus est, sæpe, etiam multoties in die prædicando in multis missionibus, quas proprio sumptu confecit, & quas ad annum 80. ætatis suæ, de Præsulum licentia in multis regni Diœcesibus continuavit; quamvis clericalem tantum suscepisset tonsuram.

(s) Can. Si qui Episc. 7. 11. q. 3.
(t) Glossa in Clemen. Cupientes 1. de pœnis l. 5. tit. 8. v. suspensi.
(u) Sylvest. v. Suspensio. q. 5. sub fin.
(x) Calder. in D. Clement.
(y) Fagn. loc. cit. & n. 26.

Et vero nullus in toto corpore juris canon reperitur, quo prohibeatur, ne prædicationis Ministerium iis committatur, qui minores tantum ordines, vel tonsuram suscepere. Ita quoque censuit sacra congr. Concilii, 23. Junii 1530. referente Fagnano (z): *Hanc partem*, inquit, *aliàs probavit sacra Congregatio Concilii articulo diligenter examinato. Nam ... die 23. Junii 1559. censuit, munus prædicationis committi posse etiam Clerico, qui non sit in sacris ordinibus constitutus*. Hinc sequitur, Tiberianum non incurrisse irregularitatem in primo casu proposito, neque eum etiam incursurum fuisse in secundo casu.

(z) Fagn. in D. suspenso n. 39

Ac frustra objicerentur Canones quidam (aa), quorum alii Officium potestatemque prædicandi Episcopis & sacerdotibus, alii diaconis adscribunt; hinc enim inferri legitime non potest, quod, cum Diaconus vel Sacerdos ab Officio ordini suo conveniente fuit suspensus, censendus sit ob necessariam connexionem suspensus quoque a Ministerio prædicationis. Ratio est 1. quia Canones isti intelliguntur de verbo Dei, quod annuntiat Diaconus qui alta voce *ex Officio* Evangelium recitat in Missa, ut observat Navarr. (bb) post Glossam, atque ut manifestum fit ex ipso textu S. Gregorii, e cujus scriptis depromptus est secundus Canon (cc), qui objicitur. 2. quia alii tantum intelliguntur de iis, qui prædicant *ex Officio*, quales sunt Parochi, qui Parochianis suis verbum divinum explicare tenentur; licet nondum ad Sacerdotium fuissent promoti, quod intra annum suscipere debent.

(aa) S. Leo in c. Adjicimus 19. 16. q. 1. Conc. Trid. sess. 24. c. 4. S. Greg. in c. In sancta. 2. dist. 92 Isidor. in c. Perlect. 8 dist. 21. §. Ad diaconum.
(bb) Navarr. Consil 7. de officio judicis delegati.
(cc) Cit. c. in sancta.

CASUS VIII.

Fuscianus diaconus, non ita pridem de beneficio provisus, quo exigitur, ut intra annum fit sacerdos, iter faciens in sylva latrones offendit, qui gladiis suis tres ei digitos abciderunt in manu dextera: qua re factus est irregularis. An cogi potest in hoc casu ad dimittendum beneficium illud sacerdotale?

Hinc autem oritur difficultas, quod Pictaviense Concilium an. 1078. (a) habitum constituit, ut Abbates, Decani & Priores teneantur ad suscipiendum sacerdotium sub pœna amittendi Beneficii sui, quamcumque possint obtendere cautam, ut sese excusent. *Quod si aliqua justa causa prohibente, Presbyteri ∴. esse non potuerint, Prælationes amittant.*

(a) Conc. Pictav. in c. Ut Abbates 1. de ætate & qualitate præficiend. l. 1. t. 14.

Responsio.

Diaconus iste addimittendum Beneficium suum cogi non debet, eo quod factus sit irregularis ad sacerdotium, cum legitime Beneficio suo, utpote innoxius privari non possit, & afflicto jam non sit danda afflictio (b). Hoc sensu debent intelligi decretales, quæ loquuntur de necessitate, in qua sunt quidam Beneficiarii, suscipiendi sacerdotium. *Hoc intelligitur de*, inquit Glossa (c), *qui sine culpa sua factus est talis, quod ordinem recipere non potest secundum canones. Unde propter hoc non debet removeri; licet ordinem non possit recipere.* Cujus rei hanc affert rationem, *quia non est addenda afflictis afflictio*, quam rationem depromsit authot Glossæ ex his sancti Gregorii magni verbis (d): *non debet a nobis addi flagellatis* (a Deo) *afflictio*, & ex Innocentio III. scribente ad Archiepiscopum Arelatensem de Episcopo Arausicano, qui ab annis quatuor ægrotans, Episcopales suas functiones obire non poterat (e). Ita etiam explicat author Glossæ in decretalem depromptam e Concilio Pictaviensi, quæ objicitur in præsenti casu (f). *Hoc intellige*, inquit, *quando per culpam suam ad talem statum pervenit, quod promoveri non potest; contra vero, quando fine* culpa; & tunc non debet addi afflictis afflictio. Ita sentit Fagnanus, qui pro sua sententia laudat Innocentium IV. (g), Abbatem Antiquum (h) & Hostiensem. (i)

(b) Fagn. in c. Quæsitum. eod. t. n. 20.
(c) Gloss in cap. Cum in cunctis 7. de elect. Si Canones.
(d) S. Gr. in can. Cum percussi. 2. 7. q. 1.
(e) Inn. in c. Ex parte 5. de Cleric. ægrot. vel debilitato 3. 3. tit. 6.
(f) Gloss. in c. Ut Abbates cit. v. Amittant.
(g) Inn. IV. in D. cap Amittant.
(h) Abbas Antiquus in D. c. Ut Abbates, v. prohibente.
(i) Hostiens. in eod. cap. v. Justa causa.

At vero, si Clericus culpa sua factus sit irregularis, ut si v. g. quempiam ad singulare certamen provocasset, in quo oculum, manum, aut aliud quid simile amisisset membrum, tunc mereretur beneficio suo privari, ut asserit Hostiensis (K), qui exponens hæc verba, *justa causa*, profert hæc exempla: *puta, quia amiserunt oculum, vel pedem, vel manum, vel aliud simile. Intelligas tu: culpa sua interveniente: puta; quia ei, de quo quæritur, duellum obtulit aut sponte suscepit ∴. vel quia vir reperit ipsum, cum uxore sua turpiter conversantem.* Quibus addit contrarium esse dicendum, *quando sine culpa talia acciderunt.*

(k) Hostiens. loco c. v. Justa causa.

Vide (Beneficium.)
(Beneficiarius.)

CASUS IX.

Antigonius in vicinam sylvam eo fine profectus, ut ex improviso Valerium trucidaret, qui sero illac erat transiturus, ab ipsius sylvæ initio ipsum jam a latronibus fuisse occisum invenit. Attamen eo inhumanitatis pervenit, ut in ipsius Cadaver sæviendo ipsi gladio caput amputarit. Nunquid ex illo facto in irregularitatem incidit?

Respons.

Archidiaconus Bononiensis, Author sæculi XIII. (l) qui hanc sibi difficultatem proposuit, ad eam respondet, dicendo, non quemquam fieri irregularem ex hoc facto, quantumvis ex se enorme sit & inhumanum.

(l) Archid in c. Si quis. fin. 25. q. 1. n. 2.

Contra vero sentiunt quidam Authores nonnulli, ex hoc casu irragularitatem induci ob criminosam intentionem, quam sequitur actio; idque probant exemplo hominis, qui priori uxore viduus & Sacerdotio initiatus, matrimonium contrahit *de facto*, illudque cum alia uxore consummat. Nam ex Innocentio III. (m) haberi debet tanquam bigamus, licet reipsa non sit ac proinde tanquam irregularis *propter affectum intentionis cum opere subsecuto*; ut loquitur hic summus Pontifex, qui in sequenti Decretali (n) eandem statuit regulam pro subdiacono, qui tale suppositum matrimonium contrahit cum vidua, & illius rationem eandem affert. Addunt isti Authores antiquum Canonem, depromptum e Concilio primo Toletano, quem in suo Decreto citat Gratianus (o), in quo dicitur, Clericum, qui militavit, ad Diaconatum admitti non posse ob affectum occidendi, quem habuit arma suscipiens, licet neminem occiderit aut mutilaverit: *Etiamsi gravia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.* At illi textus non concludunt: nam quod pertinet ad primam Decretalem Innocentii III. manifestum est, nullam fuisse bigamiam in casu Papæ huic proposito, ut ipse agnoscit his verbis: *Tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant*, intelligendo vocem, *tanquam*, uti notam, non quidem veritatis, sed meræ similitudinis. *Hoc tanquam*, inquit nota ad marginem Glossæ apposita, *non est expressivum veritatis; sed similitudinarium juxta illud: ex istis tanquam ad latronem*. Non est quoque irregularitas, uti nec bigamia: attamen Innocentius III. vult talem Sacerdotem puniri, quasi vere esset bigamus *propter similitudinem facti*, ut loquitur Glossa (p). Ita ex Concilio Ancyrano (q), *quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt, professione contempta, inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierant, haberi debebant*, licet tales non essent. At jus est expressum in casu prioris illius Decretalis, uti in casu alterius; nam utraque Sacerdotem hunc & subdiaconum subjicit eorum pœnæ, qui vere sunt bigami; *unde bigamus reputatur quantum ad affectum; licet in veritate non sit: & sic punitur propter affectum tantum cum opere subsecuto, & non propter defectum sacramenti.* Hæc sunt verba Glossæ (r), cum tamen nullo canone statuatur irregularitas, in casu quem proposuimus, & in materia odiosa, qualis est irregularitas, argumentum *a pari* non potest institui, nec legitime concludere. Unde sequitur, quod cum amputare caput Cadaveri sit actio penitus diversa ab homicidio, quo homini vita eripitur, de uno, uti de alio fieri non potest idem ratiocinium, neque ex posteriori concludi, priore induci irregularitatem, *Cum id non sit expressum in jure*. Hæc regula est Bonifacii VIII. (s).

(m) Inn. III. in cap. Nuper 4. de bigamis non ordin. l. 1. tit. 21.
(n) Idem in c. A nobis. fin. ibid.
(o) Conc. Toletan. c. 8. in can. Si quis 4. dist. 51.
(p) Gloss. in d. can. Nuper v. Tanquam bigamis.
(q) Conc. Ancyran. c. 18. in c. Quotquot. 24. 27. q. 1.
(r) Gloss in d. c. Nuper v. Dispensari.
(s) Bon. VIII. in 6. in qui 18. de sent. excom. in 6. l. 5. tit. 11.

Fagnanus (t) & alii cum eo permulti ita sentiunt, & probant, esse discrimen inter occisionem hominis & sævitiam in ejus cadaver, atque inter hominem vivum & hominem mortuum; quia *ad esse hominis duo principaliter exigantur; videlicet corpus & anima, ex quorum conjunctione verus homo subsistit*, ut loquitur Innocentius III. (u), Cum cadaver jam cum anima non conjunctum censeri non potest homo, sed tantum materia informis, quæ natura sua ab eo essentialiter distinguitur, unde sequitur, ex odio & inhumanitate, quibus in cadaver sævit quispiam, non induci irregularitatem; cum id nullo Canone sit expressum.

(t) Fagn. in c. A nobis. de sent. excom. on. 22. & alii apud eum.
(u) Inn. III. in cap. to Quæ-dam 8. parag. Sed adversus de celebrat. missarum. l. 3. tit. 41.

CASUS X.

Leonidas, Sacerdos, cui notum erat, a Paulo sub fallaci nuptiarum promisso stupratam esse Mariam neptem suam, eos simul accubantes inveniendi occasionem captavit, ut Paulum ad judicium adduceret, eumque dicta sententia adigeret ad nubendum Mariæ, jam gravidæ, quæ proinde de fama sua manifeste periclitabatur. Cum igitur hora post mediam noctem in Mariæ cubiculum cum duobus suis parentibus ingressus fuisset Leonides; Paulus hinc intromissus, jam crepare fores percipiens, captum subito se per fenestram in vicum e primo tabulato dejiciendi consilium perfecit; at lapsus in sectilem lapidem, ictu extemplo interiit. Quærit Leonides, utrum ex hoc casu irregula-

rita-

citatem non incurrerit, nec dispensatione indigeat?

RESPONS.

Existimamus, in Leonidem non referendam esse Pauli necem, quam ipse sibi imprudenter ac temere attulit, atque adeo irregularitatem in hoc casu eum non incurrisse.

Ratio est, quia ex principio alibi jam posito, mors causalis ei non debet imputari, qui rei licitæ dat operam, & quas exigit prudentia, cautiones adhibet. Hæc regula multis fulcitur Decretalibus (*a*).

(*a*) Alex. III. in c. Presbyterum. 7. de homicid. Inn. III. in c. Dilectus. 23. & in c. Ad nostram 22. & seq. 26. Honor. III. in c. Joannes. 23. de homicid.

Atqui Leonides non quidquam contra jus egisse videtur: cum legitime a Paulo exigere judicio poterat, ut matrimonii promissum Mariæ datum perficeret, quæ libidini ejus non nisi sub spe nuptiarum fuerat obsecuta, quando alter mansisset infamata. Neque Leonidi nocere potest circumstantia, qua dicitur, hunc secum duos consanguineos suos adduxisse comites; neque enim, ut sani sic prudentis erat Sacerdotis, ut solus ad mediam noctem & in tali casu neptis suæ cubiculum ingrederetur: cui etiam addi potest, sibi duobus opus esse testibus, ut de crimine suo Paulum convinceret.

Conformiter ad hanc decisionem respondit sacra congregatio Cardinalium sacrosancti Concilii interpretum 29. Novemb. an. 1611. Sacerdoti, qui illam de casu omnino simili consuluit, illum irregularitatem non incurrisse, ut refert Fagnanus. *Sacra Congregatio, cui undecim Cardinales interfuerunt*, inquit hic Canonista, *censuit Petram prædictum, secundum ea quæ probantur, non incidisse in irregularitatem*.

In hoc itaque casu idem de Leonide dicendum, uti de Sacerdote, qui ad noctis meditullium furem in domo sua reperiens, & opem inclamans, furem hunc ad fugam adigit. Nam si fugiens in præcipitem locum fur cadat, ibique pereat, ex hoc eventu Sacerdos iste non fit irregularis, cujus nimirum est occasio tantum, non vero causa; pariter Leonides in casu proposito censeri non debet irregularis, cum vere causa non sit mortis Pauli, quam sua ipse sibi culpa attulit, quin ejus aliquatenus particeps sit Leonides.

Pariter in hoc casu Leonides eodem modo haberi debet ac Clericus ille, de quo loquitur Alexander III. (*b*), qui cum alio Clerico ludens, eo ad humum dejecto, ab hoc Papa irregularis non censetur; licet is Clericus cultro ad cinctorium suum appenso, qui casu in corpus penetravit, se ipsum interemerit. Ratio est, quia Clericus Summum Pontificem consulens, rei illicitæ cum socio suo ludens operam non dederat, nec ullatenus erat particeps mortis ejus, quæ mere casualis erat. Innocentius III. (*c*) ab irregularitate pariter in hujusmodi casibus eos eximebat, pro quibus consilium ejus exquirebatur. Aliud est denique exemplum, in quo Honorius III. (*d*), asserit, adolescentem Clericum, irregularem non esse factum, quod ludens in socium quemdam lapides, non animo feriendi, sed ipsum tantum ad fugam adigendi projecerit, licet in fuga lapsus in magnum lapidem interierit.

(*b*) Alex. III. in c. Lator. 9. de homic.

(*c*) Inn. III. in d. c. Dilectus. eod. tit.

(*d*) Honor. III. in c. Exhibita. 22. eod. tit.

CASUS XI.

INCHADUS, filius Mubudi & Abessæ conjugum infidelium, & consanguineorum in tertia gradu lineæ Collateralis, Christianam Religionem amplexus, militiæ postea Clericali nomen dare voluit. At ipsi persuasum est, ipsum esse irregularem *defectu natalium*, quia ex eo natus erat matrimonio, quod mere erat contractus civilis. An vere illegitimus est, ac proinde irregularis?

RESPONS.

Certum est, duorum infidelium, quamvis in tertio gradu lineæ collateralis consanguineorum, matrimonium esse validum; *Cum Sacramentum conjugii apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus* (*e*), ut loquitur Innocentius III. (*f*). Ratio est, quia licet Ethnicorum & infidelium matrimonium non sit Sacramentum proprie dictum; est tamen contractus legitimus & naturalis, etiam inter eos, qui cognati sunt in gradibus jure tantum Ecclesiastico prohibitis, quia Ecclesiæ Legibus non subduntur. *Cum .... in præmissis gradibus a Paganis, quoad eos matrimonium licite sit contractum, qui Constitutionibus Canonicis non arctantur*, ut etiam loquitur idem Summus Pontifex. Unde sequitur, procreatos ex tali matrimonio inter illegitimos non esse censendos, nec adeo irregulares. Ita concludit S. Innocentius I. in Epistola, quam ex Binio (*g*) an. 404 ad Victricium, Episcopum Rhotomagensem scripsit, in qua post statutam hujusmodi matrimonii legitimitatem, deinde concludit: *Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante Baptismum ducta est; ergo nec filii, qui ante Baptismum geniti sunt, pro filiis habentur*. Veritatem hanc multo etiam fusius probat hic Sanctus Pontifex in Epistola alia, in qua refellit errorem, in quo erant ista de re Episcopi Macedones (*h*), & dicit, quod non nisi absurde defendi potest, tales filios esse illegitimos: *Quod cum ita sentire atque judicare absurdum est &c.*

(*e*) 1. Cor. 7.
(*f*) Inn. III. in c. Gaudemus 8. de divortiis. l. 4. t. 19.

(*g*) Inn. I. Ep. 2. ad Victricium. cap. 6. apud Labbe to. 2. col. 49.

(*h*) S. Inn. I. Ep. 22. c. 2. (apud Labbe tom. 2. col. 1273.)

Hinc sequitur, Inchadum esse censendum legitimum, atque adeo, cum ex defectu natalium non sit irregularis, conditionem ortus sui non obstare consilio, quod iniit, suscipiendi statum Clericalem.

CASUS XII.

DANIEL, cui oculus casu effossus fuerat, hujus defectum reparavit, utens encausto oculo, tam graphice elaborato, ut absque magna attentione res percipi nequeat. Insuper dextero bene est oculo, quo facile legere potest. An irregularis in hoc casu haberi debet, ita ut ipsum Episcopus absque dispensatione ordinare non possit?

RESPONS.

Supponendum est, tanquam certum, orbum oculo Canonis irregularem non censeri, nisi ratione notabilis deformitatis, quæ in vultu apparet, atque adeo irregularitatem desinere, ubi desinit ipsa deformitas: Ita communiter sentiunt Auctores permulti. *Jura, quæ irregulares decernunt eos, qui carent oculo Canonis*, inquit Sylvius (*i*) *intelligenda videntur suppositive; hoc est, supponendo quod carentia illa notabilem inducat deformitatem*. Idem jam docuerat Navarrus (*k*), dicendo, hoc sensu intelligendum esse Gelasium Papam, in Gratiani Decreto citatum (*l*), qui declarat, Sacerdotem altero orbum oculo, ad celebrandum esse inhabilem. *Ideo*, inquit, *Caput*, Si Evangelica, *disponens de carentia oculi, quæ gravem inducit deformitatem, non est extendendum ad carentiam visus, quæ eam non facit*.

(*i*) Sylv. resol. ens. 6. Irregularitas 6.
(*k*) Nav. manual. c. 25. n. 100. §. 6.
(*l*) Gelas. in con. Si Evangelica fin. dist. 55.

Gregorius Sairus his quoque verbis ea de re mentem suam aperit (*m*): *Si quæras*, inquit, *an qui caret visu unius oculi, habet tamen alium oculum integrum & sanum, irregularis sit? Respondeo, non esse irregularem*. Quod probat auctoritate Navarri modo laudati, Gregorii de Valentia (*n*), & Henriquez (*o*). *Si vero*, ait, *orbatus esset oculo sinistro, & legere posset oculo dextro sine ulla indecentia, ad Ordines admitti posset, cessat enim ratio irregularitatis, cum nec careat membro necessario, nec sit deformitas*. Eandem opinionem tuetur Emmanuel Sa (*p*), ut videre est in editione operis sui, quæ Romæ post ejus emendationem Typis excusa est. Idem asserit Mercerus (*q*) cum aliis permultis. Igitur absque temeritatis periculo audemus contendere, Danielem in casu proposito non esse irregularem.

(*m*) Gregor. Sai. Thesauri casuum consc. l. 6. c. 2. n. 8.
(*n*) Greg. de Valent. t. 4. disp. 7. q. 10. punct. 1 par. 2.
(*o*) Henriq. l. 14. de irregul. c. 8. § 2.
(*p*) Emm. Sa v. Irregularitas ex corporis vitio.
(*q*) Mercerus in supp. q. 14. dub. 13.
(*r*) Navarr. Henriq. locis citatis.
(*s*) Rebuff. in prax. benef. t. de dispens. cum corpore vitiatis. n. 7. & 8.

Attamen certum est, quod si res dubia sit, ad Episcopum pertinet ejus decisio, ut fatentur Navarrus, Henriquez (*r*), Rebuffus (*s*), Simon Majolus (*t*), Alphonsus Vivaldus (*u*), Sairus, Sylvius & alii.

(*t*) Simon Majolus l. 1. de irregular. c. 20. n. 5. 3. Illo quoque.
(*u*) Alphons. Vivol. Tract. de Irregular. n. 193.

CASUS XIII.

PAMPHILUS, vir bellicosus, qui vitiis omnibus deditus fuit, nunc militiæ Clericali nomen

cupit

cupit adscribere. At cum semel Sodomitico se inquinarit crimine, postulat, utrum ex hoc atroci scelere in irregularitatem inciderit, atque adeo Episcopali aut etiam Papali indigeat dispensatione, priusquam ad Sacros Ordines promoveatur.

RESPONS.

1. Certum est, ab incunabulis Ecclesiæ gravia crimina irregularitatem induxisse & totius Orbis Episcopos, ut loquitur S. Cyprianus (a), consensisse, ut a Sacerdotio statuque Clericali conscios atrocis cujusdam peccati removerent. Ex solo adulterio per adolescentiam commisso ad Ordines suscipiendos fiebat quis incapax ex Concilio Elliberitano (b). Idem statuit sexagesimus Canon inter eos, qui Apostolici (c) dicuntur his verbis: *Si accusatio contra fidelem instituatur de fornicatione, aut adulterio.... & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur*. In primo etiam Nicæno Concilio (d) statutum est, ut deponerentur ii, qui post admissa quædam gravia crimina sine prævio examine ad Sacerdotium fuerant promoti, licet etiam ipsa in examine, quo de moribus eorum fuerat inquisitum, essent confessi. Nitebatur vetus hæc disciplina his S. Pauli verbis (e), *nullum crimen habentes*, (de Diaconis hic loquitur) & istis aliis (f), *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros.... si quis sine crimine est*.

(a) S. Cyprian. Ep. 68.
(b) Conc. Elliberit. can. 30.
(c) Can. 60. Apost.
(d) Conc. Nicæn. 1. can. 9.
(e) Ad Tim. 2. 10
(f) Ad Tit. c. 2. v. 5. & 6

Vigebat etiam hæc disciplina circa medium septimum sæculum, ut videre est ex Concilio I. Toletano an. 656. licet jam fuisset *restricta* ad crimina Capitalia, de quibus in Canonibus fit mentio, qualia erant hæresis, simonia, homicidium & alia: at vero aucta sequentium sæculorum malitia atque pravis moribus, indulgere tandem coacta est Ecclesia, & de pristina sua severitate aliquid remittere: quo circa nunc multis criminibus, quantumvis atrocibus, irregularitas non inducitur.

Tale est crimen, de quo reus supponitur Patrophilus in casu proposito: in toto enim juris Canonici corpore nullibi invenitur, ex hoc crimine, quantumvis atroci, irregularem fieri, qui eo se contaminavit. Certum est autem, non adesse irregularem, nisi jure exprimatur; ut ex Bonifacio VIII. (g) superius declaratum est. Attamen quamvis verum sit, ex hoc crimine, quantumvis horrendum sit, non induci irregularitatem, si terminus iste sumatur in eo sensu, quo sumitur in novo jure decretalium, an ab eo minus abhorret Ecclesia? An casta illa & illibata Christi sponsa spiritum mutare potuisset, ac fieri posset, ut ad Sacerdotium eum admitteret, qui se tam turpi abominatione fœdavit, dum per septem octove Sæcula eos ab illo gradu accurate exclusit, qui peccata multo leviora commiserant? Si igitur integram velimus illibatamque manere Ecclesiæ intentionem, quæ semper invariabilis est, Patrophilo respondendum, ne se ad ordines suscipiendos offerat, licet pro peccato suo satisfecerit 1. quia eos suscipere non potest, nisi perrumpendo prohibitionem, unanimi totius orbis Episcoporum, in primis Ecclesiæ Conciliis congregatorum, consensu latam. 2. quia si ad ordines se promovendum offerret, præsumptionis manifeste damnabilis se conscium redderet, se ipsum tam sancto sublimique gradu dignum existimans, dum eo indignum omnino reputat Ecclesia, & publica laicorum judiciorum vindicta eos e suis ministris dimittit, qui eo se crimine deturparant; postquam eos omni honore privilegioque Clericali spoliavit, ut fert Bulla S. Papæ Pii V. (h), quam ad marginem indicamus.

(g) Bon. VIII. in c. 18 qui. de sentent. excom. in 6.
(h) S. Pius V. in Bulla Horrendum 72. § 3.

CASUS XIV.

FIRMINUS, Episcopus Trauncinus, suspensione ligatus, ab ordinum quidem Collatione ac celebratione *in Pontificalibus* abstinuit; at cum secundis Sacrosancti Sacramenti vesperis interfuisset, Populum solemniter se benedicere posse in fine officii existimavit; dicendo ut mos est: *Sit nomen Domini benedictum &c.* quamvis de hac censura nondum absolutus fuisset; quod Benedictionem hanc, uti meram haberet cæremoniam, ex qua irregularis fieri non poterat: qua de re quæritur, utrum reipsa irregularis factus sit, nec ne?

RESPONS.

Putamus, hunc Episcopum irregularitate fuisse ligatum. Ita Sairus sentit (i) his verbis: *Idem erit*, hoc est, (*quod incurrit irregularitatem*) *de Episcopo, qui suspensus solemniter benedicit per verba*: Sit nomen Domini benedictum, *de quo agitur in cap. Abbates* (k).... *erit enim irregularis*. Quod confirmat suffragio antiqui & inclyti Canonistæ, duorumque aliorum cujusdam nominis Auctorum: *Ita expressim scripsit Nicolaus Dionisii de Perusio, scriptor & eruditus & antiquus in c. primo* (l) §. Caveant. *De Sentent. Excommunicationis libro sexto, quem refert & sequitur Majolus* (m), *& expresse docet Ugolinus citatus* (n).

Opinionem eamdem tuetur Fagnanus (o): *Irregularis est Episcopus*, inquit, *qui suspensione durante, solemnem benedictionem impertitur per illa verba*: Sit nomen Domini benedictum. Cujus rei hanc affert rationem. *Quia nimirum hujusmodi benedictio, quamvis non sit ordo, est tamen actus proprius ordinis Episcopalis, qui jure ordinario inferioribus Presbyteris non competit*. Quæ ultima verba probat hic Canonista ex Canone deprompto e Concilio Agathensi, quem refert Gratianus (p) his verbis: *Benedictionem quoque super plebem in Ecclesia fundere .... Presbytero penitus non licet*. Ad quod Glossa (q). *Scilicet, solemnem quæ fit per talia verba*: Sit nomen Domini benedictum. Quod etiam notat hujusce Glossæ Auctor in Canonem depromptum ex Concilio primo Aurelianensi. Addit Fagnanus: *Suspensionis enim violatio irregularitatem inducit, non solum per actum alicui ordini competentem jure divino, sed etiam jure humano, videlicet ex præcepto Ecclesiæ, vel ex universali consuetudine*: Idem quoque asserunt Durandus (r), Paludanus (s) S. Antoninus (t) & Angelus (u), quibus additur Navarrus, qui ut ceteri Canonistæ contendit contra opinionem multorum Theologorum, Episcopatum esse ordinem distinctum ab ordine Sacerdotii. *Mea sententia.... est .... Episcopatum esse vere & proprie Sacramentum* (x). Ex quo concludit (y), Episcopum, qui functionem exercet *cum apparatu Pontificali*, actum exercere peculiarem & proprium Ordinis Episcopalis: atque adeo, si eum exerceat *durante suspensione*, ipsum irregularitate innodari constituta ex decretalibus superius allatis, in eos qui suspensi functionem aliquam annexam & propriam ordini suo exercent. *Ex quo infertur primo, quod verius est, Episcopum celebrantem in apparatu Pontificali incurrere irregularitatem, quia*, inquit, *id est actus peculiaris ordinis Episcopatus*.

(i) Sair. Thesauri casuum consc. l. 4. c. 16. n. 56.
(k) Alex. IV. in c. Abbates. de privil. in 6.
(l) Inn. IV. in c. Cum medicinalis. 1. §. Caveant de sentent. excomm. 6.
(m) Majolus. l. 5. de irreg. c. 29. n. 5.
(n) Ugol. l. 1. de censu. Eccles. tab. 1. c. 24 §. 1. n. 2.
(o) Fagn. in c. vel non est compos. 14. de temp. ordin. n. 37. & n. l. e. tit 11.
(p) Conc. Agath. in can. ministr. 16. q. 6.
(q) Glossa v. Benedictionem. ead Gl. in can. Cum ad celebrandas 63. de consec dist. 1.
(r) Durand. in speculo t. dispens. parag. juxta.
(s) Palud in 4. dist. 18 q. 7. art. 3. concl. n.
(t) S. Anton. 3. p. tit. 28. de irregular. c. 1. parag. 1.
(u) Angelus v. Suspensio. 3. n. 8.
(x) Navarr. man. c. 22. n. 18. vers. quare.
(y) Idem c. 27. n. 163. v. Ex qua infertur.

CASUS XV.

ANDREAS, accepta jussu Patris sui Vandelini tonsura, cum septennis esset, & ad decimum octavum ætatis suæ annum Laica semper veste induta; nunc vero Ecclesiastico ordini nomen dare cupiens, denuo Tonsuram suscepit, & postea omnes Sacros ordines: dictum est ei, esse irregularem, quod bis Tonsura fuisset initiatus. An id verum est?

RESPONS.

Difficultas præsentis casus in hoc tota posita est, ut cognoscatur, an Tonsura sit ordo. Id plures affirmant Canonistæ; at negant communiter Theologi, & certam putamus istorum sententiam, quam secuti sumus loquentes de Tonsura, quo in loco novem attulimus peremptorias, ut nobis videtur, ejus rei probationes.

Quod cum ita sit, Andreas censeri nequit irregularitatem incurrisse, quod Tonsuram bis susceperit, quamvis in Ecclesiæ regulas peccarit. Sententiam Theologorum hac in re etiam secuta est jurisprudentia civilis, ut videre est ex Arresto

e Se-

Senatus Parisiensis 17. Octob. anno 1657. quod refert du Frene, in diario suo forensi (*a*).

(*a*) Du frene. Diarium Fori to. 3. pag. 156.

CASUS XVI.

AUGUSTAL, nobilis adolescens, equo conscenso ad deambulandum aut invisendum amicum, cum equus rupta fræna domasset, infantis corpus is equo contrivit eumque occidit: An irregularis est Augustal?

RESPONS.

In casu proposito Augustal, ut plurimum loquendo, non debet haberi irregularis. 1. quia rei illicitæ operam non dedit equo ambulans, aut invisens amicum. 2. quia simplici casus hujusce explicatione non fit manifestum, infantis necem ipsius culpa contigisse, aut aliquatenus ei fuisse participem; cum absque fræno equus jam agitatus domari nequeat. Ita sentit Angelus de Clavasio (*b*) *respondeo quod non est irregularis*, inquit, *quia nec voluntate, nec facto occidit, nec rei illicitæ dabat operam*. Ita quoque definit Innocentius III. (*c*), in Decretali ad Episcopom Lingonensem, in qua de Capellano loquens, cui par obtigerat eventus, dicit; *Mandamus, quatenus si ita est, cum idem Capellanus nec voluntate nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quominus divina Officia possit celebrare*. Idem quoque probari potest ex duabus aliis Decretalibus, quarum prior est Honorii III. (*d*) & altera Gregorii IX. (*e*).

(*b*) Angel. de Clavasio. v. Irregularita. q. 47.
(*c*) Inn. III. in c. Dilect. 12. de homicid. &c.

Diximus: *ut plurimum loquendo*, hoc est supponendo Augustalem reum non esse vel peccati, vel negligentiæ, vel imprudentiæ. Nam si v. g. agnoscere facile potuisset, trita esse equi fræna; quæ facile lacerari possent, & proinde se periculo obtemperandi equo exponere, non videtur excusari posse de irregularitate, cum in hoc casu mors infantis ob ejus imprudentiam & culpam contigisset. Ita Glossa probat ex multis textibus (*f*). Ita quoque sentit Angelus (*g*): *quod si de facili*, inquit, *frænum potuit frangi, erit irregularis*. Id quidem manifestum est ex statuto Decretalis Alexandri III. (*h*) in Corpore juris te-latæ, cujus summarium his verbis enuntiatur. *Homicidium casuale imputatur ei qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit*. Idem etiam declarat hic summus Pontifex in alia Decretali ad Archiepiscopum Consentiæ, urbis, quæ caput est Calabriæ (*i*).

(*d*) Honor. III. in c. Joannes. 23. eod. tit.
(*e*) Greg. IX. in c. Quodem. 25. eod. tit.
(*f*) Glossa in C. c. Dilectus 23. v. Freno. de homicid.
(*g*) Angelus ib.
(*h*) Alex. III. in c. Presbyterum 7. eod. tit.
(*i*) Idem in c. Continebatur 8. eod. tit.

Videtur, quod, ut ait Angelus, idem ferri debet judicium de eo, qui in pari casu non necessariam haberet industriam ad domandum equum.

CASUS XVII.

ITHACIUS, Sacerdos, Parochus S. Tyberii, *a beneficio* suspensus ab Episcopo suo, ab eo tamen tempore celebravit, & etiam fructus casuales Parœciæ suæ percepit, idcirco irregularitatem incurrit?

RESPONS.

Suspensio *a beneficio* tantum irregularitatem non potest inducere pro iis, qui hanc non tenent censuram; hæc sententiam referentes Sairo, est omnium Doctorum, ac præcipue Paludani, (*l*) Innocentii IV. in suo commentario in Decretales (*m*), Durandi (*n*), & Majoli (*o*). En ipsa Paludani verba quæ non refert Sairus; *Si aliquis est suspensus a beneficiis tantum & ingeret se divinis, nec peccat, nec est irregularis*. Nititur Decretali ab Innocentio IX. lata in primo Generali Concilio Lugdunensi (*p*), in qua hic summus Pontifex loquens de eo, qui suspensus est *a beneficio* per triennium, asserit solum, quod si ad ejus administtationem se ingerat, jure sit illo privatus, nulla de irregularitate mentione facta. „ A beneficiis Ecclesiasticis triennio noverit se suspensum: ad quæ si intra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso jure perpetuo sit privatus. *Nicolaus III.* (*q*) *non alio modo de alia re* „ *loquitur*: *Addit hic antiquus Theologus* sed ingerat „ se illis, quibus est privatus, aliam pœnam po„ test incurrere, scilicet non irregularitatem quia „ non incurritur ex hoc quod homo ingerit se divi„ nis, nisi hoc sit actu alicujus Ordinis sacri per „ se requisiti ac jure vel consuetudine „.

(*k*) Sairus Thesaur. casuum conc. l. 4. c. 16. n. 3.
(*l*) Palud. in 4. dist. 8. 4. 7. c. 3. conclus. 2.
(*m*) Inn. IV. in c. Nisi cum pridem de renunt.
(*n*) Speculator t. de dispens.
(*h*) Innoc. v. Item. Norc. v. Suspensio. q. 5. Si vero sit a Beneficio.
(*o*) Majolo l. 3. c. 19. n. 12.
(*p*) Inn. IV. in c. Sternimus. 1. §. 2. de elect. in 6
(*q*) Nicolaus III. in c. Cupientes. 16. ib.

Innocentius IV. in suo Commentario in Decretalem Innocentii III. scribentis ad Episcopum Caralitanum in Sardinia (*r*) eamdem tradit doctrinam his terminis: *Nota, quod suspensi ab Officio si celebrant sunt irregulares ... sed suspensus a beneficio si celebrat, non est irregularis, quia in jure non invenitur*. Ex quo colligimus, quod licet graviter peccaverit Ithacius suspensionem non tenendo; in casu tamen proposito irregularitate non fuit innodatus.

(*r*) Ino. IV. ad c. Nisi cum pridem 10. de renunciet. n. 9. l. 2. 3. 9.

CASUS XVIII.

MANILUS, Juris Professor, de suspensione Baccalaureum interrogans, ipsi suffragium suum recusavit, quod sibi responderet, Episcopum suspensum *a collatione ordinum*, *a Pontificalibus & ab ingressu Ecclesiæ*, irregularitatem non incurrere, triplex illud suspensionis genus non servando. Nunquid in justitiam peccavit ob id solum Baccalaureo illi suffragium suum resecans?

RESPONS.

Interest, priusquam respondeatur, duo stabilire principia certa, primum: quod necesse sit, ut actus in quem cadit suspensio, sit actus *proprius ordinis, aut deputatus ordinis*, seu potestas exercendi hunc actum ad ipsum pertineat jure divino, vel jure tantum Ecclesiastico. Ita docent Abbas (*f*), Felinus, (*t*) S. Antoninus (*u*), Angelus (*x*), Sylvester (*y*), Innocentius IV. Navarrus (*aa*), & alii.

(*s*) Abb. in c. Cum dilectus n. 17. de consuetudine.
(*t*) Felinus in c. Apostolicæ, n. 21. de exceptionibus.
(*u*) S. Anton. 3. p. t. 29. c. 1. in fine de suspensione.
(*x*) Angelus v. Suspensio. 3. n. 7.
(*y*) Sylvester eodem v. q. 5.

Alterum est: quod ad incurrendam irregularitatem, necesse sit, ut qui hunc actum exercet illo fungatur, uti Minister Ecclesiæ: uti patet ex Glossa in Decretalem e Concilio Antiocheno (*bb*) depromptam, atque ut manifestum sit ex his terminis Canonis a Gratiano relati: „ Si „ quis Episcopus sive Presbyter aut Diaconus „ post excommunicationem præsumpserit .. .. fa„ cere oblationem, vel matutinum aut vesper„ tinum sacrificium quasi in Officio sun agens, „ sicut prius, non liceat ei in alio Concilio spem „ reconciliationis babere „! His autem consentiunt hæc alia Bonifacii VIII. verba (*cc*) *Si ... se ingerat in suo agens Officio sicut prius*. Ita quoque sentiunt Sylv. (*dd*, Navarr. (*ee*), & Fagnan. (*ff*), post Marianum Socinum (*gg*).

(*z*) Inn. IV. ad c. Cum æterni de sent. & re judicata in 6. & in c. cum medicinalis, de sent. excom. in 6.
(*aa*) Nev. man. c. 27. n. 161.
(*bb*) Gloss. in c. Si quis a. dd Clerico excomm. deposito vel interdicto ministrante v. Præsumpserit & in c. Cum medicinalis c. v. Sicut prius.
(*cc*) Bon. VIII. in c. is cui 20. de sent. excom. in 6.

His præsuppositis, respondemus, quod, cum Episcopatus videatur esse verus ordo a Sacerdotio distinctus, ac verum sacramentum, ut alibi diximus, Episcopus suspensus *a collatione ordinum*, non aliquem potest conferre ordinem quin irregularis fiat, quoniam ordinum collatio est actus proprius & præcipuus Episcopatus, ut docet Sanctus Leo (*hh*), relatus in Canone Decreti Gratiani, atque ut definivit Tridentinum Concilium (*ii*), ac proinde cum ista suspensio sit vera censura Ecclesiastica, eam violari nequit, quin in irregularitatem incidat ex decisione Innocentii IV. in Decretali emissa in œcumenico Lugdunensi Concilio (*kk*) Idque verum est etiam quoad Collationem quatuor minorum ordinum; si terminis Generalibus suspensio lata fuerit ut in casu proposito esse supponitur. Id quidem probat Fagn. (*ll*) in Dominicum Geminianum & Philippum Francum. Præcipua ejus ratio est quia collatio minorum urdinum non attinet *jure ordinario*, nisi ad Episcopum solum, nec dici potest absque hæresi, post definitionem Tridentini Concilii, (*mm*) hanc potestatem communem esse Presbyteris atque Episcopis: unde inferendum, Episcopum eos conferentem ordinis igitur sui Episcopalis actu fungi, & id ipsum, quamvis suspensione ligatu s, facit, eum fieri irregularem.

(*dd*) Sylv. v. Irregularitas. n. 14. v. Sexto.
(*ee*) Nav. man. c. 27. n. 183.
(*ff*) Fagn. in c. Vel non est compos. 14. de temp. ord. n. 22. & seqq. l. 1. t. 11.
(*gg*) Mar. Soc. in c. Ad audientiam. de homicid. no. 106.
(*hh*) S. Leo Ep. 86. alias 88. in c. Quamvis 4. dist. 68.
(*ii*) Conc. Tr. sess. 23. de sacrem ordinis. c. 4. de refor. & can. 7.
(*kk*) Inn. IV. in c. c. Cum medicinalis.
(*ll*) Fagn. loc. c. n. 32. & seq.
(*mm*) Conc Tr. eis. can. 7.

Quod pertinet ad suspensionem *a Pontificalibus* Existimant quidem nonnulli Auctores talem Episcopum gravissime peccare, cum Episcopali apparatu celebrandi; eum tamen in irregularitatem non incidere. Ita sentiunt Innocentius IV. (*nn*) & S. Antonius (*oo*), qui dicit: *Nota secundum Hostiensem, quod suspensus a Pontificalibus, si celebrat in Pontificalibus non erit irregularis: ratio est, quia Pontificalia non sunt de substantia celebrationis*.

(*nn*) Inn. IV. loco cit.
(*oo*) S. Anton. 3. p. t. 28. c. 4. post. med.

nec debemus judicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum. Marianus Socinus (*a*) Durandus, (*b*) & Sylvester (*c*) idem sentiunt.

Aliter tamen sentiunt multi alii Auctores, & putamus; eorum sententiam legitimis nixam esse fundamentis. Eorum ratio, inquit Fagnanus (*d*), est: *Quia etsi Pontificalia non sint de substantia ordinis nec officii, cum etiam sine ipsis possit quodlibet officium exerceri, secundum Innocentium (e: tamen sunt actus proprii ordinis Episcopalis ut (f): & notat Abbas (g).* Multos insuper inclytos, & antiquos hic Canonista laudat Doctores, uti Geminianum (*h*); Joannem Calderinum (*i*) Palud. (*k*) Angelum (*l*), & Navar. (*m*). quo circa in hoc juris dubio & adeo controversia hac opinione tutior pars est, ut Episcopus talis in foro conscientiæ suæ ipsum ut irregularem habeat.

Tandem de suspensione *ab ingressu Ecclesiæ*, certum est, quod, si Episcopus in Ecclesia celebret, a cujus ingressu est interdictus, ex eo fit irregularis uti declaravit Bonifacius VIII. in una e sui constitutionibus (*n*) his verbis: *Is cui Ecclesiæ est interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio Interdicta: irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat in suo agens officio, sicut prius.* Addit que hic Papa: *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat: non debet tamen in Ecclesia vel Cœmeterio Ecclesiastico (nisi prius pœnituerit) sepeliri.*

Interest autem animadvertere. 1. quod Glossa exponens verbum, *interdictus*, dicit, *ab homine vel a jure*: quod probat ex primo capite ejusdem tituli (*o*), in quo rem ita explicavit Innocentius IV. Lugdunensis Concilii præses, & ex alia Constitutione Bonifacii VII. (*p*).

2. Quod, cum dicit hic Papa: *Si divinis in ea se ingerat*; sequitur quod si is, cui ingressus Ecclesiæ cujusdam est interdictus, fit tantum irregularis in ea celebrando, nullam alibi celebrans incurrit irregularitatem, ut observat Glossa (*q*), „ quæ ita concludit: *Ergo secus, si extra eam .... si igitur sub aere vel sub tentorio, vel in domo privata celebret .... irregularis non erit.* Addit Joannes Andræas, ita sentire Innocentium IV., Hostiensem (*r*) & Durandum (*s*); & Fagnan. (*t*) refert quoque, hanc esse sententiam Abbatis (*u*) & Mariani Socini (*x*).

CASUS XIX.

Cum externum Regnum generali interdicto suppositum fuisset, ibique observaretur hæc censura, ne Rege quidem intercedente. Urbis primariæ Episcopus aliquoties tamen Missam celebravit. An factus est irregularis in hoc casu?

Respons.

Si Episcopus iste culpa sua locum dederit interdicto, aut speciatim in sententia interdicti denominetur; certum est, ipsum in hoc casu irregularitate fuisse ligatum: secus si non sit, celebrare potuit absque irregularitatis periculo: omnis quippe Episcopus, qui interdicto locum non præbuit, & qui nominatim non est interdictus, sine peccato celebrare potest, servatis tamen conditionibus in hac Innocentii III. dum Lateranensi Concilio præesset, constitutione expressis (*y*): „ Concedimus, ut cum „ commune terræ interdictum fuerit, excommu„ nicatis & interdictis exclusis, possint quando„ que januis clausis suppressa voce, & non pul„ satis campanis divina celebrare officia, nisi & „ hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. Ve„ rum hoc illis concedimus, qui causam aliquam „ non præstiterint interdicto.

Advertendum est 1. prærogativam hanc ab Innoc. III. Episcopis non fuisse concessam, ut speciale privilegium, num vero hanc eis jure communi concedi, ut fert summarium hujusce Decret. *Hodie istud non est privilegium Episcoporum, sed jus commune.* Id quidem constat ex Decretali Bonif. VIII. (*aa*).

2. Ex Joanne Audrea (*bb*) quem laudat Fagnan. (*cc*) privilegium illud etiam censeri concessum Cardinalibus non Episcopis, ut observat Glossa. (*dd*) Vide quatuor observationes initio responsionis ad primum casum verbi, *interdictum*, apposita.

(*a*) Mar. Soc. in c. e Ad audientiam. ran.
(*b*) Speculator t. 3. de dispens. §. Juxta.
(*c*) Sylv. v. Suspensio. q. 5. c.
(*d*) Fagn. ibid n. 30.
(*e*) Inn. IV. in d. c. Cum medicin n. 2. v. Secus autem.
(*f*) C. Transmiss. 25. de el.
(*g*) Abb. in c. Cum dilect. n. 20. v. Aut suspenditur.
(*h*) Geminianus. in c. e. Cum medicinalis P. Si quia autem num 5.
(*i*) Joan. Cald. tr. de interd. Ecclesiast. membro 2 q. 3.
(*k*) Palud. in 4. d. 18. q. 7. n. 3. conclus 2.
(*l*) Angelus 2. Suspensio. P. Tertio 2. 3
(*m*) Nav. man. c. 27. nu 163 v. Ex quo infertur. 2.
(*n*) Bon. VIII in c. c. Is cui l. 3 t 13.
(*o*) P. Si quis.
(*p*) Bon. VIII. in c. Episcop. §. de privileg. in 6. l. 5. t. 7.
(*q*) Gloss. ib. v. in ea.
(*r*) Host. in c. Sicut 48. de sent. excomm.
(*s*) Dur. in spec. de legib. c 2.
(*t*) Fagn. ad d. c. Vel non est compos. nu. 19.
(*u*) Abb. in c. cum dilect. n. 20. v. Aut est de consuetudine.
(*x*) Mar. Soc. ind. c. Ad audientiam de homic. nu. 130.
(*y*) Inn. III. in Conc. Later. in c. Quod nonnullis 25. de privilegiis l. 5. t. 33.
(*z*) Sylv. v. Interdictum. 5. q. 4. P. Quint.
(*aa*) Bon. VIII. in c. Alma. fin. de sent. excommu. in 6. l. 5. t. 11.
(*bb*) Andreas in add. t. ad specul. c. de legasis P. Sequitur. v. Item per hoc dico.
(*cc*) Fagn. in c. e Quod nonnullis de priv. n. 4.
(*dd*) Gloss. in c. Quoniam. fin. de privilegiis in 6. v. Indulgemus.

CASUS XX.

Methodius, Episcopus Nucerienfis, ab Papa suspensus *a collatione Beneficiorum*, quia Clericos de multis Beneficiis providerat, qui ipsis erant indigni, ab eo tamen tempore unum contulit. An factus est irregularis?

Collatio Beneficiorum, inquit Fagnan. (*ee*) non est actus alicujus ordinis sed actus meræ jurisdictionis ut ait Gloss. (*ff*) & ut observat Abb. (*gg*), quod etiam declarat Alex. III. (*hh*); qui dicit Episcopum licet, nondum consecratum, modo electio ejus confirmata fuerit, posse conferre beneficia. Hinc in Gallia jus conferendi quædam Beneficia ad Regem imo ad privatos quosdam pertinet Laicos, qui illud, nemine contradicente exercens, ut alibi dicimus. Unde sequitur, Methodium in casu proposito non incurrisse irregularitatem.

Id consentit cum decisione Innocentii III. (*ii*), qui in una e suis decretalibus declarat, ad querelam Archiepiscopi Eporacensis, quod qui beneficia absque sua auctoritate occuparant, dum erat suspensus, cogi deberent, etiam adhibita excommunicatione, ad dimittenda illa beneficia, præsertim, cum non neglexisset absolutiones petere de suspensione sua, etsi fuerit sua culpa suspensus, non ta„ men ad ipsum Capitulum ex illa culpa præben„ darum erat donatio devoluta; sed ad illum tem„ pore suspensionis illius præbendarum donatio „ pertinebat, qui præter ejus desidiam & negli„ gentiam poterat præbendas donare.

Ita sentit Sairus, qui Majolum criminatur, quod contrarium protulerat. „ Ex quibus infer„ tur (kk), errare Majolum, dum dicit tam su„ spensum a collatione Beneficiorum, quam su„ spensum ab ordinibus, si conferret Beneficium, „ esse irregularem. Cum vero collatio beneficii „ nullius ordinis sit actus, sed solum jurisdictio„ nis, ita ut Episcopus etiam non consecratus „ beneficia conferre possit, sequitur necessario ne„ que inducere irregularitatem, cum.. irregula„ ritas non nisi exercitio actus ordinis incurri „ possit. Cui rei consentanea sunt Hæc Fagnani dicta (*ll*); „ Cum Beneficiorum collatio nullius „ ordinis actus sit: sed solius jurisdictionis ..... „ Episcopus a collatione Beneficiorum suspensus, „ si illa confera, irregularitatem non incurrit... „ quicquid contra scripserit Majolus (*mm*); cu„ jus errorem redarguit Sairus (*nn*).

CASUS XXI.

Cum Papa quamdam Hungariæ Diœcesim interdicto submisisset, tamen Episcopus solito more die in cœna Domini consecravit Chrisma, ad unctiones Baptismi & confirmationis adhiberi solitum. An potuit non violato interdicto, neque incursa irregularitate?

Respons.

Episcopus iste in casu proposito Chrisma consecrare potuit absque irregularitatis periculo; cujus quidem rei causa ducitur ex hac Bonifacii VIII. declaratione (*oo*); „ Quoniam in Baptis„ mo & confirmatione (quæ nedum pueris, sed „ & adultis propter moræ periculum exhiberi „ possunt licite tempore interdicti) Chrismatis „ utimur unctione posse licet terra interdicta exi„ stat) Chrisma die cœnæ domini confici du„ bium non existit.

Auctor Glossæ hanc affert rationem, quod cum licitum sit Baptismum & Confirmationem administrare, non obstante interdicto, & duo illa Sacramenta conferri non possint: nisi supremum caput in Baptismo, & frontem in confirmatione Chrismate ungendo, necesse est omnino ut Episcopus die in Cœna Domini novum consecret, quia vetus debet comburi, uti jubet Ecclesia (*pp*). Sic autem Auctor Glossæ hujus ultimæ constitutionis Bonifacii VIII. Verba exponit (*qq*). „ Quasi dicat, concesso Baptis„ mo & confirmatione tempore interdicti, satis & „ concessum confici Chrisma. Et est ratio quia vetus „ Chrisma non debet esse usui, nec de illo veteri „ Chrismate debet quis Chrismari: & deponitur „ Sacerdos, qui de illo cæteros Chrismare ungit bapti-

(*ee*) Fagn. in c. Vel non est de temp. ordin. n. 64.
(*ff*) Gloss. in c. Transmiss. 33. de elect. & 4. v. Talibus
(*gg*) Abb. in c. Cum dilectus de consuetud. num. 17
(*hh*) Alex. III. in c. Nosti 9. de elect.
(*ii*) Inn. III. in c. Quia diversitatem 5. de conc. præb. c. Ecclesiæ non vacantil. 3. t. 8.
(*kk*) Sairus l. 3. de irregularitate c. 39. n. 5. ver. 3. v. Extensio & n. 5. v. 24. Extensio.
(*ll*) Fagn. in c. Vel non est compos. 3. de temp. ordinat. num. 24.
(*mm*) Majolus de irregularitate l. 6. c. 69. num. 2.
(*nn*) Sairus de censuris l. 4. c. 26. n. 3.
(*oo*) Bon. VIII. in cap. Quoniam 19. de sent. excomm. in 6. l. 5. t. 8.
(*pp*) Concil. Lugd. in can. Si quis 122. de consec. dist. 2.
(*qq*) Gloss. ib.

baptizatum, nisi in mortis articulo (a). Unde omni anno in die Cœnæ debet Chrisma confici, & vetus cremari (b). Vere ergo insurgit hoc decretalis dictum: quia si tempore interdicti permittuntur Sacramenta, in quibus utimur Chrismate, & vetus Chrisma non debet esse usui: ergo restat, quod permissum intelligitur, eo tempore die Cœnæ Chrisma conficere: quia concesso principali est concessum accessorium.

CASUS XXII.

Camillus, lapsus in mortale peccatum, quo ex præscripto Canonum fit suspensus; non obstante ista censura celebravit; postquam tamen culpam suam sincera pœnitentia expiavit. An ex eo factus est irregularis?

Respons.

Regula est, de qua omnes consentiunt, a nobis jam constituta in alia decisione, irregularitatem non contrahi, nisi in casibus jure expressis: hoc est, aliquo Canone vel decretali in corpore juris Canonici contentis: Id declarat Bonifacius VIII. (c) in una e suis Constitutionibus, in qua dicit, quod v. g. si Sacerdos coram excommunicatis celebrat, non fit irregularis, ejusque rei hanc affert rationem: *Cum id non fit expressum in jure.* Ita quoque sentiunt Durandus (d) & Hostiensis (e), qui dicit *Ego neminem de facili irregularem judico, nisi jus expressum ad tale judicium me compellat*. Cardinalis Zabarella idem asserit (f), & duo isti ultimi consentiunt, quod *hæc regula optima est*. Quo circa is qui tale crimen admisit, non fit irregularis, nisi, ut observat idem Cardinalis (g), suspensio lata sit *per modum sententiæ*, hoc est, nisi simul Canon declaret, reum irregularitatem esse incursurum, si violet suspensionem, ut patet in quibusdam decretalibus, quæ rem ita explicant. Reperitur una in sexto (h), in quo Innocentius IV. anno uno suspensum declarat Judicem Ecclesiasticum, qui a recto abstractus injustam feret sententiam; & addit, quod in hoc casu in irregularitatem incidet, si suspensionem non teneat. *Sciturus, quod, si suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet.* In alia quoque Constitutione declarat Bonifacius VIII. (i), quod is, qui ab Ecclesiæ ingressu est interdictus, *irregularis*, inquit, *efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea* (Ecclesia) *se ingerat*; qua de re observat Glossa, hoc interdictum non de eo solum intelligi, quod est *ab homine*: tunc enim nulla est difficultas de irregularitate illius, qui tale frangit interdictum: sed etiam de interdicto *a jure*; quo in casu reus fit etiam irregularis; quia expresse declarat hæc constitutio, & *per modum sententiæ* effertur.

Denique Bonifacius VIII. (K), postquam declaravit, in casu, de quo diximus, Sacerdotem non fieri irregularem; quia id non est expressum in jure, alium addit casum de Sacerdote, qui extra casus jure concessos in loco interdicto celebrat; quo in casu fit irregularis.

Nobiscum sentit Fagnanus (l) de proposita difficultate, & in hoc sequitur Archidiaconum (m), quem laudat Ancharanus, qui dicit (n): *Suspensus propter crimen tum demum irregularitatem incurrit, cum Canon hoc exprimit.* Quod etiam asserunt alii Canonistæ a Fagnano laudati.

Unde sequitur, quod si Camillus fit criminis conscius, cui ab aliquo Canone annexa fuerit suspensio *per modum* sententiæ, & irregularitatem Canon expresserit pro iis, qui censuram hanc violabunt, qualia sunt homicidium voluntarium, confidentia & simonia; & in hoc statu celebraverit, irregularitate ligatus est; quamcumque de peccato suo pœnitentiam habuerit ante celebrationem; sed quod, si Canone tantum suspensus declaretur hujusce criminis reus, non addita suspensionis infractioni irregularitatis pœna, tum non est irregularis: quamvis gravissime deliquerit non obtenta prius suspensionis absolutione.

Juvat observare, Auctorem Glossæ (o), & Toletum (p) ab Innocentio IV. dissentire: at conciliari possunt duæ illæ opiniones adhibito medio, dicendo cum Silvestro & aliis multis, quod; cum suspensio *a Canone* non oritur nisi *ex defectu*, tunc non incurritur irregularitas, si quis celebret hac suspensione ligatus; & quod econtra, si hæc suspensio orta fuerit ex aliquo crimine, tunc irregularitas incurritur. Tutior ad conscientiam nobis videtur hæc opinio, quam tenendam putamus; ceterum, quæcumque sit suspensio *a jure*, certum est irregularitatem semper incurri, in hac suspensione celebrando; cum id jure exprimitur, uti observatum fuit.

(a) Cap. Si quis. de cons. dist. 4. can. Si quis de alio.
(b) De consecr. dist. 3. can. Litteris.
(c) Bonifac. VIII. in c. Is qui 18. de sent. excom. in 6. l. 5. tit. 11.
(d) Speculat. tit. de dispens. § Juxta. n. 21.
(e) Hostiensis in c. Si quis propter. n. 4. de Cleric. excom. ministrante. Et in c. Quod ad translationem. 21. num. 3. de temp. ordinat.
(f) Cardinal. in c. Si celebrat. 10. de Cler. excom. n. 4. col. 1. vers. Sed utrum. & col. 4. vers. 4.
(g) Card. Zabarel. in c. Vestra. 7. n. de cohabit. Clericorum & mulierum.
(h) Innoc. IV. in c. Concil. Lugd. in cap. Cum æterni. 1. §. Sciturus. de sent. & re judicata. in 6. l. 2. tit. 14.
(i) Bonifac. VIII. in c. Is qui. 18. de sent. excom. in 6.
(k) Bonifac. VIII. in c. Is qui. 18. de sent. excom. in 6.
(l) Fagnan. in c. Quæsitum. de cohabit. Cler. & mulier. n. 14. & seqq.
(m) Archidiaconus in c. Cum æternus. de re judicata. in 6. n. 5.
(n) Ancharan. in c. Vestra. 7. de Cohabit. Cler. & mulierum. l. 3. tit. 2. n. 12. v. Præterea.
(o) Gloss. in c. Si celebrat. 10. de Cleric. excommunicato, &c. v. Nec eligere.
(p) Tolet. lib. 1. cap. 47.

CASUS XXIII.

Cum tempore belli in terram Rex insulæ evadere Angli tentassent, huicque excursioni obstitissent milites una cum incolis armati, arma quoque sumpsere octo decem-ve Religiosi, totidemque Sacerdotes unica se tuendi, non vero quempiam occidendi intentione; simulque cum aliis diplosia minoribus tormentis in hostes detonuere; ita ut eos repulerint, interfectis ducentis aut trecentis, non cognito tamen, an quemquam ex iis occiderint alii Sacerdotes & Religiosi. Qua de re quæritur; num in hoc casu irregularitatis laqueo fuerint involuti; an vero in dubio, se uti irregulares & habere & gerere debeant.

Videtur, quod eam non incurrerint, & in dubio suo sub reatu conscientiæ suæ teneantur ad se gerendos uti irregulares, & a celebratione cæterisque functionibus Ecclesiasticis abstinendum, quia tunc agebatur de tutanda Religione, patria, & etiam libertate, nec non de vita sua, quam aliter incolumem præstare non poterant, quam hostes suos aperta vi congredientes occidendo.

Videtur e contra, quod sint irregulares, ut jure multisque iisque validissimis rationibus probari potest.

1. Quia Constitutio Clementis V. (q), qua fertur occidi posse aggressorem absque irregularitatis vinculo; modo id fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, loquitur tantum de rixa, aut certamine singulari, hoc est, de eo casu, in quo privatus quispiam alterum injuste aggreditur, *& qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*; ut loquitur hic Papa: Ita constitutionem hanc explicant multi Doctores cum Auctore Glossæ (r), qui dicit: *Inangulatus erat, vel sic arctatus, quod fugere non poterat, nec se juvare clamore, vel aliter:* Quod non potest intelligi nisi de pugna singulari, in quo quispiam vitæ suæ vel fuga, vel clamore consulere potest; non vero de pugna bellica in qua fugere non licet; & omnes pugnantes sibi invicem opem præstare tenentur. Hac igitur Constitutione unicus ille excipitur casus, neque ea ullatenus antiquis derogat Canonibus, ex quibus homicida quilibet est irregularis, absque ulla exceptione, neque alla adhibita distinctione inter bellum justum, vel injustum, necessarium, vel necessarium; offensivum aut defensivum.

2. Clementina illa nequit intelligi de pugna militari; alioquin in bello justo hostes possent occidi, absque ullo irregularitatis vinculo; cum tantum ad defensionem patriæ suæ, libertatis & vitæ occidantur, & aggressores ipsos eadem urgeat necessitas; nullus quippe miles est, qui de vita sua non periclitetur, nisi hostem suum occidat. Notum est tamen, ad statum Clericalem milites non admitti absque Papali dispensatione de gestione armorum; licet pro certo non habeant, se hostem quempiam interfecisse.

3. Eadem Constitutio Sacerdotibus atque Religiosis prædictis favere non potest; quia de iis solum loquitur, qui aliter mortem vitare non possunt, quam hostes occidendo. Atqui Sacerdotes & Religiosi illi ex insula in continentem terram migrare poterant, ut alii multi jam secesserunt. In remotum etiam locum poterant recedere; ibique Deo submissi orantes ac gementes rei expectare exitum; quod arma offensiva ordinia sui viris non convenirent, qui aliunde ob paucitatem suam vel minimam in hac occasione præstare opem poterant.

4. Clemens V. nullatenus de Clericis, sed de laicis

(q) Clemens V. in c. Si furiosus. unico de homicidio &c. L. 5. de Clementinis. tit. 4.
(r) Glossa in c. cit. v. Non valens.

cis tantum verba facit, & decretalis ipsius pro Clericis antiquos non abrogat Canones modo referendos, ex quibus indistincte irregulares declarantur in similibus casibus. Hinc, de quo agitur, igitur pristinum suum illi Canones obtiaent vigorem præ Clericis & Religiosis, quibus præcipue dictum est, quod Petro Christus mandavit (*a*): *Converte gladium tuum in locum suum*, ex his Innocentii I. verbis in Canone (*b*) relatis, *Cum a Judæis ... Dominus caperetur, & Petrus cujusdam inobedientis aurem abscinderet; ferire probibuit, & forma omnium Sacerdotum, quorum prior erat, etiam pro se ipso cepi arma Carnalia probibuit.*

(*a*) Matth. 26. 51.

(*b*) Innoc. I. in can. *Cum a judæis.* 2. 23. q. 8.

5. Ex multis Canonibas irregulaees declarantur hujusmodi clerici. Nam v. g. extat Canon Nicolai I. (*c*), qui homicidium tam stricte ac generaliter prohibet, ut excipi nequeat casus ille, in quo facere Sacerdotes illi ac Religiosi: En ipsius verba: *Scito nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo accidendi.* Hæc sunt etiam verba alterius Canonis ex antiquo Concilio deprompti (*d*): *Similiter si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur.*

(*c*) Nicol. I. in can. *De his.* 6. dist. 50.

(*d*) In can. *Si quis.* d. dist. cit.

Concilium Ilerdense, an. 524 habitum, a Gratiano, uti superiores Canones, relatum non mitius loquitur (*e*), ac præter irregularitatem injuriam, severam quoque ac diuturnam imponi vult pœnitentiam Clericis, qui in urbis obsidione, in qua proinde agebantur patria, bona, libertas ac vita obsessorum, arma sumpsissent, quin tamen in eo designetur, illas quemquam hostium occidisse: *Qui in obsessionis necessitate positi fuerint*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *id statutum est, ut qui altario ministrant, & Christi Corpus & Sanguinem tradunt, vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab omni humano sanguine, etiam hostili se abstineant. Quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio, quam communione Corporis Domini priventur: ita ut his duobus annis, vigiliis, jejuniis, orationibus & eleemosynis pro viribus, quas Dominus donaverit, priventur.*

(*e*) Concil. Ilerden. in can. *De his.* 36. ead. dist.

6. Antiqui illi Canones jure novo decretalium confirmantur, ac præsertim ex decretali Innocentii III. scribentis ad Archiepiscopum Cantuariensem (*f*), in qua hic summus Pontifex Clericos omnes, & a fortiori Religiosos, quod omnino mundo valedixerint, inhabiles ad pugnandum in bello declarat. *De Clericis vero duximus respondendum*, inquit, *quod cum Clericatus officium eos roddat inhabiles ad pugnandum &c.*

(*f*) Innoc. III. in c. *Ex nullo.* 9. §. 3. de voto &c. l. 3. tit. 34.

7. Est etiam decretalis Honorii III. (*g*), qua etiam certius probari potest, Sacerdotes illos & Religiosos ex Rea insula, esse irregulares. Nam declarat, quemdam Sacerdotem, nomine Pelagium, qui armatus seipsum defenderat in hæreticos, aut infideles, a quibus obsessum fuerat castellum, in quo remanebat, & qui tamen dubitabat, num quempiam horum accidisset, a celebratione abstinere debere., quia in hoc dubio se irregularem reputare debebat. Hæc sunt verba hujusce Pontificis: *Mandamus, quatenus si de interfectione cujusqnam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstineas reverenter; cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare.*

(*g*) Honorius III. in c. *Petitio.* 34. de homicidio voluntario vel casuali.

8. Eandem doctrinam docet S. Thomas (*h*), isto nixus Christi præcepto: *Converte gladium tuum in locum suum*; unde ita concludit, *ergo non licet eis* (ministris scilicet Dei & Ecclesiæ) *pugnare*; nullaque adhibita distinctione inter aggressionem & defensionem, addit, Clericos omnes, qui occidunt, fieri irregulares; quod intelligit de irregularitate *ex delicto*, ut patet manifeste ex ejus responsionibus ad objectiones.

(*h*) S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 2. in argum *Sed contra.* & in corp.

9. Denique confirmari possunt hæc omnia argumenta ex Concilio Tridentino (*i*), quod decretali Clementis V. modum quemdam posuisse videtur, dicendo: *Si vero*, inquiunt Patres hujusce Concilii, *homicidium, non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob caussam etiam ad Sacrorum Ordinum & altaris ministerium & beneficia quæcumque ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex caussa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi caussa cognita & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.* Quibus verbis constat, necessariam esse dispensationem ad suscipiendos aut exercendos Ordines, ac possidenda Beneficia, quamvis nulla esset culpa quo ad mortem occisi: quæ necessitas procul dubio irregularitatem supponit in eo, qui dispensatur.

(*i*) Concil. Trid. sess. 14. de reformat. c. 7.

Atque hæc sunt potissimum argumenta, quibus probari potest, Sacerdotes ac Religiosos, de quibus in casu proposito agitur, esse irregulares. Nonne ad hanc rem istæ sufficiunt probationes?

RESPONS.

Sacerdotes & Religiosi, qui sumptis armis in casu proposito pugnaverunt, in quo ducenti trecentive ex hostium copiis cæsi sunt; non cognito tamen, qui sint homines privati, a quibus fuere occisi, in irregularitatem non incurrerunt.

Ratio est, quia generatim ii omnes, qui suos occidunt aggressores, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, & quibus moraliter certum est, se aliter vitæ suæ non posse consulere, nullam incurrunt irregularitatem; ut definivit Clemens V. in Constitutione laudata initio casus propositi; modo non occidere sed se tantum defendere intenderint: Ii autem de quibus fit sermo, in hoc casu versantur: cum ab hostibus oppugnentur, eo magis timendis, quod Catholicæ Religioni ejusque Ministris magis sint infensi, quam ipsi patriæ, & adeo minus exorandi, quam si Regno inviderent, pro quo tamen solo tuendo vitam suam committere debet quilibet subditus. Insuper de internecione periclitabantur Sacerdotes illi ac Religiosi, si copiarum atque incolarum agmina suissent perrupta: Unde major ipsis instabat ratio sumendi arma una cum jam armatis ad hostem vi repellendum: Cum jure naturali vim vi repellere cuique sit licitum (*K*). Quare irregularitatem non incurrerunt, quæ dicitur *ex delicto*; ut probare nituntur adversarii ex auctoritatibus in proposita specie allegatis; cum nulla sit culpa in defendenda vita sua, aggressorem etiam occidendo ea, qua diximus ratione. *Idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*, inquit Clemens V. (*l*).

(*k*) Ibid. in cap. *Jus naturale.* 7. dist. 1. Innoc. III. in cap. *Olim* 12. de restit. spoliatorum l. 2. tit. 13.

(*l*) Clemens V. in Clementina. *Si furiosus.* cit.

Ad majorem hujusce decisionis elucidationem, satis erit, si allatis objectionibus ad stabiliendam contrariam sententiam sua subjiciatur responsio.

Dicimus ergo 1. Constitutionem Clementis V. non intelligendam esse tantum *de rixa privata*, uti affirmatur: Nam termini, quibus utitur hic Papa, sunt generales, iisque proinde continentur hostes quilibet, seu privati, seu in unum corpus coacti, qui sunt *invasores*, & quorum vis aliter nequit repelli, quam vim adhibendo eosque occidendo; quin de vita moraliter certum incurratur periculum ob eorum furorem. Ex quo sufficienter refellitur altera ratio, quæ objicitur; cum ista constitutio ad privatam aggressionem non restringatur, sed non minus de bello defensivo intelligi possit, quam *de rixa privata*; præsertim, cum agitur respublica, defensio patriæ ac propria salus: quia ex hac juris regula (*m*): *Ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Et quidem jure naturali non minus communitati, quam privato homini, licitum est injustos occidere invasores ad tuendam vitam suam. Atqui jus naturale positivo tolli nequit, non igitur juræ præsumi potest, hanc fuisse intentionem Ecclesiæ, ut interdictum suum eique conjunctam pœnam ad casum in proposita specie expressum ampliaret. Nam cum ab irregularitate expresse illos exemerit, qui in privato certamine injustum occidunt invasorem, cum aliter vitam suam incolumen præstare nequeunt; eo magis probabile est, hanc exceptionem ex ejus intentione ad eos extendi, qui eadem necessitate pressi simul congrediuntur; cum publicum bonum sine dubio hominis privati vitæ sit anteponendum.

(*m*) Argum. Legis *De pretio.* ff. de publiciana in rem actione. lib. 6. tit. 2.

Quod additur dicendo, milites Clericalem statum non posse amplecti absque prævia dispensatione de irregularitate; quamvis non constet, eos quempiam ex hostibus occidisse; nullius est momenti, ob paritatis institutæ dissimilitudinem; quandoquidem

Sacer-

Sacerdotes ac Religiosi, de quibus loquimur, non sunt milites ad bellum auctorati: quod quidem si ab iis factum fuisset, rei essent, quod id eis Canonibus sit vetitum, uti conditio incompatibilis cum statu ac ministerio suo. At arma tantum sumpsere in urgenti & improvisa necessitate, in qua agebatur de tuenda patria sua, Religione ac propria salute: quæ ratio sufficiens erat, ut arma caperent, absque metu pœnæ alicujus Canonicæ, ac irregularitatis; cum ut diximus jure naturali vitam suam tueri sit licitum, cum aliter mors vitari non potest, & quisque, seu Laicus, seu Ecclesiasticus propriam teneatur vitam profundere in necessitate adeo urgenti, in qua agitur patriæ utilitas.

2. Sed si licitum sit, inquiunt, occidere in casu proposito, sequeretur, quod nemo irregularis fieret, quando bellum est legitimum; cum vulgo nullum sit legitimum, quam illud, quod ad defensionem patriæ spectat: Atqui tamen Clericus quis fieri non potest, nisi ante dispensatus, de gestione armorum. Ad quod respondendum, non legitimam esse complexionem istam: quia possunt esse bella defensiva; quæ quis sequi potest, quamvis mors vitari queat non bellum ineundo, & salva possit esse & incolumis patria, quin isti & isti privati teneantur hujus esse participes; nec adeo quemquam mutilare vel occidere; & proprie in tali bello auctorati milites dispensatione indigent; sed usus non obtinet, ut requiratur in eo casu, *in quo mors aliter vitari non potest, nec patria conservari*.

3. Quando objicitur, Sacerdotes illos ac Religiosos ex insula potuisse exire instar aliorum, qui jam fugam ceperant; atque adeo, cum fuga vitæ suæ possent consulere, eos in casu Constitutionis Clementis V. non esse constitutos. Respondendum verba illa Clementis V. *Mortem aliter vitare non valens &c.* non esse intelligenda de eventu, sed de judicio periculosi status, in quo quis versatur. Atqui talis erat istorum Sacerdotum ac Religiosorum status, ut vitam suam incolumem præstare ac patriam non possent moraliter, nisi hostes oppugnantes mutilando vel occidendo; ac prudenter de suo statu judicabant, habita ratione circumstantiarum ipsius. Nam passum totam oppugnabant insulam hostes patriæ ac Religionis: Et si vim eorum non repulissent incolæ, gladio ipsis interemptis, & patriam & Religionem funditus evertissent. Tam manifestum erat discrimen, ut vel minus perspicaces illud cognoscerent. Igitur in suo non errabant judicio, atque adeo ad sui defensionem erant coacti, ea qua fecerunt ratione, pro sua patriæque salute.

4. Nec vacat dicere, Sacerdotes illos ac Religiosos vitæ suæ fugientes posse consulere. Cum enim in eo, quo supponitur, statu res essent positæ, nec vitari posset periculum; jam ad continentem terram transfugere non poterant, quamvis paratas habuissent naves, absque periculo non minus, quam prius erat manifesto: præterquam quod & suam patriam & Religionis defensionem contra officii sui debitum turpiter deseruissent.

5. Ad antiquos vero, qui referuntur, Canones facilis est responsio, dicendo, eos non debere intelligi de homicidio, quod ineluctabili necessitate patratur, ut observat Auctor Glossæ in unum ex his Canonibus (*a*), quo de casu tamen in proposita specie agitur: *Si fuit inevitabilis necessitas, sine omni dispensatione potest ministrare in ordine jam habito*; ut loquitur hæc Glossa, quæ rem eandem in alterius Canonis expositione repetit, in qua rationem perpendens, ob quam Clerici in castello obsessi arma sumentes, & contra oppugnantes non sine sanguine fuso se defendentes, pœnitentiæ subjiciuntur, & functionum suarum exercitio privantur, his verbis de ea re loquitur: *Intelligimus istud de necessitate evitabili, qua poterant bene exivisse Castrum ante adventum paganorum. Si enim esset inevitabilis necessitas, non imponeretur eis pœnitentia. Unde dicas, quod si est necessitas inevitabilis, sine omni dispensatione potest celebrare in ordine habito.*

(*a*) Glossa in cap: *De his* cit. dist. 50. vod. v. *De his.*

6. Innocentii III. Decretalis laudata, qua fertur ex Officio Clericali personas Ecclesiasticas fieri *inhabiles ad pugnandum*, huic Decisioni non adversatur: quia loquitur tantum hic Summus Pontifex de iis, qui ad sacrum bellum arma sumere possunt, e quorum numero Clericos excipit; quia cum armis non convenit ipsorum professio. At non asserit idem, eos esse inhabiles *ad se* defendendum, cum ad id inevitabilis aut mortis aut victoriæ necessitate coguntur: qua de re tamen agitur in quæstione, ad quam respondemus.

Neque sententiæ nostræ contraria est Honorii III. Decretalis. Nam declarat tantum, quod consultus hic Papa a Sacerdote, qui in area a Sarracenis obsessus, & cum obsessorum parte facta in hos barbaros irruptione, quosdam perculerat, dubitabat, num esset irregularis; Respondet Papa, quod, si quemdam occidisset, satius erat, ut in hoc dubio a celebratione abstineret: neque hoc ei dat consilium, nisi facta hypothesi, quod quempiam occidisset; nec absolute definit, eum esse irregularem; Neque enim ex percussione tantum, sed ex mutilatione aut occisione alterius tantum fit quis irregularis, cum aliter vitæ suæ potest consulere. Nihil igitur aliud asserit hic Papa, quam consultius esse in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare; atque adeo quidquam decisioni nostræ contrarium non definit.

7. Quod pertinet ad sanctum Thomam, intelligi debet de Clericis, qui aliquem mutilant aut occidunt in bello, aut aliqua peculiari occasione, in qua vitam suam alia via tutare possent. Frustra igitur ejus allegatur auctoritas in præsenti quæstione, ut patet evidenter ex hactenus dictis. Certum quidem est, alibi ab Angelico Doctore affirmari, a Clericis unquam neminem esse occidendum, licet aliter vitæ suæ consulere non possent: Qua in re jus antiquum sequitur, quod tempore suo vigebat, & cujus illustre videtur vestigium in Canone Concilii Triburiensis (*b*); *Si quis Clericus nimium coactus homicidium fecerit, sive sit Presbyter, sive Diaconus, deponatur*. Et in uno ex iis, qui fuere objecti (*c*); At contrarium postea statutum reperitur Constitutione Clementis V. qui ea in re juri antiquo derogavit.

(*b*) Concilii Tribur.

(*c*) Cit. can. *De his.* c. dist. 50.

8. Neque adversariis nostræ sententiæ favet Concilium Tridentinum: Certum quidem est, quod si de eo nude & ex verbis judicetur, reliquum quid irregularitatis ant quo jure constitutæ retinere videtur sacrosancti hujusce Concilii Decretum; sed intelligi tantum debet de casu, in quo quia alium interficit, *sine moderamine inculpatæ tutelæ*, aut potens vitam suam servare incolumem, non occiso aggressore suo; quo in casu procul dubio incurritur irregularitas. Equidem dicit illud Concilium: *Vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderat*; at cum Clemente V. non addit, *Mortem aliter vitare non valens*. Qua sola circumstantia vitantur culpa & irregularitas, & quæ in casu nostro reperitur. Hinc etiam suaderi potest, germanam hanc esse Concilii mentem, quod Clementis V. Constitutionem non revocet, quam profecto revocasset, si irregularitatem jure antiquo constitutam innovare intendisset. Eo igitur fine latum est illud Decretum, ut poneretur discrimen inter eos, qui consulto occidunt, & eos qui occidunt tantum data occasione, & iræ impetu abrepti, quamvis ad sui tutelam interficiant, aut cum non occidere possunt, aut cum non servant moderamen inculpatæ tutelæ: quo in casu ob humanam infirmitatem eos ad reconciliationem admittit, quam absolute iis recusat, qui deliberata mente proximo suo crudeliter vitam abripiunt. *Cum etiam quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat qui sua voluntate homicidium perpetraverit; etiam si crimen id, nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit; nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua beneficia Ecclesiastica, etiamsi curam non ha-*

brunt animarum conferre licent. Hæc sunt verba Concilii, quæ immediate objecta præcedunt, & ex quibus manifeste ostenditur, discrimen, quod inter hos & illos intercedit: quod nullatenus ad difficultatem præsentem pertinet, in qua se defendendi necessitas est absoluta & inevitabilis, & in qua versantur ii, qui in hostes oppugnantes se defendunt, omneque servant inculpatæ tutelæ moderamen.

9. Denique respondendum ducimus ad testimonium S. Matthæi, quo probare contendunt, mandatum illud Christi sancto Petro factum: *Converte gladium tuum in locum suum*, ad Clericos potissimum spectare. Dicimus itaque præceptum illud non specialius ad Clericos pertinere, quam ad omnes Christianos in genere, quibus a Christo Domino proximi vetatur homicidium. Id quidem luculenter patet ex verbis immediate post additis: *Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt*. Ratio est, quia Petrum tunc Christus non habebat, ut Ecclesiæ suæ caput; quicquid de ea re sentiat Gratianus (*a*), quia Principatum hunc ipsi tantum contulit post Resurrectionem suam; sed ut privatum hominem, quem arma sumere vetabat ad sui defensionem in Judæos, aut aliquem occidere, vel mutilare. Reipsa si injustum invasorem ad propriam vitæ suæ tutelam occidere aut mutilare licitum sit, cum mors aliter vitari non potest; non idem dicendum, cum agitur tantum de vita Domini sui aut amici; fatemur enim, eum non posse occidi, qui Domino aut amico vitam adimere contendit, nisi irregularitatem incurrendo; quod casus iste Clementis V. Constitutione, vel alio Canone non excipiatur. Ex hoc igitur exemplo quidquam concludi non potest in Sacerdotes & Religiosos, de quibus loquimur. Quare eos nullam in proposito casu incurrisse irregularitatem perseveranter affirmamus, non modo ob allatas rationes, sed quia cum irregularitatis materia sit odiosa, restringi debet ex hac juris regula (*b*): *Odia restringi ... convenit*, & proinde in dubio juris, quale est istud, præsumi non debet, hominem esse irregularem, uti alibi probabimus (*c*). Quibus addi potest quod, ut isti Sacerdotes ac Religiosi irregularitatem quæ dicitur *ex delicto*, & de qua nunc agitur, incurrerint, supponendum est, ut cum aliis Canonistis observat Navarrus (*d*), eos mortaliter peccasse, & Ecclesiæ regulas contemsisse, oppugnantes se hostes vi armisque repellendo; atqui valde probabile est, ne dicamus, certissimum, in hoc eos mortaliter non peccasse; & saltem non certum est, sed ad summum, dubium est tantum, jure irregularitatis pœnam iis infligi, qui in simili casu versantur: Ita sentiunt Sylvius & Fagnanus, qui plures alios laudat Canonistas, uti Hostiensem, de Butrio, Goffredum, Innocentium, Joannem Andream, Cardinalem, Abbatem, aliosque permultos (*e*).

(*a*) Grat. 23. q. 1. §. 1

(*b*) Reg. 15. d. reg. juris in 6.

(*c*) Cas. 30.

(*d*) Navarr. Manual. c. 27. n. 232.

(*e*) Sylvius resol. var. v. *Irregularitas*. 3. Fagn. in c. *Pervenit*. 2. de immunit. Ecclesiarum &c. n. 12. §. *Alii demum*. & apud eum Hostiens. d. 1. de Butrio num. 5. Goffredus in Sum. ejusd tit. §. *A quibus*. v. *Materna*. Innoc. IV. in c. *Non minus*. eod. tit n. 5. Joan. Andreas ibid. n. 8. Cardinalis n. 3. in 30. opposito. Abbas. n. 3. v. *Sed certe*. Angel. n. 34. & alii. De Sainte Beuve tom. 3. cas. 121.

Ceterum putamus, in simili casu consultius esse ad Papam recurrere, saltem ad vitandum pusillorum futurum scandalum; quamvis id absolute necessarium esse non judicemus.

CASUS XXIV.

LUCAS manifesto mortis periculo expositus a Gregorio, inimico suo infensissimo, qui propius stricto ense se persequebatur, ipsum occidit, aliter mortem vitare non valens timet, ne irregularitatem incurrerit, quod hominem hunc primus atrocibus injuriis affecerit, quibus ad vindictam impulsus fuerat, & quia data ob culpam suam homicidio commisso occasione, pœnam ipse ferre debeat. An irregularis est ob istam circumstantiam?

RESPONS.

Contendunt Auctores quidam, ex hac circumstantia non effici, ut homo iste sit irregularis; quia, licet verum sit, ipsum graviter peccasse in Gregorium injurias proferendo, atque ea de caussa ad iram & vindictam excitando; non minus tamen certum est, a jure se ipsum tuendi Lucam non excidere, & etiam invasorem suum occidendi, cum aliter vitæ suæ consulere nequit, quia aggressori illi nullum jus competit privata auctoritate ulciscendi, & proximi sui vitæ insidias parandi. Quare inquiunt Auctores illi, est in casu Clementinæ, *si furiosus*, quæ clare & absque ulla distinctione vel restrictione dicit (*f*): *Idem censemus de illo, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem*. Et quidem addunt, jure naturali vim vi repellere cuique licitum est; hinc ait Lex (*g*): *Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur*. Et his assentitur, sanctus Thomas, dicens (*h*): *Secundum jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Quod verum putant, quamvis homicida in hoc casu, etiam odiose, alteri vitam eriperet: quamvis enim in hoc casu ob pravum animi affectum lethaliter peccaret, quoad actionem tamen licitum foret homicidium, cum aliter, ut supponitur, propriæ vitæ suæ consulere non posset, neque occidendo homicidium intendisset: quod ex eorum sententia satis est, ut irregularitatem non incurrat, ad sensum litteralem & nativum Constitutionis Clementis V.

(*f*) Clemens V. in cit. cap. *Si furiosus* uni. de Homicid. l. 5. Clement. tit. 4.

(*g*) Leg. *Ut vim*. 2. ff. de Justitia & jure l. 1. tit. 1.

(*h*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. in corp.

Aliter tamen sentiunt quidam Auctores, fulti potissimum Concilio Tridentino (*i*), quod dispensationem exigendo in eo qui interfecit, *vim vi repellendo, ut .... se a morte defenderet*, censetur a fortiori eam exigere in illo, qui invasorem interfecit, quem atrocibus convitiis provocavit, & cujus aggressionem aut prævidebat, aut prævidere debebat.

(*i*) Concil. Trid. sess. 14. c. 7.

At respondent prioris opinionis assertores, Concilium intelligendum esse duntaxat de necessitate evitabili; quo in casu consentiunt, homicidio annexam esse irregularitatem. Addunt verba Concilii posse intelligi de irregularitate præsumpta in foro externo, non vero in foro interno, seu conscientiæ: atque ideo, inquiunt, Concilium, quando dispensationem ad ordines suscipiendos exigit, utitur verbo, *quodammodo*, hoc est, non absolute, sed aliqua ratione, quoad forum externum, & ad majorem securitatem.

Sed quicquid sit, & non habita eorum, quæ pro prima opinione diximus, ratione, existimamus, tutiorem esse assertorum secundæ opinionis viam, quatenus consentanea est huic regulæ, quam jus astruit (*k*): quod nimirum, cum rei illicitæ datur opera, ac præcipue si ad homicidii periculum res spectaret, qualis est Lucæ insultatio Gregorio facta, tum incurritur irregularitas, ubi homicidium etiam casuale sequitur: quia qui vult caussam proximam & immediatam homicidii, sufficienter quoque homicidium sequens velle censetur. Hinc dicit Alexander III. (*l*); *Diaconus*, inquit, *qui homicidio caussam dedisse videtur, non videtur ad Sacerdotium promovendus*. Id quoque docet Angelicus Doctor his verbis (*m*): *Si vero* (aliquis) *det operam rei illicitæ; vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis sequutur*. Ceterum supponi necesse est, quod ut jam in 23. Decisione diximus, ad vitandum homicidii reatum, & inde sequentem irregularitatem, nulla debet necessario esse intentio occidendi aggressorem suum, sed solum vitam suam defendendi.

(*k*) Alex. III. in c. *Ex literis*. ... *Continebatur*. 8. de homicidio voluntario vel casuali. Innoc. III. in c. *Suscepimus*. 10. & in c. *Sicut* 30. eod. tit. lib. 5. tit. 12.

(*l*) Alex. III. in c. *de cetero*. 11. eod tit.

(*m*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. in corp.

CASUS XXV.

GALTERIUS, morte damnatus, ob cædem ex insidiis a se commissam, a quinque sexve subito lacessitus satellitibus, quibus ipsum, aut vivum, aut mortuum detinere jussum fuerat, in necessitate ineluctabili se ipsum defendendi versatus est, ut vitæ suæ consuleret, ac primo se aggredienti manum abscidit, ac duos alios postea vulneravit, fuga evasit. An irregularis censeri debet?

RESPONS.

Is procul dubio est irregularis. Nam licet ex Constitutione Clementis V. in Concilio generali Viennensi an. 1311. habito (*n*), mutilari, aut etiam occidi possit aggressor, cum aliter mors vitari nequit, idque fiat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, ut loquitur sanctus Thomas (*o*); id tamen intelligi tantum debet de iis, qui injuste impugnantur, nec præcise occidere, sed se defendere tan-

(*n*) Clementina. *Si furiosus*. supra cit.

(*o*) S. Thom. cit. q. 64. art. 7. in corp.

tantum intendunt. Atqui Galterius non iniuste impugnabatur, cum aggressores illius Judicis auctoritate, tanquam Justitiæ ministri, fulcirentur. Igitur vim ad sui defensionem absque crimine adhibere non potuit, ac proinde irregularis est.

CASUS XXVI.

Mathurinus, & Bernardus Religiosi cum furem ex Ecclesiæ suæ Sacrario exeuntem, qui pleraque ejus vasa, ceteraque argentea supellectilia auferebat, detexissent, cumque furem hunc detinere non possent, quod impervius sibi esset locus, qua fugiebat, ipsum emisso unanimiter Sclopeto occiderunt. An sunt irregulares?

Respons.

Certum est, Religiosos illos esse irregulares: quamvis enim solo furis homicidio rem suam quis retinere possit, absque irregularitatis reatu committi nequit illud homicidium. Ita definit Alexander III. (a), qui de duobus Religiosis consultatus, quorum alter in furto per noctem deprehensum furem interfecerat, his verbis respondet: *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere; abstineat iste humiliter ab altaris ministerio, & uterque peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare. Constat enim eos contra mansuetudinem Ecclesiasticam ex utriusque ope interemptos.*

(a) Alex. III. in c. *Suscepimus.* 10. de homicidio &c.

Contendunt quidem nonnulli Auctores, ut vim hujusce decretalis eludant (b), tum in hoc casu duntaxat irregularitatem incurri, cum occiditur latro, quando aliter bonum suum conservari potest, & ob id solum duos illos Religiosos ab hoc summo Pontifice irregulares declarari, quia rem suam, fure non occiso, recuperare poterant: Sed falsa est hæc expositio; nam ex terminis hujusce decretalis aperte constat, eos in irregularitatem incidisse, quia Clerici & Religiosi, ut pote Deo Sacri, Laicis etiam strictius tenentur, omnibus suis temporalibus rebus hominis vitam anteponere.

(b) Suarez.

Addi potest, ad defensionem propriæ famæ quempiam non posse occidi absque irregularitatis nota, quamvis fama sit bonum potius aliis rebus omnibus temporaneis, ut docet Glossa in constitutionem Clementis V. quam attulimus in responsione ad superiorem difficultatem (c): *Licet sit licitum*, inquit Auctor hujusce Glossæ, *vim illatam repellere, ita quod non teneatur fugere, cum esset honesta persona, cui non esset honestum fugere: si resistendo occidat, incurrit irregularitatem.* Unde inferri necesse est, eam a fortiori incurri, quando committitur homicidium, ad conservandam aliam rem temporalem, quæ minoris est momenti, & quam etiam abdicare ob amorem Dei perfectionis est Christianæ (d). Ita sentit Panormitanus, qui, cum præmisit, Clericis licitum esse iis, etiam sumptis armis, resistere, qui sibi bona auferre volunt, addit tamen, nunquam ipsis licitum esse cujusquam homicidium, vel mutilationem (e).

(c) Clem. Clement. *Si furiosus.* un. de homicid. &c.

(d) Colloq. Condom. to 1. Colloq. 7 sect. 2.

(e) Panormit. in c. *Significasti.* 18 de homicidio &c. n. 2.

CASUS XXVII.

Salomon, uni e famulis suis imperavit, ut Genebaldum, quem oderat, densis baculi ictibus contunderet; cavens tamen, ne eum occideret: at prætermisso heri sui mandato, famulus tot eum plagis affecit, ut post quindecim vel viginti dies obierit. Nunquid in hoc casu irregularitatem Salomon incurrit?

Respons.

Cum herus ille peccaverit, famulo suo imperans, ut Genebaldum, quia ipsum oderat, baculo male multaret, & prævidere debuerit, ex hoc homicidium contingere potuisse; certum est, quod irregularitatem incurrit. Ita rem definivit Bonifacius VIII. in una e constitutionibus suis in Sexto his verbis relata (f): *Is qui mandat, aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur aliatenus, vel membro aliquo mutiletur; irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat; mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Quibus ultimis verbis manifeste indicatur hujus decisionis ratio: quo circa vere dici potest, Salomonem vere conscium esse necis Genebaldi, quamvis ipse non eum occiderit, ex hac Alexandri III. regula; *Cum his committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur*: nam est caussa saltem indirecta necis huiusce hominis. Ita communiter sentiunt Canonistæ omnes, ac imprimis Covarruvias, qui Bonifacii VIII. (g) constitutionem exponens, asserit, tale homicidium habendum esse, uti voluntarium: *Non casuale, sed voluntarium, ... non directa, sed indirecta occidendi voluntate commissum.*

(f) Bonifac VIII. in c. *Is qui.* 3 de homicidio &c. in 6.

(g) Covarr. 2. part. relect. Clem. *Si furiosus* de homicid. §. 1. n. Tertio.

CASUS XXVIII.

Ursinus ab homine lacessitus, qui se viribus longe superabat, amico, quem comitem habebat, ensem suum ad suam defensionem dedit; amicus vero ille aggressorem interfecit. Nunquid Ursinus factus est irregularis?

Respons.

Cum absque peccati & irregularitatis reatu occidi possit aggressor, ad vitam suam defendendam, cum aliter mors vitari nequit, & nihil aliud intenditur, quam sui ipsius defensio; Ursinus procul dubio ensem suum amico ad sui defensionem dare potuit, cum se ipsum iis non esse viribus experiretur, quibus aggressori suo resistere posset; quin ullam tamen incurrerit irregularitatem ob mortem aggressori ab amico suo illatam; cum alterius ope non minus, quam sua ad propriam defensionem quis uti possit. Insuper ensem suum dans amico, non præsumendus est voluisse, ut amicus suum occideret aggressorem; sed tantum intendisse, ut amicus ille impediret, quominus ab aggressore occideretur aut læderetur: quod legitime reprehendi non potest; cum jure naturali cuilibet licitum sit, se ipsum propriis viribus, quando potest, defendere; aut adhibito amici auxilio, si per se ipsum non potest.

CASUS XXIX.

Uranius, natu Andegavensis, in Flexiensi Gymnasio litteris dans operam, cum cognovisset, unum e suis popularibus a Britanno quopiam verberibus male multatum esse, alios ad vindictam excitavit, cum iis facta conventione, postridie hora decima se aggressuros esse Britannos, qui, grege facto, Andegavensium impetum repellere aliunde constituerunt. Data hora utrinque a scholasticis factum est confligendi initium. Uranius, qui unice sociis ensem commodarat, hoc uno contentus fuit, ut socios sequens, eosdem ad pugnam excitaret, duos tantum in manibus habens lapides, quibus tamen quemquam lædere non intendebat, socios etiam non nisi ægre sequens, & ne apud eos ignavus & iners haberetur, attamen ensis sui mutuatarius unum e Britannis interfecit. En factum: jam quæritur, utrum Uranius se laqueo involverit irregularitatis *ex homicidii voluntarii vel casualis delicto*, quod ensem commodaverit, quo unus e suis adversariis occisus est, cognoscens utique, cur eum commodaret, & quod socios suos ad pugnam insecutus excitarit?

Respons.

Cardinalis Toletus, quem sequitur modernus Theologus (h), existimat.

(h) Franc. Tolet. instr. Sacerd. l. 1. c. 77. n. 6. De Sainte Beuve t. 2 cas. 117.

1. Eum, qui in Uranii casu reperitur, non incurrisse irregularitatem *ex homicidii voluntarii delicto*; si ex verbis suis ad occidendum aut mutilandum adversarios non fuerint Socii excitati; secus irregularem factum esse si fuerint.

2. In dubio facti hujus, se, uti irregularem, & habendum esse & gerendum.

3. Hunc hominem, si ensem commodans, novisset eum utendum acceptum fuisse ad occidendum aut mutilandum aliquem, pariter esse irregularem: sed eum talem non esse habendum, reipsa, si ensem crederet, non fuisse petitum ad occidendum, vel mutilandum, neque insuper ad id socios excitarit, quamvis, si sit in dubio facti, ipse se reputare debeat irregularem.

4. Quod spectat ad Circumstantiam, qua notatur, ipsum socios suos in rixa adversariis injuste illata

ſllata fuiſſe proſecutum; exiſtimare quoſdam Auctores, excitantem alios ad pugnam & inſequentem fieri irregularem, quando quis eorum occidit, vel mutilat: cujus dicti ſui hanc afferunt rationem, quia ex præſentia ipſius fiunt ſocii audaciores, & adverſarii timidiores; at contra tamen ſentire quoſdam Auctores: unde fit, ut in hoc caſu ſit *dubium juris*, & in tali dubio conſtans eſt regula, nunquam hominem cenſendum eſſe irregularem, ut obſervavimus in prima deciſione. Quare dici poteſt, Uranium non factum fuiſſe irregularem in tali caſu, quamvis tutior ſit contraria ſententia.

5. Ipſum non incurriſſe irregularitatem *ex homicidii caſualis delicto*, quod enſem ſuum commodaverit, & occiſorem ſecutus fuerit, ſi homicidium vere caſuale fuerit: nec quod Socios ſuos excitaverit ad inſultandum adverſariis eorum; ſi forte nullatenus quempiam occidere vel mutilare intenderint; quia, ut ait Panormitanus (*a*), præcipue conſideranda eſt intentio actionis, ad quam conſecutum eſt homicidium. Ita Toletus.

(*a*) Panorm. in c. *Significaſti* 18. de homicid. volunt. vel caſuali,

Attamen certiſſimum eſt ſolam intentionem, qua quis voluit, ut neque mors neque cujuſpiam mutilatio contingeret, non ſolam eſſe regulam tenendam, ut quis ab irregularitate excuſetur, uti conſtat ex Conſtitutione Bonifacii VIII. quam in quinta deciſione noſtra retulimus: ſed præſertim habenda eſt ratio, cujus naturæ ſit actio, quam ipſe aut fecit, aut ſuaſit: nam ſi hæc ſit illicita, tum irregularis ille cenſendus eſt, ſi alicujus aut mors aut mutilatio eam ſubſecuta fuerit: atqui negari non poteſt, illicitum abſolute eſſe, quod & egit & ſuaſit Uranius in propoſito caſu. Igitur ab irregularitate immunis cenſeri non poteſt, quæcumque fuerit ejus intentio. Hæc noſtra eſt ſententia, quam, ut pote jure fultam, tutiorem putamus. Ita etiam ſentiunt Sylveſter (*b*), Sylvius & Suarez. *Quando aliquis non percutit*, inquit alter ex his Auctoribus (*c*), *ſed ex actio e alterius ſequitar mors, ipſo adjuvante, comitando, aſſiſtendo &c. Irregularitatem incurrit, ut expreſſis terminis tradit Suarez. Titius autem, etſi non percuſſerit, adjuvit tamen occiſorem, eam comitando & ei aſſiſtendo. Dum enim plures ſimul concurrant, ipſo facto ſe juvant, eos qui invaduntur debilitando, eam qui percutit, ſua præſentia corroborando. Ergo &c.*

(*b*) Sylveſt. v. *Homicidium*. 3. a. 23.

(*c*) Sylvius reſolut. var. v. *Irregularitas*. & concluſ. 3 in fin. & apud eum Suarez c. 5. in 3. part. d. 4. ſect. 3 n. 31 & Laurent. Portel. v. *Homicidium*. n. 16. & 17.

CASUS XXX.

Genesius Subdiaconus, domi ſuæ latrones eſſe cognoſcens, opemque in eos conclamans, ne ipſe occideretur, aut res ſua ſubriperetur, cauſſa fuit, cur tres ipſius amici, qui huc accurrerunt, unum ex his occiderint. An ex hoc homicidio factus eſt irregularis?

Respons.

Dicendum, Geneſium eo præciſe, quod amicorum ſuorum auxilium vocaverit, non factum eſſe irregularem; licet unus ex Latronibus in hac occaſione interſectus fuerit. Ratio eſt, quia is, qui latrones clamoribus avertere conatur, id ipſum facere tantum cenſetur, ut auxilium in eos poſcat, qui ſibi rem furari volunt, atque ut eos a præda ad fugam convertat, aut a ſe ipſo vim eorum avertat, quod æque Clericis ac Laicis eſt licitum, ut docet Panormus (*d*), atque jure naturali eſt conceſſum. Etiam abſque peccati reatu aut irregularitatis pœna, dato ſibi auxilio latrones detinere eoſque judiciorum rigori ſubjicere poteſt, quamvis poſtea capite a judice damnentur, ut docet inclytus Canoniſta (*e*); modo tamen coram judice illo ea, qua jus requirit, ratione proteſtatus fuerit. *Prælatis vel Clericis quibuſcunque*, inquit Bonifacius VIII. (*f*), *qui de Laicis ſuis malefactoribus, querelam penes ſæcularem judicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet, quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi judex mortem illis inferat juſtitia exigente.* Unde colligendum, quod ſi adhibita hujuſmodi proteſtatione, judicis arbitrio latronem permittere poteſt abſque irregularitatis formidine, a fortiori auxilium invocare poteſt in ſpecie propoſita, quin fiat irregularis; quamvis latronem alius forſan occidat. Ita ſentiunt Panormus, Hoſtienſis, ac Sylveſter, a quo citantur (*g*).

(*d*) Panorm. in cit. c. *Significaſti*. de homicidio &c.

(*e*) Navarr. Man. c. 27. n. 236.

(*f*) Boniface. VIII. in cap. *Prælatis* 2. de homicidio &c. in 6. l. 5. tit. 4.

(*g*) Sylveſter. v. *Homicidium*. 1. q. 7. v. *Quartum*. & apud eum Panorm. & Hoſtienſis.

Attamen, ſi Geneſius, auxilium invocando, intendiſſet ut interficeretur latro, quo rem ſuam, quam auferret, recuperare poſſet, exiſtimamus, eum fore irregularem, ſaltem *ex defectu lenitatis*. Ita docet Navarrus his verbis (*h*): *Infertur, quod Monachus ... vel Clericus beneficiarius, aut ordine ſacro initiatus, videns furem ſubripientem, vociferatur:* latro, latro, *ſecuta deformatione eſt irregularis hujus ſpecie*, (ſcilicet ex defectu lenitatis) *ſi animo ut deformaretur, clamavit; aut credens quod ſupervenientes eum deformaturi erant, vel ad judicem ut deformaretur ducturi, alias non*. Idem ſtatuit Toletus (*i*), iſtamque difficultatem ſic explicat: *Qui Clamavit in defenſionem perſonæ, etiamſi veriſimiliter ſciret, venientes occiſuros latrones, atque intenderet mortem illius, ſi aliter liberari non poterat, nullam incurrere irregularitatem: quia licebat ipſimet abſque irregularitate occidere invaſorem ſervato moderamine. Qui vero clamavit in defenſionem rerum, ſi intendebat occidi latronem, erit irregularis: quia qui in defenſionem rerum occidit, irregularis eſt ex defectu; & ſic Clericus ex delicto ... at ſi non intendebat mortem etiamſi veriſimiliter cognoſceret mortem inde ſecuturam, tam pro perſonæ, quam pro rerum defenſione, non eſſet irregularis, morte ſecuta.*

(*h*) Idem Navar. cit. c. 27. n. 236.

(*i*) Fr. Toletus inſt. Sacer. l. 2. c. 83. n. 7.

CASUS XXXI.

Agatho, patrem ſuum videns a latrone laceſſitum, qui ipſum volebat occidere, ipſi præſto eſt auxilio, ac latronem ipſe interficit *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, non habita prius ipſum interficiendi intentione. An ex illo homicidio factus eſt irregularis?

Respons.

Ad ſolutionem hujuſce difficultatis, obſervandum eſt, duplicem eſſe irregularitatem; alteram *ex delicto*; alteram *ex defectu lenitatis*: & utramque eſſe impedimentum Canonicum, hoc eſt, Canonibus inductum, & ſola Eccleſiæ auctoritate conſtitutum, quo fit quis inhabilis ad Ordines ſuſceptos exercendos.

Irregularitas *ex delicto*, ea eſt, quæ procedit, non quidem ex quolibet peccato, ſed ex eo, cui expreſſe jure annexum eſt illud impedimentum, qualia ſunt homicidium & mutilatio.

Irregularitas *ex defectu lenitatis*, ea eſt, quæ oritur ex ſimplici defectu ſine peccato; ſeu defectus ille ad animam pertineat, ut defectus lenitatis aut ſcientiæ; ſeu ad corpus ſpectet, ut privatio manus, aut membri alterius. Hoc præſuppoſitu tanquam certo.

Ad propoſitam difficultatem reſpondemus, & dicimus, Agathonem non incidiſſe in irregularitatem *ex delicto*; quia non peccavit; & e contra ipſum caritatis opus exercuiſſe ſubveniendo patri; cum ex præcepto Chriſtianæ caritatis teneretur ad opem præſtandam proximo ſuo, ac patri imprimis in tam manifeſto periculo: *Cum liceat cuilibet, ſuo vicino vel proximo, pro repellenda ipſius injuria ſuam impertiri auxilium; immo, ſi poteſt & negligit, videatur injuriantem fovere, ac eſſe particeps ejus culpæ*, ut loquitur Innocentius IV. in primo generali Concilio Lugdunenſi an. 1245. in conſtitutione in eodem emiſſa, quæ in Sexto Decretalium reperitus (*K*).

Verum putamus, hominem hunc irregularitatem incurriſſe, quæ dicitur *ex defectu lenitatis*; ut incurrit Judex, qui reum morte damnavit, & tortor, qui ſententiam perfecit. Ratio eſt, quia ex antiquo jure, quod ante Clementis V. tempora vigebat, ex quocumque homicidio, quodcumque eſſet, inducebatur irregularitas, quamvis inevitabili vitæ defendendæ neceſſitate commiſſu. Atqui Clemens V. huic antiquo juri non derogavit, niſi in ſolo caſu, quem expreſſit in conſtitutione ſua de homicidio lata (*l*), eo nimirum, in quo quis poſitus mortem aliter vitare non valet, niſi invaſorem illius occidendo. Cum igitur ab iſto differat caſus propoſitus, quia Agatho

(*k*) Innoc. IV. in c. *Dilecto*. 6. de ſent. excom. ſuſpenſ. & interdict. in 6. l. 5. tit. 11.

(*l*) Clemens V. in c. *Si furioſus*. unic. de homicid. volunt. vel caſuali. l. 5. Clement. tit. 4.

ad

ad propriæ vitæ defensionem non occidit latronem, sed tantum ad patris sui vitam tuendam; dicendum est, ipsum in irregularitatem *ex defectu lenitatis* incidisse uti reipsa incidisset ante constitutionem hujusce summi Pontificis. Ita sentit Navarrus dicens (*a*); *Est irregularis qui deformat* (id est, occidit aut mutilat) *alium ob defensionem justam vitæ alterius, etiam patris aut matris, etiam in bello justo*. Sic quoque Glossa (*b*) cum Silvestro (*c*) & Toleto (*d*).

(*a*) Navarr. Manual. c. 27. n. 113.

(*b*) Glossa in cit. Clem. Si *furiosus*. v. Suam.

(*c*) Silvest. de Prierio. v. *Homicidium*. 1. §. 3.

(*d*) Fr. Toletus instruct. Sacerdot. l. 1. c. 80. n. 30.

CASUS XXXII.

PALAMEDES, Nauplium patrem suum videns, imprimis iratum Lysimacho inimico suo, a quo gravissime fuerat offensus, ipsi suasit, ut eum occideret. Nauplius aliquanto post una cum filio suo, obvium sibi Lysimachum stricto gladio aggreditur: At cum Lysimachus viribus & dexteritate ipsi suppar esset, in præsenti mortis periculo se versari percipit; ac reipsa fuisset occisus, nisi conjectam in eum petitionem avertisset Palamedes. Tandem Lysimachum Nauplius interficit. Qua de re quæritur, utrum Palamedes sit irregularis ob pravum consilium auxiliumque patri suo datum?

RESPONS.

Nostra fert sententia, Palamedem ob duas rationes esse irregularem: nam ii non solum sunt irregulares, qui committunt aut committi imperant homicidium vel mutilationem, sed etiam, qui alterutrum consulunt, aut ad illud committendum opem præstant. Atqui Palamedes non solum patri suo Nauplio homicidium suasit, sed etiam ipsum adjuvit, cum ipsum defenderit in Lysimachum, qui se morte liberare poterat, nisi intervenisset Palamedes. Unde sequitur, ipsum efficaciter ad homicidium a patre suo commissum contulisse, ac proinde irregularem esse.

Decisio ista depromitur ex antiquo Concilio cujus Canonem vigesimum sextum his verbis refert Gratianus (*e*): *Si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post Baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit; dejiciatur, & in fine vitæ suæ laicam communionem tantummodo recipiat*. Panormitanus hanc eandem amplectitur sententiam fultus eodem Canone (*f*), & Decretali Alexandri III. ad Episcopum Exoniensem scripta; eamque sequuntur Silvester (*g*), Toletus (*h*), Navarrus (*i*), Auctor colloquiorum Luconensium (*K*), aliique permulti.

(*e*) Concil. Martin. Papæ in can. Si quis. 5. dist. 50.

(*f*) Panorm. in c. *Ad audientiam*. 12. de homicid. &c. n. 2. & in cap. *Sicut*. 6. eod. tit. n. 5.

(*g*) Silvest. de Prierio. v. *Homicidium*. 2. q. 8. §. 4.

(*h*) Card. Tolet. instr. Sacer. l. 2. c. 35. n. 3.

(*i*) Navarr. Manual. c. 27. n. 232.

(*k*) Colloq. Lucon. to. 3. Colloq. 22. q. 3.

CASUS XXXIII.

ANDRONICUS, vir præceps in iram, qui capitali odio ab Germano dissidet, non solum famam illius appetit; sed & ipsi vultum deformare parat, uti jam duobus suis inimicis deformavit, quorum alteri oculum effodit: alteri nasum abscidit. Quo animadverso Germanus stricto gladio ipsum extemplo occidit, cum sibi omnino persuasum esset, alterutrum ex his sibi impendere ineluctabiliter malum. An ex hoc homicidio fit irregularis?

RESPONS.

Certum est, Germanum esse irregularem ex homicidio Andronici. Ratio est, quia juxta jus antiquum commune; hoc est, jus, quod Constitutionem Clementis V. antecessit (*l*), irregularitas *ex defectu lenitatis* inducebatur, etiam in casu, in quo mors aliter vitari non poterat, nisi invasorem suum occidendo, ut patet ex S. Thoma (*m*), qui scripsit ante Pontificatum hujusce summi Pontificis; atque adeo eadem inducebatur in quocumque alio casu, etiam minus favorabili. Atqui jus illud antiquum, ut alibi diximus, pristinam vim suam semper obtinuit, excepto solo casu homicidii ineluctabili servandæ vitæ necessitate perpetrati, quem expressit Clemens V. igitur ob metum deformitatis in vultu, aut amissionis famæ, absque irregularitate *ex delicto*, aut *ex defectu lenitatis* incurja, occidi nequit aggressor, cum ille casus in exceptione non reperiatur, quæ jus antiquum commune abrogat; occisor quippe non inevitabili premitur necessitate occidendi invasorem suum ad mortem vitandam, quam ipsi, ut supponitur, non parat.

(*l*) Clemens V. in cit. c. Si *furiosus*. de homicidio.

(*m*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. ad 3.

Fatemur equidem, aliter sentire quosdam modernos Auctores: at cum nullum pro sua opinione textum expressum proferant, eo potiori jure hactenus dictis standum esse putamus, quod in casu etiam dubii de irregularitate, tutior ad conscientiam pars teneri debeat: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, ut loquitur Clemens III. de Sacerdote, cujus anceps sibi videbatur irregularitas (*n*).

(*n*) Clemens III. in cit. c. *Ad audientiam*. 11. de homicid. &c.

CASUS XXXIV.

ERASTUS, suadente Euphronio, hominem occidit hostem rerum publicarum cujus sanguinem Princeps addixerat pretio: ac Justinus Manfredo suasit, ut qua vi necesse esset e domo sua Marcellum pelleret ipsius proditorem, aut clandestinum furem: & quo consilio subsecutum est homicidium. Nunquid Euphronius & Justinus, qui ita consuluere, facti sunt irregulares?

RESPONS.

Euphronius factus est irregularis; quia, licet consilium ejus esset de re justa ac licita, directe tamen ad hominis a Principe proscripti mortem pertinebat.

Justinus quoque irregularitatem pariter incurrit, quia, licet directe homicidium factum non suaserit, ipsi tamen adscribi debet, quod rem injustam & illicitam suaserit, Manfredum impellendo, ut e domo sua Marcellum vi aperta & privata auctoritate expelleret; ac prævidere debebat, homicidium inde secutum, ex tali vi posse contingere. Id ipsum probat Panormitanus, qui post allata quædam hujusmodi exempla, subjungit (*o*): *Nunquid consulens fit irregularis, ex quo directe non consuluit in mortem alicujus? Innocentius concludit, quod sic: quia fuit caussa propinqua homicidii. Debuit enim cogitare, quod verisimiliter ex talibus sequeretur homicidium*. Quibus dictis hanc adjungit observationem: *Et hæc nota: quia extenduntur jura dicentia, quem effici irregularem ex solo consilio 50. dist. c.* Si quis viduam &c. Sicut dignum. *Supra eod. ut procedant urdum quando directe consulitur in mortem alicujus; sed etiam quando præstatur caussa propinqua ad mortem; Et hoc intellige, ubi consuluit aliquis rem illicitam: secus rem licitam secundum Innocentium*. Sic difficultates istas definivit Auctor Moralis Gratianopolitanæ (*p*).

(*o*) Idem Panormit. in c. *Ad audientiam*. 1. de homicid. &c. n. 8.

(*p*) Fr. de Genet. theo. mor. tract. 6. cap. 4. n. 11.

CASUS XXXV.

JOANNES Petro suasit, ut Jacobum sibi inimicum occideret. Petrus Joannis consilio obsequens Jacobum aggressus est: at ipse a Jacobo occisus fuit. An irregularitatem Joannes incurrit ob datum a se consilium?

Ratio dubitandi est, quia Joannis consilium in solam Jacobi, non vero Petri mortem cadebat.

RESPONS.

Asserit Panormitanus, quosdam putare Auctores, quod si verosimile esset, aggressorem potuisse occidi ab eo, quem invadebat, tunc qui tale dedisset consilium, esset irregularis: at quod si id præsumi non posset, quod aggressor adversario suo longe fortior erat, tunc in irregularitatem non incideret. En verba inclyti hujusce Canonistæ (*q*): *Innocentius & Hostiensis concludunt, quod si verisimiliter poterat occidi ab invaso; tunc est irregularis: quia debebat cogitare hoc posse evenire. Secus, ubi cessat illa præsumptio, seu verisimilitudo, ut quia ille, cui datum erat consilium, erat illo longe fortior & potentior*.

(*q*) Panorm. in c. *Ad audientiam*. n. 7.

Verum Docto huic Auctori non arridet ista sententia, at cum celebri Joanne Andrea consentit, qui econtra contendit, eum, qui tali modo consuluit, procul dubio fieri irregularem, ut nullo effugio, nulla exceptione vel distinctione ab hac pœna queat eximi. *Sed Joannes Andreas*, inquit, *in cap. fin. Supra eod. tit. lib. 6. contrarium tenet per textum illum: & istud verius. Nam omni casu iste incurrit irregularitatem, tanquam dans operam rei illicitæ: quia cogitare debuit, hoc evenire posse. Nam si mando, vel consulo*, pergit idem, *ut Ti-*

ut Titius verberetur ; & iste mandatarius excedendo fines mandati illum interficiat ; ego teneor , quia præstiti caussam propinquam mortis , ut est textus in dicto capite finali . Ergo fortius , quando dedit consilium ad mortem , per illum textum idem dicendum est in casu nostro , si consuleret , ut occideret , & invadens fuisset occisus : & tunc consulens sit irregularis , tanquam dans operam rei illicitæ .

CASUS XXXVI.

VINDONIUS & quatuor amici sui rixa , quæ in tres alios subito orta est , impliciti , hos crebris ictibus male multarunt , unusque a Vindonio & lethali vulnere affectus paullo post obiit . An Vindonius & quatuor ipsius amici sunt simul Irregulares ; an vero solus Vindonius ?

RESPONS.

De hac difficultate inter se non consentiunt Auctores . Omnes tamen fatentur , eos omnes , qui consensu unanimi & deliberato animo percutiunt , opem præstant , aut efficaciter ad homicidium quacumque ratione conferunt , illius vere esse conscios , ac proinde Irregulares . At alii volunt , quod , si rixa non sit meditata , sed mere casualis , ut in proposito casu , nemo sit Irregularis , nisi is , qui lethale vulnus inflixit (*a*) : modo tamen 1. alii directe ad vulnus non contulerint , ex quo mors secuta est . 2. modo notus sit ille , qui vulnus intulit .

(*a*) Fr. Tolet. instruct. Sacer. l. 1. c. 26. n. 9.

Putant tamen Auctores nonnulli , omnes in casu proposito esse Irregulares , hoc est , quamvis rixa non sit meditata , & notus sit is , a quo inflicta est lethalis plaga , licet alii leviter tantum lethali vulnere læsum percussissent . Horum autem Auctorum hæ sunt potissimum rationes .

1. Quia omnes rei illicitæ dant operam , & quæ manifestum homicidii includit periculum , quod prævidere possunt & debent . Ex quo inferunt , eos omnes juxta canonum constituta (*b*) homicidii esse conscios ac proinde Irregulares .

(*b*) Bonifac. VIII. in c. Si quis. fin. de homicidio in 6. Innoc. III in cap. *Tua nos.* eod. tit.

2. Quia unam eandemque omnes actionem facere censentur .

3. Quia moraliter fieri non potest , ut in hoc casu omnes ad homicidium non concurrant , seu percussorem efficiendo audaciorem ac fortiorem , aut percussum magis timidum vel temerarium , aut denique ex aliis circumstantiis ipsi illatæ injuriæ . Hæc autem secunda opinio procul dubio tutior est ad conscientiam .

CASUS XXXVII.

DUODECIM aut quindecim homines seu Clerici , seu Laici , rixa fuere impliciti in quinque sexve milites , quorum unus subito occisus est , ignoto penitus homicida . An omnes , qui pugnarunt in milites , Irregularitatem contraxere ?

RESPONS.

Quæstionem istam solvit S. Thomas (*c*) , asserens in tali casu omnes & singulos esse censendos Irregulares propter dubium , ne ab horum quolibet homicidium fuerit patratum . *Si aliquis percussus in bello moriatur , si ignoretur quis eum percusserit ; propter dubium , quilibet qui in bello interfuit , Irregularis habetur secundum jura .* Sanctus Raymundus , quem sequitur & laudat sanctus Antoninus , eamdem tradit doctrinam his verbis (*d*) : *Ubi plures reperiuntur in pugna , in qua aliqui sunt interfecti , vel mutilati , & nescitur a quibus : quantum ad Irregularitatem omnes censentur Irregulares .*

(*c*) S. Thom. quodlib. 4. in reg. *Sed contra.*

(*d*) S. Raymund. apud S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 28. c. 2. §. 6.

Ratio hujus decisionis est , quia , licet ex communi Doctorum sententia , qui nituntur hac juris regula (*e*) , *Ignorantia facti ... excusat* , cum quis se ipsum Irregularem habere non debeat in dubio facti , quale est istud , juxta hanc aliam regulam (*f*) *in obscuris minimum est sequendum* ; ab ea tamen excipi necesse est homicidium , ut declarat Clemens III. (*g*) , qui consultus , utrum a Sacerdote incursa fuisset Irregularitas , qui , cum unum e famulis suis castigare voluisset , eumque cingulo , quo pendebat gladius , sua theca inclusus , verberasset , tergo ipsum casu læserat : quo ex vulnere sanatus fuerat ; at in morbum relapsus obierat , his verbis respondet . *Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur , tuæ discretioni duximus respondendum , quod , cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem , te convenit injungere Presbytero memorato , ut in Sacris ordinibus non ministret .* Quibus verbis ; *cum in dubiis &c.* manifeste ostenditur , in quocumque dubii genere tutius esse , ut quis se Irregularem reputet & pro tali se gerat .

(*e*) Reg. 13. de reg. juris. in 6.

(*f*) Reg. 30. ibid.

(*g*) Clemens III. in c. *Ad audientiam.* 12. de homicidio &c.

CASUS XXXVIII.

ATHENODORUS , Sacerdos , rixam in Ludovicum contraxit , eique caput ictu baculi contudit , absque ulla tamen sanguinis effusione : Ludovicus plagam , utpote levissimam , neglexit : At cum elapsis octo diebus , dolorem ibi persensisset & eum corripuisset febris , post morbum per septem octove dies prorsus obiit . Chirurgi duo peritissimi , qui a judice fuere designati , ut corpus ejus visitarent , retulerunt , ictum a defuncto acceptum , nullatenus periculosum esse vel lethalem , & mortem ejus unice referendam esse ad negligentiam , qua venam sibi incidi , aut morbum suum aliqua ratione curari neglexit , & quia solito suo labori nimium indulsit , unde secuta est febris , quæ ipsi mortem attulit . An dici potest , in hoc casu Athenodorum esse Irregularem ?

RESPONS.

Contendunt Auctores nonnulli , uti Angelus de Clavasio , Sotus & Lessius , in tali casu Irregularitatem non incurri (*h*) : quia mors defuncti uni negligentiæ vel læsi vel Chirurgi adscribi debet ; verum accepto vulneri ; quod quidem cum periculosum non esset , subsequentis mortis caussa haberi non debet .

(*h*) Angelus v. *homicid.* num. 2. n. 12. Dom. Sotus l. 3. de Justit. & jure q. 1. ar. 9. Leonard. Lessius l. 2. c. 9. dub. 15.

Silvius (*i*) tamen , olim de simili difficultate consultus , contrarium docet in decisione sua 17. Aug. an. 1643. nam duplex , inquit , distinguenda est caussa partialis hujusce mortis . Prior est ictus inflictus . Altera est negligentia ictus accipientis , aut sanantis . Ex priori percussor fit reus . 1. Quia illicite & sine jure percussit . 2. Quia , licet vulnus de se non esset periculosum ac lethale , sufficit ut læso febrim , & ex febre mortem attulerit .

(*i*) Fr. Silvius resolut. var. v. *Irregularitas.* 7.

Ex hoc principio dicit Silvester (*K*) , verum esse , quod *percutiens aliquem vulnere non mortifero non est Irregularis ... si ex imperitia medici , vel injuria aut expositione ad labores & sudore moriatur .* Sed quod percutiens injuste , in hoc casu in Irregularitatem cadit , si mors sequitur . *Si tamen quis animo nocendi faciat , aut minorem diligentiam adhibeat , consideratur etiam caussa remota .* Hæc sunt verba hujus Auctoris , qui paullo ante præmiserat (*l*) . *Si quis autem alium percusserit vulnere non mortifero , dans tamen operam rei illicitæ , si ille moriatur ex negligentia medici , vel incuria sui , Irregularis est .*

(*k*) Silvest. v. *Homicidium.* 2. q. 2.

(*l*) Idem ibid. q. 2.

Sententiam suam fuse probat Silvius auctoritate multorum , inter quos præcipui sunt Covarruvias (*m*) , Navarrus (*n*) Vivaldus (*o*) , Avila (*p*) , & alii multi , quorum testimonia non referimus , quod certiores etiam nobis suppetant probationes .

Prima ducitur ex Decretali Innocenti III. (*q*) , in qua consultus hic summus Pontifex de religioso Sacerdote , qui Chirurgiæ peritus vomicam ruperat in sinu mulieris , quæ mortua fuerat , quod patentiorem aerem contra ipsius vetitum spirasset ; Respondet , Episcopum ipsi mysteriorum celebrationem indulgere posse post peractam ab illo convenientem satisfactionem , & non aliter , *non est ex eo quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit adeo reprobandus , quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit , ut divina valeat celebrare .* Ex quibus Papæ verbis manifestum fit , ab eo Irregularem reputari Religiosum istum ; cum nolit , ut celebret , nisi post factam Deo & Ecclesiæ satisfactionem , & hac ratione obtentam ab Episcopo celebrandi licentiam , *alioqui* , addit , *interdicenda est ei Sacerdotalis ordinis executio de rigore .*

(*m*) Didac. Covarr. a Leyva 2. 3. art. ad clementianam. *Si furiosus.* §. 2.

(*n*) Navarr. Manual. c. 27. n. 223.

(*o*) Martinus Alphonsus Vivald. in c. *Candelabro aureo.* tit. de homicid. casuali.

(*p*) Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 5.

(*q*) Innoc. III. 10. *Tua nos.* 19. de homicid. &c.

Quo potiori jure habendus est Athenodorus Irregularis in casu proposito ; quoniam , nedum motivo caritatis egerit , uti fuerat Religiosus , de quo loquitur Innocentius III. vim potius adhibuerat ,

& Lu-

& Ludovicum lædere voluerat, qui quamvis ob incuriam suam obierit, non tamen mortem oppetiisset, si Baculo ictus ab Athenodoro plaga non læsus fuisset. Ita ratiocinatur Sylvius (a): „ Quanto autem magis Caius dicendus est esse „ irregularis *inquit Doctus hic Theologus*, qui non „ curare volens, sed lædere, non ex pia intentione, „ sed ex inordinata passione graviter in „ capite percussit Titium, qui post tres septimanas, „ cum neglexisset remedium suis vulneribus „ adhibere, mortuus est, ex sua quidem negli„ gentia; sed simul etiam ex illis vulneribus?

(a) Fr. Sylv. resolut. var. v. Irregularitas, 7.

Altera probatio nititur alia decretali ejusdem Papæ, ad Lingonensem Episcopum Scribentis (b) qui declarat, quemdam Clericum, cujus equus, quem conscenderat, calcitrans puerum occiderat non esse irregularem, modo casus ille præter voluntatem ejus contigerit, neque in hac occasione rei illicitæ operam non dederit. *Cum idem Capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei non impedias quominus divina possit officia celebrare*. Athenodorus autem in hoc casu non versatur: neque de eo, uti de Capellano dici potest. *Nec voluntate, nec acta homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei*, quandoquidem subito iræ impetu abreptus & non sciendo in Sacerdote, Ludovico caput ictu baculi contudit, quæ corporis pars facilius vulneri paret, & cujus vulnera cæterarum partium plagis sunt periculosiora. Ut igitur Innocentius III. capellanum judicasset Irregularem, si conscenso equo illicitum quid fecisset, de Athenodoto idem fieri debet judicium.

(b) Alex. III. in c. Dilectus 03. eod. tit.

Tertia nititur Alexandri III. auctoritate, qui declarat, quod diaconus *qui homicidio*, inquit (c) *causam dedisse videtur*, censeri debet Irregularis, seu, ut ipse loquitur, *non videtur ad Sacerdotium promovendus*: Athenodorus autem occasionem præbuit, aut potius, causa fuit mortis illius, quem percussit: cum ictus, quo caput ei contudit, Ludovici incuriæ conjunctus, febrim pro certo ei attulit, & febris mortem. Igitur dubitari nequit, quin ex morte Ludovici factus sit Irregularis.

(c) Alex. III. in c. De cetero 21. eod. tit.

Quartam probationem suppeditat ejusdem Papæ Alexandri III. alia Decretalis (d) in qua expresse dicitur, Sacerdotem quemdam, qui puerum in capite percusserat, ex quo ictu puer non post multos dies obierat, esse Irregularem *si ex ipsa*, inquit, *percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse*. Atqui multo magis conscius est Athenodorus, quam Sacerdos ipse, de quo loquitur Papa, cum Ludovicum non percusserit *intuitu disciplinæ*, sed vi & iræ impetu: ac febris, quæ Ludovico mortem attulit, ex vulnere orta est. ut mortem proxime febris procreavit, conjuncta incuria defuncti ad remedium malo suo adhibendum.

(d) Idem in c. Presbyterum eod. tit.

Quinta Denique probatio ducitur etiam ex decretali Clementis III. (e), in qua summus Pontifex Sacerdotem declarat Irregularem, quod famulo imprudens mortem attulisset, quem intuitu disciplinæ verberaverat, & qui etiam non nisi post accepti vulneris sanationem morbo consumptus obierat; cum ex solo dubio: num vulnus morbi, atque adeo morbus ipsius mortis causa fuisset Papa determinatus fuerit ad ferendum illud judicium. *Quia vero*, inquit, *utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, tuæ discretioni duximus respondendum: quod, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te conveait injungere Presbytero memorata, ut in sacris ordinibus non ministret.*

(e) Clemens III. in c. ad audientiam. 18. 1.

Athenodotus autem multo magis est reus, quam Sacerdos ille, qui famulum suum non nisi moderate & jure correctionis percusserat; *quidam Presbyter volens corrigere quemdam de familia sua*, & qui eum casu tantum vulneraverat: *cum „ cingulo, quo cingi solebat, ipsum verberare tentaret, contigit quod cultellas de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso aliquantulum vulneravit*: inquit decretalis. Athenodorus econtra iræ suæ indulgens graviter & injuste Ludovicum verberavit. His addendum, vulnus Ludovici nondum esse sanatum, cum febre correptus est: ac proinde minus dubium esse, mortem ipsius ab accepto vulnere ortam esse, quam esset famuli hujus Sacerdotis, de quo consulebatur Clemens III., *Cum ille vulneratus aliquandiu vixisset & convaluisset a vulnere*, inquit Papa, *& alia graviori, ut dicitur, infirmitate percussus, viam universæ carnis ingressus*. Ex omnibus istis tamque variis circumstantiis manifeste ostenditur, ab Irregularitate Athenodorum eximi non posse.

CASUS XXXIX.

Faustinus, videns, Petrum fratrem suum pugnare cum Firmino, qui magis robore valebat, ipsi opem tulit, atque gladio Firminum in humero vulneravit. Firminus adhibita ad medelam vulneris chirurgi manu, post dies quindecim Angina laborans intra viginti quatuor horarum spatium mortuus est. An Faustinus est irregularis? contendit, se non incurrisse irregularitatem, quia ex attestatione Medici, atque Chirurgi relatione dicitur 1. vulnus non esse lethale. 2. illud occasionem præbere non potuisse anginæ, qua laborans Firminus mortuus est, & casum hunc, qui post inflictum vulnus quindecim diebus, obtigit, alii causæ naturali adscribendum esse, nempe pravo defuncti habitu corporis, quo morbo huic fiebat obnoxius, & quo aliquoties jam laboraverat. Addi potest pro Faustino, male curatam fuisse plagam quam ideo negligebat chirurgus, quod eam nullatenus periculosam existimaret.

Videtur econtra, Faustinum Irregularitatem incurrisse, quandoquidem verisimile sit lethalem Firmini morbum, ex accepto vulnere a Faustino ortum esse, aut saltem fuisse acceleratum.

RESPONS.

Sat probabiliter defendi potest Faustinum in casu proposito non factum esse Irregularem. Neque enim accuratius cognosci potest causa mortis Firmini, quam ex testimoniis Medici ac Chirurgi, qui ipsum per morbum, atque vulneris accepti tempus curarunt: Atqui uterque viva voce scriptoque asserit; lethalem Firmini morbum oriri non potuisse ex accepto vulnere, quippe quod esset absque periculo, eumque unice referendum esse ad pravum ejus habitum, quo morbo huic fiebat obnoxius, & quo jam ante laboraverat. Unde sequitur, Faustinum non habendum esse conscium mortis Firmini, nec proinde Irregularem. Ita sentit Sylvius, ut constat ex ejus decisione 24. Julii an. 1642. (f) in similem quæstionem; suamque affirmat sententiam ex Decretali Alexandri III. in responsione ad præcedentem casum allata (g); in qua summus hic Pontifex ab Archiepiscopo Salernitano consultus de Sacerdote, qui puerum corrigendo, ipsum in capite fortuito vulneraverat, Prælato huic respondet, Sacerdotem hunc factum fuisse Irregularem: *si ex ipsa percussione*, inquit Papa (puer) *interiit: vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse*. Ex quo concludit inclytus iste Duacensis Professor, quod, si qui plagam accepit, non moriatur *ex ipsa percussione*, neque ex morbo ex hac plaga procreato, *vel aliam &c.* Vulnerans non incurrit Irregularitatem quod plane consentaneum est alteri Decretali Clementis III. quam jam in decisione præcedenti retulimus (h), in qua summus hic Pontifex loquens de Sacerdote, cui similis casus obtigerat, asserit *si...... ille* (qui percussus est) *ex alia infirmitate obierit* (Presbyter qui percussit) *sicut erat solitus, divina officia ministrare*.

(f) Fr. Sylvius resolut. var v. Irregularitas. 6.

(g) Alex. III. in c. Presbyterum 7. de homicid. &c.

(h) Clemens III. in cit. c. ad audientiam eod. tit.

Colligitur inde, quod, cum Faustinus neque directe neque indirecte, proxime vel remote Firmino mortem attulerit, quæ ipsi non nisi ex morbo externo contigit, cui aliunde obnoxius erat ex pravo corporis sui habitu hæc in eum refundi non debet, neque is adeo, ut Irregularis haberi.

CASUS XL.

Palagios Basilium aggressus ipsum ense leviter vulneravit. At quamvis plaga non esset lethalis, quindecim post diebus tamen obiit ob ignorantiam, aut incuriam Chirurgi, qui ipsum curavit An ex hac morte irregularitatem incurrit Pelagius?

Re.

RESPONS.

Duplex est de hac difficultate opinio. Prima ast eorum, qui sentiuot, nullam esse Irregularitatem in casu proposito, quia is qui alium leviter vulneravit, non est causa proxima sed remota tantum, & occasio mortis, onde colligunt, nullam ab eo incorri Irregularitatem.

Altera opinio est eorum, qui contra contendout, Irregularitatem induci ex morte ad illatum vulnus consequente; licet ob imperitiam, aut incuriam chirurgi contingat, præsertim cum vulneravit *dands speram rei illicitæ*, hoc est, injuste, & absque ratione, ut in casu proposito. Ratio, quam afferunt, nititur isto axiomate philosophico: *Qui est causa causæ, est causa causati*. Ex quo interunt, quod, cum vulnerans sit causa physica vulneria & vulnus mortis is quoque censetur causa mortis. Ita S. Aotoninus his verbis (*a*): *Si vulnus intulisset, non de se mortale, & vulneratus propter imperitiam medici, vel propter defectum custodiæ; quia scilicet non cavet sibi a noxiis, mortuus est, vulnerans est Irregularis*.

(*a*) S. Anton. 3 part. summ. Theol. cit. 28. c. 2. init.

Confirmari potest hæc secunda opinio doobus exemplis, quæ in jure reperiuntur. Primom exemplum suppeditat constitutio Bonifacii VIII. cujus hæc sunt verba (*b*): *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, Irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat*. Ejusque rei istam affert Papa rationem. *Cum mandato in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare*. Atqui Pelagius Basilium stricto ense aggrediens peccavit, ac cogitare debuit, mortem sequi posse, si ipsum vulneraret. Non minus igitur irregularis est, quam ille, de quo loquitur Bonifacius; alioqui falsum esset hujus Papæ ratiocinium.

(*b*) Bon. VIII. in c. 3. qui sin. homicid. volunt. vel casuali in 6.

Alterum exemplum est Religiosi, qoi Irregularis declaratur, quod in sinu mulieris vomicam roperit, ex qua ruptione obiit mulier quamvis ex propria sua culpa, quod aeri ventoqoe se se exposuerit contra expressam Religiosi prohibitionem, non vero defectu experientiæ illius, quippe qui chirurgiæ peritissimus erat, ægrosque per multos ex artis hujus regulis sanarat hanc autem decisionis hujus rationem affert, quod Religiosus iste peccaverat *officium alienum* (a Religiosi professione) *usurpando, quod sibi*, ut ait hic Papa (*c*) *minime congruebat*. Atqui Pelagius Religioso isto magis est nocens: Igitur ab Irregularitate excusari nequit, cum mors Basilii non contigit, nisi ob actionem criminosam, quam commisit, hominem hunc aggrediens & vulnerans, & quia toties incurritur Irregularitas, quoties fit res illicita; quamvis eam faciendo cujusquam mortem non quis intenderit. Ex his rationibus atque testimoniis evincitur, alteram opinionem priori esse anteponendam, ac Pelagium esse irregularem.

(*c*) Alex. III. in c. Continebatur 8. & in c. suscepimus eod. tit.

CASUS XLI.

JOANNES, Jacobus, Ægidius & Gilbertus milites, ense suo ac sclopeto armati, unanimi consensu obvios quosque expilare constituunt. Neminem occidere intendit Gilbertus, sed vult tantum furti particeps fieri. Duos sibi obvios equites aggrediuntur, quorum unum, cum ad defensionem essent accincti, interficit Joannes. An Irregularis est Gilbertus; quamvis neminem occidere vel mutilare intenderit?

RESPONS.

In proposito casu ab Irregularitate eximine qoit Gilbertus, quamvis neminem interficere vel mutilare intenderit. Ratio est, quia censeri debet, efficaciter ad mortem equitis a Joanne occisi contulisse, cum ei se comitem pravo consilio dedisset, eumque armatus una cum aliis doobus juvaret ad vim equitibus inferendam, atque omnes reipsa concurresent ad pravum facinos, uno aliis audaciam ob præseotiam & opem injiciente, & quolibet eorum partialiter saltem homicidium procurante a Jo: commissum, qui duos equites solus agredi non ausos fuisset.

Probari potest hæc decisio sat manifeste ex decretali Alexandri III. ad Bartholomæum Episcopum Oxionensem scripta, de homicidio S. Thomæ, Archiepiscopi Cantuariensis (*d*), qui Pontifex summus declarat, quod „ Hi quoque, *inquit*, non sunt „ a culpa liberi, nec a pœna debent esse immu„ nes, qui licet fuerint illius machinationis igno„ rati; tamen eis, quos sicarios esse sciebant, in „ sarcinis custodiendis ministerium præbuerunt. „ Et paulo post (*e*) Irregolaritati subjicit hic summus Pontifex clericos omues, qui in armis fuere cum iis qui Sanctum Archiepiscopum detinere volebant. „ Clericos autem quos constat armatos in„ terfuisse tanto facinori, & alios, qui consiliom, „ dederunt, ut Sanctus vir caperetur, perpetuo „ non solum ab altaris ministerio deponendos es„ se censemus, sed etiam qood in Ecclesiis nul„ lo unquam tempore lectiones legant &c. „

(*d*) Alex. III. in c. Sicut. 6. §. 5. eod. tit.

(*e*) Id. ib. §. 7.

Noverat autem Gilbertus 1. pravum trium sociorum suorum consiliom. 2. eadem ipsi cum iis mens inerat obvios aggrediendi atque expilandi. 3. noverat, aut scire ad minimum debebat manifestum discrimen homicidii quod semper cum tali ausu nefario conjungitur. Reus est ergo homicidii equitis ex his aliis ejusdem Papæ verbis (*f*): „ Quia cum „ scriptum sit: qui potuit hominem liberare a mor„ te, & non liberavit, eum occidit; constat ab „ homicidii reatu immunes non esse, qui occisori„ bus opem contra alios præstare venerunt. „

(*f*) Id. ib. §. 2.

Validam quoqoe in Gilbertum probationem suppeditat Bonifacii VIII. Constitutio, cujos verba in quadragesima decisione retulimus. Asserit enim ibi summus Pontifex, quod *is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, Irregularis efficitur, si mandatarius fines* mandati excedens mutilet, vel occidat. Unde inferendum est, Gilbertum esse Irregularem, quando præsentia sua & quantum in se fuit, commissum homicidium approbavit & procuravit, nec eum ioa excusat intentio illud per se ipsum non commitendi, non magis, quam eum, qui alteri mandavit, ut alium verberet, expressa prohibitio, ne ipsum occidat aut verberet, quia est causa sequentis homicidii vel mutilationis, non solum quia, ot jam diximos, criminis a Joanne commissi participem se effecit, præsentia suæ illatæ duobus equitibus violentiæ & occisi morti conferendo, sed quia homicidium ex tam nefario ausu consequi posse prævidere debuit.

Denique his addimus, quod, ut ab Irregolaritate is sit immunis, cujus culpa homicidium, etiam casuale contigit, necesse est, ut *nec voluntate nec actu* ut loquitur Innocentius III. Scribens ad Episcopum Lingonensem commissum fuerit, sed insuper ut rem illicitam non faceret, *nec dedit operam illicitæ rei*. Atqoi verum quidem est, Gilbertum propria manu sua, nec deliberata voluntate homicidium commisisse, *nec voluntate, nec actu*, at rei illicitæ operam dedit adjungendo se ad latrones & sicarios, sumptis armis, ut eis opem præstaret in furto, quod unius equitis morti occasionem dedit ad quod aliande efficaciter contulit. Igitur est irregularis. Atque de præsenti difficultate dicta sufficiant, in cujus decisione Sylvium fuimus secoti qui alios permultos laudat Auctores qui rem eamdem tradunt, & qui advertit, quod, com tale homicidium Gilberto non sit voluntarium, eo sensu quo intelligitur a Concilio Tridentino, orta ex eo Irregularitas Papæ non est reservata, ac de ea proinde dispensare potest Episcopus, modo sit occultum, nec delatum ad forum contentiosum. (*g*) Confirmari potest hæc decisio, ex nona præcedenti, in qua ostendimus Irregularitatem incurri, in casu, qui magis, quam præsens, excusari potest.

(*g*) Fr. Sylvius resolut. var. v. Irregularitas. 2. Concl. 3. & apud eum F. Suarez to. 5. in 3. part. S. Th. dis. 4. sect. 5. n. 31. & laur. Portel. v. Homicid. nu. 25. & 17.

CASUS XLII.

ETHEATUS, a Titio odio Capitali aversus, a quo rerum omnium famæ que jacturam passus est, Sempronio mandat, ut ipsum interficiat, ubi præsens erit occasio. Aliquanto post mandati sui pœnitet, & Sempronio prohibet, ne quid in ipsum moliatur; aot etiam non revocato expresse mandato, quod Sempronio dederat, coram ipso Titium adiens cum eo pacem init. Is tamen elapsis octo diebus Titium interficit, parvi pendens Etherici prohibitionem; ne mandatum suum exequeretur, aut etiam reconciliationem, cujus ipse testis fuerat. An Etherius ex hoc homicidio fit Irregularis?

RE-

R e s p o n s.

Quamvis incurratur Irregularitas, cum ad homicidium aliquatenus collatum est, seu mandato, seu Consilio illud perpetrandi, ut fert Canon (*a*), constat tamen, eam non incurrisse Etherium in casu proposito; cum enim mandatum Sempronio datum revocarit, & contrarium penitus dederit, aut inita coram eo pace cum Titio manifestarit; jam primum nefarium, quod acceperat mandatum exequi non censetur Sempronius; cum illius perficiendi consilium abjicere omnino debuerit, convictus ex contrario Etherii mandato aut ex ejus cum Titio reconciliatione, ipsum omnem vindictæ depofuisse affectum, quo circa perfectum homicidium soli malitiæ atque crudelitati Sempronii adscribi debet. Ita docet Innocentius IV. in suo commentario in quinque libros decretalium his verbis: " Qui mandasset fieri homicidium pro se videretur sufficere, si tantum " contrarium mandaret, vel si pacem iniret cum " occidendo, vel parentelam, vel aliam amicitiam cum eo contraheret, sciente eo, cui mandatum erat de occidendo ... quia quando mandato alterius, & pro alio tantum fiebat homicidium, videtur, quod contrario mandato, " vel contraria voluntate ostensa debet ab homicidio cessare.

(a) Conc. Mart. Papæ in can. Si quis. dist. 50.

Decisionem istam communiter sequuntur canonistæ, & præ cæteris Navarrus, Cabassutius (*b*), & alii permulti seu veteres seu recentiores, qui Innocentii IV. sententia nituntur.

(b) Nav. Man. c. 27. n. 233. Jo: Cab. Jur. can. th. & pr. lib. 5. c. 20. n. 5.

C A S U S XLIII.

Aventinus, subdiaconus, cognita Ebrulphi Cyrillum ulciscendi cupiditate, consulit & suadet, ut eum interficiat. Elapsis aliquot diebus dati consilii pœnitet, Ebrulphoque suadet, imo & ipsum rogat, ne quid tale admittat. Ebrulphus tamen Cyrillum interficit. An ex illa perniciosi consilii sui revocatione sit Aventinus immunis ab Irregularitate?

R e s p o n s.

Magnum intercedit discrimen, inter datum consilium, & mandatum; nam altiores consilium in ejus animo, cui datur, agit radices, quare ob talem revocationem Irregularitate non eximitur Aventinus, si judicari possit, eam homicidium impedire non posse, quo circa ad vitandam in simili casu irregularitatem, aut recurrendum est servatis prudentiæ regulis, ad auctoritatem superiorem, aut excogitanda via manifestandi impendens periculum ei, in quem datum est consilium, ut illud vitare queat, nisi legitima de causa sit persuasum, datum sibi consilium penitus eum abjecisse, qui tali modo consultus est: alioquin incurritur Irregularitas, quantumvis dedisse consilium pœniteat, si contingat homicidium, priusquam sufficienter revocatum fuerit consilium.

Decisionem istam astruit Innocentius IV. (*c*) his verbis: " Item non interest, si ille, cui consulitur homicidium, statim faciat homicidium, post " consilium, vel post, etiam longo tempore interposito, nisi contrarium dissuaderet, & primum consilium revocaret. Imo & plus videtur " necesse quod etiam illi, de cujus morte tractatum est, denuntier, quod sibi caveat, nisi firmiter & probabiliter credat, quod post revocationem consilii, revocetur ille cui consultum " est homicidium, a proposito occidendi ..... " Ubi non sit homicidium pro alio, sed pro se, " ille qui consuluit, semper debet contra suadere, " & etiam plus facere, si hoc dictat conscientia; " caute tamen, ne prodeat; si autem antiquum " revocet consilium, procedat, sed postquam consulens jam pœnituerat, tunc videtur, quod irregularis sit; quamvis tempore homicidii fuerit charitate.

(c) Inn. IV. in cit. c. Ad Audient. de homic. &c. n. 2. & 3.

Navarrus, Cabassutius (*d*), & alii canonistæ hujusce summi Pontificis decisionem sequuntur; En vero hujusce ultimi Auctoris verba: *Hoc tamen discrimen inter mandatem & consulentem assignant doctores, ut is qui mandavit, revocato ante factum suo mandato, non amplius sit irregularitati obnoxius: tametsi mandatarius post mandati revocationem exequatur demandatum homicidium, consulens vero non sit immunis ab ista & aliis canonicis pœnis, etiamsi Consilium revocaverit, & pro viribus dissuaserit si is qui consilium accepit, fuerit delictum executus, postquam fuit ei intimata revocatio consilii.* Solidior est & præceptis plenior ratio hujus discriminis ab isto Professore allata, quam ut hic prætermittatur. *Quia mandatum*, inquit *fit in ipsius mandantis commodum & gratiam: consilium vero dirigitur in gratiam & commodum ejus cui datur.* Unde sic concludit: *ideoque is qui dat consilium; non censetur suasionis suæ instinctum revocare nisi is cui & cujus commodo datum est consilium, destiterit velle consilium sibi datum exequi. Dispositio enim ejus, quod nostra interest, nostro subest & non alieno arbitrio. Qua eadem ratione sufficit mandanti suum revocasse mandatum, quod in ejus commodum refertur. Ideoque si post revocationem mandatarius velit illud exequi, non id tribuetur influxui præcedentis mandati, sed propriæ ejus qui exequitur malitiæ. Ideoque mandans, post revocationem opportunam, non tenebitur Canonicis pœnis.*

(d) Nav. Man. l. c. Jo: Cabass. cit. loco.

C A S U S XLIV.

Cosmas & Ferrandus, subdiaconi, in horto arcu sagittas emittere oblectabantur; at Cosmas infeliciter Ferrandum emissa sagitta interfecit ipsum nullatenus percellere volens. An ex hoc casu Irregularitatem incurrit?

R e s p o n s.

Quoties fit homicidium dando operam rei illicitæ, toties fit quis reus homicidii, atque adeo incurritur irregularitas, ut observat Glossa in Canonem decreti Gratiani (*e*) & docet S. Thomas, his verbis (*f*): *Si vero (quis) det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum si ex ejus opere mors hominis consequatur.* Cosmas autem sagittando operam dabat rei pro se illicitæ; enimvero ex Sacrosanctis Canonibus prohibentur Clerici, ne armis offensivis utantur, quæcumque sint; ac negari non potest, quominus arcus & sagitta sint arma offensiva, & etiam hæc ludi species Clericis sit vetita.

(e) Gloss. in c. de his. 8. dist. 50. init.

(f) S. Th. 2. 2. q. 64. a. 8. in corp.

Confirmari potest hæc decisio ex decretali Alexandri III. ad Archiepiscopum Corenthinum scribentis, in qua summus hic Pontifex irregularem declarat diaconum, quod clerico mortem fortuito casu attulisset ludo oblectans se multo minus periculoso, quam sint arcus & sagitta. En ipsius termini (*g*): *Cum Diaconus, præsentium Lator, & quidam alii Clerici a vineis Ecclesiæ, opere consummato, redirent, levandi laboris gratia, quemdam ladum imitati viatorum, baculos suos studebant jacere in directum, & alter alterius fustem ferire, cujus ludi solet esse conditio, ut qui alterius baculum perceteret, quasi victor, pro equo alio uteretur; sed præfati Clerici equitandi licentia non utentes, sola erant jactatione contenti. Quidam autem Laicus, dum baculum ejusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit, & a falce illius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo interiit.* En factum simulque decisio hujusce Papæ. *Ideoque mandamus, quatenus eumdem diaconum, sine Licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel in diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensative ministrare in subdiaconatus officio patiaris.* Ecce tibi diaconus, qui irregularis declaratur, licet neque percusserit, occiderit, vel mutilaverit, quia hominis morti occasionem præbuit, cum eo illo ludens ludo, clericis illicito, uti ex Legibus probat Glossa (*h*), & quia falcem, quæ e cingulo suo pendebat, non dimiserit; quod suffisset satis, ad illum irregularem in hoc casu efficiendum, quamvis ludus ipse fuisset licitus, ut observat eadem Glossa (*i*) Ex quo inferri debet, Cosmam esse irregularem irregularitate *ex homicidio casuali*, quod Ferrando mortem attulit illum in ludo clericis illicito percutiens. Igitur ordines suos

(g) Alex. III. in c. Continebatur. 8. de homic. &c.

(h) Gloss. in c. Continebatur v. Ludum ex Leg. Nam ludus ff. ad Leg. Aquiliam & L. in furti act. §. cum eo ff. de furt.

(i) Eadem Gl. v. Romani.

fuos exercere nequit, nisi post obtentam dispensationem necessariam, quam Episcopus jure ei potest concedere, si factum sit occultum, ex hoc Tridentini Concilii Decreto (*a*): *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum) dispensare.*

(a) Conc. Tr. sess. 14. de ref. c. 6.

CASUS XLV.

Constantinus, cum esset phreneticus, aut ebrius, Tertullum occidit. An irregularis est ex hoc homicidio?

Respons.

Nulla est pro phrenetico irregularitas, uti declaravit Clem. V. in una e suis Constitutionibus approbante generali, cui ann. 1311. præerat, Viennensi Concilio (*b*): *Si furiosus .... seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.* Ita loquitur hic Summus Pontifex.

(b) Cl. V. in Clement. Si furiosus unic. de homic. &c.

At si Constantinus, cum esset ebrius, Tertullum mutilavit, aut occidit, irregularis est. Ratio est, quia, cum voluntarie atque culpa sua vino mentem obruerit, ac ebrietas ejus vera sit homicidii causa, constat, quod, cum voluerit causam, effectum quoque inde secutum voluisse censetur, cujus proinde pœnam luere debet.

CASUS XLVI.

Hypparchus, puer septennis, Julium interfecit, tensum emittendo brevius sclopetum. An irregularis est, ita ut ordines aliquando suscipere nequeat?

Respons.

1. Si puer iste rationis usum nondum attigisset, quando Julium interfecit, nullam irregularitatis speciem incurrit. Ratio est, quia tale homicidium haberi debet uti mere & absolute casuale, neque ullatenus in sua causa vel effectu est voluntarium.

Id quidem probari potest ex duabus Decretalibus, quarum prior Alexandri III. ad Episcopum Oxoniensem scribentis (*c*), & altera Innocentii III. ad Episcopum Lingonensem (*d*): quibus duo illi Summi Pontifices de duobus singularibus homicidii penitus casualis & involuntarii casibus consulti, ut de eorum irregularitate dijudicarent, eam in illis non fuisse incursam respondent: idem ergo dicendum de Hypparcho, si rationis usu nondum polleret. Ita quoque rem definivit Clemens V. in Constitutione jam sæpe laudata (*e*), in qua sic habetur: *si furiosus aut infans..... hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.*

(c) Al. III. in c. Lat. 9. de hom. &c. lib. 5. t. 12.
(d) Inn. III in c. Dilectus, 11. ead. tit.
(e) Clem. V. in sup cit. c. Si furiosus.

2. At si eo rationis usum attigisset hic infans, ut jam lethalis culpæ conscius esse potuerit, ex hoc homicidio irregularis censeri debet, quod ipsius actio sufficienter voluntaria censeatur, Dicimus *Si jam culpæ Lethalis conscius esse potuerit*: nam si imperfecto tantum rationis usu polleret, & culpæ venialis dumtaxat reus esse posset, in casu proposito non fieret irregularis, quia irregularitas *ex delicto homicidii* necessario mortale delictum supponit.

3. Denique si legitime dubitari queat, num Hypparchus tum sufficienter ratione uteretur, ut in ipsum mortale peccatum cadere posset, nostra hæc est sententia, quod, licet a multis auctoribus ab irregularitate in hoc dubio eximatur, tamen probabile est, ipsum esse irregularem, uti probari potest ex Decretali Clem. III. qui consultus, num irregularis censeri deberet Sacerdos quidam, dubitans, se in re quapiam ad mortem pueruli contulisse, respondet, eum irregularem esse censendum, eumque pro tali se gerere debere *cum in dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, quam rationem affert hic Pontifex.

CASUS XLVII.

Agilus in saltu venationi dans operam, dormientem hominem interfecit, existimans se belluam occidere. Alia vice exciso ingenti arboris ramo, illac transeuntem hominem obtrivit. Denique in attingendo scopo sese exercens cum sclopeto, hominem, quem non videbat, occidit. Nunquid in omnibus istis casibus factus est irregularis?

Respons.

Priusquam ad istas quæstiones respondeatur, tria sunt observanda. 1. Quod homicidium casuale, de quo hic agitur, illud est, quod fit absque voluntate occidendi, seu propriis admittatur manibus, ut in primo casu, in quo agitur de venatore, qui belluam putans se occidere, hominem latentem, quo ictum collineabat, interfecit; seu aliter committatur, ut cum homini jubetur ut puerum castiget, aut quempiam percutiat, & mandati modum excedens, ipsum interfecit. 2. Quod homicidium aliquando casuale est absolute & omnimode; ita ut neque directe, neque indirecte, in effectu vel in causa sit voluntarium; quale est homicidium a phrenetico aut dormiente commissum. 3. Denique, quod homicidium aliquando casuale est *secundum quid*, tantum, ut loquuntur scholæ, hoc est, quod, quamvis casuale sit quoad effectum, indirecte tamen & in sua causa voluntarium est, quale est homicidium ab ebrio patratum, qui ebrietati indulgens, prævidebat aut prævidere debebat, se illud committere posse.

Hoc præsupposito ad propositas difficultates respondemus, cuipiam in culpam verti non debere actionem, cum ab eo fit omnino involuntarie; quare dici nequit, eum esse homicidam; ac proinde irregularem, qui ignorans & casu mere fortuito alium interfecit.

Illum tamen casum excipi necesse est, in quo occisor homicidium commisisset, rei illicitæ dans operam, aut non adhibita diligentia, & cautione debita, ut talem casum vitaret, tum enim causa quodammodo esset voluntaria, atque adeo irregularitatem pareret. Ita ratiocinatur Sanctus Thomas (*f*): *Nullus facit, nisi illud, cujus causa est, quod est voluntarium in homine*, inquit Sanctus Doctor, *& ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida, nec Irregularitatem incurrit; nisi dederit operam rei illicitæ, vel nisi omiserit debitam diligentiam: quia jam quodammodo efficit voluntarium: nec hoc est propter hoc quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur Irregularitas.*

(f) S. Th. in 4. d. 26 q. 2. a. 1. qu. 2. ad 3.

Eamdem alibi doctrinam tradit Angelicus Doctor (*g*), dicens: *Contingit tamen, id, quod non est actu & per se volitum, vel intentum, esse per accidens volitum, vel intentum, secundum quod causa per accidens dicitur removens, prohibens.* Quo dicto sic pergit. *Unde ille, qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodo homicidium voluntarium. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit: Alio modo; quando non adhibet debitam sollicitudinem.* Unde istam ducit conclusionem alibi jam allatam, & quam tamen hic iterare necesse est: *Et ideo secundum jura, si aliquis det operam rei licitæ, debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum. Si vero det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur.* Isto principio multi Summi Pontifices (*h*) decisiones suas stabilierunt: quodque sufficit ad solutionem plurium difficultatum, quæ ea de re fieri possunt, cum facilis sit ejus applicatio; & ex quo concludimus, quod, si Agillus, de quo fit mentio in casu proposito fuerit Clericus, Irregularitatem incurrit si belluam occidere putans, hominem interfecit, aut si seipsum collineans cum sclopeto, quempiam occidit quem non videbat, quia venatio & armorum ad nocendum ge-

(g) Idem 2. 2. qu. 64. art. 8. in corp.
(h) Al. III. in c. Presb 7. in c. continebatur, 8. & seqq. de hom. &c. & Cl. III. in c. ad audient. Inn. III. in c. Dilectus 13. & tribus seq. Hon. III. in c. Joannes 23. eod. t.

stio

ſtio Clericis ſunt prohibita, quamvis etiam Clericus iſte omnem adhibuerit diligentiam ad vitandum homicidium, ut obſervat Toletus his verbis: *Clericus venationi, in qua ſagittæ, aut ſclopeta omitti ſolent, incumbens & caſu accidens; quamtumque omnem prius diligentiam adhibuerit, Irregularis eſt; quia operam dabat rei illicitæ, & talibus perſonis prohibitæ.*

Ex eodem principio ſequitur, Agilum pariter Irregularem factum eſſe ex obitu hominis, qui lapſu arboris excelſæ occiſus eſt, ſi ob culpam ſuam aut negligentium caſus iſte contigerit; v. g. ſi ramum arboris exciderit in via, aut publico loco, qua ſolitus erat hominum tranſitus, non præmonitis viatoribus. At ſi palam ramum illum excidens, vicinos præmonuerit, ut diſcederent, quod caſui proximus eſſet, non reus eſt homicidii illius hominis, cui per tempus recedere licait, & neglexit; atque adeo non eſt irregalaris. *Hi qui arbores incidere videntur*, inquit Nicolaus I. in canone, quem in ſuo decreto refert Gratianus (a), *ſi contigerit, ut cadens arbor hominem occiderit, inculpabiles ſunt atque innoxii, quia nec voluntate eorum, nec deſiderio homicidium perpetratum eſt. Si vero aliqua culpa eorum vel neglectu, morientis hominis interitus cognoſcitur adveniſſe; abjiciendi ſunt a gradu, & in ſacro ordine nullatenus ſuſcipiendi.*

(a) Nicol. I. in can. Hi qui 49. diſt. 50.

CASUS XLVIII.

Raudlphus, Sacerdos, potentis cujuſdam domini Eleemoſynarius, venatores alioſque ad venationem in ſaltu faciendam homines cogendi acceptum mandatum confecit, venatoreſque die conſtituta in ſaltu adſuere, circa quem quiſque ſuum obtinuit locum & angulum. Radulphus ipſe laica veſte indutus, medium ſaltum occupavit ſine armis, veſtigatorem canum manu tenens, quem belluæ, ubi primum viſa eſt, immiſit, non ſine magno clamore, ut venatores moneret eſſe accinctos ad emittenda ſclopeta. Unus ex iis, glande plumbea in belluam emiſſa hominem per ſilvæ ſemitam tranſeuntem haud auſpicato interfecit. Qua de re quæritur, utrum Radulphus factus ſit Irregularis ex homicidio caſuali, quod commiſit hic venator?

RESPONS.

Priuſquam ſolvatur propoſita difficultas; advertendum eſt, Radulphum ſibi non permiſſum mandatum in ſe ſuſcepiſſe. Nam ex quarto generali Concilio Lateranenſi an. 1215. ſub Innocentio III. habito (b), quarto Aurelianenſi, vel potius, ut obſervat Pithæus, Concilio Agathenſi anno 506. (c). ex quibus depromptæ ſunt duæ decretales in corpore juris relatæ (d), & ex multis canonibus, qui in Decreto Gratiani reperiuntur (e), Sacerdotibus & omnibus generatim Clericis venatio prohibetur. Is vero Irregularis eſt, qui rei illicitæ dans operam, hominem interficit, quamvis fortuito caſu, uti invicte probavimus in præcedenti deciſione, ea auctoritate Sancti Thomæ, & multis Decretalibus ſummorum Pontificum. Ergo Radulphus Irregularitatem incurrit; cum indirecte ſaltem procuraverit caſuale homicidium ab uno venatore commiſſum: belluæ canem immittendo & venatores clamoribus ſuis monendo. Ita ſentit inſignis Theologus, qui menſe Martio ann. 1666. de pari difficultate conſultus eſt (f).

(b) Con. Later. 4. c. 15.
(c) Concil. Agat. in can. Epiſcopum a. diſt. 34.
(d) Cap. Epiſcopum 1. &c. Omnibus, 2. de Clerico venatore. l. 5. tit. 24.
(e) Can Epiſcopum, eod. tit. can. Omnibus. 3. diſt 34. Can. Qui venatoribus. 8. & 1. ſeqq. d. c.
(f) De Saint Beuve to. 2. caſ. 60.

Advertit autem Cabaſſutius (g), quod, ſi culpa, ex qua ortum eſt caſuale homicidium, eſſet tantum venialis, nulla inde ſequeretur Irregularitas. " Levis autem culpa, *inquit hic Canoniſta*, ſeu venialis negligentia non ſufficit; " Nam Irregularitas ex delicto præſupponit " mortale peccatum. Idque ulterius ex hoc probatur, quia decernitur in capite. *Quæſitum.* " De pœnis, Parentes non eſſe Irregulares; quamvis id aliqua eorum incuria .... acciderit, niſi, *inquit*, ea negligentia fuerit ſtudioſa.

(g) J. Cabaſ. jur. can. th. & prax. l. 5. cap. 20. n. 10.

CASUS XLIX.

Martialis, Sacerdos, Eccleſiæ ſtructuræ dans operam hominem vocavit, qui ſibi opem præſtaret ad ſolvendam trabem; eſt hic homo cum trabe lapſus ex templo ex mortuus eſt. An ex hoc caſu Martialis factus eſt Irregularis?

RESPONS.

Ex principio Sancti Thomæ, quod jam ſupra in reſponſione ad caſum Agili retulimus, Martialis in caſu propoſito non factus eſt Irregularis. Ratio eſt, quia rei licitæ dabat operam, & ſine culpa ſua contigit mors hominis, qui cum trabe lapſus eſt. Ita difficultatem hanc ſolvit Gregorius IX. in una e ſuis decretalibus (h): " Quidam, ut aſſerit, *inquit hic Papa*, ad ædificationem Eccleſiæ a Presbytero vocatus ruens " cum laqueari, quod idem Presbyter ſolvere " nitebatur, hac occaſione rebus eſt humanis " exemptus ...... attendentes igitur, quod Sacer" dos ipſe dabat operam licitæ rei, ſtuduit eti" am quam debuit, diligentiam adhibere: cir" cumſtantibus, quibus periculum imminebat, " ita tempeſtive & alta voce permonitis, quod " intelligere & fugere potuerunt, inquiſitioni tuæ " taliter reſpondemus, quod ob hanc cauſam, " vel quia omnes caſus fortuitos, qui prævidere " non poſſunt, forſitan non prævidit, non debet " quoad officium, vel beneficium impediri.

(h) Greg. IX. in c. Quidam fin. de homic. voluntas vel caſuali.

CASUS L.

Sergius, amiſſa conjuge, cupiens ſacros ſuſcipere ordines, recordatus eſt quod, cum in eodem ſecum & muliere lecto puellulum, recens natum collocaſſet, ſua culpa fuerat ſuffocatus. Qua de re poſtulat, utrum ex hoc caſu non factus ſit Irregularis?

RESPONS.

Id tanquam certum præſupponendum, parentes videlicet, qui recens natos in eodem ſecum lecto collocant, eoſque ſuffocant, quod non requiſitam adhibuerint diligentiam ad vitandum tale infortunium, coram Deo homicidii vere conſcios eſſe; ut patet ex antiquo canone Stephani V. ad Humbertum, Moguntinum Epiſcopum ſcribentis (i), in quo ſic habetur: " Monendi ſunt namque, & proteſtandi ſunt parentes, *inquit hic Papa*, ne tam " tenellos, ſecum in uno lecto collocent, ne negli" gentia qualibet proveniente ſuffocentur vel op" primantur, unde homicidii rei inveniantur ..... " quia ſi ille, qui conceptum in utero per abortum " deleverit homicida eſt, quanto magis qui unius " ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam ſe " eſſe excuſare nequibit! Ex quo colligitur, Sergium in caſu propoſito eſſe irregularem, atque eum ideo in hoc ſtatu ſacros ordines non poſſe ſuſcipere quod verum eſt ex nonnullis Auctoribus licet in hoc leviſſimam tantum culpam admiſerit, ut inferri poteſt ex his canonis verbis, *ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur*, quod tamen Cabaſſutii ſententiæ contrarium eſt.

(i) Steph. V. in can. Conſuluiſti, 20. in q. 1.

Hæc eadem difficultas clare definita reperitur in quadam decretali Clementis III. (K) in qua ſummus hic Pontifex irregulares declarat quoſdam Græcos ſacerdotes, qui pueros ſuos propria culpa ſuffocaverant. Navarrus eamdem hanc ſententiam noſtram tuetur (l), & eum duntaxat caſum excipit, in quo omnem parentes adhibuiſſent diligentiam, quam viri ſapientes & prudentes adhibere potuiſſent ad vitandum tale infortunium, ſcilicet pueri ſuffocationem v. g. inquit hic canoniſta (m); *quia cubile eſt amplum, & puerum a ſe longe poſuit* (mater).

(k) Clem. III. in c. Quæſitum. 7. de pœn. & remiſ. l. 5. t. 38.
(l) Nav. Manual. c. 27. n. 236.
(m) Id. ib. 23. n. 23.

CASUS LI.

Gennadius, Sacerdos, ab Ariſtarcho famulo ſuo ſubrepta re ſua, de eo apud capitalem judicem conqueſtus eſt, qui poſt factam de delicto inquiſitionem, Ariſtarchum detentum Capite damnavit, ſuumque ſententia ſortita eſt effectum. An ex iſta ſententiæ executione irregularis facta eſt Gennadius? Cleri ſyndicus, qui ad cauſam intervenit, & qui latam in Ariſtarchum ſententiam proſecutus eſt, potuitque idipſum facere, prætermiſſa irregularitate?

RESPONS.

Regula generalis eſt, ax facris canonibus eos omnes irragularitatem incurrere, qui efficaciter ad alicujus mortem conferunt, ſeu mors ſit juſta, ſeu injuſta. Unde ſequitur Clericum nunquam debere ſe cauſis & proceſſibus immiſcere, quæ ad effuſionem ſanguinis ſpectent, quantumvis æquæ ſint & legitimæ. Qaia tamen non par eſt, Clericos improborum vi atque malitiæ patere, eiſque omnem præcavendi ab illis occaſionem abripere; ex jure ipſis licitum eſt apud judices querelas deferre de injuriis ſibi illatis, quin ullam incurrant irregularitatem ſeu *ex delicto*, ſeu *ex defectu Lenitatis*; modo regulam in conſtitutione Bonifacii VIII. (*a*) contentam obſervent, in qua declarat hic Papa, non damnandos eſſe Prælatos cæteroſque clericoa, qui ſuam apud ſæculares judices querelam deponunt in eos, a quibus injuriam aut damnum aliquod paſſi ſunt, ut eorum exigant reparationem, & ne tali modo deinceps habeantur; modo juridice proteſtentur ſe non animo vindictæ conqueri, & declarent, hoc unum ſibi proponere; ut indemnitatem ſuam atque injuriæ reparationem obtineant, non vero ut Maleſactores capite, aut pæna aliqua, quæ ad effuſionem ſanguinis pertineat, damnentur. En verba hujuſce conſtitutionis. *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque qui de Laicis, ſuis malefactoribus querelam penes ſæcularem judicem deponentes, petunt mendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia præſumantur, præſtando expreſſe, quod ad vindictam ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet; quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi judex mortem illis inferat, juſtitia exigente*; cujus rei hanc rationem affert Papa: *alioquin, ſi Prælati & Clerici propter metum hujuſmodi; quia Juden ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi.*

(*a*) Bonif. VIII. in cap. Prælatis. 3. de homicid. &c. in 6.

Verum obſervandum eſt, hujuſmodi proteſtationem in Gallia eſſe inutilem; ubi ad partem publicam, ſeu ad procuratores Regios, aut dominorum, qui altam obtinent juriſdictionem, pertinet reorum ſupplicium proſequi, non vero ad privatos, quibus tantum competit actio civilis (*b*).

(*b*) De Saint Beuve to. 2. caſ. 68. & to. 3. caſ. 229.

Idem dicendum de Cleri Syndico, qui cauſæ ſe immiſcuit, & litem proſecutus eſt. 1. quia ipſi competit proteſtationis via. 2. Quia in Gallia ſolus procurator Regius poteſt eſſe actor criminalis, & qui ſub ea ratione vel rei mortem vel pœnam afflictivam poſtulare queat.

CASUS LII.

Alanus, Sacerdos, Auguſtæ Taurinorum habitans, cui Nicetius, vitiis & improbitate omnibus notus rem ſuam ſurripuit, apud Capitalem conqueſtus eſt judicem, eoque præſente proteſtatus eſt, ſe ad pœnam ſanguinis non intendere; ſed ad formam tantum in foro exteriori requiſitam: ſic proteſtatus eſt, intus cupiens, ut Nicetius, utpote peſtis publica, morte plecteretur, & ob eam cauſam judici neceſſarias ad ejus damnationem probationes ſuppeditans. An ſufficit illa exterior proteſtatio, ut ab irregularitate immunis ſit Alanus?

RESPONS.

Sentit Toletus (*c*), ex tali proteſtatione, quæ veritati nec ſpiritui Legis Eccleſiaſticæ conſentanea eſt, non impediri irregularitatem. *Qui proteſtatur, ſe non ob vindictam facere*, inquit hic Auctor, *tamen revera animum habet vindictæ, irregularis eſt ex delicto, ac ſi non faceret proteſtationem. Erit tamen in ſolo foro conſcientiæ, quia animus ejus latebit, ſicut in homicidio occulto; ſi tamen conſtaret de animo, eſſet etiam in foro exteriori irregularis*. Ejuſque rei hanc affert rationem, *quia proteſtatio .... ſupponit animum non vindicandi & eam habenti ſuffragatur. Aliter enim non eſt vera proteſtatio: nec ergo proteſtatio ſine animo, nec animus ſine proteſtatione ſufficit*, addit; quod cum objicitur, quod *Eccleſia non judicat de occultis*, reſpondendum eſt, regulam illam, quæ e Concilio Tridentino deprompta eſt, non intelligi, niſi de actibus pure internis, non vero de iis, qui actibus externis ſunt conjuncti, ut in caſu propoſito. *Eccleſia enim judicat de actibus animæ quando conjuncti ſunt cum actibus exterioribus*

(*c*) Fr. Tolet. inſtruct. Sacer. l. 1. c. 86.

Igitur Alani proteſtatio externa & contra animi ſui ſenſum facta, non eum ab irregularitate coram Deo eximit, licet coram hominibus & in foro externo non ſit irregularis. Reipſa proteſtatio, quam jus requirit, ſupponit abſolute intentionem expreſſam, ſinceram & veram, non exigendi vindictam ex rei morte aut ejus mutilatione; & hæc eſt mens Eccleſiæ, quam quiſque ſequi tenetur in omnibus regionibus, ubi neceſſaria eſt & viget hæc proteſtatio; hanc ſententiam tuetur Joannes Andreas (*d*), & Hoſtienſem laudat. Eamdem quoque rem tradunt ſanctus Antoninus, Angelus de Clavaſio, Aſtenſis; Vivaldas, Navarrus & alii multi (*e*), qui eadem, qua nos, ratione nituntur.

(*d*) Andr. in cit. c. Prælatis 3. de homicid. in 6. To. 5. & apud eum Hoſtienſis.

(*e*) S. Anton. 3. part. ſum. theol. tit. 28. c. 2. §. 4. Angel. de Clavaſio v. Homicidium 3. n. 6. Aſteſan. ſeu ſum. Aſtenſis p. 2. l. 6. tit. 14. art. 8. q. 1. Alphonſ. Vival. tract. de irregular. nu. 213. Navar. Man. c. 27. n. 226 & alii plures.

CASUS LIII.

Onuphrius, Sacerdos, voluntarie abortum procuravit, ut Mariæ ſororis ſuæ famæ conſuleret. An ex hoc crimine irregularitatem incurrit?

RESPONS.

Diſtinctione opus eſt: Nam fœtus, quem utero gerebat Maria, erat animatus, vel non: ſi eſſet animatus, Onuphrius procul dubio irregularitatem incurrit: at ſi fœtus eſſet inanimatus, non eam incurrit, licet graviſſimum commiſerit peccatum.

Ita rem expreſſe definivit Innocentius III. (*f*), de ſimili difficultate interrogatus. *Si nondum erat vivificatus conceptus, miniſtrare poterit*. Reſpondit hic Papa de Religioſo Sacerdote, criminis hujus conſcio, *alioquin debet ab altaris officio abſtinere*.

(*f*) Inn. III. in c. Sicut 20. de homicid. &c.

Conſentit hæc decretalis cum doctrina ſanctorum Patrum, Theologorum atque Canoniſtarum, ac præcipue ſancti Auguſtini, quem laudat Gratianus (*g*), in canone; in quo docet ſanctus doctor, eum qui fœtus nondum animati abortum procurat, homicidam non eſſe cenſendum. *Quod vero* inquit, *non formatum puerperium, noluit* (lex vetus) *ad homicidium pertinere; profecto nec hominem deputavit, quod tale in utero geritur .... ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici poteſt anima viva in eo corpore quod ſenſu caret*.

Eamdem quoque rem docet ſanctus Bonaventura (*h*) idque probat ex alio teſtimonio ejuſdem ſancti Auguſtini (*i*), & ex his verbis S. Hieronymi (*k*) *ſemina paulatim formantur in utero, & tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta ſuas imagines membraque ſuſcipiant. His apparet, tunc eos homicidas eſſe, qui abortum procurant, cum formatum eſt, & animatum puerperium*. Nec aliter loquitur S. Thomas (*l*): *Nec eſt judicandus talis, irregularis*, inquit, *ni jam formato puerperio abortum procuret*.

(*g*) S. Aug. in can. quod vero 8. 32. q. 2.

(*h*) S. Bonav. in 4. ſent. diſt. 31.

(*i*) S. Aug. in c. aliquando 7. 32. q. 2.

(*k*) S. Hieron. apud S. Bonavent. cit.

(*l*) S. Thom. in 4. diſt. 31. in expoſit. textus.

Ex his igitur teſtimoniis conſtat, quempiam non eſſe irregularem, quod fœtus inanimati abortum procuraverit, nam ut ait Gloſſa (*m*), non cenſetur quis in hoc caſu homicida niſi *quantum ad pœnam Legalem* (*n*) *& quantum ad pœnam ſpiritualem. Sed non eſt irregularis, ac ſi hominem interfeciſſet. Illa enim irregularitas non contrahitur, niſi actu homo interficiatur jam animatus*.

(*m*) Gloſſa in cap. Si aliquis. 5. de homic. l. homicida.

(*n*) L. Si quis aliquid. §. qui Abortionis ff. de pœnis & L. Si mulierem. ff. ad leg. cornel. de ſicariis.

Theologi omnes & Canoniſtæ idem docent, ac pro cæteris ſanctus Antoninus his verbis: „Qui „ percutit mulierem prægnantem, vel dat ei aliquid, ut faciat abortum, ſi ex hujuſmodi percuſſione, vel retdatione, illa abortitur, ſi jam erat „ formatus conceptus, eſt irregularis; ſecus, ſi nondum erat formatum puerperium (*o*)„: hanc eamdem doctrinam ſolide probat Covarruvias (*p*).

(*o*) S. Anton. part 3. ſum. Theol. tit. 28. c. 2. paragr. 3. Item Sylveſt. de Ferrio. V. irregularitas 5. q. 3. Fr. Toletus inſtr. Sacerd. l. 5. c. 76 n. 5. Jo. Cabaſ. juz. cano. theor. & prax. l. 5. c. 50. n. 6. poſt Hoſtienſ. Panor. & alios.

(*p*) Didacus Covarr. a. p. relectionis Clementinæ. ſi furioſus de homicid. pareg. init.

Addit vero ſanctus Archiepiſcopus; *Quod ſi dubitatur, utrum ex percuſſione, vel rei ſumptione ſecutus fuerit abortus vel alia cauſa vel utrum eſſet puerperium formatum, vel non; ſi probabiliter dubitat,*

debet

debet a promotione & ministerio abstinere, ne periculo se committat, & multa magis; si hoc credit. Si autem habet temerariam opinionem, deponat.

Quod subjicit hic Sanctus Antoninus, eo potioris est momenti, quia difficillimum est agnoscere, utrum fœtus sit animatus; an non: cum hactenus inter Medicos omnes & Philosophos convenire non potuerit de tempore præciso, & stabili, quo cœpit esse animatus. Alii siquidem, ut Hypocrates (*a*), existimant, pueri corpus perfecte esse conformatum, atque adeo animatum trigesima secunda die ab ejus conceptu; puellæ vero, Corpus quadragesima secunda die alii vero ut Aristoteles (*b*) a sancto Thoma (*c*) laudatas contendunt marem quadragesima die, feminas autem nonagesima tantum vivere, at omnes illi Auctores, de eo, uti de re valde incerta loquuntur. Addit sanctus Thomas, ex opinione Sancti Augustini, fœtum non esse animatum, nisi quadragesima sexta die. Navarrus post Glossam & alii multi Aristotelis opinionem sequuntur (*d*).

(*a*) Hypoc. l. de pueri seminisque natura.
(*b*) Aristotel. l. 9. de animalibus.
(*c*) S. Th. in 4. sent. d. 3. q. 5. ar. 2. in corp.
(*d*) Navarr. Man. c. 27. nu. 225. & apud cum Gloss. in princ. dist. 5.

Advertendum autem, quoad præsentem difficultatem Sixtum V. ex bulla sua octogesima septima 19. octobris ann. 1588. lata generatim declarasse irregulares eos omnes, qui abortum procurarent, seu fœtus esset animatus, vel non (*e*) at Gregorius XIV. Constitutionem banc mitigavit ex Bulla sua octava 31. Maii ann. 1591. (*f*), & irregularitatem restrinxit, uti Innocentius III. ad solum casum in quo fœtus est animatus.

(*e*) Sixt. V. in Bulla Effrenatam.
(*f*) Greg. XIV. in Bulla Sedes Apostolica.

C A S U S LIV.

Nicephorus, post admissum gravissimum peccatum, dubitat an ipsi annexa sit irregularitas, an non; quamlibet adhibuerit diligentiam ad explicationem dubii sui. An se irregularem in hoc casu existimare debet; & pro tali se gerere?

R e s p o n s.

In dubio juris positivi humani, irregularem se coram Deo, & pro tali se gerere quis non tenetur quoad functiones Ecclesiasticas. Ratio est 1. quia lex neminem obligat, nisi sufficienter a subdito sit cognita, præsertim cum per se non steterit, ut eam cognosceret.

Hic vero supponitur, Nicephorum irregularitatis legem non sufficienter cognovisse, nec per eum stetisse, quominus eam cognosceret, igitur illum lex non obligat, atque adeo se irregularem putare, & pro tali se gerere non tenetur 2. qui omnem, quantum potuit, diligentiam adhibuit, ad cognoscendam veritatem, dubiumque deponendum, invincibili censetur ignorantia laborare. Atqui legi positivæ humanæ nemo subjicitur, quam invincibiliter ignorat. Idem ergo dicendum de eo, qui dubio juris humani laborans, quale est dubium de irregularitate, illud nequit deponere, quamcumque adhibeat diligentiam. 3. non incurritur irregularitas, nisi jure sit expressa, aut saltem sufficienter designata, ut probari potest ex constitutione Bonifacii VIII. qui dicit (*g*). *Irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit.* Atqui in dubio juris, irregularitatem non sat manifeste jus designat, non ergo incurritur,

(*g*) Bon. VIII. c. Is qui 18. de sent. exc. &c. in 6. l. 5. tit. 4.

Confirmari potest hæc decisio ex hac juris civilis regula (*h*). *In re dubia benigniorem sententiam sequi, non minus justius est, quam tutius,* & ex hac alia; *semper in dubiis benigniora præferenda sunt.*

(*h*) L. 192. §. 1. & leg. 56. ff. de divers. reg. jur. unt. 50. tit. 17. Item l. Proxime 3. ff. de his quæ in test. delentur &c. l. 28. c. 4.

Cabassutius (*i*) putat, idem dicendum esse de dubio facti, excepto solo dubio homicidii, quod probat ex duabus regulis juris Canonici. *Æquitati consentanea & communis assertio est*, inquit doctus hic Professor, *non esse pro irregulari habendum, in aliis facti dubiis, solo excepta dubio homicidii. Ratio est quia .... (k) odia sunt restringenda, potius quam extendenda, & quia sunt partium jura obscura, rea potius favendum est, quam actori (l).* Ratio cur dubium homicidii accipit hic canonista, petitur ex duabus decretalibus; quas laudat, quarum prior est Clementis III. & altera Innocentii III. (*m*) & addit, quod in tali

(*i*) Jo. Cab. jur. c. th. & prax. l. 5. c. 20. an. 4.
(*k*) Reg. 15. de reg. jur. in 6.
(*l*) Ib. Reg. 11.
(*m*) Cl. III. in c. Ad audiunt. 12. & Inn. III. in c. Significasti 18. de hom. &c.

dubio inducta censeri debet irregularitas seu irregularitas, de qua dubitatur, sic *ex delicto*, seu *ex defectu Lenitatis*. Quod confirmat alia decretali Honorii III. (*n*).

(*n*) Hon. III. in c. petitio, 24. eod. tit.

C A S U S LV.

Leontius, professione Restiarius, a multis annis carnifici funem suppeditat, qua novit eum uti ad strangulandum eos, qui ultimo patibuli supplicio damnati sunt.

Henricus, Lignarius, ipsi quoque patibula, scalas aliaque artis suæ instrumenta præbet, quæ novit pariter eidem usui esse destinata. An duo illi sunt irregulares, quod sic ad eorum mortem contulerint?

R e s p o n s.

Dicendum videtur, Leontium & Henricum in casu proposito irregularitatem incurrisse, non eam quidem, quæ *ex delicto* vocatur, cum non peccaverunt, unus funem, & alter scalas ac patibula vendentes; sed eam, quæ dicitur *ex defectu Lenitatis*, si consulto fecerint & hac intentione supplicii instrumenta vendiderint, ut Reorum morti conferrent, ut videntur fecisse ex proposito casu. *Fit irregularis .... vendens .... vel commodans scalas, funes, enses ... ad laquea suspendendum, jugulandum, aurem aut aliud membrum decidendum,* inquit Navarrus (*a*).

(*a*) Nav. Man. c. 27. n. 227.

At si res illas Carnifici non vendiderint, nisi ut ex se ipsis indifferentes ad multos usus, atque uti aliis emptoribus vendunt; probabile non est, tum eos aliquam incurrisse irregularitatem. Nam funes & scalæ non solum adhiberi possunt; & reipsa quotidie adhibentur ad multos usus, qui nullatenus ad reorum supplicium referuntur; sed & ipsa patibula usui, esse Possunt s. Ut sontis alicujus effigies ignominiæ causa suspendatur. 2. Ut iis incutiatur pavor, qui de aliqua conspiratione sunt suspecti, ut quandoquidem fit in urbe ad hostibus obsessa, in qua periculum est seditionis aut rebellionis. 3. Adhibentur etiam tanquam signa jurisdictionis Dominii alicujus, aut denique viarum e loco in locum. Ita advertit S. Antoninus (*p*), qui eum præmisit, eos, qui ferunt funem, scalam, aut gladium, cum reus ad supplicium dicitur, fieri irregulares; postea subjungit; „ Secus de eo, qui facit scalas, vel funes, „ vel gladium, non ad mortem inferendam, sed „ ad omnes usus, & casu postea aliquis utitur „ ipsius ad occisionem.

(*p*) S. Ant. 3. p. sum. Theol. tit. 28. c. 4. §. 5.

Ratio est, quia in hoc casu Restio ac Lignarius non sunt causa proxima: sed causa tantum remota & indirecta mortis damnati. Sententiam suam probat Sanctus Archiepiscopus auctoritate Sancti Augustini in Canone relato (*q*) qui asserit, a nemine præstandum esse rei usum, quæ ex se non est destinata ad abusum quorumdam, quod probat ex multis exemplis, quæ affert, & ex quibus sic concludit: „ Absit, ut ea quæ „ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur: „ quid enim est in usu hominum bono ac licito, „ unde non possit etiam pernicies irrogari?

(*q*) S. Aug. in c. De occidendis, 8. 23. q. 5.

Concludendum est itaque, Leontium & Henricum potuisse, non incursa irregularitate, funes & scalas Carnifici vendere: modo expresse & formaliter non intenderint ea ad reorum supplicium adhiberi; non inquirentes, ad quem usum ille iis uti vellet; cum certum sit Carnificem non minus, quam alii, eadem ad usus communes & ordinarios adhibere posse.

C A S U S LVI.

Juvenalis, Judex capitalis, multos capite damnavit, & damnatos eodem supplicio puniri jussit; qui illud merebantur. An idcirco incurrit in irregularitatem?

R e s p o n s.

Contrahitur irregularitas, non solum ex quibusdam peccatis, qualia sunt homicidium, abor-

tus, & iteratio Baptismi; ex suspensione aut exercitio Ordinum in quibusdam casibus jure designatio; sed etiam ex quibusquam defectibus corporeis, ut ex privatione unius membri corporis, aut partis notabilis, ex qua oritur gravis deformitas; aut ex spiritualibus, aut cum quis usu rationis caret, aut sufficienti scientia, uti etiam natalium defectu; aut libertatis, ut cum illegitimus est aut servus; ex defectu significationis in Sacramento, uti cum quis est bigamus, etiam bigamia interpretativa, qualis est *ea*, quam contrahit vir nubens viduæ; ac denique *ex defectu lenitatis*; quæ in judice occurrit, cum reum ex sententia sua capite minuit: ex hoc igitur ultimo defectu irregularis est Juvenalis; quantumvis æquitati consonæ fuerint, quas tulit, sententiæ; quocirca inhabilis est ad susceptionem aut exercitium Ordinum; donec de irregularitate legitime fuerit dispensatus. *Irregularitas non incurritur propter peccatum tantum*, inquit S. Thomas (*a*), *sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum. Et ideo judex, & omnes, qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros dicti Sacramenti*. Dicit S. Doctor: *Propter ineptitudinem personæ ad Sacramentum Eucharistiæ ministrandum*; quia, ut alibi dicit (*b*): *Omnes Ordines referuntur ad Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum pacis*. Ita cum omnibus Theologis atque Canonistis sentit Panormitanus.

(*a*) S. Th. in 4. dist. 25 q. 2. art. 2 q. 2. ad 2.

(*b*) Idem ib. dist. 24 q. 2. a. 2. q. 2. in Corp.

CASUS LVII.

Gabriel, Capitalis judex, qui mortis sententiam tulit in Reum, qui effugit, an ex eo incurrit irregularitatem *ex defectu lenitatis*; quamvis hæc sententia suum non sortita sit effectum, vel ob rei fugam, vel ob concessam a Principe gratiam?

RESPONS.

S. Thomas (*c*), respondens ad objectionem, quæ fieri potest ad probandum, ex eventu augeri posse malitiam vel bonitatem actionis, asserit in hoc casu judicem non esse irregularem; cujus rei hanc affert rationem, quia nimirum hæc irregularitatis species non oritur ex peccato, sed solum *ex defectu lenitatis*, qui sententiæ executionem supponit: *Ratio illa procederet*, inquit, *si irregularitas sequeretur culpam: Non autem sequitur culpam, sed factum propter aliquem defectum Sacramenti*. Igitur in proposita specie Gabriel non factus est irregularis; quia, ut ait idem Sanctus (*d*) ad incurrendam irregularitatem, necesse est, ut sententia fuerit perfecta, *Irregularitas consequitur actum homicidii, etiamsi sit absque peccato*.

(*c*) S. Th. 2. 2. q. 20. a. 5. ad 4.

(*d*) Idem 2. 2. q. 64. a. 7. ad 3.

CASUS LVIII.

Tiburtius, Sancti Gratiani Parochus, cum vidisset cædem insidiosam Germani a Desiderio factam, jussus est, curante Garmani uxore, ut juridicum ferret testimonium; ac postridie vadimonio sibi dicto testificatus est; atque ob ejus testimonium altari adjunctum Desiderius morte damnatus ultimum subiit supplicium. Nunquid in hoc casu irregularis est Tiburtius?

RESPONS.

1. Antequam propositæ difficultati respondeatur, juvat advertere Clericos, etiam in re civili, coram Laico judice testes non posse adhiberi, ut patet ex antiquo Canone, quem S. Sylvestro tribuit Gratianus (*e*), & qui multus etiam Romanis Legibus stabilitur (*f*), & etiam ex antiquo Concilio Rhemensi; quod in suo Decreto refert idem Gratianus (*g*); unda colligit Sanctus Thomas (*h*), eos a Laico judice ad dicendum testimonium cogi non posse, præsertim in re capitali, cum agitur de crimine, cujus pœna est vel mors, vel mutilatio *Operari & cooperari ad occisionem hominis, non competit Ministris altaris*, inquit Doctor Angelicus, *& ideo secundum juris ordinem compelli non possunt ad ferendum testimonium in causa sanguinis*.

(*e*) Can. Testimon. 2. 11. q. 1.

(*f*) Leg. Nec honore. 8. & Authentica. Sed judex. cod. de Episcop. & Cler. l. 1. t. 3.

(*g*) Concil. Rhem. in can. Nullus. 11. q. 1.

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 2. ad 3.

Conformiter ad Canonicas constitutiones a dicendo testimonio in qualibet instantia seu civili, seu criminali, Constantinopolitanos Clericos dispensavit Imperator Marcianus (*i*), ac prærogativam hanc ad cæteros omnes extendit imperator Zeno, ut observat Cujacius (*k*). Talis est jurisprudentia Canonica ab Imperatoribus Christianis confirmata, quæ tamen hoc tempore non universim admittitur & observatur.

(*i*) L. Cum Clericis 24. cod. de Epis. & Clericis.

(*k*) Cujac. in c. de juram. calumniæ, & in Novell. 19 Justin.

2. Hoc ita observato, ad propositum casum respondemus, ex opinione doctorum Ultramontanorum, testem, quem judex ad ferendum testimonium cogit *in causa Sanguinis*, & qui in hoc obtemperat, fieri irr gularem, si reus fuerit damnatus, & ultimo affectus supplicio. Nituntur autem 1. Decreto Concilii Agathensis anno 506. quod refert Gratianus (*l*), quo videtur incurri posse irregularitas solo consilio. Unde inferunt argumentando *a minori ad majus*, eam a fortiori incurri ex testimonio in reum lato, cum Judex consilium queat contemnere, secundum vero testium allegationem debeat judicare. 2. Suam quoque sententiam confirmant illi Auctores ex undecimo Concilio Toletano ann. 675. quod in Canone refert idem Gratianus (*m*). 3. Ex auctoritate alterius Concilii Romæ ann. 323. a S. Sylvestro habiti (*n*). 4. Ex eo quod testis hujusmodi sit causa proxima mortis ipsius rei.

(*l*) Conc. Agat. in can. Si quis 8. dist. 50.

(*m*) Conc. Tol. 11. in can. A quibus. 10. 23. q. 8.

(*n*) Concil. Rom. in cit. can. Testim. 2.

3. Hæc Italorum Doctorum opinio non admittitur in Gallia; ubi non viget Canonicum statutum, quo a ferendo coram Laicis Judicibus testimonio non eximuntur Clerici. Nam ex universa illius Regni Jurisprudentia, quam firmat publica utilitas, veritatisque cognoscendæ ac juris reddendi necessitas, eos cogere possunt Judices Laici, *levi* tamen *coercitione*, ut loquitur Guido Papa in suis Decisionibus (*o*), cum multis aliis Auctoribus, quamvis Clerici essent Religiosi, ad ferendum testimonium non modo in causa civili, sed etiam in Capitali, ut docet Rebuffus, in Proœmio suo ad Regias Ordinationes (*p*). *Non vidi servari Legem*, nec honorem *nec authenticam* sed Judex. *Sequ. Cod. de Episcopis & Clericis*, inquit hic Jurisperitus; *sed hodie tam Episcopi, quam Clerici veritatem dicere, & testimonium ferre, sicut Laici coguntur*. Idem asserunt Cujacius, uti Carolus Molynæus (*q*), Bugnion in suo tractatu de Legibus abrogatis (*r*), Carolus Fevretus in suo tractatu de abusu (*s*), aliique multi Canonistæ ac Jurisperiti. Edicto criminali (*t*), quod in Gallia Legis vim obtinet hac in re fertur: " Quod omnis & qualibet assignatus, „ ut ejus audiatur testimonium .... tenebitur „ se Judici præsentem sistere .... atque ad „ id damnari poterunt Laici .... etiam Cle„ rici mulcta pecuniaria .....ad cujus solutio„ nem cogentur temporalis sui proventus juridi„ ca detentione.

(*o*) Guido Papa Dec. 83.

(*p*) Pet. Reb. in Constit. seu ordin. Regiarum proœm. Gloss. 5. n. 37.

(*q*) Carol. Molinæus & Cujac. in c. Dilectorum. de testib.

(*r*) Bugnon l. 3. c. 130.

(*s*) Fevret. l. 7. c. 2.

(*t*) Edict. crim. tit. 6. art. 6.

4. Advertere tamen interest, Clericos in re capitali nunquam testificari debere ad simplex vadimonium sibi datum, at solum post Judicis sententiam; alioqui, si testimonium ferrent non coacti, & mors rei ex suo testimonio sequeretur, ex Canonum præscripto essent irregulares. Quod verum putamus, licet juxta formam præscriptam fuissent protestati, priusquam testificarentur. 1. Quia non licet ipsis testimonium ferre, priusqnam a Judice fuerint coacti. 2. Quia protestatio a Bonifacio VIII. (*u*) solum constituta est pro Clerico accusatore, non vero pro testibus, aut alio quolibet, uti manifestum fit sola hujusce Constitutionis Pontificiæ lectione, atque ut rite observat Toletus (*x*), qui loquens de testibus, Advocatis, aliisque qui non sunt accusatores, dicit: *Illi, etiam protestantes, fiunt irregulares*. Idem asserit Covarruvias (*y*): Quibus omnibus addi potest, protestationem hanc, ut alibi observavimus, nullius esse usus in Gallia, ubi accusator nunquam rei pœnam requirit, & pro suis tantum civilibus agit, cum soli sint Procuratores Regii, qui uti crimi-

num

(*u*) Bo. VIII. in c. Prælatis 2. de homic. &c. in 6.

(*x*) Fr. Tolet. instr. Sacil. . . c. 86. n. 4. v. Sec.

(*y*) Covar. t. 1. relect. ad clement. Si furiosus de homic. &c. in 2. p. c. §. 1.

num publici ultores, reo inferri debitum supplicium postulent.

At vero, ut observat Modernus Theologus, ubi Clericus ad ferendum testimonium a Judice cogitur, nullam is incurrit irregularitatem; quamvis ad ejus testimunium ultimo reus afficiatur supplicio. 1. Quia nullus in tuto Canonici Juris corpore Canon reperitur, qui in hoc casu expresse irregularitatem constituat, ut multis eadem statuitur in Clericos, qui Judicis officio fulgentes, mortis ferunt sententiam (*a*). 2. Quia ex bono publico inducitur ad manifestandam veritatem juxta regulas Jurisprudentiæ omnium Curiarum Regni, atque tunc desinit præceptum Ecclesiasticum non testificandi sub irregularitatis pœna; quippe quod istud sit tantum juris humani, aliud vero, quo bono publico providetur, sit juris naturalis, atque adeo Ecclesiastico anteponendum. His addi potest Ecclesiam, dum Clericis probibuit, ne *in causa sanguinis* testificarentur, non intendisse, ut noxia bono publico Lex constitueretur: quod tamen contingeret, si verum esset, Lege, quam tulit Ecclesia, impediri Judices, ne probationes necessarias ad punienda crimina haberent.

(*a*) Alex. III. in c. Clericis 5. & Inn. III. in c. Sententiam. 9. ne Clerici, vel Monachi sæcular. negotiis se immisceant. l. 3. tit. 50.

Superest tantum, ut solvantur argumenta Doctorum Ultramontanorum, quod facile fieri potest. Nam quod spectat ad Canones, quos allegant, nullus est pro ipsorum opinione expressus: Primus enim, qui citatur ab ipsis, nullatenus loquitur de testibus; alter loquitur tantum de Clericis, qui eo temeritatis prorumperent, ut mortis sententiam ferrent, aut qui per se quempiam mutilarent, aut mutilari juberent: *Ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut truncationes quibuslibet personis per se inferant, aut inferendas præcipiant*. Hæc sunt verba bujus Canonis, qui ad præsentem quæstionem non pertinet. Tertia probatio etiam minus est ad rem: Nam simpliciter ita asserit Sanctus Sylvester, *testimonium Clerici adversus Laicum, nemo accipiat*, istamque affert rationem: *Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia*. Insuper Correctores Romani ad bunc Canunem hanc apposuere notam, ex qua omnis ejus vis amittitur (*b*); *Verum in Epilogo ejusdem Concilii babetur; testimonium Laici adversus Clericum nemo recipiat, & eodem modo legitur in Capitulis Adriani c. 72. in Concilio Triburiensi c. 4 & ex ipso apud Burchardum & Ivonem*. Denique ratio, quam addunt, dicendo testium allegatiunem esse causam pruximam mortis rei, in quem tulere testimonium, & quemlibet Christianum, qui est causa proxima mortis alicujus, fieri irregularem, quamvis eam actu etiam licire procuret, excepto solo casu inevitabilis necessitatis defendendi propriam vitam: Hæc, inquam, ratio nullius est ponderis. Nam respondendum est, eam non admitti uti veram a Theologis atque Canonistis Galliæ, qui volunt e contra testes esse causam tantum remotam murtis rei; neque aliam esse quærendam causam proximam, nisi 1. Regium Procuraturem, qui solus in Galia mortem rei postulat: 2. Judicem, qui capitalem fert lententiam. 3. Carnificem ipsum. Quare in Galliæ Parlamentis neque Procurator, neque Advocatus, nec hostes ipsi habentur, uti irregulares.

(*b*) Correct. Rom. ad c. can. Testimonium.

CASUS LIX.

Philometor, Sancti Gualterii Parochus a loci Baillivio rogatus, ut Procuratoris fiscalis absentis vicem supplere vellet, atque libellum supplicem dare Judici in hominem, qui in Domini ædibus supellectilia argentea furans deprehensus fuerat, Baillivii petitis obsecutus est: Quo facto ad hunc libellum a Judice scriptum factæ sunt inquisitiones, ac fur damnatus, atque ultimo affectus est supplicio, Philometor, qui nulla alia in re facti in reum processus fuit particeps, an ideo irregularitatem incurrit?

Respons.

Certum est, quod Philometor irregularitatem incurrit *ex defectu lenitatis*, & etiam *ex delicto*, juxta hæc Innocentii III. (*c*) verba: *Nec quisquam Clericus Litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas*. Quod consentit cum antiquo Canone, quem in suo Decreto refert Gratianus (*d*) his verbis: *Similiter si homicidii, aut facto præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur*.

(*c*) Inn. III. in Conc. gen. Lat. in c. Sent. 9. ne Clerici, vel Monachi; &c.

(*d*) Conc. Martini in can. Si quis, dist. 50.

Ratio est, quia ex boc libello Philometor factus est Actor Capitalis. Atqui ex Jurisprudentia Galliæ Actor Capitalis non minus irregularitatem incurrit, quam Judex ipse, qui mortis fert sententiam: quia libello dato Judici ab actore criminali dicitur tota processus series, qui eo sublato foret invalidus. Parochus ille indiget ergo dispensatione, ut suas queat obire functiones, & a solo Papa rebabilitari potest ex Concilio Tridentino (*e*), quia agitur res deducta ad forum contentiosum. Attamen si in casu simili reus non fuisset ultimo affectus supplicio, Parochus iste non factus esset irregularis ex sola subscriptiune libelli, ad quem secuta fuisset Sententia damnatoria, suo carens effectu (*f*).

(*e*) Conc. Tr. sess. 24. de reform. c. 6.

(*f*) De Sainte Beuve, tom 2. cas. 81. & tom. 3. cas. 109.

CASUS LX.

Ælius, Scriba Castellanæ jurisdictionis Parisiensis, multas sententias mortis latas & perfectas in eos quam plures subscripsit atque expedivit, earumque pro Officii sui debito, executioni adfuit. An irregularis est?

De eo quidem nullum videtur esse dubium: 1. Quia necesse est omnino, ut sententia mortis damnatoria subscribatur & expediatur a Scriba jurisdictionis, in qua lata est hæc sententia. 2. Quia inter irregulares Glossa (*g*) eos recenset, qui mortis scribunt sententiam. 3. Ita sentit inclytus Professor Sorbouicus (*h*).

(*g*) Glossa in c. Sent. 9. ne Clerici, vel Monachi secul. neg. se immisceant

(*h*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 90.

Respons.

Doctores Ultramontani, ut jam diximus in quinquagesima octava decisione, inter irregulares recensent, non Judicem duntaxat, actorem criminalem & sententiæ executorem; sed etiam accusatorem, testes, scribam & eos omnes, qui conferunt ad detentionem aut condemnationem rei, cujus mors consecuta est; eaque potissimum ratione fulciuntur, quod ii omnes, inquiunt, fuere causa proxima mortis rei, cum ea subsequitur. At in Gallia causam proximam mortis rei agnoscunt Doctores & Jurisperiti, Auctorem tantum Criminalem, Judicem, & Carnificem; cæteris omnibus habitis, uti causa remota: quocirca Scriba ipse in Regni hujusce Parlamentis non habetur; ut irregularis. Unde si obtento Beneficio non fuisset cum eo dispensatus, non idcirco Beneficium amitteret; ex quo concludimus; Ælium non esse censendum irregularem. Id quidem probatur ex celebri Arresto Senatus Parisiensis, lato 11. April. an. 1623. Referente D. Broziam, quo dijudicatum est pro Scriba, qui per 25. annos mortis sententias subscripserat, & reorum supplicio adfuerat, locum non esse devoluto Beneficii, de quo nondum obtenta dispensatione provisus fuerat (*i*). Cujus Arresti hæc affertur ratio, quia Scriba non est causa mortis rei, nec sanguinem fundit.

(*i*) Georg. Lov. L. 6. n. 3. D. Ferrerius, tr. de Jure Can. Gall. l. 5. c. 4. nu. 16.

Quod spectat ad ubjectionem ex Glossa allatam, dicendum 1. Eam solum intelligendam esse de eo, quod ipse Judex scribit, non vero Scriba, ut patet ex ipsis, quibus ea utitur, terminis; *Episcopi*; ait, *non possunt sententias sanguinis ferre ..... nec dictare, vel scribere sententiam*. De Episcopis igitur, nun de Scribis loquitur hæc Glossa. 2. Addi potest etiam, quod quamvis de Scribis loqueretur, nullius esset auctoritatis in Gallia, ubi contrarium tenetur jurisprudentia.

De Theologo autem, qui in proposito casu laudatur, dicendum est, ipsum obiter & data solum occasione asseruisse, Scribam inter eos recenseri qui sunt causa proxima mortis rei: at ea de re in varios abiit sensus & contrarium alibi expresse docet (k).

Quia tamen decisioni huic adversantur Doctores peritissimi (*l*) jure merito agnoscimus, tutius esse; si talis Scriba, qui aut Beneficium obtinere, aut Ordines suscipere cupit, antea dispensationis Breve obtineat *ad majorem cautelam*.

(k) De Sainte Beuve t. 3. c. 68

(*l*) Matt. Navarr. Manual. c. 27 n. 219. Tolet. Juenin &c.

C A-

CASUS LXI.

Lucius, Causidicus Ludovici partes apprime defendit in causa capitali, in qua a Joanne injuste accusabatur Ludovicus de cæde insidiosa cujusdam privati, cumque Geofridus Joannis Advocatus perperam omnino a reo suo illatam accusationem defendisset, latum est Artestum, quo Joannes, uti calumniator, morte damnatus est, ac sententia suum esset sortita effectum. An duo illi Causidici, qui reipsa ad mortem Joannis contulerunt, irregulares facti sunt.

RESPONS.

Putamus, nullam irregularitatem incurrisse duos illos Advocatos in casu proposito, nam primo Lucius Ludovici Advocatus in eam non incidit, quia ex defensione ipsius, non nisi indirecte & ex accidenti consecuta est mors calumniatoris; cum in omnibus aut dictis, aut scriptis suis innoxium defendere intenderit, morique falsi accusatoris, calumniæ tantum, cujus erat conscius, & quæ sola veritatis defensione detecta est, adscribi debeat. Secundo, Geofridus quoque non debet haberi irregularis cum ei tribui nequeat mors Joannis, qui eam sibi attulit ob falsam accusationem, quam Ludovico conflavit; ac Joannis partes male tantum defendit, quod ab ipso non starent justitia & veritas. Ita Hostiensis in suo Commentario in decretales: *Nec obstat*, inquit hic Canonista (*a*), *quod accusator pœnam patitur talionis: quia illud fit ex vi justitiæ, & est potius fatuitati, seu malitiæ, vel avaritiæ accusatoris quam alterius imputandum.... maxime cum ipsemet sciret, hoc evenire posse. Unde & recedendo ab accusatione debuit sibi cavere ab initio.*

(*a*) Hostiensis in cap. Ad audientiam. 12. de homicidio &c. n. 1.

Contra omnino dicendum esset, si accusatio veritati fuisset omnino consentanea, in hoc quippe casu procul dubio irregularis esset Lucius; sciens, reum cujus causam defendebat, vere esse conscium criminis, justum accusatorem morte damnandum procurasset; quandoquidem in casu efficaciter & directe ad mortem innocentis contulisset. Pariter Geofridus, qui partis suæ innocentis male causam defendisset, vel ob ignorantiam, vel negligentiam suam, in irregularitatem incidisset; quia ad ejus mortem contulisset; idque ob eamdem rationem, qua Medicus fit irregularis, ut ait Panormit. (*b*), cum ob ignorantiam suam aut incuriam ægri mortem procurat: Nam in utroque casu mors Advocato, & Medico juste debet tribui: cum prior accusatoris defensionem; alter ægri sanationem suscipere non debuerit, nisi sufficientem habeant peritiam, aut si ea præditi, omnem curam atque diligentiam necessariam nolint adhibere ad fungendum officio suo. Ita quoque Toletus (*c*).

(*b*) Panorm. in cit. c. Tua nos 19. eod. tit. n. 4.

(*c*) Fr. Tol. instruct. Sacerd. l. 1. c. 86. n. 2.

CASUS LXII.

Licurgus, Sacerdos Agathæ Confessarius ipsam jam in agone conspiciens, sic ut mulier ista a quatuor jam horis nullum cibum sumpsisset, ipsemet ductus motivo charitatis, jusculum ipsi sumendum porrexit, quo vix dimidio sumpto suffocata, extemplo interiit. An idcirco irregularitatem incurrit Licurgus?

RESPONS.

Nulla de causa dici potest, ex hoc casu Licurgum in irregularitatem incidisse. 1. Quia mortem hujusce mulieris non parere aut accelerare, sed potius ei succurrere, vitamque ejus porrecta nutritione protendere intendebat. 2. Quia hac in re illicitæ rei non dedit operam, quam nimirum cuilibet præstare licitum est homini ægrotanti. Igitur, cum Sacerdos iste neque in effectu, neque in causa ullum admiserit peccatum, neque contra officium suum in hoc deliquerit, legitime defendi nequit, ipsum in aliquam incidisse irregularitatem in casu proposito.

Ita sentit Sylvius his verbis (*d*): *Pro consolatione autem illorum, qui infirmos custodiunt, aut illis serviunt, observari potest, eos nullam irregularitatem incurrere; etiamsi præter eorum opinionem accidat, quod ex ipsorum actione contingat mortem accelerari, nisi interveniat culpabilis negligentia: ita ut periculum accelerationis fuerit prævisum, vel prævideri potuerit: & ex notabili negligentia prætermissum fuerit.* Cujus rei hoc profert exemplum: *Ac proinde qui bona fide infirmum revolvit, ut commodius cibum subministret, vel ut melius quiescat, licet acceleretur mors, non est irregularis, sive is sit Laicus, sive Sacerdos, aut Religiosus, si culpa lata non interveniat.*

(*d*) Fr. Sylvius resolut. var. v. Chirurgus.

Non aliter etiam docet Cabassutius (*e*): *Multo minus ergo peccant*, inquit, *vel irregularitatem incurrere dici possunt, sive Sacerdotes, sive Laici, qui bona intentione, neque credentes ægrum ex hoc citius moriturum, ei jusculum propinant, unde fiat ut æger inopinato citius moriatur, & suffocetur, aut ex motione sui corporis expiret.* Cujus dicti sui hanc affert rationem parem cum superiori jam allata: *Hujusmodi enim officia per se, directe non tendunt ad mortem, neque ad ejus accelerationem: Itaque nihil commune habent cum irregularitate.* Idem quoque tenet Gregorius Sairus cum novemdecim, quos laudat, Auctoribus, & quos recensere longius esset (*f*).

(*e*) Jo: Cab. jur. can. th. & prax. l. 5. c. 19. n. 25.

Denique Cajetanus idem sentiens mox laudatis Auctoribus præiverat (*g*) dicens: *Tute possunt Sacerdotes Religiosi, serviendo infirmis eos, etiam in finem vitæ, volvere in lecto, ut quietius jaceant; & cætera servitia exhibere cum prudentia, quæ in hujusmodi consueta est. Nec oportet inde scrupulum capere, si mors forte ex hoc acceleratur.... nec ullus est irregularitatis timor in proposito, ubi nulla est culpa negligentiæ.*

(*f*) Gr. Sair. Th. Casuum conscient. l. 7. c. 6. n. 13.

(*g*) Cajet. in 2. 2. q. 64. art. 8.

CASUS LXIII.

Leidradius, Sacerdos primus Eleemosynarius & unus inter amicos supremi cujusdam Principis, animadvertens, in ipsius ditione jam jam grassari nefandi sceleris pestem, ipsum impulit ad edicendam Lege mortis pœnam in eos, qui de crimine isto forent convicti. Consilio ipsius morem gessit Princeps, jamque duo treſve hujusce criminis censeri ultimo affecti sunt supplicio. An irregularis factus est Leidradius ex morte illorum, ob datum a se Principi consilium?

RESPONS.

Eleemosynarius iste in proposito casu nullam incurrit irregularitatem. Ratio est, quia non est causa mortis eorum, qui ultimo fuere affecti supplicio ob violatam Principis Legem, nisi remotissime, ut probatu facile est. Nam cum sibi consilii dati Principi finem non proposuit, ut alicui mortem afferret, sed ut bono publico consuleret, & etiam privatorum, qui ab improbis opprimerentur, nisi malitiam ipsorum coerceret Legum severitas: atque ob eamdem causam Princeps Legem condens, qua in ejus infractores mortis pœna statuitur, non fit irregularis ex eorum supplicio, quos damnarunt Judices. Ita docet Cabassutius (*h*), Post Ugolinum, Avilam, Suarem, aliosque permultos, quos laudat, Auctores. *Licitum est*, inquit hic Canonista, *& irregularitatis expers, si Sacerdos intendens flagitia reprimi, suadeat Principi, ut Legem ferat, qua certorum criminum rei morte digni plectantur capite. Non enim generalis ista provisio potest dici causa mortis, nisi remota...*

(*h*) Jo: Cab. jur. can. th. & pr. l. 5. c. 19. n. 27.

CASUS LXIV.

Macarius, Dominus temporalis & spiritualis Parœciæ Sancti Justini, Abbatiæ titulo: cognita cæde insidiosa, quæ intra jurisdictionis suæ fines commissa fuerat, Baillivo suo injunxit, ut absque mora de hoc crimine inquireret, ad cognoscendum homicidam: Facto autem inquisitione captoque homicida, Macarius Baillivo suo imperavit, ut debitum conscio jus redderet: quo perfecto a Judice pœnalis rotæ supplicio seu crurifragio damnatus est: quæ sententia fuit confirmata ex Arresto Parlamenti lato ad appellationem interpositam a reo, qui postea ultimum passus est supplicium. Nunquid ex nece hujus hominis irregularis

est

est Macatius ob data Baillivo suo mandata adeo expressa?

R e s p o n s.

Certum est in casu proposito nollam irregnlaritatem Macarium incurrisse. Nam Episcopi aliique Præsules non fiunt irregulares, cum Laicis exercendæ criminalis justitiæ intra fines jurisdictionis suæ mandant, eisque generatim imperant, ut juxta Leges de reis ibi passim obviis ferant sententiam: dicimus, *eisque generatim imperant*: quia nunquam Clerico licitum est suadere Judici, aut ipsum hortari, ut reum aliquem speciatim morte damnet, aut mutilatione.

Decisionem istam astruie Bonifacius VIII. *(a)* in una e suis Constitutionibus, in qua sic legitur: „ Episcopus, *inquit hic Papa*, seu quicumqoe alius „ Prælatus, vel Clericus, jorisdictionem obtinens „ temporalem, si homicidio, aut alio maleficio „ ab aliquibus in jurisdictione sua commisso, Baillivo suo, aut alii cuicumque injongat, ut „ super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet; „ quamvis ipse Baillivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante. Nam licet Clericis causas „ sanguinis agitare non liceat, *addit Bonifacius VIII.* eas tamen; cum jurisdictionem obtinent temporalem; debent & possunt, metu „ irregularitatis cessante, aliis delegare. „ Hactenus dicta solidissime ac fuse probat Hostiensis *(b)*, & cum eo S. Antoninus *(c)*, aliique permulti *(d)*, quorum verba, oti aliorum Canonistarum, referre non necesse putamus, post tam claram tamque expressam Bonifacii VIII. Decisionem.

(a) Bonifac. VIII. in c. Episcopos. fin Ne Clerici vel Monachi secular. negotiis se immisceant in 6. l. 3. tit. 24.

(b) Hostiensis in c. Clericis. 9. ne Clerici, vel Monachi &c.

(c) S. Anton. 3. p. Sum. Theol. tit. 33. c. init.

(d) Didac. Covarr. in Clement. ex Si furiosus part. 2. §. 5. n. 8. Astesanus c. 6. part. 2. tit. 34. art 4. q. 1. Angelus de Clavasio verb. Homicidium, 1. num. Sylvester de Pierio eod. v. 6. q. 3. v. 1. & q. 7. v. 6.

C A S U S LXV.

Fulbertus, Confessarius Bauduini, Judicis Capitalis in Oppido Correllensi, hojus Confessione audita agnoscens, ipsum nullatenos esse affectum ad ferendam de reis duobus juxta Leges sententiam; ipsi declarat, se ei absolutionis Beneficium non esse concessurum, nisi promittat, se deinceps officio suo esse foncturum, sententias suas ferendo ex severitate Legum, nollo reo excepto. Id quidem promittit Bauduinus, ac reipsa paucis elapsis diebus, duos reos ex sententia morte damnat, ac suam jubet perfici sententiam. Qua de re quæritur, ntrum absque irregalaritatis reatu Bauduinum cogere potuerit Folbertus ad fereodam talem sententiam, præsertim. si doo illi tei de eorum essent numero, aut hujusmodi, qoos punire nollet Judex iste?

R a s p o u s.

Confessarius ille non est irregularis, quod Bauduinum coegerit ad ferendam de reis sententiam juxta Principis Leges: quamvis de quibusdam agatur criminibus quorum pœna capitalis est, atque promiserit Judex ille ad impetrandam absolutionem se deinceps suo functurum officio; qoo reipsa functus est, multis prolatis sententiis capitalibus, quas confici pro flagitiosis hominibos curavit.

Ratio est, quia peccat mortaliter Judex, qui de reis ferre sententiam joxta leges Principis recusat: constat autem, a nemine defendi posse, quod Confessariua in aliquo casu eum possit absolvere, qui in statu peccati mortalis vule perseverare; colligendum est igitur a tali Confessario absque irregularitatis metu posse, imo & cogi debere judicem, quem ita prave affectum observar, ut sua ferat judicia ex legom præscripto, quod ipso denegante, non esse absolvendum. Alioquin necesse esset supponi Confessarium hunc in irregularitatem esse incursurum, quod suo functus esset Officio juxta Dei Ecclesiæque præscriptom: quod dici nequit absque absurditate.

Objieiet forsan aliquis, judicem ex Ecclesiæ Deique mandato teneri ad partes judicis explendas, hoc est, ad damnandum capite flagitiosos, quod tamen sine irregularitatis nota facere nequit: at objectio illa nullius est momenti. Magnum quippe discrimen intercedit inter judicem & confessarium, de quo loquimur: nam Judex, qui reum damnat mortem ejus directe & expresse intendit, ejusque causa est proxima; quamvis talem ferens sententiam non peccet: at confessarius, de quo in casu proposito agitur, hanc præcise voluntatem non habet? at præcise intendit judicis emendationem & salutem, quam ei procurare nequit, nisi ipsum cogendo ad fungendum Officio, quod ipsi necessario incumbit, in suis judiciis sequendi leges Principis, cujus est minister.

Interest tamen advertere, confessarium hunc, qui Judicem cogere potest ad implendum Officii sui debitum, nunquam mortis pœnam ipsi intimare debere, ipsi jubendo vergi gratia ut talem flagitiosum capite damnet; tunc enim efficaciter & directe ad mortem hujusce hominis conferret, atque adeo in irregularitatem incideret. Generatim itaque loqui tantum debet, ipsi imperans, ut flagitiosos juxta legis præscriptum castiget, abstrahendo a tali, vel tali pœna, ut jam diximus.

Ita sentit Cabassutius his verbis *(e)*. " Potest quoque citra irregularitstem Confessarius „ recusare absolotionem magistratui nolenti punire ex Officio & secundum leges flagitiosum, „ quem lex jubet capitis damnari: modo generatim loquatur, ut puniat secundum legem, „ neque directe intimet mortis pœnam ". Ita quoque docent Gregorius Sairus *(f)*, aliique quamplurimi.

(e) Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 26. n. 7.

(f) Greg. Sairus in thes. Theol. moralis l. 6. c. 19. n. 16

C A S U S LXLI.

Theodosium, Carcere detentum, & de homicidio accusatum, Gasto ipsius Confessarius, cui notum erat, hunc vere hujus esse conscium ob depositionem testis ocularis, ipsum obligavit ipsi absolutionem denegans, ut ctimen suum judici declararet, qui eum morte damnavit, ac sententiam soam execntioni mandari curavit. Nunquid Gasto factus est irregularis?

R e s p o n s.

Ad solutionem hojusce difficultatis præsupponendum est principium illud certissimum, scilicet reum a judice suo legitimo juridice interrogatum teneri ad confitendam veritatem, cum in se est probatio semiplena. Ita Sanctus Thomas his verbis docet *(g)*; " Non aliquis tenetur omnem veritatem „ confiteri, sed eam solom, quam ab eo potest, „ & debet requirere judex secundum ordinem joris: puta, cum præcessit infamia super aliquo „ crimine; vel etiam expressa indicia apparuerint, vel etiam cum præcessit probatio semi„ plena. " Atqui in proposito casu est *probatio semiplena* in Theodosium, cum testis integræ fidei referat se eum vidisse patrantem homicidium, de quo accusatur. Igitur Theodosius tenetur ad confitendam judici veritatem sub reatu peccati.

(g) S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. in corp.

Posito isto S. Thomæ principio, tanquam vero, dicimus, Gastonem cogere potuisse Theodosium, nt suum crimen manifestaret ad conscientiæ suæ securitatem; atque adeo nollam inde Confessarium istam irregularitatem contraxisse; quandoquidem reum istum aliter absolvere non poterat, intacto ministerio suo. *Potest Confessarius*, inquit Cabassurio *(h)* *reum urgere juridice interrogatum, ut suum capitale crimen confiteatur judici: fungitur enim hac in parte Officio suo.* Observandum est, nos cum duobus illis Auctoribus dixisse: *reum a judice suo legitimo juridice interrogatum*. Nam, ut docet S. Thomas *(i)* si judex non esset competens, aut si crimen, de quo accusabatur Theodosius, non esset semiprobatum, ut explicat Doctor Angelicus, de nulla prorsus manifestatione reus teneretur. *Si vero judex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem juris*, inquit hic Sanctus, *non tenetur ei accusatus respondere. sed potest vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere.* Atque adeo Confessarius ipsum aut absolutionem denegando, aut aliter cogere non posset ad confitendum proprium crimen, nisi incurrendo irregularitatem, si ob factam Confessionem reus iste ultimo afficeretor supplicio.

(h) J. Cabass. jur. can. theor. & prax lib 3. cit. c. 19. n. 19.

(i) S. Thom loco cit. & q. 67. art. 2 in corp.

Vide Accusatus. Cas. Theodematos.

C A-

CASUS LXVII.

Sylvanus, potens impedire, ne Publius ab inimico suo occideretur, opem ei præstare neglexit. An ea omissione factus est irregularis?

Respons.

De ea difficultate a se invicem dissentiunt Canonistæ. Alii siquidem, ut Hostiensis (a), contendunt; eos omnes, qui possunt impedire, nec tamen injustam alicujus mortem impediunt, fieri absque ulla exceptione aut distinctione irregulares. Alii e contra existimant (b), nullam incurri irregularitatem, quamvis non impediatur, etiam mala intentione & non sine delectatione de ipsius occisione. Nonnulli vero auctores (c) casum excipiunt, in quo habetur talis intentio mala, qua ex ipsis incurritur irregularitas.

(a) Hostiensis in c. significasti. 18. de homicid. &c. n. 2.

(b) Alteaseis l. 6. t. 24. a. 8. q. 8. Tabiena verb. Homicidium 1. §. 2. & alii apud Tolet. instr. Sacerd. l. 5. c. 7. num. 2.

(c) Angelus de Clavas. v. Homicidium. 2. §. 17. v. Irregularitas. §. 1. Sylvester de Prielio v. homicidium. 2. q. 4.

Ad hanc autem quæstionem sic respondendum ducimus, ne ea in re quid acerbius statuatur. Val Sylvanus Publii homicidium impedire tenebatur ex solo charitatis, vel etiam ex justitiæ debito: si solo charitatis debito teneretur, in irregularitatem non incidit, quamvis mortaliter peccaverit; tam grave malum non impediendo. Ita sentit Sanctus Antoninus (d): *Qui videt aliquem occidi, delectatur, & posset etiam sine sui periculo liberare, si vellet, quamvis pessime faciat, non tamen est irregularis*. At si ex debito justitiæ & ex proprio Officio teneretur Sylvanus, non solum mortaliter peccavit; sed etiam factus est irregularis, non impediens mortem, quam debebat, & quam impedire poterat; cum homicidium illud in ipsius negligentiam, tanquam in veram causam possit refundi. *Tenetur ille qui non obstat, cum obstare tenetur*, inquit S. Thomas (e), atque in hoc casu de eo idem dici possit. 1. de Nauclero, qui sæviente tempestate absque causa gubernaculum deserens naufragio ansam præbet, ac navigantium mortem procurat. 2. ac de Carceris custode, qui captivos data pecunia nutrire debens, eos fame tabescere permittit. 3. aut denique idem ac de medico; qui ad curationem ægroti accepta mercede, ipsum sine ope, sine remedio deserit, quorum defectu is moritur. Isti omnes irregularitatem *ex delicto* incurrunt, peccando in Justitiam propriumque Officii sui debitum. Idem itaque de Sylvano dicendum est, ex hac ejusdem S. Thomæ (f) regula; *Non solum peccat ille, qui peccatum exequitur; sed etiam ille, qui quocumque modo peccati est causa*.

(d) S. Anton. 3. p. sum. theo. t. 25. c. 2. n. 3.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

(f) Idem ibid. ad 2.

Ratio allati a nobis discriminis, inter eum, qui ad rem aliquam ex solo charitatis motivo, & eum, qui insuper ad eamdem ex debito justitiæ tenetur, hæc afferri potest; quia is, qui non dat aut facit rem quampiam, quam dare aut facere tenetur ex justitiæ debito; alteri suum aufert, quia alterius res aliquatenus esse censetur, quando ad eam jus habet aliquod acquisitum, & qui eum jure ad rem privat; ipsum re eadem privare censetur: at cum res est tantum debita titulo charitatis; is cui res ea debetur hoc titulo, nullum ad eam jus habet acquisitum; quare si ei suum aufertur: ita ut non sit *rem ei auferre*, sed solum *rem ei non dare*: in quo simplex est dandi negatio; atqui magnum est discrimen in inter *rem auferre, & rem non dare: quia* prius est causa proxima effectus consequentis, ac proinde irregularitatem parit, quando effectus ille est mors aut mutilatio hominis; cum alterum sit tantum causa remota & impropria.

Ex hoc itaque principio solvenda est proposita difficultas, quo posito dicimus, Sylvanum in irregularitatem non incidisse; quod Publii mortem impedire, cum posset, neglexerit, si ex debito justitiæ & ex proprio officio ad id non teneretur; at vero in eam incurrisse, si potens impedire, cum ad id ex debito justitiæ tenetur, non impedit (g).

(g) Navarr. Man. c. 27. n. 201. Fr Tolet. instr. sacerd. l. 5. c. 27. n. 6. & 7. & apud eum Covarr. Greg. Sayr. thesaur. casuum conscient. l. 7. c. 8. num 2. & apud eum Astesan. part. 2. l. 6. t. 14. a. 6. q. 9. sum. Pisanella v. homicidium 4. §. pen. Angelus de Clavasio v. Homicidium, 1. n. 17.

CASUS LXVIII.

Cum Aristides Barnabam de crimine læsæ Majestatis falso insimulasset, Ludovicus, ipsorum Parochus, qui compertam habens rei falsitatem, Barnabam liberare potest de præsenti, in quo is versatur mortis periculo ob hujusmodi accusationem: quam tuentur testes duo ab accusatore pecunia conflati, postulat, num accusationis injustitiam ac falsitatem patefaciens, irregularitatem sit incursurus ex morte Aristidis, qui procul dubio, uti falsus accusator, capite damnabitur.

Respons.

Certum est, Ludovicum, omni cessante irregularitatis metu, accusationis ab Aristide in Barnabam conflatæ falsitatem judici manifestare posse. Ratio est, quia in hoc casu innoxium protegere, ipsumque ab injusta oppressione vindicare præcipue intendit; ad quod etiam charitatis præcepto tenetur; non vero mortem afferre falso accusatori, qui respective ad Ludovicum, per accidens tantum punitur. *Clerico testificari non licet in causa sanguinis*, inquit peritus Canonista (h) ..... *sane potest testificari ad innocentis oppressi liberationem ..... quamvis exinde præter ipsius testis intentionem sequatur, ut Calumniator ultimo puniatur supplicio: Id enim contingit per accidens. Talis enim, qui abditam veritatem manifestavit, solam intendit innocentis rei liberationem; non vero, ut supponimus, accusatoris pœnam ..... atque ita nulla inde nascitur irregularitas*. Hic Auctor pro sua sententia laudat Ugolinum, Avilam, Sairum, Suarem & quosdam alios casuistas.

(h) Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 9. c. 15. n. 10.

CASUS LXIX.

Domicius per quatuor annos stipendia in bello meritus est: quo toto tempore pro comperto habet, se neminem occidisse vel mutilasse, quod nulli unquam obsidioni aut pugnæ adfuerit. Tum arma deposuit, & Episcopo suo non manifestans, se arma tulisse, ab eo Subdiaconatus ordine initiatus est. An idipsum potuit sine peccato, & nunquid erat irregularis?

Respons.

Contendunt auctores quidam, in casu proposito irregularitatem reperiri; quod probant ex communi praxi papalem requirendi dispensationem, quando quis militavit, licet neminem occiderit vel mutilaverit. At cum jure merito inficiari quis non possit, usum hunc ob avaritiam Campsorum Officialiumque Curiæ Romanæ fuisse inductum, cum nullo fulciatur Canone. Existimamus, Domicium in casu proposito non esse censendum irregularem, ac proinde ipsum sine peccato Subdiaconatum suscipere potuisse, non declarando Episcopo suo, se arma tulisse.

Ratio est, quia, cum irregularitas sit res odiosa, ad nullum unquam casum extendi debet nisi in jure sit expressus, Atque jus non modo exprimit, eam incurri præcise ex eo quod quis arma tulerit, neminem etiam occidendo vel mutilando; contrarium potius in eo sat manifeste fuisse definitum videtur. Nam Honorius III. a Sacerdote quodam Pelagio dicto consultatus, qui inclusus in castello quodam a Sarracenis obsesso una cum aliis eos repulerat non sine magna eorum clade, respondet hoc modo (i): *Mandamus, quatenus, si de interfectione cujusdam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a ministerio altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*. Dubium illud, de quo loquitur hic Summus Pontifex, non in armorum gestionem cadere poterat; cum ea se tulisse & etiam in pugna adhibuisse declarasset hic Sacerdos: *Cum pro eo quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse*, ait ipsi Honorius. Cadebat igitur dubium illud in mortem duntaxat aut mutilationem alicujus; quam attulisse poterat: & Summus hic Pontifex non ipsi declarat, cum ab altari abesse debere, nisi legitimum sit ipsius dubium, *de interfectione tua conscientia te remordet*, non vero quod solum in hos infideles simul cum reliquis Castelli præsidiariis militibus pugnaverit. Unde sequitur evidenter, irregularitatem non eo præcise induci, quod quis arma tulerit, cum persuasum habet, se quempiam non occidisse vel mutilasse (k).

(i) Hon. III. in c. Petitio. 24. de homic. volunt. vel casuali.

Existimamus tamen, ad Domicii prudentiam pertinere, ut dispensationem obtineat duabus de causis. 1. ut futurus conscientiæ suæ remorsus devitet,

(k) Colleq. Condomens. tom. 1. Colloq. 7. sect. 2.

vitet,

vitet, tum ob usum petendi dispensationem in simili casu; tum ob opinionem quorumdam Casuistarum Ultramontanorum, qui eam putant esse necessariam. 2. ac præcipue, quia, si de quodam postea beneficio provideretur, ipsum in foro externo interturbare posset aliquis competitor, quod dispensationem suam non obtinuisset *super portu armorum*, ac difficillime probare posset, se bellica per quatuor annos stipendia meruisse, neminem occidendo aut mutilando.

CASUS LXX.

Annibal, per triennium Dymacharum ductor, neminem occidit vel mutilavit: At milites ipsius quosdam sæpe occiderunt hostes, quibus justum a Principe bellum fuerat illatum. Postea ductor ille armis depositis militiam Clericalem professus est, non obtenta Papali dispensatione neque *a sævis*, neque *a portu armorum*. Sacris initiatus curatum obtinuit Beneficium; cujus functiones omnes fere per biennium absque ullo conscientiæ scrupulo exercuit. Non ita pridem vero dictum est ipsi, eum esse irregularem, nec proinde potuisse clericali ordini adscribi aut de Cura, quam possidet, canonice provideri, non prius obtenta Papali dispensatione. An illud verum est?

RESPONS.

Ductor ille non erat irregularis, neque adeo Pontificia dispensatione indigebat: nam primo irregularis non erat, quod nude arma tulisset, cum neminem interfecisset aut mutilasset. Romana igitur dispensatione ei non opus erat *super portu armorum*, cum hæc dispensatio sit tantum necessaria in casu illatæ mortis aut mutilationis, ut in superiori decisione ostendimus.

Neque etiam irregularis factus fuerat Annibal, quia hostes quosdam interfecerant ipsius milites: quia, cum bellum est justum, sitque in regione hostili, ab iis tantum incurritur irregularitas, qui occidunt aut mutilant, ut manifestum fit ex allata superius Honorii III. (*a*) constitutione. Ita communiter sentiunt Doctores, ut videre est apud Navarrum (*b*).

(*a*) Hon. III. in c. Petit. 24. de homic. &c.
(*b*) Nav. Mann. c. 27. n. 215. & n. 24. & l. 5. consil. de homicid. 4. 5. 6. & 10.

At si bellum foret injustum, aut non in hostili regione versaretur exercitus, neque milites neque dux ipse qui ipsis præest, quempiam occidere, vel mutilare, aut etiam ad mortem vel mutilationem conferre possent, absque incursu Irregularitatis, super qua proinde dispensationem obtinere ipsis necesse esset, ad suscipiendum Clericatum: uti docent idem Navarrus, Sylvester, Avila, Suarez, Sylvius & alii (*c*); quicquid in contrarium sentiant Auctores nonnulli. En verba Navarri. „ Imo & quicquid dicat Speculator (*d*) & nonnulli alii. Nos opinionem „ Innocentii, Panormitani & communem in c. „ penultimo homicidio, certam putamus scilicet, quod qui in prælio, vel alia quacumque rixa intersunt illis, ex quorum parte sunt „ injusta, auxiliando vel favendo, sunt irregulares; si aliquis in eis deformetur, sive „ intersint armati, sive inermes; sive desorment, sive non, sive ob id timor nimius augeatur, sive non.

(*c*) Nav. cit. n. 224. & l. 5. cons. 34. Fr. Sylv. ref. var. v. Irregul. 3. Sylv. de Priez. v. Bellum 3. q. 3. Suar. & alii.
(*d*) Durand. de dispens. §. Juxta. nu. 56.

CASUS LXXI.

Felicianus, Sacerdos, Eleemosynarii munere in exercitu Belgico fungens, accinctos ad pugnam milites hortatus est ad strenue decertandum; atque ipsis etiam arma, pulverem pyrium glandesque plumbeas cum aliis distribuit; tum utrinque pugnatum est acriter, atque in loco certaminis plura etiam, quam quatuor cæsorum Hostium millia jacuere. An ideo factus est irregularis?

RESPONS.

Nun putamus, quod si bellum sit legitimum, irregularis factus sit Felicianus, quod generatim milites ad strenue decertandum pru bono Regni, vel Religionis hortatus sit. Ratio est, quia non censetur præcise mortem hostium pustulare, sed justam tantum in eos Victoriam, quæ absque Sanguinis effusione, aut saltem cujusquam morte aut mutilatione, absolute loquendo, obtineri potest; quamquam verum sit id raro contingere.

Confirmari potest nostra hæc sententia 1. Ex decretali Honorii III. (*e*), quam sæpe jam in responsionibus ad alias difficultates laudavimus: nam in ea is tantum irregularis ab hoc summo Pontifice declaratur, qui manu propria occidit vel mutilavit, ut ostendimus in septima decisione. Unde sequitur in simili casu Eleemosynarium, qui milites hortatur ad certandum fortiter, aliosque, qui neminem occidunt vel mutilant, quales sunt vulgo Imperatores, Tubicines, & Tympanatribæ, nullam incurrere irregularitatem. 2. Ex alia Decretali Alexandri III. ad Episcopum Lucensem (*f*); cujus argumentum his verbis expressum (*g*) referre sat esse ducimus. *Non punitur Clericus, ut homicidii, si fuit ipse in conflictu pro parte violentiam repellentium: Licet ibi aliqui mortui sint, & ipse lapides projecit, ex quo nullum ipse percussit.*

(*e*) Hon. III. in cit. c. Petitio de homic. &c.
(*f*) Alex. III. in c. Præsentium. 1. de Clerico percussore lib. 5. tit. 25.
(*g*) Argum. dicti capit.

Si tamen arma, pulverem aut plumbum præcise subministrasset Felicianus, ad occidendum quosdam privatos, irregularitatis laqueo fuisset involutus, quod ad mortem inde secutam efficaciter contulisset.

Neque arbitraria est, sed Legitimis fulta rationibus allata differentia inter eos qui pugnant, aut ad pugnam excitant in bello justo, & inter eos, qui in bello injusto ita se gerunt. Nam priores rei justæ ac licitæ dant operam, alii vero qui norunt bellum esse injustum, rei de se illicitæ ac malæ, committendo videlicet, aut alios adhortando ad patrandum homicidia vel mutilationes criminosas. Quare postulat æquitas, ut priores nullam incurrant irregularitatem; posteriores vero incurrant in odium actionis suæ illicitæ.

Decisionem istam his verbis adstruit Sylvius (*h*): „ Communis autem Doctorum sententia est, *inquit*, eos qui militant in bello injusto .... omnes „ contrahere irregularitatem, si aliqui in isto bello occidantur: etiam eos qui propriis manibus „ neque occiderunt quemquam, neque mutilaverunt .... Communis quoque est sententia Doctorum, eos qui in bello justo militant, non fieri „ irregulares, si ipsi nullum per se occiderint vel „ mutilaverint, quamvis alioqui fuerint ibi ab aliis „ occisi vel mutilati ". Laudat hic Auctor pro sua sententia Sylvestrum, Navarrum, Avilam, Suarem, aliosque nonnullos (*i*), quibus addi poterat Sanctus Antuninus (k), qui eamdem post alios multos, quos refert, Canonum interpretes (*l*) tuetur Doctrinam, quam probat ex Epistola Papæ Leonis IV. ad exercitum Gallorum an. 849. scripta, quæ in Decreto Gratiani inserta reperitur (*m*).

(*h*) Fr. Sylv. resol. var. 5. Irregularitas. 3.
(*i*) Syl. de Pri. v. Bellum 3. q. 3. Nav. Man. c. 27. n. 13. & 14. Avila part. 7. d. 6. sect. 3. dub. 2 Suar. t. 5. d. 47. sect. 3. n. 1.
(*k*) S. Ant. 3. p. tit. 28. c. 2. §. fin. init.
(*l*) Hostiensis, Archidiaconus Innocentius Joan. Calderinus & Joan. de Legnano.

Denique allatis hactenus probationibus addi potest Glossæ sententia (*n*), quæ eamdem etiam probat veritatem ex tribus Canonibus in Decreto Gratiani allatis (*o*), quibus constat, ipso Pontifices summos Leonem IV., Adrianum II., & S. Gregorium Magnum ad bellum justum & ad pugnam sine difficultate excitasse; quamvis enim dici queat, irregularitati non subjici summos Pontifices, ex eorum tamen exemplo auctoritatem sumere possunt bellici Eleemosynarii ad hortandum similiter milites, qui ad pugnam in bello justo sunt parati.

(*m*) Leo IV. in can. Omni. 9. n. 1. q. 8.
(*n*) Gloss. in c. quod in dubiis 5. de pœnis v. tu cit. l. 5. t. 17.
(*o*) Can. Igitur. 7. can. Hortario. & c. Ut pridem. 17. 23. q. 8.

Existimarunt quidam Canonistæ nonnulli, ut Hostiensis, eos, qui milites hortantur ad pugnam *instante ipso conflictu*, fieri irregulares: at contrarium non sine ratione docent Covarruvias, Toletus, & alii. Nam hæc distinctio nulla fulcitur legitima ratione cum pro re ista nullius sit momenti temporis circumstantia.

CASUS LXXII.

Didymus, in Parlamento Rhedonensi consiliarius Clericus, cum relationi processus Capitalis Maglorii interfuisset, e curia tantum recessit, quando mox proferendum erat mortis Arrestum; atque ultimo flagitiosi hujusce hominis supplicio præsens esse voluit. An ideo incurrit irregularitatem?

RESPONS.

Consiliarius iste irregularitatem non incurrit, quod processus Criminalis Maglorii, relationi, &

publi-

publice lati in ipsum Arresti executioni interfuerit. Nam 1. nullo Canone irregulares declarantur Clerici, quod processus Criminalis relationi adfuerint, sed solum quod sententiam protulerint *in causa sanguinis*, hoc est, mortis aut mutilationis. 2. Quamvis prohibuerit Secundum Concilium Matisconense, habitum an. 585. sub Pontificatu Pelagii II. & cui adfuera præsentes sexaginta duo Episcopi, præter multos aliorum legatos, ne Clerici causis criminalibus se immiscerent, aut ultimo reorum adessent supplicio: " Definientes ut „ ad locum examinationis reorum nullus Clerico- „ rum accedat, neque intersit Atrio Sautiolo, „ ubi pro reatus sui qualitate interficiendus est " inquiunt Patres hujusce Concilii (*a*), & quamvis Decretum illud a quarto Lateranensi Concilio, an. 1215. sub Innocentio III. habito fuerit confirmatum (*b*), in quo sic habetur: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferet, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit*: Certum est tamen, Clericum ex eo non fieri irregularem, quod intersit ultimo rei alicujus supplicio, aut mutilationi licet in Ecclesiæ prohibitionem delinquat. Ita sentit Glossa his verbis (*c*). *Sed si interest tantum, nunquid propter hoc efficitur irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur, quod debeat deponi, sed alias debet puniri; quia interfuit contra præceptum hujus Canonis.*

(*a*) Conc. Mat. II. can. 19.
(*b*) Conc. Lateran. IV. in c. Sentent. 9. ne Cler. vel Mon. secul. negotiis se immisceant l. 3. tit. 50.
(*c*) Glossa in d. c. Sententiam. v. Sanguinis.

Advertendum tamen, hactenus dicta intelligenda esse de nuda præsentia. Nam si quis hujusmodi publico supplicio interesset, illud auctoritate sua confirmans, aut aliquo modo opem præbens, fieret irregularis; ut docet Innocentius IV. in suo in Decretales commentario (*d*), exponens vocem, *intersit*, Concilii Lateranensis, *hoc non irregularem* inquit hic Papa *nisi intersit; auctoritatem præstans, vel auxilium.* Unde colligunt Auctores quidam, Clericum, qui habens temporalem jurisdictionem, rei alicujus ultimo adest supplicio, quem capite damnavit ipsius Baillivus, ex hoc fieri irregularem: quia censetur, inquiunt, cooperari morti hujusce hominis, ipsius sententiæ executionem præsentia sua asserendo.

(*d*) Inn. IV. in d. c. Sentent.

CASUS LXXIII.

Acharius, Sancti Altini Parochus, detinuit ac judicis potestati permisit Paulinum, qui modo hominem interfecerat ex insidiis; isque vicissim ob crimen illud ultimo affectus est supplicio. An Acharius irregularis est, *ex defectu lenitatis*, quod ad mortem flagitiosi hujusce hominis contulerit?

RESPONS.

Certum quidem est, ex opinione Doctorum omnium Transmontanorum, Acharium in irregularitatem incidisse: at vero contrariam Theologi atque Canonistæ Galliæ tenent opinionem, quæ consentanea est jurisprudentiæ, quæ universim in omnibus hujusce Regni Parlamentis tenetur: eorumque hæc est potissimum ratio, quia ut jam alibi diximus, ii tantum in hac ditione irregulares habentur, qui extra casum inevitabilis necessitatis propriam defendendi vitam, fuere causa proxima mortis rei; quales sunt Actor criminalis, qui in Gallia solus est Regius Procurator, Judex, qui tulit sententiam, & Carnifex, qui eam executus est. Atqui Acharius non fuit causa proxima mortis Paulini, quod ipsum detentum judicis potestati subjecerit, sed causa solum remota, quales sunt actor civilis, testes, Advocatus qui dicit aut scribit in accusatum, & ii, qui indicia judici præbent, aut munita, ut reus damnetur (*e*).

(*e*) De Sainte Beuve, t. 2. Cas. 56. & 68.

CASUS LXXIV.

Balthasar, cum cognovisset in vicina suis ædibus domo adesse furem, consilium dedit, aut imputavit, ut is detineretur: At fur aggressoribus suis resistens occisus est. An ex nece hujusce hominis irregularitatem incurrit Balthasar?

RESPONS.

Certum est, quod Balthasar ex nece hujusce hominis non factus est irregularis, nam omni irregularitatis metu cessante, suaderi, aut etiam imperari potest res licita quæ ex se & secundum verisimilitudinem neque homicidium, neque mutilationem parere debet, quamvis per accidens contingat, ut quis occidatur aut mutiletur: atqui Balthasar non nisi licitum quid suasit aut imperavit: neque ipsi adscribi potest negligentia ad providendum eventum futurum; atque adeo neque homicidii particeps fuit, neque irregularis. Quæ omnia sunt consentanea principio Sancti Thomæ (*f*), ut videre est in decisione 47. hinc quæstionem istam sic definivit Innocentius IV. (*g*), in suo commentario in quinque libros Decretalium, in quo sic loquitur: *Sed si insisteret consilio liciti operis; ut quod caperetur malefícus, vel alter consimilis; tunc non fit irregularis consiliarius, etiamsi capiens maleficum eum occidat: quia hoc non consuluit.* Idem ergo tunc dicendum, ac de patre, qui uni e suis famulis sapienti ac discreto imperasset, ut moderate unum e suis filiis castigaret: nam si filium castigando, eum infeliciter servus occideret: non idcirco pater esset irregularis, cum licitum quid tantum imperasset, sumpta omni necessaria cautione, ne quid tale contingeret. Idem etiam dicendum de Balthasare in casu proposito (*h*).

(*f*) S. Th. in 4. d. 15. q. 2. a. 2. q. 2. ad 3. vel 2. 2. q. 64. a. 8. in c.
(*g*) Inn. IV. in c. Audientiam 12. de homic. &c. n. 1.
(*h*) Fr. de Genet Theol. mor. t. 6. tr. 6. c. 3. quæst. 11.

CASUS LXXV.

Dracontius, Medicus, sacros ordines suscipere constituit; at timet, ne irregularitate sit ligatus, quod ægrotanti remedium nondum experientiæ subjectum porrexerit, ignorans, an ipsi utile foret, an vero noxium, mortuoque paulo post ejus sumptionem ægrotante, Dracontius ab eo tempore continuo conscientia ea de re remorsu angitur. Numquid in hoc casu ordines potest suscipere absque prævia dispensatione?

RESPONS.

Medicus ista tuta conscientia sacros nequit ordines suscipere absque dispensatione. Ratio est, quia, cum profiteretur Medicam artem; se gerere tenebatur prudenter ac juxta artis regulas: at prudentia exigebat, ne ægro huic remedium daret: ignorans, an ipsi foret utile, ac prohibebat, ne vitam hominis committeret fortunæ remedii, cujus nec vim nec effectum noverat. Cum igitur ex pravo hujus remedii effectu obierit homo iste, factus est coram Deo reus homicidii, atque adeo irregularis. Idque eo certius est, quod Medicus scire tenetur omnia medicamenta, ut ait Lex, esse venena (*i*): *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum. Nam & medicamenta venena sunt*: atque adeo iis nunquam ipsum uti debere, quin ei sit moraliter comperta vis eorum, & quis futurus sit eorum effectus.

(*i*) L. Qui venenum. 2. 6. ff. de verb signif. l. 1. tit. 14.

Insuper ex conscientiæ suæ stimulis sat manifeste nosse poterat Dracontius, se esse irregularem, atque exterius se pro tali gerere debere; ut in simili casu expresse definivit Clemens III. (k) in Decretali scripta ad Canonicum, qui erat Medicus, & cui incertus erat remediorum, quæ ægris suis dederat, eventus. En factum, de quo interrogatus fuerat hic summus Pontifex: " Ad aures nostras, te signi- „ ficante, pervenit: quod cum in arte Physica eru- „ ditus sis, juxta ipsius artis traditionem exhibuisti „ cum diligentia medicinam, licet pluries in con- „ trarium successerit, & quibus putabas adhibere „ medelam, medicinæ præceptis, mortis pericu- „ lum incurrerunt. Verum quia ad sacros Ordines „ desideras promoveri, super eos nos consulere „ voluisti. *Ea vero definitio hujusce Papæ*: Tibi bre- „ viter respondemus, quod si super præmissis con- „ scientia tua te remordeat, ad majores Ordines de „ nostro consilio non ascendas. *Ad quod dicit Glossa* „ (*l*): Hoc est consilium reverentiæ cui obediendum „ est... secus in consilio perfectionis ". Atqui constat, Canonicum hunc non videri procul dubio esse reum: neque etiam legitimo ipsius dubium niti videtur fundamento, cum ægris suis juxta artis ac prudentiæ regulas remedia semper porrexerat. *Non videtur imputandum, si adhibuit diligentiam, quam potuit*, ait, iterum Glossa eadem (*m*): Ipsi tamen declarat hic Pontifex, ob solum conscientiæ suæ remorsum eum Ordines suscipere non debere.

(K) Cl. III. in Ad aures 7 de ætate, qualitate & Ordine præficiendor. l. 1. t. 14.
(*l*) Gl. in c. s. Consilio.
(*m*) Gl. ib. v. Cum diligent.

Econ-

Econtra Dracontius de quo fit mentin in casu proposito, procul dubio reus est, neque de gravi peccato excusari potest, cum in omnes sibi præscriptas arte medica, prudentia & caritate regulas, dobium expertus sit vel potius noxium remedium com detrimento vitæ ægroti sui: atque adeo potiori jure censendus est irregularis, quam Medicus Canonicus de quo loquitur Decretalis Clementis III. Ita quoque docent *(a)* Navarrus, Toletus, Cabassutius aliique post duos celeberrimos Canonistas, Hostiensem scilicet & Panormitanum, qui in hoc Innocentii IV. sententiam tantum secuti suot *(b)*.

(a) Navarr. Manual. c. 27. n. 2. 8. Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 1. n. 82. n. 7. J. Cabassut. Jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 29. n. 21. & c. 30. n. 15. & alii communiter post Hostiens. & Panormit. in c. *Tua nos.* de homicidio &c.

CASUS LXXVI.

Raymundus, Acolythos Prior sancti Genesii, chirurgiam, quam apprime didicit in vicinia Prioratus sui exercuit pro multis, ac pro uno præsertim homine, cui tibiam abscidit, & qui paullo post istam curationem mortuos est. Numquid dicendum Raymundum incurrisse in irregularitatem, saltem *ex defectu Lenitatis*, aut *ex delicto homicidii casualis*, quod rei illicitæ operam dederit?

Respons.

Si Acolythus iste, chirurgiæ peritissimos, io curationibus suis omnes hac arte præscriptas regulas observarit, non factus est irregularis; licet quorumdam mors ægrotorum subsecuta sit. Ratio est, quia Innocentius III. ex Constitutione sua in Concilio Lateranensi œcumenico quarto emissa *(c)* Subdiaconos tantum, Diaconos & Sacerdotes prohibet exercere Chirorgiam: *Nec ullam Chirurgiæ artem* inquit, *Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit.* Unde sequitur, simplices Clericos, eosque qui nondum sacris initiantur Ordinibus, quamvis Beneficium obtineant, non fieri irregulares ex osu Chirurgiæ, cum membrum aliquod corporis amputare aut adurere tenentur, quamvis aliquoties mors ægrotorum subsequatur, modo sine sua contigerit culpa, omnesque artis suæ regulas observarint. Ita docet inclytus Theologus his verbis *(d)*: *Clericus qui secundum artem abscidit vel adussit, & mors quidem est secuta, at non ex adustione vel abscisione, sed ex gravitate morbi, juxta Avilam & Beuacinam qui Sairum, Molinam & alios citant, non est irregularis: quia mors non videtur imputanda abscindenti vel adurenti, sed gravitati morbi.* Tum subdit hic Auctor: *Si tamen dubium esset unde mors secuta sit, Clericus pro irregulari esset habendus.* Quod probat ex Decretali Clementis III. quam attulimus in decisione proxima.

(b) Innoc. IV. sup. citat. c. *Tua nos.*

(c) Innoc. III. in c. *Sententiam.* 9. ne Clerici vel Monachi secular. negotiis se immisceant.

(d) Fr. Sylvius resolut. var. v. *Chirurgus.* quæsito 2. Conclus. 2.

CASUS LXXVII.

Maximinus, Sacerdos, Julittæ sorori suæ vomica laboranti in mammis emplastrum, ut sibi dictum fuerat, mollificativum hujusmodi abscessus dedit, quo usa est Julitta, & post apertam vomicam copiosumque puris profluvium extincta est. Numquid in hoc caso irregularis est Maximinus? an esset pariter, si abscessum sanare per incisionem suasisset, uode mors esset sobsecuta?

Respons.

Res odiosæ, quales sunt censuræ & irregularitas; stricte ac rigorose sunt exponendæ; nec extendendæ ultra id quod in jure exprimitor, ex hac Bonifacii VIII. *(e)* regula: *Odia restringi .... convenit.* At jure inter irregulares tantum recensentur Sacerdotes, Diacooi & Subdiaconi, qui Chirurgiam exercent *per incisionem aut adustionem.* Ex quo inferendum, cum Maximinus in proposito casu nullum amputaverit membrum, aut inciderit, vel adusserit, eum non esse irregularem, quod emplastrum ad sanationem vulneris dederit. *Sacerdos*, inquit Sylvius *(f)*, *qui secundum regulam artis applicat emplastrum mollificativum, quo apostema sese aperit, & mors inde sequitur sine ejus culpa, non est irregularis, quia non exercet Chirurgiam, scindendo vel urendo.* Ita sentit doctus iste Theologus de prima quæstione proposita.

(e) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(f) Fr. Sylv. resolut. var. v. Chirurgus. quæsito 2. conclus. 5.

Quod ad secundam pertinet, idem dicendum est ac de priore, ut docet idem Auctor, qui subdit: *Idemque judicium est, si, secundum peritiam artis jubet, vel consulit incisionem vel adustionem*: dictique sui eandem jam a nobis superius allatam rationem profert: *Quia Clericis inhibetur ipsa incisio & adustio; non autem mandatum vel consilium de incidendo & adurendo. Censura vero vel pœna lata contra facientes, non ligat mandantes & consulentes, nisi exprimatur*: suamque probat sententiam auctoritate Navarri *(g)*, qui ejus rei plenam, ut pote Pœnitentiarius Romanus, notitiam habebat, & qui loquens de excommunicatione contendit, & multis contextibus probat, eom solum ista ligari censura, qui actionem protulit, cui annexa est; non vero is, qui eam consuluit aut mandavit; nisi Caoone quo statuitur excommunicatio, consulentes aot mandantes verbis expressis contineantur; quod pariter de iis dici debet, qui consulunt aut mandant actionem fieri, cui annexa est irregularitas.

(g) Navarr. Manual. c. 27. n. 51.

Idem post Sylvium docet Cabassutius *(h)*: *Potest etiam Sacerdos*, inquit, *consulere secundum regulas Medicinæ, vel exhortari, ut membrum amputetur Sphacelismo affectum, dum caveat, ne abscisionem per se exsequatur. Id enim .. Canones ei prohibent.* Quod verum esse asserit; quamvis ex abscisione membri æger moriatur. *Neque peccato aut irregularitati subditur Sacerdos, qui juxta Medicinæ præcepta jusserit vel consuluerit membri amputationem, aut venæ sectionem, tametsi fortuito & ex accidenti mors inde secuta fuerit.*

(h) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 5. c. 29. n. 22.

CASUS LXXVIII.

Cygiranus, Chirurgus laicus, statum Clericalem amplexus, post susceptum etiam Subdiaconatum, sorori suæ Paullinæ thoracis distillatione laboranti venam aperuit; ac post venæ sectionem morbus Paullinæ adeo increvit, ot postridie obierit. An irregularis est Cygiraous?

Respons.

Qui sacris initiati sunt Ordinibus fiunt irregolares ex exercitio Chirurgiæ *per incisionem*, vel *per adustionem*, uti probavimus ex quatto Lateranensi Concilio œcumenico, cujus decretum retulimus in septuagesima sexta decisione, quod innovatum est a pluribus aliis Conciliis ac præsertim Budensi an. 1279. *(i)*, a Nemausensi an. 1284. (K), & a Synodo Bajocensi an. 1300. *(l)*, quæ omnia Concilio Lateranensi fulciuntur.

(i) Conc. Audens. can. 9.

(k) Conc. Nemau. can. 7.

(l) Synod. Bajocens. c. 31. apud Labbe Tom. 11. Conc. p. 1455.

Quod cum ita se habeat ac venæ apertio sit vera incisio, dubia esse nequit Cygirani irregularitas, ut sentit Sylvius *(m)*: *Quia qui venam aperit*, inquit, *proprie dicitur incidere, & huic sententiæ* (affirmativæ) *libenter subscribo.*

(m) Fr. Sylvius resolut. var. v. *Chirurgus.* quæsito 2. Conclus. 2.

CASUS LXXIX.

Ennodios, Religiosus Sacerdos, artis Chirurgicæ peritissimus, Titiæ vomicam aperuit, ac necessaria ei adhibuit remedia ex solo caritatis motivo, & absque ulla proprie lucri intentione. Tom citius Titia liberum spirans aerem, ac etiam fatigata labore contra expressam Ennodii defensionem, inde mortem præmaturam sibi abscivit. Numquid Ennodius in hoc casu irregularitatem incurrit?

Respons.

Prius jam dicta noo iterabimus heic de prohibitione Ecclesiæ facta Clericis sæcularibus & regularibus, qui sacris initiati sunt Ordinibus, ne sub irregularitatis pœna Chirurgiam exerceant. Sed ad propositæ difficultatis solutionem referimus tantum Decretalem Innocentii III. ad Episcopum Placentinum *(n)*, qui de simili difficultate fuerat interrogatus: in qua declarat hic summus Pontifex, Sacerdotem Religiosum, qoi mulieri tumorem aperuerat, quæ paullo post obierat, qood præter prohibitionem ipsi factam, liberiorem spirasset aerem, graviter peccasse artem exercendo status sui Sanctitati haud congruam; *Licet ipse Monachus multum deliquerit, officium alienum usurpando, quod sibi minime congruebat*: Et dignum esse, si in hoc proprii lucri cupiditate egisset, qui juxta rigorem Canonum a functionibus suis interdi-

(n) Innoc. III. in c. *Tua nos.* 19. de homicid. &c.

ceretur: *Aliaqui interdicenda est ei Sacerdotalis Ordinis exsecutio de rigore.*

Ex hac Decretali satis manifeste constat, Subdiaconum, Diaconum, aut Sacerdotem, seu sæcularem seu regularem, *ipso facto* eo præcise non fieri irregularem, quod artem Chirurgicam exercuerit; sed solum 1. cum peritiæ defectu morti aut mutilationi ansam præbuit: 2. cum artis suæ peritus debitam non adhibuit diligentiam, sed alterutrum ob ejus negligentiam contigit. 3. Cum artem exercet absque Papali dispensatione & contra vetitum Canonum; quamvis aliunde necessaria sit peritia, & omnes requisitas adhibeat cautiones: Nam in hoc casu irregularitatem incurreret, si mors aut mutilatio sequeretur, quod rem fecisset sibi ab Ecclesia prohibitam. *Danti operam officio, vel rei illicitæ* ait Panormitanus (a), *imputatur eventus mortis, quantumcumque processerit sine culpa ejus*; uti eam quoque incurreret, quamvis rei licitæ operam daret, si ob notabilem ejus negligentiam mors aut mutilatio contingeret, ut expresse definivit Alexander III. (b), ac docet Hostiensis his verbis (c): *Si ante factum, vel in facto, vel ex post facto reperiretur de morte culpabilis, irregularis esset*; & cum eo Panormitanus.

(a) Panormit. in cit. ca. *Tua nos.*

(b) Alex. III. in c. *Continebatur.* 6. eod. tit.

(c) Hostiens. in cit. c. *Tua nos.* Item Panorm. ibid.

Unde colligendum est, ad respondendum propositæ difficultati, quod, licet Ennodius artis Chirurgicæ esset peritus, habendus est tamen irregularis, quod usus illius ex Canonum præscripto ipsi sit interdictus. Quod quidem evidens est non solum ex Decretali Alexandri III. modo citata, sed etiam Innocentii III. qui loquens de Sacerdote Religioso, qui hanc exercuerat curationem, vult tantum rationem haberi ipsius peritiæ, diligentiæ quam adhibuerat, & caritatis, qua remota omnis lucri spe egerat; & ob eas causas consentit, ut necessaria ipsi concedatur dispensatio. *Si tamen*, inquit hic Papa, *caussa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere; non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare (d).*

(d) Idem Alex. damnun in addit. ad Panorm. in c. *Exhibita.* 24. eod. tit.

CASUS LXXX.

Gatianus, Sacerdos, videns Chirurgum accinctum ad amputandam Guiberto tibiam, ipsum in hac curatione juvare voluit, necessaria ipsi in manibus præbendo instrumenta & etiam tenendo ægrotum per amputationis tempus. Sed quia paullo post peractam abscissionem mortuus est Guibertus, timet ne irregularis factus sit, quod ejus mortis fuerit particeps. An legitimus est ipsius timor?

RESPONS.

Sacerdos iste in casu proposito non factus est irregularis. Ratio est, quia de iis tantum jus loquitur, qui membrum aliquod amputant aut adurunt, non vero de iis, qui opem tantum præstant, non adhibito ferro vel igne. At, ubi agitur de irregularitate aut censuris, non extendi debent Legis verba ultra proprium eorum sensum, quia res est odiosa, quam proinde restringi & juxta strictum verborum Legis sensum exponi necesse est, ut alibi jam probavimus ex hac juris regula (e): *Odia restringi ... convenit*; quæ ex hoc alio Juris Romani effato confirmari potest (f): *Expressa nocent, non expressa non nocent.*

(e) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(f) Reg. 195. ff. de diversis regulis juris antiqui. l. 50. tit. 17.

Ita sentit Navarrus (g); suamque probat sententiam, 1. ex hoc S. Gregorii dicto (h): *Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*: Cui rationem istam addit inclytus iste Canonum interpres: *Quia nullo jure cavetur, quod juvans Chirurgum incurrat irregularitatem absque sua culpa propter mortem vel mutilationem.*

(g) Navarr. Manual. c. 27. n. 217.

(h) S. Greg. in c. *Cognoscentes.* 2. de constitution. l. 1. tit. 4.

Quamvis idem non sit dicendum de eo, qui efficaciter cum Judice ad mortem vel mutilationem rei alicujus confert; quia jure expresse declaratur irregularis (i): cum contra nullibi Canones de eo loquantur, qui Chirurgum curantem adjuvat.

(i) Innoc. III. in c. *Sententiam.* 9. ne Clerici vel monachi secular. negot. se immisceant.

Prima ratio quæ afferri potest hujusce discriminis (k), est, quia licet non sit crudelis homini nefario vitam auferendo; is tamen Judicem ut talem habet. *Non est crudelis, qui crudeles jugulat*, inquit S. Hieronymus (l); *sed crudelis ideo vocatur, quod crudelis patientibus esse videtur. Nam & latro suspensus patibulo crudelem Judicem putat.* Atque ob eam caussam Ecclesia, quæ cupit, Ministros suos in omnibus actionibus suis pietate ac misericordia prælucere, & eos Christi Domini sui ac prototypi exemplum imitari, eos etiam arcet ab officio Ecclesiastico in quibus non elucet illa mansuetudo. Sed contra, quia Chirurgus ægro membrum amputans, ipsi nullatenus crudelis videtur, & ægro potius est persuasum, non sibi membrum abscindi, nisi ad vitæ custodiam; eadem Ecclesia nihil idcirco in eos constituit, qui Chirurgo amputanti suam præstant opem. *Chirurgus autem*, addit Navarrus, *& qui juvant illum, misericordia & pietate moti, nec sunt crudeles, nec similes crudelibus: & ita longe diversa ratio induxit Ecclesiam ad constituendum Judicem, etiam juste judicantem & juvantem eum, irregulares, quam Chirurgum & eum juvantem.*

(k) Alex. Halens. 3. part. q. 34. memb. 1. art. 3.

(l) S. Hieron. can. *Non est.* 28. 23. q. 5.

Altera ratio est, quia totius Ministerii Evangelici finis est Eucharistia, quæ est Sacramentum unionis ac vitæ, in eo quod insolubilem Christi & Ecclesiæ conjunctionem significet, ac digne suscipientes vivificet. Unde sequitur, eos, qui vitam adimunt, aut in sceleris vindictam membrum aliquod e corpore avellunt, non esse habiles, ut inter Ecclesiæ Ministros recenseantur, non magis quam eos qui in his cruentis actionibus illos adjuvant: At contra eo tendit officium ac intentio Chirurgi, ut corporis vita servetur, nullumque abscindatur membrum nisi ad bonum salutemque ipsius corporis. Unde, qui eum in curationibus suis adjuvant, Ecclesiastico Ministerio non sunt indigni. Idem communiter cum Navarro docent Præpositus, Avila, Sylvius aliique permulti tum Theologi, tum Canonistæ (m).

(m) Joan. Ant. a sancto Georgio Cardinalis vulgo Præpositus. Et Sylvius resolut. var. v. *Chirurgus.* Avila pret. 6. disp. 6 sect. 3 & alii communiter.

CASUS LXXXI.

Hierotimus, ense cum Benedicto dimicans, ipsi dimidium pollicis aut indicis abscidit, aut ictum in vultu ipsum occæcavit, atque adeo irregularem effecit. An ideo Hierotimus irregularitatem incurrit?

RESPONS.

Certum quidem est, parem esse homicidii ac mutilationis effectum quoad irregularitatem, ut patet ex Decretali Alexandri III. ad Episcopum Salernitanum (n): attamen Hierotimus non censendus est irregularis, quod Benedicto dimidium pollicis aut indicis absciderit: ne in eam quidem irregularitatem incurrisset, quando alterutrum ex his digitis amputasset. Ratio est, quia non inducitur irregularitas, nisi ex mutilatione membri: Atqui digitus non censetur esse membrum, sed solum pars membri, ut ait Lex (o), & probat Navarrus (p), qui post Panormitanum dicit (q): *Illa pars hominis dicitur membrum, quæ officium per se distinctum habet, ut manus, pes, auris, argum. Can.* singula. *Dist.* 89. *Quare digitus non est membrum, sed pars membri juxta Bartholum in Leg. 2. ff. de pub. judic. quem firmiter sequimur contra Cajetanum 2. 2. q. 95. licet eum sequatur Sotus l. 2. q. 5. art. 1. de just. & jure.* Atque ad refellendam Cajetani opinionem addit hic Canonista: *Falsum est id quod Cajetanus pro se adducit, scilicet quod, ut sit membrum, non est necesse ut habeat officium distinctum ab aliis membris, & satis est, quod sit socius & adjutor in illo officio faciendo: quia etiam pars digiti manum in suo officio juvat. Attamen non est membrum, ut ipsemet fatetur.*

(n) Alex. III. in cap. *Porro* de Clericis pugnant. in duello l. 5. tit. 14.

(o) Leg. *Idem Ofilius.* 10. ff. de ædil. edict. &c. l. 21. tit. 1.

(p) Navar. Man. cap. 27 n. 206. & 227.

(q) Panorm. in cap *Cum illorum*, 32 de sent. excom. &c. n. 8.

Sententiam suam probat doctus iste Canonista ex hac alia ratione in Cajetanum. Clericus non fit irregularis ex avulsione digiti, sine quo facile celebrari potest, ut ipse Cajetanus fatetur. Igitur digitus non est membrum, cum juxta unanimem Doctorum sententiam amputatio membri pro certo hominem efficit irregularem.

Idem cum Navarro probat Gregorius Sairus ex Glossa (r) quæ istam expresse tenet sententiam, uti Panormitanus, Covarruvias, Felinus, Michael Salonius (s), aliique plurimi auctores gravissimi.

(r) Gloss. in c. *Is qui* 3. de homicid. &c. in 6. init.

(s) Panorm. in cap. *De Diacono.* n. 10. qui Clerici vel voventes &c. Didac. Covarruv. in Clement. *Si furiosus.* de homicid. part. 3. cit. tit. n. 6. Felinus in cap. *Ego.* de jurejur. col. 2. & in cap. *Cum illorum*, sup. cit. Michael Salon. in 2. 2 q. 52 art. 2. controvers. 4. & septem alii.

Hierotimus etiam irregularitatem non incurrit, quod

quod Benedicto ea ratione cæcitatem attulerit, qua in proposito casu re.ertur. Nam, quamvis ex ictu accepto in vultu obcæcatus fuerit, vere semper dici potest, ipsum ab Hierotimo non fuisse mutilatum, quamvis in utroque casu graviter peccaverit, ac Benedictum irregularem teddiderit.

CASUS LXXXII.

RANULPHUS, cum Alexandro rixatus, cum ad pugnam res excessisset, tanta vi Alexandri manum baculo percussit, ut ictu illo prorsus manu debilitata uti jam non possit. An irregularis est Ranulphus.

RESPONS.

Ad solutionem hujusce difficultatis sufficere posset responsio facta ad proximum. Nam, uti non inducitur irregularitas ex abscissione partis alicujus membri, quamvis is, cui pars illa abscissa est, factus sit irregularis; Ita non inducitur, quod adeo debilitatum fuerit membrum aliquod, ut fiat inutile, & ea debilitate illius læsus fiat irregularis. Ita sentit Navarrus (*a*) qui ea de re eo magis fide dignus est, quod celeberrimos sequatur Canonistas, quos laudat ad majorem sententiæ suæ confirmationem. „ Quamvis paria sint quo ad „ hoc, *ait*, interficere & membrum abscindere... „ non tamen sunt paria, abscindere illud & debili- „ tare, etiam adeo ut nihil eo facere possit. *Et* „ *paulo post* (*b*), Non est irregularis qui non oc- „ cidit vel mutilat: licet debilitet membrum, „ adeo ut nequeat celebrare. „ Cujus rei hanc affert rationem, quia talis ictus nullam ei affert deformitatem, qui hoc modo læditur, *quia saltem eaeusat deformitatem*. Additque neminem hoc modo fieri irregularem nisi in casibus jure expressis, ut asserit Bonifacii VIII. Constitutio his verbis (*c*): *Irregularitatis tamen, cum id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit*. Atqui jure exprimitur tantum casus homicidii & mutilationis: neque in eo ulla fit mentio de membri debilitatione; ea igitur non parit irregularitatem, Ita cum Navarro sentiunt alii multi auctores Hispani, ut Dominicus Sotus, Covarruvias, Alphonsus Tostatus, Suarez, & alii permulti Doctores inclyti, quorum sententiam amplectitur Sylvius in responsione sua Duaci 17. Martii an. 1631. facta ad hanc difficultatem (*d*). Denique sic docet Fumus in summa sua inscripta, *Aurea armillia* (*e*) qui pro se Panormitanum laudat, licet fate.tur, hunc Canonistam alibi non sibi constare (*f*).

(*a*) Nav. Man. c. 27. n. 206. & 207. & apud eum Cardinalis Præpositus & Caldericus in c. 1. Qui Clerici vel coventes &c.
(*b*) Id. ib. nu. 224.
(*c*) Bon. VIII. in c. is qui 18. de sent. excom. in 6. l. 5. t. 11.
(*d*) Fr. Sylvius resolut. var. v. Irregul. 1.
(*e*) Barth. Fumus in aurea armillav. Irregul. n. 64. & apud eum Panormit. in c 1. Qui Clerici, vel voventes. &c.
(*f*) Id. Panorm. c. eum illorum de sent.

CASUS LXXXIII.

EUSTADIUS, subdiaconus Diœcesis Valentinæ in Delphinatu Nemausum se contulit ad suscipiendum diaconatum ex litteris dimissoriis Episcopi sui; verum in examine recusatus, post reditum suum finxit, se hoc ordine fuisse initiatum, ejusque etiam functiones exercuit in Missa solemni, quam celebrabat Parochus, in ea Evangelium decantando. Nonne ob eam causam factus est irregularis?

RESPONS.

Subdiaconus ille incidit in irregularitatem. Ita communiter sentiunt Theologi & Canonistæ (*g*) nixi decretali Hormisdæ Papæ: in qua summus hic Pontifex, qui circa an. 520. vivebat, his verbis loquitur (*h*): „ Si quis baptizaverit, „ aut aliquod divinum Officium exercuerit non „ ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de „ Ecclesia, & nunquam ordinetur.

Confirmari potest hæc sententia alia decretali Urbani III. scribentis ad Episcopum Leodicensem de diacono, qui Missam celebrare ausus fuerat. *Diaconus*, inquit, *cum non imposuisses ei manum, si Missarum celebrationem usurpare præsumpserit... ad Sacerdotii Officium non poterit promoveri*; & summus hic Pontifex addit etiam suspensionis pœnam pro diaconatu: *A Diaconatu quoque bienaio vel trienio pro tua maneat provisione suspensus*.

His denique additur auctoritas Clementis VIII. qui expresse rem eandem definivit ex octogesima prima Bulla sua lata 1. Decembris ann. 1601. (*i*),

(*g*) Fr. Tolet. Inst. Sacer. l. 1. c. 72 n. 1 Sylv. v. Irreg. q 14. Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 5. c. 20. n. 24.
(*h*) Hormisd in c. Si quis 1. de clerico non ordinato mini strante l. 5. t. 28.
(*i*) Clem. VIII. in Bulla Etsi alia § 2. Bull. mag. t. 3. p. 125.

& cujus verba postea referemus, in casu *Laodicaeas*.

CASUS LXXXIV.

SEVERINUS, subdiaconus, excommunicatione majori ligatus ob crimen occultum, quod commisit, in Missa solemni ministravit, non sumpto tamen manipulo, Sacerdoti vinum & aquam porrigendo, manus aqua aspergendo, atque facta communione Calicem detergendo. An irregularitatem incurrit istas exercens functiones quamvis censura ligatus?

RESPONS.

Cum functiones istæ subdiacono solo non conveniant, alio quocumque excluso, cumque exerceri queant ab Eleemosynario, aut a quocumque alio Clerico, qui non est in *sacris*, quamvis nudo superpelliceo sit tantum indutus, non irregularis censendus est Severinus, quod eas censura sua ligatus obierit. Ratio est, quia Ecclesia subdiaconum irregularem, non judicat, nisi cum aliqua innodatus censura, ordinis sui functiones solemniter exercet; at Severinus in casu proposito ordinem subdiaconi solemniter non exercuit, cum manipulum non haberet, sine quo Subdiaconus non censetur, uti talis suas obire functiones, ut docet sanctus Antoninus (*K*), qui post Paludanum dicit: *solemnis apparatus subdiaconi videtur esse manipulus ... quem nullus inferior subdiacono portare debet*.

(*K*) S. Ant. 3. p. sum. theol. t. 28. c 1. §. 1. & apud eum Petrus Palud. in 4.

Ob eandem rationem Sacerdos suspensus *ab ordine*, qui in casu necessitatis & absque solemnitate baptismum administraret, non fieret irregularis, cum in simili casu baptizare posset vel ipse laicus. Ita etiam Episcopus suspensus *a Pontificalibus*, qui Missam minorem celebraret *sine apparatu Pontificali*, eo modo, quo eam celebraret simplex Sacerdos, irregularitatem quoque non incurreret. (*l*).

(*l*) Nav. Man. c. 24. nu. 244 De Sainte Beuve t. 2. cas. 180 & t. 3. cas. 107.

CASUS LXXXV.

EMPORIUS, Diaconus, cum ante Missam Parochialem Parochus ægrum audire sine mora in Confessione vellet, ab ipso rogatus est, ut aquam & salem benediceret, quo redux facta ista cæremonia populum aspergere posset; quod Emporius perfecit. Qua de re quæritur. 1. num. Emporius irregularis factus sit ex hac benedictione, quam, ut Diaconus, facere nequit? 2. a quo, si factus sit irregularis, in integrum restitui potest? 3. utrum peccaverit Parochus, hanc ipsi benedictionem mandans?

RESPONS.

Diaconus ille irregularitatem incidit constitutam Decretali in alia Decisione citata, qui fertur, ut Clericus, qui Ordinis nondum suscepti Officium exercet *abjiciatur de Ecclesia & nunquam ordinetur* (*m*) Atqui benedictio salis, & aquæ est functio mere Sacerdotalis. Quare si publice & in conspectu totius populi benedictionem hanc fecerit Emporius, ad Papam debet recurrere, ut rehabilitetur. At si eam non publice fecerit, uti v. g. in Sacrario submissa voce, eum in integrum restituere potest Episcopus, quod factum sit occultum, ut statuit Concilium Tridentinum (*n*). Denique Parochus, qui Diacono huic functionem hanc mandavit, graviter in hoc peccavit, cum efficaciter ad ipsius peccatum & sequentem ex eo irregularitatem incurrerit, Ita sentiunt Sylvester, Navarrus & alii (*o*).

(*m*) C. Si quis 1. de clerico non ordinato ministrante.
(*n*) Con. Trid. sess. 24. de ref. c. 6.
(*o*) Sylvest. v. Irregul. q. 21. Nav. nu. 244. supra cit. De Sainte. Beuve t. 3. cas. 107.

CASUS LXXXVI.

APPOLLODORUS, Laicus, aut Acolytus, rure commorans aliquandiu, cum ad ministrandum in Missa solemni Parocho sese obtulisset; Epistolam in ea decantavit, indutus Alba & Dalmatica. Nunquid ex hoc irregularis factus est, quod Subdiaconatus functionem exercuerit, quo nondum erat initiatus?

RESPONS.

Non censetur quis solemniter & ex officio Subdiaconi functionem exercere, nisi manipulum habeat. Atqui Appollodorus Alba tantum & dalma-

tica erat indutas sine manipulo. Igitur functio, quam obivit, non censeri potest ut propria Subdiaconi, atque adeo casu proposito irregularitatem non incurrit; cum a multis sæculis in Ecclesiam usus inductus fuerit, ut Laici ipsi loco Acolytorum & Subdiaconorum, ipsorum ministerium obire possint, cum hoc tamen discrimine, quod manipulum non sumant, qui proprius est Subdiaconorum ornatus & tessera. *Laicus vero*, inquit Cabassutius (*a*), *cantans in Missa Epistolam, etiam cum dalmatica, sed sine manipulo, non contrahit irregularitatem*. Covarruvias (*b*), Angelus de Clavasiu (*c*), Baptista Trovamala, (*d*), Tabiena (*e*), Gregorius Sairus (*f*) & alii multi idem nobiscum sentiunt.

(*a*) Joan. Cab. juris can. theo. & prax. *l.* 5. c. 30. n. 4.
(*b*) Covarr. in Clem. Si furiosus de hom. &c. in 2. par. 3. §. 1. n. 1.
(*c*) Ang. v. Irregul. n. 8.
(*d*) Rosella v. Irregul. 2. init.
(*e*) Tabiena v. Irregul. 4. n. 3.
(*f*) Sarrus thesaur. Cascum cons. l. 7. c. 10. n. 6.

CASUS LXXXVII.

Landericus, Diaconus, scire cupiens mulieris peccata, cujus mores sibi erant suspecti, ad vesperam pro pœnitentiæ tribunali sedit; simulans se esse Confessarium, qui ibi audire confessiones solebat, & cui peccata sua confiteri mulierem hanc solitam esse noverat; quam reipsa, cum se obtulisset ad confitendum audivit: quo facto ipsi per modum satisfactionis pœnas quasdam injunxit, eamque remisit, cum eam absolvere simulasset. Qua de re quæritur, utrum irregularitas, aut alia quædam pœna sceleri, quod facto isto commisit, sit annexa?

RESPONS.

Cum Clericus quilibet, quocumque sit Ordine initiatus, qui Superioris ei, quem habet, Ordinis functiones omnes exercet, fiat non solum suspensus *ab Ordine* suscepto, sed etiam irregularis quoad Ordines suscipiendos, ut concludunt omnes Canonistæ ex duabus Decretalibus, quæ titulum componunt. *De Clerico non ordinato ministrante* (*g*), dicendum est, Landericum easdem incurrisse pœnas, quamvis eo audaciæ non pervenerit, ut mulierem, cujus confessionem audivit in tribunali pœnitentiæ, Sacramentaliter non absolverit, quia aliunde censetur Sacerdotis functionem sufficienter exercuisse, superpelliceam induens; pro tribunali confessionis sedens, ac mulierem hanc confitentem audiens. Id quidem sat manifeste probatur ex Bulla Clemen. VIII. jam citata in octogesima tertia Decisione (*h*), sed cujus verba ipsa hic referre convenit. „ *Nos igitur*, ait hic Papa, *animadvertentes, hujusmodi perditos & nefarios homines ad sacrum Presbyteratus Ordinem non promotos, Missarum celebrationem usurpare præsumentes... Confessiones autem audientes, non solum Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem contemnere; verum etiam Christi fideles decipere, dum scilicet inique sibi assumunt gradum Sacerdotalem & auctoritatem absolvendi a peccatis, magno cum periculo & scandalo plurimorum... hac perpetuo valitura constitutione decernimus atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, aut Sacramentalem Confessionem audivisse.... a foro Ecclesiastico abjiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus, statim Curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus*: Qua de re observat Barbosa (*i*), conscium hujusce criminis ab Episcopo eximi posse a suspensione & irregularitate; modo factum sit occultum, cum de iis absolvere atque dispensare non sibi reservarit Papa in hoc casu. At si crimen foret publicum, necesse esset omnino ad Curiam Romanam recurrere ad obtinendam absolutionem ac restitutionem in integrum.

(*g*) L. 5. Decr. tit. 28.
(*h*) Clem. VIII. in cit. Bulla Etsi alias 83. §. 2. & 3.
(*i*) Alex. Barb. in c. 1. de Clerico non ordinat. ministrante to. 1. in Decretales.

CASUS LXXXVIII.

Symmachus, Sacerdos, excommunicatus, aut suspensus, in hoc statu celebravit, ignorans se alterutra censura esse ligatum, An tamen factus est irregularis?

RESPONS.

Si ignorantia Symmachi non sit crassa, aut culpabilis, in hoc casu Irregularitatem non incurrit, quia ob ignorantiam suam excusatur; ut aperte probat Decretalis Greg. IX. ad Canonicos duos Ecclesiæ Pragensis, qui in eodem erant casu, ac Symmachus ipse. En ipsius verba (*k*): *Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos*.

Dicimus: *Si ignorantia Symmachi non sit culpabilis*. Nam si crassa esset & culpabilis, ab irregularitate non eximeretur, uti nec a peccato, ut patet ex his verbis, quæ addit hic Summus Pontifex: *Certum si forte ignorantia crassa & supina, aut erronea fuerit, propterea quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus*.

(*k*) Greg. IX. in c. Apostolicæ 9. de Clerico excommunicato, susp. vel interdict. ministrante l. 5. t. 27.

Idem ex Navarro (*l*) dicendum de eo, cui legitima esset ratio, qua celebrans eximeretur a peccato, qualis esset v. g. necessitas indispensabilis perficiendi Missam Sacerdoti, qui post verba consecrationis prolata moreretur.

(*l*) Nav. Man. c. 27. n. 24.

CASUS LXXXIX.

Sallustius, Sacerdos, citatus in judicium coram Judice Ecclesiæ, neglecto vadimonio sibi dicto propter contumaciam suam declaratus est suspensus. Elapsis diebus octo, Superioris sui mandato obtemperavit: quo facto non requisita absolutione, celebravit. Nunquid in irregularitatem non incidit?

RESPONS.

Sacerdos ille non factus est irregularis in hoc casu: Nam certum est, finito suspensionis tempore posse celebrari ut ante, absque auxilio novæ absolutionis. Ita docent Innocentius IV. in suo Commentario in Decretales (*m*) & Glossa (*n*) in constitutionem Clementis V. Atqui suspensio lata propter contumaciam non subsistit, nisi quamdiu permanet contumacia, atque desinit, ubi suspensus superiori obtemperat. „ *Ubi propter contumaciam tantum amoveretur, quæ... pœnam perpetuam non meretur, sed quoad usque pœniteat vel satisfaciat; tunc.... privatio ejus temporalis intelligitur; id est, quo usque satisfaciat*. Ita loquitur summus ille Pontifex in prima Decretalium, quas ad marginem indicamus. Unde sequitur absque irregularitatis incursu Sallustium celebrare potuisse, ubi primum contumax esse desiit, obtemperans judici Ecclesiastico, qui ipsi diem coram se indixerat. Qua in re differt hujusmodi suspensio ab excommunicatione, quæ nunquam tolli potest, nisi per expressam & formalem absolutionem, ut observat Glossa eadem.

(*m*) Inno. IV. super c. Ex literis 1. de constitution. n. 2. & ad c. Sicut 4. de cohabit. Cleric. & mulier. n. 2.
(*n*) Glossa in Clem. Religiosi de decimis permit & oblat. v. Donec l. 3. t. 8.

Difficultatem istam sic solvit Felinus Sendeus in commentario suo in Decretalem Innocentii III. ad Parisienses Doctores scriptam (*o*); atque hæc decisio ista ejusdem summi Pontificis regula innititur: *Cum tam juris Canonici, quam nostri moris existat, ut is qui propter contumaciam communione privatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat*.

(*o*) Felinus in c. Ex literis n. de constitutionibus.

CASUS CX.

Marsilius, Sancti Galli Parochus a promotore de crimine a se commisso accusatus, & deinde decreta ejus comprehensione, ex sententia officialis contradictorie lata declaratus est suspensus ab omnibus functionibus suis Curialibus & Sacerdotalibus, donec in seminarium Diœcesanum recesserit, ibique sex menses integros permanserit.

Hoc facto Marsilius, superiorem Seminarii, qui ipsum admittere recusavit, juridice appellavit, ut ad illud admitteretur; at videns in sua superiorem perseverare repulsa, per sex quidem menses ab exercitio alicujus Ecclesiasticæ functionis abstinuit; at elapso illo tempore, post obtentum a Parlamento arrestum absolutorium de accusatione sibi illata, Missam celebravit, hoc sibi putans esse licitum; cum sententiam quantum in se erat, fuisset executus, & aliunde de accusatione liber esset. An id ipsum potuit absque reatu irregularitatis, præsertim si in aliena tantum Diœcesi celebraverit?

RESPONS.

Parochus iste in hoc statu celebrare non potuit, & irregularitatem contraxit, censuram violando, qua ex sententia juridica & contradictoria erat ligatus,

& qua

& qua solvi non potuit ex simplici appellatione superioris Episcopalis Seminarii, aut ex Arresto absolutorio de accusarione sibi illata; cum certum sit, eum de suspensione in se canonice lata absolvi non potuisse nisi a superiore suo legitimo, ex hac juris regula: *Ejus est solvere, cujus est ligare (a)*, quæ his sancti Ambrosii verbis sulcitur *(b): Dominus par jus & solvendi esse voluit & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit*.

(a) Gloss in can. *Inferior*. 4. dist. 21. v. *Inferior*. & in can. *Ejectionem*. fin. dist. 79. & in c. *Cum inferior*. 16. v. *Ligare*. de majorit. & obed. lib. 1. tit. 33.

Marsilius itaque ad Episcopum suum recurrere debebat ut ipsius auctoritate admissionem suam in Seminarium obtineret, aut aliud sibi designaret, ubi sententiam Officialis posset explere; vel, si recusasset Episcopus, ad Metropolitaoum appellare, si legitima sibi suppeteret ratio, quo infirmaretur judicium illud, quo fuerat condemnatus.

Quod pertinet ad Arrestum; quod ad sui defensionem jactar ille Parochus, illud nullius est omnino usus, cum sæcularibus judicibus nulla competat potestas Clericum legitime condemnatum a censura solvendi; & ipse aliunde jus condemnationis suæ agnovisset accepta iogressus in Seminatium conditione, ut sententiæ summam exsequeretur, & facta superiori denontiatione, ut ad Seminarium admitteretur.

(b) S. Ambros. in can. *Verbum*. 51. de pœnit. dist. 1. §. 5.

Denique Parochus ille, licet in aliena taotum Diœcesi celebraverit, ipsum subsequente ubique sententiæ effectu, & quocumque se recipiat, irregularem efficiente, est irregularis.

CASUS XCI.

Landulfus, Sacerdos e Diœcesi Vivariensi, Ligoniensis Diœcesis Ecclesiæ Collegiatæ mansionarius, cum esset pravis moribus, ab Episcopo, dum Ecclesiam haoc visitaret, privatus est facultate sibi tradita celebrandi & Confessiones audiendi in ipsius Diœcesi, ex ordinatione lata ad inquisitionem Promotoris 1. Jaou. an. 1700. & quæ his erat verbis enuntiata: *D. Landulfo revocamus omnem licentiam sacrosanctam Missam celebrandi, & sacramenta administrandi in nostra Diœcesi*.

Postea Laodulfus in Diœcesim suam se recepit: at post trimestre spatium Regio indulto de Canonicatu ejusdem Ecclesiæ provisus, nec ad ejus possessionem acquirendam *visa* indigens, Capitulo se stitit præsentem ut ad eum admitteretur; quod ipsi a Capitulo concessum est, ea tamen conditione, ut sine consensu Episcopi Missam in dicta Ecclesia celebrare non posset, atque conclusionis hujus scriptum maneret instrumentum Capituli sigillo munitum.

Landulfus uegat, sibi traditum fuisse illud instrumentum, nec de eo fit mentio in actu immissionis suæ in possessionem dicti Canonicatus. Attamen, vivente Episcopo, ab auditione Confessionum ac Missarum celebratione abstinuit.

Cum vero rem omnem a Capituli deputatis expresse cognovisset Episcopus, retulerunt idem deputati, ab Episcopo vetitum esse, ne tabulæ chori inscriberetur Landulfus, aut ad Capitulum tamquam Canonicus admitteretur: quo relato edixit Capitulum, ot a Secretario suo hæc prohibitio Landulfo significaretur; & ad Missarum Chori atque anniversariorum celebrationem Sacerdotem in ejus locum suffecit.

Biennio post Episcopus iterum Ecclesiam hanc visitans, ordinationem suam an. 1700. confirmavit, & paucis post diebus e vivis excessit. Landulfus vero, ubi primum Præsulis hujus mortem audivit, Missam celebravit, nullatenus recurrens ad Vicarios generales, quos Capitulum sede vacante ad regimen spirituale Diœcesis nominaverat.

Qua de re quæritur, utrum Landulfus non vere esset interdictus, & proinde in irregularitatem non iocideret, quia celebravit hac censura ligatus.

Ad defensionem suam adducit Landulfus, ordinationem Episcopi in se latam haberi non posse sententiam suspensionis vel interdicti, sed meram esse revocationem sibi concessæ potestatis: ac proinde se potuisse celebrare, etiam sine ullo peccato, post obitum hujus Præsulis, & absque ullo irregularitatis incursu, duo addir: primo, se non esse Liugoniensem Diœcesaoum; atque adeo ordinationem hanc nullius esse effectus, cum domum suam recesserit; 2. se in Diœcesim redeuntem provisum fuisse de Canonicatu, atque a reditu suo nullam fuisse ordinationem vel sententiam in se juridice latam, quæ sibi denuntiata fuerit.

Respondetur autem, primam ordinationem non fuisse exstinctam, cum abrogationem ejus obtinere non potuerit; ipsumque ab Episcopo, uti interdictum semper habitum fuisse, cum permittere noluerit, ut celebraret, ejusve nomen tabulis Chori inscriberetur. Nam interdictum, ut dicitur, oihil aliud est, quam *censura Ecclesiastica probibens quibusdam personis aut locis celebrationem quorumdam sacramentorum & divinorum officiorum*. Atqui Laodulfo, ex quo tempore Canonicatum adivit, Episcopus verbo prohibuit, ne celebraret, aut Capitulo adesset. En igitur *Ecclesiastica censura, quæ privat eum usu ordinis & beneficii*: quandoquidem, ut Sacerdos celebrare non poterat, atque ut Canonicus tabulæ Chori inscribi & Capitulo adesse.

Denique ipsi objicitur, se ipsum pœnis ejusmodi subjecisse, cum ad mortem usque Lingoniensis Episcopi ordinationi obtemperaverit.

Cum vero objicit Landulfus, nullum sibi denuntiatum fuisse instrumentum publicum, ipsi respondetur cum Doctore Sorbonico *(c)*, quod *suspensio non desinit esse valida, quamvis scripto non fuerit mandata: quia scriptura non ad illam requiritur tamquam essentialis formalitas, sed solum ut formalitas accidentalis*. Concludi itaque potest, ut videtur, Landulfum in irregularitatem incidisse; quascumque in sui defensionem rationes afferat.

(c) Jacob. de Mets. tract. de censuris. sect. 3. art. 2. p. 409.

Responsa.

Existimamus in casu proposito Landulfum non factum fuisse irregularem, ob triplicem rationem diversam.

1. Quia, ut docet Graffius *(d)*, simplex revocatio facultatis celebraodi aut Confessiones audiendi, facta ab Episcopo, noo est verum interdictum; nam interdictum est pœna Ecclesiastica. Atqui simplex revocatio hujusmodi, non est pœna, proprie loquendo, sed solum denegatio gratiæ, quam Episcopo liberum est omnino concedere, vel non concedere, aut concessam revocare; quin is in quem cadit ejusmodi repulsa, legitime queri valeat, præsertim cum ex aliena Diœcesi est oriuodus.

(d) Jacob. de Graffiis, decision. aurearum, l. 4. c. 47. n. 12. & apud eum Navar.

2. Quia Landulfus post revocationem sibi concessæ facultatis haberi debet eodem modo, ac prius quam eam obtinuisset. Atqui certum est, quod, si Missam celebrasset Landulfus ante obtentam ab Episcopo licentiam, suspensione vel interdicto non fuisset ligatus, nisi statuto vel ordinatione in hoc casu hæc pœna constitueretur, atque adeo irregularitatem consequenter non incurrisset. Igitur nec interdicto nec irregularitate ligatus est, quod post factæ sibi potestatis revocationem celebraverit.

3. Denique, quia revocatio, de qua agitur, dici potest res odiosa; quod sit aliquatenus noxia & molesta ei, pro quo fit: atqui ex regula juris *odia restringi & favores convenit ampliari (e)*: Igitur revocatio illa dici non debet, nisi improprie interdictum, cujus proiode violatio non parit irregularitatem.

(e) Reg. 15. de reg. juris in 6.

Ceterum cum Landulfus ipse dicitur agnovisse revocationem istam esse verum interdictum, cum superstite Episcopo numquam celebrare ausus fuerit; dici potest eum a celebratiooe abstinuisse; 1. Quia existimavit, sibi obtemperandum esse Præsuli huic, quamvis non sibi foret persuasum, se vera esse censura ligatum. 2. Aut si id sibi forte persuasum esset, existimavit, quamvis absque ratione, cum censura esset taotum *ab homine*, ex obitu Episcopi eam desinere, seque ad pristinum suum statum restitui. Ita sentit Auctor Colloquiorum Diœcesis Andegavensis *(f)*.

(f) Colloq. Andegavensis Aug. 1712. q. 2. pag. 252.

CASUS XCII.

Richardus, Acolythus, licet Officialis sententia nominatim excommunicatus, eo tamen audaciæ prorupit, ut Ordinis sui functionem in remota quadam Parœcia exerceret. An dici potest ex hoc incurrisse irregularitatem?

Responsa.

Quamvis ille, qui excommunicatione majori ligatos aut alia censura sacros Ordines solemniter exercet, fiat irregularis, ut consentiunt omnes

omnes Auctores, & constat ex Canone Concilii Antiocheni an. 341. habiti, & in Decreto Gratiani relati (a); non idem tamen dicendum est de Ordinibus non sacris: licet enim contendunt nonnulli, iique inclyti Canonistæ, irregularitatem incurri ex eorum exercitio; (b) contra tamen sentiunt alii permulti, qui volunt eos exerceri posse absque incursu irregularitatis.

(a) Conc. Antioc. in can. *Si quis*. 7. 11. q. 3.

(b) Hostiensis in c. *Cum medicinalis*. de sent. excom. in 6. & Panorm. in c. 2. de Clerico excommunic. &c. ministrante. n. 10.

Ratio eorum est, quia, ut observat S. Thomas (c), functiones minorum illorum Ordinum, nunc a simplicibus Clericis tonsuratis, & etiam a Laicis, etiam solemniter in Ecclesia exercentur: quod hac in re usus generalis antiquo derogarit juri quod nullum excipiebat Ordinem. Ita quoque sentit sanctus Antoninus (d): *Dicit tamen Guillelmus*, hæc sunt ejus verba, *quod in minoribus Ordinibus constitutus ministrando, seu exercendo Officium suum & cum solemnitate, eam est excommunicatus, non efficitur irregularis, quia illa duo capitu*, Si quis Episcopus 1. & 2. 11. *q*. 3. *non loquantur de eis; & pœnæ sunt restringendæ*. Ita quoque censet Navarrus (e).

(c) S. Th. in 4. dist. 24. q. 2. art. 2. ad 9.

(d) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 28. c. 1. §. 1.

(e) Navar. Manual. c. 27. n. 244.

Putamus igitur secundam hanc opinionem amplectentes, Richardum in proposito casu irregularitatem non incurrisse, quamvis graviter peccaverit, quod temere Acolythatus sui Ordinem exercere præsumserit, non sine contemtu excommunicationis qua perculsus fuerat.

Ob eamdem rationem Diaconus, ab exercitio Ordinum suorum suspensus, qui Acolythi functiones peragit, irregularitatem quoque non incurrit: cum minorum Ordinum functionem ab iis exerceri queant, qui eos non susceperunt. Quocirca Canones quibus statuitur irregularitas in eos, qui aliqua ligati censura, Ordinum suorum functionem aliquam conficiunt, intelligendi sunt tantum de functionibus Ordinum sacrorum, non vero de functionibus minorum Ordinum.

CASUS XCIII.

Achillas, excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, Ordines tamen suscepit: An factus est irregularis?

Respons.

Si Achilles sit excommunicatus; distinctione opus est: nam excommunicatio qua ligatur, vel est major, vel minor: si sit tantum minor, atque is adeo activa tantum sacramentorum participatione privetur; certum est, ipsum irregularitatem non incurrisse in casu proposito, hoc est, Ordines suscipiendo; quandoquidem ne eam etiam incurrisset, eos exercendo; ut constat ex Decretali Gregori IX. (f), in corpore juris relata. At si excommunicatio qua ligatus est Achilles, sit major; dicendum, quod probabile est, hanc ipsum incurrisse, ut communiter docent permulti Doctores, (quorum nonnulli, ne quidem minorum Ordinum susceptionem excipiunt) (g). Sententiam suam confirmant ex Decretali Alexandri III. ad Episcopum Lingoniensem (h), in qua summus hic Pontifex, loquens de Subdiacono, qui contra factum, sibi interdictum sub pœna excommunicationis, *furtive*, hoc est, absque dimissoriis litteris, aut non vocatus vel admissus ab Episcopo, aut alio sibi supposito in examine Diaconatum suscepisset, declarat, eum in hoc casu *in suscepto Ordine* esse permansurum; quin hujus functiones exercere, aut superiorem possit Ordinem adipisci absque dispensatione? quod ex his Doctoribus formalem designat irregularitatem. Aliam quoque Innocentii III. ad Angliæ Episcopum scribentis Decretalem allegant (i).

(f) Greg. IX. in c. *Si celebrat*. fin. de Clerico excom. suspens. vel interd. ministrante.

(g) Silvest. de Prierio. v. *Irregularitas*. q. 15. & apud eum Durandus.
Navar. Man. c. 27. n. 242.
Fr. Tolet. instr. Sacerd. l. 1. c. 71.
Du Casse prax. jurisdict. Eccles. volunt. c. 22. n. 4.

(h) Alex. III. in c. *Veniens* 1. de eo, qui ordinem furtive suscepit, l. 5. tit. 30.

(i) Innoc. III. in c. *Cum illorum*. 32. de sent. excommunic.

Existimant tamen alii Auctores nullam ab eo incurri irregularitatem, qui majori excommunicatione ligatus sacros Ordines suscipit: ratio ipsorum est, quia id non satis expresse jure declaratur, & quia verba Decretalium Alexandri III. & Innocentii III. optime possunt intelligi de suspensione sola, quæ secundum vocem etiam expresse nominatur in Decretali Innocentii III. cujus hæc verba: *Primos*, hoc est, qui Ordines in hoc statu scienter susceperunt, *si fuerint sæculares Clerici, a susceptis Ordinibus censemus in perpetuum deponendos ... si autem hos*, hoc est, Clericos regulares, *ad Ordines promoveri contingat, juxta præmissam distinctionem; qui scienter in contemtum Ecclesiasticæ disciplinæ se fecerunt ordinari, ab executione suscepti Ordinis & officii decernimus manere suspensos*. Quæ verba, ex his Doctoribus, unice de suspensione, non vero de irregularitate debent intelligi.

Quod spectat ad suspensionem *ab Ordine*, vel interdictum, ea quoque de re dissentiunt Auctores. Sunt qui velint suspensum aut interdictum qui Ordines suscipit, fieri irregularem (k); quia, inquiunt, Ordo suscipi nequit, nisi ejus functiones exercendo, & quas exercendo in censuræ reatu, incurritur irregularitas.

(k) Silvester. v. *Irregularitas*. n. 4.

Alii contra volunt, Clericum interdictum aut *ab Ordine* suspensum, nullam incurrere irregularitatem, Ordines suscipiendo; quia jus a quo constituta est irregularitas, de iis tantum loquitur, qui susceptos Ordines exercent, non vero de iis qui actu eosdem suscipiunt: & juxta illorum Auctorum sententiam falso dicitur, quod *Ordinis susceptio*, sit, proprie loquendo, *Ordinis usus*, ut volunt alii; cum manifeste oppositum constet ex terminis, quibus utitur jus in omnibus textibus, in quibus de utroque loquitur.

At in omnibus rebus odiosis, qualis est irregularitatis materia, ex hac Bonifacii VIII. regula jam sæpe laudata (l), *Odia restringi & favores convenit ampliari*. Et ex hac alia ejusdem summi Pontificis: *In obscuris minimum est sequendum*.

(l) Bonif. VIII. in reg. 15. & 30. de reg. juris in 6.

Postremam istam sententiam defendit Auctor Colloquiorum Condomensium (m), qui eam probat ex priori regula juris modo citata, & qui addit, susceptionem sacramentorum non esse functionem Ecclesiasticam, cum æque Laicis communis sit ac Clericis: hinc etiam constat, ab Ecclesia olim concessam fuisse communionem Eucharistiæ depositis ab Officio & degradatis, ut patet ex tertio Aurelianensi Concilio habito an. 538. regnante Childeberto, ac Silverio summo Pontifice, & ex quinto Concilio cognomine, habito an. 549. sub pontificatu Vigilii (n).

(m) Colloq. Condom. tom. 1 Colloq. 3. sect. 1.

(n) Conc. Aurelian. 3. can. 7. Conc. Aurelian. 5. can. 4.

Ex dictis hactenus colligimus, in hac opinionum varietate, eam posse teneri, quæ magis favet Achilli, dicendo ipsum in casu proposito irregularitatem non incurrisse; quamvis contrariam opinionem habeamus ut tutiorem ad conscientiam; quam proinde sequi eum, suadendum est; cum aliunde constet, istam defendi a multis Doctoribus.

CASUS XCIV.

Hector, Sacerdos, excommunicatione minori ligatus, quod absque justa necessitate cum homine publice excommunicato & nominatim denuntiato communicaverit, in hoc statu celebravit. An id ipsum potuit absque irregularitatis incursu?

Respons.

Certum est, Hectorem, excommunicatione tantum minori ligatum irregularitatem non incurrisse, quamvis graviter peccaverit in hoc statu celebrans. *Minor* (excommunicatio) *quamvis sufficiat ad peccandum, non tamen sufficit ad irregularitatem incurrendam*, inquit Navarrus (o). Ita definivit Greg. IX. (p): *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullus tamen notam irregularitatis incurrit*, inquit hic summus Pontifex. Idem dicendum de Sacerdote, qui in hoc eodem statu Ordinum suorum reliquas functiones exercet; quamvis de peccato excusari nequeat.

(o) Navarr. Man. c. 27. n. 241.

(p) Greg. IX. in c. *Si celebrat*. 1. de Clerico excom. susp. vel interdict. ministrante. & ibid. Glossa. v. *Irregularitas*.

CASUS XCV.

Florentius ab Episcopo Diœcesano suspensus *a Beneficio* declaratus est. Tum in hoc statu Missam celebravit. An incidit in irregularitatem?

Respons.

Certum quidem est, irregularitatem incurri a quolibet Clerico, qui suspensus *ab Ordine sacro*, hujus functiones exercet, uti probant Theologi omnes, & Canonistæ. Ex Decretali ab Innoc. IV. in primo Concilio œcumenico Lugdunensi an. 1245. habito (q) emissa, in qua loquens summus hic Pontifex de eo qui est suspensus *ab Officio*, dicit: *Secturus, quod si, suspensione durante, damnabiliter se ingesserit*

(q) Innoc. IV. in c. *Cum æterni*. 1. de sent. & re judic. in 6. lib. 2. tit. 14.

gesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet secundum Canonicas sanctiones. a. Ex alia Decretali ejusdem Papæ *(a)*, qua idem verbis expressis statuitur: *Si contingeret, eos sic suspensos divina officia exsequi sicut prius, irregularitatem non effugient, juxta Canonicas sanctiones.* Quod verum est; sive suspensio sit *a jure*, seu *ab homine*; sive sit perpetua, seu ad tempus limitatum.

(a) Idem in c. *Cum medicinalis* de sent. excom. &c. in 6 l. 5. tit. 11.

At non idem dicendum est de suspensione tantum *a Beneficio*: nam irregularitatem non inducit: ratio est, quia suspensus *a Beneficio*, non idcirco est suspensus *ab Officio*; ac perceptio fructuum Beneficii, non est exercitium functionum Ordinis; cum eos percipere queat simplex Clericus tonsura tantum, non vero alio quolibet Ordine majori vel minori initiatus. Ob eamdem caussam suspensus *ab ingressu Ecclesiæ*, qui ipsam ingreditur, divinumque audit Officium, non ideo fit irregularis, licet mortaliter peccet, nisi aliquam majorum Ordinum suorum functionem exerceat contra defensionem suspensione sua latam, ut declarat Bonifacius VIII. *(b)*.

(b) Bonifac. VIII. in cap. *Is qui*. 20. de sent. excom. &c. in 6.

CASUS XCVI.

Eulogius, sancti Paciani Parochus, cum esset irregularis *ex delicto*, publice sacrosanctam Missam die dominica in Ecclesia sua parochiali audacter celebravit. An alteram ex hoc facto irregularitatem incurrit?

Respons.

Certum est, Parochum hunc in casu proposito, alteram non incurrisse irregularitatem, quamvis graviter deliquerit, cum irregularitas irregularitatem non pariat: cujus rei hæc afferri potest ratio, quia irregularitas non est censura, quia censura quælibet necessario peccatum aliquod supponit, & contra irregularitas contrahi possit & sæpe sæpius re ipsa sine peccato contrahatur, & etiam ob defectum aliquem mere naturalem; qualis est defectus cæcitatis, legitimorum natalium &c. Unde proprie loquendo non est pœna, quam reo infligat Ecclesia, uti est censura, neque inter censuras Ecclesiasticas recensetur in Decretali Innocentii III. *(c)*, in qua interrogatus hic Papa de significatione verbi, *censura*, respondet, hac voce intelligenda esse tantum interdictum, suspensionem, & excommunicationem: *Quærenti, quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi ..... respondemus, quod per eam, non solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi*; ut loquitur hic summus Pontifex.

(c) Innoc. III. in c. *Quærenti*. 20. de verbor. significatione. l. 5. tit. 40.

Addi potest hæc alia quoque ratio, irregularitatem videlicet numquam posse incurri, nisi in solis casibus jure expressis, quia res est odiosa: atqui jure non exprimitur casus de quo agitur in specie proposita; atque adeo dici nequit esse alteram irregularitatem. Ita ratiocinatur Navarrus *(d)*.

(d) Navar. Manual. c. 27. n. 294.

Attamen, licet Eulogius non novam irregularitatem incurrerit præcise ob priorem jam incursum; fieri posset, ut ob aliam rationem eam incurrisset, ut v. g. si Sacerdotio initiatus vigesimo ætatis suæ anno, postea celebrasset, in secundam incidisset in hoc casu irregularitatem; nam primo irregularis esset non solum quia ante præscriptam Canonibus ætatem ad Sacerdotium fuisset promotus; sed etiam esset suspensus *ipso jure*, ob eumdem ætatis defectum ex Constitutione Pii II. *(e)*, quæ septima est lata ab hoc Pontifice 17. Novemb. an. 1461. ac proinde novam irregularitatem *ex delicto* contraxisset, non quidem ob priorem quam jam contraxerat, sed quia celebrando, suspensionem qua jam erat ligatus, violasset, ut manifestum est ex alia Constitutione Bonifacii VIII. in sexto relata *(f)*. Animadversionem autem istam faciendam esse opportune duximus, quamvis præcise ad difficultatem propositam non spectet.

(e) Pius II. in Bulla *Cum ex sacrorum*. Bullar. mag. tom. 1. p. 389.

(f) Bonifac. VIII. in c. *Is qui*. 20. &c. sent. excom. &c. in 6.

CASUS XCVII.

Cajetanus Præsul, aut Clericus in dignitate constitutus, cum ob interdicti infractionem irregularis factus esset, quosdam voluntariæ, quam ratione dignitatis suæ obtinet, jurisdictionis actus exercuit. An id ipsum potuit valide?

Respons.

Non potuit. Nam qui interdictum legitime prolatum infringunt, ipso facto fiunt suspensi non solum ab Officiis suis ac Beneficiis; sed etiam privantur omni actu jurisdictionis; qualia sunt jura præsentationis, collationis, institutionis, destitutionis, electionis, prolationis censurarum, & alia hujusmodi.

Id expresse definivit Gregorius IX. in Decretali sua scripta ad Archiepiscopum Pragensem de Episcopo Conimbricensi, qui fracto interdicto hujusmodi exercuerat actus, quos irritos declarat Papa, quasi ab eo factos, cui eos exercendi non competebat potestas. *Auctoritate Dei omnipotentis*, inquit hic Papa *(g)*, *omnem institutionem, destitutionem, collationem Præbendarum, Beneficiorum ac Dignitatum præsumtas per eumdem Episcopum, & excommunicationis, seu interdicti sententias in quoscumque hac occasione prolatas ab eo post interdicti violationem ejusdem, decernimus irritas & inanes .... mandamus, quatenus .... tam præsumtores eosdem, quam omnes alios qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas auctoritate Apostolica ab Officio & Beneficio.* Ad quod Glossa dicit *(h)*: *Nota, quod qui non servat sententiam interdicti, Beneficia vel Dignitates conferre non potest .... nec talis potest aliquem excommunicare; cum quantum ad Sacramenta Ecclesiæ excommunicatus reputetur: quia ex eo quod dicit:* Irritas; *patet quod institutiones & excommunicationis sententiæ nullæ fuerunt, quia, cum ipse sit officio privatus, alium privare non potest .... ita nec eligere, nec eligi, nec etiam postulari possunt.* Auctor hujusce Glossæ id ipsum probat ex multis Canonibus & Decretalibus, quæ heic referre non est necesse.

(g) Greg. IX. in c. *Tanta*. 18. de excessib. Prælat. lib. 5. tit. 31.

(h) Glossa ibid. v. *Irritas*.

CASUS XCVIII.

Benignus, sancti Tatini Parochus, ex Officialis sententia suspensus, in hoc tamen statu celebravit, atque adeo factus est irregularis. Qua de re quæritur, utrum *ipso facto* ob hanc irregularitatem de Beneficio suo factus fuerit privatus?

Respons.

Respondemus, Benignum *ipso facto* in proposita specie Beneficio suo non fuisse privatum. Nam ubi agitur de materia odiosa, quales sunt censuræ, irregularitas, & privatio Beneficiorum, ea non magis debet ostendi, quam jure statuitur, ex hac multoties jam allegata Bonifacii VIII. *(i)* regula: *Odia restringi .... convenit.* Atque ut probari potest ex præscripto Constitutionis ejusdem Papæ *(k)*, in qua declaratur, non induci irregularitatem, nisi in casibus jure expressis: *Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* At vero constat nullibi in jure exprimi, Beneficiatium quemlibet, generaliter loquendo, *ipso facto*, beneficio suo privari ob irregularitatem suam. Igitur Benignus semper verus remanet, ea non obstante, Beneficii, sui Titularis.

(i) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(k) Bonifac. VIII. in c. *Is qui*. 20. de sent. excom. & in 6. lib. 5. tit. 11.

Et vero ea de re jus tantum loquitur tempore futuro, asserendo, tales irregulares Beneficiis suis esse spoliandos. Ita scribit Innocentius III. ad Archiepiscopum Veluntinum *(l)*: *Presbyteros autem*, inquit, *& alios Clericos, qui pro suis excessibus a te nexibus anathematis canonice innodati, præsumserunt, vel præsumunt Officia celebrare divina; rationabiliter poteris omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliare.* Ex quibus verbis liquido constat, ab hoc summo Pontifice non asseri, illos irregulares Beneficiis suis *ipso facto* spoliari, at eos Episcopum ex juridica sententia spoliare posse. Id etiam probari potest ex alia ejusdem Papæ Decretali, in qua is loquens de Episcopo quodam, qui latæ in latronem capitalis sententiæ aliquatenus particeps fuerat, vult, ut Episcopatum suum abdicet; quod si facere recuset, in ejus locum alter sufficiatur *(m)*.

(l) Innoc. III. in c. *Fraternitati*. 6. de Clerico excommun. deposito vel interdict. ministr. l. 5. tit. 27.

(m) Idem in c. *Ex litteris*. 19. de excessib. Prælat. &c. §. *Quæsivisti*.

Hactenus dictis addi potest, quod si quilibet irregularis fieret *ipso jure* Beneficio suo privatus,

præ-

præcise ob irregularitatem suam ; sæpe contingeret, ut præter omne fas & æquum Beneficiarius immerito ex hac privatione puniretur contra istam juris regulam (a): *Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus*. Ratio est, quia uti in decisione 75. diximus; multæ sunt irregularitates, quæ sine peccati alicujus reatu contrahi possunt: hinc multi sunt casus, in quibus statuitur, ut, nedum Beneficiarius irregularis suo spolietur Beneficio, hoc ipsi tutum & integrum ex Canonibus servetur : cujus rei exemplum suppeditat Decretalis ejusdem Papæ Innocentii III. ad Archiepiscopum Arelatensem (b), in qua prohibet, ne deponatur Episcopus quidam, qui contracta infirmitate functiones suas a quadriennio obire non poterat. Idem constituitur a Lucio III. (c), pro Parochis, qui facti fuerant leprosi, & ab Honorio III. (d) pro Archidiacono paralytico. Unde colligimus, Beneficiarium irregularem seu ex *delicto*, seu ex *defectu*, posse ut plurimum 1. Beneficium suum resignare *in favorem*. 2. Ipsum debere Beneficium suum relinquere, aut super irregularitate sua dispensationem obtinere.

In hac decisione perillustrium Canonistarum sententiam amplectimur. *Excommunicatio, aliave censura atque irregularitas*, inquit Cabassutius (e), ... *collato jam Beneficio superveniens, non inducit Beneficii vacationem*. Quod probat hic Auctor 1. ex decisione Rotæ (f). 2. Auctoritate Didaci Covarruviæ (g) & Gomesii, aliorumque multorum. 3. Ex Decretali Innocentii III. (h), qui loquens de celebrantibus in loco interdicto, suam declarat mentem, eadem, qua jam superius diximus, ratione, dicendo: *Clerici qui talia præsumserunt, sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi*. Ex quibus verbis sic infert Cabassutius: *Multo minus igitur*, addit, *privatur beneficio is, qui citra culpam, sed ex solo defectu, qualis est corporis ægritudo, contraxerit irregularitatem*. Quod consentaneum est tribus Decretalibus supra relatis.

Antequam autem decisioni huic finis imponatur, juvat observare, quod, cum diximus, nullibi in jure exprimi, Beneficiarium quemlibet irregularem, *ipso facto* Beneficio suo spoliari, hæc addidimus verba, *generaliter loquendo*; nam excipiendus est casus homicidii voluntarii, seu Beneficiarius vel per se, vel per alios committat. Ita statuitur ex Constitutione Innocentii III. (i), cum an. 1245. Lugdunensi primo œcumenico Concilio præesset. Hæc sunt autem ipsius constitutionis verba: *Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicumque Princeps, Prælatus, aut quævis alia Ecclesiastica sæcularisve persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur .... excommunicationis & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio & beneficio incurrat sententias ipso facto: & illa libere, aliis per illos ad quos eorum collatio pertinet, conferantur*. Qua in decisione apprime consentit hic summus Pontifex cum decisione Innocentii III. in quarto œcumenico Lateranensi Concilio an. 1215. his verbis prolata (k): *Beneficiati Beneficium amittant*: Quod sane verbum Beneficii privationem *ipso jure & ipso facto* sat manifeste indicat. His addamus istud ultimi œcumenici Concilii Decretum (l): *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias .... nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit ... nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat: sed omni ordine ac beneficio & officio Ecclesiastico perpetuo careat*. Attamen dici potest, quod in casu homicidii voluntarii, qui illud committit, is non sit privatus *ipso facto*, Beneficio suo, præcise ob irregularitatem quam incurrit, sed potius ob crimen ipsum quod admisit, cujus hæc privatio est effectus.

Heic duos alios casus omittimus, de quibus in jure fit mentio (m), in quibus irregularis fit *ipso facto* privatus Beneficio suo; scilicet cum tantum Cardinalem aut Episcopum verberavit, quia hujusmodi crimina perquam raro evenire possunt.

(a) Reg. 23. reg. juris in 6.

(b) Innoc. III. in c. *Ex parte*. de Clerico ægrot. vel debilitato. lib. 3. tit. 6.

(c) Lucius III. in c. *De rectoribus*. 3. eod. tit.

(d) Honor. III. in c. *Consultationibus*. 6. eod. tit.

(e) J. Cabassut. juris can. theor. & prax. lib. 3. c. 7. n. 8.

(f) Decis. Rotæ 195. in notis.

(g) Didac. Covarruv. in c. *Alma mater*. 1 part. §. 6. n. 4. not. 11. Gomesius tract. de expectativis n. 5. & alii.

(h) Innoc. III. in cap. *Postulastis*. 7. de Clerico excom. depos. vel interdict. minist.

(i) Innoc. III. in c. *Pro humani*. 1. §. 1. de homic. &c. in 6. lib. 5. tit. 4.

(k) Innoc. III. in c. *In quibusdam*. 12. de pœnis lib. 5. tit. 37.

(l) Conc. Trid. sess. 14. Decreta de reform. c. 7.

(m) Bonifac. VIII. in c. *Felicis*. de pœnis in 6. lib. 5. tit. 9. & Clemens V. in Clement. *Si quis*. 1. eod. tit. l. 5. tit. 8.

CASUS XCIX.

Cyriacus, Diaconus, Sacerdotii Ordinem suscipere constituit; sed quia deest sibi in dextera manu digitus, timet, ne sit irregularis. An legitimus est timor illius?

RESPONS.

1. Si digitus qui Cyriaco deest, sit pollex aut index; certum est, ipsum esse irregularem, ac proinde Sacerdotio initiari non posse; seu mutilationi huic sua culpa ansam præbuerit; aut ad eam non contulerit. Ratio est, quia duo illi digiti in utraque manu sunt necessarii ad fractionem sacrosanctæ Hostiæ, & ad celebrationem sacrosancti Sacrificii cum decentia requisita. Id quidem probatur ex Decretali Honorii III. (n) scribentis ad Engolismensem Episcopum, in qua Religioso cuidam, qui casu, cui locum non dederat, pollicis unguem amiserat, non permittit hic Papa, ut se ad Sacerdotium promoveri requirat, nisi in hoc digito sat virium supersit, ut Hostiam frangere possit: sic autem loquitur: *Mandamus, quatenus si ad frangendam Eucharistiam, sit in pollice ipso potens ..... propter difformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas Sacerdotis*. Ex quibus verbis constat Religioso huic non faciendam fuisse, quam postulabat veniam, si pollex ei fuisset omnino abscissus, cum illam non concedit ei nisi sub hac conditione; quamvis tamen integrum ferme adhuc haberet digitum, cui unguis tantum deerat. *Si enim*, inquit Glossa (o), *magna esset difformitas, ut totum digitum vel pollicem perdidisset, non promoveretur*. Hinc ad Sacerdotium jam promotus celebrare non potest, cum ei unus ex digitis suis abscissus est, quamvis id vi ei contigerit, ut videre est in Decretali Eugenii Papæ (p).

2. Quod spectat ad quemlibet ex aliis digitis, si eo penitus sit orbus Cyriacus, aut ejus tantum parte notabili, sibique eum voluntarie, ex impatientia, aut aliter ex culpa sua absciderit, est etiam irregularis, non tam ex defectu corporis, quam ex defectu lenitatis & ex delicto, ut probari potest ex antiquo Canone, quem sancto Gregorio adscribit Gratianus (q), sed qui, ut observant Romani Correctores (r), est Gennadii; quo prohibetur ordinare *eum, qui semetipsum quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel justo vel injusto timore superatus, truncaverit*. Hæc sunt verba hujusce Canonis, in quo voce ista, *membro*, non intelligendum est dumtaxat membrum proprie dictum, sed etiam pars quæpiam corporis aut membri, qualis est digitus. Certius etiam hujus veritatis nobis præbetur argumentum in alio Canone, quem refert Gratianus (s), in quo Innocentius primus dicit: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt*.

3. At si Cyriaci digitus omnino aut partim ab alio abscissus fuerit, non debet censeri irregularis, quamvis abscissioni huic culpa locum dederit: 1. Quia juxta definitionem Bonifacii VIII. (t), irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis, nec in eo casus iste manifeste designatur. 2. Quia ex defectu unius digiti, etiam integri, quis non sit ad Sacerdotium ineptus, modo digitus ille nec sit pollex, nec index, 3. Quia difformitas, quæ inde oritur non talis est, ut irregularitatem pariat; & ob eam partim rationem ait Auctor Glossæ (u), *quod Clericus mutilando digitum, non efficitur irregularis; quia digitus*, inquit, *non est membrum; sed officium membri*: quam rationem his quoque verbis adducit Navarrus (x); *illa sola pars hominis dicitur membrum, quæ officium per se distinctum habet, ut manus, pes &c.* Quod probat ex antiquo Canone (y), & auctoritate Bartholi (z).

Idem docet Covarruvius (aa): *Doctores*, inquit, *proprie dici membra censent, quibus diverso & proprio officio corpus movetur, aut juvatur; ut oculo ad visum, pedibus ad progressum, auribus ad auditum, manibus ad palpatum, naribus ad odoratum, lingua ad sermonem*: quod probat ex Aristotele (bb), ex Baldo & aliis jurisperitis (cc): quo dicto ex Bar-

tholo

(n) Honor. III. in cap. *Thomas*. 7. de corpore vitiatis ordinandis vel non. l. 1. tit. 20.

(o) Gloss. in d. c. *Thomas*. v. *Deformitatem*.

(p) Eugenius in c. *Presbyterum*. 2. de presbytero ægrotante vel debilitato. l. 3. tit. 6.

(q) Can. *Maritum*. 2. dist. 3.

(r) Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus c. 72.

(s) Innoc. I. in can. *Qui partem*. 6. dist. 51.

(t) Bonifac. VIII. in c. *Is qui*. 18. de sent. excom. &c. in 6.

(u) Glossa in Clement. *Si furiosus*. un. de homicid. volunt. vel casuali.

(x) Navar. Manual. c. 27. n. 205.

(y) Can. *Singula* 2. dist. 8.

(z) Barthol. in L. 2. ff. de publicis judiciis. l. 48. tit. 1.

(aa) Didacus Covarr. 2. parte relectionis Clementinæ. *Si furiosus*. de homic. &c. n. 8. & 9.

(bb) Aristotel. l. 2. de partibus animal. n. 50. l. 4. meteor. c. fin.

(cc) Baldus & alii Doctores in L. *Idem*. ff. de ædilic. edicto, & in L. *Non sunt*. ff. de stata homin.

(a) Barthol. in L. Publicorum n. 55. ff. de publicis judiciis.

tholo subjungit: *Sic ex eodem Barthelo* (*a*)... *apparet, in humano corpore quasdam partes esse, quæ proprie membra non sunt, membris tamen opem ferunt, ut digiti manui, dens, lingua & gutturi... quidam tamen indistincte membra appellant.*

Contrariam tamen nostræ opinionem tenent auctores nonnulli, eamque probare nituntur ex Decretali Alexandri III. (*b*), in qua interrogatus hic Papa, num Sacerdos, qui duello certans partem digiti amiserat, censendus esset irregularis, respondet, Sacerdotem hunc post peractam pœnitentiam ad suas functiones admitti posse; modo absque scandalo celebrare possit. Verum ex hac responsione non satis aperte declaratur incursa irregularitas: & quamvis eam sufficienter exprimerent verba hujusce Summi Pontificis, dici potest habendum esse irregularem non præcise ob amputationem partis digiti, sed ob notorietatem duelli, quo fuerat infamatus apud populum, ut videntur designare ista textus verba: *Satis potes post peractam pœnitentiam cum eo misericorditer agere & mittere ipsum in suo ordine ministrare; licet ejus excessus gravis admodum extitisset.* (*c*)

(b) Alex. III. in c. Presbyter. f. de corpore vitiatis ordinandis vel non.

(c) Navar. loc. c. Sylvest. de Prierio v. corpore vitiati. Fr. Tolet. instruct. Sacerd. l. 1. c. 71. & alii plures.

CASUS C.

ÆMILIANUS, ad Sacerdotium irregularis, quod ipsi pollex abscissus fuerit, an censendus est etiam irregularis ad Subdiaconatum, ad cujus functiones non est inhabilis.

RESPONS.

Qui ad Sacerdotium irregularis est, censendus est talis pro omnibus aliis inferioribus Ordinibus. Ratio est, quia ceteri omnes inferiores Ordines necessario referuntur ad Sacerdotium, atque ut ait Sanctus Thomas, *ad conficiendam Eucharistiam*, ad quam functionem inhabilis est, qui ad Sacerdotium irregularis est. Quare Æmilianus, amisso manus pollice irregularis est, non solum ad Sacerdotium, sed etiam ad ceteros Ordines inferiores, licet eorum possit obire functiones.

Ita docent plures eruditi Auctores, laudati a Cabassutio (*d*), cujus hæc sunt verba: *Habens corporis defectum, impedientem susceptionem Ordinis Sacerdotalis, censendus est irregularis ad reliquos Ordines inferiores & Sacros, ex communiori sententia Angeli, Ugolini, Navarræ, Avilæ, Bonacinæ &c.* Fatetur tamen hic Canonista, contra sentire Paludanum, Sairum & alios quosdam.

(d) J. Cabass. jur. can. theo. & prax. l. 5. c. 19. n. 15.

Observandum est, non idem ferendum esse judicium, cum suscepto Ordini supervenit irregularitas; quia, ut ait Gratianus (*e*), *Non omnia quæ ordinandum impediunt, ordinatum rejiciunt.* Sic Presbyter, cui duo abscissi essent digiti cum medietate, palmæ non esset irregularis ad confessiones audiendas, quamvis esset ad celebrandum; ut expresse definivit Summus Pontifex bis verbis (*f*): „ Presbyterum cujus duos digitos cum „ medietate, palmæ a prædone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare.... „ ipsum autem ceteris Officiis Sacerdotalibus „ fungi minime prohibemus. Id ipsum quoque verbis superius citatis addit Cabassutius. „ Sed „ is qui post susceptum Sacerdotium evasit irregularis quo ad Missæ celebrationem, ut si „ amisit pollicem aut indicem, aut oculos, poterit adhuc reliqua munia celebrare, ad quæ „ superest ei habilitas, ut est Confessionum auditio.

(e) Gratianus §. Sicut ergo. ult. c. 1. q. 1.

(f) Innoc. in c. Presbyterum de Cleric. ægrot. vel debilitato.

CASUS CI.

ANASTASIO, rixæ contra voluntatem suam implicito, nasus ferme totus abscissus est ictu ensis quo se defendens perculsus est. An ex hoc casu factus est irregularis?

RESPONS.

Ex hoc casu procul dubio Anastasius factus est irregularis. Constat enim ex quolibet defectu, quo notabilis inducitur deformitas, aut Ordinum exercitium impeditur, hominem fieri irregularem ut docet S. Thomas his verbis (*g*): *Aliquis efficitur ineptus ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ. Et ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione Ordinis si sit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas, ut abscissio nasi, vel periculum in executione facere possit. Alias non impediuntur.*

(g) S. Th. in 4. d. 25. q. 2. a. 1. quæstiunc. 4. in corp.

Decisionem istam Angelici Doctoris adstruit quartum Concilium Toletanum (*h*), an. 633. a sexaginta duobus tum Hispaniæ, tum Galliarum Episcopis, septemque aliis sub Honorio legatis habitum, quod inter varias irregularitatum species, quas recenset, eam exprimit, de qua in casu proposito agitur, inter irregulares eum numerando *qui.... naturali defectu membrorum, aut recisione aliquid minus habere noscuntur.*

(h) Conc. Tolet. V. in can. Qui in aliquo s. d. 51.

CASUS CII.

DANIEL, amisso per juveniles annos oculo, qui ipsi improviso casu, cui nullum dedit locum; avulsus est, cum Ordines suscipere properaret; Nunquid ex hoc irregularitatem contraxit, ex qua ad eos fiat ineptus?

RESPONS.

Respondemus, Danielem factum esse irregularem ex amissione oculi, qui ipsi avulsus est eumque proinde ad Ordines admitti non posse, licet facile altero oculo legere possit. Ratio est, quia induci potest irregularis ex simplici defectu corporeo, seu ex hoc defectu persona omnino fiat inepta ad obeundas Ordinum functiones, qualis est cæcitas, surditas, privatio loquelæ (*i*) seu defectus ille notabilem afferat deformitatem, qualis est privatio oculi.

(i) Canon. 77. Apostol.

Decisionem istam affert Gelasius Papa, scribens ad Episcopum: En verba ipsius (*K*): *Illi cui tratus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quod oculum invitus amisit; cum nec voluus quisquam oculum amisisse credendus est; nec Sacratissimos Canones aliquem casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, fuis exceptis regulis inveniamus: sed hoc tantummodo ad prohibitionem sufficisse videmus Patribus, ut qui careret oculo, Sacerdotii Officium adipisci non posset.*

(k) Gelasius in can. Si Evangelice. 55. dist. 55.

Manifeste patet de eo hunc loqui Canonem cui avulsus est oculus, ut supponitur Danieli. Quare in hoc casu nulla deber admitti exceptio; nam ut ait Glossa (*l*); *Ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus.*

(l) Gloss in c. can. v. Excepisse.

CASUS CIII.

JOANNES BAPTISTA, Sacerdos, in sinistro oculo visum penitus amisit; at hinc non fit, ut dextro legere non possit e medio Altari Canonem, etiam absque indecentia. An ex hoc defectu irregularis est?

RESPONS.

Communis sententia est, in hoc casu Sacerdotem non esse irregularem: Idque probari potest ex Decretali Eugenii Papæ (*m*), qui Presbyterum declarans irregularem, cui duo digiti cum medietate palmæ in eadem manu fuerant abscissi, hanc affert rationem: *Missam non permittimus celebrare*, inquit, *quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.* Nullus autem ex his defectibus in proposito casu reperitur: Nam sinistri oculi debilitas omnino dextri acumine reparatur, quo facile Canonem & decenter legere potest Joannes Baptista, Missale tantisper approximando; quod ipsi factu est facillimum aut parumper ab Altari recedendo.

(m) Eugenius in c. Presbyterum a. de Clerico ægrotante &c.

Addi potest etiam alia probatio magis expressa, deprompta ex Decretali Alexandri III. in qua declarat hic Summus Pontifex (*n*), eum, qui in oculo maculam habet, nulla illius defectus habita ratione ad Episcopatum promoveri posse. *Tibi quod in oculo maculam habeat.... est objectum. Unde Cantuariensi Archiepiscopo dedimus in mandatis... ut cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde sibi visum fuerit, exequatur.* Unde sequitur a fortiori, eum qui nullum ulium habet

(n) Alex. III. in c. Cum de tua a. de corpore vitiatis &c. l. 1. t. 20.

habet defectum, quam visus in oculo sinistro, absque prævia dispensatione ad Sacerdotium promoveri posse, cum difformitate careat, aut si qua appareat, multo minus sit notabilis, quam macula in oculo.

Qui contrariam tenent opinionem, perperam omnino Gelasii Papæ (*a*) auctoritatem proferunt: cum de eo tantum loquatur, *cui erutus est oculus*. Quo in casu fatemur, irregularitatem reperiri. *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi*. Hæc sunt verba ipsa hujusce Pontificis, quæ nullatenus ad casum de Joanne Baptista propositum spectant. Ita Navarrus Avila, Sylvius, aliique permulti Theologi & Canonistæ (*b*).

(*a*) Gelasius in can. Si Evangelica 13. d. 55.

(*b*) F. Sylv. resolut. var. v. Irregularitas & apud eum Navarrus Manual. c. 27. nu. 190. Avila p. 7. disp. 3 dub. 1. Suarez disp. 51. & alii. Item de Ste. Beuve t. 2. cas. 3.

CASUS CIV.

Irenæus deformitate est corporea quæ valde insignis quibusdam videtur; aliis vero levissima. An tenetur, se ut irregularem habere, atque indiget dispensatione ad suscipiendos ordines sacros?

Respons.

Existimamus, quod in hoc casu non tenetur Irenæus. se habere, ut irregularem, sed ipsum suum Episcopum adire, ut de ejusmodi deformitate judicet, ac ipsius stare judicio. Nam Episcopi est de hoc dubio decidere, ut declarat Alexander III. in Decretali ad Episcopum Chichestriensem in Anglia, quem remittit ad Archiepiscopum Cantuariensem, ut ab eo discat, an ex macula oculi irregularis esset (*c*).

(*c*) Alex. III. in supra cit. c. Cum de toe 5. de corpore vitiatis.

Attamen si deformitas consisteret in ademptione alicujus membri, ipsi necessaria foret Papalis dispensatio 1. Quia talis est consuetudo universim recepta. 2. Quia species illa irregularitatis constituta est Canonibus Conciliorum œcumenicorum, de quibus Papa solus dispensare potest.

CASUS CV.

Guillebaldus, qui Eunuchus est, est ne irregularis, ita ut Ordines sacros recipere nequeat, aut susceptos tuta conscientia exercere possit?

Respons.

Iste non est irregularis 1. Si consilio atque mandato Medicorum aut Chirurgorum exsectus sit in aliqua ægritudine, ut contingere potest, cum necessaria judicatur ad vulnus sanandum talis curatio.

2. Idem dicendum, si vi Barbarorum aut hostium Eunuchus factus sit Guillebaldus. Quare si aliunde morum probitate ac Doctrinæ laude ad Sacerdotii gradum promoveri mereatur, in utroque casu ex hoc defectu, ab eo non debet removeri.

3. At non idem dicendum, si proprio motu seipsum castraverit, eo etiam intuitu, ut accuratius castitatem observaret. In hoc quippe casu vere irregularis esset, neque adeo ordines suscipere, aut jam susceptos posset exercere.

Ducitur ista decisio ex Canone antiqui Concilii quem in Decreto suo his verbis refert Gratianus (*d*). *Si quis pro ægritudine naturalia a medicis secta habuerit: similiter & qui a Barbaris, aut Dominis suis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi; hos Canon admitti ad Clericatus Officium promoveri. Si aliquis autem sanus, non per Disciplinam Religionis & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmatis a Deo corporis, existimans posse a se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium. Quod si jam ante promotus fuerit ad Clerum: prohibitus suo officio deponatur*. Ejusque rei hanc rationem affert alter Canon, in quo sic habetur (*e*): si quis abscidit semetipsum, id est: si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus.

(*d*) Can Si quis 3. d. 55.

(*e*) Canon. Si quis abscidit. 4 ead. dist.

Eadem constitutio jam fuerat emissa in primo generali Niceno Concilio anno 325. his verbis (*f*): *Si quis a medicis propter languorem desectus est, aut a Barbaris excisus, hic in Clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere talium promoveri*. Cui Concilii Canoni perfecte assentitur Clemens III. scribens ad Archiepiscopum Ravennatem (*g*), & Innocentius III. in Decretali ad Episcopum Parisiensem (*h*).

(*f*) Con. Nicæn. 1. in can. Si qu. 57. ead. dist.

(*g*) Clem. III. in c. Significavit 4. de corpore vitiatis ordinandis vel non.

(*h*) Inn. III. in c. Ex parte 5. eod. t.

Hactenus dicta omnia confirmari possunt auctoritatem Clementis III. ad Episcopum Viennensem in Hungaria hoc modo scribentis (*i*), „ Ex parte „ Bartholomæi Monachi petitorium, fuit nostro „ Apostolatui præsentatum, quod, cum ipse in „ cunabulis sectus fuerit, postmodum sub regu„ la & Abbate devote Deo militans, in Diaco„ natus Ordinem est promotus... sane, cum secun„ dum statuta Nicænæ Synodi, illi ad Clerica„ tus Ordinem prohibeantur accedere, &, si „ etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui „ se ipsos sani absciderint, vel affectaverint, ut „ ab aliis abscindantur „; non credimus ei impe„ dimentum afferre, quominus possit provehi, „ qui in cunabulis sectus fuerit: quia non vide„ tur, hoc eo tempore affectasse, quo judicium „ animi non habebat. Quod Apostolicorum Canonum auctoritate probat hic summus Pontifex addens: „ Præsertim cum in Canonibus Aposto„ lorum (*K*) sit manifeste sancitum, quod eu„ nuchus, si per insidias hominum factus, vel „ ita natus sit, aut etiam in persecutione sint „ ei amputata virilia, & sit dignus, possit in „ Episcopum promoveri. *Canon autem ille Apo„ stolorum sic habet*: Eunuchus, si per insidias „ (ἐξ ἐπηρείας, id est ex insultu & injuria) ho„ minum factus est, vel si in persecutione ejus „ sunt amputata virilia, vel si ita natus est, „ & est dignus, fiat Episcopus.

(*i*) Clem. III. in c. Ex parte Bartholomæi 3. eod. tit.

(*k*) Can. Apost. 21. ie can. Eunuchus 1. d. 55.

CASUS CVI.

Hermanus, duodecim annos natus, eunuchum se fieri consensit, vel ut amœnam sibi vocem servaret, quo inter musicos Principi esse posset; aut quia eum morbus vexabat, unica illa curatione sanabilis ad Chirurgi mentem. An irregularis est?

Respons.

Certum est, Hermanum in primo casu esse irregularem, non autem in secundo, in primo irregularis est, ut patet ex Canonibus in proxima decisione relatis (*l*): in altero vero non est irregularis ut manifeste constat ex terminis primi Concilii œcumenici Nicæni, aliisque argumentis in eadem decisione allatis.

(*l*) Cit can. Si quis abscidit. Item conc. Arelat. 2. an. 452.

CASUS CVII.

Julius, cum Petrum in flagranti adulterio cum uxore sua deprehendisset, ira subito excandescens, in eum insurrexit, ac ipsi virilia amputavit. Fitne Petrus hinc irregularis, licet per viam abscissus fuerit?

Respons.

Petrum ex hac mutilatione irregularitatem contraxisse certum est, ut docet Joannes Cabassutius (*m*) his verbis: „ Is qui sua culpa gravi, „ quamvis invitus, aliquo membro mutilatus „ fuit, etiamsi ea membri privatio alioqui non „ caussasset irregularitatem, quia vel occulta est, „ vel deformitatem gravem non causat, nec „ actum Ordinis, impedit est nihilominus irre„ gularis... cujusmodi ille censendus est, cui in „ adulterio deprehenso, virilia in pœnam, vel „ ultionem excisa fuerint. Quod quidem is auctor probat exemplo illius, cui per vim & injuriam erutus est alter oculus, quique hinc fit irregularis juxta Canonem *si Evangelica* fin. dist. 55. Ubi Gelasius summus Pontif. a Ruffino Episcopo consultus, anis Presbyter, cui vi & injuria erutus fuerat oculus, posset in ministerio Ecclesiastico permanere, respondit his verbis: „ In loco autem „ illius alium te necesse est ordinare Presbyterum. „ Nam illi cui erutus est oculus, non possunt „ secundum Canones sacerdotii jura concedi, nec „ ei prodest quod oculum invitus amisit. Nam „ nec volens quisquam oculum amisisse censendus „ est, nec sacratissimos Canones aliquem casum in amissio-

(*m*) J. Cabass. Jus can. theor. & prax. l. 5. c. 19. n. 14.

amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis excepisse regulis invenimus: sed hoc tantummodo ad prohibitionem suffecisse videmus patribus, ut qui careret oculo, Sacerdotii officium adipisci non possit. Ex quibus verbis aperte colligitur, Petrum etsi per vim exsectum, eo justius censendum esse irregularem, quo criminosius hanc ipse sibi conscivit injuriam. Porro huic Cabassutii sententiæ Ugolinus, Navarrus, Avila & alii Doctores permulti suffragantur. *Defectus cujuslibet membri principalis*, inquit Navarrus *(a)*, *contingens ob culpam, inducit secundæ speciei irregularitatem ... quamvis membrum sit occultum, neque facultatem utendi Ordine impediat, ut sunt pudenda ... quamvis quis sibi non obscindat; sed alius sua culpa: quia jussit aut rogavit; aut quia rei illicitæ dans operam, id casu perdidit ... aut in pœnam alicujus delicti ab inimicis fuit illi abscissum.* Hostiensis *(b)* eamdem tuetur sententiam, eamque sequitur Joannes Andreas *(c)* & alii communiter.

(a) Navarr. Manual. c. 27. n. 198.

(b) Hostiensis in sum. de corpora viriatis. §. *Et qua*, & in c. *Ex parte*. eod. tit.

(c) Joan. Andreas. ibid.

CASUS CVIII.

Helvidius, ortu Occitanus, in hæresi natus, in qua ad vigesimum ætatis annum vixit, fidem Catholicam amplexus est, & ab Episcopo suo Diœcesano, tum de hæresi sua, tum de peccatis suis absolutus est. Aliquanto post Clericatum amplecti simul & Sacerdotium constituit. Est ne etiam post conversionem suam irregularis; & si forte sit, an necesse est, ut ad sui restitutionem in integrum ad Papam recurrat?

Respons.

Juvat observare, antequam ad propositum casum respondeatur, hæreticos occultos, hoc est, qui nulla exterius hæresis suæ præbuere indicia, non esse irregulares; quia legibus Ecclesiasticis puniri nequeunt actus pure interni, juxta illud Tridentini Concilii *(d)*; *Ecclesia de occultis non judicat.* De iis ergo tantum agitur, qui exterius hæresim suam manifestarunt, & qui ab eo tempore fidem amplexi sunt. Hoc præsupposito dicimus 1. ex Angelo de Clavasio, Silvestro, Navarro & aliis multis, hæreticum, qui de hæresi sua fuit absolutus, manere irregularem, atque adeo Papali eum indigere dispensatione ad suscipiendos Ordines. Probatur ista eorum sententia 1. ex sancto Leone in sua ad Januarium Aquilejensem Episcopum Epistola, a quo consultus fuerat, num hæretici conversi, ad Ordines quos requirebant, essent admittendi, aut saltem ad Ordinum jam susceptorum exercitium: nam declarat hic summus Pontifex, eos esse irregulares, atque, ut tales, ad Ordines promoveri non posse; promotis ad Ordines ante hæresim suam id tantum concedens, ut eosdem conversi ab hæresi exercere possent *(e)*: *Circa quas*, inquit, *etiam illam Canonum constitutionem præcipimus custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta omni spe promotionis, in quo inveniuntur Ordine, stabilitate perpetua maneant*; ea etiam addita conditione, *si tamen iterata tinctione* (hoc est bis accepto baptismo) *non fuerint maculati.* 2. Ex Alexandro IV. qui pariter hæreticos eorumque fautores declarat irregulares *(f)*.

(d) Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 1.

(e) S. Leo. in can. *Saluberrimum*. 11. 1. q. 7.

(f) Alex. IV. in c. *Quicumque*. 2. §. 2. de hæreticis in 6. l. 5. tit. 2.

Philiarchus tamen *(g)* aliique Auctores *(h)* aliter sentiunt; isque contendit, ex crimine hæreseos præcise irregularitatem non induci, licet quis ipsius occasione irregularis fieri possit in triplici casu. 1. Cum ex hæresi fit quispiam infamis in ea regione, quam habitat. 2. Cum aliquis declaratur hæreticus, & ut talis juridica sententia condemnatur. 3. Quando hæreticus, cum sit Clericus, in exercitio Ordinum suorum perseverat, quamvis excommunicatione ligatus ob hæresim, quam profitetur. Adduntque illi Auctores, quod, licet concederetur, irregulares esse hæreticos præcise ob heresim suam, irregularitas eorum ex conversione desineret pro susceptione Ordinum ex hac regula: *Sublata causa tollitur effectus.*

(g) Cosm. Philiarchus. l. 4. c. 25.

(h) Greg. Sairus. l. 7. de censuris. c. 11. n. 10.

Neutra autem ex his opinionibus in Gallia tenetur. Ibi namque hæretici non habentur irregulares, neque præcise ob hæresim suam, neque ob consequentiam ad hæresim. 1. Quia nullus ibi agnoscitur Canon expressus, quo tales declarentur. 2. Quia juridice non citantur, neque, ut tales, ibi damnantur. 3. Quia non habentur ut infames (heic autem loquimur de Calvinianis, ae tempore, quod Edicti Nannetensis abrogationem antecessit); & quamvis ex abrogatione illius Edicti Religionis prætensæ reformatæ sectatoribus adempta fuerit licentia Religionem suam publice profitendi; qui permanent in hæresi, eam occulte tantum profitentur, quia omnes ad Ecclesiæ sinum, saltem apparenter consugere, neque de hæresi in hoc Regno capitaliter accusantur per vitam suam, neque tandem ut infames habentur illi, qui in errore suo perseverant. Ex his colligimus, Helvidium ab Episcopo suo posse ordinari, non obtenta prius in eam rem Apostolica dispensatione, si aliunde dignus sit.

Quod pertinet ad textus a Navarro *(i)*, aliisque allegatos, quibus suam firmant opinionem; eos non admittit jurisprudentia Canonica & Civilis, quæ in Gallia observatur: præterquam quod Decretalis Alexandri IV. quæ priori opinioni favere videtur, non distinguit inter hæreticos pertinaces & non pertinaces, seu qui ad Ecclesiam reversi sunt; quocirca de primis tantum optime intelligi potest. Insuper non loquitur de susceptione Ordinum, sed de Beneficiis dumtaxat & officiis publicis: *Ne ... hæretici ... ad aliquod Ecclesiasticum Beneficium seu Officium publicum admittantur.* Igitur inferri non potest, hæreticos illos conversos manere irregulares quoad susceptionem Ordinum: quia cum irregularitas sit res odiosa, numquam extendi debet ultra casus jure expressos, ut multoties diximus (K), conformiter ad hanc juris regulam *(l)*: *Expressa nocent, non expressa non nocent.*.

(i) Navar. Manual. c. 27. n. 205.

(K) De Sainte-Beuve tom. 1. cas. 154.

(l) Reg. 154. ff. de divers. regulis juris antiqui. l. 50. tit. 17.

Vide Casum sequentem.

CASUS CIX.

Guillelmo, Diœcesano e monte Albano, cum se ad susceptionem Ordinum disponeret, dictum est eum esse irregularem, quia e patre Calviniano natus erat. An re ipsa ob hanc rationem irregularis est?

Respons.

Bonifacius VIII. *(m)*, relatis Alexandri IV. *(n)* & Innocentii IV. Decretalibus, quibus pro Beneficiis & officiis publicis irregulares declarantur filii ac nepotes hæretici patris, eorum exponit Constitutiones, vultque eas dumtaxat obtinere 1. Pro filiis matris hæreticæ, & filiis ac nepotibus patris. *Primum & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus: per maternam vero ad primum dumtaxat volumus extendi.* 2. *Hoc sane de filiis & nepotibus hæreticorum*, pergit, *qui tales esse tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur: non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & reincorporatos Ecclesiæ unitati, & pro culpa hujusmodi per mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse.* Atque secundum hunc sensum ex Bonifacio VIII. intelligendæ sunt Constitutiones duorum prædecessorum suorum de irregularitate filiorum, qui ex parentibus hæreticis orti sunt, quoad Beneficia: Cui addi potest, valde probabiliter eas esse intelligendas de Beneficiis tantum, quæ obtinuere illi filii a lapsu parentum suorum in hæresim, non vero de iis, de quibus ante provisi sunt.

(m) Bonifac. VIII. in cap. *Statutum*. 15. de hæreticis. in 6.

(n) Alex. IV. in c. *Quicumque*. 2. §. 2. eod. tit.

Refert quidem Fagnanus, quod an. 1598. declaravit summus Pontifex, ex Bullis Bonifacii VIII. Nicolai III. Alexandri IV. hæreticorum filios excidisse a Beneficiis ipsis, de quibus ante patrum suorum aut avorum lapsum fuerant provisi: atque contendit hic Canonista, eos a solo Papa in integrum posse restitui: at vero irregularitas illa, ut jam diximus in proxima decisione loquendo de hæreticis conversis, non debet extendi ad susceptionem Ordinum, neque ad eorum usum, cum de ea non loquatur Bonifacius VIII. uti nec duo summi Pontifices, quos iste laudat; neque in re odiosa lex ultra sensum propriorum suorum terminorum extendi debeat. Aliter quidem censet Navarrus, & opinio-

nio-

nionis suæ hanc affert rationem; quia infamia, quæ ex ipso ab hæresi sejungi nequit, in filios hæreticorum patrum redundat: ast contra dicit Sairus (*a*), quod *Nemo dicendus est irregularis, nisi in jure sit expressum: non est autem in jure expressum hujusmodi filios esse irregulares; & hujus sententiæ est Toletus libro* 1. c. 25. hisque addit ad refellendam Navarri rationem: *Quod si dicas, esse infames, & eo ipso esse irregulares, hoc non valet; quia licet reputentur infames ad Officia publica, non tamen inde sequitur esse inhabiles ad Ordines: quia infames, qui ob infamiam irregulares habentur, sunt illi, qui ex proprio delicto in jure dicuntur infames vel jure vel facto.* Hujusce auctoris sententia consentit cum disciplina seu Canonica, seu Civili, quæ in Gallia tenetur, ubi per tolerantiam Calvinismi, is non erat causa infamiæ, neque pro patribus, neque pro filiis.

(*a*) Greg. Sairus.

Ad solutionem itaque præcisam difficultatis propositæ concludimus, Guillelmum non ideo esse irregularem quod ex patre Calvinista natus sit, ac proinde sacros eum posse Ordines suscipere absque prævia dispensatione: cum Alexandri IV. & Bonifacii VIII. Decretales in Gallia non admittantur; ut observat doctus Theologus (*b*), cujus decisiones post ipsius mortem 3. voluminibus in 4. in lucem prodiere.

(*b*) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 154.

CASUS CX.

Valerius, Joannæ maritus, cum in remotam profectus esset regionem, ibi alteri uxori, Joanna superstite, nupsit. Quæritur 1. an factus est irregularis ex suppositis illis secundis nuptiis. 2. si, mortua uxore sua, alterum contraxisset invalidum matrimonium, an esset quoque irregularis?

RESPONSIO.

Valerius factus est in primo casu irregularis; & esset quoque in secundo, si consummato cum Joanna uxore sua legitima matrimonio, secundum quoque invalidum matrimonium *affectu maritali* consummasset. Ita definitum est ab Innocentio III. qui de hac loquens bigamiæ specie, quæ interpretativa vocatur, dicit (*c*): *De hujusmodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat dispensari; licet in veritate bigami non existant; non propter defectum sacramenti, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.* Quibus verbis ostendit hic Papa, se in hoc potiorem intentionis, quam facti ipsius rationem habere, & irregularitatem ab actione præcipue non induci, nisi quæ fit *animo conjugali*. Ad quod Glossa (*d*): *Hic loqui videtur*, ait, *de eo, qui primo in Laicali habitu contraxit, & postea factus Sacerdos iterum contraxit. Unde bigamus reputatur quantum ad affectum; licet in veritate non sit, & sic punitur propter affectum tantum cum opere subsecuto, & non propter defectum sacramenti.* Quod apprime consentit cum proposito casu, quamvis Valerius sit Laicus. Idem constat ex Decretali ejusdem Papæ ad Archiepiscopum Lugdunensem (*e*), in qua nullam bigamiæ speciem contrahi cum multis rem habendo concubinis declarat.

(*c*) Innoc. III. in c. *Nuper*. 4. de bigamis non ordinandis. l. 1. tit. 21.

(*d*) Glossa in cit. cap. v. *Dispensari*.

(*e*) Idem in c. *Quia circa*. 6. eod. tit.

CASUS CXI.

Petrus duabus successive nupsit mulieribus, at cum altera matrimonium tantum consummavit, priore ipso nuptiarum die mortua. An bigamus est; atque adeo irregularis?

RESPONSIO.

Cum matrimonium Christianum unionem Christi cum Ecclesia repræsentet, ut perfecta sit illa sacramenti significatio, necesse est, ut uni tantum uxori vir nupserit, uti Christus unicam sibi Ecclesiam sponsam elegit, & uxor uni tantum viro. *Sacramentum autem matrimonii*, inquit S. Thomas (*f*), *significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ est unius ad unam: & ideo requiritur ad perfectam significationem sacramenti, ut vir sit, tantum unius vir, & uxor, tantum unius uxor. Et ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit.*

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2. in corp. Item dist. 42. q. 3. art. 2 ad 4. & 2. 2. q. 105. art. 4 ad 2.

At cum matrimonium non fit perfectum unionis Christi & Ecclesiæ symbolum, nisi quando fuit consummatum; ita ejus non desinit esse symbolum, nisi quando cum multis fuit consummatum, hoc est, nisi quando vir aut uxor multa consummarunt matrimonia. „ Bigamia causat irregularitatem, *inquit Doctor Angelicus* (*g*), in quantum tollit perfectam significationem matrimonii, quæ quidem consistit in conjunctione animorum, quæ fit per consensum, & in conjunctione corporum. Et ideo ratione utriusque oportet simul esse bigamiam, quæ irregularitatem faciat. Unde per Decretalem Innocentii abrogatur id, quod Magister (*sententiarum*) in littera dicit, quod solus consensus per verba de præsenti sufficit ad irregularitatem inducendam.

(*g*) Idem cit. quæstiunc. 1.

Ob eamdem rationem vir, qui secundas contraxit nuptias, quas non consummavit, non censetur bigamus, nec adeo irregularis, cum ex ratiocinio S. Thomæ non inducitur irregularitas, nisi ex duobus matrimoniis consummatis, ut observat S. Raymundus (*h*), & patet ex antiquo Canone Decreti Gratiani (*i*), & ex Decretali Innocentii III. scribentis ad Episcopum Metensem (*K*), in qua dicit hic Papa: *Profecto ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum sacramenti*; hoc est, non matrimonium Christianum excidit prærogativa signi matrimonii mystici, quod inter Christum ejusque Ecclesiam intercedit; nisi ex alterius consummatione; & propter hunc defectum, qui dicitur *defectus sacramenti*, Ecclesia irregularitatem constituit. His additur pro secunda ratione timor Ecclesiæ, ne Ministri sui, qui unica non fuissent muliere contenti, non sat efficaciter Fideles ad Continentiam hortarentur. Nam, ut ait S. Augustinus in Canone laudatus (*l*): *Quomodo ..... potest esse hortator viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit?* aut ne ipsi forent incontinentes, cum tales ex bigamia præsumantur, ut ait Innocentius I. scribens ad Exuperium Episcopum Tolosanum (*m*).

(*h*) S. Raymund. in sum. l. 3. tit. 4. de bigamis §. 5. p. 263 edit. Rom.

(*i*) Pelagius in can. *Valentino*. fin. dist. 34.

(*k*) Innoc. III. in c. *Debitum*. 5. de bigamis non ordinandis.

(*l*) S. Aug. in can. *Una*. dist. 27.

(*m*) Innoc. I. in can. *Proposuisti*. 2. dist. 82.

Ex his manifeste patet, Prierium de quo fit mentio in narratione casus, non esse bigamum, nec proinde irregularem, cum unicum dumtaxat consummarit matrimonium, ut docet S. Thomas in simili omnino difficultate his verbis (*n*): *In tali casu non reputatur bigamus: quia primum matrimonium non habuit perfectam suam significationem.* Post certos adeo textus, ne lectori tædio simus, alia multa omittimus testimonia, quæ possent duci e Theologis & Canonistis, qui ea de re egerunt.

(*n*) S. Thom. in 4. cit. dist. 27. q. 3 art. 3. quæst. 2. d. 3.

CASUS CXII.

Arnaldus, dum esset ethnicus, Sophiæ nupserat, post cujus obitum Christianam & Catholicam fidem amplexus, cum Magdalena contraxit. An bigamus est, ac proinde irregularis? Ratio dubitandi est, quia bigamiæ effectus tollitur ex susceptione Baptismi a primo suo matrimonio?

RESPONSIO.

Ex secundo suo matrimonio Arnaldus fit bigamus, ac proinde irregularis. Ratio est, quia Baptisma non fuit institutum, nisi ad remissionem peccatorum & pœnæ ipsius debitæ: quare bigamia cum non sit peccatum, neque pœna peccati, per Baptismum tolli nequit. *Baptismus solvit culpas & non solvit conjugia*, inquit Angelus Doctor (*o*); *unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per Baptismum solvi non potest.*

(*o*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. art. 2. in corp.

Certum quidem est, quod, si teneretur sententia sancti Hieronymi ad Oceanum scribentis de antiquo Hispaniæ Episcopo, Carterii nomine, qui ante Baptismum tuum mulieri nupserat (*p*), foret dicendum, Arnoldum in specie proposita irregularitatem non incurrisse. Nam Doctor ille Ecclesiæ, qui in hoc Græcæ Ecclesiæ usum secutus est, existimavit, Baptismum, delendo peccata, prioris etiam matrimonii delere memoriam, & irregularitatem purgare, quæ ex secundo posset oriri conjugio. At contra, Ecclesia Latina eos omnes irregulares judicavit, qui fuere bis matrimonio conjuncti

(*p*) S. Hieron. ep. ad Ocean. in can. *Unius*. 2. dist. 26.

nulla

nulla adhibita distinctione inter tempus antecedens & subsequens Baptismum, ut videre est ex quarto Concilio Toletano (*a*) habito sub Pontificatu Honorii Papæ an. 633. in quo sexaginta duo Episcopi, seu Hispani seu Galli, qui huic adfuere, cum varias irregularitatum species referunt, præsentem inter eas recensent, nulla facta temporum distinctione: *Qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt.*

(*a*) Conc. Tolet. 4. c. 19.

Antiquæ etiam hujusce disciplinæ testis est nobis locuples in Romana Ecclesia S. Gregorius Magnus (*b*), cujus hæc sunt verba: *similiter vero de quodam bigamo requisisti, an ad Sacrum Ordinem potuisset accedere juxta Canonicam regulam, omnino vetuimus: Absit enim, ne nostris temporibus..... aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis*. Et alibi (*c*): *Præcipimus autem, ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, ad sacros ordines permittas accedere.*

(*b*) S. Greg. l. 2. Epist. 5.

(*c*) Idem l. 2. indict. 10. ep. 25. in can. *Præcipimus*. 10. dist. 34.

Innocentius III. (*d*) in decretali ad Episcopum Metensem, & in aliis multis expresse designat speciem hanc irregularitatis, qua absolute quis a statu Clericali excluditur, conformiter ad decreta secundi Concilii Lugdunensis, habiti a sexaginta & etiam pluribus Archiepiscopis, & quingentis Episcopis, ut narrat Baudran (*e*) an. 1274. & Concilii Tridentini (*f*).

(*d*) Innoc. III. in c. *Debitum*, 5. de bigamis non ordinandis. & ibi Glossa.

(*e*) Michael Antoninus Baudran. Diction. Geog. v. *Lugdunum*.

(*f*) Conc. Lugdun. Gener. 2. tit. de bigamis
Conc. Trid. sess. 23. c. 17

At alia etiam hujusce disciplinæ omnibus hactenus allatis antiquior extat probatio apud sanctum Augustinum, qui idem docet, eamdemque rationem affert, quam in præcedenti decisione notavimus. *Acutius intelligunt*, inquit hic Doctor Ecclesiæ (*g*), *qui nec eum, qui catechumenus, vel paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt, quia de sacramento agitur, non de peccato..... non absurde visum est, bigamum non peccasse; sed normam sacramenti amisisse, non ad vitæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

(*g*) S. Aug. in can. *Acutius*. 6. dist. 16.

Denique S. Innocentius I. (*h*) & S. Ambrosius (*i*) non minus expresse istam solvunt quæstionem, quam S. Augustinus. Qui fusiora rei hujusce requirunt argumenta, consulant loca ad marginem indicata (*k*).

(*h*) Innoc. I. in can. *Una deinde*. 3. ead. dist.
(*i*) S. Ambr. in can. *Una*. 4. & in can. *Qui sine*. fin. ead. dist.
(*k*) Can. 17. Apostol. Conc. Valent. in Gallia can. 1. ann. 374.
Conc. Arausic. 1. an. 441. can. 25.
Conc. Agath. can. 1.
Conc. Andegavens. can. 11.
Conc. Hispalens. 2. can. 4.
Conc. Arelat. 4. can. 3.

CASUS CXIII.

Simeon puellæ nupsit, quæ jam fornicata fuerat, aut viduæ, quam puellam & virginem putabat, & cui non nupsisset, si cognovisset eam fuisse corruptam, vel conjunctam matrimonio. An factus est irregularis ex hac bigamiæ specie, non obstante ignorantia sua, vel errore?

Respons.

Simeonem ex hoc matrimonio irregularem evasisse constat; cum semper vere dici queat, esse in eo *defectum sacramenti*, neque perfectum illud esse signum unionis, quæ reperitur inter Christum & Ecclesiam: nec juvat ipsius causari ignorantiam; quia non agitur hic de peccato vel pœna, sed de defectu, qui semper defectus est, licet ejus particeps non fuerit voluntas. *Irregularitas non est pœna inflicta, sed defectus quidam sacramenti*, inquit sanctus Thomas (*l*). *Et ideo non oportet, quod semper sit voluntaria bigamia, ad hoc quod irregularitatem causet. Et ideo ille, qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit; irregularis est; eam cognoscens*. Alibi etiam sic loquitur sanctus Doctor (*m*): *In conjunctione Christi & Ecclesiæ*, inquit, *unitas ex utraque parte invenitur: & ideo sive divisio Carnis inveniatur ex parte viri, sive ex parte uxoris, est defectus sacramenti.* Inter mulierem tamen & virum pro re ista aliquod intercedit discrimen. Nam Canones, ex quibus constituta est realis bigamia pro viro, qui corruptæ nubit, nullam statuerunt ratione fornicationis, quam vir commisit, modo virgini nubat: *Sed tamen diversimode*, pergit idem: *quia ex parte viri requiritur, quod aliam non duxerit in uxorem, non quod* (ipse) *sit virgo. Sed ex parte uxoris requiritur etiam, quod sit virgo*. Ejusque rei solidam hanc subjicit rationem. *Cujus ratio... est, quod defectus in ipso sacramento causat irregularitatem. Corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præcessit matrimonium, nullum defectum facit in sacramento ex parte illius in quo est corruptio, sed facit defectum ex parte alterius: quia actus contrahentis matrimonium non cadit supra se ipsum, sed supra alterum, & ideo ex termino specificatur, qui etiam est respectu illius actus, quasi materia sacramenti.* Consentit hæc decisio cum duobus Canonibus a Gratiano relatis (*n*), & ad marginem indicatis.

(*l*) S. Thom. in 4. dist. 27. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 5. ad 3.

(*m*) Idem cit. quæstiunc. 3. in corp.

(*n*) Can. *Si quis*. 13. Can. *Si quis*. 15. & passim. dist. 45.

CASUS CXIV.

Amphilochius Monegondæ nupsit, quam alter cognoverat carnaliter per vim, cui resistere ipsa omnino non potuerat. Est ne tamen irregularis; licet crimini nullum Monegondes præbuerit consensum?

Respons.

Ex principio Angelici Doctoris, multoties jam in superioribus decisionibus relatu constat, Amphilochium in casu proposito irregularitatem contraxisse, quæ interpretativa dicitur, quæque eumdem parit effectum, ac si viduæ nupsisset. Nam in hoc peculiari casu irregularitatem reperiri docet sanctus Doctor: ubi enim præmisit, non merito atque gloria virginitatis suæ excidere puellam, quæ vi stuprum passa est, addit, eum tamen, qui cum ea contrahit, fieri irregularem ex bigamia interpretativa, in quam incurrit ob defectum significationis sacramenti. En ipsius verba (*o*): *Quia tamen in signationibus sacramentorum magis attenditur, quod exterius geritur, quam quod interius sit irregularitas, quæ ex defectu signationis in sacramento causatur, nihilominus induceretur in illum, qui virginem defloratam violenter duceret in uxorem: & præcipue cum propter delectationem nimiam ratio in actu illo suffocetur, difficillimum est tali delectatione dissentire in statu illo: & ideo præsumtio videtur esse, quod consenserit.* In hoc Angelicus Doctor sequitur Doctrinam sancti Augustini, quem in superiori decisione laudavimus (*p*); neque ullam unquam Concilia, Canones aut Patres Ecclesiæ attulere distinctionem quoad irregularitatem inter eam, quæ deliberata voluntate fornicationem commisit, & eam, cui violenter stuprum illatum est; at omnes generatim & absque ulla exceptione loquuntur, ut superius dictum est, & alibi etiam videri potest (*q*). Cæterum ita communiter sentiunt Theologi & Canonistæ (*r*).

(*o*) S. Thom. in 4. dist. 31. qu. 3. art. 1. ad 7.

(*p*) S. Aug. in cit. can. *Acutius*. 6. dist. 26.

(*q*) Synod. Rom. in can. *Curandum*. 9. dist. 34.
Conc. Tolet. 4. in can. *Qui in aliquo*. 5. dist. 50.

(*r*) J. Cabassut. juris can. Theor. & prax. l. 5. c. 19. n. 4.

CASUS CXV.

Rogerius, noto sibi apprime Gervasiæ mulieris suæ adulterio, ipsi tamen benignius ignoscere voluit, atque ab ea, ut ante, conjugale debitum deinceps exegit. An factus est ex hoc irregularis, ita ut si præmoriatur uxor, ipse Sacros nequeat ordines suscipere?

Respons.

Rogerius in casu proposito factus est irregularis. Ita sentit sanctus Thomas, cujus decisionis hæc sunt verba (*s*): *Si mulier fornicetur post contractum matrimonium, non efficitur ex hoc vir irregularis, nisi post corruptionem adulterinam eam iterata cognoscat: quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali viri; sed si etiam per jus ei debitum compellatur reddere, vel ex conscientia propria, illa petente debitum, ante condemnationem adulterii, irregularis efficitur, quamvis de hoc sint opiniones: sed hoc quod dictum est, est probabilius; quia hic non quæritur, quid sit peccatum, sed significatio tantum.*

(*s*) S. Thom. in 4. dist. 27. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4.

Consentit hæc S. Doctoris sententia cum Neocæsariensi Concilio an. 314. cujus decretum his verbis refert Gratianus (*t*): *Si cujus uxorem adulterium commisisse, cum esset Laicus, evidenter fuerit comprobatum, hic ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in Clericatu jam ea constituto adulteravit, dato repudio dimittere eam debet. Si vero retinere ejus consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.*

(*t*) Conc. Neocæsar. in can. *Si cujus*. 11. dist. 34.

Idem quoque reperitur in ejusdem Canonis interpretatione facta a Marrino Bracarensi Episcopo an. 572. his verbis (*a*): *Si alicujus Laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium Ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicujus Clerici uxor adulterata fuerit, dimittat eam. Si autem voluerit cum ipsa permanere, a ministerio alienus sit.*

(*a*) Can. Si Laici. 10. ead. dist. ex can. 28. Martini Bracarens. apud Labbe tom. 5. Concil. general. col. 909.

CASUS CXVI.

PETRUS filiæ nupsit, quacum ante fornicationis peccatum commiserat. An ex hoc factus est bigamus, & proinde irregularis?

RESPONS.

Similem hanc sibi Doctor Angelicus quæstionem proponit (*b*), & dicit, quod *in tali casu diversæ sunt opiniones, tamen probabilius est, quod non sit irregularis*, neque ex antecedenti bigamus, *quia carnem suam non divisit*, inquit, *in plures*, quippe qui eamdem carnaliter cognoverit.

(*b*) S. Tho. in 4. cit. dist. 27. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ad 2.

Idem docet Cabassutius verbis expressis (*c*): Sic autem loquitur: *Si vir conjugatus adulteretur, non ideo fit irregularis, sicut neque qui eam duxerit, quam antea defloraverat.* Cujus rei hanc rationem affert, quia *Bigami non tam propter incontinentiam arcentur ab Ordinibus, quam ob disparitatem, quam habeat cum mysticis Christi & Ecclesiæ nuptiis, quarum imaginem nuptiæ Christianorum referunt.* Ephes. 5. *per bigamiam enim tollitur illa conformitas, quatenus Ecclesia est una & perpetua & incorrupta sponsa Jesu Christi.* Unde infertur, Petrum dici non posse irregularem, quod ante nuptias carnaliter peccaverit cum puella, quæ ut supponitur, alium neminem cognoverat.

(*c*) J. Cabassut. juris can. Theor. & prax. lib. 5. c. 19. n. 4.

CASUS CXVII.

CASSIUS, post susceptum Sacerdotium, aut emissam solemnem Religionis professionem, publice cum puella virgine in provincia remota matrimonium contraxit. An ex hoc suo facto irregularitatem contraxit, quæ similitudinaria vocatur?

RESPONS.

Existimamus, Cassium, proprie loquendo, veram non incurrisse irregularitatem, quia suppositum ipsius matrimonium reipsa fuit irritum propter impedimentum dirimens ordinis sui, aut Religiosæ professionis. Qui tamen facinus illud admittunt, ut irregulares habentur *irregularitate similitudinaria*. Hinc dicit S. Antoninus (*d*), post Paludanum quod *Est etiam talis irregularitas secundum Petrum de Palude in 4. dist. 37.* Ratio est, quia Sacerdos vel Religiosus speciem quandam spiritualis matrimonii cum Deo contraxerunt, ut probari potest ex Canone deprumto ex Concilio Ancyrano an. 314. (*e*), in quo puellæ, quæ virginitatis suæ votum fregerunt, inter bigamos recensentur. *Inter bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.* Idem asseritur ab Innocentio III. de Clericis, qui ante ordinationem suam matrimonio juncti, alteram postea, quamvis invalide temere contrahere præsumunt (*f*). *Respondemus, quod cum hujusmodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat dispensari; licet in veritate bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter effectum intentionis cum opere subsecuto.* Ita sentit S. Antoninus, Angelus de Clavasio (*g*), Sylvester, & Navarrus (*h*).

(*d*) S. Anton. 3 par. tit. 21. c. 8.

(*e*) Conc. Ancyr. in can. *quotquot*. 24. 27. q. 1.

(*f*) Innoc. III in c. *Nuper*. 4. de bigamis non ordinandis, l. 1. tit. 21.

(*h*) Angelus v. *Irregularitas*, n. 58

(*g*) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 21. c. 9. Angelus v. *Bigamia*. init. Nav. *Manual.* c. 27. n. 191.

CASUS CXVIII.

VITALIS, Vivariensis Diœcesanus, cum Fulviæ nupsisset, filiæ civis Cameracensis, ipso nuptiarum die eam dimisit ob sparsos de moribus ejus præteritis parum pudicis rumores; cumque in Diœcesim suam se recepisset, Clericali militiæ nomine dato omnibus postea initiatus est ordinibus, Sex elapsis mensibus ad Fulviam redux cum ea matrimonium consummavit, quæ ei filium, Alexandrum nomine peperit. Cum filius iste ad vigesimum secundum ætatis suæ annum pervenisset, Sacerdotium suscipere constituit; at Religiosus quidam ex ejus amicis, cui noti sunt pravi mores patris ipsius, ipsi dixit, eum Ordines suscipere non posse, quia illegitimus erat, ac proinde irregularis. Alexander tamen ultra progressus, subdiaconatum suscepit, non requisita prius dispensatione vel Apostolica, vel Episcopali. Qua de re quæritur, An vere esset irregularis, ac ordines absque peccato suscipere potuerit?

RESPONS.

Ad solutionem hujus difficultatis, quatuor præsupponenda sunt principia certa.

Primum est. Matrimonium ratum dumtaxat, & nondum consummatum, dissolvi non potest quoad vinculum per Sacrorum Ordinum susceptionem, at solum per solemnem Religionis professionem.

Alterum: is, qui absque mulieris suæ consensu Sacros Ordines suscepit, ad eam sub conscientiæ reatu tenetur redire, cum ipsa exigit; seu matrimonium fuerit consummatum ante susceptionem Ordinum, seu non, nisi Religionem ingrediatur, eamque solemniter profiteatur.

Tertium: Nemo censeri debet irregularis, nisi in solis casibus jure expressis ex hac regula (*i*): *Expressa nocent: non expressa, non nocent*, quia cum agitur res odiosa, quales sunt censuræ & irregularitas, attendendum est ad solos casus Canonibus expressos; nec debet ea extendi, ut declarat Bonifacius VIII. (*K*).

(*i*) Reg. 155. ff de diversis regul. juris antiqui.

(*k*) Bonifac. VIII. in cap. *Is qui.* de sent. excom. &c.

Quartum: Canones expressis terminis non irregulares declarant natalium defectu, nisi solos illegitimos, non eos vero, qui a legitimo matrimonio sunt procreati.

Præsuppositis istis principiis tamquam certis, ad propositam difficultatem respondemus, Alexandrum non esse censendum illegitimum, nec proinde irregularem; 1. Quia ex valido natus est & legitimo thoro; & Vitalis Pater ejus, requirente uxore sua, etiam per censuras Ecclesiasticas compelli poterat ad consummandum cum ea matrimonium, nisi solemnem vellet Religionis professionem emittere. 2. Quia nihil in jure exprimitur, quo in hoc casu irregularitas constituatur.

Id unum, illudque validissimum objici potest, Decretalis videlicet Clementis III. (*l*), in qua Summus hic Pontifex filium Sacerdotis e legitimo thoro procreatum ordinare permittit. *Intelleximus*, inquit, *quod H. in Sacerdotio genitus, de uxore legitima natus & conceptus, affectavit a pueritia ministrare Domino in Officio Clericali. Verum licet a filiis paterna concupiscentia modis omnibus repellenda noscatur: Si tamen aliter dignus inventus fuerit; permittimus ipsum ordinari in Clericum, & ad Ecclesiasticum Beneficium, unde commode sustentari valeat, promoveri.*

(*l*) Clemens III. in cap. *Litteras*. 14. de filiis Presbyterorum. l. 1. tit. 17.

At respondetur, ex textus hujusce Decretalis non statui, filium hujusce Sacerdotis esse irregularem; & econtra dici potest, a Clemente III. ipsum talem non haberi, quando dicit: *Permittimus ipsum ordinari in Clericum*; sed ipsum proposito tantum sibi respondere dubio, utrum scilicet hujusmodi Patris filius ad Ordines posset admitti. Equidem hic Summus Pontifex, alibi loquens de filiis, quos peperere Episcopi, declarat, eos licite ad Sacros Ordines promoveri valere, ut constat ex ejus Decretali ad Episcopum Hibernum, in qua sic loquitur (*m*): *Sciat fraternitas tua, quod si ex legitimo sint matrimonio procreati, nec aliud Canonicum obviat, licite possunt ad Sacros Ordines ascendere.* Ad quod Glossa: *Nota*, inquit, *hanc Decretalem generaliter pro omnibus filiis Clericorum de legitimo matrimonio genitis*, (qualis est Alexander) *quod possunt ad Sacros Ordines promoveri, & Ecclesiastica Beneficia habere.*

(*m*) Idem in c. *Ad hæc*. 12. eod. tit.

Reponi quidem potest, hanc Decratalam intelligendam esse de filiis, quos procrearunt Episcopi de legitimo matrimonio, prinsquam militiæ Clericali nomen dedissent & Episcopatum suscepissent; at non idem esse dicendum de casu proposito, in quo Alexander de Patre natus est, qui etiam ante ejus conceptum Ordines Sacros receperat. Sed respondendum est 1. ex Patris peccato non illegitimum fieri ipsius cum Fulvia matrimonium, cumque non teneri ad vivendum cum ea maritali affectu,

fectu, si Religionem solemniter profiteri aut nollet, aut non posset. 2. Æquum non esse, ut filius e legitimo thoro procreatus portet iniquitatem Patris, ut probat Gratianus ex multis Canonibus, quos in suo refert Decreto (*a*), in quo observat, particulariter Canones, quibus illegitimi videntur declarari Sacerdotum filii, de iis duntaxat esse intelligendos, qui Patrum suorum incontinentiam imitantur, *Sed hoc intelligendum est de illis, qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerint*, non vero de illis, quorum vita casta est & integra. *Verum*, addit. *si morum honestas eos commendabiles fecerit exemplis & auctoritatibus, non solum Sacerdotes, sed etiam Summi Pontifices fieri possunt.*

(*a*) Gratian. §. *Sed hoc.* ad can. *Presbyterorum.* 1. dist. 10.

CASUS CXIX.

Henricus, in Xenodochio puerorum exposititiorum nutritus & educatus, inter quos eum recenseri fidem faciunt publica hujusce Xenodochii acta, postulat, num sit illegitimus, atque adeo irregularis?

Respono.

Duplex est de ea difficultate opinio. Affirmant alii nullam esse in hoc casu irregularitatem; quorum ratio hæc est, quia nullibi jus loquitur de expositis, uti illegitimis & irregularibus; unde inferunt, eos, uti tales, non esse habendos. 1. Quia nulla est irregularitas, quæ in jure non exprimatur. 2. Quia & illud certum est, ob egestatem quandoque cogi ad exponendum filium suum legitimum, præsertim in Urbibus, ubi novit esse Xenodochium speciatim ad eorum opem & institutionem destinatum: cujus quidem rei multa Parisiis & alibi fuere exempla an. 1693. & 1709. tempore famis. 3. Istas etiam laudant regulas, *Odia restringi & favores convenit ampliari, & in obscuris minimum est sequendum*. Ex quibus inferri potest, in dubio favorabiliter esse judicandum de statu hujusmodi puerorum, eosque, uti legitimos esse habendos.

Alii e contrario volunt, hujusmodi expositios censendos esse illegitimos; cum experientia constet, non alios vulgo exponi: Unde fit, ut in hoc casu non sit simplex dubium facti; sed moralis potius adsit certitudo eorum illegitimitatis.

Existimamus, ultimam hanc sententiam priori esse opinioni anteponendam: Licet enim verum sit, tempore famis, quandoque cogi parentes ad exponendum suos infantes, ut miseriæ eorum levamen procurent, id tamen tam raro fit, ut hinc generaliter in favorem expostitiorum concludi non possit, sed e contra omnes ut illegitimi debeant haberi, quod probant etiam, tum ista Juris Romani regula (*b*): *In obscuris quod verisimilius est attenditur*: Et hæc alia Juris Canonici (*c*): *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*. Ita sentit inclytus Doctor Hispanus, cujus sententiam laudat & sequitur Auctor Libri inscripti: *Jus Canonicum Galliæ* (*d*).

(*b*) Leg. 114. ff. de diversf. reg. juris antiqui.
(*c*) Bonifac. VIII. in reg. 45. de reg. juris in 6.
(*d*) D. Petrozius. l. 3. c. 6. n. 35. Et apud eum Garcias 7. part. de benef. c. 2. de legitimitate. tom. 2. n. 6. & 7. & c. 3.

CASUS CXX.

Bertrandus est illegitimus, Joannes remis damnatus, Jacobus vero ignominioso cippo, Hagro, aut perpetuo exilio. An tres illi sunt irregulares?

Respons.

Certum est, Bertrandum, Joannem & Jacobum esse irregulares. Ratio est, quia illi, qui Ordines suscipere volunt, debent esse bonæ famæ in publico, & esse exempti omni nota infamiæ tam juris, quam facti; cum ex ordinatione sua ad eum honoris gradum promoveantur, quo inter ceteros fideles eminent. Quare infamati publice, aut illegitimi, censentur inhabiles ad suscipiendos Ordines. Ita docet S. Thomas, qui ob eam caussam inter irregulares eos recenset, qui publicam etiam egere pœnitentiam. *Ordinati in quadam dignitate præ aliis constituuntur*, inquit hic sanctus (*e*), *ideo in quadam honestate requiritur in eis claritas quædam, non de necessitate Sacramenti, sed de necessitate præcepti, ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine; ideo etiam de illegitimo thoro nati a susceptione Ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur.* Quibus addi potest S. Thomæ doctrinam quarto Concilio Toletano an. 633. (*f*), penitus esse consentaneam, a quo pariter hujusmodi homines declarantur irregulares. *Qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt*: Hæc sunt verba illius Concilii.

(*e*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. qu. 3. in corp.
(*f*) Concil. Toletan. 4. in can. Si in aliquo. 5. dist. 51.

Quod spectat ad illegitimos, scire juvat. 1. Nullum, (quod sciamus) reperiri canonem, quo ab ordinibus per octo prima Ecclesiæ sæcula fuerint exclusi. 2. cum clerus circa medium sæculum nonum & decimum totum excessibus & immoderationibus fœdaretur, Patres Bituricensis Concilii an. 1031. in eorum remedium statuisse, ut filii illegitimi Sacerdotum, diaconorum & subdiaconorum, deinceps a Clericatu excluderentur, & qui jam essent clerici, ad sacros ordines non admitterentur (*g*): *Et qui de talibus clerici nunc sunt, sacros ordines non accipiant, sed in quocumque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & ultra non promoveantur*. 3. Concilium Pictaviense an. 1078. habitum (*h*), Bituricensis Concilii Decretum confirmasse, & ad laicorum illegitimos illud extendisse. *Filii Presbyterorum & ceterorum in fornicatione nati ad sacros gradus non provehantur; nisi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viventes*. Quod confirmatum est, nullis illegitimis exceptis, ab alio Concilio Claromontano habito coram Urbano II. an. 1095. 4. Prohibitionem hanc pro Laicorum illegitimis non accurate in Gallia, uti nec alibi, fuisse observatam, ubi ista illegitimorum exclusio uti scrupulosior ac fine caussa delicatior habita est; at Ecclesiam firmiter defensionis suæ propositum tenuisse, adeo ut nunc ille disciplinæ articulus adeo manifeste decretalium jure est stabilitus, ut illud in controversiam vocare, aut de eo dubitare nefas sit, uti videre est in decretalibus ad marginem indicatis (*i*).

(*g*) Conc. Bituricens. can. 8.
(*h*) Conc. Pictav. can. 8. in cap. *Ut filii*. 1. de filiis Presbyterorum. l. 1. tit. 17.

Observandum autem, infamiam facti, quam ex publica criminum suorum notorietate quis incurrit, per publicam morum suorum emendationem desinere; sed infamiam juris non finiri nisi per dispensationem Papalem, aut canonicam criminum, pro quibus fuerat damnatus, purgationem.

(*i*) Alex. III. in c. *Consuluit* 9. de servis non ordinandis l. 1. tit. 18.
Innoc. III. in c. *Nisi*. 10. de renunciat. l. 1. tit. 9. & in cap. *Pervenerabilem* 13. qui filii sint legit. l. 4. tit. 17.
Greg. IX. in c. *Nimis*. fin. eis. de filiis Presbyter.
Bonifac. VIII. in c. *Is qui*. 1. eod. tit. in 6.

CASUS CXXI.

Raynerius, vigesimo secundo ætatis suæ anno, jam quinquies aut sexies Epilepsia ab octodecim mensibus correptus est, sed a tribus mensibus ea non vexatus est. Potest-ne sine peccato ordines postulare?

Respons.

Existimamus, Raynerium sine peccato ordines non posse requirere; quia illi omnes, qui comitiali morbo laborant; non minus sunt Irregulares, quam lunatici, & arreptitii seu a Dæmone possessi aut obsessi; quod facile probari potest ex his tribus a Gratiano relatis Canonibus, quorum primus (*k*), quem inclytus ille Canonum Collector Papæ Pio I. adscribit inscribitur: *Arreptitii vel epileptici Sacris altaribus non ministrent*. En verba textus ipsius: *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui, aut in terram arrepti a Dæmonibus elidantur, aut qualibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel Sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant Sacramentis divinis*. Secundus est Nicolai (*l*), & Tertius Gelasii I. (*m*), in quibus omnibus, quamvis verbum, *Epileptici*, non exprimatur, subintelligi tamen debet, ut expresse notat Glossa in primum & tertium ex his Canonibus. Extat etiam decretalis Innocentii III. ad Archiepiscopum Genuensem, & ad Episcopos Placentinum & Bobiensem, qua constat epilepticum ad dignitatem Ecclesiasticam eligi non posse (*n*). Ita etiam nobiscum sentit Auctor colloquiorum Gondomensium.

(*k*) Can. *Communiter*. 3. dist. 33.
(*l*) Nicolaus in can. *Clerici* 4. ibidem.
(*m*) Gelasius I. in can. *Ep-que adeo* 5. ibidem.

Observandum tamen, cum recentiore canonista (*o*), quod *Consuetudine tamen recepta*, inquit hic Auctor, *non solent computari ad Irregularitatem epileptici affectus, qui acciderunt ante completum decimum quartum ætatis annum: neque eorum haberi solet ratio, qui annis infantiæ contigerunt*. *Aliquin*

(*n*) Innoc. III. in c. *Cum inter*. 23. de elect. &c. l. 1. tit. 6.
(*o*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 19. n. 8.

quin magna clericorum & Sacerdotum pars esset Irregularis. In teneris enim annis hos affectus permultis contingere, qui deinde provectiores ad Sacros ordines indiscriminatim accedunt, docet experientia.

Canonista autem iste, ne quid proprio se Marte asserere ostendat, dictum suum ex multis Hypocratis Aphorismis confirmat, quorum primus his verbis effertur (*a*); *Epilepsia ante pubertatem amotionem recipit; post vigesimum vero quintum annum fere comitatur ad mortem usque.* Alter est hujusmodi; *Plurimi pueriles morbi, alii intra dies quadraginta; nonnulli intra septem menses; alii ipso etiam ad pubertatem accedentibus. Qui vero permanserint, neque pueris circa pubertatem, neque feminis, cum menstrua erumpunt, soluti fuerint, inveterascere consueverunt.* Quod asserit Princeps iste medicorum, nostram de Irregularitate Rainerii in proposito casu sententiam confirmat.

(*a*) Hypocr. aphoris. 7. sect. 3. & aphoris. 28. sect. 3.

CASUS CXXII.

SULPITIUS, epileptico morbo ter vexatus, prima vice natus duodecim, altera viginti duos, tertia denique viginti quinque annos natus, subdiaconatus atque diaconatus ordines suscepit, non obstante illa infirmitate, ex consilio tamen virorum doctorum. Qua de re quæritur. 1. utrum absque peccato duos illos ordines suscipere potuerit. 2. utrum peccatum ipsius sit mortale, si forte irregularis esset. 3. utrum a decennio comitiali illo morbo non correptus, Sacerdotium suscipere queat non obtenta prius dispensatione?

RESPONSIO.

In responsione ad præcedentem difficultatem advertimus, Epilepsiam, quæ post pubertatis annos contingit, & præsertim post vigesimum quintum ætatis annum, vulgo insanabilem esse, ac proinde Irregularem fieri eum, qui morbo illo corripitur. Unde concluditur, Sulpitium, vere Irregularem fuisse, quando ordines suscepit, cum ter morbo illo correptus sit, & præsertim duabus ultimis vicibus, cum viginti duos ac viginti quinque annos natus esset. Immo contendunt Auctores nonnulli, ex sola illius morbi correptione Irregularitatem induci, nulla adhibita ætatis distinctione. Ita sentit Navarrus (*b*): *Et ideo*, inquit, *est Irregularis, ut semel hoc morbo infectus nunquam amplius possit ordinari; quamvis omnino sanus appareat.* Idem quoque affirmat Sylvester (*c*).

Quod cum ita sit 1. Dubium non est, quominus in casu proposito peccaverit Sulpitius. Sed quia ordines tantum suscepit ex consilio virorum, quos sapientes ac prudentes existimabat, non affirmandum est, illius peccatum fuisse mortale, cum bona fide egerit, & ex prudentiæ regulis, quamvis constet, imprudenter se egisse consultores ipsius. 2. Sacerdotium suscipere nequit, immo etiam susceptos exercere ordines, nisi cum eo prius fuerit dispensatum in Romana Pœnitentiaria, si caussa sit occulta, & in Dattaria, si fit publica. 3. Si Sacerdotio fuisset initiatus, in eo, quo supponitur esse, statu, absque difficultate celebrare posset post obtentam prius dispensationem, cum morbo illo a decem annis non fuerit correptus (*d*) qui morbus ex se non est sanabilis.

(*b*) Navar. Manual. c. 27. n. 203.

(*c*) Sylvest. de Irregul. v. Corpore vitiati. q. 6.

(*d*) De Sainte Beuve t. 2. cas. 4.

CASUS CXXIII.

TROPHILUS Sacerdos, comitiali morbo a quinque sex-ve mensibus correptus est. An tuta conscientia hoc ei concedi potest, ut missam celebret?

RESPONSIO.

Quamvis Sacerdos, hoc malo vexatus absque magno irreverentiæ periculo missam celebrare nequeat, posset tamen, si raro admodum morbi hujusce correptio ipsi contingeret; & si frequenter, hæc ei omnino concedi non posset licentia, ob indecentiam & periculum, ne tempore sacrificii morbo illo corriperetur. Ita ad hanc difficultatem respondet Alexander II. interrogatus a Gebhare Archiepiscopo Saliburgensi (*e*): *Consulimus itaque*, hæc sunt verba ipsius, *ut si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione & Missarum celebratione modis omnibus prohibeatur; Indecens enim est & periculosum, ut in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat.*

(*e*) Alex. II. in cap. in tuis. 2. 7. q. 2.

Idem docet Sanctus Antoninus (*f*), aliquam tamen addens exceptionem his verbis: *Si vero*, ait Sanctus Archiepiscopus, *non omnino ex toto sunt liberati* (furiosi, caduci, lunatici & dæmoniaci) *tunc aut frequenter aliqua dictarum passionum vexantur, aut raro; & si quidem frequenter, omnino debent cessare ab officio missæ ..... si raro, tunc, aut cum spuma jactatione & vocis confusione, & sic debent abstinere, aut raro & sine hujusmodi expumatione & confusione vocis; & tunc non prohibentur ab officio Missæ; dum tamen habeant juxta se alium Sacerdotem; ut, si ille cadat, vel deficiat, iste suppleat*: ex decreto scilicet undecimi Concilii Toletani, an. 675. quod in suo decreto refert Gratianus (*g*).

(*f*) S. Anton. 3. part. Summ. Theol. tit. 28. c. 5. in fin.

(*g*) Concil. Tolet. in can. Illud. 14. 7. q. 1.

Si igitur rarissime Trophilus morbo illo epileptico cadat, tunc ei concedi potest missæ celebratio. Ast econtra, si frequentes sint casus illius, ipsi absolute prohiberi debet. Atqui casus illius frequentes existimamus, si semel in mense, non vero si bis ter-ve tantum intra annum contingerent (*h*).

(*h*) Fr. de Genet. Theol. moral. tom. 3. tract. 5. cap. 2. quæst. 4.

CASUS CXXIV.

ENGUERANDUS, Sacerdos ferme octogenarius, vertiginibus obnoxius, quibus & mens & memoria ipsi fuere imprimis debilitatæ, die festo sancti Petri Missam celebravit: postea exutis in sacrario indumentis Sacerdotalibus, & flexis genibus ad actionem gratiarum, ipsi casus iste contigit, & discussa vertigine indumenta resumens alteram Missam celebravit; prioris, quam celebraverat missæ penitus oblitus. Num ex his vertiginibus, mentisque ac memoriæ alienatione fit irregularis & ad celebrationem Missæ omnino impotens?

RESPONSIO.

Enguerandus ob vertigines debilitatemque memoriæ suæ non est censendus irregularis. Ratio est, quia irregularitas est impedimentum & inhabilitas canonibus statuta; at nullus extat in jure canon, quo irregulares declarentur, qui hujusmodi infirmitatibus sunt obnoxii. Certum quidem est, quod si vertigines, quibus sacerdos iste corripitur, essent hujusmodi, ut ob eas celebrare omnino non posset, tunc eum ab altari abstinere ei necesse esset; at extra periculum istud a celebratione amoveri non debet, modo caveat, quantum fieri potest, ne sibi casus hujusmodi, aut quid simile contingat. Hanc decisionem affert sanctus Thomas his verbis (*i*): *Ægritudo, superveniens Ordini Sacerdotali, ordinem non tollit, executionem tamen Ordinis tollit, quantum ad consecrationem Eucharistiæ .... quandoque autem propter periculum, sicut patet in eo, qui patitur morbum caducum, vel etiam quamcumque alienationem mentis.* Ita quoque sentit Modernus Theologus (*K*).

(*i*) S. Thom. 3. part. Sum. q. 35. art. 12. ad 3.

(*k*) De Sainte Beuve. to. 3. cas. 117.

CASUS CXXV.

EUPOLEMUS, per tres quatuorve annos fuit concubinarius publicus: & insuper crimen pariter commisit omnibus notum, quod adeo grave est, ut in Sacerdote depositionis & degradationis pœna plecteretur. In vulgus omne sparsi sunt pravi mores ejus, & omnibus scandalo fuit; postea sinceram amplexus est pœnitentiam, & elapsis aliquot annis clericali militiæ nomine dato subdiaconatum suscepit. An censeri debet irregularis ex infamia, atque ordinem hunc absque ulla dispensatione potuit suscipere?

RESPONSIO.

Difficultatem istam ex variis Auctorum sententiis qui ea de re scripserunt, enodare non possumus; nam 1. in Gallia nulla dignoscitur irregularitas ex delicto notorio, nisi ex eorum esset numero, quæ ex canonibus depositionem aut degradationem mererentur in sacerdote; aut irregularitas huic esset annexa peccato, conformiter ad decretales in Gallia receptas.

Ex

Ex quo sequitur, Ex usu Galliæ Eupolemum non esse censeudum irregularem, nisi juridice damnatus sit, uti reus criminis atrocis, quod patrasse supponitur, & quod spectat ad crimina, quæ atrocia seu enormia jure dicuntur, simplicem concubinatum inter ea non contineri; quare, cum vir iste scelus illud exemplari pœnitentia expiarit, atque infamiam ex eo sequentem repararit, non dispensatione indiget, ut ad sacros ordines admittatur, si aliunde dotes habeat requisitas, & ob legitimas caussas, si quæ possunt esse ad talem erga eum indulgentiam in simili casu adhibendam, Episcopus, cui nota est ipsius libido, ad eos ipsam admittat. Ita casum hunc olim solvit inclytus Sorbonæ Professor (a).

(a) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 115.

CASUS CXXVI.

Robertus, frater conversus Religiosæ domus, qui ne quidem Latine novit, ea tamen fuit solertia, ut sacros omnes susciperet ordines, quamvis tauta sit ejus imperitia, ut ordinum suorum functiones exercere non possit. An irregularis est?

RESPONS.

Certum est, Robertum ex tali ignorantia esse irregularem: quare nullam tuta conscientia ordinum suorum exercere potest functionem, donec in integrum sit restitutus; qui favor ei concedi legitime non posset, nisi post necessariam, si fieri posset, comparatam scientiam.

Id quidem probant Navarrus (b), aliique canonistæ ex canone decreti Gratiani, in quo Gelasius Papa sic loquitur. *Illiteratos ... nullus præsumat ad Clericatus ordinem promovere: quia Litteris carens sacris non potest esse aptus officiis*. Necessitatem quoque scientiæ in Ministris Ecclesiæ fuse probat Gratianus, ex testimoniis sexdecim, e veteri novoque Testamento depromptis ad stabiliendam hanc veritatem, quæ hic exscribere longius esset, cumque aliunde res sit certa, lectorem ad Gratianum ipsum remittimus.

(b) Navarr. Manual. c. 27. n. 193.

Si ex ignorantia sua non impediretur Robertus ab exercitio ordinum suorum, non esset irregularis; quocirca ad eorum exercitium dispensatione non indigeret; quamvis mortaliter peccaverit ordines suscipiendo absque scientia canonibus requisita..

CASUS CXXVII.

Bonifacius, Acolythus, ad subdiaconatum admissus, in subdiaconorum ordinem, qui diaconatum erant suscepturi, ingressus, una cum iis ordinem hunc suscepit. An ex hoc factus est irregularis, nec subdiaconatum in proxima Ordinatioue potest suscipere?

RESPONS.

Quamvis reus imprimis sit Bonifacius, existimamus tamen eum non esse irregularem in casu proposito; sed suspensionem solam eum incurrisse, ut definit Alexander II. scribens ad Rumaldum Constantiæ in Germania Episcopum (c) loquens de Clerico, qui omisso subdiaconatu diaconatum & Sacerdotium susceperat. *Caritati tuæ mandamus*, inquit hic Papa, *ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio subdiaconatus ministerium ibi rite imponas: & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas*. Quæ verba manifeste de sola suspensione; non vero de irregularitate intelligenda esse videntur. Observant Romani Correctores in hunc Canonem, idem responderi ab hoc summo Pontifice ad Gervasium Archiepiscopum Rhemensem, a quo de simili difficultate fuerat interrogatus: quo circa opinionem contrariam non modo veram esse, sed ne quidem probabilem putamus; cum aliter in jure alibi non sit expressum.

(c) Alex. II. in can. Sollicitudo. un. dist. 52.

At si Bonifacius, suscepto diaconatu per saltum hujus functiones obiisset, non sublata prius ab Episcopo suo suspensioue; certum est, eum in hoc casu fore irregularem, quod censuram hanc violasset. Ita sentiunt Navarrus & Auctor Colloquiorum Luconensium (d).

(d) Mart. Navar. Manual. c. 27. n. 242. Colleg. Lucon. t. 7. colloq. 19. q. 2.

CASUS CXXVIII.

Marinus, Sacerdos, ad decanatum a Rege nominatus, vi indulti Papalis Regi concessi, cum de eo in curia Romana provideri non potuisset, supremi Concilii arrestum obtinuit, quo ipsi sit facultas, ut beneficium illud ad jus suum conservandum possit adire, modo tamen intra sex menses provisiones suas obtineat. Ipsum tali arresto munitum ob privatam proprii meriti nataliumque splendoris rationem capitulum ad decanatus aditionem admisit, eique permisit, ut omnes dignitatis suæ functiones obiret, atque inter alias ut capitulum haberet, eique præesset. Qua de re quæritur 1. num Marinus non sit in Beneficium illud intrusus, atque adeo irregularis. 2. utrum, cum res ita se habeat, non teneatur capitulum ad ipsum a celebratione Missæ capitularis amovendum?

RESPONS.

Certum est, quod, cum Marino uulla sit canonica institutio, sed nudum tantum arrestum, quo ad Regis nominationem sit ei licentia, ut decanatum possit adire nullas tuta conscientia dignitatis hujusce functiones obire potuit. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri*, inquit Bonifacius VIII. (e), & quas proinde obeundo in irregularitatem incidit; cum ex intrusione sua factus sit suspensus *ab officio & beneficio*, ex decreto concilii Londinensis an. 1268. (f) unde sequitur, omnes actus illius manifestæ esse intrusionis; quare eorum exercitium non ei modo concedere potuit Capitulum, sed etiam impedire tenetur, ne chori Missam celebret, neve ullas decani functiones obeat, donec de intrusione sua, & consequenti ad eam irregularitate fuerit exemptus, institutionemque canonicam a Papa vel ab Episcopo obtinuerit.

(e) Bonifac. VIII. in leg. 1. de reg. juris in 6.

(f) Concil. Londinens. can. 10 tom. 11. concil. general. p. 877.

CASUS CXXIX.

Bonaventura, excommunicato denuntiato, in Ecclesia sancti Lubini sepulto, Bernardus hujus Ecclesiæ vetitum in ea tamen Missam celebravit, & etiam coram homine, quem notorie quoque esse excommunicatum noverat. Nunquid ex duplici illo peccato factus est irregularis?

RESPONS.

Bernardus in casu proposito non factus est irregularis quamvis gravissime peccaverit, Ecclesiæ prohibitionem in re maximi momenti infringendo.

Decisionem istam affert Bonifacius VIII. (g) his verbis: *Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumit; licet in hoc temerarie agat, irregularitatis tamen cum id non sit expressum in jure laqueum non incurrit*, ad quod Glossa (h): *Celebrantes in loco polluto non contrahunt irregularitatem, nisi fuerit cautum in jure & expressum*. Atque nullibi in jure affirmatur, celebrantem in loco polluto esse irregularem, ut agnoscit Bonifacius Papa, *cum id non sit expressum in jure*; Sed celebrantem dumtaxat in loco interdicto, ut observat eadem Glossa his verbis: *Ponamus, quod aliqua Ecclesia est supposita interdicto Ecclesiastico. Aliquis in ea celebravit; utrum efficiatur irregularis? Respondetur, quod sic .... & talem celebrationem in loco interdicto solus Papa potest absolvere. Celebrans divina in Ecclesia polluta est puniendus ad arbitrium superioris*.

(g) Bonifac. VIII. in c. Is qui. 18. de sent. excomm. &c. in 6.

(h) Glossa in cit. c. Si quis.

Denique advertit eadem Glossa, celebrantem coram excommunicato notorie, fieri dumtaxat suspensum, qua suspensione durante, jam ei celebrare non est licitum: *Nota, quod celebrans præsente excommunicato non contrahit irregularitatem, sed est proximus irregularitati, quia est suspensus; & durante suspensione, non debet celebrare, & si faceret, est puniendus*. Quamvis autem Bonifacii textus adeo sit apertus, ut expositione non indigeat, huic

tamen glossam hanc addendam esse putavimus, ut ostenderetur, ipsum nullam omnino pati interpretationem; hinc etiam ita sentiunt omnes Theologi atque Canonistæ (*a*) quare si Bernardus hac suspensione fuisset ligatus, atque in hoc statu celebrasset, ex hoc irregularis factus esset.

(*a*) Fr. Tolet. instr. Sacerd. l. 2. c. 2. n. 2. Greg. Sairus thesaur. conscient. l. 5. c. 20. n. 23. Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax. l. 5. c. 29. n. 12. Petr. Paludan. Domin. Soto Navar. & alii.

CASUS CXXX.

Lælius, cum a quibusdam ortus sui loci incolis audivisset, sibi dictum eum non fuisse baptizatum, hinc animo tantum cepit scrupulum, ut se iterum baptizari curaverit, absque diligentiori inquisitione. Nonne irregularis est; & is qui ipsum baptizavit nixus tam infirmo dubio, irregularitatem pariter incurrit?

RESPONS.

Lælius ut irregularis est censendus, cum ad simplicem suspicionem, nullis fultam legitimis probationibus baptismo se iterum tingi curaverit. Id quidem probari potest ex his canonis antiqui verbis (*b*): *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pænitere nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Qui autem non ignari, quasi iterum crucifixerunt christum, per septem annos pæniteant*, ad quod dicit Glossa: *scienter rebaptizatus est in perpetuum irregularis: si autem ignoranter, dispensetur cum eo ex caussa*. Quod quidem eo æquius videtur, quod certum sit, Lælium videri criminosiorem, quam is, qui iterum baptizatus est ignoranter. Igitur, si is ad ordines suscipiendos dispensatione indigeat, quæ non nisi in necessitate & ob justam caussam est concedenda, ex potiori jure indiget Lælius, cum legitime excusari nequeat ipsius imprudentia & temeritas: cumque dispensationis necessitas irregularitatem supponat, fatendum est, ipsum esse irregularem, aut talem esse reputandum; nam *sollicita primum examinatione & longo tempore*, ut de ea re loquitur sanctus Leo (*c*), inquirere debebat, num audita ab ipso vera essent, an falsa, ac legitimus esset scrupulus suus, tum prudentium ac sapientium virorum adhibere consilium, quibus omissis par est, ut negligentiæ suæ pœnam luat.

(*b*) Can. Qui bis. 27. de consecrat. dist. 4.

(*c*) S. Leo in can. Cum itaque. 112. cit. dist. 4.

Idem dicendum de eo, qui Lælium baptizavit, existimavit, ipsum fuisse baptizatum; aut dubium ejus de suscepto baptismo, vel non esse illegitimum. Ita sentiunt Navarrus (*d*) Silvius (*e*) Silvester & alii, qui opinionem suam confirmant ex universali usu Ecclesiæ, quæ iterum baptizantem habet, ut Irregularem.

(*d*) Navarr. Manual. c. 27. n. 246.

(*e*) Fr. Silvius in 3. part. Sum. S. Thom. qu. 66. art. 9. quæstio 2.

CASUS CXXXI.

Firminus, Parochus, sancti Amabilis, sæpe sub conditione baptizavit infantes, quos in domo paterna aquis tinxerat salutaribus obstetrix, cum iis mortem imminere cerneret. Parochus autem ita se gessit, quod femina in his casibus festinanter quandoque agat, atque ex ignorantia, vel attentionis defectu, in aliqua re Sacramento essentiali deficere potest; quod detegi nequit, nisi ipsam interrogando ipso tempore administrationis & coram tum præsentibus; quod non sine aliquo ejus pudore fieri nequit Parocho illi dictum est, ipsum in Irregularitatem incidisse, ex sententia quorumdam Theologorum, & ex doctrina catechismi Concilii Tridentini, jussu sancti Pii V. promulgati. Quæritur itaque. 1. Utrum in hoc peccaverit. 2. Utrum sit irregularis?

RESPONS.

Certum quidem est, Concilii Tridentini Catechismum docere, eos qui sub conditione baptizant infantes, quos in casu urgentis necessitatis ab obstetrice, aut ab alio quopiam fuisse baptizatos norunt, esse Irregulares. En Catechismi verba (*f*): *Qua in re tamen a Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus fere quotidie, non sine maxima Sacramenti injuria peccatur. Non enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent. Quare si infans ad eos deferatur, nihil prorsus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit; sed statim eis Baptismum tribuunt. Quin etiam, quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum administratum esse, sacram ablutionem in Ecclesia, adhibita solemni cæremonia, cum adjunctione repetere non dubitant. Quod quidem sine Sacrilegio facere non possunt, & eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores Irregularitatem vocant. Nam ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ* (*g*) *auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint.*

(*f*) Catechis. ad Parochos part. 2. de Baptis. sacramento. n. 13.

(*g*) Alex. III. in c. de *Quibus* 2. de Bapt. & ejus effectu. lib. 3. tit. 42.

Opinionem tamen istam non tenendam putamus; & quamvis de peccato excusari nequeat Firminus, adeo leviter sub conditione baptizans, non prius inquisita, ut ipsi incumbebat, validitate vel invaliditate Baptismi, quem obstetrix administraverat, putamus, istum Parochum in hoc nullam incurrisse Irregularitatem. En autem argumenta nostra.

Jure quidem Irregulares declarantur illi, qui bis suscepere Baptismum, ut videre est ex Decreto quinti Concilii Carthaginensis, quod refert Gratianus his verbis (*h*): *Neque unquam permittendum est, ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur*; & ex decisione Felicis III. (*i*): *Qui in qualibet ætate ..... rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere*. Quod eodem jure extenditur etiam ad Acolythum, qui in alterius Baptismi administrationem ministrat (*K*), cum factum est publicum & scandalosum: *si publicum est quod proponitur*. At nullo Canone, nulla Decretali Irregularis declaratur is, qui Baptisma sub conditione iterat, seu bona fide, aut ignorantia, vel mente deliberata. Reipsa dici nequit, eum, qui baptizat sub hac forma; ab Alexandro III. præscripta (*l*): *Si baptizatus es, non te baptizo; sed si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* vere Baptismum iterare cum econtra primis verbis expresse declarat, se intendere non ultera vice Baptismum conferre. Unde sequitur Firminum irregularem non esse habendum, cum infantes sub ista conditione baptizans, formaliter intendit, ut semel tantum baptismum acciperent, declarando, se eos baptizare nolle, si jam vere essent baptizati.

(*h*) Concil. Carthag. 2. in can. *Confirmandum*. 25. dist. 50.

(*i*) Felix. III. in can. *Qui in qualibet*. 10. 1. q. 1.

(*k*) Alex. III. in c. *Ex litterarum*. 2. de Apostatis & reiterantibus Baptisma.

(*l*) Idem in c. *De quibus*. 2. de Bapt. & ejus effectu.

CASUS CXXXII.

Minutius, bis confirmationis Sacramentum accepit, ac bis etiam diaconatum suscepit. An Irregularis est?

RESPONS.

Nullus extat, in toto juris corpore canon, nullave decretalis, qua quis Irregularis declaretur, quod bis confirmationem, aut Sacros ordines susceperit. Quare Minutius in casu proposito non censendus est Irregularis, cum in re odiosa aut pœnali, non ultra sensum suum litteralem extendi debeant Canones ex hac Bonifacii VIII. regula: *Odia restringi convenit* (*m*) & ex hac alia juris civilis (*n*): *In pœnalibus caussis benignius interpretandum est*. Unde dicit Covarruvias (*o*): *Apertissimi juris est Irregularitatem nullo in casu esse constituendam: nisi in jure Pontificis id fuerit expressum*. Hanc etiam rationem adhibet ipse Bonifacius VIII. (*p*) ad probandum, nullam esse in proposito sibi casu Irregularitatem. *Licet in hoc temerarie agat, Irregularitatis tamen, cum*, inquit, *id non sit expressum in jure, laqueum non incurrit*.

Inclytus sancti Thomæ interpres eodem modo difficultatem istam explicat: Sic autem quæstionem proponit iste Theologus: *Difficultas est, an iterato confirmationem dans, aut recipiens sit Irregularis, sicut de iterantibus Baptismum diximus*. Sic quæstionem proponit; de qua duplicem esse opinionem asserit, tum ob rationem superius allatam, negantem amplectitur his verbis: *Sed cum pœnæ sint restringendæ*: inquit, *nec Irregularitas incurratur, nisi in casibus jure expressis; negantium opinio verior est & secura, quam præter recentiores*

(*m*) Reg. 15. de reg. juris in 6.

(*n*) Leg. Factum. 197. §. 2. ff. de diversis regulis juris antiqui.

(*o*) Didac. Covar. a Leyva in Clemen. *Si furiosus*. de homicid. &c. n. 5. & apud eum Sotus in 4. dist. 7. q. 3. Richard. ibidem q. penult. Archidiac. in can. 1. dist. 68. Paludanus. Joan. de Turrecremata. S. Antoninus. 3. part. tit. 14. c. 14. §. 4. Alphonsus a Castro & alii.

(*p*) Fr. Silvius in 3. part. sancti Thom. q. 72. art. 15.

Theo-

Theologos tradit Scotus, Petrus de Allinco, Paludanus, Dominicus Sotus: quibus Cabassutium addimus dicentem (*a*): *Iteratio Confirmationis, vel ordinis, nullam inducit Irregularitatem ... id enim proprium est Solius Baptismi*, cap. 2. de Apostatis.

(*a*) Cabassut. juris can. Theor. & prax. lib. 5. ao. n. 13.

Nec juvat contrarium velle asserere ex parit re ducta a Baptismo: *Quia* inquit idem Canonista, *solus Baptismus est Ecclesiæ janua, & ad reliqua Sacramenta introductio. Igitur iteratione Baptismi major injuria Ecclesiæ irrogatur, quam iteratione cæterorum Sacramentorum. Qui enim baptizatur, ipso actu protestatur, se non fuisse hactenus Ecclesiæ subditum, aut ejus legibus adstrictum.*

Idem Cabass. fut. ibid.

CASUS CXXXIII.

Chrysostomus publica rei ærariæ exactione onustus, cujus ultima nondum habuit ratiocinis, ad subdiaconatum suscipiendum se obtulit; non prius declarans se de reddenda rei alienæ ratione esse obstrictum, atque ordinatus est; An potuit absque peccato; & nonne Irregularis erat?

Respons.

Qui publicam rem ærariam, aut etiam privati cujusdam gerunt, quique illius rationem non habuere sunt Irregulares, ac proinde Sacros ordines absque peccato suscipere nequeunt. Unde sequitur, Chrysostomum in casu proposito a peccato immunem esse non posse.

Prima decisionis hujusce ratio ducitur a primo Concilio Carthaginensi habito an. 348. quod refert decretalium liber primus (*b*): En ipsius verba: *Gratus Episcopus dixit: Si post deposita onera & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent cum laude Dei, si postulati fuerint, honore muneraris. Si enim ante libertatem negotiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt recte statuit Sanctitas vestra; adeoque ita est sententia nostra.* Iisdem ferme verbis decretum illud refert Gratianus (*c*).

(*b*) Concil. Carthagin. 1. can. 8. in cap. Magnus, unde obligat. ad ratiocinia ordinandis, vel non. lib. 1. tit. 9.

(*c*) Can. Magnus. 3. dist. 54.

(*d*) Glossa in ri. cap. Magnus v. ratiocinia.

Alteram ejusdem disciplinæ Ecclesiasticæ rationem Glossa suppeditat (*d*), depromptam e statutis Canonum (*e*) qui stricte Clericis omnibus prohibent, ne rei alienæ gestioni se immisceant, ut alibi fuse probamus.

(*e*) Argum. can. Pervenit. 1. & can. Grado. 1. 21. q. 3. & argum. capitis. Multa. c. &c. c. Sacerdotibus. 2. ne Clerici vel Monachi sæcular. negotiis se immisceant. l. 5. tit. 50.

Diximus: *Qui publicam rem ærariam, aut etiam privati cujusdam gerunt*: Qua de re observandum est, magnum esse inter utrosque discrimen faciendum. Nam quod pertinet ad reipublicæ procuratores nulla est, quæ fieri possit, distinctio; cum absolute necesse sit, ut rationes habuerint confectas & consolidatas; aliter ad ordines nequeunt admitti: Quod etiam statuitur expresse ex Legibus Imperatorum Christianorum (*f*). At vero quod spectat ad eos, qui res privatorum administrant, adhibenda est distinctio: Sic autem de iis Glossa, quæ dicta sua ex legibus & canonibus comprobat, superius laudata loquitur; cujus tamen probationem omittemus, ne longiores simus. *Si publica sint ratiocinia, promoveri non debet* (obligatus) *ante redditam rationem .... Si vero privata, aut in ipsa promotione movetur sibi quæstio, aut non. Si movetur, aut prius mota est, distinguitur. Aut convenitur de dolo, vel de culpa, tamen si de dolo vel perfidia, non debet ante finem litis promoveri .... Si de culpa tantum convenitur, promoveri potest, non obstante reclamatione creditoris, cum suo murte currere possit, ut prius ... Si vero nec lis sibi movetur, nec mota est; non obstante obligatione promovetur; nisi manifestum sit ipsum de dolo teneri. Tunc enim Episcopus ex officio suo repellere potest.*

(*f*) Leg. Officiales. 4. cod. De Episcopis & clericis &c. l. 1. tit. 4.

Advertendum est autem, a regula generali excipi Episcoporum administratores, & quos excipit Glossa, & eos, qui bonorum pupilli, aut viduæ aut indefensorum administrationem suscepere, ut expresse declarat Canon Concilii Calcedonensis an. 451. habiti, in quo sic habetur (*g*): *Decrevit ergo Sancta & magna Synodus neminem horum (qui in Clero connumerantur) deinceps, hoc est Episcopum, sive Clericum aut monachum, conducere possessiones aut misceri sæcularibus procurationibus; nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas sive curationes inexcusabiles attrahuntur, aut cui civitatis ipsius Episcopus Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, orphanorum ac viduarum, quæ indefensæ sunt, vel earum personarum, quæ maxime Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei.*

(*g*) Concil. Calced. cap. 3. in can. Pervenit. 46. dist. 86.

CASUS CXXXIV.

Onesimus, qui Irregularis est ob homicidium a se commissum, & aliunde ob defectum Legitimorum natalium Monasterium ingressus est, ibique solemnem emisit Religionis professionem. An ex Religiosa professione sublata est ejus Irregularitas; ita ut absque dispensatione Sacerdos ordinari queat, & ad aliquam dignitatem seu Prælaturam regularem promoveri?

Respons.

Magnum intercedit discrimen inter duas Irregularitates quas Onesimus incurrit. Quæ procedit ex illegitimitate tollitur quidem per solemnem professionem factam in Religione approbata ab apostolica sede, quoad effectum suscipiendorum ordinum. Quare si ex hoc tantum defectu irregularis esset hic homo, post emissam solemniter professionem, ordines Sacros posset suscipere, non requisita prius dispensatione in hanc rem: at Irregularis maneret quoad dignitates & Prælaturas, ad quas ex dispensatione tantum Pontificia habilis fieri posset. Ita decidit Concilium Pictaviense an. 1078. in Decretalibus (*h*) his verbis relatum: *Ut filii Presbyterorum & cæteri ex fornicatione ad sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant vel in congregatione canonica regulariter viventes; Prælationem vero nullatenus obtineant.*

(*h*) Concil. Pictav. in c. Ut filii. de filiis Presbyteror. ordinand. vel non. l. 1. tit. 17.

At Religiosa professio non eundem parit effectum, quoad irregularitatem, quæ oritur ex crimine voluntario, ut docet Fagnanus, & manifestum fit ex decretali Alexandri III. in jure relata (*i*) & ex Glossa in hanc eandem decretalem, quæ dixit: *Irregularitas illa, quæ consurgit ex proprio delicto, non tollitur per ingressum Religionis; sed favore Religionis cum eo dispensatur.* Quod Auctor Glossæ hujus probat etiam ex alia decretali ejusdem Papæ ad Episcopum Lingonensem (*K*) quam excipere possunt duæ sequentes Cælestini III. (*l*), quibus evidens est, Religiosum Irregularem ob crimen, quod ante professionem suam commisit, ad sacros ordines non posse admitti, nisi legitimam obtinuerit dispensationem. Eadem Glossa prius laudata addit: *Cum vero non surgit ex delicto proprio .... tunc per ingressum Religionis tollitur illa irregularitas; ita quod sine dispensatione potest ad Ordines promoveri ..... sed non ad dignitatem, sine dispensatione. Infra de pœnis cap.* in quibusdam, *& supra de filiis Presbyter. cap.* 1.

(*i*) Alex. III. in c. Ex litterarum. 2. de apostasia &c. & ibi Glossa. v. Religionis.

(*k*) Alex. III. in c. Veniens. 1. de cler. eo, qui furtive suscepit. l. 1. tit. 30.

(*l*) Cælest. III. in c. Cum Lator. 2. & in ca. Innotuit. 3. eod. tit.

Vide:
- ABSOLUTIO.
- BENEFICIARIUS.
- CONFIDENTIA.
- DISPENSATIO *ab Irregularitate* Caf. 26. *& quinque sequentibus.*
- EXCOMMUNICATIO. Caf. *Gentianus.*
- ILLEGITIMUS.
- INTERDICTUM.
- OFFICIALIS. Casu *Diomedes.*
- PROVISIO.
- SIMONIA.
- SUSPENSIO.

JUBI-

JUBILÆUM.

JUBILÆUM five Indulgentia plenaria in forma Jubilæi concessa definitur his terminis: *Jubilæum est Indulgentia plenaria cum privilegiis annexis*: & hæc privilegia sonant idem, ac auctoritas a S. Pontifice tradita Confessariis ab Ordinario loci approbatis, in ordine ad absolutionem ab omnibus delictis, & censuris, etiam reservatis; & insuper ad votorum commutationem.

Ut clarius præfata Definitio innotescat, opus est recolere, quæ supra tradidimus, cum de Verbo Indulgentiæ egimus, initio tituli de eadem materia; a quibus supersedere autumamus, ne actum agere cogamur.

Auctoritas Indulgentias concedendi emanat e potestate Clavium a Christo Domino Apostolis tradita, nec non eorum successoribus in Episcopatu his verbis: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo* (a). Quæ potestas competit primariis Pastoribus, videlicet tum Papæ, tum Episcopis, licet non eodem modo.

(a) Matth. 18. 18.

Indulgentia Jubilæi acquiri nequit, nisi in eo instanti, quo suscipiens existit in statu gratiæ, & post-quam adimpleverit exacte opera omnia in Bulla Pontificis concedentis præscripta.

Longe a veritate aberrant, qui autumant Jubilæum dispensare peccatorem ab agenda pœnitentia juxta gravitatem, & numerum suorum peccatorum, ut infra probabimus.

CASUS PRIMUS.

CALISTUS Episcopus Pacis Augustæ Bullam pro Jubilæo Universali a Pontifice transmissam accepit, ad finem, & effectum a Deo impetrandi Pacem, & Concordiam generalem inter Principes Christiani nominis, qui tunc temporis mutuis bellis erant impliciti. Hanc fine mora promulgari jussit in urbe Episcopali & dumtaxat post intervallum trium mensium in aliis urbibus, & Pagis suæ Diœcesi subjectis: Quæritur, an publicationem præfatæ Bullæ potuerit differre in tempus adeo prolixum absque culpæ nota?

RESPONS.

Respondetur: Prædictus Episcopus non potuit fine culpa protrahere tamdiu hujusce Bullæ promulgationem, si modo aliqua urgens ratio pro tali procrastinatione non militaverit. Ratio est primo, quia ita se gerendo directe contra mentem, & Decretum explicitum Pontificis est operatus, qui virtute Bullarum istiusmodi vult, & statuit, ut fine mora, atque immediate earum promulgatio sequatur. Secundo, quia Gratia concessa ab Ecclesiæ capite cum sit universalis, cui communicare jus habent omnes fideles, Episcopus tenetur quamprimum suis subditis exhibere.

Nihilominus non inficiamur, quod Episcopus aliquando non possit justis de causis ad aliquod tempus prorogare, v. g. Duodecim, vel quindecim dies inter promulgationem respectu urbis, & diœcesis; & hoc idem est in praxi apud Doctos Prælatos, propter rationes legitimas sibi notas. Verumtamen non est facile creditu quod talis dilatio extendi possit usque ad duos menses, dummodo non supervenient motiva maximi momenti, quæ valde raro contingunt, ut jam recensuimus (b).

(b) De Sainte Beuve. tom. 3. cas 31.

CASUS II.

APPOLLONIUS Archiepiscopus Leopoldii accepit a S. Pontifice Bullam Jubilæi Universalis pro omnibus, & singulis fidelibus, hujus publicationem distulit per annum, & ultra, in propria Diœcesi, tum propter negotia, valde urgentia, quæ ipsum cogebant ad Curiam Poloniæ accedere tunc temporis Varsoviæ existentem, tum sedandi ergo dissensiones, & tumultus in toto Regno grassantes; primo; An peccaverit differendo; 2. An adhuc in Episcopo resideret auctoritas Bullam hanc promulgandi post tantam dilationem, & præcipue si cessassent causæ motivæ Jubilæi.

RESPONS.

Non potest Appollonius a culpa vindicari, quippe quod evidenter egit contra Voluntatem, & Ordinem S. Pontificis, cum Bullæ præfatæ, ut superius diximus, contineant in re mandatum expressum, ut ab omnibus Archiepiscopis & Episcopis immediate, & statim, ac absque ulla mora publicentur: *Tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus atque mandamus venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ut cum præsentium Literarum transumpta, aut exempla acceperint; illa statim, absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias... publicent, & publicari faciant*. Hæ sunt formulæ ordinariæ omnium Bullarum Jubilæi, præterquamquod urgentiæ tum Ecclesiæ, tum status, propter quæ Pontifex concedit Jubilæum solent esse semper maximi momenti. Ideoque Episcopus indispensabiliter tenetur absque mora promulgationi operam dare; nam secus operando grave infert detrimentum tum toti Corpori Ecclesiæ in genere, tum etiam membris, videlicet Christi fidelibus in individuo.

Rationes adductæ in propositione Casus nullius sunt roboris; neque valent eximere Appollonium a culpa. Nam si justis de titulis aberat a propria Diœcesi, dum urgebat tempus talis publicationis, hoc totum potuit perficere committendo tale onus Vicario Generali, sicut habetur expresse in eisdem Bullis. Conciliatio dissensionum, cui supponitur eo tempore operam præstasse, tantum abest, ut antistitem a delicto obedientiæ vindicet, ut potius culpam augeat. Etenim eidem compertum esse debebat quod Preces, & Pœnitentia fidelium sint media validiora ad hæc incommoda avertenda, quam totum humanum studium, & ejus curæ particulares; cum fere semper istæ calamitates sint pœnæ delictorum, ex quo sequitur beneficio pœnitentiæ, & bonorum operum exercitio tolli. Hæc est responsio ad primam quæstionem.

Quoad secundum quæsitum, nos stamus pro hac sententia, quod Appollonius potuit promulgare Jubilæi Bullam, etiam post longinquam temporis dilationem. Ratio assertionis est, quia Bulla ex ejus verbis non spoliat differentes publicationem Jure eam postea promulgandi. 2. quia etiamsi supponantur omnes causas propter quas Papa Jubilæum

læum concessit, hic; & nunc forsitan cessasse, attamen extra dubitationis aleam est quod aliæ plures potuerint animum Pontificis movere, quæ adhuc subsistunt, maxime quod Ecclesiæ necessitates sint perpetuæ, & urgentes. Præsens decisio est antiqui Sorbonæ Professoris de Theologia optime meriti, non pariter de Ecclesiastica disciplina (a).

(a) De Sainte Beuve tom. 3. cal. 34.

CASUS III.

Gasto Samogitiæ Episcopus, occasione Jubilæi Universalis a Papa concessi, edictum edidit, quo statuebat, ut omnes incolæ Parochiarum rusticarum ad tres usque leucas per circuitum accederent processionaliter ad Gathedralem Ecclesiam visitandam, & ibi stationes lucrandas. Quatuor, aut quinque ex his Parœciis non adimplevere Decretum circa hoc punctum, se restringentes ad Visitationem propriæ respective Ecclesiæ Parochialis pro ipsis destinatæ, adimplendo tamen cetera opera in Bulla præscripta; quæritur an sint adepti Thesaurum Jubilæi?

Respons.

Asserimus primo, quod erat consentaneum, & æquum, ut dicti incolæ proprii Episcopi Decreto se conformarent, se processionaliter conferendo ad Gathedralem pro stationibus acquirendis; quippe quod est valde conforme Ecclesiæ menti, quod Fideles se congregent ad preces fundendas; & est medium indubitanter tutius, ad hoc ut a Deo exaudiantur; quæ ratio coegit Tertullianum asserere, quod Deo quodam modo vis infertur, ut gratias largiatur postulantibus, & insuper addit, quod hæc Violentiæ species Deo ipsi arridet (b): *Coimus ad Deum, ut quasi manu facta precationibus ambiamus: Hæc vis Deo grata est.*

(b) Tertul. Apolog. c. 30. n. 39.

Attamen Theologus non obscuri nominis, cui alias hæc prædicta difficultas fuit proposita opinatur Incolas dictarum quatuor, vel quinque Parochiarum, qui non sunt executi Episcopale mandatum respectu Processionum, non fuisse fraudatos consecutione Indulgentiæ Jubilaris; cujus ratio est, quia omnia in Bulla Pontificia præscripta executioni mandarunt. Accedit, quod Episcopus caret facultate aggravandi Fideles additione aliarum conditionum in Jubilæi adeptione, præter illas in Pontificis Bulla expressas, & nominatas. Hoc igitur posito, Diplomata Jubilæi numquam imponere solent, quod Preces stationales in forma Processionis fiant; sed dumtaxat, quod quilibet fidelis in particulari hoc adimpleat visitando Ecclesias a locorum Ordinariis destinatas. Non est igitur Episcopus præditus tali Jure, nam Papa est ille unicus, qui gratiam largitur, & consequenter ad ipsum spectat illam concedere sub iis conditionibus quas dignas existimat pro communi Fidelium utilitate. Et de facto, si apud Episcopum resideret facultas addendi talem conditionem necessariam ad Jubilæum lucrandum, citra dubium est, quod plures, & plures licet aliunde bene dispositi aut omitterent, aut negligerent acquisitionem, partim propter improbitatem laboris itineris, partim præ remissiore studio pietatis vel incommodi ergo; quibus addi potest; primo quod sæpe sæpius prolixæ Processiones pariunt multas evagationes luentibus, & non raro aliquid deterioris consequentiæ. Secundo, si Parochi tenerentur proprias Parœcias deserere propter Processionem trium leucarum spatio prosequendam, se periculo exponerent non præstandi suam assistentiam, & auxilium illis, qui impotentes Processioni interesse, fuissent aliquo morbo correpti, vel omittendi collationem Baptismi, vel alterius sacramenti in urgentibus circumstantiis. Quicquid sit, & omnibus præallatis absurdis non obstantibus, asserere non audemus sententiam hujus Doctoris (c) esse tutam; habito respectu ad axioma communiter a Theologis approbatum circa Bullas, & Rescripta Indulgentiarum. *Tantum valent, quantum sonant.*

(c) Idem ibid.

CASUS IV.

Paulinus cupiens lucrari Jubilæum elegit propria auctoritate Sacerdotem, juxta suam voluntatem ad finem confitendi se apud eundem; quæritur, an hanc electionem ad arbitrium potuerit facare, utrum ejus Confessio sit valida, ad finem obtinendi effectus Jubilæi?

Respons.

Pontifices Jubilæum concedentes non censentur velle præjudicium inferre Jurisdictioni, & Auctoritati Ordinariorum locorum, ideoque esto possit Jubilæi tempore eligi quilibet Confessarius ad libitum restrictive ad approbatos in ea diœcesi in quibus Pœnitens reperitur, tamen nullatenus neque valide, neque licite assumi possunt in Confessarios illi Sacerdotes qui non sunt in numero Approbatorum, neque ii, pro quibus tempus Approbationis expiravit, & realiter omnes Jubilæi Bullæ expressa statuunt, quod Confessarius eligendus, sit sæcularis, aut regularis, debet esse approbatus ab Episcopo Diœcesano. *Licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam sæcularem, quam cujuscumque Ordinis, & Instituti ex approbatis, ut præmittitur a locorum Ordinariis.* Hæc sunt verba præcisa Bullæ ultimi Jubilæi concessi a SS. Papa Clemente undecimo sub die 2. Decembris 1706. & ejusdem Tenoris sunt aliæ Bullæ ceterorum Pontificum (d).

(d) Col. Agdegavens. coll. 20. q. 5.

CASUS V.

Palamedas miles obstrictus peccato reservato cui erat annexa excommunicatio *ipso facto*, subjecit hanc culpam clavibus Sacramentalis Confessionis tempore Jubilæi apud Marcellum simplicem Confessarium Parochiæ, in qua degebat, a quo fuit absolutus tam a peccato, quam a censura illi annexa, omissis omnibus operibus in Bulla præscriptis, quia nullam habebat intentionem lucrandi Jubilæum; quæritur, num sit valide ab excommunicatione absolutus?

Respons.

Idem Judicium ferendum est circa absolutionem a Palamede receptam in proposito quæsito, ac si illam obtinuisset ab eodem Presbytero ante, & extra tempus Jubilæi. Ex quo fit, quod si dictus Sacerdos carebat facultate absolvendi ante tempus Jubilæi a delicto reservato, & censura eidem annexa; & quod non sit impartitus beneficium absolutionis nisi dependenter a potestate sibi tradita, & collata virtute Bullæ Pontificis; absolutio eidem collata est omnino invalida, tam quo ad peccatum, quam quo ad Censuram.

Ratio patet. Quia summus Pontifex virtute Bullæ non concedit Confessariis simplicibus potestatem absolvendi a casibus reservatis, & censuris nisi in favorem, & beneficium pœnitentium voluntatem habentium sinceram adipiscendi Indulgentiam Bullæ, excludendo, & privando omnes ceteros spernentes, vel non curantes hunc spiritualem Thesaurum. Marcellus igitur nulla pollebat auctoritate absolvendi Palamedem neque tempore Jubilæi: nam intentione carebat illud lucrandi. Et hoc adeo verum est, ut opus sit Palamedi, ad hoc ut tuto consulat animæ suæ saluti iterum confiteri apud Sacerdotem, qui possideat aliunde facultatem absolvendi a culpa, & censura, quam incurrit in ejusdem culpæ commissione, & ita absolutionem recipere; vel si adhuc superest tempus sufficiens pro Jubilæo acquirendo, adimpleat opera universa in Bulla expressa, & rursus confiteatur cum recta intentione Indulgentiam acquirendi. Hæc Resolutio est Auctoris colloquiorum Andegav. (e).

(e) Colloq. Andeg. Julii, 1721. p. 181.

CA-

CASUS VI.

Post publicationem Jubilæi factam in Diœcesi Parisiensi, Eustasius incola urbis S. Germani in Laya quæ est membrum ejusdem Diœcesis data opera pertexit pro confessione facienda Pisiacum situm in Diœcesi Carnutensi, ubi adhuc non fuerat Jubilæum promulgatum, & regressus ad D. Germanum, ibi visitationem, Orationes eleemosynas, & communionem perficit. An Jubilæum est adeptus?

RESPONS.

Eustasius non est Jubilæi effectum consecutus, quia de industria non potuit Confessionem elicere in alia Diœcesi. Ratio hujus est, quia, ut jam animadvertimus, Papa Jubilæi concessione non intendit perturbare, aut confundere ordinem Jurisdictionis Episcoporum statutæ a Jure communi. Econverso semper decernit, quod Diœcesani confiteantur apud Confessarios approbatos a propriis Ordinariis: atque in eis Bulla derogatur solummodo Jurisdictioni Parochorum, tribuens fidelibus potestatem eligendi ad nutum, & arbitrium ipsorum quemlibet ex confessariis ab Ordinario approbatis.

Ista Decisio confirmari potest ex tenore Edictorum ab Episcopis editorum circa Jubilæi Publicationem. Nam semper mandant, ut Confessiones fiant apud Confessarios ab ipsis approbatos. Cum igitur Eustasius non aperuerit in Confessione peccata sua apud Sacerdotem approbatum a proprio Ordinario, sed dumtaxat ab Antistite Carnuti, cujus pœnitens non est subditus, dici nequit, quod ita se gerendo Bullæ Pontificiæ fecerit satis, neque mandato Episcopi, ideoque Jubilæum non sit consecutus.

Animadvertendum est tamen, quod si Eustasius non fuerit scienter Pisiacum profectus Confessionis Jubilaris faciendi caussa; sed bona fide illuc se contulerit more peregrinorum, absque ulla intentione evitandi Jurisdictionem sui Præsulis, Confessio in hac hypothesi esset legitima, & non careret probabilitate, quod esset sufficiens ad Jubilæi consecutionem, cum sit permissa peregrinis, & itinerantibus Confessio extra eorum Diœceses; juxta morem generaliter receptum in Ecclesia, quæ supplet in Confessariis defectum Jurisdictionis tacito consensu omnium Episcoporum, & Pastorum.

CASUS VII.

Sanctus Pontifex vigore Bullæ Jubilæi universis fidelibus utriusque sexus tam sæcularibus quam Regularibus largitus est licentiam quemcumque confessarium juxta eorum voluntatem eligendi, cum hac clausula, dummodo sit approbatus a Locorum Ordinariis. Varii Religiosi diversarum Religionum, & monasteriorum urbis Parisiensis confessionem elicuerunt apud confessarios ordinarios, sed solum approbatione suorum superiorum Regularium respectu Religiosorum monasterii; utrum hoc non obstante fruiti sint beneficio Jubilæi?

Ratio dubitandi est; quia isti Regulares superiores non cadunt sub illis terminis in Bulla contentis, *Locorum Ordinarii*, queis verbis perspicitur Papam sub illis vocibus comprehendere solos Episcopos, vel eos, qui cum sint independentes a Jurisdictione Episcoporum, gaudent possessione Jurisdictionis quasi Episcopalis?

RESPONS.

Equidem fateor Casuistas non paucos, uti Barbosam (*a*) Lopea, Suarez, & Henriquez, stare pro sententia Ordinariis favorabili videlicet, quod eodem pariter modo, & præcepto tenentur tam sæculares, quam Regulares peccata confiteri apud confessarium ab Episcopo approbatum, & quod aliter faciendo Regulares essent incapaces Gratiarum virtute Jubilæi collatarum; nam, ut argumentantur allati Doctores, non servarent conditionem in Bulla expresse notatam.

(*a*) Aug. Barbosa ad sess. 23. Concil. Trid. cap. 15. Lopez part. 1. c. 26. Suarez tom. 4. in 3. p. S. Thom. disp. 28. sect. 6. n. 11. Henriq. lib. 6. cap. 6. ad lit. k in comment. & l. 7. n. 2. n. 3.

Alii tamen Doctores eximii oppositam sententiam tuentur, inter quos Sylvius est in istorum classe, sicut apparet in una ex suis decisionibus sub 25. Maji 1641. ubi licet judicet priorem opinionem valde probabilem, *bene* ... *probabilis* (*b*) nihilominus subscribit secundæ, quam appellat probabilissimam, & in praxi tutam.

(*b*) Fr. Sylvius resol. var. v. Jubil. 2. & & apud eum Coriolanus, Zerola, Miona, & alii, tom. 5.

Prima ratio, quam affert, est quod Superiores Regulares sunt vere Prælati ordinarii respectu suorum subditorum. *Quia superiores Regulares sunt ordinarii respectu suorum subditorum.* Altera ratio, quia Pontifex non imponit Regularibus onus eligendi Confessarium ab Episcopo Diœcesano approbatum ad exclusionem cujuscumque alterius confessarii. Sed tantum impertitur libertatem unum ex his eligendi, si ipsis libuerit, cum mens Pontificis non sit eos spoliandi jure, quo gaudent, & pacifica possessione qua fruuntur absque ulla Episcoporum contradictione. Ita ut hæc Bullæ clausula intelligenda, ac interpretanda est, respectu Religiosorum, tamquam speciale privilegium, & tanquam gratia concessa intuitu Jubilæi, concedentis eisdem plenam auctoritatem confitendi apud quemlibet confessarium ab Episcopo approbatum, quod extra tale tempus vetitum erat. Ista Ratiocinatio est Auctoris (*c*) allegati per Theologum apprime doctum, ita loquentem: *Hanc sententiam valde probabilem existimans, censet illa verba, quæ in Bulla Jubilæi exprimuntur, ut etiam Regulares possint eligere Confessarium ab ordinario approbatum, non intelligenda esse privative, quasi summus Pontifex velit privare pœnitentem jure suo, quo potest confiteri confessario per suum Prælatum approbato; sed cumulative, & ampliative in favorem ipsius pœnitentis: ita ut non solum confiteri possit illi, cui ante Jubilæum poterat, verum etiam aliquem alium eligere possit approbatum ab ordinario; quamvis ante Jubilæum non possit ei confiteri.*

(*c*) Bonac. disp. 6. q. 7. p. 1. n. 25. apud Sylvium cit.

Prædictis additur, quod si Religiosi absolute tenerentur Confessionem facere apud Sacerdotem approbatum ab Episcopo, non pauci existerent, veluti inter alios Carthusiani, Camaldulenses, & alii solitarii perpetuam clausuram servantes, quibus hæc lex esset jugum intolerabile; nam oporteret præfatas suas cellas relinquere, ac solitudinem, quærendi gratia confessarium ab Episcopo approbatum, cum apud istos ex eorum familia nullus esset ab Ordinario Loci approbatus, sicuti vere, & realiter nemo ordinarie reperitur. Adde insuper, quod Religiosi unius Cœnobii sunt magis idonei pro audiendis confessionibus suorum cœnobitarum, quam ceteri omnes sive sæculares, sive Regulares. Ex quibus videtur inferendum, Religiosos in quæsito citatos vere Jubilæum obtinuisse, quamvis confessi sint apud Religiosos ordinarios suorum monasteriorum approbatos a suis Superioribus. Verumtamen expediret, quod Papa, vel Episcopi nullum dubitandi locum relinquerent circa hujus articuli expositionem.

CASUS VIII.

Philocratas adimplevit perfecte secunda Jubilæi hebdomada opera omnia in Bulla præcepta, præter Confessionem, cujus loco elicuit actum Contritionis, quantum potuit, perfectioris; & post detestationem omnium suorum peccatorum mortalium cum intenso dolore, & efficaci proposito potius moriendi, quam relabendi, accessit ad mensam Eucharisticam, cum voto sincero confitendi quam primum. Utrum sit lucratus Jubilæum?

RESPONS.

Non censemus Philocratem Jubilæum non percepisse. Ratio est, quia omnes Bullæ Jubilæi exprimunt, quod a Papa conceditur tantum illis, qui sunt vere contriti, & confessi, *vere pœnitentibus, & confessis*. Hæc sententia est Navarræ (*d*) eam probantis per Glossam super Constitutionem Bonifacii VIII. (*e*) quæ declarans hoc verbum, & con-

(*d*) Navarrus commen. de Jubilæo, & Indulg. notabili, 18. n. 1. & seqq.

(*e*) Glossa in extravag. antiquorum, 2. de pœn. & remiss. v. & confessis, lib. 5. extravagante comm.

confessis, inquit, *confessis proposito, & facto...* Et paulo post (*a*) eadem Glossa adjungit, ra *dic, confitebuntur proposito, & facto.... hæc enim Indulgentia solis pænitentibus, & confessis conceditar.*

(*a*) V. Confitebuntur.

Citatus Canonista ingenue satetur, ipsum quoque alias aliam amplexum esse opinionem (*b*) quæ est eadem Paludani (*c*), & quorumdam aliorum; sed inductum ad eam retractandam auctoritate Cardinalis Joannis Monachi Auctoris istius Glossæ Doctissimi Canonistæ contemporanei Bonifacii VIII. quem pluries audierat interpretari Constitutionem ab eodem editam in Consistorio, ubi ut Cardinalis interfuit ex assertione ipsius in Decursu Glossæ, nec non auctoritate Cardinalis Cajetani, quem Navarrus vocat (*d*): *Doctissimus, & acutissimus, & rerum Romanarum ad hoc spectantiam peritissimas*; addito insuper, quod hæc verba: *vere pœnitentibus, & confessis*, sunt duo termini adeo inter se connexi, quod unus ab altero non potest separari, nisi Bullæ sensus destruatur; *Quia quæ dispositio copulata est, utriusque partis veritatem exigit*: Quod item confirmat tribus Legibus Digestorum (*e*) approbantibus suam propositionem, quos textus referre operæ pretium non ducimus. Sed quotiescumque aliquis ambigendi locus relinqueretur circa verum verborum sensum, semper tamen juxta naturalem sensum, quem præ se ferunt, essent intelligenda, juxta Axioma legale in alia materia (*f*). *Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam at cum manifestum est, aliud sensisse Testatorem.*

(*b*) In Clem. 1. de reliq. & vener. Sanctur.
(*c*) Paludanus in 4. dist. 20.
(*d*) Cajet. Tract. de Indulg. c. 10.
(*e*) L. *Si haredi*. 5. ff. de conditionib. Institutionum lib. 28. tit. 7. Leg. *Si ita quis* 65. & Leg. *Si quis ita* 130. ff. de verborum obligat. lib. 45. tit. 1.
(*f*) Leg. *Non aliter* 69. Leg. *Si cui* 70. & seqq. ff. de Legatis 3. lib. 32. tit. 1.

Ceterum in dubium revocari nun potest sententiam exigentem necessitatem Confessionis non esse certiorem, & tutiorem pro salute omnium, qui Jubilæum adipisci amant; nam quis est hic, qui possit esset certus se elicuisse actum contritionis perfectæ? Sed adhuc supposita certitudine contritionis, nonne oportet obedientiam præstare tum literæ, tum contentis in Bulla præscribente Confessionem præviam ad Communionem, tamquam conditionem essentialem? Alioquin si populo persuasum foret solam Contritionem sufficere, quot sub prætextu difficultatum apparentium de impotentia Confessionis, sibi suaderent esse perfecte contritos, atque ita Thesauro Jubilæi carerent! Navarrus (*g*) censet nihiluminus, hominem vere contritum, cui defuit copia confitendi, neque in prima, neque in altera hebdomada, vel ob defectum Confessarii, vel ob alias rationabiles caussas, non remanere incapacem Jubilæi, dummodo adimpleverit omnia per Bullam imposita; & habuerit voluntatem deliberatam confitendi quamprimum potuerit; cum pie non sit credendum Summum Pontificem velle suis gratiis privare, & excludere fideles in casu allato, ex suppositione, quod talis pœnitens contritus, & non confessus posuerit omnia opera Bullæ sibi possibilia. Idem sentit bic Canonista de eo, qui post ultimam Confessionem factam ante Jubilæi promulgationem, postea non est relapsus in aliquod mortale.

(*g*) Navarrus loco cit. n. 13. & 14.

CASUS IX.

Post Jubilæi Universalis promulgationem in omnibus Galliæ Diœcesibus, Abbas quidam regularis auctoritate propria, & sine approbatione Episcopi Diœcesani deputavit duos Religiosos sui Monasterii audiendis Confessionibus, intuitu Jubilæi, non solum suorum Religiosorum, sed etiam Domesticorum Abbatiæ & aliorum sæcularium morantium intra septa Monasterii, qui appellantur *Donati*; quæritur, an Confessiones factæ apud duos istos Religiosos sint validæ, & sufficientes pro Jubilæo?

Ratio dubitandi est, quod Bulla in terminis expressis mandat, quod Confessarii debeant esse approbati ab Ordinariis, quorum nomine intelliguntur Episcopi.

Respons.

Ut præsenti difficultati fiat satis, præmittendum est; quod sub nomine *Ordinarii* non veniunt solummodo Episcopi Diœcesani, sed etiam omnes superiores illi, qui gaudent Jurisdictione quasi Episcopali, & sunt ab Episcopo independentes.

Hoc præsupposito, concludimus, quod si Abbas Regularis, de quo est quæstio, sit de illorum Classe, supra quos Episcopus nullam Jurisdictionem prætendat, esse verum Ordinarium non solum respectu suorum Religiosorum, sed etiam Domesticorum sui Monasterii, sicut pariter sæcularium *Donatorum*, qui morantur inter septa regularia Abbatiæ; & hoc Titulo habet jus confitendi omnes domicilium in Monasterio habentes, nec non approbandi quemcumque suorum Religiosorum, quos sibi expedire videbitur ad finem audiendi eorum Confessiones independenter ab Episcopi consensu, quoniam Jurisdictione quasi Episcopali fruitur. Ex quo definimus Confessiones duobus Religiosis antedictis factas, licitas, ac validas esse; & sufficiunt pro illis, qui apud eos sua peccata accusavere, ad hoc, ut sint capaces lucrandi Indulgentiam Jubilæi, servatis tamen, & adimpletis cœteris in Bulla contentis.

Non occurrit autem eadem paritas circa alios Superiores, qui non gaudent pacifica exemptione a Jurisdictione Episcopi. Nam isti minime censentur esse locorum Ordinarii, & consequenter nulla fulgent facultate approbandi Confessarios, neque exercendi alia munera, quæ sunt propria Officii Episcopalis. Ratio hujus est, quia Abbas istius qualitatis cum careat hac potestate, Confessiones suppositæ essent illicitæ, ac irritæ; & sæculares licet intra Monasterium degentes, qui apud duos prædictos Religiosos fuissent confessi, essent incapaces Jubilæi, nisi rursus coram alio Confessore, legitime, & canonice approbato Confessionem elicerent. Ita decidit celebris Theologus (*h*).

(*h*) De Ste. Beuv. tom. 1. cas. 30.

CASUS X.

Thiarius tempore Jubilæi confitetur magnam peccarorum molem, qui a Confessario obstrictus subire onus jejunandi bis in hebdomada per spatium unius anni, & alia opera pœnitentiæ exercere, recusavit acceptare hanc satisfactionem, hac ratione motus, quod Indulgentia Jubilæi plenaria cum imbibat remissionem omnium pœnarum temporalium, quæ subiri debent pro satisfactione pœnæ patratis culpis debitæ, sibi suadebat esse deobligatum a ponendis aliis operibus satisfactoriis, præscindendo ab illis per Bullam præscriptis; nam aliter non esset necesse Indulgentiam lucrari. Quo posito, 1. Quæritue, an argumentatio Thierii sit male fundata? 2. An Confessarius potuerit infirmitati, & rationibus pœnitentis connivere, imponendo leviorem satisfactionem motivo Jubilæi?

Respons.

Extra dubium est, quod discursus Thierii sit falsus, & falso supposito nixus. Verum quidem est, quod intuitu Indulgentiæ plenariæ per Jubilæum acquisitæ, Ecclesia, habito respectu tum ad fervorem pœnitentium, tum ad pia opera præscripta, indulget, & remittit aliquam portionem pœnarum Canonicarum, quas primitiva Ecclesia olim imponebat peccatoribus pœnitentibus, qui fregerant, & violarant promissiones in Baptismate factas, post relapsum in culpam mortalem; verum Ecclesia non intendit concedere talem Indulgentiam nisi illis, qui omnes conatus adhibent ad exequendam veram pœnitentiam suorum delictorum, quæ non consistit in simplici narratione coram Confessario, sed etiam requiritur, ut omnis labor impendatur, ur expientur, & deleantur per opera satisfactoria, qaod est dignos pœnitentiæ fructus facere. Cum igitue Indulgentia quamtumvis plenaria non dispenset ab exercenda pœnitentia, sed suppleat solum nostram debilitatem, & defectum illius, quam facere tenemur, & quam adimplere non valemus juxta totum rigorem antiquorum Canonum; Ecclesia in hoc Apostolum imitata (*i*) circa Corinthium incestuosum, quem animadvertens per annum, & ultra severam subiisse pœnitentiam, censuit a longiori satisfactione dispensare, attenta etiam pro tune ejus infirmitate; ita ut Jubilæum non debeat inservire pro fomento nostræ accidiæ, quasi nos liberos reddat a satisfaciendo Divinæ Majestati læsæ. Hæc ipsa est doctrina divi Cypriani, dum ait Ecclesiam pro-

(*i*) *Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur*. 2. Cor. 2. 7. & 8.

promittere, quod Deus ratam habebit Indulgentiam respectu eorum, qui curant agere pœnitenriam, nosque cemimus Pontifices illis dumtaxat spondere Jubilæi effectus, & fructus, qui vere sunt pœnitentes, *vere pœnitentibus*, & peccatorum confessioni superaddunt dignos pœnitentiæ fructus. *Dominus ..... effundet in nos divitias misericordiæ suæ, si iniquitates nostras, quibus eum offendimus nimis, humili confessione agnoscamus, dignosque pœniteatiæ fructus faciamus*. Hæc sunt ipsissima Verba, quæ adhiber Papa Clem. Nonus in Bulla novissimi Jubilæi universalis concessi sub fine anni 1706.

Jam vero Thierius prædictus non potest judicari vere pœnitens, & dispositus, quotiescumque renuit amplecti jejunia, & alia opera pietatis Christianæ, a Confessario imposita. Præterea Theologorum Torrens unanimiter asserit Contritionem, Confessionem, & satisfactionem esse tres partes Pœnitentiæ Sacramentalis. Si igitur duæ priores sunt necessariæ, & essentiales Sacramento, inferendum est similiter tertiam, nempe satisfactionem esse eodem modo absolute necessariam, saltem *in voto*, ad Sacramentum perfecte integrandum; ex quibus deducitur Thierium digne Sacramentum non posse suscipere, nisi intentionem habeat acceptandi, & adimplendi pœnitentiam congruam, quam Confessarius adjungere intendit.

(a) S. Th. in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. quæstiunc. 1. ad 4.

D. Thomas *(a)* addit aliam rationem, quæ verisimiliter militat pro Indulgentiis; quod pœnitentes teneantur acceptare opera pœnitentiæ injuncta, dicens quod etiamsi essent liberi a subeunda pœna temporali peccatis debita; adhuc tamen debent acceptare laboriosa opera injuncta; nam certum ipsis esse debet se esse Divinæ Justitiæ debitores, valde pluris, quam existimant; *ut etiam ex his* (operibus pœnitentiæ) *remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes: & præcipue, quia quandoque sunt plurium debitores, quam credunt*.

(b) Ibidem quæstiunc. 2. ad 2.

Idem S. Doctor affert aliam rationem (*b*) dicens, quod licet Indulgentiæ vim maximam possideant ad obtinendam remissionem pœnæ temporalis culpis debitæ, non per hoc esse omittenda opera pœnitentiæ, cum sint majoris meriti respectu compensationis essentialis; *Quamvis hujusmodi Indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis, quod in infinitum melius est, quam dimissio pœnæ temporalis*. Hæc sunt ipsius verba.

(c) Idem ib. art. 2. qu. 1. quæstiunc. 3. in corp.

Tandem possumus confirmare nostrum argumentum per aliam Doctrinam Angelici Doctoris (*c*) Satisfactio respicit duos fines. Primus est satisfaciendi Justitiæ divinæ propter deletionem peccati commissi. Alter satisfactionis finis est, præservatio a culpis, in quas imposterum relabi possumus. *Pœna satisfactoria est ad duo, scilicet ad solutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando*. Ex quo facile concludi potest; quod cum Indulgentiæ tanta virtus non insit, ut pœnitentem præservet a relapsibus in peccata, necesse est, & maxime interest, ut acceptet pœnitentiæ opera, quæ sint idonea ad illum stabiliendum in proposito non amplius recidendi; aliter censeri non potest vere dispositus, neque pœnitens, neque etiam in dispositione prærequisita ad Jubilæi consecutionem. Et hæc est nostra responsio circa primum propositum dubium.

Quoad alterum quæsitum, clare patet; quippe quod jam diximus Confessarium Thierii, si muneri suo satisfacere intendat, non posse levem satisfactionem imponere pro magna peccatorum caterva, quibus supponitur fœdatus. Confessarius enim in quacumque temporis differentia obligatur ad se conformandum præcepto Evangelico præcipienti cuilibet peccatori facere dignos pœnitentiæ fructus; & ideo tenetur salutares imponere pœnitentias omnibus ad eum accedentibus; cum circumstantia Jubilæi non possit eximere ad eas acceptandas, sicuti probant verba Bullæ: *Injuncta tamen ejus .... pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis*. Jam igitur pœnitentiæ nequeunt esse satisfactoriæ, & medicinales, nisi sint aptæ ad puniendo peccata præterita, & impedienda futura; vel non correspondeant qualitati, & numero delictorum, habita ratione status, & virium pœnitentis. Nostra sententia nititur Concilio Tridentino (*d*) affirmante esse plusquam certum, quod pœnæ magnam virtutem habent retrahendi a peccato eos, quibus injunguntur, & veluti habenæ cohibent, removent, atque obstringunt ad præcavendum majori cura, ac attentione: *Procuidubio enim a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt*; præterquam quod sunt valde utiles ad delendas peccatorum reliquias, & ad destruendas pravas consuetudines contractas vitæ perperam anteactæ vitio. *Medentur quoque peccatorum reliquias*, subjungit idem Concilium, *& vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt*. Unde sequitur, quod si Confessarius Thierii non imponeret, falso Jubilæi prætextu, pœnitentiam salutarem, & consentaneam, sed loco istius injungeret levem pro magno culparum numero, de quibus se accusavit, teneretur Deo rationem reddere suæ culpabilis conniventiæ, & insuper aliquo modo esset in caussa, quod hicce pœnitens relaberetur imposterum in eadem delicta propter nimiam facilitatem prioris absolutionis cum satisfactione levissima.

(d) Conc. Trid. sess. 14. c. 8.

CASUS XL.

Clitarchus Sacerdos juridice damnatus ad jejunium, & recitationem septem Psalmorum pœnitentialium bis in hebdomada per cursum unius anni, lucratus est Jubilæum, & præsumit se liberatum ab hac pœnitentia intuitu plenariæ Indulgentiæ, & effectum ab ea productorum. An veritas, & ratio stat pro Clitarcho?

Respons.

Perspicuum est Clitarchum decipi, ejusque prætensionem falsam esse & male fundatam. Ratio est, quia Bulla Jubilæi condonantis pœnas peccatis debitas, ac pœnitentias injunctas, nullo pacto attendit ad pœnas impositas in foro externo Ecclesiæ, sed solum injunctas in foro interno Sacramentalis pœnitentiæ. *Septimo infertur*, ait Navarrus (*e*) *per Indulgentiam solum condonari pœnam peccato debitam in foro Dei, vel pœnitentiali, non autem debitam in foro exteriori, ideoque castigari posse per Judicem Sæcularem, & etiam Ecclesiasticum in foro exteriori eum, qui indulgentiam quamlibet plenissimam est assecutus: quoniam omnis indulgentia respicit pœnitentias injunctas, vel quæ injungi potuerunt, vel debuerunt a Confessario ..., & ita solum respicit forum pœnitentiale*. Ita ut qui fuit absolutus in foro pœnitentiæ, per hoc non sequitur, quod puniri non possit in foro exteriori propter crimen patratum, uti probat idem Canonista. 1. Ex Canone, qui, ex Judicio Pithou, tribuitur Paulino Episcopo urbis Forojulii, quam Veneti appellant *Ciudad di Friuli*, scribendo anno 794. Heistulfo interfectori suæ uxoris, & per explicationem ejusdem Canonis factam a Glossa (*f*). Secundo ex Glossa super decretalem Alexandri III. dicentis: *etiam post pœnitentiam potest quis accusari*; & consequenter potest puniri. 3. Per Auctorem Glossæ super decretalem aliam Innocentii III. (*g*) dicentis: *per pœnitentiam tollitur crimen, quod mulier contraxit fornicando quoad Deum: & tamen post quantamcumque pœnitentiam potest maritus illam accusare*.

(e) Navarrus Comm. de Jubilæo Notabili 21. n. 20. & 22. com. 2.

(f) Can. Admonere 2. 33. q. 2. Juncta Glossa 2.

(g) Glossa in c. Gaudemus, & de divortiis. v. poterit objicere.

Quod diximus de Clitarcho, idem sentiendum est de pœna religioso imposita in pleno Capitulo: *Non tamen per eas* (Indulgentias) sequitur Navarrus (*h*) *remittuntur illis impositæ in foro Capituli; quia illud ... quasi judiciale, & non pœnitentiale. Propter Indulgentias tamen quærendas observantia regula-*

(h) Navarrus ibid. Notabili 32. n. 32.

regula-

gularis non debet dissolvi: quia licet plus valeant quoad remissionem pœnæ, quam observantia: hæc tamen plus prodest quoad acquisitionem præmii, quod est melius, quam illæ.

CASUS XII.

Alanus Confessarius tempore Jubilæi audivit pœnitentes consuetudinem peccati mortalis habentes: An favore Jubilæi potuerit impertiri beneficium absolutionis, quam negare debuisset in alia temporis circumstantia?

Respons.

Hic Confessarius non potuit conferre absolutionem similibus pœnitentibus in casu nuper proposito. Nam nulla major facultas apparet tempore Jubilæi, quam alio tempore, recedendi a regulis ordinariis, quæ sunt conformes intentioni Ecclesiæ, scilicet procurandi conversionem, & salutem peccatorum. Et ratio est in promtu: nam graviter peccaret, si absolutionem tribueret constitutis actualiter in habitu peccati mortalis; quia illius nimia facilitas esset potius in ruinam, quam in beneficium pœnitentium; experientia teste, qua Confessarii docentur, quod talis conniventia in impertienda absolutione consuetudinariis subministrat hujus generis peccatoribus majorem ansam relabendi in eadem crimina. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi*; ait S. Ambrosius (*a*); vel ut ait Concilium Burdigalense apud citatum Patrem: *Cum facilitas ... veniæ maxima sit peccandis illecebra* (*b*). Suspendenda est igitur hujuscemodi peccatoribus absolutio, donec appareant indicia veræ conversionis, ut tunc possit applicari gratia Jubilæi. Necessitas autem cognoscendi sinceram conversionem, nullam ipsis affert detrimentum, nec impedit nisi ad tempus Jubilæi consecutionem; quoniam obedientia Confessario exhibita est impedimentum non minus legitimum, quam detentio in carcere, vel absentia itinerantis, quibus etiam Ecclesia favorem Jubilæi concedit, sicut aperte testantur omnes Jubilæi Bullæ. Hæc sane est Ecclesiæ mens, quæ nihil aliud desiderans, quam animarum saluti prospicere, non censetur velle punire præfatos privatione Jubilæi, ob dilationem eisdem maxime salutarem, caussatam ab humili obtemperantia præstitam Jesu Christi Ministro. Auctor Colloquiorum Agathensium suffragatur huic sententiæ (*c*).

(*a*) S. Ambrof. in Psal. 1. 8.

(*b*) Concil. Burdigal. an. 1583. tit. 1. de pœnitentia.

(*c*) Colloq. Agath. Colloq. 20 dem. 7.

CASUS XIII.

Justinus secunda Jubilæi hebdomada elicuit confessionem præmissis omnibus in Bulla Pontificis, & mandato Episcopi præscriptis: Confessarius noscit hunc possideri consuetudine inveterata relabendi in plura mortalia, & insuper invenit innodatum casibus reservatis tum Pontifici, tum Episcopo, illum dimittit inabsolutum, & Jubilæum ad mensem prorogat. Duo heic quæruntur. 1. An propria auctoritate Justinus possit Jubilæum differre, absque Episcopi licentia. 2. An tempore statuto possit pœnitentem revertentem ab omnibus reservatis absolvere?

Respons.

Opinio nostra est, quod Confessarius prædictus potuit Justino sola & propria auctoritate Jubilæum differre inscio Episcopo. Quod supra diximus in responsione ad priorem difficultatem sufficere posset pro præsenti probatione; sed addimus ultra, quod est summus Pontifex, qui illi hanc impartitur facultatem. Hanc Bullam exprimit, Confessarium posse commutare opera præscripta in alia pietatis opera, respectu detentorum in carcere, infirmorum & laborantium legitimo impedimento; vel differre in aliud tempus non multum distans. Juvat heic afferre verba Bullæ Jubilæi novissime promulgati sub initio anni 1707. audiamus, quomodo se explicet S. Pontifex Clemens XI. (*d*): *Nec non aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere aut captivitate exsistentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius .... eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus & indulgemus.*

(*d*) Clem. XI in Bulla Jubilæi 2. Decembris 1706.

Inter alia vero impedimenta, illud quod respicit animæ dispositionem, est sine dubio magis legitimum. Dum igitur Confessarius Justini non censuit dispositum pro absolutione & gratia Jubilæi; non tantum potuit prorogare in aliud tempus rationabile, ad hoc ut hujus temporis mora possit satagere, ut sincere per conversionem resipiscat, sed etiam ut suo muneri faceret satis; & Justino notum esse debet dilationem a Confessario concessam nihil sibi profuturam, nisi fideliter tempus statutum impendat in exercitia pœnitentiæ, ut dignus reddatur beneficiis Jubilæi, mediante prævia absolutione a peccatis, quam Confessarius in tali casu poterit elargiri inclusive cum iisdem reservatis Pontifici, vel Episcopo juxta tenorem Bullæ.

CASUS XIV.

Trussardus multis delictis onustus cupiens Jubilæum lucrifacere, incipit ponere jejunium tribus diebus per Bullam requisitis, visitationes, orationes, & eleemosynas; differendo Confessionem, & Communionem in sequentem Dominicam, quas de facto adimplet. Quæritur, an in tali hypothesi Jubilæum sit adeptus? Motivum dubitandi est, quia posuit jejunia, stationes, preces & eleemosynas, existens in statu peccati letalis cum actu contritionis imperfectæ. Quid censendum?

Respons.

1. Juxta D. Thom. S. Antoninum, & Theologorum torrentem, certissimum est volentem Indulgentiam lucrari, debere exsistere in statu gratiæ. *Non valent* (Indulgentiæ) *exsistentibus in mortali. Et ideo in omnibus Indulgentiis fit mentio de vere contritis & confessis.* Ista sunt verba D. Thomæ (*e*). *Secundum Petrum de Palude non valeat Indulgentia exsistentibus in mortali*, inquit D. Antoninus, *quia manente offensa, reatus pœnæ tolli non potest.*

(*e*) S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. quæstiunc. 1. in corp.

2. Laudabile est igitur adimplere in statu gratiæ omnia per Bullam præscripta; ideoque initium a Confessione capere: nam pia opera facta post acceptam absolutionem & reditum ad gratiam, sunt magis Deo grata & utiliora pœnitenti.

3. Tamen negari non potest cum sana Theologia opera ista facta ante receptionem gratiæ esse utilia ponenti ea cum voluntate sincera conversionis; nam gratia quam recipit postea per Sacramentum Pœnitentiæ, facit reviviscere opera dicta, & consequenter pœnitenti utilia & Deo grata. Ex quo concludi potest, Trussardum subjectum istius casus vere esse Indulgentiam lucratum.

Nostra assertio concordat omnino cum sententia D. Antonini sic difficultatem proponentis: (*f*) *Quæritur, utrum qui adimplevit ea quæ continentur in forma Indulgentiæ, ad hoc quod consequatur eam, in peccato mortali etiam per eum cognito, consequatur, effectum Indulgentiæ? v. g. in ejus Indulgentiæ forma exprimitur, quod eroget certam quantitatem pecuniæ; & quod jejunet per annum, si potest, una die in hebdomada; alias non habeat eam: vel, si posita sit Indulgentia ad certum locum, puta in visitando aliquas Ecclesias, ut Indulgentia Jubilæi habeatur; in mortali exsistens sumit iter ad urbem, utrum consequatur Indulgentiam?* Post hæc refert opinionem, quam non sequitur: *Et videtur, quod non: quia ab omnibus Doctoribus tenetur, quod est necessarium hominem esse extra mortale peccatum, ad hoc quod valeat consequi fructum ejus, sed talis est in mortalis: ergo* &c. En eamdem Decisionem istius difficultatis: *Respondendum videtur per distinctionem: quia aliud est dicendum de eo tempore*

(*f*) Idem ib. §. 5.

& loco, quo conceditur Indulgentia; aliud de tempore, quo itur vel disponitur ad Indulgentiam. Non de tempore quo consecuturus est Indulgentiam, ubique oportet, quod sit contritus, & per consequens sine mortali, alias non prodesset; videlicet cum est in articulo mortis, quando sit ejus talis absolutio vel concessio; seu quod eo tempore quo visitat Ecclesiam vel Ecclesias, ubi posita est Indulgentia, ut Indulgentia Jubilæi. Sed tempore, quo pergit ad urbem, ubi sunt dictæ Ecclesiæ; vel tempore, quo dat eleemosynas, vel facit jejunium... Non videtur necessarium, quod illa faciat extra mortale: quamvis utique tutius & melius foret, & utilius etiam tunc esse sine mortali, sicut etiam dicunt plures Doctores, ut Thomas in 4. quod eas satisfactiones injunctas a Confessore, quæ post expletionem earum relinquunt effectum in satisfaciente, in mortali peractas non oportet iterare, ut jejunia, & eleemosinæ, & peregrinationes; quia effectus ille remanens valet reverso ad gratiam.

Prolixitas hujus textus forsan non arridebit amantibus breves Decisiones; sed sicuti hic S. Archiepiscopus nihil inquit, quod sciri non mereatur, ut clare propositæ difficultati possit responderi, & ex alio capite pauci habeant præ manibus Summam Theologicam hujus Sancti; operæ pretium duximus heic afferre.

CASUS XV.

Firmilianus cupiens Jubilæum lucrari, positis primo loco confessione & communione prima die inter quindecim assignatas; adjecit deinde stationes & eleemosynas, sed non complevit tertium jejunium decretum per Bullam, nisi post relapsum in mortale, cujus contritionem tantum imperfectam elicuit. Utrum adhuc fuerit capax Indulgentiæ Jubilæi?

Respons.

Nostra responsio sit, Firmilianum non esse consecutum Jubilæum; quia fieri non potest, ut aliqua Indulgentia obtineatur, quin ultimum saltem opus perficiatur, & fiat in statu gratiæ; cum nequeat remitti pœna peccatis debita, nisi prius remissa sit culpa.

(a) S. Th. in 4. dist. 20. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. in corp.

Hæc est doctrina S. Thom. (a), qui sibi proponens hanc objectionem: *Videtur, si quod Indulgentia valeat existentibus in peccato mortali: quia aliquis potest alteri mereri etiam in peccato mortali gratiam, & multa alia bona. Sed Indulgentiæ habent efficaciam ex hoc, quod merita Sanctorum applicantur ad istum. Ergo habent effectum in illis, qui sunt in peccato mortali*; respondet in terminis: *Hoc non videtur verum, quia quamvis merita illa quæ per Indulgentiam communicantur, possint valere ad merendam gratiam; non tamen propter hoc dispensantur: sed determinate ad remissionem pœnæ. Et ideo non valent existentibus in peccato mortali; & ideo in omnibus Indulgentiis fit mentio de vere contritis, & confessis.*

S. Doctor confirmat hanc veritatem comparatione membri mortui, quod non potest gaudere influxu vitali illorum membrorum viventium; & subjungit, quod homo in mortali existens, cum sit membrum Ecclesiæ mortuum, non potest communicare meritis aliorum fidelium, qui sunt membra viventia: (b) *Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum; ergo per Indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum.*

(b) Idem ib. in 2. arg. sed contra.

Sylvius in hac parte inhæret vestigiis S. Thomæ adamussim (c). Nos supersedemus heic ejus verba subjicere, cum satis sit attulisse illa D. Angelici. Unum tantum adjicimus, quod cum Jubilæum sit gratia extraordinaria ab Ecclesia suis filiis concessa, scilicet remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ, & per sacros antiquos Canones statutæ; opus est pro talis gratiæ consecutione, & remissionis peccatorum adeptione, ut sint liberi a culpa mortali, quæ eos reddit obnoxios suppliciis æternis. Quomodo enim fieri potest, ut quis liberetur a pœna temporali peccato annexa, cum actualiter est debitor pœnæ æternæ propter idem peccatum; & a Deo hanc gratiam obtineat, quando heic & nunc est ejus inimicus? Igitur statuendum est, quod licet satis sit habere sinceram intentionem resipiscendi, adimplendo opera Bullæ; & quod necesse non sit existere in gratia, cum ponuntur; tamen de necessitate est ultimum opus præscriptum in statu gratiæ adimplere.

(c) Fr. Sylvius in suppl. 3. p. S. Thom. qu. 27. art. 1. leite.

Hac de causa doctus Maldonatus (d) animadvertit acute, censendos esse & habendos tamquam Bullæ corruptores omnes eos, qui promittebant virtuta Indulgentiarum remissionem culpæ peccatis debitæ; nam, ut exponit Cardinalis Cusani Legatus Pontificis in Concilio Magdeburgensi an. 1450. nullus Pontifex has Bullas concessit cum tali promissione; quæ non potuit esse adjecta nisi fraudulenter a personis pecuniarum cupidis: *Respondeo illum esse abusum*, inquit hic Auctor, *& multos esse Theologos bonos, qui affirmant nullum Pontificem dedisse umquam Indulgentiam sub illa forma, sed verbum illud*, a culpa *esse additum ab illis, ad quos pecunia pertinet*. Talis abusus non est commentitius, quoniam Tridentinum de eo conqueritur, ac damnat (e).

(d) Jo. Maldonat. de pœnit. tom. 2. de Indulg. q. 2.

Et pro rei veritate Clemens V. in quadam sua Constitutione inserta Juri (f) quam idem Pontifex condidit in Generali Concilio Viennæ in Delphinatu habito, declarat, quod clausula illa: *a pœna & a culpa*, quæ fortasse posset in aliqua Bulla Indulgentiæ reperiri, est abusus redditus, & inventus a Quæstoribus, quam clausulam inserebant Bullæ ad incautos decipiendos, & ad majus lucrum capiendum: aperte damnat hanc fraudem veluti aptam reddere contemtibiles claves Ecclesiæ a Christo Domino traditas. Insuper quotiescumque in Bullis Indulgentiarum reperiuntur hæc verba: *Remissio peccatorum*, intelligenda sunt tantummodo de pœnis debitis culpis: sicut animadvertit Cardinalis Bellarminus (g): *Veri ratione*, inquit, *cum dicant Pontifices, se per Indulgentias absolvere pœnitentes a peccatis, vel condonare omnia peccata, vel dimidia, aut tertiam partem peccatorum; semper loquuntur de peccatis quoad pœnam, non quoad culpàm, quæ ante Indulgentiam remissa esse creditur.*

(e) Conc. Trid. sess. 21. c. 9.

(f) Clementina *Abusionibus* 2. de pœnit. & remiss. lib. 5. tit. 9.

(g) Robert. Bellarm. l. 1. de Indulg. c. 1.

Facile conjici potest non esse habendam tamquam supervacaneam, prolixam citationem Maldonati, & Bellarmini. Cum enim Indulgentia careat virtute delendi culpam peccati, quæ peccatorem reum constituit æterni supplicii; necessario fatendum est, ut priusquam Indulgentiæ beneficio liberetur a pœna temporali, antecedenter, inquam, ab æterna per Confessarii absolutionem liberatus existat.

CASUS XVI.

Petrus casu reservato obstrictus, cui adest annexa censura excommunicationis IPSO FACTO, occasione oblata Jubilæi cupiens resipiscere, prima die publicationis confitetur, & absolutionem tam a peccatis, quam a censura recipit, cum animo sincero, & firmo proposito adimplendi omnia opera Bullæ. Sed post tres, vel quatuor dies elapsos cum reinciderit in novum mortale, pudore suffunditur, & Jubilæum negligit perficere. Heic oritur quæstio, utrum reservatio peccati, & excommunicatio, a quibus fuerat beneficio Jubilæi absolutus, iterum reviviscant; ita ut necesse sit ad superiorem accedere pro nova absolutione, post Jubilæi tempus transactum?

Respons.

Absolutio a Petro recepta bona fide tempore Jubilæi cum intentione recta exsequendi omnia per Bullam præscripta ad finem Jubilæi lucrandi, valida est; ideoque non reincidit in reservationem casus, neque in excommunicationem, a quibus antea fuerat absolutus prima die, & consequen-

sequenter eximitur ab onere iterum sistendi se superiori pro secunda vice.

Ratio, quæ potest adduci, est, intentionem Papæ Jubilæum largientis, conferre Confessariis ab ordinario canonice approbatis facultatem absolvendi omnes ad Tribunal Pœnitentiæ accedentes cum dispositionibus requisitis pro Indulgentia: Jam Petrus erat ita dispositus die suæ confessionis, ut supponitur in casu præsenti: Fuit ergo valide absolutus; cum absolutio ipsi fuerit collata absolute, & simpliciter, & non sub ulla conditione, sicuti vere conferri debet.

(a) Navarrus lib. 5. Consil. 39 de pœnis.

Ita ratiocinatur Navarrus dicens (a): *Qui semel confitetur legitime peccata sua, & absolvitur, non tenetur illa unquam iterum confiteri jure naturali, nec divino, nec canonico communi: immo nulla lege humana potest constitui, ut quis absque consensu suo obligetur ad confitendum idem peccatum.* Quod peritus Canonista probat auctoritate D. Thomæ qui ait: *Nec potest aliquis alicujus hominis auctoritate compelli ad confitendum peccatum, quod alteri confessus est, qui absolvere potuit.* Post hanc primam propositionem, Navarrus sequitur suum argumentum hoc pacto; *Ab iis, de quo quæritur, legitime fuit semel confessus peccata reservata, & legitime absolutas; ergo non tenetur iterum confiteri.*

CASUS XVII.

MARTINUS prima hebdomada complevit omnia opera per Bullam Jubilæi injuncta, & post absolutionem omnium casuum tum reservatorum, quam non reservatorum, sacram synaxim sumpsit; post tres dies, relapsus in peccatum reservatum, de eo efficacem dolorem elicuit cum proposito non peccandi de cætero; ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit; & suum peccatum aperit proprio suo Confessario ordinario, ad finem etiam iterum Jubilæum lucrandi, & quod reiteravit omnia opera pia, sicuti egerat in prima hebdomada; hinc quæritur, 1. num Martinus fuerit valide absolutus secunda vice, esto ipsius Confessarius extra tempus Jubilæi non gauderet facultate absolvendi a reservatis; 2. Utrum Jubilæi Indulgentiam iterum sit adeptus?

RESPONS.

(b) Fr. Silvius resolut. v. Jubilæum. &c.

Theologus primæ Classis (b) in resolutione hujus difficultatis sub 27. Maji 1641. putat juxta opinionem, quæ ipsi visa fuit probabilior, prædictum pœnitentem non potuisse valide absolvi altera vice, nec consequenter recepisse iterum Jubilæi gratiam.

Ratio ejusdem est, quod juxta tenorem, & methodum ordinariam a Pontifice adhibitam in Bullis Jubilæi, & per verba, quibus ejus mens exprimitur, apparet ejus voluntatem esse, quod semel tantummodo acquiratur, aut in prima, aut in secunda hebdomada, sicuti judicare licet ex illa particula disjunctiva, qua re explicat, dicens: *Qui in prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam.*

(c) Filiucius tom. 1. tract. 8. n. 278.

Ad suam roborandam sententiam, allegat Doctorem (c) qui plures annos in alma urbe fuit Theologiæ Professor, testantem, quod Clemens VIII. consultus circa hanc difficultatem, respondit juxta opinionem allatam; & quod sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini interpres in iis, quæ spectant ad Disciplinam, & mores, idem declaravit mense Maji 1620. (d).

(d) Idem Filiuc. ib. n. 261.

Porro noster citatus Theologus addit vota quinque Theologorum, qui ante illum defenderunt posse unica tantum vice conferri absolutionem a casibus reservatis, tempore Jubilæi durante. Fatetur nihilominus Confessarium adhærentem contrariæ sententiæ non esse redarguendum, si absolverit in secunda hebdomada pœnitentem reservatis irretitum, quem antea absolvisset a culpis similibus in præcedenti, dummodo talis pœnitens in altera sequenti hebdomada fuisset executus quicquid in Bulla statuitur: vel intentionem veram haberet exequendi, quod addit, & asserit, post quatuor Auctores ibi citatos (e).

(e) Antoninus Diana Clericus Regul. Theat. part. 2. tract. 3. resol. 4. 9. & par. 5. tract. 12. resol. 28. & tres alii.

De facto auctoritas absolvendi a quibuscumque casibus tam reservatis, vel non cadentibus sub reservatione est concessa indistincte, & absque ulla restrictione, aut exceptione omnibus & singulis Confessariis ab Ordinario approbatis pro tempore Jubilæi, si pœnitens adimpleat opera omnia, per Bullam expressa. Non videtur igitur ratio, cur debeat hæc gratia restringi solis pœnitentibus, qui usque adhuc non sunt Thesaurum Jubilæi consecuti, aut deneganda illis, qui eum prima hebdomada lucrati, se disponunt in ultima hebdomada ad iterum absolutionem reportandam de delicto, in quod miserabiliter sunt relapsi.

Nos igitur existimamus 1. Martinum valide fuisse absolutum in casu exposito; cum validitas absolutionis non pendeat absolute ab Indulgentia; quippe quod valide potest conferri absolutio prima die inclinationis Jubilæi, priusquam conditiones per Bullam requisitæ fuerint executioni mandatæ, etsi pœnitens postea voluntatem mutaverit, omittendo opera injuncta.

2. Martinum esse bis Jubilæum lucratum. Nam subscribere non possumus opinionem eorum, qui reantur semel dumtaxat Jubilæum posse acquiri, quod pluribus rationibus fulcietur.

Prima ratio fit; quia expressio generalis includit, & comprehendit casus omnes, ad quos applicari potest, & extendi intra suum sensum naturalem, & obvium, quod item verificatur in materia odiosa, & lege pænali. Jam vero verba, quibus utitur Sixtus IV. in Bulla 29. Augusti 1473. & Gregorius XIII. in alia Bulla a se edita 1575. & generaliter in ceteris omnibus, quibus Pontifices Jubilæi Thesaurum aperiunt, continent semper expressionem generalem, indigitantem omnes Jubilæum adipisci volentes, posse confiteri cuilibet Sacerdoti approbato, nulla facta mentione pro sola prima vice: prædictorum ergo Pontificum intentio est indifferenter intelligenda, tam pro prima, quam secunda vice; & si aliqua dubitatio occurreret circa hoc punctum, interpretatio facienda esset in favorem, & beneficium piarum personarum, qui sunt in possessione talis usus, juxta regulam Juris (f) *In re dubia benigniorem Interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius*, &c. Cohæret huic sententiæ dogma Innocentii III. (g) *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissime*, quod hic Papa didicit ex Lege digesti, ubi habetur: *Beneficium Imperatoris, quod a divina ejus scilicet Indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.* Aphorismus inconcussus in subjecta materia; Jubilæum siquidem est pura, & simplex gratia primario Ecclesiæ Principe donata in profectum & utilitatem fidelium, nulli præjudicium afferens, neque Ecclesiæ, neque personis singulariter sumptis.

(f) Leg. Ea quæ. 192. §. 1. ff. de reg. jur.

(g) Innoc. III. in cap. *Olim*. 16. de verb. signific.

Altera sententiæ ratio; quia quotiescumque legitimus superior generali concessione permisit electionem Confessarii ad beneplacitum, vel aliunde jus possidetur per Privilegium, citra dubium est, quod unus hodie, cras alius eligi potest. *Quicumque potens est sibi eligere* (Confessarium) Paludanus ait (h) *si electo uno, vult eum mutare, alium eligere, sive eo mortuo, sive non potest; licet aliter sit in Jure civili ..... & sic quemcumque eligit in Confessorem, ille est Confessor ... unde sicut primum eligendo non eligit nisi Confessorem, sic nec eligendo secundum, tertium, quartum eligit, nisi Confessorem.* Iste igitur non operatur nisi juxta Pontificis mentem, & Bullæ substantiam; cui est integrum eligere ad libitum Confessarium intra sphæram eorum, qui sunt ab Episcopo approbati. Cohærenter igitur pronunciandum est de ceteris oneribus in Bulla expressis quod nempe bis possunt adimpleri, & bis pariter Jubilæum acquiri.

(h) Paludanus in 4. dist. 17. q. 3. art. 2. v. Item quicumque.

Tertia; quia fieri potest adeptio Indulgentiæ perpetuæ, vel ad tempus definitæ, quolibet anno, quolibet mense, & quolibet die, quando tempus, aut dies non sint fixa, & determinata per Breve Pontificium. *In perennibus ergo* (Indulgentiis) subjicit Paludanus (i) *non apparet, quod magis voluerit* (concedens) *de prima die, quam*

(i) Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. art. 1. conclus. 1.

de secunda, sicut nec primo anno, quam de aliis; quia non minus voluit visitari Ecclesiam, cui dedit Indulgentiam perennem, quam illam, cui dedit temporalem. Unde si ibi lucratur quolibet anno, ita & hic. Qua ratione autem quolibet anno, eadem ratione, quolibet die, & mense.

Ex quo discursu infertor, quoniam tempus determinatum pro Jubilæo lucrando non est præcise fixum, nec annexum uni tantum hebdomadæ vi Bullæ; sed conceditur arbitrium deligendi aut primam, aut ultimam, posse denuo comparari in altera hebdomada, quamvis obtentum in prima. Ita Navarrus (*a*).

(*a*) Navarrus tom. 2. comment. de Jubilæo, & Indulg. notabili. 32. n. 4. v. Circa hoc & tom. 3. in Can. placuit de pœnit. dist. 6. n. 167. & seqq.

CASUS XVIII.

HONORATUS Civis Ambiani Vir tenui devotione præditus pro jejunando plures dies, & visitando Ecclesias distinctas, sicuti decernitur in Bulla Jubilæi Universalis promulgati, & inchoati in Diœcesi, & non ignorans aliunde Jubilæum quoad effectum principalem non differre ab Indulgentia plenaria, Proposuit visitare semel tantum die natalis Domini Xenodochium generale Urbis, ibi recitando quinquies Pater, & Ave, & eleemosynam erogando, quæ sunt opera per quandam Bullam Papalem designata largientem plenariam Indulgentiam omnibus, qui ea præstabunt, & die præfata Nosocomii Ecclesiam visitabunt. Concludi ne potest Honoratum hoc modo lucratum Indulgentiam plenariam, & etiam Jubilæum?

RESPONS.

Lucide patet Honoratum sibi comparasse, neque Indulgentiam neque Jubilæum. Ratio est, quia durante toto anno Jubilæi Universalis, omnes ceteræ Indulgentiæ plenariæ suspenduntur, ita ut nulla possit acquiri; sicuti declaratum est in Bulla Xisti IV. a nobis supra citata in antecedenti discussione, & in aliis pluribus Bullis posterioribus. Attendamus Pontificis verba: *Nos... ne propter aliarum Indulgentiarum a nobis .... vel aliis Prædecessoribus nostris concessarum hujusmodi effusionem, hoc sanctum opus, ac remissionis, & gratiæ annus Jubilæus intermittatur, aut fideles ipsi a tanto munere reddantur expertes .... omnes, & singulas plenarias, etiam ad instar Jubilæi, ac .... facultates, concessiones, & indulta a nobis, & eadem sede (Apostolica) vel illius auctoritate, quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis. tam in perpetuum, quam ad certum tempus in vita, seu in mortis articulo, quovis modo, aut quavis caussa, quomodolibet concessas, & concessa. & in posterum forsitan concedendas, vel concedenda, auctoritate Apostolica tenore præsentium, de Apostolicæ auctoritatis plenitudine .... suspendimus; illasque durante beneplacito nostro, & Sedis prædictæ suspensas esse volumus, nec interim alicui suffragari.* Quamobrem Honoratus intendens tempore anni Jubilæi adipisci Indulgentiam plenariam concessam in favorem dicti Hospitalis erravit, neque potuit eam lucrari nisi post annum Jubilæi elapsum. Accedit etiam, quod Bullæ omnium Jubilæorum verbis expressis declarant suspensionem generalem omnium aliarum Indulgentiarum (*b*)

(*c*) Placet hic animadvertere, Navarrum examinare quæstionem, an Indulgentiæ non plenariæ, seu partiales cadant pariter sub revocatione contenta in Bulla Xisti IV. adhuc Jubilæo permanente; & hunc Canonistam pendere pro parte negativa, probantem suam opinionem quinque, aut sex rationibus contra sex alias, quas sibi objicit; & refellit iisdem verbis Bullæ, uti videre est apud eundem, D. E.

(*b*) Colloq. Lusson. tom. 7. colloq. 12. q. 9

(*c*) Navarrus comment. de Jubilæo, & Indulg. notabili. 25. n. 1. & seqq. & notab. 35. n. 10

CASUS XIX.

EPIMACHUS Religiosus concionem habens in Parœcia S. Evroldi dies octo ante inchoationem Jubilæi, subjungit Indulgentiam esse indiscriminatim concessam tam pro defunctis, quam pro Vivis, & utrisque certo, & infallibiliter prodesse, Bulla plene in omnibus ejus partibus adimpleta. Pastor dictæ Ecclesiæ Dominica subsequenti Pulpitum conscendens, acriter probavit dictum Religiosum errasse, & Indulgentias Jubilæi non prodesse defunctis. Pro quibus istorum stat Ratio?

RESPONS.

Ut perfecte evacuetur hæc difficultas, opus est distinguere duo Indulgentiarum genera. Indulgentiæ primi generis conceduntur *per modum absolutionis*; aliæ applicantur *per modum suffragii*, ut scholæ loquuntur. Indulgentiæ *per modum Absolutionis* dicuntur illæ, beneficio quarum Ecclesia relaxat fidelibus pœnam peccatis alligatam, quorum culpæ Pœnitentiæ Sacramento sunt remissæ; hancque gratiam largitur virtute potestatis a Christo Domino sibi communicata, quando Apostolorum Principi dixit (*d*). *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; proferendo e suo Tribunali hanc Absolutionem; quæ necessario suum sortitur effectum, *positis ponendis*. Ratio a Silvio adducta est, quod ista verba (*e*), *Quodcumque solveris*, sunt generalia, atque in se ipsis includunt integram, & perfectam potestatem solvendi ab omnibus vinculis, quæ possunt præpedire peccatores a possessione æternæ beatitudinis. *Cum enim*, argumentatur hic Theologus, *hæc verba* ..... Quodcumque solveris super terram, *sint generalia, complectuntur omnem potestatem tollendi quælibet vincula, & obstacula, quibus homines impediri possunt a consecutione regni cœlestis, non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.* Ex quo hanc deducit consequentiam (*f*), *permittitur ergo illis verbis beato Petro summa potestas non solum absolvendi a peccatis; sed etiam a pœnis, censuris, votis, juramentis, & aliis, quæ hominem quoquomodo ligatum tenent, retardant ab ingressu cœli.*

(*d*) Matth. 18. 19.

(*e*) Fr. Silvius in supplem. S. Thom. qu. 25. art. 2 concl. 1.

(*f*) Idem ib. quæsito 2. conclus. 8.

Indulgentiæ ab Ecclesia concessæ *per modum suffragii*, non dispensantur eodem modo; sed solum per modum supplicationis, liberationis, & redemptionis; quod non impedit, quin suum effectum sortiantur: *Sed etiam valent, ut condonetur pœna vere coram Deo debita, adeoque in futuro sæculo luenda.* Ita Silvius.

Proponatur exemplum familiare mirabiliter explanans justam differentiam inter utrasque Indulgentias. Lex vult e carceribus emancipare duos subditos detentos, quorum unus in proprio dominio, alter Bizantii. Quomodo primo libertatem donabit? Hoc fiet ejus propria, & suprema auctoritate, pronuncians gratiam *per modum absolutionis*, absque auxilio, & concursu potestatis extraneæ. Sed pari modo nequit alterum liberare, quia non potest suam Jurisdictionem exercere extra limites suæ ditionis absque consensu Principis, sub cujus Imperio, & Dominatu moratur in carcere. Non potest igitur ultimum in libertatem vindicare, *nisi per modum suffragii*, intercedendo pro eo apud Sultanum, cujus est captivus, vel mancipium, & solvendo ejus redemptionem... *In hoc distinguitur Indulgentia* (per modum absolutionis) *a modo juvandi per suffragia, quod hic privata auctoritate fieri possit, non illa*, subdit idem Theologus (*g*). Ita pariter se gerit Ecclesia in largiendis Indulgentiis. Respectu enim vivorum fidelium, qui proprie sunt ejus subditi, his applicat *per modum absolutionis*: & ob hanc rationem Martinus V. concedens Indulgentiam in terminatione Concilii Constantiensis, *dicit se absolutionem concedere*, ut iisdem verbis Silvii utamur, addentia hanc esse locutionem eandem sancti Thomæ: *Et Beatus Thomas q. 27. art. 2. docet, quod Indulgentiam facere, sit remittere pœnam cum pote-*

(*g*) Idem cit. dist. 25. art. 2. quæsito 2.

potestate Jurisdictionis. Verum respectu defunctorum qui in Purgatorio detinentur, eos respicit tamquam extra suam jurisdictionem & potestatem, sicut declarat Gelasius I. in quodam Canone decreti Gratiani (*a*): ob hoc non applicat illis Indulgentias, nisi per modum suffragii, orando Deum, ut dignetur per suam infinitam misericordiam suscipere, & acceptare satisfactiones superefluentes Jesu Christi, & Sanctorum pro solutione pœnarum, quarum sunt divinæ justitiæ debitores?

(*a*) Gelasius I. in Can. *Legatur*. 2. 24. q. 2.

Jam vero non potest sub dubium cadere hoc genus Indulgentiarum prodesse mortuis, quorum animæ in Purgatorio exsistunt. Nam cum præcepto fidei credendum sit, eos adjuvari & sublevari posse precibus & suffragiis fidelium juxta ordinationes misericordiæ & justitiæ Dei, & juxta mensuram diligentiæ & devotionis, quibus in hac vita degentes, se dignos reddedirunt hujus auxilii participatione; a fortiori sunt capaces talis beneficii per applicationem meritorum, & satisfactionum exsuberantium Salvatoris ab Ecclesia factam. Est opinio D. Bonaventuræ, D. Thomæ, & magnæ Theologorum catervæ, quos citat doctus Bellarminus (*b*), dicens Ecclesiæ sensum in subjecta materia fundari super antiquas consuetudines, & observationes plurium sæculorum; cum Paschalis I. qui obiit anno 824. largitus sit Indulgentias, & alii plures Pontifices ducti ejus exemplo: & hoc ad normam traditionis Apostolicæ & doctrinæ sanctorum Patrum (*c*).

(*b*) Robert. Bellarm. lib. de Indulg. c. 24.

(*c*) Conc. Ancyran. can. 5. Conc. Nic. 2. can. 5. & 11. Conc. Laodic. can. 2. 8. Cypr. tract. de lapsis apud Sylvium.

Hoc toto præsupposito, superest examinanda quæstio proposita, utrum scilicet Indulgentiæ proficiant animabus defunctorum certo, ac infallibiliter. Circa quod Theologi, & Canonistæ discrepant inter se. Etenim Dominicus Soto, & Navarrus pugnant pro affirmativa sententia: sed alii in majori numero stant pro negativa, videlicet D. Bonaventura, Richardus, Cajetanus, & Durandus asserentes probabilius esse effectum harum Indulgentiarum pendere totaliter *ex liberali Dei acceptantis voluntate*; & istorum opinio concordat cum Ecclesiæ praxi orantis publice pro anima defuncti, & itidem pluries offerentis sanctum Sacrificium pro ejusdem liberatione.

Ex jam dictis conclusio nostra sit, Epimachum potuisse sine errore propugnare, Ecclesiam concedere Indulgentias tam pro vivis, quam pro defunctis, licet diverso modo, ut declaravimus; easque prodesse certo, ac infallibiliter defunctis juxta aliquorum sententiam, quamvis opposita sit probabilior. Ex quo sequitur propositionem Parochi sancti Evroldi rectum sensum pati posse.

Vide { INDULGENTIA. CONFESSARIUS. CONFESSIO. Casus 15. 16. 17. ABSOLUTIO. }

JUDEX.

HOMO appellatur Judex, quia est constitutus pro reddenda Justitia omnibus postulantibus. *Judex dictus, quasi Jus dicens populo*, ait D. Isidorus in Canone (*d*), adjiciens Judicem non mereri hunc titulum, nisi sequatur regulas justitiæ. *Non est etiam Judex, si non est in eo Justitia* (*e*).

Accipe definitionem traditam ab insigni Theologo Belga (*f*): *Judex est persona, publicam habens potestatem Jurisdicendi*; scilicet homo publica auctoritate supremi Principis creatus, ad finem Justitiam faciendi singulis suis subditis juxta regulas Legis, & Ordinem ab ipsa præscriptum (*g*). In quo patet discrimen inter Judicem, & Arbitrum, qui postremus potestatem solum possidet per conventionem eorum qui ipsum elegerunt. Hic autem non tenetur absolute servare formalitates Tribunalis, neque Judicium ferre juxta vigorem Legis, sed tantum *ex æquo & bono*, id est juxta æquitatem.

(*d*) Isidorus in can. *Justum est*. 1. 23. q. 2. §. 2. & in cap. *Forum est*. 10. de verbor. signific. lib. 5. tit. 40.

(*e*) Cit. cap. *Forus*.

(*f*) Polm. brev. Theol. part. 2. 4. n. 654.

Item non sufficit, Judicem, ut sit legitimus, esse electum pro tali officio a suprema auctoritate, & quod servet ordinem Justitiæ in suis Judiciis proferendis; sed insuper requiritur, quod illi quos judicat, sint subditi illius Jurisdictioni; & causa supra quam fert judicium, sit materia sui Tribunalis: aliter ejus sententia ferret injuriam partibus; injuste enim sibi usurparet potestatem quam non habet; & consequenter esset invalida juxta Canones Juris: *Ea quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt* (*h*). Verum est animadvertendum, Judicem loci in quo delictum patratum est, habere Jus cognitionis, licet reus aliunde non esset subditus ipsius Jurisdictioni, ex lege statuente: *Ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur* (*i*).

(*g*) Can. *In ipsis*. 3. dist. 4.

(*h*) Reg. 26. de reg. juris. in 6.

Judex in materia criminali procedere potest per viam informationis factæ ex Officio contra personam rei, vel per accusationem factam ab aliquo, qui se obligat ad probationem facti cujus alterum accusat, aut tandem per simplicem denuntiationem, quam facit una partium contra compartem absque onere exhibendi probationes necessarias ad convincendum accusatum criminis imputati.

(*i*) Can. *Ibi semper*. 3. q. 3. q. 6. & can. *Qui crimen*. fin. ibid.

Binas Judicum species distinguere oportet, juxta duos Ordines Jurisdictionis, Ecclesiasticæ, & sæcularis; & in utrisque Judex, aut est superior, aut inferior.

Sicut Judici sæculari non licet sibi usurpare Jurisdictionum Judicis Ecclesiastici, ita Judex Ecclesiasticus non potest agere in præjudicium Judicis sæcularis; cum uterque teneatur juxta Canones, Leges & statuta se continere

intra limites potestatis sibi traditæ: quod pariter locum habet tam in Judice ordinario, quam potestatem delegatam habente.

Non est officium Judicis, sed solius Legislatoris, Legem interpretari. Attamen in casibus a Legislatore omissis, Judex semper obligatur, servata æquitate, sequi partem mitiorem & benigniorem, & super omnia in causis criminalibus, & quando agitur de pœna infligenda, ad tenorem Regulæ Bonifacii VIII. (*a*); *In pœnis benignior est interpretatio facienda.*

(*a*) Bonifac. VIII. in reg. 49. de reg. juris in 6.

Non est licitum Judici munera accipere a litigantibus, & accepta tenetur restituere.

Qui Judex exstitit in aliqua causa, coram quo fuit lis inchoata, non potest amplius officium arbitrii suscipere: *Si quis vero Judex sit; arbitrium recipere ejus rei de qua Judex est, & in se compromitti jubere prohibetur Lege Julia*, *docet Canon erutus e Digesto, & Codice* (*b*).

(*b*) Can. *Infames*. 2. §. 19. q. 7.

Si Judex sit subalternus, parti condemnatæ licet appellare ab ejus sententia ad Tribunal superius, pro reformatione sententiæ latæ, sive quoad substantiam, sive quoad modum & ordinem; sed si pars appellans non protestetur suam appellationem intra tempus statutum; Judex inferior, *seu a quo*, iterum redit in possessionem suæ Jurisdictionis, ut apparet ex multis Decretalibus Alexandri III & Clementis III. (*c*).

(*c*) Alex. III. in cap *Reprehensibilis*, 26. cap. *Ad hæc*. 27. cap. *Ad aures*. 31. & Clemens III. in cap *Directa*. 39. de appellatione, recusat. & relationibus lib. 2. tit. 28.

Porro Judici vetitum est, regulariter loquendo, pronuntiare suas sententias diebus festivis, ut infra ostendemus.

CASUS PRIMUS.

Seditione generali orta in Urbe Hamburgi, minitantibus populis ignem applicare Palatio Urbis, atque interficere omnes Magnates ibi congregatos, nisi Tullius Caput Senatus, & alii ipsi adhærentes ferant sententiam mortis, aut perpetuæ triremis contra Sempronium; hic Magistratus existimavit pro salute Urbis & Civium præservatione, nec non sedandi ergo tumultum qui minabatur certum Urbis exitium, & necem plurium personarum insignium, subscribere in hac extrema circumstantia petitioni populi irritati & conjurati, pronuntians sententiam mortis in Sempronium, esto esset conscius suæ innocentiæ. An potuerit tuta conscientia Tullius ipsum damnare, ad præservandam unius nece vitam multorum insontium, & evitandam Palatii combustionem?

Respons.

Tullius, & ipsius adhærentes non potuerunt absque gravi peccato damnare Sempronium in casu proposito. Siquidem numquam permittitur Magistratui damnare innoxium ad pœnam afflictivam, qualis est mors, mutilatio, fustigatio, verberatio, aut triremis. Est germana D. Thomæ doctrina dicentis (*d*). *Numquam secundum humanum judicium aliquis debet puniri sine culpa, pœna flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur.* Verum puniri potest suorum bonorum direptione, licet culpa vacet, quando subest aliqua caussa sic permittendi, ut in exposito casu. *Pœna autem damni punitur aliquis*, sequitur S. Doctor (*e*), *etiam secundum humanum judicium etiam sine culpa, sed non sine caussa.* Ratio ab eodem assignata est, quod, juxta Augustini doctrinam, Judices in suis sententiis imitari debent illas, quibus Deus manifeste peccatores damnat. *Sicut Augustinus dicit; Judicium humanum debet imitari judicium divinum in manifestis Dei judiciis, quibus homines spiritualiter damnat proprio peccato.*

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2.

(*e*) Item in 2. sentent. dist 33. q. 1. art. 2. ad 4. & in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

Sed numquam imitari possunt ordinem Divinæ Providentiæ in suis arcanis judiciis respectu eorum, quos flagellat temporalibus suppliciis, licet peccata non patraverint; nam judicia ista secreta, sunt incomprehensibilia hominibus, qui prævidere nequeunt, quid cuique sit proficuum, & conveniens. *Occulta vero Dei judicia, quibus temporaliter aliquos punit absque culpa, non potest humanum judicium imitari: quia homo non potest comprehendere horum judiciorum rationes, ut sciant quid expediat unicuique.* Et in hoc sensu intelligenda est regula ista Bonifacii VIII. (*f*). *Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus.*

(*f*) Bonifac. VIII. in reg. 23. de reg juris in 6.

Juxta idem principium filius rei læsæ Majestatis morte mulctati potest juste privari hereditate paterna, licet non sit conscius criminis. Nam in hoc casu consideratur pœna, non solum ut remedium delicto præterito, sed etiam ut præservativum contra piacula futura, vel ut medium ad aliquod bonum procurandum. Ita docet S. Thomas (*g*). *Alio modo potest considerari pœna, in quantum est medicina non solum sanativa peccati præteriti; sed etiam præservativa a peccato futuro; vel etiam promotiva in aliquod bonum: & secundum hoc aliquis interdum punitur sine culpa, non tamen sine caussa.*

(*g*) S. Thom. cit. art. 4. in corp.

CASUS II.

Alberto in flagranti crimine furti capto Cyprianus Judex Criminalis, damnationis sententiam in eum tulit inappellabiliter, nisus attestatione trium aut quatuor testium, qui eum ceperant in criminis actuali patratione, nullo accusatore contra ipsum apparente. An Judex legitime se gesserit?

Respons.

Dubitari non potest judicem non potuisse legitime Albertum morti adjudicare, neque aliis pœnis afflictivis, absque ullius accusatoris interventu, & sententiam prolatam contra eumdem esse injustam, & irritam. Ratio a S. Thoma assignata est, quia Judex est interpres Justitiæ (*h*). Justitia quippe importat necessario relationem unius personæ ad aliam, V. E. Accusatoris ad accusatum. Propter quod Judex non potest judicium ferre contra eum, qui caret accusationibus; idemque S. Doctor probat textu divinæ scripturæ. Ista sunt ejus verba: *Judex est interpres Justitiæ. Unde, sicut Philosophus in 5. Ethicorum, homines ad Judicem confugiunt, sicut ad quamdam Justitiam animatam. Justitia autem ..... non est ad se ipsum, sed ad alterum: & idcirco oportet, quod inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit, cum unus est Actor, alius est Reus: & ideo in criminibus non potest aliquem judicio condemnare Judex, nisi habeat accusatorem secundum illud.* Act. 25. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur. Hæc unica auctoritas sufficere potest pro decisione quæstionis propositæ.

(*h*) S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. ad 2. Item in 2. sentent. dist. 33. q. 1. art 2. ad 4. fin. 4. dist. 46. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3.

CASUS III.

Sylvius accuſatur coram Theophilo Judice Criminali de homicidio Martialis, ſuffulto tribus aut quatuor teſtibus, qui depoſuerunt ſe fuiſſe teſtes oculares hujus interfectionis, contra quos non habet, unde legitime ſe ſe Sylvius purget. Theophilus non ignorat depoſitiones eſſe falſas, cum ipſemet Judex viderit Martialem morientem ex lapſu cujuſdam culminis: hic omnibus adhibitis conatibus ad infirmandas depoſitiones falſorum teſtium abſque ullo fructu, poteſt ne tuta conſcientia judicare Sylvium *ſecundum allegata, & probata*, atque eum tradere morti, quæ infligitur ſicariis, quamvis ei conſtet accuſati innocentia?

RESPONS.

Iſta celebris controverſia ventilata fuit a plutibus Doctoribus, tam Theologiæ quam utriuſque Juris, canonici & civilis, quorum alii pro parte affirmativa, alii pro negativa pependerunt.

Prima opinio eſt aſſerentium Judicem in hac hypotheſi teneri ſententiam ferre contra innocentem, quotieſcumque contra hunc tenet ſufficientes probationes, ſicut exigunt leges; veluti impræſentiarum, licet aliunde, ſcilicet private ſit eidem comperta ejus innocentia. S. Thomas ſubſcripſit iſti ſententiæ (a) ita ſe explicans: *Judex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit. Si autem hoc non poteſt, debet eum Superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non poteſt, non peccat ſecundum allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi qui eum aſſerunt nocentem.*

(a) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3.

Rationes, quibus nituntur fautores hujus opinionis ſunt, 1. Quod Judex qua Judex reduplicative conſideratus, eſt perſona publica, qui in tali ſtatu tenetur judicare cohærenter ad legis Decreta, & non juxta ejus ſcientiam & notitiam privatam. 2. Quod Scriptura aperte ſuffragatur huic opinioni. Idem Deus ipſe teſtatus eſt per os Moyſis (b) his formalibus verbis: quod qui fuerit accuſatus per duos aut tres teſtes, neceſſario eſt morte mulctandus. *In ore duorum vel trium teſtium peribit qui interficietur*: Et quod debet haberi tamquam certum, quod ab his teſtibus proponitur (c). *In ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*; Documentum confirmatum a Jeſu Chriſto, & Apoſtolis in pluribus locis novi Teſtamenti (d) 3. Eorum opinionem fulciunt quibuſdam Patrum textibus, & ſpeciatim D. Ambroſii citati in Canone (e) *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed juxta Leges, & Jura pronuntiat, ſcitis Juris obtemperat; non indulget propriæ voluntati; nihil paratum, & meditatum domo refert; ſed ſicut audit, ita judicat; & ſicut ſe habet negotii natura, decernit; obſequitur legibus, non adverſatur.* Auctor Gloſſæ ſuper Decretales (f) amplectitur primam hanc ſententiam, *Judex debet judicare ſecundum allegata, & ſecundum Canones, & Leges, & non ſecundum conſcientiam.* His verbis ejus mentem aperit.

(b) Deuter. 7. 6.

(c) Deuter. 19. 15.

(d) Matth. 18. 16. Joh. 8. 17. 2 Cor. 13. 1. Heb. 10. 28.

(e) S. Ambr. in can. *Judicet.* 4. 3. q. 7.

(f) Gloſſa in cap. *Pernicioſum*. 1. de officio judicis ordin. lib. 1. tit. 31.

Altera Opinio, quam magis ad veritatem accedere putamus, eſt eorum, qui docent Judicem numquam in nullo excogitabili caſu poſſe judicare *ſecundum allegata, & probata*; quando certo ſibi notum eſt probationes accuſatoris falſitate laborare; cum hic modus ſit contrarius non ſolum omnibus legibus civilibus, ſed etiam repugnet Legi naturali, & divinæ ac tandem doctrinæ Patrum, & Eccleſiæ. Afferamus in medium argumenta præcipua.

1. Lex naturalis vetat occiſionem innocentis: hæc propoſitio non indiget probatione; ſed omnes humanæ Leges non poſſunt diſpenſare ab obligatione per Legem naturalem impoſita; quia, ut loquitur D. Thomas (g), *Nec voluntas hominis poteſt immutare naturam*: Ergo concludendum, juxta principia ejuſdem Doctoris; omnes Leges continentes aliquid contrarium Legi naturali, eſſe injuſtas, nec eſſe veras Leges; & conſequenter carere vi obligandi ad earum obſervationem: & ideo nec tales ſcripturæ Leges dicuntur; ſed potius corruptelæ & ideo ſecundum eas non eſſe judicandum:

(g) S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. ad 1.

Deus ipſe fieri voluit judicum præceptor, docendo, quomodo gerere ſe debeant in judiciis ferendis (h) *Non ſuſcipies vocem mendacii .... nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies ......, Inſontem, & juſtum non occides; quia averſor impium.* Verba iſta perſpicue declarant judicem non poſſe abſque gravi crimine innocentem morte damnare, vel aliis pœnis afflictivis, non obſtantibus quibuslibet probationibus contra accuſatum, quando clare cognoſcit eſſe innocentem criminis imputati. Hoc enim eſſet recipere vocem mendacii contra hominem juſtum, & veritatem deſerere optime perſpectam, aſſentiendi gratia plurimorum opinioni, contra expreſſam inhibitionem indictam a Lege divina, quam bonæ conſcientiæ Judex ſemper ante oculos ferre debet, & exſecutioni mandare; ut inquit Innocentius IV. dum intereſſet Generali Concilio Lugduni habito 1245. (i). Quando igitur Judex perſpicit non poſſe collidere mendaces teſtes deponentes contra accuſatum, quem ſibi conſtat eſſe innocentem, non poteſt ad ſententiam condemnationis deſcendere: & hujus ratio eſt, quia tenetur omnia media poſſibilia adhibere, ad evitandam ſententiæ prolationem; quod exſequi poteſt, ſuſpenſam relinquendo, ne injuſtam, & contra propriæ conſcientiæ dictamen dicere cogatur; nam innocentem damnare vel ejus morti cooperari eſt actio intrinſece mala, quæ numquam cohoneſtari poteſt in quocumque caſu; cum pœna capitis infligi nequeat juſte, niſi in eum, qui reus eſt. *Omnis autem pœna*, docet D. Auguſtinus (k) *ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.*

(h) Exod. 23. 2. 2 & 7.

(i) In conteplandis ſententiis, & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum, illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Deum referebat, ut ſecundum ejus imperium judicaret. Innoc. IV. in c. Cum æterni de ſentent. & re judicata in 6. l. 2. tit. 14.

(k) S. Aug. l. 3. de lib arbitr. n. 51.

3. Certiſſimum eſt Leges non obligare Judices ad judicandum *ſecundum allegata & probata*; ne obſequentes præventionibus, inclinationibus; & propriis affectibus a veritatis ſemita diſcedant, injuſtum judicium reddendo. Hic eſt finis intentus a Lege. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.* (l) Si igitur Judex in aliquo particulari caſu perfectam notitiam habens innocentiæ accuſati, eum mulctat pœna præſcripta crimini imputato, non ſe conformat menti & ſpiritui iſtius Legis, immo violat, quoniam profert ſententiam contra Veritatem & juſtitiam. *Certum eſt, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem*; decernit Bonifacius VIII. (m) poſt Imperatorias Leges Theodoſii ac Juſtiniani. Ratio, cur Judex in caſu propoſito non poteſt, nec debet obtemperare legi præcipienti ſententiam dicere juxta publicas probationes ſibi oblatas, eſt, quia decideret contra mentem Legislatoris, cui quilibet Judex tenetur ſe conformare in judiciis ferendis; in quo Doctores omnes, & Juriſperiti conveniunt.

(l) Exod. cit. 23. 2.

(m) Bonifac. VIII. in reg. 88 de reg. Juris in 6.

4. Judex gaudet facultate ſibi a Lege tantum conceſſa; verum Leges humanæ nequeunt conferre auctoritatem tollendi de medio innocentem; quoniam ſuprema Dei Lex, contra quam omnes humanæ Leges nihil valent, prohibet expreſſe (n) *inſontem, & juſtum non occides*: non poteſt ergo ad ſententiam damnationis procedere ſine læſione Legis divinæ, & naturalis.

(n) Exod. 23. 7.

5. Omnes Leges, ut juſtæ ſint & rectæ, debent habere pro objecto bonum publicum; ſed nemo non, videt redundare in bonum commune protectionem, & incolumitatem innocentium; & punitionem dumtaxat delinquentium; & dato etiam, quod commune bonum, & reipublicæ ſalus exigeret necem inſontis, adhuc foret illicitum, quia Deus Legislator ſupremus hoc vetat.

Ex prajactis igitur argumentis reſolvendum, 1. Theophilum præiatum in ferenda ſententia contra Sylvium, ſicuti quemcumque Judicem certa ſcientia perſpectam habentem accuſati innocentiam, reos eſſe mortis ſecutæ, quotieſcumque ſupplicio tradunt, licet teſtium depoſitione nitantur. 2. Pro nihilo habendas eſſe opiniones contrarias; cum nec Scriptura, nec Patres, neque Leges formaliter in nullo textu doceant, Judicem poſſe condemnatio-

nis

nis causam proferre contra accusatum, cujus innocentia patet.

Verum quidem est, quod sacra scriptura præcipiat Judici acquiescere attestationi duorum, vel trium testium; hoc est, ne propriam sequatur intentionem, quia sæpe sæpius hallucinari potest, sed probationibus sibi expositis fundetur: verum hoc militat in suppositione, quod evidenter non constet de falsitate; nam sciens prudens de expositorum insubsistentia, non esset immunis a delicto sententiam ferens, juxta mandatum Moysis Judicibus traditum ex præcepto Dei: *Non suscipias vocem mendacii.*

Ambrosii auctoritas contra nostram opinionem citata in diverso sensu debet intelligi, ut evidenter colligitur ex iis verbis, quæ immediate sequuntur supra citata in gratiam primæ sententiæ: *Discite Judices populi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem;* scilicet: Erudimini Judices terræ, ne nimis sententias proprias ametis; cum frequenter possint falso supposito laborare; neque sequamini vestras præventiones, vel cordis propensiones, quæ nimis facile ad iniquum judicium pertrahere possunt. Sed casu, quo non constet de falsitate probationum, neque de innocentia accusati, morem gerite legibus divinæ, & humanæ imperantibus, & statuentibus, ut vestræ sententiæ fiant *secundum allegata, & probata.* Hinc vos monitos volo, quænam esse debeat vestræ mentis, & cordis dispositio, quando judicium pronuntiatis, nec non quam consummata prudentia, & recto ordine opus sit. Hic est germanus sensus D. Ambrosii; *In judicando magis cordi sit veritatis custodia, quam obedientia voluntatis.* Quibus ex verbis nihil inferri potest pro sententia nobis opposita.

Porro Glossa nobis objecta alium admittit sensum, quemadmodum videre est ex verbis, quibus utitur, docendo Judicem obligari ad sententiam ferendam. *secundum allegata, & probata, & non secundum conscientiam;* scilicet non esse judicium fundandum supra propriam privatam notitiam, quia aliquando potest esse veritati difformis, sed probationibus facti exterioribus utendum, juxta normam sanctorum Canonum sic decernentium. Et realiter nullus potest assignari Canon, qui afferat Judicem dependenter a depositione aliquorum testium mendacium posse damnare accusatum contra evidentiam ipsius innocentiæ. Ex quo colligitur evidenter, talem esse unicum, & obvium sensum Glossæ allegantis pro assertione Canonem excerptum ex Libris D. Gregorii (a), ubi hic Pontifex Judicibus inculcat, ne ad sententiam procedant nisi cum maxima maturitate, non ex affectu, vel personarum acceptione; sed jubet funditus metiri, & ponderare facta, quæ obscuritatis sipario teguntur; nullam mentionem faciendo de casu, quo Judici nota sit innocentia accusati. *Summopere præcavere debent .... qui judicia publica exercent,* sunt verba Canonis, *at in dictandis sententiis nullatenus levitate, aut furore ducti, sint præcipites; sed causis prius diligenter ventilatis, cum res, quæ ignorabatur, pleniter ad notitiam venerit, remota personarum acceptatione definitiva proferatur sententia.* Hoc totum verissimum est, sed nihil subsidii affert primæ opinioni, quam impugnamus; & ipsius Glossæ Auctor ostendit eam nolle fulcire, neque illi patrocinari. Ceteri Canones (b) & Leges Romanæ citatæ minus adversariis adstipulantur. Præsens decisio est affinis opinioni Nicolai Lyrani, Cardinalis Ostiensis, Angeli de Clavasio, & magnæ catervæ insignium auctorum (c).

(a) S. Greg. in can. *Summopere.* 70. 21. q. 3.

(b) Can. *Judices.* tit. can. *Si tantum*, 6. q. 2. &c.

(c) Lyranus in Exod. c. 23. Ostiensis, & Panormitanus in c. *Pastoralis*, 8. de ff & potest. Jud. delegati. Adrianus quod 6. art. 3. Petrus Navar. c. 3 n. 8. Angelus, v. *Judicare.* n. 7.

CASUS IV.

Justinianus Judex caussæ Criminalis pendentis inter Petrum, & Paullum, dubius de veritate & Justitia caussæ Paulli accusati, quæ tantum probabilis exsistit, in conflictu caussæ Petri probabilioris, instituitur quæstio; 1. Utrum ex dictamine conscientiæ teneatur decidere in materia pœnali, in favorem Petri contra Paullum; 2. An in controversia civili in pari caussa nuper exposita, opinionem majori probabilitate fulgentem sequi debeat?

Respons.

Circa primum dubium pro certo tenendum est Justinianum non obligari in caussa criminali sententiam pronuntiare juxta probabiliorem opinionem: quando controversia versatur in materia odiosa de pœnis afflictivis infligendis, satis est sequi, & amplecti illam, quæ vera gaudet probabilitate, & consequenter Justinianus non tenetur ex vi conscientiæ in proposito casu judicare pro Petro contra Paullum.

Ratio est, quia in caussis criminalibus Judex debet potius pendere in favorem partis accusatæ, quam accusantis, cohærenter ad sex Canones legis, quorum primus est (d): *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum potius, quam actori.* Secundus (e): *In obscuris minimum est sequendum.* Tertius (f): *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Quartus (g): *Semper in dubiis benigniora præferenda sunt.* Quintus (h): *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.* Sextus (i): *Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.*

Circa vero alterum quæsitum, aliter respondendum est, nempe Justinianum obligari ad judicandum juxta meritum opinionis majori probabilitate suffultæ, multo magis ubi agitur de aliquo spoliando a possessione boni, cujus actu habet jus in re; quia, ut loquitur Bonifacius VIII. (k): *In pari caussa potior est conditio possidentis;* quod concordat cum tribus regulis juris Romani quarum prima ait (l): *Nemo de domo sua extrahi debet.* Secunda *Cum de lucro duorum quæratur, melior est caussa possidentis.* Tertia (m): *In pari caussa possessor potior haberi debet:* quæ regulæ omnes perfecte cohærent cum sententia Alexandri III. (n): *De jure divino, & humano melior est conditio possidentis.*

(d) Bonif. VIII. in reg. 11. de reg. jur. in 6.

(e) Reg. 30. ibid. Item lege *Semper*. 9 §. de reg. juris antiqui.

(f) Reg. 49. de reg. jur. in 6.

(g) Leg. *Semper*. 50. §. de divers. reg. jur. ant.

(h) Leg. 61, quæ 152. §. eod. tit.

(i) Leg. favorabiliores, 167. §. eod. tit.

(K) Reg. 45. de reg. jur. in 6.

(l) Leg. nemo 168. §. 1. eod. tit.

(m) Leg. in pari 170. ff. eod. tit.

(n) Alexander. III. in cap. *Ad aures*. 6. de præscriptionibus lib. 2. tit. 26.

CASUS V.

Tatianus Judex tum civilis, tum criminalis, sibi suadens, non esse semper adstrictum jure conscientiæ sequi in suis sententiis legem ad litteram, sed posse uti libertate, tamquam Judicem, eam interpretandi in iis casibus, in quibus subest justa ratio dubitandi de vero illius sensu: Talis judex sic agendo decipitur ne, & utrum peccet.

Respons.

Judex propositus non errat, si non sequatur juxta apicem litteræ terminos legis. Itaque potest, & debet pariter in quibusdam casibus interpretari, applicando eidem sensum favorabilem, quando hoc expedit pro bono Justitiæ; dummodo a materiali litteræ discedens, non discedat ab anima & intentione legis. Hoc videtur innuere D. Gregorius inquiens (o): *Non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni;* hoc est, quod verba sunt instituta ad intentionem exprimendam; cui addit alibi (p) quod *Verbis legis nimis scrupulose adhærendo, plerumque agitur contra intentionem legis ac plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.*

Ratio dicti est, quia cum leges antiquæ a Principibus Gentilibus conditæ contineant plura naturali juri adversantia, ita de illis per Christianos Principes elaboratis, licet Christianæ legi conformius aliquando cadere posset sub dubio, quod jubeant aut inhibeant aliquid ei repugnans, si cum toto rigore litteræ semper servarentur: nam legislatores prævidere non potuerunt omnes casus individuales possibiles, in quorum aliquo sola littera legis esse potest contraria legi naturali; & proinde Judex ut suo officio satisfaciat, non potest literam sequi. *Neque leges, neque senatus consulta scribi possunt ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur* (q) ait lex. Tunc igitur oportet, ut sit Interpres legis secundum æquitatem; & opinionem suam, quoad ejus fieri potest, cum ea legislatoris componat. *Non possunt omnes articuli sigillatim, aut legibus, aut senatus consultis comprehendi* testatur alia lex (r) *sed cum in aliqua caussa sententia eorum ma-*

(o) S. Gregor. cum humanæ 11. 22. q. 5.

(p) Idem in cap. *Propterea*. 8. de verbor. significat. lib. 5. tit. 40.

(q) Leg. *Neque* 10. ff. de legib. 4. lib. 1. tit. 3.

(r) Leg. *Non possunt*. ff. eod. tit.

nifesta

nifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. Hæc sunt argumenta a nobis allata, quorum aliqua exempla practica afferemus in resolutione sequentis dubii.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. ad 2.

Doctrina a nobis tradita, est eadem D. Thomæ (a) aientis, *sicut leges iniquæ secundum se contrariantur juri naturali, vel semper, velut in pluribus, ita etiam leges, quæ sunt recte positæ, in aliquibus casibus deficiunt, in quibus, si servarentur, essent contra jus naturale & ideo in talibus non est secundum literam legis judicandum; sed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legislator ...! & in quibus etiam Legislator aliter judicaret; & si considerasset, lege determinasset.*

(b) Idem 1. 2. q. 96. art. 6. in corp.

Idem sanctus alibi probat eandem Doctrinam (b) exemplo visibili. Si accidat casus, quo lex evadat, & redundet in detrimentum boni communis, non est tunc observanda; exempli caussa, si tempore Urbis obsessæ, adesset lex, ut portæ semper manerent clausæ: non esset audienda, si occasione irruptionis Civium contra hostes, Cives repulsi, & fugati, recurrerent ad urbem, tanquam ad asilum; immo ex justitia essent patefaciendæ ad sartam tectam tuendam vitam illorum a præsenti discrimine, quo laborant. Audiamus verba Doctoris: *si emergat casus, in quo observatio talis legis sit damnosa communi saluti, non est observanda. Sicut si in civitate obsessa statuatur lex quod portæ Civitatis maneant clausæ, hoc est utile, ut in pluribus. Si tamen contingat casus, quod hostes insequantur aliquos Cives, per quos Civitas conservatur, damnosissimum esset Civitati, nisi eis portæ aperirentur, & ideo in tali casu essent portæ aperiendæ contra verba legis, ut servaretur Utilitas communis, quam legislator intendit.* Et hujusmodi est lex dicens (c) *Etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum; tamen mens legislatoris aliud vult;* & alia (d) *scire leges, non hoc est, verba earum tenere; sed vim, ac potestatem.* Attamen abstrahendo a casu extremæ necessitatis, Judex non debet unquam a verbis legis recedere.

(c) Leg. scire 31. §. 2. ff. de excusationib. tutorum l. 27. tit. 1.
(d) Leg. scire 17. ff. de legib. senatusque consultis &c.

CASUS VI.

JUDICES Duodecim ejusdem supremæ Curiæ, quibus demandata est principalis auctoritas Principis in ferendo Judicio in personam rei, pepercerunt condemnare ad pœnam, quam merebatur, juxta legis decreta. Utrum hoc potuerint exequi sola pietate commoti?

RESPONS.

Non potuere sine labe criminis destinare reum ad dulciorem pœnam, quam quod merebatur. Constans quippe est, judices non possidere auctoritatem sibi a Principe delegatam nisi illam exercendo ad conformitatem legis ab ipso latæ; neque posse titulo Clementiæ modificare pœnas ab ipsa statutas; & hæc propositio tribus argumentis propugnabitur.

(e) Clem. V. in Clement. Romani 2. de elect. &c. Item canon Inferior 4. dist. 21. & Greg. X. in cap. cum Inferior 16. de majorit. & obedient. lib. 1. tit. 33.

Primo; quia judices non sunt Domini legum Principis, & non sunt electi nisi pro illarum executione; unde fit, ut nullum jus habeant pro iis commutandis. *Lex superioris per Inferiorem tolli non potest*, statuit Clemens V. (e), *& hoc maxime, cum ille Inferior ab illo Superiore recipit potestatem.*

Secundo, quia Communitati expedit, ut Delinquentes pœna afficiantur, ad hoc ut punitio paucorum inserviat ceteris pro fræno, ne in talia crimina prolabantur, tum ne mala augmententur; & insuper ut justitia, pax, & bonus reipublicæ ordo subsistat.

Tertio porro; quia aliquando cedit in beneficium accusatoris, ut accusatus subeat pœnam debitam propter injuriam, quam passus est, & quæ aliquo modo compensatur per punitionem offensoris.

(f) S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 4. in corp.

Duo postrema argumenta sunt D. Thomæ (f). *Duplici ergo ratione impeditur Judex, ne reum a pœna absolvere possit. 1. Quidem ex parte accusatoris, ad cujus Jus quandoque pertinet, ut reus puniatur; puta propter aliquam injuriam in ipsum commissam, hujus relaxatio non est in arbitrio alicujus Judicis; quia quilibet Judex tenetur Jus suum reddere unicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cujus potestate fungitur, ad cujus bonum pertinet, quod malefactores puniantur.*

Rationes adductæ sunt tanti momenti, ut Doctor Angelicus concludat solum Principem de plenitudine potestatis reo posse condonare pœnam debitam juxta Legem (satisfacto tamen accusatore,) & ceteros judices omnimode, & absolute hac facultate carere. *Judex enim Inferior*, addit Doctor, *non habet potestatem absolvendi reum a pœna contra Leges a Superiore sibi impositas; Unde super illud Joannis 19. 11.* Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper, *dicit Augustinus*; talem Deus dederat Pilato potestatem ut esset sub Cæsaris potestate, ne ei omnino liberum esset accusatum absolvere. Quinimo dicti Judices neque gaudent facultate legi derogandi in aliqua parte, titulo Charitatis, circa mensuram pœnæ a Jure taxatæ contra delinquentem: quod aperte docet D. Thomas (g) nisi respectu delictorum, quorum punitio a Judicis pendet arbitrio. *Misericordia Judicis habet locum in his, quæ arbitrio Judicis relinquuntur; in quibus boni viri est, ut sit diminutivus pœnarum, sicut Philosophus dicit in 5. Ethicorum. In his autem, quæ sunt determinata secundum Legem Divinam, vel humanam, non est suum, misericordiam facere.* Doctrina Angelici coincidit cum sententia Augustini (h). *In istis temporalibus Legibus, quanquam de his homines judicent, cum eas instituunt: tamen cum fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare.*

(g) Idem ibi. ad 1.

(h) S. Aug. in cap. in istis 3. dist. 4.

(i) S. Thom. ibid. q. 60. art. 5. in corp.

Confirmari potest eadem decisio alio principio ejusdem Angelici (i) judicare, sic ipse loquitur, nihil aliud importat nisi definire, & determinare quod justum est; inde subdit; aliquid dici, & esse potest justum duobus modis distinctis; vel enim justum est ex natura propria, (& hoc appellatur *Lex naturalis*) vel est tale ex communi conventione, & hominum consensu, (quod vocatur *Lex positiva*). Jam vero universæ leges scriptæ ad alium finem non tendunt nisi ad elucidanda ista duo genera Legum. Prima quidem Lex continetur in jure scripto, sed ab illo non sortitur ejus vim, & pondus, sed ab ejusdem rei natura, & essentia. Secunda vero non solum in jure habetur expressa, sed ab ipso suam efficaciam, & robur accipit, & acquirit. Audiamus D. Thomam loquentem: *Judicium nihil aliud est, quam definitio, vel determinatio ejus, quod justum est. Fit autem aliquid justum dupliciter; uno modo ex ipsa natura rei, quod dicitur jus naturale, alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur jus positivum. Leges autem scribuntur ad utriusque juris declarationem; aliter tamen, & aliter; nam legis scriptura jus quidem naturale continet, sed non instituit; non enim habet robur ex Lege, sed ex natura. Jus autem positivum scriptura Legis, & continet, & instituit; dans ei auctoritatis robur.* Dependenter a tali principio infert Angelicus non posse judicem dispensari a ferendis judiciis juxta legum constitutiones; aliter non essent conformia juri naturali, val positivo. *Et ideo necesse est, quod judicium fiat secundum Legis scripturam: alioquin judicium deficeret vel a justo naturali, vel a justo positivo.*

Hoc tamen intelligendum est juxta sensum præcedentis resolutionis, ubi ostendimus fieri posse aliquando, ut Judex possit, & debeat verba Legis interpretari secundum intentionem, & judicium Legislatoris. Si enim e. g. Lex decernat supplicium triremis contra reum judicandum, & ex alio capita iste sit incapax subeundi hanc pœnam, vel propter ætatam provectam, val aliunde non sit ad remum idoneus; in tali hypothasi judici est integrum commutare pœnam a Lega staturam in aliam mitiorem, nam hæc est infallibiliter Legis intentio; eademque exceptio legitur in digesto (K) his verbis: *Nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem perduxe-*

(k) Leg. Auxilium. 17. ff. de minorib. 25. annis l. 4. tit. 4.

duxerit. Item resolvendum est pariformiter in casu, quo Lex statuat pœnam pecuniariam taxatam sub tali quantitate in transgressorem, qui non sit solvendo, ob ejus gravem impotentiam; judici permittitur pœnam moderari, absque læsione ipsius Legis. Addi potest prædictis, quod modus, quo reus transgressus est legem, potest suffragari apud judicem, ne cum toto rigore justitiæ condemnetur. Homo siquidem vehementi animi passione ductus malum committens, minus peccat, & consequenter minori pœna dignus, quam si peccasset ex pura malitia, & cum tota advertentia. Ob hanc rationem asseri potest, judicem non peccare contra mentem Legis, modificando ex rationabili caussa pœnam in Lege expressam; quod plane convincitur per legem docentem (*a*): *Plane in levioribus causis proniores ad levitatem judices esse debent: in gravioribus pœnis severitatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

(*a*) Leg. *Perspiciendum*. 11. ff. de pœnis lib. 48. tit. 19. Item Leg. *Absentem*, 5. ff. eod. tit.

CASUS VII.

Manilius, & Leander agitans controversiam super fundi proprietate ascendentis ad pretium 2000. librarum apud Festum judicem, qui tantum ex imprudentia, & absque malitia, tulit injustam sententiam contra Leandrum; an hic Judex teneatur resarcire damna Leandro illata?

Respons.

Festus tenetur indemnisare Leandrum læsum per iniquam sententiam contra eundem prolatam, esto inconsiderate, & absque malitia; nam quando sententiam tulit, aut ignorabat meritum caussæ, aut ne; si primum, est obnoxius culpæ ex defectu valde notabili; ut pote assumens onus pronunciandi supra caussam non perfecte sibi perspicuam, & consequenter ejus inconsideratio ad reparationem damni secuti condemnat. Si vero sciens prudens hoc judicium protulit, injuste judicavit, quia recusavit opus, & munus suum adimplere, ut certior fieret caussæ inter disputantes vertentis, tædii, & temporis ergo evitandi; ita ut non minus mereatur excusationem in primo casu, quam in secundo. Tenendum igitur est obligari ad integram reparationem damni Leandro secuti propter injustam sententiam contra eundem pronunciatam; dummodo non reddatur Leander indemnis, ab eo qui principaliter tenetur.

Præfens resolutio est juxta doctrinam D. Raymundi de Pennafort (*b*), qui postquam definivit judicem in sententia injuste lata advertenter, & subdole, teneri ad omnia damna secuta; subjungit hoc dum procedere in judiciis perperam ex imprudentia enunciatis; *In secundo casu, scilicet cum per imprudentiam, tenetur secundum leges læso, in quantum bo... & æquum videbitur religioni judicantis* (*c*). *In judicio tamen animæ credo idem, quod in primo casu, scilicet quod tenetur ad restitutionem; in culpa enim fuit, eum scivit, vel scire debuit se insufficientem; & tamen judicare talem caussam præsumpsit; & idem si erat sufficiens quoad scientiam; si voluisset libros revolvere, & studere, Sed quia fuit negligens, & noluit studere; quem debuit condemnare, absolvi; & e converso.*

(*b*) S. Raym. in summ. lib. ... tit. ... de Raptorib. §. 35.

(*c*) Leg. Ult. ff. de extraordinariis cognit.

CASUS VIII.

In Regione Galliæ contermina vigent Leges vel statuentes, vel permittentes actiones injustas, veluti usuras; hinc quæritur, an judici liceat in suis sententiis, prædictis Legibus se conformare?

Respons.

Omnes homines simul sumpti non pollent facultate condendi Legem ullam contrariam, aut præjudicialem juri naturali. Ratio propositionis est, quia omnis Lex mandans, aut confirmans aliquid oppositum huic juri, est injusta, & consequenter non obligatoria; ideoque Judex nequit absque culpa ad illius normam sententias dirigere: *Lex scripta*, est doctrina S. Thomæ (*d*), *sicut non dat robur juri naturali, ita nec potest ejus robur minuere, vel auferre; quia nec voluntas hominis potest immutare naturam. Et ideo si scriptura Legis contineat aliquid contra jus naturale, injusta est, nec habet vim obligandi. Ibi enim jus positivum locum habet, ubi, quantum ad Jus naturale nihil differt, utrum sic, vel aliter fiat... Et ideo nec tales scripturæ, Leges dicuntur; sed potius Legis corruptiones.... & ideo secundum eas non est judicandum.* Contractus igitur usurarius adversatur Juri naturali, & Divino, uti suo loco demonstrabimus, consequenter ex dictis patet, judicem etiam in Regionibus, ubi viget consuetudo approbans usuras, non posse suas sententias ad normam istius Legis proferre; nam ut ait S. Doctor (*a*) *Judicium nihil aliud est, quam quædam definitio, vel determinatio ejus, quod justum est.*

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 60. art. 5. ad 1.

(*a*) Item ibi in corp.

CASUS IX.

David a Rege electus Judex civilis in Urbe quadam, librarum bis mille stipendio, negligit munus sibi commissum, incumbendo ad domesticas curas, vel venationes, vel deambulationes, & hujus generis alia, 1. An peccet? 2. An sit obnoxius restitutioni erga Regem aut communitatem?

Respons.

Catechismus Romanus juxta Tridentini Concilii decreta editus (*f*) docet generaliter, quoscumque stipendium, aut mercedem habentes pro exercitio muneris civilis, aut criminalis publici, aut privati, suum onus non adimplentes, a culpa injustitiæ non vacare, & etiam delicto furti se obstringere: *Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui cum ad privatam aliquod, vel publicum officium conducti sunt, nullam, vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tamen, ac pretio fruuntur.* Ex prædictis facile est concludere, hujusmodi Judices, & Officiales coram Deo obligari; 1. Ad restitutionem stipendiorum, quæ a Principe exegerunt, saltem pro rata eorum omissionis, & negligentiæ. 2. Ad omnia detrimenta compensanda, quorum fuere concausæ ob eorum malitiam, ignorantiam, aut notabilem negligentiam, juxta doctrinam D. Bernardini Senensis (*g*), cujus textum alibi perextensum allegamus. Nulla ergo ratio militat pro Davide, quæ illum a culpa, & restitutione reddat immunem (*h*).

(*f*) Catech. Conc. Trid. p. 3. de præcept. n. 17.

(*g*) S. Bernardin. serm. 34. in Dom. 4 Quadrag.

(*h*) F. Generus Theol. mor. tom. 6. tract. 8. cap. 5. q. 13.

CASUS X.

Fridulphus in quadam Provinciæ Urbe Judex tum civilis, tum criminalis, in qua extant plures pellices mali nominis, & pessimæ vitæ, tempore Paschatis accedit ad Tribunal Confessionis, ubi Parochus acriter arguit, sicut alias fecerat de hac tolerantia notabili propter pericula, & maxima scandala, quæ inde oriuntur; Fridulphus humiliter respondet, se tali præcepto non urgeri; an Parochus teneatur denegare beneficium absolutionis, nisi promittat hujus furfuris mulieres se abjecturum?

Respons.

D. Thomas (*i*) probat tam auctoritate Augustini, quam Divinæ Providentiæ regula, qua Deus ipse utitur omnipotens, & optimus qualis, & quantus est erga hominum gubernationem, tolerari posse hujus generis fœminas, ad evitanda majora incommoda, quæ probabiliter evenirent ex earum expulsione. S. Doctoris verba digna sunt, ut audiantur. *Humanum regimen derivatur a Divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens, & summe bonus; permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset; ne eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præsunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in libris de Ordine* (*K*). *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 11. in corp.

(*k*) S. Aug. lib. 2. de Ordine c. 4.

Tradi-

Traditur eadem doctrina ab antiquo Theologo citaute alium teatum D. Augustini (*a*): *Hoc facis meretrix in mundo, qaod sentina in mari, vel cloaca in palatio; tolle cloacam, & neplebis fætore palatium; & similiter de sentiaa. Tolle meretrices de mando. & replebis ipsum sodomia.*

(*a*) Apad S. Thom. upusc. 20 de regimine Princip. lib. 4. c. 14.

Ex quibus infertur, si Feidulpho sit persuasum, non posse dictas meretrices expelli ex urbe tujus est gubernator, sine periculo pejoris inconvenientis, non teneri hanc onerosam provinciam suscipere, & consequenter Parochum posse, & debere largiri beneficium Sacramentalis absolutionis, cum ejus inobedientia sit inculpabilis, quia moraliter impossibilis.

C A S U S XI.

Thucydides munus 20. aureorum obtulit Edmundo Judici in quadam caussa contra adversarium, ad hoc ut sententiam favorabilem reportaret, dubitans de perfecta caussæ bonitate, Edmundus quidem tulit sententiam in gratiam Tbucydidis, motus tamen a recta justitia; potest ne sibi retinere sammam prædictam tata conscientia, quoniam justam sententiam pronuntiavit?

R e s p o n s.

Certo certius est, Edmundum obligari ad restitutionem 20. aureorum, quæ a Tbucydide recepit. Nam juxta D. Tbomæ doctrinam (*b*), ille tenetur ad restitutionem, qui pecuniam accepit ob actionem illicitam, quotiescumque hoc fecit contra intentionem Legis prohibentis: at in casu nostro Edmundus nummos aureos accepit contra mentem Legis, quæ inhibet justitiam vendere pretio; ideoque restituere tenetar acceptum, non quidem Thucydidi, qui tradidit; cum & ipse peccaverit contra Legem, munera Judici exhibendo, (esto aliqui Doctores (*c*) sentiant pecaniam reddendam domioo, qui numeravit) sed pauperibus eroganda, vel ad pia opera applicanda erit. *Aliqais dupliciter dat illicite*, inquit D. Thomas: *Uno modo; qaia ipsa datio est illicita, & contra Legem, sicut patet ia eo qai simoniace aliquid dedit: & talis meretar amittere, quod dedit. Unde noa debet restitatio ei fieri de bis: & quia ille qui accepit, non debet sibi retinere, sed debet in pios usus convertere.*

(*b*) S. Thom. 2. 2 q. 62. art. 5. ad 2.

(*c*) Gabr. Vasquez. de restitut. c. 7. dub. 9.

Gratis opponitur posse Edmundum sibi retinere summam oblatam, quia justam sententiam protulit. Nam Lex aperte vetat aliquid accipere pro justitia reddenda, cui debetur; & quamvis in Judice sit culpa gravior, & enormior recipiendo munera pro senteutia injusta ferenda; adhuc tameo non vacat a gravi delicto, ea generaliter pro judicando accipiens, quam pro injuste judicando. *Cum autem*, scribit Augustinus ad Macedonium, (*d*) *judicia & testimonia, quæ nec justa nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur: multo sceleratius atiqae pecania sumitar: quia scelerate etiam, quamvis a voleatibas datar.* Cui addi possunt verba Prophetæ Micheæ (*e*), a D. Hieronymo allegata (*f*): *Principes ejas ia muneribus jadicabant, & Sacerdotes ejus ia mercede docebant; & Propheta ejas in pecunia divinabaat... propter boc caussa vestri, Sioa quasi ager arabitar, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons Templi in excelsa silvarum.* In hoc speculo Judices videant horrendas Prophetæ minas ex Dei mandato enuntiatas contra judicantes tenacitatis, & avaritiæ labe laborantes.

(*d*) S. Aug. 54 can. Non sane. 15. 14. q. 5.

(*e*) Micheæ 3. 11.

(*f*) S. Hieron in can. Judices. 23. 2. q 12.

Judex ergo opus est, ut exclamare possit & voce, & corde ad instar Samuelis, qui apud populum sermonem habens, & pro quo diu Judicis fungebatur officio, dixit (*g*): *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejas, utram bovem cujasqaam tulerim, aut asinum: Si quempiam calumniatus sum: si oppressi aliqaem: si de manu cajusqaam manus accepi; & contemnam illud bodie, restituamque vobis.*

(*g*) 1. Reg. 12. 3.

D. Raymundus de Pennafort Canonista maxime doctus idem confirmat dogma (*b*), & mordicus sustinet quemlibet Judicem argenti captum amore, pecunia sumta ab alterutra parte ob ferendum justum aut iniquumu jdicium, teneri in foro conscientiæ, & coram Deo restituere: nam ex vi officii sibi commissi tenetur gratis juste judicare: cui doctrinæ addit, restitutionem faciendam esse comparti læsæ, in cujus præjudicium pecunia tradita fuit; nisi in foro exteriori aliter sit statutum, ut egregie notat Sylvester (*i*); nam in foro poli amplectenda est sententia D. Thomæ a nobis supra citata. D. Raymundus corroborat decisionem nostram n. 1. auctoritate Caoonis a Lege Codicis desumti (*K*), in quo Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius acriter condemnant Judices venales in fereoda justitia. a. Per duas Epistolas Decretales (*l*), quarum prima edicta ab Alexandro III. altera a Cælestino III. & tandem per Augustini auctoritatem supra a nobis allatam.

(*h*) S. Raym. in Summ. l. 2. tit. 5. de raptorib. §. 36.

(*i*) Silv. ver. *Judex* q. 12. §. sextum.

(*K*) Can. *Jubemus*. 26. 16. 44.

(*l*) Alex. III. in cap. *Nemo*. 44. de simonia: & Cælestin. III. in cap. *Dilectus*. 28. eod. tit.

Porro subdit D. Raymundus, quod si traditor pecuniæ hoc egerit bona fide, & cum conscientia invincibiliter erronea, ad finem tuendi jus suum, & ne in judicio vexaretur; restitutionem traditæ pecuniæ tradeoti esse faciendam: sed præscindendo a tali casu, erogandam esse in pauperes, vel illi qui passus est injuste detrimentum, si in foro fori fuerit restitutio decreta. Subdamus ipsissima Canonistæ verba: *Non licet judici vendere justam judicium. Sed cui restituet? Licet quidam aliter dixerint; dico, qaod illi, qai dedit, si bona intentione dedit; scilicet, ut jus & quietem sibi conservaret... si dedit, at animum judicis sibi sab specie recti inclinaret, ita at indirecte ac tacite inteadebat ipsum corrumpere; non illi, in cujus injuriam data fuit; juxta arbitrium Ecclesiæ restituenda pecunia, ut ia præallegato c.* Non sane, (14. q. 5.)

Silvester inhæret vestigiis ejusdem sententiæ his præcisis verbis (*m*): *Si vero eam* (pecuniam) *accepit* (Judex) *ut bene judicaret... tenetur restituere ei, qui dedit; qaia eam ex sao officio teneatar gratis jadicare, & bene; turpiter accepit..... & crimen concussionis commisit... Adverte quod datam judici ad eum corrampendum* (hic est noster casus in terminis) *non debetar danti... datam autem, at juste jadicet, alias non jadicaturas; vel ut injuste non jadicet; debetar danti.* Heic supersedemus ab allegando Grassium, Navarrum (*n*), & alios non paucos, quorum citationes essent pro præsenti disputatione supervacaneæ.

(*m*) Silv. cit. §. 6.

(*n*) Jacobus de Grassiis decision. aurearum. l. 2 c. 123. n. 2. & seqq. Navarr. Manual. c. 17. n. 50.

Occasione hujus difficultatis animadvertendum est, qaod si ille qui contrariam sententiam reportavit, justitia causæ præfulserit, & consequenter damnum sit passus; ipsi restitutionem deberi in priori ad quoslibet: præterquamquod si summa pecuoiæ restitutæ satis non esset pro integra damni reparatione; Judex, & ille in cujus favorem sententia lata fuit, in solidum supplere defectui obligarentur.

Pro Corollario observandum est, quod Lex a D. Thoma citata: ipsa *datio est illicita, & onerat Legem*, est Lex; *Si ob stupram* (*o*), obligans Judicem pecuniam sumentem ob sententiam quocumque modo latam ad restitutionem; quam Legem Justinianus amplificat, mandans, ut Judex hujas tenoris solvat triplum supra id, quod accepit (*p*), & insuper ad depositionem & amissionem. *Qai accepit vel promissionem suscepit, si caussa pecaniaria sit dari triplum, promissi duplum a comite privatarum rerum exigatur, digaitate, sea cingalo amisso. Si vero criminalis caussa fuerit, coafiscatis omnibas boais, ia exsilium mittatar.*

(*o*) Leg. *Si ob stuprum*. 4. ff. de condict. ob turpem, vel injustam caussam 12. tit. 5.

(*p*) Authent. novo Jure. Cod. de pœna Judicis §. *Qui male judicavit*. &c. lib. 7. tit. 49.

C A S U S XII.

Edmundus, Judex in controversia orta inter Julianum & Justioum recusavit, propter Juliani familiaritatem & affectionem, judicare in favorem Justini, cujus caussa certitudine & justitia eminebat, & ob hanc suspensionem Judicis Justinus jus suum amisit. Ad quid obligatur Judex ex rigore justitiæ, & coram Deo?

R e s p o n s.

Citra dubium est Edmuodum tamquam Judicis officio fungentem obligari ad justitiam reddendam omnibus postulantibus, quantum Jurisdictio permittit;

tit; & consequenter teneri ratione doli vel negligentiæ crassæ, totum damnum quod Justinus passus est, resarcire, quantacomque sit summa. Ita decisum a D. Raymundo (*a*): *Quod si nullo modo voluit sententiam ferre Judex; & propter hoc pauper aliquis, vel alias amittit jus suum; dico, quod tenetur Judex, & facit litem suam; id est debet restituere litis æstimationem ei, qui propter ejus negligentiam læsus est*. Quod ab eodem Sancto probatur Jure Canonico, & Romano (*b*).

(*a*) S. Raym. in Summ. lib. 2. tit. 5. §. 36.

(*b*) Genet. Theol. mor. tom. 6. Tract. 5. cap. 5. q. 54.

C A S U S XIII.

Duobus adversariis litem promoventibus, quorum caussa æquali probabilitate fulgeat; An Judex in dicta hypothesi possit ab alterutro monera accipere, ut judicium ferat in favorem donantis?

R e s p o n s.

Decisio ondecima satis superque demonstrative prubat, Judicem non posse in casu citato neque munera, neque pecuniam recipere ad suam sententiam pronuntiandam. Sed quia non defuerunt Casuistæ, qui temere & nullo fundamento innixi opinionem oppositam ausi sunt sustinere, nostri muneris esse duximos materiam præsentem jam retro discussam iterum medullitus enucleare, & disputationis aleæ submittere.

Nostra igitar assertio sit etiam in subjecta hypothesi Judicem nequire absque notabili culpa pecuniam, vel alia monera accipere ad decidendum in judicio in favorem munerantis; nam ut docet Bartolus (*c*): *Qui præmium recipit, ut faciat id quod gratis facere tenetur, turpiter accipit*. Hoc idem definitum est ab Alexandro VII. proscribente opinionem illotum, qui aliter sentiebant. Subjiciamus terminos propositionis ab hoc Pontifice damnatæ feria quinta die 24. Septembris 1665. quam vetat defendere, docere, ad praxim redocere sub pœna anathematis *ipso facto*, sedi Apostolicæ reservati, præciso mortis articulo: *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio*. Cujus sensus est, quod cum opiniones litigantium æquali pollent probabilitate, Judex pecuniam exigere potest, ut sententiam in gratiam unius præ altero pronuntiet. Equidem si talis propositio locum haberet, sequeretur Judicem posse justitiam mercatui exponere, atque vendere impune: quod perinde esset, ac omnia jura divina & humana subvertere. Non est item a periculo alienum, si Judices munera gratis & titulo donationis oblata recipiant; juxta monitum Ecclesiastici (*d*): *Dona excæcant oculos Judicum, & quasi mutas in ore avertit correptiones eorum*. Et alia a Moyse jussu Dei Judicibus tradita (*e*): *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Quibus rationibus permotus Cardinalis Lugonius asseruit Judicem ante caussæ decisionem, *Lite pendente*, teneri restituere largitiones monerum, & maxime notabilium, ut periculum evitet injuste decidendi; quamvis probabilitate non careat, juxta præfati Purpurati mentem, non teneri post latam sententiam, quia amplios non subest periculo, in quo prius versabatur.

(*c*) Argum. legi. *Si vestimenta*. fin. ff. de condict. ob turpem caussam vel injustam l. 12. tit. 5

(*d*) Eccl. 20. 31.

(*e*) Exod. 23. 8.

C A S U S XIV.

Casimirus Judex in caussa suscitata a magnate cujusdam Parochiæ in præjudicium natu minorum sui subditi, titulo caritatis motus flagrat desiderio cooperandi in beneficium pupillorum omni humano auxilio destitutorum, contra potenrem virum, qui motam controversiam urget, ad finem suæ actionis dirigendæ ad normam consilii a Sapiente traditi (*f*): *In judicando esto pupillis misericors, ut pater*. Utrum hoc liceat Casimiro, in foro animæ, & an evitet delictum acceptionis personarum?

(*f*) Eccli. 4. 10.

R e s p o n s.

In dubium revocari non potest, quod si Judicium a Casimiro ferendum justitiæ adversetur, nequit absque gravi culpa favere pupillis in præjudicium diviris litem promoventis. Ratio patet, dum Judices tenentur jus reddere indifferenter tum divitibus, tum pauperibos, amota quacumque personarum acceptione. *Homo in judicio*, tradit D. Thomas, *debet pauperi subvenire, quantum fieri potest; tamen sine læsione justitiæ, alioquin locum habet illud, quod dicitur Exodi 23.* Pauperis quoque non misereberis in judicio.

Verum quidem est Judici caritatem esse exercendam circa miseros & egenos; sed hoc locum haber impediendo eorum oppressiones per fraudes & injustitias, humanitee excipiendo, non acritee expellendo, eorum jus mature perpendendo ante judicii prolationem, atque eos expedire dimittendo, ne a divitibus vexentur, & nimiis diuturnisque expensis onerentur. Hic est fidelis sensus, qui applicari debet sacro Textui in hoc casu citato; sicuti huc reducuntur verba Isajæ (*g*) redarguentis Judices, qui pupillos vexatos negligunt rueri: *Pupillo non judicant, & caussa viduæ non ingreditur ad illos*; & illa Jeremiæ (*h*): *Caussam viduæ non judicaverunt; caussam pupilli non direxerunt, judicium pauperum non judicaverunt*.

(*g*) Isa. 1. 23.

(*h*) Jer. 5. 28.

Antequam gradum faciamus ad futura quæsita, operæ pretium est monita D. Isidori in Canone citati in lucem ferre, ubi scopulos non paucos sub oculos ponit, sub queis Judices naufragium animarum patiuntur: quorum quatuor notabiliores: *Quatuor modis pervertitur humanum judicium*, monet laudatus Pater, *Timore, dum metu potestatis alicujus, veritatem loqui pertimescimus; Avaritia, dum præmio animum alicujus corrupimus; Odio, dum contra quemlibet adversarium molimur; Amore, dum amico vel propinquo complacere contendimus*. Allatis periculis licet & quintum annectere nimis forsiran commune; nempe ignorantiam, vitium impellens Judicem, etiam contra propriæ voluntatis imperium, ad perperam judicandum. Sub hac pericolorum caterva plurimi Judices obruuntur; quæ omnia evadere arduum esse neminem latet.

C A S U S XV.

Nicostratus Judex Criminalis difficultate pressus extorquendi a fure veritatem delicti, æquivocis & dolosis interrogationibus osus est, quorum beneficio reus fassus est delictum, licet aliunde Judex esset criminis inscius. An Nicostratus his cavillationibus delicti veritate comperta, reum potuerit mortis pœna adjudicare, & an peccatum commiserit hoc pacto se gerendo?

R e s p o n s.

Ratio nulla affulget excusans Nicostratum a peccato, cum verba ambigua & captiosa adhibuerit, ut veritatem a reo extorqueret; Judici enim numquam licet rete extendere reo; hoc etenim perinde esset ac gerere vices partis & accusatoris, non autem Judicis æqui & indifferentis; qui tenetur, servatis Justitiæ regolis, accusato favere; cohærenter ad doctrinam Honorii III. (*i*) Cardinali Columnæ traditam: *In his vero, super quibus jus non invenitur expressum, procedas* (æquitate servata) *semper in humaniorem partem declinando*.

(*i*) Honor. III. in cap. Finali de Transact. lib. 1. tit. 36.

C A S U S XVI.

Diogenianus Judex in caussa capitali homicidam interrogans, contra quem vehementia indicia & suspiciones dumtaxat militabant, reo exposuit se esse munitum probationibus omni exceptione majoribus, blande offerens vitæ conservationem, si spontanee veritatem aperiret. Reus hoc stratagemate deceptus omnia patefecit. An Judex licite se gesserit?

R e s p o n s.

Non defuere Casuistæ, qui starent pro Judice, propter periculum, ne delicta impunita manerent cum magno Communitatis detrimento: & præcipue hoc locum habet, quoties non est sub Judicis potestate reo condonandi pœnam a lege insti-

inflictam. Bodinus (*a*) amplectitur hanc opinionem, cui pariter subscribit Gomes (*b*).

(*a*) Bodin. l. 4. Dæmonomaniæ c. 3.
(*b*) Gomes in c. 5. de constitut. in 6. nu. 243.

Alii vero cum Lugonio casum limitando, docent (*c*) Judici quidem non licere falsum pro vero asserere, nec duplicitatibus uti, ad finem indagandi veritatem, & delicta plectendi; verum tamen adhibere posse æquivoca verba ad confessionem a Reo excerpendam; Ratio est, quia sicuti quæstione uti potest, a fortiori ad dolos potest confugere, quando rectum finem habent pro objecto; quod totum ad praxim valet reduci, absque veritatis positiva læsione.

(*c*) Lud. de Lugo de Justitia, & jure disp. 37. sect. 15.

Neutra sententiarum nobis arridet. Prior evidenti laborat falsitate; cum fraus, & dolus, & mendacium sint intrinsece mala, & idcirco in nullo casu adhibenda.

Altera quoque rejicienda videtur; nam esto Judex jus possideat ad carceres, & quæstionem subeundam reum damnandi, quoties extant semiprobationes, & indicia fortissima; hoc tamen conceditur judici ab ipsa lege; quæ, sive Ecclesiastica, sive Politica minime conferunt facultatem reum decipiendi per verba æquivoca, quæ quo ad substantiam non differunt a fraude, & mendacio. Bailus nobiscum sentit (*d*): *Cum enim ipsi* (Judices) *valde abhorreant responsa æquivoca in reis, de quorum vita agitur ... quanto magis in se ipsis debent æquivoca verba circa reos abominari; ne ipsis præbeant exemplum eludendi per æquivocationes eorum interrogata?* Igitur simplicitas, veritas, & sinceritas debent inseparabiliter esse Justitiæ comites, licet quandoque ex earum observantia crimen impunitum remaneat; cum Judici obligatio insit, puniendi solum delicta cognita juxta ordinem Juris excludentis fraudem, & mendacium quodcumque relative tum ad judicem, tum ad accusatum. *Nec potest judex aliud crimen punire*, prosequitur Doctor laudatus, *quam quod est notum secundum juris ordinem, qui ordo mendax esse non debet.*

(*d*) Bail. p. 5. de exam. pœnit. q. 33. de exam. judicum p. 17.

CASUS XVII.

Antonio aggresso, contumeliis affecto, & usque ad sanguinis effusionem per Sampsonem vulnerato, plaga tamen mortem non ministrante; Regius Procurator ex Officio detulit aggressorem apud Magistratum, & capitis judicio est persecutus; aliquo elapso tempore partes iniere reconciliationem solutione viginti scutorum Antonio ab aggressore facta; an Judex in casu allato potest, tuta conscientia, suspendere caussam, & Judicium contra Sampsonem reum solummodo pœnæ pecuniariæ?

R e s p o n s.

Quilibet Judex ex præcepto conscientiæ tenetur se legibus conformare, quarum est executor, maxime quando agitur de publico commodo. Leges autem, & bonum commune postulant, ut Regius Procurator malefactores puniat: nam licet partes contendentes inter se conveniant, & cedant juri suo; per hoc non stat, quin bonum, & publica tranquillitas exigant legitimam satisfactionem pro illata injuria. Unde infertur, in exposito casu a judice pronunciandam sententiam contra Sampsonem delinquentem propter facinus patratum, ut justitiæ legali fiat satis. Ita celebris Theologus (*e*).

(*e*) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 107.

CASUS XVIII.

Darius Judex Regius sententiam tulit in Ancelium reum adulterii, & Usuræ, quorum criminum caussa trecentarum librarum mulcta damnavit, & insuper ad ignominiosum cippum subeundum; utrum judici paribus delictis, licet occultis, reo, competat jus damnandi Ancelinum?

R e s p o n s.

Apostolus (*f*) docet, reum ferentem sententiam in alium reum esse inexcusabilem, immo eodem tempore condemnare seipsum, hoc est tanquam in speculo suæ damnationis meritum intueri. *Inexcusabilis o homo omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas. Eadem enim agis, quæ pateris.* Textus prædictus Glossa illustratur a D. Thoma: *Illi, qui sunt in gravibus peccatis, non debent judicare eos, qui sunt in iisdem peccatis, vel minoribus, ut Chrysostomus dicit super illud Matthæi 7.* Nolite judicare &c. *& præcipue hoc est intelligendum, quando illa peccata sunt publica; quia ex hoc generatur scandalum in cordibus aliorum.* Verum si judicis delicta sint occulta, uti supponuntur in Dario, & sit adstrictus sententiam dicere, hoc exequi datum est absque culpæ scrupulo, concurrentibus humilitate, & timore erga Deum. *Si autem non sunt publica*, sequitur Thomas nuper laudatus, *& necessitas judicandi immineat propter officium, potest cum humilitate, & timore vel arguere, vel judicare ... nec tamen propter hoc homo sic seipsum condemnat: ut novum condemnationis meritum sibi acquirat; sed quia condemnans, ostendit se similiter condemnabilem esse propter idem peccatum, vel simile.*

(*f*) Rom. 2. 1.

Liquido ergo patet, juxta Doctrinam D. Thomæ allatam, Darium, licet similibus culpis fœdatum, sed clandestinis, propter quas Ancelinum mulctavit, potuisse sine delicti macula damnare accusatum, ut suo muneri faceret satis, & Regis imperium exequeretur.

CASUS XIX.

Præsidialis edixit Ecclesiastici capturam propter crimen suo foro non subjectum; tres judices contra opinionem ceterorum senserunt; sed animadvertentes, Decretum jam vigorem habuisse ex vocum pluralitate; tres prædicti sua suffragia ad normam aliorum adjunxere contra propriam opinionem; utrum eorum concursus, licet inutilis, a culpa vacet?

R e s p o n s.

Tres Judices, de quibus est quæstio, nulla peccati macula se obstrinxerunt, Decretum signando; cum non solum potuerint, sed debuerint aliis unanimiter se conformare. Ratio patet ex eo, quia opus est, ut necessario appareat, judicium esse juridice pronunciatum; quod verificari nequit, nisi mediante judicum subscriptione. Tum quia etiam adhærentes sententiæ oppositæ debent acquiescere, & ratificare Judicium emanatum, cum omnium Judicum concordantia, fit simplex argumentum veritatis caussæ jam cognitæ, ut talis (*g*).

(*g*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 35.

CASUS XX.

Præsidialis Galliæ, Decreto edicto de Presbytero apprehendendo propter caussam maximi ponderis, abnuente se Judicibus sistere; tanquam in tali casu facultate carentibus; una cum ceteris palam satellitibus mandavit, ut caperetur; unus Judicum elicit confessionem apud proprium Parochum, de delicto se accusat, cui Parochus onus injungit publice declarandi usurpasse auctoritatem sibi indebitam, judicem renuentem huic mandato obedientiam præstare, absque absolutione dimittit; petitur, an ratio militet pro Parocho publicam satisfactionem imponente, an pro Judice acceptare renuente?

R e s p o n s.

Subjecti casus Responsio indiget distinctione; quæ sub sequenti dilemmate in bono lumine collocabitur; Aut enim Sacerdotis crimen erat subjectum Curiæ Præsidiali, vel non? Si primum; Parochus injuste imposuit Judici in Tribunali Confessionis onus palam fatendi, excessisse limites Jurisdictionis, & immerito absolutionis beneficio defraudavit; talis enim caussæ cognitio ab hoc Tribunali legitime pendebat, ut ex hypothesi satis constat, nec non ex Regiis sanctionibus; verum si capttus ignorabat detentionem aliquo privilegio niti, nec cadere sub laicali Jurisdictione, Parochus optime se gessit tum obligando Judicem publicæ attestationi, tum absolutionem denegando.

Ratio hujus est, quia Confessarius nullo pacto prædicto Judicio potuit subscribere, utpote injusto: *Non semper obediendum est Judici*, inquit Glossa (*h*): *si evidenter iniquum est mandatum, ipsius, sive*

(*h*) Glossa in cap. *Audientiam*. 1. de consuetudine. v. *Judice*. & in c. *Significasti*. 18. de foro competenti.

sive contra Jus. Idem confirmatur ex Regula Juris (*a*): *Ea quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*, nec non ex sequenti (*b*) *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi*; & prædicta Doctrina optime concordat cum Alexandri III. Decreto (*c*) *sententia a non suo Judice lata non tenet*. Porro sciendum, Ecclesiasticum uti personam particularem non posse cedere Juri communi, e quo privilegiam sortitur, ut pro legitimo Judicem agnoscat, qui a parte rei non est talis. Doctrina superius tradita fulcitur Decretali Epistola Innocentii III. Pictaviensi Episcopo missa, & altera Gregorii IX. (*d*). In allata resolutione retulimus, *nisi clare constet hujus causæ materiam ad laicum forum spectare*; quippe casu quo non liquido constaret caussam minime ad dictum Præsidem pertinere cum dubio Jurisdictionis, Confessarius non errasset absolutionem denegando; nam Judicis opinioni nequaquam tenetur subscribere, quoties non constet de Justitiæ certitudine, quæ omnem hæsitationem debet excludere; juxta Auctorem Glossæ a Gratiano citatum (*e*) *si dubium est, ut sit licitum, parendum*.

(*a*) Reg. 2. de reg. juris in 6.
(*b*) Reg. 64. in eod. tit.
(*c*) Alex. III. in c. *Etsi Clerici* 4. de Judiciis l. 2. tit. 1.
(*d*) Glossa in cap. *Audientiam*. 3. de consuetudine v. Judice. & in c. *Significasti* 18. de foro competent.
(*e*) Glossa in c. *Qui insius*. 40. 11 q. 3. v. *Æquitatem*.

CASUS XXI.

Judex, post Mauritii consummatum examen ad Instantiam Procuratoris Regii, absque interventu Partis Civilis propter injuriam finitimo illatam, 100. libratum pœna mulctavit, hasque sibimet applicavit ex mercede Mauritio debita, si interfuisset in caussa Pars læsa; an potuerit, tuta conscientia summam præfatam applicare; vel alia via exigere solutionem a Mauritio post sententiam peremptoriam, vel oblationem provisionalem.

Videtur, quod sic; 1. Quia qua Judex nulla mercede fruitur; 2. Quia Lex naturæ dictat quemlibet proprio labore sibi consulere, 3. propter consuetudinem, qua Judex hujusmodi Caussarum sibi applicare solet mulctam pecuniariam; 4. Quia pecuniam exegit ad Instantiam ipsiusmet accusati.

Videtur tamen aliunde non potuisse, cum antiquæ constitutiones Judicibus inhibeant exactionem expensarum propter petitiones ad unius Regii Procuratoris postulationem.

Respons.

Nequit Judex in foro conscientiæ nihil sibi appropriare titulo stipendiorum in casu nostro, neque minimam partem mulctæ pecuniariæ, cum hoc cadat sub prohibitionem quoscumque Judicibus in causis, in quibus comparet solus Cognitor Regius. Ita statutum per Regia Edicta, & præcipue Aurelianense emanatum mense Januarii 1560. & Molinense 12. Decembris 1566. & Blesense Maji 1579. (*f*). *Inhibemus expresse omnibus Præsidentibus, & Judicibus taxare pretium alicujus Judicii, quando interveniunt soli Procuratores Generales, eorum Vicarii, tanquam partes*. Ita Henricus III. in novissimo edicto.

(*f*) Decretum Aurelian art 43. Decreta Molin. art. 20. Edictum Blesen. art. 129.

Haud dubium est igitur Judicem in subjecto casu nihil exigere potuisse sub aliquo colore, aut prætextu, quocumque modo, propter suum laborem, Vacationes, aut Judicia, ob absentiam partis civilis; cum caussa fuerit instituta ad unius Regii cognitoris postulationem.

Rationes in oppositum nullo negotio refelluntur; nam 1. Ante Officii acceptationem non ignorabat se onus suscipere gratis, & absque mercede, ut Edicta loquuntur; idcirco nullum elucet motivum querendi de labore sine præmio, quoniam ab initio ei liberum erat amplecti nec ne. 2. Ipsius labor satis compensatur per omnia Judicia, ubi partes Civiles intersunt, vel Criminales præter Regium Procuratorem, ex quo evacuatur secunda ratio nobis objecta. His addendum Leges prædictas a Principibus, & supremis Curiis edictas in beneficium commune, quod semper particulari debet præponderare.

Circa consuetudinem, quæ antea vigebat in tali Jurisdictione roborata per praxim Prædecessorum, dicendum esse abusum dignum qui eliminetur, utpote contrarium edictis, quæ tenent vicem Legum, & debent præferri quibusque usibus; *Usus auctoritati cedat*, ait Canon, *pravum usum Lex, ratio vincat* (*g*). Hoc idem confirmat Constantinus in Canone a Gratiano relato *Consuetudinis, usu͏sque longævi non vilis auctoritas est; verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem*. Quæ prohibitiones adeo exacte servantur usque in hodiernam diem, ut secus agentes a Senatu arguerentur, & damnarentur ad restituendum totum id, quod hac via fuit acquisitum, concurrentibus querelis, & probationibus contra Judicem.

(*g*) S. Isidor. in can. Usus. 2. dist. 11.

CASUS XXII.

Ephemianus Judex in Oppido Provinciæ fuit electus a communitate Collector Vectigalium pro prima vice post 20. annos, quibus Judicis officio fungitur; omnem lapidem movet, ut ab hoc onere liberetur, cujus rei caussa litem habitantibus movet; quæritur, an caussam persequi possit inchoatam, ut ab hoc onere sit liber, utpote aliqualiter incompatibili cum Judicis ministerio?

Respons.

Character Judicis non absolvit hac dignitate fulgentem a tributorum solutione (*h*), & per consequens neque ab onere Collectoris, dummodo hoc officium aliquo speciali non gaudeat privilegio: Ritus iste servatur communiter in auxiliorum Curiis, fundatus Regio Decreto edito 1600. in materia Vectigalium (*i*): *Nullus ex Contribuentibus Parochiæ, sive dives sive pauper, & solvendo idoneus audiatur, ad finem se substrahendi ab officio Assessoris Collectoris, sed unusquisque tenetur tale munus exercere per ordinem*; & in articulo 13. habetur: *Nemo poterit dispensari, nisi auditis caussis a Sindico Procuratore, & approbatis saltem per tres electos*. Euphemianus igitur tenetur subire onus Collectoris, utpote canonice electus, & nulla gaudens prærogativa, uti Judex, nisi aliter privilegium possideat, quod in casu non apparet.

(*h*) Edict. Lud. XIII. an. 1614. art. 4. Edict. 1634. art. 34. 41. & 481. Declaratio Novemb. 1640.
(*i*) Edict. 1600. art. 11.

CASUS XXIII.

Uldericus Judex Jurisdictionis Pauli, supremus Dynasta, in Parœcia S. Cerati sua Jurisdictione usus est in Cœmeterio Parochialis Ecclesiæ, qui locus æque distabat a Parochiæ finibus, ubi plures sententias pronunciavit. Philemon afflictione tactus propter pœnam 20. librarum ab hoc judice sibi taxatam, summam solvere reluctatur, allegans nullitatem sententiæ, quia exercitæ in loco sibi non subdito; an Philemoni suffragatur hæc ratio?

Respons.

Ratio Philemoni favet; nam constat, judicem non posse valide exercere suum munus extra Territorium suæ Jurisdictionis. Atqui tum Cœmeterium, tum Ecclesia non dependet a foro sæculari; nam fundi prædicti Deo unice sunt dicati, superque hoc Principes, nec Feudatarii aliquid sibi Juris reservarunt, ut optime notat Terrianus (*K*). Idem statutum est in Concilio Generali Lugdunensi 1274. sub Gregorio X. tenore sequenti (*l*). *Cessent in Ecclesiis, earumque cœmeteriis negotiationes, ac præcipue nundinarum, ac fori cujusquam tumultus. Omnis in eis sæcularium Judiciorum strepitus conquiescat ... nulla inibi caussa per Laicos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a Laicorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant observari ... processus judicum sæcularium, ac specialiter sententiæ prolatæ in eisdem locis omni careant robore firmitatis*.

(*k*) Terrian. lib. 5. cap. 7.
(*l*) Concil. Lugd. 2. in c. Decet. 2. de immunit. Eccles. Cœmet. & aliorum locorum religios. in 6. l. 3. tit. 23.

Attamen hac occasione est animadvertendum aliquos fundos Ecclesiæ dono datos esse titulo simplicis eleemosynæ, de quibus proprietarii adhuc eorum servant Dominium temporale integrum, & perfectum, sicut alias, antequam fuisset Ecclesiæ incorporatum, esto jus feudi fuerit solutum a servitute, ut advertit Terrianus; quo casu retinent

vel

vel per se, vel per alios supra eorum fundos potestatem.

CASUS XXIV.

Melanius judex in caussa homicidii a Joanne patrati, ut accusatio indicat, dato opera; delatore probationibus carente, tres viri accessere deponentes contra Joannem, quorum testimonio nixus judex non citata parte ad se tuendum morti adjudicavit. Quæritur an juste?

Respons.

Tantum abest ut judex suo muneri fecerit satis, ut sententiam injustam ac irritam pronuntiaverit. Nam testes nullius sunt roboris, quotiescumque accusatus legitime citatus non comparuerit ad testium depositionibus respondendum. Ita definitum a D. Gregorio in Decretalibus relato (*a*), ubi decernit, servandam esse legem Justinianam (*b*): *Oportet etiam illum in ea civitate constitutum in qua testationes dantur, admonitum a judice; sive a defensore, præsentem esse, & audire attestationes:* nempe *sacramentum, quando jurant* (testes).... *non tamen responsiones audire* (*c*); *sed in secreto judicis debent dici, absente adversario & aliis testibus, at per Danielem inductum est*. Sic commentatur Glossa (*d*) ex qua sic concludit D. Gregorius (*e*): *Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes veniat: quod quia heic omissum est, necesse est, ut quod contra legem (prædictam) actum est, non habeat firmitatem.*

Idem confirmari potest ex pluribus canonibus antiquis (*f*), quod hic titus est consentaneus justitiæ & menti Ecclesiæ.

Auctor hujusce decisionis est celebris Abbas (*g*): eamque confirmant Aretinus (*h*), Felinus (*i*), Socinus (K), Ruinus, (*l*), Guido Papa (*m*) atque plures canonistæ, & juris periti.

(*a*) D. Greg. in c. *In nomine Domini*. 2. de testibus, & attest. lib. 2. tit. 20.
(*b*) Authent. *Id tum*. de testibus collat. 7. l. 2. n. 10.
(*c*) Leg. *Si quando*. cod. de testibus &c.
(*d*) Gloss. ib. v. *Præsentem*.
(*e*) S. Greg. in can. *Imprimis*. 6. 2. q. 1. § *Quia ergo*.
(*f*) Palagius in can. *Charta*. 19. & pluribus aliis 3. qu. 3.
(*g*) Abbas in d. c. *In nomine Domini*. n. 4.
(*h*) Aretin. init. ibid.
(*i*) Felinus n. 3. ibid.
(*k*) Socinus concil. 253. col. 2. init. l. 2.
(*l*) Ruinus concil. 6. nu. 2. c. 4.
(*m*) Guido Papa Decis. 231.

CASUS XXV.

Poligonius judex criminalis post examen Paulli accusati & convicti notabilis delicti, pro quo leges pœnam capitis minime statuerunt, morti adjudicavit hac opinione firma ductus, ut ceteris esset exemplo, ne in tale crimen laberentur, juxta aphorismum legalem (*n*): *Multis delinquentibus, pœna unius debet esse metus multorum.* An sine culpa hoc exsequi potuerit?

(*n*) Arg. l. *Aut facta* 16 ff. de pœna lib. 48. tit. 19.

Respons.

Judex nullo pacto potuit morte plectere Paullum propositi casus subjectum. Ratio asserti est, quia judex est executor dumtaxat legum, neque est dominus vitæ hominum, nisi in casibus in lege statutis. Idcirco in Romanis legibus decernitur (*o*): *In personis tam plebejorum quam decurionum, illud constitutum est, ut qui majori pœna afficitur quam legibus statuta est, infamis non fiat.* Æquitas ergo judicis non fert, ut reus morti adjudicetur, nisi hæc pœna a lege Principis infligatur. Ob id olim testes mendaces non tradebantur morti, quia nulla lex hoc statuerat, nisi post edictum Francisci I. Argentinæ editum 24. Aprilis 1552. Igitur procul dubio Poligonius est reus mortis Paulli.

(*o*) L. *In servor.* 30. §. 2. ff. de pœn. §. *In servor. persona*.

Allata solutio est homogenea sententiæ Brunaldi in opere novissime in lucem edito (*p*): & roborari potest auctoritate Ambrosii a Gratiano citati (*q*): *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit & domesticæ arbitrio voluntatis, sed juxta leges jura pronuntiat, statutis juribus obtemperat; non indulget propriæ voluntati, sed secundum leges, & jura pronuntiat.* Glossa (*r*) paullo post refert eadem verba Augustino applicata. Igitur judex mortis sententiæ addicens reum a lege non damnatum, *ex arbitrio facit*, indulget propriæ voluntati, neque pronuntiat *juxta leges & jura*, uti docet D. Ambrosius, & decernit Justinianus (*s*): *Omnis autem judex... custodiat leges, & secundum eas proferat sententias*. Fatendum est ergo judicem a justitia & æquitate recedere.

(*p*) Brunald. observationes & maxim. in materi criminalib.
(*q*) In can. *Judices*. 2. 3. q. 7.
(*r*) Gloss. in extrav. unica de dolo & contuov. v. *Non obstant.* §. *Et hoc*.
(*s*) Authent. de judic. coll. 6. t. 12. c. 13.

His superius prædictis addimus: judici, quando versatur in materia pœnali, amplectendam esse opinionem dulciorem, quando non adest lex Principis explicita: *In his vero super quibus jus non invenitur expressum*, ait Honorius III. respondens Cardinali interroganti (*t*): *Procedas æquitate servata in humaniorem partem declinando, secundum quod personas & caussas, loca & tempora videris postulare.*

(*t*) Honor. III. c. *Ex parte* fin. de transact. l. 1. tit. 36.

CASUS XXVI.

In Neratium accusatum pessimi criminis judex vehementibus nixus indiciis generaliter, tormenti pœnam inflicturum declaravit. Utrum judici liceat hoc supplicio Neratium mulctare, attenta criminis imputati enormitate?

Respons.

Cum judex non sit dominus, sed mere exsecutor legum, nequit pœnam cujuslibet generis reo infligere, nisi a legibus ipsis statutam. Ita docet Augustinus (*u*), & probat doctus Canonista (*x*), refellens opinionem asserentium, judicem posse accusatum inebriare, ut veritatem facilius possit extorquere: *Quamvis adsint legitima contra reum indicia, non tamen sine gravi peccato uti licet hoc inusitato tormenti genere, sed solito tantum & consueto*: quod ratificat Baldi & plurimorum jurisconsultorum auctoritate (*y*).

(*u*) S. Aug. in can. *In istis*. 3. dist. 1.
(*x*) Fagn. in c. *Audivimus*. 14. de sortilegiis & venef. sortilog. n. 46. & seqq.
(*y*) Idem n. 5.

Hæc est ratio potissima, quare judex nequit sine gravi criminis incursione, morti vel triremi reum addicere, quando talis pœna per legem Principis statuta non fuit: quod æque locum habet in judicibus supremis & subalternis; cum ambo teneantur legibus se conformare. Sententia videtur nixa hoc axiomate trito: *Nullus potest supra jus quod non condidit, sed conditum præsupponit* (*z*), & alio D. Ambrosii (*aa*): *Bonus judex nihil ex arbitrio facit, sed secundum leges & jura pronuntiat.* Quæ omnia sunt intelligenda de pœnis expresse a lege taxatis.

Cohærenter igitur ad hanc methodum se gerere debet Neratius circa accusatum, & ad amussim legem Principis exsequi, nihil proprio marte agendo præter id quod a lege præscribitur.

(*z*) Gloss. in Octav. cem non novam unica dolo & constitutum in communib. 20. Non obstantib.
(*aa*) S. Ambros. in psalmum 118. serm. 20. in cant. *Judicet*. 4. 3. q. 7.

CASUS XXVII.

Guerinus Diaconus patrato in via regia homicidio, fuit definitive judicatus, & morti damnatus, licet apud senatum appellasset. Utrum judex legitime reum morte mulctaverit?

Respons.

Judex avidenter contra justitiam peccavit, impediendo appellationem Guerini. Ratio in promtu est: licet enim crimen sit ultima animadversione dignum, Judexque possit sententiam exsecutioni committere; hoc totum verificatur quoad laicos, non autem quoad ecclesiasticos; cum isti privilegio gaudeant non subeundi sententiam capitalem, neque per judices præsidiales, nisi appellatione intermedia. Idem probatur a Cassio (*bb*), ex articulo 13. primi tituli Edicti criminalis, uti Ludovicus XIV. Tribunorum jurisdictione & potestate fundata, declarat per dictum articulum nolle præjudicium inferre ecclesiasticorum privilegiis. Idemque confirmatur ab eodem Rege in Edicto Aprilis 1691. expresse declarante, Tribunos Capitales non posse cognoscere caussas ecclesiasticorum, neque præsidiales judices in caussis privilegiatis judicare, nisi in casu appellationis. Judex ergo qui Guerinum morte mulctavit, injuste egit, violando tum Principis legem, tum privilegium Ordini ecclesiastico concessum.

(*bb*) Cassius tr. de jurisd. Ecclesiast. comment. cap. 11. pag. 313.

C A S U S XXVIII.

Hermogenes Judex præsidialis rogatus ab Antonio, ut Henricum apprehenderet 200. librarum debitorem super ipsius jurata attestatione absque ulla schedula, quas Henricus infitiebatur sciens aliunde, debitorem esse perditæ conscientiæ, in aliis experientiis convictum de perjurio; potest ne sine peccato exigere ab Henrico jusjurandum ad Antonii postulationem, esto prævideat pejeraturum?

R a s p o n s.

(a) S. Th. 2. 2. q. 67. art. 4. in corp.

S. Thomas tradit (a), Judici licere sine delicto exigere juramentum ab Henrico, quoties adversarius postulat, licet certus sit de perjurio faciendo. Quia Judex est persona publica constituta ad unicuique jus reddendum juxta Edicta Principis & consuetudines magistratus; ita ut non sit in ejus arbitrio secus facere, dum juramentum non exigitur a judice, sed ab ipsa lege: *Si autem aliquis exigat juramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo juris ad petitionem alterius; non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat; sive sciat, eum falsum jurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille ad cujus instantiam exigit*. Ita Doctor laudatus.

Universa Theologorum & Canonistarum cohors, Sotus, Angelus, Silvester, Suarez, Sanchez, Reginaldus & Covarruvias (b) conveniunt in eadem sententia.

(b) Covar. in c. *Quamvis pactum*. 2. de pactis in 6. 1. p. 9. 6. n. 2.

C A S U S XXIX.

Baldrius a Roscio in jus vocatus, ut solveret 300. libras sibi mutuo datas absque schedulæ testimonio, irritatus in Roscium propter agendi modum, debitum infitiatur, paratus jurare ad instantiam postulatoris & ad Judicis notum. Judex non ignorans, Baldrium laborare publica infamia, Roscium vero probatæ bonitatis esse; antequam juramentum præstaret Baldrius, illud exegit a Roscio de veritate pecuniæ mutuo datæ ad labefactandum tali medio perjurium debitoris, & ut sibi via aperiretur ad ejus condemnationem signandam, cum Roscius insuper testem haberet omni exceptione majorem de pecunia tradita Baldrio.

Judex potuit ne hac via procedere, ut bene & juste gereret negotium Roscii?

R a s p o n s.

Judex non potuit sine culpa juramentum exigere a duabus partibus in materia controversa: nam in hoc casu alterutrum ad perjurium induceret infallibiliter veritatem infitiando: idcirco Patres in concilio Valentiæ anno 855. sub Leone IV. talem agendi methodum ut detestabilem, impiam & religioni contrariam damnarunt (c): *Quia impia, & Deo inimica, & christianæ religioni contraria ex iniquissima ac detestabili constitutione quarumdam sæcularium legum consuetudo invaluit, ut in forensi judicio litigantes ex utraque parte contendentium æqualiter juramentum dare cogantur, ubi sine dubio duobus contra se jurantibus, unus perjurus efficitur: tanti sceleris immanitatem & animarum perditionem dolentes statuimus, ut quicumque uno juramento legitime dato quod secundum legem divinam humanæ controversiæ finis esse debet; alterum e contrario juramentum opponere præsumserit, ab ipsis liminibus Ecclesiæ quæ sua impietate profanavit, exclusus omnium christianorum consortio atque convivio, reddatur extraneus; nisi se continuo admonitus ad agendam pœnitentiam tanti reatus, humili satisfactione inclinaverit*.

(c) Conc. Valent. 3. can. 1.

Verum e contrario, cum Judex ab una partium dumtaxat exigit juramentum, non est reus coram Deo perjurii secuti, etsi certo secuturum prævideret; nam in rigore loquendo, non est ipse qui exigit, sed adversarius ad cujus instantiam petit tamquam persona publica, & tamquam legum executor. Ita ratiocinatur D. Thomas, cujus auctoritatem retulimus in præcedenti quæsito (d).

(d) S. Th. 2. 2. q. 98. a. 4. in corp.

C A S U S XXX.

Guido Presbyter diœcesis Lascarræ verbis contumeliosis petitus a Rogerio Diacono, eumdem citavit pro famæ reparatione ad comparendum coram Judice: an dictus Rogerius se præsentare tenetur?

R e s p o n s.

Si Rogerius esset laicus, cum materia hujus caussæ sit *misti fori*, procul dubio obligaretur se sistere coram Judice laico; nam læsus ad aliud tribunal non potest offensorem citare, nisi ad illud cui materia subjecta est: atqui si Rogerius esset expostulans non, posset Guidoni diem dicere, nisi coram Officiali qui est ejus naturalis Judex. Ita expresse Fevretus (e).

(e) Fevret. tr. de Abusu l. 8. c. 2. n. 7.

Sed quia Rogerius est sacris Ordinibus insignitus, aliter disserendum est. Nam post fundationem Religionis Christianæ Ecclesia fuit semper in possessione jurisdictionis ordinariæ super omnes Ecclesiasticos, & maxime in materiis mere personalibus, ut noster fert usus, sicut in materiis morum & disciplinæ in quibus clerici tenentur habere proprium Episcopum pro Judice ordinario, vel ejus vicem gerentem: ideoque sine culpa non patet ei legitimus recursus ad forum sæculare. Regula tradita habetur in Capitulari Caroli magni sub an. 789. (f), optime concordante cum ordinationibus concilii Chalcedonensis (g) medio sæculo quinto habito: *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat, & ad sæcularia judicia ne excurrat*. Corpus juris Canonici abundat aliis probationibus super hac materia.

(f) Capit. Caroli magni c. 37.
(g) Con. Chalc. can. 9.

Prima habetur in Decretali Innocentii III. ad Pisanum Archiepiscopum missa (h), in qua vetat omnibus clericis se submittere sæcularibus Judicibus: *Cum non sit hoc beneficium personale cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum; cui privatorum pactio derogare non potest*: cujus Papæ declaratio fundatur super Concilium Milevitanum, & tertium Carthaginense, ubi apud Gratianum canones reperiuntur (i).

(h) Inn. III. in c. *Si diligenti*. 12. de foro compet. l. 2.

Secunda traditur a Gregorio IX. (K) ad Abbatem scribente his verbis: *Licet privatorum consensus eum qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit judicem constituere; clerici tamen in Judicem non suum (nisi forte sit persona Ecclesiastica, & Episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt*. Super quo ait Glossa (l): *Hic expresse patet, quod clericus in non suum Judicem, etiam ecclesiasticum, sine consensu expresso sui Episcopi constituere non potest*. Quod auctor Glossæ confirmat auctoritate Canonis collecti ex epistola S. Innocentii I. (m) ad Victricium Rothomagensem Episcopum scripta, & ex aliis duobus Canonibus a Gratiano relatis (n).

(i) Conc. Tolet. 3. c. 13. in can. *Mala*. 42. & Conc. Cart. 3. in can. *Placuit*. 43. 11. q.
(k) Greg. IX. can. *Significasti*. 18. de foro compet.
(l) Glos. ib. 2. Clet. tantum.
(m) Inn. I. ep. 2. c. 3. ad Victr. in c. *Nonliceat*. 14. 5. q. 4.
(n) Can. *Nullus*. 1. & can. *placuit*. 2. 2. q. 2.

Tertia porro colligitur ex Honorio III. (o) statuente, quod clericus ad Judicem sæcularem recurrens contra suum Episcopum, sit anathemate percussus, & beneficiis privatus. Ita disponit jus Canonicum obligans Guidonem ad ejus observantiam sub gravi culpa & pœna non levi, cum nostra consuetudo optime concordet cum jure canonico in casu exposito.

(o) Honor. III. in c. *Gravem*. 13. de excess. Prel. l. 5. t. 31.

Non militat autem eadem ratio quoad cetera delicta; non obstante lege per Decretales statuta. (1) In Gallia ecclesiastici habentur tamquam membra status, & sub hoc titulo dependent a Principum legibus & suorum officialium sententiis in pluribus & differentibus casibus. Nam etsi juxta Edictum Philippi Pulchri anni 1303. in Formulario Senatus relatum (p) ad Judicem Ecclesiæ spectet examinare actiones mere personales ecclesiasticorum: *Personæ ecclesiasticæ non compellantur in foro sæculari super actionibus mere personalibus litigare*: quæ dispositio videtur esse basis ejus competentiæ, ut talis approbata per edictum 1559. (q) & aliud

(p) Form. senat. art. 3. t. 45.
(q) Edict. 1559. art. 1. & 5.

(1) Vide *Mendo Pensat*. Observ. III. num. XLIII.

& aliud Blesense (*a*), & alterum 1667. (*b*), & confirmatum per celebrem sententiam magnæ Cameræ Senatus Parisiensis 10. Februarii 1699. in gratiam Puellæ Peze contra Dominum de Irene Parochum S. Remigii Ambiani, reum publicæ contumeliæ, qua puellam affecerat. Adsunt tamen casus plurimi, qui Privilegiati vocantur, quos videre licet in Dictionario sententiarum Domini Brillon (*c*) quorum atrocitatis notitia non spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum, sed etiam ad Laicum; in quo casu Ecclesiasticus duobus Judicibus subjicitur; Ecclesiastico, ratione sacrorum Ordinum, & Regio, utpote Regis subditus.

Non erit abs se hic advertere, 1. quod licet Concilium Tridentinum (*d*) largiatur privilegium Clericale omnibus Clericis gerentibus habitum, & Clericalem Tonsuram etiam uxoratis; attamen in Regno Galliæ conceditur talis prerogativa solum Clericis in sacris seu majoribus Ordinibus constitutis, ut habetur Edictis Ruscinonensi (*e*), & Molinense (*f*).

2. Quod (delicto læsæ Majestatis excepto) permittitur Ecclesiastico sua Remissio ad judicem Ecclesiasticum, sed cum judice Regio unitum in casu privilegiato, ut apparet per sententiam Conventus Parisiensis mense Aprilis 1374. citatam a de Luca (*g*) in collectione sententiarum, qua Curia recursum permisit Clerico falsæ monetæ accusato. Idem Curia concessit per decretum 22. Februarii 1586. cuidam Marcello Durando Decano Lavalli de veneficio accusato (*h*) Presbyter (*i*) addit plures alias sententias; estque Consuetudo recepta, & roborata per edictum Melodunense (*k*), per Regis Declarationem Februarii 1678. & Julii 1695. (*l*) circa Ecclesiasticam jurisdictionem omnia supradicta collecta sunt ex consultatione signata 24. Maji 1704. per Valentem Causidicum celebrem Curiæ Parisiensis, & Nouet pariter Causidicum in quadam Consultatione 16. Maji ejusdem anni. allegantes eadem decreta a nobis citata, animadvertentes insuper, Ecclesiasticum volentem se subjicere foro laico, non esse audiendum, ejusque consensus esset inutilis, nec posset suum judicem ordinarium sua Jurisdictione privare; nam ejus privilegium non est in gratiam personæ particularis, sed totius ordinis Ecclesiastici ex Declaratione Innocentii III. & Gregorii IX. supra citata (*m*).

3. Notandum in quibusdam Provinciis, ut Normanniæ judices Regios gaudere possessione judicandi actiones simplicium injuriarum contra personas Ecclesiasticas per longam temporis continuationem, quod fuit confirmatum per sententiam Curiæ Rhotomagensis 18. Novembris 1664. relatam a Basnagio in primo Articulo de Consuetudine illius Provinciæ, non obstantibus Regiis declarationibus 1678. 1684. 1695.

(*a*) Edict. Blef. art. 42.
(*b*) Edict. 1667. tit. 17. art. 1.
(*c*) Brillon. Dictionar. sentent. v. *Clerici*. n. 2. & seqq. & v. *Judices*. n. 360. & seqq.
(*d*) Concil. Trid. sess. 2. c. 6. de reformat.
(*e*) Edict. Ruscinon. art. 1.
(*f*) Edict. Molin. art. 4.
(*g*) De Luca l. 2. c. 1.
(*h*) Annaerob. lib. 1. rerum judicatarum.
(*i*) Presbyter. cent. 2. c. 10.
(*k*) Edict. Melodunense art. 2.
(*l*) Edict. 1695. 138.
(*m*) Innoc. III. in cit. cap. *Si diligenti*. Greg. IX. in cit. cap. *Significasti*.

Vide { ABSOLUTIO. ACCUSATOR. ACCUSATUS. ADULTER. ARBITER. DOMINICÆ ET FESTA. ECCLESIASTICUS. TESTIS. } CASUS { *Audentius*. *Marcellinus* & *Bertrandus*. *Blasius Hermocrates* & *Cesselius*. *Antonius*. *Heribertus*, & *Galeberius*. *Heraclius*, & *Gilbertus*. *Marculius*, & seqq. }

J U D Æ I.

JUDÆORUM Natio est illa, quæ licet dispersa inter Fideles, Infideles, & Paganos; adhuc tamen servat Ritum Legis Mosaicæ, respuitque Evangelium, recusans fateri Christum Jesum, ut verum Messiam, & humani Generis Redemptorem. Tituli 9. & 10. Primi libri Codicis Justiniani Imperatoris circa eos versantur, eademque materia in Titulo libri Quinti Decretalium tractatur (*n*).

Dagobertus primus ex Galliæ Regibus, Judæos a toto Dominio eliminavit ductus exemplo Sisibuti Visigothorum Regis, qui omnes hujus furfuris ab Iberiæ Regno expulerat, demptis tantummodo iis, qui Christianam fidem fuerant amplexi. Verum labente cursu temporis adeo numero increbuere, ut Philippus Augustus rursus in exilium expulerit anno 1186. sed pauco temporis intervallo; nam Ludovicus Hutinus copia pecuniæ laborans reditum permisit anno 1315. magna argenti copia numerata. Tandem Curia Parisiensis Decreto a Buchelio relato (*o*) statuit, ne quis Christianorum apud Judæos, qui forsan incogniti remanserant mansionem haberet, tanquam domesticus, & familiaris, & ne quis Judæorum domi retinere posset Christianos. Idem interdixerat Alexander III. in quinque suis Decretalibus (*p*). Bartholomæus Fumus Christianos cohabitantes a peccato non eximit (*q*). *Cohabitare, & servire eis domestice in quolibet ministerio* (peccata) *videntur mortalia: quia hæc habent periculum perversionis annexam*. Dato tamen, quod nullum subesset hujusmodi periculum, gravi culpa non damnat, dummodo eorum ministerium non læderet fidem Christianam; *sed cessante periculo subversionis, & injuria fidei nostræ, & contemptu, non video mortale*.

Interdictum tamen non est mercaturam cum eis exercere, quando necessitas cogit, ut clare pacet ex Decretali Innocentii Tertii (*r*) in margine citata.

Sunt etiam Judæi incapaces magistratus, dignitatis, & Officii publici, juxta Decretalem ejusdem Papæ in quarto Concilio Oecumenico Lateranensi (*s*) neque Testes esse possunt ex Canonum Ordinatione (*t*).

(*n*) Tit. 6.
(*o*) Buchel. tom. 2. p. 71.
(*p*) Alex. III. in cap. *Judæi*. & in cap. *Ad hæc*. 8. & passim de Judæis &c. l. 5. tit. 6.
(*q*) v. *Judæus*. n. 3.
(*r*) Innoc. III. in cap. *Post miserabilem*. 12. de usuris l. 5. tit. 19.
(*s*) Can. *cum sit* 16. de Judæis &c.
(*t*) Can. Alieni 23. 2. q. 7.

Alexander III. & Innocentius III. decernunt, ne, ubi sunt tolerati, e domibus egrediantur diebus Parasceve, & Paschatis, clausis domorum januis, & fenestris (*a*).

(*a*) Alex. III. in c. *Quia super*. 4. Innoc. III. in cap. *In nonnullis*. 15. eodem tit.

Judæis inhibetur acquirere, vel emere quemcumque fundum immobilem in toto Regno, ut advertit Guido Papa (*b*), Delphinatu excepto.

(*b*) Guido Papa decis. 399.

Judæi cum jure merito collocentur in numero, & Catalogo Infidelium, applicanda est eis Doctrina tradita in titulo, *Impedimenta differentiæ Religionis*, quo lectorem remittimus.

Ecclesia vetat absolute celebrare matrimonium cum Judæis, neque familiariter conversari cum eis; & consequenter comessationes tam activas, quam passivas (*c*); & ob id Panormitanus colligit, mulierem Christianam non posse sine peccato esse nutricem infantis Hebræi (*d*), neque Christianum posse uti opera Medici Judæi in suis morbis (*e*).

Auctoritas Ecclesiæ non se extendit ad cogendos Hebræos, ut Christi fidem amplexentur, cum non sint ejus Subditi ex defectu Baptismi, ut declarat Clemens III. (*f*).

(*c*) Can. *Judæi*. 10. can. *Nullus*. 13 & can. *Omnes*. 14. 28. q. 4.
(*d*) Panormit. in dict. c. *Ad hæc*, cit.
(*e*) Cit. c. *Nullus*.
(*f*) Clemens III. in c. *Sicut*, 9. de Judæis.

CASUS PRIMUS.

SUPREMUS Princeps e suo Dominio Judæos expulit, & bonis expoliavit, quæ mediis usuris fuerant adepti, & fisco subjecit; quæritur an licite, an juste?

RESPONS.

D. Thomas a Duissa Brabantiæ consultus (*g*) super hac difficultate sic respondit: *Cum ea, quæ Judæi per usuras ab aliis extorserunt, non possint* (Principes) *licite retinere; nisi forsan essent talia, quæ a vobis, vel antecessoribus vestris hactenus extorsissent, consequens est, ut si etiam vos hæc accepistis ab eis, non possitis licite retinere. Si qua vero habeant, quæ extorserunt ab aliis, hæc ab eis exacta illis debetis restituere, quibus Judæi restituere tenebantur. Unde si inveniantur certæ personæ, a quibus extorserunt usuras, debent eis restitui.* Addit denuo Doctor laudatus, si verus bonorum Dominus inveniri non potest; *Alioquin* debent in pios usus secundum consilium Diœcesani Episcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem utilitatem terræ, si necessitas immineat, vel exposcat communis Utilitas, erogari. Ecce normam, cui Princeps se conformare tenetur.

(*g*) S. Thom. opusc. a. ca. 1.

CASUS II.

JUDÆO a Magistratu pœna pecuniaria mulctato in beneficium Principis, an Princeps possit summam prædictam sibi applicare, certo sciens, omnia bona Judæi esse usurarum labe infecta?

RESPONS.

Judicis sententia jus nullum Principi conferre potest in allata hypothesi; cum majori facultate non gaudeat, quam simplex particularis; cum nequeat sibi applicare alterius bona, etiam quacumque accedente sententia. Rationem reddit D. Thomas (*h*) *Pecunia autem pœnæ nomine ab usurariis ablata retineri non potest, sed in usus prædictos debet impendi, si nihil aliud habeant, quam usuras.*

(*h*) S. Thom. cit. opusc. 21.

D. Thomas proponit, & solvit objectionem circa jus Principum exigentium bona per usuras acquisita: *Si vero dicatur, quod ex hoc Principes terrarum damnificantur, hoc damnum sibi imputent, utpote ex negligentia eorum proveniens; melius enim esset, ut Judæos labore compellerent ad proprium victum lucrandum, sicut in partibus Italiæ faciunt, quam quod otiose viventes, solis usuris ditentur: & sic eorum Domini suis reditibus defraudentur.* Additque præterea paritatem; *Ita enim & per suam culpam principes defraudarentur reditibus propriis, si permitterent suos subditos ex solo latrocinio, vel furto lucrari. Tenerentur enim ad restitutionem ejus, quodcumque ab eis exigerent.*

CASUS III.

JUDÆUS, cujus bona omnia sunt ab usuris manata, quolibet anno munera offert Domino Regionis, in qua commoratur, captivandi ergo suam protectionem; An liceat citra culpam hoc donum accipere, & acceptum retinere?

RESPONS.

Juxta Doctrinam superius traditam in duobus præcedentibus casibus non potest sibi retinere, sed damnum passis, vel istis ignoratis, piis caussis distribuere. Ita laudatus D. Thomas (*i*), *Licet recipere, sed expedit, quod sic acceptum reddatur his quibus debetur, vel aliter, ut supra dictum est, expendatur; si nihil habeant, quam usuras.* Quod tamen intelligendum est casu, quo Judæo dicta bona non fuissent dono data a veris Dominis, quibus paratus erat restitutionem facere, ut notat citatus Doctor.

(*i*) S. Thom. ibid.

J U R A M E N T U M.

UT hujus Tituli materia funditus elucidetur, a Juramenti definitione capiemus exordium; sic a Theologis definitur: *Juramentum est Divini numinis attestatio*, id est; *Invocatio Divini testimonii ad faciendam fidem, promissionemque firmandam.* Ita ut Jurare nihil aliud sit, quam Deum vocare tanquam primam, & infallibilem veritatem in testimonium alicujus dicti affirmantis, aut negantis, aut promittentis; exorando, ut veritas elucescat, quando suæ fuerit placitum voluntati. Juramentum itaque, D. Chrysostomo teste (*k*) est assumere, & constituere, seu offerre Deum tanquam sponsorem nostrarum assertionum: *Vocare testem, & quasi fidejussorem dare dictis.*

(*k*) S. Chrysost. hom. 9. in Acta Apost.

Multipliciter dividitur Juramentum 1. in expressum, scilicet Deum invocando, vel aliquod ejus Attributum, sive viva voce, sive scripturis, sive signis

manum

manum elevando, more ordinario Laicorum, vel pectori admovendo, more Ecclesiasticorum, vel tangendo Librum Evangeliorum, ex Decreto Pelagii Papæ, vel Reliquias, vel Crucifixum; quæ omnia præstari possunt tam Judicis publica auctoritate, quam uniuscujusque particularis arbitrio (a).

(a) Cas. Hor. tamar. 20. 3. q. 9.

2. In tacitum, & indirectum, ex. gr. per Cœlum, per talem Ecclesiam, per Evangelium, & ceteras Creaturas.

Communiter dividitur Juramentum in assertorium, promissorium, & execratorium, quæ omnia fient nota in decisionibus sequentibus.

Certo patet Juramentum esse licitum, cum sit res intrinsece bona suapte natura, & pertineat ad Actum Religionis, sicut constat ex Divinis Litteris, tum Veteris, tum Novi Testamenti; & de facto Jusjurandum sæpe necessarium evadit, ad fidem faciendam de re promissa, vel proposita.

Juramentum non solum a Christianis approbatur, & adhibetur, sed etiam fuit in usu apud Judæos & ante Legem a Moyse promulgatam Abraham, Isaac & Jacob legitur per Dei Nomen jurasse. In Lege Evangelica legimus D. Paulum nomen Domini invocantem, & pro testimonio assertæ veritatis assumentem: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam* (b), scribit ad Corinthios, ut se vindicet a cujuslibet levitatis, & inconstantiæ specie, & suspicionis umbram fugaret: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi*, inquit ad Philippenses (c). *Deus testis est* (d) ad Thessalonicenses, ut omnem avaritiæ suspicionem a se removeat. Porro ejusdem tenoris est Epistola ad Romanos, ut certiores fierent se indesinenter pro eis orare.

(b) 2. Cor. 1. 23.
(c) Philip. 1. 8.
(d) 1. Thessal. 2. 5. Rom. 1. 8.

Nimius tamen, & frequens Juramenti habitus non vacat a periculo; nam D. Augustini testimonio, consuetudo jurandi in perjuria inducit: pariterque jurando culpa committitur, quoties non cohonestatur iis conditionibus, quibus concurrentibus Jusjurandum licitum, & æquum evadit.

Conditiones autem Juramenti comites tres sunt ex Divina Scriptura, simpliciter necessariæ ad transmittendam bonitatem in actum Juramenti; ita ut, his deficientibus, lethale, vel veniale delictum non abest.

Prima conditio in Jurejurando requisita est justitia; hoc est, rem affirmatam, aut Juramento promissam justam licitam, ac honestam esse.

Secunda conditio est veritas, nempe affirmatum esse verum, & ut tale a Jurante certo dignosci.

Tertia, & postrema est judicium; scilicet abstinendum esse a Juramento, nisi hoc necessitas, aut prudentia exigat.

Verbis æquivocis, & restrictionibus mentalibus utentes ad declinandam Juramenti obligationem, proximum decipiunt, se obstringunt perjurii crimine coram Deo duplicitatis inimico, qui invocandus est tanquam testis sinceritatis, & veritatis.

Porro quorumdam Casuistarum opiniones tanquam errore scatentes sunt rejiciendæ; ex. gr. jurandi sine animo jurandi, vel non se obligandi ex vi juramenti, quasi hæc perjuria non sint, & non inducant debitum executionis.

Sententiæ hujusmodi fuere a Clero Gallicano proscriptæ 1700, ut mox recensebimus cum aliis usque ad 127.

PROPOSITIO LX.

Cum caussa licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

PROPOSITIO LXI.

Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, & si aliquo crimine tenetur, puta mendacii alicujus.

PROPOSITIO LXII.

Qui jurat cum intentione non se obligandi, non obligatur ex vi juramenti.

CENSURA.

Hæ propositiones sunt temerariæ, scandalosæ, perniciosæ, bonæ fidei illudentes, & Decalogo contrariæ.

PROPOSITIO LXIII.

Si quis vel solus, vel coram aliis ... quocumque .... sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam, aliam ab ea, in qua fecit ..... revera non mentitur, nec est perjurus.

PROPOSITIO LXIV.

Caussa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas .... ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

CENSURA.

Hæ propositiones temerariæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, illusoriæ, erroneæ, mendaciis, fraudibus, & perjuriis viam aperiunt, Sacris Scripturis adversantur.

CA-

CASUS PRIMUS.

JOsstus sibi videtnr constirutus io necessitate jurandi in quibusdam occasionibus ; An licite possit ?

RESPONS.

Extra hæsitationis aleam est, Jossium in quibusdam casibus citra culpam juramento uti posse, quoties necessitas confirmandi veritatem assertam, quæ non sit parvi momenti, id exigit. Nam esto, Salomonis judicio (*a*), *Vir multum juraas replebitur iaiquitate, & aon discedet a domo illius plaga*; Attamen aliquando urget necessitas jueamenti, cujus finis est, ex Apostoli Doctrina, veritatem difficulter creditam roborare (*b*) *ad confirmationem est juramentum*; Idemque docetur a D. Thoma (*c*): *Nihil eaim aliud est jurare, uisi dubium coafirmare*. Nam in rebus difficultatem non patientibus, non opus est juramento (*d*): *Confirmatio autem ia scibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ sunt infallibiliter vera*. Sed cum humana facta nequeant hominum auctoritate confirmari, utpore mendacio frequenter laborantium, tum defectu cognitionis, cum oeque arcana cordis, nec futura penetrare valeant, *sed particularia facta contingentia bominum aon possunt per ratiouem necessariam confirmari*; ad Deum recurrere oportet, qui est ipsa veritas, & sapientia, in quem non cadit ignorantia, aut falsitas; & hoc proprie dicitue jurare: *Assumere autem Deum in testem, dicitur jurare, quia quasi pro jure introductum est, & quod sub iuvocatione Divini testimonii dicitur, pro vero babeatur*. Semper laudatus Angelicus usque hic locutus (*e*).

(*a*) Eccli. 23. 12.
(*b*) Heb. 5. 16.
(*c*) S. Thom. in ep. ad Heb. lect. 4.
(*d*) Idem in 3. sent. dist. 39. art. 2 in corp. Item 2. 2. q 89. art. 3. in corp.
(*e*) Idem ibi.

Est igitur juramentum licitum, quod a D. Antonino defioitur (*f*) sic: *Juramentum est affirmatio, aut negatio de aliquo, scilicet facto, vel faciendo, sacræ rei attestatione confirmata*; quod a D. Thoma dividitur in assertoriom, & promissorium (*g*), *Divinum autem testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, & hoc dicitur juramentam assertorium: Quandoque aatem inducitur ad confirmaadum aliquid futurum, & hoc dicitar juramentam promissorium*; & est pariter spectans ad actum Religionis; *Jurameatum* (*h*), est actus Religionis, sive latriæ; quo medio uti possimus ad humanas controversias absolvendas. Aliter sentire, esser incidere io hæresim Joannis Wiclephi a Generali Concilio Constantiensi damnaram 1414. (*i*), nt jacet in termiois: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia*. Hoc esset pariter damnare praxim Sanctorum Patriarcharum Abraham, Isaac, Jacob, Moysis (*K*), & aliorum; tum Apostoli, qui frequenter noo solum veritatem simpliciter enunciaverunt, sed juramento firmaverunt, adhibita Divioi nomiois invocatione in testimonium veritatis asseriæ, quoties necessitas postulabat. *Testis enim mibi est Deus*, ad Romanos (*l*). *Deus scit, quod aon meatior*, ad Corinthios (*m*); *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia aon mentior*; ad Galatas (*n*): ex quibus manifeste patet juramentum, juxta Augustini interpretationem (*o*), *Qui dicit*: Ecce corrm Deo, quia non mentior, *jurat utique, & quid sanctius hac juratione*? Addiique, nullum sanæ mentis inficiari posse, hunc loquendi modum jnramentum noo esse (*p*); *Ridiculum est boc putare*; ex quo deducit non esse habendum tanquam generale & absolutum præceptum Domini in Evangelio Jusjurandum inhibentis; sed explicandum, quoties hoc fiar absque necessitate, & prudentia, aut ex consuetudine; in tali enim casu oomen Domini despicitur, neque est actua Religionis, quo Deus colatur, sed defectus debitæ reverentiæ. Eadem interptetatio cueeit in sententiis quorumdam Patrum (*q*), qui damnare videntur quemcumque jurandi modum, nt Jacobus Apostolus (*r*) dicit: Ante omnia autem *Fratres mei, nolite jurare, neque per Cælum, neque per terram, neque aliad quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester; est, est; non, non; ut non sab judicio decidatis*; Cum liquido constet tum Patres, tum Apostolom uoper laudatum non tollere de medio juramentum, tanquam rem de sua natura, & inteinsece malam; sed propter periculum malæ consuerodinis, & praxis. D. Athanasiua eeipsa jueamento usus est; se defendendo ab apocrypha accusatione, quasi intentasset prodere Constantium Imperatorem, Deum invocando elevata manu Apostoli exemplo: *Manu extensa, qaod didici ab Apostolo, dam ia meam ipsius aaimam testor, & ut scribitur ia Libris Regum, jusjurandum concipio: Testis sit Dominus; testis sit Christus ejus ... numquam ea malum tai mentionem feci*.

(*f*) S. Antonin. 2. p. Sum. Theol. tit. 10. c. 3.
(*g*) 2. 2. q. 89. art. 2. in corp.
(*h*) Idem ibi. art. 5. in corp.
(*i*) Concil. Constan. sess. 8.
(*k*) Gen. 24. 22. Exod. 2. 2. 3. Reg. 1. & 24. 8.
(*l*) Rom. 1. 9.
(*m*) 2. Cor. 11. 31.
(*n*) Gal. 1. 20.
(*o*) S. Aug. in ep. ad Gal. n. 9.
(*p*) Idem L. 1. de serm. Dom. In monte c. 17. seu n. 51.
(*q*) S. Amb. in psal. 118. ser. 24. n. 24. S. Basil. In psal 14. S. Chrysost. hom. 17. in Matth. S. Athanas. serm. de pass. & cruc. Dom. sub initium.
(*r*) Jac. 5. 12.

Ut autem juramenrum sit licitum, tribus conditionibus stipari deber, videlicer veritate judicio, & justiria: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in justitia, & ia judicio*; monet Jeremias (*s*). *Jurameatum secundum se est licitum, & bonestam* ex D. Thoma (*t*), *quod patet ex origine, & fine; ex origine quidem, quia bomines credaat, Deum babere infallibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem, & provisionem: ea fine aatem, quia jurameatum inducitur, ad justificandum bomines, & ad fiaieadum controversias, ut dicitur ad Hebræos 6*.

(*s*) Jer. 4. 2.
(*t*) S. Thom. cit. art. 2. in corp.

Ratio a laudaro Doctore assignata circa trium conditionum necessitatem (*u*), oititue optimo nsu, & fine, propter quos adhiberi potest. Ad hoc igitur, nt usus illius sit honestus, non est temere juramentum usurpandum, sed mature & discrete: *Juramentam non est bonum, aisi ei, qui beue atitur juramento: ad bonum autem usam juramenti duo requiruntar; 1. quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria caassa, & discrete juret, & quantam ad boc requiritur judicium scilicet discretionis ea parte jurantis*. Secundo, ut res pee juramentum affirmara sit veritaie nixa, & jostitia. *2. Quantum ad id, quod per juramentum confirmatur, ut neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: & quantum ad boc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod licitum est*. Si juramentum alicujus prædictarum conditionum defectu laboret, est illicitum, oam si caret judicio, est imprudens, & indiscrerum; si veritate, perjorii malitiam non evadit, si justitia, illicitum, & injustum redditor. *Judicio auteia caret juramentum incautum, veritate autem jurameatam mendax, Justitia autem jurameatum iaiquum, sea illicitum*. Has igitur regulas sibi habear ante oculos propositas Jussius, ut juramenti crimen eviter; & maxime cavere debet, ut circumspectus incedat in oecessitate examinanda, ne ab apparente specie veri decipiatur.

(*u*) Idem ibi. art. 3. in corp.

CASUS II.

JUVENALIS habitum contraxit freqoenter juramento utendi, sed in rebus sibi certe notis, & veris; An semper lethaliter peccet?

RESPONS.

Non currit eadem ratio juramenti ac perjurii; nam hoc semper Dei contemptum imbibit, qood nunquam a grani culpa vacat; verum primum, licet careat necessitate, non inclodit formalem Dei contumeliam; ideoque tale juramentum aliquando nonnisi veniali culpa notandum; joxta Doctrinam S. Thomæ (*x*): *Jurare sine caussa, aoa directe opponitur illi præcepto* (non assumes nomen Domini Dei tui in vanum) *sed indirecte. Directe autem opponitur ei jarare falsum, quia boc est, quod confirmari non potest. Unde vana est juratio. Unde non oportet, quod jurare sine caussa semper sit peccatum mortale, sicut jurare falsum*. Non est igitur ratio asserendi, Juvenalem in nostro casu semper peccare lethaliter.

(*x*) S. Thom. in 3. sent. dist. 39. quæstiunc. 2. col. 3.

CASUS III.

PANSOPHIUS sæpe hac jurandi formula utitur; Per Cælum, verum est, quod dico: An peccet?

RESPONS.

Non cadit sub duhio, quod Pansophius peccet, cum ejus juramento desint tres præmissæ conditiones requisitæ ad licitum jurandi usum, uti io præcedenti resolutione explanavimus, ad quam Lectorem remittimus. Hoc evidenter constat ex responsione a Christo Domino Pharisæis tradita (*y*): *Qui jurat in Cælo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet*

(*y*) Matth. 23. 22.

der super, Quem textum sic commentatur Augustinus (*a*): *Cum juras per Cælum aut per terram, noa arbitreris, non deberi Domino jusjurandum: quia per tum jurare convinceris cujus cælum thronus est, & cuius scabellum terra est.*

(a) S. Aug. l. 1. ser. Dom. in mont. secundem Matth. c. 27. seu n. 52.

CASUS IV.

URSINUS quoties jurar, his formulis utitur: *Per meam vitam, per meum caput*: An vere jurare dicatur, & an peccet, nulla cogente necessitate?

BESPONS.

Ex Augustini doctrina (*b*) colligitur, juramentnm exsecratorium gravius esse præ ceteris, cum ita jurans non solum Deum vocat in testem, sed judicem & vindicem, si veriras dictis desit: *Jurare videtur per exsecrationem, quod est gravissimum jusjurandi genus, cum homo dicit, Si illud feci, illud patiar.* Quando igitur Ursinus jurat per menm caput, per vitam meam, verum profert juramentum quod resolvitur in hæc verba: Deus mihi vitam eripiat, si mea dicta vel promissa veritate careant. Jusjurandum Ursini est ergo verum & proprium juramentum, ideoque peccaminosum; quippe quod necessirate destitutum, & pravo habitu contractum. Idem expresse inbibetur a Domino in Evangelio (*c*): *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cælum ..... neque per terram ..... neque per caput tuum juraveris; quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.* Ratio doctrinæ est, quia jurando per cælum, terram, caput aut ceteras creaturas, tacite juratur per Dei nomen cujus sunt opera; & consequenter hujusmodi juramentum non potest sine culpa usurpari, D. D. Augustinns & Thomas sunt in eadem sententia, quia Dei majestas & veritas in creatnris elucet: *Secundario autem assumuntur ad jurandum aliquæ creaturæ; non secundum se, sed in quantum in eis divina veritas manifestatur, sicut juramus per Evangelium, id est per Deum cujus veritas in Evangelio manifestatur.*

(b) S. Aug. in Psal. 7. n. 3.

(c) Matth. 5. 34. & seqq.

CASUS V.

EUDESIUS a Superiore obedientiæ virtute jurare coactus in materia sibi jam nota, sed cujus heic & nunc est oblitus, loco petendi tempus & moram, ur in mentem revocaret, illico jurat se ignorare, An coram Deo juramenti sit reus?

RESPONS.

Infitiari non possumus, Eudesium hoc pacto jurantem peccasse; cum tali juramento desit secunda conditio ad licite jurandum requisita, nempe judicium & prudentia; nam falso jurat defectu negligentiæ in veritate examinanda, estque indiscretione & temeritate notandus; quod adversatur præcepto allegato: *Jurabis in veritate, & in judicio* (*d*).

Nostra sententia fulcitur auctoritate Augustini (*e*), dum inquit, homines non tantum falso juramento obstringi qnando decipiunt, sed etiam cum decipiuntur, Homines enim, infert Doctor laudatus, falsum jurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur: aut enim putat homo, verum esse quod falsum est, & temere jurat: ex qua doctrina sequitur, culpam non deesse, etsi materia juramenti merito veritatis esset suffulta, propter temeritatem & inconsiderationem, dum se exponeret evidenti periculo vel verum, vel falsum indifferenter asserendi.

(d) Jer. 4. 2.
(e) S. Aug. ser. 180. alias 28. de verbis Apost. Jac. c. 2.

CASUS VI.

OTHO quandoque venerabile Dei nomen jurat, nulla habita actuali advertentia ad malitiam his verbis imbibitam. An re ita se babente, culpæ rens exsistat?

RESPONS.

Qnidam Theologus (*f*) perperam hanc propositionem protulit: *Hominem numquam peccare, nisi actualiter advertat ad moralem malitiam operis, aut omissionis.* Nam citra dubium peccatum committitur, quoriescumque agitur contra Dei præceprum vel dictamen conscientiæ; cum ad peccatum incurrendum sufficiat, quod ejus malitia sit voluntaria vel in se, vel in caussa. In proposita hypotesi Otho contra Dei legem peccat prohibentis assumere nomen Domini in vanum (*g*), *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra.* Licet enim careat actuali advertentia ad maliriam juramenti prolati, adhuc in caussa peccat propter contractam jnrandi consuetudinem, quam deponere & exstirpare tenetur, omnem moralem diligentiam adhibendo. Tantum enim abest, ut ejus intentio contraria excuset a culpa, ut potius aggravet; cum obligetur animum applicare ad id qnod a lege imperatur aut interdicitur. Aliter sequeretur absurdum, videlicet blasphemantem ex habitu contracto culpa vacare, eo quia nihil actualiter cogitat de malitia blasphemiæ a se vomitæ: quod ab omnibus Theologis omnino rejicitur (*h*).

(f) Laym. l. 1. tract. 3. c. 5. c. 13

(g) Exod. 20. 7.

(h) De Sainte Beeve tom. 1. c. 177.

CASUS VII.

DIOGENES jurans aliquid a se postulatum facturum, quod absque culpa præsari poterat; in actu juramenti aliam intentionem habuit diversam ab; eo in cujus gratiam est præstitum juramentum. An adbuc obligatur adimplere juramenti promissionem?

RESPONS.

Ad præsentem difficultatem enodandam distinctione opus est. Si enim Diogenes in actn jurandi interius habuit aliam intentionem, quam postulans, jam convincitur reus deceptionis. 1. Namque duplici se delicto adstringit, non tantum propter damnum proximi decepti, sed etiam ratione injuriæ contra Deum commissæ, quem ausus est vocare in testem & protectorem suæ duplicitatis: cum juramentum, ut habetur in lege Codicis (*i*), sit actus religionis quo jurans Deum assumit in testem suæ ingenuiratis & fidelitatis: aut in Judicem, & ultorem, si infideliter se gerat: *Jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet.* 2. Tenetur in foro conscientiæ ad exsecutionem promissi juramento firmati, juxta expressam D. Thomæ doctrinam (*K*): *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus cui juramentum præstatur. Unde Isidorus dicit: Quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita accipit, sicut cui juratur intelligit: & quod hoc intelligatur de doloso juramento, patet per id quod subditur: dupliciter reus fit, quia & nomen Domini in vanum assumit, & proximum dolo capit.*

(i) L. Jurisjurandi, 2. cod. de reb. credit. & jurejurando l. 4. t. 1.

(K) S. Th. 2. 2. q. 18. a. 7. ad 4.

Verum quidem est, si Diogenes juramentum emisit alio fine intento a postulante, procul a malitia eum circumveniendi aut decipiendi, & bona fide processit; non teneri promissa adimplere nisi ad mensuram intentionis jurantis: *Si autem jurans*, sequitnr D. Thomas, *dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis: unde Gregorius dicit 27. Moralium*: Humanæ aures talia verba nostra judicant, qualia foris sonant; divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur; *& alibi* (*l*): Si autem simpliciter juret absque dolo; tunc in foro conscientiæ non obligatur, nisi secundum suam intentionem.

(l) Idem in 2. sent. d. 39. q. en. ar. 3. quæ. 3. in corp.

CASUS VIII.

PAPIRIUS a Reinerio interpellatus, an promissioni sibi factæ satisfecerit; assertionem juramenti robore confirmavit, esto Reinerius constanter attestationi simplici fidem plenam adhibuerit, præciso juramento. Petitur, an peccatum incurrit propter superadditum juramentum?

RESPONS.

Jurabis in judicio (*m*): ecce unam ex conditionibus, sine quibus juramentum vitiosum redditur & illicitum; hoc est, non esse jurandum seclusa necessitate: *Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur*, ait D. Thomas (*n*), *primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria caussa & discrete juret; & quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis ex parte jurantis.*

(m) Jer. 4. 2.

(n) S. Th. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp.

Jam evidenter patet Papirium indiscrete & nulla

la pressum necessitate jurasse; cum hoc non exigeret Reinerius, immo acquiesceret simplici attestationi Papirii. Juramentum igitur emissum temeritate non caret, & consequenter a culpa non vacat.

Prædicta conclusio D. Augustini auctoritate roboratur, explicantis in quo sensu intelligendum sit præceptum inhibens juramentum; ne scilicet passim adhiberetur, & ne habitu vitioso contracto, via aperiretur perjuriis. Inde concludit: cum non ignoretur juramento utendum esse, tamquam remedio in casu necessitatis; ab eo esse abstinendum, dummodo aliquod urgens motivum juramenti pondus non exigat. *Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur*, inquit Pater laudatus (*a*), *ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed necessariis jurationem habendam, refrenet se quantum potest: ut non ea utatur, nisi necessitate; cum videt pigros esse homines ad credendum quod eis utile est credere, nisi juratione firmetur.* Ex præfato fundamento infert citatus Doctor juramentum veritate carens, perniciosum esse: *Falsa juratio exitiosa est*; juramentum vero cum veritate conjunctum raro sine peccato evenire: *Vera juratio periculosa est*; & tandem juramenti omissionem tutiorem esse (*b*). Dictis addimus verba Synodi Lingonensis 1404. a Buchelio citata: *Qui enim jurat absque caussa, accipit nomen Dei in vanum: qui summam veritatem nominat inaniter ..... eamdem veritatem contemnit.*

(*a*) S. Aug. l. 1. de ser. Dom. in monte. c. 17. seu n. 17.

(*b*) 14. ser. 180. alias 28. de verbis Ap. n. 4.

CASUS IX.

Alcimus apprime gnarus ad juramentum sine culpa eliciendum tres conditiones in Scriptura expressas requiri; videlicet veritatem, justitiam & judicium, tamquam faculas necessitatem indigitantes: ultra petit in quibus circumstantiis necessitas jurantem excuset a culpa.

RESPONS.

D. Thomas (*c*) sex casus exponit in quibus jurandi necessitas habet jurantem a culpa eximi. Primo, quando materia juramenti est pacis conclusio. 2. Ad fartam tectam tuendam propriam existimationem. 3. Pro securitate fidelitatis. 4. Pro custodienda fidelitate superiori præstanda. 5. Quando major cautio requiritur pro re promissa. 6. Porro, quando urget necessitas testificandi veritatem quæ difficulter creditur. *Caussæ autem in quibus liceat jurare*, ait S. Doctor, *hæ sunt: pro pace firmanda, sicut Laban juravit Genes. 30. Secundo, pro fama conservanda. Tertio, pro fidelitate tenenda, sicut feudatarii jurant dominis. Quarto, pro obedientia implenda, si præcipitur a superiore aliquid honestum. Quinto, pro securitate facienda. Sexto, pro veritate attestanda: sic juravit Apostolus Rom. 2. Testis est mihi Deus.* Ita Alcimi interrogationi satisfaciendum.

(*c*) S. Th. lec. 4. in ep. ad Heb. 6.

CASUS X.

Severus, vir ad solvendum promtus ac idoneus, indigens pro negotiatione 30000. librarum summa, mutuas a Gabinio petit, cum onere restitutionis trium mensium spatio. Gabinius ceteroquin dives se daturum spondet, sponsione juramento firmata, hoc proposito mente retento petendi dispensationem a juramento exhibito in ipso actu jurandi. Quæritur impræsentiarum, num Gabinius tale potuerit juramentum elicere, & perjurium patraverit?

RESPONS.

Gabinius absque perjurii labe nequit juramento Severo promittere cum intentione petendi dispensationem, & promissum non adimplendi. Ratio clare patet, cum ejus promissio & jusjurandum habeant pro objecto materiam honestam ac licitam, cujus executio est in ejus potestate. Rationem auctoritate D. Antonini fulcimus (*d*): *Quando juramentum omni ex parte est licitum, tam ex parte jurantis, quam ex parte recipientis, etiam ex parte materiæ, super qua præstatur .... tunc absolutio non est impendenda, sed compellendus est jurans ad ejus observationem.* Additque præfatus Archiepiscopus, neque Papam in dicto casu valide dispensare posse: *Quia immo nulla caussa apparente intrinseca, etiam Papa a tali juramento absolvere non potest.*

(*d*) S. Anton. 2. p. Sum. Th. t. 10. c. 6. §. 4.

Idem expresse traditur a D. Thoma (*e*), ubi inquit: *Si juramentum adhibeatur propter reverentiam divini testimonii quod invocatur, obligatur homo, ut faciat esse verum id quod juratur, secundum suam possibilitatem, nisi in deteriorem exitum vergat.* Quod igitur Severo Gabinius spopondit, est licitum, & insuper ab ejus voluntate executio pendet; & ex alio capite muneri suo non faceret satis, si ab onere contracto dispensationem exigeret, utpote injustam & simul indebitam. Concludendum est igitur, intentionem præfatam tendentem ad proximi deceptionem a culpa non vacare cum obligatio tali pacto contracta non tantum relationem habeat ad eum in cujus favorem fuit exhibita, sed ad Deum ipsum utpote testem promissionis ingenuæ. Juxta hunc sensum accipienda est D. Augustini doctrina, dum inquit (*f*): *Exspectationem autem eorum quibus juratur, quisquis deceperit, non potest esse non perjurus.*

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad .

(*f*) Epist. 12. olias 12. n. 2.

Vide Perjurium: Casus, *Laurentius*.

CASUS XI.

Lucillus promissione jurejurando affirmata Justino spondet aliquid se executurum in gratiam ipsius intra mensem Martii, cujus temporis intervallo impotens fuit ad promissionem adimplendam: quam post tres menses elapsos exsequi poterat: an tempore statuto elapso adhuc vigeat obligatio juramento contracta?

RESPONS.

Obligatio Voti & Juramenti pari incessu gradiuntur; utriusque eadem est ratio; teste divina scriptura utramque veluti identificatam copulante (*g*): *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit.* Ut igitur innotescat obligatio orta ex vi juramenti statuto tempori affixa, quæ non potuit executioni mandari tunc temporis, bene quidem sequenti: examinare opus est consimilem obligationem ratione voti contractam, dum utrobique militat eadem paritas & ratio.

(*g*) Num. 30. 3. s. &c.

Hoc præmisso fundamento, nostra opinio fert, ad hoc ut voti obligatio perseveret post tempus a vovente statutum, cujus executio in illa temporis circumstantia erat impossibilis, facta vero postea possibilis: perpendendum esse, an circumstantia temporis quo votum fuit elicitum, sed pro executione impossibile, fuerit causa primaria motiva voti eliciti; ita ut hac circumstantia deficiente, votum non fuisset emissum: quo casu cessaret totaliter voti obligatio. Doctrinam illustremus exemplo: Joannes votum elicuit ingrediendi Ordinem Theatinorum in Domo Parisiensi, ita dispositus, quod si menti occurrisset negatio suæ petitionis facienda a Capitulo domus jam prædictæ, & adhuc urgeri ad alterius Religionis ingressum, tale votum non emisisset; procul dubio in dicta hypothesi exclusus a profitendo individualiter in ea Domo, esset liberatus ab onere vi voti contracto, & illius obligatio totaliter extingueretur: nam circumstantia individualis Ordinis Theatinorum fuit motivum primarium eliciti voti; quod numquam elicuisset, si post prævisam exclusionem, in alia Religione professionem emittere cogeretur.

Verum, si circumstantia voto superveniens non fuit causa motiva principalis; ita ut adhuc non obstante tali circumstantia prævisa, votum fuisset elicitum, voti obligatio urget. V. g. Petrus votum emisit ingrediendi Religionem, magis inclinatus ad Carthusianam, quam ad aliam quamcumque; adeo tamen deliberatus, ut supposita exclusione a Carthusiana, nihilominus D. Benedicti, vel aliam amplectere-

deretur; talis voti obligatio non extingueretur propter repulsam Cathusianæ Religionis.

Ista Doctrina præallata D. Thomæ debetur (a), cujus textum afferre operæ pretium ducimus: *Si in vovendo prius cogitavit de Religionem intrando; & postea elegit talem Religionem, vel talem locum; obligatur simpliciter ad Religionem. Unde si non potest in illa, quam elegit, recipi, debet aliam quærere. Si autem primo, & principaliter cogitavit de tali Religione, vel tali loco; in voto suo intelligitur hæc conditio, si illi volunt eum recipere; alias esset indiscretum votum. Si autem dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimine committat.*

(a) S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæst. ad 6.

Doctrina voti præmissa pariformiter juramento applicanda est. Si enim tempore promissionis juramento firmatæ aliquo tempore determinato; & tunc promittens erat taliter dispositus, ut adhuc promisisset, etsi prævidisset in temporis circumstantia statuta adimplere non posse, vivit obligatio juramenti pro alio tempore, quo executio possibilis redditur, Fiat hypothesis; Jacobus Paulo promisit jurejurando libras centum Calendis Maji se præbiturum, adeo dispositus, ut data impossibilitate pro die fixa, adhuc pro mense Junii promisisset; licet Jacobus sit impotens ad promissi executionem pro die assignata, tenetur adimplere mense Junii, impossibilitate sublata. Aliter dicendum est, si in actu promissionis, ita respectum habuisset ad notatam temporis circumstantiam, ut alio tempore noluisset obligationem contrahere. Quod si incidat dubium de obligatione ut sic generaliter, scilicet non tantum pro tempore indicto, sed etiam pro alio; tunc in dicto casu tenetur, ut D. Thomas docet de voto, tutiorem partem pro animæ tranquillitate sequi, scilicet exequendo promissum, quando possibilitas adest.

Facile applicari potest Doctrina D. Thomæ casui exposito; cum Lucilio incumbat suam conscientiam discutere, quomodo esset dispositus tempore promissionis, se gerendo juxta methodum nuper traditam.

Ceterum placeat animadvertere, juramenti obligationem cessare ex condonatione illius, in cujus gratiam est emissa; idcirco Lucilio obligationem juramento contractam remittente, cessaret onus executionis respectu Justini.

CASUS XII.

PASCHALIS Præfectus exercitus votum elicuit suscipiendi peregrinationem ad D. Balmam in Provincia, & votum juramento munivit. Rex factus conscius hujus promissionis, interdixit executionem, eo quod opus haberet personali ejusdem assistentia. An Regio jussui obtemperare teneatur absque culpa perjurii, vel votum exequi, Regis prohibitione non obstante, caussa obedientiam Deo præstandi, qui jubet vota elicita adimpleri?

RESPONS.

Haud dubium est, votum ad peccatum non obligare ex D. Augustino allegato in Canone: *Juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur, ut esset vinculum iniquitatis.* Cum igitur adimpletio voti a Paschali eliciti evadat illicita propter Regis interdictum, cui est obnoxius Præfectus militaris, asserendum est hic, & nunc non inducere obligationem tale votum, donec accedat Regia permissio, immo ejus executio non esset vacata a peccato. Resolutio est D. Thomæ (b): *Nisi forte quod erat ei possibile quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum ..... tunc enim videtur excusatus esse a faciendo quod juravit* (c).

(b) S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. in corp.

(c) Colloq. Luconis 7. q. 3. in 1. Genet. Theol. mor. tom. 5. tract. 5. c. 2. quæst. 22. &c.

CASUS XIII.

EPIMENIDES Sacerdos pietate, & Doctrina præditus, sibi humiliter conscius non esse ad Prælaturam idoneum, neque ad alias Dignitates, votum elicuit nullam acceptandi, & simul respuendi quamcumque a Superioribus oblatam. An votum hujus naturæ sit licitum, & an possit, & debeat adimplere?

RESPONS.

Ultro concedimus aliquando respui posse Prælaturas, & superioritates, quando rationabilis caussa intercedit; sed imprudenter elicitur juramentum de nulla unquam acceptanda, cum tale jusjurandum possit adversari Divinæ Providentiæ Ordini, & sit impeditivum obedientiæ legitimo Superiori debitæ. Unde infertur, dictum Sacerdotem non potuisse tale votum elicere, neque pertinaciter resistere Superiorum præcepto obligantium Prælaturæ, vel Dignitati se submittere.

Nostra sententia ad amussim cohæret Doctrinæ D. Thomæ nixæ auctoritate D. Gregorii, & exemplo Moysis & Jeremiæ (d): *Quamvis prælationem fugere, possit quandoque ex bono procedere, tamen pertinaciter resistere, semper malum est, sicut in Glossa Gregorii Hieremiæ I. qui hoc probat exemplo Hieremiæ, & Moysis, qui cum primo recusassent prælationis officium, ad ultimum humiliter obedierunt. Unde hujusmodi juramentum incautum reputatur; quia quantum in se est, divinæ providentiæ præjudicat, & obedientiam ad Superiores excludit, quibus in hoc* (inferior) *obedire tenetur.*

(d) S. Thom. in 3. sent. dist. 39. quæstiunc. 1. ad 3. qu. un. art. 5.

CASUS XIV.

MAXIMINUS juramento se obstrinxit, se aliquid facturum ex sua natura neque bonum, neque malum, sed indifferens; partim bonum, & partim malum, hoc est, dubium; tenetur-ne in foro animæ juramentum adimplere, nec ne?

RESPONS.

Quemadmodum juxta D. Thomam (e) adimplendum est juramentum, quando est de re bona, secus si de mala; itidem quando materia est partim bona, & partim mala, observandum est quoad eam partem, quæ est honesta solummodo, in supposito quod materia voto subjecta sit divisibilis. Sed quando voti materia est dubia, consulendus est superior vel pro dispensatione, vel executione; Hæc Regula in praxi a Maximino servanda. *Si partim bonum, partim malum*, ait S. laudatus, *partim est tenendum, partim frangendum, Si vero dubium, non est auctoritate propria, sed Superioris interpretatione, frangendum.*

(e) S. Thom. lib. 3. ad Hanibaldum dist. 39. q. 2. art. 2. in corp.

Idem docet alibi Angelicus (f) addens pariter, in casu dubii Episcopum facultate dispensandi gaudere. *Quandoque vero aliquid sub juramento promittitur: de quo dubium est, utrum sit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut simpliciter, aut in aliqua casu, & hoc potest quilibet Episcopus dispensare.*

(f) Idem 2. 2. q. 89. art. 9. ad 3.

CASUS XV.

MEMNAS in Sylva a Latronibus aggressus fuit coactus promissione juramento nixa intra quatuor dierum spatium se triginta aureos laturum spondere, eosque penes arboris foramen assignatum collocaturum; quod Memnas timore correptus fecit, & ad evadendum periculum vitæ. Hic quæritur, an Memnas in conscientia ad Juramenti executionem obligetur?

RESPONS.

D. Thomas alibi laudatus resolvit difficultatem in terminis (g). *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur.* Quoad obligationem relative ad Deum contractam, equidem valere non dubitamus, sed dispensatione tolli posse propter jusjurandum annexum. *Alia autem est obligatio*, sequitur laudatus, *qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare.*

(g) S. Thom. 2. 2. q. 89 art. 7. ad 3.

Addidimus clausulam in Responsione, *dummodo legitimam dispensationem non obtineat*; quippe quod non tantum potest a legitimo Superiore dispensari, sed in foro Justitiæ potest prætendere restitutionem omnium damnorum, quæ propter fures passus est: *Potest tamen repetere in judicio*

quod

quod solvit, *non obstante quod contrarium juravit*, addit D. Thomas; *quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes, hujusmodi juramenta non esse obligatoria; sed quasi hujusmodi obligationes ex justa caussa relaxantes*. Eadem quoque facultas residet in Episcopo.

Confirmatur decisio per Decretalem Epistolam Innocentii III, ad Archiepiscopum Senonentem missa ab eodem consulto de præsenti materia; *Dunimus tibi respondendum, quod non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ*.

Hinc deducitur, tantum abesse, ut Herodes teneretur servare juramentum præstitum Hærodiadi, ut e converso ut nullum & irritum debebat respuere, utpote quod præstari nequibat sine culpa; assentiendo neci D. Joannis Baptistæ.

Nimis futilis objectio tentans excusare Memnam a repetita obligatione, quia Grassatores cogentes Memnam ad muniendam promissionem jurisjurandi vinculo, grave delictum contraxere: nam etiam usurarius in eodem casu renuens pecuniam dare mutuam, nisi interposito juramento solvendi usuras, indubitanter peccat, & hoc non obstante quod juramentum, licet necessitatis vi extortum quod eficuit, servare obligatur; ut patet ex Decisione Alexandri III. (*a*) rescribentis ad Episcopum Biseliæ in Regno Neapolitano: *Si vero* (Debitores) *de ipsarum* (usurarum) *solutione juraverint; cogendi sunt Domino reddere juramentum: & cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, cogendi*. Idem cohærenter Judicium faciendum in casu Memnæ.

(*a*) Alex. III. in cap. Debitores 6. de jurejurando.

CASUS XVI.

Mutius. Judex Regius obligavit Claudium puerum decennem, vel duodennem, ad præstandum juramentum tanquam Testem in caussa magni momenti; An Judex jus obligandi habuerit, & an pueri juramentum sit validum?

Respons.

Ad hujus quæsiti Resolutionem præmittendum est cum D. Thoma, juramenti vinculo vocari Deum in Testem veritatis assertæ, & consequenter maximam reverentiam adhibendam: *Et quantum ad hoc, debetur juramento maxima reverentia*. Atqui pueri, qui nondum annos pubertatis attigere, non pollent exercitio rationis perfectæ, ad percipiendam obligationem hominum erga Deum circa venerationem Sacrosancto Dei Nomini præstandam; ideoque nec agendi, nec admittendi ad tale officium; *Et propter hoc*; subdit Angelicus, *a juramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad jurandum quia nondum habent perfectam usum libertatis, quo possint cum reverentia debita juramentum præstare*. His ita se habentibus constat evidenter, Mutium nec potuisse, nec debuisse a Claudio jusjurandum exigere, licet ageretur de re prorsus maxima; cum nequeat sententiam ferendam pueri testimonio fulcire, cum ejus juramentum sit a parte rei nullius valoris.

CASUS XVII.

Guericus Christianus habitans Petrini Metropolis Imperii Sinensis mutuos dedit centum Scutos Gentili Sinensi, quos progressu temporis est inficiatus. Hinc quæstio instituitur, an citando suum Debitorem coram Judice possit exigere juramentum, sciens prudens juraturum per falsos Deos?

Respons.

Difficultas consimilis fuit a Publicola D. Augustino proposita; quo Duce, & Auctore facile nobis occurrit resolutio, asserendo, esse licitum, ac permissum fideli petere, & accipere juramentum ab Idololatra. *Alia ergo quæstio est*, sic magnus Doctor Ecclesiæ laudatus (*b*), *Utrum non peccet qui per falsos Deos sibi jurare facit: quia ille, qui ei jurat, Deos falsos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban, & Abimelech; si tamen Abimelech per Deos suos juravit; sicut Laban per Deum Nachor. Hæc, ut dixi, alia quæstio est, quæ me merito fortassis moveret; nisi illa exempla occurrissent de Isaac, & Jacob, & si quæ alia possunt inveniri*.

(*b*) S. Aug. ep. 47. alias 154.

Gratianus (*c*) allegat textum D. Augustini fere iisdem verbis, cui annectit exemplum Judæorum, qui fœdus iniere cum Romanis (*d*), quod proculdubio fuit stipulatum a Judæis jurantibus per Deum verum, & a Romanis per eorum apocryphos Deos. *Sic etiam*, idem ait, *cum in libro Machabæorum Romani leguntur pacem firmasse cum Judæis: intelligendi sunt jurasse per falsos Deos; sicut & Judæi juraverant per Deum verum*.

(*c*) Gratian. §. sic etiam. 2. 22. q. 1.
(*d*) L. 1. Machab. c. 8.

Hoc non obstante animadvertendum est, Christiano non licere Paganum ad jurandum impellere per falsos Deos, quia interdictum est, aliquem ad peccatum inducere. Verum si dictus infidelis se se offerat, ad juramentum ponendum, quolibet amoto scrupulo, accipi potest; quoniam & ipse Deus persæpe bonum a malo depromit. *Licet malo uti propter bonum*, ait D. Thomas (*e*) *sicut & Deus utitur, non tamen licet aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos Deos juret*; & iterum alio loco (*f*) *Ille, qui jurat per Idola, peccat quidem quantum ad formam juramenti, sed non quantum ad assertionem veri, vel promissionem alicujus, quod redundat in bonum commune; & quantum ad hoc potest ei consentiri sine peccato, sed non quantum ad primum; & ideo juramento ejus uti possumus aliquando sine peccato*. D. Antoninus omnimode assentitur D. Thomæ (*g*). Concludimus igitur his rationibus ducti, Guericum non potuisse inducere infidelem debitorem ad juramentum præstandum per sua Idola; verum in hypothesi, quod a Christiano de centum nummorum restitutione postulatus, se ultro judici offerat ad juramentum exhibendum, nulla ratio convincit, assentiri non posse.

(*e*) D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4.
(*f*) Idem in 3. sent. dist. 39. q. un. art. fin. ad 5.
(*g*) S. Antonin. 3. p. Sum. Theul. tit. 27. c. 2.

CASUS XVIII.

Hieronymus Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Nolensis, juramenti vinculo se obstrinxit tempore suæ installationis, servare omnes Capitulares Constitutiones. Post aliquod tempus animadvertit, unam ex istis, esto legitimam, practice minime servari ab ullo Canonicorum Confratrum, ab integri sæculi spatio. Utrum a culpa vacet, aliorum vestigia sequendo?

Respons.

Quæcumque Lex omnibus solemnitatibus munita amittere potest vim obligandi per contrariam consuetudinem, quando sit generalis; quinimmo ex Decreto Justiniani Imperatoris in Canone laudati (*h*) talis consuetudo, dummodo nihil contineat vitiosum, gerit locum verissimæ Legis: *Diuturni mores consensu utentium approbati, Legem imitantur*; quod adæquate cum jure antiquo concordat (*i*) *Inveterata consuetudo pro Lege non immerito custoditur; & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum*. Quæ omnia limitanda sunt circa Legem humanam, cum respectu naturalis, aut divinæ nihil immutari possit, ex doctrina Gregorii IX. in ipsius Decretali (*K*).

Cum hæc ita se habeant, a fortiori concedendum est, Legem particularem, aut simplex statutum omni vi obligatoria spoliari, quando contra illud militat contraria consuetudo ab immemorabili. Hinc legitime infertur, Hieronymum nullum delictum incurrere, sectando consuetudinem jam in possessione existentem apud Capitulum non servandi prædictam Constitutionem; neque scrupulo torqueri debet juramentum violandi; quippe quod illud non censetur elicuisse, nisi dependenter a legitima praxi, & observantia Legum, quæ hic, & nunc vigent, vel vigere debent in suo robore; non vero quoad illas, quæ jam obsolveverunt per dissuetudinem a sæculo introductam, & possessione firmatam.

(*h*) Justinian. in l. 2. instit. tit. 2. in Can. diuturni 6. dist. 12.
(*i*) Leg. de quibus 32. §. 1. de legib. senatusque consultis l. 1. ff. tit. 3.
(*k*) Greg. IX. in cap. Cum tanto fin. de consuetud.

JURA-

JURAMENTI DISPENSATIO.

Vide PERGIURIUM.

JURAMENTUM FIDELITATIS.

PERGRATUM futurum Lectoribus existimamus, si cum Yvone Carnotensi (*a*) observemus. 1. Quantum sit statuendum discriminis inter investituras, quarum jus sibi sumpserunt olim quidam Imperatores, ut Henricus IV. tradendo Prælatis annulum ac pedum Pastorale, quæ symboli rationem præseferunt in Episcopo spiritualis affinitatis, quam cum Ecclesia sua contrahit, quæque plurimis nostris Conciliis tanquam illicitæ ac simoniacæ reprobatæ fuerunt, ac condemnatæ. 2. Juramentum fidelitatis, quo sese obligat Episcopus erga Regem Galliæ, non spectare ad nisi temporalem tantummodo Sedis Episcopalis redditum, cujus possessio viris Ecclesiasticis non vindicatur nisi ex humano jure: *Quæ concessio*, ait celeberrimus iste Carnotensis Episcopus, *sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga, quid refert? Cum Reges nihil spirituale se dare intendant: sed tantum aut votis potentium annuere, aut villas ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de magnificentia Regum obtinent, Ecclesiæ electis concedere.*

Advertendum est, jus ad beneficia, quod obtentum fuit vi juramenti fidelitatis a Prælatis recenter designatis præstiti in regiis manibus, non ita antiquum esse, quemadmodum ostendemus postea; & sicut plurimi primi ordinis auctores Gallicani ipsammet prædicti juramenti præstationem impugnaverunt tanquam a communi jure prorsus abhorrentem (*b*), quo fertur, Ecclesiam esse ipso jure liberam ab omni juramento fidelitatis, etiam juxta interpretationem Cujacii juris in Schola Bituricensi quondam Professoris.

Suam vero fulciunt opinionem auctores prædicti eo potissimum fundamento, quod scilicet Ecclesia numquam moriatur, & possessio bonorum ac jurium quibus gaudet, censeatur nullo temporis momento cessare, ut docet Baldus, (*c*) adeo ut Ecclesia, quæ semel venit in possessionem rei alicujus, eamdem in perpetuum possideat, & cum Ecclesiastici non sint ejusdem nisi dispensatores, vel administratores, non vero proprietarii; videatur nihil causæ esse debere, cur iidem ejusmodi juramentis adigerentur, quæ nunquam, nisi quantum ad prædia juris clientelaris, exigi consueverunt. Atque revera eodem innixi fundamento Prælati quidam, ac inter alios quidem Archiepiscopus Auscitanus, & Episcopus Nannetensis quidam non prius sese ejusmodi juramento voluerunt obligare, quam ad illud idem præstandum Arrestis condemnati fuerint, sicut etiam Arrestis fuit damnatus ad illud exhibendum Raouldus Archiepiscopus Remensis, de quo loquitur Yvo Carnotensis in Epistola sua ad Paschalem II. (*d*).

En quas ea de re Bouchelius proponit observationes (*e*), a quo refellitur prædictorum Auctorum opinio, ejusdem penitus evertuntur fundamento, asserendo. 1. Ut Ecclesiastici non minus quam Laici, potestati regiæ subjiciuntur; nec possident Beneficiales redditus nisi ex ipsa Principis auctoritate, æquum esse, ab iisdem ipsi promitti tum reverentiæ, tum fidelitatis obsequium, quo ab omnibus suis aliis subditis sine ulla distinctione colendus est, juxta doctrinam duorum Apostolorum Sancti Petri atque Sancti Pauli, & quemadmodum docent unanimiter Patres Ecclesiastici, ac inter alios Sanctus Augustinus, cujus verba alibi referimus, (*f*) & Sanctus Chrysostomus (*g*) scribens in Epistola Sancti Pauli. 2. Siquidem Ecclesiastici sint illius Reipublicæ membra, ex qua oriundi sunt, eos esse Legibus supremi Principis sic obnoxios, quantum ad suos temporales redditus, quemadmodum Baldus (*h*) & vulgus omnium Jurisconsultorum fatentur, ut iisdem obsequentes debeant *etiam propter conscientiam* sese exhibere, secundum Sanctum Paulum: adeoque nequeant eas dem sine peccato perstringere, ut alibi demonstramus auctoritate S. Thomæ, atque evidenter patet ex Canone quodam, qui secundum Gratianum, Yvonem Carnotensem, & Bucardum, excerptus ex scriptis S Augustini, & cujus

(*a*) Yvo Carnot. Ep. 60.

(*b*) Cujacius l. 4. de Feudis. tit. 101.

(*c*) Bald. in L. Edict. fin. cod. de Edicto Divi Adriani tollendo &c. l. 6. tit. 33. & in Leg. unic. cod. de caducis tollend. l. 6. t. 51.

(*d*) Yvo Carnot. Ep. 197.

(*e*) Bouchel. Biblioth. can. v. Fidelites.

(*f*) S. Aug. in can Quo jure dist. 9.

(*g*) S. Chrysost. hom. 23.

(*h*) Bald in c. Cum venissent de eo qui mittitur in possess. l. 2. t. 2.

cujus verba leguntur in Canone decimo sexto Concilii Toletani, uti observant Romani Correctores, in quo sic fertur: *Si quis Laicus juramentum violando, profanat, quod Regi & Domino suo jurat ..... anathema sit: Episcopus vero, Presbyter & Diaconus, si hoc crimen commiserit, degradetur* (*a*). Quod quidem antiquum jus licet etiam cernere verbis expressis confirmatum a summis Pontificibus Adriano, & Leone VIII. in gratiam Caroli Magni, atque Othonis primi in duobus Canonibus, quos ibidem ad marginem indicamus (*b*) Non debent igitur obsistere prædictæ Legi, quæ est Monarchiæ Galliarum coæva, ut deinde inferius advertemus.

Quod pertinet ad immunitatem, qua juxta quosdam auctores gaudent Ecclesiastici viri, nullo sese adigendi erga Principem ejusmodi juramento, existimamus ad verum prorsus accedere, ab iis indiscriminatim sumi & juramentum fidelitatis ac clientelæ, quod vassalus exhibet Domino suo, & juramentum fidelitatis, de quo hic loqui quæstio est; fatemur enimvero, a subjecto deberi Domino suo directo, sive cuicumque alii fidelitatem ac clientelam propter bona, quæ ab eo possidet, sive prædia, sive jura beneficiaria, Castella, aut privilegia nobilia, qualis est alta, media, atque infima justitia, qualessunt immunitates, & cæteræ ejusmodi prærogativæ, quarum descriptum indicem proferre tenetur in manibus Commissarii qui præficitur a Rege, & profiteri a sese easdem possideri nude ac simpliciter ex beneficio Regio sub titulo nobilitatis, reservato Regi jure, quandocumque ipsi libuerit, primariæ ac secundariæ clientelæ nobilitatis ad arma convocandæ. Verum Episcopus fidelitatis juramentum exhibens Regi, nihil quidquam simile facit neque contrahit, aut suscipit in se ejusmodi obligationes erga Principem, cui promittit tantummodo futurum ut ei, quam sicut supremo suo Principi debet, servet fidelitatem nullo unquam in casu, nullaque de causa violandam. Quid æquitati magis consentaneum est, quodnam vero Ecclesiæ detrimentum inde potest accedere? Nonne debet Episcopus Principi suo subiici quoad omnia, quæ spectant ad politicum regimen, quamquam etiam nullis temporalibus bonis impræsentiarum gauderet? uno verbo fidelitas & clientela, quas laicus aliquis profitetur, solemnem actum important, quo sese sui Domini clientem esse, palam agnoscit ac confitetur; Juramentum autem fidelitatis Episcoporum nihil aliud inducit, quam simplicem obligationem, Regem tanquam suum legitimum supremum Principem semper habendi, & meram necessitatem officii, quo teneantur, ad nihil unquam suscipiendum, quod eidem possit ullo modo nocere, & ad obsequium ipsi præstandum in omnibus, quę tum dignitatem, qua insigniuntur, tum sacrum ministerium, cui toti devoventur, poterunt decere. Atque revera hoc ipsissimum est juramentum fidelitatis, quod Hincmarus Episcopus Laudunensis olim præstitit: en ejusdem verba, prout referuntur ab Aimonio, in ea, quam conscripsit, historia: (*c*) *Quia modo*, inquit, *fidelis & obediens ero Domino Carolo Regi, seniori meo, secundum ministerium meum, sicut homo seniori suo. Anno* 870. sed Episcopus omnis profitendæ clientelæ constituitur immunis ex ipsa prædiorum clientelaris juris extinctione, ac temporalis reditus, qui Episcopali ejus sedi annexus est, quemadmodum ait Bouchelius (*d*).

Ex prędictis satis aperte colligitur, opinionem ergo laudatorum Auctorum intelligi non posse, nisi de fide ac clientela, quas perperam permiscent cum simplici juramento fidelitatis, aut de solo tempore, quo persecutionibus Ecclesia jactabatur, & bonis temporalibus nuda, sola spiritualis potestatis prærogativa prestabat, nequaquam autem de statu, quem deinceps experta est ex illa divitiarum abundantia, quibus tum liberalitate Principum, tum Populorum largitionibus, cumulata est; neque etiam de tempore, quo Episcopi facti sunt, ex prodigiosa nimis tot tantorumque bonorum suę dignitati accessione, potentiores: atque hinc est, quod inter rationum momenta, quibus vindicantur immunitates Ecclesię Gallicanę (*e*), illud potissimum referatur, quod nimirum anno 921 Carolus III. cognomine dictus Simplex, omnibus Episcopis Imperii sui imprimis quam maxime commendaverit, ut ei religiosissime servarent, quam ei juramento constrinxerat, fidelitatem: *Debitam, quam nobis polliciti estis, fidelitatem*. Quæ ipsissima sunt ejus verba.

(*a*) In can. Si quis 19. 22. q. 5.

(*b*) Canon. Adriani 22. de can. in Synodo 23. dist. 63.

(*c*) Aimonius l. 5. c. 24.

(*d*) Bouchel. Biblioth. canon v. Juramentum fidelitatis.

(*e*) Probationes Immunitatum Eccl. c. 94. n. 26. p. 116. Edit. an. 1639. tom. 2.

C A-

CASUS PRIMUS.

DUo Juniores advocati in suprema Palensi Curia discesserunt in varias opiniones circa sequentes quinque quæstiones, ad quas decisionem accomodari petitur, quæ recepto apud Gallicam nostram Gentem usui consentiat.

Prima scilicet, utrum, Episcopus recenter institutus, qui vi Pontificiarum Bullarum, quibus Romæ donatus est, venit in possessionem suæ sedis Episcopalis, libere possit Episcopales quascumque functiones suas, omnesque suæ jurisdictionis actus exercere, prinsquam sese Regi, quantum ad temporalem Episcopatus sui reditum, fidelitatis juramento constrinxerit, idemque curaverit in tabulas Curiæ Regiarum rationum referri?

Secunda, utrum, denegantibus Judicibus præpositis prædictæ curiæ juramentum istud in tabulas suas referre, jus R ginm semper obtinere perseveret?

Tertia: utrum, Rege a regno fuo absente, satis sit, ejusmodi juramentum Majestati Regiæ præstari in manibus illius, quem ipse Rex Generalem sui Regni præfectum, vel procuratorem constituit.

Quarta: utrum omnes Episcopi Regni, nullo prorsus excepto, obligentur, ad prædictum juramentum per seipsos exhibendum, ut Regio juri finis imponatur?

Quiuta denique; utrum, cum ad sola Capitula præbendarum conferendarum jus devolvitur, jus Regium obtinere debeat, quantum ad ea, quæ pertineut ad juramentum fidelitatis?

RESPONS.

Circa propositam primn loco quæstionem respondemus, obtinuisse quidem pristinis olim temporibus istam opinionem, nimirum Episeopo nequaquam licere functiones suas Episcopales prius exercere, quam sese Regi fidelitatis juramento constrinxisset. Atque juxta falsam istam opinionem D. Joannes du Franc primarius Prætor Condomiensis edicto prohibitorio 15. Aug. 1783. jussit illust. Joanni du Chemin Civitatis ejusdem Episcopo, ne functiones ullas Episcopales exercere præsumeret, quoad usque certis indiciis comprobavisset, a sese præstitum fuisse fidelitati juramentum (a). At falsissima est ac prorsus iniqua ejusmodi opiuio; licet namque Episcopo, vi Provisionum, aut Pontificiarum Bullarum, quibus in Romana Curia donatus fuit, ac possessionis, quam inivit, Episcopales suas quascumque functiones, atque omnes suæ jurisdictionis actus sine controversia exercere. Verum est tantummodo, ab hac regula esse excipiendam collationem Beneficiorum, quorum vacatio occurrit currente Regio jure, de quibus nulla ratione potest disponere, nisi postquam sese Regi constrinxerit juramento fidelitatis, & curaverit illud in tabulas Curiæ Parisiensis rationum Regiarum referri (b). siquidem huc usque resideat in Episcopo quasi quædam inhabilitas, quæ tamen mere politica est, ad gaudendum suo temporali teditu, & fructibus annexis dignitati Prælati, qua fulget, in quorum partem collationes venire censentur; sed nequaquam inhabilitas Canonica, ad functiones ejusdem dignitatis exercendas, neque ad Curas conforendas. Quod observat D. Brillon suo Dictionario Arrestorum, in quo refert post du Fresne (c) Arrestum quoddam Supremi senatus Parisiensis, quo sic constitutum fuit 18. Aprilis 1624. & aliud Consilii de rebus ad Regnum pertinentibs 26. Aprilis 1657. Arque ita placuit Regi, illud sic obtinerere ipsius declaratione 10. Februarii 1673.

(a) Probationes Immunitatum Ecclesiæ Gallican. tom. 2. c. 26. n. 47. p. 397.

(b) D. Brillo. t. Dictionar. Arrestorum. v. Juramentum fidelitat.

(c) D. Fresne. Ephemerid. Audientiar. l. 8. c. 25.

Circa secundam quæstionem asserimus, postquam Episcopus sese juramento fidelitatis erga Regem obligavit & accessit ad Curiam rationum Regiarum, ut obtineret, illud idem in ejusdem tabulas referri, eo ipso dissolvi penitus ac cessare jus Regium, licet Judices prædictæ Curiæ præpositi derogarent, hoc ipsum juramentum in tabulas suas referre: quod revera æquitati prorsus consentaneum est, quæ non patitur, quemquam jure proprio sine sua culpa defraudari; neque culpam ei imputari, qui bona fide accessit officio, quod sibi incumbebat, perfuncturus, juxta regulam juris (d). *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum erat faciendum*; adeo ut nullo cum jure possit objici, Episcopum ejusmodi esse *in mora*: Siquidem, ut supponitur, per eum non steterit, quin satisfecerit formulæ juramentum suum in prædictas tabulas referendi, & ea de re possit legitimam prætexere excusationem: *Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri*, fert alia regula Juris (e): Verum est quidem, juxta eum, qui viget apud Gallos, usum Edictis Regis innixum, necesse esse, ut finis Regio juri imponatnr, juramentuin fidelitatis referri in prædictas tabulas: Sed quando per Episoopum non stetit, quin prædictis Edictis, quantum ad eam rem pareret, censendus est iisdem satisfecisse, secundum istam aliam regulam Bonifacii VIII. (f). *Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*. Quæ principia confirmantur celeberrimo quodam Arresto Curiæ, quod refertur in secundo tomo probationum Immunitatum Ecclesiæ Gallicanæ (g), & pronunciatum fuit, agentibus, atque ita deliberantibus Regii juris Cognitoribus, 26. Februar. 1493. pro Renato d'Illiers, cui provisum fuerat de Carnotensi Episcopstu, quamquam nequidem adhuc juramentum fidelitatis Regi præstitisset, qui illud idem admittere denegaverat; obligatione tamen imposita prædicto Episcopo, sese jurameuto fidelilitatis constringendi, ubi primum vellet Rex illud recipere.

(d) Reg. 41. de reg. juris in 6.

(e) Reg. 60. ib.

(f) Bon. VIII. in Reg. 66.

(g) Cap. 16. a. 41. pag. 306. Edit. 1639.

Quoad tertiam quæstionem dicendum est, istud juramentum ipsimet Regi esse præstandum; si vero Rex a Regno voluntario absit, non satis esse illud exhiberi in manibus illius, quem constituisset generalem sui Regni præfectum. Quod probatur excerpto quodam tabularum Supremi Senatus Parisiensis, cui dies ascribitur 13. Augusti 1493. quodque refertur in eodem Opere, quod citavimus modo (h) ex quo habetur, Magistrum Joannem Oliviarium Advocatum, qui propositionem oppositam asseruerat, ea de causa a Curia accersitum, ab illustrissimo Primario Præside objurgatum fuisse. Dicimus, *voluntario absit*. Nam si invitus abesset, puta si captivus ab alio Principe detineretur, quemadmodum olim detentus est Rex Joannes in Anglia, & Franciscus I. in Hispania; tunc necessitas Legis vicem suppleret: Atque inde est, quod S. Ludovicus, cum sese obligavisset ex necessitate Sacri Belli, ad arma in limites usque Terræ Sanctæ inferenda, Reginæ Blanchæ suæ matri potestatem fecerit mense Junii 1248. recipiendi, quamdiu abesset, juramentum fidelitatis ab Episcopis, quibus non ita pridem provisum fuisset, ut cernitur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ (i) inter quas prædictum factæ potestatis instrumentum describitur; & paulo antea (k) refertur aliud instrumentum Illustrissimi Maurier Cœnomanensis Episcopi, mensis Novemb. 1223. in quo leguntur isthæc verba: *Ipse tamen electus* Episcopus Cœnomanensis) *tenebitur bona fide adire Dominum Regem, si fuerit in Regno infra 40. dies post susceptionem Regalium, & eidem Sacramentum fidelitatis præstare: & si infra 40. dies ad Dominum Regem ... non venerit, Dominus Rex poterit sarcire Regalia sua, & eadem tandiu tenere, quo ad usque Domino Regi fidelitatem suam fecerit*.

(h) Cap. 16. n. 45. p. 397.

(i) Cap. 16. n. 12. p. 19.

(k) Ibid. p. 66. n. 7.

Quod pertinet ad quartam quæstionem: dicimus, omnino constare, quoad usque prædictum Sacramentum Regi præstitum fuerit, & relatum in Tabulas Curiæ Rationum Regiarum, jus Regium semper perseverare, exceptis casibus, quos jamjam indigitavimus: adeaque Regem continuare ex prædicto jure Regio conferre Beneficia, quibus cura animarum non annectitur, & quorum interea vacatio contingit. Quod ita fertur (l) in antiquo quodam Edicto Regio excerpto de Codicibus Curiæ Regiarum rationum; quo dicitur, juri Regio locum non esse debere, illudque semper perseverare: *Donec & quoad usque futurus successor*

(l) Ibid. p. 386. Commentar. Cleri tom 2. part. 2. n. 5. pag. 152.

Episcopus legitime intraas, suum debitum fidelitatis juramentum dicto Domino nostro Regi, prout tenetur, fecerit: quodque Litteræ Regiæ attestantes, dictum juramentum sic fuisse factum, præsentatæ, registratæ, & expeditæ fuerint in Camera Computorum, & quod receptor seu commissus ad receptam ipsius Regaliæ receperit mandatum a dicta Camera emanatum, per quod mandetur ut levet manum Regis, & permittat, dictum Episcopum uti & gaudere, ponendo ipsam temporalitatem ad plenam deliberantiam: nec cepto receptionem hujusmodi Mandato a dicto receptore seu Commisso, reputatur dicta Regalia clausa &c. Quæ ipsissima sunt verba laudati Edicti, cui nulla dies ascripta reperitur.

Præterea habemus: 1. Quoddam Edictum datum apud S. Germanum in Laya a Philippo VI. cognomine nuncupato de Valois, cui dies apponitur 20. Septem. 1332. quo confirmatur Edictum Regis Caroli cognomine Pulchri ipsius antecessoris, in quo eadem Jurisprudentia constituitur. (a) 2. Et Regia Diplomata Caroli VIII. concessa 28. Maii 1386. Illustrissimo Claudio de Deyrac electo Episcopo Floriopolitano, post præstitum ab eodem sacramentum fidelitatis ad quod præstandum fuerat a Parlamento condemnatus; adeo ut, cum Episcopus & Capitulum jure collationis conjunctim gaudent, Regalistæ jus sese extendat ad omnes Præbendas, quæ ante vacare incipiunt, quam Episcopus præstiterit, & referri curaverit in prædictas tabulas suum fidelitatis juramentum, ut judicatum fuit a supremo Parisiensi Senatu 13. Martii 1486. de Præbendis Capituli Bajonensis: (b) verum istæc intelligenda sunt, cum Prælatus omnino potest ejusmodi officio satisfacere; si namque obstaret aliquid, quod penes eum non foret superare, æquum non esset, in eum recidere pœnam culpæ, cujus in ejusmodi casu nulla ratione conscius foret, juxta Regulam istam juris Canonici: (c) *Nemo potest ad impossibile obligari*, quæ petitur ex Regulis juris Romani: (d) atque deceret ipsam Principis æquitatem, ex ejusmodi impedimento nolle cum summo jure quidquam accipere commodi.

(a) Probation. Immunit. Ecclesiæ &c. cap. 26. n. 26. pag. 374. edit. 1639.

(b) Ephemerid. audientiar. forensium tom. 2. pag. 582.

(c) Reg. 6. de Juris in 6.

(d) Reg. 185. ff. de reg. juris.

2. Certum quoque est, non sufficere, ut juri Regio finis imponatur, ab Episcopo prædictum juramentum per Procuratorem præstari, siquidem sequens regula juris, (e) *Qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum*, quantum ad casum præsentem sese non excedat; quoniam eidem potissimum adversantur Edicta Regia: sed ipsum obligari, ad juramentum illud per semetipsum præstandum. quemadmodum statuitur Edicto quodam Regis Caroli 7. dato in Pago vulgo dicto Montis Lea-Tours. 14. Februarii 1451. quo prædictus Princeps declarat, nihil obstante juramento fidelitatis, quod ab Episcopo Cardinali Teruanensi fuerat de Regia licentia per procuratorem præstitum, tamen sese intelligere ac velle, ut beneficiorum, quorum occurret vacatio, collatio ad se devolvi continuetur ex suo jure Regio, quoad usque prædictus Cardinalis Episcopus juramentum ei fidelitatis per semetipsum præstitisset. (f) Quod Edictum in integrum transcriptum legitur apud eum locum, quem mox citavimus, in quo etiam occurrit aliud instrumentum 18. Februarii 1440. relatum in tabulas Curiæ, quod inter alia continet intercessionem eo fine factam a D. Cousinot Regio Procuratore Generali, ne Rex admitteret ullum quemquam Episcopum, nisi per semetipsum, nequaquam vero per Procuratorem fidelitatis Sacramento sese obligaturum. Atque revera sic constitutum est a supremo Parisiensi Senatu 13. Aprilis 1496.

(e) Reg. 72. de reg. juris in 6.

(f) Probationes Immunit. Eccles. Gallicanæ tom. 2. cap. 26. n. 42. pag. 392. & 395.

Ad quintam & ultimam quæstionem Blondaqua respondet, Capitula Cathedralium, quibus ab omni retro antiquitatis memoria possessio vindicatur, omnes omnino conferendi Præbendas, nullatenus obnoxias esse expectativæ sacramenti fidelitatis, quod Episcopus recenter institutu tenetur Regi præstare, ut pronunciatum est 17. Septem. 1675. pro Ecclesia Cathedrali Metensi. Ratio autem Arresti prædicti in eo nititur, quod diploma sacramenti fidelitatis debitum personale constituat quoad Episcopum, nequaquam vero quoad Capitulum. Adeoque, qui illud consecutus est, non potest requirere nisi Beneficia, quæ tantummodo pendent ab Episcopo, qui recenter institutus est; in eoque differt fidelitatis sacramentum a jure Regio, quod, ut Molinæus observat: (g) est *jus primitivum Franciæ, & ante omnia Jura Canonica natum*: Eaque de causa, quando certissime constabat, Episcopum olim gavisum fuisse jure conferendi Præbendas, quamquam subsequentibus temporibus consensisset inter se & Capitulum dividendæ collationi; judicabatur, Regem in antiquum jus Episcopi restituendum esse, cui quidem Episcopo subrogatur ipse Rex, quamdiu jus Regium obtinet. Quod ita docetur ab eodem Blondaqua in Bouchel (h), & in ipsius forensium audientiarum Ephemeride (i).

(g) Molinæus in reg. de infirmis resignantibus.

(h) Blondeau in additamen. ad Biblioth. Bouchel. v Fidelitas, in fin.

(i) Id. Ephemerid. forensium audientiarum par. 4. pag. 125.

CASUS II.

Fullonius Sacerdos, cum ad Episcopum Grassensem accessisset, ab eo consecuturus ex indultario jure, aut concessione ex sacramento fidelitatis Cannnicatum quemdam vacantem; repulsam ab eodem Episcopo passus est, neque potuit provisiones ejusdem consequi, quoniam ipsum Canonicatum Episcopus Paulino jam contulerat. Quod in causa fuit, cur Fullonius in Paulinum ageret, cujus possessioni jam inceptæ obstitit. Utri amborum cedit legitimum jus ad prædictum Canonicatum?

RESPONS.

Differunt prorsus inter se & Indultarius, & ille, qui nonnisi simplici diplomate juramenti fidelitatis donatus est. Indultarius etiam privilegio eodem quo Graduatus, gaudet; vi cujus non potest præveniri, intra sex priores menses a vacatione Beneficii, nec ab Ordinario, nec vel etiam ab ipso summo Pontifice, quo differt a Graduato, qui potest a solo duntaxat Papa præveniri. At vero; qui designatus est a Rege vel ex causa juramenti fidelitatis, vel ex ratione jucundi adventus in Regnum, potest semper ab Ordinario præveniri, quoad usque curaverit, eidem significari ac notificari tum diploma nominationis quo donatus fuit, tum diplomata Regia, quæ quidem omnia prius significanda sunt atque notificanda, quam Beneficium, quod spectatur, vacare incœperit, alioquin plane licet Ordinario; illud idem, cui libuerit, conferre, ac tenent ipsius provisiones: verum postquam ejusmodi denunciationes habuit apud Episcopum, prima Præbenda, cujus vacatio contingit, ad ipsum pleno jure devolvitur. Nihilominus, quoniam in diplomate juramenti fidelitatis nullum decretum irritans continetur; si Episcopus ante Beneficium conferat, quam fuerit ab eo requisitum, qui prædicto diplomate donatus est, ipsius collatio valet; & amplius Concilium satis habet jubere, futurum ut Episcopus teneatur primam, cujus occurrerit vacatio, Præbendam eidem conferre. Verum, si conferret Episcopus, postquam, juxta formulas in ejusmodi casibus observari consuetas, beneficium fuisset requisitum; obtinet hæc Jurisprudentia apud supremum istud Tribunal; ut jubeatur, futurum ut Episcopus teneatur, ad primam; quæ vacatura est, Præbendam eidem conferendam, & interim solvendam ipsi pensionem annuam ad tempus usque, quo primo vacare incipiat aliquis Canonicatus, ut pronunciatum est Arresto anni 1612. contra Episcopum Andegavensem, quod refertur a Blondaqua in Bouchel (K).

(k) Claudina Blondean in additamentis ad Biblioth. Canon. Bouchel. v. Fidelitas. Pag. 634.

Ex quibus inferendum est, si Fullonius sit Indultarius; Canonicatum, quem requisivit, ipsi potiori jure cedere, quam Paulino, cui a Grassensi Episcopo provisum est; siquidem non potuerit præveniri: at vero, si nullo alio jure fulciatur, quam diplomate juramenti fidelitatis, aut jucundi adventus; & Episcopus contulerit Præbendam, antequam curaverit, suum ei diploma significari, & prius quam requisiverit Beneficium; jus, cui providit Episcopus, totum Paulino vindicatur.

Operæ

Operæ pretium est autem observare, jus, quo Rex gaudet, nominandi ad primam Præbendam vacantem, post juramentum fidelitatis ab Episcopo præstitum, esse novum, & nulla inniti Ecclesiastica constitutione, sed tantummodo Regiis Diplomatibus comprobatis auctoritate amplioris Consilii 30. Aprilis 1599. ac postmodum quadam etiam Regis Declaratione anni 1646. comprobata auctoritate Supremi Parisiensis Senatus, mense Augusti 1649. (a) quæ recensent in ordinem gratiarum expectativarum, quæ recipiuntur in Regno, gratias expectativas Indultariorum, Graduatorum, Jucundi adventus ad Regnum, & juramenti fidelitatis. Quod partium nostrarum esse, duximus, addere in eorum gratiam, quibus hoc ipsum posset esse non omnino perspectum atque eaploratum.

(a) Art. 17.

(*Vide* INDULTARIUS.)
(SERVUS. *Vide* FAMULUS.)

J U R I S D I T I O.

JURISDICTIO appellatur legitima Superinrum auctoritas circa regimen eorum; qui a sua potestate dependent; vel eos dirigendn ad nnrmam justitiæ & æquitatis, prout opus, & necessitas pnstulat; vel Edicta, & Leges santiendn, quas autumat idoneas ad malum præcavendum, vel ad Vinlatores puniendos, vel tandem ad subditos in officio, & tranquillitate servandum: *Est legitima potestas gubernandi subditos*, docet Pnlmanus (*b*), *jus dicendo, ferendo Leges coercendo refractarios, & puniendo transgressos.*

Præsciendum, jurisdictinnem dividi in binas Classes, scilicet in Ecclesiasticam, & Pnliticam.

Jurisdictin Ecclesiastica, utpote primarius hujus Tituli scopus, ant est Vnluntaria, aut Cnntentinsa. Prima, quæ etiam appellari snler *Gratiosa*, exercetur absque soti strepitu, prætermissis Ritibus, & formalitatibus Judicii, ut Prælato, cujus est judicare, expediens esse videbitur. Secunda exercetur, 1. judiciarie procedendn; 2. observandn adamussim nmnes ritus a Lege præscriptns. 3. Prætorium babendo destinatum ad justitiam reddendam, statutis diebus, & locis & non aliter; nam, ut tradit Cujacius (*c*) in jurisdictinne contentinsa disputatur de rebus, quarum plenam, & perfectam notitiam possidere opus est; quod impossibile redderetur, si ad beneplacitum judicis permutari pnssent, dies, hnræ, & loca, ubi esset erigendum Tribunal; nnn obstante Cnnstitutinne Bonifacii VIII. aliter sanciente (*d*); quæ in Galliis locum, nec robur babet, utpnte nunqnam acceptata.

Jurisdictin Cnntentiosa nec licite, nec valide exerceri potest extra limites Territnrii a Judice dependentis, sive Ecclesiastico, sive Seculari (*e*).

Jurisdictio autem voluntaria, sive Gratinsa e contra potest absqne cnntradictione exerceri ab Ecclesiasticn superinre ultra terminos Territnrii, ad quod Cnntentinsa coarctatur. Ex hac regula sequitur, Episcopum adhuc non consecratum, etiam extra prnpriam Diœcesim, audire posse confessiones sibi subditi; limita tamen, si ordine Presbyteratus sit insignitus, & a Papa cnnfirmatus: hoc est, secundum nostrum loquendi morem, si mediante Rescripto Regiæ nominatinnis impetraverit a Romann Pnntifice Bullas sui Episcnpatus: tunc enim temporis facultatem jurisdictinnis acquirit, licet Episcopatus Ordine non sit initiatus, eamque exercere immediate valet; concurrente tamen prævia Bullarum notificatione Capitulo Catbedralis ostensa, ac possessione Episcnpatus accepta vel per se, vel medio Procuratore: Juxta Doctrinam Ducassi nixam Constitutinne Bonifacii VIII. auctnritate Guimerii, Melcbioris Pastnris, Solerii, Gonzalez, & Riccii (*f*). Gaudet insuper facultate dispensandi indulgentias, approbandi Sacerdntes ad Confessinnem audiendam, Beneficia conferendi, dispensatinnes largiendi, Censuris ligandi, atque ab eis absolvendi, in Irregularitate dispensandi, in casibus tamen Sedi Apostnlicæ minime reservatis; prnpriæ Diœcesis Ecclesias visitandi, & generalitet exercendi quæcumque non exigunt ullam formalitatem, aut ritum judiciarium (*g*): demptis tamen iis, quæ a lege vetantur, de quibus sigillatim sermonem habebimus in locis inferius citandis.

Animadvertendum est Jurisdictinnem Pœnitentiæ Sacramentum respicientem, esse tantnpere Confessario necessariam, ut ea deficiente nulla pnssit valide absolutin cnnferri: mortis periculn exceptn: nam bæc facultas jurisdictinnis est perfectio, & complementum potestatis per Ordinis Sacramentum cnllatæ: *Potestas Ordinis*, ait Polmanus (*b*) *est incompleta auctoritas remittendi peccata, Sacerdoti in sua ordinatione collata in actu primo...... impotens exire in actum secundum, nisi compleatur per potestatem jurisdictionis, collatam ab Ecclesia.* Quamobrem lauda-

(*b*) Polman. brev. Theol. p. 2. a. n. 496.

(*c*) Cujacius Novell. 35.

(*d*) Bon. VIII. in cap. Cum Episcopus 7. de offic. ord. in 6. l. 1. tit. 17.

(*e*) Can. nullus 1. & can. Episcopum 2. 9. q. 2. cap. Novit. de off. Legati: leg. omnes de offic. Proconf. & Legati l. 1. tit. 16.

(*f*) Bon. VIII. In cap. injunctæ, 1 de elect. in 6. l. 1. tit. 4. Guimer in pragm. & tit. de elect. §. censuit, v. Promptua pastor l. 9. tit. 6. Soler. ad cit. tit. Pastor. Gonzalez. in reg. Cancellar. Glossa 15. §. 2. n. 97. & seqq. Aloys. Riccius dec. 576.

(*g*) Glossa, & DD. in can. novitiis a Jo: de Sylv. de benef. p. 4. qq. 40. & 41. Rebuff. tr. de nominat. q. 14. n. 49. Geminian. in c. Gener. fin. de elect. in 6. Bengab. tract. de modis acquirendi benef. Zerola praxis Episc. p. 1. v. Jurisdict. Galsius tract. de jurisd. Eccles. volunt. cap. 1. q. 4. Guimer, & alii.

(*b*) Polman. cit. p. 1. n. 326. & 328.

tus Theologus sic tradit Definitionem jurisdictionis: *Potestas jurisdictionis est auctoritas superaddita potestati Ordinis; & completiva illius*: Scilicet, ut idem explicat, *est auctoritas, qua Sacerdos tamquam judex potest ferre sententiam absolutionis.*

Facultas jurisdictionis aut est ordinaria, aut delegata, vel subdelegata. Jurisdictio ordinaria, quæ vocari potest *a lege*, possidetur virtute Dignitatis, qua quis decoratus existit, illique est annexa, veluti est in Episcopo, & Parocho. Jurisdictio delegata ea dicitur, quæ tantum ex Commissione exercetur, & confertur ab eo jurisdictionem ordinariam habente; velutl ea simplicis Sacerdotis ab Episcopo approbati, & a Parocho admissi ad Confessiones excipiendas in sua Parochia: jurisdictio porro subdelegata ea est, quæ conceditur ab habente solam Delegatam, sed cum facultate eam subdelegandi, & tertiæ personæ communicandi.

Non solum Episcopi jurisdictio est ordinaria, sed etiam ejus Judicibus, seu Officialibus competit eodem modo; cum sit una & eadem, & hoc evidenter constat ex verbis Romanorum diplomatum ad Gallias pertinentium: *Committitur Episcopo N. aut ejus Officiali*; sicut & aliorum spectantium ad Diœceses Ultramontanas: *Committatur Episcopo N. aut ejus Vicario Generali*; per quæ facile comprehenditur, non distingui jurisdictionem Officialium, nec Vicarii Generalis ab Episcopi auctoritate, cujus personæ vices gerunt, & auctoritatis simplices extant depositarii. Aliter fatendum esset, admitti appellationem ab aliquo ex recensitis ad Episcopum: Jam vero hujus generis appellationes reprobantur a Lege tanquam nullæ, & abusum redolentes; sicuti declaratur per binas Constitutiones Innocentii IV & Bonifacii VIII. (*a*) in 6. relatis. Horum tamen jurisdictio cessare potest. 1. Per Privationem, aut Revocationem facultatis. 2. Per Translationem Prælati ex hac in aliam Diœcesim. 3. Per Obitum Episcopi. 4. Per Renuntiationem Episcopi. 5. Per Renuntiationem Episcopatus a Romano Pontifice approbatam.

(*a*) Innoc. IV. in Conc. Lugd. in c. Romana 4. de appell. in 6. l. 2. tit. 15. Bonif. VIII. in cap. non putamus 3. de consuetud. in 6.

Extremam huic materiæ imponemus manum, binis non inutilibus præmissis reflexionibus: Prima sit, notabilem intercedere differentiam inter jurisdictionem Officialium, Vicariorum Generalium, & Delegatorum. Delegati enim, inchoato materiæ examine, cujus decisio fuit ipsis demandata, jus habent prosequendi, & consummandi judicium; etsi delegans, aut Committens morte deficiat, ut ab Urbano III. declaratur in Decretali in corpore juris citata (*b*).

(*b*) Urb. III. in c. Gratum de offic. & potest. Judic. delegat.

Verum eadem dispositio non procedit circa Officiales, & Generales Vicarios cum horum facultas expiret, Episcopo vita functo: præciso singulari casu, videlicet, si contingeret Episcopi mors in longinquis Regionibus, vel in loco, unde non constaret legitime de ejus obitu, in dicta enim hypothesi sicuti publice habetur, & censetur Officialis Episcopi vivenris; quod ab eo exercetur, censetur legitime factum, juxta Regulam juris: *Circa factum error communis facit jus* (*c*)

Præterea ex Doctrina Loiseau (*d*), Officialis non censetur dignitate privatus, vel remotus *ipso jure* per Episcopi obitum; ita ut si quædam Capitula Cathedralis Ecclesiæ ex vi privilegii non fruerentur possessione deponendi Officialem, aliumque substituendi: tunc posset Officialis uti jure suo, hoc est suo munere, sicut antea vivente Episcopo. Hæc Doctrina fulcitur celebri Edicto a Curia Tolosana edito in favorem Bernardi Ducassi contra Capitulum Reiturense omnem lapidem movens ad eum deponendum, Episcopali Sede vacante per Translationem Domini de Valtorta ad Vannensem Cathedram; cujus Decreti auctoritate in dicti Ministerii exercitio permansit (*e*).

(*c*) Glossa in l. Barbarius ff. de off. Prætoris l. 2. tit. 23. v. Reprobari.
(*d*) Loiseau l. 3. c. 6.

(*e*) Cassius Tr. de jurisd. Eccl. content. c. 2. q. 8.

CASUS PRIMUS.

Monasterium Sancti Deodori olim Episcopo Diœcesano subjectum, fruitur jure præscriptionis cum pacifica possessione spatio annorum supra septuaginta, circa exemptionem ab Episcopali jurisdictione. Præfato tempore diuturno elapso, Prudentius ad Episcopatum promotus innixus natalium nobilitate, & propriæ personæ fama tentavit se restituere in juris possessionem propter Prædecessorum neglectum amissi; ut opus mente conceptum ad praxim reducat; solemniter se confert ad visitandum hujus Monasterii Ecclesiam; verum superior omnium Religiosorum assistentia munitus valide se opponit, visitationemque satagit impedire; quæritur impræsentiarum, an superior una cum Religiosis rationabiliter Episcopo in faciem restiterit, post præscriptionem suffultam diuturni temporis possessione, numquam alias perturbaram, & an tuta conscientia, & absque inobedientiæ nota possit contra Episcopum se defendere controversiam inchoatam urgentem?

RESPONS.

Superior, ac Religiosi Monasterii S. Deodori perperam se gesserunt, visitationem Episcopalem impediendo; nec sine culpa & Canonicarum Regularum violatione possunt in prædicta oppositione persistere.

Ratio

Ratio Assertionis est, magnum intercedere discrimen inter Episcopi . & Exemptorum jurisdictionem, nam cum in uno Episcopo potestatis Ecclesiasticæ, & spiritualis plenitudo resideat; ipsius jurisdictio est adeo stricte dignitati, & Caracteri Episcopali annexa, ut, non obstante quacumque præscriptione prolixi temporis spatio acquisita, amitti non possit, e contra vero exemptorum privilegium etiam Pontificio Indulto innixum, nec non Episcopi consensu, legitime ab alio Episcopo successore præscribi potest post possessionem 40. annorum non interpolatam; cum vehemens præsumptio evincat, Exemptos, qui tali privilegio post diuturnum tempus usi minime sunt, revera renunciasse. Hac ratione motus Inn. III. decidit Templarios, qui virtute privilegii a decimarum solutione erant immunes, adhuc nihilominus obligari posse per eos, qui jus haberent exigendi Decimas, etiam elapsa 40. annorum possessione: *Cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solveriat; eis renuntiasse tacite præsumuntur* (*a*).

(*a*) Inn. III. in c. Accedent. de privil. l. 3. tit. 33.

Verum exemptio prætexta, quæ nullo legitimo titulo sulcitur, sed solo usu fundatur, censenda est tanquam abusus, qui omnino extirpandus est; quia D. Bernardo teste, continet evidentem injustitiam, dum ovium portionem Ecclesiæ adimit. (*b*) Ita queritur S. Laudatus in Epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum scripta contra oppugnantes Episcoporum auctoritatem a Christo Domino eisdem traditam, & e contra a suis subditis austeram exigentes dependentiam: *Miror* (*c*), ait S. Pater, *quosdam in nostro ordine Monasteriorum Abbates humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili, quod pejus est, habitu tonsura tam superbe sapere, ut, cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, ipsi propriis contendant obedire Episcopis, spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se, ne obediant*. Tali auctoritate nixus Doctus Talonus causam dicens pro D. Procuratore Generali in celebri controversia ab Archiep. Parisiense instituta contra exemptiones; & privilegia, quibus fruebantur Abbas, Religiosi, ac Monasterium S. Genovefæ, Decretum a magna Camera emanatum 4. Jul. 1668. perorando reportavit, quo prædictum Monasterium juribus fuit spoliatum ut habetur in primo Tomo Instructionum Cleri (*d*).

(*b*) S. Bern. Ep. 42.

(*c*) Idem ib.

(*d*) Instruct. Cleri to. 1. p. 2. pag. 3. & seq.

Silent o prætermittimus tria, aut quatuor incommoda notabilia, ob quæ juxta laudatum Patrem, hæc privilegia illicita evadunt. Petrus Blesensis ad Alex. III. scribens, & in alia ad Germanum fratrem nuper in Abbatem electum, acriter invehitur contra exemptionum abusum. Unanimiter ergo asserendum est, odiosas ac detestabiles semper esse, sive personales sint, sive reales, & quoad ejus fieri potest, restringendas exemptiones. 1. Quia evertunt ordinem Ecclesiasticę Hierarchię. 2. Quia sępe Religiosis occasionem suppeditant altercandi contra Episcopos, qui tamen naturaliter, & de jure sunt eorum legitimi superiores, præciso quocumque privilegio. 3. Quia opponuntur juri communi per antiqua nostra Concilia firmato: quale est Concilium nationale Aurelianense habitum 511. (*e*) Arelatense sub Childelberto 554. Vernonense sub Pipino 755. (*f*) Moguntinum (*g*) Parisiense sub Ludovico Pio (*h*) & Aquisgranense, ex cujus primo Canone conditum est Capitulare (*i*) conceptum iisdem terminis, ac 4. Canon Concilii Calcedonensia, & omnia cohærent antiquæ disciplinæ ab Ecclesia sancitæ in eodem Generali Concilio Calcedonensi ab universa Catholica Ecclesia approbato: virtute cujus subiiciuntur Episcopis omnia Monasteria in eorum respective Diœcesibus fundata (k). Ex quibus eruitur, quod sicut Dominus Feudi numquam potest amittere jus supra subditum per præscriptionem quamcumque; ita nec Episcopus, circa ea, quæ tangunt suam Jurisdictionem.

(*e*) Can. 19.

(*f*) Can. 5.

(*g*) Can. 20. & 2.

(*h*) Can. 17.

(*i*) L. 5. Capitul. cap. 26.

(k) Placuit Monachos per unamquamque civitatem, aut Religionem subditos esse Episcopo. Conc. Calc. canatem can. 7. 23. 14.

Ad dictorum Confirmationem satis est in Diario fori, & Palatii diversa Decreta videre a Curia edita juxta Decisiones Regiorum Cognitorum; virtute quorum Curia declaravit abusivas plures exemptiones tum Monasteriorum, tum Capitulorum sæcularium, quibus pacifice per plura sæcula fruebantur. Licet pariter animadvertere Decretum Parlamenti emanatum 5. Februarii 1564. in favorem Domini Francisci Fabri Ambianensis Episcopi contra Abbates, & Religiosos S. Valerii, super seciprocas contestationes propter Visitationem Parochialis Ecclesiæ S. Martini ab Episcopo factam, cui contradixerant superior, & monachi, & ab ea tanquam abusiva appellarunt: virtute cujus Decreti jura Episcopalia Episcopo sunt restituta, non obstante immemorabili præscriptione, etiam quatuor Pontificiis Bullis, & aliis Actibus authenticis fundata. Hæc sententia exarata est in eodem Tomo Instructionum Cleri (*l*), ubi insertur pes extensum (*m*) oratio Talonis pro Procuratore Generali perorantis. Accedit tertia sententia in eodem Tomo relata (*n*) pro Dom. Francisco de Faietta Episcopo Lemovicensi contra Dominam Joannam de Verthamonte Abbatissam Nostræ Dominæ de Regula ejusdem urbis, in quo habetur, gratis a Domino Bignone Causidico Generali recitata, qua probat Episcopalem auctoritatem præscriptionem non pati, tam quoad jus visitationis, & cetera a caractere Episcopali inseparabilia. Talis sententia post septem annorum disputationem Episcopum remisit in possessionem suorum jurium 16. Martii 1653.

(*l*) Pag. 478

(*m*) P. 579.

(*n*) P. 931.

Blondeau Auctor Diarii Parlamenti refert aliud Decretum sub 2. Septemb. 1670. in favorem Archiepisc. Senonensis contra Capitulum suæ Cathedralis, prætendens exemptionem a jurisdictione Episcopi, eamque fulciens tabula scripta Capitulo concessa 1550. ab Hugone Archiepisc. Senonense, nec non Bulla Clem. VIII. 1390. post plures Transactiones, & statuta per diuturni temporis spatium roborata; quibus omnibus non obstantibus, Curia declaravit, Bullam & Transactionem abusum redolere; ideoque Archiepiscopi jurisdictioni Capitulum subiiciendum esse.

Citatis Decretis porro addimus aliud emanatum in favorem sapientis D. Bossuet Episc. Meldensis 26. Jan. 1690. contra Dominam Abbatissam de Jovar, quod nos vidimus executioni mandari (*o*). Hujus beneficio Episcopus, & successores jus regendi dictum Monasterium conservarunt; nec non exercendi Episcopalem jurisdictionem tam supra Abbatissam, & Religiosas, quam supra Clerum, Capitulum, Parochum, Populum, & Parochiam, Privilegium autem, quo Abbatissa fruebatur, erat suffultum transactione approbata per Cardinalem Romanum Legatum Honorii Papæ; neque manet dubitandi locus, dictam exemptionem antiquissimam fuisse, cum Innocentius III. qui in Romana Cathedra sedit, a mense Januarii 1198. usque ad 16. Julii 1216. eam confirmans appellat ***antiquam*** jus, antiquum nempe privilegium a suis Predecessoribus concessum. In eodem Tomo videre licet alia plura Decreta inserta relate ad eamdem materiam.

(*o*) Instruct. cler to. 1. t. 2. c. 24.

Vide { ABSOLUTIO. APPROBATIO. CONFESSARIUS. CONFESSIO. CAPITULUM. EXCOMMUNIC. EPISCOPUS. JUDEX. RELIGIO. RELIGIOSA. } Casus. { *Franciscus. Florentias. Marcellinas. Almoadus. Amabilis. Amedus. Gabriel, & Columbanus.* }

JUSTA CADUCARIA.

JUSTA CADUCARIA, quæ etiam *annus Caducarius*, vel *anni Caducarii proventus* a Chopino vocatur (*a*), est species quædam Annatæ, sive annui reditus fructuum Parœciæ, qui percipitur ab Episcopo, aut ab Archidiacono, quique ab eo, qui recens illius Parœciæ titulum obtinuit, exigitur.

Jus illud ita odiosum est, ut ipse Molinæus (*b*) id vocet *jus abusivum & prorsus abolendum*. Ac revera, Concilium Basileense illud improbavit, ut in sequentibus dicemus; neque in Gallia amplius locum habet; nisi in quibusdam Provinciis, in quibus usurpatum est ex nullo alio titulo nisi ex consuetudinis fundamento destitutæ.

Justæ Caducariæ origo, secundum Molinæi opinionem, ducitur ex eo quod olim Archidiaconi Ecclesiarum, quæ vacabant intra limites Archidiaconatus ipsorum, illarum œconomi naturales erant, & curabant, ut fructus illarum futuris Successoribus reservarentur, quando ejus naturæ erant, ut facile servari possent, & ut impenderentur ad utilitatem Ecclesiæ vacantis illi, qui hac qualitate non præditi erant Idque eo magis justum fiebat, quod illæ Ecclesiæ, cum Pastoribus destitutæ essent, tali protectore vere indigebant (*c*). *Hac origo custodiarum*, inquit ille Juris Consultus, *quas Galli* DEPORTUS *vocant*: Unde accidit, ut in sequenti tempore, sibi attribuerit illius sacri depositi proprietatem, contra expressam decisionem Concilii Cabillonensis, habiti anno 650. (*d*) quodque nominatim interdicit Episcopo, & Archidiacono quominus quidquam auferant ex illo bonorum genere. *Ut defuncto Presbytero ..... nihil ab Episcopo auferatur, vel Archidiacono, vel a quocumque de rebus Parochiæ ....., quod qui fecerit, juxta statuta Canonum debeat coerceri*. Hæc sunt ipsissima hujus Concilii verba. Concilium Albigense, habitum anno 1254. idem pronunciavit interdictum, his verbis: *Firmiter inhibentes, ne reditus Ecclesiarum vacantium præsumat quispiam, præterquam ipsius Ecclesiæ, quæ vacat, usibus applicare* (*e*). Idem prohibuit Concilium quoddam, Latine *Copriniacense* vocatum; de nomine antiquæ Aquitaniæ urbis, quam Cornelius in suo Dictionario Geographico Coprinianum appellat, quæque, secundum quosdam, eadem est cum Conoco, quod Concilium convocatum est anno 1260. a Petro de Roscidavalle, Archiepiscopo Burdigalensi (*f*). Ex quibus auctoritatibus evidenter patet, quod Justa Caducaria est plane contraria menti Ecclesiæ, & juri communi; & quod per consequens nulla ipsi extensio tribui debet in Provinciis, in quibus toleratur; & quoniam satis difficile esset illum usum plane abolere, saltem operæ pretium est impedire quominus introducatur in eas, in quibus non locum habet.

Illa tamen justa Caducaria toleratur, durante litigio, donec unus ex competitoribus Sententiam vindiciarum obtinuerit, in quo casu Archidiaconus muneribus Beneficio adhærentibus fungitur, aut, ut ab alio præstentur, curat, & ejus fructus percipit, *pro rata* temporis quo litigium durat.

Fraxinus (*g*) existimat, quod, cum illud jus in titulo legitimo fundamento habet, (quod admodum raro evenit) tunc potest usurpari, sed, quod cum titulo caret, tunc est merus abusus. Cui tamen adjungendum est, quod legitima consuetudo tituli defectui supplere potest, secundum definitionem Bonifacii VIII. (*b*).

Veruntamen in omni Normannia, Justa Caducaria locum habet, non modo in casu obitus Titularis, sed etiam in casibus dimissionis puræ, & simplicis, & resignationis *in favorem*.

Nunquam bis in uno anno Justa Caducaria locum habere potest: Siquidem fructus naturales semel tantum colliguntur. Atque hac de ratione, una solummodo annata Romæ solvitur, quum duo Titulares eodem anno vita excedunt, & si primæ Bullæ jam expeditæ essent, secundus Titularis immunis esset impensæ, dummodo solveret stipendia Ministrorum Datariæ Romanæ, *ratione laboris*.

Justa Caducaria, quæ consistit in usu fructuum anni integri in Normannia, nec in aliis Regionibus locum habet, nisi quandiu vacat

(*a*) Chapin. de Sasac. polit. l. 3. t. 3. n. 5. & 11.

(*b*) Molin. p. 7. stili Parlament.

(*c*) Car. Molin. in c. Cum vos de offic. Jud. ordin. v. Reservata.

(*d*) Conc. Cabillonense can. 7. apud Labbæum tom. 6.

(*e*) Conc. Albigense can. 5. apud Labbæum tom. 11. p. 2. col. 736.

(*f*) Conc. Copriniacense const. 1 apud Labbæum to. 11. col. 793. 2. part.

(*g*) Diarium Audientiarum 3. & 5.

(*h*) Bonifac. VIII. in cap. Præsent. fin. de Offic. ord. 6.

cat Beneficium, & donec occupetur, aut saltem sententia vindiciarum lata sit.

Justa Caducaria locum habet respectu Parochiarum regularium, non secus ac sæcularium, sicut judicatum est Decr Curiæ Paris. 17. Dec. an. 1652. (a)

In Diœcesi Parisiensi Justa Caducaria aperta est, vel locum habet a die Cinerum, usque ad Sanctam Crucem, tunc solummodo cum Titularis in eo temporis intervallo moritur: & in Diœcesi Meldensi locum habet, quando nullus extat Titularis die Mercurii ante Pascha (b).

Tandem consuetudo præsumendi jus caducarium, quæ ut tolleretur, omnem memoriam superare debet, admodum mutabilis est pro Diœcesibus, in quibus viget. Et Decreta Curiarum Supremarum hac de ratione ab invicem valde differunt, propter Consuetudines variarum Provinciarum, sive Diœcesium, in quibus justa caducaria instituta fuit.

(a) Commen. Cleri, tom. 5. p. 2. pag. 185.

(b) Vide c. ult. de offic. ordin. in 6.

CASUS PRIMUS.

Cosmus, Archidiaconus cujosdam Ecclesiæ Cathedralis Galliæ, permagnum reditum percipit ex Justa Caducaria Parochiarum, quæ identidem vacantes fiunt in quibusdam temporibus inter limites Archidiaconatus ejus. De hac re ipsi scrupulus injicitur. 1. Quoniam percipit fructus Beneficiorum, quorum debita munia non præstat. 2. Quooiam illos in proprios usus convertere non potest, quin exinde fidelium saluti officiat, si quidem officium Sacerdotale ut plurimum summa cum incuria præstetur in Parochiis, quamdiu durat jus caducarium, cum Archidiaconus ipse illud officium per se præstare non possit; si quidem ejus dignitas eum adigit ut in choro Ecclesiæ Cathedralis adsit, & cum præterea sæpe plures Parochiæ eodem tempore in statu justæ caducariæ versentur. Qua de re Cosmus rogat, an scrupulus, qui ipsi a quibusdam injectus est fundamento quopiam innitatur?

Respons.

Antequam Sententiam nostram hac de quæstione declaremus, observandum est, quod origo juris caducarii, quod sibi tribuunt Archidiaconi, non beoe cognoscitur. Opinio verisimilior est hæc, scilicet quod illud jus in Ecclesiam introductum fuit ad exemplum Annatarum quæ olim præsumebantur ad opem ferendam Christianis qui bellum contra Infideles gerebant: ex quibus tamen Benedictus XI. & Joannes XXII. jus ordinarium sibi fecere.

Quinimo origo justæ caducariæ ab alia causa antiquiori duci potest, hac nempe, quod olim Archidiaconi muniis Vicariorum Generalium & Officialium Episcoporum fungebantur, & quod habebant custodiam, & curam gubernationis Ecclesiarum singularum per tempus quo vacabant; & quod constituebant Presbyteros probatos, qui illarum munia obirent, donec a novis Titularibus obtinerentur. Quibus rebus tribui potest origo usus justæ caducariæ quam sibi in multis Provinciis Archidiaconi arrogant.

Concilium Basileense, & Sanctio Pragmatica annatas & justas caducarias absolverunt: *Etiam prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, vel statuti*, quod compulit Molinæum, ut diceret (c), quod usus justarum Caducariarum merus esset abusus, & propterea abolendus. Concordatum initum inter Leonem X. & Franciscum I. annatas restituit, nulla justæ caducariæ mentione facta: quod in causa fuit, cur Curia Parisiensis illam ut abolitam respiceret, submovendo multos Archidiaconos, aut Archipresbyteros jure, quod in eam sibi vindicabant, Decreto suo 11. Augusti anni 1553. relato in Collectione Presbyteri. Est aliud Decretum a Brodello relatum, 3. Septembris 1605. datum sub forma Præscripti, quod justam Caducariam redigit ad duas quartas partes temporis, per quod munus est vacuum & litigium de eo durat, dummodo qui eam recipiunt, curent ut officium Sacerdotale in Parochiis accurate fiat. Aliud adhuc recentius Decretum habemus 17. Decembris anni 1652. ex Conclusionibus D. Bignoni, tunc Advocati Generalis Regis, datum: quod retinet in fruitione & possessione justarum Caducariarum Archidiaconos Svessiooenses, qui, exposuerant Curiæ, se nullo alio reditu gaudere, quam jure suo caducario, quod consistebat in percipiendis fructibus Parochiarum vacantium, a die quo illæ vacabant usque ad primam Synodum, quæ quotannis circa Pentecosten habebatur. Qui hujus rei majorem elucidationem optabunt, consulere poterunt Renatum Chopinum, (d) Molinæum (e), Pinsonum (f), Presbyterum (g), Lovetum (h), Fraxinum (i) statuta Aurelianensia, Blesensia, & Meldensia (k), commentarios Cleri (l), & Constitutionem Joannis XXII. (m) Inspici etiam potest Dictionarium Decretorum D. Brilloni, Curiæ Parlamenti Advocati, in voce *Deportus*, seu justa caducaria, in quo citat magnum numerum Decretorum, quæ lata fuere in gratiam Archidiaconorum Normanniæ Provinciæ Diœcesium Parisiorum, Aureliæ, Carnuti, Suessionum Turonum & Cenomani.

Hoc supposito, ad difficultatem quæ mota est respondemus, quod cum Archidiacooi jus habeant inspiciendi, & invisendi omnes Parochias, quæ sunt intra limites Archidiaconatus ipsorum & magis, adhuc peculiariter, eas quarum sedes vacat; est, ut videtur, æquum, ut ex illis partem alimenti sui, quæque eorum curis & laboribus par sit, percipiant. Quapropter damnandum non est jus caducarium, quod illis consuetudine antiqua valde attribuitur. Quod dicimus consentaneum est sententiæ Guimieri (n), Fevreti (o), Fagnani, & Cabassutii qui laudat duas Decretales, quæ ad illud jus confirmandum inservire possint. Sed cum non possint illud jus præsumere ex Parochiis quarum reditus est satis modicus, quin ejusmodi Beneficiorum bono magnum præjuditium afferant, rationi consentaneum est, inquit vir Theologus (p), cujus decisiones publici juris factæ sunt, ut altera manu sumendo quod percipiendi jus habent ne damnum suis successoribus afferant, & ut possessionem suam tueantur, id ipsum altera manu Parochis remittant exigendo ab illis scriptum quo profiteantur illud gratuito sibi donatum fuisse. Unde concludimus quod Cosmus potest, tuta conscientia frui justis caducariis Parochiarum quæ vacant intra Archidiaconatus sui limites, & quod non ipsemet propterea tenetur ad officium Sacerdotale ibi præstandum, sed quod sufficit ut hoc negotium mandet peragendum, si hoc potest facere, Presbytero ad peragenda munia Curialia idoneo, anteponendo tamen semper Titularem omnibus aliis, cum nempe ea officia præstare capax est.

(c) Molin. p. 7. stili Parlamenti.

(d) R. Chop. De sacra politia l. 1. t. 8. n. 28. & l. 3. t. 3. n. 5. & 11.

(e) Car. Molin. tom. 2. pag. 687.

(f) Pinson. t. de oneribus Ecclesiarum.

(g) Presbyt. 2. cent. c. 6

(h) Louet lit. D. summ. 22.

(i) Fraxinus l. 2. c. 12.

(k) Stat Aurelianentia ar. 29. Statut. Blesens. art. 51. Edict. Meldens. art. 37.

(l) Commen. Cleri to. 5. p. 1. pag. 185.

(m) Jo: XXII. in Extravagante Suscepti, ut Sede vacant. &c. l. 3 extrav. c. 3.

(n) Cosmus Guimier. in Pragm. Sanct. 1. de annatis. v. Consuetudinis.

(o) Fevr. l. de abusu l. 4. c 3. n. 20. Prosper Fagn. Jo: Cab. jur canon. & pr. l. 5. c. 4 n. 1. & ibi caput. Præsenti de offic. Judicis ord. in 6. & caput Significatum de Præbend. &c.

(p) S. Bovius to. 2. cas. 185.

CASUS II.

Gilbertus, cui concessa fuit Parochia Sancti Martini, in Diœcesi Ebriocensi, ex resigna-

gnationis Fratis ipsius, nullum ibi officium Sacerdotale præstitit per primum annum, in quo justa caducaria locum habet, quoniam omnis illius anni reditus jure pertinet ad Episcupum & ad Archidiaconum, quiqua, per consequens tenentur curare ut ibi officium Sacerdotale per quempiam præstetur. Nibilominus cum illius pactus est mediante summa 400. librarnm, quas ipsi solvendas, loco justæ caducariæ, in se suscepit, cumque sic juris Caducarii redemptor factus sit, quod ipsum locavit uni ex incolis Parœciæ pro pretio & summa 600. librarum, quas accepit ex conditionibus stipulatis in condictionis instrumento, & Parœciæ Vicario Ecclesiæ curam & officium, demandavit, dara ipsi 100. lib. mercede, ita ut postquam solvit Episcopo, Archidiacono, & Vicario quæ ipsis debeutur, centum libræ in proprium ipsis emolumentum cesserint. Qua in re rogat, an illud emolumentum sit legitimum, & an illud sibi, tuta conscientia, servare possit?

R e s p o n s.

Cerlnm est, quod Gilbertus, qui cum Episcopo & Archidiacono de reditn Curiali justæ caducariæ pactus est, tenebatur ipsemet Sacerdotale officium præstare in Parochia; quæ ipsi concessa erat; siquidem illius erat tranquillus possessor; nec debebat illius redituum redemptorem se efficere; quod nullo modo Presbyterum decet, & multo minus Parochum in propria ejus Parochia, cum sic immutet qualitatem suam Pastoris in Mercenarii qualitatem. Attamen existimamus, quod cum bona fide de illius Beneficii fructibus pactus sit, ad nullam tenetur restitutionem pro emolumento quod ipsi cessit, numeratis Episcopo, Archidiacono, & Vicario pecuniæ summis, de quibus cum ipsis convenerat; quod superest non minori jure ad ipsum, quam ad redemptorem alium pertinet. Ratio, quæ illius reddi potest, hæc est, quod nemo tenetur ad restitutionem, nisi quando contra justitiæ leges peccavit; Gilbertus autem in justitiæ leges noo peccavit. Nam licet charitas illum obligaret ad officium Sacerdotale ex se præstandum in sua Parochia, per annum justæ caducariæ, siquidem ex solo titulo suo Pater, & Medicus spiritualis Parochianorum suorum erat, jure stricto tamen ad hoc non obligabatur, cum non gauderet fructibus destinatis ad Pastoris alimentum; cumque illi fructus pertinerent ad Episcopum & ad Archidiaconum, cumque tandem illas 100. libras lucratus non sit nisi quatenus erat tantummodo redemptor, sicut quivis alius esse posset.

CASUS III.

Petrus, Parochus Sancti Eligii, in Diœcesi Sagiensi, obiit mense Februarii anni 1710. Paulo vero concessa est ejus Parochia, cujus justa caducaria, hoc est, usus fructuum primi anni ad Episcopum pertinet pro duabus tertiis partibus, & ad Archidiaconum pro altera tertia parte; verum Paulus ipse fato functus est sub finem mensis Februarii anni 1711. an Parochia Sancti Eligii illius obitu onusta est secunda justa caducaria?

R e s p o n s.

Antequam, illi difficultati respondeamus, observandum est, quod justa caducaria in ipsius origine & progressu considerata, semper babita est ut abusus, qui ad exemplum annatarum in Ecclesiam irrepsit. Quod idem docetur ab Auctore Glossæ in Pragmaticam Sanctionem (*a*): Probus (*b*) etiam affirmat quod ejusmodi jure *apud sapientes asseruntur magni abusus*: Carolus Molinæus pariter affirmat, dum mentionem facit Decreti 108. Joannis Galli, Advocati Generalis in Curia Parisiensi, quod justa caducaria est *jus abusivum & prorsus abolendum* (*c*). Et revera, licet præsumptio fructuum anni justæ caducariæ quibusdam Episcopis necessaria sit, ut eorum dignitatem, & onera ipsi adjuncta facilius sustinere possint, quia modicus est eorum reditus; & quibusdam Archidiaconis, qui nullum alium reditum habent, attamen negari non potest quin maxima incommoda per se creet. Inde fit ut Carolus Molinæus (*d*) dicere non dubitaverit, quod illa consuetudo, quæ a quibusdam laudabilis vocatur, magna mala prætexit. *Hæc laudabilis consuetudo est velamentum nequitiæ.* Hinc etiam factum, ut Decretum Curiæ Rotomagensis latum 20. Martii 1561. ad ratum faciendum Edictum Aurelianense, expresse declaret, quod præter contentum in secundo illius statuti articulo, quo annatæ supprimuntur, Rex rogabitur, ut tollat & plane aboleat justas caducarias, quæ præsumontur ex Parochiis Provinciæ Normanniæ (*e*).

(*a*) Gloss. in Prag. Sanct. tit. de annatis v. Consuetudini sub fin.
(*b*) Probus in gl. Prag. v. Deportuum.
(*c*) Car. Mol. to. 2. pag. 657.
(*d*) Idem ad gl. cap Suam 29. de Simonia &c. v. Non datur actio ad hoc.
(*e*) Addit. Claudii Blondelli in Bibl. Canon. Bouch. tom. 1. p. 436.

Hoc primum posito, inde sequitur, quod neque multiplicanda, neque nimis extendenda sit justa caducaria; nam si eadem duabus vicibus continuis admitteretur sub prætextu duplicis mutationis Titularis; Parochi recens ad beneficium possidendum admissi per multos annos privati essent fructibus illius Beneficii, nec per consequens eidem inservire possent, alimenti necessarii defectu: Episcopus, & Archidiaconus non possunt igitur, illæsa conscientia, exigere duos annos continuos justæ caducariæ, in casu proposito, licet duabus vicibus in eodem anno Titularis immutatus sit. Atque hæc est sententia glossæ in Pragmaticam (*f*) citatæ a Lodovico Bouchello in ejus Bibliotheca canonica (*g*): quod ille Jurisconsultus confirmat exemplo reditus annui hæreditatum pertinentium ad Dominum Feudi obitu ipsius vassalli, qui eas ab illo obtinebat jure Solario, vel mancipio, qui reditus pluribus vicibus non præsumitur, licet contingant variæ mutationes Feudatarii, seu vassalli, in eodem anno, prout sancitum est consuetudine Aurelianensi & variis aliis in Franciæ Regno vigentibus.

(*f*) Gloss. in Prag. Sanct. tit. de annatis. §. Item quod si Ecclesia.
(*g*) Lud. Bouchellus Bibl. can. tom. 2. p. 415. col. 2.

L A R V A.

LARVA juxta sensum hujus tituli accepta illud est quod vultum repræsentat, & quo quis vultum suum in sui dissimulationem obtegit. Larvarum usum jam a longo tempore tanquam pestem moribus perniciosissimam grassari testis est Nonius Marcellus (*h*), & Assirii omnes nunquam, teste Cæcilio (*i*), e domo sine Larvis egrediebantur.

Larva etiam appellatur serici panni altera parte viscosi particula, quæ, ne visus impediatur, perforatur, & qua Dominæ præsertim rusticantes utuntur, ne delicatulam solis ardor faciem adurat, aut infuscet. Iste larvarum usus a Regina Elizabeth Caroli IX. uxore nunquam fuit approbatus. A larvis ipsa suique Palatii Dominæ abstinuerunt.

Larva etiam in sensu figurato vulgo accipitur pro duplicatione, dissimulatione, aut hypocrisi. Sed hic juxta priorem significationem usurpatur.

(*h*) Nonius Marcell. de serm. propriet. v. Larvatus.
(*i*) Cœcilius l. 25. c. 28.

Fran-

Franciscus primo suo anni 1539. edicto (a) eorum corpora pœnis, & bona fisco addicit, qui soli, vel cum comitibus in urbibus, pagis, viis, aut silvis incedent larvati, & cuique licentiam fecit manus injiciendi in eos, qui suo placito refragarentur, & eos in potestatem Judicis tradendi (b).

(a) Art. 1.

(b) Ib. art. 4.

Henricus etiam III. an. 1579. (c) edixit ne quis larvis uteretur, & delatoribus dimidiam confiscationum contra eos, qui deinceps uterentur larvis, præceptarum partem promisit (d): & adeo districtum erat istud edictum, ut qui larvatos interficiebant, non indigerent literis, quibus delicti gratia fieret (e).

(c) Art. 198.

(d) Ib. art. 3.

(e) Ib. art. 5.

Carolus IX. larvas pariter prohibuit suo anni 1561. edicto, cui præiverat Parlamenti Parisiensis 25. April. an. 1514. Consultum, quo mercatoribus omnibus larvarum venditio interdicebatur. Jam ante 28. a scilicet mortui die an. 1508. Rothomagense Parlamentum solemni prohibuerat edicto, ne venderentur, aut emerentur non solum larvæ, sed etiam nasi ficti, aut accomodatitiæ barbæ, aliaque similia quæ ad alienam formam sibi dandam usurpari possunt. Legi potest quod unus ex nostris doctis Jurisconsultis *de larvis personis* scripsit. (f)

(f) Gregor. Tholosanus l. 39. c. 2.

CASUS PRIMUS.

Valerianus genio volens indulgere suo, & bacchanalia solemniter celebrare, adolescentulæ ovium custodis, & Lydia soror, senis, larvis assumptis, formas mentiti sunt, & hoc modo personati aliquos amicos inviserunt: an dici potest eos graviter peccasse?

Respons.

Nemini dubium esse debet, quin Valerianus & Lydia graviter peccaverint in casu proposito. Lex antiqua (g) stricte prohibebat, ne quis vestem indueret, quæ suo non convenit sexui: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea.* Et eadem lex antiqua eum qui contra facit, execratur: *Abominabilis enim est qui facit hæc.* Porro observandum est, ejusmodi prohibitionem non esse simpliciter legalem, nec consequenter abolita per Legem Evangelicam lege antiqua, antiquatam fuisse & sublatam; sed e contrario ejusmodi prohibitio habenda est tanquam præceptum morale negativum, quod non minus Christiani quam Judæi tenentur observare juxta S. Thomam (h), qui dicit, Deum per jam dictam prohibitionem non solum intendisse populum Judaicum a profano cultu quem Veneri homines muliebrem formam, & Marti mulieres virilem assumentes exhibebant, revocare, sed etiam avertere a luxuria, ad quam larvæ hæ sæpius viam patefaciunt: *Prohibitum fuit eis*, inquit S. Doctor, *ne mulier indueretur veste virili; aut e converso. Primo quidem ad vitandum Idololatriæ cultum; hujusmodi enim variis vestibus ex diversis conteatis Gentiles in cultu suorum Deorum utebantur, & etiam in cultu Martis mulieres utebantur armis virorum; in cultu autem Veneris e converso viri utebantur vestibus mulierum. Alia ratio est ad declinandam luxuriam .... quod autem mulier induatur veste virili aut e converso, incentivum est concupiscentiæ, & occasionem libidini præstat.*

(g) Deut. 22. 5.

(h) S. Th. 1. 2. q. 102. art. 6. ad 2.

Idem Sanctus Doctor expressius alibi loquitur (i) dicens intrinsece malum esse alienam sibi formam dare: *De se vitiosum est, quod mulier utatur virili veste, aut e converso.* Et rationem affert, quam jam attulerat: *Et præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ.*

(i) Idem 2. 2. q. 169. art. 2. ad 3.

S. Augustinus satis ostendit quanta execratione crimen istud prosequeretur cum dicit (k) " Credo jure infames, intestabilesque haberi qui
" muliebri habitu se ostentant; quo nescio u-
" trum falsas mulieres, an falsos viros melius
" vocem, veros tamen histriones, verosque infa-
" mes sine dubitatione possumus vocare; aut si
" latent, nec infame quidpiam, nisi a turpi fa-
" ma nominatur, veros nequam non sine verita-
" te dicimus, ut opinor.

(k) S. Aug. l. 2. soliloq. c. 16. seu num. 30.

Hæc decisio congruit cum doctrina Apostoli qui præcipit (l) ut quisque, prout sexuum decet diversitatem, sese componat exterius, dicitque contrarium facere, esse turpissimum. Addamus ludos prohibitos, tripudia, nocturnas choreas, & licentiam fere semper certo dimanare ex perverso larvarum usu, qui fit inde multo detestabilior.

(l) Ad Cor. 11. 5. 6.

CASUS II.

Claudius rustici, & Joanna matronæ nobilis speciem induti, ambo Eduardo famulantes suos amicos, ut Helariorum tempore fieri solet, invisunt. Eduardus non modo non hoc moleste fert, & impedit, quamvis sciat & videat, sed etiam inde sibi sumit oblectamentum. An propter hoc est alicujus peccati reus, quamvis vestibus a suo sexu alienis Claudius & Joanna non usi fuerint?

Respons.

Eduardus a peccato immunis esse non potest: quamvis enim Claudius & Joanna non aliena a suo sexu vestimenta induerint, aliena tamen a statu induerunt. Cum sint itaque larvati, tam possumus eos vocare *veros ... histriones verosque infames*, quam eos qui alienis vestibus utuntur, & de quibus loquitu S. Augustinus, cujus verba in præcedentis casus decisione citavimus; similes enim vestium mutationes facile inducunt ad verba, quæ audire aures castæ refugiunt, & ad facta, quibus christiana læditur honestas; præsertim bacchanalium diabolica adinventione institutorum tempore, quo scilicet male instituti & educati adolescentes, & præcipue famuli & famulæ, utpote qui longe minori sæpissime disciplina fuerint exercitati, liberiori vivendi licentia, intemperantiæ, flagitiosisque voluptatibus habenas permittunt. Cum igitur Eduardus habeat in Claudium & Joannam potestatem, & eorum agendi rationi invigilare, & consulere teneatur, juxta hæc Apostoli (m) verba: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*; dubitari non potest, quin eorum peccati particeps sit, quia cum eorum peccatum facile impedire possit, non impedit; contra vero significata delectatione ipsis patrocinatur, & sic se ad pœnas pro scelere, quod patrant Claudius & Joanna, dandas divinæ justitiæ obligat (n).

(m) 1. ad Tim. 5. 8.

(n) Samb. to. 2. cas. 92.

CASUS III.

Ædipus larvis, quas facit similes iis, quæ genialibus diebus assumuntur, victum quæritat, quamobrem Cæsar Confessarius graviter ipsum objurgavit, ipsumque ad deferendam hujusmodi artem adigere voluit; sed Ædipus obedire recusavit propter tres rationes. 1. Quia ars ista Legibus Civilibus non est prohibita, imo permitti-

tur,

tur, 2. Quia nullatenus intendit assentiri crimini eorum, qui per vias & plateas larvati incedunt, aut choreas frequentant. 3. Quia nullam aliam doctus est artem, nec habet ulla bona, quibus se uxorem suam & liberos sustentet? sed Confessarius his rationibus nil motus Ædipum denegato absolutionis beneficio dimisit. Nonne Cæsar paulo severior fuit?

R e s p o n s.

Severior non fuit Cæsar in proposito casu; nulla enim valida ratio prætendi potest, quæ obligationem se ab arte, quæ aut per se mala est, aut plerumque proximo graviter peccandi ansam præbet, abducendi tollat; atqui negari non potest, artem quam profiterur Ædipus, non esse per se malam; ergo ut absolutione dignus sit, eam deserere tenetur. Et vero nisi teneretur, dici posset sculptorem Christianum, qui apud Mogoles, aut apud Cinas viveret, sine peccato idola sculpturum esse aut vendirurum. Quod Patres Ecclesiæ unanimi voce damnant, non auditis rationibus, quas qui idola fabricant aut vendunt, allegant, quasque iisdem, quibus suas Ædipus, coloribus obliniunt: *Plane impensius*, inquit Tertullianus (*a*), *respondebimus ad excusationes hujusmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet. Si quis eam disciplinam norit*. Nullam aliam profiteor artem, inquit hujuscemodi artifex, quæ ad victum necessaria suppeditet: sed respondet Tertullianus: *Jam illa objici solita ista vox: Non habeo quo vivam, districtius repercuti potest: Vivere ergo habes. Quid tibi cum Deo est, si tuis legibus?* Instat artifex, nonne dicit Apostolus, unumquemque in statu, ad quem vocatus est, permanere debere? *Quod & de scripturis audent argumentari, dixisse Apostolum, ut quisquis fuerit inventus, ita & perseveret.*

(*a*) Lib. de Idolat. c. 5.

Sed Tertullianus regerit: *Possumus ergo omnes in peccatis perseverare ex ista interpretatione; nec enim quisquam nostrum non peccator inventus est; cum Christus non alia ex causa descenderit, quam peccatorum liberandorum*. Sed pergit Ædipus, nonne Apostolus verbo probat & exemplo, omnes suis manibus debere operari? *Item eundem* (Apostolum) *præcepisse dicunt, secundum suum exemplum, ut manibus unusquisque operetur ad victum. Si hoc præceptum ab omnibus, manibus defendatur, credo & fures balnearios vivere, & ipsos latrones manibus agere quo vivunt. Item falsarios atique non pedibus, sed manibus operari malas literas, histriones vero non manibus solis, sed membris totis victum elaborare*. Ita sane facile se excusare poterunt isti omnes peccatores, & sic omnibus Ecclesiæ janua pateret, si artium, quas permittit & quas prohibet, nulla est exceptio: *Patent ergo Ecclesia omnibus qui manibus & suo opere tolerantur, si nulla est exceptio artium, quas Dei disciplina non recipit*. Quamvis ergo dicat Ædipus, se non intendere consentire peccato eorum, qui larvis utuntur, excusari nequaquam potest; nam revera reus est, & gravius peccat iis, qui larvis vultum obtegunt; cum si nulli essent larvarum opifices aut venditores, non tot larvati in viis choreisque viderentur, quot maximo cum virorum proborum scandalo videntur, & si eorum peccato reipsa renunciarent, ipsis peccandi ansam non præberent. Idem igitur de illo dicendum est, quod de idolorum fabricatore. Quamvis enim se expresse idololatriæ non consentire dictitet; certum tamen est, eum idololatriæ formaliter consentire, cum idola non sculpat, aut vendat, nisi iis, quos ad cultum idolorum proclives esse scit, cumque iisdem idolis suam industriam immolet, laboresque suos libet: *Quidquid idololatra committit, in artificem quemcumque & cujuscumque idoli, deputetur necesse est*, inquit Tertullianus (*b*), *quomodo enim renunciavimus Diabolo & Angelis ejus, si eos facimus, quod repudium diximus his: non dico cum quibus: sed de quibus vivimus?* Frustra ergo idolorum fabricatores lingua negant, quod manu confitentur. *Potes lingua negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere quod facto struis; unum Deum prædicare, qui tantos efficit, unum Deum prædicare qui falsos facit: facio, ait quidam; sed non colo ..... imo tu colis, qui facis ut coli possint ..... illis ingenium tuum immolas; illis sudorem tuum libas*. Hæc sufficiunt ad refutandam secundam rationem, quam affert Ædipus. Primam Ædipi rationem missam facimus, quia eam flocci facimus, nec responsione dignam judicamus. Legea Civiles non prohibent omnia mala, quæ Civium mores corrumpunt, sed multa tolerant prudenter, ne majora consequantur. Ad tertiam igitur Ædipi rationem transeamus. Non possum, inquit, arti meæ valedicere, quia uxorem & liberos habeo, quibus nutriendis omnino impar essem absque meæ artis subsidio. Tertullianus idolorum fabricatorem iisdem verbis se excusantem inducit, cui respondet. 1. Ipsum, si forte evadet pauper, inter eos, quos Christus beatos vocat, annumeratum iri, 2 Christianum non debere esse de victu, aut vestitu sollicitum, & Deum omnibus ea quæ absolute ad vitam necessaria sunt, providere. *Nunc habes dictu Domini, exempla adimentia tibi omnem causationem. Quid enim dicis? Egebo? Sed felices egenos Dominus appellat. Victum non habeo? Sed nolite, inquit, cogitare de victu, & vestitus habemus exemplum, lilia .... sed filiis & posteritati providendum. Nemo aratro manum imponens & retro spectans aptus est* (Regno Dei) .... *nemo duobus Dominis servire potest. Si vis Domini discipulus esse; crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est ..... parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt .... fides famem non timet. Scit etiam famem non minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum?*

(*b*) Tert loco cit. c. 4.

Eodem modo loquitur S. Augustinus (*c*) quo Tertullianus, dicitque neminem aliter sentire posse, nisi forsitan fures, fæneratores, infames homines, qui sua præstant obsequia iis qui Virgines stuprare volunt, maleficos, cæterosque qui pessimas artes profitentur, a peccato excusare velit: nam, ut impune sibi victum quærant; dicentes se, non habere unde victitent; quasi vero, addit idem S. Doctor, non essent puniendi, quia iniquam, unde viverent, elegerunt artem, quam profiteri non possunt, illæso eo, a quo omnes pascuntur. " Audent etiam fæneratores dicere:
„ non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi &
„ latro diceret, deprehensus in faoce: hoc &
„ effractor diceret, deprehensus circa parietem
„ alienum. Hoc mihi & leno diceret, emens
„ puellas ad prostitutionem. Hoc & maleficus
„ incantans mala, & vendens nequitiam suam.
„ Quidquid tale prohibere conaremur, respon-
„ derent omnes, quia non haberent unde vive-
„ rent .... quasi non hoc ipsum in illis maxime
„ puniendum est, quia artem nequitiæ delege-
„ runt unde vitam transigant, & inde se volunt
„ pascere, unde offendant eum, a quo omnes
„ pascuntur ".

(*c*) S. Aug. in Psalm. 18. n. 6.

L A U-

LAUDEMIA & VENDITIONES.

ID quod vocatur, verbis in Foro usitatis, LAUDEMIA ET VENDITIONES, est vectigal Domino Villano debitum, si contigerit, ut fundus, qui est in ejus Dominio, vendatur: quod congruit sententiæ Loiseau, qui dicit, vocari hoc jus, perinde ac si diceretur *Laudemia in venditionibus*; quia est laudemium, vel pars, quam Dominus retinet de pretio, quo fundus veniit: quæ causa est, cur quædam Consuetudines, ut Consuetudo Stamparum (*a*), dicant, laudemia & venditiones unum idemque jus esse. Hoc etiam fatetur Du Moulin, quamvis quoddam discrimen inter utrumque admittat. Et quidem, dantur quædam Consuetudines, quæ in his aliquam distinctionem admittunt, quæ volunt, ut laudemia a venditore, venditiones vero ab emptore solvantur.

(*a*) Art. 11.

Quibusdam in Consuetudinibus aliter nominantur *Laudemia & Venditiones*. Consuetudo Parisiensis (*b*) illa vocat *Honores*; Consuetudo Bituricensis (*c*) *Pacta*: & Consuetudo Carnutensis (*d*): *Manicas & Venditiones*. Chopin idem asserit; quia, inquit, summa Domino solvenda, ubique eadem non est, & quia aliquando hæc de re pro sententia peritorum virorum pacta fiunt.

(*b*) Art. 23. (*c*) Art. 1. (*d*) Art. 47. & 50.

Vectigal laudemiorum & venditionum diverse solvitur, pro variis Consuetudinibus. Consuetudo Parisiensis illud coercuit ad duodecimam partem pretii rei venditæ; hoc est, ad unum denarium e duodecim denariis, & ad viginti denarios vel sexdecim denarios *Parisiis* pro singula libra. Vectigalia venditionum, inquit hæc Consuetudo (*e*), Domino Villano debita, sunt ex duodecim denariis unus denarius, id est pro unaquaque libra sexdecim denarii *parisiis*. Alteræ Consuetudines illud coercuerunt, aliæ ad sextam, aliæ ad octavam, & aliæ ad vigesimam partem.

(*e*) Art. 76.

Hoc vectigal quoad summam unice componendum est ad Pactum & pro ratione pretii rei venditæ: & quemadmodum, secundum Consuetudinem Parisiensem, Domino debetur *vi Consuetudinis*; neque operiri Decreto, neque ejus damno usu capi potest; quamvis illud non poposcerit, & etiamsi de eo in suo censuum Contractu diserta non fiat mentio; quod tamen usu non venit in multis aliis Consuetudinibus, quæ hoc vectigal Domino non tribuunt, nisi Contractus illud disertis verbis exprimat.

Quandoque duplicia laudemia debentur, altera fundi Domino: modo jus & possessionem simul habeat, nec aliter: altera Domino Villano & Directo. Brodeau (*f*) refert quinque Decreta supremi Senatus Parisiensis in gratiam ejusmodi fundi Domini reddita: sed eum hoc vectigal sit extraordinarium, operitur Decreto, cui non obstitit.

(*f*) Brodeau v. Laudemia & Venditiones n. 9.

Laudemia & venditiones occultare non licet, & Pactum venditionis Domino ex formula significandum est intra viginti dies immunes mulctæ pœna: *Propter venditiones occultatas nec Domino Villano significatas intra viginti dies ab acquisitione, debetur nummus & nummi quadrans mulctæ Domino Villano*, ait Consuetudo Parisiensis (*g*): quod tamen æquum est intelligere de casu, in quo significatio fieri potuit Domino; nec obstaculo fuit nimia distantia loci quem incolit, vel in quo ejus prædium juris Clientelaris versatur. Aliæ Consuetudines, ut Consuetudo Dardani (*h*) & Consuetudo Aurelianensis (*i*), pro voce *significare* dicunt *preces adhibere*.

(*g*) Art. 77. (*h*) Art. 66. (*i*) Art. 108.

Hæc significatio nullo alio modo fieri potest, quam per exhibitionem pacti coram Tabellionibus initi: & cum sit tantum tempore definito in pœnam mulctæ incurritur *ipso jure*; hoc est, antequam Judex mulctam commissam declaraverit, quia suspicatur emptorem acquisitionem occultare & vectigal Domino debitum fraudare voluisse. Attamen si Dominus suum vectigal laudemiorum & venditionum accepisset, nec mulctam sibi debitam irrogasset, vel in apocha data eam sibi reservasset; illam exigere non posset nequidem simulando, si ignorasset viginti dies esse elapsos, quandoquidem id sola pacti lectione scire potuit.

Hæc regula viget etiam adversus pupillos, salvo actionis subsidiariæ jure contra suos tutores: Sed mulcta simpliciter non committitur eo quod soluta non fuerit: nam Domini est æris debiti solutionem urgere.

Hæc eadem regula similiter locum habet in casibus permutationis : quia in illis eadem vectigalia, ac in venditionibus, Dominis tribuuntur, secundum Edictum 1673. & Declarationem 1674.

Observandum est ; dari quasdam Consuetudines quæ tempus longius , & alias quæ tempus brevius concedunt ad pactum acquisitionis significandum , ideoque hac in materia Regionis Consuetudini hærendum est.

Ceterum, cum mulcta sit individua, committitur etiam parte tantum acquisitionis occultata . Unde sequitur , quod si per conniventiam inter venditorem & emptorem, & verum ejus pretium significatum non fuerit, & si Dominus probare possit, hoc pretium minus esse eo, quod pactum exhibet ; mulcta tota ipsi debetur, quicquid dicat Brodeau (*a*), in pœnam fraudis ipsi factæ, & quia mulcta hac in materia sancita fuit a Consuetudine, quæ est Jus publicum. non est in potestate Judicis illam moderare , cum e contra omnes alias mulctas temperare possit; hoc docet D. de Ferriere (*b*) in Articulum 77. Consuetudinis Parisiensis, post Troncon , Labbe, & Ricard, qui laudant Decretum Supremi Senatus Parisiensis mensis Aprilis 1606 a quo res sic fuit declarata. Quapropter sententia contraria, quam tuetur Pontanus in Consuetudinem Blesensem (*c*) admitti nequit.

(*a*) Brodeau n. 20.

(*b*) Ferrer. in a. 77. Consue. Parif. n. 25.

(*c*) Pontan. a. 118

(*d*) N. 19.

Brodeau observat (*d*) , cum sunt duo vel plures emptores , sufficere pro omnibus, ut unus ex illis pactum pro ipso significaverit, quando rem indivise possidet : quia hoc in casu unica est acquisitio, quæ causa est, ut si omnes pactum significare prætermitterent ; etiam contra illos omnes sola & unica mulcta locum haberet.

Emptore mulcta semel commissa & ea non soluta , mortuo, ab ejus hæredibus debetur, & si hic emptor moreretur quindecim diebus post pactum conscriptum, nec illud Domino significasset, ejus hæredibus in Consuetudine Parisiensi quinque dies tantum superessent ut illud Domino significarent , & sic servata proportione in aliis Consuetudinibus, in quibus datur tempus longius, vel brevius, quo neglecto mulctam committerent, secundum sententiam D. de Ferriere (*e*); quia , inquit , hæres *fictione juris* unus idemque homo cum defuncto habetur , sicut ferunt Leges (*f*): *Computatur* (hæres) *quasi una persona cum ipso* defuncto, ait S. Thomas (*g*): Et hanc ob causam Lex dicit, vitium possessionis cadere in hæredem ejus, qui illud commisit . *vitia possessionum , a majoribus contracta , perdurant ; & successorem auctoris sui culpa comitatur* (*h*).

(*e*) Loco c. n. 47.

(*f*) L. Hæres 91. ff. de usurpat. & usucapionibus lib. 41. tit. 3.

(*g*) S. Thom. q. 2. q. 62. a. 5. ad 3.

(*h*) L. Vitia. 1. cod. de acquirenda & retinen. possess. l. 3. tit. 32.

Non debentur laudemia & venditiones pro fundo adjudicato per licitationem inter hæredes variarum linearum factam : quia talis licitatio hoc in casu inter ipsos partitionis locum tenet; sed si unus ex istis hæredibus de suo jure cessisset alteri , qui non esset hæres, & si res ipsi adjudicaretur per licitationem, laudemia & venditiones solvere teneretur , tunc enim non amplius est id quod Jurisconsulti vocant *judicium familiæ ercifcundæ , sed communi dividundo*.

Neque etiam debentur pro locatione pure emphyteutica , cum assumptor nullam impedit pecuniam: sed debentur. 1. Si postea vendat fundum qui ipsi sub titulo emphyteusis datus fuerat. 2. Si summam pecuniæ pro hac locatione dederit. 3. Quamvis locatio pro decem annis tantum fieret ; quia , secundum nostram Jurisprudentiam, omnis locatio, quæ ultra novem annos progreditur alienationem secum trahere existimatur . 4. Hoc vectigal debetur pro omnibus actibus qui venditioni æquipollent.

Judicium de innumeris difficultatibus , quæ ad hanc materiam attinent, nobis hic non assumemus . Pertinent enim unice ad Jurisconsultos , qui fusius de iis disseruerunt . Inter alia consuli possunt ea quæ his de rebus scripsit D. de Ferriere in suo Commentario in Articulum 23. Consuetudinis Parisiensis, & in 76. undecimque sequentes, in quo dici potest, ipsius diligentiæ nihil excidisse: Sed ejus simplex analysis, quam proponere possemus, longius nos deduceret , nec etiam Lectoribus utilitatem afferret æque momentosam , ac illam capere possent , propter magnam varietatem hujusce Regni Consuetudinum, quæ sæpius dispositiones contrarias continent.

CA-

CASUS PRIMUS.

Fortunatianus, Civis Parisiensis, emit domum per pactum a tribus mensibus factum absque ulla fraude nec simulatione. Daniel qui est ejus Dominus clientelaris, & cui hoc nomine laudemia & venditiones debentur hac de venditione non edoctus, laudemiorum solutionem non exegit.

Fortunatianus tenetur illa sincere ipsi solvere, antequam Daniel ea ab ipso petierit?

Ad ea solvenda teneri videtur, quandoquidem vectigalia laudemiorum & venditionum Domino debentur a die, qua celebratum fuit Pactum.

E contra dici potest ad ea solvenda non teneri, quia titulum contra seipsum producere non tenetur. Quid juris?

R E S P O N S.

Jam alibi dicimus laudemia & venditiones certo acquisita esse Domino a momento, quo pactum venditionis in formulis præscriptis consummatum fuit, hoc est, statim atque pacto nomen contrahentium & Tabellionum propria manu adscriptum fuit; Ita ut, quamvis Dominus illa non exigat, sive per negligentiam, sive quia ignorat pactum: Emptor (in Consuetudine Parisiensi, vel Venditor in Consuetudine Normanniæ) ingenue & jure illa ipsi solvere teneatur, & hanc ob causam multæ Consuetudines ferunt, Clientem tabulas bonorum suorum Domino repræsentare debere. Consuetudo Normanniæ, inter omnes alias maxime favorabilis, vult (*a*), ut Cliens in loco pignerationis, Domini compareat, ibique ipse, vel per procuratorem, declaret, an quædam hæredia emerit aut vendiderit; quo pretio; coram quonam Libellione vel Tabellione pactio facta fuerit, & quocum ita contraxerit: Consuetudo Cenomaniæ (*b*), severior, Clienti tantum concedit octo dies dilationis numerandos a die in pacto conscripta, & vult, ut mulctetur mulcta arbitraria, quam in articulo sequenti ad tres libras determinat, si annus prætereat antequam pactum suum Domino ostendat. Consuetudo Borboni agri præcedentibus adhuc durior est (*c*): nam fert, quod, si Cliens pactum suum intra quadraginta dies non denuntiet, licitum esse Domino duplum suorum laudemiorum & venditionum exigere. Sunt etiam Regiones Galliæ confines, in quibus hac de re dantur Leges adhuc inexorabiles. In Anglia enim & Scotia, cum Cliens prædium suum beneficiarium in integrum absque approbatione Domini abalienavit; hoc prædium jure fisco addicitur in commodum Domini: & etiamsi Cliens de eo in gratiam hæredis sui præsumtivi testamento statueret, Dominus illud retrahere potest, si velit. Thomas Crugius hoc notat.

(*a*) Consuet. Norm. ar. 185.

(*b*) Consuet. Cenomaniæ art. 370.

(*c*) Consuet. Borbonii agri §. 396.

Statuimus igitur, Fortunatianum ingenue teneri, ad solvendum Danieli vectigal laudemiorum & venditionum quod ipsi debetur, non expectando ut ejus solutio ab ipso petatur. Ratio quæ affertur in ejus gratiam nihil probat: intelligi enim nequit, nisi cum evenit, ut utrinque detur dubium recte positum, sed non cum agitur de vectigali non dubio & quod debitor in litem vocare non potest: Alias ordo justitiæ inverteretur, & plerique eorum, qui bonum alienum detinent, non amplius tenerentur ad illud restituendum ad quos pertinet.

CASUS II.

Hermogene, cum prædium Clientelis & ditione illustre a Simone emisset, pro eo ipsi 20000 libr. numeravit: Sed quia timebat, ne Ferdinandus Clientelaris Dominus, illud pro eodem pretio retrahere vellet, aut aliquis e Simonis consanguineis jure redhibitionis gentilitiæ uteretur, communi consensu cum ejus venditore pactum permutationis simulavit, ne in alterutrum horum incommodorum incideret. Teneturne ad quidquam Ferdinando, vel consanguineo, qui jure redhibitionis gentilitiæ, uti posset, restituendum?

R E S P O N S.

Ut ad difficultatem quæ proponitur respondeamus, dicendum respectu juris retrahendi, quod Dominus Clientelaris habet, Hermogenem vel bona, vel mala fide egisse. Si ex æquo & bono egerit, hanc permutationem faciendo, & plene persuasum habuerit hujuscemodi permutationes licitas esse, ad quidquam restituendum cogi non debet. Si mala fide egerit, & hanc permutationem simulatam illicitam esse noverit: utque enim ad quidpiam Domino Clientelari restituendum cogi debet. Ratio est; quod secundum Jurisprudentiam generatim in Gallia admissam, Dominus Villanus, vel Clientelaris, jure suo retentionis uti nequit, nisi cum contingit ut eadem gentis stirpe natus suo jure retractionis non utatur, & quod etiam eadem gentis stirpe natus jus habet a Domino, qui suo jure jam usus esset, ratrahendi. Unde sequitur, quandoquidem eadem gentis stirpe natus, cum venditio contigerit, jus suum Domino posthabito exercere potest, absolute dici non posse, quod, qui simulatas permutationes faciunt, Dominum legitimo jure retentionis fraudent, cujus damnum ipsi compensandum sit; cum certum non sit illum suo jure uti potuisse, vel voluisse.

Similiter fere ratiocinari etiam possumus de eadem gentis stirpe natis, qui simulata permutatione suo jure retractionis fraudantur. Constat enim 1. Dici non posse, illum qui hanc permutationem fecit damnum compensare debere omnibus; quamvis omnes jus retrahendi habeant. 2. Neque etiam illum debere compensare damnum iis omnibus qui jure suo uti vellent. Nam certum est, unum tantum, vel ad summum quosdam, inter omnes, secundum varias Consuetudines, si inter ipsos contendatur, ad utendum isto jure aliis posthabitis admitti posse: quandoquidem, secundum quasdam Consuetudines, ut Pictaviensem, proximus eadem gentis stirpe natus aliis præfertur, quamvis non sit celerrimus, & quandoquidem cum talis proximitas, vel celeritas contingit jure suo æquali portione utuntur; cui non congruit Consuetudo Parisiensis, quæ vult, ut qui maxima celeritate in retrahendo usus fuerit aliis præferatur, quamvis consanguineus sit in gradu remotiori quam alii.

Inde statuendum est, nullam damni compensationem deberi iis, qui fundum venditum retrahere nolunt. Neque etiam compensationem deberi illis, qui cum retrahere vellent, jus non haberent, quo aliis anteponerentur. 3. Ergo summo jure deberi tantum iis, qui suo jure retractionis uti vellent, & ad quos priores partes pertinerent. Valde dubium est antem, quod aliquis e genere proposito hoc in casu fuerit, cum voluntas hominis tantopere mutationi obnoxia sit. Ergo Hermogenes ad ullam damni compensationem determinatam cogi non debet hac in occasione; cum revera dubium sit, an ullus ex eadem cum Simone gentis stirpe natis suo jure uti voluerit, & etiam volens jus haberet, qui aliis anteponeretur. Adde, quod jus retractionis odio veniat; & sæpius etiam damnosum sit iis qui eo utuntur. Sat Igitur erit hunc virum monere de peccato quod commisit, si contra bonam fidem egerit, eumque adhortari, ut ejus pœnitentiam agat. Hæc decisio doctum Theologum auctorem habet; (*d*).

(*d*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 152.

CASUS III.

Dunamius prædium quod habebat cum alio, quod ad Henricum pertinebat, permutavit. An laudemia & venditiones hoc in casu Domino debentur?

R E S P O N S.

Cum duo hæredia ab eodem prædio beneficiario pendebant, laudemia & venditiones Domino olim non debentur; quia ut ait Bouchel (*e*), quæ fit ejus permutatio, producit tantum mutationem imperfectam, quia ista hæredia ab iis-

(*e*) Bouchel Bibliot. Jur. Francicæ.

dem Clientibus ejusdem Domini semper possideutur. Talis est dispositio multarum consuetudinum Provinciarum Galliæ, quales sunt consuetudines Aurelianensis, Turonensis, Blesensis, Carnuri, Calvomontii, Montargii, Julioduni, aliæque.

Verum hodie pacta permutationis obnoxia sunt laudemiis & venditionibus, secundum usum in Regno generatim receptum, constitutum per Declarationem mensis Februarii 1674. in tabulas publicas Rationum Regiarum Curiæ relatam, qua Rex eadem tributa pro permutationibus ac consuetudines pro venditionibus constituerant, sibi tribuit: Talia sunt ejus verba: „ Dicimus statuimus & edicto sancimus, volumus & nobis placet, ut eadem Domini vectigalia, quæ constituuntur & præscribuntur a consuetudinibus locorum pro mutationibus, quæ fiunt per Pacta venditionis, deinceps pecunia pendantur in omnibus mutationibus per Pacta permutationis hærediorum, jurium, aliarumque rerum non moventium, quæ a nobis, vel Dominis Clientelatibus & Villanis per totum Regni nostri spatium, habentur, ut & per omnes Regiones & Ditiones nostri Imperii, sive permutationes fiant hærediorum cum hærediis, vel hærediorum cum juribus, annuis vectigalibus, & obligationibus cujuscumque generis esse possint, absque ullo discrimine neglectis omnibus consuetudinibus & usibus huic contrariis, quibus hoc respectu expressim derogavimus & derogamus, quæ vectigalia solventur pro Pactis, in quibus erunt tantum annuæ pensiones pecuniariæ, in permutationem concessæ pro ratione præcipuarum illarum annuarum pensionum, & quod attinet ad alia Pacta, in quibus utrinque erunt hæredia, jura, vel obligationes, præscribentur pro ratione æstimationis, quæ de iis fiet a Judicibus locorum secundum sententiam virorum expertorum, de quibus Partes, quarum interest, convenient, sin minus qui ab iis ex præfectura nominabuntur, &c.

Tale est novum jus, cui etiam in foro interiori, non submittere tenemur; quandoquidem nititur Lege induta omnibus formulis necessariis ad ejus validitatem, nec ulla est Lex Ecclesiastica, quæ illi adversetur.

CASUS IV.

Aristomachus fundum ab Alexandro emere volens, ipsi in permutationem dat annua vectigalia pro ratione ejus fundi, Alexander, qui annuis vectigalibus non eget, sed pecunia numerata, illa tantum accipit, ut eludat solutionem venditionum & laudemiorum Domino debitorum, sicut ad id tenetur secundum consuetudinem Normanniæ, in qua habitat & ejus fundus stat, & quia fidum habet hominem, qui ipsi pecuniam præbet pro pretio prædiorum suorum. Qua de causa petitur, an hoc in casu Alexander laudemia & venditiones Domino restituere non teneatur?

RESPONS.

Respondemus, Alexandrum teneri ad restituendum id, quod Domino debetur pro ejus jure laudemiorum & venditionum. Ratio est, quod Rex, suo Edicto 20. Martii 1673. renovando Edicta mensis Maii 1645. & mensis Julii 1655. præscripserit solvere deinceps laudemia & venditiones, quintos nummos & quintas partes ex fundi beneficiarii venditi pretio, aliaque mutationis vectigalia per Consuetudines constituta, etiam cum acquisitiones fiunt per commutationes, tam prædiorum clientelis & ditione illustrium, fundorum & domorum, quam aliorum bonorum non moventium, cum annuis vectigalibus pecuniæ pretio, eodem modo, quo debentur pro venditionibus factis pro præsenti pecunia, & si excipias, cum permutatio fit hæredii cum hæredio.

CASUS V.

Vilmerus, Argentanum incolens, cum promisisset dare Valeriæ suæ filiæ decem millia nummorum pro dote; Gilbertus illam uxorem duxit, actu hanc summam non recipiendo, & sat habuit, ut inscriberetur in matrimonii Pacto, ejusque fenus quotannis percipere. Triennio post Vilmerus dat Gilberto prædium æquivalens cum summa præcipua, ut nihil amplius ei debeat pro dote, quam ipsi promiserat. Qua de causa Bernardus Judex Supremus postulat, ut sibi laudemia & venditiones solvantur, propter mutationem Domini. An jus habet illa exigendi?

RESPONS.

Laudemia & venditiones Domino non debentur hoc in casu, aliisque similibus, in quibus ejusmodi Pacta non considerantur ut veræ venditiones, sed solum ut compositiones & pacis conditiones familiæ, in quas ingredi Dominus jus non habet. Hæc est Jurisprudentia Decretorum Supremi Senatus Normanniæ, ut id testantur Godefroi & Berault in articulum 171. consuetudinis illius Provinciæ, qui quatuor varia Decreta referunt, congruenter reddita a Supremo Senatu Rhotomagensi. Basnage idem docet; & ratio, quam post d'Argentre reddit, est, quod constitutio dotis, a Patre filiæ suæ facta, proprie loquendo sit tantum antecessio portionis hæreditariæ, quam sperat ex bonis Patris sui. Unde Auctor ille concludit, quod, quemadmodum filius Patris sui hæres nulla laudemia nec venditiones Domino debet, quamvis duret mutatio Domini, ipsi etiam non debentur pro dote a Patre constituta. Secundum idem principium, Supremus Senatus Parisiensis, Edicto suo 7. Januarii 1613. judicavit quod, cum pater resumit hæredium, quod filiæ suæ pro dote concesserat, & cum illi suæ dotis pretium dat numerandam pecuniam, nihil pariter Domino debetur propter hanc cessionem. Hæc est etiam sententia D. Ferriere (a).

Consequenter isti eidem principio, cum Pater in antecessum successionem suam liberis suis tradit, ea lege ut ejus debita solvant, Dominus laudemia & venditiones exigere non potest, sicut judicatum fuit Decreto Supremi Senatus Normanniæ 18. Decemb. 1626. ubi agebatur de Patruo qui facultates suas fratris filio hæredi suo præsumptivo concesserat, ea lege ut ejus debita solveret, & alio Decreto ejusdem Supremi Senatus 8. Januarii 1627. quæ ambo referuntur a Berault & Basnage in articulum 171. Consuetudinis illius Provinciæ.

Pari modo res se habet, cum pater qui quamdam summam liberis suis debet, ipsis prædium cedit; ut illam solvat, sicut statutum fuit ab eodem Senatu Supremo 8 Julii 1683. Hoc Decretum etiam refertur a Basnage (b).

Denique perinde est, etsi successio defuncti inter plures cohæredes dividatur, quamvis nisi ex illis quædam pecuniæ summa detur, ut ejus pars aliorum portionem æquiparet. Sic Decretum fuit per articulum 26. Præscriptionis factæ an. 1666. occasione Consuetudinis Normanniæ, & judicatum a Supremo Senatu Rhotomagensi die 19. Martii 1677. & 29. Januarii 1683.

CASUS VI.

Eulogius & Michael, Cadomi sedem habentes, & cum litigarent propter hæredii proprietatem, pactionem fecerunt, qua unus ex illis hæredii possessionem conservare debet, modo ab alio summa 600. librarum solvatur. Hac de re quæritur, an hoc in casu Dominus laudemia & venditiones, vel decimam tertiam partem hujus summæ, exigere possit?

RESPONS.

Distinguendum est. Nam, aut Eulogius in hæredii potestate non erat, nec in eam venit nisi sol-

(a) D. de Ferriere, Tract. de Feud. ca. 2. sect. 3. art. 2. n. 47.

(b) Basnage in consuetudinem Normanniæ art. [illegible]

solvendo illas 600. libras Michaeli, qui illud ut emptor possidebat; aut jam in ejus possessione erat nec Michaeli 600. libras dedit, nisi ut illam conservaret. Si in ejus possessione non fuerit, & ut emptor dederit Michaeli hanc summam quasi pretii supplementum & ut se a litteris rescissionis a Michaele impetratis tutaretur; decima tertia pars hujus supplementi Domino debetur, sicut Berault id probat in articulum 171. Consuetudinis Normanniæ (a) Decreto Supremi Senatus Rhotomagensis 21. Junii 1579. & multis aliis, quæ refert. Sed si econtra Eulogius jam in possessione hujus hæredii erat, & si in pactione dictum fuerit, ipsum illam possessionrm conservaturum dando 600. libras Michaeli; statuendum est, quod, hæredio Dominum non mutante, Eulogius has 600. libras non dedit ut illud a Michaele emeret, sed tantum ut se redimeret a lite injusta, quam iste illi intendit; ideoque, quandoquidem nulla fit mutatio, Dominus nullum jus habet laudemia & venditiones exigendi, ut id docet Bouvot (b), qui refert Decretum redditum a Supremo Senatu Burgundiæ die 17. Februarii 1605. qui de re sic judicavit. Quod si possessor talis hæredii illud per Contractum in formula pactionis concedat illi, qui de eo cum ipso litigat, modo solvatur pretium de quo consenserunt, tunc statuendum est, hoc Pactum includere veram venditionem quæ Domini mutationem reipsa existentem producit, & quæ ideo jus confert Domino decimam tertiam partem exigendi, nisi certum sit possessorem illud hæredium usurpasse; ejusque partem adversam ipsi tantum pecuniam numeravisse, ut bona propria sibi vindicaret, atque ab iniqua vexatione se redimeret.

(a) Berault in conf. Norman. art. 171.

(b) Bouvot, qq. not. to 2. v. Laud. &c.

CASUS VII.

Ursinus, Dominus Judex supremus Parœciæ S. Fidei secundum suum Martiali locavit ad sex annos. Biennio post Pactum factum suo jure retractionis fiduciariæ usus erga duos aut tres privatos homines, qui domum & hæredia in Feudi sui spatio inclusa emerant. Villicus contendit debere sibi reddi rationem laudemiorum & venditionum, quę debentur propter venditionem factam. Ursinus econtra contendit quod; cum jure suo in Clientes usus fuerit, sicque eos a laudemiis & venditionibus liberaverit, nihil Martiali debetur. Nonne pro Ursino pugnat ratio?

Respons.

Dominus hic Villico suo rationem laudemiorum & venditionum, de quibus agitur, reddere tenetur. Ratio est, quod jura laudemiorum & venditionum sint *in fructu*. Omnes autem fundi locati fructus ad Villicum pertinent; neque iis absque manifesta injustitia fraudari potest. Ursinus igitur Martiali pretium horum laudemiorum & venditionum a pretio ejus locationis deducere debet.

Inutile foret dicere, quod, cum Ursinus hæc prędia titulo Clientelari retraxerit, contrahentes nulla ipsi laudemia & venditiones debebant. Nam ut id alibi probamus, ejusmodi tributa debentur a contrahentibus statim atque ab iis nomen Pacto adscriptum est atque pactio in formulis requisitis facta fuit. Ursinus autem suo jure retractionis uti non potuit antequam Pacta perfecta fuerint: Ideoque, cum jus laudemiorum & venditionum Martiali acquisitum esset ante retractionem, Ursinus ipsi ingenue eorum rationem referre, atque eorum pretium ab ejus locationis pretio deducere tenetur. Sic reipsa statutum fuit a Supremo Senatu Rhotomagensi contra Dominum Comitem Toriniaci, ut testatur Basnage in articulum 171. Consuetudinis Normanniæ.

CASUS VIII.

Tremerius, cum emisset a Gilberto fundum situm in Regione, ubi prædiatorii vectigalis Domini nullum tributum, ex permutationibus percipiunt, & cum huic emptioni colorem simulatæ permutationis dedisset, ut fraudaret Ferrandum, cui ut Domino, debentur laudemia & venditiones rerum non moventium, quæ præsenti pecunia venduntur; obiit vir iste octo post diebus, ejusdem hæredes quatuor numero, cujus ejus bona partiti essent, Hieronymus, unus ex illis, hunc fundum pro sua hæreditatis parte obtinuit: Ferrandus cum fraudem Tremerii cognovisset, ejusdem Hieronymum convicisset ab isto petiit restitutionem summæ 500. librarum, ad quam abibat laudemiorum & venditionum vectigal, quod ipsi debuisset. Hieronymus ipsi offert solutionem partis suæ pro ratione partis quam in hæreditate defuncti obtinuit. Ipsumque quoad reliquum ad tres suos cohæredes amandat. Cohæredes Ferrando quodquam restituere omnino recusant. Teneturne Hieronymus stricto jure ad illi summam integram 500. lib. restituendam, quia hunc fundum possidet?

Respons.

Constat Hieronymum ad totam summam 500. l. Ferrando restituendam teneri. Ratio est, quod obligatio, in qua reperitur emptor laudemia & venditiones Domino solvendi, non solum sit personalis, sed etiam realis, ex eo quod fundus ipsi oppignoratus est. Quapropter Hieronymus qui hunc fundum titulo successionis possidet, satis nō fecit solvendo Ferrando quartam partem summæ, hoc prætextu quod tantum quartam partem hæreditatis a Tremerio derelictæ obtinuerit; sed ad totam summam hypothecarie tenetur, salvo jure actionis subsidiariæ adversus tres suos cohæredes, quos potest coram Judicibus vocare, ut damnentur singuli ad partem suam summæ debitæ solvendam, modo apud se argumenta sufficientia habeat, ut eos ad id cogat, (c) quod si non habeat, attamen in foro interiori conscientiæ tenentur ad ipsum indemnem præstandum.

(c) Idem t. 2. cas. 151.

CASUS IX.

Trebatius, Juvenis Advocatus in supremo Senatu Parisiensi, & Ceranus Advocatus in supremo Senatu Rhotomagensi mense præterito litigabant hac de quæstione; nempe cujus esset emptoris, aut venditoris domus vel hæredii, laudemia & venditiones Domino solvere. Prior asserebat esse emptoris, & posterior, venditoris. Uter æquum bonumque dicebat?

Respons.

Hujus difficultatis decisio a Consuetudine locorum pendet. Dantur Consuetudines, quales sunt Consuetudo Parisiensis, Antissiodorensis, Durdani, & Melodunensis, secundum quas emptor vectigalia laudemiorum & venditionum Domino solvere debet. Dantur aliæ, ut Consuetudo Normanniæ, ubi venditor illa debet solvere, nisi hoc oneris emptori imposuerit per disertam clausulam Pacti quemadmodum id probat Terrien (d) per antiquam Consuetudinem illius Provinciæ, quæ ferebat, neminem suum hæredium absque consensu Domini vendere aut pignerare posse. Unde concludit venditorem ergo debere solvere hæc vectigalia, quæ in Normannia decima tertia pars vocantur; siquidem hujus promissionis locum tenent, ut statutum fuit Decreto supremi Senatus Rhotomagensis an. 1526. quod a Berault in suo Commentario in Consuetudinem ejusdem Provinciæ (e); pluribusque aliis refertur.

Dicendum est igitur pro Trebatio rationem pugnare, si quæstionem tantum intelligat de laudemiis & venditionibus in extensione Consuetudinis Parisiensis debitis, & Ceranum etiam æquum bonumque dicere, si solum loquatur de decima tertia parte, quæ in Normannia solvitur, & quæ ibi laudemiorum & venditionum locum habet, sed ambos errare si propositionem suam ut generalem intelligant.

Observandum est, 1. in Consuetudinibus, ubi hæc vectigalia Domino, solvuntur a venditore, istum

(d) Terrien. in ant. conf.

(e) Berault. comment. in conf. Norm. art. 171.

istum per clausulam expressam sui Pacti hoc oneris emptori imponere posse.

2. Supremum Senatum Normanniæ statuisse duobus Decretis, altero 8. Augusti 1656. & altero 7. Julii 1684, (a), quod, si emptor, qui sibi decimam tertiam partem solvendam imposuit, deinceps e possessione exturbetur, attamen ad illam solveodam tenetur, quia ejus respectu est debitum personæ affixum; & quia præterea hoc in casu daotur duo pacta: alterum lubeoter ioter ipsum & venditorem factum, & alterum coactum & judicio factum, pro quorum singulo tributa Domioo debentur, cum hoc in casu duæ fueriot mutationes: quod locum non habet in casu, quo emptor per retractionem possessione pellitur: quandoquidem unicum tantum est Pactum, pro quo emptor decimam tertiam partem Domino debet, statim atque Pacto nomen a Partibus adscriptum, vel Pactum in formulis factum fuit, & quandoquidem absque alio pacto res empta immediate traosit e manu emptoris io manum illius, qui jure suo retractionis utitur.

(a) Basnage, ibid. art. 172.

3. Adhuc observandum est, iu quibusdam aliis Consuetudinibus peculiarium, vel horum tributorum solutionem inter coottahentes dispertiri, ut in Consuetudinibus Meldarum & Silvanecti, vel emptorem & veoditorem vectigalia laudemiorum & venditionum unumquemque per dimidiam partem solvere. Uno verbo, hia in rebus regula, quam in foro exteriori & in foro conscientiæ sequi fas est, est regula, quam præscribit locorum Coosuetudo, quæ instar legis est illis, qui illi subjiciuutur.

Aotequam hanc materiam absolvamus, necesse est observare. 1. Equites, Commendatores & Præfectos ordinis sancti spiritus, ab omnibus laudemiis & venditionibus Regi solveodis immunes esse, per articulum 65. statutorum hujus Ordinis. 2. Dominos Curiæ ratiouum Regiarum pari privilegio frui per Edictum anni 1580. & per Codicillos a Rege Ludovico XIII. imperatos die 29. Julii 1610. 3. Et tandem eamdem gratiam Regis Scribis concessam fuisse a Francisco I. prima die Decemb. 1518. & a Ludovico XIII. 20. Decembris 1635.

L A U S.

LAUDARE aliquem, est de ipso cum elogio & in ejus commodum loqui: atque hoc sensu Doctus Theologus (b) Laudem definit, cum dicit, *laus est locutio de aliquo cum approbatione, sive, est excellentia aliena bonorifica enunciatio*. Ad quod redeunt hæc Aristotelis verba: *Est autem laus elucidans magnitudinem virtutis* (c).

(b) Polman. brev. Theol. p. 2. n. 817.
(c) Christ. l. 1.& 3. Rethor

Hac definitione patet, proprie non posse vocari laudem illam, quam aliquis sibi tribuit; sapiens quoque dicit (d), *laudet ee alienus: & non os euum: extraneus & non labia tua*. Revera vulgo tantum homines parum sapientes laudes sibi tribuunt. *Ne ee collaudes, nec te culpaveris ipse, boc faciunt stulti, quos gloria vexae inanis* (e); Unde ortum est hoc verbum, *laus proprio sordescit in ore*.

(d) Prov. 17.
(e) Menage.

Dicimus *vulgo*, ut non excludamus duos casus peculiares, in quibus gloriari possumus in Domino, ut id per auctoritatem D. Thomæ in prima decisione probavimus.

Ille solus laudari debet, qui laude dignus est, & cum certi sumus, neminem laudem ipsi tributam pernegaturum: *sibi laudator securus est, ubi non eimet, ue de laudato erubescae*, inquit Divus Augustinus (f). Aliter agere, est indigne adulari hominem, ipsique viliori pretio blandiri, quod invidiæ tantum magno stat pretio. Congruenter huic sententiæ referente Eusebio, (g) Constantinus valde excanduit in Præsulem, qui ipsi dixerat; illum solum dignum esse, qui Orbi terrarum imperaret, eumque eum Cœlorum filio Dei regnaturum. Sic primus ille Imperator Christianus hanc Pulchram Divi Gregorii Papæ sententiam in antecessum comprobavit (h): *Quo plus quisque in bonis operibus attollitur, eo ampliori ab ore laudantium statu fatigatur*. Et alibi; *sapiens cum in ore laudatur, in aure flagellatur & contristatur in mente*. Inde oritur discrimen, quo idem sanctus Papa (i) facit inter effectum, quem laus in justo obtinet, & effectum, quem in peccatore producit, nempe quod justus inde occasionem sumat sese deprimendi atque ad perfectionem magis accedendi, cum e contra peccator in ea se delectando majori sit in culpa. *Plerumque fit, ut sicut injustus ex laude sua polluitur, ita vir injustus audita sua laude purgeeur* (k). Quod ostendit, sæpe peticulosum esse laudare illos, qui etiam digni sunt, qui laudentur, cum adsunt; nisi enim vera & solida humilitate præditi sint, temere objiciuntur periculo illam laudem approbandi & in ea sibi assentandi, tantum abest ut respuant sicnt, deberent, blanda elogia, quæ de eorum virtute fiunt, atque ad Deum bonum, quod ejus gratia in ipsis reperiri potest, referant.

(f) D. Aug. in Psalm. 94. n. 9.
(g) Euseb. in vita Constan. lib. 6. c. 48.
(h) D. Gregil. 22. mor. c. 5.
(i) Id. ibid.
(k) Id. ibid.

CA-

CASUS PRIMUS.

Siricius, vir doctus & vitam agens quam maxime in exemplum constitutam, sibimet laudes propter præclaras suas facultates, aut sapientem suam agendi rationem, tribuit. An ita aliquando absque ullo peccato agera potest?

RESPONS.

Unanimiter statuendum est, rarissime fieri posse, ut aliquis seipsum laudet, quin per ostentationem peccet, adeo magna est hominis infirmitas. Possunt tamen reperiri quædam occasiones, in quibus id fieri potest nullum committendo peccatum: ut verbi gratia, cum nobis submisse in memoriam revocamus bona opera, quæ cum auxilio gratiæ fecimus, ut in tentstione desperationis non succumbamus, & in fiducia Dei corroboremur, sicut Divus Thomas observat (a), vel cum putamus, perutile fore ad salutem proximi, ut virtutem nostram cognoscat & persussum habeat; vel tandem cum nobis persuasissimum est, de gloria Dei agi. Propter hanc rationem etiam Sanctus Paulus scribendo ad fideles Ecclesiæ Corinthiacæ suum elogium facere ipsemet non dubitavit, ut ejus persona & doctrina, quam nuntiabat, ab ipsis majori in pretio haberatur, sicque eos ad obedientism, quam sibi reddere recusabant, denuo adduceret. *Secunda causa est, propter utilitatem*, inquit Doctor Angelicus, *ut scilicet haberetur in majori fama; & citius crederetur doctrinæ suæ & propter hanc causam hic Apostolus laudat se: nam Corinthii præferebant sibi Pseudo Apostolos & condemnabant eum: & ideo non sic obediebant sibi. Ut ergo non vilipenderent eum & obedirent sibi præfert se eis & laudat se & dicit*: sed ad hæc quis tam idoneus sicut nos, non pseudo Apostoli: quia licet ipsi prædicent, tamen adulteraut verbum Dei, quod nos non facimus. *Unde dicit*; non sumus sicut plurimi, *scilicet pseudo Apostoli*, adulterantes verbum Dei. Fatandum est igitur, modo Siricius seipsum non laudet, nisi propter similas rationes; & modo ejus intentio pura rectaque sit; hoc est, absque ostentatione & sine ullo malo scopo, ipsum non peccare se laudando: verum aliter, absqua peccato se laudare non posse.

(a) S. Thom. in 2. ad Corint. 2. lect. 3.

CASUS II.

Constantia, mulier nobilitate clara & pudica sæpe Dominis illustribus laudes in ore tribuit, cum in eorum cœtu versatur, Num sine peccato id facere potest?

RESPONS.

Dici nequit, absolute loquendo, Constantiam peccati culpam incurrere, laudes suis amicis tribuendo, quamvis eos in ora laudet. Ratio e , quod intentio recta, quæ habetur aliquem laudando, laudem quæ ipsi tribuitur bonam efficera possit, alias conditianas necessarias observando. Quapropter, si, exempli gratia, Constantia laudet Fœminam afflictam propter rem laude diguam, consilio ipsi causandi aliquam voluptatem, quæ ad ejus consolationam conferat, & quæ impediat ne fracto ac demisso sit animo, sic agendo præclarum facit facinus veraque amica dignum. Pariter si hanc mulierem laudee consilio ipsi animum addendi ad virtutem, ejusque amorem ipsi conciliandi: non modo non peccat, laudem, qua digna est, illi tribuendo, sed econtra bonum facit opus. Id docet S. Thomss, qui dicit (b) *laudare aliquem contingit & bene & male, prout scilicet debitæ circumstantiæ, vel servantur, vel prætermittuntur. Si enim aliquis aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, ne in tribulationibus deficiat; vel etiam, ut in bono proficere studeat: aliis circumstantiis servatis, pertinebit hoc ad prædictam virtutem amicitiæ.*

(b) S. Thom. 2. q. 115. art. 1. ad 1.

Econtra, cerium est hanc Dominam peccare, si fœminam laudaverit animo adulatorio, eam laudando ob ram, quæ nullo modo digna est quæ laudetur, quia est mala vel incerta, similiter se res habet, si laudando hanc fœminam suspicari possit, eam inani gloria ductum iri: vel si eam laudet, ut inde ipsamet vanam gloriam aucupetur, aut ad quemdam scopum temporalam illicitum. Et multo majorem adhuc culpam committit, si eam laudet de quadam actione mals, vel da vitio, cujus crimen diluere velit. Hoc etiam dicit idem Doctor Angelicus, idque probat variis Scripturæ locis. *Pertinet autem ad adulationem*, addit, *si quis velit aliquem laudare, in quibus non est laudandus, quia forte mala sunt secundum illud*(c) laudatur peccator in desideriis animæ suæ: *vel quia non sunt certa, secundum illud*(d): Ante sermonem non laudes virum. *Et iterum* (e); Non laudes virum in specie sua. *Vel etiamsi timere possit, ne humana laude ad inanem gloriam provocetur. Unde dicitur* (f) Ante mortem ne laudes hominem. *Similiter etiam velle placere hominibus propter charitatem nutriendam, ut in ea homo spiritualiter proficere possit laudabile est. Quod autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam; vel propter lucrum:* * *vel etiam* (g) *in malo; hoc esset peccatum, secundum illud* Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent, & *Apostolus dicit* .... (h): si adhuc hominibus placerem; Christi servus non essem.

(c) Psalm.
(d) Eccl. 11. 8.
(e) Eccl. 11.
(f) Eccl. 11. 30
* Hic, ni fallor, intelligendum est turpe.
(g) Psal. 52. 7.
(h) Epist. ad Galat. 1. 10.

LEGATUM.

Vocatur LEGATUM, donum quod homo cuidam alteri homini per suum testamentum facit. *Legatum est donatio, testamento relicta*, inquit Lex (i), *legatum est donatio quadam, a defuncto relicta, ab harede præstanda*, ait etiam Imperator Justinianus (k).

Leges Romanæ hoc discrimen inter legata & fideicommissa faciebant, quod legata verbis absolutis, quæque (perscripta esse deberent;) mandatum notarent, cum econtra fideicommissa in formula deprecationis fierent. Exempli gratia: Do, vel volo, ut hæres meus det centum nummos Titio. Ecce legatum. Centum nummos derelinquo Titio, quem deprecor ut illos Mævio det. Ecce fideicommissum peculiare. Pro nostro usu, ad legati validitatem, quibusnam verbis præscribatur, non refert.

Nemo legatum legitimum facere potest, 1. si jus non habet testamentum faciendi. Sic impubes, demens, homo surdus & mutus, Religiosus professus, reus civiliter demortuus, vel homo judicio interdictus, legata facere non possunt; quia testamenti factionem non habent: & quoad testamentum quod impubes faceret, semper irritum manet, etiam postquam pubertatis ætatem attigit, secundum Juris regulam quæ dicit: *Quod initio vitiosum est, tractu temporis non potest convalescere* (l). Sed hominis insani testamentum, ante ejus dementitiam factum, legitimum foret. 2. Si ille, cui legatum donatur

(i) Leg. Legatum 14. ff. de legatis 2. leg. 72. tit. 1.
(k) §. 1. Inst. de legatis.
(l) L. Quod initio 4. ff. de reg. juris.

habi-

habilis non sit ad eo utendum, quales sunt extraneus, Religiosus professus, aliique similes. 3. Si res legatæ ejus non sint naturæ ut testamento relinqui possint; hoc est, si in commercium non veniant inter homines (*a*), sive sint res moventes vel non moventes: sic legari nequit res publica, nec res sacra, qualis est Ædes Sacra, vel Cœmeterium (*b*). Legari tamen posset domus, in qua daretur Ædicula Sacra domestica, quia talis Ædicula Sacra consideratur tantum, ut quid ad domum accedens, sicut jus patronatus habetur accessio fundi legati aut venditi: Nam vocatur accessio rei legatæ, id quod cum ea quamdam connexionem quasi naturalem habet, quæ causa est eur ab ea divelli non debeat; quamvis rei ipsius pars non fit; qualia sunt capistrum, frænum, & soleæ ferreæ respectu equi, qui legatus; vel venditus fuisset (*c*).

Una eademque res, ut domus, fundus, aut annuum vectigal pluribus personis differentibus, legari potest: Tuncque si partes distinctæ non sint, inter se rem legatam, vel æquum ejus pretium in æquales partes distribuunt. *In legato pluribus relicto*, ait Lex, *si partes adjectæ non sunt æquæ, servantur* (*d*).

Legatarius, cui testator plura fecit legata, ea quæ vult accipere, aliaque repudiare potest. *Duobus legatis relictis, unum quidem repudiare, alterum vero amplecti posse respondetur*, fert alia Lex (*e*). Verum id intelligi non debet, nisi cum legatum quod repudiaret ipsum ad quædam munera obeunda non cogeret: Alias enim legatum muneribus immune accipere non posset, quin simul ad alterius legati munera obeunda teneretur: sic fertur eadem Lege quæ dicit. *Duobus legatis relictis unum quidem repudiare; sed si unum ex legatis onus habet, & hoc repellatur, non idem dicendum est* (*f*).

Nullum legatum, nisi postquam omne æs alienum testatoris dissolutum fuerit, distribui debet. Sic res se habet in omni alia donatione causa mortis *Sicuti legata non debentur, nisi deducto ære alieno, aliquid superfit: nec causa mortis donationes debebuntur: sed infirmantur per æs alienum*. Hæc sunt verba alius Legis, quæ addit, quod ideo, si testator plus æris alieni quam opum reliquerit, legata infirmantur: *Quare si immodicum æs alienum interveniat ex re, causa mortis sibi donata, nihil aliquis consequitur* (*g*).

Omnes causæ quæ hominem hæredis qualitate indignum reddere possunt; legatarium pariter legati ipsi facti haud capacem efficiunt: Multæ autem sunt ejusmodi causæ, quas loquendo de voce *Testamentum*, explanabimus. Datur etiam casus peculiaris, quo legatarius suum legatum amitteret, quamvis illud jam accepisset. Nempe cum hic legatarius, post perceptum suum legatum, testamentum falsi argueret, hæredem institutum illud fabricasse criminaretur. si criminatione sua caderet, jure legato suo orbaretur, in pœnam injuriæ in hæredem immissæ (*h*)

Incapacitas, vel inhabilitas ad legatum recipiendum, de legato alimentario intelligi non debet. Cum enim alimenta ad vitam hominis absolute necessaria sint: æquitas vult, ut tale legatum omnigenis hominibus, qui eo egent fieri possit. Sic legatum illud homini civiliter demortuo, ut alii, donari potest. Hæc a regula generali exceptio, in Lege quam in margine indicamus reperitur (*i*).

Testator legatum homini, etiam ipsi ignoto, derelinquere potest, modo quadam circumstantia peculiari ejus consilium, legati quod facit ratio, innotescere possit; exempli gratia testator per formulam legati summam centum nummorum dare potest illi, qui hæredem suum adjuvabit; in expediendis negotiis impeditis ac confusis, ad hæreditatem, quam ipsi linquit, pertinentibus, quamvis ignoret quis sit ille, quo ejus hæres utetur. Talis est Legum dispositio (*k*).

Legatum Urbi, vel vitæ & victus Communitati Ecclesiasticæ aut Laicæ legitime constitutæ, sicut privato homini, fieri potest (*l*).

Si testator legaret rem quæ ad legatarium pertineret; legatum irritum foret 1. Enim hic Legatarius novum jus in hanc rem, cujus jam Dominus erat, acquirere nequit: 2. Quia jure existimandum est; quod si testator rem istam ad legatarium pertinere novisset, illam ipsi non legasset. Unde colligendum est etiam æstimationem rei ipsi debitam non esse (*m*)

Cum testator rem legat, quam pro pignore tradere coactus fuerat; ejus hæres summam, pro qua pignori data fuerit, creditori solvere tenetur; & deinceps

(*a*) Si talis sit res cujus commercium non sit vel adipisci non potest nec æstimatio ejus detur. §. 4. Instit. de legat.
(*b*) Leg. Cum servus. 9. § 7. & seq. ff. de legat. 1.
(*c*) Leg. Depositum 4. §. 3. ff. deposit.
(*d*) Leg. Legata 9. §. fin. ff. de legatis 1. l. 30 tit. 1.
(*e*) Leg. Si duobus 5. ff. de legatis 2.
(*f*) Leg. 5. c.
(*g*) Leg. Cir. ... ad leg. falcid.
(*h*) Post legatum 5 §. 1. ff. de his, quæ ut indignis auferuntur l. 34. t. 9
(*i*) Leg. Si in metallum 3. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur l. 34. tit. 8.
(*k*) Leg. Paulus 5. ff de rebus dub. leg. 34. tit. 5.
(*l*) Leg. Si quid 177. ff. de legatis 1.
(*m*) §. 10. Inst. de legatis, & Leg. propriis 13. Cod. eod. l. 6. tit. 37.

ceps legatum legatario addicere; vel, si res pro pignore tradita vendita fuerit, ejus æstimationem ipsi solvere (*a*): nisi clare pateat, testatoris animum fuisse ut Legatarius eam propriis suis impensis redimeret. *Nisi contraria defuncti voluntas ab harede ostendatur* fert eadem Lex (*b*).

Legari potest res, quæ nondum existit. Exempli causa, fructus, quos arbores horti aut septi producent; vel frumentum, quod e terra recens sata orietur; *Etiam quæ futura sunt legari possunt* (*c*). Sed si testator singulatim designasset talem frumenti aut vini quantitatem, in tali fundo sumendam minorque in eo reperiretur; legatarius reliquum ab hærede exigendi jus non haberet (*d*).

Quando testator certissime rem, quasi ad se pertinentem, ut talem equum, tale horologium legat, eoque mortuo hæc res inter hæreditatis bona non reperitur, vel quia illam alienavit, vel amisit post suum testamentum confectum legatum infirmatur ejusque pretium legatarius exigere non potest. *Species nominatim legatæ: si non reperiantur, nec doli haredis de esse probentur, peti ex eodem testamento non possunt* Talis est decisio Legis (*e*). Sed plane aliter res se haberet, si rem singulatim, quasi propriam, non designasset; & verbis generalibus tantum equum, aut horologium legasset; tunc enim legatum obtineret.

Quamvis jam aliquid quasi per transennam, de accessione legati dixerimus; inutile non erit addere, 1 dari accessiones, quæ rem legatam adeo naturaliter sequuntur, ut jure ab illa divelli nequeant. Talis est respectu horologii manualis, pyxis, quæ illud includit, quamvis gemmis ornata, majorisque pretii esset, quam horologium ipsum (*f*). Tales sunt etiam, respectu fundi, arbores in eo positæ. Talis est ornatus & instructus equorum ad rhedam jungendorum, ut deinceps explicabimus; pluresque aliæ res similes, quæ secundum usum vulgarem & sententiam generalem, accessiones habentur. Attamen, cum res principalis pessum it, legatarius in accessiones nullum jus habet: Exempli gratia, si biiuges morbo pereant, ornatus & loramenta non amplius ad eum, cui biiuges legari fuerant, pertinent *Quæ accessionum locum obtinent extinguuntur, cum principales res perempta fuerint* (*g*).

2. Alia esse genera accessionum, quæ naturaliter rem non sequuntur, & quæ illas natura sua alligandas esse vulgo non existimantur. Tales sunt res moventes domus legatæ, quæ domus accessio non reputantur, & quas consequenter legatarius ambire nequit, nisi testator illas verbis disertis in dispositione sua testamentaria incluserit: sed claves domus, arca, hortus adiacens, si detur; cæteræque ejus appendices sunt accessio & quasi naturalis sequela domus, ideoque ad legatarium pertinere debent; quamvis testator in articulo, qui domus legatum continet, nullam de iis mentionem fecerit.

3. Additamenta a testatore facta in fundo, quem legavit, sive in ædibus, in plantariis, in majori extensione novi terreni, quod ad amplificandum hortum, aut septum, emerit, in legatarii commodum venire, quasi vera accessio esset, quando testator orimam suam dispositionem nullatenus commutavit.

Prætermittere non debemus hic loqui de legatis, quæ *pia* vocantur. Sunt legata, quæ ad aliquod pietatis & charitatis opus destinantur, sive spectent ad spirituale, vel corporale, aut ad utrumque simul: verbi gratia: alimonia pauperum, ædificatio, aut restaurationes Ædis sacræ, vel Ptochotrophii, aut quodcumque aliud bonum opus, cujus ratio ad bonum Religionis aut Ecclesiæ spectat, non attendendo ad reverentiam, quam legatarii per se mereri possent.

Si testator nullum hujusmodi legatorum executorem nominaverit; neque Parochi, nec ipse Episcopus, summas legatas exigendi jus ullum habent; sed solum invigilare possunt eorum executioni, quam Administratores Ptochotrophii, cujus interesset, vel æditui sacræ ædis, cui legatum factum fuisset, coram Judicibus postulare debent, hærede eam denegante, & si forte legatum tantum consistat in certa summa quadam die, vel quodam in loco pauperibus distribuenda, Justitiæ ministrorum est huic rei providere Regis Procuratore diligenter præsente. Sic res usu venit in Gallia secundum Regni Leges (*h*), neglecto Decreto Concilii Tridentini, quod soli Episcopo hanc auctoritatem tribuit.

Quando testator summam legavit, ad ædificandum Ptochotrophium, vel ædem sacram in Parochialem, & post ejus testamentum confectum tertia quædam persona alterutrum executa est, vel quando contingit ædificium non existimari necessarium vel utile: legatum tamen locum habet, & summa in aliis piis operibus in gra-

(*a*) L. Prædia, 6. Cod de fideicommissis, l. 6, tit. 42.

(*b*) Eat. L. cit.

(*c*) L. Etiam, 17. ff. de legatis. 3 l. 31. tit. 2. & Leg Quod in rerum natura, 24. ff. de legatis 1.

(*d*) L. Cum certus 5. ff. de triticeo, vino vel oleo legato. l. 31. tit. 6. Leg. Si quis 8. §. 1. ff. de legatis 2.

(*e*) L. Omnia 32 § 5. ff. de legatis 2. L. Hæres. 58. ff. de evictionibus l. 22. tit. 2. & L. Qui concubinam, 29. ff. de legatis 3.

(*f*) L. Justissime 44. ff. de ædilitio edicto l. 22 tit. 2.

(*g*) Leg. At si & Leg. Servo. 5. ff. de peculio legato l. 33 tit. 1.

(*h*) Edict. an. 1561. Decr. Molinense art. 73. Decret. Blesense. ar. 65. & 66. Edict. Melodunense art. 10.

gratiam hujus Ptochotrophii, vel hujus ædis Sacræ, ut deinceps ostendimus impendi debet. Si enim hæc regula locum habeat secundum Leges humanas (*a*) respectu legati in cujusdam Urbis gratiam facti; potiori ratione, cum de executione pii legati agitur, admitti debet, quemadmodum doctus Jurisconsultus observat(*b*).

Cum testator duas res habet ejuidem nominis, diversique pretii, ut horologium manuale aureum, aliudque argenteum, & unum ex illis legat non distinguendo utrum legare voluit, optio pertinet ad hæredem, qui consequenter legatum solvere potest horologium argenteum tradendo, aureumque servando: æquum est enim suspicari, testatoris animum fuisse hæredi suo magis quam legatario favendi (*c*). Et hæc regula in omnibus aliis casibus, ad quos accommodari potest, & in quibus non reperiuntur circumstantiæ, quæ efficiant ut legatario magis quam hæredi favendum sit, locum habere debet. Attamen si de multis rebus ejusdem naturæ ageretur; ut de pluribus equis diversi pretii, hæres quidem optimum servare posset: verum æquum foret, ut non pessimum omnium, sed unum ex illis, qui mediocri pretio venderentur, legatario traderet; hac in re attendendum est, non solum ad nomina testatoris & legatarii, bonaque hæreditatis, verum etiam ad alias circumstantias, quibus istud temperamentum, congruenter ad æquitatem componi posset. Talis est dispositio Legum (*d*) quæ etiam volunt, ut etsi testator hæredi suo in legato indefinito potestatem dederit quamlibet e rebus legatis legatario tradendi, attamen ipsi pessimam omnium dare non posset, quin æquitatem naturalem læderet (*e*).

Si testator alterum e suis duobus equis legasset Joanni, cui eorum optionem reliquisset, hæresque Joannem interpellasset ut eligeret utrumvis vellet, si Joannes ejus optionem facere remoratus esset, & equus hoc tempore interiecto absque hæredis culpa morbo assumeretur, ejus jactura in legatarium caderet in pœnam sui remoramenti; etiamque ad æquam damni compensationem hæredi debitam condemnari posset (*f*).

Idem dicendum est respectu hæredis, si testator ipsi optionem detulisset, interpellatusque a Legatario ut eligeret, electionem respuisset aut neglexisset, vel si aliunde dolus ab ejus parte daretur, sive testamentum occultando; ut legatum solvere vitaret, aut alio modo.

Quando ambæ res, quarum altera Joanni legata erat, pessum eunt post mortem testatoris & antequam optio fiat, pro legatario, sicut pro hærede pereunt, sive electio priori aut posteriori delata fuerit, cum earum jactura neutri imputanda est. Sed si altera tantum e duabus pessum ivisset, altera in commodum legatarii veniret, congruenter ad consilium testatoris, quod erat, ut legatarius alteram e duabus haberet; quod verum est, etiamsi optio hæredi data fuisset.

Statim atque res electa fuit, sive pro legatario, sive pro hærede; pertinet ad eum qui illam elegit; ideoque si pereat, ejus jactura in eum recidit, nec ullo modo aliam, quæ superest, ambire potest (*g*).

Electione semel mutuo consensu facta, sive coram Judicibus, sive a legatario, aut ab hærede; neutri amplius a sententia discedere licet; quia jus eligendi a testatore concessum tunc plane consummatum est, ut patet ex tribus Legibus, quas in lege laudamus (*h*).

Legatarius legitime electionem facere nequit, antequam hæres declaraverit se hæreditatem accipere. *Optime legata, placet non posse ante aditam hæreditatem optari, & nihil agi si optaretur*. Sic Lex rem statuit (*i*).

Cum testator, inter multas res, quasdam ex iis uni ex suis legatariis, (reliquasque alteri, eligendas tradidit, si prior legatum abnuat, in alterius commodum venit. V. gr. Cujus viginti Bibliothecæ suæ volumina eligenda Titio dat, & reliqua Mævio: ex Titii recusatione iste fructum percipit. *Cum optio duorum servorum Titio data sit; reliqui Mævio dati sunt; cessante primo in electione reliquorum appellatione omnes ad Mævium pertinent*. Sic fert Lex Digesti (*k*). Sed si Titius moriatur ante electionem factam, ipsius jus per obitum illius hæredi transmittitur, ut dicit alia Lex (*l*).

Dantur quædam legata, quæ aliquando usuras & fructus producunt, quæ eorum sunt accessio: Usuræ ejusmodi legatorum nihil aliud sunt quam damni compensatio legatario debita ab hærede, qui ipsi quamdam pecuniæ summam, vel quidquam aliud æstimationi obnoxium, quod ipsi fuit legatum, debet (*m*): & quam summam hæres iste post denuntiationem factam ipsi non solvit (*n*); nunquam enim, nisi a die postulationis debentur.

Pru-

(*a*) Leg. Legatum. 26. de usu & usufr. & reditu &c. l. 33. tit. 2.

(*b*) Domat. Leges Civiles, &c. part. 2 l. 4. tit. 2. sect. 6. n. 7. pag. 475. Edit. in fol.

(*c*) Leg. Cum servus 30. §. 6. ff. de legatis 1. Leg. Qui filiabus. 37. §. 1. & Leg. Quis 32. §. 1. Leg. Legato. 37. §. 1.

(*d*) Cit. Leg. Legato.

(*e*) Leg. Si mihi. 100. ff. eod. tit.

(*f*) Leg. Mancipiorum. 6 & Leg. Si tibi. ff. de optione vel electione legata l. 33. tit. 5.

(*g*) Leg. Hujusmodi. 84 §. 9. ff. de legat. 1.

(*h*) L. Servi. 5. & ait Leg. Hujusmodi. 84. § 9. ff. de legatis 1. Leg. Statu liberum. 8. in fine ff. de legat. 2. Leg. Apud. 20. ff. de optione vel electione legata.

(*i*) Leg. Optione. 16. ff. eod. tit.

(*k*) Leg. Cum optio. 17. ff. eod. tit.

(*l*) Leg. Illud. 19. ff. eod. tit.

(*m*) Leg. Stipulationis. 7. de verb. oblig. l. 45. tit. 1.

(*n*) Leg. Legatorum. 1. cod. de usuris & fructibus legat. l. 2. tit. 47.

Fructus fundi legati, qui radicibus pendent, hoc est, qui fundo adhærent, cum legatum solvitur, ad legatarium, quasi ejus legati accessio, pertinent: sed fructus qui ab eo disjuncti fuerunt ab hærede antequam legatum solvi deberet: hoc est, quorum solutio ante mortem testatoris cecidit, ad hæredem solum pertinent.

Hi fructus legatario non debentur, secundum Leges Romanas, nisi a quo altercatio, de qua agitur inter hæredem & legatarium, orta est. *In legatis .... fructus post litis contestationem, non ex die moræ, consequuntur* (a). Verum secundum nostram Jurisprudentiam, debentur a die denuntiationis aut postulationis, quæ altercationis, de qua litigatur, locum tenet: Attamen si hæres malæ fidei esset: quia exempli causa, testamentum, quo legatum continebatur, occultavit; fructus, a die quo testator obiit, deberentur: quia res legata, a momento ipsius obitus, ad legatarium pertinet; ideoque fructus quos producit ad eum pariter pertinent. Sed, quemadmodum fieri potest, ut legatarius sit ignotus, aut degat in Regione remota, aut etiam legatum recipiendi capax non sit, aut illi nuntium mittat, aut denique illud postulare negligat, & cum aliunde pacis familiarum intersit, ut his in occasionibus hæres, qui bona fide bona a defuncto derelicta possidet, ad fructus indiscriminatim restituendos non cogatur: potest, si bona fide sit, ut id supponimus, iis frui, usquequo eorum petitio ab ipso fiat. Hanc autem bonam fidem jure in ipso suspicari possumus, cum defuncti testamentum palam innotuit coram Judicibus, aut apud Tabellionem in loco domicilii testatoris depositum fuit, & cum hæres semper paratus est ad legatum solvendum illi, cui legitime debitum esse reperietur, & cum ab ipso petetur. Hoc in sensu, hisque in circumstantiis tantum admitti debet regula constituta a Lege quam modo retulimus.

(a) Leg. In legatis fin. cod. de usuris & fructibus legatis, &c. Leg. legatorum 1. cod. eod. tit.

Fructus & usuræ non solum debentur legatario in casu quem jamjam notavimus, sed dantur etiam quidam alii casus, in quibus fructus ipsi debentur, quamvis hæres in remoramento non sit. Lex quædam Digesti in exemplum præbeat pullos equinos armenti equarum legati, quia hi pulli istius armenti pars fiunt. *Equitio autem legato, etiamsi mora* (hæredis) *non intercedat, incremento gregis fætus accedunt* (b).

(b) L. Equis 19. ff. de usuris l. 22. tit. 1.

Legatum verbis absolutis & absque conditione scriptum legatario a momento obitus testatoris acquiritur. *Cui purum legatum est, ex die mortis dies ejus cedit*, ait Lex (c): Sed cum legato conditio apposita est, ipsi non nisi conditionis eventu acquiritur: *Si sub conditione sit legatum relictum*, inquit alia Lex (d), *non prius dies legato cedit, quam conditio fuerit impleta*.

(c) Leg. Si post diem. 5. ff. quando dies legatorum, vel fideicom. cedat l. 36. tit. 2.

(d) Leg. 5. ait. §. 2. & Leg. Et nomen unica § 7. cod. de caducis tollendis. lib. 6. tit. 51.

Operæ pretium est hic observasse 1. legatum non semper conditionale existimari debere, quando testator voce *conditionis* usus est: hæc vox enim pro onere legatario imposito sæpe usurpatur: sed proprie dicta, vocatur conditio, in cujus complemento aut eventu, testator legati, quod facit, validitatem constituit. Quasi diceret, v. g. lego pratum meum Paulo, ea lege ut Petrus per illud transitum habeat ad vineam suam adjacentem colendam. Ecce simplex onus, aut servitutem Paulo impositam. Si e contra diceret, lego domum meam Paulo, si contigerit ut die mei obitus uxorem duxerit, tunc foret conditio proprie dicta. Unde sequitur in priori casu, legatarium cui legatum acquiritur, morte sua illud hæredi suo transmittere; sed in posteriori casu, legatum ad ipsum non pertinere, si tempore, quo testator obiit, nondum uxorem duxerit.

2. Quod si testator quamdam conditionem injustam, impossibilem, aut adversus bonos mores pugnantem apposuisset, a qua legati validitatem pendere voluisset, nulla ejus ratio haberetur, legatumque purum ac simplex existimaretur; cum talis conditio legatarium ad quidquam cogere nequeat.

Cum ille, cui legatum fit a testatore, jam fato functus est, vel cum priusquam testator supremum diem obit, ejus hæres nullum ad id jus habet, cujuscumque naturæ sit illud legatum: *Ad hæredem ejus legatum non transit, quia non cessit dies vivo eo*. Hæc est Legis definitio (e).

(e) Leg. Legatis. 5. § 2. ff. de conditionibus & demonstrat. l. 35. tit. 1. Item Leg. Si post diem. 5. ff. quando dies legatorum, vel fideicom. cedat. l. 36. tit. 2.

Quando ex natura legati, aut ex verbis testamenti apparet, testatoris consilium fuisse tantum, illud soli personæ legatarii destinandi ac alligandi, si post obitum testatoris forte moriatur, illud hæredi suo non transmittit, sed ejus morte extinguitur. Talia sunt legata ususfructus, & legata pensionis alimentariæ, aut per vitæ tempus, quæ nunquam ad hæredem legatarii transmittuntur, nisi contrarium appareat ex vocibus quibus testator tale legatum exprimendo usus est. *Quoties cohæret personæ id quod legatur, veluti personalis servitus, ad hæredem ejus non transit*, sicut Lex loquitur (f).

(f) Leg. Non solum 9. §. 1. in fin ff de liberatione legata. l. 34. tit. 3. L. Pater. 6. ff. de servitute legat. l 33. tit. 3. Leg. Cum servus. 19. §. 4. ff. de legat. 2.

Cum

Cum testator legat summam, verbi gratia, centum nummorum, quotannis quandiu legatarius vivet solvendam, sive instar pensionis, pro alimentis, aut aliter: hoc legatum considerandum est sicut tot legata peculiaria, quot vitæ legatarii anni erunt. *Cum in annos singulos legatur non unum legatum esse, sed plura constat*, inquit Lex (*a*). Et ex quo singulus annus incepit, legatum ipsi acquisitum est (*b*); Itaque si ab initio moriatur, antequam centum illos nummos acceperit, eorum Dominium hæredi suo transcribit, ad quem etiam ceteræ omnes usuræ adhuc solvendæ pertinerent.

Hæres qui fruitur re legata, ejus conservationi accurate invigilare debet; ita ut si forte pereat, aut amittatur ejus culpa, vel negligentia, eam legatario solvere teneatur. *Si culpa heredis res perit, statim damnandus est, culpa autem qualiter sit æstimanda videamus. An non solum ea, quæ dolo proxima sit, verum etiam quæ levis est: an nunquid & diligentia exigenda est ab herede? quod verius est* (*c*).

Verum si hæres rem nondum possideret, eam præstare non teneretur. Sic verbi gratia, si talis equus, Basilio legatus evadat & aufugiat, antequam testator supremum diem obierit, solius Basilii est, non vero hæredis, sumptus necessarios impendere ad illum recuperandum, si e legato suo quamdam utilitatem percipere velit (*d*).

Ad legati cautionem hæres non obstringitur, eum eo legatarius judicio dejectus fuit: exempli causa, Julius legat Jacobo Sylvam cæduam, quam ad se pertinere eredit. Jacobus postquam in illius possessionem venit, admissusque fuit, ea ab Antonio judicio dejicitur. Julii hæres non tenetur dare Jacobo aliam Sylvam, nec æstimationem illius quæ ipsi legata fuerat; judicandum est enim, quod Julius hanc Sylvam non legasset, si eam ad se non pertinere scivisset. *Forsitan enim, si scivisset alienam rem esse, non legasset*, inquit Imperator Justinianus (*e*). Attamen plane contrarium dicendum foret, si Julius, bonis suis inter liberos suos distributis, uni ex illis hanc Sylvam cæduam dedisset; ille enim qui ea deinceps judicio deijceretur, propter cautionem erga alios actionis subsidiariæ jus salvum haberet: eum certum sit, Julii consilium fuisse faciendo talem distributionem, ut ille suam hæreditatis partem, sicut alii, haberet (*f*).

Alia adhuc observatio facienda est; nempe, quod, si evictionis sententia ferret, ut pretium quod jam solutum fuerat redderetur, sicut fieri potest in casu venditionis factæ cum facultate redimendi aut fundi, qui a dominio Regis pendet; pretium quod restitueretur, ad legatarium, non vero ad hæredem pertineret (*g*).

Legatum conditionale, aut solvendum tempore quod nondum exiit, ab hærede testatoris solvi potest; ipsi enim liberum est legatarium a conditione ejusque effectu, eximere; modo id in damnum tertii cujusdam hominis non vertatur, uti fieri posset respectu personæ substitutæ (*h*).

Legatum infirmatur 1. morte legatarii, sive anteeedat, sive sequatur diem in testamento adscriptam, & ante mortem testatoris (*i*).

Attamen si legatum morte legatarii infirmatum, quoddam onus contineret, ut talem summam, vel talem rem tali homini tradendi; legatum respectu illius oneris subsisteret, quia illud onus tanquam aliud legatum diversum considerandum venit (*k*): & quamvis Leges Romanæ non loquantur nisi de solo casu, quo mors legatarii accidit a legato facto & ante mortem testatoris; æquitas vult, ut eadem sit ratio respectu oneris impositi legatario, quem testator viventem existimabat, & qui mortuus erat; datur enim ratio æqualis hoc in casu, sicut in altero, hoc onus, ut secundum legatum respiciendi, secundum prudentem observationem Domati (*l*).

2. Omne legatum adhuc infirmatur, cum testator illud expressim revocavit, & revocatio etiam tacita illud irritum reddit. Id patet per unam e Legibus Codicis Justiniani, quæ ejus rei hoc affert exemplum: *Filia legatorum non habet actionem, si ea quæ in testamento reliquit vivus pater, postea in dotem dederit* (*m*).

3. Per repudiationem legati a legatario factam, & quando rei legatæ natura commutata fuit; quale foret legatum jugeri terræ, quod deinceps in Cœmeterium commutatum fuisset.

4. Solutio summæ legatæ extinguit legatum. Sic Claudio mille libras ab ipso mihi debitas lego, legatum infirmatur statim atque in posterum ejus solutionem accepi. *Si exactum est, evanescit legatum* (*n*).

(*a*) L. Cum in ann. 10. ff. quando dies legator. cedat.
(*b*) Leg. Nec semel 10. ff. eod. tit.
(*c*) Leg. Cum res. 47. §. 4. & 5. ff. de legat. 1.
(*d*) Leg. Si servus. 108. ff. de legat. 1. & Leg. Si quis. 8. ff. de legat. 2.
(*e*) §. 4. Instit. de legatis.
(*f*) Leg. Cum pater. 77. § 8. ff. de legat. 2.
(*g*) Leg. Qui solidum. 78. §. 1. ff. de legat. 2.
(*h*) Leg. Post mortem. 12. cod. de fideicomm. l. 6. tit. 42. & Leg. Uxorem. 41. §. 12. de legat. 3.
(*i*) Leg. Si eo tempore. 4. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur. l. 34. tit. 8. Leg. Et nomen unica §. 2. cod. de caducis tollendis. lib. 6. tit. 51.
(*k*) Leg. Unica. §. 4. cod. eod. tit.
(*l*) Domat. loco cit. p. 487.
(*m*) Leg. Filia. 2. cod. de legatis. lib. 6. tit. 37.
(*n*) Leg. Non solum. 7. §. 4. ff. de liberatione legata. l. 43. tit. 5.

5. Perinde est, si testator rem cuidam personæ legatam abalienaverit, sive per venditionem, sive per donationem. *Testator superurvens, si eam rem, quam reliquerat, vendiderit, extinguitur fideicommissum*, ait Jurisconsultus Paulus (*a*). Talis est noster usus, qui admittit tantum quasdam exceptiones, quas quædam Leges Romanæ continent. Sed si res ista tantum sit pignerata, legatum permanet, sicut etiam permanet respectu partis quæ superest, cum totum non fuit alienatum (*b*).

6. Infirmatur adhuc legatum, quando res legata formam aut statum mutat: quamvis materia semper eadem remaneat. Ita cum Hieronymus Marcello tale panni volumen legavit, & postea ex eo vestes sibi confici jussit, Marcellus illud legatum non amplius ambire potest; ut in sequentibus fusius explicabimus. Hæc regula cum usu quem observamus congruit, non obstante conditione lata a quadam Lege (*c*) quæ vult infirmationem legati pendere a defectu consilii testatoris. Alia Lex hoc exemplum præbet: *Lana legata, vestem, quæ ex ea facta sit, deberi non places.* En adhuc aliud exemplum ligni legati, quod testator postea adhibuit ad domum suam reparandam, aut ad navem construendam: *Sed & materia legata, navis, armariumve ex ea factum, non vindicatur* (*d*).

7. Hac eadem ratione, si testator, postquam fundum legaverit, ejus partem resecet ad augendum suum septum, suum hortum, aut suas ædes: legatum tali mutatione judicatur imminutum, quoad hanc detractionem (*e*): etiamque si totus fundus legatus ad eumdem usum adhibitus fuisset; ejus quod factum fuisset legatum, quoad totum, infirmaretur.

8. Denique cum testator qui rem alicui legavit, per secundam dispositionem hanc eamdem rem alteri legat; legatum omnino infirmatur respectu primi legatarii: ita ut etiamsi secundus ante testatorem supremum diem obiret, primus illud nequaquam ambire posset (*f*).

Homo qui se purum ac simplicem hæredem professus est, omnia legata, quamvis hæreditatis pretium excedant, solvere tenetur.

Legata detractiones ferre possunt, quando hæreditates non sufficiunt ad æs alienum solvendum, legitimisque hæredum juribus satisfaciendum. Verum hæ detractiones simili modo ubique non fiunt. Etenim in Provinciis, in quibus Jus scriptum usitatum est, hæres quartam hæreditatis partem habere debet, quod *Falcidia* vocatur, a nomine Falcidii ejus inventoris: ita ut hæc Falcidia legata ad tres quadrantes bonorum hæreditatis redigat, altero quadrante ad hæredem pertinent. *Dum ita detur legatum, ne minus quum partem quartam hæreditatis eo testamento hæredes capiant.* Hæc sunt legis verba (*g*).

Hæc Falcidia ex omnibus defuncti bonis desumitur, postquam hæreditatis æs alienum solutum fuerit, nequidem excepto ære alieno, quod ad hæredem spectat, vel aliter. *In imponenda ratione Legis Falcidiæ*, inquit Lex, *omne æs alienum deducitur, etiam quod ipsi hæredi mortis tempore debitum fuerit; quamvis aditione hæreditatis confusæ sint actiones* (*h*). Præter & quidem ante æs alienum sumptus funerarii etiam deducendi sunt. *Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur*, inquit alia Lex, *quæ etiam omne creditum solet præcedere, cum bona solvendo non sint* (*i*).

Nullus hæres sive legitimus, sive testamentarius, falcidiam suam exigere potest, nisi postquam se hæredem per beneficium inventarii professus fuerit, ostenderitque per inventarium fidum, & in formulis factum hæreditatis bona non sufficere: *Si vero non fecerit inventarium*, inquit alia Lex, *non retinebit falcidiam, sed complebit legatarios, & fideicommissarios, licet puræ substantiæ morientis transcendat mensuram legatorum datio* (*k*).

Hæres beneficiarius qui fundum avertit, aut qui legatum abscondit, jure suo falcidiæ in hunc fundum, vel in suum legatum cadit (*l*).

Jus falcidiæ desumi debet pro ratione bonorum actu existentium tempore mortis testatoris definito, iis non addendo fructus adhuc pendentes, & quos tempore eorum maturitatis percipiendi solus hæres jus habebit. Attamen si isti fructus jamjam colligendi essent, fundi majori pretio æstimari deberent, sive æstimatio fiat mutuo consensu inter heredem beneficiarium, & creditores, sive fiat coram Judicibus (*m*), cum æstimatio, quam hæres testamento suo, aut alio modo, facere potuisset, eos, quorum interest, cogere non possit, ut ipsam ratam habeant (*n*).

(*a*) Paulus l. 4 sent. t. 1 §. 3. Item L. Cum servus ff. de adimendis vel transferendis legat. l. 34. t. 4.

(*b*) L. qui post 3. cod. de legatis §. 12. instit. de legat. L. Si legatarius 8. L. Creditori 24. §. 1. ff. de legat. 1.

(*c*) L. Si pluribus 44. §. 2. ff. de legat. 2.

(*d*) L. Lana 88. §. 1. ff. de legatis 3.

(*e*) L. Creditori 24. §. 1. ff. de legat. 1.

(*f*) L. Et ideo 8. ff. de adimendis, vel transf. legat.

(*g*) L. Lex Falcidia ff. ad Leg. Falcid. l. 35. t. 2.

(*h*) L. in imponend. 12. cod. ad Leg. Falcidiam l. 6. t. 50. Item l. Subsignat. 39. §. 1. de verb. signif. & leg. pater 54. & l. Circa 63. §. 1. ff. ad l. Falcidiam.

(*i*) L. Impensa penult. ff. de religiosis, & sumptibus fun. l. 2. t. 3.

(*k*) Novell. 1. c. 2. §. 2.

(*l*) L. 58. ff. ad leg. Falcid.

(*m*) L. in Falcidia 9. ff. eod. t.

(*n*) Cit. L. quad bonis 25. §. fin.

Quoad usumfructum, pensionem per vitæ tempus, aut alimentariam, Leges quæ eorum falcidiam determinare voluerunt, in præsenti nullius sunt usus; & præterea magnis incommodis quæ inde sequuntur, non medentur. Quapropter ut duratio talium legatorum admodum incerta est, quandoquidem a duratione, aut mortis legatariorum pendet; absolute necesse est ad eorum æstimatione vitæ quæ fiat respectu habito ad hoc incertum, venire.

Bona quæ pendent ab eventu litis, aut a conditione, qua incertum est, an quædam bona ad hæreditatem pertinerent vel non pertinerent, ad æstimationem accedere non debent: & falcidia. nisi ex solis bonis præsentibus & certis, statui non debet; sed hæres. Creditores & legatarii, cum eorum res communis agatur. inter se convenire debent de prudentibus & consultis agendi rationibus adhibendis, si forte contingat, ut hæc bona aut incertæ res istæ deinceps pars hæreditatis fierent (a).

Si post falcidiam ablatam, & legatorum detractionem factam. nova bona ad hæreditatem pertinentia delegerentur, ut, verbi gratia si hæreditas testatori ante ejus mortem obtigisset, & tamen ignorasset; tunc hæres legatariis pro detracti ne ipsis facta. ejus hæreditatis rationem reddere tenetur.

Doctus Auctor, qui Leges Civiles ad ordinem eorum naturalem adduxit (b), dissertationem conscripsit, ut noscatur, an sit regula certa legata pia falcidiæ non esse obnoxia, & ostendit, Imperatorem Justinianum in novella sua centesima trigesima prima (c) hoc caput clare non statuisse; quæ causa fuit, cur interpretes in varias partes abiverint: fatque habet colligere, quod optandum foret ut hanc in rem quoddam Statutum positivum daretur.

Si contingeret, ut legati effectus præpediretur a conditione, sub qua factum fuisset, & quæ nondum evenisset tempore, quo de falcidia statuenda agitur; æquum non foret, ut cætera legata, quæ pura sunt ac simplicia, etiam præpedirentur. Quapropter oportet hoc in casu, ut hæres hæc legata solveret, & ut legatarii illa recipiendo se obligarent, (& quidem si opus esset sub cautione sufficienti), non modo erga hæredem sed etiam erga hunc legatarium, ad illud quod hoc legatum a suis detrahere deberet, reddendum, cum effectum suum obtinuisset (d).

Quemadmodum Falcidiæ jus ad solos hæredes pertinet: legatarius, cui testator mandasset quamdam summam tertio homini solvere, aut aliquid aliud quod insigniter imminueretur, aut etiam quod legatum suum prorsus annihilaret hoc jure uti non posset, & absolute teneretur testatoris dispositionem adimplere, legatumque suum repudiare. *Numquam legatarius, vel fideicommissarius ... utitur Legis Falcidiæ beneficio*. Talis est decisio Legis (e) sed Tertius iste homo teneretur attamen, *servata proportione*, ferre partem detractionis quam hæres. qui falcidiam exerceret, a toto legato faceret. Sic Jus Romanum id constituit. Quod tamen locum habere non debet respectu alimentorum, quæ iste legatarius. congruenter suo legato, tertio homini præbere teneretur. Nam, si post falcidiam a suo legato detractam, ipsi satis superesset unde hæc alimenta præberet, ad ea præbenda teneretur (f).

Equidem, secundum leges, legata in testamento militari facta, falcidiæ obnoxia non sunt: *In testamento militis jus legis Falcidiæ cessat* (g). Attamen quemadmodum certum videtur, belli Præfectum, aut militem testatorem consilium habere hæredi suo magis quam extraneis favendi, nec eum tota sua hæreditate expoliandi. si hæc legata totam vel fere totam hæreditatem exhaurirent, æquum foret, ut Judex tali incommodo mederetur.

Hæc materia amplioris est extensionis, quam cogitari posset, innumerasque difficultates includit. Præcipuas enodare conati sumus, utendo cognitionibus Docti Jurisconsulti Galli, quem laudavimus. Plures aliæ difficultates enodatæ reperientur in septuaginta quatuor decisionibus sequentibus. Quapropter plura de iis dicenda esse non putamus.

(a) In quantitate 73 §. 2. ff. eod. t.

(b) Domat. loco c p. 491 & l. 19

(c) Nov. 131. c. 12.

(d) Leg. Lex Falcidia 1. §. ... & L. 19 qui ... L. S. propter ... L. In quantitate 73 ff. ad L. Falcidiam ... L. 41. ibid.

(e) ... leg Falcidia 47. §. 1. ff. ad L. Falcid.

(f) L. liberto 21. § 1 ff de annuis legat. l. 33 ... & L. Cum Pater 77. § 1. ff. de leg. 2

(g) L. In testamento 7 cod. ad leg. Falcid. leg. in test 12. & leg Ne quidam 1. & leg. Omnes fin. l. 6. t. 21.

C A-

CASUS PRIMUS.

THEODECHILDA, nobilis mulier locuples plus quam 30000. libris annui redditus, periculose ægrotans, octo diebus ante suam mortem suum fecit Testamentum, quo multa legata sat notanda fecit, interque alia, unum 1000. librarum Hieronymo, qui confessiones suas audit; unum 6000. librarum Hermogeniano Advocato suo; unum 3000. librarum Fulconio Procucatori suo; & unam 4000. librarum Sorano Medico vel Pharmacopolæ suo.

Paulus, filius unicus hæres hujus Dominæ, his quatuor legatariis legatorum suorum solutionem denegavit; & existimat, illa irrita facere, utpote suggesta a personis, de quibus Leges judicant eas non capaces esse, quæ illis utantur, propter nimiam porestatem quam in animum testatorum habent; & præcipue cum agitur de mulieribus, quæ ægrotant. Nonne injusta est Pauli recusario?

RESPONS.

Jurisprudentia Decretorum tam parum constans atque uniformis est in articulis, de quibus in re exposita agitur, ut auxilium, quod inde elicere possimus, ad conscientiam dirigendam exigui admodum sit momenti: Attamen animus est, respectu uniuscujusque horum articulorum in peculiari, ad examen revocare agendi rationem, quæ in Foro adhibita fuit, quam plerique testatorum hæredes ad rem suam semper valde attenti, pro unica regula suæ conscientiæ sumpserunt.

Ab iis, qui confessiones audiunt incipiamus. RepeRiuntur Decreta pro & contra. Albertus (a) unum refert anno 1633. redditum; quod abrogavit legatum 300. lib. factum in gratiam cujusdam Confessoris nomine Cadarict. Aliud etiam datum fuit 8. Mensis Maji 1656. quo supremus Senatus Tolosanus nullum declaravit legatum, quo nobilis fœmina Du Puy villam Domino Costes Directori suo legaverat, quamvis legatum jam in duobus aliis Testamentis anterioribus reperiretur.

(a) Albertus v. Testament. art. 33.

Econtra multa alia Decreta pari in casu Confessoribus faventia reperiuntur: Basset (b) unum refert supremi Senatus Gratianopolitani, qui Decreto suo 9. Februarii 1635. articulum Testamenti in commodum Confessoris Testatoris facti confirmavit. D. Brillon (c) aliud citat, quod est diei 5. Junii 1620. Ricard (d) in Tractatu suo de Donationibus hanc quæstionem agitat, & dicit, quod in hac Decretorum varietate, lubenter sequeretur sententiam eorum, qui hujusmodi legata nulla declarant, *præcipue*, inquit, *cum legatum est notandum, & cum fit a persona debili, & cujus animus facile affici potest*.

(b) Basset to. 2. l. 5. t. 2. c. 8.

(c) D. Brillon. Diction. Decret. v. Legat. n. 306.

(d) Ricard. tract. de Donationibus.

Putamus quod addere debuisset, 1. quod probandum esset, Confessorem suggestione & sollicitatione usum fuisse, ut legatum sibi procuraret; 2. Quod clarius mentem suam aperire debuisset circa momenrum summæ legatæ; quandoquidem summa quædam notanda existimari vel non existimari potest variis rationibus, & respectu habito ad bona nomenque Testatoris.

Præses Faber, Jurisconsultus perspicacissimus (e), putat, non solum quod legatum Directori suo fieri potest: sed etiam quod tale legatum privilegium habere debet. Et revera si hoc legatum absque hæredum suorum incommodo ipsi fieri potuit; sine dubio coram omnis generis Tribunalibus confirmandum est, neglectis querimoniis iniquis hæredum avidorum, qui plerique nunquam contenti sunt locupletibus hæreditatibus, quæ in eorum commodum cedunt; & qui sæpe etiam improbis suis tricis forensibus, auctoritate sua fultis, miseros & antiquos Domesticos adigunt, ut contenti sint tertia, ad summum, dimidia parte ejus quod ipsis grato animo, vel benigne legatum fuit, ut sibi ad victum necessaria suppeditare possint, cum ad famulandum non amplius comparati sunt. Equidem, si Confessor officii sui ita oblitus fuisset, ut Testatorem ad sibi legatum relinquendum induxisset, atque si prævaricationis adeo indignæ convinci posset; procul dubio dignus esset, qui privatione sui legati plecteretur, quoque ut ignavus mercenarius tractaretur: verum, cum ipsi nec suggestio, nec inductio, nec fraus exprobrari potest; in Judicis potestate non est ipsi auferre id quod ei liberaliter datum fuit; cum nulla sit Principis Lex quæ testatoribus interdicat, ne tale donum faciant, nec quæ Confessorem ad illud recipiendum inhabilem reddat.

(e) Anton. Faber definit. 28. cod. de Sacrosanctis Eccl.

Quoad legata Medico aut Pharmacopolæ facta, Supremi Senatus ea nulla declararunt: sic ea de re judicavit Supremus Senatus Britanniæ minoris suo Placito 15. Julii 1632. a Frain relato (f). Boniface aliud etiam Supremi Senatus Aquisextani refert redditum 22. die Decembris 1674. (g). Illud adhuc exactius prohibitum fuit, cum legatum durante morbo, quo Testator mortuus est, factum fuit; ut id decrevit supremus Senatus Parisiensis Placito 22. Februarii 1617. in primario Senatus Tribunali reddito contra nominatim Gamort, Pharmacopolam (h), & rursus secundo Placito primæ diei Martii 1664. quod nullum declarat legatum a muliere suo Pharmacopolæ factum (i), congruenter ad Codicis Justiniani Legem hanc in rem latam ab Imperatoribus Valentiniano & Valente (K), quæ Medicis interdicit, ne quidquam ab ægrotis, nisi postquam plane sanati fuerint, accipiant. *Quos etiam ea patimur accipere quæ sani offerunt pro obsequiis: non ea quæ periclitantes pro salute promittunt.*

(f) Frain. Plaidoye 123. pag. 741.

(g) Boniface t. 2. t. 2. c. 9.

(h) Ricard. Tract. de Donationib. Par. 1. c. 3. sect. 9. n. 461.

(i) Du Frene l. 4. c. 11. & Dolive l. 5. c. 15.

(k) L. Archiatri 9. cod. de profess. & Medicis l. 10. tit. 52.

Sat innotescunt rationes, quæ Judices induxerunt ut se sevreos & exactos præberent in re quæ est tantæ prudentiæ consilii. Leges Romanæ sapienter providerant incommodis, quæ ex infidelitate & avaritia improbi Medici oriri poterant. Ejus exemplum videri potest in eo quod præcavet Lex quam in margine laudamus (l). Silentio prætermitrimus multa alia similia Decrera antiquiora a Supremo Senatu Burgundiæ reddita, de quibus Bouvet in suis Collectaneis loquitur (m). De Cambolas (n) unum etiam refert diei 21. Junii 1594. quod magis est singulare quam omnia præcedentia: nullam enim declarat donationem ab homine, cancro laborante factam fœminæ nobili, quæ illum tantum charitatis animo curaverat.

(l) L. Si Medicos 3. ff. de variis & extraord. cog. & c. l. 50. t. 13.

(m) Bouvet. to. 2. v. Testa. q. 2. & 22.

(n) De Cambolas l. 2. c. 3.

Verum est tamen, Decreta tutata esse legata Medicis aut Pharmacoplis facta, duobus in casibus Primo, quando Legatarius Testatoris cognatus erat. Sic referentibus Soesve & de la Guessiere, decretum fuit in supremo Senatu Parisiensi in gratiam Medici, cui Patruus ejus ægrotans legatum fecerat. Decretum est diei 18. Januarii 1662. (o). Secundo, quando Medicus ægroti, qui ipsi legatum fecit, non est Medicus Ordinarius, sed tantummodo ejus amicus. Quod ita decretum fuit ab eodem Senatu Supremo die 13. Aprilis 1658. (p).

(o) Soesve to. 3 cent. 1 c. 54. De la Guessiere t. 1. l. 4. c. 43.

(p) De la Guessiere t. 2. l. 2. c. 41.

Quod Decretorum Jurisprudentia his in duobus casibus approbat, non minus æquum nobis videtur in omni alio casu, ubi neque fraus, neque inductio a parte Medici, vel Pharmacopolæ, reperitur, & cum persona, quæ legatum fecit, mera generositate aut justa grati animi significatione, ad illud faciendum inducta fuit.

Rario qua nitimur eadem est quam celeber Dominus Talon attulit in conclusionibus quas in gratiam Chirurgi legatarii dedit, quasque Curia in Decreto quod in ejus gratiam pronunciavit die 31. Augusti 1665. secuta est (q). Nempe quod Medici, Pharmacopolæ & Chirurgi nunquam a Decretis declarati fuerint inhabiles qui legata reciperent, cum aliæ occurrerunt causæ, præter rationem solius suæ artis, propter quas legata promereri potuerant: quales sunt, non solum consanguinitas vel affinitas, verum etiam amicitia, fiducia, gratus animus, aliaque similia incentiva. Ac revera, neque Decretum an. 1539. (r) nec Declaratio quam Henricus II. ad illud explanandum postea dedit: nec denique articulus 276. Consuetudinis Parisiensis, ullo modo loquuntur de Medicis & Pharmacopolis tanquam de personis inhabilibus quæ a parte suorum ægrotorum legata accipiant, sed tantummodo de Tutoribus, Curatoribus Pædagogis, Tutoribus dativis (s) & Administraroribus: quia propter nimiam auctoritatem qua pollent,

(q) Id. l. 7. c. 31.

(r) Decret. an. 1539. art. 31.

(s) Gallice Baillistres, quia Judex illos dat Pupillis.

lent, qui sunt in tutela, pupilli, aliique qui ipsis submittuntur, jure cum plena perfectaque libertate, agere non existimantur. Itaque de iis judicandum fere ut de captivo, qui Custodi carceris in quo detinetur, vel iis qui curant, ut includatur, donationem facit: Quemadmodum enim talis donatio voluntaria, (non reputaretur) vel lubenter facta: pariter pupillus existimandus est non agere, nisi timore vel nimia veneratione, qua Tutorem suum prosequitur: & ecce rationem propter quam Lex clara est, omnesque donationes, quas facere potuisset, irritas facit. Verum nihil simile reperitur in legatis, quæ ægrotus libere & absque inductione sua Medico, aut Pharmacopolæ facit; quandoquidem a neutro pendet, & e contra in ipsius potestate est eorum opera non uti, si velit.

Tandem, respectu legatorum, Testatorum Advocatis, aut Procuratoribus, factorum, minor est difficultas: quia Decreta ipsis multo magis, quam aliis faverunt, ac imprimis Advocatis propter dignitatem & excellentiam suæ artis: quippe qui omnibus temporibus, & apud Ethnicos, sicut apud Christianos, maximi facti sunt. Quapropter supremi Senatus non putarunt, eos tractandos esse tanquam homines suspectos capacesque aliquid contra conditionis suæ honorem faciendi, hoc est, Clientes suos inducendi ad ipsis partem bonorum suorum relinquendam sub prætextu quod isti ministerio consiliisque illorum egerent. Hanc ob causam Curiæ Supremæ in eorum gratiam plura Decreta reddiderunt, quæ illis jus conservant quemdam fructum e legatis ipsis factis, etiam ab iis qui actu consiliis suis utuntur, percipiendi. Tale est Decretum quod reddidit supremus Senatus Parisiensis in gratiam Philippi de Gorillon Advocati, cui unus ex ejus Clientibus dereliquerat legatum 24 00. librarum, & smaragdum pretio centum duplionum ejus uxori, non complectendo omne id quod ipsi debebatur pro honorario ejus, quod fecerat pro Testatore in lite, quam habebat. Hoc Decretum est diei 8. Martii 1652. atque in Diario Forensium Prætoriorum reperitur (a). Datur adhuc recentius Decretum redditum die 29. Maji 1663. post conclusiones Domini Talon, Advocati Generalis, quod legatum 1020. librarum Edmo Didier, Parisiensi Advocato ab uno ex ejus Clientibus factum, confirmat. Soefve duo alia etiam refert (b) primum ab eodem supremo Senatu an. 1673. redditum in gratiam Jacobi Abraham, quem Antonius Pillot ejus Cliens etiam legatarium suum universalem fecerat; & secundum 2. die Aprilis 1675. pronuntiatum. Denique in Diario Fori aliud Decretum habemus, in Foro primæ Inquisitorum Curiæ an. 1684. pronunciatum, post conclusiones Domini De Harlay, tunc temporis supremi Senatus Procuratoris Generalis, in gratiam Heliæ Soulet, Religionis, ut vocant, Reformatæ Advocati Consilii Privati Regis; qui hoc Decreto confirmatus fuit in jure fructum percipiendi e legato decem mille nummorum, quod Domina de Mandegris, cujus Advocatus erat, ipsi ejusque filiabus fecerat.

(a) Du Fresne l. 1. t. 7. c. 5.

(b) Soefve to. 2. cent. 4. c. 85.

Fatendum tamen, hac in arte, sicut in omni alia, reperiri posse personas quæ rei suæ magis quam suo honori studentes, ab officio suo discedunt. Datur etiam Lex clara quæ id supponit. Prohibet enim Advocatis, ne sibi bonum Clientium suorum ullo pacto peculiari, eorum lite durante cum eis, facto alliciant. *Nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam recipit fidem, ineat Advocatus* (c).

Hunc in textum Interpretatio hanc ejus rationem reddit, (d) *quia omnia daret propter timorem litis sicut infirmus propter timorem mortis, pendente lite, ante vero & post, sic*. Ita ut si id contingeret, Curia, non magis Advocato, quam omni alii personæ parceret.

(c) Leg. Quisquis juris 6. cod. de postulando l. 2. t. 6.
(d Gloss. in d. leg. v. Contractum.

Respectu Procuratorum, reperiuntur multa Decreta, quæ ipsis non minus, quam ea quæ laudavimus, Advocatis favent.

Primum quod reperimus in Decretographis, est supremi Senatus Tolosani, prima die Aprilis 1642. redditom (e). Secundum est supremi Senatus Parisiensis prima die Martii 1646. redditum, quod confirmat legatum 600. librarum factum in commodum Magistri Nicolai Du Bois, a muliere pro qua operam impendebat in lite, quam coram supremo Senatu habebat. Tertium est supremi Senatus Gratianopolitani primæ diei Julii 1652. a Basset relatum (f). Quartum est supremi Senatus Parisiensis anno 1674. pronuntiatum, quod confirmat institutionem universalem, factam in commodum Procuratoris Floriopolis, a Domina quæ ejus Cliens erat. Quintum, quod maxime honorificum Procuratoribus, est etiam supremi Senatus Parisien. die 22. Junii 1700. redditum, quod confirmavit Francisco Pilon, Procuratori in Castelleto, legatum universale (quod existimabatur esse 15000. librarum) quod ipsi fecerat Domina Buat per Testamentum olographum tribus ante suam mortem annis, & cujus ipse depositarius erat: quamvis inter litigandum probatum fuisset, quod Pilon actu pro ista Domina cum nomen Testamento descriptum fuit, operam suam impendebat, & quod ab ea die semper in posterum continuaverat, & quod etiam illam consiliis suis adjuvabat in litibus quas coram supremo Senatu habebat; & quod singulare est, Dominus primus Præses, post decretum pronuntiatum, nomine Curiæ declaravit, ejus animum non esse auctoritate sua firmare donationes factas in commodum eorum qui negotia aliena administrant; & decisiones ejusmodi Causarum a circumstantiis factorum & personarum pendere; seque jamjam legatum, de quo litigatum fuerat, Francisco Pilon non adjudicasset, nisi quia ejus probitas, privatæque utilitatis neglectus ab omnibus agnita erant. Si idem de omnibus aliis dici posset, non amplius quereretur, sicut fit aliquando, de tot fallaciis atque suggestionibus indignis, quas per Decreta reprimere necesse est.

(e) Albert. v. Legat. art. 4.

(f) Basset. to. 1. l. 5. t. 2. c. 15.

Colligimus ex iis omnibus, quæ jamjam diximus, quatuor legata a Theodechilda facta legatariis solvi debere, Paulumque iis absque injustitia eorum solutionem recusare non posse, nisi adsint argumenta clara & certa, ab ipsorum parte dolum, aut terrorem, aut suggestionem adhibita fuisse, quæ libertatem, qua Testator frui debet, magnopere imminuere potuerint. Adde quod quatuor illa legata non nisi ad summam 14000. librarum, semel solutam, assurgant; quæ summa tanquam liberalitas modum excedens spectari nequit, respectu personæ nobilis, quæ fruitur plus quam triginta millibus librarum annui reditus; & quæ consequenter adhuc plus quam viginti novem millia librarum Paulo hæredi suo derelinquit.

CASUS II.

Chero, valde ægrotans, summam 3000. librarum Leodegundæ fratris sui filiæ legavit, si modo vitam religiosam & solitariam eligat. Hæc filia religiosum institutum sequuta est mense uno post mortem Cheronis; sed postquam per quinque aut sex menses institutum illud observasset, illi nuntium misit, & deinceps exegit legati sui solutionem, quam hæres defuncti ipsi denegavit, hoc prætextu quod conditionem sub qua Chero illud legatum ipsi fecerat, non adimpleverit. Hæres iste potest ne ingenue in sua recusatione perseverare?

RESPONS.

Fagnan (g) dicit, hanc difficultatem, quam Bartolus sibi format eam non solvendo, reperiri diremptam ab Angelo de Perusio (h), qui ad eam respondet cum distinctione, quæ nobis admodum sapiens videtur, dicendo quod, si ejusmodi filia bona fide vitam religiosam & solitariam elegisset, atque eam profitendi consilium habuisset, neque culpa sua illi vitæ nuntium misisset; ut, si rejecta fuisset propter ejus corporis constitutionem nimis infirmam, vel propter quoddam aliud vitium corporeum, quale foret comitialis morbus; legatum tali sub conditione factum ipsi acquisiturum esset; nec hæres ipsi absque injustitia ejus solutionem denegare posset, quando quidem conditionem sibi impositam pro viribus suis adimplevisset: quod Fagnan confirmat per unam e legibus Codicis Justiniani (i). Verum quod, si e contra hæc filia vitam religiosam, & solitariam non elegisset, nisi consilio solutionem legati sui adipiscendi, nec in ea vita permanendi; & revera illi vitæ nuntium misisset sua culpa, nec dimissa fuisset, legatum ipsi non deberetur; Existimaretur

(g) Fagn. in c. Porrectum. de regularibus n. 57.

(h) Angelus de Perusio consil. 259. n. 4.

(i) L. si quis 7. cod. de inst. & substitut. l. 6. t. 25.

enim

enim eam non adimplevisse conditionem, sub qua legatum ipsi factum fuerat. Quod idem Fagnan confirmat comparationibus, petitis a duabus Legibus Digesti (*a*), quas referre necesse esse non putamus.

(*a*) L. Inter 14. ff. de receptis qui arbitrium receperunt l. 4. t. 8. & leg. Qui sit ff. de solut. l. 46. t. 3.

Existimamus ergo, congruenter huic decisioni, quod, si Leodegunda vitam religiosam & solitariam bona fide non elegerit, sed solummodo consilio tres mille lib. quas Chero ipsi legavit, sibi accersendi hæres Cheronis ingenue non tenetur ad ipsi legatum suum solvendum postquam vitæ religiosæ nuntium misit, quandoquidem directe egit contra consilium testatoris, qui hoc in casu tale legatum, ipsi non fecisset: Verum quod si ejus consilium in Monasterium intrando sincerum fuerit, nec ex eo culpa sua exierit, illud legatum ipsi legitime debetur: cum suspicandum non sit Cheronem, qui illud ipsi fecit, contrarium in animo habuisse, nec ejus fuisse consilium cogendi hanc filiam ad rem, quam adimplere in ejus potestate non erat, ad literam exequendam.

CASUS III.

Hervæus, habitans in jurisdictione Fori Tribuni Capituli Parisiensis, per testamentum suum, Dionysio, uni ex ejus hæredibus, legat quatuor boves & gregem ovium, eum anteponendo aliis, quibus cum attamen vult, ut reliquum hæreditatis æqualibus portionibus dividat. Dionysium legatum accipit, posteaque ad reliquum hæreditatis Hervæi cum suis cohæredibus dividendum, se accingit: sed omnes isti huic partitioni se opponunt, & affirmant ejus legatum ipsi partis loco esse debere, quamvis quisque eorum partem multo magis notandam haberet, si omne id quod superest ad eos pertineret? An eorum oppositio justa est?

Respons.

Dionysii Cohæredum æqua est oppositio: Consuetudo enim Parisiensis, cui omnes subjiciuntur, fert verbis disertis: *Neminem simul esse posse hæredem & legatarium defuncti* (*b*). Quapropter, quandoquidem Dionysius legatum sibi ab Hervæo factum accepit: oportet ut abstineat a parte hæreditatis quæ sibi reditura erat; & quam pro jure suo sumere non potuit, nisi postquam legato suo renuntiaverit: sicut fert eadem Consuetudo, quæ dicit (*c*): *Attamen, si ille, cui datum fuerit, donationi suæ hærere vellet, ejus in potestate stat, ab hæreditate abstinendo (legitima hæreditatis portione aliis liberis reservata)*.

(*b*) Consuet. Parisiensis ar. 300.

(*c*) Ib. art. 307.

Hæc optio quam consuetudo Parisiensis hæredi legatario concedit, legatum sibi factum accipiendi, hæreditati nuntium remittendo; aut se se hæredem profitendi, legatum sibi factum repudiando, concessa fuerat per Decretum supremi Senatus Parisiensis, die 15. Augusti 1571. redditum; atque hoc fuit Decret. quod locum dedit Consuetudinis Emendatoribus hunc articulum an. 1580. addendi (*d*).

(*d*) Art. 307.

Jus nostrum moribus constitutum hac in re differt a Jure Romano, quo prælegata hæredibus testamentariis ac legitimis facere licebat: istaque legata, quæ leges vocant *Legata per præceptionem*, erant quasi præcipuum, quod hæres legatarius ab hæreditate defuncti desumebat, ejus integram in hæreditate partem non imminuendo (*e*).

Quando dicimus *Jus nostrum moribus constitutum*, non nisi de consuetudine Parisiensi quam laudavimus, aliisque ipsi consentaneis, loqui volumus. Dantur enim consuetudines quæ hac in re Legum Romanarum dispositionem sequuntur, prælegata admittendo. Talis est consuetudo Remensis (*f*).

Observare necessum est; 1. dari quasdam Consuetudines, ut Consuetudines Normaniæ, (*g*) Andegavensis, Turonensis, Juliodunensis, & Cenomaniæ, quæ liberis, commodis sibi factis adhærendi, libertatem non linquunt, quamvis hæreditati nuntium mittant, sed quæ eos ad ea referenda cogunt: ut sic patri & matri locus adimatur per prædilectionem comparandi quibusnam ex eorum liberis commoda adeo magna, ut alii liberi ad solam hæreditatis partem legitimam redacti reperiantur; dum eorum fratres, aut sorores maximam bonorum defuncti partem auferrent.

(*e*) §. Sed olim 2. instit. de legatis leg. 1. §. Qui vero. ff. quod legat. l. Qui fillabus. 17. ff. legat. 2. l. 30. t. 2. leg. 22. ff. de adimenda legat. leg. Hoc interd. 2. §. qui vero 6. ff. quod legat &c. l. 43 t. 3 novella 18. &c.

(*f*) Consuet. Remensis art. 23. 287 & 288.

(*g*) Consuet. Normaniæ ar. 434.

2. Omnes Consuetudines, quæ verbis generalibus & absque distinctione ferunt, neminem simul hæredem & legatarium esse posse, intelligendas esse, non solum de linea recta ascendenti & descendenti, verum etiam de linea collaterali. Quandoquidem enim hæ Consuetudines, quæ Legis locum habent, non distinguunt, neque etiam distinguendum est inter hæc duo, pro hac Juris sententia: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus* (*h*). Quod reipsa pronuntiatum fuit Decreto supremi Senatus Parisiensis, reddito in Tribunali primarii Senatus die Aprilis 1661. quo Curia pronuntiavit articulum 72. consuetudinis Senonensis, qui verbis generalibus fert, *neminem per testamentum aliquid præcipui dare posse uni ex ejus hæredibus, aut eorum liberis, iis antelegando, aut alio modo*, de linea collaterali, æque ac de linea recta, intelligendum esse. Quod Carondas affirmat pariter etiam decretum fuisse in Consuetudinibus Sylvanectensi & Claromontana, quæ cum Consuetudine Parisiensi congruunt.

(*h*) Arg. Legis de pretio ff. de publiciana in rem actione l. 6. t. 2.

3. Idem dicendum esse de hærede beneficiario, secundum Decretum 15. Martii 1564. quod Carondas refert, & secundum duo alia Decreta a Lovet laudata, (*i*) alterum diei 2. Augusti 1577. & alterum 20. Augusti 1600. Brodeau idem dicit.

(*i*) Lovet. lit. H. n. 4.

4. In Consuetudine Parisiensi, aliisque ipsi congruentibus in articulo, de quo agitur, testatorem unius ex ejus hæredibus partem alteri subrogare non posse, si contingat, ut ille qui subrogatus fuit nullos habeat liberos: quia talis substitutio, si res eveniret, legati locum haberet, & quia ille in cujus commodum hæc substitutio cederet, simul hæres & legatarius reperiretur; contra Consuetudinis verba Ricard hanc quartam observationem facit, & dicit (*K*), illud pronunciatum fuisse quatuor Decretis differentibus supremi Senatus Parisiensis. Primum est 2. Julii 1639. infirmans Sententiam Castelleti diei 28. Aprilis 1638. Secundum, redditum in Tribunali Curiæ Edicti 7. Augusti 1647. Tertium, sicut primum, pronuntiatum in primarii Senatus Tribunali 2. Martii 1654. Quartum pronuntiatum super provocatione de sententia reddita in Tribunali Libellorum supplicum, 31. Martii 1654. & quo in foro Ricard causam dicebat.

(*k*) Ricard. Tract. de substitutionibus c. 4. n. 175. & seqq.

5. Quod si ille qui hæres est in consuetudine Parisiensi, legatarius sit fundi in alia consuetudine differenti, ubi hæres non sit, legatum suum exigere potest, hæredis qualitatem suam, quam in Consuetudine Parisiensi habet, non amittendo. Talis est sententia Tournet, Joli, L'Abbe, & Troncon.

6. Dari quasdam Consuetudines, quæ permittunt esse hæredem & legatarium in linea collaterali, quamvis id probibeant in linea recta. Uno verbo, his in materiis sola Consuetudo ad Decreta in ejus explanationem reddita, sunt regula sequenda in decisione difficultatum quæ formari possunt.

7. Denique, quod secundum articulum 301. Consuetudinis Parisiens. idem homo donatarius inter viventes & hæres in linea collaterali esse possit: Consuetudines Aurelianensis, Montargiensis, & Caletensis idem ferunt: quod congruit cum Jure Romano (*l*) & adversatur quibusdam aliis Consuetudinibus, ut Consuetudinibus Blesensis (*m*) & Rupellensis (*n*).

(*l*) L. in successione 3. cod. de legit. hæredib. l. 6. t 58. & ibid.

(*m*) Consuet. Bles. ar. 167.

(*n*) Consuet. Rupell. ar. 41.

CASUS IV.

Adolphus Gustavo fecit legatum his verbis conscriptum. Rogo Titium, hæredem meum, ut Gustavo 1000. libras dare velit. Titius tenetur-ne hoc legatum dare legatario, quamvis Adolphus illud ipsi expresse non imperaverit, sed eum hac de re rogare sat habuerit?

Respons.

Procul dubio Titius ad 1000. libras Gustavo solvendas absolute tenetur. Quoquo modo enim Testator voluntatem suam exprimat, hæres eam adimplere tenetur, æque ac si Testator illud ipsi verbis disertis mandasset. *Omne verbum*, inquit Lex (*o*), significans testatoris legitimum sensum, legare vel fideicommittere volentis utile atque validum est, sive directis verbis, quale est; Jubeo: sorte, sive precariis utatur testator; quale est: Rogo, volo, mando, fideicommitto. Quapropter expressio in formula rogationis, qua usus est Adolphus, consideranda non est, nisi sicut urbanitas & comitas

(*o*) L. Omne verbum 2. C. commoniis de legat. &c. l. 6. t. 43.

tas qua hæredem ſuom cohoneſtare voluit: quod impedire nequit, qoominus ejus voluntas perficiatur eadem cum cura, ac ſi alio modo ſeſe explicaviſſet En ejus rationem quam reddit Imperator Juſtinianus hac in Lege. *Nos enim non verbis; ſed ipſis rebus legem imponimus.*

CASUS V.

AUGUSTINUS, 20. annos natus, mortaliter ægrotans, fecit ſuum teſtamentum, quo Paulino ſuu tutori, ſummam 1000. Nummorum legat, in grati animi ſignum, pro curis quas erga ſuam perſonam & in bonia ſuis adminiſtrandis adhiboit. Eo defuncto, ejus fratres hoc legatum tutori ſuo facere non potuiſſe contendunt; quia ſuſpicandum eſt hunc illud legatum ſibi conciliaviſſe per nomen ſuum tutoris, & propter auctoritatem, qua hoc nomine erga Pupillum ſuum pollebat. Hanc in rem quærirur, an Auguſtini fratres abſque injuſtitia Paulino hujus ſummæ ſolutiooem recuſare poſſint?

RESPONS.

Secundum legem Regni Galliarum, diſpoſitiones teſtamentariæ factæ a Pupillo in gratiam ſui Tutoris, Curatoris, Cuſtodis, vel alius Adminiſtratoris, per tempus eorum adminiſtrationis, irritæ ſunt. Id fert Decretum Franciſci primi pronuntiatum menſe Auguſto 1539. (a) cujus „ hæc ſunt verba: Declaramus omnes diſpoſitio-„ nes inter vivos, aut teſtamentarios, deinceps „ faciendas a donatoribus aut teſtatoribus, in „ commodam & utilitatem ſuorum tutorum, cu-„ tatorum, cuſtodum, tutorum dativorum, alio-„ rumque ſuorum adminiſtratorum, irritas, nul-„ liuſque effectus ac pretii eſſe.“ Quod confirmatum ſuit ab Henrico II. per ejus Declarationem menſis Febr. 1549. (b) quæ addit, tales diſpoſitiones factas per perſonas interpoſitas a dictis tutoribus per tempus ſuæ adminiſtrationis, pariter irritas eſſe, ſive inter vivos, ſive cauſa mortis, factæ ſint.

(a) Decr. an. 1539. ar. 131.

(b) Job. Nav. conſil. in ſupr. 2 ſen v. Donationes.

Unde ſequitur, fratres hæredes Auguſtini, ſine injuſtitia poſſe denegare Paulino ſolutionem 1000. librarum, a pupillo ſuo ipſi legatarum, cum ſolum tutoris nomen eum reddat inhabilem, qui tale legatum percipiat.

Hæc deciſio confirmari poteſt hac ſententia generali: per conſcientiam tenemur nos ad Leges Principis & ad varias Conſuetudines receptas cooformare. Itaque cum Princeps declaraverit tutores & curatores ulla legata ab iis qui ſunt in tutela, aut a pupillis accipere non poſſe, ei quod Princeps ſtatuit hærendum eſt, & de iis eodem modo rariocinaodum eſt, ac de nothis, de extraneis, & de perſonis capite damnatis, quos omnes Princeps declaravit inhabiles qui parentum & cognatorum hæreditatem caperent, ſive ab inteſtato, ſive alio modo.

CASUS VI.

PETRUS teſtamento ſuo 1000. libras legavit, ut ab Iſaaco, hærede ſuo, ad certum uſum determinatum impenderentur. Sed Iſaaco placet illam ſummam ad alium uſum certiſſime otiliorem majoriſque momenti impendere. Nonne ſine peccato hanc deſtinationem immutare poteſt?

RESPONS.

Iſaac auctoritate ſua propria hanc deſtinationem mutare nequit. Ratio eſt, quod hæres nullum jus ad bæreditatem bonorum defuncti habeat, niſi ea lege ut ultimam ejus voluntatem exequatnr, muneraque ipſi impoſita adimpleat. Attamen, quemadmodum aliquando juſtæ dari poſſunt cauſæ cur hæc mutatio fiat, Judex civilis hærede poſtulante haoc mutationem reſpectu legatorum proſanorum, (& poteſt,) jubere Præfectus Eccleſiaſticus reſpectu legatorum piorum, ſicut declarat Gregorius IX. in una ex ſuis Decretalibus (c) quam e ſcriptis S. Gregorii magni deſumpſit, quamque confirmat Lege Imperatoris Juſtiniani (d), aliaque Lege Digeſti (e) quamvis nominatim has Leges non deſignet. Iſte Papa alibi adhuc (f) hanc eamdem Juriſprudentiam ſtatuit, in Epiſtola Decretali, quam ad Epiſcopum Noviodunenſem ſcribit. Quemadmodum illæ duæ Decretales fere integræ hic tranſcribendæ eſſeot, ut Deciſio hujus Papæ reſpectu legatorum piorum innoteſceret, eas tantum illis qui eorum verba legere volent indicabimus. Hæc Deciſio cum ſeotentia Auctoris Colloquiorum Condomenſiom (g). Ceterum ſi lis oriatus Judex Civilis etiam de legatis piis pro uſu noſtro cognoſcit.

(c) Greg. IX. in c. Nos quidem 13. de teſtam. & ultimis volunt. l. 3. t. 26.

(d) l. Sancim. 45. C. de Epiſ. & Clericis l. 9. t. 3.

(e) L. Hæreditas ff. de hæred. petitione l. 1. t. 3.

(f) Greg. IX. in c. Tua nobis 17. de Teſt. &c.

(g) Coll. Condom. to. 2. coll. 13. ſect. 2.

CASUS VII.

AUMUNDUS per ſuum Teſtameotum Legavit Summam 5000. lib. ut impederentur in conſtruenda Aula, quam Ædibus Ptochodochii Urbis, cujus erat incola, addi volebat, & poſtea evenit ut hæc Aula munificentia alius perſonæ benignæ conſtructa ſuerit, vel ut miniſtratores hanc Aulam Prochodochio inutilam eſſe declaraverint, Gervaſius bæres Aumundi hoc legatum ſervare & in commodum ſuum vertere voluit, cum effectum ſuum obtinere non poſſet: Verum iſti Adminiſtratores ejus conſilio obſtiterunt, contenduntque ſummam legatam ſolvendam eſſe, ut ad alias neceſſitates pauperum, quos corant, impendatur. Poſſunt ne juſte ad illam ſommam ſolvendam cogere?

RESPONS.

Hujus Ptochodochii Adminiſtratores proculdubio Gervaſium ad ſibi ſolvendas 5000. lib ab Aumundo legatas, jure cogere poſſunt. Couſtat enim teſtatoris conſilium certum fuiſſe hanc ſummam a bonis, quæ Gervaſio hæredi ſuo derelinquebat, detrahendi, eamque in ſolatium pauperum conſecrandi, & jure ſuſpicandum eſt, quod ſi prævidiſſet fore, ut alius Aulam, de qua agitur, ædificaret, vel ut Adminiſtratores eam neceſſariam non judicarent, certiſſime eamdem ſummam deſtinaſſet, ut pauperibus hujus Ptochodochii alio modo utiliori ſuccurreretur. Adamuſſim autem ſequenda eſt teſtatorum voluntas; quando ſat innoteſcit, ut voluutas Aumundi nota eſt, *ſemper* veſtigia voluntatis ſequimor teſtatorum, ait Lex (h). Ergo Gervaſius hoc legatum in commodum ſuum vertere nequit. Uno verbo, cum hæc ſumma Deo, in perſona pauperum conſecrata ſuerit, hæres illam ſervare non poteſt, quio quodammodo ſacrilegii reus ſit. Quapropter impendi debet in aliis auxiliis huic Ptochoduchio procurandis, prout iis qui illi gubernando præpoſiti ſunt, viſum fuerit. Hæc deciſio congruit com Diſpoſitione Legis Digeſti quam in margine indicamus (i).

(h) L. Quidam 5. cod. de neceſſariis ſervis hæred. inſtituendis vel ſub l. 6. t. 27.

(i) L. legatum 26. ff. de uſu & uſufruct. &c. l. 33. t. 2.

CASUS VIII.

PHILOLOGUS ſuo teſtamento 10000. lib. ſocietati Religioſæ legavit ad cubiculum dormitorium ædificandum; declaravitque ſuam voluntatem eſſe ut hæc ſumma ab hærede ſuo non ſolvatur, ſi ſorte contigerit ut in uſum non adhibeatur.

Hæc ſocietas illud legatum recipere nequit, quia cum auctoritate Principis conſtituta non fuit. Hæres poteſt ne illæſa conſcientia 10000. illas libras in commodum ſuum ſervare?

RESPONS.

Philologi hæres hanc ſummam ſervare non poteſt ut eam ſibi aſſerat. Ratio eſt, quod legata pia hoc propitium habeant, ut ſi ad uſum, cui a teſtatore deſtinata fuerant, applicari nequeant; Præfectus Eccleſiaſticus, ut voluntatis teſtatorum defunctorum Interpres, illa ad quidquam aliod deſtinandi jus habeat, quamcumque clauſulam contrariam teſtamentum complectatur; cum talis clauſula Juri Eccleſiaſtico adverſetur, ut patet his verbis Decret. Gregorii IX. (K) *Cum igitur in omnibus piis voluntatibus ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defuncti voluntatem univerſa procedant: licet etiam a teſtatoribus id contingeret interdici; mandamus, &c.*

(k) Greg. IX. in c. Tua nobis 17. de Teſt. &c.

Diximus, *Ut Interpres voluntatis teſtatorum defunctorum.* Qualitas eſt enim quæ jure ad Epiſcopos pertinet, prout declarat idem Summus Pontiſex: non ſolum in Decretali quam mox laudavimus; verum etiam in pluribus aliis (l), cui congruunt hæc Concilii Tridentini verba (m); *Epiſcopi ... in caſibus a jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum, tum in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint executores.*

(l) Id. in c. Nos quidem 3. & in c. Joannis 19. Item con Mogunt. in c. ſi heredes 4. eod. t.

(m) Con. Trid. ſeſſ. 22. c. 8.

Operæ pretium eſt tamen obſervare, quod, cum dicimus, ſolum Epiſcopum ultimæ defunctorum

volun-

voluntatis Interpretem esse, id intelligendum sit de casibus, in quibus de re ipsa nulla lis orta est. Cum enim litigatur, secundum Galliæ Jurisprudentiam, Judicis Regii est ea de re judicare, neglecto eo quod hanc in rem statuit Concilium Tridentinum, cujus Decretum hoc in Regno circa istam materiam, receptum non est.

CASUS IX.

Gentianus testamento suo 50. libras annui reditus Ptochodochio S. Jossæi dereliquit, ut pauperes liberi artem quamdam edocerentur, ea lege ut e familia sua oriundi, si quidam darentur, aliis anteponerentur; Antonia, mulier inops, testatori genere proxima, beneficii causa ab administratore Ptochodochii obtinuit usum alius reditus annui per tempus vitæ suæ, etiam instigantibus ac consentientibus aliis cognatis, & hoc auxilio per multos annos vixit; ac deinceps illum reditum annuum eidem Ptochodochio permisit, quia feliciter parva hæreditas ipsi obvenit. Hac de re quæritur 1. An Administrator usum hujus annui reditus Antoniæ propter magnam ejus inopiam, ingenue concedere potuerit, damno pauperum liberorum, in quorum gratiam Legatum factum fuerat, & contra Concilium Gentiani. 2. An, supponendo quod id facere non potuerit absque peccato, teneatur ad id omne restituendum quod Antonia ex eo reditu annuo percepit, a tempore quo eo usa est, si evenerit ut hæc mulier hanc restitutionem non faciat, sicut ad eam faciendam prima tenetur. 3. Num Antonia, cum ad eam restitutionem teneatur nec amplius eam facere possit: propter donationem maximæ partis hæreditatis quæ ipsi obvenit, hæredibus suis præsumptivis factam, hanc donationem infirmare debeat, si possit, ut ad eam restitutionem faciendam se accingat. 4. Denique, posito se hanc donationem infirmare non posse: ad quid teneatur, ut ejus conscientia in tuto sit?

Respons.

Doctus Theologus (a) a quo de quæstione æque difficili consilium petitum fuerat, ad eam respondit 2. Junii 1672. dicendo, Ptochodochii administratorem, illæsa conscientia & absque aperta injustitia, usum 50. libr. annui, reditus Antoniæ, etiam inopi, & testatoris cognatæ, concedere non potuisse; cum ipsi non liceret auctoritate sua privata hujus legati destinationem immutare, quin testatoris voluntatem fraudaret, manifestamque pauperibus liberis, ad quos legatum pertinebat, injuriam inferret.

(a) De sainte Beuve tom. 2. cas. 131.

Auctoritates quas in decisionibus præcedentibus retulimus, veritatem ejus quod ille Doctor profert, clare probant: cum solus superior legitimus talem commutationem faciendi jus habeat, quantumvis æquæ sint rationes eam faciendi: Itaque dicendum est, 1. Antoniam primam teneri ad ea omnia quæ ex annuo reditu percepit restituenda, eaque impendenda, congruentes consilio Gentiani, ut pauperes liberi defuncto genere proximi, si dentur vel desint, alii artem edoceantur. Ideoque uti debere omnibus modis adhibendis ac legitimis ad hoc munus adimplendum, sive donationem a se hæredibus suis præsumptivis factam, si adhuc penes eam sit, revocando; sive iisdem hæredibus repræsentando se illis hoc bonum ingenue derelinquere non potuisse eosque adhortando ut illud pront debent, restituant; aut denique, si forte id recusent pro viribus parce vivendo, ut saltem partim, si in integrum nequeat fieri, bonum illud restituat. 2. Si Antonia restituere non possit, aut cum posset si restituere nolit, nec etiam ejus hæredes præsumptivi; Ptochodochii administrator eorum loco ad eam restitutionem certissime tenetur; cum præcipua sit causa injuriæ egenis liberis illatæ; in quorum commodum tantum 50. libræ annui reditus cedere debebant.

CASUS X.

Tertullus Manfredo summam 2000. librarum legavit his verbis *Do Manfredo 2000. libras, quia magnas curas adhibuit in persequenda capitis lite quam Joannes mihi intendit, & quia anno præterito me salvum & incolumem servavit, me tuendo contra latrones, qui mihi vitam adimere volebant.* Manfredus post obitum Tertulli obtulit se hæredi, ab eoque sui legati solutionem petiit. Verum hæres in manu habeas argumenta certa hunc legatarium nullo modo Tertulli liti capitali sese immiscuisse, neque cum Tertullo fuisse quo tempore a Latronibus appetitus fuit, ejus solutionem ipsi denegat. Nonne ingenue denegare potest, cum ambo legati incentiva in testamento Tertulli prolata, falsa sunt?

Respons.

Legatum 2000. librar. Manfredo legitime debetur, nec Tertulli hæres ab eo solvendo juste abstinere potest. Cum enim testator clare loquutus est respectu legati quod alicui facit, ejus dispositio testamentaria semper subsistit, quamvis addat quædam incentiva pro quibus eam fecisse videtur, & licet ea incentiva veritati contraria reperiantur. Ratio est, quod sola testatoris voluntas sufficiat, nulla cujusvis incentivi (quod habita), ratione, ut dispositioni majus pretium addatur, exprimi solet (:); & quod incentivum quod illi apponere voluit, notet solummodo, vel testatorem errasse illud apponendo, vel honore afficere voluisse legatarium, suamque dispositionem æquiorem & faciliorem reddere. *Falsam causam legato non obesse verius est*, inquit Lex ((b), *quia ratio legato non hæret*. En adhuc ut loquitur alia Lex quæ est Imperatoris Justiniani. *Longe magis legato falsa causa adjecta non nocet. Veluti cum quis ita dixerit*. Titio, quia me absente negotia mea curavit, stichum do, lego; *vel ita*: Titio quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus sum, stichum do, lego. *Licet enim neque negotia testatoris unquam gesserit Titius, neque patrocinio ejus liberatus sit; legatum tamen valet* (c).

(b) Leg. Cum talem 72. § 6. ff. de conditionib. & demonstrat &c. Item Leg. Demonstratio. 17. P. 2. eod. tit. 35. tit. 2.

(c) P. Loco 31. Institut. de legatis lib. 2. tit. 20.

Verum plane aliter re sese haberet, si testator ita incentivum suum enuntiasset, ut clare significasset, se hoc incentivo conditionem apponere, a qua effectum suæ dispositionis pendere volebat. Verbi gratia, si dixisset; Do 2000. libras Manfredo si evenerit ut in persequenda lite quam Joannes mihi intendit, me adjuvaverit. Tunc enim non amplius foret simplex incentivum; sed conditio quæ effectum suæ dispositionis ad tempus præcluderet, usquedum veritas manifesta fieret: & propterea etiam prima Lex quam laudavimus addit. *Sed plerumque doli exceptio locum habebit: si probetur alias legaturus non fuisse*. Imperator Justinianus addit etiam hanc exceptionem post verba quæ retulimus: *Sed si conditionaliter enuntiata fuerit causa*, inquit, *aliud juris est; veluti hoc modo:* Titio, si negotia mea curaverit, fundum meum do, lego (d).

(d) Cit. P 31. in fine Item cit. leg. Demonstratio.

CASUS XI.

Pamelius cum oppignerasset domum quam per Testamentum suum Cajo legaverat, ut haberet locum hypothecæ summæ 7000. librar. quam in urgenti necessitate ad quam redactus fuerat a Thierrico mutuo sumpserat, & cum etiam stipulatus esset quod hæc domus ad Thierricum pertineret, si forte hanc summam intra biennii spatium ipsi non redderet, supremum diem obiit anno post mutuationem factam. Cujus solutionem hujus legati petiit ab hærede defuncti, qui eam ipsi denegavit, affirmando oppignerationem & stipulationem evidens esse argumentum infirmationis hujus legati, cum voluntatis testatoris mutatio adeo manifesta sat dilucide significet, ejus consilium fuisse si necessitate rerum suarum premeretur, illud revocandi.

Nonne pro hærede Pamelii stat ratio? & nonne ingenue a domo Cajo liberanda abstinere potest, cum ejus dominus non sit, oppignerataque sit Thierrico, ad quem si forte non solvatur, hæc domus pertinebit?

Re-

RESPONS.

Pro Pamelii hærede ratio non pugnat; teneturque ad legatum Cajo solvendum, & ad eum in domus possessionem mittendum, quamvis testator illam Thierrico oppigneraverit, ut 7000. libræ, quas ab eo mutuo sumpsit, In tuto ponerentur, cum talis oppigneratio post testamentum facta, non sufficiat ad legatum revocandum. Ratio est, quod quamvis homo testamentum suum fecerit, attamen semper in ejus potestate sit bonis, de quibus statuit, utendi, & eorum usus non delet dispositiones suas testamentarias, quæ pro statu suorum bonorum tempore sui obitus effectum suum habere, vel non habere possunt. Ita ut si res oppignerata ad eum adhuc pertineat antequam moriatur, legatarius ejus fiat dominus. Domus autem, de qua agitur, ad Pamelium adhuc pertinebat eum supremum diem obiit. Ad Cajum ergo, cui eam legaverat, transire debet; quod verum est, quamvis alienatio oppignerationem sequi possit. Cum enim alienatio nondum evenerit, dominiumque ejus domus testatori usque ad ejus obitus momentum permanserit; ejus hæres qui hæreditatem recipere non potuit, quin simul debitorum annexorum onus sibi imposuerit; ad domum redimendam & eam liberam omnique noxa solutam Cajo legatario addicendam, tenetur. Ita Jus de re judicavit (a); *Qui post testamentum factam*, inquit Lex, *prædia quæ legavit, pignori vel hypothecæ dedit, mutasse volantatem circa legatariorum personam non viderar; & ideo etiamsi in personam actio electa est: recte placuit ab hærede prædia liberari*. Quod deinde ab Imperatore Justiniano approbatum ac confirmatum fuit (b); Verum hoc intelligendum est, posito hæredem sibi aliunde per hæreditatem alia bona accersivisse, quæ ad 7000. libras Thierrico debitas solvendas sufficerent.

(a) Leg. Qui post. 3. cod. de legatis lib. 8. tit 37.

(b) Institut. l. 2. tit. 20. de legat. P. 12.

Equidem Jus Romanum (c) distinguit inter testatorem, qui sciebat rem quam legabat oppigneratam esse, & testatorem qui id ignorabat. Sed quemadmodum omnis testator semper existimatur perfectam notitiam ejus quod facit habuisse; Usus noster nullas ejusmodi Juris subtilitates admittit. Qua propter iis quæ diximus hærendum est, nempe hæredem ad rem legatam redimendam teneri, & legatarium ad id cogi non posse, nisi testator hoc oneris ei imposuerit.

(c) Leg. Prædia 6. Cod. de fideicommissis l. 6. tit. 42. & Leg. Si res P. 7. Inis. ff de legat. & fidei com. l. l. 30. t. c

CASUS XII.

Carpophorus periculose ægrotans, testamentum suum fecit, quo domum suam Theotimo legat. Cum ex morbo convaluisset, ejus partem diruendam reficiendamque curat; Sex mensibus post idem facit respectu alterius partis, ita ut intra biennium domus integra iteratis vicibus & per partes de novo restaurata reperiatur. Deinceps supremum obit diem absque quo quidquam in testamento suo commutaverit. Theotimus legati sui solutionem ab ejus hærede petit: hæres affirmat legatum infirmatum fuisse per magnas mutationes domui a defuncto factas, & cum ista domus, cum eam legavit, adeo antiqua esset, ut eam reædificare coactus fuerit, æquum non esse domum novam habeat; cum suspicandum non sit, eum qui domum ruinosam legavit, consilium habuisse novam domum legatario suo dandi. Num hæres in sua recusatione æquo rectoque nititur?

RESPONS.

Respondemus Carpophori hæredem æquis rationibus non niti, dum recusat Theotimum in domus ipsi legatæ possessionem immittere. Ratio est, quod mutatio partium, quæ totum componunt, non impediat quin hoc totum sicut unum ac idem considerandum sit; ideoque quominus hæc domus, identidem & per partes prorsus restaurata, eadem domus existimetur.

Talis est decisio Legis quæ dicit (d): *Si domus fuerit legata, licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia supersit, tamen dicemus utile manere legatum*. Atque de hac domo idem dici potest ac de ovium grege, quia tempore quo legatus fuit ita renovatus est, ut quo tempore obiit testator, nulla ovis, ex illis quæ gregem componebant, superfit; Quemadmodum enim grex iste, quamvis omnino & ex toto per vices mutatus, semper idem esse existimatur, & ad legatarium, cui ante hanc mutationem legatus fuisset, pertineret: pariter domus de qua agitur, certissime pertinet ad Theotimum, cui Carpophorus eam ante mutationes factas legaverat; quandoquidem sicut eadem ac antea erat consideranda est: Quemadmodum Legio vel Cohors militum, eadem Legio vel Cohors est, licet progressu temporis, ne unus quidem miles, ex iis qui hoc Agmen componebant, superfit.

(d) Leg. Si ita 25. Pl. fin. ff. de legatis 1.

Hanc decisionem adhuc firmare possumus exemplo Navis, quæ, cum legata fuerit, ad legatarium pertinebit, & si a legato facto, de novo reædificata fuisset, prout declarat alia Lex his verbis (e); *Si autem legavero & specialiter meam adscripsero, eamque per partes totam refecero, Carina eadem manente nihilominus recte a legatario vindicaretur*. Dicendum, quod, quandoquidem Carpophorus nihil immutavit in suo testamento, a tempore quo domum suam restauravit eo modo quo fert narratio, ejus consilium fuit de ea Theotimum gratificandi, & quod consequenter ejus hæres ad legatarium in ejus domus possessionem immittendum tenetur.

(e) L. Quod in rerum natura 24. P. fin. ff. eod. tit.

CASUS XIII.

Aristobulus cum testamentum suum ante obitum fecisset, legatum 4000. lib. S. Antonii Ædi sacræ legavit, ea lege ut Pastor & Æditui illud legatum collocarent in acquirendo Contractu 200. librarum annui redleus, ad solvendum honorarium sacrificii sine cantu, quod in perpetuum hac in Æde sacra ad animæ suæ requiem quotidie celebrabitur. Conradus testamenti curator defunctique hæres, hanc summam iis ea conditione numerare pollicetur. Verum Pastor & Æditui hoc legatum recusant. An Conradus post eorum recusationem has 4000. lib. illæsa conscientia sibi vindicare potest?

RESPONS.

Si Aristobulus in testamento suo singulatim non designaverit, aut saltem viva voce declaraverit, Conradum illas 4000. libras sibi vindicare posse si forte Pastor & Æditui hoc legatum accipere recusarent, certum est per conscientiam teneri ad hanc summam ad alia pia opera adhibendam, 1. Quia fieri potest ut defunctus præceperit, ut hæc summa ad illud bonum opus impenderetur, ad quasdam restitutiones incertas exsolvendas, quibus hoc modo satisfacere se teneri existimabat, quo casu hæres qui una eademque persona cum defuncto existimatur, in eo quod ad ejus obligationes spectat, æque ac ipse ad eas exsolvendas teneretur. 2. Quia Conradus persuasum habere debet, quod, quamvis Aristobulus ad nullam restitutionem teneretur, ejus consilium præsumptivum fuerit, ut hæc summa hoc in casu ad quoddam aliud pium opus in animæ suæ solatium, impenderetur. Hic hæres igitur sine peccato contra justitiam, & absque ingrati animi vitio erga defunctum, in commodum suum accersere non potest id quod defunctus detraxerat de bono quod ipsi relinquebat, quodque Deo ac Ecclesiæ consecraverat (f).

Prompte etiam hoc officio fungi debet, siquidem secundum S. Antoninum (g), illi qui pia legata solvere differunt quoddam sacrilegium committunt, sic sentiente Divo Hieronymo (h): *Qui detinent legata facta Ecclesiis, vel aliis piis locis, & non solvunt, sacrilegium committunt, large tamen sumendo*: ait S. ille Archiepiscopus: *Unde Hieronymus*. « *Amico aliquid subtrahere furtum est; Ecclesiam vero defraudare, sacrilegium est* ». Ejus ratio quam sanctus ille reddit, est, quod etsi hæc dilatio animæ testatoris nocere nequeat, quoad meritum gloriæ quam acquisivit statim atque hoc pium legatum præcepit, illi tamen multum noceat quoad expiationem pœnarum ad quas teneri potest erga Justitiam divinam. « Et tales, multum differendo, addit etiam S., utique peccant, quamvis enim non » noceat hoc animabus defunctorum, qui illa legaverunt, quantum ad meritum dignû præmio gloriæ,

(f) De Gener. Th. mor. to. 1. tract. cap. 5. dem 1.

(g) S. Anton. 2. part. summ. Th. t. 11. P. 5.

(h) S. Hieron. in Can. Gloria. 72. 12. q. 2.

„ tiæ , quia ex ipsa ordinatione Ecclesiæ facienda consecuri sunt meritum ; nocet tamen , „ quantum ad expiationem pœnarum , quibus „ est debitor , quia non ita cito evadet vel sub„ levabitur , unde dicuntur tortores animarum.

Hæc decisio confirmari potest quarto Concilio Carthaginensi , anno 398. (a) habito , in Gratiani Decreto relato, quod vult, ut qui differunt fangi officio adeo inevitabili excommunicentur. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis , aut difficulter reddunt tanquam egentium necatores , excommunicentur.* Aliud Concilium in Gallia habitam anno 442. (non minus fortiter de eo loquitur; valt enim ur sicut infideles ac homicidæ habeantur illi qui hoc in casu reperiuntur : En ejus verba. *Qui oblationes defunctorum retinent & Ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi : quia usque ad exanitionem fidei pervenire certum est banc pietatis divinæ exacerbationem; quia & fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine & pauperes consolatu alimoniæ & necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores , nec credentes judicium Dei habendi sunt.*

(a) Concil. Carthag. 4. in cit. can. Qui oblationes 9. 13. q. 2.

(b) Concil. Vasens. 1 Can. 4. in Can. Qui oblationes. 10 ead. caus. & q.

C A S U S XIV.

Eradius testamentum suum fecit coram Parœciæ suæ Pastore præsentibus tantum duobus testibus , & trecentas libras pauperibus legavit : ejus hæres hoc legatum solvere recusat , affirmans testamentum irritum esse , quandoquidem secundum Constitutiones testamentum a Pastore testatoris receptum , validum non est , nisi cum quatuor adsunt testes. Nonne pro hærede pugnat ratio ?

R e s p o n s.

Pro Eradii hærede pugnaret ratio respectu omnis alius legati , quod pro causa pia factum non esset. Verum cum hoc legatum pro tali causa factum fuerit , hoc est , in gratiam pauperum ; ad illud solvendum in foro conscientiæ tenetur : quod hoc ratiocinio probari potest. In regione Juris scripti, ubi Leges Romanæ observantur , equidem testamentum non valet , nisi cum fit coram septem testibus hanc in rem vocatis, & qui sint mares, puberes , conditionisque liberæ , sicut patet ex Lege quam in margine laudamus (c) : Attamen miles testari potest secundum alias Leges (d), tam Digesti quam Codicis , quin ad formulas a Jure requisitas observandas teneatur. Legatum autem pro causa pia factum per testamentum a Pastore coram duobus testibus receptum , non minus favens existimandum est , quam illud per testamentum hominis militaris factum fuit. Ergo legatum ab Eradio in gratiam pauperum factum , dignum est quod a Lege generali excipiatur , ac validum existimandum est propter causam pro qua factum est ; ideoque hæres ad illud solvendum tenetur.

(c) Leg. Hac consultissima 21. cod. de testamentis &c. L. 6. tit. 23.

(d) L. Divus 24. & Leg. Miles 35. ff de testam. militis l. 29. t. 1. L. Si u Fratre 14 & L. Milit. 15. cod. eod. tit. l. 6. t. 25.

Hæc sententia congruit cum eo quod Alexander III. declarat in una ex suis Epistolis Decretalibus quam ad Ubaldum Episcopum Ostiensem scripsit (e) qui cum hunc Papam consuluisset de more in sua in Diœcesi observato, irrita faciendi omnigena testamenta , quibus septem vel ad minimum quinque testes non adfuerant , congruenter Legibus Civilibus hocce responsum ab eo accepit : *Qui vero a divina Lege & Sanctorum Patrum institutis & a generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cum scriptum sit quod in ore duorum vel trium testium stet omne verbum , præscriptam consuetudinem improbamus , & testamenta , quæ Parochiani coram Presbytero suo & tribus vel duobus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate , firmo decernimus remanere sub interminatione anathematis prohibentes , ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta.*

(e) Alex. III. in c. Cum esset 10 de testa. & ult. voluntatib.

Idem Papa scribens ad Judices qui irrita faciebant talia testamenta, licet in gratiam Ecclesiæ facta eorum agendi rationem vituperat, eisque prohibet ne sic in posterum agant; ipsis præcipiendo ut pro validis agnoscant dispositiones testamentarias , etsi duo aut tres testes tantum illis adfuerint. *Mandamus* ait illis (f) , *quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta , eam ... secundum Decretorum statuta tractetis, tribus aut duobus testibus requisitis.* Qua de re observandum est , 1. Hanc secundam Decretalem de proprio Pastore non loqui. 2. Etsi Glossa dicat (g), id tantum locum habere in locis quæ a sancta sede pendent , celebrem Jurisconsultum Gallum (h) olim supremæ Curiæ Gratianopolitanæ senatorem, testari attamen hanc Jurisprudentiam alibi observari. *Credo tamen ipsum* (testamentum) *habere locum in aliis terris*: & quidem in Gallia respectu piorum legatorum , quemadmodam id testatur Auctor Gallus (i) , a quo Cabassutius hanc consequentiam elicit (k) : *Itaque legata pia valent & ab hærede solvenda sunt : etiamsi relicta fuerint in testamento alias nullo & invalido ; in quo non alii , quam duo testes , intervenerunt* ; hoc est secundum hunc Juris Canonici peritum, etsi testamentum a proprio Pastore receptum non fuerit ; quod probat suffragio Covarruviæ & Doctissimorum nostrorum Jurisconsultorum , quales sunt Carondas , Papon, Menard & Mornac.

(f) Idem in c. Relatum 2. eod. tit.

(g) Glossa in c. Cum esset.

(h) Guido Pap. q. 543. n. 2.

(i) Andreas Tiraq. tract. de privilegiis causæ piæ, privileg. 80. n. 2.

(k) Jo. Cabass. Jur. can. theor. & prax. l. 6. c. 22. n. 2. & apud eum sic q. cit. Cov. in c. c. Relatum de testam. & c. n. 2. & 3. Julius Clarus §. Testamentum q. c. n. 2. Carondas le Caron. l. 10 Responsorum t. 56. c. 90. Mainard. l. 1. c 13 & 21. Papa l. 20. Placitorum t 5 a. t. 2. & 7. Mornacius ad L. 1. ff. de legat. Præstand. contra tabulas.

Duas observationes , quæ sunt ejusdem Cabassutii , addidisse inutile non erit 1. Legata pia falcidiæ nec trebellianicæ obnoxia esse non debere , sicut fertur ab authentica quam in Codice habemus (l). 2 Etsi secundum Jus Romanum legata solvenda non sint nisi postquam hæres se talem professus fuerit (m) attamen pia legata solvenda esse : *etiam non adita hæreditate* , sicut docent Bartole , Balde , Cui Pape Ferrerius ejus Commentator (n) aliique Jurisconsulti.

(l) Authen. similiter. Cod. de L. Falcidia.

(m) L. Quamquam Cod de fideicommissis.

(n) Bartol. in l. 1. Cod de Sacrosanct. Eccles. Baldus in L. Qui filio ff. de hæred. instituenda Guido Papa Decis. 604. & ibi Ferrerius.

C A S U S XV.

Caecilius per suam testamentum legatum fecit his verbis scriptum ; *Ecclesiæ & pauperibus summam 6000. librarum per dimidiam partem dividendam do lego* ; Loci Pastor contendit hæc verba unice de Ecclesia & pauperibus suæ Parœciæ intelligenda esse ; E contra Cæcilii hæres affirmat sibi licitum esse , debere hoc legatum tali Ecclesiæ & talibus pauperibus quos eligere voluerit applicare. An hæc optio ad hæredem pertinet ?

R e s p o n s.

Cæcilii hæres , auctoritatem , talem Ecclesiam , talesque Pauperes, quos voluerit eligendi, sibi arrogare non potest. Jure enim existimandum est consilium testatoris fuisse ut Ecclesia sui domicilii locique pauperes, legato quod fecit utentur. Addi etiam potest, quod , etsi Cæcilius consilium generale ac dubium solummodo habuisset , Ecclesia & pauperes suæ Parœciæ omnibus aliis anteponi deberent. Ergo æquum est quod Pastor intendit , nec hæres ei obstare debet. Imperator Justinianus sic judicavit de simili difficultate in gratiam Ecclesiæ Parochialis testatoris: En ejus verba (o), *Si quis in nomine magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi hæreditatem , aut legatum reliquerit , jubemus Ecclesiam loci illius in quo testator domicilium habuerit , accipere quod dimissum est.* Hanc in rem observare juvat , quod, quandoquidem legatum Deo & in nomine Jesu Christi factum , Ecclesiæ parochiali testatoris applicandum est , potiori ratione dicendum sit , legatum in gratiam Ecclesiæ pauperumque certissime factum , ad Ecclesiam & pauperes loci , in quo testator domicilium suum habet , pertinere. Hæc decisio est Docti D. Domat , Regii Advocati in Curia Præsidiali Claromontana , in suo magni laboris opere de Legibus Civilibus in ordine suo naturali (p).

(o) Novella de regulis 131. cap. 9.

(p) Domat. t. p. l. 4. t. 2 sect. 6. n. 4.

C A S U S XVI.

Probus testamento suo 100. nummos Thomæ legavit , & Thomas Probo superstes fuit solummodo per horæ quadrantem ad summum. An ejus hæredes ejus habent 100. nummos ipsi legatos exigendi ?

R e s p o n s.

Constat statim atque legatum acquisitum est legatario , eum illud hæredibus suis transmittere , sicut fertur a Lege , quæ dicit (q) , *si post diem legati cedentem legatarius decesserit , ad hæredem suum trans-*

(q) Leg. Cum servos 39 ff. quando dies legatorum, vel fideicomm. cedat. l. 36. t. 2.

transfert legatum. Legatum autem 1000. nummor. a momento quo Probus mortuus est Thomæ acquisitum erat: nisi ipsi factum fuerit sub quadam conditione quæ nondum adimpleta esset, cum supremam diem obiit tunc enim, legatum morte Probi ipsi acquisitum non foret, nisi ea lege esset ut liberos susciperet. Nam, ut alibi dicemus, si moriendo post testatorem, uxorem suam gravidam derelinqueret, 100. nummi reipsa sibi acquisiti forent, eorumque dominium puero nascituro transmitteret. *Is, cui ita legatum, quandoque liberos habuerit*, ait Lex (*a*), *si prægnante uxore relicta decesserit, intelligitur expleta conditione decessisse, & legatum valere, si tamen posthumus natus fuerit*. Concludimus ergo, quod, cum Thomas Probo superstes fuerit, licet, per brevissimum tempus legatum a Probo ipsi factum, in commodum ejus hæredem, qui ipsum exhibent, cedere debet, cum hoc legatum sub hac conditione tantum ei factum fuerit.

(*a*) Leg. Si cui 18. ff. eod. t.

CASUS XVII.

FORTUNATUS summam 1000. librarum Sebastiano legavit, & cum Sebastianus semihora tantum ante Fortunatum ex vita discesserit; hujus legatarii hæres contendit, Fortunati hæredem sibi hanc summam solvere debere. An ipsi revera debetur?

RESPONS.

Hæc summa Sebastiani hæredi non debetur. Legatum enim legatario non acquiritur nisi a momento quo testator ex vita discessit; Testator autem, ut hic supponitur, post obitum legatarii tantum e vita migravit. Ergo hic legatarius in summam sibi legatam nullum jus habuit, nec ideo ejus dominium hæredi suo transmittere potuit. Talis est decisio Imperatoris Justiniani in Lege qua declarat, cum legatarius ante testatorem supremum diem obiit, ejus legatum infirmari & quasi nunquam factum fuisset, haberi (*b*). Cui congruit alia Lex Digesti, quæ dicit *si eo tempore, quo alicui legatum adscribebatur, in rebus humanis non erat, pro non scripto hoc habebitur*.

(*b*) Leg. Et nomen uni c. §. pro. 1. Cod. de caduc. tollen dis l. 6. t. 52. (*c*) Leg. Si eo 4. ff. de his quæ pro non scriptis habentur.

CASUS XVIII.

MACEUS domum suam, generatimque quicquid in ea tempore suæ mortis reperiretur, nulla re excepta, Michaeli legavit; In ea reperti sunt duo sacci, quorum unusquisque 1000. libris, numerata pecunia, constabat, & Contractus 300. librarum annui reditus a Basilica Parisiensi repetendi, cum quadam alia pecunia sibi debita. Michael hæc omnia ad se pertinere contendit. E contra Macei hæres affirmat pecuniam numeratam, Contractum & nomina pecuniæ Maceo debitæ ad eum non pertinere. A cujus parta stat æquum?

RESPONS.

Revera hoc legatum comprehendit omnes res mobiles quæ in domo tempore obitus testatoris reperiuntur, neque dem exceptis duobus saccis, quorum quisque 1000. libris constat (*d*); Verum Contractus 300. librarum annui reditus, nec etiam nomina pecuniæ Maceo debitæ, cæteraque jura, in eo comprehendi non existimantur. Ratio est, quod jura & pecunia Maceo debita propriè non consistant in chartis quæ eorum nomina continent, & quod dici nequeat ea in quodam loco determinato sita vel comprehensa esse, sicut res corporeæ, quemadmodum videri potest in Jure, quod hac de re sic loquitur (*e*): *Gaius Sejus, pronepos meus hæres mihi esto ex semisse bonorum meorum, excepta domo mea & paterna, in quibus habito, cum omnibus quæ ibi sunt. Quæ omnia scias ad portionem hæreditatis quam tibi dedi non pertinere. Quæro cum sit in his domibus argentum, nomina debitorum, supellex, mancipia; an hæc omnia quæ illic inveniuntur ad alios hæredes institutos debeant pertinere? Paulus respondit, nomina debitorum non contineri, sed omnium esse communia; in cæteris vero nullum pronepoti locum esse*. Hæc est ratio qua D. Domat (*f*), de legatis loquendo, hanc quæstionem decidit, in suo Tractatu de Legibus Civilibus in ordine suo naturali.

(*d*) Leg. Generali 32. §. 2. ff. de usu & usufructu &c. l. 33. tit.

(*e*) Leg. Cæius 86. ff. de legat. 3. l. 31. t. 1.

(*f*) D. Domat. 2. p. l. 4. t. 3. sect. 5. n. 15.

CASUS. XIX.

ATTICUS domum suam Parisiis sitam, cum tota supellectili in ea reperienda, Leonardo legavit; & cum in ea reperta fuissent aulæa Flandrica homines pictos habentia, quæ testator in loco, ubi supellectiles asservantur, incluserat, consilio ea vendendi vel iis Villam suam instruendi; quod ante mortem suam exequi non potuit; Leonardus in hujus domus omniumque supellectilium possessionem venit, exceptis aulæis quæ Attici hæres sibi vendicavit per speciem quod partem supellectilium domus efficere non existimarentur. Potestne tuta conscientia iis Leonardum orbare eaque in commodum suum vertere?

RESPONS.

Attici hæres illæsa conscientia ista aulæa servare potest; quia cum a testatore seposita fuerint ut venderentur, aut cum pro alia domo destinata fuerint; constat ejus consilium non fuisse ea inter supellectiles domus legatæ comprehendi; quandoquidem domum suam non legavit cum iis omnibus quæ in ea generatim ac indefinite reperirentur; sed tantum de supellectili verba fecit. Quapropter ut voluntas Testatoris lex est quam hac in re sequi oportet: Leonardus jure contendere nequit hæc aulæa legati sui partem efficere.

Sententia nostra probari potest per Legem Digesti quæ dicit (*g*) *si fundus legatus sit cum his quæ ibi sunt quæ ad tempus ibi sunt, non videntur legata*. Sed e contra, si aulæa, quibus hæc domus vulgo instruebatur, tempore obitus testatoris non adessent quia illa resarcienda dederat, vel cuidam amico mutuo dederat, legatario deberentur, tanquam legati sui partem efficientia: *Labeonis distinctionem valde probo*, inquit Lex (*h*), *qui scripsit, nec quod casu abesset, minus esse legatum, nec quod usu ibi sit, magis esse legatum*.

(*g*) L. Si fundus 44. ff. de legatis & fideicom. l. 32. t. 2.

(*h*) L. Si sit. 26. ff. eod. tit.

CASUS XX.

SIGISMUNDUS domum suam supellectilibus instructam Bernardo legavit, hisque verbis usus est, *Domum meam cum supellectilibus Bernardo do, lego*. Item *do ac lego eidem Bernardo aulæa Flandrica quæ sunt in aula mea & quæ Acta Apostolorum exhibent*. Qua de re quæritur, an duo alia aulæa quæ in hujus domus cubiculis reperiuntur, cum supellectilibus legatis comprehendenda sint, quemadmodum Bernardus contendit adversus hæredis testatoris sententiam?

RESPONS.

Quamvis constet, quod si testator, postquam legavisset domum suam cum omnibus ejus supellectilibus, adderet per articulum peculiarem, se etiam eidem personæ legare aulæa, legatum generale inde imminueretur, sicut habet Lex (*i*), „*Si quis fundum ita, ut instructus est, legaverit & adjecerit, cum supellectili, vel mancipiis, vel una aliqua re, quæ nominatim expressa non erat, utrum minuit legatum, adjiciendo speciem; an vero non quæritur, & Papinianus respondit non videri minutam, sed potius ex abundanti adjectum*. Attamen, si hoc articulo talia, vel talia aulæa designaret, sive exprimendo rem quam exhibent, vel locum ubi adsunt; hæc expressio ac designatio omnia alia aulæa excluderet, signumque ac argumentum foret testatoris consilium non fuisse hæc aulæa in numerum cæterarum supellectilium reponendi, ipsumque sola aulæa a se designata dare voluisse, secundum hanc Juris regulam a Bonifacio VIII. adoptatam, quæ fert, id quod exprimitur in peculiari, derogare expressioni generali quæ omnia complectitur (k); *in toto jure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur quod ad speciem directum est*. Unde sequitur in specie proposita, existimandum non esse Sigismundi consilium fuisse duo alia aulæa Bernardo legandi, ideoque ea in hæredis testatoris commodum venire debere.

(*i*) L. Quæsitum 22. § 46. ff. de instructo, vel instrum. legato l. 33 t. 7

(*k*) L. In toto 80. ff. de diversis reg. juris antiqui l. 50. t. 17.

Hæc decisio diserta est in alia Lege, his verbis enuntiata (*l*) *Legata supellectili cum species ex abundanti per imperitiam enumerentur, generali legato non derogatur. Si tamen species certi numeri demonstratæ fuerint: modus generi datus in his speciebus intelligitur*. Hæc argumenta electa fuerunt a D. Domat, quem jam, ut Jurisconsultum perspicacissimum, laudavimus.

(*l*) L. Legata 9. ff. de supellect. legata l. 33. t. 10. Item Leg. Cum de lanionis 18. ff. de instructo, vel instrum. legato eod. l. tit. 7. 21.

CA-

CASUS XXI.

Flavtus, domus cujusdam dominus, empto horto vicino propter utilitatem ac commoditatem hujus domus, supremum diem obit postquam domum suam Valerio legavit; nullam de horto mentionem faciendo, Valerius ab hærede petit ut eum in horti, æque ac domus, possessionem mittat. Hæres id ipsi recusat propterea quod de eo in testamento nulla fiat mentio; ejusque animus est hunc hortum alii ad se pertinenti addere. Potestne illæsa conscientia & absque injustitia?

Respons.

Existimamus hæredem Flavii hunc hortum servare non posse. Cum enim Flavius illum non emerit ut alii domui adjungeret. vel ut eo alium in finem uteretur; sed eum tantum acquisiverit ob utilitatem ac commoditatem domus quam Valerio legavit (quod evidenter agnoscitur ex janua condita ut a domo in hortum iretur), Patet eum domum & hortum tanquam solam ac unicam hæreditatem considerasset, nempe domum, ut sortem, hortum, ut accessionem atque appendicem domus; utroque sub nomine domus legatæ comprehenso.

Ratio quæ afferri potest est, quod non magis necessarium erat hortum designare, quam aream aliasque appendices ac commoditates, domui junctas, Constat autem nullo modo necesse esse aream aliasque appendices designare. Ergo neque necessarium erat de horto verba facere, cum hæc omnia, ut diximus, sint tantum domus accessiones, cujus eamdem destinationem per consequens sequi debent, secundum hanc Bonifacii VIII. regulam (*a*), *Accessionem naturam sequi congruit principalis*.

(*a*) Reg. 42. de reg. juris in 6.

Legem habemus quæ sic hanc quæstionem dirimit. En ejus verba (*b*): *Qui domum possidebat, hortum vicinum ædibus comparavit, ac postea domum legavit. Si hortum domus causa comparavit, ut amœniorem domum ac salubriorem possideret, aditumque in eam per domum habuit, & ædium hortus additamentum fuit; domus legato continebitur.*

(*b*) Leg. Prædiis 91. §. 5. ff. de legatis &c.

Idem etiam probari potest ex alia Lege, quæ dicit, eum qui testamento suo fundum legavit, & qui illi in posterum aliquod additamentum fecit, hoc novum additamentum existimandum esse partem hujus fundi, atque ad legatarium pertinere, æque ac fundum principalem (*c*). *Cum fundus nominatim legatus sit: si quid ei post testamentum factum adjectum est, id quoque legato cedit: etiamsi illa verba adjecta non sint; qui meus erit; si modo testator eam partem non separatim possedit, sed universitati prioris fundi adjunxit.* En hujus legis verba, quæ præcise includunt speciem ad quam respondemus. Flavius enim hortum de quo agitur separatim a domo non possidet, sed conjunctim & tanquam rem quæ ejus erat pars atque appendix. Per consequens existimandus est eum cum domo legasse Valerio, cui hæres de eo absque injustitia contendere nequit.

(*c*) Leg. Cum fundus 10. ff. de legatis & fideicommissis.

CASUS XXII.

Romanus magnum aromatum commercium Burdigalæ ac Rhotomagi faciens & habens pecuniam coactam & coacervatam, nominatim pro commercio harum duarum urbium destinatam & addictam testamentum suum fecit durante morbo quo mortuus est, bonaque sua Johanni & Jacobo duobus fratris filiis legavit. Johanni pecuniam coacervatam Commercii Rhotomagi & Jacobo coactam pecuniam Commercii Burdigalæ dedit.

Cum uterque in rem præsentem venisset, ut unusquisque in possessionem partis hæreditatis Patrui sui veniret; Johannes agnovit per Librum diarium defuncti & per epistolas negotiorum suorum Præfecti aut mutui Procuratoris Burdigalensis, Patruum suum mense ante ejus mortem misisse 12000. libras præsenti pecunia, vel quas ab alio mensario numerare jussit, ad solvendas merces quas hac in urbe emere jusserat pro Commercio suo Rhotomagensi quo mitti ac vendi debebunt. Qua re nota ad Jacobum scripsit, & ei significavit ut hujus summæ rationes secum putaret. Jacobus ad ipsum rescripsit quod cum merces emptæ nondum solutæ nec traditæ essent, & cum 12000. lib. actu Burdigalæ repertæ fuissent tempore quo Patruus eorum supremum diem obiit, hæc bona tanquam pars, pecuniæ ad commercium suum coacervatæ, respicienda erant, non vero tanquam pars pecuniæ ad commercium Rhotomagense coactæ. Nonne pro Jacobo pugnat ratio, & nonne 12000. librarum rationes conferre cum Johanne, recusare potest?

Respons.

Dubium esse non videtur, quin Jacobus ingenue teneatur ad conferendas cum Johanne rationes mercium Burdigalæ existentium, quasque Patruus ejus pro commercio suo Rhotomagensi destinaverat: Et si merces istæ nondum Burdigalæ emptæ fuissent Jacobus ad 12000. libras ad Johannem remittendas teneretur, cum constet, hanc summam esse partem pecuniæ coacervatæ pro commercio quod defunctus Rhotomagi faciebat, eumque illam summam non addixisse commercio Burdigalensi, quod Jacobo legatum fuit.

Lex, fida æquitatis naturalis interpres, parem quæstionem diremit in specie fere simili ei quam ad examen revocamus, & quia maxime expressa nobis videtur ad hanc quæstionem dirimendam, eam integram ac totam referemus, in gratiam eorum qui in ea legenda elaborare volent. En ejus verba (*d*): *Ex facto proponebatur quidam* (*e*) *duos hæredes scripsisse: unum, rerum Provincialium; alterum, rerum Italicarum, & cum merces in Italiam devehere soleret pecuniam misisse in Provinciam ad merces comparandas, quæ comparatæ sunt, vel vivo eo, vel post mortem nondum tamen in Italiam devectæ.* En factus & ecce quæstio; *Quærebatur, utrum merces ad eum pertineant, qui rerum Italicarum hæres scriptus erat, an vero ad eum, qui Provincialium ....* Ecce decisio: *Rerum autem Italicarum vel Provincialium, significatione quæ res accipiendæ sint, videndum est, & facit quidem totum voluntas defuncti, nam quid senserit spectandum est. Verumtamen hoc intelligendum erit rerum Italicarum significatione eas contineri, quas perpetuo quis ibi habuerit, atque ita disposuit, ut perpetuo haberet. Ceteroquia si tempore, in quo transtulit in aliam locum, non ut ibi haberet; sed ut denuo ad pristinam locum revocaret atque augebit quo transtulit, neque minuet unde transtulit .... Quæ res in proposito quoque suggerit, ut Italicarum rerum esse credatur hæres, quas in Italia esse testator voluit* (*f*). *Proinde & si pecuniam misit in Provinciam ad merces comparandas, & nec dum comparatæ sint; dico pecuniam, quæ idcirco missa est, ut per eam merces in Italiam adveherentur in Italico patrimonio adjungendam. Nam etsi dedisset in Provincia de pecuniis, quas in Italia exercebat, ituras & redituras, dicendum est, hanc quoque Italici patrimonii esse rationem* (*g*). *Igitur efficere dici ut merces quoque istæ, quæ comparatæ sunt, ut Romam veherentur, sive profectæ sunt eo vivo, sive nondum; & sive scit, sive ignoravit ad eum hæredem pertinere cui Italicæ res sunt adscriptæ.* (*h*).

(*d*) L. Ex facto 35. init. ff. de hæredibus instituendis l. 20. tit 5.

(*e*) Scilicet testator Gloss a. Quidam.

(*f*) Cit. Leg. P. 1.

(*g*) Ibid §. 4.

(*h*) Id. §. 5.

Nobis tantum superest hanc consequentiam elicere, nempe, cum Romanus Burdigalæ merces solummodo comparare jusserit, ut commercio suo Rhotomagensi addicerentur, eas existimandas esse tanquam partem pecuniæ pro illo commercio coacervatæ, & ad Johannem, cui soli hæc pecunia legata fuit, pertinere.

Facile est eodem principio plures alias quæstiones similes, quæ fieri possunt; dirimere; judicando de mente testatoris ex argumentis, præsumptionibus ac circumstantiis privatis, quæ illam manifestare possunt; non anteponendo præsumptionibus æquis mentis testatoris, sensum contrarium, simulatione scrupulosius adhærendi sensui literali locutionis cujusdam, quam circumstantiæ verbaque ipsa testamenti alio modo intelligere adigerent, ut illi menti conveniret (*i*): quia constat primam regulam sequendam in interpretatione ambiguitatû, aut aliarum

(*i*) Leg. Non aliter 69. ff de legatis &c. 3. l. 32. tit. 3.

rum

rum difficultatum quæ in testamento reperiri possunt, esse testatoris voluntatem (*a*), cujus cognitio non tantum pendet a verbis disertis quibus usus est, verum etiam a consequentibus certis quæ inde elici possunt, vel etiam a conjecturis probe institutis quæ fieri possunt.

(*a*) L. Cum quidem 5. C. de necessariis servis hæred. instituendis vel substit. l. 6. t. 27.

CASUS XXIII.

HIDULPHUS testamento suo Gabrieli legavit usumfructum domus suæ, omniumque rerum in ea obitus sui die reperiendarum, excepta pecunia præsenti. Mortuo Hidulpho in ea repertæ sunt merces pretio 2000. librarum, quas commercio addicebat. Gabtiel ab hærede defuncti petit, ut eum in domus, supellectilium, ac mercium in ea repertarum, possessionem mittat. Hæres ipsi mercium præstationem denegat, contendens eas tanquam legati parrem existimandas non esse. Potest ne absque injustitia in sua recusatione permanere?

RASPONS.

Hæres sine injuria recusare potest Gabrielem mittere in possessionem mercium, in domo ab Hidulpho ipsi legata, repertarum. Ratio est, quod testator has merces tantum in domo sua collocabat, ut eas in cummercio suo adhiberet ac occasione data venderet; Itaque existimandus est Gabrieli solummodo legavisse usumfructum rerum addictarum ad instruendam vel exornandam domum, vel quæ in perpetuum in ea remanere debebant. Hæc est decisio Legis Digesti his verbis, (*b*); *Uxori usumfructum domum & omnium rerum, quæ in his domibus erant, excepto argento, legaverat ...... Quæsitum est an lanæ cujusque coloris, mercis causa paratæ; item purpuræ, quæ in domibus erant, usufructus ei deberetur? Respondit, excepto argento, & his quæ mercis causa comparata sunt; ceterorum omnium usumfructum legatarium habere*. Quod nititur regula de qua verba fecimus ad quæstionem præcedentem respondendo secundum quam semper præcipue respiciendum est ad mentem quam habuit testator, quæ procul dubio in specie proposita non fuit merces suas cum supellectilibus domus suæ complecti.

(*b*) L. Generali 32. §. 2. ff de usu & usufructu &c. l. 13. t. 2.

CASUS XXIV.

MARCELLINUS duas domos sibi invicem adhærenres, possidens, unam Raimundo & alteram Mederico legavit, qui post obitum testatoris in earum possessionem missi sunt: Anno post Raimundus domum suam attollere voluit, quod facere non poterat, quin luminibus domus Mederici multum obstrueret qui ideo hujus ædificii in altitudinem exstructioni obstitit. Num jure potest? Præterea, Raimundus cum agnovisset necesse esse, ut murus quo quæ domus innituntur denuo ędificaretur, contendit Medericum ad dimidiam impensæ partem ferendam cogere, cui Medericus consentire non vult. Potest-ne adhuc absque injustitia Medericum adigete ut de suo ad hanc impensam conferat?

RESPONS.

Ad priorem quæstionem, dicimus Raimundum dumum suam extollere non posse, ita ut, per hanc in altitudinem exstructionem, domus Mederici luminibus necessariis obstruat; Absolute enim judicandum est testatorem noluisse, ut domum quam alteri legatario legavit, inutilem vel maximis incommodis obnoxiam redderet. Testatoris autem voluntas clara, aut quæ juste suspicari potest, instar legis est respectu eorum quos suos Legatarios fecit. Hanc decisionem aliasque ejusmodi probare pergimus per auctoritatem Legum, quæ id quod æquum erat his in casibus privatis statuerunt. En quod dicit una ex illis Legibus de priori quæstione quæ proponitur. (*c*) *Binas ædes habeo, alteras tibi lego, hæres alteras altius tollit & luminibus tuis officit. Quid cum illo agere potest? ...... Qui binas ædes habebat, si alteras legavit, non dubium est, quin hæres alias possit altius tollendo obscurare lumina legatarum ædium......... Sed ita officere luminibus & obscurara legatas ædes conceditur, ut non penitus lumen recludatur: sed tantum relinquatur, quantum sufficit habitantibus in usus diurni moderatione.*

(*c*) L. Gaurus 10. in fin. ff de servitut. urbanorum prædiorum l. 8. t. 4.

Quoad posteriorem quæstionem, dicendum est Raimundum jure Medericum cogere posse ad dimidiam partem impensæ ferendam, quæ necessaria est ad muri, de quo agitur, reædificationem. Hic enim murus, qui ante legatum ad unicum dominum, nempe Marcellinum, pertinebat, communis factus est duobus legatariis propter dispositionem testamentariam a testatore factam. Unde sequitur eos teneri, unumquemque per dimidiam partem, ferre impensas necessarias ad murum rursus ædificandum. *Si is qui duas ædes habebat*, inquit Lex, (*d*) *unam mihi, alteram tibi legavit, & medius paries, qui utrasque ædes distinguat, intervenit, eo jure, eum communem nobis esse existimo.*

(*d*) l. Si is. 4. C. de servitut. legata l. 33. t. 3.

CASUS XXV.

HIPPARCHUS Clementi legavit tertiam partem annui reditus cujusdam domus, pretio 1500. lib. elocatæ, jam a decennio & amplius. Itaque hæc portio 500. libras singulis annis Clementi afferre debet: Hipparcho fato functo, ejus hæres hanc domum pretio 42000. librar. vendit. Clemens contendit, hunc hæredem sibi solvere debere suam tertiam partem pro ratione annui reditus quem hæc summa producere debet, hoc est, 700. libras, loco 500 An hæres ad id tenetur conscientia?

RESPONS.

Hipparchi hæres quotannis Clementi 700. libras solvere non tenetur, & si domum pretio 42000. librar. vendiderit; sed tenetur solummodo ad 500. libras illi solvendas. Ratio est, quod legatum in quemdam fundum assignatum constituendum non sit nisi habito respectu ad pretium annui reditus hujus fundi; non vero ad reditum quem pretium ejusdem fundi venditi producere potest: quia testator aliud consilium non habuit nisi legandi id quod hæc portio singulis annis afferre posset: Hujus decisionis probatio reperitur in una ex Legibus Digesti, ubi dicitur (e) *Liberto suo ita legavit: Præstari volo Philoni, usque dum vivet, quinquagesimam omnis reditus, quæ prædiis a Colonis, vel emptoribus*, * *fructus ex consuetudine domus præstantur. Hæredes prædia vendiderunt, eu quorum reditu quinquagesima relicta est. Quæsitum est, an pretii usuræ, quæ ex consuetudine in Provincia præstarentur, quinquagesima debeatur? Respondit: Reditus duntaxat quinquagesimas legatas; licet prædia vendita sint.*

(*e*) l. Liberto. 22. ff. de annu. legatis & fidei com. l. 31. t. 1.
* Emptores fructuum hoc loco accipiendi sunt pro conductoribus Ol. in D. L.

CASUS XXVI.

NICANDER fecit suum testamentum geminum; alterum ex autographis apud Tabellionem deposuit, alterumque servavit, quemadmodum aliquando ad praxim revocatur, sicut dicit Lex, (*f*) amboque absque ullo vitio erant, scripta a testatore qui iis nomen suum apposuerat: Repertum est, quod per unum Renato 100. nummos per alterum vero 200. nummos legabat. Renatus 200. nummos ab hærede Nicandri petit; hæres e contra intendit ipsi 100. nummos tantum dare: A cujus parte stat æquum? & quid ab hærede faciendum, ut conscientiæ satisfaciat?

(*f*) Vest. pluribus exemplis consignare quis potest, idque interdum necessarium est.

RESPONS.

Hæres Nicandri conscientia non tenetur ad solvendum Renato 200. nummos sed solummodo 100. nummos. Quæ ejus afferri potest ratio est, quod hac in specie omnino impossibile sit perfecte testatoris voluntatem cognoscere, quia modo adeo diverso scripsit, ut dijudicari non possit, quamnam ex duabus summis legatarius jus habeat petendi. Quam ob rem, quemadmodum nihil ad ipsi optionem præbendam determinat, & ut conditio hæredis naturaliter faventior est quam conditio legatarii, dicendum est hæredem nisi ad minorem summam dandam non teneri (*g*): *In obscuris minimum est sequendum*, inquit Bonifacius VIII. Itaque videtur dici posse, hæredem, qui est debitor, hac in occasione agere posse, sicut ipsi licitum foret agere, in casu quo propositio legatum exprimens verb. alternis scripta esset; hoc est, quasi testator dixisset hæres meus 100. vel 200. nummos Renato dabit; quo casu certissime hæres eligere posset quamuam ex duabus summis ipsi dare vellet, secundum istam aliam Juris regu-

(*g*) Bonif. VIII. in reg. 30. de reg. juris ins.

(a) 1. Reg. 70. ibidem.

regulam, (a) *In alternativis, debitoris est electio; & sufficit alterum adimpleri.*

(b) L. Sempronius. 47. ff. de legatis & fideic. 2.

Hæc quæstio sic dirempta reperitur in una ex Legibus Digesti; En ejus verba (b): *Sempronius Proculus nepoti suo salutem. Binæ tabulæ testamenti eodem tempore exemplari causa scriptæ, ut vulgo fieri solet, ejusdem patris familias proferuntur. In alteris centum, in alteris quinquaginta aurei legati sunt Titio. Quæris utrum & quinquaginta aureos, aut centum, dumtaxat habiturus sit? Proculus respondit: in hoc casu magis hæredi parcendum est. Ideoque utrumque legatum nullo modo debetur; sed tantummodo quinquaginta aurei.*

CASUS XXVII.

Ferdinandus 150. librarum pensionem per vitæ tempus Rodolpho (qui) legavit, ad remum in perpetuum datus fuerat (:), Hæres Ferdinandi contendit hoc legatum irritum esse, propterea quod Rodolphus civiliter mortuus est, illudque solvere recusat. Nonne contra æquum agit in recusatione sua permanendo?

Respons.

Ferdinandi hæres absque injustitia recusare nequit legatum Rodolpho factum exequi. Ratio est, quod inhabilitas succedendi aut donum recipiendi per dispositionem causa mortis, ad legatum pensionis alimentariæ non extendatur, quia alimenta ad vitam hominis absolute necessaria sunt, & quia per charitatem christianam non licet ea cuivis denegare, & multo minus homini ad mortem aut ad remum, aut ad exilium perpetuum damnato; quandoquidem illi, qui ad hunc statum redacti sunt, opibus, & sæpe auxiliis carent, ideoque commiseratione digniores sunt quam alii. Leges Civiles, hac æquitate naturali innixæ, huic humanæ sententiæ favent (c): *Si in metallum damnato*, inquit una ex his Legibus, *quid extra causam alimentorum relictum fuerit, pro non scripto est; nec ad fiscum pertinet: Nam pœnæ servus est, non Cæsaris.* Atque hanc ob causam homo, qui postquam tali pœna molestatus fuit, recepit legatum alimentarium sibi derelictum, potest etiam, postquam veniam suam a Principe impetravit, ejus solutionem in posterum exigere, sicut ab alia Lege fertur his verbis (d): *Is, cui annua alimenta relicta fuerant, in metallum damnatus indulgentia Principis restitutus est. Respond, eum & præcedentium recte cepisse alimenta & sequentium deberi ei.* Quod dicimus in gratiam hominis damnati ad pœnam, quæ secum mortem civilem trahit, pariter intelligi debet de alienigena, cui pensio alimentaria legata fuisset: cum pro uno potior ratio, quam pro altero non detur.

(c) Leg. Si in metallum 3. ff. de his quæ pro non scriptis habeatur l. 34. tit. 8.

(d) Leg. Is cui. 2. ff. de alimentis, vel cibariis legatis l. 33. tit. 1.

CASUS XXVIII.

Falcidius Cosmo legavit 200. libras pensionis per vitæ tempus ac alimentariæ, ejus solutione prima die April. 1705. incipienda: Cosmoque mortuo prima die Maii 1707. postquam solutionem duorum annorum præcedentium percepisset; Sempronius ejus hæres, cogere vult Mævium, testatoris hæredem, ad sibi 200. libras pro tertio anno solvendas; quia, inquit, pensio in antecessum solvenda est; ideoque cum tertius annus incœperit: (ille cum in commodum suum vertendus sit) jura defuncti nomine ejus hæredis assecutus est (:) Econtra Mævius contendit, quod cum hæc pensio Cosmo legata fuerit tantummodo, ut ipsi ad vitam necessaria suppeditarentur, post ejus mortem non amplius locum habere debeat. Quanam a parte stat æquum?

Respons.

Regula generalis est, legatum pensionis alimentariæ annuæ legatario acquisitum esse statim atque annus incepit; ideoque summam legatam totam deberi, a quo annus initium habuit. *Si competenti Judici annua legata, vel fideicommissa tibi relicta probaveris; ab initio cujusque anni exigendi eam habebis facultatem*, ait Lex Codicis Justiniani (e). Quæ ejus reddi potest ratio est, naturale esse, ut legatum quod fundi locum habet pro alimentis necessariis, in antecessum legatario acquiratur, ut inde in posterum sibi ad vitam necessaria suppeditet.

(e) Leg. Si competenti. 3. C. quando dies legati vel fideicom. cedit. l. 6. t. 53.

Attamen si testator mentem contrariam aperuisset, & si, ut ejus hæredi levius onus imponeretur, ipsi tantummodo mandasset solvere pensionem legatario in antecessum singulis tribus mensibus usque ad diem sui obitus. Sempronius Cosmi hæres, in casu proposito jus tantum haberet petendi pensionem trimestrem currentem, si ejus legatum sic verbis conscriptum foret. Verum si econtra legatum 200. librarum pensionis annuæ Cosmo factum fuerit, nec Ferdinandus hac cautione usus sit in gratiam sui hæredis, & solummodo verbis generalibus significaverit, se velle ut Mævius ejus hæres, quotannis det Cosmo 200. libras, unde sibi ad vitam necessaria suppeditet; Cosmi hæres jus habet totam summam exigendi, quamvis Cosmus ab initio anni mortuus fuerit; cum Cosmus in hanc summam jus acquisitum haberet a prima die, qua annus incœpit, hoc est a prima die mensis Aprilis antecedentis. Distinctio, quam attulimus, cum legibus vulgo receptis congruit: *Si quotannis sit legatum: mihi videtur etiam in hoc initium cujusque anni spectandum: nisi forte evidens sit voluntas testatoris in annuas pensiones ideo dividentis: quoniam non legatario consultum, sed hæredi prospectum voluit, ne urgeretur ad solutionem:* Sic loquitur una ex his Legibus (f).

(f) L. Nec semel. 12. §. 4. ff. quando dies legatorum &c. lib. 36. tit. 2.

CASUS XXIX.

Thiebaldus Roberto legavit summam annuam 300. libr. per speciem pensionis alimentariæ: Aliquanto post Robertus alimenta, generatimque omnia sibi ad victum necessaria obtinuit per munificentiam Patrui sui: itaut a multis annis nulla re defecerit, etiamque certus sit in futurum de pensione 500 librarum per vitæ tempus, quam idem Patruus ipsi fecit: Quæ causa fuit, cur Thiebaldi hæres ipsi solutionem 300. libr. non continuaverit, hoc prætextu defunctum ei hanc pensionem annuam tantum legavisse, ut eum ex summa rerum inopia, qua premebatur, extraheret. Attamen Robertus contendit hunc hæredem teneri conscientia ad ejus usuras sibi solvendas. An hæres ad illud præstandum in foro conscientiæ tenetur?

Respons.

Dubitandum non est, quin Thiebaldi hæres ad omnes usuras pensionis alimentariæ Roberto debitas ipsi solvendas teneatur, quamvis constet Patruum legatarii omnia ad vitam necessaria, tam pro præsenti tempore, quam in futurum ipsi suppeditasse. Ratio est, quod etsi primum testatoris incentivum fuerit Robertum e gravi inopia extrahendi, ipsique præbendi unde victum sibi compararet, attamen sit onus, quod hæredi suo, bona sua ei derelinquendo, imposuit; a quo se liberare in ejus potestate non est: cum bonis defuncti succedere non potuerit, quin ad onera imposita teneretur. *Hæredes onera hæreditaria agnoscere ....*, inquit Lex, (g) & cum præterea injustum foret ut uteretur beneficio, quod defunctus Roberto gratificari voluerat.

(g) Leg. Pro hæreditariis. 2. Cod. de hæreditariis actionib. l. 4.

Nobis opus non est quærere alias hujus Decisionis probationes, quam æquitatem naturalem, quæ non sinit, ut quisq; in commodum suum vertat bonum alteri datum, & in quod nullum jus habet. Leges etiam Romanæ, hac eadem æquitate nixæ, congruunt sententiæ quam asserimus, quandoqoidem dicunt indiscriminatim & sine ulla exceptione, solvenda esse vetera nomina alimentorum debitorum, *Præteriti quoque temporis alimenta reddenda sunt* (h).

(h) L. Cum unus. 12. §. 1. ff. de alimentis vel cibariis legatis. Item L. Libertis. 10. §. 1. l. 34. tit. 1.

CASUS XXX.

Papinianus Sulpicio, famulo suo, sex menses alimentorum, victus & habitationis legavit; Sulpicius alimenta, habitationem & victum apud Patrem suum per hos sex menses habuit; deinceps ab hærede Papiniani petiit, ut sibi alimentorum, reliquorumque æquum pretium solveret. An hæres ad illud pretium solvendum in foro conscientiæ tenetur?

Respons.

Existimamus hæredem Papiniani ingenue teneri ad solvendum Sulpicio æquum pretium ejus, quod a Domino ipsi legatum fuit, licet aliunde alimentum, victum, & habitationem (perceperit) & quidem gratis. (:)

Opus non est, ut hanc decisionem confirmemus aliis argumentis, præter illa quæ in decisione præcedenti attulimus; Ac revera, æquom est ut hæres iste legem, qua Papiniani hæreditatem accepit, adimpleat; nec ullum commodum capere possit ex beneficio quod Sulpicius a Patre suo accepit: sicut etiam commodum percip re non posset ex industria quam hic famulus adhibuisset ut sibi ad victum necessaria compararet. Mens enim testatoris fuit tale donum faciendi legatario, qui per consequens illud in commodum suum vertere debet, omni alio excluso. Quod patet ex Legibus, quas jam laudavimus (a).

(a) L. Cum unus & leg. Libertis. supra citat.

C A S U S XXXI.

Theotimus, homo locuples, qui solitus erat singulis annis 300. libras dare Barnabæ, consobrino suo, egeno discipulo, Remis studiis vacanti, graviter ægrotans, fecit suum testamentom quo in ejus gratiam pensionem per vitæ tempus constituit; sed, per oblivionem, aut aliter, non designavit ad quamnam summam hæc pensio assurgere deberet, cum tantummodo dixerit: *Barnabæ pensionem per vitæ tempus do*. Qua de re quæritur, an Theotimi hæres conscientia teneatur ad 300. libras pensionis alimentariæ Barnabæ solvendas? aut, an ab eo non pendeat minorem pensionem dare, & quidem talem, qualem volet?

R E S P O N S.

Cum elocutio de qua agitur in testamento vitiosa est propter quamdam obscuritatem quæ nulla alia elucidari potest, cujusque cognitio a sola testatoris mente pendet; hoc in casu necesse est recurrere ad alias probationes, vel saltem ad præsumptiones, quæ ejus voluntati detegendæ inservire possent. Unde sequitur, quod, cum in specie proposita, Theotimus solitus esset singulis annis 300. libras Barnabæ dare, ad ejus studia promovenda; suspicandum est quod si adhuc in vivis esset, ejus consilium non foret ipsi pensionem minoris summæ derelinquendi, præcipue si attendatur quod ille dives, Barnabas vero egenus ac ejus consanguineus erat: ideoque defuncti hæredem Barnabæ 300. libras annuas ab eo petitas, denegare non debere.

Hæc decisio æquitati naturali maxime congrua nobis videtur; Quapropter etiam Leges judicarunt sic agendum esse in pari casu. *Si cui annuum fuerit relictum sine adjectione summæ*, ait una ex his Legibus, (b) *nihil videri huic adscriptum, Mela ait, sed est verior Nervæ sententia, quod testator præstare solitus fuerat, id videri relictum: si minus, ex dignitate personæ statui oportebit.*

(b) Leg. Si cui. 14. ff. de annuis legatis & fideicomm. l. 33. tit. 1.

C A S U S XXXII.

Yves Civis Antinopolitanus, per testamentum hæredem instituit Mævium, filium suom primogenitum, nullam de Cassio secundo suo filio mentionem faciendo, quia gravissime malam ejus agendi rationem ferebat: Attamen verbo Mævio præcepit, ut illi summam notatu dignam, quod Mævius facere promittit. Biennio post Cassius moritur obrutus ære alieno, quod omne fere coegit, ut solitis suis pravis libidinibus suppeditaret. Mævius qui eo usque minimam partem tantum summæ, quam Yves Pater ejus ipsi crediderat, Cassio dederat, petit, 1. An summo jure teneatur ad solvendum hoc legatum voce prolatum, de quo in testamento nulla mentio fit? 2. An hoc casu teneatur ad æs alienum a Cassio fratre suo coactum solvendum, reliquum summæ, quam in manibus habebat, hunc in finem impendendo?

R E S P O N S.

Mævius tenebator conscientia ad ultimam Yvis voluntatem exacte adimplendam, sicut ipsi promiserat, Cassio fratri suo dando summam a patre constitutam, eo modo quo præscripserat. Verum ut Yves hoc legatum Cassio tantummodo fecerat, ut illi ad victum necessaria suppeditaret, illudque legatum duobus modis facere potuit, hoc est, præcipiendo Mævio ut ipsi statim totam summam numeraret, ejusque liberam dispositionem relinqueret; vel eam per partes tantum numerando, & quantum egeret ut sibi victum compararet: constat in primo casu, quod, cum Mævius totam summam Cassio legatam ante ejus mortem non solverit, tenetor ad reliquum summæ impendendum in solvendo ære alieno coacto, cum ejus creditores in ejus jura venerint, quod facile est probatu multis legibus, quas jam laudavimus in duabus decisionibus præcedentibus (c), quasque hic non repetemus. Sed in secundo casu eadem non est ejus obligatio; hoc est, si Yves ejus Pater præceperit ut Cassio hanc summam tantum daret per partes, & ut necessitati, ad quam eum redactum videret, subveniret: Hoc enim in casu ejus creditores nullum jus haberent in reliquum summæ, quod in suis manibus remansisset. Talis est sententia Docti Theologi, sicut videri potest in tertio Tomo suarum Decisionum (d).

(c) L. Cum unus. Leg. Libertis, & Leg. Is cui supra cit.

(d) De Sainte-Beuve to. 3. cas. 206.

C A S U S XXXIII.

Aurelius domum Prospero legavit, ea lege ut Philemoni summam 500. librarum per speciem legati daret, priusquam in ejus possessionem mitteretur: Philemone vero die ante Aurelium mortuo. Prosperus contendit testatoris hæredem eum in plenam domus possessionem mittere debere, nemini quidquam e 500. libris solvendo. An animo cogitatum jus æquum est?

R E S P O N S.

Prosperi jus animo cogitatum æquum est; quia cum lex, qua Aurelius ipsi domum suam legavit, naturaliter impossibilis reddita fuerit, nec adimpleri possit propter eventum mortis Philemonis; Prosperus illi legi non amplius obnoxius est, domumque habere debet, quin ad solvendas 500. libras teneatur: quandoquidem legatum extinguitur morte legatarii, quæ mortem testatoris præcessit, & cum extinctio posterioris legati nullum damnum priori inferre possit. Quibus addimos eodem modo rem se habituram, si Philemo, vita fruens post mortem testatoris 500 libras sibi legatas ac a Prospero oblatas, accipere recusaret, hoc enim in casu, quemadmodum in priori, in Prosperi commodum cederet summa quam Philemoni tradere tenebatur, sicut fert ista Lex (e); *si ita hæres institutus sim; si decem dedero, & accipere nolit, cum dare jussus sim, pro impleta conditione habetur*.

(e) Leg. Si ita s. ff. e conditionib. institut. libr. 28. tit.

Hæc decisio nititur ratione Juris quæ alia in lege refertur, & quæ vult ut, cum ille cujus interest conditionem adimplere, eam ex qui recusat, & si possit, conditio adimpleta existimetur, *Jure Civili receptum est*, ait hæc Lex (f); *quoties per eum, cujus interest conditionem impleri, fit quo minus impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset*. Quod locum habet in specie ad quam respondemus, ut ostendunt verba sequentia quæ mox referalimus: *quod plerique & ad legata & ad hæredum institutiones perduxerunt, cum per promissionem factum esset, quominus stipulator conditioni pareret*.

(f) L. Jure. 24. ff. de conditionibus & demonstrat. l. 31. tit. 2.

Cœterum, cum Canones his de casibus privatis verba non faciant, solæque Leges singola expenderint ac decidrint; mirandum non est si alias auctoritates non laudamus; cum cæteroquin hæ leges magni sint ponderis in omnibus materiis, de quibus Ecclesia nihil contrarium decidit; quia pleræque nituntur decretis generalibus Legis Naturalis, cujus sunt tantum accommodationes ad circumstantias peculiares.

C A S U S XXXIV.

Satyrus mox moriturus, Barbæ lustrali adoptione filiæ 200. libras dedit, ut in aliqua arte erudiretur, aut ut eam ad matrimonium ineundum adjuvaret, hancque summam inter manus Catharinæ hujus filiæ matris deposuit. Duobus post diebus Satyrus supremum diem obiit, & Barba bimensi post: Qua de re quæritur, an legatum ad Catharinam velut filiæ suæ hæredem pertineat, aut an teneatur ad 200. libras Satyri hæredibus restituendas?

R E S P O N S.

Hæc questio dirimi nequit nisi per consuetodinem regionis quam Catharina incolit. Etenim 200. libræ de quibus agitur, pertinent ad personam, quæ hoc in casu rerum moventium hæres est secundum morum & in-

& institutorum civilium Codicem. Ergo si Catharina Consuetudini Parisiensi subjecta sit, hæc summa ad eam legitime pertinet. Nam hæc Consuetudo fert (*a*), *parentes succedere liberis suis, in fideli matrimonio susceptis, si a vita ad mortem transmigrant, absque hæredibus ex ipsis ortis; rebus moventibus, & non moventibus partis & acquisitis*: idque exclusive omnibus aliis consanguineis, sive sint in gradu ascendeoti, ut avus & avia, sive in transverso gradu, ut fratres, & sorores, aliique. Hic articulus etiam serpsit ad regiones Juris scripti quæ comprehenduntur in spatio supremi Senatus Parisiensis, sicut dijudicatum fuit Decreto diei 15. Febr. 1610. referente D. Ribier in quinta Inquisitorum Curia inter Claudium Nugon, & Antoniam Labron; alioque Decreto reddito in Foro Prætorio 20. die Jul. 1620. inter Antoniam Renel & Mariam Lescard, quo statutum fuit, ut ejus lectio aut promulgatio fieret in Tribunali Curiæ Præsidialis Aurelianensis, ot in posterum instar Legis esset. Hæc Decreta laudantur a D. de Ferriere in suo Commentario in Consuetudinem Parisiensem (*b*), ubi adhuc tertium refert, quod quod est 1. Febr. 1600. referente D. de Fortia in eadem quinta Inquisitorum Curia, redditum. Denique Chopin aliud Decretum antiqoius præcedentibus laudat, quod est 14. Augusti 1575. (*c*). Fere omnes aliæ Regni Consuetudines cum Parisiensi hoc de articulo congruunt, ac præsertim Consuetudines Meldensis, Melodunensis, Senonensis, Aotissiodorensis, Cabilonensis, Montfortii, Meduntæ, Silvanectensis, Laudunensis, Noviodunensis, Sancti Quintini, Ambiaoensis, Atrebatensis, Nivernensis, Turonensis, Blesensis, Burdigalensis, Pictaviensis, Britanniæ Minoris, Bituricensis, Andegavensis, Cenomaniæ, Engolismensis, Saotonensis, Normanniæ, Burgundiæ, multæque aliæ quæ consuli possunt in eodem Commentario quem mox laudavimus. Quæ omnes Consuetudines confirmatæ reperiuntur Edicto Caroli IX. dato S. Mauri fano mense Majo 1567.

(*a*) Consuet. Paris. art. 311.

(*b*) D. de Ferriere. Comment. in consuet. Paris. t. 3. p. 306.

(*c*) Renat. Chopin. in eamd. Consuet. tit. de successionib. in linea recta & coll. cap. 3. n. 3.

Verum si Catharina subjecta esset alii Regioni, cujus Consuetudo privata contraria foret, conscientia teneretur ad illi se conformandam, 200. libras, iis, qui secundum hanc Consuetudinem Barbæ res moveotes hæreditate acciperent, restituendo.

CASUS XXXV.

Nepotianus testameoto suo Felici hæredi suo hoc oneris imposuit, ut Lamberto famulo suo daret unde in quadam arte erudiretur. Noone in Felicis potestate est talem artem, qualis ipsi videbitur, eligendi, cujusque tirocinium minimo pretio constabit?

Respons.

Quemadmodum autumandom non est Nepotiani consilium fuisse ot Lambertus artem addisceret, cujus tirocioum nimio pretio veniret, respectu habito ad ejus conditionem & ad bona quæ testator hæredi suo dereliquit; pariter existimandum est, ejus meotem non fuisse, ot Felix, rebus suis parcendo, Lambertum cogeret ad addiscendam artem quæ ipsi non congrueret, & ad quam propensus aut aptus non foret; sed ut ad hujus famuli ætatem, propensionem, aptitudinem qualitatesque attenderet; quamvis eum artifici minori pretio in arte sua erudieodum tradere posset.

Id cum æquitate naturali ita congruit, ut argumentis ad ea quæ dicimus probanda opus esse non videatur: Attamen Legem afferemus, quæ haoc in rem disertissima videtor, & quæ vult, ut, si hæres & legatarius de genere artis inter se convenire nequeant, res amice ab arbitrio, vel stricto jure a Judice, statuatur. En quomodo Lex statim supponit verba quibus testator uti potest tale legatum faciendo (*d*) "Stichus liber esto; „ & ut com hæres artificium doceat, unde se „ tueri possit, peto". Ecce decisionem: *Pegasus inutile fideicommissum esse ait: quia genus artificii adjectum non esset; sed prætor aut arbiter, ex voluntate defuncti & ætate & conditione, & natura, ingenioque ejus, cui relictum erit, statuet, quod potissimum artificium hæres docere eum sumptibus suis debent.*

(*d*) L. Stichus 13. ff. de legat. & fideicom. 3. l. 32. tit. 1.

CASUS XXXVI.

Meletius Susannæ pronepti soæ summam 400. librarum legavit, his verbis 400. *libras Susannæ pronepti meæ, donec in matrimonium collocetur, do & lego*. Susanna contendit hanc summam sibi quotannis ab hærede proavunculi sui solvendam esse, usque dum alicubi nubere velit. E contra hæres contendit hoc legatum constare tantum debere hac summa semel soluta; quandoquidem Meletius non designavit pensionem annuam esse debere. Ao secundum justitiæ regulas tenetor ad hanc summam isti filiæ singulis annis solvendam, donec vir nupserit, ita ut hæc peosio per totam ejus vitam debeatur, posito quod in matrimonium se collocare nolit?

Respons.

Hæc questio dirimitur a Legibos, vel potius ab ipsa naturali æquitate, quæ vult ut verba, quibus scriptum est hoc legatum, iotelligantur de pensione 400. librarom qootannis Susannæ solvenda, per omne tempus quo virgo remanserit, nisi darentur quædam circumstantiæ peculiares, quibus manifesto ionotesceret testatoris consilium fuisse cootrarium.

Ratio, quam afferre possumus, est, qood suspicandum sit testatorem pronepti suæ dare voluisse peconiam idoneam ad ipsi ad vitam necessaria comparanda donec in matrimonium conveniens collocata fuisset: vel, si sat opum haberet ad sibi victum suppeditandum, per hanc pensionem ipsi modum præbere voluisse parcimoniam adhibendi, propriamque pecuniam augendi, ut meliorem conditionem reperire possit. Sic rem decidit Lex, quæ dicit (*e*); *Legatam ita est*; "Attiæ donec nubat quinquaginta domnas esto hæres meus dare, *neque adscriptum est*, in annos singulos". *Labeo & Trebatius præsens legatam deberi putant. Sed rectius dicitur, id legatum in annos singulos deberi.*

(*e*) L. Legatum. 17. ff de annuis legat. &c. l. 33 tit. 1.

CASUS XXXVII.

Agnesia testamento suo summam 200. librarum pensionis annuæ Mariæ legavit, ea lege ut cum Martha filia sua habitaret? Et cum Maria ad illam se cootulisset ut cum ea commoraretur, Martha triduo post supremum diem obiit. Agnesiæ hæres 50. libras Mariæ solvit pro tribus mensibus per quos cum Martha habitavit, & contendit se nihil amplius in posterum illi solvere debere. E contrario Maria affirmat suam pensionem per vitæ tempus desinere non debere per mortem Marthæ. An æqoum est quod animo cogitavit?

Respons.

Cum Agnesia testamento suo non designaverit ejus consilium esse, ut pensio a se Mariæ legata per mortem filiæ suæ, si forte aute moreretur, extingueretur, & cum per hunc testamenti articulom modo absoluto & absque ulla conditione sese annontiaverit; putamus Mariam jure contendere, ut pensio annua ab hærede Agnesiæ sibi solvatur, quandiu vivet. Vulgo eoim beneficium ejusmodi legati intelligitur de omni tempore vitæ personæ coi concessum fuit. Talis est sententia Legis quæ dicit (*f*), *Annua his verbis legatis*; "Si morarentur cum matre mea, quam „ hæredem ex parte institui" *Quæsitum est, an, mortua matre, conditio opposita defecisse videatur, ac per hoc neque cibaria, neque vestiaria his debeantur? Respondit secundum ea quæ proponerentur deberi.*

(*f*) L. Annua. 20. ff de annuis legatis. & fideicom l. 33. tit. 1.

Hæc Decisio plane cum æquitate congruere videtur, quæ vult ut legatum quadam sub conditione factum, plene adimpleatur, statim atque persona cui factum fuit, conditionem adimplevit. Maria autem a parte sua adimplevit legem qua legatum ipsi ab Agnesia factum est, quandoquidem apud Martham statim post testatricis obitum se contulit, ut cum ea commoraretur: & suspicandum est mentem Agnesiæ revera fuisse, ot hæc peosio illi per totam vitam solveretur, modo cum Martha filia sua, usque ad ejus obitum, habitaret; quod Maria reipsa fecit.

Ergo concludendum est, hæredem Agnesiæ absque injustitia Mariæ recusare non posse perseverantiam in hac pensione solvenda quandiu vivet. Quod etiam clare admodum patet ex his verbis alterius Legis (*a*). *Imperator Antoninus plus libertis Sextiæ, Basiliæ, quamvis verba testamentis ita se habeant* " ut „ quoad cum Claudio Julio morati essetis, alimen- „ ta & vestita vobis legata sint." *Tamen hanc fuisse defunctæ cogitationem interpretor, ut post mortem Julii eadem vobis præstari voluerit; Respondit ejusmodi scripturam ita accipi, ut necessitas alimentis præstandis perpetuo maneat.*

(*a*) L. Cojo 11. §. 1. ff. de alimentis vel cibariis legatis lib. 34. tit. 1. Item Leg. 14. ff. eod. tit. & Leg. 1. Cod. de legat.

C A S U S XXXVIII.

Aristippus habens duo vinearum jugera, vulgo vocata *Plantam*, & cum deinceps sex alia jugera plantasset, quibus etiam idem nomen dabatur, fecit testamentum, quo declarat, se dare ac legare Julio vineam suam, vocatam *Plantam*, non distinguendo inter priscam & novam. Eo mortuo, Julius animo cogitat recentiorem Plantam sibi vindicare, quia sex jugera continet, & præterea multo magis in rem suam conducit, quam prisca duorum jugerum. Ex adverso Aristippi hæres contendit, optionem ad se pertinere, posthabito legatario, cui priscam plantam solummodo dare vult. Nonne tuta conscientia pergere potest in recusatione novam ipsi tradendi?

R e s p o n s.

Pro hærede pugnat ratio cum eligere vult, atque Julio novam plantam tradere recusat. Cum enim quæstio a nulla alia consideratione pendeat, nisi ab ista, nempe utri, hoc in casu, magis favendum sit, aut hæredi, aut legatario? procul dubio in gratiam hæredis, non vero legatarii, dirimenda est: cum æquissimum sit suspicare testatoris mentem fuisse priorem posteriori anteponendi. Sic etiam decidunt Leges de simili quæstione; Et sicut prima loquitur, (*b*) *Si de certo fundo sensit testator, nec appareat de quo cogitavit; electio hæredis erit, quem velit dare.* Secunda verbis adhuc clarioribus sese enuntiat (*c*); *Scio ex facto tractatum*, inquit; *Cum quidam duos fundos ejusdem nominis habens, legasset fundum Cornelianum, & esset alter, pretii majoris; alter, minoris: & hæres diceret minorem legatum; legatarius, majorem vulgo sciebatur utique minorem eum legasse; si majorem docere non potuerit legatarius.* Tertia adhuc idem probat, cum dicit, quod, si testator qui plures pelves argenteas habet, unam ex illis pelvibus legaverit, non designando quamnam, hæres minimam legatario dare potest (*d*): *Sed & si lancem legaverit, nec appareat quam: æque electio est hæredis, quam velit dare.*

(*b*) L. Legat. 37. §. 1. ff. de legat. & fideicom. 1. l. 30. tit. 1.
(*c*) Leg. Cum servus. 39 ff. 6. ff. eod. tit.
(*d*) L. Legato supra cit. §. in fine.

Notavimus ita dirimendam esse hanc quæstionem, posito eam a nulla alia consideratione pendere, nisi ab ista, nempe uter utri quoad optionem anteponendus sit. Si enim aliæ darentur rationes, quæ locum præberent credendi, testatorem legatario optionem dare voluisse; & si verisimile non foret sibi animum fuisse legandi rem quam hæres tradere vellet; tunc dicendum foret optionem esse legatarii; (*e*) exempli causa si testator unum e suis equis Julio legasset, hæres eum cogere non posset ad equum anhelum accipiendum, cum nullo modo verosimile sit Aristippum illi ejusmodi legatum facere voluisse, nec ejus consilium fuisse tantopere dilatandi jus eligendi, quod etiam diserte hæredi suo reliquisset. Quapropter quemadmodum hæres non teneretur ad optimum equum stabuli defuncti, legatario tradendum, pariter etiam equum adeo vitiosum ipsi dare non posset; itaque hoc in casu æquum medium servandum esset; attendendo, non tantum ad conditionem testatoris, bona que ab eo derelicta; verum etiam ad alias circumstantias, ne hæredis commodum læderetur, neque reverentia, qua testator legatarium prosequutus esset; quod clare patet ex eadem Lege quam jam laudavimus (*f*); *Legato generaliter relicto, veluti hominis, Cajus Cassius scribit, id esse observandum, ne optimus, vel pessimus accipiatur: quæ sententia rescripto Imperatoris nostri & divi Severi juvatur, qui rescripserunt, homine legato, actorem non posse eligi.*

(*e*) L. Si hæres. 110. ff. eod. tit.
(*f*) Cit. Leg. Legato. 37. ib.

C A S U S XXXIX.

Nicolaus testamenti sui curatori horologium manuale aureum & adamantem legat, hocque legatum his verbis exprimit; *Maglorio, testamenti mei curatori, meum horologium manuale aureum, meumque adamantem, lego.* Aliquanto post permutat suum horologium manuale cum horologio oscillatorio, ejusque adamas surripitur: postea supremum obit diem in suo testamento nihil immutando. Nonne hæres ingenue tenetur ad æquum hujus legati pretium Maglorio solvendum?

R e s p o n s.

Nicolai hæres ad quidquam erga Maglorium non tenetur: Ratio est, quod, cum testator designat res quas legat, quasi ad se pertinentes; legatum effectum suum non habeat, nisi cum res ipsæ reperiuntur inter hæreditatis bona quæ hæredi suo relinquit. Verba autem quibus Nicolaus usus est in exprimendo legato quod sui testamenti curatori fecit, clarissime denotant se eas tanquam res tunc ad se pertinentes legare. Cum igitur tempore obitus sui non amplius dominus esset harum rerum, & cum inter bona hæreditatis suæ non reperiantur; Maglorius non potest eas ab hærede petere, neque earum pretium exigere. *Species nominatim legatæ*, inquit Lex (*g*); *Si non omnia reperiantur, nec dolo hæredis deesse probentur; peti ex eodem testamento non possunt.*

(*g*) L. Omnia 10. §. 9. ff. de legatis & fideicommissis 2.

Verum si Nicolaus tale horologium vel talem adamantem non designavisset, hisque verbis indefinitis sese enuntiasset, dicendo; *horologium manuale aureum & adamantem Maglorio lego*; hoc legatario deberetur; ita tamen ut si plura horologia aurea & plures adamantes inter bona hæreditatis reperirentur, legatarius id quod maximi esset pretii eligere non posset, nisi testator hanc ipsi potestatem dedisset; nec hæres ei vilissimum tradere posset: sed legatum moderandum secundum æquitatem, ratione allata a Lege (*h*) quam in præcedenti decisione retulimus, & quemadmodum etiam dicit hæc alia Lex (*i*); *illud verum est, hæredem in hoc teneri, ut non pessimum det.*

(*h*) Cit. Leg. Legato.
(*i*) L. Si hæres. 110. ff. de legat. & fideicom. 1.

C A S U S XL.

Fabricius 250. libras Philberto mutuo dedit, quo chirographum acceperat: deinde fecit suum testamentum, quo hanc summam ipsi legavit, præcipiendo ut ejus chirographum ipsi redderetur. Verum aliquanto post cum æris egeret, ab eo solutionem petiit, eique chirographum suum reddidit: deinde hoc pro anno de vita emigravit, in testamento suo nullam immutationem faciendo. An ejus hæres tenetur ad 250. libras Philberto tradendas?

R e s p o n s.

Fabricii hæres ad illas 250. libras Philberto tradendas non tenetur. Ratio est, quod testator legatum revocare possit, non modo expressim, hoc est per secundum testamentum vel per codicillos; sed etiam tacite & absque ulla dispositione expressa quæ contraria sit, ut cum aliter disponit de re quam legaverat, sicut supponitur evenisse in specie de qua agitur, ubi Fabricius solutionem 250. librarum sibi a Philberto debitarum, & a se illi legatarum, exigendo, existimatur voluntatem commutasse, hocque legatum revocasse, quod proprie loquendo, erat tantum apocha, non vero summa recipienda; & quod consequenter solutione recepta irritum fit. *Liberatio autem, debitori legata*, inquit Lex, (*k*) *demum effectum habet, si non fuerit coactum id a debitore dum vivat testator.*

(*k*) L. Non solum. 1 §. 4. ff. de liber. legata. l. 34. tit. 3.

Idem dicendum est si testator id quod legaverat vendiderit aut aliter alienaverit. Cum enim eo seipsum spoliet, potiori ratione legatarium orbat jure quod ipsi morte sua acquisitum fuisset. Quod probatur per Legem a Paulo Jurisconsulto allatam (*l*) his verbis; *Testator supervivens si eam rem, quam reliquerat, vendiderit, extinguitur fideicommissum*

(*l*) Paullus l. 4. sentent. tit. 1. §. 9.

Denique pari modo ratiocinandum est, si testator post rem legatam, eam alii quam legatario daret. Argumentum enim esset certum eum voluntatem immutavisse, donatariumque legatario anteponere

vo-

voluisse. *Rem legatam si testator vivens alii donaverit, omnimodo extinguitur legatum* (a);

(a) Leg. Rem legatam 15. ff de adimendis vel transferendis legatis &c. lib. 34. Item L. Legatum. 24. §. 1. ibid.

CASUS XLI.

GABRIEL postquam Rollando legasset domum cum quatuor terræ arabilis jugeribus, juxta viridarium domus in qua habitat, anno post hæc quatuor jugera vitidario suo adiecit ut illud augeret, & ea etiam muro claudere jussit. Mense post cum e vita migrasset, Rollandus in possessionem domus sibi legatæ venit, & ulterius contendit quatuor terræ jugera sibi tradenda esse, congruenter testamenti verbis. Hæres ea tradere recusat. Nam injusta est ejus recusatio?

RESPONS.

Recusatio quam facit Gabrielis hæres Rollando tradendi quatuor terræ jugera a defuncto ipsi legata, justa est. Ratio est, quod cum testator fundum quem legavit non alienando, quamdam ejus partem resecat, alterique fundo addit, sive ad illum augendum, sive ornandum, hæc resectio legatum tanto imminuit: quia portio resecata fit pars alterius fundi, ad quem legatarius nullum jus habet: cum testator clare sic ostendat, se voluntatem mutavisse, ejusque mentem fuisse legatum imminuendi. Ecce sicut de ea re Lex loquitur (b)! *Quod si post testamentum factum ex fundo Titiano aliquid detraxit; & alii fundo adjecit; videndum est, utrum ae eam quoque partem legatarius petiturus sit; an hoc minus, quasi fundi Titiani esse desierit: cam nostra destinatione fundorum nomina & domus, non natura constituerentur, & magis est, ut, quod alii destinatum est, ademptum esse videatur.* Qua de re Glossa dicit (c): nota quod detractio est ademptionis loco.

(b) L. Quod in rerum. 24. §. ff. de legatis & fideicom. & l. 30. tit. 1.

(c) Glossa in eis. leg. v. At Domus.

CASUS XLII.

APRONIUS cum Titio unam e suis villis cum claustro decem jugerum vinearum legavisset, anno post testamentum suum scriptum hanc domum diruere jussit, eo consilio ut pulchriorem ac commodiorem domum exstrueret. Supremumque obiit diem eo tempore quo eam denuo ædificare incipiebat. Titius nonne jus habet ab hærede petitum domus petendi; cum Apronii mens fuerit eam ipsi tradendi, & quidem domum multo pretiosiorem relinquendi?

RESPONS.

Respondemus hæredem Apronii ad nullam rem erga Titium teneri, nisi ad materiam domus quæ præsens reperietur, & claustrum decem jugerum vinearum ipsi tradendum. Quemadmodum enim incrementa & perfectiones quas testator domui legatæ adjecisset, non causa fuissent cur legatum factum revocaretur, atque in commodum Titii legatarii cessissent: æquum est etiam ut imminutionem a testatore factam, ferat. Sic ratiocinatur una ex Legibus Digesti (d) quæ dicit; *Si ex toto fundo legato testator partem alienasset, reliquam duntaxat partem deberi placet: quia etiamsi adjecisset aliquid ei fundo, augmentum legatario ac cederet.* Quibus addi potest, jure suspicandum esse, testatoris mentem non fuisse, ut ejus hæres ad talem damni compensationem erga legatarium teneretur, cum id non declaraverit, neque in suo testamento, neque etiam, ut supponimus, viva voce.

(d) Leg. Si ex toto 8. de legatis & fideicom. 2.

CASUS XLIII.

BERNARDUS cum Josephum, consobrinum suum, gratificari vellet, ei quinque prati jugera legavit. Sex mensibus post voluntatem immutavit, & per codicillos expressim factos, eadem quinque jugera Ambrosio fratris filio legavit, nulla de priori legato quod Josepho fecerat, verba faciendo. Paulo post Ambrosius e vita migravit ante testatorem, qui pariter supremum diem obiit mense post hunc secundum legatarium. Qua de re quæritur an primum legatum in gratiam Josephi factum, effectum suum habere debeat: vel an infirmatum fuerit, ita ut in commodum hæredis Bernardi cedere debeat?

RESPONS.

Ut ad quæstionem propositam respondeamus, dicendum est, quod, cum testator secundum testamentum aut codicillos facit, quibus secundo legatario transfert eamdem rem quam alii legaverat, legatum quod primo fecerat absolute revocatur & in perpetuum extinguitur respectu primi legatarii: ita ut, licet secundus moriatur ante testatorem, primus ad illud legatum nullum jus amplius habeat. Unde concludimus quod, cum Ambrosius ante Bernardum testatorem e vita migraverit, quinque prati jugera ad defuncti hæredem redeant, & quod Josephus ea nequaquam ambire potest: *Si vivo testatore, mortuus fuerit is, in quem translatum legatum fuerit,* inquit Lex (e); nihilo magis ad eum, a quo translatum fuerit, pertinebit.

(e) Leg. Et ideo 5. ff. de adimendis, vel transfer. legatis, vel fideicom.

CASUS XLIV.

GILLIUS, vestium interpolator, graviter ægrotans, Gotofredo, amico suo, quatuor panni volumina, quæ in apotheca sua habebat, legavit. Cum ex morbo convaluisset, hunc pannum omnem in vestibus faciendis impendit. Tandem cum mense post denuo ægrotaret & supremum diem obiisset, Gotofredus ab ejus hærede legati sui solutionem petiit. Hæres ipsi respondit res fuisse immutatas; quia defunctus e quatuor panni voluminibus vestes texere jusserat eo fine ut eas in officina sua venderet; quod erat argumentum clarum mutatæ suæ voluntatis; ideoque, cum legatum hac ratione funditus extinctum fuerit, ad illud ipsi solvendum non teneri. Gotofredus responsum dedit, quod, cum pannus ex quo vestes textæ fuerunt, adhuc in natura sit, quamvis ad vestes texendas adhibitus fuerit, saltem hæ vestes ad ipsum pertinere deberent, usque ad æquum panni pretium. Pro quonam stat ratio?

RESPONS.

Pro Gillii hærede stat ratio, nec ad quicquam erga Gotofredum tenetur. Cum enim mutationes rei legatæ efficiunt ut alterius sit naturæ, talique in statu, ut legati materia non amplius comprehendatur sub expressione aut voce quæ vulgo ipsi tribuitur, legatum tanquam revocatum ac deletum ista immutatione considerandum est. Mutatio autem quatuor panni voluminum quam Gillius fecit, ea in vestibus texendis adhibenda, certissime eorum naturam, statum atque nomen commutavit; ita ut dici nequeat, hæc panni volumina; basque vestes, moraliter unum idemque esse. Revera inter utrumque tantum discrimen intercedit, quantum inter laneas sarcinulas colligatas, & pannum ex ea textum, daretur. Legatum autem harum sarcinularum colligatarum, proculdubio funditus extingueretur, statim atque testator ex iis pannum texere curasset, quemadmodum decernitur hac Lege (f); *Lana legata, vestem, quæ ex ea facta sit, deberi non placet.* Equidem alia Lex (g) hoc in casu petit ut probetur testatoris voluntatem immutatam fuisse. Verum praxis nostra contraria est, & eo meliori fundamento nititur, quod mutatio quam testator in re legata facit, satis voluntatis suæ immutationem probet. Pariter igitur dicendum est, legatum quatuor panni voluminum infirmatum ac deletum fuisse, statim atque ex iis testator vestes texere jussit.

(f) L. Lana. 88. ff. ide legat. & fideicom. 3. l. 32. tit. 1.

(g) L. Pluribus 44 §. 2. ff de legat. vel fideic. 2.

His etiam addi potest, de quæstione proposita æque ratiocinandum esse ac de quæstione, qua supponeretur legatum factum plurium arborum, quarum ligno testator deinceps ad construendam navem aut ad domum ædificandam usus fuisset. Quemadmodum enim hoc in casu legatum irritum fieret (h) non minus irritum fieri debet in specie quam ad examen revocamus.

(h) Sed & materia legata, navis, armariumve ex ea factum non indicetur. L. Lana cit.

Omnia quæ diximus eo minus in contentionem venire debent, quod mutatio voluntatis testatoris clare pateat, ex eo quod has vestes texendas curaverit solummodo, ut eas alienaret, hoc est, in officina sua venderet mercatoribus, qui ad eas comparandas sese offerrent.

CASUS XLV.

Fabius Sempronio legavit domum, quæ ab Igne cœlesti pridie mortis testatoris penitus consumpta fuit. Sempronius contendit aream, hortum adjacentem, solumque illius domus, tanquam legati sui accessionem ad se pertinere, atque a defuncti hærede petit ut in eorum possessionem mittatur. Num ejus animo cogitatum æquum est?

Respons.

Ad hanc quæstionem dirimendam; sciendum est quid sit accessio. Dominus Domat Regis Advocatus in Curia Præsidiali Claromontii in Arvernis, Auctor operis, quod inscribitur, *Leges Civiles in ordine suo naturali &c.* hanc ejus definitionem dat (*a*), *congruenter ad unam e Legibus Digesti* (*b*), *vocatur*, inquit, *accessio rei legatæ id quod cum ejusdem rei non sit, quamdam cum ea habet affinitatem, quæ facit, ut ab ea divellendum non sit, utque eam sequi debeat.*

(*a*) Domat. Leg. civil. in ordine suo natural. l. 4. de legat. tit. 2. sect. 4. n. 1.
(*b*) Leg. 1. § 5. ff. depositi.

His ita positis, dicimus quod, quemadmodum, secundum hunc auctorem, accessio naturam principalis semper sequi debet, juxta hanc Juris regulam (*c*), *Accessoriorum naturam sequi congruit principalis*, constat non deberi, nisi cum res principalis, cujus est accessio, debetur. Domus autem a Fabio Sempronio legata ab hærede Sempronio non debetur. Ergo area, hortus & solum ubi constructa erat hæc domus, & quæ, secundum eumdem Jurisconsultum, ejus sunt accessio, ipsi etiam non debentur. *Nam quæ accessionum locum obtinent extinguuntur, cum principales res peremptæ fuerint*, inquit Lex (*d*). Igitur Fabii hæres ad Sempronium in hujus accessionis possessionem mittendum non tenetur.

(*c*) Reg. 42. de reg. juris in 6.
(*d*) L. Nam quo. 2. ff. de peculio legato l. 33. tit. 8.

Objici potest, hanc accessionem multo majori pretio, quam domum venire posse, quia fieri potest ut hortus, vel claustrum immensæ sit amplitudinis, partimque altis arboribus, instar sylvæ, refertum sit; adeoque hac ratione desinat esse accessio, & tanquam res principalis considerandа sit.

Verum, ut optime dicit idem Auctor (*e*) „ accessiones, quæ rem legatam sequi debent, tales „ non judicantur, nisi per usum qui iis tribuitur, „ non vero per earum pretium; ita ut, addit, accessio sæpe multo majoris pretii sit quam res „ ipsa. Sic, verbi gratia, lapides pretiosi pyxide horologii manualis inclusi, ejus tantum ornamentum & accessio sunt; verum horologii „ legatum sequuntur.

(*e*) Idem ibi. n. 16.

Facile est huic exemplo multa alia similia addere, ut exemplum picturarum uti tectorii, quæ, licet simplex accessio domus sint, ejus pretium summopere superare possunt: & exemplum mancipii, cujus peculium facile ad pretium decuplo majus pretio ipsius mancipii assurgere potest. Quod clare ostendit hanc objectionem nullius esse momenti, pessimoque fundamento niti.

En sententiam Domati, & Leges quas laudat. Attamen dantur Doctores qui existimant solum, quo domus super ædificata est, reputandum esse rem principalem, ædes vero tanquam accessionem; adduntque, cum mens præsumptiva testatoris fuerit, ut solum, area & hortus adjacentia ad legatarium pertinerent, æquum esse ut in ejus commodum cedant, quamvis domus ante mortem testatoris pessum eat; Quod cum æquitate satis congruere nobis videtur.

CASUS XLVI.

Attalus Symphoriano duos dolos vini semimodios, qui in cella sua die sui obitus erant, legavit; ejus hæres neglexit adhibere curam necessariam ad vinum illud conservandum, Symphoriano absente; circulisque doliorum propter nimium cellæ humorem putrefactis, vinum plane periit ante legatarii reditum. In quennam jactura recidere debet?

Respons.

Vini jactura in Attali hæredem venire debet. Ratio est, quod, dum res legata in hæredis potestate remanet, teneatur ad ejus conservationi, etiam magna cum cura, invigilandum, donec eam legatario tradiderit; ita ut si forte pereat, aut ejus culpa vel negligentia rei detrimentum afferatur, ejus fidejussor erga legatarium remaneat. *Si res aliena, vel hæreditaria sine culpa hæredis perierit, vel non compareat*, inquit Lex (*f*), *Nihil amplius quam cavere eum oportebit; sed si culpa hæredis res perierit: statim damnandus est. Culpa autem qualiter sit æstimanda videamus. An solum ea quæ dolo proxima sit: verum etiam quæ levis est? An nunquid & diligentia quoque exigenda est ab hærede? quod verius est.*

(*f*) L. Cum res. 47. § 4. & 5. ff. de legat. & fideicommissis 1.

Videamus autem in specie proposita hæredem nullam curam adhibuisse in conservando Symphoriani legato: & e contrario neglexisse ejus conservationi invigilare. Æquum est igitur, ut; quandoquidem ejus culpa & negligentia periit, illius jacturam ferat: quemadmodum eam ferre deberet, si cunctando solvere legatum, forte periret, quoquomodo id fieret. *Ipsius quoque rei interitum post moram debet, sicut in stipulatione, si post moram res interierit, æstimatio ejus præstatur* (*g*).

(*g*) Leg. Cum servus. 39 paragr. 1. ff. eod. tit.

Quod jam diximus solummodo intelligendum est, si contigerit ut vinum a morte testatoris perierit. Nam si ante ejus obitum periisset, hæres ad damnum resarciendum non teneretur; nec etiam si post ejus mortem periisset, quin ipsius culpa esset, sicut probari potest per hanc Legem (*h*): *Si quidem, vivo testatore, fuerit*, (Servus Legatus) *expensis legatarii reducitur. Si post mortem, sumptibus hæredis.* Et per hanc aliam (*i*), *Si certum corpus hæres dare damnatus sit, nec fecerit quominus ibi, ubi id esset, traderetur: si id postea sine dolo & culpa hæredis perierit, deterior fit legatarii conditio.*

(*h*) Leg. Si quis. 7. ff de legat. & fideicomm. 2.
(*i*) Leg. Non amplius 26. §. 1. ff. de legat. & c. 1.

CASUS XLVII.

Samuel Michaeli duos vini modios, qui in cella sua erant, legavit; hoc vinum plane coacuit antequam testatoris hæres illud in manus Michaelis tradiderit: Quisnam ejus jacturam ferre debet? nonne legatarius?

Respons.

Si Michael legati sui solutionem petierit, hæresque Samuelis recusaverit aut neglexerit eam concedere, atque hoc temporis intervallo vinum vitiatum fuerit; hæredis solius est ejus damnum sufferre, juxta hanc Juris regulam, (*K*) *Mora sua cuilibet est nociva*: nisi fuerint rationes ejus solutionem procrastinandi: tunc enim mora reus non existimaretur, juxta hanc aliam regulam (*l*), *Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.* Hæc decisio congruit cum Lege, quæ dicit (*m*), *Ipsius quoque rei interitum post moram debet* (hæres) *sicut in stipulatione: & post moram res interierit, æstimatio ejus præstatur.* Ratio quæ intervenire potest ad confirmandam ea quæ dicimus, est, quod, si hæres legati solutionem fecisset, cum eam facere debebat ac poterat; legatarius ejus jacturam prævenire potuisset, sive vinum vendendo, sive illud absumendo antequam vitiatur; sive ejus vitiationem impediendo per quoddam remedium quod apponere potuisset.

(*K*) Reg. 25. de reg. juris in 6.
(*l*) Reg. 26. ibid.
(*m*) L. Cum servus. 39. paragr. 1. ff. de legatis & fideicom. 1.

Verum si hæres Michaeli legati solutionem obtulerit, atque legatarius eam accipere recusaverit aut neglexerit, solus ille vini jacturam ferre debet, non vero hæres a quo non stetit quin in legati sui possessionem mitteretur. Quod congruit cum ista alia regula Juris Canonici (*n*), *Imputare non debet ei, per quem non fiat, si non faciat, quod per eam fuerat faciendum.* Id etiam congruit cum alia Lege Digesti (*o*), quam retulimus, respondendo ad quæstionem antecedentem, quæ vult ut jactura vel detrimentum rei legatæ hoc in casu recidat in legatarium, non vero in hæredem, qui ad damna resarcienda casuum fortuitorum quibus legatum perire posset, etiam non tenetur cum nulla culpa ipsi adscribi potest.

(*n*) Reg. 41. de reg. juris in 6.
(*o*) Cit. Leg. non amplius 26. paragr. 1. ff. de legat. & fideicom. 1.

CASUS XLVIII.

Genebaldo mortuo, ejusque testamento patefacto: repertum est, e duobus equis ephippio instructis ad se pertinentibus, se unum Ludovico legare, non notando quemnam legaret, ejusque optionem hæredi suo relinquendo. Verum unus ex his equis paucis horis extinctus est violentis torminibus. Ludovicus alterum equum ab hærede petit, qui eum dare recusat, afferenda hanc rationem, se jus habere per testamentum Genebaldi quemnam e duobus voluisset retinendi; & æquum esse, cum unus

tan-

tantum supersit, ut eum habeat legatario postposito. Qua de re quæritur, an hæres equum superstitem retinere non possit, quin Ludovico injuria fiat?

R E S P O N S.

Genebaldi hæres equum superstitem (i) Ludovici detinere non potest, (ingenue damno,) posito equum, ante optionem a Genebaldi hærede factam, non periisse. Constat enim, testatoris mentem fuisse, ut legatarius alterum e duobus equis haberet; ideoque, cum hæredi eligendi locus amplius non sit, quod ipsi per defuncti testamentum licitum erat, equum superstitem pertinere debere ad legatarium, non vero ad hæredem, qui cum alterius equi dominus existimetur, ejus jacturam ferre debet, juxta hanc Juris sententiam (a), *Res perit domino rei*.

(a) Arg. Leg. Pignus 9. C. de pignoratitia actione l. 4. t. 24.

Diximus, *posito equam periisse ante optionem a Genebaldi hæredi factam*: Etenim si hæres optionem suam fecisset ac declarasset, & equus quem legatario destinasset deinceps sua culpa periisset, ejus jactura unice in legatarium recideret, ut e contra ad jacturam equi demortui resarciendam teneretur, si illum antea elegisset: quandoquidem hac optione expressim ejus dominus evasisset eodemque tempore legatarius pariter alterius dominus factus fuisset (b);

Hoc clarissime probatur per istam Legem (c) *Stichum aut Pamphilum, utrum hæres meus volet, Titio dato, si dixerit hæres, Stichum se velle dare, Sticho mortuo liberabitur*.

(b) L. Apud 20 ff. de optione, vel electione legata l. 31 t. 5

(c) L. Hujusmodi 84 § 9 ff de legatis & fideicom. l. 30. tit. 5.

Quod ista Lex dicit de casu, quo hæres optionem habet, potiori ratione æquum est de casu quo legatarius ipse optionem fecisset: quod eo verius est, quo ab optione facta, cui illam faciendi jus erat, conventis stare debet, sicut declarat eadem Lex (d) *Cum autem semel dixerit hæres, utrum dare velit, mutare sententiam non poterit*. Cui congruit hæc alia Lex (e): *Electione legata semel dumtaxat optare possumus*.

(d) Cit. L. Hujusmodi.

(e) L. Servi 5 ff. eod. tit. Item L. Statu liberum 2. § 3 ff. de legat & fideicomm. 3. & L. Apud 20. ff. de optione vel electione legata.

C A S U S XLIX.

PROTOGENES habens duos patrueles fratres, quibus ambobus *Titii* nomen erat, suo testamento legatum fecit, his verbis enuntiatum, *Do ac lego Titio fratri meo patrueli domum quam incolo*. Testatore defuncto, unusquisque e patruelibus fratribus legatum ad se pertinere contendit. E contrario defuncti hæres affirmat; cum impossibile sit dignoscere quænam testatoris voluntas fuerit, hanc domum in suum commodum cedere debere. Qua de re quæritur, *Quid juris?*

R E S P O N S.

Tale legatum, secundum Leges, respectu amborum legatariorum irritum remanere debet, nisi agnosci possit per aliquod aliud pactum aut per quamdam circumstantiam, cuinam e duobus illud faciendi defuncti mens fuerit. Ratio est, quod certissime hæres unicum legatum debeat, unique e duobus tantum solvendum sit. Neuter autem probare posset se vere esse legatarium; magisque cum æquitate congruere videtur tale legatum, adeo vitiose enuntiatum, irritum remanere, quam hæredem cogere ad illud solvendum alterutri, qui forsan is non esset, quem gratificandi defuncto animus non fuisset. *Si duobus Titiis separatim legaverit*, inquit Lex, *& uni ademerit, nec appareat cui ademptum sit; utrique legatum debetur, quemadmodum in dando, si non appareat cui datum sit, dicemus neutri legatum* (f). Hac eadem Lege patet; quod si e contra testator fecisset duo legata diversa duabus personis, quibus idem nomen esset, ac deinceps unum revocasset, nec dignosci posset quodnam e duobus revocandi consilium ejus fuerit, ambo legata starent; cum æquius sit, revocationem prave enuntiatam ac explicatam irritam fieri, quam illi tribuere effectum ambo legata defendi; Cum clare constat saltem alterutrum stare debere.

(f) L. Si quis 5. §. 7. ff. de adimendis, vel transferendis legatis &c. l. 37. t. 4.

Hæc decisio confirmari potest, ratiocinando de duobus hæredibus, tanquam de duobus legatariis ejusdem nominis. Nam, si in regione juris scripti, Protogenes duos patrueles fratres haberet, quibus ambobus *Titii* nomen esset; atque in testamento suo dixisset: *Titium meum patruelem, fratrem bonorum meorum hæredem designo*. Constat neutrum ad hæreditatem jus habiturum, cum certum sit, mentem testatoris fuisse tantum sibi unicum hæredem non vero duos hæredes constituendi: atque ut supponimus, neuter probare posset testatorem ipsum designasse altero excluso. (g). *Quoties non apparet, quis hæres institutus sit*, dicit Lex, *institutio nihil valet. Quippe evenire potest, si testator complures amicos eodem nomine debeat: & ad designationem nominis singulari nomine utatur: nisi ex aliis apertissimis probationibus fuerit revelatum pro qua persona testator senserit*. Ne quidem hi duo patrueles fratres inter se convenire possent de hæreditate dividenda, damno ejus qui hæres *ab intestato* reperiretur, cum alteruter dimidiam partem, contra testatoris voluntatem, in commodum suum verteret. Hæc est sententia D. Domat. (h) qui eodem modo ratiocinatur respectu duorum legatariorum, de quibus in specie proposita, agitur.

(g) L. In tempus 62 §. 1. ff. de hæredibus instituendis l. 28. tit. 5.

(h) Domat. Leges Civiles l. 3. sect. 2. n. 28.

C A S U S L.

NAPOTIANO mortuo, inter ejus scripta repertum est testamentum, quo Gaspardo legabat gregem 200. ovium, qui a defuncti hærede ipsi traditus est, sex mensibus post, amicus defuncti e longinquo itinere quod susceperat redux, alterum testamentum, cujus depositarius erat, produxit, quod primum revocabat, nominatimque legatum Gaspardo factum. Hæres hoc testamento potius a Gaspardo restitutionem 200. ovium aut æquum eorum pretium, petiit: Verum Gaspardus illi respondit, omnes punctiona, vel quodam alio simili morbo contagioso, qui aliquando his animalibus contingit, extinctas fuisse, atque se verum dicere, indubitanter probavit. Ideo hæres ab eo petiit ut ergo sibi earum pretium solveret pro æstimatione peritorum. Gaspardus adhuc recusavit. Quam in rem heres petit num illæsa conscientia hunc legatarium cogere possit ad sibi saltem ovium pretium reddendum, cum eas reipsa reddere nequeat?

R E S P O N S.

Gaspardus ad pretium ovium morbo extinctarum a quo sibi traditæ fuerant, hæredi reddendum non tenetur. Ratio est, quod, cum res, quæ ad alium pertinet, detrimentum patitur aut perit, in manibus ejus qui eam possidebat bona fide, & tanquam rem quam legitime ad se putabat: possessor ad ejus pretium resarciendum non teneatur, juxta doctrinam S. Thomæ (i), nisi res ab eo petita fuerit, dum adhuc eo temporis articulo in ejus potestate esset: atque in ea reddenda illi ad quem pertinebat, cunctatus fuerit. Ejus conditio enim eadem existimari debet, ac si verus rei dominus fuisset, juxta hanc juris Romani regulam (K); *Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est*. Ergo cum Nepotiani hæres ovium gregem a Gaspardo non petierit, nisi postquam morbo contagioso qui irrepsit, extinctus fuit, & cum Gaspardus cum bona fide possidebat, ad quidquam erga hæredem non tenetur. Verum si hæres gregis restitutionem petiisset, antequam extinctus fuisset morbo, & Gaspardus eum reddere denegasset aut neglexisset: tunc Gaspardus ad ejus pretium hæredi restituendum teneretur; quamvis absque sua culpa grex periisset, sicut multæ Leges statuunt (l).

(i) S. Thom. 2. 2. q. 120. art 6. ad 3.

(K) L. Bona fides 76. ff. de diversis reg. juris antiqui l. 50. tit. 17.

C A S U S LI.

VALENTINIANUS gregem ovium Chrysologo legavit: & cum Valentiniani hæres eum in ipsius manus tradidisset, Chrysologus bona fide eum octiduo post vilissimo pretio vendidit: quia æris egebat. Altero octiduo post, hæres repertis codi-

(l) L. non solum, 13. & leg. Item 15. §. fin. ff. de rei vindicat. l. 6. tit. 1.

codicillis defuncti, quibus hoc legatum revocabat, Chrysologum appellavit de ovibus sibi reddendis; vel æquo earum pretio. An Chrysologus ad id tenetur?

RESPONS.

Chrysologus simpliciter tenetur ad pretium quod ex ovibus venditis percepit hæredi reddendum, quamvis eas vilissimo vendiderit pretio. Id clare patet ex hac Lege Digesti (*a*); *Dedi hominem indebitum; & hunc sine fraude modico distraxisti. Nempe hoc solum refundere debes, quod ex pretio habes*, sed plane contrarium dicendum esset, si Chrysologus quamdam revocationis sui legati notitiam habuisset. Tunc enim illud mala fide accepisset, certoque teneretur ad æquum gregis pretium hæredi Valentiniani restituendum, nullo habito respectu ad modicum pretium quod ex ovibus venditis percipere potuisset; cum hoc in casu verum furtum commisisset, de bono quod ad se non pertinebat fraudulenter disponendo.

(*a*) L. Si non sortem 26. §. 12. ff. de conditione indebiti l. 12. tit. 6.

CASUS LII.

HYACINTUS quinque habens equos, nempe duos carruccarios, duos ephippiatos & unum ad utrumque usum adoptatum, Joanni suos equos carruccarios, & Francisco suos equos ephippiatos, legat absque ulla alia designatione. Post ejus obitum unusquisque legatariis petit equum ad utrumque usum adoptatum; cum aliis quos habere debet. Ad quemquam pertinere debet?

RESPONS.

Equus ad utrumque usum adoptatus, hoc est, qui aliquando rhedæ vehendæ inservit, & qui etiam aliquando conscenditur, ad duos legatarios conjunctim pertinere debet. Ratio est, quod cum testator legavit uni rem cujusdam speciei, alteri vero rem alius speciei, ut equos carruccarios & equos ephippiatos; & cum contingit ut res quædam sit duarum specierum, itaque comprehendatur sub duabus enuntiationibus, ut nihil rem ad alterutram applicare aut determinare possit. res quæ ad tantum unius harum specierum pertinet ad legatarium hujus speciei designatæ; & res quæ duabus speciebus communis reperitur, ad ambos legatarios pertinere debet. Hæc est decisio Legis quæ dicit (*b*); *si in genere aut specie utrique sint; plerumque communicabuntur*. Quod adhuc definitum reperitur ab alia Lege, quam in margine indicamus (*c*).

(*b*) L. servis 99 ff de legatis & fideicomm. 3.
(*c*) L. Titia 36 ff. de legatis & fideicom. 2.

CASUS LIII.

EVANDER Balduino & Maximo domum legavit: & cum Balduinus hoc legatum accipere recusasset, vel etiam cum, eo tempore quo testator supremum diem obiit, inhabilis esset, qui illud in commodum suum verteret, quia ad mortem vel ad remos perpetuos damnatus erat: Evandri hæres, & Maximus secundus legatarius, inter se litigant, in cujus commodum cedere debeat pars quam Balduinus habere debebat: cum uterque eam jure accretionis ambiat, sicut inter cohæredes usu venit. In cujus commodum res cedere debet?

RESPONS.

Magnum discrimen reponendum est inter cohæredes & legatarios, ait D. Domat, *cum enim de hæreditate agitur, qui ad eam conjunctim separatim vocantur, sive eorum partes designatæ sint sive non, semper inter ipsos jus accretionis datur; quia jus ad hæreditatem est jus universale, quod omnia bona & onera complectitur, & quia hoc jus dividi nequit, ita ut quis hæres sit tantum unius partis hæreditatis; alteraque pars vacet & absque hærede sit*. Unde sequitur portiones eorum qui hæreditatem accipere nolunt aut non possunt, jure acquisitas esse aliis cohæredibus, qui in ejus partem vocantur, pro ratione partis quam in hæreditate habent, sicut a multis Legibus fertur (*d*).

(*d*) L. si quis 35 & L. Qui ex dub. 13 §. r. 1 ff. de acquirenda vel omittenda hæred. l. 29. tit 2. L. Testamento 6 C. de impuberum & aliis substitut. l. 6. tit. 26. C. de hæredibus instituendis l. 6. tit. 14. & L. 19. §. 3. ff. eod. tit.

Sed res sic se non habet inter legatarios. Etenim cum hæc legata ad res legatas restringantur; ac dividi possint, saltem ratione æstimationis; necesse non est, ut semper inter eos Jus accretionis, detur. Attamen cum hoc jus constitutum reperitur enuntiatione ipsa, qua testator usus est, perinde est ac de cohæredibus.

In specie autem proposita hoc accretionis jus inter Balduinum & Maximum constitutum reperitur enuntiatione Evandri, qui ipsis domus suæ legatum fecit; quia fecit ambobus conjunctim, nec portionem quæ utrique competere debebat designando: ita ut solus eorum concursus hoc legatum dividere & cuique partem suam tribuere possit. Unde sequitur, cum conjuncti sint per rem legatam, vel potius per enuntiationem & naturam verborum, quibus testator hoc legatum iis faciendo usus est; dicendum esse inter eos jus accretionis dari, eadem ratione ac si testator expressum declaravisset domum integram remansuram alterutro, qui solus eam in commodum suum vertere posset. Unde concludimus, cum Balduinus legatum accipere recuset, aut cum inhabilis sit ad illud recipiendum, integrum ad Maximum pertinere. *Conjunctim hæredes institui, aut conjunctim legari, hoc est, totam hæreditatem & tota legata singulis data esse; partes autem concursu fieri*, ait Lex (*e*); *sententiæ* (Neratii) *congruit ratio Celsi dicentis, totiens jus accrescendi esse, quotiens in duobus, qui in solidum habuerunt, concursu divisus est*, inquit etiam alia Lex (*f*) de usufructus accretione verba faciendo. Dantur adhuc multæ aliæ Leges (*g*) quæ idem expresse decernunt.

(*e*) L. Conjunctim. 80. ff. de legatis & fideicom. 3.
(*f*) L. idem 3. ff. de usufructu accrescendo l. 7. tit. 3.
(*g*) L. Si duobus 15. §. 2. ff. de legat. & fideic. 2. L. Et nomen unica § 4. C. de Caducis tollendis l. 6. tit. 51.

CASUS LIV.

ARCHAMBALDUS testamento suo Marino & Benedicto sex vinearum jugera legavit, & designavit tria jugera quæ unusquisque habere debebat, Marino ad exilium perpetuum damnato, inhabilis factus est qui legatum in commodum suum verteret. Ideo Archambaldi hæres contendit tria jugera, quæ iste legatarius habere debebat, jure accretionis ad se pertinere debere. E contra Benedictus secundus legatarius contendit ea in suum commodum cedere debere. A quanam parte stat æquum?

RESPONS.

Animo cogitatum Benedicti æquo non nititur fundamento. Etenim cum res duobus, aut pluribus personis, legatur, ita ut testator eam inter eos partiatur, unicuique partem suam assignando; nullum accretionis jus inter legatarios datur, quia dividuntur per sua nomina, quorum ope unusquisque jus suum a jure aliorum separatum habet, & ad portionem suam restringitur, nec quidquam de parte aliorum ambire potest, quæ causa est cur, cum quædam ex aliis partibus vacat, nullum ad eam legitimum jus habeat; hæredique testatoris acquiratur, si hoc oneris hæredi impositum sit; aut legatario cui a legato ipsi facto hujus secundi legati onus impositum fuisset.

In specie autem proposita, Archambaldus testator id omne Benedicto non legavit, hoc oneris ipsi imponendo ut dimidiam partem Marino daret; sed unicuique horum legatariorum portionem suam assignavit. Ergo Marini portio vacans ad Benedictum jure accretionis non pertinet; Verum ad hæredem testatoris?

Id facile probatur ex Lege (*h*) quæ dicit, quod, si testator rem quamdam ut fundum, aut domum legatario legaverit, hocque oneris ipsi imposuerit ut ejus usufructum aliis daret; usufructuarii jus accretionis habere debent: Verum quod ad eos non pertinet, si testator ipsis separatim ac distinctim cuique portionem suam assignaverit. *Quoties usufructus legatus est*, habet hæc Lex, *ita inter fructuarios est jus accrescendi, si conjunctim sit ususfructus relictus. Cæterum si separatim unicuique partis rei ususfructus sit relictus, sine dubio jus accrescendi cessat*.

(*h*) L. Quoties 1 ff. de usufructu accrescendo l. 7. tit. 22.

C A-

CASUS LV.

Abel lethaliter ægrotans, fecit suum testamentum, quo Gualterio & Gabrieli duobus fratris filiis legatum fecit, his verbis; *Lego Gualterio & Gabrieli fratris mei filiis summam* 3000. *librarum semel solvam*. Gualterius supremum diem obiit aliquot diebus ante Abelem, Gabriel contendit Abelis hæredem legatum integrum sibi solvere debere; Verum hæres affirmat e contra dimidiam partem tantum ipsi solvere debere, quia eum Gualterius ante testatorem e vita migraverit, legatum ejus respectu infirmatum fuit, quemadmodum respectu amborum infirmaretur, si ante Abelem supremum diem obiissent. An pro hærede pugnat ratio?

RESPONS.

Quod animo cogitavit hæres Abelis pessimo nititur fundamento, & Gabriela animo cogitatum solum congruit cum justitia constita per Leges & Jurisprudentiam nostram, juxtaque constat, 1. Jus accretionis quod cum legato agitur, pendere a ratione, qua testator mentem suam declaravit, & a connexione quam ejus enuntiatio inter legatarios producit.

2. Duos aut plures legatarios conjunctim nominari posse tribus modis diversis; 1. cum nominantur solummodo per rem sibi legatam, & per annuntiationes distinctas & separatas; ut cum testator Joanni rem legat, & deinceps alio articulo sui testamenti rem eamdem Jacobo legat. 2. cum testator duos legatarios una jungit, non solum respectu habito ad rem legatam, verum etiam per enuntiationem ut in specie proposita, ubi Abel una eademque expressione Gualterium & Gabrielem conjunctim legatarios summæ 3000. librarum, facit. 3. denique cum testator per verba tantum legatarios jungit, ac partes quas unusquisque habere debet, distinguit: Joanni & Jacobo summam 3000 librarum æquis partibus Lego. Hæc omnia disertis verbis a multis Legibus Romanis feruntur, atque inter alias ab ista (*a*); *Triplici modo conjunctio intelligitur. Aut enim re per se* (hoc est, *tantum* secundum Accursium) *Conjunctio contingit, aut re & verbis: aut verbis tantum*; atque ab ista alia (*b*); *Re conjuncti videntur: non etiam verbis, cum duobus separatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re.* „ *Titio &* „ *Sejo fundum æquis partibus, do, lego*.

(*a*) L. Triplici 142. ff. de verb. signif. l. 50. tit. 16.
(*b*) Leg. Re conjuncti. 89. ff. de legatis fideic. 3. l. 32. tit. 2.

3. Cum testator duos legatarios conjungit, non solum *re*; id est, re ipsis legata; verum etiam *verbis*, hoc est, vocibus quibus utitur; ut, si diceret, *Joanni & Jacobo domum meam do lego*; de partibus quas unusquisque habere debet verba non faciendo, tunc altero moriente, etiam ante testatorem, alter dominus fit totius domus jure accretionis, atque ac sibi soli legata fuisset: ita ut legatum inter se, solo eorum concursu, dividi possit; hoc est, cum ambo vita fruuntur ac ipsa ejus domini fiunt. *Conjunctim legari; hoc est .... tota legata esse; partes autem concursu fieri*, inquit Lex (*c*) a Justiniano confirmata (*d*).

Ergo concludendum est ex his sententiis, in Gabrelis commodum cedere debere summam integram 3000. librarum, conjunctim ipsi *re & verbis* cum Gualterio ab Abele legatam; cum enuntiatio Testatoris eos conjunxerit non modo eadem summa legata, verum etiam verbis non distinctis quibus usus est, eos legatarios suos designando.

(*c*) L. 80. ff. eod tit.
(*d*) L. El nomen. un. §. 3. 2. & 2. C de caducis tollend. l. 6. t. 51.

Verum si Abel notasset 3000. libr. inter ipsos inæqualibus, aut æqualibus partibus partium iri; proculdubio, hoc in casu Gabriel nullum accretionis jus haberet, nec quidquam præter summam 1500. libr. exigere posset ab hærede cui altera dimidia pars acquisita foret, juxta hanc aliam Digesti Legem (*e*); *Quoties usufructus legatus est, ita inter fructuarios est jus accrescendi, si conjunctim sit usufructus relictus. Cæterum si separatim unicuique partis rei usufructus sit relictus, sine dubio jus accrescendi cessat*.

(*e*) L. Quoties 1. ff. de usufructu accrescendo l. 7. tit. 2.

Omnes nostri Jurisconsulti de his placitis conveniunt, ac inter alios Joannes Maria Ricard, in suo tractatu de Donationibus; La Peitere, Soesve anno 1695. defunctus, Decania supremi Senatus Advocatorum, in quorum numerum anno 1636. recensitus fuerit. Henrys, de la Guessiere & Domat (*f*), qui laudant Decreta congruenter reddita; quorum unum est an. 1608. alterum an. 1647. & aliud 27. Augusti 1666. reditum in casu, quo legatarii *re & verbis* conjuncti, etiam spurii erant. Ceterum a regulis quas constituimus legata alimentaria excipienda sunt; cum conflet, juxta Leges (*g*) legatarios hoc respectu nullum jus accretionis habere, quoquomodo eorum legatum enuntiatum fit.

(*f*) Ricard. Tractat. de Donationib. p. 5. c. 4. sect. 5. & 7. n 555. La Peirere. l. t. A. o. 55. Soefve to. 2. cent. 2. c. 31. Henrys. to. 2. l. 5. c. 58. De la Guessiere t. 2. l. 8. c. 19. Domat l. 3. t. 1. 2. sect. 9. n. 5.
(*g*) L. Dominos 57. §. 1. ff. de usufructu & quemadm. quis utatur, fruatur. l. 7. tit. 1.

CASUS LVI.

Octavius cum hoc oneris testamento suo Cæcilio hæredi suo imposuisset, ut D. Augustini Opera 8. voluminibus *in folio*, Titio cui ea legavit, traderet, Titiusque plus quam 10. leucis a loco ubi Octavius supremum obiit diem distaret. Teneturne conscientia Cæcilius ad hos libros sumptibus suis transferendos in locum quem Titius incolit? Vel nonne satis est, ut eos legatario offerat, eosque solummodo in loco ubi Octavius fato fundus est, tradat?

RESPONS.

Si testator expressim hoc oneris hæredi suo non imposuerit, ut hos libros Titio legatos, in locum ipsius assiduæ commorationis, sumptibus suis transferri curaret; tenetur solummodo ad eos, in loco ubi testator e vita demigravit, tradendos. Etenim æquum non est ut Cæcilius, hac parte hæreditatis defuncti o batus, teneatur adhuc ad sumptum, quem testator ipsi non imposuit. *Cum res legata est*, inquit Lex (*h*), si quidem propria fuit testatoris & copiam ejus habet hæres, moram facere non debet, sed eam præstare absque mora .... Sed si res alibi sit, quam ubi petitur: primum quidem constat, ibi esse præstandam ubi relicta est, nisi alibi testator voluit. Nam, si alibi voluit, ibi præstanda est, ubi testator voluit, vel ubi verisimile est, eum voluisse.

(*h*) L. Cum res 47. ff. de legatis & fideic. 1. Item l. Quod levatur 38. ff. de judiciis &c. l. 5. t. 1. Et L. Fideicommissa C. ubi fideicommissum peti oporteat. l. 3. t. 17.

CASUS LVII.

Nicomedes habens 30. volumina variorum Librorum Theologicorum, dicit suum testamentum quo decem volumina Bonaventuro legat, cum potestate ea quæ vellet eligendi, reliqua vero Bertino dedit. Nicomede mortuo, Bonaventurus hoc legatum repudiavit. Qua de causa, hæres contendit, jus Bonaventuri in re translatum esse, atque eligere & in commodum suum servare posse 10. volumina, quæ iste legatarius accipere recusavit. E contra Bertinus contendit 30. illa volumina legitime ad se pertinere. A qua parte stat æquum?

RESPONS.

Ex specie proposita evidenter patet, mentem Nicomedis fuisse, hæredem suum 30. voluminibus a se legatis, orbandi, atque de iis Bonaventurum & Bertinum gratificandi. Quapropter Bonaventurus de jure suo desistens, & legatum 10. voluminum recusans, totum hoc jure accretionis in Bertini commodum cedere debet; quia testator præcipiendo eum habiturum quod Bonaventurus recusavit, ipsi omnia (supposita Bonaventuri recusatione) volumina legare existimatur, præter partem sibi destinatam: Quod (*i*) D. Domat probat per hanc Legem (*K*); *Cum optio duorum servorum Titio data sit: reliqui Mævio legati sint, cessante primo in electione, reliquorum appellatione, omnes ad Mævium pertinent*. Quemadmodum Canones hanc materiam non agitarunt, pergimus in adhibenda auctoritate Legum, quæ suis sapientibus ac æquis decisionibus, dignæ sunt quæ summopere venerentur, prout dicit Nicolaus I. (*l*).

(*i*) D. Dom. L. Civil. &c. l. 4. t. 2. sect. 7. n. 14.
(*k*) L. Cum optio 17. ff. de optione vel elect. legata l. 33. t. 5.
(*l*) Veneranda Romanæ Leges Nicolai I. in Can. Ita c. 30. q. 3.

CA-

CASUS LVIII.

Bonaventuaus, cui Nicomedes 10. volumina librorum Theologicorum e 30. voluminibus quæ habebat, eligendo; cæteraque 20. reliqua Bertino, legaverat, cum e vita migrasset antequam jure suo usus fuisset; Ejus hæres coutendit se ipsi hoc in jure fuceedere debere. E contrario Nicomedis hæres contendit hoc jus sibi acquisitum esse per mortem legatarii, qui eo jure non usus est. Pro quo pugnat ratio?

RESPONS.

Quod animo cogitat hæres Nicomedis luculenter injustum est. Quamvis enim Bonaventurus supremum diem obierit, antequam usus sit jure quod habebat 10. volumina sibi legata eligendi; attamen jus istud ipsi plane acquisitum erat, ad electionem non attendendo, ab eo momento quo testator e vita migravit. *Si purum legatum ex die mortis diei ejus cedit*, inquit Lex (*a*); *Legatum ita dominium rei legatarii facit*, inquit alia Lex quam in margine laudamus, *ut hæreditas hæredis quoad res singulas ad eum pertineat; ut si pure res relicta sit & legatarius non repudiaverit defuncti voluntatem. Recta via dominium, quod hæreditatis fuit ad legatarium transeat, nunquam factum hæredis*. Quapropter hic legatarius sua morte jus suum hæredi transfert, sicut cætera omnia jura & bona quæ ante obitum habebat. Unde sequitur hæredem Bonaventuri legitime uti posse jure 10. volumina quæ voluerit, inter triginta, eligendi.

(*a*) L. Si post dium 5. § 1. ff. quando dies legatorum vel fideicom cedit. l. 31. t. 2. Item L. Legatum &c ff de legatis & fideicom. 2.

Id etiam clare probari potest per duas alias Digesti Leges, quarum prima sic habet, (*b*) *Illud aut illud utrum elegerit legatarius, nullo a legatario electo, decedente post diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit*. En ut loquitur secunda quam jam laudavimus, (*c*) *Si post diem legati cedentem legatarius decesserit; ad hæredem suum transfert legatum* (*d*).

(*b*) L. Illud 31 ff. de optione, vel elect. legato.
(*c*) Cit. l. 8. post dium.
(*d*) Dumat. luco supra cit. n. 15.

CASUS LIX.

Josephus cum Jacobum fratris filium, matrimonio conjunxisset, & cum annis valde provectus esset, gravissimeque ægrotaret, facit suum testamentum, ipsique legat summam 3000. librarum, si contigerit ut ex uxore sua puerum suscipiat, Jacobus etiam e vita migrat anno post, nec ullum habuit filium: Verum uxorem suam tribus mensibus gravidam relinquit, quæ filium parit sex mensibus post mariti sui obitum, curatque ut ejus pupillaris custos denuntietur. Hoc nomine petit 3000. libras a Josepho Jacobo marito suo legatas, cum conditio in legato apposita per ortum filii posthumi adimpleta sit. Econtra Josephi hæres affirmat, se ad hoc legatum solvendum non teneri; quia legatum conditionale, quale est legatum de quo agitur, legatario solummodo acquiritur, cum conditio reipsa adimpleta est dum viveret: ideoque Jacobo mortuo ante conditionem adimpletam, hoc est, antequam dici possit eum habuisse filium, legatum ipsi acquisitum non fuisse, illudque consequenter filio suo posthumo transferre non potuisse. Nonne rationes hujus hæredis æquæ sunt, & nnnne ingenue hoc legatum, quasi infirmatum, in commodum suum vertere potest?

RESPONS.

Hæc quæstio dirimi potest per regulam generalem, quæ vult, ut in ejusmodi dubiis, voluntatem expressam aut tacitam testatoris, quantum fieri potest, sequamur. *Semper vestigia voluntatis sequimur testatorum* (*e*). Ratio est, quod voluntas testatoris loco Legis sit respecta eorum qui ipsi succedunt, juxta hæc Imperatoris Justiniani verba (*f*). *Disponat itaque unusquisque super suis, ut dignum est, & sit leu ejus voluntas.*

(*e*) L. Quidum 5. Cod. de necessariis servis hæredibus instituendis vel substit. l. 6. tit. 27.
(*f*) Novellæ plurimæ a. c. 2.

Evidentissimum est autem, in specie proposita Josephi non aliud consilium fuisse, quam fratris filio 3000. libras relinquendi, si contigerit ut filius matrimonio suo nasceretur. Neque omnino cogitasse de tempore quo puer nasceretur; hoc est, ejus voluntatem fuisse, ut legatum quod faciebat æffectum suum haberet; modo puer ex hoc matrimonio oriretur, sive dum pater viveret, sive post ejus obitum. Unde concludendum rationes, quas Joseph hæres affert, ut se a 3000. libris, Jacobo legatis, solvendis eximat, admittendas non esse. Constat enim hoc legatum esse conditionale, & ejusmodi legatum non deberi, nisi post conditionem adimpletam: Verum conditio, qua Josephus hanc summam fratris filio legaverat, reipsa adimpleta fuit; cum fratris filius ante obitum suum filium reliquerit, qui licet nondum natus, non minus filius & fructus matrimonii Jacobi erat.

His addamus semper sequendam esse sententiam maxime faventem in quæstionibus quarum decisio aliquanto difficilior est, juxta hoc Juris placitum (*g*). *In ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet*. Hanc etiam partem reipsa sequutæ sunt Leges respectu quæstionis propositæ, de qua judicarunt adversus testatoris hæredem, & in gratiam filii posthumi. *Is cui legatum est*, " Quando libros habueris " ait una ex his legibus (*h*); *Si prægnante uxore relicta decesserit; intelligitur expleta conditione decessisse, & legatum valere; si tamen posthumus natus fuerit*. En adhuc sicut de eo loquitur alia Lex (*i*), *Si ad tempus liberorum fuerit legatum relictum; is uxore prægnante decesserit; ad hæredem suum transfere legatum.*

(*g*) Leg. Si fuerit 1. §. 1. ff. de rebus dubiis.
(*h*) L. Is cui. 58. quando dies legatorum, vel fideicom. cedat.
(*i*) L. Sed cui 20. ff. ad Senatusconsult. Trebellianum, L. 30. tit. 1.

CASUS LX.

Eustochius viduus, plus quam 60. annos natus, liberis orbatus, testamento suo Ildephonium legatarium suum universalem fecit, ea lege ut quædam legara a se tribus aliis personis facta, solveret, Anno post secundis nuptiis uxorem duxit, ac ex ea filium suscepit; deinde e vita migrat, testamenrum suum non revocando, nec immutando. Num Ildephonsus ejus legatarius universalis, aliique tres legatarii peculiares, ad ejus hæreditatem, ex toto, aut ex parte, jus quoddam legitimum habent?

RESPONS.

Ildephonsus nullum jus, ad legatum universale ab Eustochio sibi factum, habet. Ratio est, quod omne testamentum, licet juxta rectam formulam factum, quoad institutionem hæredis aut legatarii universalis, irritum fiat per nativitatem filii. *Testamentum ... rumpitur*, inquit Lex Digesti, *ex quo hæres existere poterit ... agnatione sui hæredis* (*k*). Altera Lex hanc ejus reddit rationem. Quod hæreditas liberis legitimis debeatur, non solum per legum dispositionem, verum etiam per jus naturale, nisi digni sint qui ea orbentur (*l*). *Cum ratio naturalis quasi Lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem addiceret, velut ad debitam successionem eos vocando: propter quod & in Jure Civili suorum hæredum nomen eis indictum est, ac ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis, summoveri, ab ea successione possint, æquissimum existimatum est*, &c. Hæc sunt Legis verba. Unde necessario colligendum est, cum Eustochius nullam justam causam habeat filium suum recens natum exhæradendi, existimandum esse, quod testamentum suum non revocaverit, nisi quia improviso a morte oppressus est, vel quia de eo non cogitavit.

(*k*) L. Testamentum. 1. ff. de injusto, rupto & irrito facto testa. l. 28 tit. 3. Item L. Adire 1. C. de ordine judiciorum l. 3. tit. 8.
(*l*) L. Cum Ratio 7. ff. de bonis damnatorum lib. 48. tit. 20.

Juxta Leges Romanas, hoc jus pueri Eustochio nati, extendendum est ad omnem alium hæredem necessarium, hoc est, non modo ad filium, aut nepotem, simul naturalem, & legitimum, sed etiam ad eum qui solummodo legitimus esset, qualis foret ille, qui ex auctoritate Principis vel Magistratus, pro filio adoptatus fuisset, hoc enim in casu testamentum irritum & absque effectu ullo fit. " Rumpitur autem testamentum, *dicit Imperator Justinianus* (*m*), cum in eodem statu manente testatore, ipsius testamenti jus vitiatur. Si quis enim post factum testamentum adoptaverit sibi filium per Imperatorem eum, qui est sui juris, aut per Prætorem secundum nostram constitutionem, eum qui in potestate parentis fuerit, testamentum ejus rumpitur, quasi agnatione sui hæredis."

(*m*) Lib. 2. Instit. tit. 17. quibus modis testamenta infirmentur §. Rumpitur 1.

Cæte-

Cœterum, decisio, quam in quæstionem propositam attulimus, vera non est, nisi filius, testatori natus, vivus supponatur, cum ejus pater supremum diem obiit. Nam si fato functus fuisset ante patrem suum, testamentum in gratiam legatarii universalis factum, locum haberet; quia causa, quæ ejus effectum impedivisset, dedisset ante obitum testatoris, qui jure existimaretur, in prima sua voluntate perstitisse, cum eam ante mortem filii sui non revocaverit. *Posthumus præteritus, vivo testatore natus decessit*, inquit Lex (*a*), *licet juris scrupulositate, nimiaque subtililate testamentum ruptum videatur; attamen si signatum fuerit testamentum, bonorum possessionem secundum tabulas accipere hæres scriptus potest, remque obtinebit; ut & divus Adrianus & Imperator noster rescripserat, idcirco legatarii fideicommissarii habebunt ea, quæ sibi relicta sunt, securi*.

(*a*) L. Posthumus 12. ff. de injust. rupto, & irrit. facto testamen.

CASUS LXI.

Fulgosius Læliæ, sororis filiæ, 2000. nummos legavit, ut ipsi a Cajo, hærede suo, solvantur, qua die viro nupserit, ipsique loco dotis sit. Lælia matrimonio nuntium mittens, vitam religiosam & solitariam elegit, & cum tirocinii sui finis proximus esset, moxque ad vitam religiosam profitendam admitti deberet, a Cajo legati sui solutionem petit. Cujus ipsi recusat, affirmans se ad id non teneri, cum legatum ipsi a Fulgosio factum solummodo fuerit, si contigerit ut viro nuberet, dotisque loco ipsi esset. Nonne pro eo pugnat ratio?

Respons.

Pro Cajo ratio non stat, nec absque injustitia Læliæ recusare potest solutionem 2000. nummorum sibi ab avunculo suo legatorum. Quæ ejus reddi potest ratio, quod legatum filiæ factum, hac lege *si nupserit*, considerandum sit, non ut conditionale, sed ut absolute factum; cum hoc in casu conditio sicut non apposita existimetur, cum hæc filia amplectitur statum vitæ religiosæ, qui status perfectior est matrimonii statu. Id declarat Imperator Justinianus (*b*): Et ratio hujus dispositionis Juris est, quod cum testator legatum in gratiam matrimonii contrahendi reliquerit; Jure suspicandum sit, quod libentius adhuc illud in gratiam vitæ religiosæ fecisset, si autumasset filiam, cui legatum faciebat, eam vitam, matrimonio posthabito, eligere voluisse. Quibus addere possumus, quod etsi supponeretur testatorem hanc voluntatem præsumptivam non habuisse, Legislator per suam Legem huic vitio supplevisset. En verba Legis Justiniani, *si forte quis*, ait ille Princeps, *sub conditione nuptiarum, sive liberorum, sive dotis causa ... donaverit, sive reliquerit suis liberis, sive alii cuicumque personæ hereditatem, sive legatum, ... sancimus, si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculi, sive fœminæ, monasteria ingrediantur .... Tales conditiones invalidas & pro non scriptis esse .... In personis enim quæ in monasterium, vel asceterium ingrediuntur, ... Ubi a principio ingrediuntur, res sub tali conditione donatas, aut relictas cum alia eorum substantia competere volumus*.

(*b*) Novellæ 123. de Sancti. Episcop. Collat. 9. l. 6. c. 37.

Hæc est decisio Sylvii (*c*) olim Duaci Professoris, qui eam de simili quæstione dedit 7. Julii 1628. sicut etiam Sylvestri (*d*) Mozolin, Barbosæ, Pontii, Zerolæ, & Sanchez (*e*), qui sententiam suam probat suffragio multorum Auctorum celebrium, nominatimque Felini Sandei, Covarr. & Lopez.

(*c*) Fr. Sylv. resolut var. vers. Promissio dotis, &c.
(*d*) Sylvest. de Prierio v Hæreditas. 4. sub fin.
(*e*) Ang. Barbosa allegat. 81. o. 27. & filius l. 3. de matrim. c. 8. n. 7. & 9. Zerola vers. Legatum resp. ad 4. Thom. Sanch. l. 2. de matrim. disp. 31. n. 29. Et apud eum Felinus in c. Ecclesia n. 79. Oidac Covar 2. p. var. resol. c. 19. nu. 20. Ludov. Lop 2. p. instruct. de matrim c. 57. fol. 1070. & duodecim alii.

CASUS LXII.

Eustatius Damiano legavit rem, cujus hic legatarius dominium acquisiverat, antequam sibi legaretur. Num Damianus ab Eustatii hærede legati pretium exigere potest?

Respons.

Hæres Eustatii non tenetur ad Damiano tradendium pretium rei ipsi legatæ si Damianus ejus dominium nomine lucrativo acquisiverit, quale est nomen puræ ac simplicis donationis; quia eadem persona ad rem eamdem duobus nominibus lucrativis jus habere non potest. *Omnes debitores*, inquit Lex (*f*) *qui speciem ex causa lucrativa debent, liberantur, cum ea species ex causa lucrativa ad creditores pervenisset*. Quod tamen accideret, si hic legatarius re per donationem acquisita, denuo ejus pretium æquipollens reciperet. Verum si Damianus rem acquisivisset nomine oneroso, quale est nomen emptionis, ubi pretium rei datur ad ejus dominium acquirendum: tunc hæres tenetur ad pretium rei ab Eustatio legatæ tradendum, sicut fertur a Jure quod dicit (*g*); „si res aliena legata fuerit; & ejus rei, vivo testatore, „legatarius dominus factus fuerit; si quidem ex „causa emptionis, ex testamenti actione pretium „consequi potest. Si vero ex causa lucrativa, veluti ex donatione, vel ex alia simili causa, „agere non potest. Nam traditum est, duas lucrativas causas in eumdem hominem & eumdem rem concurrere non posse. En exemplum, quod huic decisioni elucidandæ inserviet; Eustatius legat Damiano horologium oscillatorium pretio 20. Ludovicorum aureorum, quod pertinet ad Joannem, qui illud vendendum exposuit, & hoc oneris hæredi suo imponit, ut horologium oscillatorium Damiano tradat, ejusque pretium Joanni solvat. Damianus, qui hoc legatum ignorat, horologium oscillatorium ante vel post, Eustatii obitum emit. Sed cum legatum sibi innotuisset, ejus solutionem ab hærede petit; hoc est, viginti Ludovicos aureos, qui ejus sunt pretium. Constat, hæredem eos ipsi solvere debere, quia legatarius horologium oscillatorium nonnisi nomine oneroso emit; & quia testatoris mens fuit illud ipsi gratis procurandi: Verum si Damianus horologii oscillatorii dominium nomine gratuito acquisivisset; verbi gratia, si Joannes illud ipsi dedisset, aut si quidquam aliud ipsi munere dedisset, postquam a Joanne emisset; tunc temporis ejus pretium exigendi jus non haberet, & legatum infirmaretur, atque in hæredis commodum veniret.

(*f*) L. Omnes 17. ff. de obligat. & actionibus. Item L. Ex promissione 19 ff. eod. tit. L. 44 ti t. 7.

(*g*) Lib. Instit. parag. 6. de legatis.

CASUS LXIII.

Joannes, Paulus, ac Petrus, Jacobi hæredes, statim post ejus obitum, in ejus bonorum moventium & non moventium possessionem missi sunt. Quatuor legatarii, quibus Jacobus fecit legata; pro quorum solutione omnia defuncti bona non sufficiunt, tribus heredibus se se obtulerunt, legatorumque suorum solutionem ab iis petierunt. Num hæredes conscientia tenentur, ad supplendum ex propriis opibus id, quod bonis testatoris defuerit ad hæc legata in integrum solvenda: Et nonne liberantur hæreditatem Jacobi quatuor legatariis relinquendo?

Respons.

Si Joannes, Paulus & Petrus, defuncti hæreditatem accipiendo, precaverint ut describeretur index bonorum, quibus hæc hæreditas componebatur, tempore requisito & juxta formulam a Legibus aut Consuetudine locorum præscriptam, non tenentur ex propriis opibus quidquam conferre ad perfectam legatorum a defuncto datorum solutionem: quia hac cautione adhibita, hæredes sunt tantum beneficio inventarii; hocque nomine ad solvenda legata non tenentur, nisi prout pretium bonorum a defuncto derelictorum; & pars quæ jure ad eos per Legem aut Consuetudinem pertinet, sic agendi iis potestatem confert. *Sin autem dubius est* (hæres) *utrumne admittenda sit, necne defuncti hæreditas*, ait Lex, (*h*) *non putet sibi esse necessariam deliberationem; sed adeat hæreditatem .... Omni tamen modo inventarium ab ipsis conficiatur ....*,. *Exordium capiat inventarium super his rebus, quas defunctus mortis tempore habebat .... Et si præfatam observationem inventarii faciendi solidaverint; hæreditatem sine periculo habeant; & Legis Falcidiæ adversus legatarios utantur beneficio, ut in tantum hæredis Falcidiæ adversus legatarios utantur beneficio, ut in tantum hæreditatis creditoribus teneantur, in quantum res substantiæ*

(*h*) Leg. Scimus. fin. C. de jure deliberandi l. 6. tit. 30.

ad

ad eos devolutæ valeunt .... Et nihil ex sua substantia penitus hæredes umittunt; ne dum lucrum facere sperant, in dumnum incidunt.

At si hæredes indicem bonorum testatoris describere neglexerint, atque sine ulla alia formula in eorum possessionem venerint; in negligentiæ suæ pœnam ad solvenda omnia legata a testameoto lata tenentur, non modo in foro exteriori, verum etiam in foro conscientiæ, postquam saltem a Judice ad illud damnati fuerint. *Siu vero*, addit eadem Lex, quam modo laudavimus, *postquum adierint, vel sese immiscuerint .... Inventurium facere distulerint .... Tuuc ex eo ipso quod inventarium secundum formum præseutis constitutisnis uon fecerint; hæredes esse omnino intelliguntur, & debitis hæredituviis in solidum teneantur, nec legis nostræ beneficis perfruuntur quum contemneudam esse ceusuerunt.*

Ex hac Lege patet, perinde esse respectu omnium aliorum debitorum a testatore relictorum, hoc cum discrimine tamen, quod hæres pro se nullam hæreditatis partem retinere possit nec etiam legatarii legatorum suorum solutionem ambire, nisi postquam hæc debita plane soluta fuerint. Ratio est, quod creditores habeant hypothecam & jus acquisitum in bona debitoris sui defuncti, quod antiquius est jure heredum, quibus consequeoter anteponendi sunt, juxta Juris regulam quæ dicit: *Qui prior est tempsre, potisr est jure* (u). Ac revera, cum, dicit Lex (b) hæredes solam ac eamdem cum defuncto personam sistaot, hoc nomine ad easdem obligationes, eademque onera teneri debent ad quæ tenebatur defunctus, cujus hæreditatem accipiuot (c).

(u) Reg. 64. de reg. juris In 6.
(b) L. Iturer ff. de usucapionib. &c.
(c) Colloq. Condom. to. 1. Colloq. 13. sect. 1.

CASUS LXIV.

Dametatus 1000. nummos Publico, totidemque Mævio legavit: Sempronius ejus hæres, eorum legata in solidum solvere recusat, dimidiamque partem tantum offert; quia bona hæreditatis omni æri alieoo solvendo vix sufficere possunt. An stricto jure tenetur ad iis totuoi solvendum, quin cum iis pacisci possit?

Respons.

Si Sempronius se hæredem non nominaverit nisi per beneficium inveotarii, nec hæreditatis bona ad ejus omnia onera solvenda sufficiant, jus habet cum his duobus legatariis paciscendi; iisque recusantibus, coram Judicibus admittendus est, ut eorum legata imminuere curet. Hoc privilegium heredibus beneficiariis a Lege ac morum & civilium institutorum Cod. conceditur. *Fiut igitur Inventarium ab hærede*, inquit novum jus Romanum (d), *metuente, ne forte non habeat, post debitu & leguta Fulcidium .... (e) Si vero non feeerit inveuturium .... nsn retinebit fulcidium, sed complebit legaturios ..... licet puræ substuntiæ morientis truuscendut mensurum legatorum datis.*

(d) Novel. 1. c. 1. §. 1.
(e) Falcidia est 4 pars hæreditatis debitis fusur.

At si Sempronius se purum ac simplicem hæredem declaraverit, constat eum teneri ad unicuique duorum legatariorum 1000. nummos in solidum solvendos, sibi eoim culpam tribuere debet, quod usus non fuerit beneficio a Lege sibi concesso; ut in tuto esset. Quod clare patet ex verbis Legis quam modo laudavimos.

CASUS LXV.

Liebaldus cum testameoto suo legasset Hieronymo quatuor vini modios desumendos ex uvis in vineis suis proxime colligendis; contigit, ut duo tantum modii collecti fuerint propter grandioem, quæ maximam racemorum partem delevit. An Liebaldi heres ingenue teneotur ad alios duos modios aliunde supplendos, quatuorque Hieronymo solvendos?

Respons.

Liebaldi hæres ad tradendos quatuor vini modios, a testatore Hieronymo legatos, non tenetur & legatum ad duos modios solummodo redigi ac determinari debet. Ratio est, quod legatum intelligendum sit sub conditione tacita, ejus vineam quatuor modios producturam. Quamobrem cum duos tantum produxerit, legatarius plures ambire nequit. Id luculentissime patet ex hac Lege Digesti (f): *Si quis legaverit ex illa dslio amphoras decem; & si non decem, sed pauciores inveniri possint, non extingnitur legatum. Sed hoc tuntummods accipit, quod invenitur.*

(f) Lex. Si quis. 8. §. 1. ff. de legatis & fidnicom. a. l. 31. tit. 1.

Sed res ita se noo haberet, si testator pure ac simpliciter quatuor vini modios Hieronymo legasset, non designando quod ex ovis talis vineæ desumi debereot; tunc enim hæres ad quatuor modios tradendos teneretur, etsi ne unum quidem collegisset. *Si cui viuum sit legatum centum umphorurum, eum uullum vinum reliquisset; vinum hæredem empturum & præstaturum.* Sic loquitur alia Lex Digesti (g).

CASUS LXVI.

Amablus jusum fructum duorum jugerom præstantium vinearum Conrado legavit, cum hoc onere ut singolis annis modium vini inde oriundi Cornelio daret: Et Conradus cum hoc legatum accipere recusaret, Amabili hæres in vineæ possessionem venit: & contendit se non teneri ad præbeodum Cornelio modium vini, quod Conradus ipsi debuisset, si legatum accepisset. Recusationis ratio quam affert, est, quod soli legatario hoc oneris impositum esset: & quod cum legatum infirmatum sit repudiatione a Conrado facta, lex qoa Amablus legatum fecerat, etiam com legato extincta existimanda sit. Num hæres absque injustitia, in recusatione hunc vini modium Cornelio præbeodi, præstare potest?

(g) L. Si cui 3. ff. de tritico, vino, vel oleo legato l. 33. tit. 6 Item L. Legatum. 17. ff. de annuis legatis & fideicom. l. 33. tit. 1.

Respons.

Ratio quam Amabili hæres affert, ut se a vini modio quorannis Cornelio solvendo eximat, legitima non est. Quamvis enim legatum principale per recusationem legatarii infirmatum sit, id non impedit, quominus Lex qua factum fuit, subsistat; & quominus Cornelius jus acquisitum habeat in fructus hujus vineæ, usque ad quantitatem vini sibi a testatore datam: Quapropter cum testator hujus secundi legati onus primo imposuerit, ejus hæres illæsa conscientia abstinere non potest, quin illi satisfaciat: quandoquidem bonis & juribus defuncti succedere nequit, quin simul succedat debitis ab eo contractis, & oneribus quæ per suum testamentum aut aliter in bona sua imposuit. Sic decrevit Lex, quæ dicit (h): *si ab es, cui legatus esset usufructus, ad legatarium non per venerit: hæres tamen, penes quem usufructus remanet, fideicommissum præstat.* Quibus addeoda est hæc observatio: Quod si per quemdam casum duo vineæ jugera per annum oihil producerent, attamen vini modius Cornelio legatus ab hærede ipsi debererur: dummodo fructus qui per alius annos percipiuntur, sufficere possent, & testator nihil quidquam adversus percepisset. „ Vini falerni, *inquit alia Lex* (i), quod dominasceretur, quotannis, in annos singulos binos culeos hæres meus Attio datos *etium pro eo uuuo, qus uibil vini natum esset, deberi duos culeos: sin mods ex vindemiu cæterorum anuorum duri potest.* Quod etiam approbat alia Lex, quam in margine laudamus. (K)

(h) L. Si ab eo. 20. 9. ff. de usu & usufr. &c. l. 33. t. 1.

(i) L. Legatum. 17. parag. 1. ff. de annuis legat. & fide.com.

CASUS LXVII.

Riquiarus domum Lamberto legavit ea lege ut 500. libras Romano det. Hoc legato per mortem Lamberti, quæ ante testatoris obitum evenit, infirmato; oum Romanus jus haberet 500. libras defuncti exigendi? & num hæres in foro conscientiæ ad illas ipsi solvendas tenetur.

(k) L. Ex eo 13. ff. de tritico, vino, vel oleo legato.

Respons.

Legatum domus infirmatum, per mortem Lamberti, quæ contigit ante obitum Riquerii, in commodum hæredis testatoris cedere debet; quia domus ad Riquerium per mortem legatarii antea defuncti redierat: sed onus a testatore impositum per mortem hujus legatarii deletum non fuit; hoc onus enim nihil aliud est, quam secundum legatum quod ad principale legatum non attendendo, subsistere debet. Quamobrem hæres 500. libras Ro-

maoo

mano solvere debet: ac perinde esset de omni alio cui domus remanere posset, ut si secundus legatarius Lamberto substitutus fuisset; vel si jure accretionis in commodum alterius legatarii cum eo conjuncti veniret: cum Jus Romanum a momento quo testator supremum diem obiit acquisitum sit; licet ille cui domus legata erat antea e vita migrasset.

Sic casus iste a Jure constitutus est (*a*): *Pro secundo vero ordine*, inquit Imperator Justinianus, *in quo ea vertuntur, quæ in causa caduci fieri contingebant, vetus jus corrigentes, sancimus, ea quæ ita evenerint, simili quidem modo manere apud eos, a quibus sunt relicta, hæredes forte, vel legatarios, vel alios, qui fideicommisso gravari possunt; nisi in hunc casum vel substitutus vel conjunctus eos antecedat. Sed omnes personas quibus lucrum per hunc ordinem defertur eas etiam gravamen, quod ab initio fuerat complexum sive in quibusdam faciendis, vel in modo, vel conditionis explendæ gratia, vel alia quacunque via excogitatum: Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit.*

(*a*) L. Et nomen unica. P. 4. Cod. de caducis tollendis l. 5. tit. 5.

Æquum esse videtur, ut idem ad praxim revocetur, si contigisset legatarium supremum diem obiisse, etiam antequam testator, qui rem ignorabat, testamentum suum fecisset, Ita ut si testator hoc oneris legatario, qui tempore sui testamenti jam fuisset fato functus, imposuisset, ut ex suo legato summam quamdam tertiæ personæ daret: hæres aut ille in cujus commodum res legata cedere debet, ad huic oneri satisfaciendum teneatur; quippe quod testator facere voluit locum habet, cujusque validitas a legati principalis validitate non pendet: Et licet Jurisprudentia Romana quodammodo adversaretur, quia vulgo hoc in casu legatum *pro non scripto* considerabat, hoc est, quasi nunquam factum fuisset: attamen illud admittebat quibusdam in casibus privatis, in Legibus dasignatis, quæ statuunt ut ejusmodi onera subsistant (*b*).

(*b*) Cit. L. Et nomen P. 3. L. Cum quidam. 27. ff. de L. Cornelia, de falsis, l. 48. t. 10. L. Quod quis, fin. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur l. 34. tit. 8.

CASUS LXVIII.

Aristander Cæsari 10000. libras legavit ea lege ut emerit domum 7. aut 800. librarum pretio in pago suo, ut unus ex ejus consanguineis in ea habitaret. Cæsar vero hanc domum emere non potuit, quia nullam domum venalem repetit, vel quia duplo majori æquo ejus pretio domus venalis erat; Ideo hæres Aristandri ipsi 10000. libras solvere recusat, sub prætextu quod legem, qua testator hanc summam ipsi legaverat, non adimplevit. Cæsar contendit hoc legatum sibi deberi, quamvis conditionem non adimpleverit; quia ejus culpa id non accidit, cum in pago nullam domum venalem invenire potuerit, vel saltem nullam acquirere potuerit, nisi pretium immodicum ac injustum solvendo. Qua de re quæritur, an hæres testatoris ad ipsi 10000. libras solvendas, teneatur.

RESPONS.

Judicandum non est, in casu proposito mentem Aristandri, hoc legatum Cæsari lege dicta faciendo, fuisse ut eum adigeret ad rem impossibilem, vel quam eaequi non posset; nisi pretium immodicum ac injustum solvendo. Quapropter dicendum est, hæredem testatoris ad 10000. libras legatario solvendas teneri, ea lege tamen ut legatarius consanguineo Aristandri daret summam, quæ domui ipsi convenienti æquipolleret, hoc est, 7. aut 800. libras quæ sunt pretium a testatore ipso determinatum. Hæc est decisio Legis, quæ de specie fere simili dicit (*c*), *Si cui legatum relictum est, ut alienam rem redimat, vel præstet, si redimere non possit, quod dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem inferat.*

(*c*) L. Non dubium. 14 P. 2. ff. de legatis &c 3. l. 32. t. 1.

Revera, cum per Cæsarem non steterit, quin legem a testatore sibi impositam adimpleret, sive quia in loco designato nullam domum venalem invenerit, sive quia pretio tantum immodico venalem reperit, æquum non est, ut ejus pœnam pendat: cum cœteroquin nulla detur ratio, quæ eum efficiat inhabilem, qui legatum sibi factum in commodum suum vertat. Id dicit Lex (*d*): *Non videtur enim defectus conditione, si parere conditioni non possit. Implenda est voluntas si potest.*

(*d*) L. Quæ sub conditione 8. P. 7. ff. de conditionibus institutionum

Dicimus, *cum nulla cæteroquin detur ratio, quæ efficiat ut inhabilis sit qui legatum in commodum suum vertat*. Etenim semper non sufficit, ut hæres vel legatarius, quod in ejus potestate est, faciat ad implendam legem, quæ partim ab eo & partim a quodam alio pendet. Dantur enim quædam ejusmodi conditiones, quæ si reipsa non adimpleantur, legatum absolute infirmatur. Verbi gratia, si Cæsar, cui Aristander 10000. libras legavit, alienigena esset, & si testator hanc summam ipsi legasset, ea lege tantum ut diploma, quo jus regni incolarum sibi concederetur, obtineret; satis non esset ad hoc legatum exigendum, ut totis viribus illi diplomati obtinendo incubuisset, cum alioquin inhabilis sit ad legatum recipiendum, quandiu alienigena remaneat (*e*).

(*e*) L. 15 tempus 62. ff. de hæred. instit. l. 28. tit. 5.

CASUS LXIX.

Epiphanes cum testamentum holographum fecisset, unicum legatum his verbis scriptum in eo repertum est. *Germano* 500. *libras*; quin testator prius apposuerit, *Do & Lego*. Epiphanis hæres contendit hoc legatum esse irritum. E contra Germanus legitimum esse affirmat, quia his solis verbis facile est cognitu, mentem testatoris fuisse ipsi hanc summam daudi. Num hæres ad eam solvendam tenetur?

RESPONS.

Putamus hæc verba, *Germano* 500. *libras*, verum legatum complecti, ideoque Epiphanis hæredem ad eas Germano solvendas teneri: Cum enim per oblivionem, aut per imprudentiam testatoris, qui suum testamentum scripsit, vel ejus qui eo jubente illud exaravit, desunt verba necessaria ut enuntiatio intelligatur, ita ut intelligi nequeat si ea verba non addantur; & ea addendo, enuntiatio sensum clarum & naturalem habeat, subintelligi debent. Si autem in specie proposita hæc verba suppleantur, *Do & Lego*, hisque addantur, *Germano* 500. *libras*, enuntiatio clara ac naturalis est, præsertim in dispositione testamentaria, in qua testator amicis suis legata facere solet, & in qua suspicari non potest, eum quidquam ab aliquo petere voluisse. Quibus addi potest, id quod testamentum sequitur aut præcedit, aliquando ad ostendendum talem fuisse testatoris voluntatem inservire posse.

Quod dicimus a variis, tam antiqui, quam novi Juris Romani, Legibus constitutum reperitur; En Legem Digesti (*f*): *Si omissa fidei commissi verba sint, & cætera quæ sequuntur cum his, quæ scribi debuerant, congruant; recte datum & minus scriptum exemplo institutionis legatorumque intelligitur, quam sententiam optimus quoque Imperator noster Severus secutus est*. Ecce adhuc etiam Legem Codicis Justiniani (*g*), quæ pro hujus quæstionis decisione disertissima est, *Verbum*; volo, *licet desit* tamen quis additum perfectum sensum facit, pro adjecto habendum est.

(*f*) L. Unum. 67. P. 9. ff. de legat. & fideicommiss. 2.

(*g*) L. Verbum 20. Cod. de fideicom. l. 6. tit. 42.

Hanc ob eamdem rationem Jus Romanum vult ut si testator verbum, *hæredem*, in suo testamento omisisset, dicendo solummodo, *talem instituo*, testamentum validum esse non desinit. *Errore scribentis testamentum*, ait alia Lex Codicis (*h*) *juris solemnitas mutilari nequaquam potest, quando minus scriptum, plus nuncupatum videtur. Et ideo recte testamento condito, quanquam desit*; hæres esto (*i*): *Consequens est existente hærede, legata, seu fideicommissa, juxta voluntatem testatoris, oportere dari.*

(*h*) L. Errore. 7. Cod. de testam. &c. l. 6. tit. 23.

(*i*) Scilicet alterutrum aut utrumque v. g. Titius hæres, vel Titius esto, secundum Gloss. v. Hæres.

CASUS LXX.

Julius legatum 4000. librarum Hildeverto fecit; ejus hæres qui non autumavit se ab eo solvendo eximere posse, & qui præterea ostentabat honorem facere memoriæ defuncti; cujus bonis succedebat, ad illud solvendum pacto conscripto se adstrinxit; Verum octiduo post agnovit Julii dispositionem testamentariam, in gratiam Hildeverti factam, consuetudini adversari, & dimidio plus legasse quam ipsi per consuetudinem licitum erat.

Quamobrem rescindere vult pactum, cui nomen propria manu adscripsit, tanquam per errorem factum. E contrario Hildevertus affirmat, Julii hæredem sibi 4000. libras solvere debere, cum ad eas solvendas scripto se se adstrinxerit, nec ulla fraus, aut vis intervenerit. Qua de re quæritur an hoc pactum sit irritum, & an hæres a summa in solidum Hildeverto solvenda, se eximere possit?

R e s p o n s.

Ignorantia, vel error hæredis Julii, est error Juris; hoc est, ejus quod Lex, seu Consuetudo præcipit, permittit, aut defendit. Constat autem quod si error iste unica causa sit pacti, quo aliquis ad rem non debitam se adstringit; & obligatio quæ contrahitur nulla alia re niti possit, pactum est nullum ac irritum, quia causa est falsa. Exempli causa, emo fundum qui nullum vectigal debet Domino, cui tamen convenio solvere vectigal clientelaris præstationis fructuum, quod autumo ipsi deberi propterea quod hunc fundum emi: pactum hoc nullum est, nec me ad quidquam adstringit, quia error meus pacti unica causa est. *Omnibus* (personis) *juris error, in damnis amittendæ rei suæ non nocet*, (*a*) inquit Lex: Verum cum error non fuit unica causa pacti confecti, & cum ille, qui pactum faciendo se ipsum læsit, quoddam aliud incentivum habere potuit, pactum tanquam nullum ac irritum, per solum errorem, considerandum non est. Unde inferri potest, Julii hæredem, qui cum Hildeverto legatario convenit ipsi summam integram 4000. librarum solvere, ab ea solvenda se excusare non posse, sub prætextu, quod cum jus suum ignoraret, pactum sit irritum. Hoc in casu enim ejus error pacti sui unica causa existimandus non est; cum constet, eum aliam rationem paciscendi habere potuisse, aut voluisse legatum generose in solidum solvere, ut perfecte ultimam testatoris, cujus hæres est, voluntatem adimpleret, atque Hildvertus illud jure ita suspicare potest. *Is autem*, inquit Lex (*b*) *qui sciens se posse retinere, universum restituit, conditionem non habet. Quinetiam, si jus ignoraverit, cessat repetitio*. En adhuc aliam Legem cum præcedenti congruentem (*c*); *Si quis jus ignorans Lege Falcidia usus non sit; nocere ei dicit Epistola Divi Pii*. Quod jamjam diximus, nobis adhuc magis constare videtur, cum talis legatarius sententiam condemnationis adversus defuncti hæredem obtinuit.

(*a*) L. Error, 8. ff. de juris & facti ignorantia, l. 8. t. 6.

(*b*) L. prior. Cod. ad Legem Falcidiam l. 6. tit. 50.

(*c*) L. Regula. § 5. ff. de juris & facti ignorantia.

Eadem ratione dicendum est, quod si hæres donatoris, qui approbasset, aut executus fuisset donationem, quam irritam esse per defectum insinuationis ignorabat, ex errore suo commodum comparare non posset, quia non suspicaretur ejus ignorantiam fuisse unicam causam cur illam executus esset. Hac de re sic equidem decerneret Judex æquus in fundo exteriori; atque ad hanc regulam in foro conscientiæ se conformare oportee.

C A S U S LXXI.

Eleonora, vidua nobilis, Beatrici, sororis filiæ, legavit monile gemmatum, quod pigneraverat pro centum nummis, quos Mævius ipsi mutuo deberat: ejus hæres contendit Beatricem illud repignerare debere, id quod Mævio debetur solvendo. E contrario Beatrix affirmat materteræ suæ hæredem monile gemmatum liberum omnique nomine solutum sibi tradere, centumque nummos e bonis hæreditatis Mævio solvere debere. Nonne pro ea pugnat ratio?

R e s p o n s.

Constat pro Beatrice rationem pugnare. Cum enim testator rem creditori pigneratam legat, legatarium expressim non obligando ad solvendam summam pro qua pignerata est; hæres eam solvere debet, remque legatario absque ullo onere tradere tenetur. Eleonoræ hæres igitur in specie proposita tenetur ad solvendos centum nummos a defuncto Mævio debitos, & ad monile gemmatum liberum omnique nomine solutum Beatrici tradendum; & quidem, si contigisset, ut Mævius monile vendendum præbuisset, ut solutionem suam reciperet, idem hæres ad ejus pretium legatariæ solvendum teneretur. Quod probari potest per Legem quæ dicit (*d*), *Prædia obligata, per legatum aut fidei-commissum relicta, hæres luere debet; maxime cum testator conditionem eorum non ignoravit; aut si scisset, legaturus tibi aliud, quod non minus esset, fuisset. Si vero a creditore distracta sunt, pretium hæres exsolvere cogitur; nisi contraria defuncti voluntas ab hærede ostendatur*.

(*d*) L. Prædia 6. C. de fidei-commissis.

Equidem Lex ista indicare videtur, hæredem ad rem legatam redimendam non teneri, nisi cum testator sciret rem pigneratam esse, & Imperator Justinianus illud alibi verbis disertis dicit (*e*); Verum hæc conditio hac in specie inutilis videtur, cum sola mens sana velit, ut judicetur, omnem hominem ratione præditum cognoscere ea quæ ad rem suam pertinent, & debitorem quid creditori suo debeat ignorare non posse. Sic revera hac de re judicandum est secundum nostram Jurisprudentiam, quæ hæredem non admittit ad probandam cognitionem quam testator de pigneratione rei a se legatæ habere poterat. Quamobrem, excepto casu voluntatis expressæ testatoris, quæ legatarium ad rem legatam repignerandam adstringeret, semper in solum hæredem hoc onus incidit.

(*e*) P. Sed & si rem. c. Instit. de legatis.

C A S U S LXXII.

Eleazar qui cum Georgio litigabat, duo legata Pastonii fecit; Primum est horologium manuale aureum, quod ipsi pure ac simpliciter his verbis legavit, *Do & lego horologium meum aureum Gastoni, propter arctam amicitiam qua illum prosequor*. Secundum est legatum 500. librarum, ea lege ut litem quam adversus Georgium habet dijudicandam curet. Gasto hæredi Eleazaris declaravit se primum legatum accipere, secundum vero legatum accipere nolle, propter labores & incommoda quæ hujus litis persecutio ipsi causaret. Qua de re hæres quærit num ad primum legatum ipsi tradendum teneatur, quamvis secundum cum onere imposito accipere recuset?

R e s p o n s.

Eleazaris hæres ad duo legata, Gastoni a defuncto facta, dividenda non tenetur. Licet enim legatarius cui varia legata facta sunt, ea quæ vult accipere atque ea quæ sibi grata non sunt repudiare possit, cum ipsi absque ullo onere fiunt; perinde non est, cum aliquod legatum datur, quod onus quoddam complectitur. Hoc enim in casu, accipiendo legatum pure ac simpliciter factum, ad alterius onera tenetur. *Duobus legatis relictis*, inquit Lex (*f*), *unum quidem repudiare, alterum vero amplecti posse respondetur. Sed si unum e legatis onus habet, & hoc repellatur; non idem dicendum est*.

(*f*) L. Sed duobus. 5. ff. de legat. 2. & fidei-comm. a. l. 31. tit. 2.

Hæc decisio omnino congruere videtur cum æquitate, quæ vult, ut ille cui quoddam fit beneficium, eo se indignum non reddat erga benefactorem suum ingrati animi vitio; & recusando bonæ voluntati, qua eum prosequutus est, respondere. Præterquam quod jure suspicari possit, quod testator ipsi primum legatum, omni onere immune, non fecisset; si prænoscere potuisset, eum recusaturum conditionem, qua secundum legatum ipsi faciebat, adimplere.

C A S U S LXXIII.

Uladislaus & Honorina cum ante biennium matrimonio se conjunxissent, consobrina Honorinæ, cujus hæc uxor unica hæres erat, moriendo ipsi derelinquit omnia sua bona, quæ maxima ex parte erant solummodo res moventes, ut præsens pecunia, vasa argentea, gemmæ, tapetes, lintea, chirographa, ea exhibenti solvenda, aliaque similia. Uladislaus cum harum rerum, tanquam societatis dominus, potitus fuisset, de iis per testamentum suum disposuit, variaque earum legata propriis suis consanguineis fecit, nolente Honorina, quæ volebat ut saltem agnati sui earum etiam participes fierent. Nonne injusta sunt hæc legata?

Res-

RESPONS.

Legata contenta in testamento, quod Uladislaus fecit, injusta sunt. Nam disponete non potuit de dominio retum moventium, quæ ipsi advenerant, (*constante matrimonio*,) a parte uxoris suæ, quæ assensum suum non dedit, ut de iis agnatis suis posthabitis, eo modo disponeret, & quæ volebat, ut salteni eas inter utriusque consanguineos partiretur.

Hæc est decisio Silvii qui sic ad similem quæstionem, Duaci anno 1617. ipsi propositam, respondit (*a*); Ratio ejus quam reddit est, quod maritus dominus non sit bonorum, quæ uxori suæ pet hæreditatem adveniunt, & quod ea simpliciter administrare possit: ideoque de iis disponere nequeat, nisi modo justo ac legitimo, ita ut exinde nullum damnum uxori suæ exoriatut. *Nec maritus*, inquit, *in illis* (bonis) *habet amplius quam jus administrandi ... Ita vero jus illud habet ut non possit quocumque modo & in quacumque quantitate illa alienare, sed in suum & uxoris commodum, atque secundum dictamen rectæ rationis, ex caussa scilicet rationabili, & in ea quantitate, quæ non præsumatur esse in fraudem uxoris. Alioquin non esset administratio, sed dissipatio, quæ non debet nocere sociæ, sed soli autori*. Ita ut, si ejus bona alienat imptudenter pet donationem vel alio modo, ad talem injustitiam teputandam conscientia teneatur, de proprio suo bono uxori, vel ea deficiente, ejus hæredibus restituendo, pro eatione injuriæ ipsis illatæ; Et si supremum diem obeat antequam id fecerit; ejus obligatio ad eos qui eum exhibent ejusque bona hæreditate accipinnt, transfertut. *Unde si maritus faciat largas, seu notabiles donationes, absque consensu uxoris, facit ei injuriam; partem ipsius sine ejus consensu profundens; & tenetur uxori, vel ejus hæredibus restituere, computando illa, sic donata, in suam partem, quando fiet bonorum repartitio*. Ea addit idem Theologus post plures alios auctores quos laudat (*b*).

(*a*) Fr. Silvius resol. var. 3. *Maritus*.

(*b*) Lopez p. 2. c. 24. Navarr. Man. c. 17. n. 155. & alii apud Silvium cit.

Confirmari potest hæc decisio per auctoritatem Honorii III. qui in Epistola Decretali quam ad Præfectum Civesque Rupellæ scribit (*c*); condemnat, tanquam abusivam & injustam, consuetudinem in regione sua vulgo receptam, secundum quam maritus de bonis, tam moventibus quam non moventibus uxoris suæ, absque ejus consensu, pro libitu suo disponere poterat. Glossa (*d*) idem probat per multas Leges Romanas, quas hic retulisse necesse esse non autumamus.

(*c*) Honor. III. in cap. *Ex parte*. 10. de consuet. l. 1. tit. 4.

(*d*) Glossa in cit. c. v. *Alienat*.

CASUS LXXIV.

ARISTARCHUS testamento suo unam e suis domibus Pascasio legavit, hoc oneris ipsi imponendo, ut loci Ptochodochio centum nummos daret; Et cum Pascasius huic Ptochodochio jam parem summam dedisset meræ liberalitatis incentivo, & quin ullam notitiam legati ab Aristarcho sibi facti haberet; deinceps obitum ac verba testamenti Aristarchi audit, a cujus hærede legati sui solutionem petit, ostendendo se jam in antecessum huic Ptochodochio centum nummos dedisse ideoque oneri a testatore sibi imposito satisfecisse. Sed hæres eum ad alios 100. nummos eidem Ptochodochio denuo dandos adstringere vult; quod si non fecetit, ipsi legati sui solutionem recusat. Num Paschasius ad 100. nummos solvendos tenetur?

RESPONS.

Existimamus pro Aristaechi hærede rationem pugnare, Pascasiumque ad 100. nummos Ptochodochio loci, quem testator incolebat, denuo dandos teneri. Ratio est, quod 100. nummi, quos proprio motu huic Ptochodochio dedit, considerandi sint tanquam mera eleemosyna quam illi largiri voluit, non vero tanquam effectus voluntatis testatoris, quandoquidem tunc temporis eam non novetat. Quapropter dici nequit eum sic adimplevisse legem quam Aristarchus ipsi imposuit, unam ex suis domibus ei legando: Quod eo verius videtur, quod conditio a legato lata evidenter notet, eum voluisse ut hoc donum a beneficio suo ortum duceret: Ita ut eleemosyna, a Paschasio illi Ptochodochio facta, tanquam res mere fortuita consideranda sit, respectu habito ad Aristarchi mentem; & tanquam metus casus qui cum ea nullam connexionem habet. Id expressim patet ex una e Legibus Digesti, quæ his verbis scripta est (*e*); *Ut paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam. Nam si fato fecerit, non videbitur obtemperasse voluntati*.

(*e*) Leg. *Conditionum*. 2. in fine ff. de condit. & demonstrat. l. 35. tit. 1.

Vide { DONATIO. HÆRES. TESTAMANTUM. }

LEGITIMUS.

Vide { ILLEGITIMUS. & ADULTERIUM. *Casus* Leander. MATRIMONIUM. 3. *Casus* { Eunomius & Farultus. } }

LEPORARIUM.

ID quod vocatur *Leporarium*, est quidam locus eticis tefertus, vel sylvula cuniculis frequens.

Ad solos locorum Dominos jus leporarii pertinet; etiamque oportet, 1. ut, secundum antiqua Decreta, a Rege jus leporaria constituendi impetraverit, vel saltem ut locorum incolæ eorum constitutionem approbaverint, sicut pronuntiatum fuit per Decretum Supremi Senatus Parisiensis die 14. Aprilis 1339. redditum. 2. ut resarciant damnum quod exinde rusticis in fundis suis leporario proximis contingere potest, cum notabile est, de quo pronuntiare ad judicem pertinet. De ea re sic judicavit idem Supremus Senatus die 16. Januarii 1586. adversus Dominum de Benoit, Curiæ Consiliarium, quem Supremus Senatus, in damni compensationem, ad solvendos 18. frumenti, tresque secalis, sextarios, damnavit (*f*), propter visitationem quam cuniculi Leporarii sui in fundis conterminis fecerant.

(*f*) La Roche Flavin Tract. de Jur. Dom. c. 27. art. 5.

(a) Leg. si quis 5. ff. de dolo malo §. fin. l. 4. tit 3.

Dicimus, *cum notabile est damnum*, quia, juxta Leges (a), *pro modica re actio denegatur*. 3. ut Leporarium a quodam loco in alium locum transferre, minusque adhuc novum constituere, non suscipiant:

CASUS PRIMUS.

Beryllus, Dominus Parœciæ sanctæ Irenæ ad quem vitæ ac necis potestas pertinebat, cum nullum in prædio suo clientelis ac ditione illustri Leporarium haberet, unum constituere voluit. Sed duodecim e præcipuis incolis quin constitueretur obstarunt. Num ipsis invitis Beryllus leporarium constituere potest?

Videtur illud constituere posse, 1. quia ad eum potestas vitæ & necis pertinet, & quemadmodum hoc uno nomine jus Columbarium habendi ipsi acquisitum est, pariter de jure Leporarium habendi cum eo disceptandum non est. 2. quia illi qui eum præcesserunt olim leporarium habuerunt, ideoque illud restituere ipsi licitum sit.

Econtra videtur pro duodecim Incolis rationem pugnare, quia tota sanctæ Irenæ Parœcia est regio vitifera, cui cuniculi Leporarii vastationem valde damnosam inferrent. *Quid juris?*

R E S P O N S.

Nomen supremi vitæ & necis Domini Beryllo non sufficit, ut auctor sit qui Leporarium constituendum suscipiat. Incolæ enim, præsertim regionis vitiferæ, intercedendi jus habent, sicut docet Mornac in Notis suis ad Legem Digesti (b); Prohibitum etiam erat e Statutis, multisque Decretis adhuc antiquioribus, omnibus Feudorum Dominis ulla Leporaria constituendi absque expressa Regis permissione, in acta publica Fisci Curiæ legitime relata; sicut alibi probavimus. Ergo si Beryllus leporarium constituendum suscipiat sola sua auctoritate & absque Regis permissione, vel saltem sine Incolarum Parœciæ, cujus est Dominus, consensu, contra æquum peccat, & Incolæ jus habent obstandi quo minus constituatur, ut & curandi ut leporarium propriis ejus sumptibus destruendum præcipiatur.

(b) Mornac. in leg. 65. ff. de usufructu & quemadmodum &c.

Collatio quæ juris Columbarii cum jure Leporarii fit, falsa est. Nam, sicut Papon observat (c), optime novum Columbarium fundari potest, non vero Leporarium nec Cuniculorum latibulum: Ratio est, quod Leporarium Feudi accessio non sit, quandoquidem, ut jam jam diximus, nullus Dominus, & si ad eum vitæ & necis potestas pertineret, olim Leporarium absque expressa Regis permissione, habere posset.

(c) Papon l. 13. tit. 2. n. 32.

Alia ratio, quam Beryllus affert, ipsi inutilis est: Quamvis enim illi qui eum præcesserunt, Parœciæ sanctæ Irenæ Domini, olim Leporarium habuerint, semper verum est dicere, leporarium, quod hodie constituere ambit, novum esse, solaque sua auctoritate illud constituere non posse, quin justitiæ, quam subditis suis, qui constituendæ obstarunt, debet, vim inferat. Adde quod, in propria sua caussa Judex esse non debeat, juxta hanc sententiam (d); *Nec in sua caussa potest quis esse judex.*

(d) Gloss. in can. de occidendis. 8. 2. prosa. 23. q. 5.

C A S U S II.

Emilius, Parœciæ sancti Dunstani Dominus, in ea Leporarium, propriis suis fundis undique circumdatum, habet. Sed quia locus ubi situm est nimis paludosus est, & quia multum deperit, Bertrandus ejus amicas, ipsi consilium dedit, illud transferendi in parvum montem per leucæ quadrantem longius dissitum, qui revera ad eum pertinet, sed cujus omnes fundi confines ad Incolas Parœciæ subditos suos pertinent. Emilius hoc consilium obsequutus est, & postquam illud exsecutioni mandasset, hoc novum leporarium Bertrando pretio 150. librarum quotannis elocavit. Fundorum quibus leporarium circumdatur Domini, conquesti sunt de magno damno quod cuniculi ejus segetes suas comedentes messi suæ inferebant. Emilius ad eos respondit, quod, cum jus leporarii haberet tanquam loci Dominus, teneretur ad vastationem a cuniculis sibi caussatam perpetiendam, nec etiam ullam damni compensationem exigere possent.

Qua de re quæritur, 1. An Emilius jus leporarii habens, quo voluerit leporarium transferre possit, modo in proprium suum fundum transferat, &, hoc posito, an ad quamdam damni compensationem erga eos qui exinde læduntur, non teneatur? 2. An Bertrandus qui leporarium transferendi ipsi consilium dedit, tale consilium dare potuerit, nec ad quidquam etiam teneatur. 3. An Bertrandus qui leporarii conductor est, & qui statim illud bona fide conduxit, inscitiæ caussam prætexere possit respectu conquestionum dominorum fundorum leporario proximorum, atque conductionem suam inceptam absolvere; vel an ad quidquam aliud teneatur?

R E S P O N S.

Quamvis Parœciæ Dominus jus leporarii habeat; in ejus potestate non est leporarium transferendi e loco, ubi situm est, in alium locum, alterius damno. Quemadmodum igitur Emilius, leporarium suum, propriis suis fundis circumdatum, transferendo in locum, cujus fundi adjacentes ad varios incolas pertinent, ipsis notabile damnum creat, magna, quam in iis cuniculi faciunt, vastatione; hanc permutationem absque injustitia facere non potest, quin & ad resarcienda omnia damna, quæ sic subditis suis creat, teneatur. Hanc etiam ob rationem Constitutio Regis Joannis mensis Decembris an. 1355. (e) Dominos vetat ne nova leporaria constituant, quia terris arandis obstant. *Concedimus*, inquit ille Princeps, *ut omnes aucretiones antiquorum leporariorum, omniaque nova leporaria, & quidem nobilia, quæ nostro tempore facta & acquisita sunt, penitus deleantur; hisque præsentibus ea tollimus, rescindimus ac prorsus evertimus. Veniam ac licentiam damus, ut unusquisque in iis venari, ac absque ulla mulcta percipere possit.*

(e) Constit. an. 1355. art. 4. D. De la Mare, Tract. de Civili Discipl. tom 2. l. 5. tit. 23. §. 2. pag. 1010.

Dominus De la Mare, a quo hanc probationem mutuamus, duo adhuc Decreta, antiquæ isti Constitutioni anteriora, & quæ ad rem nostram faciunt, refert. Primum est anni 1256. quo pronuntiatum fuit, ut leporarium, quod Comes Boloniæ, Regis Avunculus, constituendum curaverat, deleretur; quia novum erat. Secundum est diei 14. Aprilis 1339. quod vetat, ne ullum novum leporarium absque Regis expressa permissione constituatur. Ultimum hoc Decretum ad acta publica Fisci Curiæ relatum reperitur, testante Chopin (f): Henricus II. Constitutionem Regis Johannis confirmavit, prohibendo ne nova leporaria fierent, aut antiqua augerentur; ea tamen quæ ante 40. annos facta reperirentur, eorum possessoribus conservando. Ludovicus XIV. Constitutione sua Mensis Augusti 1669. (g), pariter vetat ne nova leporaria constituerentur, sub pœna mulctæ 500. librarum, & deletionis, eorum, qui illa constituerint, sumptibus.

(f) Renatus Chopin. de Domanio. lib. 3. tit. 22. n. 4.

(g) Constit. an. 1669. art. 19.

Constat ergo Emilium leporarium suum eodem in loco, ubi prius erat, denuo collocare debere, vel emere fundos confines ab incolis, æquo eorum pretio numerato, si eos ipsi lubenter vendere voluerint, vel ad minimum æquam damni perpetui compensationem ipsis quotannis dare; interimque damnum jam ipsis illatum resarcire.

Quoad Bertrandum ad restitutionem erga eosdem incolas teneretur, si leporarium transferendi, nec damnum subditis suis resarciendi, consilium dedisset. Verum, ut quæstio proposita simpliciter habet, eum verbis generalibus consilium dedisse, existimandus est illud solummodo dedisse, *positis ponendis*; hoc est, ea lege ut Emilius hanc translationem tantum faceret, Justitiæ regulas observando.

Denique, leporarii Custos, qui leporarium bona fide conduxit, ad nullam damni compensationem tene-

tenetur. Verum, si de damno incolis, dominis fundorum, in quorum medio situm est leporatium, illato convictus sit; Emilium solemmodo rogare debet, ut conductioni suæ rescindendæ consentiat; vel rusticis, quorum interest, per reliquum tempus quo conductione sua fruitur est, damnum resarcire velit. Et si contigerit ut recuset (a), Theologus recentior existimat, eum leporatium pro viribus vestare debere, ut dominis fundorum confinium minus damnum inferatur: & conductione sua absoluta, secundam pacisci non debere, ut nullo modo particeps sit injuriæ, de qua rustici conqueruntur. Agendi rationi quam Doctor iste proponit assentiendum esse non autumamus; quia prædii Conductor, absque Domini sui consensu, auctoritate sua privata, fundum quem conduxit deteriorem efficere non potest.

(a) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 151.

CASUS III.

Orosius, Parœciæ Sancti Jocundi Dominus, cum permissionem leporarium constituendi a Rege impetrasset, illud constituit in loco circumdato arationibus ac vineis ad ejus Clientes pertinentibus, qui per vastationem quam in iis cuniculi faciunt, notabile damnum perpetiiuntur.

Quæritur num Incolæ, absque peccato, possint in propriis suis terris pedicas, vel retia ponere, ad cuniculos capiendos, & ad damnum, quod ipsis infertur, eo modo minuendum.

RESPONS.

Clientes Orosii nullum jus habent quovis artificio cuniculos leporarii capiendi, sub prætextu injuriæ segetibus aut vineis suis illatæ; quia; *nec in sua causa potest quis esse judex*, sicut loquitur Glossa (b); Quod igitur in eorum potestate est, ad hoc redit, ut æquam damni sibi illati æstimationem pronuntiandam, Orosiumque ad damnum, si notabile sit, resarciendum, condemnandum curent. Sic, ut jam diximus, dijudicatum fuit a Decreto Supremi Senatus Parisiensis die 16. Januarii 1586. adversus Domino de Benoit, Curiæ Consiliarium, qui damnatus fuit ad octodecim frumenti, tresque secalis sextarios solvendos, in compensationem damni, quod leporarii sui cuniculi in fundis adjacentibus fecerant, D. Brillon (c) hoc Decretum laudat, quod a la Rochesflavin desumpsit (d).

Diximus, *si notabile fuerit damnum*; Etenim si leve tantum foret, in eum actionem habere non possent, juxta dispositionem Legis quam in margine laudamus (e); quia sententia est Juris a Sancto Thoma approbata, nullum respectum habendum esse ad rem ex se levem parvique momenti, *Parum pro nihilo reputatur*; vel, sicut S. Antoninus loquitur (f), *quod parum est, nihil deesse videtur*.

(b) *Glossa* in can. de occidendis 8. v. pro se 23. q. 5.

(c) D. de Brillon. v. Leporarie. n. 8.

(d) La Rocheflavin Tract. de Juribus Dominorum c. 27. n. 5.

(e) *L.* S. quis, 9. §. 6. ff *de dolo malo*. l. 4. tit. 3.

(f) *S. Anton.* 3. *part. tit.* 13. c. 6. §. 4.

LEX.

Omnia Regna Imperiaque Mundi Legibus gubernantur; nec mirandum est quemadmodum enim sæpe magno alienigenarum numero immiscentur, oportet ut sint Leges ad eos omnes in concordia, consimilique agendi ratione conservando, & ut etiam aliæ Leges dentur, quibus vitæ ac conservationi hominum & Imperiorum saluti consulatur. Hæ Leges ex auctoritate suprema Principis immediate ortum ducunt; aliæ vero, ex potestate qua Princeps Magistratus ac Judices induit. Utræque venerabiles sunt, non modo ad Legislatorem respectu habito, verum etiam ad earum objectum ac finem: Et unusquisque eorum qui regnum componunt, iis cum reverentia, quandiu vigent, obedire debet; hoc est, dum per desuetudinem abolitæ, aut a Principe revocatæ non sunt.

Lex omnis æqua in seipsa, & illis, pro quibus facta est, utilis esset debet. Hanc ob orationem S. Augustinus dicit, quod antiquæ Romanorum Reipublicæ constitutio ac magnitudo nullum firmius principium, quam Legum suarum justitiam habebant: & fatetur, quod probitas & æquitas naturalis multorum e sui Civibus, longe plures hostes ipsis subjecerant, quam fortitudo Ducum suorum, animusque suorum militum, & tandem quod cum vitæ æternæ mercedem, quia Ethnici erant, mereri non possent, Deus eos hoc in mundo remunerare voluit, iis florentissimum ac vastissimum totius Terræ Imperium dando, quia virtute prædit erant, *perceperunt mercedem suam*, inquit Sanctus Augustinus (g).

Moses primus omnium antiquorum Legislatorum fuit, & Leges perfectissimas condidit, quia Deus ipse illas ei dictabat. Deinceps Solon Atheniensium fuit Legislator, Licurgus vero Lacedemoniorum; Romulus & Numa fuere Legislatores Romanorum, qui ab Atheniensibus mutuarunt Solonis legis, quas meliores reddere conati sunt, ut ait S. Augustinus (h), Denique Justinianus & Theodosius Imperatores Christiani composuerunt unusquisque Codicem suum e plerisque antiquis Legibus Romanis, quarum multæ adeo sapientes ac æque visæ sunt, ut plures Pontifices eas in Epistolis suis Decretalibus adoptaverint, quemadmodum id in hujus Operis Præfatione per auctoritates summe venerandas ostendimus.

(g) *S. Aug. l.* 5. *de Civit. Dei* c. 15.

(h) *Idem l.* 2. *de Civit. c.* 16. & *l.* 3. *c.* 17.

Nihil magis Legum observationi adversatur quam avaritia & cupiditas, *omnia obediunt pecuniæ*. Facile negliguntur, cum de auro & argento agitur, quod non modo dicimus respectu habito ad privatos, quibus hoc oneris impositum est, ut eas observari curent, verum etiam respectu habito ad Imperia integra, sive Regna, seu Respublicas. Id discimus a Plutarcho in historia vitæ Licurgi, ubi observat, quod Spatta, olim adeo florens ac cele-

celebris propter diligentiam, quacum ſecundum primi ſui Legiſlatoris leges ſe gerebat, ſtatim atque divitiarum amori immodico ſe ſe dedit, ita Leges neglexit, ut mox a primo ſuo ſplendore dejecta, ac deinceps penitus deleta fuerit.

Leges auctoritate pollere nequeunt, niſi cum ſunt communes, omneſque ſubditos adſtringunt. *Lex eſt commune præceptum*, inquit prima Digeſti Lex (*a*); id eſt, *communi utilitate, ſtatutum*, addit Gloſſa, *vel communiter toti univerſitati factum*. *Jura*, ait alia Lex (*b*), *non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur*. Quatuor diverſa objecta habent, dicit adhuc alia Lex (*c*), nempe præcipere, prohibere, permittere & plectere; *Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire*; hoc eſt, præcipere res neceſſarias & juſtas; eas prohibere quæ juri & æquitati adverſantur; id quod per ſe malum non eſt permittere, & quædam mala tolerare, quando nullum iis remedium afferre poſſunt.

Omnes Principum Leges reſpiciunt perſonas, aut res, aut actiones, ait (*d*) Juriſconſultus Gajus in Lege. Leges æquæ a Deo, qui eſt Pater luminum, procedunt: quapropter ab obſcuritate & confuſione abhorrent. Perſpicuitatem tantum, tanquam qualitatem naturæ ſuæ convenientiſſimam adſciſcunt. Attamen conſtans eſt ſententia, cum varii ſenſus in cujuſdam Legis verba cadere poſſunt, ſenſum minus ſeverum ſemper eligendum eſſe (*e*) *Benignius leges interpretandæ ſunt: In ambigua voce latius ea potius accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret*. Quocum Jus Canonicum plane congruit.

Innumeri caſus dantur, quibus Leges conſulere non potuerunt; quia Legiſlatores de iis non cogitarunt, ut dicit Juriſconſultus Julianus in alia Lege (*f*). Verum fortaſſis diutius immoramur in loquendo de Legibus generatim. Singula igitur quæ hac de materia ſcienda ſunt expendamus, & loquamur de definitione ejus quod *Lex* vocatur, ac de variis Legum ſpeciebus.

Varia diſtinguuntur genera Legum, quæ ſingulæ propriam ſuam definitionem habent; nempe Lex æterna: Lex naturalis & Lex poſitiva, quæ eſt vel divina vel humana, Eccleſiaſtica aut civilis: Rurſus dividi poteſt Lex, in Legem Moſis, vel antiquam, & in Legem Evangelicam, ſeu novam.

Lex ſenſu generali conſiderata, eſt actionum humanarum regula ac menſura, quæ ad rem faciendam, vel non faciendam impellit. *Lex*, inquit S Thomas (*g*) *quædam regula eſt & menſura actuum, ſecundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*.

Lex æterna, ait S. Auguſtinus (*h*) eſt ſuprema ratio, juxta quam Deus omnes res creatas gubernat, & cui omnes homines ſubjici debent, tanquam Legi, quam conſiderare non poſſunt, niſi ſicut immutabilem ac æternam. *Lex quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur. ..poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri? ..... ea eſt, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*. Lex illa, per divinæ Sapientiæ luciſque æternæ emanationem, omnibus hominibus lumen præbet, *illuminat omnem hominem* (*i*), cognitionem hujus divinæ Legis eorum animis imprimendo; omneſque alias res creatas ratione orbatas, modo ipſis convenienti, gubernat, hoc eſt, obſervatione mandatorum ſuorum, & propenſione ipſis indita ad mirandum hunc ordinem a Deo in univerſo Orbe conſtitutum neceſſario conſpirandi, juxta hoc Prophetæ Regii dictum; *Ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi* (*k*): iſtaque alia verba, *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (*l*).

Equidem improbi ſæpe ea faciunt quæ hujus Legis præceptis adverſantur; vetumtamen etiam ipſis invitis Legi illi ſubjiciuntur; & ſi juſtitiæ amore ei ſe non ſubmittant, attamen ipſi ſubjiciuntur, debitam inobedientiæ ſuæ pœnam ſubeundo. *Aut enim reddit* (debitum) *bene utendo quod accepit; aut reddit, amittendo quo bene uti noluit. Itaque ſi non reddit faciendo juſtitiam, reddet patiendo miſeriam: quia in utroque verbum illud ſonat; ... ſi non reddit faciendo quod debet, reddet, patiendo quod debet*. Hæc ſunt S. Auguſtini verba (*m*). Quæ cauſa eſt cur Sanctus Gregorius Magnus dicat (*n*); *Sic quippe ejus opera magna ſunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam ſæpe inde perficitur, unde repelli putabatur*.

Lex naturalis ea eſt, quæ licet ſcripta non ſit, nobiſcum naſcitur, & quam Deus omnibus hominibus inſpiravit, eam in unuiſcujuſque anima imprimendo,

(*a*) L. 1. ff. de Legibus l. 1. t. 3.
(*b*) L. Jura 8. ibid.
(*c*) L. Virtus. 7. ibid.
(*d*) L. Omne 3. de ſtatu hominum l. 1. tit. 5.
(*e*) L. Benignius in ambigua 18. & leg.
(*f*) L. Neque 10 eod. tit & L. Non poſſunt. 12. ibid.
(*g*) S. Th. in 1 2 q. 90. art. 1. in corp.
(*h*) S. Aug. l. 1. de lib. arbit. c. 6 ſeu n. 15.
(*i*) Joan. 1. 9.
(*k*) Pſ. 118. 91.
(*l*) Pſ. 148. 8.
(*m*) S. Aug. lib. 3. de libero arbitrio, c. 15. ſeu n. 44.
(*n*) S. Greg. lib. 6 moral. c. 19. in fine.

do, ipsamque iis manifestando per emanationem primi fontis omnis veritatis, nempe Dei ipsius. *Lex naturalis, quam Deus creator infundit singulorum pectoribus . . . . quæ non scribitur, sed innoscitur; nec aliqua præscribitur lectione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur.* Hæc sunt Sancti Ambrosii verba (*a*); Hac de Lege loquitur Apostolus, cum dicit (*b*) *Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciant; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

Præcipua hujus Legis præcepta hisce verbis Domini Nostri comprehenduntur, (*c*) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ*: Ad quæ ultima verba, hæc alia ejusdem Servatoris verba, referuntur. *Pro ut vultis, ut faciant vobis homines; & vos facite illis similiter* (*d*); Quibuscum congruunt hæc altera Sancti viri Tobiæ verba, *quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias* (*e*).

Lex ista cunctos homines adstringit, statim atque ratio sufficiens eam ipsis manifestat; hoc est, statim atque bonum a malo secernere possunt, satisque luminis habent, ut optare possint bonum facere, & peccatum vitare. *Tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala*, inquit Sanctus Hieronymus (*f*); Ita ut nemo ea Lege solvi possit a quavis Potestate, & quovis sub prætextu, quis abduci queat, Ratio est, quod nullum Legis laxamen tum legitimum esse possit, nisi justa causa nitatur. Nullum autem supponi potest, quod sufficiat, ut eximamur a sequendis luminibus, quæ Deus ipse intimis omnium hominum cordibus insculpsit, Natura ipsa igitur destruenda esset, quod fieri nequit.

Lex positiva Divina est, quam Deus hominibus in tempore dedit, discriminatim a Lege naturali, quæ nobiscum nascitur, nec scripta, aut viva voce pronuntiata fuit, Talis est Lex, quam Deus Mosi dedit, quæ, quoad præcepta ritualia, ad solum populum Judaicum spectabat; & Lex, quam Jesus Christus nobis dedit, quæ omnes Christianos adstringit ad agendum in omnibus suis actionibus. eo consilio, ut ultimum suum finem attingant.

Hoc est discrimen, quod inter duas has Legum species reponi potest: 1. Quod prior Lex esset tantum principium, & quasi forma rudis, ac adumbratio posterioris, qua Deus sustulit velum mysticum figurarum, cæremoniarum, & prophetiarum, quæ Domini adventum significabant; hasque umbras lumine suo dispellendo, omnes quas abdebant veritates adimplevit (*g*).

2. Quod Lex Mosaica, intimos animi, & cordis motus æque clare & peculiariter, ac Lex nova, non dirigeret.

3. Quod Lex Judæis data Lex timoris, at Lex Evangelii Lex gratiæ, & amoris esset. *Utriusque Testamenti Auctorem Deum venerans, qui est veteri homini fugienti tanquam Dominus apposuit quod timeret, & novo redeunti tanquam pater apposuit, quod amaret*, dicit Sanctus Augustinus (*h*): id est, quod sub antiqua Lege Judæi timoris incentivo obedirent, & sub nova Christiani charitatis motu obediant.

Nova Lex ad tria præceptorum genera adimplenda nos adstringit. Primum est omnia mysteria, fideique puncta, quæ Deus Ecclesiæ suæ revelavit, credere.

Secundum respicit Sacramenta omnia, reverentiam, qua ea prosequi debemus, dispositiones, quibuscum ea recipere debemus, & tempus quo ad ea accipienda tenemur.

4. Denique continet præcepta moralia, quibus obtemperare debemus, & quæ eadem sunt, ac ea, quæ Lex Mosis complectebatur, sed quæ Jesus Christus ipse clarius nobis explicare voluit, quemadmodum ea exposuit in Concione quam in Monte habuit (*i*).

Lex Positiva humana, vel Ecclesiastica, vel Civilis est. Lex Ecclesiastica a Lancelot his verbis definitur: *Est. . . . jus Canonicum, quod Civium actiones ad finem beatitudinis dirigit* (*k*) Jus quod Christianorum actiones ad felicitatem æternam, tanquam ad eorum scopum, dirigit.

Tria includit hoc jus; nempe fidem, mores & Disciplinam. Quod ad fidem

(*a*) S. Ambr. l. 9. epist. 71.
(*b*) Rom. 2. 14. & 15.
(*c*) Matt. 22. 7. & seqq.
(*d*) Luc. 6. 12.
(*e*) Tobia 4. 16.
(*f*) S. Hieron. Ep. ad Algasiam q. 5.
(*g*) Ad Galat. 3. 24. & 4. 3.
(*h*) S. Aug. lib. contra Adimantum c. 16. n. 3.
(*i*) Matth. 5. 1. & seq.
(*K*) Instit. juris can. l. 1. 1. tit. 1 part. 2.

fidem & mores attinet immutari nequit: Nullaque in terris datur Potestas quæ iis quidquam immutare possit; quia Ecclesia ista tantum proponit, tanquam imperata a Jure naturali, seu Jure positivo divino, cujus obligationem fidelibus solummodo declarat.

Quoad Leges Ecclesiasticas quæ ad disciplinam tantum spectant: proculdubio possunt, atque etiam aliquando debent immutari, cum id Ecclesiæ commodum postulat; atque etiam usu contrario legitime præscripto abrogari possunt.

Leges istæ fideles omnes per conscientiam adstringunt, juxta hoc Servatoris verbum, (*a*). *Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: Quod perfectissime probatum reperitur a tribus Canonibus quos in margine indicamus (*b*).

(*a*) Matth. 18. 17.

(*b*) Can. violatores 5. & Can. Hac consona 13. 25. q. 1. & Can. Si quis 18. 25. q. 2.

Lex positiva humana, quæ Civilis vocatur, ea est quæ a Principe sancitur, Sed ut valida sit atque adstringere possit, oportet 1. ut cum Lege naturali congruat, nihilque manifesto injustum contineat. 2. ut commune commodum sit ejus objectum: 3 & ut legitime promulgata fuerit. Tunc ad illi obtemperandum conscientia tenemur, ut deinceps probavimus.

Hæ Principum Leges plane necessariæ sunt ad sapienter gubernandas & conservandas suas Ditiones, quæ alioquin continuo in perturbatione, in tumultuatione & confusione reperirentur, adeo magna est hominum malignitas & inconstantia.

De Legibus Romanis privatim verba non faciemus, quia in Gallia auctoritate non pollent, nisi quatenus congruunt cum æquitate naturali, & Edictis, Declarationibus ac Constitutionibus nostrorum Regum; quæ nobis sunt instar Legum, sicut Consuetudines nostræ in regionibus ubi motum & civilium institutorum Codex viget.

Nullus Legislator majorem auctoritatem Legibus suis conciliare potest, quam cum exemplum Populis suis præbet iis sese conformando; quandoquidem ut ait S. Gregorius Magnus, bona exempla multo melius quam verba suadent: hanc etiam agendi rationem sequuti sunt, Licurgus, Zeleucus, Agesilaus, Theopompus, Themistocles, Alexander, Augustus, multique alii supremi Principes.

CASUS PRIMUS.

Clerici multi, agitata quæstione, num quædam Legis antiquæ præcepta dentur, quæ Christiani possint, aut etiam debeant observare? Alii affirmarunt, alii vero negarunt; omnesque Sancti Thomæ auctoritate nitebantur. Quænam est vera hujus Sancti hac de re doctrina?

Respons.

Tria præceptorum antiquæ Legis genera cum Sancto Thoma distinguenda sunt, nempe moralia, ceremonialia & judicialia. Præcepta moralia, id est, secundum Sanctum Thomam, præcepta quæ jure naturali nituntur, æque sub nova Lege, ac sub antiqua, adstringeat, nec absque peccato observari non possunt. Verum eadem non est ratio respectu præceptorum ceremonialium, omnia enim Judæorum præcepta totidem publica erant testimonia fidei, quam habebant in Messia quem expectabant, & qui ex Virgine nasciturus erat. Quamobrem ut Christiani credunt hunc divinum Messiam in mundum venisse, & in omnibus Incarnationis suæ mysterium adimplevisse; nullum præceptum ceremoniale Legis antiquæ observari posset, quin fidei Christianæ damnum inferretur, ideoque absque crimine. *Sicut igitur*, inquit Sanctus Thomas (*c*), *peccaret mortaliter, qui nunc suam fidem protestando diceret, Christum nasciturum, quod antiqui pie & veraciter dicebant; ita etiam peccaret mortaliter, si quis nunc ceremonias observaret, quas antiqui pie & fideliter observabant.*

(*c*) S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. in corp. ex S. Aug. l. 19. contra Faustum c. 16. post med.

Ad præcepta judicialia quod attinet, constat, eorum obligationem perpetuam non fuisse, ac per Mesiæ adventum desiisse. Verum quemadmodum ad significandum Messiam venturum præcipue constituta non erant, ejus adventu ita deleta non sunt, ut etiamnum absque peccato observari non possent, si quidam Princeps iis vim Legis daret, modo eo consilio non præciperentur, ut efficaciam suam ab antiquæ Legis institutione desumerent. Tale enim consilium peccatum mortale foret, non modo respectu Principis qui ea præcepisset, verum etiam respectu eorum qui illa hoc animo observarent. Talis est de quæstione proposita Sancti Thomæ doctrina (*d*); *Judicialia præcepta non habuerunt perpetuam obligationem*, inquit Sanctus ille, *sed sunt evacuata per adventum Christi; aliter tamen; quam ceremonialia; nam ceremonialia adeo sunt evacuata, ut non solum sint mortua, sed etiam mortifera observantibus post Christum, maxime post Evangelium divulgatum: præcepta judicialia sunt quidem mortua, quia non habent vim obligandi; non tamen sunt mortifera, quia si quis Princeps ordinaret in regno suo, illa judicialia observari, non peccaret; nisi forte hoc modo observarentur, vel observari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris Legis institutione; talis enim intentio observandi esset mortifera.*

(*d*) Idem 1. 2. q. 104. art. 3. in corp.

CASUS II.

Pontifex Sumum Legem sancivit per Constitutionem Romæ publicatam & affixam, quæ punctum disciplinæ præfinit respectu omnigenorum Canonicorum, qui in plerisque e præcipuis Europæ Ditionibus reperiuntur. Canonici Burdigalenses, quibus Constitutionis illius exemplar Roma missum est, illi se subjicere recusant. Num peccant?

Respons.

Equidem publicatio Legis est conditio ejus naturæ ita propria, ut absque ea eos, pro quibus facta est, obligandi vim non habeat. *In istis temporalibus Legibus*, inquit Sanctus Augustinus (*e*), *quamquam de his homines judicent, cum eas instituunt; tamen*

(*e*) S. Aug. in Can. in istis 3. dist. 4.

„ tamen leges instituuntur, cum promulgantur. „ Quod cum Pontificum Decretalibus (*a*) congruit, & eo nititur quod Lex pro quodam privato sancita non sit, sed pro vulgo, qui ideo eam cognoscere debet. Sed satis non est ut Lex quæ Ecclesiam in genere respicit, Romæ tantummodo promulgetur; quidquid ea de re dicant Doctores Ultramontani, in Gallia viget usus contrarius, nempe ut nulla similis Constitutio pro Lege obligatoria agnoscatur, quamvis promulgata fuerit Romæ pro more consueto, ac cum omnibus formulis requisitis, nisi per totum Regnum ex auctoritate Regia recipiatur ac promulgetur.

(*a*) S. Greg. in cap. *cognoscentes*. 2. de constitutionibus l. 2. tit. 2. Innoc. tit. in cap. *Adhæc*. 2. de postulatione Prælatorum. l. 1. tit. 5.

Usus iste nititur recta ratione, quæ vult, ut cum Ecclesia per tam magnum numerum Ditionum, Provinciarum & Nationum Christianarum, a Roma longissime dissitarum, extendatur; ejus Legum promulgatio in unaquaque harum variarum Regionum fiat, congruenter cum usu qui in ea viget: cum promulgationis formula ex usu ordinanda sit, quandoquidem a Jure non determinatur. Ac revera, sæpe contingere potest, ut talis Lex non conveniat cuidam Ecclesiæ peculiari, aut cuidam Regno quod consuetudines, jura & privilegia contraria habebit; & hoc in casu mens Pontificis non sit abrogandi has consuetudines atque istos usus, cum bonis moribus non adversantur; Quod eo magis rationi congruum est, quod constet Summos Pontifices sat amplam cognitionem habere non posse, ut ad singula hæc omnia se se extendere possit.

Ha in re nihil dicimus quod cum decisione ipsa Bonifacii VIII. non quadret (*b*): Hic enim Pontifex declarat Constitutiones canonicas nullomodo derogare locorum consuetudinibus, ac statutis, cum æqua sunt, neque etiam juribus privatis personarum: En ejus verba; *Quia tamen locorum specialium & personarum singularium, consuetudines & statuta, (cum sint facti & in facto consistant) potest* (Romanus Pontifex) *probabiliter ignorare: ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.*

(*b*) Bonifac. VIII. in c. *licet*. 1. de constitut. in 6.

Inde sequitur, quod, cum Bulla, aut Constitutio, de qua in quæstione proposita mentio fit, in Gallia auctoritate Regia recepta & promulgata non fuerit; Canonicos Burdigalenses sub pœna peccati non adstringat, ideoque in antiquo suo usu perstare posse, dummodo nec justitiæ, nec bonis moribus advetsetur.

CASUS III.

Cum Rex tulisset legem æquam a populo perfecte notam, Hubertus pergit facere ea quæ adversantur ejus præceptis, aut prohibitionibus sub severissimis pœnis latis; & contendit se nullo modo ad Legi obtemperandum per conscientiam teneri, usquedum in formulis consuetis promulgata fuerit. Nonne errat?

RESPONS.

Hubertus hac in re non errat: Nulla Lex enim per conscientiam adstringere potest, si iis, pro quibus lata fuit, non innotescat, sicut ex his verbis Legis paret (*c*); *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent: ut universi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Lex autem sat nota non existimatur, nisi per ejus promulgationem. Ergo nemo ad ejus præceptis aut prohibitionibas obtemperandum tenetur, nisi postquam secundum formulam solitam publicata fuerit: Hæc est sancti Thomæ doctrina (*d*); En sicut loquitur; *Lex imponitur aliis per modum regulæ & mensuræ. Regula autem & mensura imponitur per hoc quod applicatur his, quæ regulantur & mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, (quod est proprium Legis) oportet quod applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur, ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod Lex habeat suam virtutem.*

(*c*) Leg. *Leges*. 9. Cod. de legibus & constitut. Principum & Edictis. l. 1. tit. 14.

(*d*) S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 4. in corp.

Sed observandum est, quod ut Lex obligare possit, necesse non sit ut omnes privati homines ejus promulgationem propriis auribus accipiant, cum satis sit ut eam noverint ope eorum qui illius promulgationis testes fuere, aut qui eam promulgatam ab aliis audiverunt, sicut idem Doctor Angelicus habet his verbis (*e*); *Illi coram quibus Lex non promulgatur, obligantur ad Legem observandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire potest promulgatione facta.*

(*e*) Idem ibi. ad 2.

Rursus observandum est, nequidem sufficere ut Lex humana promulgata fuerit; sed præterea necesse esse, ut recepta fuerit ab iis quibus data est; hoc est, ut tota Societas, vel saltem maxima pars, atque qui saniorem mentem habent, eam acceperint. Talis est sententia Cardinalis Toleti. Ratio est, quod suspicandum sit, Legislatoris mentem non fuisse ullam Legem sanciendi, nisi publici commodi caussa. Cum autem tota quædam Societas, vel saltem maxima aut sanior pars Legi se se opponit; inde judicandum est, hanc Legem publico commodo adversari, ac ideo illam per conscientiam non adstringere. Theologi & Philosophi hanc sententiam admittunt, & illud eo verius est, quod contingere possit ut Lex quædam Legislatori æqua videatur, quæ tamen populo nocebit, aut cujus praxis impossibilis erit; ut facillime ex innumeris Legibus agnosci potest, quas Legislatores utilissimas judicaverant, & quas eorum successores attamen ut subditis suis noxias, abrogarunt; sicut observat S. Thomas (*f*); Quæ caussa est cur Gratianus dicat (*g*); *Leges instituuntur, dum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipsæ Leges confirmantur.*

(*f*) Idem 1. 2. q. 97. art. 1. in corp.

(*g*) Gratian. §. *Leges*. dist. 4.

Ut hanc materiam magis adhuc elucidemus, addemus respectu promulgationis Legis cujusdam; quod, cum Lex spectat ad Regnum longe lateque expansum, non sufficiat ut in urbe, quæ ejus caput est, promulgetur; sed præterea necesse sit, ut in omnibus Provinciis, ab ea remotis etiam promulgetur. Id etiam in Gallia ad praxim accurate revocatur, ubi Lex non adstringit nisi eos qui jus petunt a Supremis Senatibus in quibus promulgata & comprobata fuit. Talis est etiam usus aliarum Ditionum Civilium; quod adhuc verius videtur respectu Legum Ecclesiasticarum, quæ universum orbem Christianum adstringunt: Licet enim Romæ promulgatæ fuerint, vel in urbe ubi Concilium œcumenicum habitum est; id non sufficit, ut veniant ad notitiam omnium fidelium qui in variis Mundi Regnis reperiuntur; Atque juxta hanc sententiam, quemadmodum jam indicavimus in decisione præcedenti, in Gallia non obtemperatur Constitutionibus Romæ latis, nisi postquam secundum formulas hoc in Regno consuetas, promulgatæ fuerunt (*h*).

(*h*) Joan. Cabassut. juris con. theor. & prax. l. 1. c. 4. n. 2.

CASUS IV.

Victor, Supremus Princeps, edoctus est innumera mala & flagitia in Ditione sua regnare. An conscientia tenetur ad sanciendas Leges, quæ ea omnia prohibeant, & quæ reis debitas pœnas infligant?

RESPONS.

Princeps ille ad tales Leges sanciendas in foro conscientiæ non tenetur, quia earum praxis impossibilis foret. Ejus ratio quam reddit S. Thomas (*i*), est, quod Leges accommodandæ sint non modo usibus ac motibus populorum, in quorum generatim consideratorum commodum, Legislator eas sancire debet; verum etiam conditioni, viribus & infirmitati eorum pro quibus sancitæ sunt. Omnia autem mala quadam in Ditione inhiberi nequeunt, cum malitia & infirmitas hominum id non sinat. Sat igitur est Principi ut adhibeat Leges ad inhibenda flagitia maxima & societati civili summopere noxia, & ea quibus major pars hominum abstinere possunt, qualia sunt cædes, furta, sacrilegia, aliaque similia. *Lege humana non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosi abstinent*, ait Doctor Angelicus, *sed solum gravio-*

(*i*) S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 2. in corp.

graviora, a quibus possibile est abstinere majorem partem multitudinis; & præcipue, quando sunt in nocumentum aliorum, sine quorum probibitione societas humana conservari non posset, sicut probibeatur Lege humana, homicidia & furta & hujusmodi.

Hæc sententia adhuc confirmari potest alio ratiocinio sancti Thomæ (*a*) qui de infidelitate loquendo, dicit hominum gubernationem imitari debere Dei regimen, a quo originem suam ducit, juxta hoc Sapientiæ verbum (*b*); *Per me Reges regnant & Legum conditores justa decernunt.* Deus autem, licet Omnipotens ac Summe Bonus, permittit tamen ut maxima mala in mundo fiant, quæ impedire posset, si absolute vellet, & attamen non impedit, ne alia majora eveniant; vel ut ea mala impediendo, id majoribus bonis impedimento esset. *Humanum regimen* (ait sanctus ille Doctor) *derivatur a Divino regimine; & ipsum debet imitari. Deus autem quamvis sit omnipotens & optimus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ probibere posset; ne eis sublatis, majora bona tollerentur; vel etiam pejora mala sequerentur.* Unde cum illo Sancto colligendum est, inter homines, eos, qui ad Leges sanciendas constituti sunt, justam habere rationem, quædam mala tolerandi, ne atrociora eveniant, aut ne quibusdam bonis impedimentum afferant: quod congruit cum doctrina magni sancti Augustini, cujus auctoritate S. Thomas nititur: *Sic ergo*, Hæc est ejus conclusio, *& in regimine humano illi qui præsunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur; vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut Augustinus dicit in L. de ordine:* Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.

(*a*) Idem 2. 2. q. 10. art. 11. in corp.

(*b*) Proverb. 8.

C A S U S V.

Narcissus sæpe Principis Legem quandam, quæ tantummodo pœnalis est, violavit. Num hac in re mortaliter peccavit, si ex ejus verbis appareat Legislatoris mentem fuisse subditos suos ad eam observandam, sub pœna peccati mortalis, obligandi?

R e s p o n s.

Ad hanc quæstionem dirimendam, sciendum est, mentem Legislatoris, quantumvis suprema sit ejus potestas, consulendam non esse, ut cognoscatur num Lex sub pœna gravis, vel levis peccati, adstringat. Cum enim Lex plurimum ad bonum publicum confert, semper sub pœna peccati mortalis obligat, licet etiam mens Legislatoris non esset, ut ita obligaret: Et e contra si Lex ejus non sit momenti, obligat solummodo sub pœna levis peccati; quamvis Legislatoris consilium fuisset, ut sub pœna mortalis peccati obligaret. Ratio est, quod omnis Lex, ut revera sit Lex, æqua esse debeat. Æqua autem non esset, si, cum minimi est momenti, sub pœna peccati mortalis adstringeret; vel si, cum maximi momenti esset, aliquid tantummodo sub pœna peccati venia digni, præciperet aut prohiberet. Igitur nec ex mente ejus qui Legem sancivit, nec ex verbis quibus eam sanciendo usus est, verum ex majori seu minori Legis ipsius momento, judicandum est de qualitate peccati quod committitur, eam transgrediendo. Ceterum hanc in rem operæ pretium est observare, cavendum esse ne temere judicetur de Legislature, quando qualitatem peccati contra suam legem commissi exprimit. Quapropter si Lex quam Narcissus violavit, parum ad bonum publicum conferat, quibuscunque verbis scripta sit, ejus peccatum tanquam venia dignum solummodo considerandum est.

Ceterum, quemadmodum in specie proposita de Lege pœnali mentio fit, ut hæc materia plane dilucidetur, addere debemus, cum Lex aliquid sub pœna mulctæ prohibet, eam transgrediendo peccatum non vitari, quamvis ad eam solvendam parati simus. Nisi Lex ista pœnalis sit, *mixte disjunctive*, ut si ferret, talem rem faciendam esse, sin minus mulctam esse solvendam. Cum enim pœnalis est solummodo *mixte disjunctive*, ut si haberet, tale quid sub pœna talis mulctæ faciendum esse; eam violare non licet, simulando se mulctam solvere velle. Etenim ad illi obtemperandum tenemur; ita ut eam violando peccemus; præterquam quod ad mulctam solvendam nos exponimus. Sic Doctus ætatis nostræ Theologus de ea re judicavit. (*c*).

(*c*) De Sainte Beuve 1. 2. cas. 205.

C A S U S VI.

Amadeus, supremus Princeps, Legem in Ditionis suæ bonum publicum sancivit. Num ipse Legi suæ subjicitur?

R e s p o n s.

Ut hæc quæstio decidatur, necessario distinguendum est: Etenim Legi cuidam duobus modis diversis subjici possumus. Primo, in eo quod spectat ad vim adstringendi quam Lex habet, hocque sensu Amedeus, nec ullus alius Princeps illi subjicitur. 1. quia dici nequit, eum seipsum adstringere posse; quod tamen esset, si hoc modo Legi suæ subjiceretur; cum omnis Lex efficaciam suam ex altero principio, nisi ex ipsius Principis, qui eam sancivit, auctoritate, non ducat. 2. quia cum supremus Princeps nullum superiorem habeat, ad Legem observandam cogi nequit. *Princeps dicitur esse solutus a Lege, quantum ad vim coactivam*, ait sanctus Thomas (*d*), *nullus enim proprie cogitur a se ipso: Lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur esse solutus a Lege; quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre si contra Legem agat.* Atque hoc sensu intelligenda est Lex quæ dicit (*e*), *Princeps Legibus solutus est.*

(*d*) S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3.

(*e*) Leg. Princeps. 31. ff. de Legibus Senatusque Consul. tis. l. 1. tit. 3.

Secundus modus quo Legi cuidam subjici possumus, directe Legis objectum respicit; hoc est, bonum quod imperat, vel malum quod vetat: Hocque sensu dicendum est, Amedeum, omnemque alium Principem in foro interiori Legi suæ propria sua voluntate subjici ..... *Sed quantum ad vim directivam Legis*, addit Doctor Angelicus, *Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur, extra, de constitutionibus. Cap. Cum omnes* (*f*) *quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet, & Sapientis* (*g*) *dicit auctoritas*; Patere Legem quam ipse tuleris. *Unde quantum ad Dei judicium Princeps non est solutus a Lege, quantum ad vim directivam ejus; sed debet voluntarius, non coactus Legem implere.* Hoc secundo sensu solummodo intelligendum est quod dicit Innocentius III. in Epistola Decretali, quam sanctus Thomas laudat; atque hæc Canonis verba, (*h*) *Justum est, Principem Legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipsis reverentiam præbet .... Justa est enim vocis eorum* (Principum) *auctoritas, si quod populis probibeat, sibi licere non patiatur.* Denique hoc eodem sensu etiam intelligenda sunt hæc Legis verba (*i*); *Digna vox majestate regnantis est, Legibus alligatum se Principem profiteri.*

(*f*) Innoc. III. in dic. cap. Cum omnes. 6. de constitut.

(*g*) Scilicet Cato in dist. moral. ut notat Contins.

(*h*) Isidor. in can. Justum. 2. dist. 9.

(*i*) Leg. Digna. 4. Cod. de legibus &c.

Quamobrem cum dicitur Principem esse Lege superiorem, hoc intelligendum non est, nisi de potestate quam habet ea solvendi, vel eam immutandi, quando illud ad bonum & commodum publicum conferre judicat. *Est etiam Princeps supra legem*, inquit sanctus Thomas, *in quantum, si expediens fuerit, potest legem mutare & in ea dispensare pro loco & tempore.*

C A S U S VII.

Juvenalis, videns quod Lex æqua, quam ejus Princeps sancivit, & quam, ut observaretur, per totam Ditionem suam promulgandam curavit, a maxima ejus subditorum parte non observatur; contendit per conscientiam se non teneri ad illam obsequendam, eamque absque peccato violare posse. Quæritur an non erret, hancque Legem transgrediendo, peccet?

R e s p o n s.

Ut ad hanc objectionem respondeamus, dicendum est, 1. Legem usu contrario abrogatam, non amplius obligare; *Rectissime etiam illud receptum est*, ait Lex (*K*); *at Leges non solum suffragio Legislatoris; sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogatur.* Multæ aliæ Leges idem dicunt

(*k*) Leg. De quibus. 32. in fin. ff. de legibus, &c.

dicunt (a). 2. Licet ille qui legem sancivit jus habeat obligandi eos qui sibi subjiciuntur ad eam observandam, cum tamen potestate sua non utitur ut ejus observationem curet, & cum maxima ac sanior subditorum suorum pars eam non servat; locum esse suspicandi, hujus Legislatoris, cujus præcipuus scopus esse debet tranquillitas & bonum publicum subditorum suorum, mentem non fuisse, eos ad hanc legem observandam, obligandi. Unde colligimus Juvenalem in sententia sua non errare, eumque posse, quin Deum offendat, Legi, de qua in specie proposita mentio fit, se non subjicere; cum maxima pars eorum, pro quibus lata est, eam non obsequatur; & cum fere omnes in usu antea solito perseverent, nec Legislator ad illum usum impediendum auctoritate sua utatur.

Quæ dicimus confirmari possunt exemplo innumerarum Legum, quas ipsa Ecclesia sæculis præteritis sancivit, & quæ in posterum obligare desierunt, cum usus contrarius vicerit (b).

(a) L. Præter 20. ff. de novi operis nunt. Glosa. in L. 3 de officio Præsidis. & in Leg. 2. C. de aleæ usu &c. l. 1. inst. de jure naturali gentium & civili parag. 2.

(b) Can. Pronuntiandum 3 Can. Rogationes 1 & passim de consecr. d. 3.

CASUS VIII.

Caumundus parricidium occultum commisit. Lex datur in regione quam incolit, quæ fert, eos, qui tale crimen patraverunt, ipso facto omnibus suis bonis in commodum hæredum defuncti orbandos esse. Chaumundus potest-ne illæsa conscientia bona sua servare, iisque sicut antea frui, posthabita Lege quæ contrarium imperat?

RESPONSIO.

Regulariter loquendo, leges pœnales ejusmodi pœnas reis solummodo minitantur; ideoque ad eas subeundas per conscientiam non tenentur, antequam ad eas solvendas ex Judicis sententia damnati fuerint (c). Unde colligendum videtur, in specie de qua agitur, Chaumundum ad legem in seipsum adimplendam non teneri, sibi pœnam latam applicando, antequam Judex ea de re pronuntiaverit, nisi Lex illa verbis disertis ac claris contrarium exprimat. Tunc enim dubium non est, quin ad pœnas luendas teneretur, quemadmodum evinci potest exemplo legis Ecclesiasticæ, de qua alibi verba fecimus, quæ adstringit omnes Beneficiarios, qui Preces divinas non recitant, ad Beneficiorum suorum fructus restituendos, quin opus sit ut ulla sententia feratur, quæ eos ad hanc restitutionem condemnet.

(c) L. 41. ff. de pœnis lib. 48. t. 19.

LIBER AMATORIUS.

Vide Libri Prohibiti.

LIBRI PROHIBITI.

VOX *Liber* ethymologiam suam ducit a voce Latina, quæ significat philyram seu secundam ulmi vel alius arboris pelliculam, quæ antiqui utebantur ad scribendum, antequam charta inventa fuisset *Liber est interior tunica corticis*, ait celebris Auctor; *unde est scriptores a libris arborum Librarios vocaverunt*. Et rursus. *Liber corticis pars interior, dictus a Librato cortice: id est ablato Est autem medium quiddam inter corticem & lignum* (d).

Liber vocatur, volumen compositum e pluribus foliis, variisque partibus, quas ii qui libros compingunt vocant nevos, dorsum, exteriorem suturam, frontem, caudam, foliorum secturam, & tegmen Libri dantur qui vocantur, *in folio*, nempe maximi: alii, qui sensim imminuuntur, vocantur, *in quarto*, *in octavo*, *in duodecimo*, *in decimo sexto*, *in decimo octavo*. *in vigesimo quarto*, *& trigesimo secundo*

Innumeri Libri diversi in mundo reperiuntur; nec mirandum est. Nam semper scripti sunt libri, & semper scribentur, juxta hoc Sapientis dictum (e) *Faciendi plures libros nullus est finis.*

(d) Isid. l. 6. etymol. c. 13. & l. 17. c. 7.

(e) Ecclesiast. 12.

Sat laudari nequeunt Auctores qui bonos Libros conscripserunt: Brevi enim tempore docent ea quæ alioquin non nisi laboriosis studiis, longaque experientia addisci possunt.

Primus, præstantissimus ac sanctissimus omnium librorum, ille est qui vocatur *Biblia*, & qui Sacras Scripturas a Deo inspiratas continet. Imperator Theodosius, & Alphonsus, Arragoniæ Rex, nullum alium librum volebant. Ac revera, hoc in libro sancto reperiuntur historia procreationis Mundi, fons veritatis primigeniæ, sapientia Antiquorum & scientia Prophetarum; & in eo edocemur omnes veritates, quarum cognitio necessaria est ut ad vitam æternam perveniamus.

Innumeri alii libri præstantes dantur, qui complectuntur ea quæ Sancti Patres, aliique Auctores Ecclesiastici de Religione docuerunt, tam quoad fidem, quam quoad mores, & ea quæ Concilia decreverunt congruenter veritatibus fidei, in Verbo Dei scripto, aut in Traditione, quæ est Verbum Dei non scriptum reperiendis. Verum, quemadmodum homo natura semper proclivior est ad malum quam ad bonum, multo plures libri mali, aut inutiles dantur, quam boni.

His de libris malis agitur in hoc Titulo, ubi ostendimus auctoritatibus maxime reverendis, qua cum cura verus Christianus eorum lectionem vitare debeat,

pro-

propter exitiosos effectus quos producunt in animo & corde eorum qui eos legunt, cum voluptate, aut curiositate, aut absque æqua necessitate, quæ nitatur consilio ex iis quæ bona sunt fructum percipiendi, ea vero quæ in illis mala reperiuntur, confutandi, aut rejiciendi.

Hanc æquam necessitatem supponendo, per tria vel quatuor priora Ecclesiæ sæcula nullos Canones reperimus, qui prohibuerint lectionem librorum Ethnicorum ac Hæreticorum, quos legere etiam necesse erat ad perniciosam doctrinam quam continebant destruendam. Plerique etiam Patres ejusmodi libros attente legerant, cum eos alioquin confutare non potuissent.

Prima libros Gentilium legendi prohibitio facta fuit an. 400. in Concilio Carthaginensi. Quod ad libros Hæreticorum attinet, Ecclesia eorum lectionem non prohibuit: verum quisquis eos legere, aut iis abstinere poterat, prout prudentia Christiana ipsi dictabat.

Octavo sæculo Summi Pontifices decreverunt, ut omnes libri hæretici comburerentur. In posterum etiam editus est Catalogus omnium librorum ab Inquisitione Hispaniæ prohibitorum an 1558. Exemplum quod secutus est an. 1559.

Hoc in titulo de tribus librorum prohibitorum generibus solummodo verba facere animus est, nempe 1. de iis qui ad Hæreticos pertinent: 2 de iis qui tractant de arte divinandi, variisque agendi rationibus superstitiosis, quibus harioli utuntur. 3 denique de iis qui ad cor, moresque puros corrumpendos spectant, quales sunt libri fabularum obscœnarum, cantilenarum inhonestarum ac indecorarum; Narrationes fabulosæ & amoris artes, Comœdiæ, aliique ejus naturæ libri, quorum summa illis, qui in iis legendis delectantur, non nisi summopere noxia esse potest; ideoque quorum lectio absolute interdicenda est fidelibus, utpote illecebræ impudicitiæ, quæ ipsis non periculosæ sunt, quam imagines, & picturæ inhonestæ.

CASUS PRIMUS.

THOMAS, eruditus Doctor, & Parochus urbis Alesiæ, ubi sunt adhuc multi Calvinistæ, quibuscum, de iis quæ ad Religionem spectant, sæpe colloqui tenetur, jam a longo tempore legit libros Calvini, multorumque Religionis, quæ se Reformatam dicit, Ministrorum, eo consilio ut de eorum opinione penitus erudiatur, eorumque conversioni consulat. An eos libros legere potest, quin a Summo Pontifice, vel a suo Episcopo licentiam eos legendi obtinuerit?

RESPONS.

Credimus Parochum, qualis est ille de quo in specie proposita mentio fit, qui necessitate cogitur ad probe cognoscendam falsam doctrinam, quæ in hæreticorum libris continetur ut eam melius impugnare possit, absque peccato hujuscemodi libros legere posse, sola auctoritate quam accepit cum creatus fuit Doctor, & sua Pastoris dignitate; cum fieri nequeat ut errores ignoti confutentur: nec ut cognoscantur, quin libri qui eos docent legantur. Hæc est sententia *Alphonsi a Castro*, Religiosi Hispani (a), quam sequitur Auctor Collocutionum Andegavi (b).

(a) Alphonf. a Castro l. 2. de justa hæret. punit. c. 27.
(b) Coll. Andegav. Mensis Maji 1713. p. 328.

CASUS II.

FIRMINUS, simplex Sacerdos quadam in Ecclesia Parochiali sedem habens, consilio controversiam addiscendi, multos libros hæreticos, quos habet, legit, quamvis eos legendi veniam a Summo Pontifice non obtinuerit, solummodo cum Episcopi sui licentia. An hoc respectu tuta est ejus conscientia?

RESPONS.

Galliæ Episcopi permanserunt in possessione in qua semper fuerunt, iis quibus placet concedendi veniam legendorum librorum hæreticorum. Quam ob rem existimamus Firmini conscientiam tutam esse, bono consilio libros hæreticos legendo cum licentia quam ejus Episcopus ei dedit, & neutiquam necesse esse ut Summi Pontificis veniam impetret: Talis est decisio Docti Theologi, olim Sorbonæ Professoris (c), quem Auctor Collocutionum Andegavi laudat & sequitur (d).

(c) De Sainte Beuve To. 3. cas. 95.
(d) Coll. Andegav. Mensis Maji 1713. p. 328.

CASUS III.

CAROLUS quosdam Chiromantiæ & Pyromantiæ libros habet, quos absque ullo iis utendi consilio servat, sed solummodo ex desiderio ea quæ continet cognoscendi, vel ob meram curiositatem, quia ejusmodi Libri rarissimi sunt. Num eos illæsa conscientia servare potest, cum firmum sit ejus propositum iis non abutendi?

RESPONS.

Respondemus, Carolum hujuscemodi Libros ob rationes quas affert, tuta conscientia servare non posse. Curiositas enim ac desiderium ea quæ continent ediscendi, a peccato eximi nequeunt; quamvis ejus animus non sit eos ad ullum malum usum adhibendi, cum ejusmodi lectiones non modo vanæ, verum etiam periculosæ sint præcipue juvenibus actis, qui religione & pietate non abundant.

Scriptura nobis præbet egregium exemplum necessitatis quæ cogit ad tales libros comburendos. Hoc exemplum reperitur in Actis Apostolorum (e) ubi dicitur, quod, postquam Sanctus Paulus concionem habuisset, multaque miracula fecisset in urbe Ephesi, cujus incolæ, testante Sancto Hieronymo (f), magicis artibus, omnigenisque superstitionibus prorsus deditierant, quam plurimi homines Evangelio fidem habuerunt, peccata sua palam confessi sunt, totque malos libros attulerunt ac in ignem aperte projecerunt, ut eorum pretium ad 50000. denarios ascenderet, hoc est, fere ad 20000. libras pecuniæ nostræ. *Multi autem ex his, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus*, ait Auctor sacer, *& computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*. Novi isti fideles ergo non autumarunt, sat esse conscientiam suam in tuto reponendam, iis libris uti nolle, & firmo consilio stare eos non amplius ad ullum malum usum

(e) Act. 19. 19.
(f) S. Hieron. Præf. in Ep. ad Ephesios.

fum adhibendi; fed eos fpectabant tamquam offenfionis lapidem & periculofam occafionem quæ caufsa effe potuiffent cur ad propria fua crimina redirent; hancque ob caufsam abfque ullo refpectu ad vanam curiofitatem qua induci potuiffent ad eos libros fervandos, eos omnes Deo obtulerunt, perfectumque ex iis holocauftum fecerunt.

Ac re vera fic folummodo his perniciofis libris utendum eft, ficut præcipit concilium provinciale Turonibus habitum an. 1583. (a), quod dicit: *Prohibet hæc Synodus ne libri magicæ artis .... incantationes & curiofas artes docentes ...... legantur aut retineantur ...... jubetque ficubi reperti fuerint, comburantur, fub ejufmodi anathematis pœna quam ipfo facto incurrent qui minime paruerint.*

(a) Conc. Turonenf. in fidei profeffionis formula.

Concilium Burdigalenfe, eodem anno habitum (b), idem interdicit, & imperat iis in quorum manus hæc tenebrarum opera venient, ut ea in ignem conjiciant, ad exemplum primorum fidelium Ephefi de quibus S. Lucas loquitur: *eofque* (libros), *ut olim tempore Apoftolorum factum legimus, comburant.*

(b) Conc Burdig. tit. 7. de magicis artibus &c.

Concilium Avenionenfe, anno 1594. habitum, fub Clementis VIII. pontificatu, hanc in rem non minus accuratum ac feverum eft ((c); en ejus decretum: *Libros prætrrea de Aftrologia judiciaria tractantes ... omnino rejici & exftingui mandamus. Libros fimiliter Geomantiæ, Hydromantiæ & fimiles qui divinationes, fortilegia, fuperftitionefque continent, funditus deleri comburique præcipimus, pœnis propofitis, quas jura & Apoftolicæ conftitutiones infligi debere decernunt.*

(c) Conc. Avenian. tit. 7. in fine.

Attameo dici poteft, quod in cafu peculiari de quo in fpecie propofita agitur, fi Carolus ejus effet characteris, ingenii ac profeffionis, ut occafione data induceretur ad ea quæ in illis malis libris continentur, confutanda, concione aut in tribunali Confeffionis, feu alio modo; vel fi defiderium quo ardet ea quæ libri illi complectuntur addifcendi, nullum alium fcopum habeat, quam religionis contemtores & ofores, ac impios falfitatum quæ in iis reperiuntur, convincendi; ipfi licitum foret hoc in cafo eos fervare ac legere folummodo per tempus quod confilio fuo neceffarium effet, nec aliter.

CASUS IV.

Castorius bibliopola a multis annis vendit & legendos præbet populo varios libros quorum fumma confiftit in fabulis, narrationibus fabulofis, & comœdiis, plenis hiftoriis amatoriis, locutionibus æquivocis, & occultis amoris artibus, quæ juvenes, omnefque eos qui mediocri tantum virtute præditi funt, ad impudicitiam impellere poffunt. Vir ille cum rem religioni haboiffet, de ea Confeffori fuo verba fecit, qui ad hos omnes libros comburendos eum adftringere voluit. Sed quemadmodum perfuafum non haber, in hoc commercio exercendo mortale peccatum dari, quærit, num illod commercium perfeqoi non poffit, ob quatuor rationes fequentes.

Primo, quia totam horum librorum editionem, vel eos qui fibi fuperfunt, terere aut comburere non poteft, quin maximam damnum fibi inferat, ratione habita ad exigua bona quæ poffidet, & ad neceffitatem fibi comparandi unde fe ipfum, uxorem, liberos ac domefticos fuftentet, cum ipfi nulla alia via fit, res ad victum neceffarias fuppeditandi.

Secundo, quia præcedentes ejus Confeffores qoi perfpicaciffimi habebantur, nollam ipfi hac de re difficultatem objecerunt, qoamvis optime rem noviffent; eum hujufmodi libros tanrummodo refpexerint, tamquam vanæ ac inanis occupationis argumentum, quod peccato mortali arguendum effe non autumarunt.

Tertio, qoia omnes hi libri a Cenfore regio approbati fuerunt, ac confirmati privilegio Principis qui per totam ditionis fuæ amplitudinem eos libros edendos ac vendendos permittit.

Quarto denique, quia multi alii bibliopolæ idem commercium aperte exercent, nec Magiftratus, aut quivis alius, quidquam in eo reprehendant; & quia fi illud commercium exercere defineret, ejus frequentatores ftatim eum derelinquerent, aliofque adirent ad emeudos etiam omnes alios libros qoi ipfis neceffarii forent; quod eum brevi tempore peffum daret.

En præcipua argumenta quibus Caftorius nititur, ut commerciom fuum a culpa eximat, refpectu librorum de qoibus in fpecie propofita agitur. Num coram Deo legitima funt?

Respons.

Conftat Caftorii libros de quibus agitur in propofita fpecie, nec vendere nec populo legendos præbere poffe, quin in culpa fit omnium peccatorum quæ eorum lectio creat; ideoque teneri ad eos comburendos aut deftruendos, ita ut numquam in cujufquam manus venire poffint. Quod facile probari poteft, ex eo quod Ecclefia femper hofce libros fevere fidelibos interdixerit, ut oftendere animus eft.

Cum fanctum concilium Tridentinum quofdam e Patribus qui illud componebant delegaffet, ut ad examen revocarent ac pronuntiarent quinam erant libri quorum lectio damnanda effet, varias hanc in rem ftatuerunt regulas qoibus attendendum erat, ut recte de re judicaretur. Ecce verba feptimæ regulæ (d): *Libri qui res lafcivas fru obfcœnas ex profeffo tractant, narrant aut docent, cum non folum fidei, fed & morum qui hujufmodi librorum lectione corrumpi folent, ratio habenda fit; omnino prohibentur: & qui eos habuerint, fevere ab Epifcopis puniantur.* Quæ regula, cum reliquis novem quæ eam præcedunt, aut fequuntur; approbata & confirmata fuit per Bullam expreffam Pii IV. diei 24. Martii 1564. (e), qui declarat eos qui ftatuto adeo fancto non obtemperant, peccatom mortale committere.

(d) Ad calcem Concilii Trid. de Libris prohibitis. reg. 7.

(e) Pius IV. in Bulla *Dominici.* apud Philipp. Labbeum, 14. Concil. Gen. col. 952.

Innumera alia Concilia quæ Concilium Tridentinum fequuta funt, eamdem interdictionem iterarunt. S. Carolus Borromæus qui unus e primis ac ferviffimis Prælatis in hujus fancti Concilii Decretis ad praxim revocandis fuit; in Concilio qood anno 1576. (f) Mediolanum convocavit, præcipit, ut Parochi accuratiffime inquirant de iis qui hujufmodi libros habent & legunt: *Indicem manu fua confectum det ..., libros de rebus obfcenis, parumque honeftis confcriptos ... habentium*, eofque ad diœcefis Epifcopum deferant; ut huic diffolutæ morum licentiæ remedium afferat, & eofque qoi in culpa erunt, puniat.

(f) Conc. Mediol. 4. Conftit. part. 3. tit. de vifitatione.

Concilium provinciale Burdigalenfe anno 1583. a Gregorio XIII. approbatum, vult etiam ut Parochi & Confeffores horum periculoforum librorum lectionem, tamqoam letale venenum, omnigenis perfonis indifcriminatim interdicant: *Moneantur etiam fæpiffime fideles Chriftiani a fuis Parochis & Confeffariis*, inquir concilium (g), *ut fugiant tamquam virus mortiferum lectionem librorum quorumcumque qui vel ad artes magicas pertinent, vel obfcenas & impias narrationes continent; eofque, ut olim tempore Apoftolorum factum legimus, comburant.*

(g) Concil. Burdigal. an. 1583. cap. 7. de magicis artibus & aliis Relig. Chriftianæ contrarius.

Concilium Turonenfe eodem anno habitum (h), dicit etiam: *Prohibet hæc fancta Synodus, ne libri magicæ artis, hæreticorum, fchifmaticorum, aut fortilegia, incantationes & curiofas artes docentes, vel ad lafciviam & luxum provocantes, imprimantur, vendantur, legantur aut retineantur omnino .... Jubetque ficubi reperti fuerint, comburantur fub ejufdem anathematis pœna quam ipfo facto incurrent qui minime paruerint.*

(h) Conc. Turon. in fidei profeffionis formula.

Concilium provinciæ Mexicanæ in America, (i) congregatum anno 1585. fub pontificatu Sixti Quioti, a fancta Sede 21. Octobris 1589. approbatum, pariter prohibet ne hi mali libri retineantur, nec eorum lectio permittatur iis in quos quædam auctoritas habetur. En ejus verba: *Hæc fancta Synodus exhortatur, ne quifquam libros fimi-*

(i) Conc. Mexican. Lib. 1. tit. 1. §. 3.

les apud se retineat, aut ab his legi permittat, qui suæ curæ subsunt. Ejus quam reddit ratio est, quod talis lectio origo sit morum corruptionis: *Experientia compertum est, ex hac lectione librorum quibus turpia & obscena continentur, morum corruptelam oriri*.

(a) Conc. Narbon. cap. 3. de Libris vetitis

Narbonense Concilium anno 1609. habitum (a), sicut Concilium Turonense, decernit excommunicationem *ipso facto* adversus eos qui tales libros retinent aut legunt: *Libros ..... ex professo de hæresi & rebus obscenis tractantes, aut legi, aut domi retineri probibemus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ & aliis pœnis a Summis Pontificibus & œcumenicis Conciliis ordinatis*.

(b) Nicol. I. Respons. ad Consulta Bulgaror. Respons. 3. apud Lab. tom. 8. Conc. General. col. 557.

(c) 1. Cor. 15. 33.

Omnia hæc sapientia Decreta perfecte congruunt responso quod Nicolaus I. fecit ad questiones quas Bulgari ipsi proposuerant (b), quibus declarat, malos eorum libros esse comburendos: *Utpote noxii & blasphemi, igni tradendi*: quia nunnisi bonis moribus corrumpendis idonei sunt. *Corrumpunt enim, sicut scriptum est (c), mores bonos colloquia mala*.

(d) Conc. Nicæn. 2 Act. 6. apud Labb. to. 7. Conc. General. col. 827.

Ac re vera, horum librorum lectio fere semper est castitatis funestus scopulus, præsertim juvenibus, quorum affectus excitat ac inflammat, eosque semper ad malum solicitat, quibus solicitationibus facile succumbunt, propter lene venenum quod eorum cordibus instillat. Ita ut, post Patres congregatos in secundo Concilio Nicæno, sub Adriano I. anno 787. habito (d), dici possit, idem judicium de libris obscenis, ac de picturis inhonestis, ferendum esse: & quemadmodum picturæ quarum repræsentationes pudori adversantur, facillime producunt ideas quæ statim imaginationem polluunt, & cor eorum qui iis considerandis incumbunt, corrumpunt; pariter libros perniciosos qui vulgo narrationes æque ingeniosas, ac puritati contrarias continent, eosdem effectus fere certissime producere. *Picturæ autem ars*, dicunt hujus Concilii Patres, *si in aspectum turpitudinis quispiam usus fuerit, exsecrabilis est & damnosa, veluti si effigies meretricias & spectacula; item molles saltantis flexus .... aut si quid his simile fuerit, pingat: sane opus illud turpe & noxium censebitur ...... De libris similiter judicandum est. Nam si quispiam turpes historias, aut gesta referat; turpis quoque & abjiciendus, & christianis auribus indignus censebitur .... Intentio enim est modus, quorsum scilicet artis opus tendat, inspiciendus: & si quidem ad pietatem vergat, admittendum erit: si vero ad turpitudinem aliquam, exsecrandum & rejiciendum*.

Finis dicendi non esset, si omnia alia argumenta colligere vellemus, quæ referri possent, ad eos qui sat religionis ac pietatis non habent, ut ab his libris peste infectis vendendis aut legendis abstineant, de peccati quod patrant atrocitate convincendos. Hoc est solum discrimen quod inter utrosque reponi potest, nempe eos qui hos libros legunt, propriorum suorum peccatorum tantummodo reos esse; cum ii qui illos vendunt, coram tribunali Justitiæ divinæ omnium peccatorum ab aliis horum librorum lectione patratorum, rationem reddere debeant: cum constet, eos illorum peccatorum caussam sufficientem esse.

Igitur nobis tantummodo superest, ut ad examen revocemus rationes quas bibliopola prætexit, de quibus in specie proposita mentio fit, & quibus, hoc malorum librorum de quibus agitur commercium exercendo, a culpa se eximere contendit.

Prima est, quod cum exigua bona habeat, & ad victum necessaria familiæ suæ suppeditare debeat, editionem integram horum librorum, aut partem quæ ipsi superest, comburere aut aliter destruere non possit, quin sibi inferat maximum damnum quod eum ad inopiam adigere posset: cum ipsi nulla alia via sit qua se sustentare, ac ad victum necessaria uxori liberisque suppeditare possit. Quibus reponimus, quod si hæc ratio valeret, utilitas temporaria semper plus valeret quam commodum conscientiæ & salutis, culpamque ab innumeris aliis commerciis adhuc magis damnandis & majoris scandali quam commercium Castorii, prorsus amoveret. Primo enim homo habens domum male adaptatam, & sitam in urbis regione injucunda vel incommoda, cum eam personis honestis locare non possit, pretio quod ex ea percipere deberet, ut sibi familiæque ad victum necessaria comparet, sub hoc specioso prætextu eam mulieribus impudicis locare poterit, ut in ea infame suum commercium exerceant; vel iis qui in ea ludos aleatorios & sorum ludorum a legibus prohibitorum publice habere volent. Secundo vir fenori deditus, cujus omnes opes in contractibus, obligationibus, chirographis, & in pecunia mutua cum fenore; eadem ratione se se excusabit ab his nominibus vitiosis emendandis, a lucris feneratoriis (restituendis) quæ percepit, & a nuntio commercio suo quantumvis injusto, mittendo. Tertio vir qui vulgo falso pondere aut falso modulo vendit, se a peccato eximere autumabit, etiamsi commercio suo fraudulento, & populum impune decipiendo, justitiæ vim inferre non desinat. Quarto qui vendunt libros de magicis artibus tractantes, dicent solummodo, se ad eos comburendos non teneri; quia eos comburere non possunt, quin exinde iis maximum afferatur damnum, quod impediet quominus ad vitam necessaria sibi comparare possint. Quinto pictor cujus præcipuæ opes in picturis maxime lascivis consistunt, similem excusationem poterit afferre, ac dicere, quod cum has infames picturas comburere aut discindere non possit, quin ad inopiam adigatur, ad id non teneatur. Uno verbo, ad Religionis & salutis commodum non amplius attendetur, solaque utilia temporaria ubique vincent, si prima hæc quam Castorius affert, ratio valeat.

Secunda ratio minus adhuc digna est cui respondeatur. Nam primo, si tot pravi morales Theologi adeo aperte simoniæ, fenori, vindictæ, plurimisque aliis flagitiis faverunt; an quadam cum specie veritatis affirmari potest, omnia hæc crimina toleranda esse? Nimio plus notum est quot dentur ignari qui animabus dirigendis se se immiscent: verum nullum dubium est, quin totidem sint cæci qui alios cæcos in barathri puteum secum præcipites agunt. *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*; sicut Dominus noster loquitur (e): ipsimet, juxta Prophetæ locutionem, (f) damno suo, molliculos pulvinos supponunt cubito & capiti fidelium quos malitia aut ignorantia sua decipiunt. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Secundo si isti rectores parum perspicaces sæpe absolvant eos qui etiamnum in proxima peccati occasione reperiuntur, aut jam a longo tempore in criminibus consuetis perseverant; num propterea dicetur, alios rectores eorum agendi rationem imitari, perniciosumque eorum exemplum sequi posse? Num hi peccatores vana salutis spe indormiendi erunt, dum satis habebunt facere vaga & generalia promissa pœnitentiam agendi, nec volent vitare occasiones quæ per se ipsas eos ad mortaliter peccandum inducere possunt; nec etiam ullo modo enitentur ad vincendas solicitationes ad malum quibus exponuntur, aut ad solvenda vincula criminosarum suarum consuetudinum? Et nonne Theologiæ moralis evidentissima dogmata delerentur, solidissimaque fundamenta everterentur?

(e) Matth. 15. 14.

(f) Ezech. 13. 18.

Tertia ratio quam iste bibliopola affert, nullius est momenti. Privilegium enim quod Principes auctori cuidam vel bibliopolæ concedit, unice tantum forum exterius respicit, nullumque alium in alterutrius gratiam effectum producit, nisi impediendi ne aliæ personæ idem opus imprimant, damno ejus cui concessum est. Censor cujus testimonio scripto privilegium obtinetur, in judicio quod fert, errare potest; cum Ecclesia hisce de rebus infallibiliter judicandi potestatem habeat. Videmus etiam multos libros variis in regionibus typis impressos cum privilegio Principis, qui multa bonis moribus contraria complectuntur. Episcoporum est hisce operibus invigilare, eorumque lectionem impedire auctoritate sua; de qua potestas

testas temporaria agnoscit sibi non licere de iis quæ ad fidem moresque spectant, judicara.

Hanc ob rationem, quamvis Comœdi privilegium Regium prætexant; Ecclesia tamen, in magno Conciliorum numero, eos infames ac excommunicatos declarat. Ex privilegio igitur de Libri cujusdem bonitate judicandum non est; sed ex ejus congruentia cum sententiis Evangelii, Conciliorum Decretis, traditione & Sanctorum Patrum doctrina.

Quarta ratio tandem, qua Castorius a culpa se eximere conatur, redit ad primam, cui ample respondimus. Solummodo addimus, inutile esse huic Bibliopolæ suorum sodalium exemplum afferre, cum exemplum, quando damnandum est, nulla auctoritate polleat; & istud certissime damnandum sit, quemadmodum ex iis omnibus, quæ hucusque diximus, evidenter patet.

Concludimus ergo, Castorium, qui Libros, de quibus in specie proposita mentio fit, vendit, aut legendos præbet, de salute sua certum esse non posse, nisi eos comburat aut alio modo destruat; ejusque Confessorem ipsum absolvere, nec ipsi alia sacramenta administrare posse, si eos comburere vel destruere recuset, nisi ejus inobedientia arcana esset, eoque publice rogaret; quo casu semper coram Deo culpandus est, & alia sacramenta quæ recipit profanat. Sed difficile est creditu, peccatum talis hominis arcanum unquam existimari posse; cum ejus commercium iniquum publice fiat, nec ignorari possit ab ullo eorum qui quamdam cum eo consuetudinem jungunt; aut qui ejus nomen initio malorum librorum quos vendit, inscriptum vident, aut etiam libellis quos publice affigit, ut Libri illi omnibus innotescant. Quam ob rem, credimus, quod, ut de sinceritatu pœnitentia ac promissorum Castorii certiores fierent, ejus Parochus, aut Confessor, optime agereat, si ab eo exigerent, ut commercio adeo damnando palam nuntium mitteret; hoc est, ut coram multis personis fide dignis, se illud facturum declararet: quemadmodum notum est id ad praxim revocatum fuisse ab uno a præcipuis Parisiorum Parochis, respectu quorumdam Comœdorum Parœciæ suæ, qui cum in lecto lethaliter jacerent, rogabant ut ad Sacramentorum participationem admitterentur.

CASUS V.

IPHIGENIA sæpe delectatur in legendis fabulosis Narrationibus, in quibus amoris artes admodum ingeniosæ ac jucundæ describuntur; sed in quibus etiam dantur locutiones quæ modestiam offendunt ac pudorem lædunt. Attamen quemadmodum casta est, hæ lectioaes ejus cor non afficiant, sed solammodo ejus animo placent. Ejus Confessor qui ipsi severior videtur, vult ut his lectionibus abstineat, etiamque hos Libros comburat, quamvis fere ad viginti nummorum pretium assurgant. Rem a se removet, ex eo quod istæ lectiones eam ad nullam contra castimoniam effrenationem hucusque induxerint. Num tamen sub pœna peccati ad Confessori suo hac in re obediendum absolute tenetur?

RESPONSIO.

Cum omnes Libri profani, qui ejusmodi artes continent ac docent, virtuti continentiæ Christianæ prorsus adversentur, Iphigenia ad eos libros, de quibus in specie proposita agitur, dilaceraudos vel comburendos tenetur. Ratio quam affert, dicendo ejusmodi lectiones cor suum nullo modo afficere, merus est error, quo sane cupiditati suæ servire vult. Nam statim atque iis lectionibus delectatur, argumentum est certum, ejus cor voluptatem, quam in iis reperit, degustare, & licet ejus consilium non sit, ea committendi quæ hi perniciosi Libri eos legentes docent, semper vare dici potest, ejus cor purum esse non posse, cum delectatur in colloquendo de rebus pudori adversantibus. Præterea num spondere potest, se semper recessuram ab actionibus quæ castimoniam lædunt, posito quod casta sit, dum ad animum iis replendum lubenter se se exponit?

Hujusmodi lectiones longe perniciosiores sunt, quam lectiones fabularum a Poetis excogitatarum, quæ tamen Christiano prohibentur, quia voluptas quæ in iis legendis percipitur, vehamenter cupiditatem excitat. *Ideo prohibetur Christianus figmenta legere Poetarum...quia per oblectamentum inanium fabularum mentem excitant ad incentiva libidinum* (a). Hæc sunt antiqui Canonis verba. Iphigenia igitur timere debet, ne gratia, quæ in puris animabus solummodo habitat, prorsus ab ea recedat; & ne, propriæ suæ fragilitati derelicta, tandem peccato succumbat.

(a) Can. ideo 16. dist. 37.

Quibus addimus, eam sibi nimium fidere, quæ autumat cor castum habere, dum animus castus non est; cum constet, nos non minus ad animi quam cordis castimoniam teneri.

Sed Iphigenia nullone loco habet tempus quod his pravis lectionibus terit? Num precibus aliisque piis exercitationibus incumbere potest, dum ejus imaginatio ideis inhonestis repleta est? Hanc ob causam S. Carolus (b) in primo suo Concilio Provinciali, anno 1565. habito, ejusmodi lectiones, tanquam bonis moribus contrarias, damnavit: *Qui vero litteras docebunt*, inquit Sanctus ille Cardinalis, *non solum libros, indice Sanctissimi Domini nostri Pii IV. auctoritate edito, nominatim vetitos, pueris non interpretentur, aut ab illis legi patiantur: sed neque etiam alios, quibus obscœna, vel turpia contineantur*. Eas lectiones etiam adeo perniciosas existimavit celebris Gerso (c), ut non autumet personas iis deditas a peccato mortali facile eximi posse. Unde colligit, Confessorem eos, qui tales Libros habent, ad illos comburendos, aut lacerandos, adstringere debere. En ejus verba. *Difficile est legere libros, moventes ad luxuriam, quin sit peccatum mortale; & hi, qui eos retinent, deberent compelli per eorum Confessores ad comburendos eos, aut lacerandos; ne ipsi, vel alii amplius peccarent*. Magni hujus Doctoris sententia confirmatur exemplo quod nobis præbet Scriptura, ubi dicitur, Apostolos, eos, qui malos Libros habebant, ad illos comburendos adegisse, licet eorum pretium ad magnam pecuniæ summam assurgeret (d). *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus: & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* (e).

(b) Constitut. Eccles. Mediol. par. 2. tit. de Ludimagistr.

(c) Joan. Gerson serm. 5. de Adventu.

(d) Act. 19.

(e) Colloc. Petrocor. tom. 5 colloc. 5. q. 1. Colloc. Senon. colloc. 2. q. 2.

L I S.

LIS est dissidium duorum vel trium quod judiciorum formulis dirimitur. Lites quædam in Auditorio judicantur; aliæ dicuntur lites de scripto; hoc est, lis pronuntiata & tradita Consiliario, qui instruit in provocationem de sententia.

Lites nonnullæ dicuntur ordinariæ & civiles; & aliæ dicuntur extraordinariæ & capitis, quæ instruuntur in reum criminis de querela.

Lis verbalis est vox usus forensis: estque instrumentum habens narrationem rei gestæ in quodam negotio, quæ consignatur ab Actore in Jure, ac alio qui juravit coram Judice. Verbalis nomen servavit, quia olim viva voce fiebat.

Veris Christianis lis quævis est summo vitanda studio. Cicero (a), ut vir Ethnicum, hanc firmat veritatem, dicens: *Nibil bono viro ac quieto magis convenit, quam abesse a civilibus controversiis.* Et quidem aviditatem facultatis alienæ, quæ cavillationi præire solet, ac quæ sæpissime comitem habet litem, odium, simultatem, vindictam, falsum, fraudem, injustitiam, & mendacium, sequitur pœnitentia, paupertas, pudor aut infamia; Summo igitur jure a Deo expetit Ecclesia, in precibus suis, concordiam & litium extinctionem: *Extingue flammas litium* (b), & Apostolus primis dicebat Christianis, ferendam ipsi patienter injustitiam, quam litem inferendam in proximum (c): *Quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini?* Vetus Ecclesia eam ita probavit doctrinam Apostolicam & cælestem; ut litigantibus sacram negaret Eucharistiam, quæ in se habet pacis Auctorem; neque ad ipsas admitteret preces communes, ut his patet antiqui Concilii verbis (d): *Ut oblationes dissidentium fratrum neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur.*

(a) Cicero ad Atticum.
(b) Hymn. ad Sextum.
(c) 1. Cor IV. 7.
(d) Conc. Carth. IV. can. 93. in can. oblationes a. dist. 90.

Et quidem quandoque litem gerere pernecesse est, ut facultas aut fama defendatur; sed in eam est eundum legitima & urgenti necessitate premente, & servandis cum parte adversa omnibus charitatis Christianæ regulis.

De judiciorum formulis & ratione inquirendi hic differendi non est animus; Cognitorum est scientia. At certissime sunt tot adeoque ab invicem; ut vix eas calleat Cognitor peritus decennio exercitii expleto; præterea nova instituta, a Principe & Parlamentis identidem lata, quibus malitiam Pragmaticorum improborum & litigiosorum ardorem comprimerent, imponunt necessitatem novæ incumbendi Jurisprudentiæ & formulas, quas inducit, sequendi. Hanc in rem videre est Edicta 1667. (d) & 1669. 1670 & 1673 & usus forenses civiles & capitis.

(e) Tit. 3. & 31.

CASUS PRIMUS.

Toxotius, cum Bertino Parocho confabulaos, non ita pridem defendebat a litem habente facile abesse peccatum, Bertinua dicebat contra nunquam ex more abesse a litigante detrimentum charitatis aut saltem magnam depravationem. Utri jus?

Respons.

Merito asserere licet lites universim esse mala, a fonte corrupto & venenato ortum ducentia, id est, a cupiditate. *Unde bella & lites in vobis*, ait Apostolus Jacobus (f)? *Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Sanctus quoque Paulus (g) dicit vero Christiano omnes contentiones esse fugiendas, quia sunt omnium origo litium. Et quidem redundant omnia Tribunalia permultis litibos, quarum causa est sæpe verbum contumeliosum, honoris error, aut modicum commodum, quod remittere non est animus, & qnod gerere summo est exitio.

(f) Jacob. IV. 1.
(g) 2. Tim. II. 23. & 24.

Reipsa lites æquo & bono nituntur: sed ubinam geruntur absque detrimento aut depravatione charitatis, & sine vocibus calumniosis & injuriosis in eos quicum lia est? Quot viis iniquis vincitur causa? Quot artes, doli & cavillationes adhibentur? Nonnulli Jndicis fidem attentant sollicitationibus potentibus, largitionibua quibus afficiunt ejus consuetudine familiariter otentes, aut ipsos Judices? Sed qua falsa insita jam ante menti opinione tractantur pessimæ lites? Litigiosi est in litem ivisse quamcumque, a qua desistere non est animus; & victus tandem Cognitorem infidelitatis, & Judicem integerrimum injustitiæ poscit. Hioc Auctor Glossæ, de litigiosis tractans, mire eos pingit sic: *Consueverant tales distemperati esse in moribus; solent enim esse adulatores, proditores & detractores, maledici, invidi, scurriles, ad ulciscendum injurias suas prompti* (h). Nam extra ordinem & perraro fatentur litigator sibi jus fuisse dictum: neminem unquam fuisse confessum audivimus. Eam igitur manifestissime comprobant Parochi, cujus meminit quæsitum, sententiam, & quam falsa sit Toxotii propositio ostendit. Verum est, nec negamos Christianos veros, in actiooe litium, summo studio, nihil dicere, nihil facere ant scribere quod charitatem lædat: sed heu, quam rari hujusmodi litigatores! quum unus sic litigans præponderetur mille & mille aliia, qui jam depictos referunt.

(h) Gloss. in §. sequitur 2. cod. dist. 46.

Ut quantum sit exitium litem habere, dictis apponere non est necesse labores; quibus corpus & mens exeduntur; jacturam pacis interioris, quæ dicitur Paradisus animæ hia in terris; jacturam temporis pretiosi, cujua usus foret utilissimus; dilapidationem pecuniæ ad explendum affectum effusæ, & non amantibus traditæ, dum tantam paoperibus erogasse ægre foret. Tandem vitium frequentissimum, cujus ne cogitatio quidem insurgit est hoc, Litigatores, qui, renitentes conscientiæ lumini, lites susceperunt iniquas; ne cogitant quidem de resarciendo damno, in proximum cavillationibus suis illato, & graviter læsos se habent quum eos summæ cuidam addixit Judex ob impendia, quamvis omoibus Partis adversæ sumptibus non æquivaleant.

CASUS II.

Cæsarius, vir genere clarus, & amicis præpotens, sæpe Jndices sollicitat in eorum gratiam, quorum commendatio ipsi fuit concredita, tum in rebus capitia, cnm in negotiis forensibus. Peccat ne?

Respons.

Licet quandoque Jndices sollicitare in gratiam reorum, modo sollicitationes menti Legis nnn repugnent, nec parti noceant quæ reum urget ad impendia & accessiones (i); At non perinde est de litibns civilibus: Nam nisi certius sit jos ejua in cujus gratiam sollicitatur, lubens adit periculum injuria afficiendi partem adversam; quum Judex id huic addicat quod illi aufert. Atqui a peccato liber non est qui proximo injustitiam infert. Cæsarins igitur peccat quoties se dicit sollicitationibus protectorem partis, cujus jus non est pernotum: quod tamen non accommodamns sollicitationibus verbis generalibus conceptis, & quibus Judex compellatur ut diligenter perpendat causam, de qua agitur, & jus dicat ad quem pertinere arbitrabitur. Nam æquum est Judici commendare ut jua dicere operam det, quum munus imponat. Sed hodie perraro hisce sollicitatiooibus figitur finis: plerique, qui Judices sollicitant, nihil non faciunt ut iis persuadeant jus stare ab iis quos protegont, quamvis de eo nullo convincantur modo.

(i) Alphonsus de Castro.

LO-

LOCATIO.

DEFINITUR Locatio, *Contractus, quo res, vel persona ad usum vel fructum, pretio conceditur* (a); hoc est, Pactum, quo, ad certum quodam tempus cujusdam rei fructus, aut usus, alicui conceditur, pro quadam pecuniæ summa, vel pro quodam alio commodo, quod exinde percipitur.

1. Dicimus: *ad certum quoddam tempus*; quia hoc Pactum perenne esse non debet; alioquin a venditionis Pacto non differret.

2. Addamus: *aut usus*, ad notandum etiam, differre a venditione, qua dominium cum usu conceditur, quemadmodum fit *in mutuo*.

3. Subjungimus adhuc: *aut alicujus alius rei*, nam præter bona, tam moventia quam non moventia, quæ conduci possunt, possumus etiam conducere equum, boves, & quidem personam, ut ab iis operam necessariam percipiamus, numerata quadam pecuniæ summa, de qua cum conductore convenimus.

4. Denique dicimus: *aut pro quodam alio commodo*; quo designatur discrimen, quod inter venditionem & locationem datur: cum venditio pecunia solummodo fiat; & locatio, non modo pecunia, verum etiam pretio omnis alius rei æquipollentis, quemadmodum observatur a Legibus, quas in margine indicamus (b).

Hoc Pactum, ad instar venditionis pacti, solo consensu adimpletur; *Locatio & conductio .... consensu contrahitur, sicut emptio & venditio* (c).

Id solummodo potest conduci, quod Conductor locatori reddere potest. Sic conduci nequit, quod usu absumitur. *Non potest commodari id quod usu consumitur* (d).

Licet locare quicquid licitum est vendere, exceptis iis quæ Leges Canonicæ aut Civiles locare vetant. Verbi gratia, non licet domum suam elocare fœneratori publico, nec iis, quorum vitæ genus est puellarum pudicitiam prostituendi (e): nec servitutem cuidam agro impositam, quale est jus per fundum vicini sui transeundi, ut ad proprium fundum eatur.

Conditiones quinque necessariæ sunt, ut locatio, a parte locatoris, legitima, & æqua reddatur.

Prima: ut locator periculum rei, quam locat, ut ejus dominus, in se trahat: *periculum rei locatæ remanet apud locantem*, ait Priscus Doctor (f) si casum excipias, quo res conductoris culpa periret, aut quando locator cum conductore convenisset rei periculum suscipere (g).

Secunda: ut locator ad rem locatam resarciendam, sartam, tectamque curandam, teneatur; nisi conductor convenerit cum locatore, quod iste ab ea cura eximatur (h).

Tertia: ut locator moneat conductorem de vitiis noxiis quæ in re locata reperiri possunt; quale est vitium equi suspiciosi vel claudi (i), alias tenetur ad resarciendum damnum hoc vitio conductori illatum, sive illud vitium noverit; sive illud cognoscere neglexerit; quemadmodum enim dicit S. Antoninus (K): *In hoc etiam contractu venit culpa levis, cum gratia utriusque celebretur*. Et dantur etiam quidam casus, ubi hic contractus causam levissimam admittit (l).

Quarta: ut locator curet, ut conductor re locata per omne tempus de quo convenerunt, fruatur (m).

Hæc ultima regula, tamen quatuor casum exceptionem admittit (n).

Primus: quando conductor pretium, quo se adstrinxit, pro usu rei, quam conduxit, (o) locatori non solvit: qua in re attamen Consuetudo locorum observanda est.

Secundus: quando res locata necessaria sit locatori (p), cujus, verbi gratia, domus corruit, & cui opus est domo quam elocavit, ut in ea habitet; quo in casu, ut in sequenti, ad conductoris damnum tenetur, nisi contrarium expressim in quadam locationis clausula scriptum sit.

Tertius: quando res locata, exempli gratia, domus, quæ ab eo tempore quo conducta fuit, ruinam minatur, urgensque opus habet quæ reædificetur aut resarcietur.

(a) Polm. p. 2. a. n. dar.

(b) L. Si olei 2. & L. Si quis 15. par. 6. C. de locato l. 4. tit. 65.

(c) L. Locatio 1. ff locati conducti l. 19. tit. 2.

(d) Leg. Sed mihi Si par. fin. ff. commodati l. 13. tit. 6.

(e) Auth. De Lenonib. c. parag. Præconi favoris.

(f) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 8.

(g) L. Si quis 9. ff. locati.

(h) Leg. Ex conducto 15. parag. 1 & 8. & 12. Si merces 25. parag. 2. ff. locati.

(i) Leg. Tres fratres 35. ff. de pactis l. 7. t. t. 14. L. Habeo 21. & l. Cum in Lege 31. ff. de contrah. empt. l. 18. tit. 5. Anton. p. 2. tit. 1. c. 15. parag. 6.

(k) S. Anton. loco cit.

(l) Cit. l. Si merces 25. ff. locati parag. 7.

(m) S. Anton. loco cit. leg. Ex conducto. 15. parag. 1. ff. locati & l. Si merces 25. parag. 2. ff. cod. t. t.

(n) l. Æde 3. C. de locato & conducto.

(o) l. Æde cit. & l. Colonus 61. ff. locati

(p) l. Æde c. C. de locato. l. Æde cit. l. Habitatores 17. l. Si fundus 33. & f. Et hæc 35. ff. locati conducti.

Quartus: quando conductor re, quam conduxit, male utitur, quemadmodum si ea utatur, ut meretrices in ea hospitio exciperet, vel propter alias causas a Legibus reprobatas (a).

Quinta denique conditio, a parte locatoris requisita, ut locationis Contractus æquus reddatur, est, ut totum pretium, vel partem pretii locationis suæ, certis in casibus, de quibus deinceps mentio fiet, conductori concedat: Quibus addi potest, quod si domus elocata modo notatu digno incommoda fieret; verbi gratia, quia vicinus quidam ejus prospectum obscuravit, aut ejus luminibus obstruxit per muri cujusdam in altitudinem exstructionem; locator ad conductoris damna & detrimenta resarcienda tenetur (b).

Conductor etiam ad varia erga locatorem tenetur.

Primo, ipsi non licet uti re, quam conduxit, nisi ad usum, de quo cum locatore convenit. Ratio est, quod rei quam conduxit dominus non sit, & quod injustum sit, eam ad usum voluntati ejus ad quem pertinet contrarium adhibere. Aliter agendo, furtum quodammodo committitur; ut loquitur Imperator Justinianus, *furtum committit* (c): & conductor ad omne damnum, quod inde exurgere posset, resarciendum tenetur.

Secundo, ut rem conductitiam, domum verbi gratia; elapso tempore præscripto solummodo dimittat, nisi causa quadam justa & urgenti ad eam dimittendam adigatur; quo casu etiam locatorem, si possit, monere debet.

Tertio, ut tanquam bonus Paterfamilias re utatur; hoc est, ut eam conservet & resarciat modo per locationem vel Consuetudinem præscripto (d); & ut eam integram, nec e jus culpa corruptam aut vitiatam, locatori reddat (e).

Quarto denique, ut pretium locationis, accurate & tempore prædicto, locatori solvat (f). Hæc omnia cum doctrina S. Antonini, quem jam sæpius laudavimus, congruunt.

Conductor non modo de propriis factis, verum etiam de factis personarum, quas præstare debet, tenetur: quales sunt ejus ablocatores & ejus famuli: Hæc est sententia docti Juriconsulti (g); qui eam probat quatuor Legibus quas hic citamus, & quæ verbis disertis idem ferunt (h).

Quando res quædam separatim ac duobus diversis temporibus duabus personis locata fuit; persona quæ prior in rei possessionem missa fuerit, anteponenda est alteri, quæ solummodo ad locatorem recurret, ut sibi damna & detrimenta præstet.

Rem locare possumus, quamvis ejus domini non simus, quemadmodum ex his verbis Legis patet (i): *Nemo prohibetur, rem, quam conduxit, alii locare*. Ratio est, quod conductor jus non acquirat in rem ipsam, sed solummodo in rei usum, cujus auctorem habet locatorem, in quem actionem habere potest; sicut etiam in ipsum pretio non soluto vel ob alias rationes locator actionem habere potest. Quapropter domum, mihi locatam tertiæ personæ elocare possum; modo ejus locatio non fiat ad longius tempus, eo quod mea locatione præstituitur. Atque hoc casu primus conductor erga locatorem, rei dominum, semper obligatur: Pariter fundum locare possum, licet eum solummodo *ususfructus* nomine possideam (k).

Qui conducitur ad quoddam opus, aut ad aliquod inceptum, illud præstare debet, usquedum obligationi suæ satisfecerit, si excipias casus mere fortuitos, qualis foret terræ motus, ignis cœlestis, & similia accidentia.

Cum conductor locationem suam perfecit, & re fruitur tacita reconductione, consuetudo Castelleti Parisiensis est, ut locator & conductor se invicem dimittere non possint, quin dimissionem sibi in formulis significaverint, aut quia de ea aliquando prius inter se convenerint; hoc est, sex hebdomadis, si agatur de ædium parte infra pretium 200 librarum Parisiis, & tribus mensibus domo integra; ac denique intra annum pro villa: Conceduntur etiam octo dies insuper conductori, ut tempus habeat res suas moventes extrahendi, quando conductio ad 200. libras non assurgit; & quindecim dies, si ad 200. libras, aut amplius assurgat.

Locatio stat post locatoris, ut & conductoris obitum, eorumque hæredes ad locationem solvendam tenentur (l).

Quamvis plurimæ e regulis, de quibus jam verba fecimus, ad fundorum locationes aut agrorum conductiones applicari possint; operæ pretium est paulo fusius de iis differere.

(a) Cit. leg. Aede.

(b) T., cit. Si merces 25, parag. 2. ff. locati.

(c) 6. Furtum & seq. instit. ac oblig.

(d) l. Si in lege 24. par. 3. ff. loc. ti.

(e) l. In judicio 28. C. de locato & l. Si quis 9. ff. eod. tit. & l. Si ut certo 5. parag. 2. ff. commodati.

(f) l. Præses 7. C. de locato.

(g) Domat. leges Civiles &c. l. 1. t. 4. de locatione sect. 2 n. 5.

(h) L. Videamus 2. ff. locati. l. Si domi-nus 27. parag. 9. ad legem. Aquiliam l. 6. §. 2. Cit. l. Si merces 27. §. 7. & l. Cum in plures 6. par. 7. ff. locati.

(i) l. Nemo 6. C. de locato. Cit. leg. cum in plures 30. ff. locati.

(k) l. Si quis 9. parag. 1. ff. locati.

Proprie loquendo quod gallice vocatur, *Bail a ferme*, est locatio fundi, qui natura sua; eum colendo, fructus producit; ut terra arabilis, aut vinetum: vel cum non colendo, ut sylva cœdua, pratum, pascuum, stagnum, & lapicidina: qua in re ejusmodi fundi differunt a domibus, aliisque rebus, quæ elocantur, & quæ nullos similes fructus producunt (*a*).

Fundi locatio & domus locatio ab invicem differunt, in eo quod conductor nesciat quodnam erit pretium fructuum, quos colliget, nec quænam erit eorum quantitas; quia in incerto versatur respectu minoris aut majoris quantitatis; ut & casuum fortuitorum, qui accidere, & fructuum quantitatem, qualitatem, ac pretium imminuere possunt. Cum in domus locatione conductor perfecte noscat rem, quam conducit, & utilitatem, quam ex ea percipere potest; inde fit, ut in fundorum locationibus solummodo attendatur ad spem abundantis fructuum perceptionis quam habet, & ad periculum quod incurrit modicos tantum fructus percipiendi: Et hanc ob causam locator stipulari potest cum conductore, quod iste nullam imminutionem ab altero petere poterit, si contingat, ut paucissimi fructus percipiantur. Sic ea de re Leges statuunt (*b*).

Locator tenetur, quemadmodum in alia locatione, ad liberam vel possessionem conductori curandam, sub pœna ei solvendi ea de quibus convenerit seu judicetur ad ejus damna ac detrimenta resarcienda (*c*); quemadmodum sub eadem pœna tenetur, si contigerit ut conductor possessione evincatur.

Locari possunt res quæ e fundo non prodeunt, ut jus venandi, piscandi, vectigalia ex ponte aut ex cymba exigendi (*d*).

Si locator fundum locatum vendat, locatio venditione perficitur propter domini commutationem: & si emptor expellat conductorem, iste ad locatorem recurrere debet, ut eum ad damna & detrimenta sua resarcienda adigat (*e*): simili modo res se habet, si contigerit, ut legatarius in hujus fundi, seu domus possessionem veniat (*f*). Verum in utroque casu conductor expulsus hypothecam suam in fundum sibi locatum servat, salvo actionis subsidiariæ jure, quod emptor in venditorem, aut legatarius in defuncti hæredem, habet.

Quando fundi, seu domus locator e vita migrat; qui ipsi nomine hæredis universalis succedit, conductorem expellere nequit; quia talis hæres defuncti bona in commodum suum vertere non potest, quin omnia onera hæreditati imposita & a defuncto contracta, subeat. Unum autem ex his oneribus erat; ut rei possessionem conductori per totum locationis suæ tempus, pretium præstitutum solvendo, curaret.

Cum tempus locationis fundi elapsum est, & conductor, locatoris consensu fundum servat, locatio renovata existimatur, saltem ad certum tempus; idque tacita reconductio vocatur. *Qui expleto tempore conductionis, remansit in conductione.., reconduxisse videbitur*, Inquit Lex (*g*); Et hæc reconductio perstare debet per annum ad minimum, vel amplius, procontrahentium lubitu, ac usu vulgo recepto (*h*). Atque hoc in casu omnibus conductionis clausulis se se conformare & eas ad litteram observare oportet. Verumtamen si conductor locatori prædem dederit, ut in tuto sit pretium præstitutum; præs renovari non censetur nec etiam hypotheca domini in conductoris bona; sed utrumque cessat, statimatque tempus, a conductione præfinitum, elapsum est; ita ut congruenter reconductioni, locatori solummodo supersit hypotheca naturalis, quam in fructus e fundo suo prodeuntes habet; nisi reconductio coram Tabellione fiat, quo casu etiam hypotheca locum non habet, nisi a die reconductioni adscripta, quemadmodum Domat observat (*i*).

Fundi Conductor etiam ad varia erga dominum, seu locatorem, tenetur.

Primo, ut tanquam bonus paterfamilias fundo quem conduxit, fruatur, eum nullo modo deteriorem reddendo; & ut omnes conductionis suæ clausulas observet. Ita, si agatur de terris arabilibus, terris, quæ in vervacto permanere debent, semen mandare nequit; nec in agris frumentum seminare, cum, pro usu, in iis minuta grana solummodo seminanda sunt. *Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet*, inquit Lex (*k*).

Quando fundi conductio, in multos annos facta, fert, quod dominus quamdam fructuum partem, loco pecuniæ, pro locationis suæ pretio, habebit: conductor ex parte sua seminum & culturæ sumptus præbere debet, & que-

(*a*) L. Item 9. ff. de usufructibus. Leg. Fragem, 77. ff. de verb. signific. & Leg. Qui fundum. 40. §. 4. ff. de contrahenda empt.

(*b*) Cit. Leg. Si quis 9. §. 2. ff. locati. L. Licet 8. cod. de locato & conducto.

(*c*) Cit. Leg. Ex conducto 15. §. 1. & cit. L. Si merces 25. §. 2. ff locati.

(*d*) Leg Item 9. §. 5. ff. de usufructu l. 7. ut. v. & L. Penes 4. cod. de vectig. & commiss. l. 4. tit. 6.

(*e*) Cit. Leg. Si merces 25. §. 1. ff. locati. Et Leg. Emptorem 9. cod. de locato & conducto.

(*f*) L. Si fundum. 32 ff. locati.

(*g*) Leg. Item 13. paragr. 2. ff. locati.

(*h*) Cit. Leg. Item 13. paragr. 2. & fin. Et L. Qui ad certum, 14. ibid.

(*i*) Dom. Leges Civiles 1. paragr. 4. sect. 4. n. 9. pag. 78. col. 2.

(*k*) Cit. Leg. Si merces 25. paragr. 3. ff locati.

& quemadmodum ejusmodi conductio quoddam est genus societatis, in qua utrique fortunæ aliquid committitur; conductor casus fortuitos hoc respectu ferre debet, nec a domino exigere, ut ullo modo damnum resarciat.; licet etiam fundus nullos fructus produxisset.. *Partiarius Colonus, quasi societatis jure, & damnum & lucrum cum domino fundi patitur*, aut Lex (*a*). Verum cum fundi conductio ad annum pecuniæ pretio facta est, conductor a pretio præstituto solvendo eximitur, cum nullos fructus percipit casu quodam fortuito, ut gelu, grandinis, inundationis, aut militum irruptionis: nisi fundi conductor, per conductionem suam, ad hosce casus ferendos se se adstrinxisset (*b*).

(*a*) Cit. Leg. Si merces 25. §. 5. ff. locati. Et cit. L. Ex conducto 15, §. 2. Et 7.

(*b*) Leg. Ex conducto 15. § 2. ff. locati.

Cum fundi conductor, cujus conductio in annum solummodo est, leves tantum jacturas perpetitur, sive parva quantitate, sive mala qualitate fructuum; nullam pretii, quod domino solvere se se obstrinxit, imminutionem exigere potest. Ratio est, quod, quemadmodum commodum, quantumvis magnum, percipere debebat, æquum sit, ut ejusmodi jacturas ferat. Sic decretum fuit a tribus Legibus, quas in margine designamus (*c*). Attamen si damnum notabile foret, æquum esset, ut dominus partem damni ferret, fundi conductori concedendo quamdam imminutionem, de qua inter se convenire possunt, velis quæ a judice (statuenda est) (*d*): aut æquo arbitro (*e*): Licet etiam conductio plurium annorum esset, si jactura fieret de omnibus fructibus, vel maxima fructuum parte fundi, conductor posset adhuc petere quamdam imminutionem, quæ a judice arbitrari aut statui deberet pro ratione variarum circumstantiarum, & respectu habito ad alios annos, qui abundantes fuissent, ut ad locorum Consuetudinem (*e*).

(*c*) Cit. Leg. Ex conducto 15. Paragr. 2. & 3. ff. locati. L. Si merces 25. paragr. 6. ff. eodem. Leg. Vistulas 78. in fin. ff. de contrah. empt.

(*d*) Cit. Leg. Si merces 25. paragr. 6.

(*e*) L. Ex conducto 15. §. 4. ff. locati. L. Licet 8. Et L. Excepto 18. Cod. de locato.

Conductor culturam fundi conducti deserere nequit; alioquin dominus eum prosequendi jus habet, ut damna & detrimenta resarciat. *Potest Dominus, si deseruerit habitationem vel fundi culturam, Colonus, vel Inquilinus, cum eo statim agere.* Hæc sunt unius e Legibus Digesti verba (*f*).

(*f*) Leg. Si in lege, 24. §. 2. Et 3. ff. locati.

Qui fundum locat, omnia, quæ in locatione scripta sunt. Conductori præbere debet: alias conductor ipsi actionem intendere potest, ut ad ea præbenda eum adigat, ex judicis sententia. *Utiliter ex conducto agit is*, ait Lex, *cui secundum conventionem non præstantur, quæ convenerant* (*g*).

(*g*) Leg. Si in lege 24. par. 4.

Dominus ad conductori præstandum quod factum est impensæ in fundo conducto meliori reddendo, tenetur: cum fundum meliorem facit; licet ad illud per conductionem suam non obligaretur: verbi gratia, si plantaverit sylvam cæduam, aut vineam in loco quodam sterili: vel si ædificaverit horreum aut stabulum, quæ & necessaria erant, exstruxerit, vel si quædam alia, quæ fundi reditum augeant, fecerit (*h*).

(*h*) L. Dominus, 51. paragr. 1. ff. locati. Leg. Soper 16. Cod. de evictionibus.

Hic etiam quædam alia placita de locatione pretio constituto, & de aliis laboris aut industriæ locationibus, addi possent: verum in decisionibus sequentibus, & in quibusdam aliis ad nomen *Restitutionis*, reperientur.

CASUS PRIMUS.

LAURENTIUS viginti jugera terrarum arabilium in quinquennium Januario locavit: tertio anno hæ terræ prorsus vastantur inundatione extraordinaria, vel grandine, quæ segetes delevit; aut denique magna sterilitate inutiles evadunt. Num Laurentius ad hoc damnum perferendum tenetur? num potius illud in Januarium rejicere potest?

RESPONSIO.

Existimamus Laurentium conscientia teneri ad perferendum hoc damnum, quod contigit casu mere fortuito, & absque ulla Januarii fundi sui conductoris culpa; nisi Januarius jam in antecessum compensatus fuerit per magnam duorum annorum antecedentium fertilitatem vel per abundantiam duorum annorum sequentium compensari possit: Hæc est decisio Gregorii IX. qui dicit (*i*); „ Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, sine „ culpa coloni, seu casu fortuito contingentem „ colonis Ecclesiæ tuæ, pro rata pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari „. Universa hujus Regni Jurisprudentia cum hac Decretali congruit; & magno quidem jure; sors enim miseri fundi conductoris satis deploranda est, cum sata sua & laborum suorum fructum amittit, quin adhuc tenentur ad solvendum locatori suo pretium fructuum, quos non percepit; & quorum perceptione tamen hoc pretium nititur. Congruimus tamen cum Papon (*K*), quod vulgo fundi conductori imminutio non conceditur, cum ejus conductio ad tres annos extenditur; & multo magis cum ad quinquennium, vel longius tempus progreditur; quia ex æquo & bono supponitur, annum, qui ipsi secundus non fuit, antecedentium & sequentium annorum abundantia sat compensari; sed aliter de re judicandum est, cum fundi conductio non ultra annum, vel quandoque etiam biennium extenditur. Jus Civile hac in re cum Jure Canonico congruit, quemadmodum patet ex pluribus Digesti Legibus, quas in margine indicamus (*l*): Auctor Theologiæ Moralis qui supremum diem obiit, dum esset Episcopus Vasionis,

(*i*) Greg. IX. in c. Propter 3. de locato & conducto, l. 3. tit. 18.

(*k*) Papon l. lib. 2. de locatione, Et conductione.

(*l*) Leg. Ex conducto 15. Si vis 2. Leg. Si merces 25. §. Vis major. 6. ff. locati. conducti lib. 10. §. t.

in Comitatu Avenionis, ut & Auctor Collocutionum Condomensium, hanc sententiam sequuntur (a).

(a) Fr. de Genet. Theolog. Mor. tom. 1. tract. 3. cap. 8. interrog. 5. Colloq. Condom. tom. 1. colloq. 9. sect. 2.

Attamen observandum est, 1. quod si locator & conductor de contrario inter se convenissent; aut si fundi conductio inter se facta fuisset ad multos annos, quorum unius abundantia sterilitatem alterius, ut jam diximus, compensare posset; aut denique fundi conducti sterilitati obnoxii essent, quales sunt fundi fluvio affines, qui ab eo saepe inundantur; conductor imminutionem pretii conductionis suae a locatore petendi, jus non haberet: quia solitam talis fundi sterilitatem praevidere potuit ac debuit; ideoque ejus periculum incurrere voluisse existimatur: & quia hac ratione suspicandum est, quod in tali circumstantia fundos minori pretio conduxerit, quam eos conduxisset, si ab hujus casus periculo immunes fuissent. 2. Observandum est etiam, ea quae mox diximus de locatione pretio pecuniae facta solummodo intelligenda esse. Nam si locator & conductor inter se convenissent, quod fructus partirentur, & damnum aut commodum participarent; hoc in casu fundi conductor quamdam a locatore indemnitatem petendi nullum jus haberet. Quod sapientissime observavit Lex, quae postquam dixit, (b) *Vis major . . . . non debet conductori damnosa esse, si plusquam tolerabile est, laesi fuerint fructus, alioquin modicum damnum aequo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.*: addit immediate post; *Apparet autem, de eo nos Colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. Alioquin partiarius Colonus, quasi societatis jure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur.*

(b) Leg. si merces 3. §. 6. ff. locati conducti.

CASUS II.

Eustasius praedium Bernardo in sexennium locavit; & cum eo convenit per conductionem scriptam, quod summa in integrum solveretur, non obstantibus casibus fortuitis qui per sexennii intervallum contingere possent. Quatuor post annis, indictum fuit bellum, cum minime de eo cogitabatur; Exercitus in terris hujus praedii castrametati sunt, omnesque segetes & alios fructus intra biduum consumpserunt: Quam ob causam Bernardus ab anno Eustasio solvendo se eximere autumat; E contra Eustasius affirmat se ejus solutionem percipere debere, cum in conductione scriptum sit, quod casus fortuiti in Bernardum incident; sin minus, quod ipsi longe carius locasset praedium suum, ex quo notabile commodum per tres primos annos percepit. An aequum est conductoris animo cogitarum? Et an Eustasius ad jacturam, hoc casu fortuito causatam, contra locationis suae verba, ferendam, conscientia tenetur?

RESPONS.

Antequam ad hanc quaestionem, de qua jam aliquid diximus in decisione antecedenti, respondeamus; ponenda est sententia generalis, quae in omnigenis pactis tanquam norma & regula adhibenda est, nempe, quod clausulae iis appositae sensum suum respectu rei de qua agitur limitatum habere, debeant nec unquam extendi ad ea, quae in contrahentium mentem non venerunt, nec verisimiliter venire debebant. *Iniquum est*, ait Lex (c), *perimi pacto id de quo cogitatum non docetur.* AEquitas enim naturalis vult, ut nemo se adstringat, vel alium ab obligatione sua eximat, nisi ejus voluntas clare enuntiata videatur. *Transactio enim, quaecumque sit*, addit eadem Lex (d), *de his tantum de quibus inter convenientes placuit, interposita creditur.*

(c) L. Qui cum tutoribus 9. in fine ff. de transaction. b. l. 2. tit. 15.

(d) Ibid. §. 1.

Casus autem fortuiti, de quibus mentio fit, in fundi locatione ab Eustasio Bernardo facta, naturaliter intelligendi non sunt, nisi de iis quae contingunt temporum injuria, & quae expectari possunt, qualia sunt grando, procellae, gelu, pluvia continua, inundationes, nimia siccitas, aliaque ejusmodi accidentia; non vero de iis quae evenire possunt actibus aut malitia hominum, ut bello, aut vi illata; de quibus contrahentes cogitasse, aut quae expectavisse, autumandum non est; *de quo cogitatum non docetur*. Pro Bernardo igitur stat ratio; cum a jactura, casu fortuito, de quo in specie proposita agitur, causata, se eximere vult: cum nullo modo suspicandum sit, ejus mentem fuisse, ad talem eventum praestandum se se adstringere, de quo contrahendo nequidem cogitabat; nec Eustasium hunc casum fortuitum, qui naturaliter non venit in mentem eorum qui fundos elocant, aut alia pacta faciunt, complecti voluisse: Ideoque dicendum est, damnum quod Bernardus hoc casu improviso perpessus est, unice in Eustasium recidere debere. Haec decisio congruit cum sententia eruditissimi Jurisconsulti, olim Advocati Regii in Curia Praesidiali Claromontii in Arvernis (e), qui eam probat ex Lege quam laudavimus, & ex duabus aliis Digesti Legibus (f); D. de Ferrire etiam eamdem sententiam propugnat (g) eamque probat per Decretum quod de ea re sic judicavit & quod a Meuard refertur.

(e) Domat. Leges Civiles in ordine suo nat. l. 1. tit. 4. o. 6.

(f) L. Cum Aquiliana 3. de transactionibus. Leg Age 3. Cod. eod. tit. l. 2. tit 4.

(g) D. de Ferriere Tractatus de scientia Tabellionum tit. de locat. n. 25.

CASUS III.

Vandelbertus Praedium in quinquennium Aquidano locavit. Post messem ab Aquidano factam, & postquam frumenta in horreum deducta fuere, igne coelesti absumpta sunt. Aquidanus imminutionem dimidii pretii annui conductionis suae a Vandelberto petit. Num Uandelbertus ad hoc damnum pro dimidia, vel minori parte participandum, conscientia tenetur?

RESPONS.

Juris sententia generalis est, rem quamdam illi soli ad quem pertinet perire; *res perit domino*. Constat autem dum segetes adhuc stant & terrae adhaerent, fundi dominum partem damni, quod iis accidit, perferre debere; quia tum quodammodo pars fundi existimantur; & quia Conductor obligationem pretii constituti domino solvendi non contrahit, nisi congruenter perceptioni fructuum. Sed cum messis facta est, & cum frumenta ablata sunt, conductor solus eorum fit dominus sub conditione ea quae promisit fundi domino solvendi. Unde sequitur, jacturam frumentorum a conductore collectorum, quae casu mere fortuito contigit, in ipsum unice, non vero in fundi dominum recidere debere, ideoque Aquidanus hanc jacturam summo jure perferre debet, quin Vandelbertus ad dimidiam, vel minorem damni partem solvendam, teneatur. Haec est sententia Bartoli, Gomez & aliorum Auctorum laudatorum a Bonacina (h), qui idem sentit.

(h) Bonacina de contractibus disput. 3. q. 2. n. 15.

Diximus, *summo jure*; Nam aequitas & charitas volunt, ut Uandelbertus participet jacturam quam Aquidanus omnium suorum frumentorum combustione perpessus est; cum tale incendium ipsum omnibus suis bonis evertere possit.

Observasse magni interest, Legem & Consuetudinem fundi Conductori non concedere jus aut privilegium imminutionem exigendi, si casus mere fortuiti contigerint, nisi respectu fructuum qui ab industria pendent, hoc est, qui cultura, curis ac laboribus hominum solummodo producuntur. Sed plane aliter se res habet respectu fructuum naturalium, id est, fructuum quos terra naturaliter producit, quin opus sit ut seratur & colatur, qualia sunt foena & ligna. Si igitur hujusmodi fructus, inundatione, hostium regni incursione, aut aliter pereant; solus Conductor integram eorum jacturam perferre, & ad fundi domini charitatem ac liberalitatem solummodo recurrere, debet.

CASUS IV.

Odo cum praedium locasset Landrico, ut eo per quinquennium frueretur, summa 400. librarum singulis annis numerata, Landricus in hujus praedii possessione turbatur a Gothofredo, qui per vim ejus possessionem impedit. Num hic Conductor actionis subsidiariae jus salvum habet in Odonem, non modo ut conductionis pretio eximatur, verum etiam ut sibi damna ac detrimenta resarciantur?

RE-

RESPONS.

Distinguendum est; Nam, aut Odo hanc interpellationem & violentiam impedire potest, vel non potest. Si impedire possit, nec impediat, damnum pretii conductionis in ipsum recidere debet, & insuper tenetur ad omnia damna & detrimenta Landrico fundi sui Conductori resarcienda, & ad præstandum omne lucrum quod vir ille facere potuisset per quinquennium quo ejus conductio stare debebat, vel per tempus quo illo prædio adhuc fruiturus erat. *Colonus, si ei frui non liceat*, inquit Digesti Lex (*a*), *totius quinquennii nomine statim recte aget . . . . . & quantum per singulos annos compendii facturus erat, consequetur*. Alia Lex de eadem re adhuc disertius decidit his verbis; *Si Colonus tuus fundo frui a te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis; tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit frui; in quo etiam lucrum ejus continebitur* (*b*).

(*a*) Leg. Si in lege 24. § 4. ff. locati conducti.

(*b*) Leg. Si fundus 33. in fine ff. eod. tit.

Verum, si in Odonis, locatoris, potestate non sit, hanc interpellationem ac violentiam impediendi, nec eam præstare debeat, rei fecit satis, Landrico, fundi sui conductori, pretium conductionis restituendo, pro rationa temporiis quo prædio non fruitus est: nec ad lucrum quod fruendo percipere potuisset, præstandum tenetur. *Sin vero ab eo interpellabitur*, addit eadem Lex, *quem tu prohibere, propter vim majorem aut potentiam ejus, non poteris; nihil amplius ei, quam mercedem remittere, aut*, si forte in antecessum percepisset, *reddere debebis* (*c*).

(*c*) Idem. Domat ibidem tit. 4. n. 4.

CASUS V.

PATROCLUS domum suam locavit Sylvano. Cum isti litigium fuisset cum vicino, & cum eo manum conseruisset; iste vicinus, ut vindictam sumeret, nocte sequenti ignem injecit hurreo domus quam Sylvanus conduxerat, quod flammis, cum omni frumento quo replebatur, absumptum est. Patroclus Sylvanum ad horreum suam reædificandum adstringere vult. Sylvanus rem a sa removet, ex eo quod sit casus fortuitus, cujus nullomodo particeps esse debet, etiamque contendit se ad frumenti damnum resarciendum non teneri. Uter damnum perferre debet?

RASPONS.

Similis casus decisionem reperimus in Lege (*d*), quæ, loquendo de arboribus a conductoris inimico cæsis, dicit, hunc conductorem damnum domino præstare debere. *Culpæ autem ipsius & illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores exciderit*. Hoc tamen intelligendum est, si contigerit, ut conductor culpa sua hoc damnum, a parte sui hostis, sibi accersiverit; quemadmodum Sylvanus damnum, de quo in specie proposita agitur, sibi accersivit: quia si culpa sua damno locum non dederit, æquum non est ut damnum domino præstet; quemadmodum probari potest ex alia Lege (*e*), quæ jubet, ut jactura bonorum dotalium *Liciniæ*, uxoris *Gracchi*, in bona mariti sui recidat; quia per seditionem quam moverat, damnum contigerat. *In his rebus*, inquit ista Lex, *quos præter numeratam pecuniam, doti vir habet, dolum malum & culpam eum præstare oportere Servius ait; ea sententia Publii Natii est. Nam is in Licinia Gracchi uxore statuit, quod res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, periissent, ait: quia Gracchi culpa ea seditio facta esset Liciniæ præstari oportere*.

(*d*) Leg. Si merces 25. § 4. ff. locati conducti.

(*e*) Leg. In his 66. ff. soluto matrim. l. 24. tit. 3.

Unde colligendum est, ut ad speciem propositam veniamus, quod, si Sylvanus culpa sua vicini vindictam sibi accersiverit; sive quia prior ipsum insultavit & male accepit: sive quia ipsi notabile quoddam damnum creavit: horrei incendium respiciendum non sit, ut casus mere fortuitus, sed tanquam accidens quod sibi malitia aut imprudentia sua accersivit, & quod consequenter præstare debet, juxta hanc Gregorii IX. sententiam (*f*); *Qui occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*; & juxta hanc Juris Romani regulam (*g*): *Qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*. At si e contra vicinus iniquus aggressor fuerit, nec ulla Sylvano culpa imputari queat; injustum foret, eum adstringere velle ad præstandos effectus vindictæ, cui culpa sua locum non dedisset. Exempli causa, si in capitis lite ab alia persona in hunc vicinum illata, Sylvanus ad veritatem contra ipsum dicendam coactus fuisset; atque si ad vindictam sumendam Sylvanum insaltasset, ejusque horreum incendisset, hic casus tamquam mere fortuitus considerandus esset, ideoque eum præstare non deberet; sed damnum ædium horrei unice in Patroclum locatorem suum recideret. *Vide* Casum 19.

(*f*) Gregor. IX. in c. Si culpa. fin de injuriis & damno dato.

(*g*) Leg. Qui occidit. 10. §. 1. ff. ad Leg. Aquiliam l. 9. tit. 2.

CASUS VI.

PROSPER cum 24. terræ jugera Benigno in novem annos locasset, ea lege ut Benignus 150. frumenti, totidemque minutorum granorum modios sibi solveret; ultimo anno sterilitas adeo invaluit, ut Benignus fere nihil collegerit; quamobrem damni compensationem, tam pro semente, quam pro aratione, a Prospero petit; quam compensationem Prosper ipsi denegat. Pro utro pugnat ratio?

RESPONS.

Dici posse videtur, Prosperum ad ullam damni compensationem Benigno, fundi sui conductori, concedendam non teneri; quia cum fundi conductio in tempus adeo longum protenditur, non numerata pecunia, sed quadam fructuum perceptione; & cum in quibusdam ex illis annis contingunt notabilia damna, creata casibus fortuitis non extraordinariis; hæc damna in fundi conductorem, non vero in locatorem recidere debent. Ratio est, quod ejusmodi locationes sint quædam societatis species, inter locatorem, qui fundum suum dat, & conductorem qui fundo semen suum & culturam apponit; qua societate unusquisque partem fructuum quos congruenter pacto suo reciproco sperat, in periculum offerre censetur. Adde quod fundi conductor, commodo, quod per quinque annos antecedentes ex his terris percepit, sat remuneratus existimetur. Quod ex Lege, quam in decisione præcedenti jam laudavimus, probari potest; quippe quæ dicit (*h*); *Vis major, quam Græci* Theu bian * *appellant, non debet conductori damnosa esse . . . . . apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. Alioquin partiarius colonus, quasi societatis jure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur*.

(*h*) Leg. Si merces 25. §. 6. ff. locati conducti. l. 19. tit. 2.

* (Id est) Vim divinam.

Dicimus, *casibus fortuitis non extraordinariis*, hoc est, casibus qui naturaliter contingunt; quales sunt casus gelu, inundationis, sterilitatis, aliique similes; idque, congruenter alteri Legi quæ fert, (*i*) *Si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum coloni esse*. Unde colligimus Benignum admittendum non esse ad ullam damni compensationem petendam; etiamque ad frumentorum quantitatem locatione sua stipulatam Prospero solvendam, teneri.

(*i*) Leg. Ex conducto 15. §. 2. ff. eod. l.

CASUS VII.

GOTHOFREDUS in septennium 45. terrarum arabilium jugera Vincentio locavit; & cum hic Conductor quotannis his in terris frumentum seminare vellet, Gothofredus ei obstat, & contendit quod in tertia harum terrarum parte solummodo frumentum, in alia parte tertia avenam seminare debet, & id quod superest in vervacto relinquere, nihil in eo seminando. Num absque injustitia hanc interpellationem Conductori suo movere potest?

RESPONS.

Regula generalis ad quam se se comparare oportet in specie proposita, est, pacta locationis, seu id quod usu generali Regionis constituitur, observaro. Quamobrem fundi Conductor jus non habet semen committendi terris, quæ in vervacto permanere debent, nec in iis triticum seminandi; cum in iis minuta tantum frumenta serere debet: & si forte contra locationis suæ verba, vel contra usum receptum fecerit, locator ei obstare, ac impedimentum afferre potest. Ratio est, quod fundi Conductor non modo teneatur ad terras conductas colendas, verum etiam ad eas, tanquam bonus Paterfamilias, (conservandas,) eodemque modo ac conservaret proprias suas

terras

terras; idque non faceret singulis annis triticum in iis seminando; quia hac ratione hæ terræ pejori in statu forent extremo locationis, quam initio fuerant; ideoque fundi dominus inde damnum perciperet. *Conductor omnia secundum legem conductionis facere debet*, inquit lex (*a*), *& ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat; ne intempestiva cultura deteriorem fundum faceret.*

(*a*) Leg. Si merces. cit. §. 3 ff. Locati &c.

Diximus, *contra usum receptum:* deficientibus enim locationis pactis, fundi conductor ad usum, tamquam ad legem observandam, se se comparare debet. *Ex non scripto jus venit quod usus approbavit*, inquit Imperator Justinianus (*b*), *nam diuturni mores consensu utentium comprobati, legem imitantur.*

(*b*) Lib. 1. Instit. tit. 2. § Ex non scripto. de jure nat. gentium & civili.

CASUS VIII.

Gratianus in quinquennium Bertino prædium locavit pretio 600. librarum singulis annis. Bertinus proprio motu & absque Gratiani mandato prædium illud multo melius fecit, vineam & viridarium in locis antea inutilibus ac incultis plantando. Locationis tempore prætérlapso, nec Gratiano eam ipsi continuare volente, ab ipso impensarum adhibitarum solutionem petiit. Gratianus respondit, eum injussum hæc incrementa fecisse; ideoque se eas impensas in rationes suas inducere nolle. Num hic fundi dominus in recusatione sua æquo nititur?

RESPONS.

Si Bertinus fundi conductor ad hæc incrementa facienda conductione sua teneretur, constat, Gratianum in recusatione sua æquo niti, nec ad ullam solutionem ipsi præstandam teneri. Verum si conductione sua ad hæc incrementa facienda se se non adstrinxerit, & hac ratione prædii reditum auxerit; Gratianus ad eum indemnem præstandum tenetur. Ita de re judicavit lex (*c*), quæ dicit: *In conducto fundo si conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, vel instituerit cum id non convenisset; ad recipienda ea quæ expendit, ex conducto cum domini fundo experiri potest.* En etiam sicut alia lex de eadem re loquitur (*d*): *Colonus, cum lege locationis non esset comprehensum, ut vineas poneret; nihilominus in fundum vineas instituit, & propter earum fructum donis amplius aureis annuis ager locari cœperat. Quæsitum est, si dominus istum colonum fundi ejectum, pensionum debitarum nomine, conveniat an sumtus utiliter factos in vineis instituendis reputare possit, opposita doli mali exceptione? Respondit, vel expensas consecuturum, vel nihil amplius præstaturum.* Ecce tandem tertia lex quæ non minus diserta est quam duæ antecedentes ad hanc quæstionem dirimendam (*e*): *Impensas quas ad meliorandam rem vos erogasse constiterit, habita fructuum ratione, restitui vobis jubebit* (Præses provinciæ). Hæc verba, *habita fructuum ratione*, designant, ea quæ diximus intelligenda esse tamquam in æstimatione impensarum quas acquisitor, hereditate evictus, ad eam meliorem reddendam fecisset, & quæ ejus reditum annuum auxissent. Ita ut si horum fructuum perceptiones sufficerent ad solvendam sortem ac usuras legitimas impensarum ad fundum meliorem reddendum adhibitarum; nulla earum impensarum solutio deberetur; cum hoc in casu emtor nihil amittat. Verum si contra, hæ perceptiones viliores essent; ejus quod superest solutio legitime ipsi acquisita foret qui nihil amittere debet. Ac denique si perceptiones impensarum sortem ac usuras excederent, emtor qui incrementum fecit, id quod superest in commodum suum verteret. Eodem modo ratiocinandum est respectu quæstionis de qua in specie proposita agitur. Hæc omnia expressim feruntur a multis aliis legibus quas referre longius foret, & quas solummodo in margine indicamus (*f*). D. Domar de quæstione proposita hac ratione judicat (*g*).

(*c*) Leg. Dominus. 55. § 1. ff. Locati, &c.

(*d*) Leg. Colonus. 61. ff. eod. tit.

(*e*) Leg. Super. 16. Cod. de evictionib. l. 8. tit. 45.

(*f*) Leg. Sumtus 48. ff. de rei vindicat l. 6 tit 1 Leg. Emtor. 85. ib. & tit. Leg. Super.

(*g*) Domat. Leges Civiles &c. l. 1. tit. 2. sect. 10. n. 17. & tit. 4. sect. 6. n. 6.

CASUS IX.

Cælestinus domum suam Martino in quinquennium locavit, pretio 1000. librarum singulis annis, & Martinus eam Joanni 1200. libris sublocavit: anno post Cælestinus eam reficere ac amplificare vult, petitque a Martino ut eam vacuam sibi reddat. Martinus denegat, nisi damnum quod inde perciperet, resarciat, & contra, Cælestinus contendit, se propterea nullam ipsi damni compensationem debere. A quanam parte stat æquum?

RESPONS.

Ad hanc quæstionem dijudicandam distinguendum est. Nam vel datur urgens necessitas domum reficiendi aut reædificandi, vel non datur. Si re vera necesse sit eam reficere, ut si proximam ruinam minatur; respicienda est hæc necessitas, tamquam casus fortuitus, quam conductor subire debet, quin ullam damni compensationem deposcere possit a Cælestino, qui solummodo tenetur ad conductorem eximendum a pretio locationis, quod ipsi solvere convenerat. Sic leges rem statuerunt: *Si aversione insulam locatam dominus reficiendo, ne ea conductor frui possit, effecerit*, ait una ex his legibus (*h*), *animadvertatur necessario, nec ne id opus demolitus est. Quid enim interest utrum locator insulæ propter vetustatem cogatur eam reficere; an locator fundi cogatur ferre injuriam ejus quem prohibere non possit!* En adhuc quomodo alia lex loquitur (*i*): *Similiter igitur & circa conductionem servandum puto; ut mercedem quam præstiterim* (in antecessum) *ejus scilicet majoris, quo fruitus non fuerim: nec ultra actione ex conducto præstare cogeris.*

(*h*) Leg. Et hæc. 35. ff. locati conducti. l. 19. tit. 2.

(*i*) Leg. Si fundus. 33. ff. eod tit.

At si contra nulla detur necessitas Cælestini domum reficiendi, conductorem cogere non potest ut domo migret, sub prætexu illius reficiendæ, quin teneatur ad damna & detrimenta resarcienda, quæ locationis interruptio ipsi creare potest. Quapropter, quandoquidem in specie quam ad examen revocamus, Martinus domum Joanni 1200. libris sublocavit, Cælestinus hoc in casu ad omne lucrum quod Martinus inde percipiebat, præstandum tenetur, atque etiam ad curandum propriis sumtibus ne interpelletur a Joanne, propter interruptionem locationis quam Martinus ipsi fecit. *Tantum ei præstabis*, ait lex quam jam jam laudavimus (*K*), *quanti ejus interfuerit frui, in quo etiam lucrum ejus continebitur.*

(*k*) Cit. Leg. Si fundus.

Idem etiam diserte fertur ab alia lege, circa ejusmodi quæstionem. En ejus verba (*l*): *Qui insulam triginta conduxerat, singula cœnacula ita conduxit, ut quadraginta ex omnibus colligerentur. Dominus insulæ, quia ædificia vitium facere diceret, si is qui totum conduxerat, ex conducto ageret? Respondit: si vitiatum ædificium necessario demolitum esset, pro portione quanti dominus prædiorum locasset quod ejus temporis habitatores habitare non potuissent, rationem duci, & tanti litem æstimari. Sin autem non fuerit necesse demoliri,* (Ecce noster casus) *sed quia plus ædificare vellet, id fecisset; quanti conductoris interesset, habitatores ne migrarent, tanti condemnari oportere.*

(*l*) Leg. Qui insulam. 30. ff. eod. tit.

Attamen constat, quod in casu necessitatis, reparatio brevi tempore fieri possit, & cum levi conductoris incommodo, nec domo migrare cogatur; æquum sit ut hoc incommodum perferat, nullam ejus compensationem poscendo, sicut ab hac alia lege fertur (*m*): *Ea enim conditione habitatorem esse, ut si quid transversarium* (*n*) *incidisset, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem parvulam incommodi sustineret.*

(*m*) Leg. Habitatores. 27. ff. eod. tit.

(*n*) Transversarium id est, casum fortuitum vel aliud novum emergens. Glossa in d. leg.

CASUS X.

Aristomenes domum suam Basilio in quinquennium locavit: paucis post mensibus vicinus quidam quam proxime altum murum ædificandum curavit, qui ejus fenestras valde obscurat, ejusque luminibus plane obstruit. Quamobrem Basilius conductionis suæ solutionem, aut compensationem incommodo quod percipit convenientem ab Aristomene petit. Locator ipsi utrumque denegat, hancque affert rationem, nempe esse casum fortuitum qui ab ipso non pendet, & cujus damnum per consequens resarcire non debet. Uter æquum dicit?

R a-

RESPONS.

Pro domus conductore pugnat ratio. Aristomenes enim absque injustitia æquam damni compensationem ipsi denegare nequit, nec etiam conductionis resolutionem, si eam petierit. Ratio est, quod etsi mutatio de qua in specie proposita agitur, opera locatoris non acciderit, & tamquam casus fortuitus considerari possit; attamen constat locatorem eam præstare debere; quandoquidem Basilius domum in usum suum solummodo conduxit, atque Aristomenes in eumdem finem, eam ipsi locavit: & consequenter statim atque usus cessat, nec amplius idem est ac erat in principio; hæc mutatio in solum rei dominum recidere debet. Ita fertur a Jure: *Si vicino ædificante obscurentur lamina cænaculi*, ait Digesti lex (*a*), *teneri locatorem inquilino. Certe quin liceat colono vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio est. De mercedibus quoque si cum eo agatur, reputationis ratio habenda est.* Hæc est decisio D. Domat, de cujus præclara eruditione & doctrina juste dubitari nequit (*b*).

(*a*) Leg. cit. *Si merces*, 25. §. 2. ff locati conducti.

(*b*) Domat. Leges Civiles &c. l. 1. tit. 4. sect. 3. n. 6.

CASUS XI.

CHRISTOPHORUS ad sex annos domum suam Jacobo locavit. Post annum præterlapsum consilium inivit domum suam ipsemet habitandi, & hanc ob caussam a Jacobo petiit resolutionem locationis quam ipsi fecerat. Jacobus cui res est angusta domi, ipsi resistere ausus non est, quia potens ac dives est, eumque ad litem sibi movendam, ut domo expelleretur, paratum videbat. Ergo de conductione sua destitit, & domum Christophoro restituit. Nonne injusta est domini agendi ratio? & nonne ad quamdam damni compensationem erga conductorem tenetur?

RESPONS.

Si Christophorus bona fide domum suam habitare vellet, in ipsius potestate erat Jacobum ex auctoritate Judicis ad eam sibi restituendam adigere, modo per locationem domus isti viro factam, juri suo expressim nuntium non miserit. Ratio est, quod dominus domum suam locare non existimetur, nisi quia ea pro se ipso non eget, & sub conditione tacita, quod si forte contigerit, ut ea egeat, conductor ad eam sibi restituendam tenebitur: *Ædem quam te conductam habere dicis*, ait lex quædam Codicis Justiniani (*c*), *si pensionem domino in solidum solvisti, invitum te expelli non oportet, nisi propriis usibus dominus eam necessariam esse probaverit.*

(*c*) Leg. *Æde*. 3. Cod. de locato & conducto l. 4. tit. 65.

Dicimus, *modo Christophorus juri suo expressim nuntium non miserit*, in domus suæ possessionem redeundi. Etenim si juri illi nuntium misisset Jacobus ejus conductor, ad eam ipsi restituendam non teneretur: cum ab unoquoque stet juri suo nuntium remittendi, sicut fert alia Codicis lex (*d*): *Omnes licentiam habent, his quæ pro se introducta sunt, renuntiare*: & quemadmodum etiam dicit summus Pontifex Innocentius III. in una ex suis Decretalibus (*e*): *Cum quilibet ad renuntiandum juri suo liberam habeat facultatem*: & cum ille qui juri suo nuntium misit, non amplius illud resumere possit absque injustitia, per omne tempus quo ei nuntium remisit.

(*d*) Leg. *Si quis*. Cod. de pactis l. 3. tit. 3. Item Leg. *Si Judex*. 23. ff. de minoribus 25. annis l. 4. tit. 4.

(*e*) Innoc. III. in c. *Ex conscientia*. 9. de crimine falsi. l. 5. tit. 20.

CASUS XII.

ROCHUS cum domum suam ad octo annos Paschali locasset, eam triennio post locationem inceptam Juliano vendidit. Num Julianus conscientia tenetur ad curandum ut locatio absolvatur? vel num absque injustitia in ejus possessionem venire, & conductorem expellere potest?

RESPONS.

Locatio non modo cessat, tempore constituto elapso, qui casus vulgo in Jure notatur (*f*); verum etiam mutatione domini, hoc est, cum fundus elocatus dominum mutat. Etenim ille qui, emptione quam fecit, ejus fit novus dominus, ad pactum inter venditorem & conductorem factum servandum non tenetur, quemadmodum lex rem decidit his verbis (*g*): *Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior dominus locavit; nisi ea lege emit.* Ne quidem privatus locatoris heres ad id tenetur; quia defuncti personam non sistit, sicut heres universalis eam repræsentat. Atque ob hanc eamdem rationem ille qui alteri succedit in beneficio, per mortem aut demissionem vacanti, ad locationem fructuum beneficii ab antecessore suo factam, conductori continuandam non tenetur.

(*f*) Leg. *Invitos*. 2. Cod. de locato & conducto.

(*g*) Leg. *Emptorem*. 9. Cod. dic. cod. tit.

Juvat addere, inquilinum aut conductorem ab emptore expulsum, pro damnis quæ locationis suæ interruptio ipsi creare potest, in locatorem actionis subsidiariæ jus salvum habere; sicut ab alia lege his verbis fertur (*h*): *Qui fundum fruendum, vel habitationem alicui locavit; si aliqua ex caussa fundum vel ædes vendat; curare debet, ut apud emptorem quoque eadem pactione & colono frui, & inquilino habitare liceat: alioquin prohibitus is aget cum eo ex conducto.*

(*h*) Cit. Leg. *Si merces*. 25. §. 1. ff. locati conducti l. 19. tit. 2.

CASUS XIII.

ENNIUS cum domum in sexennium locasset, numerata pecunia 200. librarum singulis annis, mense post locationem initam supremum diem obiit. Num ejus heres, citra injustitiæ peccatum, conductorem ad domum derelinquendam cogere potest? Vel an conductor ad conductionem suam continuandam teneatur?

RESPONS.

Ad hanc quæstionem dirimendam, præsupponendum est principium certum; nempe heredem cum defuncto unam eamdemque personam constituere (*i*); & quemadmodum dicit lex (*K*), heredem ejus qui locavit aut conduxit omnibus obligationibus, ut & omnibus juribus defuncti succedere: *Viam veritatis ignoras, in conductionibus non succedere heredes conductoris existimans; cum sive perpetua conductio est, etiam ad heredes transmittatur; sive temporalis, intra tempora locationis heredi quoque onus contractus incumbat.* Hæc sunt propria legis verba, quibuscum hæc alia congruunt (*l*): *Ex conducto actionem etiam ad heredem transire palam est.*

(*i*) Leg. *Heres*. 22. ff. de usurp. & usucapionib. l. 41. tit. 3.

(*K*) Leg. *Viam*. 10. Cod. de locato & conducto.

(*l*) Leg. *Sed addes*. 19. §. 8. ff. locati conducti. Item L. *Cum conductor*. 10. Cod. de locato & conducto.

Quæ cum ita sint, dicendum, Ennii heredem de facto defuncti teneri, ideoque solvere debere obligationes quas contraxit cum eo cui domum suam locavit, qui hanc ob rationem jus habet conductione sua fruendi usque dum totum sexennium elapsum fuerit, summam in eo constitutam locatori solvendo: nec etiam conductor domum a se, etsi vellet, derelinquere potest; cum nulla lex detur quæ in simili casu conductores a pacto conductionis quod fecerint observando eximat. Hoc docet Auctor Theologiæ moralis Gratianopolis (*m*).

(*m*) De Gee cer to. 1. tract. 3. cap. 4. quest. 3. & 5.

CASUS XIV.

PHILEMO domum suam Enguerrando in quinquennium, pretio 500. librarum singulis annis locavit, cum eam facile 800. libris locare potuisset; verum ea lege, ut si domus ventis furentibus diruta fuerit, vel quodam alio casu fortuito perierit, Enguerraudus ad eam reædificandam tenebitur. Num Philemo illæsa conscientia huic pacto congrueoter Enguerraodum adigere potest, ad partem domus suæ reædificandam quæ tertio conductionis suæ anno elapso per accidens ruit?

RESPONS.

Primo constat in eum qui domum, vel quidquam aliud locat, periculum rei locatæ venire, quia eam locando ejus dominium conductori non transfert, semperque ejus dominus remanet: *Cujus (rei locatæ) proprietas similiter manet apud locantem, & ideo periculum etiam ipsius remanet apud locantem*, ait Auctor opusculi quod S. Thomæ tribuitur (*n*). Unde sequitur, quod cum locatio nihil aliud sit quam pactum quo fructus, aut usum rei, vel personæ cujus domini sumus, ad quoddam tempus solummodo concedimus, numerato pretio de quo convenimus, sive præsenti pecunia, sive alia re quæ æstimari possit, & quæ est conductionis prætium, quod in numero pon-

(*n*) Apud S. Thom. opusc. 73. c. 8.

pendere aut mensura consistere debet: eum res casu quodam mere fortuito & absque conductoris culpa perit, locatori, non vero conductori perit, juxta hanc Juris Sententiam (a): *Res perit domino rei*. En regula generalis quæ in locatione observanda est, nisi pacto contrario diserto de ea derogatum fuerit.

(a) Arg. Legis Pignus 9. cod. de pigneratitia actione l. 4. tit. 24.

Contrahentes autem, de quibus in specie, ad quam respondemus, mentio fit, ab ea regula expressim derogarunt, cum Philemo domum suam pretio admodum modico Enguerrando solummodo locaverit, ea lege, ut si casu quodam fortuito rueret, ad eam reædificandam teneretur. Ergo cum hujus domus pars per conductionis suæ tempus tali casu diruta fuerit, Philemo ad totum damnum, quod in ea contigit resarciendum eum adigendi jus habet.

Ratio quæ ad ea quæ dicimus probanda adhuc afferri potest, hæc est, quod cum tale pactum naturæ Contractus locationis non adverseiur, nec ideo ejus essentiam destruat; observandum sit ab Enguerrando, cui de Lege communi derogare placuit, pacto consensum suum præbendo propter vile pretium quo Philemo ipsi locavit.

Quæ dicimus, Jure nituntur, quemadmodum ex hac Lege patet (b) *Julianus ...... dicit: si quis fundum locaverit* (ea Lege) ut *etiam si quid vi majore accidisset, hoc ei præstaretur: pacto standum esse*: Quod Glossæ auctor multis adhuc aliis Legibus probat (c); quod hac Lege nititur, quæ vult ut omnia pacta bona fide facta serventur, cum a Jure non prohibentur (d). *Prætor ait pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, edicta decreta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat; facta erunt, servabo*. Addamus, quod juxta hoc idem principium, etsi locator ad crassiores domus, quam locat, reparationes teneatur naturaliter, hoc tamen oneris simili pacto conductori imponere possit.

(b) Leg. Si quis 9. §. 2. ff. locati conducti.

(c) L. Item 13. §. 6. ff. eod. tit.

(d) Negotium 29. Cod. de negotiis gestis l. 2. tit. 18.

CASUS XV.

FRANCISCUS domum in quodam Parisiorum tractu minime frequenti possidet. Jam plus quam octodecim effluxerunt menses, a quibus neminem reperit cui eam locaret, quamvis nullum alium reditum habeat unde res ad vitam necessarias sibi comparet. Lucina, quam meretricem esse novit, & quæ hoc nomine omnibus innotescit, domum ab eo conducendam petit, ipsique etiam pretium opportunum pro ea præbet. Num illæsa conscientia domum ei locare potest, eam solummodo locando ut conductionis pretium recipiat, ad res ad vitam necessarias sibi comparandas?

RESPONS.

Vir iste domum suam absque gravi peccato locare nequit Lucinæ, nec cuivis alii personæ quæ eam tantum locaret ut ad usus noxios adhiberet. Hoc enim de casu ratiocinandum est, tanquam de casu in quo reperiretur vir qui gladium venalem haberet. Quemadmodum autem dicit S. Raymundus Pœnitentiarius Romanus sub Gregorio IX. (e): Homo qui venderet aut mutuo daret gladium illi quem scit, aut etiam probabiliter credit eo usurum, ut ad singulare certamen cum aliquo descendat, licet eum vendendo, nullum aliud consilium habeat quam inde recipiendi, ex quo victum sibi compararet; lethaliter peccaret. Idem igitur de Francisco in specie proposita dicendum est: En Sancti Raymundi verba: *Illi, qui faciunt, vel vendunt gladios ... si ex qualitate personæ vel temporis cognoscere, vel probabiliter dictaret sibi conscientia, quod ille non quærit rem, nisi ad malum perpetrandum; tum enim non deberet ei vendere contra talem conscientiam*. Unde colligendum, quod cum eadem ratione Franciscus sciat, vel probabiliter credat, Lucinam domum suam conducere, ut ea utatur ad infame suum commercium exercendum, absque crimine eam ipsi sub quovis prætextu locare nequit.

(e) S. Raym. in sum. l. 2. tit. de negotiis sæcular. §. 6.

Hæc decisio confirmari potest auctoritate Legum Romanarum, quæ non modo ad mulctam 10. librarum aurearum condemnant eos, qui in do-

Pontas Tomo II.

mo sua tolerant personam quæ puellarum pudicitiam prostituant; verum etiam eos ad domus ipsius jacturam damnant: (f) *Præconisamus itaque*, inquit Imperator Justinianus, id est juxta Glossam, Præconia, & alta & publica voce præcipimus, *quia si quis de cætero præsumpserit invitam puellam assumere, & habere ad necessitatem nutritam & fornicationis sibi deferentem quæstum, hanc necesse esse a spectabilibus prætoribus populi hujus felicissimæ civitatis comprehensum, omnia novissima sustinere supplicia....... Si quis autem patiatur in sua domo quemdam lenonem & hujusmodi præpositam operationis habere, & hæc denuntiata cognoscens, non ex domo sua expulerit; sciat se & decem librarum auri sustinere pœnam; & citra ipsam, prædiarum habitationem*. His addamus Legem quam Imperator Antoninus ad quamdam mulierem nomine *Gall morphoniam* (g) dirigit, qua locatori licitum est domo sua expellere conductorem, cum ea improbe utitur.

(f) Novell. 14. de lenonibus parag. Præconisamus. authentic. collat. 3. tit. 1.

(g) L. Æde 3. Cod. de locato & conducto lib. 4. t. 65.

Veritas quam jamjam asserimus, auctoritate Sancti Caroli Borromæi, Archiepiscopi Mediolanensis, adhuc confirmari potest: (h) Nam Sanctus ille Cardinalis non vult ut Confessor absolvat eos qui habent domos pro aliis paratas, ut foliis lusoriis, aut tesseris ludant, nisi ante pravo isti usui nuntium remiserint. *Nec ii possunt absolvi*, inquit, *qui sincera resolutione peccata mortalia & eorum occasiones fugiendi non statuerant...... Occasiones porro illæ, quæ ex natura sua ad peccatum inducunt, sunt; si qui alea & ejusmodi lusibus indulgent, qui domum in hunc finem præparatam aperiunt*. Sic fert Instrumentum archetypum; *Il far professione di giuoco di carte, o dadi, ovvero tener casa apparecchiata a questo effetto per altri*. Peccatum autem eorum qui forum aleatorium habent, æque odiosum & infame non est, ac peccatum mulieris quæ lupanar publicum habet. Si ergo Sanctus iste Archiepiscopus peccati mortalis arguat eos qui hujusmodi forum aleatorium habeat, & si Confessoribus præcipiat ne eos absolvat, quanto potiori ratione idem dicendum erit de eo qui domum suam locat mulieri, quam novit ea usuram ut commercium adeo detestandum exerceat? Sanctus ille etiam ad exemplum hujusmodi personas addit: *aut qui domi retinent, aut suo nomine, aut quovis alio modo, mulierem, cum qua fruatur*.

(h) Act. Eccles. Mediol. part. 4. tit. instruct. pro Confessorib. tom. 1. pag. 653.

Ex iis omnibus quæ diximus colligamus ergo, Franciscum domum suam vacuam potius derelinquere debere, quam eam Lucinæ locare; & in penuria, in qua supponitur, hanc fiduciam habere debere, quod Divina Providentia eum non deseret; & infinito longius præstare quoddam temporale commodum amittere, quam in periculum bona æterna in sempiternum amittendi venire. *Melius est*, ait Sanctus Hieronymus, *ut emolumentis carnalibus careas, quam, dum vis lucrifacere, causam habeas mintram* (i).

(i) Hieron. l. 3. in Matth.

Verum dices, nonne liceret Lucinæ res quibus vescitur, vendere, ac pro ipsa laborare, vestem ipsi faciendo, modo illud bono fiat consilio? Cur igitur, concludes, eam hospitio excipere non licebit, cum res ad victum necessariæ & vestes, ipsi non minus necessariæ sint ad peccandum, quam ædes?

Hanc objectionem evertere facile est, dicendo, quod maximum intercedat discrimen inter rerum ad vitam necessariorum venditionem, & domus locationem. Domus enim occasio est proximior ad hoc infame commercium faciendum; & præterea ejusmodi personæ hospitio excipi non possunt, quin contra honestatem Christianam peccetur, & quin verum scandalum hujus domus affinibus, omnibusque iis qui rem norunt, detur. Quod eo verius est, quo moraliter loquendo fieri nequit, ut honestæ personæ non reperiantur, quibus domus locari possit, præsertim eam vili pretio locando. Sylvius hujus quæstionis occasione data, quamdam exceptionem apponit, nempe, quod si Princeps, aut Magistratus meretricibus concederent, ut in quemdam urbis tractum se se reciperent, atque in eo habitare præciperent; ut revera concessit Carolus VI. Edicto suo diei 14. Sep-

tembris 1420. qui in eo septem his miseris mulieribus ut in iis habitarent, designavit, nempe vicum *Chapon*, & *Pavee*, *de l'Abbreuvoir Macon*, *de Glotigni*, *de Firon*, *de Baillehoe*, & *la Cour Robert* Urbis Parisiorum; harum domuum Domini, qui hoc in casu eas aliis personis locare non possent, eas ipsis absque crimine locare possent, ut pretio conductionis quod inde perciperent, necessitatibus suis consulerent; modo sincere improbam harum perditarum mulierum vitam detestarentur. Id docet doctus S. Thomæ Commentator (a): *Petes an etiam excusandi sint qui domos elocant meretricibus?* Sic sibi quæstionem proponit, ad quam his verbis respondet: *Respondeo, posse excusari si hæc omnia concurrant, quod & mulieres illæ sint ad meretricandum prorsus resolutæ, & a Republica tolerentur in ea Civitatis parte, in qua ipsis elocatur domus, & peccatum displiceat elocatoribus. His enim positis, justa subest causa negligendi peccatum talium mulierum; neque tenetur elocatores illud impedire.*

(a) Fr. Sylv. in 2. 2 q. 77. art. 4. quæsito a. conclus. 5.

Vide Casum sequentem.

CASUS XVI.

CLEMENS, domos quam habitat Dominus, ædium suarum partem locavit mulieri, quam sapientem agendi rationem sequi existimabat; sed quam postea meretricem esse agnovit. Num conscientia tenetur, ad eam domo expellendam, quamvis ejus flagitiosæ ac perditæ libidines occultæ sint, nec ullum scandalum creent?

RESPONS.

Existimamus, Clementem conscientia teneri, ad hanc mulierem dimittendam; variaque hanc in rem argumenta afferre possumus.

Primum elicitur ex Lege Justiniani, quam in decisione præcedenti retulimus (b), quam Imperator iste non modo omnigenis personis prohibet, ne domos suas ullis mulieribus, aut puellis improbæ vitæ locent, aut illas in eis excipiant: Verum etiam vult per septimum articulum, ut si forte in eis exceptæ fuerint bona fide ac errore, ejus Lex locum habeat, statim atque improbum earum commercium detectum fuerit, atque Domini, vel ædium conductores hac de re moniti fuerint, si eas quam citissime non expulerint. En septimus articulus addit, quod si aliquis spoponderit aut se prædem dederit erga hos Dominos aut præcipuos conductores, se curaturum ut hæ mulieres aut puellæ libidinosæ ædibus excipiantur; ejusmodi cautiones rescindantur & irritæ fiant; sponsoresque, si comprehendi possint corporaliter puniantur, vel alioquin Urbe in exilium mittantur; *Si quis autem conscriptionem de cætero in talibus præsumpserit, aut fidejussorem acceperit; sciat nullam quidem se utilitatem hujusmodi fidejussionis, aut conscriptionis habere. Etenim fidejussor quidem obligatus non erit: & ipse in corpore supplicium sustinebit, & a magna hac longissime Civitate expelletur.* Sic Imperator Justinianus loquitur.

(b) Cit. Novella 14. de lenonibus. pag. 5.

Secundum argumentum elicitur ex Constitutione Caroli Magni anno 800. facta (c), quæ fert, ædium Dominum, apud quem meretrix reperiretur, ad eam usque ad locum fori publici collo suo inferendam adactum iri; quod si forte obedire recuset; ipse in forum deducetur, simulque cum ea virgis cæderetur.

(c) Capitul. Reg. Franciæ apud Steph. Baluz. tom. 1. col. 341.

Carolus VI. Edictum pronuntiavit die 24. Septembris 1420. quod plane congruit cum Edicto Justiniani, quemadmodum etiam cum eo congruit Edictum Sancti Ludovici an. 1254. quod in sua Edictorum Collectione a Fontanon refertur (d). Silentio prætermittimus innumera alia similia argumenta, quæ ab Auctore Tractatus de Disciplina politica referuntur (e); Qui auctor curiosis suis disquisitionibus hanc materiam exhausit.

(d) Fontanon tom. 1. l. 3. tit. 73. art. 1. pag. 672.

(e) D. De la Mare tractat. de Discipl. politica l. 3. tit. 5. cap. 4.

Sed quid opus est recurrere ad Leges, vel Edicta Principum, ad veritatem per seipsum adeo claram confirmandam? Nonne vitio favetur, cum illi, quos vitam libidinosam agere notum est, hospitio excipiuntur? Et an verus Christianus, quin rubore suffundatur, sub quovis prætextu affirmare auderet, se posse tueri personas, quarum vita adeo fœda infamis ac criminosa est?

CASUS XVII.

HILARIUS, qui domus usumfructum solummodo habet, eam Juliano locavit, qui in ea reparanda, vel augenda, notabiles sumptus fecit.

Hilario fato functo an conductionem expletam, num Julianus ab earum ædium Domino sumptus adhibitos repetendi, jus habet?

RESPONS.

Constat domus locatæ Dominum, ad impensas necessarias a conductore adhibitas, ut eam restitueret, resarciendas teneri, juxta hanc Juris regulam (f): *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra*: Hoc est, quod cum locator commodum suum repetiat in impensis a Conductore domui suæ adhibitis, ejusque domus sic melior evaserit, æquum est; ut impensarum adhibitarum rationes cum eo conferat; nisi Conductor eas impensas ad proprium suum commodum fecisset, & per tempus tantum, quo conductio permaneret: Alias Dominus Conductoris sumptibus ditior fieret, adversus hanc aliam Bonifacii VII. regulam (g): *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.* Quod etiam ipsi juri naturali adversaretur, quemadmodum dicit alia Juris Romani regula (h): *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem.* Pari modo ratiocinandum est de hæredibus Domini, cum supremum diem abiit, cum in ejus jura veniant, & ex ejus oneribus teneantur.

(f) Reg. 55. de regulis juris in 6.

(g) Reg. 48. ibid.

(h) Leg. Jure 206. ff. de diversis regulis juris antiqui l. 50. tit. 17.

Verum res aliter sese habet, cum locator solummodo usufructuarius est domus, quam elocat. Si enim supremum diem obierit, antequam damni eo pensationem Conductori dederit, iste pretium reparationum, quas ædibus fecit, repetere nequit, quia autumare debebat, quod usufructuarius suus locator ante conductionis suæ terminum, supremum diem obire posset; atque isto obitu jus suum repetitionis cessaret. Quamobrem, quandoquidem periculum hujus damni subire voluit, jus non habet qui de eo conqueratur. Id expressim deciditur in Jure, ubi dicitur (i): *Si fructuarius locaverit fundum in quinquennium, & decesserit: hæredem ejus non teneri, ut frui præstet.* Id etiam docet Auctor Collocutionum Condomensium (K); & eruditus Jurisconsultus D. Domat, in suo magni laboris Opere cui titulus est: *Leges Civiles in ordine suo naturali* (l).

(i) Leg. Si quis 9. paragr. 1. ff. locati conducti.

(K) Colloq. Condomens. tom. 1. Colloq. 2. sect. 1.

(l) Domat. Leges Civiles &c. lib. 1. tit. 2. sect. 3. n. 9.

CASUS XVIII.

DAMASIUS, Dominus ædium in quodam Parisiorum Suburbio sitarum, eas Balduino in annum locavit, numeratis 300. libris. Balduinus timens, ne morbus contagiosus, qui in quadam Urbis parte viget, serperet ad Suburbium, ubi ædes istæ sitæ sunt, eas deseruit sex mensibus post conductionem initam, librasque 150. ad Damasium misit, cum de fuga sua non monendo. Damasius de Balduino conqueritur, & contendit ab eo 300. libras in solidum sibi solvendas esse, quia eum ipsum non monuerit, quod domum sua deserebat, causa fuit cur eam alteri non elocaverit. Num Balduinus ad cæteras 150. libras Damasio adhuc solvendas, conscientia teneatur?

RESPONS.

Una ex Conductorum obligationibus hæc est, ut rem locatam non deserant, nisi fine præstituti temporis, sicut apparet ex dispositione cujusdam e Legibus Codicis (m), nisi Conductor eam deserendi, a parte rei ipsius quam conduxit, legitimam causam habeat: & si forte quamdam ejusmodi causam habeat, ad locatorem monendum, si fieri possit, tenetur, ut ipsi alium Conductorem repetiendi ratio non auferatur. Juxta hoc principium, cum Balduinus facile Damasium monere potuerit, de consilio domus eorum deferendæ, ut se

(m) Leg. Invitos 11 cod. de locato & conducto l. 4. tit 65.

reciperet in alium locum, ubi vita sua a periculo morbi cootagiosi tutior esset; constat, quod si Damasius, postquam Balduini egressus ipsi innotuit, domum suam elocare non potuerit, Balduinus ad damnum ipsi resarciendum tenetur, cum hoc in casu, damni quod perpetitur, vera caussa sit.

Hæc decisio, quæ æquitate naturali nititur, Legibus Civilibus congruit: tres solummodo referemus. Prima sic sonat (a): *Exercitu veniente, migravit conductor. Deinde hospitio milites fenestras & cetera sustulerant. Si Domino non denuntiavit, & migravit; ex locato tenebitur. Labeo autem, si resistere potuit, & non restitit, teneri ait: quæ sententia vera est. Sed & si denuntiare non potuit, non puto eum teneri.* Secunda, quæ dilertior adhuc videtur ad quæstionem nostram enodandam, dicit: *Qui contra Legem conductionis fundum ante tempus sine justa ac probabili caussa deseruerit; ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus locatori in id, quod ejus interest, indemnitas servetur.* En denique quomodo tertia loquitur (b): *In judicio tam locati, quam conducti dolum & custodiam, non etiam casum cui resisti non potest, venire constat.*

(a) Leg. Item. 13. §. 7. ff. locati conducti.

(b) Leg. In judicio. 18. cod. de locato & conducto.

Ex his omnibus Legibus patet, Balduinum præstare debere damnum, quod culpa sua Damasio creavit. Sed ad illud præstandum non teneretur, si in ejus potestate non fuisset de migratione sua eum monere: quemadmodum fieri posset subita incursione militum adversariorum, quorum violentiæ resistere non posset. Quod ista altera Lege fertur (c). *Iterum interrogatus est, si quis timoris caussa emigrasset* (e domo conducta) *deberet mercedem necne? Respondit; si caussa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset; tamen non deberet mercedem. Sed si caussa timoris justa non fuisset, nihilominus debere.*

(c) Leg. Habitatores. §. iterum. ff. locati conducti.

CASUS XIX.

Cyprianus cum domum suam Gilberto locasset, ignis eam incendit, magnamque ejus partem combussit. In utrum damnum hoc incendio creatum recidere debet?

Respons.

Si domus incensa fuerit culpa Gilberti conductoris sui, vel eorum pro quibus spondere debebat, totum damnum in ipsum recidere debet. Verum si incendium absque ulla ejus culpa contigerit, ut verbi gratia, igne cælesti, hostium occupatione per belli tempus, aut malitia cujusdam incendiarii privati; Cyprianus solus qui ejus est dominus, damnum integrum perpeti debet, juxta hanc communem Juris sententiam, *Res perit domino rei* (d).

(d) Arg. Legis Pignus. 9. cod. de pignoratitia actione. l. 4. tit. 24.

Pariter ratiocinandum est de omnibus aliis rebus, quæ locari possunt, exceptis illis quæ, tempore quo locata fuerant, æstimatæ sunt; quemadmodum, si equum conduxissem, cum locatore convenerim, ut illi equo pretium 20. duplionum imponeretur. Hoc enim in casu, si casu etiam fortuito perierit, ad ejus pretium solvendum teneor, quemadmodum statuitur a Lege quæ dicit (e): *Si æstimata res data sit; omne periculum præstandum ab eo, qui æstimationem in se præstaturum recepit.* Ratio est quod æstimatio æquipolleat venditioni, ejusque locum habeat juxta hæc Legis verba (f): *Cum fundus locetur & æstimatum instrumentum colonus accipiat, Proculus ait, id agi, ut instrumentum emtum habeat colonus; sicuti fieret, cum quid æstimatum in dotem daretur.*

(e) Leg. Si ut certo. 5. §. 3. ff. commodati.

(f) Leg. Cum fundus. 3. ff. locati conducti.

Diximus, *si domus incensa fuerit culpa Gilberti, aut eorum pro quibus spondere debebat.* Conductor enim non modo ex facto suo, verum etiam ex facto personarum quas præstare debet, tenetur, sicut fertur a Lege quæ dicit (g): *Id periculum præstat; si qua ipsius, eorumque quorum operis uteretur, culpa acciderit:* Et ab alia Lege quæ vult ut dominus damnum quod alteri per negligentiam mulionis famuli sui contigit, præstet; *Quod si sine definitione personæ mulionem a me conduxisti, & ego eum tibi dedissem, cujus negligentia jumentum perierit; illam quoque culpam me tibi præstaturum animo, quod eum elegissem, qui ejusmodi damno te afficeret.* Hæc sunt Legis verba (h). Unde sequitur, quod si incendium culpa unius e famulis Gilberti contigerit, totum damnum in ipsum recidat: quia Dominus ex facto famuli sui tenetur.

(g) Leg. Si merces. 25. §. 7. ff. eod. tit.

(h) Leg. Cum in plures. 60. §. 7. cit. ff. eod. tit.

Idem etiam dicendum est, si Gilbertus totam domum alteri conductori sublocavisset, qui eam incendisset, salvo suo in subconductorem actionis subsidiariæ jure. *Videamus*, ait alia Lex (i); *an & servorum culpam & quoscumque induxerit, præstare conductor debeat, & quatenus præstet? utrum ut servos noxæ dedat; an vero suo nomine teneatur, adversus eos quos induxerit; utrum præstabit tantum actiones: an quasi ob propriam culpam tenebitur. Mihi ita placet, ut culpam etiam eorum quos induxit, præstet suo nomine; & si nihil convenit: si tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit vel suos, vel hospites.*

(i) Leg. Videamus. 11. ff. eod. tit.

CASUS XX.

Altinus, Architectus, cum se Demetrio locasset, ad ipsi domum ædificandam, opus incepit, domusque fundamenta jam jecit; posteaque supremum diem obit. Demetrius Altini heredes ad pactionem a defuncto secum factam servandam adigere vult; quod denegant. Num tuta conscientia eos adigere potest?

Respons.

Hunc casum a Jure Romano in gratiam Demetrii clare dijudicatum reperimus. Dicitur enim in Lege Codicis Justiniani (k): Omnia promissa facta aliquid dandi, aut exsequendi, vel simul dandi ac faciendi, ad heredes transire, quin necesse sit, ut id expressim stipulatum fuerit. *Generaliter sancimus*, ait ille Imperator, *omnem stipulationem sive in dando sive in faciendo, sive mixta ex dando & faciendo inveniatur, & ad heredes & contra heredes transmitti; sive specialis heredum fiat mentio, sive non.* Demetrius ergo absque injustitia Altini heredes cogere potest ad pactionem a defuncto secum factam servandam: quemadmodum contra si Demetrius ipse supremum diem obiisset, antequam Altinus domum perfecisset, iste in Demetrii heredes actionem haberet, pariterque eos ad pactionem initam servandam adigere posset (l).

(k) Leg. Veteris. 13. cod. de contrahenda & committ. stipulat. l. 8. tit. 38.

(l) Fr. de Genet. Theol. mor. tom. 1. tract. 5. cap. 6. quæst. 4.

CASUS XXI.

Aristæus Petro se locavit ad secanda duo aut tria jugera silvæ cæduæ, pretio tantum 18. librarum, quia hoc opus intra 24. dies perficere posse autumabat: quod ipsi 15. asses singulis diebus produxisset, quæ merces vulgo omnibus lignatoribus datur. Verum quia hæc silva cædua densissima & arboribus maxime referta erat, illam secare non potuit, quin 12. insuper dies adhiberet. Num Petrus in foro conscientiæ tenetur ad Aristæo solvendum lucrum, quod fecisset alibi operam suam consumendo, si in pactione sua non errasset?

Respons.

De pacto locationis, sicut de pacto emtionis & venditionis ratiocinari possumus, quemadmodum dicit Imperator Justinianus in quadam e suis Legibus, quam alibi laudamus. Constans est autem sententia, numquam licitum esse rem minori quam valet pretio emere, licet venditor erraverit, vel æquum ejus pretium ignoraverit. Neque etiam igitur abuti possumus errore, aut ignorantia operarii quem conducimus, atque ad pretium operis ejus, pro ratione temporis quod in eo insuper collocavit, augendum tenemur. Quod probari potest per Legem quæ dicit (m), quod cum operarius pretio quodam determinato opus aliquod susceperit, & pactionem suam faciendo erraverit, jus habet damni compensationem petendi ab eo cui fidem dedit, licet uterque erroris culpandus non sit. En hujus Legis verba: *Si quis ... per dolum obligatus est; competit ei exceptio ... etsi nullus dolus intercessit stipulantis; sed ipsa res in se dolum habet.*

(m) Leg. Si quis. 46. ff. de verbor. obligat. l. 45. tit. 1.

Constat autem in specie quæ proponitur, Petrum minus pretium Aristæo, quam ex æquo ad ipsum pertinet, solvere velle. Ergo ad supplementum, quod rogat ipsi concedendum, tenetur, quamvis error sola sua ignorantia contigerit.

Attamen observandum est 1. quod si Petrus pactionem suam cum Aristæo concludendo, ad majorem sumtum, quam cum signatore convenerat, faciendum absolute dispositus non esset; & si alioquin opus faciendum certissime non curasset; stricto jure ad supplementum solvendum non teneretur. Exemplum afferamus; Petrus vult domum condere ad cujus constructionem 1000. libras solummodo impendendas habet, & quam ædificandam non curaret, si redemtor ipsum certiorem non fecisset se hoc pretio domum illam ipsi ædificaturum; post domum conditam non tenetur ad illi 2000. libras tradendas, quas ab eo in supplementum petit, sub prætextu quod in pactione sua erraverit.

Secundo observandum est, quod si operarius casu quodam fortuito, verbi gratia, mala tempestate coactus fuerit, ad plures dies quam autumaverat, ad opus suum perficiendum, impendendos; Ille qui eum ad hoc opus conduxit, non tenetur etiam ad ullam pretii constituti accretionem; quia si operarius propter tempestatem secundam longe pauciores dies impendisset, ad quidquam de pretio sibi promisso imminuendum non obligaretur. Hæc est sententia Auctoris Collocutionum Condomensium *(a)*.

(a) Colloc. Condom. tom. 1. Colloq. 9. sect. 2.

CASUS XXII.

Fullonius, decem homines operarios per hebdomadam conduxit, duodecim assibus unicuique quotidie numeratis, consilio eos ad messem faciendam adhibendi; Sed cum quodam negotio improviso coactus fuisset e domo discedere ad iter faciendum mandata sua his operariis non relinquendo; primum diem nihil faciendo insumserunt, quia semper eum exspectabant. Cum Fullonius rediisset, eos sequentibus diebus occupavit: verum hebdomada elapsa, nihil ipsis pro primo die solvere voluit, sub prætextu quod hac die non laboraverant, vel saltem ipsis solummodo sex asses, loco duodecim assium, pro prima illa die dedit. Num quamdam hac in re ipsis injuriam fecit?

Respons.

Verbis disertis in Jure notatur, quod cum vir quidam operam suam locat, nec penes eum est quin operetur, verum penes conductorem, licet id casu fortuito contingat; ipsi pretium stipulatum solvendum est, perinde ac si re ipsa operatus esset. *Qui operas suas locavit (b)*, inquit Lex, *totius temporis mercedem accipere debet; si per eum non stetit, quominus operas præstaret*. Juxta idem principium Lex ista dicit adhuc, patronum qui in antecessum pro caussa dicenda mercedem accepit, ad pecuniam acceptam reddendam non teneri, quamvis caussam non dixerit, cum per ipsum non stetit, quin eam diceret. *Advocati quoque si per eos non steterit quominus caussam agant, honoraria reddere non debent*. Plures aliæ Leges, illis quas jamjam attulimus, addi possunt, quæ clare eamdem sententiam statuunt. Verum longius ac etiam inutile foret earum verba heic laudare *(c)*.

(b) Leg. *Qui operas*, 38. ff. locati conducti l. 19. tit. 2.

Verum si talis operarius alteri personæ operam navasset, ea die qua primus conductor eum non occupavit; iste ad illi mercedem pro hac die tradendam non teneretur: siquidem hoc in casu nullum damnum perpessus fuisset; sicut a prima Lege, quam jamjam in margine indicavimus, fertur.

(c) Leg. *Si addes*, 9. §. 1. & Leg. *Colonus*, 61. §. 1. ff. eod. Leg. *Diem functo*. 4 ff. de officiis assessorum l. 1. tit. 21.

Ergo dicendum est, ut ad quæstionem propositam respondeatur, Fullonium per conscientiam teneri, ad diurnam mercedem quam detraxerat, his decem operariis præstandam, unicuique 12. asses numerando, quod pretium præstitutum fuerat, nihil ab eo ipsis imminuendo sub prætextu quod operati non sint; quandoquidem per eos non stetit, Ipseque solus caussa fuit cur non laboraverint, quia absens fuit, nec ipsis, antequam proficisceretur, mandata sua significavit.

Observandum respectu hujus quæstionis, quod si decem isti operarii mercedem in antecessum accepissent, nec operari voluissent; ad pecuniam acceptam conductori restituendam tenerentur, ut & ad damnum, quod ipsi inferre potuissent, resarciendum. Quod si casu quodam inevitabili ab operando deturbati fuissent, ad ullam damni compensationem erga conductorem non tenerentur; sed solummodo ad mercedem in antecessum perceptam, pro tempore, quo operati non essent, restituendam.

CASUS XXIII.

Matthæus postquam Octavianum pictorem in annum conduxisset, numerata 200. librarum pecunia cum alimentis & habitatione, ea lege ut certum tabularum numerum ipsi faceret; picturæ satietatem cepit sex mensibus elapsis, Octavianumque dimisit, ipsi solummodo 100. libras pro sex mensibus tradendo; quamvis nihil in operibus, nec in persona hujus pictoris reprehendendum esset, peteretque ut sibi liceret tempus conductionis suæ præstitutum adimplere, vel saltem ut sibi summa integra 200. librarum solveretur. Nonne Matthæus ad pactum servandum, vel ad minimum ad 200. libras Octaviano solvendas, tenetur?

Respons.

Si Octavianus per reliquos sex menses otiosus fuerit, propterea quod Matthæo se locaverat; existimamus Matthæum ipsi 200. libras solvere debere, cum ipsum absque ulla caussa legitima, a parte hujus pictoris deducta, dimiserit, nec quidquam in ejus persona moribus aut opera reprehendendum habuerit. Ratio est, quod in locationis pacto, contrahentes conscientia teneantur ad pacta conventa fideliter observanda; quin neutri ea violare licitum sit. Id expresse dijudicatum videmus a prima Lege, cujus verba in responsione ad antecedentem quæstionem retulimus *(d)*. En verba secundæ Legis, quam etiam laudavimus *(e)*: *Cum per te non stetisse proponas, quominus locatas operas Antonio Aquilæ solveres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti; fidem contractus impleri æquum est*. Juxta idem principium Glossa dicit *(f)*; quod si cujus qui se locavit, culpa contigerit, ut operam stipulatam non reddiderit, ex damno quod conductor percepit, teneatur. Hæc omnia justitiæ ita congruentia videntur, ut alias auctoritates ad ea probanda afferre necesse non sit; cum pacta conventa respectu contrahentium legis locum habeant, juxta hanc juris Canonici regulam *(g)*: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*; cui congruit jus Romanum, quod etiam in quadam e suis legibus dicit *(h)*: *Contractus enim legem ex conventione accipiunt*. Auctores Theologiæ moralis Gratianopolis, & Collocutionum Condomensium, eamdem sententiam tuentur *(i)*.

(d) Cit. leg. *Qui operas* 38. ff. locati.

(e) Cit. leg. *Si addes*, 19. l. 8. ff. eod. tit.

(f) Glossa in leg *Ex conducto*. §. 4. ff. eod. tit.

(g) Reg. 85. de reg. juris. in 6.

(h) Leg. *Depositum*. 1. §. 6. ff. depositi vel contra. l. 16. tit. 3.

(i) De Gener. theol. mor. tom. 2. tract. 5. cap. 6. quæst. 7. Colloc. Condom. tom. 1. Colloc. 9. sect. 2.

CASUS XXIV.

Faro, qui navibus vecturam facit, cum hoc oneris sibi imposuisset, Rhotomago quatuor columnas marmoreas Parisios transvehendi, numeratis 50. libris, quas Hieronymus ad quem pertinebant, ipsi solvere debebat, unam ex his columnis, eas in portu exonerando, fregit; num ejus jacturam ferre debet?

Respons.

Si columna, Faronis aut eorum quibus ad eam deponendam usus est, culpa fracta fuerit, ejus jacturam præstare debet. Verum, si contra ipse, aliique omnem curam quæ a personis prudentissimis ac peritissimis exspectari potest, adhibuerint; damnum in ipsum venire non debet. Id exigit justitia & decidit Lex, quæ dicit: (K) *Qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset*.

(K) Leg. *Si merces* 25. §. 7. ff. locati.

CA-

CASUS XXV.

Michael hoc oneris sibi imposuit equum ad Claudium pertinentem servandi, ea lege ut Claudius ipsi quatuor libras ad eum curandum singulis mensibus solveret. Aliquanto post, cum equus in prædio satis remoto pasceret, a quibusdam erronibus abreptus est. Num ad equi pretium Claudio solvendum tenetur?

R e s p o n s.

Quin Michael ex jactura equi teneatur, dubitari nequit. Ille enim qui hoc oneris sibi imponit rem sibi traditam servandi, & qui propterea mercedem percipit, ad eam omni cum cura, cujus personæ vigilantissimæ capaces sunt, conservandam tenetur, atque si, deficiente tali cura, res perierit casu etiam fortuito, quem vitare potuisset, eam Domino præstare debet. *Qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei*, inquit Lex (a), *hujus periculum custodiæ præstat*. Constat autem Michaelem omnem curam, quam vigilantissimi adhibere possunt, non attulisse; quandoquidem equum illum in pascuo remoto collocavit, nec quisquam illum custodiebat. Quædam igitur hac in re ipsius culpa datur. Culpæ enim prorsus immunes non sumus, nisi cum fecimus quicquid persona prudentissima & accuratissima facere poterat, juxta hac juris sententiam (b), *Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset*; ideoque equi jacturam Claudio ejus Domino, & qui curas suas ad eum conservandum conduxerat, præstare debet.

(a) Leg. *Qui mercedem*. 40. ff. locati &c.

(b) Leg. *Si merces*. 5. §. 7. ff. locati conducti.

CASUS XXVI.

Sabinianus, puer inops, cum res ad vitam necessarias sibi comparare non posset, Gualterio se se offert, ipsumque enixe rogat, ut eum domi tanquam famulum recipere velit, promittendo se, decem nummorum, quibus, contentus erit, pretio, ipsi æque magno usui futurum, ac eos quibus viginti nummos distribuit. An Gualterius absque injustitia Sabinianum decem nummorum mercede conducere potest, quin dici possit, eum alterius inopia uti, ut eum viliori pretio conducat?

R e s p o n s.

Ut hæc quæstio clarius dirimatur, præsupponendum est, quemadmodum ait Imperator Justinianus (c), magnam dari connexionem inter pactum emptionis & venditionis, ac locationis pactum, atque easdem juris regulas in utroque observari. *Locatio & conductio proxima est emptioni & venditioni, iisdemque juris regulis consistit*. Alia Lex idem etiam his verbis dicit (d), *adeo autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio & venditio, item locatio & conductio; ut in quibusdam quæri soleat, utrum emptio & venditio sit; an locatio & conductio*. De utroque igitur fere eodem modo ratiocinandum est.

(c) Lib. 3. Instit. tit. 2. init.

(d) Leg. *Locatio*. 2. §. 1. ff. locati &c.

Constat autem, in emptionis & venditionis pacto, rem minori quam valet pretio absque injustitia emi non posse, quemadmodum etiam ultra æquum ejus pretium vendi nequit. Hoc est Ethices principium constitutum a S. Thoma, qui dicit (e); *si pretium, vel excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium; tollitur justitiæ æqualitas: & ideo charius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum & illicitum*.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. in corp.

Ex hoc principio igitur colligi potest, quod si Gualterius egeat famulo, a quo operam æqualem operæ, quam alius famulus, quem viginti nummorum mercede conduxit, ipsi facit, exigat; illæsa conscientia minorem Sabiniano mercedem dare non possit, quandoquidem, ut supponitur, viginti nummos æque, ac alius famulus, meretur. Alias uteretur inopia quæ eum, ad se viliori pretio locandum, adigit; nec excusatione dignior foret, quam ille qui rem quamdam dimidio, minus quam æquo ejus pretio, emeret; quia venditor eam solummodo venderet, propter urgentem necessitatem, qua premeretur præsentem pecuniam prompte inveniendi.

Attamen si Gualterius Sabinianum solummodo conduceret, ut ipsi gratum faceret, & eo facile carere possit; & si decem nummos quos ipsi daret cum ejus alimento æque æstimaret, ac operam, quam ab eo expectaret, hoc in casu ad majorem mercedem ipsi tradendam non teneretur. Ratio est, quod æquum mercedis famulo debitæ pretium, non præcise computari debeat ex operæ ipsius natura, sed ex utilitate quæ exinde Conductori redit. Ita ut si Gualterius æque egeat opera Sabiniani, ac opera aliorum famulorum, quibus viginti nummos dat, istiusque opera aliorum operæ æquipolleat, ipsi mercedem æqualem debeat, nec aliter. Eo modo Theologiæ moralis, cui Gratianopolis nomen tribuitur, Auctor ratiocinatur (f).

(f) De Gener. Theol. mor. t. 1. tract. 5. c. 6. quæst. 6.

CASUS XXVII.

Saturninus cum indigeret duobus equis, ut Carrum mercibus onustum Parisiis Burdigalam deducendum adjuvarent, Landricum equorum mercatorem & locatorem adit. Sed ut eos viliori pretio conducat, iis pro se & famulo indigere simulat, ut minoribus itineribus Lugdunum petant, ubi dicit se per octiduum commoraturum; indeque Tolosam petant, quo rursus per aliquot hebdomadas se commoraturum supponit, & postea iterum Lutetiam rediturum, ipsique conductionem duorum equorum pro ratione 3. librarum singulis diebus pro ambobus soluturum. Landricus ei assentitur, & equos suos tradit Saturnino, qui eos in usum, quem animo agitaverat, adhibet. Qua de re quæritur. 1. An vir ille absque peccato adhibere possit hos duos equos ad carrum onustum trahendum, quin rei assensum expressim dederit Landricus, qui re nota, forsitan eos pluris locare voluisset? 2. An, posito id ipsi licitum non esse, ad quidquam Landrico restituendum teneatur?

R e s p o n s.

Generalis est regula, eum qui rem in quemdam usum conducit, eam in alium usum illæsa conscientia adhibere non posse, quin locator rei assentiatur, aut quin conductor legitimam rationem habeat autumandi, quod locator ultro assentiretur, ut eam in hunc diversum usum adhiberet, si illud ab ipso peteret. Alias re, quæ ad ipsum non pertinet, contra ejus domini voluntatem, utendo, manifeste infidelitatis ac injustitiæ reus est. Quamobrem Justinianus dicere non dubitat, illum furtum committere, qui re conducta in alium usum, quam in quem eam conduxit, utitur; præsertim si locum habeat autumandi, quod rei Dominus assensum suum non præberet, si nosset. *Sive creditor pignore ..... utatur* ..... ait ille Imperator (g): *sive is, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transfert, quam cujus gratia ei data est, furtum committit*. Et in exemplum affert eum, qui cum equum conduxisset ut locum quemdam determinatum peteret, eo uteretur, ut longius progrederetur. *Veluti ... si quis equam, gestandi caussa commodatam sibi, longius aliquo duxerit*. Idem adhuc deinceps his verbis repetit (h); *Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere; si se intelligant id, invito Domino, facere; eumque si intellexisset, non permissurum. At si permissurum credant, extra crimen videri, optima sane distinctione, quia furtum sine affectu furandi non committitur*.

(g) Institut. lib. 4. tit. 1. de obligat. §. 6.

(h) Ibid. §. 7.

Inde igitur colligendum est, quod, cum Saturninus usus fuerit equis Landrici in usum plane diversum ab eo, quem huic locatori declaraverat; & cum ipse etiam judicaret, quod si bona fide usum quem animo agitaverat, declarasset, ejus assensum non obtinuisset, saltem quin conductionis pretium notabiliter adauctum fuisset, contra justitiam ac fidelitatem, quam in pacto

observare debebat, procul dubio peccaverit, & quod ideo ad legitimam damni compensationem erga Landricum teneatur, juxta sententiam quam personæ prudentes, ac integræ hac de re ferrent, quæ assurgere debere videtur ad supplementum summæ, quam Landricus ex equo exigere potuisset, si verum usum, ad quem Saturninus equos suos adhibuit, novisset. Quod eo clarius est, quod procul dubio illi equi longe magis defatigati & attriti fuerint carrum onustum usque ad Burdigalam trahendo, quam fatigati ac detriti fuissent hominem Tolosam usque vehendo, nec etiam totam viam absque intermissione faciendo; sed per octiduum Lugduni commorando, & per aliquot hebdomadas Tolosæ quiescendo, quemadmodum hic conductor Landrico imponebat (*a*).

(*a*) De Genet. Theol. mor. l. 2. tract. 5. quæst. 2.

CASUS XXVIII.

Leovigildus ad quindecim dies equum a Narcisso conduxit, ut e Parisiis Aureliam peteret. Cum huic equo soleæ in via excidissent, Leovigildus, re nota, illi soleas induere neglexit, unde factum est ut ejus pes plane vitiatus fuerit. Narcissus contendit Leovigildum ex damno hoc casu creato teneri. Num reipsa per conscientiam ex eo tenetur?

RESPONS.

Nullnm est dubium quin Leovigildus ad hoc damnum Narcisso relareiendum teneatur. Ratio est, quod una e præcipuis Conductoris obligationibus sit, ut re conducta tanquam bonus paterfamilias utatur, ut eam conservet, ac integram reddat; aut alioquin, ut locatori præstet damnum, quod sive maligne, sive negligenter, sive culpa notabili, ipsi creavit. *Prospicere debet Conductor*, ait Lex (*b*), *ne aliquo vel jus rei, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur*. Negari autem non potest, quin Leovigildus notabiliori negligentiæ culpandus sit, quia ignorare non potuit, equum discalceatum per viam stratam, qualis est via Parisiorum ad Aureliam, diu incedere non posse, quin pedem vitiet. Quamobrem ab omni damno, quod Narcissus inde percepit, resarciendo immunis esse nequit. *Si Conductor male tractavit rem sibi locatam*, ait S. Antoninus (*c*), *sic plus vel minus peccavit, secundum læsionem; & præcipue quando ex malitia, vel ex crassa negligentia hoc egit; & tenetur ad satisfactionem*. Quod huic juris Romani regulæ congruit (*d*), *Dolum & culpam ... locatum recipit*, cujus ratio est, quod locationis pactum, ad commune locatoris & conductoris commodum spectet, quemadmodum hæc alia Lex ferr (*e*), *Ubi utriusque utilitas vertitur, ut in empto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in societate & dolus & culpa præstatur*.

(*b*) Leg. Videamus. 11. §. 2. ff. locati &c.

(*c*) S. Anton. 3. part. Summæ Theol. tit. 3. c. 15. §. 8.

(*d*) Leg. Contractus 23. ff. de diversis reg. Juris antiq.

(*e*) Leg. Si ut certo. 5. §. 2. ff. commodati, vel contra. Item Leg. Depositum. 1. §. 10. ff. depositi, vel contra.

CASUS XXIX.

Fulicus Baldrico locavit equum, quem 40. assibus singulis diebus locare solet, Vigintique assibus contentus fuit, ea lege, ut si equus dum in Baldrici potestate esset, periret, quocunque modo id accideret, ejus pretium in solidum, vel saltem dimidiam ejus partem, solveret. Num quædam hoc in pacto injustitia datur?

RESPONS.

Iniquum est hoc pactum. Ratio est, quod Fulicum, equum suum locando, semper ejus sit Dominus. *Non solet locatis dominium mutare* (*f*), ait Lex; cum autem res perit naturaliter, soli Domino perit, *Res perit Domino rei* (*g*); Hæc est Juris sententia. Ergo, si equus naturaliter & absque Baldrici culpa periret, Fulicus solus ejus damnum ferre deberet. Attamen si equus ille casu quodam fortuito, quem Baldricus in se suscipere voluisset, periisset; & quem, absolute loquendo, vitare potuisset, ejus jactura in ipsum veniret, juxta Leges, quas in decima quarta decisione retulimus.

(*f*) Leg. Non solet. 39. ff. locati &c. l. 19. tit. 2.

(*g*) Arg. Legis. Pignus 9. cod. de pignorat. actione.

CASUS XXX.

Aristotimus duos boves in mensem locavit Marcello qui eis indigebat ad terras suas arandas, 25. assibus quotidie numeratis; verum ea lege, ut si Marcellus eos prima post mensem elapsum die ipsi non redderet, ad eos servandos, eorumque pretium pro ratione 90. librarum solvendum, teneretur. Marcellus eos triduo post tempus præstitutum elapsum Aristotimo solummodo remisit. Iste eos recipere recusavit, vultque ut Marcellus sibi 90. libras solvat, bovesque servet. Qua de re quæritur: An Aristotimus illæsa conscientia & stricto jure Marcellum ad hoc pactum adimplendum, præsertim si boves suos ab ipso non repetierit, adigere possit?

RESPONS.

Quamvis Aristotimus de suis bovibus tempore præstituto elapso sibi reddendis Marcellum non monuerit, id non impedit quominus eum adigere possit ad eos servandos, eorumque pretium sibi solvendum juxta æstimationem pacto suo designatam. Hæc est ratio quæ ejus reddi potest, nempe, quando debitor tempore a pacto præscripto non solvit, aut conditionem in eo stipulatam non adimplet; attamen obnoxius est pœnæ cujus in eo mentio fit, licet creditor de re præstanda eum non monuerit. *Cum ea quæ promisit ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari debeat poscere*, ait Lex (*h*): Ejus ratio quam Gregorius IX. in quadam e suis Decretalibus affert, hæc est (*i*), quod dies in pacto præstituta debitorem sat monere ac interpellare existimetur, quin creditor ad eum monendum teneatur. *Cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet*. Id docet Auctor Collocutionum Condomensium (*K*).

(*h*) Leg. Magnam. 12. cod. de contrahenda & committenda stipulat. l. 8. tit. 38.

(*i*) Greg. IX. in cap. Potuit. fin. de conducto & locato. l. 3. tit. 18.

(*k*) Colloc. Condom. to. 1. colloc. 16. sect. 2.

CASUS XXXI.

Remigius in quadriennium Benedicto sex boves elocat, unumquemque 40. libris æstimatum, & decem vaccas, unamquamque 25. libris æstimatam, ut iis utatur ad terras suas arandas, colendas & stercorandas, his legibus, 1. Ut Benedictus sibi quotannis solvat modium frumenti pretio 50. vel 60. assium pro singula vacca, & duos modios pro unoquoque bove. 2. Ut fructus quos vaccæ reddent, inter se æqualibus partibus dividantur. 3. Ut unusquisque eorum dimidiam partem pecudum jacturæ, tam naturalis, quam fortuitæ, quæ contingere poterit, ferat, sine qua conditione Remigius longe majorem frumenti quantitatem ex hac locatione absque injustitia percipere posset, si Benedictus, æque ac Remigius, sibi jacturæ onus non imponeret: tum quia Benedictus hoc in pacto commodum valde notabile reperit; quam quia bruta, quæ Remigius ipsi locat, opera & senectute notabiliter deteriora fiant & atterantur. Nonne æquum est hoc pactum?

RESPONS.

Hoc pactum, quod Gallice vocatur *Gasaille*, seu locatio pecudum arationi aptarum, iniquum est. Ratio est, quod tertia conditio naturam contractus locationis & societatis deleat; quibus in pactis locator semper remanet dominus pecudum, quas locationis, aut societatis nomine concedit, juxta hæc Legis verba (*l*), *Non solet locatis Dominium mutare*: ideoque solus tenetur ad eorum jacturam ferendam, cum pereunt absque culpa conductoris, qui solummodo ex jactura pecudum, quæ malitia, aut negligentia sua pereunt, tenetur. Unde sequitur Remigium sine injustitia hoc oneris imponere non posse Benedicto, ut præstet dimidiam partem jacturæ boum aut vaccarum, quæ morte sua naturali morerentur, aut alio modo, absque ulla ejus culpa, perirent. Equidem igitur majorem frumenti quantitatem e pecudum suarum locatione percipere potest, si mos in regione generatim receptus, sit majus commodum inde percipiendi: verum per speciem, quod exinde vilius commodum percipiat, Benedictum ad rem inju-

(*l*) Sup. cit. Leg Non solet. 39. ff. locati &c.

injustam, & quæ pacti cum eo initi naturam destruit, adigere non potest.

Iis quæ jam jam diximus addere possumus, vel æstimationem sexdecim pecudum venditionem præstare, vel eam non præstare. Si eam præster, juxta Legem, quæ dicit (a); *Æstimatio venditio est*; hoc in pacto injustitia datur, in eo quod Benedictus, post dimidiam partem sortis solutam, non majus commodum quam Remigius perciperet; licet majus percipere deberet, quia pecudes curavit, hospitio excepit & nutrivit. Si e contra contendatur æstimationem venditionem non præstare, in pacto datur adhuc injustitia, cum hoc in casu pecudes, Remigio earum domino in solidum non perirent; & cum dimidia pars earum jacturæ veniret in Benedictum, ad quem, hac in hypothesi, non pertinent (b).

(a) Leg. *Plerumque*. 10. §. ff. de jure dotium, lib. 23. tit. 3. Item Leg *Cum fundus*. 1. ff locati conducti. l. 19. tit. 2.

(b) De Sainte Beuve t. 1. cas. 138.

Vide { COMPENSATIO. MARCADES aut Salaria. DOMINI PAROECIARUM. *Cas.* Hugn. }

LOTERIA.

LOTERIA quædam est species Ludi, a decimo quinto sæculo in plerisque Regnis & Ditionibus Europæ usu recepti. Id patet ex Epistola Christophori Longolii (c), qui cum in urbe Machliniæ an. 1488. natus esset, supremum diem obiit an. 1522. trigesimum quartum annum agens, & qui dixit, Loterias, seu ludicas schedularum sortitiones, ætate sua excogitatas fuisse. Attamen, testante Suetonio, ab Imperatoribus Romanis jam usu receptæ fuerant, quemadmodum deinceps videbimus.

(c) Christoph. Longolius l. 3. epist. 31.

Ludus iste consistit in quibusdam schedulis numeris Arithmeticis notatis, quibus inscribitur sententia, vel quædam verba pro lubitu, & quæ, postquam omnes una collocatæ & commixtæ fuerunt, sorte extrahuntur in commodum ejus, cujus sententia aut numerus, ipsis inscripta reperiuntur.

Ex decisione primi Casus innotescet, quibus constet corpus Loteriæ; quot sint ejus species: & quænam sint conditiones necessariæ, ad eam justam & licitam efficiendam.

CASUS PRIMUS.

POLYCRATAS & Gabinius, quisque commiserunt duplionem Loteriæ, quam Cajus fecit, & in ea maximam partem, pretio 10000. librarum adepti sunt. 1. nonne Cajus hanc Loteriam faciendo peccavit? 2. An ii, qui maximum præmium, & alii qui cetera præmia adepti sunt, ea præmia quæ abstulerunt, legitime sibi compararunt?

RESPONS.

Antequam ad quæstionem propositam respondeamus, operæ pretium est scire 1. Unde oriantur Loteriæ? 2. Quid sint? 3. Quot sint ejus species? 4. Quænam earum conditiones esse debeant?

Usus Loteriarum oriundus est Italia, ubi Ludus iste vocatur *Giuoco di bianca*, sub intelligendo *Charta*, quia multo plures schedulæ albæ quam nigræ in eo dantur (d): & quia Loteriam sortiendo, Itali contenta voce pronuntiant verbum *bianca* (e); unde factum est ut statim in Gallia huic Ludo datum fuerit nomen *Blanque*.

Usus iste, testante Suetonio, antiquissimus est (f): Imperatores Romani qui omnibus suis subditis gratificari, atque omnes suos milites remunerare non poterant, Loterias faciebant, quæ *Congiaria* vocabantur; quarum adhuc in Pinacothecis Numismata, *Congiaria* dicta, reperiuntur. Fiebant per schedulas, quæ sorti committebantur, aut fortuito primis occupantibus projiciebantur; & præmia constabant pecunia, gemmis, frumentis, prædiis, rebusque moventibus, ut tabulis, vestibus, equis, aliisque similibus. Nero inter ludos solemnes in gratiam populi similes Loterias fecit: similiter egit Domitianus, schedulasque quinquaginta pro unoquoque Senatorum & Equitum, qui amphitheatro aderant, ordine adjunxit.

(d) Diction. Etymologic. de Mesnage.

(e) Bouchel Biblioth. juris Gallici tom. 1. pag. 169.

(f) Sueton. in vita Domit. c. 4. & in Neron. c. 2.

Duæ sunt species Loteriarum, aliæ constant præsenti pecunia, aliæ vero constant mercibus, rebus moventibus, ornamentis muliebribus, aliisque similibus. Distingui adhuc possunt Loteriæ hodiernæ, in Loterias politicas seu ad Regnum aut Statum spectantes; in Loterias charitatis, in Loterias Commercii; & in Loterias ludi: Istæ ultimæ vulgo certis cibis tantum constant, qui ad epulas inter amicos faciendas apponuntur.

Quæ pecunia præsenti constant Loteriæ, duo pacta complectuntur; Primum, ut Loteria, omnibus legitimis sumptibus deductis, quadam summa determinata constet, quæ præbebitur ab iis qui sortitione aliquid in ea adipisci autumant. Secundum, ut hæc summa unicum præmium componat, aut in plura præmia dividatur, quæ ad eos, qui bonas schedulas habuerint, pertinebunt: & ut ii, quibus schedulæ albæ contigerint, pecuniam sorti commissam amittant.

Loteriæ rebus moventibus, ornamentis muliebribus, aliisque similibus constantes, duo etiam pacta comprehendunt; Primum est pactum venditionis & emptionis, quod tacite contrahitur inter eum qui ejusmodi Loteriam facit, qui est venditor; & eos qui pecuniam suam Loteriæ committunt, qui sunt emptores. Secundum est pactum sortis, quod tacite fit inter eos qui pecuniam suam concredunt, quo paciscuntur, quod Loteriæ pecunia pertinebit ad eos quibus schedularum nigrarum sortitione continget; & quod ii qui schedulas albas habuerint, ne hilum quidem ex ea percipient.

Priores Loteriæ, quæ præsenti pecunia constant, injustæ sunt: 1. si plus pecuniæ detineatur, quam requiritur ad sumptus necessarios faciendos: 2. si fraude nostra bonæ schedulæ expressim obtigerint personis quibus gratificari volumus: aut cum fideliter omnes schedulæ sorte non ducuntur.

Posteriores Loteriæ, quæ rebus moventibus, ornamentis muliebribus, aliisque similibus constant, injustæ etiam esse possunt; 1. Eadem ratione qua priores injustas esse posse, notavimus. 2. si ille qui Loteriam facit, ex æquo res quibus constat non æstimet, ut, verbi gratia, si adamantem pretio 300. librarum æstimet, etiamsi adamas ille pluris quam 20. duplionum pretio non veniat.

His tanquam scitu necessariis præsuppositis; existimamus Loterias, quæ in Gallia ab annis 125. aut circiter, receptæ sunt, quemadmodum id nos docet auctor, qui ante annos prope modum 200. scribebat (g), malas esse posse, non modo frau-

(g) Est in usu frequenti Europæ contractus quidam, quem vulgo vocant Loteriam. *Delrio*. l. 5. *Disquisit. Magicar.* c. 4. q. 2.

fraude & injustitia quæ in iis committuntur, verum etiam quia evenit aliquando, ut quidam iis pecuniam ad victum sibi necessariam committant, magna in iis lucri faciendi aviditate; & ut alii pecuniam ad se non pertinentem iis concredant; ut cum uxor inscio ac invito marito suo Loteriæ apponit, aut cum filiifamilias vel domestici, parentibus aut Dominis suis surripiunt unde habeant, ut Loteriæ committant. Omnia tamen hæc incommoda Loterias per se ipsas malas non efficiunt, sed solummodo caussa sunt, cur per accidens, id est, earum abusu, malæ fieri possint.

Verum, modo nulla in Loteriis injustitia, vel fraus, a parte eorum, qui eas faciunt, committatur, eas tanquam illicitas & malas condemnandas esse non autumamus. Hanc in re sequimur sententiam Clarissimi Joannis Briaert, Doctoris & Cancellarii Universitatis Lovaniensis, *Bailleul* prope urbem *Ath* in Hannonia oriundi, & cujus opera edita fuerunt Parisiis anno 1527. sexcennio post ejus obitum ad calcem quæstionum quodlibetariarum Papæ Adriani VI. Delrio & Silvius idem docuerunt. En sicut Silvius loquitur (a); *Responsio tamen verior est, istum ludum esse licitum, si debitæ circumstantiæ observentur; quemadmodum olim Lovanii docuit J. Briaert, quodlibeto 5. ac post eum Delrio, disquisitionum magicarum part. 2. lib. 4. c. 4.* En conditiones quibus doctus ille Theologus Loterias licitas existimat. Primo, ut nulla injustitia vel fraus admittatur a parte eorum, qui eas faciunt, aut illorum qui iis operam impendunt. *Ut absit omnis fraus, tam ex parte eorum, qui sortes conferunt, quam ex parte illorum, qui præmia proponant, eorumque ministrorum: Et ideo non permutentur vel imminuantur præmia, non alterentur schedæ, per quas fit sortitio; non exponantur oculis, tanquam præmia, quæ non præmia sunt, nec possunt per ullam sortem auferri.* Secundo, ne unusquisque privata sua auctoritate Loteriis faciendis se se immisceat; verum ut solummodo fiant auctoritate Superioris legitimi; & ut Superior ille eas faciendi licentiam, ob justam quamdam caussam, tantum concedat. *Ceterum quando expediat illum* (ludum) *permittere; ex necessitatibus aliisque caussis urgentibus judicandum est.*

(a) Fr. Silvius in 2. 2. q. 95. art. 8. sub finem.
Et apud eum Joan. Briaert. & Martinus Delrio.

Diximus Loterias per se ipsas malas non esse, id est, pro ratione conventus seu pacti sortis, quæ in illis usu venit, & quæ a Theologis *sors divisoria* vocatur, quæ Sortis species nullo modo damnanda est: Quemadmodum enim ait sanctus Augustinus (b): *sors ..... non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem, nam & sortes miserunt Apostoli.* Quamobrem sanctus Thomas dicit (c), eas variis in occasionibus adhiberi posse, ut 1. in bonorum partitione, cum illud necessarium est ad dirimendas controversias, quæ inter eos, quorum interest, oriri possunt. *Potest etiam hujusmodi necessitas ad sortem pertinere divisoriam*, ait sanctus ille, *quando scilicet contradictiones hominum super rerum divisione aliter sopiri non possunt, nisi per sortes divino Judicio committantur, secundum illud Proverb. 18. Contradictiones comprimit sors: & inter potentes quoque dijudicat.* 2. In munerum partitione. *Nec solum in rerum divisione necessitas divisoriæ sortis potest provenire; sed etiam in divisione eorum, quæ sunt a diversis agenda*, addit Doctor Angelicus, quod auctoritate sancti Augustini confirmat, his verbis, unde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum (d), *si inter Dei Ministros sit disceptatio, qui eorum, persecutionis tempore, maneant, ne fuga omnium *, & qui eorum fugient; ne morte omnium deseratur Ecclesia; si hæc disceptatio aliter non poterit terminari; quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte eligendi sunt.* 3. Quando de re quadam soli cuidam danda agitur, pluresque alii sunt quibus eam dare æque justum est. *Similiter etiam sortis necessitas imminet*, hæc sunt etiam sancti Thomæ verba, *si aliquid dandum occurrat pluribus, quod nonnisi uni eorum dari possit. Unde Augustinus dicit in primo de doctrina Christiana; si tibi abundaret aliquid, quod oporteret dari ei, qui non haberet, nec duobus dari potuisset; si tibi duo occurrerent, quorum neuter alium, vel indigentia, vel egestate aliqua, vel necessitate superaret; nihil justius faceres, quam ut sorte legeres, cui dandum esset, quod dari utrique non posset.* Et ecce caussam ob quam sortis via inter plures hæredes quotidie adhuc usu recipitur, cum non conveniunt de partitione facta bonorum hæredii quod ipsis contigit.

(b) S. Aug. in Psalm. 30. enarr. 3. n. 13. in can. sors. 1. 26. q. 2.
(c) S. Thom. opusc. 25. c. 5.
(d) S. Aug. Epist. 228. alias 180. n. 12.
* Obscurus S. Aug. locus.

Equidem sanctus Thomas dicit. 1. Dari peccatum in hac sortis specie adhibenda, si absque ulla necessitate adhibeatur. *Sciendum tamen*, inquit, *quatuor modis in hujusmodi sortibus peccatum posse contingere. Uno modo, si absque ulla necessitate putet aliquis, ad sortes esse recurrendum. Hoc enim videtur esse tentare Deum, si quis habens quod faciat ex humana industria; eo prætermisso, putet esse requirendum divinum judicium. Dicitur enim in 2. Paralip. 2. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos dirigamus ad te.* 2. Doctor ille Angelicus addit, quod, quando etiam necesse est sortis viam adhibere, nonnisi cum veneratione Divinæ Providentiæ debita adhiberi possit. 3. *Si absque debita reverentia & devotione etiam in necessitate sortibus requirat divinum judicium: unde Beda (e) dicit super actus Apostolorum; si qui necessitate aliqua compulsi, putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum: videant hoc ipsos Apostolos collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis egisse.*

(e) Venerab. Beda in can. Non exemplo. 26. q. 2.

Hæc omnia vera sunt respectu sortis quæ *Consultoria* vocatur; verum respectu necessitatis quæ reperiri potest sortem adhibendi in Loteriis, jure prout videtur, acquiescere possumus judicio quod hac de re fert sapiens Magistratus, qui Loterias permittit, quin omnes privati, qui pecuniam suam illis committunt, ad examen revocare adstringantur, an Loteriæ illæ necessitate sufficienti nitantur. Præterea, quemadmodum Venerabilis Beda, adeoque sanctus Thomas, qui eum laudat, solummodo loquuntur de via sortis, qua uti vellemus sine justa necessitate, in simili occasione, ac Apostoli usi sunt in sancti Matthiæ electione. Illud nullam connexionem habet cum sorte, qua in Loteriis utuntur. Quam ob rem si sorte uti possimus in tribus diversis occasionibus, quas post sanctum Thomam retulimus; cur vetitum esset uti ea in Loteriis, præcipue cum ex auctoritate Principis vel ejus Magistratuum, permittuntur; & cum earum permissio, sicut supponendum est, quadam legitima necessitate nititur.

Doctus quidam Episcopus qui anno 1565. vivebat, Loterias, etiam privatas, licitas esse affirmat, in opere scilicet cui titulus est *Dies Caniculares* (f), Loteria, inquit, species est quædam pacti, in Europa frequenti admodum usu recepti. Publice, aut privatim usu venire potest. In primo casu, Principis assensus necessarius est; In secundo, penes unumquemque est, nec usu venit nisi inter quemdam amicorum & personarum cognitarum numerum. Vir quidam, verbi gratia, possidet equum, quem 50. nummis aureis æstimat, eum sorti committere proponit. Ut scopum suum attingat, hanc summam in varias partes dividit: paremque facit numerum notarum arithmeticarum, vulgo *Numero* dictarum, aut Schedularum, quas vendit iis qui eas pretio a se illis indicto accipere volunt; & quæ omnes simul equi pretium componunt. Hæ Schedulæ deinceps commiscentur & sortes ducuntur. Equi præmium in quemdam e contrahentibus recidit, & ceteri nihil habent. Perinde est, addit Auctor iste, de gemmis, libris, aliisque rebus, quas hac sortitionis ratione removere volumus. *Est in usu frequenti Europæ contractus quidam, quem vulgo vocant* Loteriam. *Illi vel privatim, vel publice. Privatim pro arbitrio cujusque, quando aliquis simile, statuto pretio, v. g. pro 50. aureis exponit sortiendum cui obtingat, & deinde in hanc summam plures symbolam quisque, conferunt & aleam jaciunt, quis equum sit habiturus: vel etiam privatim plures annuli, libri, specula, vel alia supellex proponitur inter familiares*

(f) Simon Majolus Episc. Astensis dierum Canicul. part. 2. colloq. 2.

miliares

millaris eodem modo, collatis symbolis, quæ vocantur Lota sortienda. *Publice vero tam instituitur, opus est Principis vel Reipablicæ consensu.* Quibus Præsul addit, multas cautiones in Loteriis adhibendas esse, ut æquum conservetur, impedianturque abusus, qui in illis admitti possent, sive Loteriæ illæ publicæ, sive privatæ sint: Atque hoc est Magistratuum officium ut his invigilent. *Suntque in hoc contractu, sive publice, sive privatim, multa considcranda, ut justitiæ contractus in perfectio illibata permaneat. Sed hæc Magistratus judicio relinquo.*

Multo jure dicit Majolus, Loteriarum usum frequentissimum esse in Europa. Nam ut non conquiramus, quæ circa rem istam in Italia, in Anglia, in Hollandia & in variis aliis Ditionibus, aguntur; innumera Loteriarum exempla in Gallia habemus, a qua earum usus introductus fuit.

Primum Loteriarum exemplum quod habemus, est ab initio ultimi sæculi, quo tempore cum quidam privati Regi Francisco I. proposuissent, ut Loteriam in Gallia institueret, per speciem cujusdam vectigalis quod inde percipere posset in urgentibus necessitaribus, ad quas diuturna bella quæ gerenda habuerat, cum redegerant; Princeps iste hanc propositionem gustavit, & Edictum ad Loterias instituendas mense Maii an. 1539. Castro *Regaard* promulgavit, quo earum usum in omnibus Regni urbibus permittit, simulque omnia statuta in iis observanda significavit, concedendo viro cui nomen erat Joannes Laurentius, ceteris omnibus exclusis, privilegium tot, quot vellet, Loterias Parisiorum instituendi, modo quotannis suæ Majestati summam 2000. librarum Turonicarum solveret.

Ad confirmandum usum Loteriarum exemplis, & approbatione Principis ejusque Magistratuum, nobis opus non erit ea quærendi alio tempore quam Ludovico magno regnante, cum ejus Regni administratio innumera earum exempla nobis præbeat.

Prima Loteria, quam Princeps iste permisit Administrationis suæ initio, ea fuit quam Italus quidam, nomine *Tonti*, suæ Majestati proposuit, ad pontem saxeum, inter Luparæ Porticus & sancti Germani Suburbium, construendum. Codicillis a Principe impetratis; qui hujus Loteriæ institutionem ferunt, dies adscripta fuit mense Decembris 1656. & rati facti comprobatique fuerunt in supremo Senatu 30. die ejusdem mensis, & in acta publica Castelleti relati sunt 10. die Januarii 1657. Constare debebat 50000. Schedulis, & unaquæque schedula pretio duorum Ludovicorum aureorum, harumque schedularum 5215. bonæ esse debebant, & reliquæ 45785. albæ. Ideo ejus Loteriæ summa ad undecim centena millia librarum assurgere debebat: verum nec adimpleta, nec sorte ducta fuit.

Secundæ quam Rex permisit, Loteriæ sortes publice ductæ fuerunt coram Prætore Urbano & Disciplinæ politicæ Ministris; hancque Loteriam sua Majestas quibusdam privatis concesserat anno 1660. occasione data pacis inter Galliam & Hispaniam initæ, & ovantis ingressus quem suæ Majestates hoc ipso anno Lutetiam fecerunt.

Idem Princeps innumeras alias Loterias deinceps instituit, unam nempe Senatus Edicto diei 11. Maii 1700. quæ 400000. schedulis: unaquæque duorum Ludovicorum aureorum pretio constabat, quarum 475. bonæ erant, & quarum fundus erat 500000. librarum annuorum vectigalium per vitæ tempus, usuris dextantibus, Edicto ejusdem mensis, constitutis. Alia Loteria anno 1704. altero Edicto, in supremo Senatu comprobato, instituta fuit: ejusque summa ad 200000. libras annuarum redituum assurgebat; quorum redituum dimidia pars erant reditus perpetui usuris quincuncibus; altera vero dimidia pars annui tantum per vitæ tempus reditus erant. Alia instituta fuit mense Decembris 1705. cujus summa ad decies centena millia librarum assurgebat, in 800. præmia distributa, quorum præmiorum 430. præsenti pecunia soluta fuerint, reliqua vero contractibus annuorum per vitæ tempus redituum. Denique sua Majestas multas alias Loterias instituendi veniam dedit Parœciis & Communitatibus; tresque speciatim in gratiam Ptochodochii Generalis Parisiensis, quarum ultimæ sortes anno 1702. ductæ fuerunt, septem in gratiam Ptochodochiorum Remorum, Turonum, Rhotomagi, Bellovaci, Andegavi, Aureliæ, & Massiliæ. Duas in gratiam Ptochodochii Generalis Lugdunensis. Duas ad ædificandas sanctas ædes Parœciæ sancti Ludovici Parisiensis, & unam ad construendas sacras Aedes Parœciæ vocatæ *Saint Roch*, mense Novembris 1705. Duas ad adjuvandam restaurationem sacrarum Aedium Virginum Religiosarum Pisciaci, annis 1704. & 1705. Unam ad ædificandas Aedes sanctas sancti Petri *de Carville* in Papo dicto *Ernetal*, prope Rhotomagum. Duas ad perficiendas sacras Aedes Parœciæ S. Nicolai *du Chardonet* Parisiensis, quarum prior adaperta fuit anno 1705. Duas hoc eodem anno in gratiam Pauperum Versaliarum & Lemovicarum. Quarum omnium Loteriarum sortes ductæ fuerunt in Foris, & coram Archiepiscopis & Episcopis, vel iis absentibus, coram eorum Vicariis Generalibus, ut & coram primis urbium Magistratibus. Silentio prætermittimus innumeras alias Loterias publicas; quæ institutæ fuerunt ad juvandos pauperes ægrotos Ptochodochii Parisiensis an. 1709. & an. 1711. in gratiam virginum Religiosarum Anglicarum Parisiensis, & earum quæ in Flandria alibique domicilium suum posuerunt, pro Monasteriis Portus Regii & Præsentationis ejusdem istius urbis: pro Abbatia quæ *Hiers* vocatur: pro virginibus Religiosis ordinis sancti Benedicti Magdalenæ *de Treael*, & pro multis aliis. Taceo Loterias quas plerique Parochi Parisienses, & alios inter, Parochi sancti Sulpicii, sancti Eustachii, sancti Paulli, sancti Severini, sancti Mederici, sancti Jacobi *Laniena*, sancti Benedicti & sancti Jacobi *du Haut Pas* certatim instituerunt durante frumentorum penuria anno 1709. ad Parœciarum suarum pauperes sublevandos. Sic Princeps, Magistratus, ac deinceps Præsules & Pastores Parœciarum, omnes adeo unanimiter ad Loterias instituendas & justificandas concurrerunt, ut videatur, eas absque manifesta temeritate hodie improbari non posse, præsertim post exemplum, quod præbuit summus Pontifex Clemens XI. per Loteriam 500000. nummorum, ejus mandato Romæ institutam die 11. Martii 1713. in gratiam Ptochodochii sancti Hieronymi Caritatis.

Ad confirmandam adhuc sententiam quam tuemur, addi potest, Loteriam peccati argui non posse, quia, nec juri naturali, nec juri divino, nec juri humano, Ecclesiastico aut Civili, adversatur.

Juri naturali non adversatur, nihil enim huic juri magis congruit, quam de rebus suis juxta voluntatem suam disponere posse, nec quidquam justius acquiritur, quam illud quod possidemus unanimi consensu eorum omnium, qui illud ambiendi jus habent.

Nec etiam adversatur juri divino, cui etiam congruit, quemadmodum probari potest ex Scriptura, quæ nos docet, 1. Terram promissam sortitione divisam fuisse inter Tribus & Familias Israelitarum, expresso mandato, quod Deus Mosi dedit, & quod Josue ejus successor obsecutus est (a); & unumquemque cum veneratione & gaudio, id quod sibi contigerat, tanquam munus quod e manu Dei proficiscebatur, accepisse. 2. Quod hircus, Deo immolandus, sorte solummodo distinguebatur ab hirco emissario, quem Sacerdos, peccatis Populi onustum, in desertum dimittebat (b). 3. Saulem sorte Regem electum fuisse (c). 4. Sorte etiam Jonatham ejus filium, reum violatæ legis Saulis patris sui repertum fuisse (d). 5. Sacerdotes etiam sorte electos fuisse a Davide inter duas Aaronis familias (e). 6. Eos qui laudes Domini celebrare debebant, electos fuisse sortitione usque ad viginti quatuor vices iterata (f). 7. Eadem ratione etiam Templi janitores electos esse (g). 8. Et deni-

(a) Num 26. 53. & seqq. & cap. 33. 54.

(b) Levit. 16. 8. & seqq.

(c) 1. Reg. 10 20. & seqq.

(d) Ibid. 14. 41. & 42.

(e) 1. Paral. 24 5. & seqq.

(f) Ibid. 25. 8. & seqq.

(g) Ibid. 26. 13. & seqq.

denique sanctum Matthiam sorte pariter electum fuisse Apostolum (a). Hæc omnia exempla totidem sunt argumenta minime dubia, sortem juri divino non adversari; cum contra, jus divinum sortem auctoritate sua confirmet: ideoque sortem quæ in Loteria admittitur, eam criminosam efficere non posse.

(a) Act. 1. 24. 26.

Denique, Loteria juri humano, sive Canonico sive Civili, non adversatur; cum nullæ Leges Ecclesiæ aut Principum Civilium reperiantur, quæ hujusce modi ludum interdicant, modo cum requisitis conditionibus fiat, nec in eo agatur de dignitatibus, aut beneficiis Ecclesiasticis, (b) ad quæ, nemo sortem adhibendo, eligi potest.

(b) Honor. III. in c. Ecclesia 3. de sortilegiis, l. 5. tit. 21.

Equidem dantur Leges, quæ ludos aleatorios condemnant, in quorum numerum Loteriæ ludus recenseri posse videtur. Verum ludi aleatorii præcipue interdicuntur; propter malas circumstantias, quæ fere numquam ab iis sejungi possunt, ut cum aleatores periculo omnes suas opes, vel notabilem earum partem, amittendi sese objiciunt; unde sequuntur juramenta, blasphemiæ, impotentes animi motus, desperatio, magna temporis jactura, scandalum, & innumera alia mala similia quæ non contingunt in Loteriis, quæ ideo cum ludis aleatoriis comparandæ non sunt. *Quod dicitur iste ludus esse comparandus cum ludo alearum negandum est*, ait Sylvius (c): *ludus enim alearum, per leges prohibetur, idque non quia innititur fortunæ: sed quia frequentes oriri solent ex eo ludo rixæ, lites & blasphemiæ: & insuper quia tota ludentium substantia facile per hujusmodi ludos exhauritur. Hæc autem regulariter non contingunt in ludo ollæ qui magis accedit ad sortem divisoriam.*

(c) Fr. Sylvius loco supra cit.

Præterea personæ de Religione tantisper edoctæ, cum pecuniam suam Loteriis committunt, nihil a mero casu, verum omnia a divina Providentia exspectant, quemadmodum olim Israelitæ in partitione terræ, quam Deus ipsis promiserat, omnia exspectabant. Neque etiam mero casu legitime possidetur lucrum quod in Loteriis fit, sed etiam jure pacti aut conventus inter eos omnes, qui pecuniam suam apposuerunt; quod evidenter patet ex consensu generali eorum omnium, qui in iis non lucrantur, qui numquam cogitant de iis qui bonas habuerunt schedulas, ex injustitia arguendis. Nihil hac de re asserimus quam id quod dicunt Auctores quos laudavimus. Ab eorum verbis referendis abstinemus, ut hanc decisionem quæ jam longior est, contrahamus. Attamen autumamus, ab ipsismet Sylvii verbis laudandis abstinere non posse, qui ita loquitur, *Iste ludus non est ex se illicitus: neque per legem aliquam prohibetur. Ergo licet eo uti; & quod per eum acquiritur, retinere. Antecedens probatur; quia neque injustitiam continet: neque adversatur caritati. Continet enim pactum mutuum, idque omnino spontaneum: scienti autem & volenti non fit injuria. Sed neque fit aliquid contra caritatem, quandoquidem nemo cogatur pecuniam conferre; & siquis ad peccatum induci contingat, ut avaritiæ, cupiditatis, & similia, hoc fit per accidens; neque oporteat aliquod opus, publicam sive communem utilitatem afferens, prætermittere; quia quidam ex ea sumunt occasionem peccandi.* Aliquid amplius dicamus: quamvis alea Loteriis immisceatur, id non impedit, quominus licitæ sint, & quin lucrum quod in illis fit, legitime acquiratur. Hoc ipsum idem Theologus asserit. „Non quidquid innititur fortuna, est illicitum, *ejus sunt verba*; docet enim beatus „Thomas ... quod si sortialium actuum eventus „exspectetur a fortuna, non videtur habere, nisi „forte vitium vanitatis: si ergo sit caussa rationabilis, propter quam vitium vanitatis tollatur; sine vitio licebit eventum fortuito exspectare.

Prætermittere non debemus, scopum quem sibi proponunt ii qui Loterias instituunt, ad eos justificandos inservire. Loteriæ enim quæ publicæ & cum Principis auctoritate fiunt, evidenter tendunt vel ad Regni commodum, vel ad pauperes sublevandos, ad ædificandas aut restaurandas sacras Ædes, vel ad aliquod aliud simile commodum, nam aliquid magis cum justitia, caritate & ratione congruit? His addamus, quod viderimus, in una e Loteriis quas Rex anno 1704. instituit, & cujus singulæ schedulæ ad 100. libras assurgebant, neminem quidpiam amisisse, cum sua Majestas omnium summarum illi commissarum reditu usuris quincuncibus concederet, quæ usuræ etiam exacte in Basilica Parisiensi solutæ sunt; præterquam quod omnes illi qui pecuniam suam conferebant, si quoddam e majoribus præmiis ipsis contingeret, ditescere sperabant.

Verum, dicet aliquis, pecunia Loteriis non confertur, nisi ut lucrum fiat, & avaritia incitante; quam ob rationem Alexander *de Hels vel de Hales*, eas condemnat. Vulgo illud verum est. Verum si tale consilium damnetur, eadem ratione omnigenum commercium damnandum erit. Ubinam est enim negotiator, in regionibus alienis mercaturam faciens, vel aliter negotians, qui spe lucri commercium suum non faciat? Omnes a Providentia lucrum exspectant, tam in commercio quam in Loteriis. Quare spes ista, in Loteria potius quam in commercio, damnabitur.

Instant, & dicunt, ad injustitiæ culpam quæ in Loteriis admittitur, sæpe conferri potest; idque ad eas illicitas reddendas sufficere debet; cum numquam liceat ad alterius injustitiam operam conferre. Verum respondemus hunc timorem imaginarium esse respectu Loteriarum publicarum, de quibus heic loquimur: cum sortes ducantur sub oculis Præsulum, Magistratuum, pluriumque aliarum spectatæ integritatis personarum.

En argumenta plus nimio, sicut nobis videtur, ad colligendum, Cajum qui fecit Loteriam, de qua in specie proposita agitur, eam instituendo non peccasse, modo justitiam ac bonam fidem in ea necessariam servaverit & Polycratem ac Gabinium, aliosque qui pecuniam suam illi contulerunt, præmia quæ sibi contigerunt, legitime acquisivisse.

CASUS II.

Theophanes cum Loteriam instituisset, cujus fundus variis panni voluminibus constabat, Matthæus, ejus vicinus, præmium quoddam habuit: pro cujus solutione acriter cum Theophane disceptavit, coactusque fuit ad eum coram Urbis Agoranomo in jus vocandum, ut eorum lis judicio componeretur. Judex ille, nonne, juxta muneris sui debitum, sententiam suam in gratiam Matthæi ferre debet, si Theophanem in culpa esse reperiat?

Respons.

Inter omnes Loterias tres earum species distinguendæ sunt. Quædam prohibentur: aliæ permittuntur a Principe aut Magistratu, quemadmodum permissæ fuerunt eæ omnes, de quibus in decisione præcedenti verba fecimus: aliæ denique solummodo tolerantur.

Respectu Loteriarum prohibitarum, tantum abest ut privati, quorum res in illis Loteriis agitur, quamdam actionem adversus eum qui Loteriam instituit, habeant, ut contra Judex eos in suis petitionibus auscultare denegare debeat, juxta hæc Legis verba: *(d) Ubi autem & dantis & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus.* Et hoc etiam in casu, si argumentum satis validum hujus Loteriæ institutionis habeat, eum qui contra interdictum illam instituit plectere debet, sive mulcta pecuniaria, sive etiam eos qui pecuniam suam contulerunt, denariorum collatorum fisco addictione, mulctando.

(d) Leg. Ubi autem. 3. ff. de condict. ob turpem vel injustam causam l. 12. tit. 5.

Quod attinet ad Loterias quæ instituuntur consequenter veniæ, quæ a Principe aut Magistratu Civili conceditur; illi quibus schedulæ nigræ contigerunt, actionem habent ad solutionem summæ in iis determinatæ exigendam: & Judex in eorum gratiam sententiam suam ferre debet, atque præcipere, ut pretium stipulatum a Loteriæ domino ipsis solvatur. Quod probari potest, 1. ex

Le-

Legibus, quæ in quarto titulo duodecimi Digestorum libri referuntur (a), & ex his Jurisconsulti Pauli verbis (b), *ob rem igitur honestam datum ita repeti potest, si res propter quam datam est secuta non est*. 2. Quia Princeps, vel Magistratus, qui loteriam confirmavit, existimandus est eodem tempore potestatem dedisse actionem circa difficultates exinde oriondas, intendendi, quemadmodum lex quædam nova naturaliter jus actionem intendendi confert. *Si obligatio lege nova introducta sit: nec tantum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ea Lege agendum* ait Jurisconsultus Paulus in Lege quam in margine laudamus (c).

Denique respectu Loteriarum, quæ neque expressim licitæ, neque reipsa prohibitæ sunt, sed quæ solummodo tolerantur, recidunt etiam in casu ludorum aleatoriorum generatim prohibitorum. Quamobrem privatus quidam nullam coram Judice actionem habet, ut præmii sui solutionem exigat, ab eo qui Loteriam instituit: quod si in eum actionem intendat, periculum incurrit, ne præmium suum fisco addicatur: & Loteriæ Conditor seu dominus, pecuniæ, aut aliarum rerum collatarum & intra manus suas depositarum, fisco addicendarum, vel ad minimum multæ arbitrariæ, periculum subit.

(a) Tit. de condict. causa data, causa non secuta.

(b) In l. Omne 1. §. 1. ff de condiction. ob turpem vel injustam causam.

(c) L. unic. ff. de condict. ex lege L. 13. tit. 2.

LUCRUM ULTRA SORTEM.

ID quod *Lucrum ultra Sortem*, gallice *Interet* vocatur, proprie loquendo, æstimatio est commodi legitimi quod pecunia, illi cui debetur, producere potuisset, si sibi tempore præstituto soluta fuisset. Licet enim pecunia natura sua sterilis sit, nec ullum fœnus præcise propter mutuam pecuniam exigi possit: attamen, qui pecuniæ fit usus utilius, sive in commercio, sive in emptione alicujus fundi fructificantis sive denique in fœnerando, legitimum lucrum producit. Unde sequitur, illi, qui hoc emolumento orbatur, acceptum detrimentum, lucro damno accomodato, resarciendum esse.

Hujusce autem emolumenti cessatio duabus e causis oriri potest, nempe ex lucro cessante, vel damno nascente. Ita ut vera definitio vocis gallicæ *Interet*, pendeat a cognitione lucri cessantis & damni nascentis. Lucrum cessans his verbis definitur (d), *Lucrum cessans est carentia acquisitionis pecuniæ rei ve pecunia æstimabilis, alias indebitæ*, & damnum nascens, *damnum emergens est rei propriæ, id est, possessæ, vel stricto jure debitæ, detrimentum*. Id igitur quod gallicæ *Interet*, latine vero *lucrum, ultra sortem*, vocatur, proprie loquendo, nihil aliud est; quam *lucrum cessans, damnumve emergens*, ut Theologi loquuntur.

Quam in rem observandum est, dari quamdam speciem damni quod creari potest absque culpa ejus, qui illud creat. *Damnum sine injuria facientis datum*; Tale est damnum a pecude creatum, & quod in Lege duodecim tabularum vocatur *Pauperies*.

Antequam materiam lucri ultra sortem aggrediantur, quasdam observationes hic faciemus, quas deprompsimus ex opere quod Clarissimus D. Bretonnier, antiquus in Senato Parisiensi Advocatus nuper in lucem edidit (e).

Prima observatio est, quod congruenter Decreto Aurelianensi (f), fœnus summæ mutuo datæ, debeatur propter solutionis moram, numerando a die, qua vadimonii denuntiatio debitori in Castelleto Parisiensi significata fuit.; Petitor necessario solutionem sortis & lucri ultra sortem inferre debet, alias si unum vel alterum solummodo inferret, nullum ultra sortem lucrum obtineret sententiam Judicis, ex qua tantum jus illud precipiendi habet. Econtra in Provincia Arverniæ, satis est solutionem sortis inferre; ut lucrum ultra sortem obtineatur: In Provincia Lugdunensi sat est fœnus petiisse; & in supremo Senatu Burdigalensi simplex solvendi mandatum debitori injunctum, sufficit, quin ulla petitione judiciali opus sit, verum Creditor hoc mandatum a triennio in triennium renovare debet.

Secunda.; Æstimationem lucri ultra sortem pro varia supremorum Senatuum Jurisprudentiam differre. Supremus Senatus Parisiensis illud lucrum usuris quincuncibus præfinivit. In supremis Senatibus Burdigalæ, Tolosæ, Divionis, Rhedonum, Metarum, & Pali præfinitur lucrum illud usuris quincuncibus & semi, & in Delphinatu usuris semissibus.

Tertia; Ex omnibus supremis Senatibus, unicum fere Parisiensem supremum Senatum sese accommodasse Juri Canonico; quod vetat ne pecuniæ mutuo datæ fœnus exigatur, atque etiam quædam exceptiones dantur: 1. In gratiam urbis Lugduni: 2. in gratiam pecuniæ pupillaris, quæ mutuo dari possunt, de fœnore stipulando usuris quincuncibus; Juxta Decreta a Le Pre-

(d) Polm. p. 2. a. n. 500 & duob. seqq.

(e) D Barthol. Joseph. Breton Collectio Alph. præcipuarum quæst. juris.

(f) Decr. Aurelian. art. 60

tre & Louet laudata (*a*); hoc respectu etiam stipulatio ista locum habet in supremis Senatibus Normanniæ & Britanniæ minoris, ut & in Regionibus Bressiæ & *Bugey*, in quibus lucrum ultra sortem locum habet, etiam absque stipulatione ac denuntiatione.

(*a*) Le Pretre c. nt. 2. c. 27. Louet. Lit. I. c. 8. n. 7.

Quarta quosdam supremos Senatus, quemadmodum supremum Senatum Normanniæ, in cujus acta publica decretum Aurelianense relatum non fuit, & supremum Senatum Burdigalensem, lucri ultra sortem stipulationem non concedere. Nec quidem supremus Normanniæ Senatus lucrum illud post petitionem judicialem adjudicat; At econtra in supremi Senatus Burdigalensis Jurisdictione fœnus a die denuntiationis fluit, vel etiam a die simplicis solvendi mandati absque ulla judiciali petitione. Denique ista lucri ultra sortem stipulatio licita est in supremis Senatibus Aquarum sextiarum, Gratianopolis, Metarum, Pali & Vesuntionis; quemadmodum etiam in Alsatia, in Bressia, & Regionibus *Bugey*, Gesse, & *Valromey*.

Quinta: Secundum Jus Romanum lucrum nunquam sortem duplo superare posse (*b*). Sed plane contrarium observatur in supremis Senatibus Parisiensi & Rhedonensi, in quibus lucrum, quoquo modo debeatur, sortem excedere potest.

(*b*) Novell. 138. unica G. de usuris supra duplum non computandis auth. collat. 9. tit. 21 & leg. De usuris 27. C. de usuris l. 4. tit. 32.

Sexta: Juxta Leges Romanas, solutiones a debitore factas statim lucro ultra sortem compensari, omnesque supremos Senatus Juris scripti huic Jurisprudentiæ se se accomodasse. Supremus Parisiensis Senatus duas fœnoris species distinguit, Alterum quod *ex natura rei*, aut *a lege*, debetur; quale est fœnus, quod oritur e pretio fundi, e dote constituta, aut ex hæreditatis portione legitima; vel *ex officio judicis* debetur. Cum de priori fœnore agitur, solutiones statim lucro compensantur, antequam sors attingatur, & vice versa, cum fœnus nonnisi *ex officio judicis* debetur, sorte primum, ac deinceps lucro ultra sortem hæc compensatio fit.

Septima & ultima observatio est Leges Romanas priores hypothecæ partes creditori anteriori concedere non modo quoad sortem, sed etiam quoad lucrum ultra sortem debitum, supremus Parisiensis Senatus in omnibus suæ Jurisdictionis regionibus hanc Jurisprudentiam sequitur, si excipias Provinciam Arveniæ, ubi hypotheca lucri ultra sortem locum non habet, nisi post omnes creditorum sortes. (*c*) Denique Supremi Senatus Gratianopolis & Rhedonum, absque ulla exceptione Juris Romani dispositionem hoc respectu sequuntur. At supremus Tolosæ Senatus lucrum ultra sortem nonnisi post sortes adjudicat (*d*), quod etiam usu venit in amplitudine supremi Senatus Normanniæ congruenter Constitutionis Decreto diei 6. Aprilis 1666. (*e*).

(*c*) Louet. & Brodeau lit. D Summario 42.

(*d*) D. Olive l. 4. c. 21. Catelan. tom. 2. c. 42.

(*e*) Art. 150.

Omnia quæ jam diximus unice ad Jurisprudentiam Civilem pertinent; nec autumamus, ea regulæ instar adhibenda esse in omnibus quantum ad conscientiam attinet, nisi ea ratione, qua rem in sequentibus decisionibus explicabimus.

CASUS PRIMUS.

TAURINUS & Barnabas lite instante circa plura societatis capita, de quibus inter se controversantur, consilio & opera amici cujusdam communis transigunt: qua transactione Taurinus a jure animo præcepto partim desistit, ea lege, ut Barnabas 200. nummos sibi solvat, nempe 1000. nummos intra octo menses ad summum, & reliquos 1000. nummos intra annum, intereaque lucrum ultra sortem solvat, donec sortem in solidum solverit. An Taurinus illæsa conscientia, & absque usura, hoc lucrum ultra sortem percipere potest?

RESPONS.

Constat, Taurinum hoc lucrum ultra sortem, quin usuræ culpandus sit, percipere posse. Ratio est, quod hujus lucri ultra sortem stipulatio, pretii sibi debiti par sit, atque conditio transactionis inter ipsum & Barnabam factæ, sive ad compensandum illud quod aliunde Barnabæ concedere potest, sive propter quasdam alias causas legitimas. Quibus addimus talem transactionem considerari posse, tanquam lucrum condemnationis; secundum juris formulam factæ, habentem: cum transactiones rerum judicatarum vim ac auctoritatem habeant, juxta hæc legis verba (*f*): *non minorem auctoritatem, transactionum quam rerum judicatarum esse, rectâ ratione placuit.* Quade reobservandum est, quod, postquam Barnabas dimidiam sortis partem solverit, Taurinus lucrum alterius sortis solvendæ partis exigere poterit.

(*f*) Glossa in cap. Conquestus 8. de usuris v. de feudo.

CASUS II.

ARISTIDES unam e suis domibus Lampridio vendidit pretio 10000. librarum post sexcenium absolutum, (solvendarum,) nec antea, cum expressa stipulatione, Lampridium, cui ejus possessionem concessit, interea lucrum ultra sortem, juxta constitutionem, sibi soluturum. Num Aristides illud absque usura facere potuit, præsertim si Lampridius eam elocando 400. libras solummodo percipere potuit: aut etiam si illam elocare non possit?

RESPONS.

Hæc stipulatio nullo modo fœneratoria est, quemadmodum ex hujus tituli observatione sexta patet: quia domus ab Aristide vendita, est fundus, qui ipsi reditum annuum afferet, quo venditione orbatur: & æquum est, ut compensationem huic reditui accomodatam percipiat. Id probari potest 1. Glossa in Decretalem Alexandi III. ubi dicitur (*g*) *usuræ possunt peti etiam secundum Canones:*

(*g*) Glossa in cap. Conquestus 8. de usuris v. defeudo.

nes ut cum vendo tibi prædium, & trade, & percipis fructus, nec solvis mihi pretium ad terminum ..... quia hujusmodi usuræ, non quasi usuræ, sed quasi interesse petuntur. Argum. 14. *q.* 4. (*can.*) Quoniam multi... *damna vero & interesse secundum Canones peti possunt :* 12. *q.* 2. (*can.*) Si quis Clericus, 2. Legibus civilibus, hacque peculiariter (*a*), *ex vendito actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ei ab emptore præstari oportet. Veniunt autem in hoc judicio infrascripta; imprimis pretium, quanti res venit : item usuræ pretii post diem traditionis. Nam cum re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere.* Multæ adhuc aliæ dantur leges quæ eamdem decisionem ferunt (*b*).

(*a*) L. *Julian.* 13. ff. 19 & 20. ff. de actionibus empti l. 19. t. 13.

(*b*) L. *Curab.* 5. & l. *Fructus* 13. cod. cod. t. l. 4. t. 9.

3. Jurisprudentia supremarum hujusce Regni Curiarum, quemadmodum observant Lovet (*c*), La Rocheflavin, qui laudat Decretum supremi Senatus Parisiensis 8. Octobris 1597. (*d*), aliique.

(*c*) Lovet v. *Interest.* 1.

(*d*) La Rocheflavin, l. 3. t. 5. Decr. 2.

4. Denique Navarrus qui laudat multos Theologos & Juris Canonici peritos, qui idem docent, inter quos reperitur doctus Covarruvias Segoviæ Episcopus, cujus verba in quarta decisione referemus.

Concludimus ergo, quod, cum domus ab Aristide Lampridio vendita, sit fundus fructificans, quo se orbat domum ipsi vendendo, æquum non fit, ut Lampridius ea utatur antequam ejus pretium solverit, & quod ideo ejus usuras Aristidi venditori solvere debeat.

Inutile est dicere, Lampridium 400. libras e domus suæ locatione solummodo percipere, quod pretium vilius est pretio lucri ultra sortem, quod solvere debet, aut etiam neminem invenire potuisse cui eam elocaret. Semper enim hoc lucrum ultra sortem debet, pro jure ea fruendi ac utendi, atque si eam viliori pretio elocet, quam usurarum quas pendit pretium; vel etiamsi eam elocare non possit, damnum est quod tamquam rei dominus, ferre debet : Cum ceteroquin hoc damnum, ejus respectu, considerandum sit, tamquam casus fortuitus, quem solus, suo Domini nomine præstare debet; quemadmodum eodem nomine locationis accretio in commodum suum verteretur, si eam longe majori pretio elocaret, quam usuræ a se solvendæ assurgunt. Unde etiam æquum est, ut imminutio seu damnum in ipsum recidat. Attamen si contrahentes alio modo pretii usuras constituissent, eorum pactum legis locum haberet, modo nihil contineret, quod justitiæ adversaretur vel bonis moribus : *Contractus enim legem ex conventione accipiunt*, sicut lex loquitur (*e*).

(*e*) L. *Deposit.* 1. ff. 1. ff. depositi vel contra l. 16. t. 3.

CASUS III.

Gulielmus domum ædificandam curans, opus habet 10000. libr. ad eam perficiendam. Eas a Josepho fœnore mutuo sumpsit. Pactum fert, quod Gulielmus intra sex menses Josepho usus apocham dabit; summamque acceptam chirographo fatebitur, & quod interea Tabellio totius summæ depositarius remanebit, eamque solummodo de manibus deponet ad Architectum vel operarios solvendos, quorum apochæ ferent denarios perceptos oriri e summa quam Josephus Gulielmo mutuo dedit.

Sex mensibus elapsis, cum Gulielmus omnes suos operarios solvisset, numerata summa 8000. libr. Josepho reliquas 2000. lib. solvere offert, quia ipsi totius summæ usus apocham præbere non potest. Josephus, accepta Gulielmi conditione 200. libr. percipit pro semestri lucro ultra sortem 8000. librarum impensarum, cum 2000 libris quas Gulielmus ipsi rependit : atque insuper exigit solutionem 50. librarum pro semestri lucro ultra sortem earumdem 2000. librarum, quibus attamen Gulielmus non usus est, quandoquidem Tabellio semper earum depositarius remansit. Num, quin turpis usuræ culpandus sit, has 50. libras percipere potuit?

RESPONS.

Josephus absque turpi fœnore 50. libras accipere potuit, pro semestri lucro ultra sortem 2000. librarum, licet hæc summa per totum hoc temporis spatium apud Tabellionem deposita fuerit, nec Gulielmus ea usus sit. Prima ratio est, quod Josephus reipsa & de facto totam summam 10000. librar. in Gulielmi commodum alienaverit, conditionibus a specie proposita latis. Secunda, quia caussa non est cur Gulielmus ea summa usus non fuerit, & quia ab ipso pendebat, solummodo 8000. libras, loco 10000. librar. mutuo sumere. Tertia, quia conditiones in pacto stipulatæ, nulla ratione alienationi adversantur, ac unice ad id spectant, ut Josephus in tuto sit, & & ut ad bonum usum, ad quem Gulielmus se se adstrinxerat, adhiberetur. Quod cum Justitia congruit (*f*).

(*f*) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 122.

CASUS IV.

Cum Gilbertus de munere Quæstoris Galliæ cum Antonio tractasset 8000. lib. fœnore a Joanne mutuo sumit, expressim stipulando, quod eas in hoc munere emendo impendet, & quod munus illud pignori opponetur usque dum hæc summa rependatur. Paulo post Gilbertus animum mutat, & munus istud non suscipiendo, illud munus emptum vendit Ludovico, qui pacto se se adstringit ad pretii partem solvendam Antonio primo venditori, cui Gilbertus totam summam non solvit; & ad solvendam alteram partem Joanni 8000. librar. Creditori. Joannes obstat quominus Ludovicus munus suscipiat, & una cum Antonio supplicem libellum dat, quo uterque petit, ut ea quæ sibi debentur, solvantur, ac de pretio muneris, de quo Ludovicus cum Gilberto convenit, detrahantur.

Quæ intervenit sententia 5000. lib. Antonio, & 3000. Joanni adjudicat, eas omnes de pretio muneris desumendas; & Joannes, pro ceteris 5000. libris sibi adhuc solvendis, dimittitur ad alia bona Gilberti, qui præsenti pecunias eas ipsi solvit : & quod ad ejus intercessionem attinet, ne Ludovicus munus susciperet, iste ipsi chirographum tradit, quo erga Joannem se se adstringit, 1. ad ipsi solvendam intra sex menses supradictam 3000. librarum summam, ipsi judicis sententia adjudicatam 2. ad lucrum ultra sortem per illud tempus ipsi solvendum. Num Joannes absque turpi fœnore hoc lucrum a Ludovico exigere potest?

RESPONS.

Joannes absque turpi fœnore lucrum ultra sortem summæ 3000. librarum sibi insuper debitæ percipere potest, cum constet, quod alias damnum notabile exinde perferret, & quod officium quod in Gilbertum contulit, ipsi noxium esse non debeat. Ratio est, quod hæc summa sit pars pretii muneris; & quod æquum non sit, ut Ludovicus qui illud munus emit, emolumentis ac juribus muneri annexis fruatur, antequam ejus pretium solverit : & quod pretio non soluto, Joannem orbet lucro partis pretii ad ipsum pertinentis ratione hypothecæ & prærogativæ, quas in illud pretium habet; quod facile probari potest ex Glossa (*g*), cujus verba retulimus ad secundam quæstionem respondendo, & quæ non repetemus. Hoc etiam docet doctus Segoviæ Episcopus, Didacus Covarruvias, qui hanc illius rationem reddit (*h*): *ne sequatur inæqualitas inter commutantes proprias res. Nam si emptor percipit fructus rei emptæ, nondum soluto pretio, justum est, ut pretii usuras usque ad fructuum quantitatem solvat venditori : qui ei rem tradidit libere, cum eam tradere, pretio non soluto, minime teneretur.* Quibus doctus ille Juris Canonici peritus addit, hoc lucrum ultra sortem considerandum non esse tamquam *usuras lucratorias*, quæ a Jure tamquam non legitimæ damnantur, sed tamquam *usuras recompensatorias*, quas nemo condemnat : *quibus accedit, usuras lucratorias omni jure reprobas esse; usuras autem compensatorias omni jure admitti : quia dantur in compensationem ejus, quod juste competebat; & debitum erat eas recipienti, quodque ipse justissime habiturus esset.* Leges quas in prima decisione laudavimus, & Jurisprudentia, quæ in omnibus Galliæ supremis Senatibus observatur, cum iis quæ diximus congruunt, & evidenter æquitatem hujusmodi lucri ultra sortem probant.

(*g*) Gloss. in c. *Conquest.* de usuris.

(*h*) Didacus Covarr. a Leyva var. resol. l. 3. c. 4. n. 1.

CASUS V.

Hermannus & Justinus, fratres, patris sui obitu duas domos hæreditate acceperunt, quarum altera 20000. libris, altera vero 15000. libris, æstimatur. In hæreditatis portione quam fecerunt, Hermannus accepit dumum 20000. librarum, & domus 15000. librarum remansit Justino, cui Hermannus se se ad 5000. libras solvendas, ut eum sibi æquaret, adstrinxit.

Num Justinus absque turpi fœnore lucrum ultra sortem 5000. librarum exigere potest, donec ejus frater hanc summam ipsi solverit?

Respons.

Justinus lucrum ultra 5000. librarum sortem, a fratre suo sibi debitam, quin turpis fœnoris reus sit, exigere potest. Cum enim de fundo fructificante agitur, qui inter duos heredes æqualiter dividendus est; æquum non est, ut alter majorem ejus, quam alter, portionem habeat, quin ejus damnum resarciat. Id probatur ex auctore Glossæ, cujus textum in secunda decisione retulimus; qui Auctor eo nititur, quod hujusmodi lucrum ultra sortem, locum æquæ compensationis habeat (a). *Quia hujusmodi non quasi usuræ, sed quasi interesse petuntur*. Quod etiam asserunt Covarruvias, in decisione præcedenti laudatus, Navarrus, aliique, congruenter tribus Legibus quas in secundo casu laudavimus, ubi de venditione agitur, cujus pretium ab emptore solutum non est (b).

(a) Gloss. in cit. c. *Conq.* 8. de usuris v. *de feudo*.

(b) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 258.

CASUS VI.

Bertulfus, cum Berenicem filiam suam Diodoro uxorem dedisset, cum 1000. librar. dote, nec hanc summam præsenti pecunia ipsi solvere potuisset, Diodorus, qui eam summam solummodo accepit triennio post diem suo matrimonii Contractui adscriptam, ejus lucrum ultra sortem, juxta usuras a Constitutione concessas, exigit. Num illud absque turpi fœnore exigere potuit?

Respons.

Diodorus nullam turpem usuram admittendo, a Bertulfo socero suo lucrum 1000. libr. sortem, pro dote Berenici uxori suæ promissam, exigere potuit. Quod evidenter congruere videtur Juri Canonico per dispositionem cujusdam Decretalis Innocentii III. (c), in qua Papa ille his verbis loquitur: *Sane generum ad fructus possessionem, quæ sibi a socero sunt pro numerata data pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda*. Quandoquidem enim, juxta istum Pontificem summum, fructus fundi, quem socer genero suo pignori dedit, ut dos ipsi promissa in tuto esset, ante sortem principalem prænumerari non debent, quia gener tenetur ad sustinenda onera matrimonii, quæ sæpe fructus fundi pignori dati longissime superant. Inde sequitur, quod, cum socer nullum fundum fructificantem ipsi pignoravit, certissime ad lucrum ultra dotem ipsi solvendum teneatur, donec præsenti pecunia eam ipsi solverit.

(c) Inn. III. in c. *Salubr.* 16. de usuris l. 5. t. 19.

Hæc decisio plane congruit nostræ Jurisprudentiæ, atque etiam Juri Romano: *Sin autem aliæ res præter immobiles*, ait una e Legibus Codicis Justiniani (d), *vel aurum, fuerint in dotem datæ, sive in argento, sive in muliebribus ornamentis, sive in veste, sive in aliis quibuscumque, siquidem æstimatæ fuerint; simili modo post biennium & earum usuras ex tertia parte centesimæ currere*.

(d) Leg. *Cum quidam fin.* P. 2. cod. de jure dotium l. 5. t. 12.

Operæ pretium est in hæc verba, *post biennium*, observare, jus Romanum biennium dilationis pro usuris concessisse; verum hac in re Jus Gallicum Juri Romano non congruit. In Judicum enim potestate est, secundum circumstantias oblatas, dilationem arbitrandi pro rerum in dotem promissarum solutione, & lucrum ultra sortem adjudicandi, cum id æquum existimant.

CASUS VII.

Scipio, cum paratus esset ad 2000. libras in ærarium Regium ferendas, ut sibi contractum 100. librarum annui redditus in basilicam Parisiensem procuraret; Cajus ejus amicus eum rogavit, ut illi summæ 100. lib. adderet, ea lege, ut earum lucrum ultra sortem, pro ratione constitutionis aut Edicti creationis, solveret. Scipio rei assensum suum dedit, & accepto contractu 150. libr. annui redditus, quotannis Cajo summam 50. libr. solvit. An Cajus absque usura hoc lucrum percipere potest?

Respons.

Distinguendum est: Datur enim chirographum inter Cajum & Scipionem, vel non datur. Si chirographum detur, vel hoc chirographum de alienatione 1000. libr. a Cajo facta loquitur, vel in eo solummodo mentio fit cujusdam pecuniæ ad certum tempus vel ad libitum mutuo datæ. Si chirographum de alienatione loquatur, verbi gratia, si his verbis scriptum sit, Scipionis nomine: *Agnosco, Cajum summam 1000. libr. mihi mutuo dedisse, qua de summa spondeo fœnoris pactionem cum eo coram Tabellionibus facere quoties ipsi libebit; ac interdum ejus lucrum juxta usuras a Constitutione concessas solvere*. Constat hoc in casu Cajum quotannis 50. libr. percipere posse, quin ullam usuram admittat; cum 1000. libr. alienatis, eas a Scipione repetere non possit, qui ad ejus usuras ipsi solummodo solvendas tenetur. Verum si chirographum de pecunia simpliciter mutuo data mentionem faciat, Cajus nullum lucrum ultra hujus summæ sortem exigere aut percipere potest, nisi damni emergentis, aut lucri cessantis nomine: *Cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege*, quemadmodum loquitur Urbanus III. (e) post S. Ambrosium, S. Hieronymum, S. Augustinum, aliosque Ecclesiæ Patres.

(e) Urban. III. in c. Consuluit 10. de usuris.

Si nullum chirographum inter has duas personas detur, Cajus quotannis a Scipione 50. illas libras percipere potest. 1. modo 1000. suas libras Scipioni mutuo dando, sincera ipsi fuerit mens eas alienandi, & 2. modo nec ipse, nec ejus heredes, hanc summam a Scipione repetere possint. Alias enim merum esset mutuum fœneratitium, ex quo nullum lucrum, quantumvis modicum percipere posset.

Diximus, *modo Cajus sinceram mentem habuerit 1000. suas libras alienandi, eas Scipioni mutuo dando*. Solum enim consilium percipiendi usuras pecuniæ suæ, eam etiam, non alienando eum criminosum ac turpis fœnoris reum coram Deo redderet: quia *sola spes usurarii usuram inducere videtur*, sicut loquitur Glossa (f), post S. Augustinum, qui dicit (g); *si fœneraveris homini, id est mutuam tuam pecuniam dederis....a quo aliquid plus quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es*. Quod etiam Urbanus III. hisce Domini nostri verbis probat: *mutuum date, nihil inde sperantes* (h).

(f) Gloss. in c. *Mandato* Ex. de simonia v. *affectu animi*.

(g) S. Aug. in Ps. 36. in can. *Si fœneraveris* 1. 14. q. 3.

(h) Urban. III. in c. *consul.* 10. de usuris.

Ceterum, cum sit chirographum verbis, quæ notavimus, scriptum, sat est pro conscientia, ut propria manu nomen privatim subscribatur: & omne, quod inter hoc chirographum & contractum in formulis scriptum, discrimen intercedit, est, quod debitoris bona non pignorentur, in gratiam ejus qui pecuniam suam mutuo dat.

CASUS VIII.

Aristæus Chrysostomum filium suum cum uxore matrimonio conjungendo, ipsi 40000. libr. promisit. Sed dimidiam tantum hujus summæ partem ipsi præsenti pecunia solvit, & pro ceteris 20000. libr. Chrysostomo se se obligavit. Nonne Chrysostomus jus habet lucrum ultra summæ debitæ sortem exigendi, donec pater ejus illam ipsi solverit, quemadmodum gener usuras partis dotis uxoris a socero suo sibi debitæ, exigere potest?

Respons.

Chrysostomus illæsa conscientia usuras 20000. lib. quarum ejus parte se debitorem erga ipsum reddidit, exigere non potest, nisi postquam partem

suam

suum sententia juridica, bona fide & absque collusione lata, condemnandum curaverit, *in pœnam illatæ solutionis*: licet enim gener lucrum ultra dotis uxori suæ promissæ sortem exigere possit, aut etiam frui reditu fundi a socero suo sibi pignerati, ut dos ista in tuto esset, quin ad fructus e sorte principali prænumerandos teneatur, quemadmodum Innocentius III. declarat (*a*), eadem non est ratio respectu summæ quam pater filio suo, eum cum uxore matrimonio jungendo, promisit; cum nullus Canon, nec ulla Decretalis detur, quæ declaret filium hoc in casu usuras exigere posse.

(*a*) Innoc. III. in cap. *Salubriter*. 16. de usuris.

Revero objici potest, has usuras ipsi solvendas esse, cum ad onera matrimonii ferenda teneatur, quæ ratio est quam Innocentius III. affert in gratiam generi adversus socerum suum. Sed respondendum est, non licere hanc rationem ex privata auctoritae ad alios casus extendere, de quibus Jus non loquitur; & præterea Jus hanc gratiam peculiarem genero non concedere, nisi quia tenetur ad alendam & sustentandam uxorem absque dote sufficienti, aut absque usuris dotis, si eam non acceperit.

CASUS IX.

Geraldus, tutor Alexis, in manibus habet 10000. libras pecunia præsenti, ad pupillum suum pertinentes, quibus per Provinciæ consuetudinem quæstum facere tenetur, nisi ipse earum usuras solvere velit. Quærit occasiones commodas, ut ex hac summa lucrum percipiat, nec ullam occasionem tutam reperit. Nonne illæsa conscientia, summam illam mensario, vel cuidam alii personæ, quæ sit solvendo, mutuo dare potest, ejusque lucrum ultra sortem, juxta usuras Constitutione concessas, percipere, ex sententia quam obtinebit, ut cum pupillo ejus rationes conferat?

Responsio.

Tutor iste absque turpi fœnore hac via uti nequit, ad lucrum e pecunia pupilli sui percipiendum. Nullo enim in casu licitum est quamcunque pecuniam apud aliquem fœnore occupare, eam mutuo dando; cum illud interdictum sit a Jure naturali, Divino & Ecclesiastico, quemadmodum alibi, de usura tractando, invicte probamus: & cum casus propositus, qui maxime favens videtur, a nulla Lege divina, vel humana, nec ab ullo Ecclesiæ Patre, (exceptus fuerit) aut Scriptore probo, nec ulla exceptio aut distinctio facienda sit, ubi Jus nullam exceptionem aut distinctionem facit, juxta hoc placitum, (*b*) *Ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, dicendum est, tutorem non majori privilegio, quam alia persona, quoad usuram, gaudere; & quemadmodum nunquam licitum est mendacium proferre, quacumque de re spirituali aut temporali agatur; neque etiam licitum esse ullum lucrum fœneratitium exigere, cum turpe fœnus, non majorem immunitatem quam mendacium, admittat, quemadmodum dicit Alexander III. in una e sua Decretalibus, quam ad Archiepiscopum Panormitanum his verbis scribit (*c*); *Cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur: super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis, prohibendus est quis, ne, etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur.*

(*b*) Arg. Leg. *De pretio*. ff. de publicanis in rem act. lib. 6. tit. 2.

(*c*) Alex. III. in cap. *Super*. eo. 4. de usuris.

Oportet igitur ut Geraldus alio modo lucrum percipiat e 10000. libris ad Alexim pertinentibus, sive emendo prædium, aut annuas pensiones, sive societatem ineundo cum quodam negotiatore, qui sit solvendo. Et si Geraldus tutelam suscipiendo; hanc summam in manibus cujusdam debitoris reperisset, facile vitare posset ne ipsemet damnaretur ad ejus usuras solvendas, petitionem suam coram Judicibus contra debitorem faciendo, sincero consilio eam summam ad legitimum usum adhibendi, si debitor eam solveret: si & forte ad eam solvendam ipsum adigere non potuisset, sententiam contra ipsum obtinendo, quæ eum ad usuras solvendas adigeret; hoc enim in casu lucri cessantis nomen pro se haberet; ex quo hujus summæ usuras percipiendi jus haberet, ut deinceps cum pupillo suo earum rationes conferret. Sed quemadmodum hic supponitur, Geraldum actu 10000. libras in manibus habere, iis quæ diximus hærendum est.

Quod spectat ad difficultates, quas tutor supponit in bonis usibus reperiendis, ut in tuto 10000. illæ libræ collocarentur, dicendum est magnas has difficultates sæpe reperiri tantum in imaginatione eorum, qui pecuniam commode apud aliquem occupandam quærunt, ope mutui, quæ via brevissima & facillima ipsis videtur; verum etiamsi hæ difficultates veræ essent, & si tutor vereretur, ne pecuniam adhiberet in quemdam malum usum, quem deinceps erga pupillum suum præstare deberet, facillimum est huic periculo remedium. Nam curare solummodo debet, ut res confirmetur Judicum auctoritate, & consilio consanguineorum in formulis requisito, pecuniæ usus præcipiatur: cum constet, eum hac ratione vitare periculum quod timet, omnesque disquisitiones vel lites quas pupillus ipsi quondam suscitare posset. Hæc cautio congruit Constitutioni Aurelianensi, mensis Januarii anni 1560. En enim quemadmodum Rex Carolus IX. in ea loquitur (*d*) *Tutores & Curatores pupillorum, statim atque index bonorum ad pupillos suos pertinentium descriptus erit, ad res moventes caducas ex auctoritate judicis vendendas, tenebuntur, ut & ad pecuniam exinde oriundam, cum cetera pecunia præsenti reperta in prædiis, aut annuis pensionibus ex amicorum & consanguineorum consilio collocandam, usurarum illius pecuniæ propriis suis nominibus solvendarum pœna.*

(*d*) Constitut. Aurelian. art. 102.

Hæc constitutio duo fert. 1. pecuniam pupilli collocandam esse, non per simplex mutuum ad certum quoddam tempus, cujus usuræ percipi possint, verum prædia, vel annuas pensiones, emendo; quod facillime exequi possint tutores. 2. pecuniam sic collocando, tutores ex auctoritate, consilio & consensu pupilli amicorum & consanguineorum agere debere, quibus adhibitis se sartum & rectum conservat a malo exitu, quem pecunia hac cum cautione collocata, habere posset.

Jurisprudentia, quæ observatur in supremo Senatu Parisiensi, cum iis quæ jam jam diximus congruit, ut patet ex Decreto an. 1559. quod a Laurentio Bouchel in sua Juris Gallici Bibliotheca refertur (*e*); & ex celebri consultatione, mandato Domini Episcopi Lucionæ, facta (*f*), cui octo clarissimi hujusce supremi Senatus Advocati nomen suum propria manu adscripserunt die 23. Martii 1679. nempe Domini Abraham, Billard, Issaly, Pinson, Ravierre, Nouet, Chuppe, & de l'Hommeau. En eorum ad quæstiones sibi factas responsum. *Consilium infra scriptum, quod monitum scripto editum supra collocatum vidit, circa primum articulum sentit, supremum Senatum Parisiensem auctoritate sua non firmare pecuniæ mutuum quod a Tutoribus fænori datur, si pecunia ad pupillos suos pertineat, cum per obligationem, seu promissum, mutuo datur, quia supremi Senatus sententia est, usuræ stipulationem fæneratitiam esse, cum de simplici mutuo agitur, idque licitum non esse, nisi cum alienatio datur per pactum annuæ pensionis, seu per pactum æquipolleas.*

(*e*) Laurentius Bouchel. v. *Usura* p. 941.
(*f*) Colloc. Lucion. 10. q. Colloc. 35 q. 3.

Quod ad secundam casum attinet, ejus mens est, equidem Tutores ad lucrum pecuniæ otiosæ quam in manibus habent solvendum, damnandos esse; verum propterea Tutores nulla auctoritate firmantur, ad pecuniam & obligationem seu chirographi cautionem cum fænoris stipulatione, mutuo dandam. Ad tertium casum quod spectat, si tutor diligentias, & argumenta proponeret, quibus demonstraret, in ipsius potestate non fuisse pecuniam de qua agitur in tuto collocare, re cognita, a lucro ultra sortem immunis esse posset. Deliberatum Parisiis die 23. Martii 1679.

Cum clarissimi illi Advocati dicunt, supremum Senatum Parisiensem auctoritate sua non firmare collationem pecuniæ a Tutoribus cum fœnore mutuo datæ, quæ ad pupillos suos pertinet; nihil

afferunt quod non congruat cum Decreto fat recenti primi hujus fupremi Senatus Regni, qui 7. die Maji 1714. pronuntiavit, hujufmodi ufuras, abfque fortis alienatione fœneratitias effe. Quod Decretum lectum & pronuntiatum fuit in Caftelleto, ubi fententia coutraria lata fuerat.

Hæc decifio confirmari poteft 1. Ex auctoritate Concilii Provincialis Mechliniæ (a), anno 1570. habiti, declarantis quod cum ufura prohibita fit fub pœna peccati mortalis, a Jure Divino, & Canonibus, nullus Tutor, nec Curator, abfque crimine, pupilli pecuniam fœnore apud quemquam accupare poffit. Ecce hujus Concilii Decretum. *Quoniam ufura Jure divino & Canonico omnibus Chriftianis fub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda funt mala, ut eveniant bona: Synodus ftatuit, & ordinat ne quis Tutor, aut Curator, fub prætextu argumentandi patrimonii pupillorum, aut fub eorum Caratela exiftentium, pecunia illorum fub certo lucro, fingulis annis ultra fortem recipiendo, mutuo det, retenta facultate repetendæ fortis, ... declarando hujufmodi omnes contractus ufurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes, tanquam contra ufurarios ad pœnam juris procedendum.*

(a) Concil. Mechlinienf. tit. de ufuris.

2. Ex primo Concilio Provinciali Mediolanenfi fub fancto Carolo habito, quinquennio ante Confilium Mechlinienfe, hoc eft, anno 1565. (b), ubi eadem doctrina ftatuitur refpectu pecuniæ orphanorum & viduarum atque etiam pecuniæ locorum piorum. *Ex mutuo, vel depofitis, etiam apud Judæum factis, nihil præter fortem a quovis homine percipi ex convento vel principaliter fperari poffit, tametfi pecuniæ ipfæ fint pupillorum, aut viduarum.* Hujus Concilii verba funt.

(b) Concil. Mediol. 1. in part. tit. 61. de ufuris.

3. Ex perilluftri Clerici Gallici Ordinis Conventu, Meloduni habito anno 1579. *ufuram*, ajunt Præfules qui huic Cœtui aderant (c), *lienis adinftar infuti, & totam corpus maridum efficientis, omnem rempublicam enervare, omnibus notum, & compertam eft. Quapropter, ut tanto occurratur malo, curandum, ut quid ex mutuo, vel difpofitis apud Judæum factis aliquid præter fortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter fperari poffit; tametfi pecuniæ fint pupillorum, aut viduarum.*

(c) Convent. Melodun. tit. de ufuris.

Duo adverfus hanc decifionem objici poffunt 1. Reperiri quædam Decreta, a Louet Commentatore relata, quæ permittunt ut lucrum ultra pecuniæ pupillaris a Tutore mutuo datæ, fortem percipiatur. 2. Quod fi Tutor hanc pecuniam apud aliquem fœnore non occupet, olim ad ufuras proprio ac privato fuo nomine folvendas condemnabitur; ideoque habeat titulum damni emergentis, ex quo ipfi licitum eft lucrum ultra fortem percipere.

Verum ad primam objectionem refpondendum eft, 1. Decreta, quæ afferuntur, antiquiffima effe, 2. Jurifprudentiam univerfalem hodiernam illis Decretis plane adverfari. 3. Decretum etiam diei 13. Junii 1559. quod laudavimus, redditum inter *Monfire d' Orleans*, quemadmodum Bouchel loquitur, & Curatorem Annæ *Du Vivier*, qui pupillæ fuæ pecuniam, ratione feptimæ partis ex centefima, fupradicto *Monfieure* fœnori mutuo dederat declaraffe, ufuras receptas ufurarias, & fifco in Regis commodum addictas, mulctam Partibus litigantibus indixiffe; & vadimonii per fe obeundi denuntiationem decreviffe contra Prætorem Generalem Aurelianenfem, quia hunc pecuniæ ufum auctoritate fua firmaverat. Quod oftendit noftram hac de re Jurifprudentiam jam tunc temporis magna cum cura obfervatam fuiffe. Et 4. Denique confcientiam fimilibus Decretis fe fe accommodare non poffe, cum fanctis Canonibus, atque etiam Conftitutioni adverfentur.

Ad fecundam objectionem refpondendum eft, Rationem quæ affertur, meram effe æquivocationem, quæ facillime deftrui poteft. Ut enim damnum emergens, æquum fit nomen lucrum ultra fortem percipiendi, oportet, ut præcife ex mutuo oriatur. In fpecie autem propofita, damnum emergens, quod affertur, ut Geraldus a culpa eximatur, ex mutuo præcipue ac præcife non oritur, verum ex tutela ipfi impofita, & quæ vera eft origo hujus damni, quod certiffime ferret; etiamfi hanc pecuniam mutuo non daret. Quamobrem damnum illud emergens, quod vocant, nomen non eft, quod eum ab ufura eximere poffit. Adde quod penes ipfum fit damnum illud antevertere, ea quæ a Conftitutione præfcribuntur, fequendo.

CASUS X.

Clemens 600. libras Jacobo mutuo dedit pro commercii fui negotiis fub Stephani cautione. Verum quia Jacobus non multum eft folvendo, Stephanus ab eo petit, ut pro cautionis fuæ vectigali, ipfi lucrum ultra 600. librarum fortem ufuris quincuncibus folvat, donec eas Clementi reddiderit. Num illud lucrum abfque ufura percipere poteft?

Respons.

Stephanus abfque injuftitia exigere nequit lucrum ultra fortem fummæ, cujus pro Jacobo erga Clementem fponfor eft. Ratio eft, quod illud lucrum non magis percipere poffit, quam Clemens ipfe qui Creditor eft. Quemadmodum igitur ille qui mutuo dat, commodum ex mutuo dato percipere nequit, nec etiam ille qui fe prædem offert perfonæ quæ mutuo fumit, commodum percipere poteft: egeftas enim illius cujus eft fponfor, nullum jus ipfi tribuit, pro ratione fuæ cautionis lucrum ultra fortem percipiendi: Alias enim dici poffet quod, quo magis egenus foret ille qui mutuatur, eo majus lucrum ab eo exigi poffet, quod non modo omnibus charitatis Chriftianæ regulis adverfatur, verum etiam juftitiæ oppofitum eft. Unde colligendum, quod, quemadmodum unicuique plane liberum eft mutuo dare (fi quofdam cafus peculiares excipias) pariter fe fe prædem offerre liberum eft: Verum five aliquis mutuo det, five fe prædem offerat, nunquam illud facere debet, nifi juftitiæ & charitatis regulas fedulo obfervando (d).

(d) De Sainte Beuve, t. 2. Caf. 57.

CASUS XI.

David cum 3000. libras Gratiano mutuo dediffet, nec deinceps earum folutionem percipere poffet, eum in jus vocat, ut condemnetur ad hanc fummam fibi folvendam. Judex, fententia quam fert, biennium ad fortem folvendam Gratiano concedit, eumque condemnat ad lucrum ultra fortem Davidi per hoc tempus folvendum cum biennium elapfum effet, & David lucrum conftitutum percepiffet; Gratianus adhuc annum præterlabi finit 3000. libras non folvendo; poftea illas Davidi reddit, qui fimul 150. libras amlios, pro lucro ultra fortem illius tertii anni, percipit. Num illæ 150. libræ lucri ultra fortem ipfi legitime acquifitæ funt?

Respons.

Illæ 150. libræ lucri ultra fortem, quas David pro tertio anno accepit, ipfi legitime acquifitæ non funt. Cum enim novam fententiam non obtinuerit, quæ Debitorem fuum condemnet ad lucrum ultra fortem tertii iftius anni fibi folvendum, illud exigere non potuit nifi manifeftam ufuram admittendo, cum nullum nomen legitimum haberet, quo illud acquirere poffet. Si enim illud ex mutuo percipere non potuit, nec etiam potuit ex fententia quam obtinuit, cum fententia lucrum illud pro biennio elapfo ipfi folummodo adjudicaret. Quamobrem nulla alia ratio ipfi fupererat, illius lucri exactionem licitam reddendi, nifi ut rurfus bona fide Gratianum, Debitorem fuum, curaret condemnandum, ad lucrum illud fibi folvendum, ufque ad perfectam fummæ illi mutuo datæ folutionem: quo cafu abfque ufura percipere potuiffet lucrum ultra furtem, quod hac fecunda fententia ipfi adjudicatum fuiffet, a die qua illud petiiffet, numerando.

Attamen obfervandum eft hanc decifionem, intelligendam effe refpectu eorum, qui funt ex Jurifdictione Supremi Senatus Parifienfis, aut aliarum Curiarum Supremarum, in quibus Conftitutio Aurelianenfis ufu recepta eft: Non vero aliarum Curiarum, in quibus hæc Conftitutio non fuit recepta, & in quibus alia Jurifprudentia obfervatur, ut in Supremis Senatibus Burdigalæ & Tolofæ, in quorum priori, lucrum ultra fortem, a die meræ interpellationis, debetur; in pofterioris vero Jurifdictione, a die temporis præftituti elapfi, quin etiam Creditor Debitorem fuum ad fummam fibi debitam

fol-

solvendam interpellaverit, sicut alibi dicimus ad tertium Casum respondendo (*a*).

(*a*) Idem t. 2. Cas. 61.

CASUS XII.

MAGLORIUS, Civis Parisiensis, cum gratis 700. libras Bernardo in annum mutuo dedisset, & Bernardus eas tempore præstituto reddere differret, eum per apparitorem interpellavit ut eas sibi solveret, atque etiam in jus vocavit, ut ad eas solvendas a Judice condemnaretur, vel saltem ad lucrum ultra pecuniæ suæ sortem, juxta usuras a Constitutione determinatas, sibi solvendum.

Bernardus, qui probe noverat se hanc condemnationem vitare non posse, ei hanc obtulit conditionem, nempe quod ipsi deinceps lucrum ultra sortem solveret, quin cogeretur ad obtinendam vel describandam sententiam, quæ ipsi incassum sumptui esset: vel quod etiam sententiam mutuo consensu in Tabulario forensi scriberent, inconsulto Judice, quemadmodum sæpe aliis in rebus usu venit; Maglorius hanc conditionem accepit, & a duobus vel tribus annis lucrum ultra summæ suæ sortem percepit. Num illud, quin ullam turpem usuram admitteret, percipere potuit?

RESPONS.

Existimamus in specie proposita, Maglorium, quin usuræ culpandus sit, lucrum ultra 700. librarum, quas Bernardo mutuo dedit, sortem, percipere non potuisse, nisi illud nomine damni emergentis, vel lucri cessantis, perceperit. Ratio est, quod simplex coram Judice petitio, nullum legitimum jus conferat, quo usuræ pecuniæ mutuo datæ exigi aut percipi possint; & quod Judex solus sententia juridica Creditorem ad usuras percipiendas auctoritate sua confirmare possit. Hac ratione ad istam quæstionem respondet Bouchel (*b*). *Verum, hoc in casu, ait, non sufficit, ut interpellatio aut in jus vocatio detur ad usuras producendas: Occasio enim esset ad Leges usurarias fraudandas; sed persecutio continuanda est, atque contumaciæ & malæ voluntatis Debitor convincendus est; post concertationem aut contumaciam defensoris judicio definitivo, aut re judicio æquipollenti, tanquam transactione, absque ulla fraude, post caussam dictam.*

(*b*) Laur. Bouchel. Biblioth. Juris Gallici v. Usura. tom. 3. pag. 944. col. 4.

Revera Constitutio Aurelianensis mensis Januarii 1560. (*c*) expressim prohibet, ne ullæ usuræ percipiantur ante condemnationem juridicam, contra Debitorem latam. En ejus verba: *Adversus damnatos ad solvendam quamdam pecuniæ summam, ex Chirographo, aut obligatione debitam, adjudicabantur damna & detrimenta petita propter solutionis commorationem, a die, qua ipsi vadimonii denuntiatio facta fuerit. Et licet hæc Constitutio rata facta & comprobata non fuerit in Supremo Senatu Parisiensi, attamen in eo usu recepta est, quia Constitutio Ruscinonensis agri mensis Januarii 1563. facta, quemadmodum antecedens, a Carolo IX. cujus articulus 36. præcipit ut Constitutio Aurelianensis observetur, in Supremo Senatu Parisiensi rata facta & comprobata fuit.*

(*c*) Constit. Aurelian. ar. 60.

Usus forensis, cujus in specie proposita mentio fit, Tabulariorum, qui inconsulto Judice sententias scribunt, abusu nititur; ideoque ad Maglorii justificationem inutilis est. Verum ut huic materiæ major lux afferatur, & ut hæc decisio firmius stabiliatur, operæ pretium est duas objectiones quæ fieri possunt, hic afferre.

Primo igitur objiciunt, contingere posse, ut Creditor reipsa quoddam damnum perpetiatur, antequam lata sit sententia, quæ ad usuras solvendas condemnet, aut etiam antequam petitio juridicialis fiat: quod damnum creatur a Debitore, qui solvendo efficere potuisset, ut damnum illud cessasset. Tenetur ergo, inquiunt, ad damnum Creditori resarciendum, non expectando, ut ad illud a Judice condemnetur, qui præterea ad usuras, a die petitionis numerando, solvendas condemnando, quicquam aliud facere non existimatur, quam declarare Officium, ex quo debitor jam tenebatur, antequam eum ad usuras Creditori solvendas condemnaret. Unde colligi posse videtur, Creditorem, qui lucrum ultra summæ mutuo datæ sortem percipit, nullam injuriam committere, præsertim, cum debitor ad illud ipsi solvendum ultro se se offert.

Ad hanc ratiocinationem respondendum est, quod, si Creditor aliquod damnum ex solutionis retardatione perpetiatur, ejus caussam sibi soli non vero debitori, imputare debeat, cum de eo conqueri nolit, & penes ipsum sit ut eum condemnandum curet ad solutionem sortis, & lucri ultra sortem, usque dum solutio perficiatur. Ita ut debitor nullam ipsi damni compensationem usquedum debeat, verum solummodo a die, qua ostendit, quod hoc damnum diutius perpeti non vult, curando ut Judicio condemnetur ad sibi sortem solvendam, vel saltem ad damnum resarciendum lucri ultra sortem solutione.

Secundo objicitur, quod adstringendo Creditorem ad summarum sibi debitarum solutionem judicio persequendam, & ad debitoris sui bona, ut ab eo solvatur, in custodiam tradenda, janua aperiatur innumeris litibus, quæ sæpissime æque noxiæ sunt Creditoribus ipsis ac eorum debitoribus, qui præterea vulgo magnum commodum reperiunt in usuris legitimis solvendis, cum e contra totalis exitii periculum subirent, si eorum Creditores curassent, ut omnia eorum bona venderentur, ad sortem sibi debitam percipiendam.

Ad hanc objectionem respondetur, id supponi, quod supponere necesse non est; Etenim ut in Jurisdictione supremi Senatus Parisiensis usuræ illæsa conscientia percipi possint, nullatenus opus est longas ac diuturnas lites debitoribus intentare, nec eorum bona vendenda curare. Sat est enim adversus eos obtinuisse sententiam, quæ illos ad usuras solvendas condemnet: quod facillimum est, atque brevissimum tempus & paucissimos sumptus exigit.

Operæ pretium est Docto cum Theologo observare (*d*), sententiam condemnationis ad lucrum ultra sortem solvendum, collusione inter creditorem & debitorem latam, conscientiam creditoris qui hoc lucrum percipit in tuto non ponere, meramque usuram turpem obtectam esse, cum creditori consilium non est, summam, quam mutuo dedit, percipiendi, tempore in chirographo debitoris præstituto; sed solummodo lucrum ultra sortem percipiendi sub hujusmodi sententiæ prætextu. Hac de veritate omnes Theologi ac juris Canonici periti, consentiunt (*e*).

(*d*) De Sainte Beuve. to. 2. cas. 142.

(*e*) Idem t. 1. cas. 91. tom 2. cas. 118. tom. 3. cas. 348. Colloc. Lucion. tom. 2. colloq. 18. q. 3. &c.

CASUS XIII.

LEODEBERTUS, qui Burdigalam, aut Tolosam incolit, cum 1000 libras Gilberto, ad sex mensium tempus præfinitum, mutuo dedisset, ejusque summæ solutionem, post pecuniæ diem exitam, ab eo instanter petiisset, qui ea ad commercium suum fulciendum magnopere indigebat, quin eam obtinere potuerit: & cum Gilbertus eam ipsi solvere recusaret, simulatione quod exinde magnum incommodum perciperet; eum in formulis usitatis interpellavit, ut summam sibi debitam solveret. Gilbertus eum rogavit ut adhuc per annum vel biennium expectaret, hanc conditionem offerendo, nempe quod illius summæ usuras ipsi solveret, quam conditionem Leodebertus accepit. Qua de re quæritur, num iste creditor quin turpem usuram admittat, hocce lucrum ultra sortem percipere possit, licet nullam obtinuerit sententiam, quæ Gilbertum, debitorem suum, ad illas usuras solvendas condemnet, quem solummodo interpellavit, etiam solutionis petitionem coram Judicibus non instituendo?

RESPONS.

Antiquus Sorbonæ Doctor (*f*), cui similis quæstio proposita fuit anno 1670. respondet, hunc Creditorem, absque turpi usura, lucrum summæ mutuo datæ post simplicem interpellationem percipere posse. In Jurisdictione enim supremi Senatus Burdigalensis, lucrum ultra sortem, a die & ex mandato solvendi facto, creditori debetur, etiamsi nulla condemnationis sententia, nec etiam ulla lucri ultra sortem coram Judicibus facta

(*f*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 118.

detur. Etsi partes litigantes in Jurisdictione supremi Tolosæ Senatus versentur, lucrum ultra sortem a die temporis præfiniti elapsi debetur; licet nulla præcurrens sortis solvendæ in jus vocatio intervenerit.

Igitur Leodebertus, si Burdigalam incolat, lucrum ultra 1000. librarum Gilberto mutuo datarum percipere potest, ex mandato solvendi, a die interpellationis, quia ex hujus supremi Senatus usu recepto, ipsi legitime debetur: quemadmodum patet ex actis notitiæ pervulgatæ Santoni Mediolani Curiæ Præsidialis, quæ ab hujus supremi Senatus Jurisdictione pendet, quæ conscripta fuerunt mense Januarii 1639. & a Juliano Brodeau referuntur, quæ ferunt, non modo in illa sede, verum etiam in tota hujus supremi Senatus amplitudine, usum receptum esse, ut *pecuniarum summæ chirographis & obligationibus debitæ, lucrum ultra sortem a die qua solvendi mandatum significatum fuit, producant, quod mandatum debitorem commorationis arguit, quin opus sit usurarum petitione juridiciali*. Ipsissima sunt horum actorum verba.

Si Leodebertus Tolosam incolat, lucrum etiam ultra summæ suæ sortem percipere potest, ad tempus quod diem pecuniæ de qua inter Gilbertum & ipsum convenit, sequitur; etiamsi nulla interpellatio, petitio juridicialis, aut condemnationis sententiæ præcedat; quia usus est in tota hujus supremi Senatus amplitudine receptus, quemadmodum patet ex aliis actis notitiæ pervulgatæ, in Senescalli, & Præsidiali hujusce urbis Curia, quibus dies prima Augusti 1626. adscripta est, confectorum.

Usus isti, cum confirmentur auctoritate supremarum Curiarum, in quibus Constitutio Aurelianensis, nec rata facta & comprobata nec usu recepta fuit, existimandi sunt tanquam Constitutionis locum habentes, & tacitam ad usuras solvendas condemnationem includunt, cum solvendi mandatum Burdigalæ ejusdem sit roboris, ac Parisiis condemnationis sententia, & cum pecuniæ dies Tolosæ etiam similem effectum sortiatur, quia *dies interpellat pro homine*.

CASUS XIV.

ABUNDIUS, Vir dives 1000. libras Briando in triennium mutuo dedit, quo tempore elapso, Briandum ad hanc summam sibi solvendam condemnandum curavit, vel ad ejus usuras a Constitutione determinatas solvendas, numerando a die petitionis coram Judicibus factæ. Briandus cum ipsi 1000. libras commode reddere non posset, per biennium solutionem procrastinavit, cum 100. libras pro biennii usuris solvere mallet. Num Abundius tuta conscientia & absque turpi usura, hocce lucrum, ultra 1000. librarum sortem, percipere potest, præsertim cum notum sit, nemini religioni esse hujusmodi lucrum percipere, cum Judex ad illud solvendum debitores condemnavit?

RESPONS.

Doctores circa hanc quæstionem in varias abeunt partes: Quidam (*a*) affirmant, illæsa conscientia lucrum ultra sortem, a sententia sine collusione lata, adjudicatum indiscriminatim percipi posse.

Alii (*b*) contendunt illud lucrum percipi non posse nisi ex damno emergente, aut lucro cessante, *in* sensu Divi Thomæ intellecto.

(*a*) De Sainte Beuve to. 2. cas. 110. & 345. & tom. 3. cas. 28. & 144.

(*b*) Fr. De Genet. Theol. mor tom. 1. tract. 4. cap. 8. quæst. 2. & 6.

Utrique his Constitutionis Aurelianensis verbis nituntur. *Adjudicabuntur damna & detrimenta petita pro solutionis retardatione, a die in jus vocationis numerando*. Quæ verba singuli sensu opinioni suæ faventi explicant.

Priores dicunt creditorem lucrum ultra summæ mutuo datæ sortem percipere posse, licet nullum damnum e solutionis retardatione perpetiatur; quia Judex qui debitorem ad lucram illud solvendum condemnat, non unice spectat ad damnum, quod Creditor perpeti potest, sed etiam ad culpam in qua debitor est, id quod debet tempore de quo convenit non reddendo; & quia eum ad lucrum ultra sortem solvendum condemnat, tanquam ad pœnam quam ipsi infligit, aut tanquam ad mulctæ speciem quam subire meretur in odium contumaciæ suæ, & ex eo quod non obstante interpellatione sibi facta, tempore præfinito non solvat. Ideoque hunc Creditorem istud lucrum ultra sortem licite percipere posse, non *vi mutui*, nec *etiam ratione damni emergentis, aut lucri cessantis*; Sed *in pœnam dilatæ solutionis*: quam pœnam Judex illi, qui eam meritus est, infligendi jus habet: *Usuras enim*, ait Lex (*c*): *non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium infliguntur*.

(*c*) Leg. Cum quidam 17. §. 3. ff. de usuris & lib. 22. tit. 1.

Iidem Auctores opinionem suam confirmant ex ratione, qua Lites his in occasionibus promoveri solent, & ecce quomodo ratiocinantur. Creditori adjudicari nequit lucrum ultra sortem, nisi in pœnam contumaciæ debitoris aut in creditoris damni compensationem. 1. Quia Judex nullo modo inquirit, an creditor ille damnum perpessus fuerit, vel non. Ergo cum sententiam suam pronuntiat, respicere nequit ad creditoris damnum; sed solummodo ad pœnam debitoris contumaciæ debitam. 2. Quia Judex omnibus Creditoribus æquales usuras præscribit, sive majus, vel minus damnum perpessi fuerint; qua in re contra Justitiam peccaret, si ad damnum ipsis debitum respiceret. Ergo, concludunt hi Doctores, Judex lucrum istud ultra sortem solummodo præscribit in solutionis retardationis pœnam, non vero ad damni, quod creditores perpeti potuerint, compensationem.

Ex hac sententia sequitur 1. Creditorem tuta conscientia debitorem suum adstringere non posse ad usuras sibi adjudicatas solvendas, cum debitor absque sua culpa solvere non potest. 2. Solum nomen ex quo lucrum ultra sortem percipere possit, esse damnum emergens, aut commodum cessans, cum debitor dilatæ solutionis culpandus non est.

Alii e contra affirmant, Constitutionis verba de damni compensatione creditoribus debita solummodo intelligenda esse; ideoque si ille, cui usuræ ex sententia condemnationis adjudicantur, pro suo nomine non habeat damnum emergens, aut lucrum cessans, secundum conditiones a Theologis requisitas intellectum, lucrum ultra sortem percipere non posse quin usuræ culpandus sit.

Eorum ratio est, quod Judex tales condemnationes solummodo pronuntiet, quia autumandum est, eum, qui pecuniæ mutuo datæ restitutionem repetit, ea egere, & aliquod damnum ejus privatione perpeti, aut quoddam lucrum legitimum facere negligere, quod certissime faceret si pecuniam suam haberet. Quod illi Auctores ex duobus rationibus quæ plausibiles videntur, probant.

Primo, quia Judex nunquam debitorem ad lucrum ultra sortem solvendum, nisi a die petitionis, condemnat: Ita ut si Joannes 10000. libras a viginti annis Jacobo debeat, & Jacobus summam suam ab octiduo tantummodo a Joanne judicio petierit, Judex eum non condemnabit ad solvendum lucrum ultra sortem Jacobo a viginti annis, quia supponit eum nullum damnum propter pecuniam mutuo datam per illud tempus perpessum fuisse: cum Jacobus conquestus non fuerit, nec judicio petierit; at Joannes ad solvendum condemnaretur. Verum eum solummodo ad usuras solvendas, ab octiduo numerando, condemnabit; hoc est, a die qua Jacobus petitionem suam coram Judice fecit; quia Judex ille autumat, Jacobum ab illa die solummodo incœpisse aliquod damnum perpeti ex suarum 10000. librarum privatione, aut aliquod lucrum percipere, quod tunc legitime percipere potuisset, si eas habuisset.

Secunda ratio elicitur ex incentivo, quo motus est Rex, cum voluit ut Judices debitores ad usuras, Constitutione sua præscriptas, solvendas condemnarent. Etenim ante hanc Constitutionem Judices solummodo condemnabant debitores ad damnum, creditoribus suis solutione dilata creatum, resarciendum. At quia longioris & difficilioris disquisitionis erat, ex æquo statuere ad quam summam damnum assurgebat, & quia creditores etiam falsa damna facile supponere poterant, sic-

que

que debitores suos bonis exuere: *Rex Carolus IX.* post querimonias a tribus Regni Ordinibus, Aureliæ anno 1560. congregatis, hac de re factas, præcepit, ut in posterum damna & interesse a die petitionis juridicialis solummodo adjudicarentur, eaque modo firmo præscripsit, ut omnem forensium tricarum, malæ fidei, & injustitiæ occasionem adimeret. Eo ipsissima clarissimæ hujus Constitutionis verba (*a*). *Adversus eos qui condemnantur ad solvendas quasdam pecuniæ summas ex chirographo aut obligatione debitas, adjudicabantur damna & interesse, propter solutionem dilatam petita, a die in jus vocationis ipsis factæ numerando; idque pro ratione, nempe inter Mercatores usurarum semissium, atque inter alias personas, usurarum semissium, exceptis attamen aratoribus, vinitoribus, & mercenariis, quos erga debitores dupli damnabantur, cujus summæ debitores erant; quia nostri Judices hanc summam moderari possint.* Quibus ex verbis colligendum esse videtur, Regem hac Constitutione solummodo velle, ut creditoribus lucrum ultra sortem adjudicetur, quia autumandum est, eos aliquod damnum ex solutione dilata percipere; Quod eo clarius patet, quod illius Principis voluntas sit, ut majores usuræ Negotiatoribus quam aliis adjudicentur: quia vulgo Mercatores majus damnum quam alii e pecuniæ suæ privatione percipiunt; Atque hanc eandem ob rationem Constitutio multo maiores usuras præscribit Agricolis, Vinitoribus, & mercenariis: cum ejusmodi homines longe plus damni, quam omnes alii percipiant, quando ipsis debitum non redditur.

(*a*) Constit. Aurelian. art. 160.

Denique iidem Auctores addunt, in responsum ad ratiocinationem eorum, qui priorem opinionem tuentur, ineptum, atque etiam Publico noxium futurum esse, si Judex damnum quod omnes creditores perpeti potuissent inquireret, respectu habito ad parvum eorum numerum qui exinde nullum damnum percipiunt; Ideoque ad bonum publicum multum referre, ut omnibus æqualis damni compensatio præscribatur, quemadmodum Constitutio, quæ hodie nobis est instar regulæ præscripsit, eodem modo quo certum quoddam lucrum pro omnibus fundis qui venduntur, determinatur, & quorum pretium ab emptore solutum non est, licet dubitari non possit, quin fundi quidam dentur, qui longe plus reddant quam alii. Ecce secundam opinionem, quam plures Docti Auctores amplexi sunt, interque alios Cabassutius qui his verbis se le effert (*b*). *Si per sententiam Judex usuras istas adjudicet, spectandum erit, an fuerit mora ista culpabilis, eo quod reus, cum solvere debuisset, vel neglexerit, vel sua culpa, qua obligatione posterior sit; puta lusibus aut superfluis expensis sibi ademerit solvendi facultatem. Si ita res sit, poterit usura adjudicata exigi, tum in pœnam culpabilis moræ, per sententiam, eamque justam imposita ..... sed si neque mora debitoris culpabilis ulla fuerit, aut justum lucri, vel damni interesse non intervenerit, non potest creditor in foro conscientiæ hujusmodi usuras, etiam per sententiam adjudicatas exigere; debetque contentus esse recuperatione rei petitæ & indemnitate expensarum litis. Si vero fit ex mora culpabili, sive ex alia quavis culpa debitoris creditor verum damnum sustineat, tenebitur in conscientia mutuatarius illud reparare, quamvis nihil expresse convenisset, nec Judex quicquam decerneret.*

(*b*) Joan. Cabassut. Juris can. Theor. & prax. l. 6. c. 7. n. 7.

Secunda hæc opinio procul dubio magis congruit, quam prima, cum æquitate ac mente Constitutionis, ideoque pro conscientia tutior est. Verumtamen quia solummodo agitur de interpretatione legis humanæ, cujus incentivum non clare patet: & quia unaquæque harum ambarum opinionum argumentis sat notandis nititur; prior sententia absolute condemnanda non est, modo ita dispositi simus, ut sortis solutionem, usurarum receptioni anteponamus, vel ne dilata solutio aliquod damnum nobis creet.

Dicimus ergo, ut præcise ad speciem propositam respondeamus, quod si Abundius pro conscientia tutissimum sequi velit, usuras sibi adjudicatas percipere non debeat, si pro se nomen non habeat lucri cessantis, in sensu quo a Theologis sumitur intellecti, & de quo deinceps verba faciemus de Usura tractando. vel nomen damni emergentis: vel saltem Briandus ejus debitor dilatæ solutionis culpandus sit: Verumtamen quod absolute condemnari non possit, tanquam usuræ, aut injustitiæ reus, si priorem opinionem sequendo, & ad duas modificationes, de quibus jam jam locuti sumus, se se accommodando detineat centum libras usurarum sibi adjudicatarum a sententia condemnationis, quam adversus debitorem suum obtinuit, eas considerando tanquam mulctam, vel ut melius dicamus, tanquam pœnam ipsi in contumaciæ suæ odium æque a Judice inflictam,

CASUS XV.

Aristæus gratis mille nummos Flavio mutuos dat, nullasque usuras ab eo petit, sed hoc mutuum ipsi dando, consilium ejus est ipsius paullo post in jus vocandi sententiamque obtinendi, qua ad lucrum ultra sortem, juxta usuras a Constitutione præscriptas, sibi solvendum condemnetur. Num ita agere potest, quin usuræ turpis culpandus sit?

Responsio.

Constat mutuum meram gratiam, non vero commercium esse debere, atque si Beneficium tanquam ejus principium non respiciatur, verum ab avaritia ortum ducat, usurarium fieri. Ita ut ille qui mutuo dat solummodo bene agat, cum ejus mens est de proximo suo bene merendi, eum in inopia sublevando: ejusque actio vitiosa sit, cum ad res suas solummodo spectat, & ope mutuo dati lucrari vult. Quambrem Aristæus in specie proposita ab usura eximi nequit. Licet enim ejus usura dissimulata sit atque operta velo Justitiæ, quæ mutui usuras ipsi adjudicat, id non impedit quominus revera & coram Deo, maxime realis sit usura, & quominus vir ille peccet, non modo contra præceptum divinum quod omnigenam usuram prohibet, verum etiam contra Justitiam ipsam, cujus auctoritate niti autumat, & qua abutitur. Quemadmodum enim ait Bonifacius VIII. (*c*). Ille in legem peccat, qui in legis animum ac mentem peccat, licet ejus litteram observet, & exterius ad verborum sensum se se accommodet. *Certum est*, inquit summus ille Pontifex, *quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Quod supremus ille Pontifex solummodo profert post hanc Codicis Justiniani legem (*d*), *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem, nec pœnas legibus incertas evitabit, qui se contra juris sententiam sæva prærogativa verborum fraudulenter excusat*. Aristæus autem manifesto peccat in mentem Legis; ex qua Judex ipsi lucrum, ultra mille nummorum Flavio mutuo datorum sortem, concedit, quia juxta Legis mentem, lucrum ultra sortem adjudicandum non est, nisi in Casu damni emergentis, aut lucri cessantis: aut in casu veræ contumaciæ: quibus in Casibus cum Aristæus non reperiatur, nec ullum aliud consilium habeat quam commodum ex pecunia sua mutuo data percipiendi, tuta conscientia abuti nequit hujusmodi sententia, quam tantummodo a Judice exegit, ut manifesto Legi ac Justitiæ illuderet; ut ergo vir ille usuras sibi adjudicatas licite percipere posset, oporteret ut mille suos nummos bona fide & absque ullo consilio ex pecunia mutuo data commodum percipiendi, mutuo dedisset: & aliquod damnum e mutuo creatum sustineret, aut eadem ratione aliquod lucrum legitimum facere prætermitteret, vel ut ad minimum Flavius ejus debitor contumaciæ realis culpandus esset, hacque de caussa ad usuras istas solvendas condemnaretur

(*c*) Reg. finda regulis juris in 6.

(*d*) Leg. Non dubium. 5 Cod. de legibus & l. 1. tit. 14.

Vide { DAMNA & INTERESSE. MUTUUM. RESTITUTIO. USURA. }

LU-

LUCRUM LUCRI ULTRA SORTEM.

INNOTUIT ex iis, quæ diximus in fronte Tituli præcedentis, quid intelligendum esset per vocem Gallicam *Interest*, quæ Latine redditur *Lucrum ultra sortem*. Hic disquirendum est, num secundum lucrum ex legitimo ultra sortem lucro a debitore non soluto, percipi possit: hoc est: an lucrum ultra sortem debitum sorti addendo, ex iis componi queat summa, quæ majores usuras producat.

Lucrum lucri ultra sortem semper spectatum fuit tanquam usura odiosa, a Constitutionibus prohibita, & ad debitores opprimendos apta. Dantur tamen quidam casus, in quibus istæ secundæ usuræ locum habere possunt.

Primus casus est respectu Tutoris qui quamdam summam congessit e bonorum pupilli sui parcimoniis quas fecit, per lucrum ultra sortem, aut pensionum annuarum usuras receptas. Hoc enim in casu earum usurarum lucrum pupillo suo debet, cum eas, quemadmodum tenebatur, apud aliquem non occupavit.

Secundus casus respicit debitorem præcipuum summæ, cujus fidejussor pro eo creditori lucrum ultra sortem solvit: quemadmodum enim hoc lucrum sponsori sortis loco venit, præcipuus debitor ex usuris, quas sors illa ipsi producere potuisset, tenetur. Eodem modo ratiocinandum est de cohærede qui ad usuras hæreditatis creditori solvendas coactus fuit, cum istæ usuræ solutæ ipsi etiam sortis loco sint.

CASUS PRIMUS.

VALORRANUS cum Balduino 10000. librar mutuo dedisset, per schedulam annuam pensionem referentem, cui nomen manu adscripsit; & cum Balduinus quadriennio post 2000. librarum lucri ultra sortem debitor esset, Valdradum rogat, ut hanc summam 2000. librarum 10000. libris sortis ipsi debitæ, addere velit, ad duodecim mille librarum summam efficiendam, cujus novum Chirographum in fœnore, sicut prius, positum ipsi offert. Valdradus conditionem accepit, sicque sibi sexcentas libras annui reditus, loco quingentarum librarum ex prima schedula percipiendarum, constituit. Nonne hoc pactum conventum illicitum ac damnandum est?

RESPONS.

Hoc pactum certissime illicitum est, ac a Jura prohibitum, quemadmodam ex hisce unius e Legibus Codicis verbis probari potest (*a*): *Ut nullo modo usuræ usurarum a debitoribus exigantur; & veteribus quidem Legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum; si enim usuras in sortem redegere fuerat concessum, & totius summæ usurus stipulari; quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usuræ exigebantur? Hoc certe erat, non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari.*

(*a*) Leg. Ut nullo modo.28. cod. de usuris lib. 4. tit. 32.

Idem etiam expressim prohibetur a Constitutione Philippi Pulchri lata mense Julii an. 1312. (*b*); *Prætereu prohibemus*, ait ille Princeps, *ne quis creditor litteras obligatorias mutui, vel alterius crediti, ut lucrum ex tempore convertatur in sortem, faciat renovari, vel alias usuras, vel interesse quomodolibet in sortem convertat. Quod si quis contra fecerit, dictam pœnam (corporis, & bonorum *,) ipso facto incurrat.* Idem etiam interdictum fuit a Ludovico Magno per Edictum suum respectu Negotiatorum Commentarii datum (*c*).

(*b*) Fontanon tom. 2. p. 675.

* Prohibet anatocismum sub pœna corporis & bonorum. Carol. Molinæus.

Curiæ Supremæ omnibus in temporibus sapientibus his Constitutionibus se se conformarunt, quemadmodum ex innumeris Decretis patet; Georgius Louet (*d*) multa refert, interque alia Decretum 26. Martii 1602. & alterum 28. Maii 1605. in prima Inquisitorum Curia referente Domino de Grieu, pronuntiatom, *Lucrum lucri ultra sortem percipere*, inquit ille Jurisconsultos, ... *prohibetur ac interdicitur quovis in casu, cum pecunia natura sua sterilis, cujusque usus fructus civiles modo ficto tantum producit, secundo gignere non possit*. Quod probat 1. ex multis Legibus quas in margine indicamus (*e*), & quarum singuli textus diserti sunt.

(*c*) Tit. 6. art. 1. & 2.

(*d*) Lit. Louet. litt. R. n. 55.

2. Ex auctoritate sancti Athanasii & sancti Ambrosii (*f*). 3. Ex Constitutione Philippi Pulchri, quam laudavimus, & quæ reperitur in stylo Supremi Senatus (*g*) & in Fontanoo. Dominus Brillon qui magnum suum Decretorum Dictionariom in lucem edidit tribus voluminibus *in folio*, multa alia Decreta etiam laudat, præcedentibus congruentia, a variis Supremis Senatibus pronuntiata (*h*) quorum duo Decreta sunt Supremi Senatus Parisiensis 9. Junii & 3. Augusti 1611. & tertium est Supremi Senatus Divionensis 20. Januarii 1572.

(*e*) L. Ut nullo modo. cit. L. Præses. 27. Cod. de re judicata. L. Improbum 20. Cod. ex quibus causis infam. irreg. L. fin. Cod. de usuris. L. Si non sortem. 26. § 1 ff. de condictione. Leg. 2. § 7 ff. de administratorum ad civitatem pertinentium.

(*f*) S. Athanas. in Psalm. 14 S Amb. l. de Tobia c. 7. 12. & 13.

(*g*) 3. Part. Styl. Parlamenti tit. 40. de Judæis & usuris §. 3. n. 7.

(*h*) D. Brillon. v. Interest n. 194. & 196.

Ipse etiam Carolus Du Moulin, licet usurarum fautor, hanc usuræ speciem damnat, quæ *Anatocismus* vocatur (*i*) & quæ manifesto ad totale exitium eorum qui usuras annuarum pensionum constitutarum ut lucrum ultra sortem debent, tendit; quia eas usuras solvere negligunt, ea spe adducti, quod eorum Creditores usuras sorti adjungere, novumque pactum accipere volent, sicque ad pacta super pactis contrahenda inducuntur.

(*i*) Car. Molinæus tract. de contract. usur. & redit. §. 44.

Hæc est etiam præcipua ratio, quæ sanctos Ecclesiæ Patres movit, ad acriter in hanc damnosam praxim declamandam, atque inter ceteros sanctum Basilium (*K*) & sanctum Ambrosium (*l*), *Crevit centesima*, inquit sanctus ille Mediolanensis Episcopus, *petitur, nec solvitur: adplicatur ad sortem; fit maledictum Propheticum, dolus in dolo: usura improbi fœnoris fœtura deteriore. Itaque non jam centesima incipit esse, sed summa, hoc est non fœnoris centesima, sed fœnus centesimæ.*

(*k*) S. Basil. in Ps. 14.

(*l*) S. Amb. cit. l de Tobia c. 12. seu n. 42.

Hæc est hujus decisionis, quæ afferri potest, ratio, nempe quod usuræ annuarum pensionum pecuniæ pretio constitutarum, non sint naturales fundi fructus, quemadmodum merces quæ e domus locatione percipitur, vel pretium conductionis; cum earum sors non sit fundus fructificans, sed solummodo pecuniæ summa sit ejus sors præcipua, & acquisitionis pretium. Unde sequitur usuras annui reditus nunquam secundas usuras producere posse, nec cum sorte coacervari, ut exinde major exurgat summa, ad cujus novas usuras solvendas debitor teneatur.

Quod dicimus de usuris annui reditus, longe potiori

tiori ratione intelligendum est de usuris mutui a sententia juridiciali constitutis. Ejusmodi enim usuræ non sunt reditus naturalis, *usura non natura pervenit*, inquit Lex (*a*); *Usura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non est*, dicit adhuc alia Lex (*b*), *quia non ex ipso corpore, sed ex alia caussa est; id est, nova obligatione*. A debitoria parte solummodo sunt pœna, qua Lex ejus negligentiam, (plectit.) aut moram in solvendo, & a parte creditoris mera damni compensatio, quod hac mora perpetitur.

(*a*) L. Si navis. 62. ff. de rei vindicat. l. 7. tit. 3.
(*b*) L. *Usura*. 121. ff. de verborum significatione.

Equidem Doctus Theologus, cujus Decisiones in lucem prolatæ sunt diebus nostris (*c*), affirmat, quod si Creditor solutionem plurium usurarum annui reditus sibi comparare non possit, quin debitorem suum pessumdet, bona ejus judicio venalia declarando, vel quodam alio modo, & debitor iste novum pactum ineundum ipsi offerat, quod has usuras, tanquam sortis partem complectatur; hanc conditionem illæsa conscientia accipere possit.

(*c*) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 254.

Ejus quam affert ratio est, quod, secundum multos Juris Canonici peritos, ut Navarrum & Azor, prohibitio hac via lucrum lucri ultra sortem percipiendi, non sit Juris naturalis, sed tantum juris humani positivi æquo innixi. Mens autem Legis, quæ hunc Anatocismum prohibet, hæc est, nempe ut Creditor debitorem suum hac ratione non opprimat. Cum igitur, tantum abest, ut eum opprimat, officium in ipsum conferat, ipsique tempus concedat malum rerum suarum statum novis opibus renovandi, hoc in casu contra Legislatoris consilium, & contra Legis mentem non peccat, præcipue sorti addendo usuras, priori nomine legitime sibi debitas; atque de utroque de novo paciscendo; cum constet has usuras, seu lucrum ultra sortem, non minus vere, quam sortem ipsam, quæ eas usuras produxit, ad ipsum pertinere.

Verum licet Creditor, in specie proposita, hoc modo agere posset in foro conscientiæ, attamen condemnaretur in foro exteriori Justitiæ, si talis compositio coram Judicibus declararetur ac probaretur; quia nunquam tolerant Judices, ut lucrum ultra sortem aliud lucrum producat, propter rationes a nobis allatas. Quapropter hoc consilium nemini dandum est, cum pessimo fit exemplo, indeque gravissima oriri possint mala; Adde quod tale pactum absque mendacio fieri non posset, quia in eo sors præsenti pecunia numerata falso supponeretur, cum solummodo lucro ultra sortem debito, componeretur.

CASUS II.

Mamertus a Luciano mutuo sumpsit mille librarum summam, cujus lucrum ultra sortem a sexcennio usuris quincuncibus debet; Nicolaus ejus consanguineus hanc summam pro ipso solvere voluit; ut eum liberaret sumptibus oriundis e bonorum suorum in custodiam traditione, quam facere Lucianus in procinctu erat. Anno post Nicolaus solutionem trecentarum librarum quas pro ipso dederat, ab eo petiit; & cum eam obtinere non potuisset, curavit, ut damnaretur ad ejus summæ usuras sibi solvendas, usque ad perfectam sortis præcipuæ solutionem. Num eas illæsa conscientia exigere potest, licet sint lucrum lucri ultra sortem Luciano debiti?

RESPONS.

Nicolaus tuta conscientia a Mamerto exigere potest lucrum lucri ultra sortem Luciano soluti. Ratio est, quod interdictio lucrum lucri ultra sortem percipiendi, solummodo respiciat creditorem, qui lucrum lucri ultra sortem a debitore suo sibi debiti exigere vellet; quod evidenter patet ex verbis primæ Legis, quam in decisione præcedenti laudavimus. Verum interdictio illa non intelligitur de tertia persona, quæ ut officium in debitorem conferat, pro illo lucrum ultra sortem creditori debitum solvit. Hæc est ratio quæ ejus reddi potest, nempe pecuniam, quam tertia hæc persona solvit, suo respectu esse sortem, quam mutuo dat debitori, cujus lucrum ultra sortem, judicio petere ipsi licitum est, præsertim si pro se habeat nomen damni emergentis aut lucri cessantis, si debitor hanc summam ipsi non reddat. Id observat D. Brillon in suo Decretorum Dictionario (*d*), post D. Perrier (*e*), & Auctorem novi Dictionarii Civilis & Canonici (*f*). Sic etiam hac de re dijudicatum fuit Decreto Supremi Senatus Provinciæ 30. Junii 1666. a Bonifacio relato (*g*).

(*d*) D. Brillon Diction. Decretor. V. *Interest*. n. 191. & 267.
(*e*) D. Du Perier l. 3. q. 21.
(*f*) Jean Thaumas Diction. p. 224.
(*g*) Boniface. tom. 2. l. 4. tit. 4. c. 7.

CASUS III.

Maurus, postquam omnia sua bona Claudio oppignerasset pro trium mille librarum summa, quam ab eo mutuo sumpserat, eadem bona denuo pignori opposuit pro octo mille libris, quas Samso ipsi mutuo dedit. Quinquennio post, cum negotia Mauri, qui nullum adhuc solverat lucrum ultra sortem duobus suis Creditoribus, qui eum, ad hoc lucrum solvendum, damnandum egerunt, pessimo in statu versarentur: & cum Samso hypothecam suam firmare vellet, curavit ut in Claudii jura subrogaretur, ipsi 3750. libras solvendo, nempe 3000. libras pro sorte Mauro mutuo data, & 750. libras pro quinquennio usurarum a Mauro Claudio debitarum: & cum hac ratione primus debitor hypothecarius factus fuisset, hodie Maurum persequitur per realem unius ex ejus domibus in custodiam regiam traditionem, ut sibi solvantur, non modo creditum octo mille librarum, & lucrum ultra sortem a quinquennio debitum, verum etiam 375. libræ pro eo Claudio solutæ 750. libris lucri ultra sortem additis. Qua de re quæritur, num Samso jure nitatur, in consilio, quod inivit lucrum ultra sortem totius summæ 3750. librarum exigendi, licet sors tantum tribus mille libris constet, & quod superest ex istius summæ usuris oriatur?

RESPONS.

Samso primo percipere potest quinquennii lucrum ultra sortem, seu usuras sibi debitas pro octo mille libris Mauro mutuo datis, ut & usuras trium mille librarum pro quibus in Claudii jura subrogatus est. At usuras 750. librarum, quas Claudio solvit exigere nequit; non quia hæc summa e lucro ultra sortem oritur, nam sola hæc ratio eum usuras exigendi jure non spoliaret, cum Claudius, non vero ipse, creditor esset sortis quæ usuras produxit; sed quia eas Claudio non solvit pro negotiis ipsis & commodo Mauri, verum pro sua propria utilitate, & ut hypotheca, quam in hujus debitoris bona jam habebat, tutior ac cautior evaderet. Id evidenter patet ex Lege quæ dicit (*h*), *usurarum, quas creditori primo solvit* (secundus creditor) *usuras non consequitur. Non enim negotium alterius gessit, sed magis suum*.

(*h*) L. *Creditor*. 12. § 6. ff. qui potiores in pignore vel hypoth. habeantur. l. 20. tit. 4.

CASUS IV.

Germanus, Clementis tutor, per tutelæ suæ tempus sexcentas libras lucri ultra summarum pupillo suo debitarum sortem, percepit; atque ipsemet similem summam ipsi debebat pro biennio lucri ultra sortem sex mille librarum, quarum debitor erat erga hunc pupillum, qui cum ad tutelæ suæ annos pervenisset, curavit, ut Germanus, ad harum duarum summarum usuras sibi solvendas, condemnaretur. Num usuras illas tuta conscientia percipere potest, licet lucrum lucri ultra sortem exigat?

RESPONS.

Clemens, illæsa conscientia, a Germano Tutore suo duarum summarum, de quibus mentio fit in specie proposita, usuras percipere potest. Pupillus enim a tutore suo jus habet exigendi, non modo lucrum ultra sortem summarum ortarum ex usuris, quas hujus pupilli debitores tutori suo solverunt; verum etiam lucrum lucri ultra sortem, quod hic tutor proprio suo nomine debere posset.

Ratio est, quod omnes hæ usuræ considerandæ sint in manibus Tutorum, tanquam sors, ad quam

quam in pupillorum suorum commodum occupandam ex Legibus, & conscientia tenentur, post æquam, ut semestrem judicio concessam, dilationem: idque, sub pœna usurarum illius sortis proprio ac privato suo nomine solvendarum; ut hæ usuræ pupillis sint instar commodi ex illis producti, si in fundo, aut annua pensione collocatæ fuissent. Tutor enim qui ipsemet pupilli sui debitor reperitur, ad complectendas in fundo e reditu orto, usuras summæ proprio suo nomine debitæ, tenetur: quia eas usuras solvere debuit; & quia suo respectu perinde est ac si eas ab alio debitore percepisset. *A semetipso exigere eum oportuit*, ait Lex (*a*).

Hæc decisio ex ista alia Lege confirmari potest (*b*); *Ex duobus tutoribus pupilli, altero defuncto, adhuc impubere pupillo; qui supererat, ex persona pupilli sui, judice accepto, consecutus est cum usuris, quantum ex tutela ad tutorem defunctum pervenerat. Quæsitum est judicio tutelæ, quo experitur pubes factus, utrum ejus tantum portionis, quæ ab initio ea tutelæ ratione pervenerat ad defunctum contutorem, usuræ veniant: an etiam ejus summæ quæ ea sortis usuris pupillo aucta, post mortem ejus ad superstitem, æque cum sorte translata sit, aut transferri debuit? Respondit: si eam pecuniam in se vertisset; omnium pecuniarum usuras præstandas. Quod si pecunia mansisset in rationibus pupilli; præstandum, quod bona fide percepisset, aut percipere potuisset, si fænori dare, cum potuisset, neglexisset; cum id quod ab alio debitore, nomine usurarum cum sorte datur, ei qui accipit, totum sortis, vice fungitur, vel fungi debet.* Ex quibus ultimis verbis, Glossa hanc consequentiam elicit. *Ergo, & in nostro casu usura est facta sors: & sic præstabit tutor usuram... scilicet cum vertim in rem suam, vel quando non fæneravit, cum potuit.*

(*a*) L. Qui sine 58. ff. de negotiis gestis. 3. 1. tit. 5.
(*b*) L. Quinegotiationem. 58. §. 1. ff. de administrat. & periculo tutorum & curat. l. 25. tit. 7.

L U C T U S.

Vide { ECCLESIASTICUS. } Casus IX.
{ MISSA. } Casus Dorothæa XLVI.

L U D U S.

VOX LUDUS, Gallicè *Jeu*, sumitur, 1. Ad significandam exercitationem in qua oblectatur; 2. Aliquando sumitur pro loco ipso ubi luditur, ut cum dicitur, est ludus pilæ, ludus globulorum, ludus mallei. 3. Pro pecunia, quæ ludo exponitur, quemadmodum dicitur, *il joue gros jeu*, id est, magnam pecuniam in ludum effundit. 4. Pro re ipsa, quæ in ludo adhibetur, ut cum vocatur, ludus foliorum lusoriorum, *jeu de cartes*, certus numerus foliorum quibuscum luditur. 5. In pilæ ludo, dicitur, *gagner un jeu*, id est, unam lusionem vincere, quando percipitur commodum, quod constat quatuor jactibus, quorum unusquisque quindecim puncta valet. 6. Vox ista sæpe etiam Gallice in sensu figurato sumitur, ut cum dicitur, *faire bonne mine a mauvais jeu*, hoc est, speciem vultu simulare; *donner beau jeu a son ennemi*, id est, amplam vincendi ansam hosti suo præbere. Verum de hac voce, diversis istis omnibus sensibus accepta, hic non loquimur.

Ludus, sensu quo hoc in titulo sumitur, definitur pactum conventum inter plures personas, quæ oblectationis caussa, consentiunt ut quod apponunt, ad victorem pertineat. *Ludus est pactum oblectantium animum, & in commune deponentium aliquid, cessurum victori* (*c*).

Ludi tres diversæ species distinguuntur. Primus est ludus, ad quem solum ingenium, aut solertia, præcipuam curam & operam conferunt, quales sunt ludi latrunculorum scruporum, pilæ, follis, globulorum, ludus in quo globuli eburnei clavis agitantur, discus, metularum ludus, cursus, aliique ludi similes.

Secundus unice in alea consistit, quales sunt ludi tesserarum, d' *hoca*, *du lansquenet*, *du Pharaon*, *de l' oye*, & ludicra sortitio.

Tertius vocatur mixtus, hoc est, qui partim ab industria, & partim ab alea pendet, ut, *le Piquet*, *la Triomphe*, *l' Ombre*, fritillus, seu *le trictac*, pluresque alii ejusdem naturæ.

Ludus, qui in mera industria consistit, licitus est, modo ex quadam circumstantia peculiari damnandus non sit; verbi gratia, si ludus caussa esset, cur non haberet unde nomina dissolveret; aut si nimio studio longius tempus in ludendo consumeret; aut si ludere non posset quin proximo suo offendiculo esset; aut si ludus caussa foret, cur conditionis suæ officia prætermitteret; aut si in sacris Ædibus, (luderet) vel in quodam alio loco sacro, aut denique si quodam avaritiæ incentivo ludo incumberet.

Ludus qui vocatur *alea*, absolute interdicitur, non modo Clericis, ab innumeris Conciliis, & præsertim a Concilio Tridentino (*d*), verum etiam Laicis, quemadmodum deinceps ostendemus; ac præcipue cum alea ludunt contra Legem Principis, qui aleam interdicit. Dantur etiam ludi industriæ qui Clericis interdicuntur, quia eorum vitæ instituto non conveniunt, quales sunt ludi pilæ & follis.

(*c*) Palme. Brev. Theol. par. 2. n. 648.
(*d*) Concil. Trident. sess. 22. c. 1. 2.

Omni-

Omnigeni ludi; etiam qui mixti vocantur, Clericis non conveniunt eosque ludos absque peccato quodam ludere nequeunt; quia industria nullum in iis locum habet, nisi quatenus alea unice nituntur. Atque etiam hanc ob rationem multi sacri scriptores affirmant, ejusmodi ludos ab alea distinguendos non esse.

Ac revera quantumvis peritus sit ille qui ludum *du piquet* vocatum ludit, nunquam prospere ludet, dum sibi tantum vilia folia lusoria contingent, vel folia, quæ, licet in se ipsis bona sint, omnino inordinata erunt; & dum ille qui secum ludit folia equidem minus bona, at melius ordinata, & idonea ad vincendum Uno verbo inutiliter non expendendo partem quam alea in omnibus aliis ludis, qui *Mixti* vocantur, habet, negari non potest, quin exinde pendeat, saltem æque ac ab ejus qui ludit industria, qui quantumvis peritus sit, nunquam vincere potest, nisi alea ipsi faveat, atque en caussam ob quam Clerici sapientes, & qui aliis bono exemplo esse volunt, nunquam ejusmodi ludis incumbere debent. 1. Quia rarissimum est, ut ludum cupiditas non comitetur, & qu'a paucissimi dantur, qui cum vero privatæ utilitatis neglectu ludant, & qui minus lucro quam voluptate alliciantur. 2. Quia turpissimum est, ut Clericus ludo incumbat, dum Ethnici, quales sunt Japonii, ludum tamquam crimen capitale respiciunt, referente de Rochefort (*a*) 3 Denique quia ludus sæpius pessimos exitus habet, quemadmodum Horatius hoc in versu dixit:

Nam ludus genuit strepitum, certamen, & iras.

(*a*) De Roch. Diction. Generał. v. Jeu.

Auctores inter se non consentiunt, num illi qui aliquid in ludis aleatoriis lucrantur, ad illud restituendum teneantur. Fusius hanc quæstionem tractabimus, ad casum, *Lubinus*, hujusce tituli quintum, respondendo.

Nulla actio in judicium conceditur illi qui ludo vicit, contra eum qui victus est, quemadmodum observat Chorier in Guy Papam, qui in argumentum profert Decretum a Supremo Senatu Gratianopolitano pronuntiatum die 20. Februarii 1685. adversus nominatum Arnaud de Vers, appellante a sententia Judicis *de Guillestre*, qui eum condemnaverat ad 39. librarum summam solvendam N. Robert qui globulorum ludo hanc summam lucratus erat. Aliud Decretum Supremi Senatus Divionensis mensis Novemb. 1608. litem composuit inter petitorem summæ quam foliis lusoriis lucratus erat, & defensorem, hanc summam pauperibus adjudicando. Mornac refert aliud simile Decretum mensis Julii 1611. respectu ludi aleatoli (*b*). D. Brillo multa alia Decreta indicat, quæ in suo Dictionatio consuli possunt (*c*); & ad ludos aleatorios quod attinet, tanto odio erant Romanis, ut observante Silvestro (*d*) post Barde & Barthole, si vir quidam domum haberet qua exciperet eos qui hos ludos ludere vellent, forte verberaretur, male mulctaretur, aut ipsi bona eriperentur ab iis qui ludunt, aut ab aliis; neque eos, qui ipsi plagas congesserant, aut bona surripuerant, in jus vocare posset (*e*).

(*b*) Mornac. L. 2. §. 1. ff. de aleatoribus l. 7. tit. 5.
(*c*) Jeu n. 14. & seq.
(*d*) Silvester v. *Ludus* q. 9.
(*e*) L. Prætor. 1. P & 2. ff. de aleatoribus.

CASUS PRIMUS:

CASSANDER, vir ludo admodum deditus, sæpe totos dies in ludendo consumit. An circumstantia temporis notabilis, quod in ludendo transmittit, ejus peccatum aliquando mortale efficere potest, cum præterea ludus, quem ludit, in se licitus est?

RESPONS.

Negari non potest, quin homini licitum sit modo quodam honesto se se oblectari ad animum relaxandum: quemadmodum S. Thomas id fusius probat (*f*); sed cavendum, ait sanctus Ambrosius, ne hac libertate innocua abutamur (*g*) & sub specie animi relaxandi, œconomiam, & concentum bonorum operum deleamus: *Caveamus itaque*, ait Pater ille, *dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum*. Illud enim vulgo accidit ludi immoderatione, quæ effrenatio adeo manifesta est, ut ipsi Ethnici ab ea condemnanda abstinere non potuerint. Hanc ob caussam Aristoteles dicit, quod si homines felicem vitam agere velint, incumbere debent actis laude dignis; non vero ludo, & sanæ menti adversari homines hoc in mundo non degere solummodo ut se se oblectent, nosse. Addit, ludum similem esse quieti, ideoque ludo utendum non esse, nisi cum opus est, & tamquam remedio adversus virium exhauritionem, ac tædium, diuturno labore, (creata). Aut etiam nimia animi attentione (*h*); idem sentit Plato, cum dicit (*i*), ludo solummodo utendum esse tamquam potio medica accipitur, hoc est, *raro* & tantum cum necesitas id requirit. Denique Cicero inter monita quæ filio suo dat (*K*), validissimis verbis se se enuntiat, ut ipsi suadeat, hominem rebus seriis incumbere debere, nec natum esse, ut vitam suam agat in ludis, quorum studium eum sæpe eo usque excæcat, ut ipsum præcipitem det in extrema, indigna fine, propter quem in mundo collocatus fuit. Hoc modo non tantum Sancti, verum etiam Ethnici, de ludo in genere loquendo, mentem suam aperiunt.

(*f*) S. Th. 2. 2. q. 12. art. 2.
(*g*) S. Ambr. l. 1. de offic. c. 20.

(*h*) Arist. l. 1. Ethic. ad Nicol. c. 6.
(*i*) Plato de Repub. l. 8. c. 3.
(*k*) Cicero l. 3. de officiis.

Sciendum est autem duabus rationibus diversis modum in ludo excedi posse. Primo, in re ipsa, quæ ludi est materia: ut cum dantur verba aut actiones quæ Religioni, (adversantur, vel bonis moribus) aut quæ notabiliter proximo nocent; tuncque temporis ejusmodi effrenatio, natura sua est peccatum mortale. *Superfluum in ludo accipitur*, inquit sanctus Thomas (*l*), *quod excedit regulam rationis, quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludum .... quando scilicet utitur aliquis, caussa ludi, turpibus verbis vel factis, vel etiam iis, quæ vergunt in proximi nocumentum, quæ de se*

(*l*) S. Th. 2. 2. q. 168. art. 3. in corp.

sunt

funt peccata mortalia. Et fic patet quod exceffus in ludo eft peccatum mortale.

Secundus modus quo excedi poteft in ludo, eft per malas ludi circumftantias, five fpectent tempus, locum, aur perfonas ipfas quæ ludunr, nt, verbi gratia, cum die Fefto ludunt per nimium tempus, in loco fancto (*a*), aut in platea cum multorum offenfione, aut cum ii qui ludunt per vitæ fuæ inftitutum ludo incumbere nequeunt, quales effe poffunt Epifcopi, Sacerdotes, Religiofi, & Magiftratus; tunc enim ludus his circumftantiis illicitus evadit; & aliquando etiam peccatum eft mortale, ur quando cnm immoderato ftudio luditur, aur ludi oblectamentum anteponitur amori, qni Deo vel Ecclefiæ mandato debetur: *Alio autem modo*, addit Sanctus Thomas, *poteft effe exceffus in ludo fecundum defectum debitarum circumftantiarum, puta cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam praeter convenientiam negotii, vel perfonæ, & hoc quidem quandoque poteft effe peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra praeceptum vel Ecclefiæ talibus ludis uti non refugiat.* Atque de his qui ftudiofe ludunt, intelligenda funt hæc S. Antonini verba (*b*): *Vere vituperabilis eft lufor, cum viliffimæ fervituti fe fubjicit; dum taxillum, quafi Deum fuum conftituit: & ad hoc adftringens fe, ut faciat quod ille jufferit . . . lufor largitur ad præceptum taxilli quod non largiretur ad præceptum Dei.*

(*a*) Conc. Senonen. anno 1485. Conftitut. Provinc. Dublini anno 1518. Conftit. Synod. Lingon. art. 7.

(*b*) S. Anton. 2. p. Sum. Th. t. 1. c. 23. P. 6.

Verum aliquando etiam peccatum veniale in ludo tantummodo dari poteft, cum ille qui ludit, femper paratus remanet ad voluptatem quam in ludo percipit ita moderandam, nt nulla ratione quoddam præceptum violare vellet. *Quandoque autem*, D. Thomas adhuc loquitur, *eft peccatum veniale, puta fi aliquis non tantum afficitur ad ludum, quod propter hoc velit aliquid contra Deum committere.*

Ut ergo dijudicetur de qualitate peccati quod Caffander committit in cafu quem ad examen revocamus; fciendum eft 1. quodnam fit ejus vitæ inftitutum; fi enim effet Religiofus, Sacerdos, aut fi beneficium Ecclefiafticum poffideret, ejus peccatum procul dubio majus, quam Laici peccatum foret. 2. Confiderandum eft tempus quod in ludo terit; nam fi per totos dies ac integras noctes luderet aut maximam dierum Dominicorum & Feftorum in ludendo partem confumeret, hæc circumftantia etiam ejus peccatum longe gravius efficeret, etiamfi Laicus effet, quandoquidem juxta principium a Doctore Angelico conftitutum, ludi fcopus, nt licitus fit, ifte effe debet, nempe, ut folummodo animus relaxetur, & homo modo æquo & rationi congruo oblectetur, non vero ut ludus præcipua fit ejus occupatio, cum foli infani refpicere poffint vitam tamquam tempns quod nobis ad ludendum folummodu conceffum fuit. *Æftimaverunt lufum effe vitam noftram, & converfationem vitæ compofitam ad lucrum*, ait Sapiens (*c*): 3. Non minus operæ pretium eft ad examen revocare alias circumftantias, quæ vulgo a ludo feparari nequeunt, & quæ fæpe cauffa funt, cur ludus occafio fit peccati mortalis illis qui ei incumbunt. Hifce ex regulis dijudicandum eft, an ludi immoderatio cui Caffander fe fe dat, peccatum fit mortale aur folummodo veniale.

(*c*) Sapient. 15. 12.

CASUS II.

Chrysogonus, Sacerdos, fæpe ludit varios ludos foliis luforiis cum amicis quibufdam, quos novifit. Ejus Confeffarius ipfum acriter hac de re objurgavit; eique minitatus eft fe ipfi, abfolutionem denegaturum, fi in ludis illis ludendis pergeret. Num per confcientiam ad Confeffarii fui fententiæ hac de re fe fe conformandum tenetur?

RESPONS.

Ur ad hanc quæftionem refpondeamus, neceffe eft obfervare, varias fpecies ludorum foliorum luforiorum dari. Quidam enim ludi mere aleatorii funt, atque in illis induftria locum non habet, qualis eft Ludus *lanfquenet* dictus dantur alii ludi qui funt mixti, hoc eft, in quibus alea fola non decidit; at in quibus induftria cum alea juncta reperitur, qaales funt ludi qui vocantur, *le piquet, la trimphe & l'ombre.*

Foliorum luforiorum ludi qui mere aleatorii funt, omnibus Clericis abfolute interdicuntur. Quamobrem non poteft non laudari animi firmitas Confeffarii Chryfogoni, fi Sacerdos ille hujufcemodi ludis incumbat: quia tolerare non debet, ut Clericus, mera etiam oblectatione hos ludos ludat contra interdictionem fanctorum Canonum, qui Ecclefiæ Leges funt.

Quod fpectat ad alios foliorum luforiorum ludos in quibus induftria locum aliquem habet, licet doctus Archiepifcopus Panormitanus eos in numerum verorum ludorum aleatoriorum recenfeat (*d*): *ifti duo* (ludi) *parificantur*: attamen non credimus, Clericos, qui eos ludunt, femper peccare mortaliter, ut contendit celeberrimus Epifcopus Abulenfis (*e*), qui nequidem excipit cafum quo paucam pecuniam ludo apponunt. At perfuafiffimum habemus, Clericos eos ludos ludere non poffe abfque quodam peccato, darique periculum, etiam ne Deum mortaliter offendant, cum pecuniam notabilem ludo apponunt; aur cum his ludis affuefacti, tempus maxime notandum in iis confumunt. Atque hoc probe difquirere debet Chryfogoni Confeffarius, antequam eum peccati mortalis culpet. En hujus decifionis argumenta.

(*d*) Panormitanus in cap. *Clerici* de vita & honeft. Clericorum n. 13.

(*e*) Alphonf. Toftatus Epif. Abulenfis in c. 6. Matth. quæft. 55.

1. Canones qui vocantur Apoftolici (*f*) omnigenos ludos aleatorios Clericis interdicunt ne quidem inter ludos in quibus induftria quemdam locum habet, & ceteros diftinguendo; & refractariis minatur pœnam depofitionis ac privationis corporis Chrifti fumptionis, quæ pœna certiffime infligi nequit nifi ob peccatum graviffimum, quale foret horum ludorum habitus, obftinatio qua ad bonam frugem fe recipere nolunt, & fcandalum, quod hac agendi ratione daretur. Ac revera, veriffimum eft dicere, aleam femper effe præcipuum fundamentum ludorum, in quibus quædam induftria adjuncta reperitur, omnemque folertiam prorfus inutilem fieri, cum ver. grat. alea folummodo vilia folia luforia præbet illi qui ludit ludum vocatum *le piquet*, aut quemdam alium ludum fimilem. Ecce verba duorum Canonum quos jam jam laudavimus: *Epifcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel definito, vel deponito: Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector, qui fimilia facit, vel defuito, vel a Communione fejungito.* Gratianus eorum Canonum etiam fenfum refert ac fere ipfiffima verba (*g*). Qua de cauffa S. Antoninus dicit, fibi videri omnes ludos foliorum luforiorum in numerum ludorum aleatoriorum recenfendos effe, cum alea nitantur (*h*): *Circa hoc Capitulum*, ait fanctus ille Archiepifcopus, *notandum primo, quod ludus aleæ fecundum Guillelmum intelligitur omnis ludus, qui innititur fortuna: ut ludus taxillorum, & idem videtur de chartis, quamvis fit ibi aliquid induftriæ, principaliter tamen eft fortunæ.*

(*f*) Can. 41. & 42. ex Canonibus Apoft.

(*g*) Can. Epifc. 1. Dift. 35.

(*h*) S. Anton. 2. p. fum. Th. t. 1. c. 23. p. 2.

2. Concilium generale Lateranenfe fub Innocentio III. menfe Novemb. anno 1215. congregatum, idem interdicit Clericis (*i*), nec folummodo iis veniam dat ut adfint focietatibus, in quibus hujufmodi ludi luduntur: *Clerici... ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujufmodi ludis interfint.*

3. Concilium Tridentinum (*k*) renovat antiquas interdictiones, quas Ecclefia hanc in rem fecit, & præcipit, ut adhuc feverius puniantur, fi neceffe fuerit, illi qui reperiuntur his interdictionibus non paruiffe: *Statuit fancta Synodus, di-*

(*i*) Conc. Lateran. 4. can. 16. in c. Clerici 15. de vita & honeft. Clericor. l. 3. t. 1.

(*k*) Conc. Tr. feff. 22. d. reform. c. 1.

„ *dicuns sancti hujus Concilii Patres*, ut quæ alias „ a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis „ de Clericorum vita, honestate.... aleis, lusi„ bus..... copiose ac salubriter sancita fuerunt, „ eadem in posterum, iisdem pœnis, vel majo„ ribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observen„ tur “.

4. Concilium Provinciale Burdigalæ ann. 1582. habitum (*a*), plane congruit cum Conciliis Generalibus, atque etiam nominatim designat ludum foliorum lusoriorum quem omnibus Clericis, sive palam, sive clam, interdicit. *Ab alea tesseris, chartis, & quovis alio vetito, & indecoro ludo, cum privatim, tum publice penitus abstineant*. Hæc duo ultima verba clare demonstrant falsitatem Doctrinæ quorumdam Auctorum recentium qui affirmare non dubitarunt, neglectis Ecclesiæ tam disertis interdictionibus, Clericos non peccare, cum per oblectationem foliis lusoriis ludunt: eorum enim sententia manifeste tendit ad destructionem Legum Ecclesiæ, & ad rebellationem in ejus Statuta.

(*a*) Concil. Burdig. t. 21. de vita & moribus Cleric.

5. Concilium Senonense anni 1528. (*b*), idem adhuc prohibet, & ad exemplum interdictionis Concilii Lateraoensis, nec etiam vult ut Clerici his ludis intersint. En ejus verba: *A ludo alearum aliisque qui a sorte pendent, abstineant: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant*.

(*b*) Concil. Senonens. an. 1528. can. 25.

6. Denique S. Carolus Borromæus idem dicit in primo suo Conc. Provinciali ann. 1565. habito (*c*): *Nec solum ludere vetamus*, inquit S. ille Cardinalis, *sed eos ludoram spectatores esse nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere*.

(*c*) Concil. Mediolen. 1. Constit. p. 2. t. de armis, ludis.... a Clericis vitandis.

Ratio sapientis hujus interdictionis est, quod vitia & peccata, quæ respectu Laicorum levia tantum videntur, gravissima sint in Clerici persona, cujus morum sanctitas dignitati, quæ ipsum supra populum extollit, respondere debet: *Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem*, ait Concilium Tridentinum (*d*): Atque hanc ob caussam Concilia interdicunt Clericis, ne palam, nec etiam clam ludant cum Laicis, ludos in quibus mera etiam datur industria, quales sunt ludi pilæ, follis, merularum, globulorum, disci, aliique similes (*e*), quia sicut dicit Concilium Mexicanum anno 1585. habitum, illi ludi non congruunt his in circumstantiis cum gravitate & modestia veri Clerici, qui omnibus in occasionibus tenetur ad vitam agendam quæ Dei Ministrum deceat, juxta hæc Apostoli verba (*f*): *In omnibus adhibeamus nosmetipsos, sicut Dei Ministros*.

(*d*) Conc. Tr. loc. cit.

(*e*) Conc. Mexican. l. 3. tit. 5. de ludis Cleric. prohibitis §. 1. & 2. Conc. Med. 2. tit. de ludis a Clericis vitandis.

(*f*) 2. Cor. 6. 4.

Iidem ludi metularum, disci, globulorum, ludus in quo globuli eburnei clavis agitantur, ludus tabularum, seu scruporum, jam probibiti fuerant paulo post an. 1319. a Constitut. Caroli IV. Pulchri cognominati, quam D. de la Mare refert in primo volumine præstantis sui operis, cui titulus est, Tractatus de Disciplina politica, & civili (*g*), ubi rursus laudat aliam Caroli V. 3. Aprilis 1369. Constitutionem, præcedenti similem.

(*g*) M. de la Mare Trait. de la Police tom. 1. p. 450.

Tandem istę Leges Ecclesiasticæ, adeo sanctę ac ęquę Imperatoribus Christianis visæ sunt, ut eas adoptaverint & Constitutionibus suis confirmaverint, quemadmodum nominatim patet ex ista celebri Lege Justiniani (*h*): *Interdicimus sanctissimis Episcopis & Presbyteris, Diaconis & Lectoribus & omnibus aliis cujuslibet Ordinis venerabilis Collegii.... ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes esse, aut inspectores fieri.... si quis autem ex his in hoc deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili Ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi*. Quam in rem Glossa observat, id intelligendum esse, cum etiam ex oblectamento tantum luditur, *etiam gratis*.

(*h*) Authen. Interdicimus C. de Episc. & Cleric. & ibi Glossa.

Vide Casum quartum.

C A S U S III.

Lysimachus, miles, ad Sacerdotem deferens confessionem cujusdam circumstantiæ, in qua peccasse autumabat, ludendo tesseris, aut cuidam alii ludo aleatorio; Confessarius ipsi suadere voluit, quod ejusmodi ludis absque peccato mortali ludere non posset, ipsumque adstringere voluit, ut sibi promitteret quod numquam his ludis luderet. Lysimachus contendit, hujus Confessarii sententiam severiorem esse, & petit, num verum sit, quod his ludis ludendo mortaliter peccet?

R e s p o n s.

Constat ludos mere aleatorios, per se ipsos malos ac damnandos esse. Quamobrem prohibentur etiam Laicis a quadragesimo secundo eorum, qui Apostolis tribuuntur, Canone; quem Gratianus in Decreto, cui ejus nomen adscriptum est, refert (*i*), qui, non modo Clericis, qui hos ludos ludunt, verum etiam Laicis, minitatur, quod a Comunione arcebentur, *similiter & Laici*. Quæ nota est certa peccati, quod in quibusdam circumstantiis mortale esse potest; cum Ecclesia nunquam pœnam adeo severam, pro peccatis mere venialibus infligat; quemadmodum observat S. Raimundus (k), cujus sententia tamen explicanda est sensu quo S. Aotoninus eam intelligit (*l*), cum dicit ludos aleatorios Laicis peccatum mortale non esse, 1. Cum hi ludi luduntur tantum per oblectationem, & sine studio. Cum pecunia quæ apponitur, notabilis non est, respectu habito ad eorum, qui ludunt, facultates: “ Nam „ ludere quid; modicom, ut pueri faciunt, *ait* „ *Sanctus ille*, vel ob recreationem & modera„ te, non videtur mortale; & quamvis Guillel„ mus dicat, tunc esse mortale, quando ducitur „ in Consuetudinem, istud de se non videtur ve„ rum, quia consuetudo, etsi aggravat pecca„ tum, non tamen mutat speciem peccati vel „ genus, ut de veniali fiat mortala secundum Bea„ tum Thomam “. 3. Quando circumstantię quę incentivo fuerunt, cur ludi illi damnarentur, non adsunt; quarum prima est, tempus valde notandum, quod vulgo consumunt illi, qui studiose ludunt, & qui sæpe post meridianum tempus, maximamque noctis partem hac in occupatione absumunt; quæ occupatio per ipsam adeo vituperanda est, & quæ hac circumstantia longe magis damnanda evadit, quæ circumstantia caussa est cur dies Dominicos, & Festos, ut alios hebdomadæ dies, transmittunt quin ulla Religionis, aut pietatis acta faciant; quod, juxta S. Antonini sententiam (*m*), eos coram Deo longe magis reos efficit, quam si sacrum hoc tempus in terris arandis absumerent: “ Quam male po„ terunt reddere rationem Deo de tempore, *ait* „ *Sanctus ille*, qui toto die, & aliquando etiam „ noctem adjungunt, circa ludum immorantes „ .... & ex hoc dimittuntur divina, & alia spi„ ritualia opera.... lusores propter hoc, ut ha„ beant magis tempus ad ludendum, negligunt „ divina, & Missas, & Vesperas, Orationes, Prę„ dicationes; negligunt Festa servare, quia in „ illis permaxime ludunt, & plura peccata, & „ graviora committunt, quam si terram cole„ rent, quod est festa violare “. Secunda circumstantia, in qua hujusmodi ludos ludendo mortaliter peccari potest, & quæ incentivo fuit Legibus Canonicis, & Civilibus ad eos condemnandos, sunt animi impotentis effrenationes, jusjuranda, & blasphemię, quibus indulgent ii qui pecuniam suam ludendo amittunt. *In nullo exercitio ita freqaenter blasphematar Deus, & tota Curia cælestis*, ait adhuc idem S. Antoninus. Atque hæc est etiam ratio propter quam Imperator Justinianus hos ludos lege diserta interdixit (*n*) his verbis: *Quidam* (in alearum ludo) .... *proprias substantias perdiderunt, die nocteque ludendo, argeato, apparatu, lapidibus, & auro: consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare, id est, Deo maledicere conantur &c.* quod suorum peccatorum etiam conscios reddit eos, qui secum ludunt, cum neglectis blasphemiis quas audiunt, ludere non desinunt, sicque ipsis peccandi occasionem prębent. Tertia denique circumstantia est, cum luditur

(*i*) Can. Ep. 2. dist. 35.

(k) S. Raim. l. 2. de negot. secular. §. 11. in fine.

(*l*) S. Anton. 2. p. Summ. Theol. tit. 1. c. 23. §. 2. cit.

(*m*) Idem ib. §. 6.

(*n*) L. Aleasum fin. cod. de Religiosis, & sumptib. funerum.

Tt immo-

immoderato multum lucrandi studio. *Ludus alea est peccatum mortale secundum Raimundum*, ait adhuc S. Antoninus (*a*).... *quod Credo verum quando ex cupiditate quis ludit, scilicet principaliter motus; non ob recreationem, sed ad acquirendum quid notabile per ludum*. Quod congruit doctrinæ Sancti Thomæ (*b*), quem jam laudavimus in responsione ad primam quæstionem, qui de ludis etiam licitis loquendo, dicit: *Alio autem modo potest esse excessus in ludo, secundum defectum debitarum circumstantiarum, puta, cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis.... & hoc quandoque potest esse peccatum mortale, propter vehementem affectum ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita quod contra præceptum Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis non refugiat*.

(*a*) S. Antonin. tit. §. 2.

(*b*) S. Thom. 2-2. q. 178. art. 3. in corp.

Regum nostrorum Constitutiones, quæ veræ leges nostræ sunt, congruunt iis quæ de ludis aleatoriis diximus; eos enim indiscriminatim prohibent omnigenis personis quemadmodum pater ex Constitutione Henrici III. anni 1577. & ex altera Constitutione Ludovici XIII. 30. Maii ann. 1611: quæ sic sonat: *Probibemus omnibus personis, cujuscumque qualitatis, & conditionis sint, aleatorium forum, in quavis Regni nostri urbe, habere, neque cœtus facere ut chartis vel tesseris ludatur. Irritaque declaramus omnia debita, pro ludo contracta; omnesque obligationes & promissiones pro ludo factas irritas facimus, quantumvis largæ sint; casque omni obligatione civili, & naturali immunes pronunciamus*.

Idem Princeps aliam rursus Constitutionem dedit, cui dies 15. Jannarii anni 1629. adscripta est, quæ verborum fulminibus ludos aleatorios non minus impetit. Nam articulo 137. stricte prohibet omnes ludi cœtus, infames declarat eos omnes qui domus suas ad ludendum commodant, ideoque ad quodvis munus Regium exercendum non idoneos, vultque etiam ut urbibus expellantur, eorumque domus fisco addicantur. Articulo 138. omnia debita ludi, ut & promissa & obligationes in ludendo factas, irritas declarat. Articulo 139. præcipit ut ii qui ludendo pignora dederint, ea amittant, illa pignora ab iis, qui ea lucrati erunt, recipiantur, & in commodum pauperum fisco addicantur. Articulo 140. licentiam dat patribus, matribus, avis, & tutoribus, ea quæ sui liberi aut pupilli amiserint, repetendi; quemadmodum jam latum fuerat per Articulum 59. Constitutionis Caroli IX. mensis Decembris 1566. Articulo 141. Princeps ille præcipit adhuc, ut omnes res non moventes, ludo perditæ, licet ludus falsæ venditionis velo obtectus fuerit, uxoribus, & creditoribus pignori oppositæ remaneant. Quibus addi possunt sex celebria supremi Senatus Parisiensis Decreta, quæ ludos chartarum, aliosque ludos aleatorios prohibent: quorum primum est diei 22. Augusti 1659. secundum diei 16. Septembris 1680. tertium 21. Novembris ejusdem anni, quartum, quod, ut sequentia, designat ludos tesserarum, *du hoca, de la bassette, du pharaon, & du lansquenet*, est diei 18. Julii 1687. quintum 2. Februarii 1708. sextum 22. ejusdem mensis 1710. quæ omnia Decreta in eorum violatores 1000. librarum pœnam decernunt. Quod argumentum invictum est, Leges nostras Civiles adhuc etiam vigere, tantum abest ut abrogatæ sint. Silentio prætermittimus innumera alia argumenta similia, quæ a D. de la Mare in primo tractatus sui, de Disciplina politica & civili volumine, referuntur (*c*). Solummodo addemus factum notatu dignum, a S. Francisco Salesio relatum (*d*), qui dicit, quod cum S. Ludovicus novisset, quod Comes Andegavensis, ejus frater, & Gualterius, Nemorosii Comes, tesseris ludebant in navi, quam in primo suo bello pro Religione suscepto, conscenderant; e lecto, in quo ægrotabat, surrexit, & post quam ejus indignatio in ipsos irruisset mensam & pecuniæ eorum partem cum tesseris in mare projecit, ipsisque exprobravit, quod hunc ludum ludendo, leges Dei & Regni violarent.

(*c*) M. de la Mare Trait. de la Police l. 3. tit. 4. c. 2. & suiv.

(*d*) S. Franc. Salef. Introd. a la vie devote 3. p. c. 32.

CASUS IV.

Macedonius, Presbyter, equidem cum suis amicis aliquando alea ludit, verum nonnisi per oblectamentum ludit, levemque tantum pecuniam in ludo effundit. Num peccat?

RESPONS.

Macedonius ab omni peccato eximi nequit, quemadmodum facile est probari ex innumeris auctoritatibus, quas in responsione ad secundam quæstionem retulimus, & quas repetere tædiosum ac inutile foret; quibus evidentissimum est, Presbyterum, aut alium Clericum, nullo in casu, nec quovis sub prætextu, nullum ludum aleatorium ludere posse, etiamsi per meram tantum oblectationem luderet; cum Ecclesia nullam distinctionem nec exceptionem adhibuerit, in stricta & Generali interdictione, quam hac de re omnibus Clericis significavit. Hic solummodo argumentis a nobis laudatis, addemus auctoritatem multorum Conciliorum; de quibus verba non fecimus, in quibus eadem fit interdictio omnibus Clericis, æque ac omnibus aliis. Qualia sunt, Concilium Albigæ anno 1254. habitum: Concilium Biterense anno sequenti congregatum, Concilium Salisburgi anni 1420. Concilium Toletanum anni 1420. Concilium Senonense anni 1485. Concilium Narbonense anno 1609. habitum, multaque alia quæ hoc de articulo nihil statuerunt, quod ab ultimo Concilio Generali confirmatum & comprobatum non fuerit (*e*).

(*e*) Conc. Tr. cit. sess. 22. de reform. c. 1.

Ergo Macedonii excusatio legitima non est, cum dicit, se ludos aleatorios nonnisi per oblectamentum ludere levemque pecuniam in iis effundere, semper enim constat eum violare interdictionem generalem Ecclesiæ, quæ nullam admittit exceptionem; ac revera, cum juxta quartum Concilium Generale Lateranense, & juxta Leges etiam Romanas, licitum non sit Clericis remanere in cœtu laicorum, qui hujusmodi ludos ludunt; quomodo ipsis licitum foret, ut ipsimet hos ludos luderent, *etiam gratis*, ut loquitur Glossa quam in secunda decisione laudavimus? Præterea dantur alii ludi innocui, quibus absque ullo peccato sese oblectare possunt, quod eos inexcusabiliores reddit, cum oblectari volunt ludis, quos Ecclesia condemnat & ipsis interdicit.

CASUS V.

Lucinus, cum Marino tesseris ludendo, decem nummos lucratus est. Et ad Sacerdotem Confessionem peccatorum deferens, fassus est, se hunc ludum aleatorium lusisse, tempusque notabile in ludendo consumpsisse: ejus Confessarius ipsi præcepit, hanc ut summam restitueret, cum hic ludus prohibeatur a Canonibus, a Legibus Civilibus, & a Regum nostrorum Constitutionibus, fultis & observatis a multis supremi Senatus Decretis, quæ hunc ludum, Laicis etiam, illicitum declarant. Verum alter Confessarius, qui vir plus habetur, ei dixit, ipsum per conscientiam non teneri ad hanc restitutionem faciendam. Quid agere debeat, quærit.

RESPONS.

Sanctus Bonaventura (*f*) affirmat in genere eum qui aliquod lucrum fecit in ludo aleatorio puro vel mixto, ad illud lucrum pauperibus restituendum, teneri; quia inquit, hic ludus ratio legitima non est id acquirendi, quod ludo offertur. En ejus verba: *Si vero quæritur de aleatore, dicendum est generaliter, quod malæ fidei possessor est & injusto possidet titulo: & ideo nullo modo potest nec debet sibi retinere quod lucratus est: cum talis ludus sit turpis & reprobatus & contra Deum & contra omnia jura*.

(*f*) S. Bonav. in 4. dist. 15. art. 2. q. 1.

Attamen alii docti Auctores contrarium sentiunt, & affirmant, quæstum in ludo aleatorio factum, legitime acquisitum esse. En qua ratione id probat Alexander de Hales, qui summam suam Theologicam mandato Summi Pontificis

ficis Innocentii IV. in lucem edidit (*a*): *Pactum enim intervenit inter partes, quod utrique parti placet, & obligatio condicti. Unde secundum pactum illud, & obligationem condicti, nec ille qui amisit, de jure potest repetere; nec ille qui lucratus est, tenetur restituere, & quod antiqua jura jubent illud restitui: & concedant actionem repetendi, nobis videtur magis esse quasi civilis satisfactio pro peccato, quam obligatio ad restitutionem. Non est enim honestum hujusmodi lucrum, nec honesta occupatio in talibus; imo sæpe damnosa efficitur reipublicæ; cum occasione ludi distrahantur possessiones, & exhæredentur successores, & posteri. Unde Justinianus dicit, quod alearum ludus prodit in lacrymas. Unde ad cohibitionem mali subsequentis data est ista lex de aleatoribus: sicut & in foro pœnitentiali injungitur sæpe satisfactio pecuniaria non solum eis qui lucrantur, sed etiam qui amiserunt, ut reprimantur inhonesta occupatio, & malum subsequens.* En totum ratiocinium hujus antiqui, & docti Theologi, qui dignus fuit, cui nomen *Irrefragabilis* daretur.

(*a*) Alexand. Halens. p. 4. q. 24. memb. 3. art 3. §. 4.

Sylvius (*b*) idem docet ac nititur obligatione naturali quam lusores contrahunt per pactum conventum, & quod exequi tenentur, si excipias Regiones, sicut Castiliæ Regnum, in quibus Lex contraria, & generatim observata datur, quæ a tali obligatione eximit; Ita loquitur hic Theologus: *Verius est, qui ludendo perdidit, in conscientia obligari ad solvendum, sive præsenti pecunia luserit, absenti, sed promissa: Promissio namque hoc ipso, quod vera promissio est, ex jure naturali habet vim obligandi...... & nullum est jus commune, quod promissionem, de qua loquimur, reddat irritam. Ergo stando in jure communi, obligat. Jure autem particulari contingit, ejusmodi promissionem non obligare, ubi nimirum est Lex, eaque usu recepta, per quam tales promissiones irritantur: sicut apud Hispanos, in Regno Castellæ.* Sylvius quatuor alios Auctores in sententiæ suæ gratiam laudat (*c*).

(*b*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 168. art. 3. concl. 3.

Addi potest cum alio Doctore (*d*), tutius esse solvere id quod amissum est in ludo, absque inductione, dolo vel fraude, propter pactum quod inter partes conventum fuit; congruenter, huic Juris sententiæ (*e*): *Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi*: quam opinionem etiam amplectitur Sanctus Antoninus, multique alii celebres Auctores quos laudat (*f*). *Quamvis prima opinio sit securior*, ait Sanctus ille, *& ideo potius consulenda; non tamen videtur de necessitate imponenda: ut propter hoc denegetur absolutio nolenti hoc facere; quia non credit sibi necessarium ad salutem.*

(*c*) Valentia Bannes. Salonius. Azor.
(*d*) De Sainte Beuve tom. 1. cas. 173.
(*e*) Lib. 2. Instit. de rerum divis. tit. 1. §. 20.
(*f*) S. Anton. 2. p. Sum. Th. tit. 3. c. 20. §. 4.

Denique dantur alii Theologi, ut Gabriel Biel (*g*), qui existimant, utramque opinionem probabilem esse. His omnibus præsuppositis, singula, quæ ad hanc materiam spectant, fusius expendamus.

(*g*) Gab. Biel. in 4. dist. 15. q. 13. art. 7. ad 4.

1. Dicimus cum S. Thoma (*h*), eos qui in ludo lucrum fecerunt, ad illud restituendum per conscientiam teneri: 1. iis omnibus in quorum potestate non est bona sua alienare, quales sunt pupilli ac insani: 2. iis quos deceperunt ludendo: 3. iis quos ad ludendum adegerunt, sive per vim, sive solummodo per nimiam importunitatem: 4. cum abusi sunt simplicitate ac minori solertia ejus, quem ad ludendum concitarunt. Quibus omnibus in casibus personis ipsis quarum pecuniam lucrati sunt restitutio facienda est. " Circa illa vero quæ per aleas „ acquiruntur, *ait Doctor Angelicus*, videtur ali„ quid esse illicitum ex divino jure, scilicet quod „ aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare „ non possunt, sicut sunt minores & furiosi, & hu„ jusmodi: & quod aliquis trahat alium ex cupidi„ tate lucrandi ad ludum: & quod fraudulenter ab „ eo lucretur, & in his casibus tenetur ad restitu„ tionem: & sic de eo non potest eleemosynam fa„ cere ". S. Antoninus (*i*) observat, eos tamen non teneri ad restituendum lucrum quod percepe-

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 32. art 7. ad 2.
(*i*) Anton. 2. p. Sum. Theol. t. 1. c. 23. §. 3.

runt a pupillo, aut ab uxore quæ sub mariti potestate est, aut ab aliis similibus personis, cum lucrum adeo minimi momenti est, ut æque autumari possit, eorum patres, tutores aut maritos, non improbaturos jacturam ab iis factam, si eam nossent, & facile assensum suum præbituros, ut talem summam fortunæ committerent ludendo pro sua oblectatione. " Qui ergo acquirit ab his per „ ludum, *ait ille Sanctus*, tenetur restituere tuto„ ribus, vel curatoribus, vel Prælatis, aut Do„ minis eorum: nisi forte sit quid modicum, de „ quo præsumi posset, quod eorum superiores, ut „ patres, tutores, & hujusmodi non curarent ". Operæ pretium est attamen hanc exceptionem longius non extendere, ne lucri cupiditate sibi adulandi detur locus.

2. Quod ad alios casus spectat, idem Sanctus Thomas (*k*), & multi Juris Canonici peritissimi, existimant in locis, in quibus ludi aleatorii a Legibus Civilibus prohibiti sunt, & in quibus hæ Leges actu vigent, eos qui lucrum fecerunt, pariter ad illud restituendum teneri, non equidem iis, a quibus lucrati sunt, cum hac restitutione indignos sese præstiterint, interdictionem ab his Legibus latam violando: at pauperibus, aut etiam ad eam pecuniam in aliis piis operibus collocandam. *Aliquid autem videtur esse ulterius illicitum, ex jure positivo civili; quod prohibet universaliter tale lucrum*, addit Sanctus ille Doctor...... *ideo apud illos, qui sunt hujusmodi Legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem qui lucrantur.*

(*k*) Idem ib.

Juxta hoc principium, pupillus ad illud quod in ludo amisit, solvendum non tenetur. Constitutio enim Molinensis mensis Decembris 1566. eum ab ea solutione eximit (*l*). Sic in ea loquitur Carolus IX. " Et quia audivimus, mul„ tos, e nostris subditis, pupillos & impuberes, „ per inductionem ad ludos aleatorio allectos es„ se, in quibus substantiam ac juventutem suam „ amiserunt & consumpserunt: Præcepimus pe„ cuniam & bona talibus in ludis amissa, repeti „ posse ab iisdem Pupillis, eorum Patribus, Ma„ tribus, Tutoribus, & Curatoribus, aut Con„ sanguineis; & volumus, ut illa bona ipsis „ reddantur, ut in commodum dictorum pupil„ lorum adhibeantur ".

(*l*) Constitut. Molin. art. 59.

Verum quia Jus ubique non obligat, & quia Consuetudo contraria de eo derogare potuisset: Sanctus Thomas, postquam dixit eos, qui subjiciuntur Legibus ludum prohibentibus, teneri ad lucrum quod fecerunt restituendum, hanc modificationem addit: " Nisi forte contraria Consue„ tudo prævaleat, aut nisi aliquis lucratus sit ab „ eo, qui traxit eum ad ludum. In quo casu non „ tenetur restituere, quia ille qui amisit non est „ dignus recipere; nec potest licite retinere tali „ jure positivo durante. Unde debet de hoc elee„ mosynam facere in hoc casu.

Alexander Halensis (*m*), eadem cum firmitate profert obligationem restituendi pauperibus, aut in aliis piis operibus collocandi, omne lucrum in alea perceptum ab iis de quibus jamjam loquuti sumus: & asserit restitutionem fieri debere personis ipsis, quæ amiserunt, si ad ludendum coactæ fuerint. " Potest aliter dici, & juxta insipientiam „ meam melius, salvo tamen meliori judicio, *in„ quit*, quod illi qui ludit voluntarius, motu cu„ piditatis vel libidine lasciviendi, si amittit ali„ quid; non competit repetitio, *in foro Dei, dico*, „ & de sic acquisito potest fieri eleemosyna. Si au„ tem ille qui ludit coactus, utpote inductus a ma„ jore, quem timet sive reveretur, vel inductus pre„ cum importunitate, si aliquid amittit: illi com„ petit repetitio, nec alius potest de sic acquisito fa„ cere eleemosynam. Imo nihil sibi acquiritur hoc „ ludo. Si autem quis compulsus aliquid lucratur; „ non tenetur ad restitutionem. Imo potest de illo „ facere eleemosynam & debet illud dare pauperi„ bus ". Existimavimus hunc locum fusius referre debere, quia ea omnia quæ circa hanc quæstionem scienda sunt, complectuntur.

(*m*) Alexand. Halensis 4. p. q. 33. membr. 2. art. 3. ad 4.

Denique auctoritatem S. Raimundi de Pennaforti omittere non possumus. En ejus verba (*a*) in quæstionem, utrum illæsa conscientia lucrum in ludo aleatorio factum, in commodum suum verti possit? *Dicunt quidam, quod non, sed pauperibus eroganda talis pecunia, ... alii dicunt & fere omnes Doctores, quod potest recipi. Mihi videtur salvo meliori judicio, distinguendum, utrum aliquis voluntarius, & ex cupiditate lusit; & tunc, si amisit; non potest repetere. Si lucratus est, tenetur restituere saltem in judicio animæ. An invictus est attractus, vel parum, vel per nimiam alterius importunitatem, & si tunc amisit, potest repetere, si lucratus est, non tenetur restituere, sed potest, & debet pauperibus erogare.*

(*a*) S. Raimund. de Pennafort. lib. 2. Summæ tit. 8. de negotiis sæcular. §. 12.

Cæterum cum incertum esse posset, an Leges ludos aleatorios prohibentes adhuc vigeant, aut si satis superque a Consuetudine contraria abrogatæ fuerint; sapiens Confessarius saltem præcipere potest restitutionem per formulam pœnitentiæ, sive in integrum, sive partim, juxta vires actu existentes ejus, qui peccata luget & plangit, ut eum adigat hac severitate salutari ad nuntium ludi consuetudini in sempiternum mittendum; & ille qui peccata sua luget ac plangit qui pertinacia sua pœnam adeo salutarem accipere recusavit, clare ostenderet, quod peccati sui fructu uti volens, ad peccatum illud derelinquendum sat dispositus non solet.

CASUS VI.

Leonor, cum duos dupliones lucratus esset ludendo cum Æmilio, quem ad ludendum induxerat & allexerat, eductus fuit juxta S. Thomæ sententiam ejusmodi lucra restituenda esse. *Quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum* (*b*). Qua de re quærit quo sensu hæc verba intelligenda sint, & an reperiatur in casu, quo S. Thomas vult, ut restitutio fiat?

(*b*) S. Th. 2. q. 32. art. 7. ad 2.

Respons.

Sanctus Antoninus (*c*), dicit intelligendum esse Sanctum Thomam, non de eo qui alium simpliciter invitavit ad ludendum, sed de eo qui illum coegit ad ludum per vim, aut etiam per nimiam importunitatem, sive sic egerit initio, vel continuatione ludi, quem alius deseruisset absque ista vi aut importunitate. Hoc sensu tamen Sanctus ille Archiepiscopus S. Thomam laudat. *Cum quis*, ait, *aliquem attraxit ad ludum per vim, vel nimiam importunitatem, sive in principio ludi, sive in medio, cum alius vellet dimittere, & non sinit; tunc etiam tenetur restituere secundum Thomam, & Raimundum.*

(*c*) S. Ant. 2. p. Summ. Theol. tit. 1. c. 23. §. 2.

Hoc eodem sensu Cardinalis Cajetanus in Commentario suo in S. Thomam, Sanctum hunc Doctorem intelligit (*d*) cum dicit eum loqui: *De quocumque tractata, modo causetur involuntarium mixtum, ita quod ex hoc ille venit ad ludum, ductus precibus, insultatione, exprobratione, & hujusmodi, licet voluntarie ludat.* Quod probat per comparationem quam proponit, ejus qui lucrum ultra pecuniæ mutuo sumptæ sortem, usurario solvit, cui illud voluntarie non solvit, nisi quia ab eo solvendo abstinere nequit. *Sicut etiam voluntarie aliquis solvit usuram. Hujusmodi tamen voluntarium*, addit Doctus ille Cardinalis, *non transfert a se dominium: quia mixtum est & non omnino liberum; consentaneum autem rationi est, ut hujusmodi commutationes, quæ fiunt in ludo, quia sunt ex natura sua turpes, nisi causa recreationis fiant, ad hoc ut efficaces fiat, liberam omnino voluntatem exigant.* Sylvester, Mozolin, Dominicus Soto, Banes, pluresque alii; eamdem interpretationem sequuntur.

(*d*) Cajetan. in S. Th. cit.

Ergo dicendum est de specie proposita, quod si Leonor simpliciter Æmilium invitaverit ad ludum, nullam ipsi vim inferendo, nec cum nimia importunitate urgendo; non reperiatur in casu restitutionis, de quo Doctor Angelicus loquitur: Verum si ipsi vim quamdam intulerit, vel talem molestiam ipsi exhibuerit, ut ludo assensum non dederit, nisi ut vi aut nimiæ importunitati cederet, ad quos dupliones, quos ab Æmilio lucratus est, ipsi restituendos tenetur. Hæc est sententia non modo Sancti Thomæ, Sancti Antonini, aliorumque Auctorum quos jamjam laudavimus; verum hæc est etiam sententia vulgaris eorum, qui hac de materia scripserunt, sicut testatur Covarruvias (*e*), qui dicit: *Datur præterea obligatio restituendi in animæ judicio ludo quæsita, quoties qui alterum ad ludum cupidiente lucri involuntarium attraxit, secundum Thomam 2. 2. dist. 32. art. 7. quem cæteri communiter sequuntur, modo hæc attractio levis non sit; sed tanta, quæ involuntarium alterum efficiat: nempe convitia, opprobria, preces adeo vehementes, quod his ausus non sit aliter contradicere.*

(*e*) Didacus Covarruvias a Leyva relect. in reg. Peccatum, de reg. juris in 6. 2. p. n. 7.

CASUS VII.

Melchior, & Cornelius, alter Diaconus, alter vero Presbyter sæpe una ludunt, latrunculis, scrupis, globulis, aliisque ludis, in quibus victoria præsertim ab industria pendet. Num absque peccato sic agere possunt?

Respons.

Auctores dantur qui acriter in latrunculorum ludum invecti sunt, propter magnam animi attentionem, quam exigit, & propter mentis aberrationem quam Clericis creat, quibus magnum est impedimentum, ne precibus, aliisque officiis suis operam dent, & occasio multum tempus consumendi; cum unica lusoria concertatio latrunculorum per totum tempus postmeridianum durare possit; respectu eorum, qui hunc ludum perfecte norunt, & quorum vires ferme æquales sunt. Has ob rationes Auctores illi, referente Tostato (*f*), peccati mortalis arguunt eos qui ludo illi incumbunt, & S. Ludovicus Constitutione sua anni 1254. (*g*) in Concilio Biterensi publicata (*h*) anno sequenti habito, ludum hunc, æque ac ludos aleatorios prohibet. *Inhibemus districte*, ait Rex ille, *ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas & scachos.*

(*f*) Alph. Tostat. in cap. 6. Matth. q. 50.
(*g*) Fontanon. to. 2. l. 3. t. 73. art. 1. p. 676.
(*h*) Conc. Biterrens. c. 24.

B. Cardin. Petrus Damianus, maxime omnium in latrunculorum ludum verborum fulminibus invectus est (*i*), nempe vocat eum ludum indecorum absurdum & infamem: *Quam inhonestum, quam absurdum, quam denique fœdum sit hoc in Sacerdote ludibrium!* Atque eo usque procedit, ut eum vocet ludum sacrilegum, loquendo de severa objurgatione quam fecit Episcopo Florentino, quocum iter faciebat, & cui pœnam indixit, nempe ut ter Psalterium recitaret, & lavaret pedes duodecim pauperum, unicuique nummum impertiendo, quia latrunculis per cœnam luserat. En ipsissima ejus verba, quæ sequuntur verba supra laudata: *Recte ne, tuique erat officii*, dicit illi Episcopo, *vespere in scacchorum vanitate colludere, & manum Dominici Corporis oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem, sacrilegi ludibrii contaminatione, fœdare.*

(*i*) S. Petrus Damianus l. 1. Epist. 10.

Non existimamus tamen sententiam magni hujus Cardinalis esse sequendam: quia, licet Clericorum præcipuum oblectamentum consistere deberet in legendis libris Sacris, & in exercitiis vitæ sanctæ, ad quam Deus eos vocavit, non vero in oblectationibus mundanis; attamen peccati arguendi, non sunt illi qui hunc ludum, aut alios, de quibus in specie proposita mentio fit, ludunt; modo non ludant ex cupiditate lucri, quod incentivum super damnandum est, juxta S. Thomam (*k*), præsertim in Clericis; quandoquidem secundum doctrinam ejusdem Sancti (*l*), aliquando necessarium est ludere ad animum recreandum ejusque vires reficiendas, ut nos accingamus ad officia nostra melius adimplenda. *Ideo necesse est talibus* (ludis) *interdum uti, quasi ad quamdam animæ quietem.*

(*k*) S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.
(*l*) Idem ib. qu. 168. art. 2. in corp. 3.

Hæc decisio confirmari potest, 1. ex auctoritate Concilii Provincialis Mexicani anno 1585. habi-

habiti, quod in responsione ad secundum Casum laudavimus (a), quod Clericis licentiam dat latrunculis ludendi, modo illi ludo non assuefiant; atque ludatur absque offensione, & cum personis vitæ inculpatæ. *Dummodo id raro, sine scandalo & cum personis honestis fiat.* Quibus conditionibus addit, ut radicitus lucri cupiditatem resecet, quod in commodum suum vertere non poterunt, quod lucrati erunt, si duas libras excedit, volens ut ad id, quod supererit, restituendum per conscientiam teneantur. 2. Ex sententia multorum celeberrimorum auctorum, qui affirmant, hunc ludum Clericis licitum esse, modo conditiones requisitas observent. Hæc est sententia S. Antonini, & Tostati, cujus tumulo hoc Epitaphium inscriptum fuit: *Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.* Hæc est etiam sententia Panormitani, Cardinalis Ostiensis, aliorumque Juris Canonici Peritorum Clarissimorum, qui his verbis Glossæ Authenticæ 123. nituntur (b): *Quid de scachis? Respondes: Possunt, cum non fortunæ viribus, sed naturali ingenio consistat ille ludus.* 3. Quibus addi potest, quod inter omnes ludos, quos Canones prohibent, latrunculorum ludos non nominetur; procul dubio, quia cum in eo fortunæ locus non detur, & prorsus ab industria pendeat, Canones eum tanquam indecorum & Clericis illicitum non considerarunt. Ac revera ludus ille non magis mentem avocat, aut spiritus dissipat, quam alii ludi honestissimi; modo illi moderate incumbant lusores, tempus notabile non amittant, nec ludant nisi propter recreationem æquam & necessariam, qua Clerici juste privari nequeunt, cum fieri non possit, ut continuo ac indesinenter orationi, studio, aliisque vocationum suarum officiis, vacent. Videmus etiam hunc ludum licitum esse ex quibusdam Regum nostrorum Constitutionibus, sicut Constitutione Caroli VIII. mensis Octobris 1495. (c). Ceterum ea quæ de latrunculis diximus, intelligenda sunt de scrupis, disco, globulis aliisque ludis, qui in solertia vel industria consistunt. Ita ut, in specie proposita Melchior & Cornelius peccati arguendi non sint, hos ludos in se ipsis præcise, & circumstantiis, quæ illos illicitos efficere possent, exutos, considerando.

(a) Concil. Mexican. cit. l. 3. tit. 5.

(b) Authent. 123. tit. 6. col. 9. c. 10.

(c) Fontan. to. 1. pag. 228.

CASUS VIII.

Ægimius, mercimoniorum minutorum Mercator, folia lusoria & tesseras vendit. Ejus Confessarius hac de re eum acriter objurgavit, ipsique absolutionis denegationem minitatur, si ea vendere perseveret. Se excusat 1. ex eo quod quibusdam foliorum lusoriorum ac tesserarum ludis absque peccato ludi possit: 2. Ex eo quod omnes qui similem professionem sequuntur, talia, æque ac ipse vendant, nec ea vendere desinere possit, quin notabile damnum exinde percipiat. Num, neglectis his rationibus, ab iis vendendis abstinere debet?

RESPONS.

Non existimamus Ægimium absolute condemnandum esse, nec ideo ejus Confessarium ipsi absolutionem denegare debere, quia folia lusoria & tesseras vendit. Quia illa adhiberi possunt in ludis, qui non sunt mere aleatorii, sic foliis lusoriis utuntur, *au piquet, au triomphe, & a l'ombre*, tesseris vero in alveo lusorio, seu scruporum ludo, qui ludi mixti sunt; id est, partim in alea, partim in lusorum industria consistunt. 2. Quia dantur ludi mere aleatorii, quos Laici absque peccato ludere possunt, saltem absque peccato mortali, cum eos simpliciter ludunt per recreationem, & sine avaritiæ animo, sine studio, sine aliorum offensione, sine notabili temporis jactura, & tandem sine talibus aliis malis circumstantiis: Hocque sensu intelligendi sunt S. Thomas, S. Raimundus, S. Antoninus (d), aliique Theologi & Juris Canonici periti, qui hujusce modi ludos condemnant in illis qui eos ludunt cupiditatis animo, aut qui ex iis ordinariam ac præcipuam suam occupationem faciunt, vel denique qui in iis quadam alia ratione, modum excedunt a Legibus Ecclesiasticis vel Civilibus damnatum: Hæc est decisio Auctoris (e), qui certissime non postulabitur ex eo quod remissiorum morum scientiam doceat, cum se hujusce remissiorum morum scientiæ flagellum ac hostem declaraverit.

(d) S. Thom. loco supra cit. S. Raimun. in sum. l. 2. tit. de negotiis sæcular. § 11. S. Anton. 2. part. summ. Theol. tit. 1. c. 23. § 13.

(e) De Gener. Theol moral. to. 1. tract. 4. cap. 8. q. 5.

CASUS IX.

Jordanus forum aleatorium habet, id est, domum dedita opera adaptatam ad eos excipiendos qui foliis lusoriis & tesseris volunt ludere, numerata quadam pecunia, quam ab uno quoque lusore percipit. Ejus Confessarius ipsi absolutionem denegare vult; nisi hoc commercium deserat. Se excusat ex eo quod nullam aliam rationem habeat, qua se sustentet, & numerosæ suæ familiæ res ad vitam necessarias comparet, nec quemquam reperiat, cui domum suam elocare possit, quippe quæ sita in loco qui ad Urbis extremum vergit, & quæ præterea multis incommodis variis ob causas est obnoxia. Num Confessarius nihilominus in sua sententia perstare debet, & exequi minas Jordano factas ipsi absolutionem denegandi, si forte hoc commercium persequatur?

RESPONS.

Proculdubio Jordani Confessarius per absolutionis denegationem eum cogere debet ad abrumpendum commercium adeo indignum, & ab omnigenis Legibus prohibitum. Nam 1. Edicta Prætoris Romani, quæ complectebantur omnem Disciplinam civilem Romanorum ante Augusti administrationem, talem professionem interdicebant (f). Quamobrem ii qui domos suas præbebant, ut in illis ludi aleatorii luderentur, quoddam commodum inde percipiendo, ita exosi erant, ut si forte acerbius ac durius tractarentur, eorum bona abriperentur, aut quadam alia injuria vel damno afficerentur, ludi tempore vel occasione, in jus vocare non possent, ut pro illis sibi fieret satis. *Prætor ait*; dicit Lex, *si quis eum apud quem in alea lusum esse dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, sive quid eo tempore dolo ejus subtractum fuerit, judicium non dabo.*

(f) L. 1. Prætor. 6. ff. de aleatoribus, lib. 11. tit. 5.

Imperator Justinianus, qui in medio VI. Sæculi regnabat, severe hujusmodi ludos condemnavit, sicut alibi ostendimus, & sicut luculentissime patet ex una e suis Legibus, quam nondum laudavimus, & quæ fert, ut ille qui his in ludis lucrum fecisset, nullam actionem haberet, ut judicio solutionem suam expeteret; & ut e contra ille qui amisisset, actionem haberet ad repetendum quod voluntarie solvisset, & ut etiam ejus hæredes similem actionem haberent in hæredes illius qui lucratus esset, quin triginta annorum præscriptio ipsis impedimento esset: & ut denique, si forte hæredes ejus, qui amisisset, hanc repetitionem neglexissent, quævis alia persona ad pecuniam amissam repetendam admitteretur; aut eorum defectu, Urbis, in qua ludo effusa fuerit pecunia, Magistratus; hocque in casu pecunia ad opera publica impenderetur. En Legis verba (g). *Victum in alea lusa non posse conveniri, & si solverit, habere repetitionem, tam ipsum quam hæredes ejus adversus victorem & ejus hæredes; idque perpetuo, & etiam post triginta annos &c.* Alia Lex (h) præcedentem confirmat, atque etiam prohibet, ne frequententur Cœtus in quibus hujusmodi ludi luduntur. Quomodo igitur hæ Leges, eos, qui publice fora aleatoria habebant, a quibus foris abhorrebant, non condemnassent?

(g) Leg. Victum. 1. cod. t. de aleator. & alearum lusu. lib. 3. tit. 43.

(h) L. Alearum. fin. cod. de religiosis & sumptions funeram & aleatorib. Sc cit l. 3. tit. 44.

2. Christianissimi nostri Reges Jurisprudentiam & Disciplinam Civilem Romanorum hac in re sequuti sunt. Sanctus Ludovicus interdicit tesserarum fora aleatoria, quemadmodum legitur apud Fontanon (i). Constitutio anni 1577. (k), expressim prohibet Cauponibus, ne habeant, vel tolerent in suis domibus ulla fora aleatoria, vel tesseratum vel foliorum lusoriorum. Ludovicus XIII. in sua Declaratione diei 30. Maii 1611. ea omnia, quæ Reges ejus Antecessores hac de re statuerant, amplificat, iisque adjicit: En ejus verba. „ Ex sententia & prudenti Consilio Reginæ Pro„ curatricis Regni, nostræ honoratissimæ Dominæ „ ac

(i) Fontan. to. 1. l. 5. t. 71. a. 1.

(k) Idem ib. p. 718.

„ ac Matris, Principum Consanguineorum nostrorum, aliorumque Principum & Ministrorum Imperii nostri, aliorumque Concilii nostri Dominorum, nobis adstantium, hisce Præsentibus, quibus propria manu nomen adscripsimus, omnibus personis cujuscunque dignitatis ac conditionis sint, expressissime inhibuimus ac inhibemus, ne in ullis Urbibus aut locis Regni nostri fora aleatoria habeant, nec Cœtus faciant, ut tesseris aut chartis ludatur; etiam Dominis, Possessoribus & Conductoribus domum, ne in illis excipiant fotorum aleatoriorum Magistros, aut Aleatores sub pœna mulctæ arbitrariæ, & alterius animadversionis, si contigerit, atque proprio ac privato suo nomine præstandi pecuniam amissam, eamque restituendi: Hunc in finem præcipimus Judicibus ordinariis uniuscujusque nostrarum Urbium, ut sese transferant domos & loca in quibus talia fora aleatoria aut tales Cœtus dari, monebuntur; eos qui ibi reperientur apprehendant, simulque corripiant pecuniam, ornamenta muliebria, aliaque ludo apposita. Curent ut eorum pecuniæ pauperibus Ptochodochiorum distribuantur, quibus Ptochodochiis has pecunias, nunc, & in posterum, addiximus & adjudicavimus, sicut addicimus & adjudicamus. Atque insuper actionem instruant ac perficiant, tam in Aleatores, quam in Dominos & Conductores, qui eos excipient, tanquam in Legum & Constitutionum nostrarum violatores, qui earum severitatem subierint". Primus Supremus Senatus Galliæ multa Decreta promulgavit adversus eos, qui hæc fora aleatoria habent, quos non modo ad mulctas pecuniarias, verum etiam ad pœnam corporalem condemnant. Talia sunt Decreta diei 22. Decemb. 1541. diei 27. Martii 1547. & diei 12. Dec. 1551. ut taceamus plura alia Decreta similia recentiora (*a*), quæ in tertia decisione jam laudavimus: Quam in rem consuli potest magnum opus a D. de la Mare circa Disciplinam Civilem compositum (*b*), in quo dignus ille Auctor amplam & accuratam Collectionem facit, & sex capitibus consequentibus refert quicquid pulcherrimum hac de materia in antiquitate reperitur, & aliam adhuc ejusdem Regis Ludovici XIII. Constitutionem 20. Dec. 1629. (*c*), quæ insuper addit, ut domus in quibus Cœtus lusorii habiti fuerint, fisco addicantur; eosque qui hæc fora aleatoria erexerint, & exercitio adeo pernicioso sese prostituerint, infames declarat inhabiles qui testamentum faciant, aut quædam Munera Regia possideant: ac denique vult ut in sempiternum ejiciantur locis, in quibus hanc Constitutionem violaverint. Ludovicus Magnus confirmavit omnes præcedentes Constitutiones per suum Edictum Mensis Decembris 1666. quod 11. die ejusdem mensis in supremo Senatu ratum factum atque comprobatum fuit.

(*a*) Font. to. 1. pag. 70. Ordonn. des Rois de France 2. p. fol. 13

(*b*) M. de la Mare Traité de la Police to. 1 liv. 3. t. 4. ch. 4. & suiv.

(*c*) Ordonn. de 1629. art. 137.

Licet argumenta, quæ jam jam attulimus, solummodo eliciantur e Legibus Imperatorum ac Regum, sufficere tamen debent ad quæstionem propositam decidendam: cum Principum Leges, quæ æque justæ sunt, ac istæ, & quæ solummodo spectant ad bonum & quietem Reipublicæ & privatorum, sancte observandæ sint, *irrefragabiliter*, sicut loquitur Leo IV. ad Imperatorem Anastasium scribens (*d*), & cum, juxta S. Augustinum, illi qui his Legibus non obtemperant, non possunt quin in maxima culpa sint. *Quicumque ergo Legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium* (*e*). Attamen, ut omnis culpa ab agendi ratione Confessarii Jordani melius dimovetur, operæ pretium est ostendere has Leges perfecte congruere cum sententia Sanctorum, quorum duo loca solummodo laudabimus.

(*d*) Leo IV. in Can. De capitulis 9. dist. 10.

(*e*) S. Aug. in can. Imperatores 2. ead. dist. 3. 1.

Primus locus est S. Caroli Borromæi (*f*), qui in instructionibus, quas Confessariis dat, & quas Clerus Gallicanus adoptavit per earum interpretationem ejus mandato factam, sic loquitur: *Nec ii possunt absolvi, qui sincera resolutione peccata mortalia & eorum occasiones fugiendi non statuerunt occasiones porro illæ, quæ ex natura sua ad peccatum inducunt, sunt; si qui aleæ & ejusmodi lusibus indulgent; qui domum in hunc finem præparatam, aperiunt .... pœnitentem ergo in aliqua ex his occasionibus versantem, aut similibus, si urgens sit illa occasio ...... non debet sine dubio Confessor absolvere, nisi hanc occasionem antea sustulerit; pro aliis vero occasionibus, quales sunt aleæ vocatio, aspectus minus pudici, & nisi eas dimittere pœnitens polliceatur. Quod si jam alias pollicitus sit, nec emendatus fuerit: absolutio tamdiu differatur, donec emendationem agnoverit*,

(*f*) S. Carol. Acta Eccles. Med. instruct. Confess. to. 1. pag. 613.

Secundus locus est S. Bernardini Senensis, qui postquam loquutus fuisset de tribus generibus personarum, quæ participes sunt peccatorum, quæ in ludis prohibitis committuntur; addit quartum etiam earum genus dari, nempe earum quæ domus suas aleatoribus elocant vel mutuo dant: En ejus verba (*g*): *Quarti vero omnes malignitates ludi participantes, sunt, domos atque loca ad ludendum accommodantes, qui omnium malignitatem quæ ipsi fiunt, causa efficacissima dici possunt*. Quod Sanctus ille probat, ut probavimus, ex Legibus quas Imperatores fecerunt ad has personas plectendas. Posteaque exclamat, *O igitur fons tot iniquitatum, perjuriorum & blasphemiarum maledictus ludus! O domus profana & omni scelere plena! O nummi impietatis & consummata iniquitatis! quæ ex tua locatione procedunt, quæ horrenda judicia præsentia & futura tuis locatoribus præparentur?*

(*g*) S. Bernar. Sen. ser. 42. de Pass. in Quadragesima. ar. 3. c. 1. to. 1. pag. 257 col. 1.

CASUS X.

Jovinianus S. Gordiani Parochus solet sæpe interesse cœtui hominum profanorum, qui varios ludos aleatorios ludunt, atque sat notandum tempus consumit eos ludentes conspiciendo, ut se oblectet. Num hac in re peccat, & an ejus peccatum grave, atque etiam mortale est?

Respons.

Dubitandum non est, quin Jovinianus peccet in specie proposita, & quin ejus peccatum grave sit. Quænam enim ratio afferri potest; ad peccato eximendum Presbyterum & Parochum, qui tam male collocat tempus, quod cultui Dei, Ecclesiæ & proximi consecrare tenetur? Non negatur quin Clericus quandoque aliquod tempus absumere possit in recreatione; cum ea eget, ad animum relaxandum, post nimiam aut diuturniorem animi attentionem, dummodo honesta sit, & *congruat personæ, tempori & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur*, quemadmodum loquitur S. Thomas. (*h*) Sed oblectatio quæ percipitur in ludis aleatoriis sive ludendo, sive in aleatorum cœtu adstando, Clericis interdicitur innumeris Legibus Ecclesiasticis, ut & Legibus Imperatorum & Regum, sicut in secunda decisione ostendimus: quia illud oblectamentum, nec personæ suæ dignitati, nec instituti vitæ suæ Sanctitati, nec bono exemplo quod omnibus præbere debent, convenit. Quamobrem quærere debent oblectationem innocuam; & honestam, & quæ eos ad mentis avocationem non impellat, qualis est mentis aberratio, quam hujusmodi ludi creant, præterquam quod nimis usitatum sit lusoribus multa damnanda faciendi aut dicendi, quæ Presbyter nunquam, absque peccato, approbare potest, etiam tacite, silentio quod observaret vecordi indulgentia, quam pro hujusmodi personis haberet.

(*h*) S. Thom. 2. 2. qu. 168. art. 2. in corp.

Attamen determinare non possumus, an Joviniani peccatum solummodo veniale sit; vel an mortale existimandum sit. Quamvis enim generatim loquendo, peccati mortalis arguendus non sit Presbyter, qui Laicos ludentes conspicit; fieri tamen posset, ut hoc peccatum mortale evaderet in quibusdam circumstantiis admodum notandiis, quales eas procul dubio supponit S. Benardinus (*i*), cum invehitur in Clericos ludos conspicientes, utendo comparatione quam referre hic nolumus & sententiam suam confirmando per Leges, quas Imperatores Christiani hanc in rem tulerunt. *Argumentum autem ad hoc quod ludi inspectores mortaliter*

(*i*) S. Bernar. din Senen. ser. in Passion. art. 3. c. 3. tom. 1.

taliter peccent, *habetur in* Authentica *de Sanctissimis Episcopis* §. interdicimus, *ubi ponitur quod Clerici inspectores ipsius ludi tribus annis a ministerio arceri debeat*. En ipsissima verba Autbenticæ ab isto Sancto laudatæ (*a*): *Interdicimus Sanctissimis Episcopis*, *& Presbyteris*, *& Diaconis*, *& Subdiaconis & Lectoribus*; *& omnibus aliis cujuslibet Ordinis venerabilis Collegii*, *aut schematis constitutis*, *ad tabulas ludere*, *aut aliis ludentibus*, *participes esse*, *aut inspectores fieri* .... *si quis autem ex his in hoc deliquerit*, *jubemus*, *hunc tribus annis a venerabili ministerio probiberi & in Monasterium redigi*.

(*a*) Authentica de Sanctiss. Episcop. parag. interdicimus l. eodem tit. 3. post leg. 17.

Angelus de Clavasio (*b*), distinguit inter ludorum inspectores: & affirmat, quod cum ii qui ludunt, absque peccato mortali ludere non possunt, quod aliquando plurimis modis fit, juxta S. Thomam (*c*), & cum inspectores eos ad ludum incitant, vel præsentia sua approbant, tunc isti mortaliter peccent; verum alias peccati mortalis arguendi non sint. " Sive sint Clerici, sive Laici inspecto- „ res, *ait Auctor ille*; Quod aut ex aspectu eorum „ inducuntur efficaciter aliqui ad ludendum; & „ sic, si ludentes peccant mortaliter, sic inspecto- „ res. Si vero eos non inducunt ad ludendum ex „ eorum aspectu, nec ad continuandum ipsum: sic, „ aliud mali non admiscetur, non peccant morta- „ liter eos videntes & aspicientes: nisi essent ta- „ les, qui corrigendo possent eos facere desistere „ a tali ludo, qui est peccatum mortale in ludente. Auctor ille addit, quod tamen periculosum sit semper eos, qui ludos prohibitos ludunt, inspicere, „ quia facile fieri potest, ut in iis oblectentur. " „ Periculosum tamen est, tales aspicere ludentes „ in ludo prohibito, quia faciliter posset eis place- „ re talis ludus deliberate, quod esset mortale, „ ut notant Theologi, in 2. sentent. dist. 24.

(*b*) Angelus de Clavasio, v. Ludus parag. 6.

(*c*) Ex ipsa specie actionum, quæ assumuntur in ludum ...... quando scilicet utitur aliquis nausa ludi turpibus verbis, vel factis, vel his quæ vergant in proximi nocumentum quæ de se sunt peccata mortalia .... cum aliqui utuntur ludo, vel temporibus, vel locis indebitis vel etiam...... propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, vel Ecclesiæ, talibus ludis uti non refugiat. S. Thom. 2. 2. q. 168. a. 3. in corp.

Sylvester, Fumus in sua summa *armilla*, & Navarrus eamdem sententiam tuentur (*d*).

Inde sequitur, quod si lusores, de quibus mentio fit in specie ad quam respondemus, Sanctum Dei nomen, ludi occasione, blasphemarent; aut per impietatem in ædibus sacris luderent, & si Jovinianus in eorum cœtu tranquille interesset, quin eos objurgaret, nec eorum impietati obstaret, a peccato mortali eximi non posset, non magis quam Paterfamilias, qui respiceret liberos aut famulos suos blasphemantes, aut alia crimina patrantes ludendo & ludi occasione, nec se se accingeret ad impediendum, quominus sic agerent.

(*d*) Sylvester de Prario vo Ludus qu. 9. Barth. Fumus eod. v. n. 11. Navar. in manuali c. 23. n. 14

MALEDICTIO.

MALEDICTIO est actus voluntatis quo quis alteri, vbi sibi, vel alicui rei, ut Communitati vel Civitati malum aliquod desiderat & imprecatur. *Maledictio*, inquit Polmanus (*e*), *est mali imprecatio*.

Quamvis, juxta Sanctum Thomam, maledictio Creaturas tantum rationales, proprie loquendo, spectet, habet tamen aliquando alias Creaturas pro objecto principali, ut cum aliquis malam tempestatem, viam asperrimam, equum, prædium, aut quamlibet aliam rem execratur, & diris devovet: quo in casu maledictio indirecte ipsam impellit Creatorem, cujus providentiæ resistitur, vel proximum, cujus malum desideratur, cum maledictio rebus quæ ad ipsum pertinent, vel ipsi sunt utiles, datur. Unde ejusmodi maledictiones nunquam sunt sine peccato. Non ergo mirum est, cum ipsi Pagani (*f*) maledictiones detestati sint, quod Sanctus Augustinus (*g*), tam vehementer in eos, qui maledicunt, invectus fuerit.

(*e*) Polman. part. 2. 2. nu. 22. 8.

(*f*) Plato de Leg. Dial. 9.

(*g*) S. August. l. 2. contra literas Petiliani c. 14. seu n. 11.

Maledictionis effectus semper timendos esse, quamvis non sine crimine maledictio proferatur, testis est S. Augustinus (*h*), qui refert Matrem, quæ erat ex Urbe Cæsarea Cappadociæ, non frustra septem filiis & tribus filiabus suis mala fuisse imprecatam. Ista enim Mater æstuans ira quod primogenito filio, qui ipsam percusserat, ceteri non obstitissent liberi, ad Ecclesiam ivit supra cujus Baptismales fontes tam male & horribiliter natis suis imprecata est, ut omnes postea omnibus artubus contremiscerent: hinc factum est, ut oculos suorum Civium non ferentes, & publico se subtrahere opprobrio volentes, quaqua versum ire, & toto pene vagari Orbe Romano coacti sint. *Tali pœna sunt divinitus coerciti*, *ut horribiliter quaterentur omnes terrore membrorum*; *in qua fœdissima specie oculos suorum Civium non ferentes*; *quaqua versum cuique ire visum est*; *toto pene vagabantur Orbe Romano*. Addit idem Sanctus Doctor, duos ex decem liberis, Paulum scilicet & Palladiam cum S. Stephani Reliquiæ transferrentur, mirabiliter fuisse sanatos, longe feliciores infelici matre, quæ, id quod fuerat imprecata, contigisse videns laqueo se suspendit (*i*).

(*h*) S. August. l. 22 de Civit. Dei c. 8. num. 22. item serm. 322.

Pasquierius in suis inquisitionibus (*k*) exemplum alterius terribilis maledictionis refert. Narrat scilicet Mathildem Regis Scotiæ Edgari sororem, cum ex Monasterio in quo vitam Religiosam professa fuerat, invita avulsa fuisset, ut uxor Henrico primo Angliæ Regi traderetur, fuisse imprecatam, ut omnes liberi, quos ex suo matrimonio haberet, perpetuis inter se discordiis odiisque dissiderent: quod contigit, narrant enim Historici Mathildis maledictionem ultra quartam generationem transiisse.

(*i*) Idem cit. serm. 322.

(*k*) Pasquierius l. 6. c. 24.

Sunt tamen quidam casus, in quibus Sancti divinitus afflati quibusdam peccatoribus maledixerunt. Sanctus Petrus (*l*) Simoni Mago maledixit; *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; Et Sanctus Paulus maledicit omnibus, qui Jesum Chri-

(*l*) Actuum 8. 20.

Christum non amant. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesun Christum, sit anathema* (a). Sunt talia similia in Scripturis exempla, quæ probant, Deum ipsum aliquando præcepisse, ut maledictiones proferrentur adversus eos quibus iratus erat, ut patet ex sequentibus textibus; *Maledic populo huic* (b): *Veni, & maledic ei* (c): *Veni, inquit, & maledic* (d): *Inde maledicito ei* (e): *Stabunt ad maledicendum* (f): *Maledicite habitatoribus ejus. Maledicite terræ Meroz* (g).

Sed quia solus Deus, qui utpote infinite justus est, suis Creaturis maledicere potest, allata exempla, non excusant eos, qui proximo suo vel rebus ad ipsum pertinentibus maledicunt. E contra præcipit Dominus, ut maledicentibus benedicamus: *Benedicite maledicentibus vos* (h): *Benedicite, & nolite maledicere* (i): Præcepto Domini obtemperabant Apostoli, ut patet ex S. Pauli sequentibus verbis: *Maledicimur, & Benedicimus* (k) Faciebant isti Sancti quod fecerat Christus, qui, ut ait S Petrus (l): *Cum malediceretur, non maledicebat*. Quapropter idem Apostolus omnem prohibet maledictionem (m): *Nec maledictum pro maledicto*. Uno verbo, Peccatorum tantummodo os maledictiones profert. *Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est* (n).

(a) 1. Corinth. 16. 22.
(b) Num. 22. 6.
(c) Ibid. v. 2.
(d) Num. 23. 7.
(e) Ibidem v. 13.
(f) Deut. 27. 13.
(g) Judic. 5. 23.
(h) Luc. 6. 28.
(i) Rom. 12. 14.
(k) 1. Cor. 4. 12.
(l) Petr. 2. 23.
(m) Ibid. c. 3. 9.
(n) Psalm. 13. 3. & Rom. 13. 14.

CASUS PRIMUS.

ORONTIUS aliquando maledicit. An toties, quoties maledicit, peccare mortaliter censendus est?

RESPONS.

Orontius difficillime a peccato mortali excusari potest; nam maledictio est juxta Sanctum Thomam, peccatum ex natura sua mortale. *Maledictio .... est per quam pronunciatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius. secundum se repugnat charitati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius; & ita secundum suum genus est peccatum mortale* (o). Fieri tamen potest, ut maledictio sit peccatum duntaxat veniale; sive quia malum quod imprecamur proximo, leve est; sive quia malum, quamvis sit grave, *ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione* imprecamur. *Contingit tamen*, addit Doctor Angelicus, *verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur; vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba; dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert: quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*.

(o) S. Thom. 2. 2. q. 76. art. 3. in corp.

Ut igitur de qualitate peccati judicetur quod committit Orontius, cum verba maledictionis profert, habenda est ratio qualitatis mali quod proximo imprecatur, & intentionis quam habet, cum imprecatur, Nam si malum notabile est, & istud malum re ipsa proximo desiderat, proculdubio peccat mortaliter, quoties malum aliquod imprecatur. Sed si malum notabile non est, aut malum, quamvis notabile sit, ore tantum, non corde, jocose, non serio desiderat, peccat tantummodo venialiter?

CASUS II.

RANULFUS aliquando verba maledictionis profert contra creaturas irrationales. An in hoc peccat mortaliter, quando malum notabile imprecatur & cum plena advertentia imprecatur?

RESPONS.

S. Thomas (p), prinsquam huic quæstioni quam sibi proponit respondeat, statuit tanquam certum, maledictionem & benedictionem ad Creaturas rationales proprie pertinere; quia iis solis malum & bonum contingere potest, sed tamen dici posse aliquod bonum vel malum creaturis irrationalibus posse contingere *in ordine ad Creaturam rationalem propter quam sunt*. Referuntur verba S. Doctoris. *Benedictio, vel maledictio proprie ad illam rem pertinent, cui potest aliquid bene, vel male contingere; scilicet rationali Creaturæ. Creaturis autem irrationalibus bonum vel malum dicitur contingere in ordine ad Creaturam rationalem propter quam sunt*.

(p) S. Thom. cit. q. 76. a. 2. in corp.

Hoc posito S. Thomæ principio, dicendum est. Peccatum esse mortale maledicere agro, equo, aut alicuilibet Creaturæ necessariæ proximo in quem aliquatenus redundant verba maledictionis prolata contra istas Creaturas, quibus malum quod desideratur contingere non potest, quin is, ad quem pertinent, inde damnum notabile patiatur.

Si ergo Ranulfus malum, quod imprecatur istis creaturis irrationalibus vere desiderat; certum est eum mortaliter peccare, cum malum notabile, & in proximum redundans desideret. Addendum est, eum posse lethaliter peccare, si cum creaturæ irrationali maledicit, eam præcise quatenus Creaturam Dei considerat: tunc enim maledictio blasphemia est. Sed peccatum potest esse duntaxat veniale; si Creatura non consideratur precise quatenus Creatura Dei, & si ex malo, quod isti Creaturæ desideratur, nullum damnum proximus patitur. Hoc docet S. Thomas, qui addit, maledicere autem rebus irrationalibus, in quantum sunt Creaturæ Dei, est peccatum blasphemiæ: *Maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum* (q). *Hoc & docent Card. Cajetanus, Navarrus, Card. Toletanus, & alii*.

(q) Cajet. in sum. v. Maledictio. Navar. Man. c. 23. n. 17. Tolet. instr. n. 3.

MALUS.

PEr verbum, MALUS, non intelligimus hominem alicujus particularis criminis reum, sed intelligimus hominem qui est in habitu criminis, & qui est ex numero eorum qui *lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*; & quem Lipsius vocat: *Cognatum imo innatum omni sceleri* (r) de malis hominibus loquitur S. Paulus (s) cum ait. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, mali-*

(r) Lipsius 2. de consider.
(s) Rom. 1. 28. & seqq.

malitia, fornicatione, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum..... sine misericordia. Cum malis igitur Christianus nullam inire debet societatem, nisi cum fundamento speret, istius modi societatem eorum saluti non parum esse profuturam. Tunc enim malos frequentare licet, modo tamen absit perversionis periculum; sed quemadmodum certum est, neminem ita esse bonum, ut semper bene agat, ita constat, neminem adeo esse malum, ut semper male agat. *Non potest malus in omnibus malus esse, sed habet aliqua bona,* inquit S. Chrysostomus (*a*), *neque bonus in omnibus esse bonus; sed habet aliqua peccata.* Quapropter, si quis in quibusdam duntaxat malus est, & si nondum *in reprobum sensum* traditus est, potest sine crimine cum ipso haberi societas, modo absit perversionis periculum, nullumque proximo scandalum timeatur. E contra erga ipsum charitas ostendi debet, ut ad meliorem frugem reducatur, quando charitatis officiis reduci eum posse, apparet, nullus siquidem est juxta Horatium adeo malus, ut semper viri sapientis monita audire refugiat.

(*a*) S. Chrysost. in can. Quid ergo 40. de pœnitent. dist. 3.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodat aurem (*b*).

(*b*) Horat. l. 1. epist. 1.

CASUS PRIMUS.

An homo habendus est ut malus propter plurima crimina quæ sæpissime committit?

Juxta regulam Juris his conceptam verbis: *Semel malus, semper præsumitur esse malus* (*c*), videtur talem hominem ut malum haberi posse.

(*c*) Reg. 8. de reg. juris in 6.

Videtur etiam non ideo habendum esse ut malum, quia malus fuit: fieri etenim potest, ut se converterit.

Respons.

Certum est hominem, quamtacumque sit ipsius perversitas, quolibet temporis momento posse adjuvante Dei gratia, quæ ounquam nisi male petentibus denegatur, ad meliorem frugem se recipere. Magnum tamen discrimen ponendum est inter eos, qui ex certa malitia & quasi ex industria peccant: *Peccatum, quod est ex certa malitia, est gravius peccatum, quam quod est ex passione,* inquit S. Thomas (*d*), 1. quia peccatum, quod ex habitu & ex malitia committitur, longe magis voluntarium est, quam peccatum, quod committitur ex passione. *Cum autem ex certa malitia peccatur,* addit S. Doctor, *motus peccati est magis proprius voluntati, quæ ex se ipsa ad malum movetur, quam quando ex passione peccatur, quasi ex intrinseco impulsu ad peccandum.*

(*d*) S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 4. in corp.

2. Quia passio est motus cito transiens, & post quem peccator ad se redit, peccatum suum agnoscit & de eo dolet; econtra vero habitus ad peccatum est qualitas permanens, qua fit ut peccator diutius in peccato perseveret. Comparare igitur possumus eum qui ex habitu peccat cum infirmo continue febricitante, & eum qui ex passione peccat cum infirmo interpolate febricitante. Hanc post Aristotelem S. Thomas instituit Comparationem. " Quia passio, quæ inclinat voluntatem ad peccandum, cito transit; & sic homo cito redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato: sed habitus, quo homo in malitia peccat, est qualitas permanens; & ideo qui ex malitia peccat, diuturnius peccat. Unde philosophus comparat intemperatum qui peccat ex malitia, infirmo qui continue laborat: incontinentem autem, qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolate ". Ii porro qui peccant ex habitu & ex malitia specialiori modo mali dicendi sunt. His positis respondemus.

1. Generaliter loquendo hominem non ideo dicendum esse malum, quia antea fuit in habitu criminis; fortasse enim ad se rediit & resipuit, fortasse tum Deo est acceptior cum malus creditur, quam is a quo malus creditur.

2. Multo minus eum dicendum esse malum qui passione veluti subito abstractus & illectus in crimen aliquod delapsus est; facilius enim suum peccatum agnoscere potuit; & de eo dolere; aliunde charitas quam erga proximum Christianus præ se ferre debet, nos cogit benigne de proximo judicare, nisi forte validæ rationes de eo perperam nos judicare cogant.

3. Bonifacii VIII. regulam quæ objicitur non probare hominem semel malum semper habendum esse ut malum, sed semper præsumi malum in foro exteriori, cujus præsumptiones utpote sæpe falsissimæ certam probationem non suppeditant. Hanc ob causam auctor Glossæ in supra citatam regulam ait: *procedit hæc præsumptio ex natura præsumentis corrupta* (*e*).

(*e*) Gloss. ib. v. Semel Malus.

CASUS II.

Valerius duos homines nequam frequentat, quorum unus potator est & impudicus, alter ex habitu jurat & blasphemat, Valerius in animo habet cum duobus istis hominibus malis habitaturus ire, an quod in animo habet, exequi potest?

Respons.

Juxta S. Thomam (*f*) " peccatoribus perseverantibus, pœnitere nolentibus non oportet communicare. De illis vero, de quibus speratur, distinguendum est ex parte illius qui habitat: quia aut est firmus, aut infirmus. Si infirmus; habitare cum eis non debet. Si firmus; competens est, ut cum eis habitet, ut eos ad Deum convertat ". Ex his Sancti Thomæ verbis concludendum est Valerium posse societatem habere, & habitare cum duobus, de quibus agitur, malis hominibus, Si firmus sit, & veluti in virtute radicatus, & si ex frequentatione & cohabitatione sperare possit, eos a se ad viam virtutis esse reducendos. Sed si infirmus sit adsitque perversionis periculum, non potest sine peccato cum eis societatem habere, & habitare; præsertim si eos in malo pertinaciter perseverare, & salutaria monita petulanter detrectare cognoscat. Cæterum in dubio Valerius suum Pastorem, aut petitum Confessarium consulere debet.

(*f*) S. Th. in cap. 9. Matth. ante med.

Vide (CHARITAS.
(ODIUM.

MANCIPIUM.

MANCIPIUM, vel *Servus*, ille est qui *non est sui juris*; hoc est, qui propria sua peculiari libertate non gaudet (*a*), quæ in eo consistit, ut vivat & agat prout ipsi libet: *libertas est, ut libet vivendi potestas* (*b*), cum servitutis status personam Dominlo alieno, & possessioni alienæ subjectam reddat: *Conditio servilis est status personæ quæ non est sui juris, sed est sub potestate Domini, tamquam possessio ejus* (*c*) Definitio illa nititur servitutis definitione, quæ his verbis traditur: *servitus est juris Gentium constitutio, qua quis alieno Dominio subjicitur contra naturalem humanæ naturæ conditionem* (*d*).

(*a*) polman. brev. Theol. part. 3. n. 514.
(*b*) Ib. n. 513.
(*c*) Ib. n. 516.
(*d*) Id. n. 2.

Servitutis usus jamdudum in Gallia ac cæteris omnibus Europæ Christianis Regnis obsolevit; quapropter supervacaneum esset fuse de hoc Titulo disserere.

Satis erit igitur observare: 1. Ea omnia, quæ Leges Civiles in permultis Titulis circa Mancipia statuerunt, hodie nullius nobis esse usui; & in eo tantum utilia esse posse, ut inde quasdam eliciamus comparationes circa Monachos, & Religiosos, qui respectu effectuum Societatis Civilis comparari possunt cum Mancipiis: 2. Quosdam ex hisce titulis adaptari posse domesticis, & famulis. Verum non hic locus de iis dicendi.

Cæterum, in Gallia quidem reperiri possunt Mancipia aliquot Nigritæ ex Africa vel aliunde oriunda, quæ licet sint extra servitutis Regionem; censentur tamen *in rebus Domini*; & Regis Edictum habemus anno 1685. promulgatum, quod declarat Mancipia esse ex natura Bonorum mobilium, nisi cuidam terræ alligata sint (*e*).

(*e*) Le Bron, tract. de communo l. 1. c. 5. n. 11.

CASUS PRIMUS.

ARMENTARIUS, Servus, cum uxorem duxisset Fabiolam, conditione liberam, ex ea duos suscepit liberos. An liberi illi Mancipia censeri debent.

RESPONS.

Sententia est Juris Romani, liberos nasci in eadem conditione libertatis vel servitutis, in qua degit mater, eorum nativitatis tempore. *Secundum Leges Civiles*, ait S. Thomas (*f*), *partus sequitur ventrem; id est, Matrem, quantum ad conditionem servitatis vel libertatis.* Idem dicit S. Antoninus (*g*), & iisdem utitur verbis quibus S. Thomas: idque jure merito, ait idem Sanctus, quia proles efformatur ex propria Matris substantia, in utero, cujus omne incrementum habet; & quoniam conditio servilis qualitas est mere corporea: *Et hoc rationabiliter quia proles habet a Patre complementum formale, sed a Matre substantiam corporis. Servitas autem corporalis, corporalis conditio est, cum servus sit quasi instrumentum Domini in operando. Et ideo Proles in libertate & servitute sequitur Matrem.* Idque cum hisce S. Gregorii verbis consentaneum est (*h*); *indecens esse credimus, ut progenits ex Liberta sive Libera filii ad servitium trahantur.* Idcirco etiam affirmat S. Isidorus (*i*), *Filii ex Libero, & Ancilla servilis conditionis sunt; semper enim qui nascitur deteriorem partem sumit*; vel prout Isidori textus originalis habet, *deteriorem Parentis statum sumit*: S. Thomas ait, hanc esse Juris Romani sententiam: *Secundum Leges civiles*. Non enim perinde est in Regionibus ubi Leges illæ non observantur: *In quibusdam tamen Terris, quæ Jure civili non reguntur, partus sequitur deteriorem conditionem, ut, si Pater sit servus, quamvis Mater sit libera; erunt filii servi: non tamen, si post perctam matrimonium Pater se in servum dedit, nolente uxore: & similiter sic fit e converso* (*k*).

(*f*) S. Th. in 4. dist. 36.
(*g*) S. Anton. 3. part. tom 3. c. 6. § 6. Sylvest. ver. Servitus q 4.
(*h*) S. Greg. l. 5. Ep. 53. in c. Indecens unic. de natis ex libero ventre l. 4. tit 10.
(*i*) S. Isidorus Etymol. l. 9. c. 5. in can. Liberi fin. 32. q. 4.
(*k*) Lege Partum 7. cod. de rei vindicat. lib. 3. tit. 32.

Inde igitur concludi debet, quod si duo filii nati sint in Regione, in qua Leges observentur in iis quæ servitutem spectant, censendi sunt nati liberi: At si contra nati sint in Regione, in qua non vigeant Leges Romanæ, censentur Mancipia, quandoquidem Armentarius eorum Pater, qui est nobilissimum principium unde originem suam trahant, Mancipium est.

Observandum tamen est, ea quæ diximus, de conditione servili filiorum ex muliere serva prognatorum, nullum habere locum in iis quæ ad Honores, ad Nobilitatem, ad Dignitates attinent, cum Pater liber est. In illis enim casibus filii Patris conditionem sequuntur, secundum S. Thomam, S. Antoninum, Sylvestrum, aliosque, & prout id ex multis Codicis Justiniani (*l*) Legibus comprobat Glossa (*m*).

(*l*) Leg. Eos, Leg. Exemp. 0, & Leg. Nullius cod de decurion.
(*m*) Glossa in Can. Dicat. 9. 32. q. 4 v. Nos sanguinis.

CASUS II.

HASSAN, Turca, duos habet apud se servos Christianos, quos emit; illos vetat Religionem suam exercere, ac præsertim Confessionis, & Eucharistiæ liberum usum illis adimit: Et cum aliquis eorum in hoc ipsi non obtemperasset, eo progressus est; ut eos ictibus & plagis pessime acceperit. Antonius unus ex illis male sic habitis, petit, an non censeri debeat solutus ab obligatione Confessionis annuæ ac Communionis Paschalis; vel an non possit eo casu Domini sui domum desugere?

RESPONS.

S. Antoninus (*n*) Domini & servi obligationem mutuam expendens, docet, juxta Scripturam Sacram (*o*), & Sacros Canones (*p*), Mancipia teneri Dominis suis in omnibus obedire, iis exceptis, quæ Dei Lege, vel ab Ecclesiæ, cui addicta sunt, Legibus prohibentur. *Sed in rebus illicitis nullo modo obedire debet* (servus) *nec etiam minis vel verberibus coactus*; quod S. Hieronymi auctoritate comprobat, quæ in Canone Decreti Gratiani illata legitur (*q*): *Debent autem servare Dei mandata, & Ecclesiæ, sicut & cæteri*, addit Sanctus ille, *si salvari desiderant, unde Confessionem facere, ac Communionem sumere tempore debito.*

(*n*) S. Anton. tit. 3. cap. 6. § 7.
(*o*) 1. Tim. 6.
(*p*) Canon. Si quis 17. q. 2.
(*q*) S. Hieron. in Can. Existimant. 54. et. q. 3.

Antonius igitur non solutus est ab obligatione Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis, teneturque bis officiis fungi si possit, licet plagis male acceptus fuerit, & minis adhuc terreatur. Ac revera, quemadmodum Dominus quilibet citra inhumanitatem impedire non potest, quominus Mancipia sua comedant, bibant ac dormiant, quantum exigit vitæ necessitas; quomodo posset absque impietate impedire, quominus Religionis Christianæ actiones peragat Antonius, cum æternæ

ipsius

ipsius salutis intersit? Unde concludendum est, quod si Antonius Religionis suæ officiis fungi nullatenus possit; dum Hassanis servus permanserit, potest absque reatu & peccato libertatem suam fuga quærere.

CASUS III.

PONTIUS, equitum Centurio in Imperatoris exercitu, dum esset Temisvvari, a Flavio duo emit Mancipia, Judæum alterum, alterum Turcum. Post mensem elapsum, ambo Mancipia Religionem Christianam amplexa sunt. An eadem libertatem suam consecuta sunt?

RESPONS.

Ea est S. Antonini sententia, hujusmodi Mancipia Religionis Christianæ professione a servitute non liberari (a): *Si autem Christianus emit Judæum vel Paganum, si velit effici Christianus, non propterea efficitur liber. Unde & vendi potest sicut prius.* Sic loquitur Sanctus ille Archiepiscopus, qui addit, id tamen emptoris charitate dignum fore, si eo casu in libertatem hoc mancipium vindicet, præsertim postquam ab eo per aliquod tempus æquum servitium acceperit, licet ad id summo jure non teneatur. *Quamvis pium esset liberum facere, præcipue post certum tempus servitii.* Unde concludimus, ex charitate ad id Pontium impelli debere, ut ambos suos servos in libertatem vindicet, quandoquidem ad Fidem Christianam conversi sunt. Ad id tamen ex jure eum non teneri.

(a) S. Anton. 3. p. tit. 3. c. 6. §. 5.

Hæc Sanctus circa illud observat, quod si qui hujusmodi Mancipia emit, ignoraverit quænam fuerit eorum Religio: ac deinceps agnoverit servos illos jam Christianos fuisse, cum illos emit, tenebitur ex Religione eos in plenam libertatem vindicare, absque Redemptionis pretio, salvo ipsius jure ad venditorem recurrendi, ut ab eo pretium, quod pependit, repetat. Ratio est, quod ipsi licitum non fuerit Christianum emere, ejusque venditor nullum jus habuerit ipsum vendendi. *Sed si emit eum, qui a principio suæ venditionis primæ erat Christianus, quamvis ignoraverit emptor, reputans fuisse Saracenum, & hujusmodi, cum non potuerit vendi, nec iste potuit etiam emere; & ideo sine pretio debet eum liberum dimittere, & pretium a venditore repetere, si potest.*

CASUS IV.

Cælius servus, pertinens ad Societatem negotiatorum in Africa mercaturam facientium, & ibi Mancipia ementium, ut ea in Deruvia vendant; Cælius, inquam, cum esset Parisiis, apud Gabinium virum auctoritate pollentem se recipit, ejusque protectionem rogat, ut a servitute, quæ in Gallia in usu non est, se liberet: An Gabinius sine injustitia protectionem suam illi concedere potest, eum clam mittens in prædium quod in Provincia habet, aut quamdam aliam adhibens viam, qua illum Dominis suis subducat? Si Cælius in bello ab Infidelibus in servitutem datus fuerit, an Gabinius Cælii fugæ favere posset, si his locis præsens adesset, & id exequi valeret?

RESPONS.

Gabinius non potest sine labe conscientiæ protectionem suam Cælio concedere cum damno Negotiatorum qui illum in Africa emerunt. 1. Si ipse libertatem suam vendiderit. 2. Si natus sit ex Matre serva in Regione ubi servitus in usu est. 3. Vel si sit servus, quoniam hac pœna jure damnatus fuit, ob crimen admissum. Quod secundum casum spectat, sunt quidam Auctores, veluti Sylvester de Prierio, & Navarrus, qui existimant eos, qui in servitutem dati sunt in bello justo, non posse fuga libertatem suam quærere. Huic opinioni favebant Leges Romanæ. *Servum fugitivum sui furtum facere, & ideo non habere locum, nec usucapionem, nec longi temporis præscriptionem, manifestum est; ne servorum fuga Dominis suis ex quacunque causa fiat damnosa.* Sic loquitur Lex quædam Codicis Justiniani (b). Alia Lex quæ est Imperatoris Constantini (c) dicit præterea: *Si fugitivi servi deprehendantur apud Barbaros transeuntes; aut pede amputato debilitentur, aut metallo damnentur, aut qualibet alia pœna afficiantur.*

(b) Leg. Servum. 1. Cod. de servis fugitiv. l. 6. t. 1.

(c) L. Si fugitivi. 3. cod. cod. tit.

Auctores, quos mox laudavimus, addunt sententiam suam consentaneam esse Doctrinæ Concilii Gangrensis, in Decreto Gratiani prolatæ (d): hujus hæc sunt verba: *Si quis servum alienum occasione Religionis, docet Dominum suum contemnere, & ejus ministerium destituere: ac non potius docuerit eum suo Domino bona fide, & cum omni honorificentia deservire, anathema sit.* Cui consentaneus est alius Canon excerptus ex quodam Concilio sub sæculi sexti finem habito (e), qui Canon his verbis enuntiatur: *Si quis servum alienum causa Religionis doceat contemnere Dominum suum, & recedere a servitio ejus durissime in omnibus arguatur.*

(d) Concil. Gangrens. in can. Si quis 38. 17. q. 4.

(e) Canon. Si quis 38. ib.

Sententiæ illi adversantur tamen Auctores alii, cum Theologi, tum Juris Canonici periti, nempe Dominicus Soto, Bannes, & Diego Covarruviás, a Leyva, qui contendunt, servos bello quantumvis justo captos, libertatem suam fuga quærere posse, eo consilio ut in Patriam revertantur, modo id possint nulla adhibita vi in Dominos, ac ideo quemlibet posse illos protegere, & illorum fugæ favere. Illa sententia nititur: 1. his Justiniani verbis (f): *Ea quæ ex hostibus capimus Jure Gentium statim nostra fiunt: ut & liberi homines in servitutem nostram deducantur, qui tamen si evaserint nostram potestatem, & ad suos reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.* 2. Nititur Lege quæ dicit (g). *Postliminium est jus amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ inter nos ac liberos populos Regesque, moribus ac legibus constitutum; nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere; idque naturali æquitate introductum est, ut qui per injuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines suos rediisset, pristinum jus suum reciperet.*

(f) §. Item ea 17. Instit. de rerum divisione l. 2. tit. 1.

(g) L. Postliminium 19. ff. de capt. & de postliminio &c. l. 49. t. 15.

Ultima hæc sententia æquitati naturali magis consentanea videtur quam adversa sententia: si enim verum sit, servitutem, bello justo ortam, ex jure Gentium constitutam fuisse, illud ipsum Jus permittit libertatem amissam recipere in Patriam redeundo. Et dici potest, Leges, quibus Sylvester ac Navarrus nituntur, optime explicari posse de Mancipiis, quæ aufugiunt eo consilio ut aliis Dominis semet vendant, cum detrimento illorum ad quos legitime pertinent, non vero de Mancipiis, quæ aufugiunt solummodo, ut libertatem perditam recipiant, & domum revertantur. Fatendum igitur est, eo casu, Gabinium posse absque peccato Cælii fugæ favere, si bello captivus factus fuerit.

Ceterum, cum dicimus, in aliis casibus, de quibus locuti sumus, Mancipiorum fugæ neminem legitime favere posse, mens nostra non est in hac regula generali servos Christianos complecti, qui in potestate Ethnicorum, Infidelium, aut Hæreticorum versantes, ad fidem suam abnegandam, aut aliquod crimen admittendum sollicitarentur. Cum enim salus ceteris omnibus anteponenda sit, non solum licet, sed etiam ex præcepto charitatis tenemur proximum in eo juvare, ut e periculo, in quo hoc respectu degit, emergat, ideoque protegere tenemur servum qui est in hujusmodi periculo.

MAR-

MARTYRIUM.

(a) Polman. p. 2. n. 1054. MARTYRIUM his verbis definitur (a): *Martyrium est actus fortitudinis, & testimonium* (externum) *veritatis fidei, alteriusve veræ virtutis per tolerantiam mortis.*

Hæc verba: *alteriusve veræ virtutis*, denotant, quempiam Martyrii coronam promereri posse, non solum si moriatur; ut alicujus fidei articuli veritatem defendat; sed etiam si vitam amittat, ut se castum vel cuipiam alteri virtuti addictum se conservet; modo virtutem illam excitet charitas, sine qua virtutis illius nomen non mereretur.

Præter Martyrium perfectum, & non consummatum morte illius, qui illud patitur, hoc nomen etiam tribuitur Martyrio quod vocatur *incompletum & inchoatum*: hoc est, quin mors consequatur, sive illam impediat Deus miraculo summæ suæ potentiæ, sive non satis sævi sint cruciatus ut eos perpetienti mortem afferant.

Quod infantes & ab ortu dementes spectat, satis est ut veri sint Martyres si mors ipsi infligatur piæ odio Religionis Christianæ: In hoc ab adultis & ratione utentibus differunt, qui Martyrium nomen mereri non possunt, nisi sponte, & non repugnanter adeant mortem, quæ ipsis in odium Christi, vel ejus Doctrinæ infligitur; & nisi sint in statu gratiæ ipso mortis momento, (b) Hebr. 11. 6. habeantque Fidem, & Charitatem, juxta hæc Apostoli verba (b): *Sine Fide impossibile est placere Deo*: juxtaque alia ista: *Si tradidero corpus meum, ita ut ar-* (c) 1. Cor. 13. 3. *deam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (c).

Martyrium aliquando potest esse ex præcepto, prout docet Sanctus Thomas (d). Veluti cum necesse est id perpeti, ad fidem defendendam, aut ad (d) S. Thom. quodlibet 4. q. 10. art. 20. peccatum mortale vitandum.

CASUS PRIMUS.

QUÆSTIO proposita est in cœtu quodam, ubi quidsm prætenderunt, nullum esse casum quo Martyrium necessarium sit necessitate salutis. Cæcilius, qui præsens sderat, defendit econtrs, multos ejusmodi extare casus. Hac de re petitur, num recte sentiat Cæcilius.

RESPONS.

Recte sentit proculdubio. Nullum enim est dubium, quin sint casus quidam peculiares, in quibus Christianus lub pœna peccati murtalis tene- (e) S. Thom. quodl. 4. art. 20. in corp. Item 2. q. 124. art. 1. ad 3. & art. 3. ad 1. tur Msrtyrium perpeti; veluti cum versatur inter Infideles, aut in regiune hæretica, & ex judiciorum formulis interrogatur de Religione quam profitetur. Tunc enim tenetur sub pœna damnationis, veram fidem aperte profiteri, licet pro certo habeat, se fidem profiteri non posse, quin vitam perdat. Idem etiam dicendum est de occasiune in qus quis necessario induceretur ad peccatum mortale admittendum, vel mortem patiendam: ea est S. Thomæ Doctrina (e): " Aliquid cadit lub præ„ cepto dupliciter, *inquit*, uno modo absulute; (f) Idem in 4. dist. 39. qu 5. art. 3. quæst. 2. ad 2. „ alio modo, secundum animi præparatiunem .... „ & per hunc, *secundum*, modum sustinere Mar„ tyrium propter Christum, cadit sub præcepto: „ quia scilicet homo debet habere animum para„ tum, ut prius permitteret se occidi, quam Chri„ stum negaret, vel mortaliter peccaret. *Et iterum* „ *alibi* (f): Sustinere mortem propter Christum, „ quantum est de se, est opus supererogationis. „ Non enim quilibet tenetur fidem suain coram „ persecuture profiteri, sed in casu est de necessi„ tare salutis, quando scilicet aliquis, a perse„ cutore deprehensus, de fide sua requiritur, quam „ confiteri tenetur ".

CASUS II.

MAXIMUS, Presbyter Evangelii præco in Regno Tunkin missus, cum Martyrii desiderio flagraret, in animo hsbet fidei hostes ad id incitare ut propter Christum mortem ipsi infligant. An id potest salva conscientia?

RESPONS.

S. Thomæ sententia est (g) id ipsi non licere: (g) S. Thom. 2. q. 124. a. 1. ad 3. c. quia sic Ethnicos ad crimen patrandum incitaret; quod nemini unquam licet. Hæc lunt Sancti illius Doctoris hac de quæstione verba: " Non au„ tem debet homo occasionem dare alteri injuste „ agendi; sed si alius injuste egerit; ipse mode„ rate tolerare debet *Martyrium* ".

CASUS III.

MARCULFIUS, Presbyter Evangelii præco in Regnum Siam missus ea est mente, ut si intra Carnificum Ethnicorum manus versaretur, instsnte momento quo Martyrium passurus est mortem suam approperet, se ipsum projiciens in ignem sibi ad supplicium ptæparatum, vel se præcipitem det, quod quidam Sancti Martyres fecerunt; ad lougiores cruciatus vitandos. An id posset agere sine peccatu?

RESPONS.

Verum quidem est Histor. Ecclesiasticam nobis quædam suppeditare exempla Sanctorum: zelus eo progressus est, ut sic Carnificum rabiem antevertetent, Ecclesiamque illos tanquam veros Martyres agnoscere. Imo præ manibus habemus Epistolam, qusm S. Ignat. Ep. Antiochenus scripsit (h) (h) S. Ignat. Ep. ad Rom. ad fideles Romanos, paulo antequam Martyrium pateretur, in qua eos his verbis alloquitur: " Uti„ nam frusr bestiis, quæ mihi sunt præparatæ; „ & oro mihi veloces esse ad interitum, & allici „ ad comedendum me.... quod si venire nolue„ rint; ego me urgebo, ut devocer ".

Dicendum tamen est cum S. Augustino (i) (i) S. Aug. l. 1. de civit. Dei. S. Th. in 4. dist. 49 q. 5. art. 3. quæstiunc. 2. ad 2. a S. Thoma laudato, nemini licere mortem sibi consciscere; ac ideo Sanctos, quorum exempla afferuntur, a Spiritu Sancto impulsos fuisse, ut Carnifices suos anteverterent, cum ad veri Dei gloriam, tum ad fideles, ipsorum Martyrii te-

stes,

ftes, in fide Chriſtiana magis confirmarent. *Secundum Auguſtinum in 1. de Civitate Dei*, ait Doctor Angelicus, *nulli licitum eſt, ſibi manus injicere, quacumque ex cauſa; niſi forte ex divino inſtinctu fiat ad exemplum fortitudinis oſtendendum, ut mors contemnatur. Illi autem de quibus eſt objectum, divino inſtinctu mortem ſibi intuliſſe creduntur; & propter hoc eorum martyria Eccleſia celebrat*. Unde concludendum eſt Marcuſium, de quo agitur in caſu ſuperius allato, non ſine peccati labe mortem ſibi accelerare, eo caſu de quo agitur, niſi ad id certiſſime impulſus eſſet ab ipſo Spiritu Sancto, quod facile conjici non debet.

MATRIMONIUM. I. (*ſub Conditione.*)

DEUS ab initio mundi Matrimonii Auctor eſſe voluit, cum illud inter primum hominem ac primam mulierem, Adamum & Evam, conſtituerit, veluti amoris & ſocietatis vinculum, ut humani Generis multiplicationi inſerviret generationis ope; & ut eſſet poſt peccatum, remedium ſalutiferum carnis concupiſcentiæ, quæ hoc auxilio intra juſtos limites coercetur.

Non hoc tamen fuit unicum Dei conſilium. Aliud ab omni æternitate inſverat longe nobilius, ac momentoſius ſcilicet, de communione ac fœdere quod tempore ab ipſius infinita ſua ſapientia definito pacturus, inter Chriſtum Filium ſuum & Eccleſiam; voluitque illud primo illo matrimonio corporeo repræſentare & adumbrare.

Utrumque illud Matrimonium non alium quidem finem habebat præter filiorum generationem: ſed cum hoc diſcrimine, ſcilicet Adam & Evæ Matrimonium, qui hoc poſt peccatum ſolummodo uſi ſunt, filios tantum libidinoſos procreaturum erat; at filii qui ex Chriſti & Eccleſiæ Myſtico Matrimonio naſcendi erunt, ſpirituales futuri erant, filii gratiæ, filii adoptionis, & filii Dei ope Baptiſmi Hanc in rem S. Auguſtinus ait (*a*), *duo Parentes nos genuerunt ad mortem; duo Parentes nos genuerunt ad vitam*. Adamus & Eva nos genuerunt ad mortem; Jeſus Chriſtus & Eccleſia nos genuerunt ad vitam. En illud ſanctum fœdus quod Deus ex miſericordia ſua ante mundum conditum pangere decreverat, prout loquitur S. Paulus (*b*).

(*a*) S. Auguſt. ſerm. 203. c. 10.

(*b*) Epheſ. 1. 4. & tit. 1. 2.

Chriſtianorum Matrimonium hoc habet commune cum Judæorum ac Gentilium Matrimonio, quod ab utriſque pariter conſideretur tanquam fœdus & conjunctio legitima hominis & mulieris, quæ non tam conſiſtit in corporum copulatione, quam in animorum, cordis & voluntatis concordia.

Matrimonii finis eſt procreare liberos, & mutuam ſovere amicitiam ac concordiam, affinitate quæ contrahitur cum variis familiis, quæ antea tanquam extraneæ, vel ſaltem indifferentes ſpectabantur. Vel ſolum lumen naturale ita notam fecit veritatem illam Gentibus infidelibus, ut ſemper Matrimonium ſub idea rei ſanctæ ac utilis ſpectaverint; & ſemper Legum ſuarum ſeveritate Matrimonii violatores punivérint.

Conjunctionem conjugalem longe majori veneratione proſequebantur Judæi quam Gentiles, duas ob rationes. Prima; quia noverant, Meſſiam naſciturum ex poſteritate Patriarchæ Abrahami, cujus erant poſteri. Secunda: quia eorum unuſquiſque ſperabat, poſſe fieri, fore ut ex ipſius familia naſceretur Meſſias. Idcirco non ſolum libenter Matrimonio ſibi conjungebant fœminam, ſed etiam multas ducebant uxores prædeſiderio majorem liberorum numerum procreandi. Quapropter S. Auguſtinus dixit (*c*), quod ſic agebant Judæi, *non victi libidine, ſed ducti pietate.*

(*c*) S. Aug. de bono conjugali c. 25.

Matrimonium Chriſtianum longe ſanctius & excellentius eſt quam cetera omnia. 1. Quia Polygamiam in quolibet caſu nunquam patitur, cum Jeſus Chriſtus illam prohibuerit, & conjunctionem conjugalem ad primæ inſtitutionis formam revocaverit, quæ hæc eſt, *erunt duo in carne una*. 2 Quia vetum eſt novæ Legis Sacramentum, & eo reſpectu fons eſt gratiarum abundantium iis omnibus, quos ad id vocat Deus, cum ad id non accedunt, niſi ſanctis imbuti animi affectionibus, ipſis neceſſariis ut mereantur Deum gratias illas ipſis concedere. 3 Denique, quia ejus vinculum conſummatione ita indiſſolubile fit, ut nunquam diſſolvi poſſit, niſi morte Conjugis qui primus obierit: Divortium enim alterutrius partis adulterii cauſa, vel ob quamlibet aliam rationem vinculum tam ſanctum ac inviolatum diſrumpere non valet.

Non immorabimur in probanda Sacramenti illius veritate, quia innumeri celeberrimi Theologi jam hoc in dogmaticis ſuis operibus ratione ita ſolida perſecerunt, ut argumentum iſtud plenius ac copioſiſſime tractaverint. Aliquid tamen de Matrimonii Chriſtiani ſanctitate & excellentia dicere prætermittere non debemus.

Viri cum uxore conjunctio, quæ exteriure indigitatur actione, qua ſibi invi-

cem manum tradunt; mutua insuper donatio suæ personæ, quam postea sibi invicem largiuntur, cum solemni promisso fidem intemeratam sibi invicem servandi per totam vitam, postulant præterea ut Deus eorum concordiam sanctificet, ipsis gratiam suam impertiendo; conjunctionem illam ratam faciat, & illi benedicat, quod Sacerdotis Ministerio exequitur Deus: Ex eo enim solo fit ut Conjugum conjunctio sancta evadat, ac, sicuti modo dicebamus, Matrimonium post consummationem ita indissolubile evadat, ut nulla omnino (a) Matth. 10. v. 5. & 6. causa disrumpi possit. Id dicit Jesus Christus ipse in Evangelio S. Matthæi (a), alloquens Pharisæos ipsum interrogantes eo consilio, ut eum deprehenderent in responso quod ab eo expectabant: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: propter hoc, dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ verba pariter probant firmitatem semper stantem & indissolubilem conjunctionis, ut & gratiam quæ conjunctionem illam comitatur; significant quoque hæc verba, Deum Matrimonii auctorem esse, ut & ceterorum omnium Ecclesiæ Sacramentorum.

Ilio etiam respectu Matrimonium spectarunt prisci omnes Justi sub Lege naturæ, & sub Lege Judaica, ut evidenter patet ex eorum agendi ratione in omnibus suis Matrimoniis, ac præsertim ex Abrahami agendi ratione circa Isaaci, filii sui, Ma- (b) Genes. 24. (c) Tob. c. 7. v. 5. & 9. (d) Prov. c. 10. (e) Ecclesiast. (f) Ephes. 5. 26. trimonium (b); ut & Tobiæ (c), ac ex verbis Salomonis (d), & Auctoris Libri Ecclesiastici (e).

Sed ut ea quæ mox diximus confirmemus, attendamus solummodo ad modum quo S. Paulus mentem suam explicat cum ad Ephesios scribit (f): En præceptum quod Conjugibus tradit: *Mulieres viris subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit: Sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus Corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quamvis locus iste sit longior, credidimus tamen hunc totum nos laudare debuisse. 1. Quia veritates & officia continet, quæ omnes tenere debent, præsertim vero Conjuges, aut qui Matrimonio jungi consilium iniverunt, ut persuasam habeant Sacramenti illius excellentiam & sanctitatem. 2. Quia paucis complectitur quod jam de Matrimonio diximus maxime momentosum.

1. Matrimonium considerari potest solummodo tanquam merus Contractus civilis, qualis est Matrimonium Infidelium & Ethnicorum. En definitio quæ ipsi competit, si sub hac notione consideretur. *Matrimonium est contractus, quo legitimæ per-* (g) Polman. p. 3. n. 474. *sonæ corporum suorum Dominium mutuo tradunt & accipiunt* (g). Duæ istæ voces, *legitimæ personæ*, denotant illos solos, qui habiles sunt ad contrahendum, posse sibi mutuo dare corporum suorum Dominium *ad usum conjugalem*, de quo agitur in hac definitione. Sic pater & ejus filia, frater & ejus soror nunquam possunt hoc Dominium sibi dare.

2. Matrimonium tanquam Sacramentum considerari potest & quoad vinculum, vel obligationem, quæ ex contractu oritur, quale est Matrimonium Christianum; quod, quoniam est Symbolum conjunctionis hypostaticæ Naturæ divinæ cum Natura humana in Persona Jesu Christi, & conjunctionis ejusdem Salvatoris cum Ecclesia, est indissolubile. En quomodo Theologi illud definiunt respectu secundæ istius notionis. *Matrimonium est legitima Maris & Fœminæ conjunctio, individuam vitæ socie-* (h) Polman. ib. *tatem retinens* (h). Vel magis proprie: *est novæ Legis sacramentum, quo vir & mulier baptizati, corporum suorum Dominium mutuo tradunt & accipiunt*: quod intelligi debet, *secundum præscriptum Legum Divinarum & humanarum*, & *quoad usum conjugalem*.

Matrimonium dividitur in *ratum*, ut vocant, hoc est, quod legitime a partibus contractum fuit, & ab Ecclesia ratum factum est; & in *consummatum*, quod scilicet ultimam suam perfectionem habuit, cum illo usi sunt Conjuges.

Prioris vinculum dissolvi nequit nisi in unico casu, nimirum professionis solemnis Religionis, ad differentiam posterioris quod, ut ostendimus, nullum dissolutionis casum admittit.

CA-

CASUS PRIMUS.

THarrastus & Mævia Matrimonium pacti sunt sub coodicione. An legitimum est hoc Matrimonium a Concilio Tridentino?

RESPONS.

Antequam quæstioni propositæ respondeam, distinguendæ sunt cum S. Thoma (*a*) variæ conditioues sub quibus Matrimonium assensu suo comprobare aliquis potest. Id enim fieri potest sub conditione licita & honesta, hac verbi gratia: *Si Patri meo gratum & acceptum sit; si autem fiat dicta promissio sub conditione*, inquit Doctor Angelicus, de sponsalibus loquens, *Distinguendum est, quia aut est honesta, ut cum dicitur: accipiam te, si parentibus placet*. Possunt etiam contrahere sub conditione illicita bonisque moribus contraria; & quidem duobus modis. 1. Cum conditio illa tendit ad destruendam Matrimonii substantiam; hoc est, unum ex tribus bonis Matrimonio essentialibus, quæ sunt nimirum *Proles, Fides, & Sacramentum*, quod Matrimonium indissolubile facit. 2. Cum conditio contraria non est tribus hisce bonorum generibus, sed si alia de „ causa sit illicita. „ Aut est inhonesta, *addit S.* „ *Thomas*, & hoc dupliciter quia, aut est contra„ ria boois Matrimooii; ut si dicam, accipiam „ te, si venena sterilitatis procures... aut non est „ contraria bonis Matrimonii, ut si dicam: ac„ cipiam te, si furtis meis consentias.

(*a*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. in corp.

Hoc jam supposito, dicimus, 1. quod si conditio sit res honesta & licita, Contractus effectum cobibec vel suspendit, cum ab utraque parte coram Presbytero ac testibus enunciata est, & antequam adimpleta illa non destiterint, prout patet ex Alexandri III. Decretali ad Archiepiscopum Panormitanum data (*b*), & ex alia quæ est Urbani III. (*c*). Dicimus, *& qua non destiterint*, liberum enim est ambobus paciscentibus conditioni appositæ renuntiare.

2. Dicimus Matrimonium quod pactum est sub conditione esse irritum, si conditio tendat ad destruendam Matrimonii substantiam; hoc est unum ex tribus bonis matrimonio essentialibus. Eo enim casu, non iis est illud consilium quod necessarium est ut validum sit Sacramentum. „ In Sacramentis „ potest esse duplex intentio, *ait S. Thomas* (*d*). „ prima est intentio constituendi sacramentum. „ Secunda est intentio sacramento utendi. Prima „ intentio est de necessitate sacramenti. Unde per „ ejus defectum sacramentum impeditur .... se„ cunda vero intentio consequitur sacramentum; „ Uode defectus ejus sacramentum non tollit .... „ Turpitudo ergo causæ, si contrarietur essentiæ „ Matrimonii, Matrimonium tollit: quia remo„ vet primam intentionem.

(*b*) Alex. III. in cit. ſu illis 7. de condit. appositis in Desponsationibus l. 4. tit. 5.
(*c*) Urb. III. in cap. Super eo. 3. cod. tit.
(*d*) S. Th. in 4. ad Hannibal. dum dist. 26. q. un. art. 9. in corp.

Sed si conditio, sub qua paciscuntur, tribus bonis Matrimonio essentialibus contraria non sit, Cootractum irritum noo reddit, licet, cum alia de causa sit illicita, sine crimine adimpleri non possit. *Et tunc stat promissio: sed tollenda est conditio*, ait adhuc idem Doctor Angelicus (*e*). Ita ut ejusmodi conditio spectanda sit, quasi enunciata non fuisset, ut spectantur conditiones de re impossibili. *Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi*, inquit Gregorius IX. (*f*): Quod nititur ejusdem Papæ effato (*g*): *Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de jure, vel de facto nullam obligationem inducit*.

(*e*) Idem in 4. cit. q. 27. q. 2. art. 2. in corp.
(*f*) Greg. IX. in c. Si conditiones. fin. de condit. apposit. &c.
(*g*) Idem in c. Pactiones fin. de pactis l. 3. tit. 35.

Ex iis quæ jam diximus sequitur, 1. Quod si Tbarrasius & Mævia matrimonium pacti sint, *per verba de præsenti*, sub conditione honesta & licita; mutuum eorum promissum eos invicem obligaverit, & matrimonium eorum integrum habuerit effectum statim atque conditio adimpleta fuit. 2. Si vero conditio illa cuipiam ex tribus bonis matrimonio essentialibus contraria fuerit, eorum matrimonium irritum est. 3. Denique si conditio sub qua pacti sunt sit contra bonos mores, quin tamen ad matrimonii substantiam destruendam tendat, legitimus est Contractus; modo insuper fuerit juxta formulas ab Ecclesia præscriptas, licet graviter peccaverint sub tali conditione paciscendo.

CASUS II

ANATOLIANUS Mariam duxit uxorem ea coodicione: *Te uxorem duco, si pater meus assentiatur*. Pater huic matrimonio postea intercessit: sed postquam supra sex menses in illa intercessione perstiterit, tandem filii sui precibus adductus assensum suum dedit. An legitimum est eo casu Matrimonium?

RESPONS.

Videtur dubitandum non esse, quin matrimonium illud sit legitimum; modo tempore quo Anatoliani Pater intercessit, Maria consensum suum non revocaverit, & perstiterit, ut & Anatolianus. Hæc est Navarri (*b*) & quampluriam aliorum celebrium Auctorum sententia. „ Simul atque consen„ serit Pater, matrimonium esse incipit, *inquit do*„ *ctus ille Pœnitentiarius Romanus*, si contrahentes „ ad ejus usque consensum in illa voluntate perma„ neant; magnæ tamen quæstionis est, an con„ firmetur per consensum ejus, quando semel con„ tradixerit, præstitum; verius tamen videtur, „ confirmari, si quousque ille consentiat, contra„ hentium consensus duret: alias, non, juxta „ Cardinalem in dicto Cap. *super eo* & Sylvestrum. „ v. *Matrimonium* 3. q. 4.

(*b*) Navarr. man. c. 22. n. 63.

Quicquid tamen dixerint quidam Summistæ, necessarium videtur, eo casu, perfectionem conditionis illius fieri coram sacerdote ac testibus, ut matrimonii veritatem perfecte noscant. Ratio est, quoniam juxta Concilium Tridentinum, est de matrimonii essentia, ut adsit sacerdos cum duobus tribusve testibus; Ecclesia nimirum hac via impedire voluit ne publice secundam matrimonium contraheretur damno prioris quod clandestinum erat. Concilium autem proposito, decidisset si Sacerdoti ac testibus nota non esset conditionis perfectio; quandoquidem testari non possent matrimonium ratum esse; nec impedire quominus Anatolianus aliam ducat uxorem Mariæ uxoris suæ legitimæ damno. Necessarium est igitur; aut eos præsentes esse, quando pater assentitur; aut saltem hoc aliunde certissime noverint.

CASUS III.

Si in casu præcedente Anatoliani pater sileat nec intercedat; neque etiam consentiat; An ratum est matrimonium?

RESPONS.

Existimamus matrimooium esse validam, si ex silentio Patris recte ac merito inferri possit, eum non intercedere: quia, ut ait Bonifacius VIII. in una ex suis Juris regulis (*i*) silentium habetur consensus, cum illius qui silet interest loqui, sicut in casu proposito, *qui tacet consentire videatur*: idque cognosci potest, scilicet si Pater indifferens videatur circa matrimonium quod pactus est ejus filius, & de ejus agendi ratione non queratur. Sed si contrarium pateat, ansa est existimandi, Patrem tacere solummodo quia matrimonio non assentitur, juxta istam aliam ejusdem Papæ regulam: *Is qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur*. Unde concludendum est, tale matrimonium conditionale semper remanere, docet Pater voluntatem suam notam fecerit. In ea sunt sententia & Navarrus (*k*) & Sylvester de Prierio quem laudat. Illorum Auctorum prior sic loquitur: „ Nobis placet opinio Sylvestri qua„ tenus ait confirmari (*Matrimonium*) si per signa „ colligitur, eum tacere, eo quod ei placeat; & „ infirmari, si colligitur, tacere eo quod displiceat: „ non autem quatenus ait censendum ideo in du„ bio tacere, quod placeat, quia id videtur esse „ contra regulam; „ is qui tacet non fatetur, &c.

(*i*) Reg. 44. de reg. juris in 6.
(*k*) Navarr. man. cit. cap. 22. n. 64. Et apud eum Sylvester v. Matrimon. 3. q. 4.

CASUS IV.

Si Mævius Matrimonium contrahat ea conditiooe ut assentiatur ejus Pater: an ratum est matrimonium, si tunc noverit Patrem suum mortuum esse?

RESPONS.

Si dum ea conditione paciscebatur Mævius, interius & modo absoluto Matrimonio assensus fuerit, non dubium est quin Matrimonium ratum sit; & Contractus effectus tali conditione nullatenus suspendatur. Ratio est, quod referenda sit in numerum conditionum impossibilium; quandoquidem mortuus Matrimonio cuipiam assentiri non potest. Conditioni autem impossibili nullus respectus haberi debet; quæ ideo considerari debet tanquam non apposita in Contractu, ut asserit Gregorius IX in una ex suis Decretalibus, quam in prima decisione jam attulimus (a): In ista decisione sententiam sequimur Cardinalis Toleti, Navarri, & Sylvestri Mozolini (b), qui laudat Joannem Andream, celebrem Jurisperitum, & Canonistam Bononiensem: *Joannes Andreas distinguit*, ait Sylvester, *quia si ipse sciebat Patrem suum esse mortuum; ista conditio habetur pro impossibili & non adjecta: unde tenet Matrimonium.* Quod probat ex eadem Decretali Gregorii IV. ac postea addit Auctor ille, quod si qui in casu Mævii versatur ignoraverit Patrem suum mortuum esse; & in mente non habuerit revera pacisci, *de præsenti*; sed Matrimonio solummodo assentiri eo casu, si Pater ipsius assensum dederit, Matrimonium irritum est. *Si vero hoc ignorabat*, addit, *cum animus suus non esset contrahere de præsenti, sed suum arbitrium conferre in alienum, non est Matrimonium.* Hisce Auctoribus addere etiam possumus Baptistam Trovamalam, Auctorem summæ cui titulus est, *Rosella* (c).

(a) Greg. IX. in c. Si conditiones de condit. appositis. &c.

(b) Card. Tolet. Instruct. Sac. l. 7. c. 17. Martinus ab Azpilcueta Doctor Navarr. man. c. 21. 64. cit. Sylvester de Prier. v. Matrimonium. 3. q. 4. cit.

(c) Rosella v. Matrimonium 3. 8.

CASUS VI.

Cum Balduinus Cæciliam duxit, ipsi denunciavit illa, se Matrimonium inire cum illo ea tantum conditione, & quidem expressa, ut ipsa per totam vitam virginitatem servaret; & quoniam Balduinus spopondit, se huic conditioni assentiri, ipsaque assensum hac solummodo conditione dedit: „ Balduine, Matrimonium tecum pacisci, assentior, verbo de præsenti, & formula ab Ecclesia præscripta, ea conditione ut mecum vivas, „ tanquam cum sorore tua, prout mihi spopondisti; si vero hanc voluntatem inducere non habeas, nullatenus animo intendo tecum contrahere, licet ore dicam me contrahere „. 1. An illud Matrimonium, hac conditione contractum, ratum est. 2. An ratum esset si ista alia conditione contraheretur; „ Tibi nubo, ea conditione ut „ voto te adstringas ad solemnia Religionis vota „ Deo quamprimum nuncupanda; vel ea conditione ut Matrimonii consummationem nunquam peragas, ut mihi spopondisti.

RESPONS.

Sunt Auctores qui affirment, Matrimonium duabus prioribus conditionibus contractum legitimum esse, quoniam, inquiunt, dominium mutuum, quod Conjuges in corpus alterius invicem habent, ab usu separari potest, & licet ejusmodi conditio contraria sit primo Matrimonii bono, nempe generationi prolis; Matrimonium tamen irritum non reddit, quia illi contraria non est modo injusto & illicito. Illi ipsi Auctores asserunt contra, conditionem tertiam Matrimonio contrariam esse modo illicito; sola enim solemnis votorum Religionis nuncupatio, aut votum nuncupatum cum assensu illius cui nubit, Conjugem vel sponsam liberare potest ab obligatione consummandi Matrimonii.

Credimus tamen validioribus niti rationibus eorum sententiam qui existimant, Matrimonium illud irritum esse, si aliqua ex tribus illis conditionibus contractum fuerit; conditio enim ut ut honesta sit, quæ contraria est iis quæ Matrimonio essentialia sunt, illud irritum reddit, ut probari potest ex Gregorio IX. (d) qui asserit indiscriminatim, quaslibet conditiones, quæ Matrimonii substantiam destruunt, illud irritum reddere, *Si conditiones cotra substantiam Matrimonii inserantur .... Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Hæc sunt Papæ illius verba. Ratio quæ reddi potest, hæc est, ut jam diximus, quoniam Matrimonium ratum esse non potest, sine tribus bonis, quæ S. Augustinus vocat, *Proles, Fides, Sacramentum*, saltem *quoad propositum*, ut loquitur Glossa in Decretalem jamjam laudatam, quæ id probat ex auctoritate S. Augustini laudati in Canone Decreti Gratiani (e) Conditiones autem in specie proposita expressæ, licet honestæ, æque contrariæ sunt his quæ Matrimonio essentialia sunt non secus ac conditiones quæ bonis moribus contrariæ sunt, & illicitæ, ac ideo nullum discrimen admitti potest eo respectu inter utrasque.

(d) Greg. IX. in c. Si conditiones. fin. de condit. appositis.

(e) S. Aug. l. 1. de nupt. & concupis. in Can. Omne 10. 27. q. 2.

Ea est sententia S. Thomæ (f) qui cum hanc quæstionem sibi proposuisset, nimirum an legitimum sit Matrimonium, cum contrahitur a muliere, quæ viro cui nubit, diceret: *Consentio in te sub conditione, quod non cognoscas me*, respondet his verbis: *Illa conditio explicita, non solum actui, sed potestati contrariatur carnalis copulæ, & ideo est contraria Matrimonio.* Quia vero objici potest Sanctam Virginem nupsisse S. Josepho solummodo sub simili tacita conditione; Sanctus ille Doctor huic objectioni duobus modis respondet, (g) dicendo, 1. Existimandum esse, Beatam Virginem votum virginitatis absolutum nuncupasse tantum post Matrimonium contractum, licet virginitatis desiderium antea conceperit, & votum illud nuncupasse una cum Josepho postquam ipsi nupsisset. *Mater Dei non creditur, antequam desponsaretur Joseph, absolute Virginitatem vovisse: sed licet eam in desiderio habuerit; super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit.* 2. Vel si antea votum illud nuncupaverit, dominium in suum corpus ipsi dedisse, certissime noscens eodem tempore revelatione divina, fore ut mandato Dei apertu Josephus dominio illo non uteretur: Eumque idem inivisse consilium, ac ipsam, Virginitatem servandi: sicque illam amittendi periculum non adivisse Josepho nubendo: Ita ut Matrimonio assentiens non cogitaverit de illo contrahendo conditione quæ illud irritum reddidisset. En Sancti Thomæ verba (h) *In simili proposito erat: & ideo non se commisit periculo nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit; quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum: talis enim conditio cum sit contra Matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, Matrimonium tolleret.* Et paulo post: (i) *Copula carnalis cecidit implicite sub consensu Beatæ Virginis, sicut actus implicite continetur in potentia ... Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito Beatæ Virginis; sed erat jam certificata, quod actus nunquam sequi deberet.* Ecce secunda Sancti illius Doctoris responsio. Prioris verba non profetimus, quia illam mutuatus est a S. Augustino, cujus hæc sunt verba (k) *Beata Maria ... subjecit se divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam Virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo. Postea vero Filium genuit: & quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterque in Virginitate permansit. Consensus ergo cohabitandi & individuam vitæ consuetudinem retinendi interveniens, eos Conjuges fecit.* Hugo de Sancto Victore, Albertus Magnus, & multi alii Theologi in eadem sunt sententia cum Joanne Damasceno, Andrea Cretensi, Metaphrasto & Cedreno (l).

(f) S. Th. in 4. dist. 28. q. un. art. 4. ad 5.

(g) Idem 3. part. summæ q. 28. art. 4.

(h) Idem in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. q. 2. ad 2.

(i) Ibid. ad 5.

(k) S. Aug. in Can. Beata. 3. 22. q. 2.

(l) Joan. Damasc. l. 4. de fid. orr. c. 15. Andr. Cret. Orat. de dormit. vit. Simeon Metaphrast. Orat. de orta virginis. Cedrenus in Compendio historia.

Operæ pretium est addere ad pleniorem explanationem, immerito dici istiusmodi conditiones matrimonium irritum non facere, quoniam usus separari potest a dominio quod Conjuges in sui invicem corpus habent. Illa enim ratio locum non habet nisi respectu voti simplicis castitatis, quo invito matrimonium legitime contrahi potest,

ut

ut hanc quæstionem decidit Alexander III. in illa suarum Decretalium, quam ad Episcopum Enoniensem (a), juxta Canonem quem mox laudavimus. At eodem modo ratiocinari non debemus de effectu istiusmodi conditionis: votum enim non destruit obligationem qua contrahentes se adstringunt ad Matrimonium consummandum, licet eos liberet ab exequenda illa obligatione: sed ejusmodi contraria est illi ipsi obligationi, quæ matrimonio essentialis est, non autem executio. Ea est etiam decisio Bonaventuræ, Panormitani, Adriani, Sylvestri Mozolini, Dominici Soto, Richardi de Mediavilla, Covarruviæ, Navarri, & innumerorum aliorum (b).

(a) Alex. III. in c. Commissum. 16. de spons. & matr. l. 4. tit. 1.

(b) S. Bonav. in 4. dist. 28. q. 6. Panorm. in cit. c. Commissum. Adrian. q. 9. Richard. de Mediavilla in 4. dist. 28. art. 1. q. 4. Didacus Covar. a Leiva. 2. part. de matrim. c. 3. §. 1. n. 5. Domin. Sotus. Navarr. & alii.

CASUS VI.

Tristanus Henricam quarto gradu cognatam suam duxit, ea conditione: *Si Papa nobis immunitates necessarias concesserit circa impedimentum dirimens quod intercedit inter nos:* An Matrimonium legitimum factum est post datas immunitates?

RESPONS.

Quidam Auctores, scilicet Pyrrhus Corradus, Boerius & Sanchea (c) affirmantium opinionem tuentur. Existimamus tamen ejusmodi Matrimonium ratum non fieri solummodo ob impetratas immunitates; sed necessarium esse Tristanum & Henricam iterum assensum suum dent post impetras immunitates. Ratio est, quia primus eorum consensus legitimus non fuit, nec ideo sufficiens, quandoquidem ad contrahendum inhabiles tunc erant. Ea est sententia Sylvestri Mozolini (d), qui opinionem contrariam, ab aliquot Auctoribus defensam, refutat. *Sed hæc non concludunt propositum, inquit .... Unde contrarium, scilicet quod non valeat sine novo consensu, tenet .. Innocentius & quidam alii; quia primus consensus erat omnino a jure reprobatus.* Quod multis Legibus, & Auctoritate quamplurium aliorum Canonistarum comprobat.

(c) Pyrrhus Corrad. prax dispens. Apostolic. l. 8. c. 5. n. 33. Th. Sanchea de matrim. disp. 3. n. 18. Boerius Decis. 413. n. 47.

(d) Sylvester de Prierio & Matrim. 3. q. 9. Et apud eum Card. Panor. in c. super eo de condit. appositis, & alii Leg. inter stipulantem §. sacram ff. de verbor. obligatione. Leg. continu. §. cum quis ff. eod. tit. Leg. apud ff. de Legatis 2.

CASUS VII.

Artemius Matrimonium contrahens cum Juliana assensum suum dedit solummodo ea conditione distincta *si te virginem invenero*. An matrimonium illud ratum est?

RESPONS.

Cum conditio illa sit anceps, & duobus sensibus differentibus intelligi possit, distinguendum est: Nam si per hæc verba Artemius significare voluerit, se solummodo ea conditione pacisci illam quam ducturus erat, cum virgo deprehenderetur inspectione quarumdam honestarum mulierum, matrimonium ratum factum est conditione adimplera, & perfecta; hoc est postquam Juliana Virgo agnita est ab illis mulieribus. Ratio est, quia conditio non est de re illicita: Et quia Artemius in mente habere potuit vitare Bigamiam in quam delaberetur si eam duceret quam sciret virginem non esse; vel vitare dedecus quo afficeretur, si veritas deinceps nota foret. Sed contra; si Artemius per hanc conditionem intellexerit, velle se ipsum Julianam probare *per copulam carnalem*, antequam illam uxorem suam agnoscat; ratum est matrimonium etiamsi adhibita fuerit illa conditio, quia bonis adversatur moribus, ac ideo nulla censeri debeat, & matrimonium considerari debet tanquam sine conditione contractum, juxta Gregorii IX. decisionem (e). Quod dicimus consentaneum est sententiæ Sylvestri, & aliorum Canonistarum quos laudat. En ipsius verba (f) *Cardinalis in dicto cap. Per tuas, dicit, quod si ista conditio:* Si te invenero virginem, *non referatur ad coitum, sed ad aspectum Matronarum non est turpis, sed honesta & suspendit actum. Si vero referatur ad coitum; est conditio turpis: quia supponeret rem cum futura uxore prius quam esset uxor: & sic tanquam turpis rejicitur; & matrimonium tenet, etsi non sit virgo.* Addit ille Auctor, eo sensu & cum hac distinctione intelligendam esse Glossam in Decretalem (g), quam Innocentius III. scribit ad Episcopum Marsicensem. Navarrus in eadem est sententia cum Sylvestro (h).

(e) Greg. IX. in cit. cap. Si conditiones. fin. de cond. appositis &c.

(f) Sylvester de Prierio v. Matrimon. 3. q. 8. Tit. de cond. appositis. &c.

(g) Glossa in c. Per tuas c. de condit. appositis &c. v. Præsumendum.

(h) Navarrus man. 2. 2. Can. 66.

Ceterum, observandum est, ex quo matrimonia clandestina a Concilio Tridentino abrogata sunt, raro admodum contrahi matrimonia sub conditione, quoniam usus ille Ecclesiæ praxi contrarius est. Quo circa hanc in rem plura non dicemus.

MATRIMONIUM II.

IN priori duorum istorum Titulorum ætatem expendimus, dotes, ac animi affectiones proprias eorum qui Matrimonio se jungunt. In posteriori & sequenti Titulo duas excutimus summas difficultates, quas multi celeberrimi Doctores varie admodum decidunt.

Prima est: scilicet, in quo consistat forma essentialis Matrimonii, & quis sit ejus Minister. Secunda: num Matrimonium initum a minoribus, sine Parentum vel Tutorum consensu valeat in foro conscientiæ. & quo modo Parentes punire possint liberos, qui sic Matrimonium pacti sunt.

Expendimus præterea quasdam alias quæstiones, quæ spectant 1 necessitatem consensus amborum contrahentium; & an quædam signa exteriora, aut etiam silentium reverens assensus locum tenere possint quibusdam in casibus. 2. Ad quid teneantur ii qui simularunt se assentiri Matrimonio quod exterius pacti sunt. 3. An cum agitur de Matrimonii promissione, stipulari possint mulctam pecuniariam adversus alterum contrahentium qui promissioni stare nollet. 4. Num Matrimonium contractum ab homine morte damnato sit ratum. 5. Denique an Matrimouium legitime per Procuratorem contrahi possit, & an, eo casu, sit verum Sacramentum.

CASUS PRIMUS.

SIRANUS, qui nondum quatuordecim annos perfectos natus est, & Gabriella, quæ nondum ad duodecimum annum pervenit, matrimonio juncti sunt, instigantibus alterutrius Parentibus. Circa hoc quæritur, 1. An matrimonium eorum valeat. 2. An contrahentes mortaliter peccent, quod matrimonium inierint antequam ætatem a Canonibus requisitam attigissent.

RESPONS.

Primæ quæstioni respondemus, ætatem requisitam ut Matrimonium legitimum contrahi possit, esse, juxta Jus Canonicum, ætatem quatuordecim annorum perfectorum respectu marium, & duodecim annorum perfectorum respectu fœminarum

prout denuntiarunt multi Papæ, præsertim vero Alexander III. rescribens Episcopo Norvicensi, qui ipsum de hoc argumento consuluerat (*a*), & Urbanus III. scribens ad Episcopum Cenomanentem, & in alia Decretali quam Pisarum Archiepiscopo inscribit (*b*). Leges Romanæ in hoc consentiunt cum Jure Canonico, ut patet ex hisce Justinianis Imperatoris verbis (*c*): *Nostra sancta Constitutione promulgata pubertatem in masculis post quartamdecimum annum completum illico initium accipere disposuimus; antiquitatis normam, in fæminis bene positam, in suo ordine relinquentes, ut post duodecimum annum completum viri potentes esse credantur.* Hæc est etiam vulgaris Theologorum sententia, privatimque S. Thomæ (*d*), qui dicit: *Hoc autem tempus ut in pluribus, est in masculis in quartodecimo anno: in fæmina autem in duodecimo.* Ratio quam reddit est (*e*), quod non satis sit ad auctoritatem Matrimonii, ut contrahentes perfectum rationis usum habeant; sed præterea necesse sit ut ea sint ætate qua prolem procreare valeant: quod vulgo evenire nequit nisi ætate jamjam denotata. *Tempore contractus matrimonii*, inquit Sanctus ille Doctor, *non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis: sed etiam ex parte corporis: ut sit tempus aptum generationi.*

(a) Alex. III. in c. Continebatur 6. de desponf. impub. (b) Urban. III. in c. Attestationes 10. & in c. ex literis 11. eod. tit. (c) Instit. l. 2. t. 22. § Quibus modis tutela finitur Id leg. fin. cod. quando tutores, vel curator. esse desinunt. (d) S. Th. in 4. dist. 36. q. un. art. 5. in corp. (e) Idem. ib. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3.

Hæc in rem duo observanda sunt; primum, quandocumque evenire posse, ut masculus, vel fœmina ad generationem sint apti ante ætatem ordinatiam, ob validius temperamentum, & corporis constitutionem magis robustam. Genebrardus exemplum affert extraordinarium (*f*) virginis novem annos natæ, quæ gravida facta est ex puero ejusdem ætatis. Anno 1562. *puella novem tantum annorum peperit filiam in quadam regione prope Mosellam.* Hæc sunt Auctoris illius verba. Unde concludi debet, Matrimonium a puero initum ante annum decimumquartum, & a puella ante annum duodecimum fore ratum & indissolubile ex jure naturali, si valerent liberos procreare, ut docet idem Doctor Angelicus (*g*) qui addit: *Quia tamen præcepta juris positivi sequuntur id est in pluribus: si aliquis ad perfectionem debitam, ante tempus prædictam perveniat; ita, quod vigor naturæ & rationis defectum naturæ suppleat, matrimonium non dissolvitur: & ideo si contrahentes ante tempus pubertatis carnaliter ante tempus prædictum fuerint copulati; nihilominus matrimonium stat.* Illius Sancti sententia consentit cum Canone (*h*) dicente: *Certum est autem eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit & generare jam potest; & puerperæ sunt, quæ in annis puerilibus pariunt.* Alexander III. idem etiam dicit in quadam ex suis Decretalibus (*i*) ubi his verbis loquitur: *si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi: minoris ætatis intuitu separari non debent. Cum in eis ætatem supplevisse malitia videtur.* Innocentius III. & Urbanus III. idem etiam declarant (*K*).

(f) Genebr. l. 4. adan. 1562. (g) S. Th. in 4. d. dist. 36. q. un. art. 5. in corp. (h) Isidor. in c. Puberes. 3. de desponf. impub. Item c. A nobis 8. ib. (i) Alex. III. in c. De illis 9. eod. tit. (k) Inn. III. in c. Tua nobis 14. & Urbanus III. in c. Ex literis 12. eod. tit.

Hoc secundum observandum est, scilicet, si contra masculus quatuordecim annos natus, aut puella duodecim annos adimpletos nondum valerent matrimonium consummare ob corporis habitum nimis debilem: certum est matrimonium ab alterutro contractum, irritum esse ex jure naturali; licet in foro exteriori legitimum censendum foret. Ideoque necessarium esset, ejusmodi matrimonium post perfectam pubertatem denuo celebrari, formulam ab Ecclesia præscriptam observando. Dicimus *post perfectam pubertatem*: quandoquidem ut mox videbamus, & ut Glossa (*l*) probat, pubertatem respectu matrimonii ex annorum numero non ita metiri possumus ac ex corporis habitu, ac ex procreandæ sobolis facultate. Et hæc dicenda habebamus circa primam quæstionem in specie proposita de matrimonio Sirani & Gabrielæ, de cujus auctoritate vel vitio facile judicari potest ex distinctione a nobis allata.

(l) Gloss. in cit. c. De illis & in d. c. Tua nobis.

Circa secundam difficultatem, scilicet an Siranus & Gabriela lethaliter peccaverint, ante ætatem a Canonibus præscriptam contrahendo, existimamus eos lethaliter peccasse, si cum cognitione sufficienti contraxerint. Ratio est, quod fecerint quod ab Ecclesia hac de re interdictum fuit, & quidem justissime, & in argumento momentosissimo (*m*); quandoquidem cum nondum apti essent ad procreandos liberos, ut supponimus, se ipsos in periculum certum injecerunt multa peccata committendi adversus castitatem simulatione atque nomine matrimonii. Ea est sententia Archiepiscopi Panormitani (*n*), Paludani, Sylvestri & multorum aliorum, quibus addi potest, quod si non possint excusari *a toto*, excusari tamen possunt *a tanto* ob ignorantiam Legum Ecclesiæ prohibentis: sed idem dici non potest de iis qui nuptias illas confecerunt, & quibus demandata erat cura & gubernatio eorum, qui illud Matrimonium pacti sunt, & quorum est præstare eorum facta, ac strictius tenentur cognoscere & observare Ecclesiæ interdicta, quam juvenes, qui vulgo ignorant quid sit prohibitum.

(m) Nicol. I. c. Ubi a. de desponf. impuberum. (n) Panorm. in c. 2. de desponf. impuberum.

CASUS II.

GERASIMUS, duodecim tantum annis natus, Joannnm annis quindecim natam duxit, propter magnam dotem quam ipsi afferebat. Sed Joanna quæ paulo post ab illo fastidio abalienata est, petit, an teneatur apud Deum expectare donec Gerasimus ad quatuordecim annos perfectos pervenerit; & an per hoc intervallum nubere non possit?

RASPONA.

Statim observandum est, ut jam diximus in præcedenti decisione, ejusmodi Matrimonia iniri non posse absque gravissimo peccato, nisi contrahentes ab Episcopo permissionem impetraverint: Episcopus autem id permittere non potest nisi ob urgentissimas & prægnantissimas causas, prout declarat Nicolaus I. his verbis (*o*) *Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque vel alter, ad ætatem Legibus, vel Canonibus determinatam, non pervenerit, conjungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente; ut pote, bono pacis, talis conjunctio tolleretur.*

(o) Nicol. I. in c. Ubi a de desponf. Puberum.

Illa præmissa observatione, ad difficultatem propositam respondemus, Joannam teneri apud Deum expectare, donec Gerasimus decimum quartum annum perfecerit, nisi quandam aliam justam causam habuerit, quæ illam solvat fide ultro data. Ratio est, quia de Contractu, quem simul pacti sunt, idem dici potest, quod diceretur de solemni Religionis voto, quod irritum esset ætatis defectu. Sicuti enim, votum illud solemne, licet irritum, vim haberet simplicis voti Castitatis, & obligaret eum, qui votum illud nuncupavit ad virtutem illam observandam; sic Matrimonium, licet irritum ex vitio pubertatis in Gerasimo, vim tamen habet & effectum sponsalium: obligatque ideo Joannam ad expectandum, donec Gerasimus ad perfectam pubertatem pervenerit. Ea est Navarri sententia.

CASUS III.

BARNABAS, triginta annis natus, factus est demens ab anno ætatis decimo: singulis tamen mensibus dilucidis gaudet intervallis, per duas vel tres dies continuas, durante quodam ex istis intervallis denunciat; se velle ducere Angelam, quæ assentitur, & se una cum illo Sacerdoti se sistit, rogans ut eorum celebret Matrimonium: an illos conjungere debet Sacerdos?

RESPONS.

Constat, virum dementem vel furiosum non posse legitime Matrim. contrahere, quia dum in eo est statu non aptus est ad verum assensum dandum, sine quo nunquam potest esse legitimum Matrimonium, ut denunciat Innoc. III. scribens ad Episcopum Vercellensem his verbis (*p*): *Cum autem eadem mulier cum ipso vira, qui continua furore laborat, morari non possit, & propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus: mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, præfatas personas cures ab invicem separari.* Cum tamen demens ille dilucidis fruitur intervallis per tempus notabile, tunc legitime paeisci potest, quamvis licite non possit. Quapropter Barnabæ Presbyter eum admittere non debet ad contrahendum matrimonium cum Angela, per tutum tempus quo morbo eum vexante laborabit.

(p) Inn. III. in c. Dilectus 25. de sponf. & matrim.

Ratio quæ decisionis istius reddi potest, hæc est nimirum, quod præcipuus Matrimonii finis sit, non solum procreare liberos, sed etiam illos Christiano ritu educare. Homo autem tali morbo laborans plane idoneus non est ad liberos educandos modo, quo Deus & natura ipsa requirunt, quandoquidem illi integrum non est agere *humano more*.

(a) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. art. 4. in corp.

Ea est S. Thomæ decisio, dicentis (a): *si autem* (furia matrimonium) *præcedit, aut furiosus habet lucida intervalla aut non habet. Si habet, tunc quamvis dum est in intervallo, non sit tutum, quod matrimonium contrahat: matrimonium tamen est: Si autem non habet, vel si quando non habet, contrahit: tunc quia non potest esse consensus ubi deest rationis usus, non erit verum Matrimonium.*

CASUS IV.

GABINIUS ab ortu surdus & mutus, Presbytero suo ex signis intelligendum dat, eum velle Barbaram uxorem ducere, quæ ipsi etiam declarat se assentiri. Circa quod tria petuntur. 1. An Gabinii Pater huic Matrimonio assentiri debeat? 2. An Presbyter illos Matrimonio jungere possit? 3. An etiam id posset Presbyter, si præterea cæcus esset Gabinius.

RESPONS.

Circa primam difficultatem existimamus, Gabinii Patrem filii sui Matrimonio intercedere non debere, quamvis ab ortu surdus sit & mutus: nisi aliæ sint rationes, ob quas assensum suum ipsi denegat.

Circa secundam quæstionem existimamus, Presbyterum posse Gabinium & Barbaram admittere ad Matrimonium celebrandum, cum duplex infirmitas, qua Gabinius laborat, eum ad Matrimonium non aptum non reddat, ut patet ex Innocentii III. Decretali, quam ad Episcopum Arelatensem inscribit, qui ipsum de hac difficultate consulerat (b) *Sane consuluisti nos*, inquit ille Papa, *utrum surdus & mutus alicui possit matrimonialiter copulari. Ad quod taliter respondemus, quod cum prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum de quorum, quarumque conjunctionibus agitur; Videtur, quod si talis velit contrahere, sibi non possit, vel debeat denegari, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*

(b) Inn. III. in c. cum apud 23. de spons. & matrim.

Inutile foret velle distinguere inter surdum & mutum ab ortu, & eum qui talis factus ab aliquo tempore, cum prior illa circumstantia quæstionis statum non mutet; quoniam qui ab ortu surdus est & mutus non minus aptus est ad signis declarandum suum Matrimonio assensum, quam qui aliquo casu postea interveniente surdus & mutus factus est: quod sufficit, ut Matrimonium ratum sit. *Nam & surdi & muti possunt* contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, inquit idem Papa, in alia Decretali (c).

(c) Idem in c. Tuæ fraternitati, eod. t.

Quod ad tertiam quæstionem propositam spectat, dicimus quod si Gabinius, surdus, mutus & cæcus esset, sacerdos illum ad matrimonium contrahendum admittere non debet. Non enim videmus quomodo homo ille extrinsecus manifestum facere posset consensum suum interiorem. Sic dici potest, illum a natura inhabilem esse ad contrahendum Matrimonium, cum assensus apertus absolute necessarius sit, ut Sacramentum illud ratum sit, prout docet Sanctus Thomas (d).

(d) S. Th. in 4. dist. 26. q. un. art. 3. in corp.

CASUS V.

PHILOSTRATUS novit, se in excommunicationem majorem *a jure*, *vel ab homine* incurrisse. Potest ne absque mortali peccato in eo statu matrimonium contrahere?

RESPONS.

Certum est Philostratum eo casu Matrimonium contrahere non posse, quin peccati mortalis reus evadat. Ratio est, quia sacramenti gratiam accipere non potest, dum in peccato mortali versatur; quocirca in excommunicationem incurrit, & peccato liberari non potest, nisi postquam censura solutus fuerit. *Quicumque ab unitate fidei, vel societatis Petri & Pauli quolibet modo se ipsos segregant*, inquit venerabilis Beda, (e) *tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt Regni cælestis ingredi*. His adde, eum, qui excommunicationis vinculis ligatus degit, ab Ecclesiæ corpore, & a fidelium Communione plane resecatum esse, ac ideo eum non posse sine novo crimine ullius Sacramenti participem esse.

(e) Beda in can. Quicumque 27. q. 2.

Operæ pretium est addere, Phylostratum, licet excommunicationem tantum minorem incurrit, neque etiam legitime contrahere posse Matrimonium; quia excommunicatio illa spoliat ea ligatum jure ullius Sacramenti participem esse, donec solutus fuerit, prout declarat Gregorius IX. (f).

(f) Greg. IX. in c. si celebra. 10. de Cleric. excomm. deposito, vel interd. ministrante! §. r. 27.

CASUS VI.

Exorta est controversia inter duodecim quindecimve Presbyteros campestres, in colloquium congregatos, circa quæstionem ibi agitatam: An scilicet in casu urgente & magni momenti, quis absque peccato Matrimonium contrahere possit, cum actu in peccato mortali versetur, & sit ei consilium in eo peccato perseverandi. Severinus inter hos Sacerdotes affirmantem opinionem tuetur. Nonne errat?

RESPONS.

Neutiquam dubitandum est, quin Severinus erret, quia ejus opinio falsa est, ac plane damnanda: cum nullus sit casus, quo quis Matrimonium contrahere possit, quando in peccato mortali degit, ac in eo perseverare vult. Ratio est, quoniam Matrimonium verum est Sacramentum, prout declarat Lucius III. in quadam ex suis Decretalibus (g), ac prout definivit sacrum Concilium Tridentinum, (h) post Concilium Lateranense, sub Innocentio III. habitum, anno 1215. Ideoque Sacramentum illud accipi non potest in statu peccati mortalis absque reatu profanationis sacrilegæ. Quapropter Concilii Tridentini Patres jubent (i) contrahentes peccata sua Pœnitentiæ Sacramento expiare: & volunt eos postea ad Sacræ Eucharistiæ Sacramentum accedere, ut ad Matrimonium se præparent.

(g) Luc. III. in c. Ad abolendam 9. de hæreticis, &c. l. 5. tit. 7.
(h) Conc. Tr. sess. 7. can. 1.

(i) Idem sess. 24. de refor. matrim. c. 1.

CASUS VII.

BARBARA novit, Laurentium ipsi desponsatum esse in peccato mortali, & eum nolle Confessionis Sacramento animum suum perpurgare. An potest illi nubere, quin operam conferat ad sacrilegium, quod Laurentius paratus est patrare Matrimonium in eo statu ineundo?

RESPONS.

Existimamus Barbaram in casu proposito sacrilegii participem non esse, in cujus reatum incidit Laurentius dum in peccato mortali illam uxorem ducit: Eamque non magis sontem esse, sicuti neque sons est ille, qui in justa necessitate acciperet Sacramenta a suo Presbytero, quem sciret hoc ipso tempore aliquo crimine implicatum. In ea enim est necessitate Barbara, cum velit nubere Laurentio, ut ejus Ministerio Matrimonii sacramentum acciperet; quandoquidem, juxta quamplurimorum Theologorum sententiam, contrahentes ipsi sint Ministri sacramenti illius (k). Ergo opportune admodum nunc in rem dici potest cum S. Augustino. *Communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in malis factis non eis quisque consentiat; portat malus causam & personam suam, nec præjudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.* Ea est decisio Cardinalis de Lugo (l).

(k) Ib. Cabas. juris can. th. & prax. l. 2. c. 10. n. 1. & 2. Et apud eum Magist. sent. S. Th. & Scot.
(l) Cardin. de Lugo de pœnit. disp. 24. sect. 2. §. 2.

C A-

CASUS VIII.

Lombardus, Juvenis nobilis, triginta annos natus, & fortunæ bonis orbatus, uxorem duxit Dianam, viduam plebejam, supra sexaginta annos natam. Ipsius unicus scopus fuit ducentis nummorum millibus potiri, pecunia præsenti, quam ipsi Tabulis conjugalibus dedit. An lethaliter peccavit, illam unico isto incitamento ducens? Nonne etiam dici potest, Dianam lethaliter peccavisse, nubendo ætate tam provecta, qua liberos procreare non amplius poterat?

Respons.

Similis difficultas olim proposita fuit celeberrimo cuidam Professori Sorbonensi, qui 10. Septembris 1666. respondit (a) dicens, virum illum non potuisse quia peccati mortalis reus evaderet, uxorem ducere unico hoc consilio utilitatis temporariæ, quin Matrimonii sacramento abusus est, eo utens præcipue ut finem mere humanum assequeretur. Reipsa eadem est viri illius ratio, ac illius qui vel Baptisma, vel aliud Sacramentum acciperet, ut pecuniæ summam lucraretur, ea conditione promissam, nullumque aliud haberet consilium. Uterque enim profanat Sacramentum quod eo solo consilio accipit.

(a) A S. Beuve, tom. 3. cas. 561.

Quod ad Dianam spectat, idem de ea judicium ferri non debet. Licet enim præ ætate provecta nullo modo idonea sit ad procreandos liberos, qui est præcipuus matrimonii finis; sufficit illam assensum suum dedisse, *in remedium fuæ libidinis*; quia secundus ille finis legitimus est ac sufficit, ut ejus conscientiam a peccato mortali tutam reddat, ut alibi fusius diximus.

CASUS IX.

Cassianus, & Paula Sacerdoti se sistunt ut matrimonio jungantur tempore quo Ecclesia sacrorum interdictione multata est, vi Interdicti generalis; petit sacerdos ille, an ipsi liceat illos ibi matrimonio jungere?

Respons.

Credimus Sacerdoti licere Cassianum & Paulam ad matrimonii celebrationem admittere, imo tempore interdicti generalis, & licet de Matrimonio non loquatur Bonifacii VIII. Constitutio (b), quæ præscribit quid hoc tempore sit licitum; Ea est quamplurimorum celebrium Theologorum ac Doctissimorum Canonistarum decisio.

Paludanus ait (c) *Tempore generalis interdicti Matrimonium conceditur; sed non benedictio nuptialis, imo negatur.* Idem dicit S. Antoninus (d), cum decem duodecimve aliis a Sanchez laudatis (e).

Inter Canonistas, qui eamdem docent opinionem est Papa Innocentius IV. in Commentario suo in Decretales, qui ait (f): *Credimus Matrimonium posse fieri apud interdictos;* Ut & Joannes Andreas, (g) Jurisconsultus Bononiensis Joannes Calderinus (h); Hostiensis (i), Petrus de Ancharano (k) Angelus de Clavasio, Sylvester de Prierio, Bartholomæus Fumus, Baptista Trovamala, Alexander de Nevo, Covarruvias, Navarrus, multique alii (l), cum Auctore Glossæ. En tot Auctores eruditione celebres, ut non credamus decisionem illam jure merito in controversiam vocari posse, saltem quod ad Matrimonii auctoritatem spectat.

(b) Bon. VIII. In cap. Alma de sent. exc. &c. in 6. l. 5. tit. 10

(c) Paludan. in 4 dist. 10. q. 4. a. 3. 1. principali concl. 4.

(d) S. Anton. 3 p. sum. tit. 26. c. 4. ioi3.

(e) Th. Sanch. de Matr. l. 7. disp. 8. o. 2. Et apud eum Ludov. Lop. Petrus de Ledesm. Barth. de Ledesm. &c.

(f) Inn. IV. in c. non est 11. de spons. & Mat.

(g) Jo. Andr. in cit. c. Non est o. 5.

(h) Jo. Cald. de interdicto, membro 6. §. viso.

(i) Host. ibid.

(k) Petr. Anchar. in cit. c. Alma o. 10

(l) Angel de Clavas. v. Interdictum. 6. n. 30.

CASUS X.

Fuldradus, S. Gualterii Parochus, solemniter benedixit matrimonio Juvenis cujusdam cum vidua. Circa hoc aliquis ipsi scrupulum injicere voluit. Petit an in hoc peccaverit?

Respons.

Non potuit Parochus ille sine gravi peccato, matrimonio illi benedicere, quia in hoc Ecclesiæ veritum certum. Hoc probatur 1. ex Decretali Alexandri III. qui de simili difficultate consultus, his verbis respondet (m) *Capellanum, quem benedictionem cum secunda contraxerit celebrasse, ab officio beneficioque suspensum cum literarum tuarum testimonio ad sedem Apostolicam nullatenus destinare postponat.* 2. Ex alia Decretali (n), quæ dicit: *Vir autem & mulier, ad bigamiam transiens, non debet a Presbitero benedici: quia cum alias benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet.*

(m) Alex. III. d. io c. Capellanum 1. de secund. nupt. l. 4. tit. 21.

(n) Cap. Vir autem 3. eod. tit.

Ratio illius Ecclesiæ vetiti clare explanatur ab Auctore supplementi S. Thomæ (o) cujus en verba: *Quamvis in se consideratum sit perfectum sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu sacramenti; quia non habet plenam significationem; cum non sit una unius, sicut est in matrimonium Christi & Ecclesiæ, & ratione hujus defectus benedictio a secundis nuptiis subtrahitur. Sed hoc est intelligendum, quando nuptiæ sunt secundæ & ex parte viri, & ex parte mulieris; vel ex parte mulieris tantum. Si enim Virgo contrahat cum viro, qui habuit aliam uxorem; nihilominus nuptiæ benedicuntur: Salvatur enim aliquo modo significatio, etiam in ordine ad primas, quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. Sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi; qui alias cum Dæmone fornicatur, nec est ibi matrimonium spirituale; & propter hoc, quando mulier secundo nubit; nuptiæ non benedicuntur propter defectum sacramenti.* Sylvius (p) idem docet, ut & Navarrus (q), qui fuse de hoc argumento agit.

(o) Suppl. 3. p. Sum. S. Th. q. 63. art. 2. ad 1.

(p) Fr. Sylv. in suppl. S. Th. loco cit.

(q) Nav. Manual. c. 22. n. 21. §. de benedict. nupt.

CASUS XI.

Agilbertus mox ducturus est uxorem Luciam, decrevitque ei non significare se ære alieno premi; quia persuasum habet, ipsam ejusque consanguineos matrimonio assensum deneguturos, si id ipsis notum foret. An tenetur ex conscientia id significare; & an Confessarius quem adibet Agilbertus, potest illum de peccatis absolvere, si in tali consilio permanet?

Respons.

Existimamus quod si Agilbertus, a Lucia vel ab ejus consanguineis interrogatus fuerit de opibus ejus ac de ære alieno, & falso affirmaverit, se non esse in ære alieno; aut (quod magis damnandum est) si supposuerit se possidere opes quas non habet, & sine quibus illius matrimonio cum Lucia assensum denegaent; existimamus, inquam, Confessarium necessario debere illum cogere veritatem denunciare, antequam ipsum a peccatis absolvat; si vero, neque Lucia neque ejus consanguinei sciscitati fuerint, non credimus Confessarium debere ipsi absolutionem denegare; modo tamen opes possideat sufficientes ut cautior sit dos quam ipsi allatura est ejus sponsa. Ea est decisio Doctoris cujusdam, quem olim Ecclesiæ Parisiensis Vicepœnitentiarium vidimus (r) *Deber quidam a me consultus ea de re* (inquit ille) *tenet non adstringi* (mox nupturum) *ad omnia debita manifestanda, si ea de re non interrogetur. Et certe quemadmodum Mercatores non semper obligantur ad detegenda omnia vitia rei venditæ; sic nupturi ad aperienda omnia sua dedecora, quæ inquirere aliorum est, & ut potest ordinari qui habet titulum, etiamsi aliqua debeat; sic videri posset idem asserendum de nupture. Quid quod sponsa futura non tenetur aperire omnes fornicationes præteritas? Cur igitur vir debita omnia? Dicendum videtur in hac difficultate absolvi posse, si non affirmavit positive, se nulla habere debita, cum alunde bona sufficientia possideret pro dote puellæ, cujus ambit nuptias. Sed si de debitis interrogatus, negavit se habere, aut majores divitias, vel supposititias ostentavit: non videtur posse absolvi nisi velit desistere a nuptiis aut veritatem aperire.*

(r) Lud. Bail. 3. p. triplicis coom. pœnit. q. 4. p. 402.

MA-

MATRIMONIUM III.

CASUS PRIMUS.

MACLOVIUS, Sancti Fusciani Parœciæ Pastor interfuit Matrimonio Pauli cum Ludovica, ex ipsius Parœcia, nec tamen hæc verba ordinaria pronunciavit: *Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* An ratum est matrimonium illud?

R e s p o n s a.

Hæc est una ex summis difficultatibus quæ ad argumentum de matrimonio spectant: quapropter conabimur illud quanta poterimus diligentia tractare. De hac celebri quæstione duæ sunt differentes sententiæ.

Prima est quorumdam Theologorum (*a*), qui affirmant, hæc verba: *Ego conjungo vos*, &c. esse formam Sacramenti Matrimonii, ac ideo ei esse essentialia. Hoc præcipuo nituntur fundamento scilicet quod Concilium Tridentinum (*b*) præscribat ipsum contrahentium sacerdotem, qui matrimonio adest, pronuntiare hæc verba. Unde Auctores illi concludunt, sacerdotem illos igitur conjungere, & Sacramentum efficere, quando quidem hæc verba alias falsa essent in ore ejus.

(*a*) Gaill. Estius in 4. sen. dist. 26. §. 10. & 12. Fr. Sylv. in 3. p. sum. S. Th. q. 42. art. 1. Melch. Canus lib. 8. de Locis The.

(*b*) Concil. Trid. sess. 24. de reformat. matr. c. 1.

Consentanea est opinio illa cum multis Manualibus, in quibus Parœciæ Pastor vocatur Sacramenti minister; & inter alia, 1. Promptuarium Iprense anni 1576. quod habet: *Dicat Sacerdos*; Et ego, tanquam Ecclesiæ Minister, vos in Matrimonium conjungo, &c. & cum Promptuario Atrebatensi typis mandato anno 1600. quod idem supponit, 2. cum Promptuariis Mechliniensibus, anni 1589. & anni 1607. *stante viro ad dexteram*, inquit hoc ultimum, *muliere vero ad sinistram, sacerdos hujus Sacramenti Minister . . . data sibi utrinque fide dicat*: Et ego tanquam Dei Minister, vos in matrimonium conjungo. 3. Cum sacerdotali Romano, anni 1494. quod habet (*c*): *Et ego auctoritate qua fungor, conjungo vos in Matrimonium*, &c. 4. Cum sacerdotali Toletano (*d*) in quo dicitur, *Efficiens causa Matrimonii sunt ipsi contrahentes, in quantum est contractus quidam: at vero, ut Sacramentum, Deus est causa principalis, Minister est causa instrumentalis sicut in aliis Sacramentis*. 5. Cum Synodo Cameracensi, habita anno 1567. (*e*) quæ ait: *Cum constet in Matrimonio habendam esse rationem, non solum divinæ institutionis, sed etiam Sacramenti & gratiæ, quam in illo consequuntur fideles, admonendos esse dicimus parochos, hujus Ministros, &c.*

(*c*) Sacerd. Rom. collectum per Albertum Castellanum an. 1494.

(*d*) Sacerd. Tolet. l. 7. c. 2.

(*e*) Synod. Camerac. c. 1. de matrim.

Unde Theologi qui hanc primam defendunt opinionem, concludunt Matrimonia clandestina, quæ ante Concilium Tridentinum absque Sacerdotis Ministerio celebrabantur, vera esse Matrimonia, quoad Contractum spectata; sed non esse vera Sacramenta.

Recentiores Theologi, qui hanc amplexi sunt sententiam, ad eam eo libentius impulsi sunt, quod eam existiment magis consentaneam cum Traditione, & eam credant aptiorem esse ad hæreticos convincendos illius Sacramenti veritatis.

Ut probent suam sententiam Traditioni magis consentaneam esse quam opinio contraria, afferunt 1. Sancti Ignatii Martyris auctoritatem, qui cum ad Polycarpum scriberet, dicit (*f*): *Decet autem ducentes & ductas cum sententia Episcopi unionem facere; ut sit secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam Omnia in honorem Dei fiant.* 2. Auctoritatem Tertulliani dicentis (*g*), *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat & confirmat oblatio.* Et alibi idem Auctor ait (*h*): *Penes nos occultæ quoque conjunctiones, id est non prius apud Ecclesiam professæ juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur.* 3. Nituntur quoque antiquo Gratiani Canone qui habet (*i*): *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi . . . Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur.* 4. Nituntur alio Canone, scilicet Hormildæ, qui ineunte sexto sæculo florebat, cujus Decretum his verbis enunciatur (*K*): *Nullus fidelis, cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sacerdote publice nubat in Domino.* 5. Nituntur Auctoritate Nicolai 1. in responso quod Bulgaris dedit anno 886. circa quæstiones ab ipsis propositas (*l*). „ Ambo ad nuptialia fœdera perducuntur, *inquit*, & primum quidem „ in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent, per sacerdotis manum statuuntur, „ sicque demum benedictionem & velamen cœleste „ suscipiunt „. 6. Canone decimo tertio quarti Concilii Carthagine habiti ann. 398. (*m*) „ Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, „ a parentibus suis vel a paranymphis offerantur: „ qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte „ pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate „ permaneant „. 7. His verbis S. Ambrosii scribentis ad Vergilium Episcopum Tridentinum (*n*). *Cum ipsum conjugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat.*

(*f*) S. Ignat. ep. 2. ad Polycarpum.

(*g*) Tertul. l. 2. ad uxorem n. 8.

(*h*) Idem de pudicitia n. 4.

(*i*) Can. Aliter. 1. 30. q. 4.

(*k*) Hormisd. in Can. Nullus a cad. causa & q.

(*l*) Nicol. in Can. Nostrates 3 ibid.

(*m*) Concil. Chart. IV. in Can. Sponsus 5. ibid.

(*n*) S. Ambr. ep. 19. n. 7.

En omnia quæ Doctores illi, qui defendunt primam illam opinionem, afferunt gravissima.

Secunda opinio est S. Thomæ & innumerorum Theologorum & Canonistarum, docentium, 1. Matrimonii materiam proximam esse ambarum partium manifestum assensum; hoc est, contractum cum interiorem tum exteriorem, quo contrahentes ad matrimonii officia & onera mutuo se astringunt. Id docet S. Thomas (*o*), qui ait; „ Sacramentum „ matrimonii perficitur per actum ejus, qui Sacramento illo utitur, sicut pœnitentia; & ideo „ sicut pœnitentia non habet materiam aliam, nisi „ ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio. 2. Verba, quibus contrahentes assensum suum mutuum exprimunt, esse formam Sacramenti. „ Verba „ quibus consensus matrimonialis exprimitur, *ait* „ *idem S. Thomas* (*p*) sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ „ est quoddam Sacramentale. *Et alibi* (*q*): Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit: quia hæc duo sunt de essentia Sacramenti, alia autem omnia sunt de solemnitate Sacramenti: quia ad hoc adhibentur, ut „ matrimonium convenientius fiat. Unde si omittantur, verum matrimonium est; quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam causam „ excusentur „. Ita ut, juxta sancti illius Doctrinam; verba aut signa, quæ contrahentium assensum mutuum exprimunt, si considerentur tanquam expressio voluntatis mutuæ, qua personæ liberæ & aptæ ad hoc Sacramentum contrahere volunt, & sibi invicem corporis sui dominium dare, Sacramenti materiam efficiunt, & eadem verba, si considerentur tanquam acceptio mutua ac necessaria, qua alter alterius voluntatem accipit, Sacramenti constituunt formam; quia voluntas illa atque donatio, qua contrahentes corpus suum sibi donant, imperfecta est, inutilis atque sine effectu, donec ad eam descenderint, & perfectam reddiderint constituto efficaci quod acceptio illa producit, & hac ratione Sacramenti illius formæ locum tenet.

(*o*) S. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2.

(*p*) Idem ib. ad 2.

(*q*) Idem in 4. dist. 28 q. un. art. 4. in corp.

Ea sententia nobis etiam videtur cum veritate magis congruens: si enim verba ista: *Ego conjungo vos in matrimonium*, &c. huic Sacramento essentialia forent; inde necessario sequeretur, Sacerdotem illius esse ministrum, quod tamen non credimus probari posse testimoniis satis evidentibus Scripturæ, Conciliorum vel Traditionis, & idcirco clandestina Matrimonia, quibus non adfuit sacerdos

cerdos, rata & indissolubilia erant ante Concilium Tridentinum, licet illicita essent, ut patet ex istis verbis (a) „ Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quandiu „ ea irrita Ecclesia non fecit: & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant . . . „ Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis „ causis illa semper detestata est, atque prohibuit „. Matrimonia autem illa indissolubilia esse non poterant, nisi quoniam vera erant Sacramenta. Unde sequitur, sacerdotem igitur matrimonii Ministrum non esse, licet a Concilio omnino necessaria sit ejus præsentia ut Sacramentum ratum sit, ut contrahentium assensum accipiat, illumque confirmet benedictione qua ipsis benedicit, utque sic clandestina matrimonia vitentur.

(a) Concil. Trid. supra cit. loco.

Dicimus 1. Clandestina matrimonia ante Concilium Tridentinum indissolubilia fuisse, quod est sine ulla controversia. 2. Juxta plurimorum Theologorum sententiam indissolubilia fuisse matrimonia, solummodo quia vera erant Sacramenta: quod etiam certum nobis videtur. 1. Quoniam in matrimonio Christiano, qualitas Contractus, qualitasque Sacramenti ab eo separari non possunt. 2. Quia Concilium ea vocat *vera ac rata .... matrimonia*; hanc autem qualitatem matrimonium Christianum habere non potest, nisi quatenus est Sacramentum, illamque capit a virtute Baptismatis, quo contrahentes tincti sunt, cujusque character est indelebilis ac perpetuus, & reddit matrimonii vinculum indissolubile ac perpetuum; prout dicit Innocentius III. in una ex suis Decretalibus, quam scripsit ad Episcopum Ferrariensem, cujus hæc sunt verba: (b) *Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum. Inter Fideles autem verum & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in Conjugibus, illo durante, perduret*. His addamus, ante Concilium Tridentinum causas matrimoniales fuisse jurisdictionis fori Ecclesiastici, ut patet ex innumeris Decretalibus: quod evidenti ratione probat, matrimonium tunc spectatum non fuisse tanquam Contractum mere civilem, sed tanquam verum Sacramentum.

(b) Inn. III. in c. Quanto. 7. de divort. l. 4. tit. 12.

Cæterum, non videmus argumenta, quibus nituntur opinionis contrariæ defensores, S. Thomæ doctrinam vincere posse. Nam ex omnibus priscis Canonibus, qui jubent matrimonia benedictione sanciri, ne unicum quidem est, quod dicat sacerdotem Sacramenti esse Ministrum, neque matrimonium, absque illa benedictione contractum, esse irritum; nec denique ista verba: *Ego conjungo vos in Matrimonium* &c. ejus esse formam; in quo tamen consistit tota difficultas, de qua agitur in quæstione quam expendimus. Neque id probari potest ex scriptura, nec ex ullo Concilio, ut jam diximus. Aliæ quæ objiciuntur Auctoritates non magis sunt expressæ ac claræ; cum Auctores ex quibus eruuntur indicent tantum morem tunc vigentem, quique semper viguit in Ecclesia, benedicendi fidelium matrimoniis, nihilque insuper dicunt.

Quod spectat ad libros rituales quos laudat Sylvius, responderi potest, 1. Ritualem librum Iprensem solummodo dicere: Sacerdotem esse *Ecclesiæ Ministrum*, quod non est controversum: sed non dicit Sacerdotem esse Sacramenti illius Ministrum. Alii quidem id affirmant, quia eorum Auctores opinionem primam sententiæ S. Thomæ prætulerunt, cujus tamen Doctrinam maximis cum elogiis sacræ Sedi in genere probata fuit, ut videre est ex Bulla ejus adscriptionis in numerum sanctorum, Julii 18. an. 1323. (c) in qua Joannes XXII. hæc Scripturæ Sacræ verba ipsi accommodat: *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum spiritu sapientiæ & intellectus*. Legi etiam potest quod de eo dicit S. Pius V. in Bulla sua Aprilis 15. anno 1567. (d).

(c) Jo. XXII. in Bulla Redemptionem 31.

(d) S. Pius V. in Bulla Mirabilis 36.

Concludimus igitur, ad difficultatem propositam respondentes, Pauli cum Ludovica matrimonium, cui Maclovius eorum Parœciæ Pastor adfuit, ratum esse; licet hæc verba non pronuntiaverit: *Ego conjungo vos in Matrimonium in nomine Patris* &c. (e) Sacerdos ille graviter tamen peccavit, quod verba illa non pronuntiaverit, cum ab omnibus libris Ritualibus sint præscripta; Præter quam quod, cum de Sacramentis agitur, quando Doctrinæ caput quoddam apud Theologos est controversum, sententia tutior semper sequenda sit.

(e) Scotus in 4. dist. 26. q. un. §. sed hic est Joan. Cabassut. juris can. th. & prac. l. 3 c. 11. n. 1. & 2. & alii communes.

CASUS II.

Ludovicus, Sancti Nectarii Presbyter, matrimonio junxit Nicolam, quæ salutavit solummodo, nec quidquam respondit, cum ab ea petiit sacerdos, an Joannem maritum ac legitimum suum sponsum acciperet: Cum vero Sacramentum ratum esse non possit sine materia & forma, timet ne Sacramentum illud verum Sacramentum non sit. An ratione nititur ejus scrupulus?

Responsio.

Respondebimus juxta S. Thomæ doctrinam, contrahentium assensum, accurate loquendo, verbis exprimi debere, prout jubet Ecclesia: *Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba, consensum exprimentia de præsenti*. Hæc sunt Innocenti III. verba (f) signa tamen tantumdem valentia sufficiunt ut ratum sit matrimonium. Id docet Sylvius post S. Thomam (g): *Articulo secundo probat*, (Beatus Thomas) inquit doctus ille Theologus, *consensum debere verbis, aut signis æquivalentibus exprimi*. *Diximus*: aut verbis æquivalentibus: *Quia licet ex præcepto Ecclesiæ verbis utendum sit, quando potest fieri commode: ex matrimonio tamen, per litteras, vel per Procuratores, aut inter mutos inito, constat verba contrahentium suppleri per signa*. Unde concludit, quod si Virgo a Sacerdote interrogata nihil respondeat, ac ejus consanguinei pro ea responderant, matrimonium ratum est; modo nullum prodat indicium se improbare ea quæ ipsius consanguinei ejus nomine respondent: eo enim casu ejus silentium tantum valet quantum assensus clarus, juxta Juris regulam, quæ vult, illum qui tacet in re, quæ ipsius interest, ac ideo cum loqui debet, assentiri censeatur (h) *Qui tacet consentire videtur*, sic etiam loquitur Sylvius. „ Unde Beatus Thomas hic ad 3. *addit ille*, affirmat fore matrimonium, si puella præsens taceat, parentibus viro tradentibus & pro ea loquentibus: quia silentium contradicentis, quando esset contradicendum, est signum consensus; nisi scilicet ex aliis circumstantiis colligeretur tacere; quia dissentit: & non audet „ ob metum Patris contradicere „.

(f) Inn. III. in c. Tuæ fraternitati 25. de spons. matr.

(g) P. Sylv in suppl. 3. p. S. Th. q. 45. art. 3.

(h) Bon. VIII. in reg. 44. de reg. Juris in 6.

Hæc est reipsa S. Thomæ doctrina (i), post Hugonem Victorinum (k) quem laudat. „ Dicendum, quod sicut dixit Hugo a Sancto Victore, eos qui conjunguntur, sic oportet consentire, ut se spontanee recipiant: quod judicatur fieri, si in desponsatione non contradicunt. Unde verba Parentum computantur in casu illo, ac si essent puellæ. Sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus, ex quo non contradicit „. Sic loquitur Doctor Angelicus.

(i) S. Th. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæst. 2. ad 3.

(k) Hugo Victorinus l. 2. de Sacram. p. 11. c. 4.

Inde sequitur, Lodovici scropulum ratione non niti, Nicolæque matrimonium ratum esse ac legitimum, cum ejus salutatio signum sit exterius & evidens assensus interioris, quem matrimonio ab ipsa contracto concedebat. Imo cum sola ipsius præsentia, addita responso Patris vel Tutoris ejus, quin ullo indicio voluntatem contrariam significasset, sufficeret juxta sententiam Auctorum jamjam laudatorum.

Ad hanc decisionem confirmandam addi possent innumera alia argumenta, quæ hanc in rem affert Fagnanus (l) ea præsertim quæ ducit ex multis Decretalibus, & ex S. Ambrosio (m) Cardinalis Ostiensis, Glossa & omnes celeberrimi Canonistæ idem uno consensu docent (n). Cæterum, animus nobis non est Nicolæ sacerdotem excusare; existimamus contra, eum officio suo defuisse, quod illam interrogatam loqui & ipsi respondere non coegerit.

(l) Prosper. Fagn. in cit. cap. Tuæ fraternitati.

(m) S. Ambr. in Can. Honoratus. 32. 3u. q. 2.

(n) Ostiensis in cit. c. Tuæ fraternitati Gl. in c. si inter c. 25. de spons. & matrim. & alii.

C A-

CASUS V.

Cum in conspectum sacerdotis a Patre adducta fuisset Lucia, ut Matrimonio jungeretur, Patri suo non contradixit, Matrimonio ejus nomine assensum danti, & pro ea respondenti, non solum tacuit, sed nec intus quidem Matrimonio assensa est. An Patris assensus supplet eo casu assensui Luciæ, cum non refragata sit, ut debuisset, cum fidem dare nollet?

RESPONS.

Licet suspicandum sit puellam, quæ præsente, tacet, Patre, pro ea respondente, intus assentiri; & licet eo casu Matrimonium quod contrahit sit ratum, ut clare in decisione præcedenti probavimus; certum tamen est omnino irritum esse ejus Matrimonium, si intus non assentiatur; quandoquidem inter duos contractus esse non possit, absque eorum assensu, mutuo; contractus enim nihil aliud est, nisi *duorum pluriumve in idem placitum consensus*, sicuti Lex loquitur (*a*). Id docet S. Thomas dum dicit (*b*) *Quantum ad forum conscientiæ, si interius dissentiat* (puella) *quamvis exterius non reclamet, non est Matrimonium*. Idcirco Ritualis liber Romanus multique alii jubent, sacerdotem semper curare contrahentes assensum suum verbis prolatis exprimere; aut, si alteruter mutus sit, signo quodam exteriori assensum suum significare. Id ita verum est, ut licet quis verba assensum suum exprimentia pronuntiaret, irritum tamen foret Matrimonium, si interius non assentiretur. *Expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit*. Sic etiam loquitur S. Thomas, qui addit: (*c*) *Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium, quia Matrimonium consistit in mutua conjunctione*. Certum est igitur Matrimonium Luciæ, de qua in specie proposita agitur, cum interius assensa non sit, Matrimonium inquam ejus esse irritum coram Deo, licet in foro exteriori conjiciendum sit ratum: Ibi enim de veritate ex eo solummodo dijudicatur quod exterius apparet.

(*a*) Leg. Unium. §. 2. ff. de pactis.
(*b*) S. Thom. in 4. dist. 20. in exposit. textus.
(*c*) Idem in 4. dist. 17. q. 1. n. 2. q. 4. in corp. & ad art. 2.

CASUS IV.

Philemon simulavit se assentiri Matrimonio a se contracto cum Honorina conditione sibi æquali: quod tamen fecit tantummodo ut maximum vitaret damnum quod ne ipsi afferretur periculum erat, si consentum denegasset. An postea aliud Matrimonium contrahere ipsi ex conscientia licat, aut saltem an potest aliud ratum contrahere Matrimonium?

RESPONS.

Qui uxorem duxit cum simulato consensu, tenetur accurate loquendo, illam semper habere tanquam sponsam suam legitimam, & Matrimonio sincere assentiri. *In tali casu*, inquit S. Thomas (*d*) *sponsas antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis* Ratio est, quod peccaverit non solum contra fidem bonam, sed & adversus justitiam, accipiendo jus & dominium quod Matrimonium in corpus uxoris dat; quin tamen consensu sincero dominium simile in corpus suum ipsi daret: Constat enim Matrimonium hunc includere Contractum, quem vocant *do ut des*. Cum igitur alter dominium in corpus suum alteri dedit, alter tenetur dominium simile in corpus suum alteri vicissim dare. Hæc est docti S. Thomæ Interpretis ratiocinatio, ait enim (*e*) *Respondeo quod, regulariter & per se loquendo tenetur eam ducere; primo, quia utrimque est contractus*, do ut des. *Mulier autem implevit quod ex parte sua requiritur, tradendo potestatem sui corporis. Ergo etiam alter tenetur quod est ex parte sua implere. 2. Talis simulator peccavit contra justitiam, nec regulariter potest satisfacere, nisi simulationem vertat in veritatem. Ergo ad hoc tenetur.*

(*d*) S. Thom. in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 4.
(*e*) Fr. Sylv. in supplem. S. Thom. qu. 41. art. 4. qu. 2.

Ex duabus istis rationibus patet, Philemonem teneri ex stricto jure Honorinæ concedere potestatem similem potestati ab ipsa acceptæ, ac eo major est obligatio illa, quod simulatio illa huic mulieri detrimentum magnum afferret, non solum quod ad ejus bona, ejusque famam spectat, sed etiam quod ad ejus libertatem attinet. Quandoquidem enim fraudem probare possibile ipsi non esset, nec illius viri simulationem, neque etiam se nuptui collocare altero Matrimonio posset; ac etiamsi posset, cum commodo nubere non posset; quoniam divortium, quod cum eo faceret, non esset ab omni suspicione vacuum incontinentiæ utriusque. Non æquum est igitur Philemonem aliam ducere uxorem postquam cum Honorina subdole egit: fraus dolusve non debet esse in beneficium fraudulenti, juxta hoc Innocentii III. effatum (*f*) *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*.

(*f*) Innoc. III. in c. officii 24. de testament. & ult. volunt. l. 20. tit. 26.

Ea ratiocinatione sententiam suam confirmat Sylvius: *Decepto, vel Deceptæ sequitur grave damnum*, inquit præterea Theologus ille; *cum enim non possit probare fictionem alterius, non permittitur inire aliud Matrimonium; & quamvis permitteretur, tamen ob famam tali divortio graviter læsam, non facile inveniet conjugem se dignum*. Addit denique auctoritatem S. Thomæ, qui nititur Juris regula quam mox laudavimus. *Et ita sentire videtur beatus Thomas, dum ait* (*g*), *quod dolus verborum isti simulatori, nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ patrocinetur. Hoc enim ideo est, quia in utroque foro obligatur eam ducere, quam decepit*.

(*g*) S. Tho. in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. qu. 4. ad 2.

Cum Sylvio diximus, illum, qui cum assensu simulato uxorem duxit, teneri illam uxorem suam legitimam servare, *regulariter & per se loquendo*; sunt enim quidam casus, in quibus se liberare posset; ut deinceps videbimus.

Ea est etiam Joannis Duns Scoti sententia, ut & Joannis Majoris, Scoti quoque, Dominici Soti, Navarri & multorum (*h*).

(*h*) Scotus in 4. d. 30. q. 1. Jo. Maior. ib. d. ib. q. 2. art. 3. Navarr. Man. c. 22. n. 76.

Concedendum tamen est, quod si Philemon Matrimonium ab ipso simulate contractum *animo conjugali*, non consummaverit, cum alia rite contrahere potest, etsi contrahere non possit, quin graviter peccet, & quin teneatur resarcire, *judicio viri prudentis*, omne damnum quod Honorinæ attulit, illam decipiens. *Quo tamen casu*, inquit Sylvius, (*i*) *tenetur priori ad compensationem prudentis arbitrio faciendam*.

(*i*) Fr. Sylvius loco cit.

CASUS V.

Benignus, ingentis Parœciæ Dominus, cum Elisabetham, filiam rustici cujusdam ex suis clientibus decipere vellet, illam uxorem duxit juxta formulas ab Ecclesia præscriptas, quin tamen matrimonio intus assensus fuerit. Et postquam aliquot diebus cum ea vixisset, tanquam ejus maritus, sacerdoti declaravit nullatenus sibi in animo fuisse, illam uxorem ducere, quod ipsi probavit testificatione ab ipso facta, cum chirographo apposito, pridie quam matrimonium celebraretur, quamque in manu sacerdotis sigillo obsignatam reposuerat. Atque adeo hoc jure denegat illam tanquam uxorem habere, assensum suum renovando: affirmatque se ad id non teneri propter ingentem inæqualitatem quæ intercedit inter genus suum nobile, & ignobile filiæ illius genus. Quid eo casu sacerdoti faciendum est, si Benignus pœnitentiæ Tribunali se sistit?

RESPONS.

Licet Benignus gravissime peccarit coram Deo, quod Elisabetham deceperit, & sacrilegium commiserit: inter Theologos tamen hoc convenit eo casu, virum generis tam inæqualis & ortus tam excelsi supra puellæ ortum, cogi non debere ad reparandam injuriam qua ipsam affecit, dum illam uxorem ducere simulavit: ad id inquam cogi non debere assensus renovatione. Nam juxta S. Thomam (*k*) ad id tenetur tantum, *si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis*.

(*k*) S. Thom. in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 4.

Ratio

Ratio, quæ hujus decisionis reddi potest, hæc est scilicet, quod dici non possit, eo casu fraudem veram & sufficientem fuisse, sed contra cum ratione conficiendum esse, puellam, cui viri illius genus notum erat, se ipsam decipere voluisse: *Quia præsumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta; sed decipi finxerit.* addit Doctor Angelicus. Sylvius sancti illius Doctoris sententiam sequitur, *si decipiens*, inquit (*a*), *sit conditionis longe majoris; vel evidentia signa præbuit ficti consensus, tunc præsumi potest, & quod mulier non fuerit vere decepta, & quod verbis viri non crediderit, sed se credere simulaverit.*

(*a*) Fr. Sylvius in Supplem. S. Th. q. 45. art. 4. quæsito 2.

His addi potest, quod si prorsus cogeretur vir ille mulierem istam uxorem habere, metuendum foret ne pergeret vivere cum illa eodem animo quo illam ducere simulavit; aut ne post renovatum consensum, ita inæquale matrimonium pessimos habiturum sit exitus. *Cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*, ut loquitur Lucius III. Papa. (*b*) Quod igitur Benigni Presbyter ab ipso exigere potest, in specie proposita, hoc est nimirum, 1. severis pœnis expiet fraudem suam, sacramenti Elisabethæque simplicitatis abusum, ac peccata quæ cum illa per speciem matrimonii commisit. 2. Curet Ecclesiæ judicem matrimonium irritum pronuntiare. 3. Curet etiam pecuniæ summa puellæ data illam æque utiliter & æque honorifice collocari, ac antea collocata fuisset (*c*).

(*b*) Luc. III. in c. Requisivit. 17. de sponsal. lib. & matrim.

(*c*) Collo. Lucon. t. 9. colloq. 6. p. 1.

CASUS VI.

Alcuinus simulavit Amaliam uxorem ducere; cum autem nullum interiorem assensum matrimonio dederit, cum illa habitare deinceps recusavit, & ut matrimonium consummare, ex morsu scilicet conscientiæ, quoniam novit se matrimonium consummare non posse absque peccato mortali. Imo secundum matrimonium contraxit, cui verum assensum dedit. Illum Amalia vocavit apud Ecclesiæ Judicem, qui ipsum damnavit sub pœna excommunicationis majoris, *ipso facto*, ad habitandum cum ea. An sententiæ pronunciatæ obedire potest, ut censuram illam vitet?

RESPONS.

Licet eo casu injustum judicium non pronuntiaverit Judex Ecclesiasticus; quia judicare nec potuit nec debuit, nisi ex probationibus & factis extrinsecus apparentibus; Alcuinus tamen illi obedire non potest, quin peccati reum se reddat, teneturque excommunicationem submisse ferre potius quam judicio illi se submittere; aut debet in remotam regionem se recipere, si possit, ubi sine scandalo cum uxore sua legitima vivere possit. *In tali casu*, inquit S. Thomas (*d*) *Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore; quia judicat secundum ea, quæ foris apparent: nec decipitur in justitia, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quam ad primam uxorem accedat, vel debet alias regiones remotas fugere.* Hujus decisionis rationem alibi reddit Sanctus ille Doctor, (*e*) dicens; *Judicium Ecclesiæ circa ea quæ ad matrimonium pertinent, si veritas lateat, non impedit sequens matrimonium contrahendum, nec dirimit jam contractum.*

(*d*) S. Th. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. quæstio 4. ad 5.

(*e*) Idem quod lib. l. 3. art. 15. ad 2.

Id etiam docet S. Bonaventura, cum dicit (*f*): *si sit consensus exterior sine interiori, non est matrimonium secundum veritatem: nec secundum divinum judicium, nec secundum conscientiæ forum; quamvis esse videatur & judicetur secundum forum Ecclesiasticum.* Ratio quam affert hæc est, scilicet, in omnibus sacramentis ut sint rata, necessarium esse ut adsit spontaneum consilium id faciendi quod facit Ecclesia: illud vero non reperitur in specie proposita, in qua Alcuino nullus plane fuit animus cum Amalia contrahendi; ac ideo sacramentum non accepit Alcuinus, nec cum ea legitime contraxit; *& cum hujus sit multiplex ratio, hæc tamen est præcipua, quia in omnibus sacramentis requiritur intentio voluntaria faciendi quod facit Ecclesia. Qui ergo talis secundum veritatem non intendebat contrahere matrimonium, non fuit; nec est sacramentum.*

(*f*) S. Bonav. in 4. dist. 27. q. 2. in conclus.

Duorum illorum Sanctorum Doctrina confirmari potest ex Decretali, in qua Innocentius III. consultus, num scilicet ratum esset matrimonium contractum a quodam, qui, ut puellam seduceret, simulavit illam uxorem ducere, fingens se vocari Joannem, quamvis ipsi aliud esset nomen, quoniam persuasum habuit suppositionem illam matrimonium irritum reddere; Papa ille respondet (*g*), si præter suppositionem expresse pateat hominem illum assensum non fuisse, matrimonium illud irritum esse: quoniam Contractus conjugalis substantia, forma quoque necessaria ut ratum sit matrimonium, desunt in hoc casu, cum fraudulenter tantum egerit homo ille, nullumque dederit verum consensum, sine quo matrimonium legitimum nunquam esse potest. En Decretalis illius verba. *Finxit se vocari Joannem, non credens esse conjugium, eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem; utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum, cum mulier consenserit in eundem, & ille dissenserit & dissentiat.* Ea est quæstio: En vero Papæ illius decisionem. *Respondemus quod cum præfatus vir prædictam desponsaverit mulierem in propria persona & sub nomine alieno, quo vocari tunc se finxit; videtur forte pro conjugio præsumendum; nisi tu nobis expresse scripsisses, quod ille non proposuit nec consensit illam ducere uxorem .... nos autem quid juris sit rescribentes, dicimus; quod, si res ita se habet, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam; non debet ex illo facto conjugium judicari; cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit & defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Auctoritates illæ omnes probant, in specie proposita, dictum Alcuini cum Amalia matrimonium irritum esse, deficiente consensu; ac ideo Alcuinum cum Amalia rem habere nunquam posse, tanquam maritum, quovis prætextu, & quælibet pronuncietur condemnationis sententia.

(*g*) Innoc. III. in c. Tua nos 26. de sponsal. lib. & matrim.

CASUS VII.

Paternus, cum Catharinam uxorem duxisset simulate & quin totus matrimonio assentiretur, cum illa deinde rem habuit, *affectu fornicario*, & quin illam tanquam uxorem suam spectaret. Postquam deinceps illam deseruisset, peccatum suum sacerdoti confessus est. Confessarius illum cogere vult ad eam in uxorem retinendam, consensum renovando, ut reparet injuriam qua Catharinam affecit, simulque detrimentum quod Catharinæ afferretur, si illam desereret Paternus. Id facere recusavit, quoniam illam uxorem ducere sic finxit tantum, quia asseveraverat se esse virginem, deinde vero certissime ipsi notum fuit, illam ante sex menses a quodam juvene ipsius vicino vitiatam fuisse. An tamen Confessarius ille eum cogere debet, ipsi absolutionem denegando, ut iterum matrimonio assentiatur, & ad eam revertat, invictis rationibus ab ipso allatis?

RESPONS.

Si verum sit Catharinam Paterno asseverasse se esse virginem, & eam talem tunc habitam fuisse, & illum alioquin eam uxorem ducturum non fuisse; videtur non debere Confessarium illum cogere absolutionis denegatione ad assensum suum sincere renovandum, & eam in uxorem habendam. Ratio est, 1. quod æquum sit, puellæ illius fraudem compensari qua decepta est: *Cum paria crimina compensatione mutua deleantur*, ut loquitur Innocentius III. in Decretali, quam ad Episcopum Ambianensem inscripsit (*h*). 2. Quia cum ipsa sit causa detrimenti & injuriæ ipsi illatæ, jus non habet querendi, neque in Paternum referendi, juxta hanc juris Romani regulam (*i*). *Quod quis ex causa sua damnum sensit, non intelligitur damnum sentire.*

(*h*) Innoc. III. in c. Tua fraternitas fin. de adulteriis & stupro & in c. Intelleximus 6. eod. tit.

(*i*) Leg. 203. ff. de diversis reg. juris antiqui l. 50. t. 17.

Ea

Ea est Sylvii decisio. *Si mulier quæ decepta videtur*, inquit auctor ille, excipiens tamen casum regulæ generalis quam constituerat, *in ipso contractu se virginem simulaverit, cum non esset, aut ut talis passim habebatur, etiam a contrahente, nunquam alioquin contractum. Per hanc enim deceptionem satis videtur satisfacturo injuriæ.*

Operæ pretium tamen est observare, in ejusmodi casibus (quod semel & in perpetuum dicamus, repetitionesque vitemus) scandalum semper vitandum esse, quantum fieri potest: idcirco necessarium est ad Judicem Ecclesiasticum recurrere, ut ab eo separationis sententia impetretur: alias enim si res nota foret, qui ad secundum matrimonium auctoritate sua privata convolarunt, tamquam in adulterio viventes censerentur; vel si in divortio viverent, tamquam scandalum & offensionem creantes haberentur. Quapropter etiamsi simulata matrimonia coram Deo irrita sint; necessarium tamen est, ut vitetur scandalum: Ecclesiam irrita illa declarare, antequam secundum matrimonium sine peccato contrahi possit. Hanc cautionem adhiberi volunt Theologi, quando Matrimonium primum pervulgatum est ac ratum. *Poterit inire secundum matrimonium & eo libere uti*, inquit Sylvius (*a*), *modo tamen consentiat judicis Ecclesiastici sententia, si prius Matrimonium fuerit manifestum, & pro valido passim reputatum.*

(*a*) Id ibid. qu. 4. conc. 3.

Inutile quoque non erit, antequam huic argumento finem imponamus, observare 2. nimis leviter adhibendam non esse fidem iis, quæ dicit quispiam circa simulationem qua se usum fuisse pertendit, cum matrimonium contraxit. Qui enim confitetur, se ea fuisse imprudentia, ut Ecclesiæ palam mentiretur; non dignus est cujus verbis fides adhibeatur, nisi probationes sufficientes addat eorum quæ in medium affert. Ea est Bonacinæ sententia, quam sequitur Sylvius (*b*): *Regulariter non tenetur credere*, inquit Theologus ille, *quamvis hoc asserat cum juramento: eo quod verisimilius sit, ipsum modo mentiri, quam mentitus fuerit in contractu.* Id quoque denuntiat Innocentius III. scribens ad Episcopum Tiburtinum (*c*), his verbis: *Cum nimis indignus sit juxta legitimas sanctiones, ut quod sua quisque voce protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.* Debemus contra judicare in gratiam ratæ auctoritatis matrimonii, & virum illum matrimonio vere affectum fuisse, si nullas afferat rationes quibus pertendit se usum fuisse. *Præsumendum verum, nisi probetur contrarium.* Hoc effatum duabus ejusdem Papæ nititur Decretalibus (*d*). Jam autem juxta Sylvium (*e*) quinque sunt rationes, quæ nos impellunt ad credendum verum esse quod vir ille dicit. En rationes illas. *Primum argumentum*, inquit Doctor ille Duacensis Professor, *si ita statim a contractu reclamet, ut videatur protulisse verba per inadvertentiam. Secundum, si postea & neget se consensisse, & de facto contrahat cum altera: vel recipiat sacros ordines, aut profiteatur Religionem. Tertium, si juramento confirmet se non consensisse; & est talis, de quo præsumi non possit, quod pejeret. Quartum, si tanta sit disparitas, ut verisimile sit, non voluisse contrahere cum tali. Quintum, si probet metum patris ille qui neget se consensisse.*

(*b*) Idem ib. conclus. 2.

(*c*) Innoc. III. in cap. *Per tuas* 10. de probationibus lib. 2. tit. 10.

(*d*) Idem in cap. *Post cessionem.* 1. & in cap. *Quoniam.* 11. eod. tit.

(*e*) Sylvius cit. conclus. 3.

CASUS VIII.

Gosselinus ac Joanna sibi invicem promiserunt, fore ut post tres menses matrimonio se jungerent, ea proposita pœna, ut qui promisso stare recusaret, quingentas libras alteri solveret. Paullo post Goselinus sententiam mutavit. Illum Joanna apud Ecclesiæ Judicem compellavit, ut ad pecuniam illam solvendam damnaretur. An in foro conscientiæ tenetur illam solvere, præsertim, si ad solvendum condemnet eum Judex?

RESPONSIO.

Volebat olim antiqua ecclesiastica Jurisprudentia, cogi immo censuris, illos qui matrimonii promissa a se data exsequi recusant. Id patet ex Decretali Alexandri III. (*f*) in qua ad Episcopum Pictaviensem scribit & jubet, ut in simili casu severe agat. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eum moneas; & si non acquieverit monitis, Ecclesiasticis censuris compelles; ut ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in uxorem recipiat.* Id re ipsa ab Officialibus in praxim revocatum est; illorumque judiciis auctoritatem adjunxerunt Curiæ supremæ.

(*f*) Alex. III. in cap. *Ex litteris.* 10. de spons. & matrim.

Sed omnino obsolevit usus ille, quoniam experientia comprobavit matrimonia per vim aliquam celebrata ut plurimum pessimos habere exitus: & anteposita est Lucii III. sententia. Hic consultus ab Episcopo Rapollensi in Apulia, circa puellam quæ absque vel minima ratione, recusabat exsequi promissum, ab ipsa datum fore ut nuberet; petit, inquam, Episcopus ille, num debeat illam cogere? Præsuli respondet Lucius III. congruentius fore adhortationis potius, quam vis viam adhibere: quoniam matrimonia, citra plenam libertatem contracta, sæpe pessimos habent exitus. (*g*) *Cum libera debeant esse matrimonia*, inquit Papa, *monenda est potius, quam cogenda: cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

(*g*) Lucius III. in c. *Requisivit.* 17. de sponsal. & matrim.

Ipse Alexander III. difficilium illorum exituum periculum agnoverat; quandoquidem jubens censuras Ecclesiasticas adhiberi adversus eos, qui promissis suis stare recusant, exceptionem addit a nobis jam jam indicatam; *nisi rationabilis caussa obstiterit.* Dici autem potest, justam semper adesse caussam, quæ impedire debeat, quominus vis eo casu adhiberi debeat, sed potius censuris Ecclesiasticis vel pena pecuniaria puniatur. Impossibile enim est, quantum humano sensu conjicere possumus, eos contra quos agitur summo & acerbo jure, inter se vivere in pace, voluntatum consensione & amore, quæ matrimoniorum Christianorum felicitatem constituunt: fieri quoque nequit quin ex istiusmodi affinitatis conjunctionibus animi fiant alieni, exprobrationes, odia & scandala inter conjuges oriantur, ut & inter eorum affines.

Ob hanc rationem existimamus, etsi Gosselinus teneatur in foro conscientiæ stare promisso a se Joannæ dato, se ipsam uxorem ducturum, dato nullam ipsi justam esse caussam, quæ promissum dissolvat, & ab eo immunem illum faciat: existimamus, inquam, Judicis sapientiam & prudentiam postulare, ut ad hoc illum non cogat sententia, quæ illum condemnet ad solvendas quingentas libras quas stipulatus est, tamquam penam; ne illum sic cogens promisso suo erga Joanam satisfacere, summo hoc jure majori malo locum det. Quibus addi potest; Gosselinum non cogendo, nullum detrimentum afferri Joannæ; cum ipsius intersit, si & spiritualia & temporalis spectentur, non nubere viro illam contemnenti, & aperte declaranti se nolle eam uxorem ducere; quod manifestum est indicium, illum nec existimatione nec amore duci erga eam.

Judex præterea nullum pœnæ pecuniariæ respectum habere debet, quam inter se stipulati sunt, quia ejusmodi pœnæ in Matrimonii promissionibus a Jure sunt reprobatæ, tamquam quidpiam bonos mores lædens, nec non libertatem, quæ in Matrimoniis integra & perfecta esse debet. Id pronuntiat Gregorius IX. in quadam ex suis Decretalibus (*h*): *Cum itaque libera matrimonia esse debeant*, inquit ille Papa, *& ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda; mandamus, quatenus si ita est, eumdem B. ut ab extorsione prædictæ penæ desistat, Ecclesiastica censura compellas.*

(*h*) Greg. IX. in cap. *Gemma.* 29. eod. tit.

Hanc in rem Leges civiles cum legibus Ecclesiasticis sunt consentaneæ, ut patet ex Lege, quæ dicit: (*i*) *Libera matrimonia esse, antiquitus placuit: Ideoque pacta ne liceret divertere, non valere; & stipulationes, quibus pœnæ irrogarentur ei qui, quæve divertium fecisset, ratas non haberi constat.* Alia quoque Lex ejusmodi pœnas reprobat,

(*i*) Leg. *Libera.* 3. cod. de inutilibus stipulat. lib. 8. tit. 39.

tamquam bonis moribus contrarias. En ejus verba: *Respondemus, ex stipulatione quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem doli mali obstaturam: quia inhonestum visum est, vinculo pœnæ Matrimonio obstringi, sive futura, sive jam contracta.* Cui consentaneum est Supremi Senatus Parisiensis. Decretum, datum 16. Maii 1639. quodque refert Horrius. Unde concludimus Gosselinum in foro interiori non teneri pecuniam quam cum Joanna stipulatus est solvere, licet ad id in foro exteriori damnaretur, juxta Jurisprudentiam cum Canonicam tum Civilem, passim vigentem.

Objici quidem potest, illum qui Matrimonii fidem datam frangit, dignum esse qui ob perfidiam puniatur. Sed iis respondetur 1. Non esse Judicis Ecclesiastici illum condemnare ad damna resarcienda illius, cui promissum dedit; sed Laici Judicis ad quem eum amandare debet, ut apud eum damnetur; quoniam ibi pœna quam stipulati sunt, a parte conquerente repeti potest, non tamquam pœna, sed nomine damni; eaque pecunia ipsi adjudicari debet, juxta Curiarium Civilium Jurisprudentiam (a). En primum responsum. Secundum hoc est: scilicet, ubi quispiam fidem frangit, gemmas ac ornamenta muliebria, quæ desponsatæ suæ dederat, amittit (t). Denique addi potest, Officialem, cum sententiam pronuntiat adversus eum qui sine caussa fidem frangit, non solum impensis illum damnare, sed etiam pecuniæ quamdam summam, eleemosynæ nomine, Nosocomio addicenda, vel quibusdam aliis operibus piis, huicque condemnationi auctoritatem attulit supremus Parisiensis Senatus, ut testatur Fraxineus (b). Consentanea est illa decisio cum Cujacii sententia (c), ut & Doctoris cujusdam recentioris, qui fuit Carcassonensis, deinde Condomensis magnus Vicarius & Officialis (d).

(a) Basdev. Collect. Decretor. l. 1. c. 13.

(b) Fori Ephemeris l. 1. c. 10.

(c) Cujacius leg. 19. ff. de verborum significatione.

(d) Du Casse, Prax. Jurisd. Ecclesi. com. cap. 2. §. 1. num. 4.

CASUS IX.

Timantes ambit nuptias Julianæ ipsi æqualis & genere & bonis, cujusque mores sunt sanctissimi ac probatissimi. Timantis mater Paullina a sex mensibus assensum suum denegat, quoniam ab illa puella odio naturali refugit, quin ei ulla alia sit ratio cur matrimonio obstet. Immo severe & arcte vetuit Timantem Julianam invisere, & de ea ducenda cogitare. Timantes tamen clam Julianam frequenter invisit: colloquia illa facilia reddente Laurentia, puellæ matre: spes enim illam tenebat Matrimonium felicem exitum habiturum. Id cum novit Paullina, iracundia exarsit, non solum in filium suum, sed & in Laurentiam ejusque filiam Julianam, illasque verbis admodum contumeliosis lacessivit. Hæc omnia edoctus Sacerdos valde contendit a Paullina, ut Matrimonium assentiatur; & a Laurentia ut non amplius permittat filiam suam a Timante frequentari. Sed utraque plane recusavit ipsius consilio obtemperare. Circa hæc petitur. 1. Num Sacerdos ille Paullinam possit absolutione solvere, licet pertinaciter in recusatione sua perstet. 2. Num Timantes sibi persuasum habet puellæ illius nuptias aptissime ipsi convenire, pergere possit illam frequentare, invita matris suæ prohibitione; & num eo casu Sacerdos debeat ipsi absolutionem denegare, ipsius recusationis caussa. 3. Num Laurentiam cogere debeat, absolutionem ei denegando, ut non amplius faveat consuetudini Timantis cum filia sua contra Paullinæ voluntatem & apertam prohibitionem?

RESPONS.

Ut primæ difficultati propositæ respondeatur, distinguendum est. Vel enim Timantes triginta annos natus est, vel non. Si ea sit ætate, constat illum jus habere uxorem sibi matrimonio adjungendi, licet intercedat mater ejus. Lex Regni eo casu dominum illum facit personæ suæ & voluntatis suæ, in iis quæ ad Matrimonium spectant: ita ut neque ejus mater, nec ipse ejus pater, si adhuc vivat, ullum jus habeat impediendi quominus hoc matrimonio se jungat. Hoc solummodo præcavere debet, ut scripto a matre sua postulet consensum, ut palam faciat, se ipsi reverentiam debitam præstitisse, eodemque tempore impediat, ne ipsum exheredet, ut eum exheredandi jus haberet juxta Decretum. Si vero Timantes nondum triginta annos natus sit, Julianam uxorem ducere non potest sine matris suæ approbatione, quam ipsi denegare potest, cum conjiciendum sit, eam apud se æquas habere rationes; & eo casu prudens non esset Sacerdos, si absolutionis denegatione cogere illam vellet Matrimonio assensum suum dare. 1. Quoniam dissidium quod jam intercedit inter Paullinam & Laurentiam, exinde multum urgeri posset, nedum extingueretur. 2. Quoniam filiorumfamilias Matrimonia, adversus parentum voluntatem contracta, exitus fere semper infelices habent, quia ut plurimum illis non benedicit Deus. 3. Quoniam Paullinæ justissima potest esse ratio, cur non permittat filium suum Julianam uxorem ducere, sive cogatur illam aperire, sive caritatis præceptum illam impediat, quominus Sacerdoti illam notam faciat. 4. Quia ex Decretis quæ ipsi filium subjiciunt ad annum usque trigesimum, nullum parentes quovis casu adstringit liberorum suorum Matrimonio assensum dare ante tempus illud.

Circa secundam quæstionem existimamus, Timantem triginta annis minorem pergere non posse Julianam invisere, eo prætextu quod ejus mores probatissimos credat, & quod ipsi æqualis sit & genere & bonis.

1. Quia rationes illæ non sufficiunt ut liberetur ab obedientia & reverentia quæ erga matrem suam tenetur, ex jure naturali, divino ac humano; eamque irritavit agens huc usque adversus ea quæ ipsum vetuerat Mater, illamque deinceps multo magis irritaret, cum cognosceret illum ipsius voluntatibus pervicaciter refragari: his denique Dei maledictionem in se concitare posset, quam maledictionem ore Sapientis pronuntiat Dei Spiritus, dum dicit: *Maledictus est a Deo, qui exasperat matrem* (e).

(e) Eccli. 3. 9.

2. Quia mater ejus, quæ ab initio odio tamen naturali Julianam refugiebat, odio capitali ac vocibus contumeliosis se tradidit in Julianam ejusque matrem, cum magna offensione eorum quibus hæc nota fuerunt: certumque videtur, si Timantes pergat puellam illam invisere, acerbiorem fore Paullinæ iram, dissidiumque inter duas illas familias magis apertum fore. Non potest igitur non obedire matri suæ, nec intercessionem ejus huic Matrimonio non spectare tamquam Providentiæ divinæ effectum, quæ hoc obstaculum exoriri facit: ita ut si obedire recuset, ipsi etiam absolutionem denegare debeat Sacerdos.

Denique circa tertiam quæstionem credimus Sacerdotem eodem modo cum Laurentia agere debere; cum pateat, eam solam in caussa esse cur Timantes non obediat, & cur sit discordia inter ipsum atque Paulinam. Tenetur itaque Laurentia remedium afferre, quod in ejus manu repositum est, vetando filiam suam quovis tempore Timantem excipere, ac deinceps nullatenus favendo illius colloquiis. Idque ipsi eo magis rationi consentaneum ac justum videri debet, quod certum sit, eam non passuram, Paullinam favere Timantis colloquiis cum filia sua, contra ipsius voluntatem & prohibitionem; ideoque eam teneri eodem modo se gerere Paullinæ ejusque filii respectu, in casu proposito.

CASUS X.

Eunomius adolescens, viginti duobus annis natus, Matrimonium pactus est cum Olympiade nobili genere nata viginti annis: eorum tamen neuter parentum suorum consensum nec obtinuit, immo nec petit. Circa hoc petitur, 1. An eorum Matrimonium ratum sit? 2. An mortale peccatum commiserint, sic contrahentes?

RESPONS.

Prima quæstio in hac specie proposita difficillima est solutu: quapropter antequam ad hanc respondeamus, operæ pretium est expendere, quænam fuerit Ecclesiæ ac Principum civilium sen-

ten-

(t) Vid. Menda Pautas, Observ. III. num. XLVI.

tentia : & quænam Jurisprudentia hucusque observata fuerit cum in Oriente, tum in Occidente, circa hoc momentosum Disciplinæ argumeutum.

Dicimus igitur primo, juxta Leges Imperiales, Matrimonium liberorum pupillorum irritum fuisse, cum illud paciscebantur sine consensu, saltem tacito pareutum, vel si desint, sine consensu eorum in quorum sunt potestate. *Nuptiæ consistere non possunt*, inquit Lex (*a*), *nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt, quorumque in potestate sunt*. Legesque illæ nullos ab illo officio solvebant, nisi filios-familias emancipatos (*b*): spectabant enim filium emancipatum, quasi non amplius esset ex numero, qnibus familia paterna constabat (*c*). Excipiebanr tamen etiam Casus illos, in quibus pater a tribus annis captivus detinebatur, vel ab eodem tempore absens erat, nec cognosci poterat ubinam esset, aut an in vivis adhuc esset (*d*), aut denique cum demens erat (*e*). Jam diximus, *sine consensu, saltem tacito parentum*. Cum enim noverat pater filii sui Matrimonium, nec intercesserat, censebatur assensum dedisse (*f*).

(*a*) Leg. *Nuptiæ*. 2. ff. De ritu nuptiarum. Lib. 23. tit. 2.

(*b*) Leg. *Filius*. 25. ff. eod. tit.

(*c*) Leg. *Quin etiam*. 35. Ibid.

(*d*) Leg. *Si in*. 10. Leg. *Si Filius* 11. Leg. *Si nepos*. 9. §. 1. ff. eod. tit.

(*e*) Leg. *Si nepos*. cit. & Leg. *Si furiosi*. 25. Cod. de nuptiis. lib. 5. tit. 4.

(*f*) Legi *Si ut proponis*. Cod. de nuptiis.

Justinianus (*g*) aliique Imperatores Christiani qui eum secuti sunt, Jurisprudentiam illam non immutarunt; illam contra confirmaverunt; immo circa Matrimonia Christiana, licet illa spectare non possent tamquam contractus mere civiles, atque ex religione illa ea agnoscerent esse vera Sacramenta. Ceteri Imperatores Constantinopolitani eamdem secuti sunt Jurisprudentiam, præter hoc scilicet, quod permiserint filiis viginti aunos natis, pro arbitrio Matrimonio se iungere, cum eorum patres assensum suum denegabant.

(*g*) Lib. 10. Institut. tit. 2. juris.

Orientales Ecclesiæ semper jusserunt Fideles Disciplinam illam observare, ut patet ex iis quæ S. Basilius Episcopus Cæsariensis scripsit ad Amphilochium Episcopum Iconiensem, quippe *fornicationes* appellat Matrimonia a filiis-familias contracta sine eorum consensu, in quorum potestate erant. *Quæ sine his qui habent potestatem, sunt Matrimonia, sunt fornicationes*, (inquit pater ille), (*h*). *Nec ergo vivente patre, ei qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio annuerit: tunc enim accipit firmitatem conjugium*. Multi Auctores Græci, qui a nono sæculo usque ad decimum quartum inclusive scripserunt, testantur ejusmodi Matrimonia a viginri quinque annis minoribus contracta, irrita fuisse: nec legimus Patres Florentini Concili, habiti an. 1438. quidquam hanc in rem Græcis exprobrasse.

(*h*) S. Basil. Epist. 346. ad Amphiloch. Can. 41.

Dicimus secundo, Ecclesiam Latinam, cum plane libera facta fuerit sub Imperatoribus Christianis, eorum adoptasse Leges, quæ ejusmodi Matrimonia irrita pronuntiabat, sicut illas jam probaverat, juxta testimonium Tertulliani (*i*), qui florebat & Romæ degebat imperante Severo Imperatore facto circa annum 193. Dicit Tertullianus, filios Matrimonium contrahendi jus non habere, nisi observent regulas ordinarias, quæ spsos vetaut, Matrimonium absque Parentum consensu contrahere : *Nec in terris filii sine consensu parentum rite & jure nubent*. Quæ in medium proferimus, his argumentis nituntur.

(*i*) Tertull. 2. ad uxorem.

Primum elicitur ex quarto Concilio Carthaginiensi habito anno 398. adstantibus uno & viginti Episcopis sub Anastasio I. Papa, & a Leoue III. (*K*) comprobato, ubi dictum est, eos qui Matrimonium contracturi sunt, sacerdoti sistendos esse a parentibus, vel a paranymphis: *Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis afferantur*.

(*K*) Conc. Carth. 4. c. 13. in Can. *Sponsus*. 5. 10. § 5. Item in Can. *Sponsus*. 33. dist. 23.

Argumentum secundum elicitur ex quarto Concilio Aurelianensi, habito anno 541. reguaute Childeberto. En hujus verba (*l*): *Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam; ne conjugium quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur: sed, sicut est probibitum, non admittatur: in his qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur*.

(*l*) Concil. Aurelian. 4. Can. 22.

Argumentum tertium est ex tertio Coucilio Parisieusi, habito anno 557. Pontifice Joanne III. (*m*) quod excommunicationis pœua vetat, non solum virginem viduamve rapere, sed etiam illam uxorem ducere, obtentu permissionis Principis, sine parentum consensu. *Nullis viduam, neque filiam alterius extra volantatem parentum, aut rapere præsumat, aut Regis beneficio æstimet postulandam. Quod si fecerit, similiter ab Ecclesiæ communione semotus, anathematis damnatione plectatur*. Eá sunt Concilii verba.

(*m*) Concil. Paris. 3. Can. 6.

Quartum argumentum ducitur ex Concilio secundo Turonensi, habito anno 567. regnante Chariberto (a) quod idem vetat ac præcedenria, & nititur Childeberti, Clotarii & Chariberti Decretis. Sic loquuntur Concilii illius Patres. *Cum non solum Domini gloriosæ memoriæ, Childebertus & Clotarius Reges constitutionem Legum de hac re custodierint & servaverint, quam nunc Dominus Charibertus Rex successor eorum præcepto suo roboravit, ut nullus allam puellam absque parentum voluntate, trahere aut accipere præsumat*.

(*n*) Concil. Turon. 2. Can. 20.

Quintum argumentum elicitur ex tertio Concilio Toletano, babito anno 589. Pontifice Pelagio II. (*o*) adstantibus 64. Episcopis Gallis & Hispanis, vetatque filias contra parentum voluntatem nubere. *Ne citra voluntatem parentum, vel suam, cogantur maritos accipere*.

(*o*) Concil. Tolet. 3. Can. 10.

Auctoritas sexta præcedentibus est magis distincte enuntiata, probatque Occidentalem Ecclesiam ubi primum se plane liberam vidit, statim ad Imperatorum Regumque Leges se conformavisse, circa vitium Matrimoniorum a filiis-familias contractorum, citra parentum voluntatem. Ea autem est multorum summorum Poutificum auctoritas, & inter alios Cælestini 1. (*p*), qui Bonifacio I. anno 423. successit, quique non solum ejusmodi Matrimonia reprobat ac vetat, sed præterea illa irrita pronuntiat. *Si non interfuerunt* (parentes, & eorum defectu proximiores) *& consensum non adhibuerint, secundum Leges nullum fiat Matrimonium*. Eadem verba leguntnr etiam in Decretali in Corpore Juris laudata (*q*).

(*p*) Cælestin. 1. in Can. *Videtur*. 2. 31. q. 4.

(*q*) Idem in cap. *Videtur*. 3. qui matrimon. accusare poss. sunt l. 4. tit. 18.

Pelagius 1. (*r*) vult quoque, filiam cujus pater mancipium factus est, non posse nubere ni assentiente avo materno, juxta Legem jam laudatam (*ſ*). Pariter Nicolaus I. Bulgaribus respondens, dicit (*t*), necessarium esse parentum assensum sicut & contrahentium, ut legitimum fiat Matrimonium. *Fœdera quoque* (nuptiarum) *consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt, celebrantur*. Denique legitur præterea Canon quidam antiquus in Gratiani Decreto insertus, nomine Evaristi, licet Papam illum Auctorem non habeat juxta vulgarem Criticorum omnium Doctorum sententiam, ex cujus verbis patet, Jus Ganonicum consentaneum fuisse cum Imperatorum Occidentis Coustitutionibus. *Aliter legitimum non fit conjugium*, inquit Canon ille (*u*), *nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur: & a quibus custoditur uxor, petatur & a parentibus & propinquioribus sponsetur. Ita peracta legitima scitote esse connubia; aliter vero præsumta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra aut fornicationes, potius quam legitima conjugia, esse non dubitate; nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima*.

(*r*) Pelag. 1. in Can. *Parrem* un. 30. q. 3.

(*ſ*) Cit. Leg. *Si neque*. Cod. de nupt.

(*t*) Nicol. I. in Can. *Nostrates*. 2. 30. q. 1.

(*u*) Can. *Aliter*. 1. 30. q. 5.

Verum quidem est Patrem Sirmondum (*x*), post Cardinalem Bellarminum (*y*) & innumeros alios celebres Theologos fusius probare, Canonem illum intelligi non debere nisi respectu fori exterioris, ubi ejusmodi Matrimonia irrita existimantur, licet in foro conscientiæ legitima esse possint. Legimus tamen Imperatorem Carolum Magnum Canonem illum adoptasse in quodam ex suis Capitularibus (*z*). Sic enim mentem suam explicat : *Decretum est, ut uxor legitime viro conjungatur; aliter enim legitimum, ut a Patribus accepimus & a sanctis Apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus uxor cu*-

(*x*) Jacob. Sirmond. Concil. Gall. t. 2. col. 536.

(*y*) Robert. Bellarm. l. c. 20.

(*z*) L. 7. Capital. Caroli Magn. c. 403.

floditur, petatur; & a parentibus propinquioribus sponsetur ..... Taliter enim & Domino placebunt (conjuges), & filios non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generabunt. Princeps ille sic imitatus est quod Rex Dagobertus (*a*) septimo sæculo præceperat secundo suo Capitulari, quo mandat, illum qui puellæ absque patris ejus consensu nupsit, debere illam in manus patris reddete, immo ipsi dotem congruentem assignare, ut alteri nubat: *Si quis filiam alterius non desponsatam, sibi acceperit uxorem: si pater ejus eam requirit, reddat eam: & cum quadraginta solidis eam componat*. Quod manifestum indicium est, ejusmodi Matrimnnium illicitum, & irritum tunc agnirum fuisse.

[(*a*) Dagobert. Capit. 2. c. 34. art. 54. nom. 1.]

Denique Jurisprudentiæ illi auctoritatem tribuunt quædam facta illustria, quæ suppeditat Historia, &, quæ a docto pioque Editore Colloquiorum Parisiensium de Matrimonio narrantur (*b*).

[(*b*) R. F. Semeller. Colloq. de Matrim. l. 5. Colloq. 1. pag. 293.]

Primum est de Juditha, Ethelulfi ac Etelredi Regis Angliæ vidua, filia Caroli II. cognomine *Calvi*, Regis Galliæ, nltimique liberorum Ludovici Mansueti, cui successit anno 840. & qui Imperator factus est anno 875. Princeps illa cum Balduino Flandriæ Comiti secundis nuptiis nupsisset, quin Caroli patris sui consensum habuisset; solemni Episcoporum judicio rogante Carolo congregatorum a Baldnino separata est Juditha, & excommunicatus est Balduinus, qui Rnmam ipse se contulit, ac querelas suas ad Papam detulit. Sed hoc acerbo dolore exustus est, quod Episcoporum Flandriæ sententiam a Nicnlao I. confirmatam viderit: ita ut Princeps ille, qui cum Caroln in gratiam rediit opera ejusdem Papæ, qui Regi in ejus gratiam scripserat (*c*), coactus fuerit ab eodem Rege consensum petere, Judithamque palam in Ecclesia iterum ducere. Hanc historiam narrat Flodoardus (*d*).

[(*c*) Nicol. I. ad Carolum Calvum Ep. 9. & 23. apud Sirmond. t. 3. Conc. Galliæ. p. 193. & 212.]
[(*d*) Flodoard. l. 3. hist. Eccl. Remensis.]

Aliud factum elicitur ex Reginone. Auctor ille narrat in Chronicis suis; quæ sunt a Christo nato ad annum 908. Ludovicum II. cognomine *Balbum*, filium successoremque Catnli Calvi, cum anno 882. clam uxorem dnxisset Ansgardam, Comitis Hardnini filiam, sine permissu Imperatoris patris sui, cum illa divortium facete coactum fuisse, licet ex ea liberos jam suscepisset, ac postea ducere uxorem Alixiam sive Adelaidam Anglam, sororem Vilfridi abbatis Flaviniaci in Burgundia, ex qua suscepit Camlum cognomine *Simplicem*, qui babitus est in Gallia Ludnvici filius & successor coronatus ab Archiepiscopo Fulquio, anno 893. die Januarii 28. cnm quatuordecim annis quatuorque mensibus natus esset. Quibus addi potest Papam Nicolaum I. Joannemque VIII. secundum illud matrimnnium probasse, saltem tacite, cum hoc alto silentio præterierint. Ea tunc erat Ecclesiæ Occidentalis Disciplina. Videamus nunc quinam fuerint ejus effectus.

Dicimns igitur 3. laudandam illam Disciplinam ab undecimo sæculo mutatam fuisse, cum ob summam ignorantiam fere universalem, quæ exeunte sæculo nnno irrepsit, per totum decimum ulteriusque permansit, tum quia inter Papas & Imperatores fere continuæ intercesserunt cnntroversiæ, quarum occasione Infideles ac Hæretici Italiam Hispaniamque vastatunt: quod in caussa fuit cur Europæ pleraque Regna ac Reipublicæ Leges Romanas neglexerint, sibique Leges peculiares, præcedentibus derogantes, constituerint.

Illa mutatio manifeste patet ex Decretalibus, quas Papæ Romanam sedem tunc occupantes sanciverunt. Ex iis enim videre est, eos cnntentos fuisse contrahentium liberum consensum exigere, ut ratum esset Matrimonium. *Matrimonium autem solo consensu contrahitur*, inquit Alexander III. (*e*) *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum*, inquit eriam Innocentius III. (*f*), qui in alia Decretali, ad Archiepiscopum Arelatensem inscriptam, hisce verbis magis distinctis magisque decretoriis loquitur: *Sufficiat ad matrimonium consensus illorum: de quorum quarumque conjunctionibus agitur*. Bernardus de Botono (*g*) exinde etiam occasionem sumit mutationem illam altius repetendi. Huic denique magnum pondus addidit S. Thomas, cum amplexus est sententiam, quæ asserit plenam libertatem tribuendam esse liberis, aut matrimnnio se jungendi, aut alium vitæ statum eligendi, ad quem se a Deo vocari credunt; licet eorum officium sit parentes consulere, & reverenter assentiri salutaribus consiliis, qnibus eos juvare possunt circa delectum adhibendum. *Puella*, inquit sanctus ille Doctor (*h*), *non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia, ad educandum. Et ideo secundum hoc, quod libera est, potest se in potestatem alterins absque consensu patris dare; sicut etiam potest aliquam intrare Religionem absque consensu parentum, cum sit ipsa libera*. (Et iterum alibi) (*i*). *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, non est sub potestate alterius, si sit liberæ conditionis, quantum ad ea quæ personam suam spectant. Et ideo sicut talis, invitis parentibus potest matrimonium contrahere, ita, &c.*

[(*e*) Alex. III. cap. cum locum 14. de sponsal. & Matrim. l. 4. tit. 1.]
[(*f*) Innocent. III. in cap. Tua. 25. eod. tit.]
[(*g*) Bernard. de Botono in cit. cap. Cum apud.]
[(*h*) S. Thom. in 4. dist. 28. art. 3. ad 1. Et ad Hannibaldum dist. 30. art. 1. ad. 4.]
[(*i*) Idem ibid. dist. 31. q. a. art. 1. quæst. 3. ad 2.]

Nova illa Disciplina visa quidem est omnino favere plenæ illi libertati, qua Gregorius IX. ait matrimonia esse contrahenda (*K*). Creavit tamen ingentia incommoda, veraque mala. Occasionem enim præbuit filiis-familias parentibus morem non gerendi, eorumque consilia despiciendi, matrimonia contrahendo nrtu sun indigna, familiæque suæ honori ac utilitati nocentia: dum alter patris sui ancillam uxorem duceret, alter vero clam vel aperte matrimonin se jungeret cum scorto vel cum puella alia ignominia notata. Ille, licet solus patris sui heres legitimus, uxorem sibi adscilcit omnibus bonis spoliatam; hic etsi nobili genere ortus, plebejam uxorem ducit; alius supponit se in sacerdotis extraneis paræcia habitare, illumque testibus appositis fallit; aliusque puellam honestam seducens, pœnæ periculo se offert, & in caussa est cur infamia in parentes suos recidat. His addamus, horum malorum exitum fere inevitabilem, esse odium, sæpe implacabile, inter patrem ejusque liberos: & inter ambas contrahentium familias.

[(*K*) Greg. IX. in cap. Gemma. 29. eod. tit.]

Omnia illa incommoda non tamen impediverunt, quo minus mutatio de qua jamjam locuti sumus, locum habuerit. Frustra Præsules Coloniæ ann. 1536. congregati (*l*), mala illa omnia defleverunt ac optarunt Ecclesiam Concilio generali representatam, priscam suscitare Disciplinam circa hoc argumentum olim in Occidente ut & in Oriente observatam. Frustra istiusmodi anathematis pœna prohibuerunt, exspectantes donec Ecclesia Universalis illa irrita pronuntiet. *Interea vero*, (inquiunt), *donec de hoc prospiciat (Ecclesia), si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ canonicæ, hoc est, excommunicationi contrahentes, & qui his ope aut consilio adfuerint, subjaceant*. Frustra Henricus II. anni 1556. Decreto suo, matrimonia illa prohibuit. Frustra Carolus IX. secundus ejus filius & successor post Franciscum II. ore Cardinalis Lotharingi Episcoporum Galliæ, & Legatorum suorum petiit a Patribus Tridentinis, matrimonia illa irrita declarari. Concilium ne videretur favere doctrinæ Lutheri, Calvini & eorum qui ab illorum partibus stabant, qui temerarie palam asserebant matrimonium a filiis-familias contractum contra parentum voluntatem jure naturali & divinn irritum esse, & a patribus ac matribus pendere illud comprobare vel infirmare pro lubitu; Concilium Tridentinum, inquam appositum existimavit in disciplina a multis seculis ab Ecclesia Latina tunc observata nihil immutare, contentumque fuit simplici prohibitionem, nec tamen quidquam dixit de jure Principum civilium, qui deinceps patrum, matrum, Turorum vel Curatorum assensum exigerent, & sine illo irritum pronunriarent matrimonium. En verba Decreti Concilii (*m*): *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia*, li-

[(*l*) Concil. Colon. 1. part. 7. c. 43.]
[(*m*) Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim.]

„ libero contrahentium consensu facta rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falsè affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu Parentum contracta irrita esse, & Parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Circa hoc Decretum multa mandata vel Decreta edenda esse existimarunt Reges nostri, quæ in medium proferre necesse est, ut eorum indoles, & vis clarius cognoscantur.

Primum Decretum est Henrici II. mense Februario anni 1556. jam a nobis laudatum, in quo mentem suam sic exprimit Princeps ille (a): „ Quantum in nobis est, voluntatem & mandatum Dei exequentes dicimus, statuimus & mandamus Lege, statuto, & Decreto perpetuis & irrevocabilibus, filiosfamilias, qui jam contraxerint, & deinceps contracturi sint matrimonia clandestina, contra voluntatem ac consensum Parentum, vel ipsis insciis adversus Legem mandatumque Dei, & cum offensa juris honestatisque publicæ, quæ ab utilitate sejungi non potest, eos a Parentibus exhæredari, & ab ipsorum hæreditate excludi, quin spes ipsis remaneat expostulandi de exhæredatione sic facta. „ Illud ipsum Decretum decernit etiam eo casu Parentes rescindere posse quaslibet donationes in liberorum suorum gratiam ab ipsis factas antequam ejusmodi matrimonia contraxissent; ac denique, ea omnia, quæ illi ipsi filii Tabulis conjugalibus stipulati essent, irrita fieri.

(a) Edictum Febru. 1556. Marcii seq. 1. comprobatum.

Decretum secundum est Henrici III. vocaturque Blesarum Decretum, datum mense Majo anni 1579. quodque simillimum est Henrici II. Decreto, si excipias secundum istud Decretum (b) addere, si mortui sint Parentes, liberos qui sunt in tutela teneri iisdem pœnis, Tutorum vel Curatorum suorum assensum obtinere. Volamus, inquit Rex in illo Decreto, præcedentia Decreta adversus filios, matrimonium contrahentes absque patrum, matrum Tutorum & Curatorum consensu, observari, imo Decretum, quod eo casu exhæredationes permittit.

(b) Blesar. Decretum a. 41.

Tertium Decretum duobus præcedentibus fere simile, est Edictum datum die 26. Novembris anni 1639. (c), quam Legem Regni senatus supremi hodie sequantur, in iis quæ ad Pupillorum matrimonium spectant; & quam Ludovicus XIII. in Edicta præcedentia confirmat, addens tamen, quod literis Italicis hic indicamus; sic igitur loquitur Princeps ille: *Expressè derogantes moribus, qui permittunt, liberos matrimonio se jungere, post annum vicesimum, absque Parentum consensu*, declaravimus, & declaramus, *viduas* filios & filias viginti quinque annis minores, qui matrimonium contraxerint contra supradictorum Decretorum verba, orbatos & dejectos *ipso facto*, simul & liberos ex hoc matrimonio nasciturus inhabiles & indignos in perpetuum hæreditatibus Parentum, avorum, & quorumvis aliorum directis, vel jure cognationis; ut & omni jure, & commodo ipsis acquisito Tabulis Conjugalibus, & Testamentis, vel Regni nostri moribus ac Legibus: *imo jure legitimo*. Declaramus insuper, donationes impediendas adversus istud Edictum, sive in gratiam Conjugum, aut ab illis in gratiam Liberorum ex istis matrimoniis procreatorum, irritas esse & nullius pretii; Volumus res sic donatas, legatas vel quovis obtentu transcriptas, eo casu modo irrevocabili acquisitas remanere fisco nostro, Nosocomiis, vel ceteris piis operibus.

(c) Edictum an. 1639. a. 12.

Verum tamen est Ludovicum XIII. Blesarum Edictum confirmantem, hæc verba inseraisse, *non legitime contracta*, in Decreto decem annis antea ab ipso dato, in idem argumentum (d) & quandam fuisse causam conjiciendi verba illa referri, non solum ad duos istos casus Matrimonii clandestini vel raptus, sed etiam eum defuerit Parentum, Tutorum vel Curatorum consensus; sicque Decretum illud spectasse non solum ad effectus civiles Tabularum Conjugalium, sed & ad essentiam Sacramenti, saltem indirecte & consequenter. Id Ecclesiam Gallicanam impulit, cujus partes agebant Præsules juxta formulas ordinarias tunc congregati ad Regis supplicandum ut mentem suam exprimeret circa sensum, quem his vocibus intendebat, & an animus ipsi esset Sacramento ut & Contractui civili obtrectare? En ipsissima suasionis verba, quæ excerpsimus ex quinto tomo Commentariorum Cleri, scriptorum, & in ordine digestorum a Domino Joanne Lege Gentil, anno 1675. pag. 671. „ Regi humillime supplicant ut istius capitis momentum perpendat. Explicatione opus habere videtur ob duas difficultates quæ ibi occurrunt: Prima scilicet, cum explicabitur vox *legitime* vel *non legitime contractum*, quæ vox inserta est articulo Decreti Blesarum, referturque ad Matrimonii Contractum civilem, non vero ad Sacramenti Contractum spiritualem. Secunda hæc est: eum non cogentur Judices Ecclesiastici ad hoc ut Matrimonia juxta Edicta, & juxta hunc Articulum, judicent, sed juxta sacra Ecclesiæ Decreta & Constitutiones, unicam judiciorum suorum normam. Civilis enim Jurisdictio Judicibus Ecclesiasticis legem imponere non potest in rebus spiritualibus. Eoque nomine necessarium est ex hoc Articulo istud delere: *Ac teneantur Judices Ecclesiastici dictorum Matrimoniorum causas judicare juxta hunc Articulum*. Hæc sunt verba suasionis, quam Domini Episcopi Sagiensis, Rhedonensis Carnotensis & Bellovacensis Regi Ludovico XIII. obtulerunt, nomine totius Cœtus, quamque in manus Sigillorum Regiorum Custodis tradiderunt. Quocirca Rex Recuperatores, sive Commissarios ut vocant, nuncupavit, qui postquam Cleri petitionem expendissent, scriptis, ex mandato, & nomine Principis illius, responsum suum his verbis tradiderunt. „ Cleri suasio definita est explicatione vocis *legitime* vel *non legitime contractam*, quæ vox intelligi non potest, a Judicibus civilibus, nisi relate ad Contractum civilem. Quod ad ultimam significationem spectat recta visa est,

(d) Decretum Januar. 1629. a. 39.

Docti dum Jurisconsulti, Galli, Lovetius, de quo mox loquemur, & Thevenau in Commentario suo in articulum 40. Decreti Blesarum (e), ajunt, Parentes, Tutores, & Curatores non jus habere petendi Pupillorum suorum Matrimonium rescindi, tanquam irritum, *ob id solum quod desit eorum consensus*. Hujus rationem istam reddit Auctor ille posterior; scilicet, Constitutiones Canonicas noluisse hac in re ad Jus civile, antiquum, & recens Digestorum, Novella 152. Justiniani se conformare. Doctus quidam Episcopus (f) Vabrensis in opere quod data opera conscripsit ut Ludovici XIII. Decretum defenderet, affirmat nullam esse repugnantiam Legum Ecclesiæ cum Regum nostrorum Decretis. „ Non multum laborandum est, (inquit), de conciliandis Regiis Edictis cum Ecclesiæ sententia: Nullo siquidem unquam Edicto matrimonia filiorum familias invalida ac nulla esse absque consensu Parentum, Tutorumve constitutum est, etsi hic error multis imposuerit. Prohibita quidem sunt; sed invalida & nulla esse haud quaquam definitum. Unde etiam Decessorum suorum vestigiis insistens Rex Christianissimus Ludovicus, ea iterum prohibuit ac austerius interdixit; invalida tamen ac nulla esse, contra Tridentinæ Synodi Decretum ac Theologorum unanimem, etiam in regno suo sententiam minime sanxit. „ Celebrem illam difficultatem in apertam lucem deducere pergamus, multas enarrando objectiones, necnon responsa illis adhibita.

(e) Theven. Comment. in Edict. Blesar. a. 40. l. 7. t. ad pag. 440.

(f) De Prælict. l. de Justi connub. adv. ...

Objectio prima ex isto Sancti Thomæ effato elicitur (g): Scilicet, Matrimonium tribus Legum generibus obnoxium esse: Legi nempe naturali si consideretur tanquam Naturæ officium; Legi divinæ, quatenus est sacramentum, & Legi civili, cum constitutum sit ad commune Reipublicæ bonum. Unde concluditur, ex quadam ex istis Legibus aliquem inhabilem reddi posse Matrimonio con-

(g) S. Th. in 4. dist. 34. q. un. a. 1. ad 4.

contrahendo, ac ideo inhabilem quoque reddi posse ex Lege civili, ut & ex aliis. En S. Thomæ textum.
„ Personæ illegitimæ ad Matrimonium contrahen-
„ dum dicantur ex eo, quod sunt contra Legam,
„ qua Matrimonium constituitur. Matrimonium
„ autem, in quantum est officium naturæ, sta-
„ tuitur Lege naturæ. In quantum est sacramentum,
„ statuitur jure divino. In quantum est in offi-
„ cium Communitatis, statuitur jure civili, &
„ ideo ex qualibet dictarum Legum potest aliqua
„ persona effici ad Matrimonium illegitima.

Ut evertatur consequentia quæ ex istis S. Thomæ verbis elicitur, respondetur, satis esse illa sensu suo naturali explicare, & juxta sanctum illum Doctorem, verum quidem esse Matrimonium, generaliter loquendo, tribus illis Legum generibus subjectum esse, & illarum unamquamque, in iis, quæ ad illam attinent, reddere posse quasdam personas privatas, *aliqua persona*, inhabiles Matrimonio legitime contrahendo: hoc est, 1. Legem naturalem, cunctis hominibus communem, cuique Matrimonium est subjectum, si spectetur tanquam officium naturæ, dirimentia afferre posse impedimenta Matrimonio eorum omnium, qui juxta Legem illam inhabiles sunt ad illud legitime contrahendum; ac ejusmodi est impedimentum impotentiæ naturalis: ejusmodi quoque est inhabilitas impuberum; sic consideratorum. 2. Legem civilem, quæ Matrimonium spectat tanquam constitutum ad publicam utilitatem, afferre posse impedimenta, quæ Matrimonium non quidem irritum, sed solummodo illicitum reddant; hoc est, adversus Legis prohibitionem contractum; etiamsi ratum tamen sit. *Quod enim fit contra Leges*, inquit Sylvius, (*a*) *recte negatur esse legitimum; etiamsi subsistat; quomodo filii extra Matrimonium nati vocantur illegitimi, etiamsi vere sint filii.* Ac ejusmodi impedimentum dirimens esse potest etiam respectu Matrimonii Judæorum, Mahumedanorum cæterorumque Infidelium vel Ethnicorum, qui Principis Christiani sunt subditi: quoniam hoc Matrimonium nihil aliud est præter contractum mere civilem, qui subsistere nequit contra jus Legis a Principe constitutæ illorum respectu. 3. Cum Matrimonium Christianum non sit contractus mere civilis, sed præterea verum Sacramentum ex Jure divino: Legem civilem non valere ullum impedimentum ipsi afferre, quod illud irritum reddat: Ecclesiæ enim reservata est illa auctoritas. *Prohibitio Legis humanæ*, inquit S. Thomas (*b*) hoc est, *laicæ* addit Sylvius, *non sufficeret ad impedimentum Matrimonii nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ*. Etiamsi Lex illa possit tamen statuere respectu contractus civilis, declarando, verbi gratia filios qui sunt in potestate, non indignos esse qui Legis effectibus propitiis fruantur, cum Matrimonium contrahunt absque consensu Parentum vel eorum, sub quorum tutela vel administratione sunt.

(*a*) Et Sy v. in Suppl. S. Th. q. 41. a. 5. ad 4.

(*b*) S. Th. in 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4. Item in suppl. q. 47. a. 2. ad 4. & ibi Sylvius q. 10. a. 5. quæsito 3. Conclus. 4.

Objectio secunda hac ratiocinatione nititur; Blesarum Edictum, & quædam alia, volunt puniri Sacerdotes, *tanquam raptus fautores*, si Matrimonium celebrent filiorum familias absque Parentum consensu. Ergo Edicta illa matrimonia sic contracta tanquam raptum spectant. Certum est autem, addunt, raptum irritum reddere matrimonium. Ergo id solum, quod consensus Parentum Tutorum, Curatorumve desit, irritum matrimonium reddit, ut & raptus.

Breviter respondent cum eodem Theveneau, quem jamjam laudavimus, Decreta illa sic loqui solummodo, supponendo raptus crimen reipsa reperi in istiusmodi Matrimoniis, non secus: quandoquidem, cum nec est raptus violentus nec raptus corruptelæ, absque absurditate dici non potest sacerdotem, vel quemlibet alium, ejus esse fautorem, & eam ob rem eum juste puniri posse. His addunt, quoniam matrimonia illa sæpe ope corruptelæ contrahuntur; in foro exteriori vulgo existimari, eos seduxisse, qui corruptelam non adhibuerunt, præsertim quando inter partes insignis est inæqualitas, respectu ætatis, generis, vel bonorum. Et eam ob causam ut sacerdotes magis attenti evadant ad officium suum circa Pupillorum Matrimonium, Decretum illis pœnas minitatur tanquam raptus fautoribus, quorum pœna est capitalis.

Objectio tertia, hac alia ratiocinatione nititur. Juxta Juris prudentiam in Gallia vigentem, senatus supremi, in innumeris Edictis, quæ supersunt, pronuntiant non solum, ejusmodi Matrimonia *non fuisse legitime contracta*, sed addunt præterea prohibitionem distinctam, qua vetitum est, ejusmodi Conjuges inter se consuetudinem colere, neque mariti vel uxoris nomen sibi tribuere, licet nulla sint argumenta raptus nec Matrimonii Clandestini. Unde concludunt, Curias supremas interpretari igitur verba Decreti de sacramenti ipso, ut & de contractu civili ejusque effectibus.

Ad hoc respondetur, verum quidem esse senatus supremos, qui juxta Regum nostrorum Edicta sententias suas pronuntiant, hæc Edicta exequentes solummodo, jure Decretis suis declarare Matrimonia illa esse irrita; quod spectat ad effectus civiles imo indirecte ad vinculum conjugale; quando præterquam quod deest consensus Parentum, Tutorum vel Curatorum, adest etiam raptus, vel Matrimonium clandestinum: quia hæc duo sunt impedimenta, quæ tanquam dirimentia agnoscunt pariter, & Ecclesia & Respublica, & quia his casibus senatus supremi curant tantum omnes Principis Edicta exequi: Cum autem Princeps sit ipsemet Protector Ecclesiæ, & Constitutionum Canonicarum, quæ in utroque casu Matrimonium irritum declararunt, vult illas in suo Regno accurate observari; statuitque ipse pœnam mortis in eos qui raptus sunt rei, sive per vim, sive per corruptelam, quin ipsis *spes veniæ* remaneat, prout loquitur Henricus III. in Blesarum Decreto (*c*) Nec minus verum est, quando nullus est raptus, nec clandestinum Matrimonium, illa Decreta, quæ objiciuntur, intelligi tantum debere juxta Decreti mentem, & juxta interpretationem ab ipso Principe datam. Revera fere semper existimatur in istiusmodi Matrimoniis esse raptum corruptelæ; Causidici saltem, qui Parentum vel Tutorum causam agunt ea ratione fere semper utuntur, ut Matrimonii abrogationem obtineant; omnemque movent lapidem, ut vel minimis conjecturis vero similem raptum reddant: sed denique quando deest tantum Parentum, Tutorum, vel Curatorum consensus, Edictorum illorum verba enunciata spectant tantum ad Contractus effectus civiles: hoc est dotem, usumfructum superstiti uxori a marito concessum, præcipuum, donationes *causa Matrimonii*, aliaque pacta, ut & jus hæreditatis &c. nec sacramentum attingunt.

(*c*) Blesarum Edict. a. 40.

Id probari potest interpretatione Edictorum illorum a Loveto data, inquem, cum Inquisitionum Curiæ Consiliarius fuerit, deinde in Primario Centumviralis senatus Tribunali, in Curia suprema Parisiensi, in quem, inquam, suspicio non cadit, mentem, & verum sensum Edictorum, & Decretorum hac de re sancitorum ignorasse (*d*). En autem, quomodo mentem suam circa hæc aperit.
„ Certissimum est inquit cum Judices Regii &
„ civiles, aut curiæ supremæ, ad quos pertinet
„ Decretum exequi, Matrimonium quoddam *non*
„ *legitime contractum* pronuntiant, eos non cogno-
„ scere de Matrimonio, spectato ut sacramento;
„ sed ut de Contractu civili, Rerum publicarum
„ seminario, societatis civilis fonte & origine,
„ fundamentoque familiarum Rempuplicam con-
„ ficientium, & sunt quasi principium unde Ædili-
„ tias suas Editiones efformant. Ita ut executio
„ sententiarum & Decretorum, quæ de Matrimo-
„ nio pronuntiantur, spectet tantum effectus civi-
„ les, & more vigentes, affinitatem scilicet uxo-
„ ris ac Liberorum statum, bonorum communio-
„ nem, usum fructum superstiti uxori a marito
„ concessum, hæreditates & alia similia: Circa quæ
„ acta Disciplinæ civilia, quæ attinet ad societatem
„ civilem, familiarum tranquillitatem, Regiique
„ subditorum commodum, Judices, & Curiæ su-
„ premæ pronuntiant Matrimonia illa, non qui-
„ dem *irrita*, sed *non legitime contracta*, quin attin-
„ gant sacramentum, & solummodo quoniam sunt

(*d*) Georg. Lovet Litter. M. n. 6.

„ cor-

„ contraria Legibus civilibus Reipublicæ, & Regni
„ Decretis. Reipsa, addit Magistratus ille, nullum
„ est incommodum in foro interiore conscientiæ ve-
„ rum sit Matrimonium; nullum vero sit respectu Le-
„ gum, quod attinet ad actus, & effectus civiles &
„ more receptos, quia in matrimonio contractus ci-
„ viles & sacramentum sunt Jurisdictionis duarum
„ differentium Potestatum, quarum altera ab alia
„ in his rebus non pendet.„ Quod Auctor ille hic ad-
„ dit exceptum est ex 8. libro quos num. viginti in lucem edidit Terentius Clemens: Lex illa agit de Matrimonio viri, qui cum Liberta sua, cui infamiæ nota inusta est, Matrimon. contraxit atque sic habet

(a) L. Uffo 41. ff. de ritu nupt. §. 2. l. 43. t. 3.

„ (a), si ignominiosam Libertam suam Patronus
„ duxerit, placet; quia contra legem maritus sit, non
„ habere eum hoc legis beneficium: *hoc est* in actu,
„ ait Bald., juxta multas alias Leges ejusdem tituli.

Argumentum secundum, quod a Lovetio dictis auctoritatem tribuit, ducitur ex sententia cujusdam ex doctissimis & perspicacissimis Magistratibus quibus ortum dederit Gallia, celebrem dico Bignonum, qui agens de milite pupillo, qui sine matris consensu uxorem duxerat, ait in conclusionibus suis, Matrim. illud in foro conscientiæ ratum esse posse, quamvis *irritum* esset quod spectabat ad effectus civiles; Curiaque suprema illud in utroque foro reipsa ratum judicavit Decr. datum est die 26. Martii an. 1654. (b).

(b) Bolve T. 1. cent. 4. c. 25.

Objectio quarta hæc est, scilicet fatentur Edicta & Decreta, Matrimonium directe & præcise non attingere, cum consideratur tanquam sacramentum. Sed satis est ut sacramentum nullum sit, si nulla adsit materia. Nulla autem, addunt, Matrimonii est materia in casu de quo agitur: quia Matrimonii Christiani materia nihil aliud est præter Contractum civilem, contrahentium legitimo consensu nitentem: & quia pupilli contrahentes adversus voluntatem Parentum, Tutorum vel curatorum, ab Edictis ac Decretis ad hunc Contractum paciscendum inhabiles declarantur. Quando igitur, ajunt, Decreta & Edicta irritum pronuntiant Contractum civilem, indirecte & per consectarium necessarium declarant, nullum esse sacramentum in ejusmodi Matrimoniis.

Respondetur, tria effata prius supponenda esse. Primum; duas esse in mundo Potestates distinctas & differentes, Potestatem scilicet Ecclesiæ & Potestatem Principum civilium. *Duo sunt*, inquit Gelasius Papa, *quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum & Potestas regia.* Idem dicit, post illum Papam, Concilium quoddam habitum Fismis in Ædibus S. Macræ Martyris, in Diœcesi Remensi, anno 801. regnantibus Regibus Ludovico & Carlomanno (c). Secundum effatum hoc est; utramque Potestatem a Deo esse: *non est enim Potestas nisi a Deo*, inquit Apostolus. (d) Eumque resistere ordini a Deo constituto, qui Principum ut & Ecclesiæ Potestati resistit, in rebus justis quas præcipiunt, & quæ sunt Jurisdictionis eorum, juxta hæc ejusdem Apostoli verba: *Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit*, hoc est *iis in rebus, in quibus potestas sublimior & superior est; habetque jus & Jurisdictionem*; ut explicat Cornelius *a Lapide*; (e) idque juxta Decretum istud Concilii habiti in Andibus anno 843. *Si quis potestati regiæ, quæ non est, juxta Apostolum, nisi a Deo, contumaci ac inflato spiritu contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & ejus justis & rationabilibus imperiis secundum Deum & auctoritatem Ecclesiasticam ac jus civile obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.* (f) Tertium effatum hoc est, harum Potestatum alteram usurpare non debere quod est alterius, ut docet S. Ambrosius in Epistola, quam ad sororem suam Marcellinam scribit (g) his Evangelii verbis nitens: (h) *Quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

(c) Can. apud S. Macram. c. 2.
(d) Rom. 13. 2. 2.
(e) Cornel. a Lapide in ep. ad Rom. 13.
(f) Con. apud Lauriacum. In pago And. c. 3. apud Jac. Sirmondum; tom. 3. concil. Galliæ p. 8.
(g) S. Ambr. Ep. 33. in can. convenior 21. 23. q. 8.
(h) Matth. 22. 21.

Suppositis his effatis, ad objectionem respondent, & dicunt, si Potestas Ecclesiastica Potestasque Civilis consentirent inter se circa Disciplinam quæ spectat filios in potestate alterius constitutos & qui Matrimonio se jungunt insciis Parentibus aliisve quibus sunt subjecti, ut consentiunt circa impedimentum raptus & clandestini matrimonii, libenter convenirent inter easdem omnibus quæ in objectione dicuntur. Constat autem, addunt, ex Decreto Concilii Trid. (i) & ex innumeris aliis Auctoritatibus, inter duas illas Potestates hac de re non convenire: Ecclesia enim ejusmodi Matrimonia tanquam rata tolerat & agnoscit; licet ea ut legitima non probet; Et anni 1629. Decretum vult contra, ea a Judicibus declarari *non legitime contracta*, hoc est irrita, juxta eorum interpretationem, qui id objiciunt cui nunc respondetur. Objectio illa, inquiunt, nec recte concludit neque est admittenda: Princeps enim Ecclesiæ auferre non potest jus statuendi de sacramento, veluti Ecclesia quoque non potest Principi auferre auctoritatem statuendi de Contractu civili, conjuncto cum matrimonii sacramento. Idcirco, addunt etiam, Ludovicus XIII. interpretans Decretum suum Galliæ Episcopis datum, Commissariis suis declaravit sibi animum non esse quicquam statuendi de Matrimoniis, nisi respectu effectuum civilium, & usu receptorum, ut dictum est, quin ipsi mens fuerit sacramentum attingere: noverat enim Princeps ille religiosus non ulterius extendi potestatem ejus: si vero quippiam contrarium aggredi ipsi suasisset, Regni præsules jus habuissent ipsi dicendi, quod S. Ambrosius (K) potentissimo respondit Imperatori: *Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquid jus habere, .. scriptum est: quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari.*

(i) Con. Trid. sess. 14 de ref. Matrim. c. 2.
(k) S. Amb. loco cit.

Duabus rationibus confirmatur hoc responsum. Prima hæc est: scilicet sacramentum & contractus civilis non sunt duo inseparabilia in Matrim. Christiano, cum certum sit alterum subsistere posse sine altero. Contractus enim civilis subsistere potest, ac sæpe subsistit sine sacramento; quando ver. gr. matrimonium irritum est, propter quoddam impedimentum occultum dirimens: sacramentum quoque sine Contractu subsistere potest, cum quidam civiliter mortuus Matrimonio se jungit: certissime enim matrimonium est legitimum ac verum sacramentum, licet irritum sit, quod ad contractum civilem omnesque ejus effectus spectat. Pariter, quando fuit raptus, & deinceps raptor in libertatem vindicat eam quam rapuerat, & ambo libere alteoliuntur Matrimonio, juxta formulas omnes ab Ecclesiæ & Reipublicæ legibus requisitas, negari non potest, quin istiusmodi Matrimonium sit ratum & sacramentum; Decretum tamen anni 1639. (l) contractum civilem nullo modo admittit: Ecce enim quomodo in eo loquitur Ludovicus XIII. „ si tamen
„ prætextu ætatis qua in tutelam suam venit, novum
„ det consensum, postquam in libertatem est vindi-
„ cata, ut raptori nubat, eam declaramus, ut & libe-
„ ros qui ex hoc Matrim. nascituri sunt, non ido-
„ neos, & indignos omni hæreditate legitima dire-
„ cta vel ex jure affinitatis, quæ ipsis quovis jure obtingere poterit Nonne sic, inquiunt, in istiusmodi matrimonio sacramenti dignitas agnoscitur, & eodem tempore declaratur nullius effectus, quod ad civilia spectat? Quare igitur dici non poterit, Matrim. a Pupillo contractum contra Parentum, Tutorum, vel Curatorum voluntatem, valere quod attinet ad sacramentum, quamvis non valeat, quod attinet ad civilia, quandoquidem duo sunt omnino diversa, & quæ a se invicem separari possunt? Inde concluditur, Contractum civilem non esse, ut objiciunt, Sacramenti fundamentum, sed niti contractu spirituali, quo contrahentes mutuo se adstringunt ad id ut in perpetuum una vivant tanquam maritus & uxor, & sibi invicem inviolatam fidem servent.

(l) Edictum 1639. art. 3.

Secunda ratio hæc est, scilicet senatus supremi sententias suas modo semper simili non pronuntiarunt; si enim sæpe juxta Edictorum literam judicaverint, declarando matrimonia illa *non valide contracta* ac illegitimos esse liberos qui ex illis procreabantur, aliquando etiam a priori institutione deciverunt, & Legis severitatem moderati sunt in casibus, in quibus nec raptum nec clandestinum Matrimonium fuisse existimarunt. Parentibus relinquentes jus liberos suos exhæredatione puniendi, quin tamen illegitimos declarare vellent eos, qui jam nati vel nascituri erant ex ejusmodi matrim. Dominus Brillon (m) in suo Decretorum Diction. multa refert, quorum

(m) Brillon. v. matrim. n. 103. 214. 225. 226. 227. 228. 130. 236. 240. 245. 248. 250. & 258.

rum pleraque data sunt a supremis Senatibus Parisiensi, Rotomagensi & Tolosano, a primo Ludovici XIII. Edicto, quæ excerpsit ex Soefvio, Bardeto, Rocheflavino, Banagio, aliisque qui Edictorum Collectanea conscripserunt.

Primum Decretum datum est a supremo Senatu Parisiensi, die 7. Septembris anno 1632. hoc est, tribus annis post Edictum de quo jamjam loquebamur, quo Margarita Girarda pupilla, quæ cum vidua evasisset dum esset in tutela, invito Patre nupserat D. Imberto Sevino, & quæ solummodo condemnata est veniam petere ab Alexandro Girardo, Patre suo, (a) eumque orare ut secundo ejus matrimonio assentiretur, quin ea tamen ullam infamiæ notam subiret: Imbertusque Sevinus, ejus maritus, condemnatus est a dicto veniam petere, & octingentarum librarum eleemosynam largiri.

(a) Diarium Forense T. 1. l. 2. c. 116.

Decretum secundum pronuntiatum est die 30. Junii 1633. circa factum fere simile; utrique parti dicta est dies, ut disceptaretur, num hoc Matrimonium legitime fuerit contractum, & Dominus Talon contentus est concludere, Provocatos veniam petere debere a Patre viduæ quæ erat in tutela, & eo invito ad secundas nuptias convolaverat (b).

(b) Bardet. to. 2. ca. 47.

Tertium Decretum datum est nona die Martii, anno 1634. quo matrimonium filii familias viginti quinque annis nati declaratum est legitimum, invito efflagitatu Patris ut irritum pronuntiaretur: ipsique permissum est solummodo filium suum, juxta Edicti ipsa verba punire (c).

(c) Bardet. t. 1. 3. c. 12.

Quartum datum est 6. Martii 1636. quo Curia confirmavit matrimonium alius filii familias, qui cum nondum viginti annos attigisset, matrimonium contraxerat, absque consensu Patris; quoniam scilicet declaraverat filius ille, se perstare in consilio eam retinendi uxorem quam duxerat (d).

(d) Brillonan. 227. ex Bardet. t. 1. l. 5. c. 22.

Quintum datum est a supremo Senatu Rotomagensi, die 31. Julii, ejusdem anni, quod hæreditate paterna spoliavit tantum filiam, quæ bis nupserat absque Patris consensu, nec tamen declaravit matrimonium *non legitime contractum* (e).

(e) Beraltus Norm. usus ro. 1 & 50.

Sextum est die undecima Augusti datum, anno 1642. statuitque, filium, cui Pater quidpiam donaverat ac permiserat matrimonio se jungere, posse pergere & perficere celebrationem matrimonii sui, non obstante intercessione Patris, qui voluntatem mutaverat & intercessionem suam filio suo significaverat (f).

(f) Bardet. 2. n. l. 9. c. 32.

Decretum septimum datum est 9. Julii, an. 1647. & pronuntiavit legitimum matrimonium filii viginti quinque annis nati, quoniam Pater qui id noverat, in quinque annos distulerat intercedere (g).

(g) Soefvius t. 1. Centur. 2. c. 29.

Octavum datum 26. Martii 1654. de quo jam locuti sumus, ratum pronuntiavit matrimonium militis cujusdam, non sui juris, qui absque Patris consensu uxorem duxerat. Causam dixerat celeberrimus Bignonus, cujus nomen veneratione semper prosequentur omnes juris periti, omnesque viri literati, quippe confessus est ejusmodi matrimonium ratum esse in foro interiori, non obstante Lege *filius familias* 35. ff. De ritu nuptiarum (h).

(h) Soefvius t. 3. cent. 2. c. 6.

Nonum Decretum est a Curia suprema Tolosana datum, in cujus Juridictione usu non viget Ludovici XIII. Edictum, quod irrita declarat matrimonia filiorum qui sunt in tutela ac matrim. contrahunt absque voluntate matrum, cum post mariti sui mortem male se gerebant, quamvis eorum Pater hæredes eos non instituisset, nisi ea conditione, ut matrimon. se non jungerent, nisi ex maritis voluntate (i).

(i) Rocheflav. l. 2. t. M. t. 4. Ed 36.

Decretum decimum datum est a supremo Senatu Parisiensi, die 16. Julii, anno 1655. Ex hoc Decreto miles in tutela, qui sine Parentum consensu uxorem duxerat, cujus genus inferius, erat orbatus est tantum beneficio effectuum civilium nullamque mentionem injecit suprema illa Curia an ratum vel irritum esset matrimonium illud (k).

(k) Soefvius t. 1. cent. 2. c. 94.

Undecimum Decretum die 27. Julii 1657. fere simile est septimo, quod in medium protulimus (l).

(l) Idem t. 2. cent. 1. c. 66

Duodecimum datum est die 16. Martii 1683. a Senatu supremo Normanniæ, quo matrimonium cujusdam juvenis, viginti duobus annis nati, cum puella quam antea corruperat, confirmatum est, licet Juvenis illius mater intercederet (m).

(m) Banagius in ar. 159 Moris Normandiæ.

Decimum tertium datum est die 28. Novembris 1690. a Curia suprema Parisiensi, in gratiam Matrimonii quod filius nobili genere ortus, viginti quinque annis natus contraxerat, non requisito Parentum consensu, (n) Multa alia similia Decreta prætermittimus, quæ videre est in Dictionario D. Brillon, & in Auctoribus ab eo laudatis, ex quibus patet, Senatus supremos ipsos non interpretatos fuisse an 1529. Edictum, de matrimonio irrito, si tanquam sacramen. spectetur, & respectu foris interioris; sed eos hæc verba, *non legitime contracta*, intellexisse tantum respectu effectuum civilium solummodo.

(n) Diarium Forense t. 2. l. 5. c. 21.

Cabasiutius, qui per transennam illam Edictorum veritatem attingit, hanc observationem proponit: si Matrimonia, quæ senatus supremi quidam irrita faciunt, non essent sacramenta, si vero Matrimonia, ab aliis senatibus probata ac tolerata, essent sacramenta; inde sequeretur Deum, semper sibi similem ac constantem in actione Gratiæ suæ, esse in quadam necessitate ad Magistratuum voluntatem inconstantem mutabilem se accommodandi, quando sacramenti gratiam istiusmodi matrimonia contrahentibus concedere vellet; quod affirmari non potest absque maxima absurditate. *Itaque*, inquit doctus ille Canonista (o), *intolerabilis circa sacramentum fingenda esset inordinatio, si ad Curiarum beneplacitum nunc rigidius ad Edicti amussim judicantium, nunc ex æquo & bono mitius pro illustrium familiarum, præsidio & puellarum honeste natarum præcavenda ignominia, Deus, cujus est uniformis & perpetuo constans operatio, nullam sibi certam in sacramento imprimendo præfigeret regulam; sed ad arbitrium & inconstantiam humanorum judiciorum suum suspenderet actum; & pro eorum, etiam in paribus juris circumstantiis varietate nunc sacramenti sui sigillum imprimeret, nunc vero sacramenti gratiam cohiberet, secundum humanorum judiciorum inæquales, nec sibi constantes successus.*

(o) Joan. Cabas. Ja t. can. Theo. & prax. l. 3. c. 26. n. 1.

Hoc cum ita sit, dicimus 1. Quod, quamvis innumeri Auctores, cum antiqui tum recentes, cum Theologi tum Jurisperiti nequaquam dubitaverint scribere, & docere, ilsutinodi matrimonia rata esse in foro interiori, & verum esse sacramentum; non dici tamen potest, eorum decisionem circa momentosam hanc controversiam esse omnino indubitatam propter differentiam quæ intercedit inter eos innumerosque alios auctores doctos, qui hanc difficultatem moverunt, ac propter vim argumentorum & ratiocinationum eorum. Dicimus 2. nos non culpare eos qui crediderunt se debere quæstionem plane persolvere, nobisque satis fuisse quod accurate protulerimus argumenta quibus nituntur, simulque argumenta Auctorum qui ab ipsis differunt, cum objectionibus & responsis ab utraque parte allatis, Lectori permittentes judicare quamnam debeat amplecti sententiam. Addimus 3. summopere optandum foro summos Magistratus, aliosque Primates, quibus aditus ad Regem patet, & ejus consiliorum sunt participes, dignarentur Regi humillime supplicare ut distinctius & clarius voluntatem suam aperiat & explicet hanc in rem novo Edicto, ac jubeat unam eamdem Jurisprudentiam hac de re deinde observari per totum suum Regnum, concordi consensu Cleri Regni sui: certissima enim esset via ad eamdem sententiam adducendi omnes Doctores, Magistratus obstringendi ad unam eandemque rationem observandam in suis judiciis, & medelam afferendi gravissimis malis, quæ ita frequenter evenire videntur ex Matrimon. quæ temere contrahunt ii qui sunt sub potestate, invitis iis a quibus pendent, & contra Legis Principis verba ac tenorem.

Superest tantum ut respondeamus ad secundam difficultatem speciei propositæ, scilicet an peccatum mortale commiserint Eunomius & Olympia matrimon. contrahentes adversus voluntatem Parentum sub quorum potestate erant. Circa quod dicimus, accurate loquendo, filios familias qui quatenus minores, sunt actu sub potestate Parentum, Tutorum vel Curatorum, non posse absque peccato mortali Matrimonio se jungere contra eorum voluntatem, nisi ipsis sit causa justa & momentosa, quæ eos excuset.

Ut

Ut id probetur in memoriam revocandum est fnlummodo severas pœnas, indictas non solum a Canonibus, sed etiam ab Edictis & Decretis Regum nostrorum, quorum verba tenoremque proeulimus, & quibus simile est Melodunense Edictum, anno 1580. datum (*a*). Pœnæ enim illæ inflictæ filiis, qui cum fint sub potestate parentum temere Matrimonium contrahunt absque eorum consensu; vel si desint, absque approbatione Tutorum vel Curatorum suorum, satis indicant Principes qui legem illam tulerunt, earum violationem spectasse tantum quasi peccatum insigne. Idcirco Theologi illud spectant tamquam peccatum mortale accurate loquendo. *Inire Matrimonium, parentibus vel inconsultis, vel rationabiliter invitis, est regulariter peccatum mortale*. Hæc sunt Sylvii verba (*b*) qui hanc rationem addit, quod cum parentum sit providere collocationi ac necessitatibus & opportunitatibus liberorum suorum, constat liberos illos moliri non posse Matrimonio se jungere illis vel invitis vel insciis, quin eos gravi injuria afficiant. *Cum enim parentes*, addit Theologus ille, *obligentur in omnibus, & præcipue in deligendo statu, & in iis quæ ad onera Matrimonii sustentanda sunt necessaria prospicere, filiis magna est injuria, sine ipsorum consilio vel contra voluntatem eorum rationabilem hoc aggredi*. Hoc impulit S. Basilium ut diceret, ea matrimonia spectari tamquam quædam concubinatus: Hinc fit etiam ut quartum Concilium Aurelianense affirmet eorumdem liberorum peccatum accedere ad impietatem: (*c*) *Ne conjugium quod contra Parentum voluntatem impie copulatur, &c.*

(*a*) Edict. Meludon. art. 15.

(*b*) Fr. Silvius in Supplem. S. Thom. q. 47. art. 6. concl. 4.

(*c*) Concil. Aurel. 4. cit. Can. 22.

Diximus veluti temperamentum responsi generalis; nisi ipsis sit caussa justa & momentosa, quæ eos excuset: fieri enim potest filios-familias nullum patrent peccatum eo respectu illorum impesium detrectantes. Verbi gratia, si pater cujus filius ad ætatem legitimam rei suæ gerendæ pertinaciter & absque ratione recusaret Matrimonio congruenti ac utili, quo sibi consulebat hic filius, assentiri: Aut si pater ille filio suo proponeret puellam bonis orbatam, aut moribus non honestis, aut quæ non bene audiebat; vel denique cujus religio esse heterodoxa vel suspecta: certum est, iis in casibus filium nullatenus teneri ad patris voluntatem se conformare, quia esset injusta ac ipsius commodo contraria. Ratio hæc est: Patris potestatem quam a natura habet in filium, æquitate niti, & ad rationis normam exigi debere. Unde fit ut eo casu, non posset ex æquitate erga ipsum exheredationis pœnam adhibere. Eam ob rem Parisiensis supremus Senatus, Edicto die 5. Septembris dato, anno 1684. (*d*), Actione submovit Nobilem Pictonicum, qui pertendebat impedire ne filius suus Matrimonium contraheret ipsi utile. Dicamus insuper: liberi qui ad eam ætatem pervenerunt, qua sunt sui juris matrimonii respectu; quæ ætas est triginta annorum masculis, & viginti quinque annorum puellis, sine ullo peccato possunt matrimonio se jungere cum personis congruentibus, etiam contra volnntatem Parentum; dummodo formulas ab Edictis in Gallia vigentibus præscriptas observent, scilicet ut prius parentum consensum scripto postulent.

(*d*) Diarium Forense tom. 4. lib. 6. c. 35.

Secunda hæc decisio consentanea est cum sententia Paludani, Domioici Soti, Navarræ, Bellarmini, Sylvii, Gamachei, aliorumque Theologorum ac Canonistarum, quorum sententiam secutus est Auctor colloquiorum Lucionensium. (*e*).

(*e*) Colloq. Lucion. tom. 6. colloq. 5. q. 1.

CASUS XI.

MACEDONIUS viginti duobus annis tantum natus, & qui ideo etiamnum est sub potestate patris sui, dum in extera regione degeret, ipsi oblata est virgo io Matrimonium cum amplissima dote. At cum non posset id patri suo ootum facere, absque summo incommodo, cum ob locorum distantiam, tum quod desint publici cursores: timens præterea ne Matrimonium illud non assequatur, si diutius differat, auctoritate sua peculiari illud contraxit. Circa quod petitur, an id legitime & sine peccato mortali facere potuerit?

RESPONS.

Respondemus, quod si Macedonius Matrimonium illud non contraxerit contra distinctam patris prohibitionem ne matrimonio se jungeret, si contra existimet Patrem libenter daturum assensum, si id ipsi notum foret, peccati mortalis reus censeri non debet: quandoquidem, juxta suppositionem, nulla est ab ipso imperii detrectatio, nec contemtus, in casu de quo agitur; alias dicendum foret, Tobiam adolescentem qui uxorem duxit inscio patre (*f*), peccatum mortale commisisse: quod affirmari nequit absque summa temeritate; quandoquidem constitutum est ejus Matrimonium mandato Dei ipsius, per Angelum Raphaelem. Existimamus igitur Macedonium non peccasse uxorem ducendo in circumstantiis commemoratis in specie proposita: modo insuper virgini quam uxorem duxit, nulla infamiæ nota inusta fuerit. Hæc est sententia Auctoris Theologiæ Gratianopolitanæ (*g*).

(*f*) Tob. 6. 11. & seqq. & c. 8. 1. & seqq.

(*g*) De Genes. Theol. moral. tom. 4. part. 2. cap. 7. q. 1.

CASUS XII.

HERMALANDUS, viginti & octo annis natus, militiæ nomen dedit Colmariæ, tamquam miles sub Ductore Equitum Draconum, ut vocant: post sex menses, missione non obtenta, a castris discessit, & se recepit in Pagum quemdam decem leucis distantem. Ibi Redegundam corrupit filiam rustici cujusdam illius pagi, ipsi cum jurejurando promittens fore ut illam uxorem duceret. Se tutum non credens in loco illo, procul magis recessit, per devia iter semper agens, ne comprehenderetur, & tamquam desertor puniretur, filiamque illam secum abduxit. Discessus sui ab exercitu crimen in omnem locum ipsum insequebatur, continuaque solicitudine afficiebatur, Sequanorum tractum adivit: denique se recepit in quemdam pagum Diœcesis Matisconensis cum puella illa, quæ eum quoquoversus secuta est, per tres annos ac insuper. Tandem Sacerdoti cum peccata sua patefecisset, illum oravit, ut eorum matrimonium benedictione celebraret. At Sacerdos ei respondit, se id facere non posse, absque consensu patris puellæ quæ sub potestate erat, & quin impetrasset immunitates requisitas nuptiarum promulgationis, & quod domicilium constans ipsi non esset. Hic Sacerdorem oravit ut ad Episcopi Vicarium primarium scriberet immunitates illas deposcens, & ad puellæ patrem, ut ab eo assensum peteret. Vicarius primarius ad eum immunitates misit, quibus illi licebat ubivis matrimonio se jungere. Verum consensu patris statim non recepto, cum in loco illo non amplius reperirent unde viverent, illinc discesserunt, & in urbem Montargium se receperunt, in Diœcesim Senonum, ubi etiamnum ab uno mense degunt, eo consilio ibidem remanendi labore vitam quæritantes. Ibi Hermelandus Mævium etiam Sacerdotem adit, ut ei peccata sua patefaciat, & matrimooii sui celebrationem petat. At idem ei respondit alter Sacerdos; ad quem scripsit, ut ab eo audiret an non consensum a patre puellæ petitum accepisset. Responsum fuit ab eo, ipsum consensum in formula editum accepisse, eumque ad ipsum misit. Circa hæc Mævius petit, an post impetratas ab Episcopo Matisconensi immunitates circa nuptiarum promulgationem ac domicilium, & post impetratum patris consensum, possit legitime matrimonium illud celebrare, anve quasdam alias cautiones adhibere debeat?

RESPONS.

1. STATIM supponendum est, filium non posse matrimonio se jungere absque patris sui consensu, prius quam triginta annis perfectis natus fuerit, neque puellam nubere posse prius quam viginti quinque annis perfectis nata sit.

1. Filios-familias, qui in hoc Edicta perfringunt, posse exheredari a parentibus, immo orbari donationibus aliisque bonis quæ in ipsos antea conferre potuissent. (1) Id distinctis verbis declaratur ab Edicto Henrici II. dati 3. die Februarii, anno 1556. quodque septem annis prius est Decreto Concilii Tridentini circa Matrimonium.

2. Edi-

(1) Vid. *Menda Pontas*. Observ. III. num. XLVII.

2. Edicto Aurelianensi, dato a Carolo IX. mense Februario anno 1560. ut præcedens confirmaret.

3. Edicto Blesarum, dato anno 1579. ab Henrico III. (a) qui insuper declarat (b), filios-familias, immo viduas quæ nondum attigerunt ætatem supra memoratam, *legitime* contrahare non posse (c) absque consensu parentum, Tutorum, vel Curatorum, & sine nuptiarum futurarum promulgatione repetita tribus diebus Dominicis vel diebus festis differentibus, cum intervallo; cujus immunitatem impetrare non poterunt, nisi postquam nuptiæ prima vice promulgatæ fuerint. Quibus Rex mortis pœnam addit, sine veniæ spe (d) in eos qui filios filiasve subornaverint nondum viginti quinque annis natos, obtentu Matrimonii, sine consensu distincto parentum, Tutorum vel Curatorum.

(a) Edict. Blef. art. 42.
(b) Art. 41.
(c) Art. 40.
(d) Art. 42.

4. Edicto anni 1606. (e) Blesarum Edicti articulum 40. confirmante.

(e) Art. 12.

5. Edicto anni 1629. (f) quo Ludovicus XIII. confirmat quoque Blesarum Edictum, & illegitimos declarat, indignosque qui heredes sint sive in linea directa sive jure consanguinitatis, eos liberos qui ex ejusmodi Matrimoniis nasciturі sunt.

(f) Art. 39.

6. Edicto dato die 26. Novembris 1639. cujus auctoritas comprobata est in supremo senatu, die 16. Decembris sequentis quo idem Princeps jubet, Edictum anni 1556. & quæ continentur articulis 41. 42. 43. & 44. Edicti Blesarum, observentur; vultque filios ipsos triginta annis perfectis filiasque viginti quinque annis natas scripto requirant sententiam & consensum parentum, prius quam Matrimonium contrahant, sub pœna exheredationis, juxta Edictum anni 1556.

7. Denique Edicto anni 1697. quo Ludovicus Magnus confirmat reintegratque præcipuos omnes articulos præcedentium Edictorum, additque novas multas gravissimas pœnas in eos qui leges illas perfregerint.

3. Conjiciendum quoque est, probatam & observatam regulam hanc esse, sacerdotem loci ubi sunt errabundi homines & absque domicilio, non posse absque peccato adesse Matrimonio istiusmodi hominum, sine distincta Episcopi permissione, prout præscribit Concilium Tridentinum (g) *nisi re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*. Licet summo jure Matrimonium ratum esset, quamvis a sacerdote irritum foret.

(g) Concil. Trid. sess. 4. c. 7. de Reformat. matrim.

4. Et si contrahentes domicilium æque diuturnum non habeant ac exigunt Diœcesis cujusdam statuta; ratum tamen contrahere possunt Matrimonium, licet illegitimum, modo bona fide, non fraude, illud constituerint.

Effatis illis omnibus suppositis, ad casum peculiarem de quo agitur respondemus.

1. Hermelandum & Radegundam spectari posse, quasi nullum domicilium sufficiens huc usque habuerint: quandoquidem tribus annis a quibus miles ille a castris discessit, oppidatim & pagatim errabundus semper fuit, ut pœnæ desertoribus debitæ se subduceret, illumque quoquoversus secuta est Radegunda.

2. Eos contra spectari posse quasi domicilium firmum & statutum nunc habentes, & bona fide incolentes urbem ubi etiamnum degunt, & ubi miles ille, illaque mulier pedem figere constituerunt, ut ibi labore suo vitam quæritent.

3. Si vero spectentur quasi nullum habentes domicilium, ut re ipsa nullum habent errabundi omnes, qui vulgo nullibi commorentur, nisi ut requiescant, aut pernoctent; Parœciæ illius sacerdos ubi etiamnum sunt, censetur eorum sacerdos, ipsorumque Matrimonio adesse potest, prout Sacram Eucharistiam Paschalem, aliaque Sacramenta ipsis necessaria administrare potest, servando tamen respectu Matrimonii regulas hanc in rem præscriptas ab Edictis & Decretis Regiis, statutis synodalibus, Libro rituali Diœcesis, aut ab Episcopi mandatis, a quo permissionem distinctam impetrare debet hoc Matrimonium celebrandi sicuti Tridentinum Concilium jubet, & sicuti Libri rituales Diœceseos statuunt, quamvis summo jure Matrimonium absque permissione celebratum ceterum ratum sit, licet illegitimum sit a sacerdote, ut jam observavimus.

4. Si vero spectentur quatenus bona fide sedem defixerunt in loco ubi sunt, licet a paucis diebus, & quamvis forsitan eorum consilium non sit illic semper habitandi, eo casu Matrimonio eorum adesse potest sacerdos; quandoquidem eo respectu eorum Pastor satis censetur: sed id legitime facere nequit absque Episcopi consensu & licentia, & postquam ab eo necessarias impetraverit immunitates, cum quod domicilii tempus requisitum elapsum non sit, tum ob defectum nuptiarum promulgationis, & nisi observet accurate quod ab Edictis præcipitur.

Quod nos hac in sententia confirmat, hoc est: scilicet, adolescens sui juris est cum triginta annos perfectos attigit, potestque legitime Matrimonium contrahere, licet ejus parentes adhuc in vivis essent & huic Matrimonio intercederent: Eorum consensum requirere, si juxta formulas præscriptas deposcatur, eo casu necesse est tantum in foro exteriore, ut caveat ne exheredetur: hanc enim pœnam minitantur Edicta annorum 1556. 1579. 1613. 1629. 1639. &c. jam a nobis laudata. Hermelandus vero jam annis triginta & uno perfectis natus est. Potest igitur ratum Matrimonium contrahere, si periculum adire velit pœnæ illius, si pœnam petere velit pater. Nulla est difficultas respectu Radegundæ; supponitur enim a patre consensum obtinuisse, eamque præ manibus instrumentum habere juxta formulas præscriptas exaratum.

CASUS XIII.

Matrodorus filius-familias, octodecim vel novemdecim annos natus, potest ne sine peccato Matrimonium contrahere, quin consensum a patre a quo emancipatus est vel requirat vel exspectet?

Respons.

Jus Romanum filiis emancipatis permittit Matrimonium contrahere auctoritate sua privata. Id præcipitur Lege ista (h): *Filius emancipatus, etiam sine consensu patris, uxorem ducere potest, & susceptus filius ei heres erit*. Sed cum Jus illud hoc respectu in Gallia non vigeat, constat Metrodorum graviter peccare, si sic Matrimonium contrahat. Nam ex Edicto Blesarum, ac ex aliis a nobis jam laudatis in decima decisione, severe prohibetur filios-familias Matrimonium contrahere absque patrum suorum consensu. Emancipatio autem ipsis ad id tantum prodesse potest, ut eos liberet a quibusdam obligationibus, quibus Leges civiles eos subjiciunt, non vero ad id ut eos liberet ab obligationibus ipsis a Lege Dei, vel ab ipsa natura impositis.

(h) Leg. Filius. 25. ff. de ritu nuptiarum.

Hanc in rem observandum est, cum pater filii sui, nondum sui juris, Matrimonio assentitur, intercedit autem mater; vel contra: quando mater assentitur, intercedit vero pater, patris voluntatem semper matris voluntatem vincere debere (i).

(i) Colloq. Condom. t. 2. Colloq. 13. secret. 1.

CASUS XIV.

Farulfus, viginti quatuor annos natus, sine matris consensu, uxorem duxit virginem tunc vicesimum sextum annum agentem; ex eaque quatuor suscepit liberos. Cum gravissimo morbo correptus fuisset, mater ejus comparavit se, ad impetrandum ejus Matrimonium, si moriatur, irritum fieri, ejusque liberos illegitimos declarari. Convaluit ex morbo Farulfus, matrisque consilium edoctus est, ac petit quid ipsi nunc faciendum sit, ut matris malevolentiam antevertat?

Respons.

Celeberrimus Theologus olim Sorbonæ Professor (K), cui similis proposita est quæstio, ad eam die 15. Decembris 1672. respondit, dicens eo casu virum illum supplici libello officialem rogare debere, ut ab eo permissionem impetret curandi, ut ipsius matrimonium iterum celebretur, mater scripto prius rogata ipsi assentiri. Ratio quo eum ad hoc impellere debet, hæc est, scilicet curando Matrimonium suum comprobari juxta formulas ab Ecclesia Edictisque Regiis præscriptas, præripiet exitus litis quam ejus uxori ac ideo filiis suis intendere in animo habet mater, si forte ipsi superstes sit: exitusque illi acerbissi-

(K) De S. Beuve, tom. 2. Cas. 167.

bissimi esse possent, filiis præsertim, quandoqoidem juxta Edictum anni 1629. Farulfi mater ejus uxori actionem iotendere posset raptu illam accusans, quod cum non esset sub potestate, subornaverit filium ejus, qui sai juris non erae: Cum autem raptus criminis non sit præscriptio nisi post viginti annos elapsos, & a Matrimonio contracto sex tantum elapsi sint aoni, maximi est momenti, ot liberorum ejus statoi præcaveatur, habilesque evadant hereditatis suæ adeundæ post ipsius obitum, hanc cautionem adbiberi, ejus Matrimonium modo jam jam indicato comprobari.

CASUS XV.

Madardus, triginta annos & sopra natus, Batildaque viginti quinque annis persectis nata, adversus parentum consensum Matrimonio se jouxerunt. An parentes in foro conscientiæ teuentur illis dotem donare, parem doti ceteris liberis data?

Respons.

1. Respondemus, Medardum atqoe Batildam, cum siot sui juris, contrahere posse, etiam contra voluntatem parentum, quia ipsis licet per Edictum. 2. Eos teneri ex Decreto anni 1639. (a), prius scripto requirere sententiam & consensum parentum, ea pœna ut ab iis exheredentur juxta Blesarum Edictum (b) quod eo respectu Edictum ann. 1556. reintegrat, & confirmatur Decreto Henrici IV. anni 1606. ac Edicto Ludovici XIII. ano. 1629. (c): quæ Edicta oituntur multorum Provincialium Conciliorum Decretis, præsertim Rhemensi, Aquisextano, Rhotomagensi, Mediolanensi & Mexicano (d): quæ omnia vetant filios absque parentum consensu Matrimoniom contrahere. 3. Respondemos, com conjuges illi huic Decreti articulo satisfecerint, jure a parentibus petere possunt parem dotem, qoæ ceteris liberis data est. At vero si huic Articolo non satisfecerint, hoc ab ipsis legitime petere non possunt. 4. Respondemos, Eorum parentes teneri ipsis dotem donare similem doti ceteris ab ipsis concessæ; modo eam dare in ipsorum sit potestate & modo istius Edicti verbis & tenori satisfecerint, non vero secus.

(a) Decretum 1639. art. 2.

(b) Edict. Blesar. art. 41.

(c) Decret. 1639. art. 39. & 1639. art. 2.

(d) Conc. Rhemens. an. 1583. tit. de matrimonium 6.
Conc. Aquisf. an 1585. eod. tit.
Conc. Rhotom. an. 1581.
Concil. Mediol. 3. an. 1573. n. 17.
Conc. Mediol. 4. an. 1576. part. 3. n. 9.
Concil. Mediol. 6. an. 1582. num. 27.
Concil. Mexican. an. 1585. l. 4. tit. 2. §. 8.

CASUS XVI.

Com Goericus morte damnatus fuisset, ob homicidiom ab ipso perpetratum; cumque e carcere evasisset & in aliam Provinciam ad extremum Regnum se recepisset, ubi aliquamdiu post oxorem duxit: An ejus Matrimonium ratum est? Ratio dubitandi hæc est, nempe homo ille civiliter mortuos est, cum non amplius habeat potestatem corporis voluntatisque suæ; & corpus ejus seotentia in eum pronontiata sit mulctatum & in poblicum addictum; ipseqoe sit inhabilis ad omnem contractum civilem, ac ideo ad contractum Matrimonii?

Respons.

Verum qoidem est, eos qui damnantur pœna quadam quæ mortem civilem infert, sicut pœna capitis, ad remos, aut exsilii perpetni, carcerisve perpetui, non amplius porestatem babere de corpore sive de volontate sna statuendi: id vero iutelligi tantum debet respecto effectuum civilium. Quapropter eorum Matrimonium ratum tantum est, in iis quæ Sacramentum & vinculum conjugale spectant. Numquam Ecclesia Legesve Principum istiosmodi homines declararont inhabiles ad Matrimonium contrahendum: Nemoque ad hoc inhabilis censeri debet, nisi sit io eorum caso, qoos Lex vetat contrahere, ut ait Innocentius III. scribens ad Archiepiscopum Arelatensem (e): *Quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur.*

(e) Innoc. III. in c. Cum apud 23. de sponsal. & matrim.

Ac saoe dici non potest ejusmodi matrimonium irritum esse, nisi tale evaderet errore personæ vel condicionis servilis. Horum autem errorum neuter teperitur in Matrimonio de quo agitur. 1. Enim Guericus, cum Matrimonio se junxit, non finxit se esse Titiom, vel quempiam alium. 2. Nec est *servus conditionis*, ut vocant, sed tantum *servus pœnæ*: quod non impedit qoin uxori quam duxit, potestatem tribuat sufficientem in corpus suum, cum istiusmodi potestas unicum objectum habeat, officiom scilicet conjugale, quod ei præstare tenetur, cum desiderat. Io ea igitur hypothesi est solummodo error personæ Guerici. Inter Theologos autem omnes, & inter omnes Canonistas convenit, istiusmodi errorem numquam Matrimonium irritom reddere posse, prout fusius probat Gratianus (f).

(f) Grat. §. Quod autem 29. quæst. 1.

Præterea, Guerici Matrimoniam ratum esse probari potest, comparatione facta cum Matrimonio, quod contrahit homo, cujus excommunicatio publice denuntiata est: Licet eoim homo ille sit orbatus omoi commercio, etiam civili, cum fidelibos, & sit seclusus *a gremio S. Matris Ecclesiæ & consortio totius Christianitatis*, prout loquitur Concilium quoddam Arausionense, a Gratiano laudatum (g); ita ut ne illum quidem alloqui liceae, illumque salutare, nisi violetur prohibitio sacrorum Canonum: (h) quamvis deoique *stare* ia *judicio* non possit ad quemlibet actum exercendum, donec saltem *ad cautelam* absolutus fuerit; ratum tamen Matrimonium contrahere potest: ut observat Brillonus in suo Edictorum Dictionario (i); licet legitime contrahere non possit. Quare igitor privilegiom idem denegari posset illis, adversos quem mortis senteotia lata est, ob crimen cujus forte pœnitentiam, ut par est, egit?

(g) Can. Canonica 107. 11. q. 3.
(h) Callix. in in Can. Excommunicato 17. & 4. seqq. eadem causa & qu.

(i) Brillon. Edictorum Diction. v. Excommunicat. num. 61.

Porro, idem dici potest de muliere, ob adulterium ex juris formulis damnata, in aliqoo loco per totam reliquam vitam includi. Nam si inde egressa fuerit, & post mariti mortem nubat: ejus Matrimoniom ratum est io foro conscientiæ, qoamvis in foro exteriori irritum declaretur, juxta Regni istius Jurisprudentiam, dummodo tamen ceterum contractum fuerit juxta omnes formolas ab Ecclesia præscriptas (k).

(k) Colloq. Cond. cit.

Observandum est, ea quæ jam jam dicebamus de rato Guerici Matrimonio, iotelligi taotom debere, *quoad fœdus Matrimonii*, non vero *quoad actus & effectus civiles*. Quapropter filii ex tali Matrimonio procreati inhabiles suut ad bereditatem adeundam patris post ejus obitum, proot a multis Edictis judicatum est. Auzanetus, Barderusqoe (l) Edictum proferunt datum 15. Junii 1518. Joannes a Fraxino aliud in mediom profert, datum die 13. Februarii, 1625. (m) Louetius (n) aliod profert, datum 14. die Augusti 1585. quod declarat filios Renatæ Charboniere le Masson, filiæ Regii Palatii Magistri primi, inhabiles ad hæreditatem adeuodam Matris suæ quoniam igne comburi damnata soerat, quod maritum suum veneno necasset, licet illius pœna io perpetuum carcerem commutata fuerit: & quamvis liberi illi procreati fuerint ex Matrimonio quod contraxerat, post sententiam in ipsam pronuntiatam die 14 Januarii 1561. Brodeau in Louetium (o) àliod quoque refert Edictum, latum die 15. Junii 1618. a Primario Præside senatus Veroduni adversus liberos procreatos ex Matrimonio quod Antonius Tillon, Dominus in Sasse, anno 1606. contraxerat cum Joanna Mainard, postquam exilio perpetuo damoatus soisset, Decreto senatus supremi Rhotomagensis dato anoo 1599. Deniqoe idem Loueti Commentator profert etiam latom die 13. Februarii, anni 1625. in gratiam liberorum procreatorum ex primo conjugio viri vocati Rhocheboisseao, qui postquam capite damnatus fuisset per desertom vadimonii diem, io prima actione, a Castrensiom Præfectorom capitali Tribuno Andegavensi, aono 1599. & a Curia suprema Parisiensi, anno sequente, quod oxorem snam trucidasset, ad alias nuptias convolaverat an. 1624. liberosque ex secunda conjuge susceperat, qoi inhabiles ad hereditatem paternam adeundam declarati fuere.

(l) Auzanet. in Mor. Paris. art. 28 & Bardet. tit. 10 l. 1. c. 29.
(m) Joan. a Fraxino Distinctium Forensi l. 1. c. 29.
(n) Georgius Louet. littera H. capit. 8.

(o) Julian. Brodeau, in Louet ibid.

Ex omnibus auctoribus quos hanc in difficultatem legimus, nullum reperimus decisioni nostræ contrariom, excepto Abellio, qui dubitare videtur: cum enim loquitur de impedimento conditionis servilis, ait, idem forsitan dici posse, de iis qoi pœnis, qoarum mentionem nunc faciebamus damnati sunt. *Nisi forte respecta eorum qui sententia Judicis per totum vitæ tempus ad remos damnati sunt, aut carceri perpetuo mancipati; tales enim cum sint servi pœnæ, servilis conditionis Leges subire debent.* Hæc sunt auctoris illius verba (p).

(p) Ludov. Abell. in Medulla. Theol c. 8. de Matr. sect. 3. n. 3.

CA-

CASUS XVII.

Paulla, viginti tribus annis perfectis nata, nupsit patris consensu non requisito. De hoc quæritur, num pater possit salva conscientia, non solum dotem ipsi denegare, sed & illam hereditate orbare.

Respons.

Cardinalis Ostiensis, & Archiepiscopus Panormitanus (*a*) Covarruviasque, & multi alii Canonistæ affirmant, eo casu Patrem non posse, salva conscientia, filium exheredare quoniam, ajunt illi, exheredationis metus censetur gravis metus, matrimonii libertati contrarius: Glossæ tamen Auctor ait (*b*) patrem posse exheredare filiam suam, quæ nondum viginti annis nata, contra voluntatem ejus nupsit viro, hac consanguinitate indigno, sive ob ignobile genus, sive ob pravos mores, sive ob aliam infamiæ notam. *Pater tamen bene potest eam exheredare ..... Nisi major esset 25. annis. Tunc enim si pater distulit eam copulare, si alicui adhæserit, remanebit cum illo, etiam invito patre, nec exheredabitur ..... dummodo dignum eligat, pater tenetur eam dotare.* Ea sunt verba Glossæ, sententiam suam multis Legibus comprobantis (*c*).

(*a*) Hostiensis & Panorm. in cap. 1. de desponsat. impuberum.

(*b*) Glossa in Can. *Raptoribus* 1. v. *Excusata.* 32. q. 2.

(*c*) Leg. *Si filiam.* Cod. de inoffic. testam. Lege *Quilibet.* ff. de ritu nupt.

Jurisprudentia quam in Gallia observant, consentanea est cum Glossæ sententia. Regum enim nostrorum Edicta, in decima Decisione a nobis laudata, parentibus permittunt punire exheredatione liberos suos, qui contra voluntatem eorum matrimonio se jungunt; masculos scilicet ante trigesimum annum perfectum, feminasque ante vigesimum quintum; ita ut possint, salva etiam conscientia, illa via uti, ut eorum inobedientiam puniant. Paullæ igitur pater potest, non solum dotem illi denegare, sed etiam exheredatione illam punire.

CASUS XVIII.

Alexandro, Nobili non diviti, sunt quinque filiæ cum uno filio. Filius post patris obitum omnia bona paterna hereditate accipiet, quippe quæ unico constant nobili prædio, quod juxta morem in Regione receptum ad familiæ filium natu maximum pertinet. Jam nobiles sunt quinque filiæ: eas vero pater Nobilibus collocare non potest, quia ipsi non est, unde illas dotet. Duarum natu maximarum connubium petunt duo plebeji satis divites. Alexander vero perpendens, illos suos esse subditos, idque sibi dedecori futurum, si huic Matrimonio assentiatur; consensum plane denegat: satius sibi esse ducens duas illas filias in Americæ Insulas mittere cum multis aliis quæ illuc se conferunt ut nubant, quoniam facillime ibi nuberent, licet bonis sint orbatæ. At filiæ illæ longinquo huic itineri assentiri nolunt. An Alexander potest salva conscientia, illas invitas mittere?

Respons.

Patris potestas in liberos suos non eo extenditur, ut jus ei tribuat eos in longinquas regiones transferendi contra eorum consensum, eo prætextu fore ut ibi facilem nubendi occasionem inveniant; sic violaretur jus omnium maxime naturale, libertatem dico, quam Deus ipse totam homini relinquit, quovis modo ea utatur. Si igitur Alexandro tales non sint opes, ut filiabus suis congruentem dotem det; si quoque matrimonio se jungendi consilium ineuntes, plebeiis nubere velint; quoniam nullus Nobilis sine dote eas uxores ducere vult: pater impedire non debet quin plebeiis nubant, ne jure ab eo repetatur ratio apud Deum, peccatorum in quæ forsan prolaberentur præ fragilitate, hominibus, præsertim vero sexui feminino, naturali. Hæc est sententia cujusdam docti Theologi nostri ævi (*d*).

(*d*) De Salute Beuve t. 3. cas. 102.

CASUS XIX.

Vigilius Semproniam uxorem ducit per procuratorem, dum in Provincia remota versatur. 1. An matrimonium illud est legitimum? An est Sacramentum?

Respons.

Cum nihil in matrimonii Sacramento immutaverit Concilium Tridentinum, eique nihil addiderit præter Sacerdotis & Testium præsentiam; dici debet, quod, quandoquidem Matrimonium per procuratorem ratum erat antea, ut videre est ex multis Decretalibus (*e*), etiam nunc hodie ratum est. 1. Enim si spectetur tamquam contractus civilis, negari non potest illud ratum esse; cum non sit de essentia Contractus, eos qui illum paciscuntur præsentes esse; sufficiatque ad eum ratum efficiendum, ut ei assensum suum dent, sive per se ipsos sive per procuratorem. Eam rationem affert Glossa (*f*) quæ postquam petiisset: *An per procuratorem contrahi possit matrimonium*? Respondet id a nemine in controversiam verti. *De hoc non dubitatur ..:.. omnes enim contractus, qui consensu contrahuntur, inter absentes contrahuntur.* (*g*) Id re ipsa facile est probatu ceterorum omnium contractuum exemplo, veluti venditionis, emtionis, conductionis, mutui & similium, qui omnes per Procuratorem contrahi possunt. Sicque Isaacus Rebeccam uxorem duxit (*h*), cum illam Eliezeris ministerio duxerit. Hicque usus etiamnum hodie viget respectu Principum, qui fere semper per procuratorem Matrimonium contrahunt, nec quidquam contradicit Ecclesia. Re ipsa quilibet, præsertim cum de contractu agitur, censetur vere per se ipsum facere, quod per alium facit: juxta istam Juris Canonici regulam (*i*): *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Hæc circa primam quæstionem dicenda habebamus.

(*e*) Innoc. III. in c. *Ex parte.* 14. De conversione conjugat. & ibid. Glossa v. *Internuum.* Annifac. VIII. in cap. *Procurator.* fin. de Procuratoribus in 6. & ibi Glossa v. *Idoneus.* Et in Can. *Nu illud.* 8. v. *Uxor.* 30. quæst. 5.

(*f*) Glossa ol. tot. cap. *Procurator.* v. *Idoneus.*

(*g*) Leg. v. §. *Est autem.* ff de contrahenda empt.

(*h*) Genes. 24. 4. & seqq.

(*i*) Annifac. VIII. in reg. 72. de reg. Juris in 6.

Quod ad secundam quæstionem attinet, nimirum an hocce Matrimonium sit sacramentum ab ipso momento quo contractum est: Negari quidem potest, negationemque ipsi olim defendimus in Thesibus publicis, juxta sententiam Adriani, Melchioris Cani, Cajetani, (*K*) Durandi, Sylvii, de Victoria, & quorumdam aliorum Theologorum. Sententia tamen contraria defenditur a celeberrimis Auctoribus, nimirum a Paludano, Catharino, Petro Soto, Dominico Soto, Bellarmino, Navarro, Estio, Isamberto, Covarruvia (*l*) multisque aliis; quorum sententia eo magis vera videtur, quod juxta eos ipsos qui contrarium tuentur, Matrimonium per procuratorem contractum ratum sit Matrimonium; Juxta autem Eugenii IV. Decretum sancitum in Concilio Florentino, & juxta Concilium Tridentinum (*m*), Christianorum Matrimonium legitime contractum, provectum est a Jesu Christo ad virtutem & dignitatem sacramenti, absque alia distinctione. Unde sequitur, quandoquidem Matrimonium per procuratorem contractum, est legitimus contractus, eodem tempore illud esse sacramentum. Quibus addi potest, conditiones omnes essentialiter requisitas in vero sacramento, in ejusmodi Matrimonii reperiri; Materiam scilicet, quæ est Contractus inter personas baptizatas; & formam, sive spectetur a sacerdote præsenti & qui juxta multos Theologos Matrimonii est Minister: sive a contrahentibus, qui licet absentes sint, mutuum suum consensum exteriorem & interiorem dant: Nimirum præsens per se ipsum: absens vero per Procuratorem, aut per instrumentum quod ipsi potestatem concedit suo nomine assentiendi.

(*k*) Adrian. Tractat. de Bapt. q. 2. ad 5. Thom. de Vio. Card. Cajet. t. 1. Opuscul. 12. q. 1. de Contractu Matrimonii. Melchior. Canus de Locis Theol. lib. 8. cap. 5. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 42. art. 1. quæsito 3. & alii.

(*l*) Petr. Paludanus in 4. dist. 27. q. 2. n. 37. Domin. Sotus ibid. q. 1. art. 3. §. *At vero.* Petr. Soto lect. 3. de Matrim. §. *Requiritur.* Amb. Catharin. l. v. Robert. Bellarm. l. 1. de Matrim. c. 5. Guillelm. Estius in 4. dist. 29. §. 5. Ysambert. Dispus. 3. art. 4. de Sacram. Matrim. Navarrus & alii.

(*m*) Conc. Trident. sess. 24. de sacram. Matrim Can. 1.

Auctores qui negantem opinionem tuentur, objiciunt: si ejusmodi Matrimonium sacramentum foret, inde sequi Matrimonium contrahentem per procuratorem gratiam sanctificantem accipere posse tempore quo dormit: quandoquidem fieri potest, procuratorem mandatum exsequi, dum dormiret qui mandaverat: quod absurdum Doctoribus videtur. At iis responderi potest absurdum non esse, Baptisma effectum suum producere in infantem qui nequaquam cognoscit quod fit in eo dum baptizatur. Nonne etiam absolvi potest moribundus, quamvis nullo fruatur usu rationis, loquelæ, nec sensuum? Nonne in eo statu sacro oleo perungi potest? Quare igitur absurdum erit, quempiam gratiam sanctificantem accipere posse dum dormit, modo mortali peccato obstaculum non attulerit?

Ne tamen quidquam omittamus eorum quæ necesse est scire & observare in Matrimoniis per procuratorem

torem contractis, observabimus 1. cum Ylamberto conditiones quinque requiri.

Prima hæc est: Procurator habeat scripto attributum auctoritatem specialem contrahendi Matrimonii nomine illius qui id ipsi demandavit; ut decidit Bonifacius VIII. (a) his verbis: *Procurator non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale.*

(a) Bonifac. VIII. in cap. Procurator fin. de Procurator. in 6.

Secunda conditio hæc est: Cui demandata est procuratio, ipse exsequatur illam, eamque alteri non demandet, nisi hanc potestatem distinctis verbis ipsi tribuat procuratio, ut jubet illius Papæ Constitutio, dicentis: *Et quamvis alias is qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit; in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum.*

Tertia conditio ea est: Requiritur qui procurationem dedit, illam non revocaverit prius quam Procurator eam exsecutus fuerit; si enim prius eam renovasset, plane inutilia forent ea omnia quæ Procurator ageret, etiamsi potestatis sibi concessæ abrogationem ignoraret; quoniam maximi est momenti matrimonia ab utraque parte cum summa & perfecta libertate fieri. *Sane si Procurator, ante quam contraxerit, a domino fuerit revocatus*, ait quoque Bonifacius VIII. *contractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent) nullius momenti exsistit, cum illis consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequit.* Quod his verbis jam docuerat S. Thomas (b): *Si ante quam pœniteat* (mandans) *quam ille* (mandatarius) *consentiat, non est Matrimonium, nec in rei veritate, nec secundum judicium Ecclesiæ: si aliquibus signis appareat eum pœnituisse. Sed ex quo consensus per internuntios factus est*, Matrimonium tenet, ac si ipse fecisset. Tres priores illæ conditiones sunt omnino necessariæ, ut Matrimonium per Procuratorem contractum ratum sit.

(b) S. Thom. in 4. dist. 29. in exposit. textus.

Quarta hæc est: Procuratio distincte exprimat ac transferat potestatem illam nominatim ducendi (c).

(c) Abbas in cap. In causis. de electione.

Quinta denique hæc est: Procurator conditiones omnes in procuratione appositas ad verbum observet, & in nulla re potestatem ipsi concessam transgrediatur: quoniam quod præterea faceret, præter legem esset, quæ dicit (d): *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur.*

(d) Leg. diligenter 5. ff. mandati vel contra.

Secundam addimus observationem: nempe, juxta Silvium jam a nobis laudatum, 1. Virum cui animus est virginem per Procuratorem uxorem ducere, summo jure posse mulieri procurationem suam demandare, licet longe magis appositum foret, si contrahentium unusquisque ea occasione Procuratorem eligat personam ejusdem sexus. 2. Ut ratum reddatur Matrimonium, plane necessarium non esse, procurationem scriptis tradi, sed sufficere si coram, & verbis tradatur, modo sit constans, nec revocetur ante exsecutionem. 3. Ob rationes enuntiatas in Decretalibus in medium prolatis, Matrimonium contrahi posse per Epistolas inter absentes, modo legantur, & contrahentes Epistolis illis declarent, se invicem in maritum & uxorem accipere: denique lectio illa fiat coram testibus ac sacerdote proprio alterius contrahentium, & coram illo vel illa quocum absens contrahit, vel coram ejus Procuratore. Et ille illave aut ejus Procurator Matrimonio sincere assentiatur. 4. Istiusmodi Matrimonia non solum iterari posse, cum præsentes sunt partes contrahentes, sed etiam maxime appositum esse si id fiat; quoniam Doctores utrique opinioni faventes, illa iterari suadent: hancque reddunt rationem, dubium esse num hocce Matrimonium vere sit Sacramentum: præterea fieri posse contrahentium alterutrum consensum suum revocasse, antequam per Procuratorem contractum fuerit Matrimonium: quo casu constat matrimonium esse irritum. Huic autem incommodo medentur partes contrahentes, cum Matrimonium iterant præsentes.

CASUS XX.

Paullus postquam procurationem suam Petro demandasset, ut Magdalenam duceret uxorem, ipse sequente die in dementiam prolapsus est. Hunc casum ignorans Petrus negotium sibi demandatum exsecutus est, Magdalenam nomine Paulli ducens. An ratum est illud Matrimonium? Quod nondum facit, hoc est: scilicet, certum esse Paullum ipsum tunc non habuisse potestatem legitime Matrimonium contrahendi. Ergo neque etiam contrahere poterat Petrus ejus Procurator.

Responsio.

Matrimonium contractum a Petro, tamquam Paulli Procuratore, ratum est in casu proposito, quamvis Paullus hoc temporis articulo fuerit in dementia, cum Petrus mandatum ejus exsecutus est. Ratio est, quoniam necesse non est, illum qui ejusmodi procurationem dedit rationis usum habere eo ipso momento quo mandatarius exsequitur: sed sufficit si mentis compos fuerit, cum procurationem dedit; & Procurator mentis etiam compos fuerit, quando mandatum executus est. *Non enim requiritur*, inquit doctus quidam Canonista (e), *ut qui mandavit ratione utatur, dum Procurator mandatum exsequitur*. Hancque hujus rationem reddit: *Nam alioqui, si tunc temporis dormiret, aut ebrius esset, dicendum quoque esset, irritum esse id omne quod a Procuratore geritur, quatenus qui mandaverat, jam usu rationis caret; sufficit enim ut rationis compos mandaverit, & Procurator ipse, dum exsequitur, ratione utatur.*

(e) Joan. Cabassutius Juris Can. Theor. & Prax. l. 3. c. 10. n. fin.

Quod ad allatam tacitam objectionem spectat, scilicet Paullum ipsum tunc non potuisse legitime contrahere, ac ideo idem dici debere de Petro ejus Procuratore: respondendum est, comparationem non parem esse; quandoquidem rationis compos egit Procurator ille, ac ideo legitime egit, dum sibi demandatum exsecutus est. *Magna tamen in utroque casu intervenit differentia*, sic loquitur adhuc idem Auctor, *quia Procurator valide agit: quia ratione utitur, ad consensum & contractum indispensabiliter & ipso facto necessaria. At vero dum quis ebrius vel amens est, incapax est & contractus & consensus omnis per se ipsum.* Auctores multos alios laudat Doctor ille (f) eamdem sententiam faventes.

(f) Henriquez l. 11. de Matrim. c. 4. n. 4. Thom. Sanchez l. 2. de Matrim. disput. 21. n. 12.

MATRIMONIUM.

In toto hoc Titulo agitur tantum de modo vario quo irritum matrimonium in integrum restitui potest: hoc est quandonam & quo casu contrahi debeat iterum coram Sacerdote Parocho & testibus; quandonam vero satis sit mutuum consensum interiorem iterare. Reliqua videri possunt in titulis in quibus de Matrimonii impedimentis egimus. Ut vero penitus perspectas habeamus leges & formulas, quæ circa Matrimonia in Gallia observantur, legi debent Edicta a Regibus nostris hanc in rem sancita, quorum primum est Henrici II. mense

mense Februario anni 1556. secundum est Aurelianense anno 1560. *(a)* a Carolo IX. latum. Tertium est Blesatum, anno 1579 *(b)* ab Henrico III. datum. Quartum est Edictum Melodunense ab eodem Principe, anno 1580. *(c)* sancitum. Quintum est Henrici IV. anno 1606. *(d)*. Sextum est Ludovici XIII. anno 1629. *(e)*. Septimum ac celeberrimum latum est ab eodem Rege anno 1639. quæ omnia in variis hujus operis locis laudamus; ibique quatuor alia prætermittimus, sancita in gratiam Reformatorum, ut existimari volunt, quæ Edicta locum habere desierunt ab abrogatione Edicti Nannetensis.

(a) Art. 12.
(b) Art. 40. 41. 42. 43. 44. & alt.
(c) Art. 15.
(d) Art. 12.
(e) Art. 38.

CASUS PRIMUS.

Anselmus cum Antoniam coram proprio sacerdote ac testibus uxorem duxisset, ex mera simulatione, quin ullum consensum interiorem Matrimonio dederit, eadem affectione motus Matrimonium perfecit, qua illud contraxerat: sed aliquamdiu post eum criminis sui pœnituit, vultque hodie culpam suam sarcire, Antoniamque in uxorem habere. Petit, an ut Matrimonium illud in integrum restituat, necesse sit eum iterum contrahere; aut an sufficiat ipsum solummodo intus assentiri, absque ulla alia formula?

Respons.

Quando contractum est Matrimonium observando formulam ab Ecclesia præscriptam, & irritum est solummodu quia deest consensus, vel ob gravem metum quem sacerdos vel testes non noverunt, necesse non est, ut ratum reddatur, formulas jam adhibitas iterare: sed sufficit si id quod irritum est, corrigatur ab eo qui vere non assensus est, interiorem consensum iterando, modo alter consensum suum non revocaverit. Hæc est S. Thomæ sententia cujus hæc sunt verba *(f)*: *Ex consensu libero illius qui prius coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore*. Si ille, ait S. Bonaventura *(g)*, qui statim consensum solummodo irritum dederat, deinceps ratum det consensum; hinc alter evadit obligatus consensu quem re ipsa jam dederat, & qui semper stat, per vim & consectarium acceptionis illius qui consensum suum iterat. Ad illud quod objicitur: si illa consentiat, hæc sunt Doctoris seraphici verba: *Dicendum, quod tunc* (alius) *incipit obligari; & non ratione consensus alieni tantum, sed ratione sui qui præcesserat in actu, & erat in habitu; qui etsi non alligaret, quia non erat qui acciperet, ideo aliene consensu adveniente, ille consensus habet vim obligandi, quamvis prius non haberet*. Denique S. Antoninus idem etiam distinctis verbis docet *(h)*, dum dicit; *Si postea tacite consentiat, & libere persona ligata in consensu pristino persistente, verum efficitur Matrimonium; & tunc uterque ligatus est: quia quamvis tacitus consensus per se non sufficeret, tamen sufficeret cum expressione exteriori quæ præcessit*. Certum est igitur, non necesse esse Anselmum cum Antonia iterum contrahere, formulas exteriores quæ præcesserunt, iterando; sed sufficere eum Matrimonio intus assentiri cui prius simulate tantum & in specie assensus fuerat; modo tamen consensum suum non revocaverit Antonia.

(f) S. Thom. in 4. dist 20. q un art. 3. quæstiuncul. 2. ad 2.
(g) S. Bonavent. in d. dist. 20. q. 2. a. 3.
(h) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 1. n. 7.

CASUS II.

Augustus & Joanna Petri vidua, Matrimonium contraxerunt irritum impedimento criminis. Deinde a Papa immunitatem impetraverunt circa hoc impedimentum. An sufficit ut inter se consensum suum mutuum clam renovent, ad Matrimonium suum integrum restituendum, postquam immunitas concessa fuerit & approbata: vel an ne tenentur iterum contrahere coram sacerdote & testibus?

Respons.

Duo certissima prius supponenda sunt, ante quam huic difficultati respondeamus. 1. Impedimentum a crimine ortum ad contrahendum Matrimonium inhabiles reddere eos qui crimen illud patraverunt, eo consilio ut Matrimonio se jungerent; & eos idoneos fieri non posse ad consensum legitimum Matrimonio dandum, nisi post legitimam immunitatem. 2. Ejusmodi Matrimonium ratum factum non censeri vi solius immunitatis concessæ; cum præterea necesse sit, contrahentes consensum suum rursus exprimere sive verbis, sive signis tantumdem valentibus. Ratio est, quoniam immunitatis vis ea solummodo est, ut ad contrahendum habiles reddat eos qui antea inhabiles erant. Quapropter, quoniam primus eorum consensus plane illicitus fuit, quippe qui datus fuerat ab iis quos Ecclesiæ lex ad assensum dandum inhabiles reddit, omnino necessarium est, ut mutuus consensus distinctus immunitatem sequatur. Hæ sunt Scoti, Navarri, & Sylvii observationes, quas ex S. Thomæ supplemento eduxit Sylvius *(i)*.

(i) Supplem. S. Thom. quæst. 54 art. 4. ad 6. Fr. Sylvius in d. supplem. q. 45. art. 1. quæsit. 2. Conclus. 2. & Resolut. var. v. *Matrim.* 13. Conclus. 1. Scot. in 4. dist. 35 Navarr. Manual. c. 23. n. 47. & 80.

Quo supposito, ad difficultatem præsentem respondemus, distinguendo. Nam, vel impedimentum apertum, vel occultum erat. Si apertum fuerat, necesse est, post impetratam immunitatem, partes coram sacerdote & testibus iterum contrahere, ut Concilii Tridentini voluntati fiat satis; occurratur scilicet scandalis; aliisque malis, quæ clandestina Matrimonia afferunt, medela afferatur. Si occultum fuerat impedimentum, ac in foro exteriori probari non possit, distinguendum etiam est. Vel enim ambabus partibus notum erat, vel alterutri tantum. Si ambabus partibus notum fuerat, satis est, si post immunitatem impetratam uterque contrahens consensum suum iteret verbis, sive signo quodam exteriori: quin tamen necessaria sit sacerdotis, testiumque præsentia. Ejus probatio satis patet ex ratione, quæ Concilium impulit ad statuendum matrimonia coram sacerdote & testibus celebrari debere: quæ ratio in casu proposito nullatenus locum habet, quandoquidem matrimonium jam ratum censetur in foro exteriori. Decretum enim illud sanciendi nulla alia fuit Concilio ratio, nisi ut peccata anteverteret quæ a clandestinis Matrimoniis oriuntur, præsertimque multorum damnationem qui cum uxorem clam duxissent, eam postea deserebant, quasi concubina fuisset, aliamque palam ducebant, sicque in perpetuo adulterio vivebant; effrenatæ licentiæ medelam afferre non poterat Ecclesia, quia maritos cogere non poterat ad id ut ad uxores suas legitimas reverterentur, cum nullis rationibus probari posset, eas legitimas esse uxores. *Cum sancta synodus*, inquiunt sancti illius Concilii Patres *(K)*, *animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: cui malo cum ab Ecclesia quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*, idcirco &c. Ea fuit Concilii mens quæ, ut jam diximus, nullius est usus in casu quem expendimus, in quo supponimus occultum impedimentum ambobus contrahentibus notum esse.

(k) Conc. Trident. sess. 24. de reform. Matrim. c. 1.

Si vero crimen ab ambobus conspirante consensu perpetratum non fuisset, sicque impedimentum contrahentium alterutri notum non fuerit; oportet non solum, eum qui noverit consensum suum iterare, sed etiam ab altero qui id ignorat, consensum callide eliciat, si id face-

facere possit, quin ipsi scandalum offerat. Cum enim utriusque consensus plaoe illicitus & irritus fuerit eo tempore quo contraxerunt, omnioo necesse est illud vitium essentiale iterato consensu resarciri; quoniam error contrarius est consensus auctoritati, juxta hæc legis verba (*a*): *Cum nullus sit errantis consensus*; & ut evidenter probat Gratianus (*b*).

(*a*) Leg. Non idcirco. 9. Cod. de juris & facti ignorantia.
(*b*) Gratian. §. His ita. 29 q. 4.

Dicimus illum cui notum est impedimentum, callide consensum elicere debere ab ignorante; hoc est, quin ipsi Matrimonii nullam esse auctoritatem aperte declaret; sed utendo quibusdam verbis tantumdem valentibus, & ita ab ea responsum habeat æquum, unde pateat respondentem æque libere & æque libenter assentiri, ac assensa est, cum primo celebratum est eorum Matrimonium. Et hoc facile exsequi posse videtur eam his fere verpis alloquens: *Nunc pari amore & existimatione te prosequor ac prosequebar cum te duxi, licet etiam legitime celebratum non fuisset Matrimonium nostrum: pari gaudio te ducerem hodie ac olim, & libentissime itero consensum, quo Matrimonio nostro assensus sum. Non ne hæ sunt tuæ in me affectiones? non ne eadem est tua erga me voluntas?* Si altera idem respoodeat, aut si verbis non respondens, consensus sui indicia det, sive *per copulam affectu conjugali habitam*, vel alio modo; exinde statim ratum fit Mattimonium: qui enim impedimentum ignorat, oon solum in animo habet in Matrimonio, modo quo contractum est, perstare; sed etiam illud iterum contrahere censetur, etiam supposito nullam fuisse prioris Matrimonii auctoritatem. Sic Sylvius ratiocinatur circa hanc difficulatem (*c*), in Commeotario suo in S. Thomæ supplementum. Ejus hæc sunt verba: *Quædam sunt observanda. Primum non esse necesse, ut caussa nullitatis Matrimonii exprimatur ei qui nihil scit de impedimento. Secundum, sufficere ut persona quæ est impedimenti conscia, dicat alteri, se in prius Matrimonium non consensisse, defectu bonæ instructionis; & propterea petere, ut consensum suum ambo renovent. Cum enim consensus fuerit invalidus, apparet posse appellari non consensum. Tertium, sufficere si novus consensus procedat ex cognitione, non quidem expressa, nullitatis Matrimonii, sed æquivalenti; veluti si conscius impedimenti sollicitet alium in sui amorem, & dicat: Ita tibi afficior, ut si non esset inter nos Matrimonium, nihilominus te acciperem, & jam de facto ita te accipio. Numquid tu similiter? si respondent, quod sic, vel eo affectu se cognoscant, Matrimonium convalescit: quia ignarus impedimenti non solum intendit permanere in Matrimonio prius contracto, sed etiam inire novum, si prius non fuerit validum.* Doctus ille Theologus verbis distinctis deinceps declarat (*d*), eo casu nullam esse necessitatem coram sacerdote & testibus rursus contrahi: *Habita dispensatione*, addit, *non debent fieri novæ denuntiationes, nec requiritur præsentia Parochi & testium; sed sufficit, conjuges nullitatis, ut dictum est, conscios, inter se solos renovare consensus*: seotentiamque suam niti affirmat auctoritate sancti Papæ Pii V. a Navarro laudati (*e*). *Ita Navarrus*, ioquit, *qui & affirmat Pium V. ita declarasse.* Præter Navarrum, Barbosam quoque & quatuor aut quinque alios Auctores laudat (*f*).

(*c*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 45. art. 2. conclus. 3.
(*d*) Idem ibid. Conclus. 4.
(*e*) Navarr. Manuale c. 22. n. 70. & l. 4. Consiliorum Consil. 4. tit. de sponsal. & Matrim.
(*f*) Aug. Barbosa in sess. 24. Concilii Trident. c. 2. n. 158. 160. Sanchez, Zerola & alii apud Sylvium loco cit.

Verum, si ille qui novit impedimentom, ab alio consensum elicere nequeat sine scandalo, aut quin periculum adeat separationis, quam occasionem alius forsan arriperet, si cognosceret se ea uti posse; difficultas ex hac circumstantia longe magis iotricata exoritur, quæ Auctores in varias dividit partes. Alii enim veluti Scotus, Richardus & Gabriel, affirmaot eo casu necesse esse verbis saltem generalibus, & quin designetur impedimenti qualitas, Matrimonii nullitatem ignoranti declarare, ut & libertatem qua gaudet se sejungendi, nisi verbis prolatis consensum suam iterari velit, vel signo quodam exteriore. Deinde, si ille qui nullitatem ignorabat, rursus assentiatur, ratum fit Matrimonium, vi immunitatis quæ eos ad legitime contrahendum habiles reddit.

Auctorum illorum ratio hæc est: scilicet si Matrimonii irrita auctoritas non declaretur parti ignoranti, dici non potest eam novum consensum dare illi qui impedimentum novit; censetur tantum in primo consensu permanere qui porro nullus fuit: quod non sufficit ut ratum reddatur Matrimooium; quod nullum erat, quoniam deerat consensus legitimus. Hæc est Doctoris subtilis ratiocinatio quam probat auctoritate Glossæ in Alexandri III. Decretalem (*g*) idem docentem. Sententiam suam probat præterea idem Auctor exemplo mancipii, quod mulier duxit, illud liberum esse credens. Si enim, inquit, maocipium illud libertatem suam obtineat, inscia ejus uxore, verum cum ea Matrimonium rursus cootrahere non potest, donec illa noverit primum irritum fuisse, novumque dederit consensum, quo in mente habeat prioris defectum resarcire. En verba celebris illius Doctoris (*h*): *Primus consensus non fuit Matrimonialis; & ideo ad hoc quod sint conjuges, requiritur novus consensus. Et tunc dico, quod si impedimentum non exprimatur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequens non consentit novo consensu; sed solum reddit in virtute primi consensus qui nullus fuit: Et ideo licet persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit. Hoc expresse dicit Glossa . . . . . in primo consensu qui nullus fuit, intelligitur perdurare: sicut probatur de servo qui creditur liber cum quo contrahitur; si postea manumittitur, uxore ignorante, non contrahitur matrimonium: quia post manumissionem factam manendo cum eo semper intelligitur approbare consensum primum qui fuit erroneus, & non Matrimonium.* Jure merito igitur, ut in re tam momentosa tamque difficili omne dubium tollatur, Tribunal Pœoiteotiarium Romanum in immunitatibus quas concedit semper inserit, immunitatem exsecutioni mandari non debere, nisi postquam ille in cujus gratiam concessa est, alteri manifeste aperuerit prioris consensus nullitatem, iis tamen verbis quæ non patefaciant crimen illius cui concessa est immuoitas, ipsi veritatem aperiendo, verbi gratia, his verbis: Com te uxorem duxi, consensum sufficientem non habui, quod confessarius meus notum mihi fecit: Non ne vis igitur, ut una consensum iteremus? Hæc est tuta via satisfaciendi ordinariæ clausulæ rescriptorum, quæ primarius Pœnitentiarius Romaous concedit per formulam Commissarii: *Cum ipso latore dispensa, muliere de nullitate prioris consensus certiorata; sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur.*

(*g*) Alex. III. in cap. *Propositum*. 1. de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium. Et ibi Glossa in v. *Insciam*.
(*h*) Scotus in 4. dist. 31. q. 1.

Malo illi curando majorem adhibent facilitatem quidam alii auctores; affirmantque (*i*), sufficere si qui Matrimonii nullitatem novit, intus iterum assentiatur; tuncque ratum fieri matrimonium *per solam copulam animo conjugali habitam*, quin necesse sit nullitatem declarare illi cui ignota est. Et hanc rationem reddunt: scilicet, circa hoc Matrimonium ratiocinandum esse tamquam circa sacramentum Pœnitentiæ, quod ratum est, licet peccata confessione patefacta fuerint certo quodam tempore, & alio taotum tempore absolutio concessa foerit. Sed ad hanc opinionem descendere oon possumus. Quamvis enim rationi plane consentaneum nobis videatur, illos cogi non debere coram sacerdote & testibus denuo cootrahere, quandoquidem juxta Navarri testimunium sanctus Pius V. declaravit, id necesse non esse, cum cærimonia illa jam observata est; existimamus tamen cum eodem Auctore (*K*) qui Innocentii IV. auctoritate nititur, non satis esse, ut ratum Matrimonium fiat, si ille qui solus illius nullitatem novit, coosensum suum intus reintegret,

(*i*) Cajetan. Opusc. 13. q. 2. Dom. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.
(*k*) Navarr. cit. c. 22. num. 47. & 80. Et apud eum Innoc. in fine cap. 1. de eo qui duxit in Matrim. quam &c.

gret, post impetratam immunitatem, sed omnino necessarium esse, ut jam diximus, alterum consensum etiam suum reintegrare, postquam sufficienter audiverit assensum primum nullum fuisse.

Quod attinet ad exemplum allatum confessionis peccatorum patefactæ certo quodam tempore, & absolutionis alio tempore impetratæ, dicendum est, comparationem adhibitam cum Matrimonio irrito, in casu de quo agitur, non esse æquam, & oullam relationem habere com difficultate quam expendimus. Ratio hæc est, scilicet Confessio & Absolutio illa sacramentum perfectum conficiunt, tantum quoniam confessio quæ præcessit, & quæ facta est, *in ordine ad absolutionem obtinendam*, valida est; cum consensus qui revocationem præcessit, plane nullus sit, & cum ille qui consensus nullitatem non novit, non possit ratum illud reddere eum reintegrando, ut jam ostendimus. Ita ut plane necessarium sit, criminis impedimento legitima immunitate sublato, ambo contrahentes denuo assentiantur modo distincto, nullo habito respectu ignorantiæ illius cui ignota est nullitas.

CASUS III.

Eoremondos & Bertha, quarto grado consanguinei, Matrimoniam fide improba, & absque immunitate, coram sacerdote duobusque testibus Matrimonium contraxerunt. Testes illi æque probe noverant ac contrahentes irritum esse illud Matrimonium. Ut illud integrum restituatur an necesse est Evremundum Berthamque denuo contrahere coram sacerdote ac testibus, postquam immunitatem impetraveriot circa impedimentum: aut sufficit ne contrahentes unanimi animo consensum suum clam renovare?

RESPONS.

Non sufficit ut matrimonim illud validum reddatur, eos denuo clam contrahere absque sacerdotis & testium præsentia; sed necesse est Evremundum Berthamque consensum suum renovare juxta formulam ordinariam a Concilio Tridentino præscriptam. Ratio est evidens: Testium enim præsentia tum tantum valere potest, cum testimonium suum dixerunt in gratiam Matrimonii, Ecclesiam certiorem facientes illud ratum esse. In casu autem proposito testes illi testimonium perhibere non possunt, Matrimonium legitimum & ratum esse, cum contrarium ooverint. Quapropter contrahentes huic quod intendit Concilium satisfacere non possunt, nisi consensum suum reinregrando coram sacerdote ac testibus. Idem dicendum est in eo casu quo alter testium solus novit Matrimonium cui adest, irritum esse. Ea est Sylvii decisio (*a*), ut & auctoris Theologiæ Ethicæ Gratianopolis.

(*a*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 41. art. 1. quæsito 2. concluf. 4. & q. 47. art. 3. quæst. 1.

CASUS IV.

Sacerdos sive testes ignorarunt quidem impedimentum ditimens quod intercedebat inter Balduinum & Cæciliam, eo ipso tempore qoo Matrimonium contraxerunt: sed id ipsis aliquamdiu post celebrationem innotuit. Non ne eo casu necesse est eos, post immunitatem, coram sacerdote illisque testibus denuo contrahere; cum dici non possit partes contrahentes nec Ecclesiæ præcepto, neque menti Decteti Concilii Tridentini satisfecisse; quoniam testes illi testimonium verum perhibere non possunt, se Matrimonio legitimo adfuisse, cum illios nullitas certissime nota sit?

RESPONS.

Ad difficultatem propositam respondemus; si impedimentum quod Matrimonium irritum reddit, in foro exteriori probari possit, tamquam occultum spectari non debere; eoque casu necesse esse Balduioum & Cæciliam denuo coram sacerdote & duobus testibos contrahere (*b*): sed si ita secretum sit impedimentum illud, ut in foro exteriori probari non possit, sufficit partes contrahentes inter se clam mutuum suum consensum reintegrare, quin necessaria sit sacerdotis & testium præseotia; quia hoc respectu Ecclesiæ præcepto satisfeceront, neque contrarii convinci possunt juxta id, quod statuimus, impedimentum esse & permansurum omnino occultum. Hæc est cujusdam docti Theologi sententia (*c*) qui in suo Commentario in S. Thomam ait: *Si vero tunc ignorabaat, & postea sciant* (impedimentum), *sed taliter, quod non possit probari in foro externo; non oportet* (coram Parocho & testibus consensum renovari) *quia fuerunt testes contractus, quando satis fiebat Decreto Tridentino; & in Ecclesia notum non est impedimentum.*

(*b*) Colloq. 2. Lucion. tom. 9. colloq. 7. q. 2.

(*c*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 45. art. 2. quæsito 2. Conclus. 4.

Sic teste Navarro, hanc qoæstionem fuse tractaote (*d*), Cardinalium sacra Congregatio a Pio IV. secunda die Augusti 1564. instituta, & a Pio V. Sixtoque V. confirmata, similem dirimit quæstionem, declarans hisce io casibus Concilii mentem oon fuisse, cogere conttahentes partes ad denuo contrahendum coram sacerdote ac testibus, propter scandalum & incommoda quæ inde exoriri poteraot. Sic loquitur celeber ille Romanus Pœnitentiarius: *Ita illustrissimus Cardinalis Altiatus, Propœnitentiarius, retulit in signatura placuisse sanctissimo* (Papæ) *ut in hujusmodi impedimentis occultis, quando Matrimonium est renovandum, possit hoc fieri inter conjuges secrete; & quod non sit necessaria præsentia Parochi, vel testium: & ita exprimenda est clausula: & secrete inter se contrahere.*

(*d*) Navarrus lib. 4. Consil. tit. de sponsal. & matr. consilio 14. n. 15.

Observandum tamen, ut vitetur offensio, qua sacerdos testesve inde lædi possent, necesse esse ipsis notum facere impedimentum cessasse immunitate impetrata, & consensu mutuo renovato. *Quamvis, ut tollatur scandalum*, inquit Sylvius (*e*), *sive Parochus, sive testis qui conscius est impedimenti; debeat illi impetratio dispensationis significari.*

(*e*) Fr. Sylvius loco citat.

CASUS V.

Cum Hilarion bona fide & coram sacerdote, multisque testibus uxorem duxisset Victoriam, cujus est affinis; *ex concubitu fornicario*, quia ante Matrimonium clam peccavit cum puellæ illius amita, & impedimenti illius dirimentis immunitas ipsi impetrata est. An eo casu necesse est, ut Matrimonium illud integrum restituatur, contrahentes denuo coram sacerdote ac testibus contrahant, si istam clausulam præcipiat eorum immunitas: *Ea conditione, ut supplices rursus contrahant, juxta formulam a Concilio Tridentino præscriptam.*

RESPONS.

Ex iis quæ in Decisione præcedente diximus evidenter patet, quando occultum est impedimentum, ac Matrimonium ab initio contractum & juxta formulas ab Ecclesia præscriptas, necesse non esse post impetratam immunitatem coram sacerdote ac testibus denuo contrahere; & ad validum reddendum Matrimonium satis esse, si contrahentes consensum suum inter se renovent. *Sed quod valde aotandum est*, inquit Navarrus (*f*), *felicis recordationis Pius V. declaravit non illos*, (scilicet Parochum & testes) *esse necessarios in contrahendo Matrimonio ab iis qui illud publice cum denuntiatione sufficiente contraxerunt: sed propter aliquod impedimentum occultum est nullum, quo sublato oportet, ut denno contrahatur; quod fieri posset sine ulla Parochi aut testium præsentia, antequam ad urbem veniremus, respondimus. Qua declaratione sacrum pœnitentiæ pretorium frequenter utitur.* Unde sequitur quod, quandoqaidem impedimentum de quo in exposito agitur, est occultum, satis esse si Hilarion ac Victoria clam inter se consensum suum mutuum renovent. Quod verum est etiamsi immunitatis ipsis concessæ rescriptum clausulam cootineat memoratam in specie proposita, ut ait idem Canonista, sub finem loci a nobis laudati, dum ad casum præcedentem respoodebamus, & ut docet Sylvius (*g*) qui dicit: *Quid, si dispensetur super impedimento occulto; sed ea conditione, ut contrahant servata forma Concilii Tridentini? Resp. et-*

(*f*) Navarr. Manual. c. 22. n. 70.

(*g*) Fr. Sylvius in supplem. S. Thom. q. 41. art. 2. quæsito 2. concl. 4.

tiam

tiam tunc illos posse consensum renovare absque Parocho & testibus; si prius contraxerunt coram illis: neque enim attentaverunt contrahere aliter quam coram Parocho & testibus. Auctores alios non laudabimus; sufficiant duo illi, quorum prior Romæ Pœnitentiarius fuit Pontifice Gregorio XIII. ac ideo materias illas perfecte noverat, ut & Pœnitentiarii Tribunalis praxim; Secundus vero habetur sine controversia Theologus doctissimus, & in ea est existimatione, ut non censeatur docere circa mores Disciplinam remissiorem.

CASUS VI.

Augustinus & Julita Matrimonium contraxerunt. At Julita consensum suum dedit tantum præ gravi metu. Ut in integrum restitnatur Matrimoninm illud an sufficit eam clam assentiri, quin denuo coram Sacerdote & testibus contrahat; imo quin quidquam Augustino significet?

RESPONSIO.

Cum Matrimonii nullitas, quæ a metus gravia impedimento oritur, aut ex eo quod desit consensus, ab altero tantum contrahentium nascitur; satis est si novo consensu interiore corrigat quod vitiosum fuit. Ratio hæc est, scilicet nihil aliud deerat nisi ejus consensus liber & sincerus, ut ratum & legitimum esset Matrimonium. Ideoque, si corrigatur vitium illud vero consensu, essentiale nihil amplius deest, ut validum fiat; modo alter consensum suum non revocaverit; imo necessarium non est novum illum consensum ullo signo exteriore manifestum fieri; quando quidem signum illud in matrimonii celebratione præcessit, nihilque tunc præter consensum interiorem deerat. Hoc consentaneum est cum sententia S. Antonini, qui dicit (*a*) *Si postea tacite consentiat, & libere, persona ligata in pristino consensu persistente, verum efficitur matrimonium. Et tunc uterque ligatus est: quia quamvis talibus consensus per se non sufficeret; tamen sufficeret cum expressione exteriori, quæ præcessit ..... si autem utraque persona fuit coacta, tunc ad hoc quod sit verum Matrimonium, requiritur novus consensus in utraque parte, sed non nova exterior expressio.* In hoc Sanctus ille Archiepiscopus S. Thomæ amplectitur sententiam; quippe ait iste (*b*) *Ex consensu libero illius, qui prius coactus est, non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus, præcedens in altero adhuc manet in suo vigore. Unde, si dissentiret, non fieret Matrimonium.* Cardinalis Hostiensis, Cardinalis Toletus, Navarrus, Sylvius, aliique multi (*b*) idem dicunt ac Sanctus Antoninus.

(*a*) S. Anton. 3. part. summ. Theol. tit. 9. c. 7.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 2. quæstiunc. 2. ad 2.

Decisio illa nititur, 1. Decretali illa Alexandri III. (*c*), in qua Papa declarat, quod si vir quidam qui servam uxorem duxerat, quam liberam credebat, consensum suum dederit, Matrimonii jure utens, postquam novisset illam servam esse, Matrimonium fieri validum; ideoque eum teneri illam tanquam legitimam suam sponsam servare, *si constiterit quod idem vir præfatam mulierem postquam audivit istam esse ancillam, carnaliter cognovit; ipsum monitione præmissa compellas ut eam, sicut uxorem maritali affectione pertractet.* (*d*) 2. Nititur alia Decretali, (*e*) in qua Innocentius III. declarat eo casu virum qui post Matrimonium contractum, servam esse agnovit uxorem suam, ab ea se sejungere non posse, nisi isto casu scil. si consensum suum præcedentem non renovaverit. *Ita quod postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem.*

(*c*) Hostiensis in cap. dilectus, de sponsal. & matrimon. Fr. Toler. instr. sacerd. l. 7. c. 12. Navarr. man. c. 22 num. 50. Fr. Sylvius in suppl. 1. part. summ. S. Th. q. 47. art. 3. quæstio. 2.

(*d*) Alex. III. in cap Proposuit 2. de conjugio servor. l. 4. tit. 3.

(*e*) Vid. Matrim. 3. cas. 2.

(*f*) Innoc. III. in cap Ad nostram. fin. eod. tit.

Ratio quam Decisionis illius afferunt Cardinalis Hostiensis, Joannes Andreas, Navarrus, Sylvius, Major, (*f*) aliique, hæc est, scilicet necesse non esse ut matrimonium ratum fiat, amborum contrahentium consensum intervenire eodem tempore, eodemque loco: sed satis esse si alter qui consensum suum certo quodam tempore, & certo quodam loco dedit, quem consensum non revocavit, alter alio tempore, alioque loco consensum etiam suum det. Ac reipsa id optime Sacramenti Pœnitentiæ exemplo probatur. Non est enim de illius Sacramenti essentia, Sacerdotis absolutionem immediate sequi peccatorum Confessionem. Contra multi sunt Casus, quibus post Confessionem Absolutio in aliud tempus differri debet, quin teneatur Pœnitens peccata eadem secunda vice declarare, cum eorum absolutionem ipsi dare vult Sacerdos. Idem igitur dicendum est de Matrimonii Sacramento: Licet enim contrahentium alter ei consensum suum det certo quodam tempore, alter vero alio tempore; remanet tamen Matrimonio quod ei essentiale est eo respectu. Præterea duo illi consensus, licet variis temporibus dati, semper censentur una simulque dati, quoniam prioris consensus præsens semper censetur, dum non revocatur ab eo qui in eum consensum descendit.

(*g*) Sylvius in supplem. S. Thom. q. 44. art. 2. quæsito 2. Joan. Major. in 4. dist. 27. q. 1. & alii.

Ex iis quæ jam diximus patet, eo ipso momento quo Julita intus denuo assensa fuerit Matrimonio, quod cum Augustino præ gravi metu contraxit, fore ut eorum Matrimonium validum & indissolubile fiat, quin opus sit illud renovari coram Sacerdote ac Testibus, scilicet propter rationes a nobis allatas in secunda & quarta decisione, quas hic non repetemus.

CASUS VII.

Hieronymus solus novit Matrimonii sui nullitatem; consensum suum uno animo cum uxore suo renovare vult, sed nedum conjugalis consensus indicium aliquod ipsi det, e contra oppositionem distinctam ipsi testatur, propter offensionem quamdam ac molestiam, qua affecta est ob ejus agendi rationem. Eo casu quid ipsi faciendum est?

RESPONSIO.

Vir ille abstinere debet a petendo officio conjugali ab uxore sua, quæ dum ea est affectione, officium, illud, ut verisimile est, ipsi præstaret tantum, quia falso credet se ad id teneri, Matrimoniique nullitatem ignoraret. Sed officium illud uxori suæ præstare potest vir ille *affectu conjugali*, si id desideret: quia cum id ab eo petit, censetur etiam id a marito petere, *animo conjugali*, ac ideo primum suum consensum renovare, prout desiderabat Hieronymus. (*g*) Tutius tamen foret conscientiæ viri illius, si antequam officium illud uxori suæ præstaret, dextre illam alloqueretur verbis amicitiam sinceram significantibus, quibus illam impellat ad ipsi respondendum modo indigitante eam officium illud ab eo tanquam a marito suo legitimo petere.

(*h*) A sancto Beuve tom. 3. cas. 261.

Vide OPPOSITIONEM MATRIMONIO.

MEDICUS.

MEDICUS vocatur ille qui Medicinam exercet, & callet artem ægrotis prosperam valetudinem restituendi, aut in malis suis illos juvandi, medicamentis quæ ipsis præscribit, imo bonam valetudinem conservandi iis qui non ægrotant, victus rationem ipsis salubrem præscribendo.

Scriptura sacra de Medicis honorifice loquitur. *Honora Medicum propter necessitatem*, inquit Sapiens, honorem tribue Medico, & da ipsi mercedem quam meretur, propter opem. A Deo enim est qualis est, Deusque Auctor est omnium medi-

medicaminum; *Etenim illum creavit Altissimus, a Deo est enim omnis medela.* (*a*) *Altissimus creavit de terra medicamenta: .•. Etenim illum Dominus creavit: & non discedas a te, quia opera ejus sunt necessaria.* Ex arte sua locum obtinet ipsi honorificum, imo Magnatum existimationem summam ipsi conciliat. *Disciplina Medici exaltabit caput illius; & in conspectu Magnatorum collaudabitur* (*b*) Denique Scriptura Sacra nos docet Lucam fuisse Medicum, & divo Paulo carissimum: *Lucas Medicus carissimus* (*c*).

(*a*) Eccli. 38. c. 1. 4. & 12.
(*b*) Ibid. v. 3.
(*c*) Coloss. 4. 12.

Leges Romanæ, licet hoc respectu usui & consuetudini nostræ contrariæ, Medicis privilegia & immunitates insignes concedebant: eorum tamen numerum in unaquaque urbe definiverant; quoniam eorum artem Respublica spectabat, tanquam omnibus utilissimam, sicque eos impellere volebat ad Officii sui partes libentius & accuratius implendas. *Excepsis qui liberalium studiorum antistites sunt*, ait Lex, *& qui medendi cura funguntur, Decurionum decreto immunitas nemini tribui potest* (*d*): *Medicos & maxime Archiatros*, inquit alia Lex, *una cum Uxoribus, & filiis, necnon rebus, quas in civilibus possident, ab omni functione & ab omnibus muneribus, vel civilibus vel publicis, immunes esse præcipimus ... ut si quis eos vexaverit, pœna, arbitrio judicis plectatur* (*e*).

Lector dubio procul, satis dijudicat, ea quæ mox de Medicis in genere dicebamus, de ignaris, & nomine illo indignis intelligi non debere: Nemo enim ignorat innumeros esse Medicinæ aliarumque Facultatum Doctores, qui nomine tantum sunt Doctores. Illa etiam intelligi non debent de Medicis Mercenariis & circumforaneis, qui populo inserviunt solummodo quantum ipsorum interest, populumve decipiunt.

(*d*) Lege Exceptis 1. Cod. de Decur. De- cur. super immunitate quibusd. concedenda lib. 10. t. 46. Item Leg. Nec intra 5. Cod. de Professorib. & Medicis l. 10. tit. 52.
(*e*) Leg. Medicos 6. Cod. de Professor. & Medicis.

Medicis operæ suæ, ut & medicaminum quæ in curando morbo suppediarunt, justa merces persolvi debet, cæteris omnibus Creditoribus posthabitis, funerum tamen impensa persoluta. *Impensa facta in infirmum præfertur cuicumque Creditori; post tamen funeris impensam.* Hæc sunt duorum celeberrimorum Jurisperitorum verba, *Baldi* scilicet & *Pauli a Castro* (*f*) Et jurisprudentia illa consentanea est cum jure quod observamus (*g*) Quod tamen intelligi debet tantum de morbo quo mortuus est ægrotus, non vero de mercede debita ob præcedentes morbos, quibus constantibus defuncto curam suam adhibuerit Medicus, quorumque causa mercedem suam exigere potuit, si ipsi visum est.

(*f*) Baldus & paulus in L. hæreditas 3. C. de petit. hæreditatis, lib. 3. tit. 31.
(*g*) Lovet. & Brod. Litter. N. n. 19.

Medici non sunt idonei ad accipienda legata quæ demortuus ipsis legasset, juxta Jurisprudentiam Edictorum promulgatorum ut interpretatur Articulus 151 Decreti a Francisco I dato anno 1539. ut observat Ricardus (*h*).

(*h*) Ricard. part. 1. cap. 3. sect. 9.

Nullus Medicus, absque gravi peccato, experimenta facere potest, quorum exitus periculosus sit ægrotis quibus remedia præbet; semperque se gerere debet juxta antiquas artis suæ regulas.

Antiquas dicimus *regulas*: ut eorum nova experimenta excludamus, sanguinis transfusionem verbi gratia, qua uti illos vetuit supremi senatus Parisiensis Decretum, secunda die Januarii 1670. (*i*) satis enim est, si in foro exteriore ab iis non repetatur ratio ignorantiæ suæ, ut apud Romanos ab iis repetebatur, quin etiam vitam nostram exponamus periculo novorum periculosorumque experimentorum, quibus incerta remedia experiri vellent.

(*i*) Diarium Forense tom. 3. c. 15.

Nullus Clericus vel Religiosus Medicinam exercere potest, nisi a Caritate impulsus, sine spe lucri, accurate tamen observando omnia artis illius præcepta.

Neque etiam absque crimine Medicus negligere potest monere ægrotos, eos in periculo mortis esse, ut se præparent ad accipienda Sacramenta. Si vero quædam prudentiæ ratio non sinit eum id ægroto ipsi declarare, debet saltem id monere Propinquos vel Pastores, vel Confessarios, ut deinceps videbimus, tuncque loquemur etiam de officio, quo Medici ex Caritate tenentur, Pauperibus gratuito adesse, præsertim cum in urbe mercede conducuntur ut populum adjuvent, ut id incœpit fieri in gratiam Gallieni jussu Imperatoris Commodi, cujus celeber ille Medicus coævus erat, ut & Constantini, Honorii ac Theodosii.

Indignum est Medico, cum ægroto pacisci, fore ut ipsi pecuniæ summam quamdam persolvat, modo eum ad prosperam valetudinem reducat; jure merito Leges Romanæ Medicis turpia illa pacta prohibebant (*k*).

(*k*) Leg. Archiatri. 9. C. de Professoribus & Medicis.

CA-

CASUS PRIMUS.

Allealmus cui res est angusta domi, aliquando invitatur ad juvandos Pauperes in morbis eorum, sed eos invisere sæpe denegat; quoniam novit ob suum officium aditum mercedem se non accepturum; An in hoc peccat?

RESPONS.

S. Antoniuns ait, Medicum teneri ex præcepto caritatis Pauperes in morbis urgentibus juvare; cumque reum futurum quodammodo homicidii, si Pauper mortem obiret, quia nolnit Medicus illum adire, curasque suas in morbo ipsi denegavit. *Pauperibus non valentibus solvere, gratis mederi debet*, inquit Sanctus ille (*a*), *& non se ab eorum cura abstrahere, quia hoc esset indirecte occidere. Mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum potest, non excludit.* Quod Sanctus ille Archiepiscopus dicit post Ennodium, cujus verba Gratianus refert in Decreto suo, (*b*) licet immerito Papæ Symmacho verba illa tribuat. Ac reipsa Medicus Christianus animo semper præsens habere debet illud Ambrosii apposite dictum: (*c*) *Visis pecuaia, sed pretiosa est misericordia*: Debet quoque nosse proximi vitam pretiosiorem ipsi esse debere, quam exiguam pecuniæ summam, quam lucraretur, divitem adeundo: *Medicus gratis tenetur curare pauperem infirmum: quia plus debet valere apud eum vita illius, quam propria pecunia*, inquit Glossa (*d*).

(*a*) S. Antun. 2 part. tit. 7. c. 2. §. 2. init.

(*b*) Dist. 83. §. Providendum.

(*c*) S. Amb. in can. Medicina. 76. de pœnit. dist. 2.

(*d*) Gloss. in Can. si quis 1. dist. 83. v. Infecas.

Verum quidem est, ipsi licere mercedem percipere, ex cura quam adhibet in gratiam ægrotorum, sed quanti facere debet pecuniam præ misericordia, quam exercendi occasionem habet erga miserum ægrotum ab aliis desertum? Nonne in ea hypothesi eodem modo ratiocinandum est de Medico, ac de Divite, qui Pauperibus quos gravis inopia premit eleemosynam denegat; & nonne dicendum est, quod quemadmodum eo casu dives ille purgari non potest de gravi peccato; Medicus pariter excusari non potest, qui Pauperibus operam suam denegat, eo obtentu quod non habeant unde ipsi mercedem persolvant? En igitur quid de Allealmo cogitandum sit, qui eo prætextu quod ipsi sit res angusta domi, ex quadam inhumanitate Pauperibus denegat opem, quam ipsis ferre posset, absque ulla impensa: Attamen eo potiori jure ad eos opera sua juvandos tenetur, quod non valeat eleemosynis juvare, & debet saltem erga illos opus illud misericordiæ exercere, ut peccata sua redimat: quandoquidem juxta S. Ambrosium, *Medicina misericordiæ tollit peccata magna*. (*e*) S. Antoninus quoque alibi data opera eandem agitat quæstionem, dicitque; *infirmis autem non valentibus solvere, tenetur* (Medicus) *gratis mederi: quin imo & medicinas pro eis solvere, si valeat, & ipsi infirmi facultatem non habent.* Sapientem hanc considerationem addit tamen Sanctus ille: *Non autem tenetur Medicus omnibus infirmis Pauperibus simpliciter & indistincte providere, sed pro loco & tempore sibi occurrentibus ... pro ut dicitur* (*f*) *de aliis operibus misericordiæ*; hoc est hunece Medicum non teneri absolute & indistincte opus illud Caritatis erga omnes Pauperes exercere: sed solummodo respectu habito variarum circumstantiarum loci & temporis; veluti, verbi gratia, si Pauper infirmus ab aliis juvari non possit; vel si ejus Morbus ita sit urgens, ut tempus non supersit alios vocandi, quin mortis periculum adeat.

(*e*) S. Ambr. in Cau. Medicina 66. t.

(*f*) Idem a.p. t. 7. c. 4 5.

CASUS II.

Dorylæus, solus in exigua Urbe Medicinæ Doctor, ubi sunt Pauperes ægroti, quos visitare curat, imo quibus medicamenta gratis suppeditat, cum variis temporibus ab aliquot annis vocatus fuerit ab Alexandro Divite, periculose ægrotante, illum visitare denegavit, quia nullam mercedem ab eo accipit: imo postulatio mercedis debitæ Divitem illum læsit. An sine peccato in recusatione sua permanere potest?

RESPONS.

Prima fronte dici posse videtur, in casu proposito Dorylæum non peccare. Quandoquidem enim multum insudavit & multum impendit, ut studiis operam daret, & Doctoris gradu dignus evaderet, ad quem pervenit, æquum est ipsum mercedem consentaneam accipere, præsertim ab ægrotis, qui valent ipsius labores & curas persolvere, ut ad eas persolvendas tenentur, juxta S. Augustini Macedonio scribentis Doctrinam, quam Gratianus in Decreto suo refert. (*g*) Ea est Glossæ sententia (*h*) quæ postquam probasset, Medicum teneri visitare & curare gratis Pauperes, qui ipsum advocant, addit: *sed quid, si infirmus dives est & nihil vult dare Medico, numquid gratis tenetur eum curare? Videtur quod non; cum nemo de suo cogatur facere beneficium.* Glossæ illius Auctor hoc habet ab antiquo quodam Concilio, de cujus nomine inter Burcardum, Yvonem Carnutensem, & Gratianum non convenit, quod Concilium hanc ipsam rationem his verbis affert (*i*): *Cum ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium.*

(*g*) S. Aug. in can. non sane 13. 14. q. 5.
(*h*) Gloss in Can. si quis 1. dist. 83. v. Infecas.

(*i*) Conc. Madiomatricus in Can. Precario 4. 10. q. 2.

Evidens tamen videtur, non posse sine peccato, adversus Charitatis præceptum, consilium a se in casu proposito initum exequi. Dum enim exiguæ illius Urbis solus sit Medicus, Diviti illi ministerium suum denegare non potest, & sinere eum sine auxilio mori. Sed præter charitatis Christianæ rationem, quæ illum adstringit ad opem ferendam huic ægroto in tam urgente necessitate; alia est, quæ impedit, quominus hac excusatione utatur, quoniam scilicet ægrotus ille ipsum persolvere recusat: nimirum actionem habet contra eum, & ejus hæredes, si moriatur, & absque vel minima difficultate impetrabit illum, vel ejus hæredes damnari ad æquam mercedem persolvendam, ipsi debitam, quod utiliter in ejus gratiam operam suam impenderit, in occasione momentosissima, in qua de ejus salute agebatur: nec minus dignus sit, cui merces tribuatur eam adhibitæ; licet mortem obierit ægrotus; juxta istud Innocentii III. effatum (*k*): *Licet non semper sequatur labo em effectus: nihilominus tamen ipse labor est meritorius.* Ea est Auctoris Glossæ Decisio (*l*), cujus hæc sunt verba: „ Dico, quod tenetur eum curare suis impensis (*m*). Et si non convaluerit, repetat expensas: quia utiliter gessit negotium ejus . . . „ etiamsi moriatur æger, potest petere impensas: „ quia sufficit, si utiliter cœpit gerere, licet eventus non sit secutus „. Hoc autem probat Auctor ille ex Legis, quam ad marginem laudamus, auctoritate (*n*).

(*k*) Can. III. in C. Nisi 10. de Renuntiatione, §. Quippe l. 2. c. 9.
(*l*) Loco cit.
(*m*) L. Non tantum ff. de appellat. & l. At si quis ff. de relig. & sumpt. fun. §. Labeo. l. 11. tit. 7.
(*n*) L. Illicitas §. sicuti de negotiis gestis. L. sed an ultro ff. de officio Præsidis.

CASUS III.

Philogonus, Medicus, postquam Medicinam per quindecim annos exercuit, consilium init Sacerdotio initiari. An id potest absque immunitate?

RESPONS.

Ut Sacros Ordines accipiat Medicus nequaquam indiget immunitate, tantummodo propter artem suam, cum illam juxta regulas exercuit. Id alibi probamus, cum de Irregularitate loquimur; illudque evidens est ex quadam Decretali, quam Clemens III. (*o*) inscribit cuidam Canonico Coloniensi, qui Papam illum consuluerat, ut edoceretur, num postquam variis cum successibus Medicinam exercuisset, sacros Ordines exercere posset: Et hoc verum est, quamvis ejus remedium exitum felicem non semper habuerit, multique ex infirmis, quos curabat mortui sint: Medicus enim non gaudet dono sanandi omnes, quos curat, sed quoddam solummodo, aliorum vitam protrahendi, aut solummodo, illos in malis suis sublevandi. *Non est in Medico semper relevetur ut æger*, (*p*) latis est igitur, si Doctri-

(*o*) Clem III. in C. ad aures 7. de ætate & qualitate & ordine præficiendorum. L. 1. tit. 14.

(*p*) Gloss. in C. ad aures v. Item diligentia.

na

na polleat sufficiente, si remedia adhibeat congruentia, omnibusque utatur curis & cautionibus, ut prosperum habeat exitum.

Si in eo sit casu Philogonus, sacros Ordines sine ulla immunitate accipere potest; sed si certo noverit, præ malitia vel ignorantia se causam fuisse mortis alicujus ex ægrotis, quos curabat, irregularis est, sacrosque Ordines accipere non potest, absque peccato mortali, nisi immunitate legitima in integrum restituatur.

Dicimus insuper, quod si Philogonus circa hæc Conscientiæ morsus experiatur, dubiteque æqua ratione nixus, an non præ ignorantia, negligentia, aliave culpa ad mortem alicujus ex infirmis, quos curabat, contulerit, in foro conscientiæ tanquam irregularem se spectare debet; & dum dubium ejus permanet, ad sacros ordines petendos se sistere non potest, ut idem summus Pontifex Canonico, ad quem scribit, declarat: *Tibi breviter respondemus*, inquit, *quod si super præmissis conscientia tua te remordeat, ad majores Ordines de nostro consilio non ascendas*. In hæc ultima verba Glossa ait: (*a*) *Hoc est consilium reverentiæ, cui obediendum est .... secus in consilio perfectionis*. Quam distinctionem multis Canonibus probat, sicut & multis aliis textibus, quos in medium proferre supervacaneum ducimus, Decisionis illius ambo capita probat.

(*a*) Gloss. ib. v. consilio.

CASUS IV.

Pomponius, Medicus, cum accersitus fuisset, ut mulierem a tribus annis peripneumonicam curaret; A prima visitatione in eo statu vidit, ut vix quatuor diebus vitam ducere posset; ipsi tamen multa remedia præcepit, quæ certo noverat ægrotanti illi inutilia esse, ut ei sanitatem restituerent: mortua est post quatuor dies, ut præviderat Medicus. Defunctæ hæredes ipsi decem libras perpenderunt, ob curam quam adhibuit. An summam illam pecuniæ legitime acquisivit?

Respons.

Respondemus, pecuniæ summam illam Pomponio legitime partam esse. Ratio est, quoniam Medicorum ministerium non ad hoc unice tendit, ut a morte ægrotos servet. Cum Deus solus sit vitæ hominum & ejus durationis summus Dominus: *Vita & mors a Domino Deo est*, ait Sapiens (*b*): Quibus S. Augustinus addit (*c*): *Vita scilicet a donante, mors a vindicante*.

(*b*) Eccli. 1. 14.
(*c*) S. August. l. 3. intract. c. 21. n. 2.

Satis est igitur, si Medicus curam adhibeat, ad sublevandum ægrotum, quem curat, ut mercedem ipsi datam mereatur, cum præterea non minor ejus sit labor in sublevando illo, cujus valetudo in desperatis habetur, ac in curando alio, qui in eo statu non versatur. Qua propter jure merito S. Antoninus (*d*) cum quodam prisco Auctore ait: „ Medici non illicite recipiunt salarium, „ seu stipendium pro infirmitate, quam sciunt „ esse incurabilem: Et ratio est, secundum Augustinum de Ancona, ubi supra; (*e*) quia Medicus inventus est ad instrumentum naturæ. Tamdiu instrumentum medicinæ non est ex toto subtrahendum infirmo; quamdiu natura non succumbit. Ideo non peccat Medicus, accipiendo stipendium de cura ægritudinis, quam per principia artis Medicinæ credit esse incurabilem, nisi forte malitiose, non indicando illis, qui illius curam habent, vel superfluos sumptus faciendo, vel eum curare omnino promittendo; sed indicata veritate, quam novit de ægritudinis cura, tamdiu juste potest accipere stipendium suum, quamdiu exhibet in cura sui fidele ministerium.

(*d*) S. Anton. 3. part. t. 7. c. 21. §. 2.
(*e*) Aug. de Ancona lib. de potestate Ecclesiastica.

CASUS V.

Acoaaatus, Medicus, Anselmum ægrotantem mortis periculum adeuntem curans, non credit se teneri satagere rerum, quæ ad animam pertinent; & ad præscribenda medicamenta, quæ ægroto necessaria credit, unice se applicat: cæterorum curam permittens Anselmi Confessario & consanguineis. An reus est apud Deum, si infirmus ille absque Confessione moriatur?

Respons.

Medicus ille proculdubio graviter peccavit negligentia sua in monendo Anselmo, vel eum curantibus, de periculo in quo versatur, & de necessitate prægnante ipsi administrari sacramenta, imprimis pœnitentiæ sacramentum. Id facillimum est probatu Constitutione, quam de industria edidit Innocentius III. hanc in rem, qua postquam dixerit, morbos peccati effectum & pœnam aliquando esse, & sublata causa, facilius esse effectum tollere, jubet omnes Medicos, qui ad ægrotos sublevandos vocantur, eos accurate admonere, ut ad Medicum spiritualem confugiant & conscientiæ suæ consulant: sic loquitur Summus ille Pontifex: (*f*) *Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem curaverat*: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; *præsenti Decreto statuimus & districte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut Medicos advocent animarum; ut, postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus*. Postea rationem reddit Papa ille præcipui incentivi quod illum impulit ad statuendam illam Constitutionem, nimirum, quoniam, quando serius monetur infirmus, ut de iis quæ ad conscientiam ejus pertinent, cogitet, in animi perturbationem, & abjectionem incidit; quæ mortem ejus sæpenumero approperent. *Hoc quidem inter alia huic causam dedit Edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt*. Denique præcipit, Medicum, qui huic Caritatis officio defuerit, ab aditu in Ecclesiam excludi, donec pœnitentiam consentaneam egerit. *Si quis autem Medicorum hujus nostræ Constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter*.

(*f*) Innoc. III. in C. cum infirmitate 13. de pœnitentiis & remiss. lib. 5. tit. 39.

Idem iterum præcepit S. Pius V. tertia sua Bulla, data die 8. Martii 1556. (*g*) qua reintegrat & confirmat his verbis Innocentii III. Doctrinam: „ Hac nostra in perpetuum valitura Constitutione statuimus & decernimus, quod omnes Medici, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessori, omnia peccata .... confiteantur: neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam .... concesserit .... Quod si qui Medicorum præmissa non observaverint, ultra pœnas in dicta Constitutione (Innocentii III.) contentas, quas incurrere declaramus, perpetuo sint infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, omnino priventur; & a Collegio, seu Universitate Medicorum „ ejiciantur.

(*g*) S. Pius V. in Bulla super gregem parag. 3. & 9.

Constitutionem illam confirmavit quoque Gregorius IX. (*h*) Bulla sua 68. a, die 30. Martii data, anno 1581. in qua ob hanc rationem vetat Fideles Judæos Medicos unquam adhibere. S. Antoninus difficultatem eamdem fuse ventilat, affirmatque omnem Medicum stricte teneri obedire Decretis, quæ hanc in rem Ecclesia sancivit, eumque mortale peccatum commissurum, si negligat monere ægrotum, ut conscientiæ consulat; cum novit illum conscientiæ nondum consuluisse; vel si tantum dubitet, ac percipit infirmum illum in urgente mortis periculo versari. *In tali casu tenetur manifestare per se, vel per alium infirmo ex præcepto charitatis, & non faciendo peccat mortaliter*. Denique Eminentissimus Cardinalis Noaillensis, Parisiensis Archiepiscopus. Mandato suo die nona Martii 1707. dato, enixe commendat

(*h*) Gregor. XIII. in Bulla alias.

Dice-

Diœceseos suæ medicis, ut in hoc officio suo accurate fungantur. En ipsius verba: *Sed inprimis mandamus medicis, qui ex arte quam profitentur maxime tenentur ad hoc, ut ægrotorum saluti invigilent, in bonum animæ eorum, tamquam in corporis sanationem, ut sat cito eos consiliis quibus indigent juvent, ad mature conscientiæ consulendum, neque eos diutius deserant in falsa illa fiducia, quæ tot homines morte improvisa in flammas æternas præcipites dat.* *In dubium revocari nequit*, addit magnus ille Præsul, *quin medici qui ad hoc silentio suo conferunt, rei sint apud Deum, quin etiam olim ab iis sanguinem repetat animarum, quæ ipsorum culpa perierint. Hæc vero est summa ægrotantium & medicorum infelicitas.*

Eminentissimus Cardinalis, ut ignaris omnem de tam justo ac momentoso Decreto conquerendi prætextum tolleret, ejus Decreti rationem hanc palam reddit, in medium proferens argumenta ducta a Constitutione, quam in quarto Concilio Lateranensi Innocentius III. sancivit, cujus verba jam jam protulimus; & ex Concilio Parisiensi habito anno 1429. (a) in quo accepta est Constitutio illa, quodque his verbis loquitur: *Medicinalis artis magistri, licet juxta Canonum statuta non debeant infirmis corporalem medicinam exhibere, nisi prius, exhortatione facta per eos, quod sua peccata confiteantur; nihilominus iidem magistri tam sanctum & salutare statutum servare contemnunt, in magnum præjudicium animarum; cum frequenter eveniat, quod infirmitatibus crescentibus & quam repente invalescentibus, plures sine confessione moriantur: nos ideo supradictis Episcopis injungimus, quatenus decretalem circa hoc editam quæ incipit:* Cum infirmitas, *de pœnit. & remiss. faciant inviolabiliter custodire.*

(a) Conc. Parisi. ann. 1429. Can. 29.

MENDACIUM.

MENDACIUM, inquit Augustinus (a), *est falsa significatio cum voluntate fallendi.* Juxta hunc Patrem igitur; *Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi (c).* Unde sequitur mendacem aliquid contra id quod animo sentit, affirmare sive verbis, sive scripto, sive signo quodam exteriore; eumque id affirmare solùmmodo, ut persuadeat tamquam verum quod falsum esse credit, sive fallendi consilium ejus sit distinctum, vel tantummodo tacitum. Inde sequitur, mentiri & falsum dicere esse duo admodum discrepantia; mentiri enim aliquis non potest quin falsum dicat, vel falsum id credat: cum falsum dici possit sine mendacio, quando id verum esse creditur. Exempli gratia, non mentior, cum dico oppidum sancti Clodoaldi ab urbe Parisiis tribus leucis distare, licet duabus tantum leucis distet; quando persuasum habeo tribus leucis distare, quoniam vir fide dignus id mihi asseruit. Hæc est sancti Raymundi (d) doctrina, ut & sancti Augustini laudati in Canone (e) ubi dicit: *Nemo mentiens judicandus est qui dicit falsum, quod putat verum; quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur. Non itaque mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est qui falsa incautus credit & pro veris habet.*

Quamvis S. Augustinus (f) octo mendaciorum genera distinguat; possunt tamen ad tres species redigi, mendacium scilicet jocosum, mendacium officiosum, & mendacium perniciosum. *Mentiens autem*, inquit S. Bonaventura (g), *aut intendit prodesse, aut delectare, aut lædere. Secundum quod intendit prodesse, est mendacium officiosum. Secundum quod intendit delectare, est mendacium jocosum. Secundum quod intendit lædere, est mendacium perniciosum.* Duo priora mendaciorum genera sunt tantum ut plurimum peccata venialia: sed tertium natura sua est mortale.

Non inutile erit addere ipsas definitiones quas Polmanus trium istorum mendacii generum tradit. Hæ sunt:

I. *Mendacium jocosum est locutio contra mentem, caussa voluptatis propriæ vel alienæ.*

II. *Mendacium officiosum est locutio contra mentem, caussa utilitatis propriæ vel alienæ.*

Duæ illæ priores definitiones intelligi debent, *secluso injusto nocumento spirituali aut temporali.*

III. *Mendacium perniciosum est locutio contra mentem, cum proximi nocumento injusto (h).*

Constat, neminem umquam quovis casu, & quamlibet ob rationem mentiri posse, immo utendo vocibus ambiguis, quin Deum offendat: quoniam omne mendacium natura sua est peccatum. Id deinceps evidentissime probabitur S. Augustini auctoritate.

(b) S. August. l. contra mendacium c. 12. seu n. 26.
(c) Idem, Enchiridion de fide, spe & caritate. c. 22. seu n. 7.
(d) S. Raymund. in summ. l. 1. tit. de mendacio & adulatione §. 21.
(e) Can. *Is autem.* 4. 22. q. 2.
(f) S. Aug. l. de mendacio c. 4. in Canone *Primum.* 8. 22. q. 2.
(g) S. Bonavent. in 3. Sent. dist. 38. art. 1. q. 3. in corp.
(h) Polman. citato loco. n. 1037. 1038. 1030

CASUS PRIMUS.

PALAMEDES dixit, se vidisse Alexandrum per vicum transgredientem, cum transgrederetur Paullus; an sic aliquod commisit peccatum, si verum dicere credidit; & si quod dixit, nemini nocere possit?

RESPONS.

Certum est Palamedis mendacium cum materiale tantum sit, & nullatenus in animo habuerit contra veritatem loqui, peccatum non esse, quandoquidem rem narravit, prout ipsi nota erat. Ea est S. Augustini doctrina (a) dicentis: *Quisquis autem hoc enuntiat, quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur. Hoc enim debet enuntiationis suæ fidei, ut illud per eam proferat, quod animo tenet, & sic habet ut profert.*

(a) S. Aug. l. de mendacio c. 3. seu n. 3.

CASUS II.

CUM Polybius aliquid facere promiserit, an evadit mendacii reus, cum non stat promisso?

RASPONS

Qui aliquid promittit ea mente ut promissum exsequatur, mendacii reus non est, licet postea illud non exsequatur; quandoquidem dum promittit, contra mentem non loquitur. *Ille qui aliquid promittit*, inquit S. Thomas (b), *si habet animum faciendi quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id quod gerit in mente.* Peccat tamen adversus fidem quam proximo dederat, si promissis non stet. *Si vero non faciat quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat*, ait etiam Sanctus idem qui in hoc consentit cum S. Augustino dicente (c): *Omnis autem fidei violator, iniquus est.* Fieri tamen potest hominem illum nec adversus veritatem, nec adversus fidem peccare, veluti quando evenit quædam circumstantia quæ eum culpa liberat, quamvis promisso non stet, prout S. Paullo evenit qui procul dubio non peccavit, quod Corinthum non adivisset, ut illius urbis fidelibus promiserat, scilicet ptopter obstacula quæ occurrerunt, ac impediverunt quominus illuc iret. *Potest tamen excusari*, addit sanctus Thomas, *uno modo, si promisit id quod manifeste est illicitum, quia promittendo peccavit; mutando autem propositum bene facit. Alio modo, si sunt mutatæ conditiones personarum & negotiorum. Ut enim Seneca dicit in libro de Beneficiis*: Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant. *Alioquin nec fuit mendax in promittendo, quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis, non implendo quod promisit, quia eædem conditiones non exstant. Unde & Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, ut dicitur 2. ad Corinth. 1. & hoc propter impedimenta quæ supervenerant.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5.

(c) S. Aug. l. 1. de Doctrina Christ. c. 36. seu n. 40.

At quando aliquis quidquam promittit quod exsequi in animo non habet, a culpa mendacii liberari non potest, cum promittens contra mentem suam loquatur. Inde sequitur quod si Polybius de quo agitur in specie proposita, dum promittebat, in mente habuerit promissum exsequi; dici non posse eum mentitum fuisse, quamvis postea mutata sit ejus voluntas. Ratio hæc est, scilicet quoniam juxta mentem suam loquebatur, & ei consilium non erat illum cui promittebat fallere. Sed culpa infidelitatis liberari non potest, si promisso non steterit, nisi ab hoc se eximendi justam habuerit caussam.

CASUS III.

GAIUS petit, an mendacii reus sit, quando nihil falsum dicit; at quando tacens, quodam signo vel quadam actione quod falsum esse novit, significat eo consilio, ut id verum esse persuadeat.

RASPONS.

Gajo respondere facile est ipsis S. Augustini verbis (d): *Ille mentitur qui aliud habet in animo & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat: unde duplex cor dicitur esse mentientis.* Rursus: *Nemo autem dubitat, mentiri eum, qui volens falsum enuntiat caussa fallendi, quapropter enuntiationem falsam, cum voluntate ad fallendum prolatam, manifestum est esse mendacium.* Verba illa Gajum mendacii reum esse manifesto declarant: quandoquidem signum vel actio quam adhibuit, ut falsum persuaderet, eum effectum produxit, quem ipsissima ejus verba produxissent. Ideo ex S. Augustini doctrina concludit S. Thomas (e), illum mendacii reum fieri quovis signo, cum eo utitur ad mentiendum; quandoquidem, juxta Patrem illum, sicuti vox præcipuum est ex signis, alia signa sunt etiam loco vocis. *Sicuti Augustinus dicit in 2. de Doctrina Christiana*, ait Doctor Angelicus, *Voces præcipuum locum tenent inter alia signa; & ideo, cum dicitur, quod mendacium est falsa vocis significatio, nomine vocis intelligitur omne signum. Unde ille qui aliquod falsum nutibus significare intenderet, non esset a mendacio immunis.*

(d) S. Aug. lib. de Mend. c. 3. & 4.

(e) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 1. ad 2.

Doctrinam eamdem alibi fusius etiam docet idem Sanctus (f), cum dicit, ut quis sit verax, illum debere extrinsecus signis exterioribus talem se præbere, qualis est intus; & quandoquidem actiones non sunt minus signa exteriora quam voces, dicit quoque quempiam agere posse contra veritatem illis ut & istis, quando iis utitur ut significet contrarium ejus quod habet in animo. Denique, in hoc proprie loquendo consistit quod vocatur simulatio; quæ cum sit verum mendacium, verum itaque est peccatum. Addamus heic totum S. Thomæ locum: *Ad virtutem veritatis pertinet*, inquit, *ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus quod in eo est, quod proprie* simulatio *dicitur. Unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto... Unde cum omne mendacium sit peccatum.... consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.*

(f) Idem ibid. q. 111. art. 1 in corp.

Auditis tam apertis auctoritatibus, nullus dubitandi locus est, quin Gajus mendacii reus sit, quando signo quodam vel quadam actione persuadere vult, id quod falsum est, verum esse; vel contra, quod verum est, esse falsum.

CASUS IV.

SEBASTIANUS dicit falsum jocando; quin tamen animus ipsi sit id persuadere tamquam verum iis quos alloquitur. Persuasum habet insuper illos id verum esse credere non posse. Exempli gratia, inter jocandum ait, se quatuor mundi partes jam peragrasse, immo se multis annis apud Indos cum orientales tum occidentales habitasse; quamvis ii quos alloquitur, eum semper ab infantia viderint in loco ubi natus est; & quamvis duodecim tantum vel quindecim annos natus sit. An in hoc mendacii peccati reus est?

RASPONS.

Quidam Auctores existimant (g), in casu proposito esse mendacium; affirmantque quod juxta sanctum Augustinum (h), absolute necessarium non est, illum qui mentitur, explicitum & apertum habere consilium illos fallendi quos alloquitur; sed satis esse, si in animo habeat quidpiam diversum ab eo quod ejus verba significant, ut evenit in facto jam jam prolato.

(g) Colloq. Lucion. & Theol. Ethica Genet.

(h) S. Aug. l. de mend. c. 3.

Opinionis suæ rationem habent S. Thomæ auctoritatem, juxta quem consilium fallendi non est de essentia mendacii, sed tantum confert ad illud magis apertum reddendum (i): *Quod autem aliquos intendat*, inquit Sanctus ille, *falsitatem in opinione alterius consistere, fallendo ipsam non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius.*

(i) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 1. in corp.

Quod

Quod paullo post repetit etiam, cum dicit (*a*): *Cupiditas fallendi pertinet ad perfectionem mendacii, non autem ad speciem ipsius, sicut nec aliquis effectus pertinet ad speciem caussæ suæ.*

(*a*) Id ibid. art. 3.

Juxta opinionem illam, mendacii tamen reus est Sebastianus, licet consilium ipsi non sit fallendi illos quos alloquitur, & persuasum habeat ipsos nihil posse credere eorum quæ ipsis dicit.

Non credimus tamen nos descendere debere in opinionem illam. Omne enim mendacium intendit proximum fallere; hoc est, aliquid falsum tamquam verum ipsi persuadere, ut patet ex ipsa definitione, quam S. Augustinus mendacii tradit quibusdam in locis operum suorum (*b*): *Mendacium*, inquit, *est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi.*

(*b*) S. Aug. l. contra mendac. c. 12. seu n. 26.

Quapropter Pater ille alibi dicit (*c*): *Culpa vero mentientis est in enuntiando animo suo fallendi cupiditas; sive fallat, cum ei creditur falsum enuntianti; sive non fallat, vel cum ei non creditur, vel cum verum enuntiat voluntate fallendi, quod non putat verum.*

(*c*) Id cit. l. de mendac. c. 3.

Unde concludi posse videtur, proprie loquendo, Sebastianum mendacium non commisisse in circumstantiis in specie proposita enuntiatis. Quod etiam confirmari potest auctoritate ejusdem Patris qui dum hæc patriarchæ Josephi verba explicat (*d*), *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia* (*e*)? ait ejusmodi phrases non esse mendacia: quia iis non utuntur modo serio, sed tantum quodam joco. *Mendacia enim a mendacibus serio aguntur*, non joco: *cum autem quæ non sunt, tamquam joco dicuntur, non deputantur mendacia.* Id alibi etiam confirmat sanctus ille Doctor, his verbis (*f*): *Numquam* (joci) *sunt putata mendacia: habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis*...(*g*) *ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate, mentiens aut non mentiens judicandus est.* En argumenta potentissima quæ a mendacii culpa Sebastianum liberant, licet non sufficiant ut eximatur a culpa quam forte præterea commisit præ vanitate, seu præ summa levitate, vel aliter.

(*d*) Idem l. qq. in Genesim. q. 141.
(*e*) Genes. 44. 15.
(*f*) S. Aug. l. de mend. c. 2.
(*g*) Ibid. c. 3.

CASUS V.

Landrius Martiali mille nummos quos ipsi debebat, pependit, quorum apocham accepit: At cum illam post aliquos menses amisisset, defuncti heredes ab illo pecuniæ illius solutionem petierunt, quoniam putabant ipsum pecuniam illam adhuc debere. Landrius ut vitaret litem quam ipsi minitabantur, si illam solvere recusaret, Martialis chirographum tam accurate imitatus est, ut ipse novam apocham conscripserit, ac defuncti heredes crediderint illam esse veram, & destiterint a consilio ipsi litem inferendi. De hoc quæritur, an alicujus peccati reus sit Landrius, cum in ea occasione nihil adversus justitiam patraverit: Et an non saltem scripto mendacium commiserit, Martialis heredibus offerens illam apocham, quasi defuncti chirographum esset.

Responsio.

Effatum est constans, & a S. Augustino manifeste confirmatum, ut & ab omnibus Theologis, omne mendacium & omne falsum natura sua peccatum esse, quod ideo nullo casu licitum evadere potest. Ex hoc principio concludere igitur debemus periculum in quo versabatur Landrius, mille illos nummos quos jam solverat secunda vice solvendi, aut implicari lite quam Martialis heredes ipsi minitabantur, non fuisse rationem legitimam, quæ ipsi auctoritatem tribueret falsam apocham scribendi, quam obtulit defuncti sui creditoris heredibus, quamque voluit illos accipere, quandoquidem juxta S. Augustinum (*h*), nemo possit, quin Deum offendat, ullum mendacium, vel quidquam falsum dicere, immo ut suam vitam servet. *Nec immerito scriptum est* (*i*), Os quod mentitur, occidit animam: *ne quis arbitretur perfectum & spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima sive sua, sive alterius; debere mentiri.* Alibi etiam ait Pater ille (*K*), immo non licere proximi saluti æternæ consuler ope mendacii. *Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.*

(*h*) S. Aug. in psalm. 5. n. 7.
(*i*) Sapient. 1. 11.
(*k*) Idem l. de mend. c. 21. seu n. 42.

Hujus hanc reddit rationem, scilicet non licere adhibere malum, quale est mendacium, ad bonum quodpiam efficiendum, quod ait solummodo post Apostolum S. Paullum (*l*).

(*l*) Rom. 3. 8.

Hæc est decisio sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, ut patet ex celebri Censura, quam pronuntiavit 3. die Februarii 1655. in propositionem illam eductam ex falso sic nominato Amadæo Guimenio (*m*). *Falsare non est, nec peccatum mortale, amissæ scripturæ de hereditate aut nobilitate, etiam similem efficere: Nulli enim fit injuria. Nota modo* (*n*), *quod si quis privatam aliquam scripturam, aut syngrapham, aut apocham, qua constat, se certæ quantitati pecuniæ mutuo acceptæ satisfecisse, falsificaret; quia aliam legitimam a creditore confectam amisisset, nec alio modo probare posset solutionem, non damnarem peccati mortalis; quia falsificationes hæ, privatarum videlicet scripturarum, non sunt ita Reipublicæ perniciosæ.* En ipsa Guimenii verba: en vero verba censuræ in Sorbona pronuntiatæ: *Hæc doctrina falsa est, scandalosa & Reipublicæ perniciosa.* Qui penitius nosse cupient quomodo respondendum sit iis omnibus quæ objici possunt contra veritatem quam jam jam statuimus, legant amplas & Achilleas solutiones a S. Gregorio, S. Thoma, & S. Bonaventura datas, in locis operum eorum quos heic laudamus (*o*).

(*m*) Amadæus Guimen. pag. 111. n. 1.
(*n*) Idem ibid. pag. 112. n. 3.
(*o*) S. Aug. l. contra mendacium c. 15. S. Greg. l. 18. Moral c. 4. S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 1. ad 3. S. Bonav. in 3. Sent. dist. 38. art. 1. q. 2. ad 1.

CASUS VI.

Valerio, cujusdam Nobilis janitori, perpetua est consuetudo respondendi iis qui dominum ejus adire volunt, eo tempore quo a nemine visitari vult, eum domi non esse, licet adsit: vel respondet verbis ambiguis, eum exiisse, eo obtentu quod matutino tempore exierit. 1. An homo ille quoties sic respondet, toties mendacia enuntiat. 2. An ejus dominus cujus est hac libertate utendi, & cui etiam necessarium est ut negotiis urgentibus operam det; an inquam peccat, quod janitori præcipiat sic respondere? Rationes quæ Valerium culpa liberare videntur, hæ sunt; scilicet cum ejus dominus hoc ipsi demandet, non potest mandatum non exsequi, quin domino irascendi ansam præbeat, immo eum janitorem dimittendi. Aliquando præterea, inter eos qui dominum ejus exposcunt, quidam ea sunt dignitate ut iis sine gravi offensione dici non possit, eum esse domi, sed a nemine visitari velle; quod in caussa est ut credat, se posse absque peccato dicere, eum esse in urbe, quod verum est re ipsa, cum sit domi suæ; aut aliquam aliam phrasim ambiguam adhibere?

Responsio.

Illa omnia incommoda, ut ut gravia videantur, non impediunt quominus Valerii verba ambigua, reticentiæ, & subaudita quædam, sint vera mendacia, ac ideo quominus lege divina sint prohibita: cum omne mendacium natura sua sit peccatum, ut in Decisione præcedenti probavimus argumentis quæ responsum non admittunt.

Verum quidem est Auctores quosdam (*p*) affirmasse, quemlibet verba ambigua adhibere posse, quin mendacii reus evadat. 1. Quando ipsi est justa caussa id faciendi. 2. Quando non tenetur veritatem manifeste respondere interrogantibus. 3. Denique cum nulla est mentiendi voluntas. At licet eorum opinio in tribus illis circumstantiis defendi possit; semper vere dicetur, verba ambigua quibus utitur Valerius, non esse licita, nec mendacii culpa vacare: caussa enim, ut ut justa videatur, non potest efficere, rem falsam veram esse. Præterea, cum non sit justa caussa domino janitori præcipiendi ipsum domo exiisse, vel esse in Urbe, eo prætextu quod matutinis horis exiverit, aut quod ejus domus sit in urbe; neque etiam justa est janitori caussa dicendi, se id tantum facere ut domino suo obediat; quandoquidem sic loquitur solummodo, ut fallat eos qui ipsum

(*p*) S. Anton. 2. part. tit. 10. c. 1. q. 1. S. Raimund. in summ. tit. de mendacio. Silvester v. *Mendacium* q. 6. & v. *Juramentum*. 4. q. 7. Azorius in 2. 2. q. 69. 1. 2. 3. par. Commentarii dub. 3 & alii recentiores.

ipsum interrogant, & eo consilio, nt iis persuadeat dominnm suum non esse domi, quod veritati adversatur: ac ideo est mendacii peccatum cujus particeps est dominus. Quandoqnidem, si quibusdam urgentibus detineatur negotiis, aut præ infirma valetudine non possit visitantes admittere; nullum est incommodum si id dicatur ipsum petentibns; & quoniam sunt æqui, id audient sine offensione: si vero domino illi nulla sit justa caussa, cur ipsum visitantes non excipiat, licet forsan ipsi grati non sint, debet illos excipere potius cum tædio & incommodo quodam, quam jubere cum mendatio dimitti eos omnes qui ipsum visitare cupiunt. Vel ipsa comitatis ratio eum adstringit ad veritatem declarandam, & ad præcipiendum eam declarari: *Ex honestate unus homo alteri debet veritatis manifestationem*, ait S. Thomas (*a*), Hujus argumentum hoc profert sanctus ille Doctor: scilicet cum homo a natura sit societatis amans, cum præterea societas absque veritate subsistere nequeat, tenemur eam declarare. *Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non possit. Non autem homines possent ad invicem convenire, nisi sibi invicem crederent tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus; & ideo virtus veritatis aliquo modo attendit debitum.* Quod simulatio omnino adversetur præcipuis societatis legibus, quæ inter homines subsistere nequit, nisi mutua obligatione se ad id obstringant, ut se invicem in errorem non inducant, sed loquantur, & agant juxta id quod in animo habent; quod cum ab aliis cognosci non possit, debet ipsis aperiri aut verbis aut signis sinceris, nisi aliorum fiduciam fallere, eaque se indignos præstare velint.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 109. art. 3. in corp.

Confirmari potest decisio illa exemplo a S. Augustino allato (*b*), in quo necessitas videtur fuisse prægnans verbis ambiguis respondendi. Sanctus ille supponit patrem qui mortifero morbo urgetur, quique de valetudine filii sui inquirit, cujus mortem ignorat: illi responderi non potest nisi tribus hisce modis: aut *mortuus est*, aut *vivit*, aut *nescio*: additque Sanctus ille, unicum primum responsum verum esse, duo vero alia esse mendacia quæ licita esse numquam possunt, quidquid eventurum sit. *Ex illis autem tribus duo falsa sunt*, vivit & nescio; *nec abs te dici possunt, nisi mentiendo*. Ex hoc exemplo aperte patet, sanctum illum Ecclesiæ Doctorem longissime abhorrere ab admittendis verbis ambiguis, & reticentiis, modo quo morales Theologi, vel Casuistæ, ut vocantur, volunt ea admitti; contra vero Patrem illum ea recensere inter mendacia vera, licet qui illa adhibent, justas credant habere caussas illis utendi.

(*b*) S. Aug. l. contra mend. c. 18. seu n. 35.

Decisionis illius aliud argumentum addere possumus, Decretum nempe Innocentii XI. quo, 2. die Martii 1679. damnavit quinque & sexaginta Propositiones Ethicæ ex quibus vicesima sexta & vicesima septima verborum ambiguorum licentiam confirmant. Hæc habet vicesima sexta Propositio: *Si quis, vel solus vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis caussa, quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; re vera non mentitur, nec est perjurus.*

En verba vicesimæ septimæ Propositionis damnatæ: *Caussa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessariam aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.*

En denique quomodo sancta Sedes explicet mentem suam, duas illas Propositiones cum ceteris aliis sexaginta tribus damnando. *Quicumque autem, cujusvis conditionis, status & dignitatis, illas vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim, defenderit, vel ediderit, vel de eis disputaverit, publice aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando: ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (prætorquam in articulo mortis) ab aliquo quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore exsistente Romano Pontifice absolvi.*

Post argumenta quorum tanta est auctoritas, non existimamus nobis opus esse alia congerere, ad probandum amphibologias, quales sunt eæ quarum in specie proposita mentio fit, mendacia esse aperta, ac ideo neminem illis absque Dei offensione uti posse.

CASUS VII.

Theodulphus, Religiosus cujusdam Ordinis Reformati, ut vocant, multa mendacia enuntiavit officiosa, vel jocosa, coram multis laicis qui nnverant ipsum mentiri, quique hæc cum summa offensione audiverunt: An mortale peccatum commisit, si noverit illa mendacia ipsis offensioni fuisse?

Respons.

Dicere possumus, quod quamvis istiusmodi mendacia natura sua sint tantummodo venialia, ea tamen per accidens mortalia aliquando evadere posse; hoc est, propter offensionem insignem quæ exinde oritur, vel propter ingens damnum quod proximo creare possunt. Ea est S. Thomæ doctrina: (*c*) *Per accidens autem* (mendacium jocosum, aut officiosum) *potest contrariari caritati ratione scandali, vel cujuscumque damni consequentis: & sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publice mentiri.*

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4.

Ergo dici posse videtur, mortale peccatum commisisse Theodulphum in specie proposita, si cum noverit se mendaciis suis scandali ingentis caussam esse, ab iis non abstinuit, & in iis permansit, non curans perniciosum effectum quem producebant.

CASUS VIII.

Briandus credit, se posse bona fide dissimulare, ut liberaret quemdam ex suis amicis ab ingenti malo quod ipsi impendebat. An dissimulatio spectari debet tamquam mendacium, ac ideo tamquam peccatum?

Respons.

S. Thomas, postquam probaverit numquam licere illum mendacium, vel levissimum enuntiare, quovis prætextu, addit (*d*): *Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in libro contra Mendacium.* Uude concludi debet, in specie proposita, Briandum mendacii damnari non debere, tantummodo quod dissimulaverit, modo nihil contra veritatem dixerit aut fecerit. At vero si dissimulans, quibusdam usus sit verbis aut signis ea mente, ut persuaderet id quod veritati adversatur, mendacii culpa liberari non potest, juxta hanc sancti Augustini seutentiam. (*e*) *Mentiri numquam licet: ergo nec occultare mentiendo.*

(*d*) S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4.

(*e*) S. Aug. l. de mend. c. 17.

CASUS IX.

Bertinus, Subiaconus, puellam ad peccatum solicitans, ipsi affirmavit ut peccato facilius illa assentiretur, ipsi nondum ordines sacros administratos fuisse, ipsique licere illam ducere uxorem, si gravida fieret crimine quod re ipsa cum illa patravit. Peccatum suum deinde confessus est, nec tamen mendacii se accusavit: spectabat enim illud tamquam natura sua veniale. An ejus confessio est integra, & an verum est hocce mendacium veniale tantum esse?

Respons.

Omne mendacium quod proximo sit perniciosum, certissime mortale est, juxta doctrinam S. Augustini, qui dum explicaret octo varios modos quibus mendacium committi potest, dicit, quod, si excipias mendacium quod committitur in iis quæ spectant ad Fidem ac Religionem, maximum illud est, quod patratur, ut injustum damnum proximo afferatur, quin tamen exinde ul-

lum

lum exsurgat commodum mentienti. *Secundum autem* (capitale mendacium), inquit Sanctus ille *(a)*, *ut aliquem lædat injuste, quod & tale est, ut nulli prosit & obsit alicui.* Illudque mendacii genus Glossæ Auctor *(b)* alibi vocat peccatum malignitatis & mortale. *Triplex est genus mendacii, malignitatis, quod fit caussa decipiendi: & illud omnibus est mortale peccatum.* Negari autem non potest quin Bertini mendacium teterrimam malignitatem complectatur, scopo nocente quem inteodit mendacium illud pronuntiando; simulque quin ideo sit peccatum mortale. Ejus igitur Confessio integra non fuit, cum mendacium tam perniciosum tacuerit: ita ut omnino necessarium sit, ipsum ultimam suam Confessionem veluti sacrilegam denuo incipere, quoniam mendacii illius se non accusavit, quod tamen tamquam veniale tantum spectare non debuit, quandoquidem omnis peccator pœnitens sacerdoti omnia peccata mortalia declarare tenetur, quorum reum se percipit, *omnia & singula peccata mortalia*, at loquitur Concilium Tridentinum *(c)*.

(a) S. Aug. l. de mend. c. 14. in Can. *primum*, 8. 22. q. 2.

(b) In Can. *Ne quis*. 13 ead. c. & q. 8. v. *Non occidetur*.

(c) Conc Trid. sess. 14. can. 7. & cap. 5. de sacram. pœnit.

CASUS X.

ADRIANUS olim a Josepho contumeliis laceratus, a multis mensibus odium capitale in eum fovet; circa hoc quæritur, an non peccati mendacii reus evadat, quoties Orationem Dominicam recitans, ait; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?*

RESPONSIO.

Dici potest proprie loquendo, si vox mendacium sensu stricto sumatur, Adrianum mendacii reum non evadere, dum hanc Orationem recitat. Hæc est S. Thomæ sententia *(d)*, qui huncce hominem mendacii culpa eximit; quia, inquit, Oratio illa recitatur tantum totius Ecclesiæ nomine. Quapropter etiamsi quod ille dicit, verum non sit respectu ipsius; verum tamen est respectu Ecclesiæ, cujus nomine ista verba recitat ille: *Oratio Dominica*, ait Sanctus ille, *profertur ex persona communi totius Ecclesiæ: & ideo si aliquis nolens dimittere debita proximo, dicat Orationem Dominicam, non mentitur; quamvis hoc quod dicit non sit verum, quantum ad suam personam: Est enim verum quantum ad personam Ecclesiæ, extra * quam est merito, & ideo fructu Orationis caret.* Idem quoque docet Doctor ille Angelicus in multis aliis suorum operum locis *(e)*, ac inter alios in septimo ejus Opusculo, ubi dicit; quod qui in casu versatur, de quo agitur, *non mentitur, quia non orat in persona sua, sed Ecclesiæ, quæ non decipitur: & ideo ponitur ipsa petitio in plurali.*

(d) S. Thom. 2. 2. q. 83. alias art. 16. ad 23.

* In Edit. Venet anni 1593. male legitur. *Ex qua est meritum*.

(e) Id. in 3. Sent. dist. 30. in expos. textus & Opusc. 7. de 5. Petitione Orationis Dominicæ in fine.

Attamen operæ pretium est observasse, quempiam, Adrianum verbi gratia, qui hanc Orationem nuncupat ita prave affectus, summa in Deum irreverentia reum evadere, eumque tentare modo saltem implicito, quod confidenter credat, se in eo esse statu, quo dignus sit qui exaudiatur. Illud autem tentationis genus, quamdam impietatem complectitur: *Ille*, inquit S. Thomas *(f) qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo, si quid adversum aliquem habet, —— non facit quod in se est ut exaudiatur a Deo: & ideo quasi interpretative tentat Deum: & quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur, ex præsumtione, seu indiscretione provenire; tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet. —— Unde hujusmodi tentatio irreligiositatis species est.* Attamen peccatum quod ille committit, mendacium vocari non potest, accurate loquendo; quoniam etiamsi crimine sit infecta tentatio illa, ob irreverentiam in Deum, dum sic prave affectus illum orat; veritati tamen directe non adversatur, cum illi nec voluntas nec potestas sit Deum fallere, quem nihil latet. *In comparatione ad Deum, qui novit cordis abscondita*, ea sunt S. Thomæ verba, respondentis ad objectionem a se ipso propositam, *non dicitur aliquis dolose postulare, sed per respectum ad homines —— & propter hoc non oportet quod tentatio Dei directe opponatur veritati (g).*

(f) S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 3. ad 4.

(g) Id. ibid. ad 3.

Attamen S. Augustinus nequaquam rationem habet ideæ quam sibi effingit S. Thomas. Etiamsi enim concedi possit, Christianum quempiam, Orationem Dominicam recitantem, Ecclesiæ nomine loqui; constat tamen illum suo etiam nomine loqui, tamquam illius ejusdem Ecclesiæ membrum. Idcirco priscus ille Pater huncce hominem mendacio damnat. En ipsius verba. *(h): Scitis —— quid prius Deo dicturi sumus:* Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Agite, ut dimittatis, agite. Venietis enim ad verba ista Orationis. Quomodo ea dicitis? quomodo non dicitis? Postremo interrogo: dicitis, an non dicitis? odisti, & dicis: —— ergo, si dicis; mentiris: si non dicis; nihil meretis.*

(h) S. Aug. serm. 49. novæ Edit. alias 137. de temp. num. 8.

Vide { ABSOLUTIO Cas. 9. & ACCUSATUS Cas. 1. 2. 3. & 6. }

MENDICATIO.

Vide RELIGIOSI. Casus XXXIV.

MERCES.

MERCES, salarium, pretium ob officium præstitum, sunt voces synonymæ, quibus definitio illa competere potest: *Merces est quid proportionatum & ex justitia repensum operi meritorio (i).* Sic famulus qui hero suo famulatus est per aliquod tempus, aut operarius qui opus aliquod perfecit, jus habet a domino cui famulatus est, vel cujus gratia operatus est, mercedem exigendi æquam, & ministerio vel labori congruentem, licet nullum de pretio inter eos intercessisset pactum. Gravissimum enim est peccatum, & cujus clamor ad cælum usque evehitur, si mercenarius mercede, quam meritus est, defraudetur, juxta hæc S. Jacobi verba *(k)*: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

(i) Polmann. Brev. Theol. part. 2. 22. n. 704.

(k) Jacobi 5. 4.

Quædam tamen difficultates exoriri possunt, circa opus quoddam, quod operarius tempore, de quo inter eos convenit, non perfecit. De his titulo de *Locatione* locuti sumus: vel circa famulum, qui postquam famulatum suum in ali-

quot annos domino suo locasset, a se ipso famulatum ejus deserit, vel ab eo dimittitur, antequam tempus exierit. Hoc in secunda Decisione hic expendimus.

CASUS PRIMUS.

Lentulus famulatum suum locavit Ferdinando, viro in dignitate constituto, ut sit ejus pedisequus. Nihil inter se de pretio pacti sunt; sperabat quippe Lentulus, fore ut Ferdinandus æquam mercedem rependeret. Quatuor annos apud ipsum egit; sed quoniam liberius justo viveret, & vino deditus esset, Ferdinandus illum dimisit absque ulla mercede. De hoc conqueritur Lentulus: caussatur Ferdinandus, quod cum eum famulum accepit, nihil ipsi promisit, nec quidquam ab eo petiit Lentulus; quibus addit, se expertum esse illum improbum famulum. Circa hoc quæritur, an ex æquitate teneatur Ferdinandus illi mercedem quamdam rependere, & quamnam?

Respons.

Existimamus Ferdinandum recusare non posse Lentulo æquam mercedem solvere, quam ministerio præstito meritus est. Ratio hæc est: scilicet, quilibet qui operatur, mercede dignus est, juxta hæc Domini nostri verba; & jure naturali nititur: (a) *Dignus est enim operarius mercede sua.* Postulat igitur justitia Lentulum mercedem accipere ipsi debitam, ob quatuor annis præstitum domino famulatum; eaque ratione uti non potest Ferdinandus, quod Lentulus nihil ab ipso petierit, & ipse nihil ei promiserit, cum eum famulum accepit. 1. Quoniam merces illa est debita jure naturali, quin opus sit de illa inter eos convenisse, nisi distinctè contrarium pacti sint. 2. Quoniam famulus, qui præ timiditate, reverentia, vel alia de caussa, hero suo non proponit mercedem quam exspectat determinari, numquam credi debet in animo habuisse illi gratis famulari, cum universus usus sit contrarius, & quia idcirco tantum famulatur, quia aliunde non habet unde vivat.

(a) Luc. 10. 7.

Verum quidem est, æquam illam mercedem limites suos habere debere, eosque circumscribendos esse ex æquitate; eamdemque ejus esse rationem, ac pretii æqui rerum venalium. Præfinietur autem merces, regionis morem vulgarem observando, qui lex esse potest ad id determinandum & præfiniendum quod legitime famulis debetur. Si igitur mos sit ut quinquaginta libræ singulis annis pedisequo rependantur, in foro conscientiæ tenetur Ferdinandus ducentas libras Lentulo dare, quod quatuor annis ipsi famulatus sit.

Frustra dominus ille caussabitur, Lentulum improbe famulatum fuisse: cum enim quatuor annis eum apud se servaverit, conjiciendum est eum ipsius famulatu satis contentum fuisse, invitis vitiis quæ in ipso agnoscebat. Creditu enim facile non est, herum quemvis tamdiu famulum apud se servaturum, a quo ministerium necessarium non haberet. Frustra etiam caussatur Ferdinandus, Lentulum nihil ab ipso petiisse, cum famulatum hunc suscepit. Ut enim jam diximus, animadvertendum est; Lentulum mercedem quam sperabat silentio prætermisisse tantummodo præ reverentia, qua Ferdinandum prosequebatur, & prosequi debebat. Licet itaque nihil ab illo petierit, nequaquam in animo habuit ei sine mercede famulari, ut etiam supponitur in specie ipsa quam expendimus. Ea est Silvestri Prierii decisio, & quamplurium aliorum doctorum Auctorum, Federici, verbi gratia, Angeli de Clavasio, Navarri, quos laudat Merbelius (b), dicens: *Si porro mercenarium, vel quemlibet alium famulum, suas operas locare solitum nullo pretio convento suscepit, tenetur ei solvere tanti, quanti aliam similem conduceret. Si vero pretium statuendum est, heri arbitrio, vel boni viri arbitrio taxandum erit.*

(b) Silvester de Prierio. v. Familia. q. 4. apud eum Federicus &c.

CASUS II.

Si Ferdinandus Lentulum in sex annos locaverit & promittens quinquaginta libras singulis annis, & eum post quartum annum dimittat, an tenebitur sex annos integros ei solvere? Si contra Lentulus Ferdinandi famulatum deserat, post elapsos duos vel tres priores annos, an Ferdinandus tenebitur illi mercedem solvere pretio congruenti cum tempore, hoc est centum libras in duos annos, & centum ac quinquaginta libras in tres annos?

Respons.

Ad primam quæstionem respondemus, quod Ferdinandus Lentulum dimittens post quatuor priores annos, tenebitur ei mercedem dare sex annorum integrorum. Qui enim locat, tenetur pretium, de quo inter eos convenit, solvere, quamvis re locata non utatur. Sic habet Lex, quæ dicit (c): *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit quominus operas præstaret.* Quod tamen intelligendum est, 1. Cum famulus dimissus inde detrimentum patitur; quando, verbi gratia, alium reperire non potest cui famuletur. 2. Quando herus justam non habet caussam cur eum dimittat: si enim justa ei esset causa, sive ob famuli sui dissolutam vitam vel infidelitatem; satis erit si ei mercedem solvat modo congruenti cum tempore; quo ejus ministerio usus est.

(c) Leg. Qui operas. 38. ff. locati. conducti Lib. 19. tit. 2.

Quod ad secundam quæstionem spectat, videtur quod quamvis Lentulus sponte sua, ante tempus de quo inter eos convenit, Ferdinandi famulatum desereret, liberari non posset Ferdinandus, quominus Lentulo mercedem solvere modo congruenti cum tempore, quo servus ille ipsi famulatus est; modo quoque congruenti cum circumstantia temporis, quæ plus minusve intererat heri (d). Hujus hæc est ratio, nimirum, ut jam diximus, jure naturali merces est debita mercenario & famulo, qui domino suo operam suam locavit.

(d) Silvester Prierius & apud eum Barthol̄. in Leg. Divortio. §. Quod in anno. ff. soluto matrim.

Duo tamen sunt excipienda. 1. modo Lentulus pactus non sit, cum in sex annos operam suam locavit, se omni mercede privatum iri, si culpa sua ante tempus præfinitum dimitteretur. 2. modo Ferdinandus nullum patiatur detrimentum, ex eo quod citius dimittendus fuerit famulus ille. Si enim inde detrimentum patiatur, æquum est hoc damnum a Lentulo resarciri.

Vide { Locatio. Compensatio. Restitutio. }

M E R I T U M.

M*Eritum*, generaliter acceptum, *est opus præmio suppliciove dignum*, inquit Polmannus. *(a)*

(a) Polmann part. 1. k. 8. 697.

Antequam afferatur hujus vocis definitio, propria sua significatione acceptæ, de qua agitur in hoc titulo, duo Meritorum genera distinguenda sunt. Primum Theologi vocant *Meritum de congruo*. Secundum, *Meritum de Condigno*.

Meritum quod vocatur *de congruo*, his verbis definitur: *Meritum de congruo est opus bonum, retributione divina dignum ex decentia & gratuita liberalitate*: hoc est, ut id idem Theologus explicat, *non ex obligatione justitiæ*.

Dicitur: *retributione divina dignum*, ut a simplici oratione vel petitione, quam effectus sequitur, distinguatur: sed quæ a Deo impetratur solummodo *per modum meræ impetrationis*, non vero *per modum retributionis, compensationis, aut præmii liberalis: uti fit in merito de congruo; quo inter cetera pecator pœnitens potest primam gratiam sanctificantem & peccatorum remissionem mereri sibi, & justus alteri*.

Denique ultima hæc verba, *& gratuita liberalitate*, ostendunt quomodo meritum illud differat a merito *de condigno*, quod his verbis definitur: *Meritum de condigno est opus bonum, cui ex sua operantisque dignitate merces debetur ex justitia*: Quibus Polmannus, ut clarius definitionem illam explicet, addit quod quamvis merces illa sit debita ex justitia, non tamen debetur, si vox illa *Justitia* sumatur sensu accurato & stricto, quia meritum a gratia habituali & actuali originem in primis ducit, *Non tamen ex illius rigore* perfecto: *nam origo meriti provenit a gratia habituali* & actuali. Hoc merito, inquit, justus vita æterna dignum se præstat: *Ejusmodi merito justus meretur vitam æternam*.

Meritum *de condigno* quinque exigit conditiones, quæ in Responso ad primum Casum reperientur, ac ideo de illis heic loci non loquemur.

CASUS PRIMUS.

(1) PASCHALIS, & Paulus, qui Theologiæ studio operam dant, inter se disceptarunt de merito Eleemosynæ, quam prior pauperi jamjam erogaverat. Paulus affirmavit non opus esse, ut quis mereatur, eum esse in gratia; sed satis esse si quis bonum opus faciat caritatis imperfectæ incentivo. Paschalis contra defendit, nullum inde meritum spirituale educi posse, nisi ab eo qui ab omni peccato mortali immunis esset. An recte sentit hic ultimus?

R E S P O N S.

Quinque sunt conditiones requisitæ, ut quis mereri possit bono opere præstito.

Prima hæc est: ut opus illud sit liberum; constat enim omnem actionem peractam per vim, vel invito agente nihil quidquam mereri. Id probatione non eget.

Secunda conditio hæc est; ut bonum illud opus peragatur ab eo quem Theologi *viatorem* nuncupant, hoc est ab homine hisce in terris vivente: *Nullus enim meretur, nisi in corpore, & heic omne meritum comparatur*, prout Glossæ Auctor loquitur *(b)* qui id probat ex S. Augustino, in Canone *(c)* laudato: quoniam *post hanc vitam* non est amplius *status merendi*, inquit S. Thomas *(d)* quod Sylvius *(e)* probat Domini nostri verbis, a S. Joanne laudatis *(f)*: *Omnis meriti tempus*, inquit Theologus ille, *finitur morte, juxta illud Christi*: Venit nox, quando nemo potest operari, *meritorie scilicet aut demeritorie*. Tertia conditio: ut bonum hoc opus gratiam habeat principium.

Quarta: ut sit meritum *ex condigno*, ut in Schola loquuntur, sit in statu gratiæ qui illud peragit. *Quantumcunque enim sit in homine gratia*, inquit S. Bonaventura *(g)*, *nisi sit voluntas gratiæ consentanea, numquam eliciet opera meritoria*.

Ultima denique conditio, quam exigunt S. Thomas & S. Bonaventura *(h)*, hæc est, ut bonum opus peragatur saltem virtualiter, ex caritatis incentivo: *Pondus enim amoris*, ait Doctor Seraphicus *(i)*, *est quod dat valorem operibus meritoriis*.

His suppositis, ad difficultatem, quæ Paschalis & Pauli sententias distraxit, dicimus, Paulum non recte sensisse, Paschalem vero recte; supponendo tamen ceteras conditiones merito requisitas excludere noluisse, conditiones dico, quas modo recensebamus.

(b) Glos. in Can. *Nec quemquam* 127. de Cons. dist. 4. v. *Septimo*.

(c) S. Aug. in can. *Tempus*. 23. 13. q. 2.

(d) S. Th. q. 7. de malo ar. 11. in corp.

(e) P. Sylv. in supp. S. Th. q. 100. a Collectore supplement. omissis & a II. D. Duacensibus adornatæ edit. an. 1614. addita art. 6. v. *Sciendum*.

(f) Joan. 9.

(g) Bon. in 2. sent. dist. 29. art. 3 q 2. in resp. ad arg.

(h) Id. in 4. dist. 31. art. 2. quæst 3. resp. ad arg.

(i) Id in 2. sent. dist. 29. art. 8. q. 2. in corp.

C A S U S II.

JACOBUS, vir caritate incensus, consuevit quotidie pomeridianum tempus insumere in docendis & curandis pauperibus ægrotis: sæpe vero opera illa peragit, quin cogitet de illis ad Deum referendis. Petit, an tamen omnia sint apud Deum meritoria?

Gregorius, sacerdos, toto matutino tempore detinetur, diebus Dominicis & Festis, in audiendis Confessionibus. Sed animi contentio, quæ ipsi adhibenda est, ut audiat & doceat pœnitentes, eum sæpissime impedit, quominus Deo offerat ministerii sui munera. An tunc operum suorum meritum amittit?

R E S P O N S.

Ut clare huic difficultati respondeatur, distinguendæ sunt duæ consiliorum species, unde opera nostra meritum suum ducere possunt. Prima species, est consilium actuale, quo opus a nobis peractum ad Deum referimus tempore ipsoquo agimus. Secunda species ea est, quæ vocatur consilium virtuale quod nihil aliud est præter accessionis; sive dependentiæ relationem, quod antecessit, cujus vi agimus, licet in se ipso non amplius existat.

Duabus illis consiliorum speciebus suppositis; facile est difficultatem de qua agitur decidere. Si enim Jacobus Deo offerat institutiones quibus pauperes ægrotantes edocet, & officia quæ horis pomeridianis quotidie ipsis præstat; in omnibus variis institutionibus illis meretur, ut & in variis officiis quæ illis præstat variis istis pomeridianis horis, modo in eo adsint etiam conditiones aliæ requisitæ ad meritum: quia omnes illæ institutiones & omnia illa officia præstantur vi primi consilii actualis, quod apud ipsum, omnia illa opera peragendi præ amore Dei & Dei causa: licet sæpe eveniat, mentis aberrationibus quæ ipsum incogitantem abducunt, eum opera illa peragere, quin primum suum con-

(1) Vid. *Menda Pontas.* Observ. V. num. VII. & Animadv. VIII. *Contra*.

consilium renovet. Eadem est Gregorii ratio.

Decisionis illius ratio hæc est, nimirum juxta S. Bonaventuram (a), necessarium non esse, ut opus quoddam sit meritorium, illud semper actu ad Deum referri; sufficit enim, ait sanctus ille, si opus illud habitualiter ad Deum referatur; hoc est, si adsit consilium virtuale opus illud ad Deum referendi; quod fit, cum opus illud, vel simile aliud, quod cum illo convenientiam quamdam habet, ejusque est effectus, inchoando, opus illud actu ad Deum relatum est. „ Notandum est tamen, *hæc sunt Doctoris Seraphici verba*, quod „ ad hoc quod aliqua actio sit meritoria, non oportet quod semper quis eam referat actualiter „ in Deum; sed sufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco, non quia habeat caritatem, per quam sit habilis ad referendum; sed quia in primordio operationis illius, vel alterius ad quam illa consequenter „ se habet, intentionem habet ad Deum directam. Sic, addit sanctus ille Cardinalis, si quis consilium habeat centum nummos argenteos in eleemosynam erogandi, Dei gratia, & incipiens eleemosynæ illius primam partem distribuere, actu illam ad Deum referat; sed reliquum pergat distribuere, quin de Deo cogitet, meretur tamen variis eleemosynæ suæ distributionibus. „ Unde si aliquis „ intendit dare pro Deo centum marchas, & incipit dare & cogitat de Deo in prima marcha, „ & in aliis non cogitat; nihilominus omnes donationes illæ sunt ei meritoriæ & fructuosæ. „ Quibus sanctus ille Doctor addit, quod si qui eleemosynam illam erogat, illam intermittit, cuidam alteri operi naturæ differentis incumbens; tunc necesse foret ut primum consilium renovaret, ut opus illud meritorium esset. „ Si autem opus „ alterius generis inciperet, oporteret, quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset meritorium. „ Denique S. Bonaventura ostendit, quod si consilium virtuale nuncupet habituale, non intelligit consilium quod proprie & sensu stricto habituale vocatur; quale esset, juxta eumdem sanctum, consilium quo quispiam ad Deum referret in genere omnia opera quæ die sequente vel post annum peracturus est; sed solummodo consilium quo ad Deum refertur opus aliquod peculiare, cum quo sequentia opera convenientiam habent, & cujus sunt effectus: ut patet exemplo centum nummorum argenteorum eidem homini variis temporibus distributorum, vel multis aliis, in quo exemplo omnes distributiones priori posteriores ad primam referuntur, & ejus sunt consequentia. „ Relationem autem habitualem voco, non „ qua quis in generali refert ad Deum opera omnia diei, vel anni; sed qua quis refert aliquod „ opus ad Deum, ita quod opus sequens directam „ habet ab opus primum ordinationem & consequentiam, sicut est in illo qui dat centum marchas, ... In aliis autem non habet locum.. „

(a) S. Bonav. in 3. sent. dist. 41 art. 1. q. 3. ad 6.

C A S U S III.

Prosper Antoniusque dant, unusquisque scilicet, nummum pauperibus duobus. Prior dat animo munifico; posterior repugnanter. An meritum quod Prosper ex sua eleemosyna ducit, majus est Antonii merito? Vel an ambo pariter merentur, quoniam agunt animo caritate incenso?

R e s p o n s.

Ut quis in errorem non delabatur in sententia quam amplexurus est, circa æqualitatem vel inæqualitatem meriti Prosperi ac Antonii, necesse est scire. 1. An dum invitus eleemosynam illam erogabat Antonius, id oriebatur ex prava propensione ad nimium diligenda terrestria bona. 2. si inde oriatur, expendendum est, an aversus ille animus quodammodo voluntarius sit, ex eo quod non satis enitatur huic resistere, huncque delere; vel an eo invito id eveniat, immo cum repugnantiam vincere nititur. Si illam destruere annitatur, eleemosynam erogando ut certius repugnantiam vincat, dici posse videtur, Antonium majus meritum elicere ex eleemosyna quam erogat, invita repugnantia naturali quam experitur, quam Prosperum qui illam erogat cum delectatione. Hujus ratio hæc est: scilicet præ se fert, & re ipsa habere videtur majorem in Deum amorem, vincendo animum aversum a natura, quem experitur dum pecuniam suam largitur, quam Prosperus qui largitur ex liberalitate & sine repugnantia, *Quantitas meriti*, ait S. Thomas (b), *attenditur secundum radicem caritatis*. Et virtus qua repugnantiam vincit, supponit ejus actionem magis esse spontaneam, ac ideo magis meritoriam; juxta istud ejusdem sancti Doctoris effatum: (c) *Quanto magis quis voluntarie facit, tanto magis meretur*. At contra si ejus aversus animus sit ipsius cupiditatis effectus, & nullum adhibeat conatum ad eum vincendum, eo casu sine controversia Prosper magis merebitur? aut, ut rectius loquar, ipse Antonius ex eleemosyna sua nullum ducet meritum, quoniam illam absque Dei vero amore erogat, ut ex S. Thoma probari potest; qui dicit, omnia virtute imbuta opera, ne quidem Martyrio excepto, meritoria esse non posse, nisi cum peragantur ex amore Dei. *Quod autem sit meritorium* (Martyrium) *hoc habet ex caritate, sicut quilibet virtutis actus; & ideo sine caritate non valet*.

(b) S. Th. in 3. dist. 24. ar. 3. quæstiuncul. 3. in corp.

(c) S. Th. ib.

M I S S A.

MISSA originem ducit juxta multos antiquos Auctores, videlicet S. Bonaventuram (d) ac S. Thomam (e), ex voce *Missio*; quoniam, inquiunt, respectu Fidelium sacerdos ipsorum Legati apud Deum tenet locum, & Deo pro iis sacrificium offert; aut quia *Missio* dimissionem etiam significat, ac verbis illis, *ite Missa est*, Sacerdos vel Diaconus Catechumenis declarabat, antequam Mysteria sacra celebrari inciperent, Missæ primam partem, quæ eorum nomine vocabatur *Missa Cathecumenorum*, quia ei adesse ipsis permittebatur, finem habuisse, & ipsis Ecclesia exeundum esse. S. Augustinus ipse videtur huic cogitationi auctoritatem dare; dum dicit (f): *Post sermonem Missa fit Cathecumenis; manebunt fideles*.

(d) S. Bonav. Opuscul. de exposit. Missæ.

(e) S. Th. 3. part. qu. 83. Art. 24. ad 9.

(f) S. Aug. serm. 237. de temp. c. 8. seu a. S.

Verum etymologia illa e longinquo nimis accersita & parum congruens nobis videtur; quandoquidem singulis diebus feriæ, in Missis votivis in quibus *Gloria in Excelsis* non recitatur, & in omnibus Missis quæ vocantur *de requiem*, numquam dicitur in fine *ite Missa est*; sicque non his verbis monetur populus Missæ finem factum esse.

Alii existimarunt se rectius cogitare, si *Missæ* etymologiam a voce greca Μύησις ducerent, quæ *operationem Mysticam* significat, unde derivatur Μυστήριον *Mysterium*, qua voce utitur Ecclesiasticæ Hierarchiæ Auctor.

Juxta

Juxta nostram sententiam, *Missa* est vox mere hebraica, idque facile est probatu. Notum est, nomina rerum esse Symbola & imagines, & earum naturam explicare debere, quantum fieri potest. Ideirco nullum Deo nomen tribui potest quod ei aptum sit, & quod solum ei sufficienter conveniat, quoniam ipse est ineffabilis, nullumque nomen ejus naturam infinitam exprimere potest. Dicendum est igitur, vocem adhibitam, ad significandum Altarium nostrorum Sacrificium Sanctum, debere illius naturam & essentiam exprimere. Eam autem perfecte exprimit vox hebraica מסה Missah, quæ legitur versu X Cap. 16. Deuteronomii & quæ, fatentibus ipsis Calvinistis in suis Bibliorum Interpretationibus, in una & viginti variis Editionibus, quas ipsi vidimus, quarum prima est Basileensis an 1531. & vicesima prima Parisiensis an 1647. significat *oblationem*, vel *sacrificium*; ibi anni tria præcipua Judæorum Festa præcipiuntur, nempe Azyma vel panes sine fermento; Festum (*a*) Hebdomadum, sive Pen- (*a*) Cit. v. 10.
tecoste Judaica, & Festum Tabernaculorum; in quibus solemnibus omnis mas tenebatur summæ Dei Majestati ex bonis suis oblationem offerre. Hæc habet textus originalis.

ועשית חג שבעות ליהוה אלהיך מסת נדבת ידך

Jadca Nidebath Missath Eloeca, Ladonai Schabuhoth Hhag Vehascitha,

Tuæ manus spontaneam oblationem, Tuo Deo Domino Hebdomadarum, Festum facies Et

Juxtaque versionem nostram Vulgatam; *& celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo oblationem spontaneam, manus tuæ, quam offeres* &c. Circa quod observandum est, in gratiam eorum qui Linguam hebraicam non callent, eos reprehendere non debere, si in eo textu legatur מסת *Missath*, non vero מסה *Missah*: Nam juxta regulas Grammatices hebraicæ, quando in constructione vox quædam terminatur per (ה) *he*; litera illa vulgo mutatur in (ת) *thau*, quod est nostrorum *th*; aliquando in (ה) *hhirie magnum*, quod est J. longum, vel denique rescinditur, idque juxta regulam, quæ dicit, (ה) *he quiescens in fine non movetur*, hoc est; *non fit consonaris: in medio*. In isto autem textu מסת *Missath* construitur cum voce sequenti נדבת *Nidebath*. Quapropter (ה) *he* quod est ultima litera vocis precedentis mutari debet in (ת) *thau*. Hujus exempla multa videri possunt in locis quos ad marginem indicamus, & alibi (*b*), hujusque regulæ pau- (*b*) Ruth 4. 2. Proverb 1 7. Osee 2. 14. &c.
cissimæ occurrunt exceptiones in toto textu hebraico. Verum quidem est Versiones Syriacam, Arabicam, & Samaritanam & septuaginta Interpretum non habere expresse *oblationem spontaneam*; quoniam Interpretes crediderunt, vocem *Missah* deduci a quibusdam aliis verbis hebraicis: Evidenter tamen patet, Versiones illas omnes ad eundem sensum redire, ut fusius illud probavimus in Dissertatione, quam olim hanc in rem de industria scripsimus.

Credimus igitur nos concludere debere, quod sicut Galli efformarunt vocem *peche*, ex פשעה *pescha*, *peccatum*; vocem *Chair* de שאר *scheer caro*; vocem *mesure*, *mensura*, ex משורה *mescoura* (*c*), eandem esse rationem vocis *Messe*, *Missa*. (*c*) Levit 33.

Quicquid fit de Etymologia vocis *Missa*, certum est, eam a multis Sæculis usu receptam fuisse; cum S. Ambrosius in sua ad Marcellinam sororem suam Epist. eam adhibeat dicens: *Missam facere cœpi* (*d*). Et alibi (*e*) *qui juxta Ecclesiam est*, (*d*) S. Ambr. Epist. 33. ad Marcellin.
& sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam Ea pariter utitur S. August. Uterque autem vocem illam adhibet, tanquam priscam, vulgarem & a tota (*e*) Id. serm. 14.
Ecclesia cognitam. Sed omittamus nunc vocem, & ad rem deveniamus.

His verbis Missam Theologi definiunt: *Missa est sacrificium incruentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini*.

Ut definitionis illius verus sensus rectius intelligatur, operæ pretium est nosse, quid intelligi debeat voce sacrificii. En quomodo definitur: *Sacrificium est oblatio externa rei sensibilis, per realem mutationem a legitimo Ministro facta Deo, in testimonium supremi dominii ipsius & nostræ subjectionis* (*f*). (*f*) Polm p. 3. n. 244. & seqq. vid. n. 2. q. 54.

His verbis: *Oblatio externa rei sensibilis*, intelligi debet juxta Polmani explicationem, *in actu signato, oblatio panis & vini, tanquam materiæ transeuntis, præsupposita actioni sacrificali: In actu exercito, oblatio corporis & sanguinis Christi, tanquam hostia . . . . . contenta in consecratione, cui ex instituto Christi annexa est oblatio*.

Istis aliis verbis: *per realem mutationem*, intelligi debet mutatio, quæ fit substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Jesu Christi, qui iterum producitur in Altari consecrationis vocibus quas nomine Jesu Christi pronuntiat Sacerdos, qui solus legitimus est Minister sacrificii, quod est verus Latriæ cul-

cultus, qui supremæ Dei Majestati tantum debet & potest tribui (*a*); est quippe primum nostrum principium, ultimusque noster finis: quod in causa est, ut dicat S. Aug (*b*); *Non alteri visibile sacrificium offerendum esse noverimus, quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium ipsi esse debemus*.

Fidei igitur est hæc veritas, verum Sacrificium in Missa Deo offerri, prout Ecclesiæ Patres docuerunt, & prout Ecclesia ipsa decidit (*c*).

Ab Adami peccato necessarium semper fuit, hominem, in peccatum delapsum, sacrificium aliquod Deo offerre, hoc est oblationem aliquam rei cujusdam exterioris cum immolatione victimæ: nimirum tres ob rationes pariter momentosas. Prima est; ut ejus omnipotentiam ejusque summum Dominium in omnes homines & omnes alias res creatas agnoscamus. Secunda est, ut Religionis cultus solemnis constituatur. Tertia denique, ad variis modis præsignificandos effectus varios Sacrificii illius, quod Patri suo oblaturus erat Jesus Christus, qua Mediator inter Deum & homines, ad reconciliationem Generis humani; atque Sacrificium illud sit figura Sacrificii, quod oblaturus erat, ut & acerbissimorum ejus cruciatuum, ac præcipuarum circumstantiarum, quæ mortem & cruciatus ejus comitaturæ erant.

Verum prisca illa omnia Sacrificia abolita & consummata fuere Crucis Sacrificio, quod in Ecclesia in perpetuum perpetuatur Sacrificio incruento, quod Sacerdotes in sacra Missa offerunt, estque tanquam Memoriale & repræsentatio continua, & cujus virtus applicatur Fidelibus viventibus, & mortuis in gratia, & qui nondum expiarunt pœnas Justitiæ divinæ debitas, ob peccata quæ per vitam suam commiserunt.

Præcipua differentia, quæ inter duo illa Sacrificia intercedit, in eo consistit, quod Servator noster sanguinem suum solus effuderit, solusque reipsa mortuus sit in arbore Crucis; cum in adorando Missæ sacrificio, Jesus Christus, qui simul est Pontifex & victima, se offerat cum Ecclesiæ suæ Fidelibus omnibus, qui ejus sunt membra, & qui cum illo offeruntur Sacerdotum ministerio.

Sacrificium illud sanctum offertur super SS. Martyrum tumulis, ad gratias Deo agendas, prout ait S. Aug. ob victorias, quas ejus auxilio illi reportarunt, & ad impetranda eorum intercessione, auxilia necessaria ut eorum virtutum exemplum sequamur, & in pietate Christiana progressus faciamus. At Sacrilegium foret sanctis ipsis Sacrificium illud offerre, quod soli Deo Majestati offerri debet, ut etiam dicit idem S. Aug Et idcirco vocatur *Latreuticum*.

Sacrificium illud exterius & visibile a Theologis præterea vocatur *Propitiatorium*, *Eucharisticum*, *& Impetratorium*, ut significetur Fideles, qui huic intersunt, addere debere Sacrificium interius animi cordis caritate incensi, cordis contriti & submissi, cordis inflammati amore & grato animo erga summam bonitatem Dei, qui solus omnis gratiæ principium est & fons; cordis denique incensi sincero desiderio evadendi purioris, sanctioris amore Mundi magis vacui & soluti, ut & vitæ rerumque creatarum, magisque Deo dediti.

Absque crimine mutari non possunt, nec omitti cæremoniæ ab Ecclesia institutæ; neque quis illis novas addere potest privata sua auctoritate. Neque etiam Sacerdotibus licet hanc libertatem sibi tribuere, ut orationes privatas addant, sicuti olim temere fiebat, obtentu pietatis male compositæ, prout observat Maldonatus (*d*), qui loquens de Sacramentis in Disputationibus suis de Cæremoniis, ait, ante 1200. annos abusum illum viguisse, quamvis a multis Africæ Conc. damnatus fuisset, quæ laudat doctus ille Jesuita; *Tempore Caroli Magni*, inquit Auctor ille, *hujusmodi abusus ita increverat, ut Missalia essent istis orationibus privatis referta. Itaque Legem tulit ille Rex pius, qua jubet, ut diligenter videantur Missalia Gallica, ut quæ minus bene posita sunt orationes, & ab Ecclesia non approbatæ, resecarentur, quod utinam nunc fiat*, addit ille, *& ita credo ex Missali quod Summus Pontifex curat excudendum & edendum*:

Nullus præterea absque gravi crimine potest, Missam sacram celebrare, nisi jejunus, exceptis quibusdam casibus, de quibus deinceps loquemur.

Neque etiam celebrari potest nisi semel in die, accurate loquendo.

Qui in peccato mortali Missam celebrat, sacrilegus fit.

Sacerdotes tenentur Missam celebrare in gratiam habitantium in sua Parœcia, diebus Dominicis & diebus festis, juxta Ecclesiæ definitionem (*e*).

Missam celebrare non debet Sacerdos, nisi in loco consecrato, & hora congruente, ipsique adsit unus saltem respondens, sitque indutus ornamentis

ad

(*a*) Præterquā: Domico soli. Exod. 22. 20.
(*b*) S. Aug. l. 10. de civitat. Dei c. 19.
(*c*) Conc. Tr. sess. 22. can. 1.
(*d*) Maldon. tract. de cæremon. in gen. part. 6.
(*e*) Conc. Tr. sess. 23. c. 1. de reform.

ad hunc usum destinatis, & quibus benedixerit Episcopus vel Sacerdos, ab Episcopo ad hoc præpositus.

Nunquam licet in quolibet casu in Missa uti alio pane, nisi ex tritico conflato, nec uti alio vino nisi à vite edito.

Fideles omnes tenentur sub pœna peccati mortalis corpore & animo sacræ Missæ adesse singulis diebus Dominicis & Festis: nisi justa quædam causa hoc officio illos liberet (a). Imo adesse debent Missæ quæ vocatur Parœcialis, non solum diebus Dominicis, sed etiam præcipuis anni diebus Festis.

(a) S. Anton. 2. tit. 9. c. 10 §. 1.

Verum quidem est, primis sæculis Ecclesiam ad sacrorum Mysteriorum communionem illos non admisisse, imo iis interesse, dum celebrabantur, non permisisse illis qui gravium quorumdam peccatorum rei erant: Severa illa Disciplina mutata est, Ecclesiaque animo indulgenti ac benigno erga peccatores semper concitata, ipsis permittit, imo præcipit Mysteriis sacris adesse diebus obligationis, ut vocant, modo 1. ab illis censura quadam distinctè non excludantur. 2. modo illis intersint cum anima pœnitente, ac sincero desiderio ex iis fructum percipiendi.

Addimus, imo Fideles teneri Missis solemnibus adesse in suis Parœciis diebus Dominicis, & præcipuis anni diebus festis, non solum ut adsint Sacrificio sancto quod ipsorum Sacerdotes Deo offerunt pro eorum necessitatibus spiritualibus; sed etiam ut audiant institutiones hortationesque quibus Sacerdotes diebus illis eos imbuere debent; & ut doceantur quod ipsis sciendum est circa festa ac jejunia ab Ecclesia præcepta, Ecclesiasticas comminationes, solemnes promulgationes, aliaque quæ publice denuntiant Sacerdotes. Ad hoc autem cogi etiam possunt Censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis.

Sacerdos qui celebrat, juxta alicujus mentem, potest absque peccato honorarium ipsi oblatum accipere, modo id fiat sine ullo pacto antecedenti & absque importuna exactione; idque accipiat non tanquam pretium vel mercedem Missæ, sed tanquam eleemosynam, quæ ipsum juvet non habentem, unde vivat.

Primis Ecclesiæ temporibus celebrabatur Missa idiomate ab omnibus intellecto: Omnino tamen necessarium non est eam ubique vulgari idiomate celebrari; At uniuscujusque Ecclesiæ ritus observandus est. Si vero populus non intelligat, Pastores & Sacerdotes huic defectui supplere debent, illum docendo, quid in Missa dicatur.

Denique cum dicimus, fideles teneri Missam audire diebus ab Ecclesia præceptis, id de Missa integra ejusdem Sacerdotis intelligi debet. Ille enim Missam non audit, qui adest multis per partes Missis, quas multi Sacerdotes eodem tempore celebrant; ille, exempli causa, illam inchoat, alius vero mediam celebrat. Id affirmare voluerunt quidam Morales Theologi, qui etiam varias alias propositiones falsas & scandalosas asseruerunt hanc in rem, ut jamjam videbitur in earum Censura solemni, quam pronunciavit Cleri Sacer Ordo Galliæ, in cœtu habito Sangermani in Laya anno 1700.

En propositiones illæ, scilicet 73. 77. 78 & 79. cum earum Censura, ex 127. Propositionibus, quas celeber ille Cœtus, cui præerat Eminentiss. Card. Noaillius, Archiepiscopus Parisiensis, damnavit tanquam perniciosas temerarias & Sacris Canonibus contrarias.

P R O P O S I T I O LXXIII.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imo quatuor simul, a diversis celebrantibus audit.

C E N S U R A.

Hæc propositio absurda est, scandalosa, illusoria, communique Christianorum sensui repugnat.

P R O P O S I T I O LXXVII.

Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, Divi-

Divinam legem, fidei rudimenta, quæ ibi in Catechesibus annuntiantur & docentur.

P R O P O S I T I O LXXVIII.

Talem legem in hac materia, nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum sancire, nec delinquentes aliquibus pœnis aut Ecclesiasticis Censuris, mulctare possunt.

P R O P O S I T I O LXXIX.

Plebs virtute Conc. Trid cogi non potest censuris & pœnis Ecclesiasticis, ut eat ad suam Parochiam diebus Dominicis, ad audiendam Missam (Parochialem scilicet.)

C E N S U R A.

Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino & Apostolicæ traditioni contraria, dicente Apostolo: Non deserentes collectionem nostram sicut consuetudinis est quibusdam. (Hebr. 10 13)

CASUS PRIMUS.

DIDIERUS Sacerdos, Missam sacram aliquando celebravit, postquam hausisset guttas tantum duas liquoris corroborantis, propter stomachi ejus summam debilitatem; aliar postquam forte fortuna bausisset aliquot aquæ guttas, os dentesque colluens, vel quasdam exiguas reliquias pania vel cibi, quæ inter ejus dentes remanserant a cœna præcedenti. An mortale commisit peccatum quod in eo statu Missam celebraverit?

R E S P O N S.

1. Respondemus Didierum in primo casu peccatum mortale commisisse; hoc est, quod Missam celebraverit, hausto liquore illo corroborante, tanquam medicamento. Ratio est, quod sic violaverit præceptum momentosum, strict & universe ab Ecclesia observatum, ut ait Concil. Constantiense (a), quodqae præceptum traditionis est Apostolicæ. Licet enim minima sit liquoris illius quantiras, ille tamen discedit a reverentia, qua prosequi debet Corpus Jesu Christi, quod anteqnam accipiatur, nihil ore descendere debet in corpus Christiani, ut ait S. Augustinus (b), scribens ad Januarium. *Placuit Spiritui Sancto*, ait Pater ille, *ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per universum Orbem mos iste servatur.*

(a) Conc. Constant. sess. 5.

(b) S. Aug Ep. 55. alias 118. c. 6. sive n. 8. in can. Liquido 54. de consec. dist. 1.

Idem reperitur præceptum fuisse a multis Conciliis, præsertim a III. Carthaginensi, habito Pontifice Papa Siricio; ab alio Concilio habito in Africa, & laudato in Gratiani Decreto (c). A Concil. Antissiodorense, habito an. 578. A II. Matisconensi an. 585. * A VII. Toletano habito ann. 946. ab eodem Gratiano laudato (d), cujus Decretum hæc habet verba. *Ne tamen quod naturæ, languoris causa, consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur; nullus, post cibum potumque quemlibet minimum sumptum, Missas facere .... præsumat .... Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Hæc verba evidenter denotant quam grave peccatum committant illi, qui tam sanctum præceptum perfringant, cum eiua reis, pœnam interminentur maxime terrendam, quam adhibere possit Ecclesia morem non gerentibus.

(c) Conc. Afr. can. 8. in can. Sacrum 49. de consec. dist. 1.

* Can. 5.

(d) Conc. Tol. 7. c. 2. in can. nihil 16. 7. q. 1.

S. Thomæ Doctrina (e) consentanea est cum sacris Canonibus. Dicit enim perfringi illud præceptum, licet quod haustum est ante Communionem sit quoddam medicamentum, & vel minima quantitate, ac licet sit res quæ nullam habeat virtutem nutrientem. *Neque post assumptionem aquæ vel potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se aut cum aliis.* Veritatem eamdem confirmat S. Antoninus (f).

(e) S. Th. 3. q. 80. a. 8. ad 4. Item in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 2.

(f) S. Anton. 3. p. c. 13. t. 6. § 4.

2. Non eadem est ratio quarumdam aquæ guttarum, quæ absorbentur non attendendo, dum os colluitur; ut & minutarum reliquiarum panis vel cibi, quæ inter dentes remanserunt a cœna præcedenti, & quæ crastina die mane hauriuntur cum saliva, non attendendo: Quoniam jejunium sic abrumpi non censetur, juxta ejusdem Doctoris Angelici sententiam. *Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore*, addit, *si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti.* Hancque profert rationem, nimirum ea degluttiuntur solummodo tanquam saliva, non vero tanquam alimentum vel medicamentum. *Quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur; dummodo non trajiciantur in magna quantitate: sed permistæ salivæ: quod vitari non potest.* Unde concludimus in secundo casu proposito, Didierum absque peccato celebrare potuisse: Hæc etiam est S. Antonini decisio (g).

(g) S. Anton. 4. part. sum. theol. tit. 17. c. 6. § 8.

CASUS II.

JUSTINUS, S. Gudulæ Sacerdos, cum non crediderit fore ut cogeretur Missam celebrare, aquæ haustum solummodo deglutiit, postea ipsi nunciatum est quemdam ex ejus Parœcia animam agere, eumque ardenti studio Corpus Christi in viaticum petere. An Sacerdos ille, qui nullas habebat Hostias consecratas, potuit, absque peccato, in tam urgente & tam momentosa necessitate Missam celebrare, ut huic morienti Hostiam consecraret?

Res-

R e s p o n s.

Certum est Justinum in casu proposito consecrare non potuisse absque gravi peccato; quandoquidem jejunus non erat, sicuti jam probavimus. Ita enim expresse enuntiata, ita antiqua, ita universalis est Ecclesiæ prohibitio circa hoc argumentum, ut nulla sensus circumscriptio, nullaque exceptio afferri debeat, cum nulla reperiatur in Canonibus, si unus vel alter casus, de quo deinceps loquemur, excipiatur.

Juxta immutabilem illam Ecclesiæ legem, doctus quidam Theologus (a), respondet ad difficultatem de qua agitur, & quam sibi proposuerat, hunce Sacerdotem nequaquam celebrare posse, cum jejunus non sit; hancque reddit rationem: *Eo quod receptio hujus Sacramenti minoris est necessitatis & majoris reverentiæ, propter quam Ecclesia non dispensat super jejunio in ejusmodi casu*. Eamdem sententiam jure merito defendit Cabassutius (b). Præceptum Apostolicum debet igitur præferre Justinus, scilicet jejunus sanctissimæ Eucharistiæ mysteria percipere, præcepto quod obligat eum, qui est ex ejus Parœcia, sanctum Viaticum accipere: quod præceptum ad sacram Eucharistiam percipiendam eum obligare definit in casu proposito. Propterea tamen negligentiæ culpa Sacerdotem illum liberare non pertendimus, qui non curavit Hostias consecratas servare, ut ægrotos, cum opus esset, sanctissimo Jesu Christi Corpore pasceret (c).

(a) Fr. Sylv. in 3. part. summ. S. Th. q. 83. art. 33.

(b) Joan. Cabassut. Juris C. theor. & prax. l. 3. c. 5. n. 11.

(c) Coll. Lucion. tom. 5. colloq 16. q. 3 De Sainte Beuve tom. 2. cas. 87. & to. 3. art. 9.

C A S U S III.

Clarius; Sancti Taurini Presbyter, incautus ablutionem absorpsit, dum Christi Domini natali die Missam mediæ noctis celebraret. Si duas alias, præsertimque tertiam non celebret, ingentis scandali causa erit, quoniam longe maxima pars ipsius Parochianorum Missa privabuntur, quia alium Sacerdotem reperire non potest, qui ipsius munus expleat. Nonne, eo casu, tertiam saltem Missam celebrare potest, ut vitetur scandalum?

R e s p o n s.

Sunt Auctores qui existiment, in pari casu Sacerdotem celebrare posse, ut vitetur scandalum. Eorum opinio nititur, S. Thoma dicente (d), quod si Sacerdos, postquam Missam inchoaverit, meminerit se jejunum non esse, eum ab Altari recedere debere; idque tutius fore ipsius conscientiæ, nisi recedere non possit absque ingenti scandalo. „ Ubi difficultas occurrit, *inquit Sanctus ille*, „ semper accipiendum est illud, quod habet minus „ de periculo: maxime autem periculosum circa „ hoc Sacramentum, quod est contra perfectionem „ hujus Sacramenti; quia hoc est immane sacrilegium: minus autem est illud, quod pertinet ad „ qualitatem sumentis. Et ideo si Sacerdos post „ consecrationem inceptam recordetur, se aliquid „ comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere sacrificium & sumere Sacramentum .... si „ vero ante consecrationem alicujus prædictorum „ sit memor, tutius reputarem, maxime in casu „ manducationis .... quod Missam inceptam deseret, nisi grave scandalum timeretur. „ Ex ultimis hisce verbis Auctores illi concludunt, quod si Sacerdos ille Missam inchoatam persequi possit, ut urgens scandalum vitetur, eadem ratione illam inchoare potest licet jejunus non sit; quando aliter vitare non potest scandalum, quod necessario eveniet, si Missam non celebret.

(d) S. Th. 3 p. summ. q. 83. art. 6. ad 2.

Regula tamen Ecclesiæ, quæ vetat Sacerdotes non jejunos celebrare, generalis est, neque exceptionem distinctionemve admitti Regula illa reperitur in Decretali Innocentii III. (e), in qua Papa ille, postquam declaravit, Sacerdotem in ablutione vino uti debere, illudque absorbere, exceptionem hanc addit; nisi teneatur Missam aliam celebrare: quo casu, si ablutionem absorpsisset, non amplius die illa celebrare posset: *Semper Sacerdos vino* (manus) *perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eadem die aliam Missam debuerit celebrare: ne si forte vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret*.

(e) Inn. III. in c. *Ex parte* de celebration. Missarum.

Quando Summus ille Pontifex vult, Sacerdotem celebrare non posse, nisi jejunus sit, nihil nisi antiquo Ecclesiæ præcepto consentaneum præcipit, nihil nisi constitutum a Conciliis quæ illum præcesserunt, præsertim a Conciliis, quorum Decreta refert Gratianus. (f)

(f) Concil. Afric. in C. *Sacramenta*. de Consecration. dist 2. Conc. Cabilon. in can. *Solent* ad dist. Concil. Tolet. in can. *Nihil*. ib. 7. quæst. 1.

S. Augustinus (g), scribens ad Januarium, de hoc loquitur tamquam de more ab ipso divo Paulo constituto, & universa in tota Ecclesia observato. En ipsius verba. „ Liquido apparet, quando primum acceperunt Discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. „ Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? „ Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. „ Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. „ (*Et laudatis his Apostoli verbis*: (h) Cetera, cum venero, disponam, *hinc consequentiam istam ducit*: Unde intelligi datur, (quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi „ ordinem insinuaret quem universa per orbem „ servat Ecclesia) ab ipso ordinatum esse, quod „ nulla morum diversitate variatur.

(g) S. Aug. lib. 1 seu Ep. 54 n. 7 & 8. apud Grat. in C. *Liquido*. de consecrat. d. 2.

(h) 1. Cor. 11.

Celeberrimi Theologi, inter quos exstat Sylvius, duas istas solummodo exceptiones admittunt, quæ eadem ratione nituntur, nimirum necessitate impediendi, ne sacrificium imperfectum remaneat. „ Quando id necessarium est ad perficiendum, vel „ consummandum sacrificium; ut si Sacerdos subita ægritudine correptus, non potest inchoatam „ Missam perficere: nec reperitur alius jejunus, potest non jejunus illud absolvere & communicare, vel si una species erat per alterum consecrata. „ Ipsa sunt Sylvii verba (i), deinde, diserte affirmantis (K), casum de quo agitur in specie proposita, excipi non debere a regula generali. *Modo tamen ablutio non esset sumta in priori Sacrificio*, hæc sunt etiam ejus verba: *alioquin nec in Natali Domini nec in aliis casibus secunda Missa potest fieri*. Quod Innoc. III. auctoritate jam a nobis laudata probat.

(i) Fr. Sylv. in 3. p Sum. S. Thomæ, q. 80. art. 8. sub fin.

(k) Id. ibid. q. 83. art. 9. quæsita 4.

Cum urgetur scandalum ingens quod fieret, si Sacerdos ille tertiam Missam solemnem Natali die Domini non celebraret, respondendum est, rationem illam neque sufficientem neque legitimam videri. Quando enim Parœciæ incolæ noverint Clarium ipsorum Sacerdotem, ablutionem imprudenter sumsisse in Missa mediæ noctis; eumque Missas alias non celebrare, quia jejunus non est, quænam ipsis erit scandali causa; quandoquidem eorum Sacerdos non peccavit, propter oblivionem & imprudentiam in qua erat, & quandoquidem a secunda & tertia Missa celebranda abstinet tantum ne Ecclesiæ legem celebrare illi prohibentem violet. Nonne ejusmodi oblivio in sanctissimum hominem cadere potest? Eo igitur casu incolæ illi spectare se debent, quasi nullum haberent Sacerdotem, a quo Missam audire possint: Debent tamen conari, ut Parœciam vicinam adeant, ut ibi Missam audiant, si fieri possit.

Vide Decisiones 18. 19. & 22.

C A S U S IV.

Medericus Sacerdos, postquam in Missa ablutiones sumserit, illico animadvertit, dum adhuc Altari adstat, vel cum jam in Sacrarium reversus est, sacræ Hostiæ aliquam particulam super Patena remansisse, an absque ullo peccato potest illam consumere, licet non amplius jejunus?

R e s p o n s.

Existimamus, Medericum post ablutionem consumere posse quæ supersunt super Patena; vel super Corporali, dum adhuc adstat Altari. Hæc est vulgaris sententia Auctorum probatissimorum. Hujus hanc reddunt rationem, illarum particularum consumtionem pertinere & referri ad idem sacrificium quod modo obtulit celebrans, quodque

plane

plane perfectum non censetur, donec ab Altari recesserit Sacerdos, Cum vero ejus ministerium perfecte adimpletum est, cum ab Altari secessit, & in Sacrarium iterum ingreditur, non credimus ipsi licere illas ibi consumere; nisi illas servare non posset absque alicujus irraverentiæ manifesto periculo.

Ea est Navarri decisio, qui explicans Paludani opinionem, ut & Auctoris Summæ, cui titulus est *Rosella* (*a*), air: (*b*) „ Peccat mortaliter qui reliquias Sacramenti quæ in calice aut in Patena „ remanent, quaslibet exiguas post ablutionem „ sumit juxta mentem Paludani .... & Rosellæ .... „ quod verum est, si ex intervallo id faciat: secus, si incontinenti, ut nervose probat Cajetanus „ (*c*); quia quæ incontinenti fiunt, in esse videntur, „ leg. *Lecta*, digestis, De rebus creditis. Quare „ quas ex intervallo invenerit, custodire debet in „ alterum diem sumendas: aut certa ministrare „ eas alicui ad communicandum disposito juxta „ eosdem.

Diu ante Navarrum idem docuerat Silvester Prierrius. (*d*)

(*a*) Petr. Palud. In 4. d. 9. q. 1. Baptista. Trovamala in *Rosella*. v. *Eucharistia* 3. §. 13.

(*b*) Navar. Man. cap. 25. num. 89

(*c*) Cajetan. t. 3 de celebrat. Miss. q 1.

(*d*) Silvester Prierius v. *Eucharistia*, 3. q. 1.

C A S U S V.

Balduinus Sacerdos, postquam ablutionem primam sumsisset, animadvertit quasdam vini guttas, quas in Calicem infunderat ut consecraret, Pateræ oræ adhæsisse. An illas tamquam consecrasas spectare debet, ac ideo illas consumere; aut an ne satis est, si illas purificarorio abstergat?

R e s p o n s.

Si illæ vini guttæ foris Pateræ Calicis adhæserint, Balduinus eas tamquam non consecraras spectare debet, & satis est eum purificatorio illas abstergere; sed si sint intra Pateram, res difficultate oon caret. Opinio tamen maxime vulgaris, & quæ verissima nobis videtur, hæc est: si Sacerdoti illi singulariter animus non fuerit illas consecrare, non consecratæ censeri debent, quoniam Ecclesiæ vulgaris ac ordinaria mens quam uousquisque Sacerdos habere censetur dum Calicem consecrat, ea est scilicet, vinum consecrare quod in Calice est quasi totum quod continetur, *per modum unius*. Guttæ autem, quæ remanserunt adhærentes in summa & interiore parte Pareræ, totius illius pars non sunt; quandoquidem ab eo separatæ exsistunt. ac earum unaquæque aliud totum componunt. Quapropter, licet longe magis congruum magisque tutum sit cum ablutione illas consumere; attamen in casu proposito tamquam peccati reus damnari non dedet Balduinus, si contentus sit purificatorio illas abstergere, non credens se male agere. Semper tamen Sacerdos in casu proposito debet guttas illas consumere, primam vel saltem secundam ablutionem sumens.

C A S U S VI.

Andreas Sacerdos, tabacum naribus aliquando habuit, vel mandit, antequam celebret. Nonne adversus jeiunii naturalis præceptum peccat.

R e s p o n s.

Numquam dirimitur jejunium naturale, oisi cum aliquid in stomachum ore descendit, per modum alimenti vel medicamenti, ut ait Sylvius (*e*).

(*e*) Fr. Sylv. in 3. part. S. Th. q. 89. art. 8.

Constat autem, tabacum in pulverem redactum naribus haustum, in stomachum non descendere. Affirmari igitur nequit, Andream jejunii naturalis præceptum violasse, quamvis antequam celebraret, tabacum sic sumserit,

Ex eodem principio dici debet, tabaci folia quæ manduntur, nec etiam jejunium naturale perfringere. Nam foliorum illorum succus non absorbetur, nec absorbentur aquæ, quas eruunt tabaci folia. Contra id præcavetur, propter plantæ illius ingratum & acrem saporem; verum, quamvis fieret ut aliquantulum imprudantor absorberetur & incante, hoc semper salivæ ope fieret, cui immisceretur tabacum, & eodem modo ac quædam aquæ guttæ absorbentur cum os abluitur, prout dicit Auctor quidam, quem mox laudabimus. Fatemur tamen, Sacerdotem qui sic tabacum sumeret, eo fine ut cerebrum suum aquas evacuando purgaret, valde damnandum esse, hocque indecorum potius condonandum esse militi, quam Ecclesiastico, qui Corpus & Sanguinem Jesu Christi mox est sumturus.

Propter ingens illud indecorum, & suasionem Decani ac Canonicorum Consessus Hispaliensis, Urbanus VIII. Bulla sua 61. data die 30. Januarii anno 1641. omnibus vetuit, ne tabacum in Ecclesiis sumerent; ac præsertim illius diœceseos Sacerdotibus dum sacrificium celebrarent, ut temerario factitabant quidam: *Et ipso facto* excommunicaros declaravit eos, qui tam justo vetito non obtemperarent. „ Ne de cetero, *hæc sunt* „ *Papæ illius verba*, in quibusvis civitatis & diœcesis prædictarum Ecclesiis earumque atriis & „ ambitu tabacum, sive solidum sive in frusta „ concisum, aut in pulverem redactum, ore vel „ naribus, aut fumu per tubulos aut alias quo„ modo libet sumere audeant vel præsumant, sub „ excommunicationis latæ sententiæ eo ipso abs„ que alia decloratione incurrendæ pœna, aucto„ ritate Apostolica, tenore præsentium interdi„ cimus & prohibemus „ Habemus præterea Mandatum D. Ludovici Annæ Auberti a Villeseriuo Episcopi Sanitiensis, quod tabacum sumo sumtum diœcesis suæ Ecclesiasticis probibet. sub pœna interdicti, *ipso facto*. (*f*)

(*f*) Mand. Episc. Seniat. 2. Nov. 1677.

Prohibitio illa nititur, ut observavimus, eo quod indecorum & summa irreverentia sit in loco sacro tabaco sic palam uti, oon vero eo quod illi insit facultas nutritiva, prout docte probat Paulus Zacchias (*g*) in opere cujua editionem sextam Lugduni anno 1661. in lucem editam Papæ Alexandro VII. dicavit. En Auctoris illius verba. „ Verior tamen Dianæ opinio (*h*), quam ille cum „ multis Canonistis, quorum auctoritates ibi ad„ ducit, jure tuetur, qui omnes in hoc conve„ niunt, neque si per fumum, vel pulverem, vel „ folium tabacus assumatur, jejunium frangi: & „ recte quia neque habet umquam, neque habere „ umquam potest rationem cibi, vel rei alimenta„ lis „. Quibus jure merito addit, illos qui tabaci folia mandunt, jejunium narurale juxta Canonistas quosdam perfringere *Si aliqua folii particula per os ad stomachum trajiciatur*: quo casu fatetur, Sacerdotem sacram Eucharistiam sumere non posse. „ Tunc ea tabaci particula impediret Eucha„ ristiæ sumtionem: quemadmodum impedire „ dicunt Canonistæ aquæ communis stillam, quæ „ neque cibi, neque rei alimentalis rationem ha„ bet „. Ceterum observare necesse est, quod cum per tubulum tabacus sumitur, & forte fortuna sumus absorbetur, jejunium naturale perfriogitur, & Sacerdotem celebrare non posse, neque quemvis Laicum die illa sacra Eucharistia pasci posse.

(*g*) Paul. Zacchias t. 2. qq. Medico legalium l. 9. t. 7. q. un. fol 83.

(*h*) Anton. Diana Cler. Reg. Theat. in variarum resolut. Mor. part. 8. tract. 7. ref. 3.

C A S U S VII.

Sallustius, Presbyter Parœciæ rusticæ, versatur in obligatione celebrandi: 1. Quia dies est Festus & sacrificio cum cantu adesse non potuit, quod celebravit ejus Vicarius, ac ideo Missa illa die privaretur. 2. Quia tunc audit quemdam ex suis Parochianis mortis periculum adeuntem, Viaticum petere, quod ipsi dare oon potest, nisi consecrando Hostiam; consecrare vero non potest nisi celebrando: nam quæ supererant Hostiæ consecratæ, consumtæ fuerunt ab iis qui in Missa cum cantu ad sacram Eucharistiam accesserunt. Æditus vero, qui autumavit Sacerdotem rure esse, omnes Casulas in arca inclusit, ejusque clavem abstulit, cum clave secreti loci in Sacrario, ubi arca illa reposita, est, & ivit rus negotiorum suorum causa, ignoraturque quonam iverit. Circa hoc petitur, an Sallustius eo casu possit absque peccatn celebrare sine Casula, scilicet ob duplicem necessitatem urgentem celebrandi, in qua versatur.

R e s o p n s.

Sacerdos ille nequaquam celebrare potest sine Casula, in specie proposita. Hæc est docti cujusdam Theologi sententia, dicentis: (*i*) „ Absque sacris „ hisce vestibus celebrare grave admodum foret „ peccatum mortale: partim propter præcepti Ec„ clesiastici transgressionem in re notabili, partim

(*i*) Fr. Sylv. in 3. part. q. 83. art. 6. quæstio 3. §. *Sextum*.

pro-

propter magnam irreverentiam, quæ contra tantum Sacramentum committeretur. Unde ne quidem ut populus die Festo Missam audiat; vel ut infirmus alioquin sine Viatico moriturus, communicetur, liceret sine illis vestibus celebrare; quoniam id fieri non posset sine magna irreverentia, & vix sine gravi scandalo. Quibus addit, duas rationes a se allatas, eo casu Sacerdotem excusare non posse: quoniam, inquit, præceptum Missam die festo audiendi, & in morbo periculoso Viaticum accipiendi non obligat, cum adimpleri non potest, quin Ecclesiæ Leges & reverentia sacris Mysteriis debita violentur. *Præceptum autem divinum de sumendo Viatico solum obligat infirmum pro illo tempore, quo ipse potest sine indecentia, vel irreverentia illud habere. Ecclesiasticum quoque præceptum de Missa audienda tunc dumtaxat fideles obligat, quando possunt eam audire celebrari secundum Ecclesiæ constitutionem.*

Theologi illius decisio consentit cum iis quæ determinavit sacrum Concilium Tridentinum, quod vetat, quidquam plane innovari in Ecclesiasticis cærimoniis, & in celebratione sacrorum Mysteriorum. *Caveant* (Episcopi) *ne Sacerdotes .... Ritus alios, aut alias cærimonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint.* Sic loquuntur Concilii illius Patres *(a)*; ac re vera in sancto Missæ Sacrificio consideranda sunt non tantum ea quæ repræsentant quæ facta sunt in Passione Salvatoris, sed ea etiam quæ attinent ad summam reverentiam, quæ in magni illius Mysterii celebratione observanda sunt, prout observat S. Thomas *(b)*; qui addit, idcirco instrumenta & ornamenta quibus utitur Sacerdos, consecrari. Unde sequitur, eum in summam reverentiam tam augusto Mysterio debitam peccaturum, si ita temerarius esset ut celebraret omnibus ornamentis non indutus, omnibusque vestibus sacris, quas Ecclesia ad hunc usum destinavit. Eadem est S. Antonini sententia, ut & Paludani quem laudat. *(c)*

(a) Concil. Trid. sess. 22. Decreto de observandis & vitandis in celebrat. Missæ.

(b) S. Th. 3. part. Sum. q. 83. art. 3. in corp.

(c) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 5.

CASUS VIII.

Lentulus Sacerdos, cum aliquando die festo teneretur Missam celebrare in gratiam multorum, qui alias Missæ non adfuissent, eam sine cereis accensis, & sine igne in Altari celebravit: quia in Sacello celebrabat in media silva procul a Vicis; præterea instabat meridies. An id sine peccato facere potuit?

Respons.

Non dubitandum est quin Sacerdos ille in hoc gravissimum commiserit peccatum. Concilii Tridentini Decretum, quod in præcedenti decisione protulimus, sufficit ut hoc persuadeat. Id præterea probare possumus Honorii III. *(d)* Decretali, qui respondens Episcopo Brexiensi, ab eo petenti, quomodo se gerere deberet erga Sacerdotem qui parem quam Lentulus culpam admiserat, ipsi præcipit, ut eum de Sacerdotio dimoveat, eumque, in perpetuum spoliet munere Sacerdotali, functionibusve Sacerdotalibus ac ejus Beneficio; sive id fecit præ malitia, aut præ nimia simplicitate. En Papæ illius verba: *Inquisitionis officium iterans, ex ejus confessionibus invenisti, quod idem* (Presbyter) *sine igne sacrificabat & aqua. Cum igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur; mandamus, quatenus officio & beneficio perpetuo ipsum prives.* Hoc argumento utitur Sylvius; quod eum ad dicendum impellit, peccatum esse mortale sine lumine celebrare. *(e) Debet in altari esse lumen*, inquit Theologus ille, *ita ut, qui sine lumine sacrificaret, mortaliter peccaret.*

(d) Honor. III. in cap. *Litteras*. 12. de celebrat. Missar. lib. 3. tit. 41.

(e) Fr. Sylvius in 3. part S. Thom. q. 83. art. 6. quæsit. 3.

Hanc re vera cærimoniam Ecclesia semper in praxim revocavit, ut probat 71. Canon eorum, quos Apostolicos vocant, & qui certissime antiquissimi sunt; ubi dicitur excommunicandum esse Clericum vel Laicum, qui Ecclesiæ oleum vel ceram subripuerit. *Si quis Clericus, aut laicus ceram vel oleum ex sancta subripiat Ecclesia, segregetur.* Hæc sunt Canonis illius verba.

S. Athanasius *(f)* conquerens de vi, quam Ariani in Ecclesiam suam intulerunt, ait, quod illuc ingressi, eos comitante magna militum caterva, quorum alii Judæi, alii vero Ethnici erant, illam diripuerunt, vinum ebiberunt, candelabra quæ ibi reperta sunt abstulerunt, & ad tantam impietatem devenerunt, ut Ecclesiæ cereos accenderint coram ipsorum Idolis. *Magnam vini copiam, illic repertam aut ebiberent, aut effunderent, aut asportarent, oleum reconditum auferrent ..... candelabra ad parietem statim reponerent; Ecclesiæ cereos Idolis accenderent.*

(f) S. Athanas. Epist. ad orthod. tom. 1. part.

Concilium quartum Carthaginiense, cui adfuit S. Augustinus anno 398. Pontifice Anastasio I. quodque probavit Leo III. *(g)* nobis etiam antiqui illius moris argumentum suppeditat, dum declarat, Acolyti officium esse Ecclesiæ cereos accendere, vinumque offerre, quo utendum est ad offerendum Sacrificium. *Ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.*

(g) Conc. Carth. 4. n. 6.

Constat igitur, Lentulum absque crimine morem ita laudandum, ita sanctum, ita antiquum violare non potuisse; immo juxta Sylvium, peccatum esset mortale non uti cereis ex cera factis, nisi id fieret ex summa necessitate. *Unde qui citra necessitatem celebraret cum alio lumine, non effugeret peccatum mortale*, inquit Theologus ille *(h)*. *Ubi tamen haberi non posset lumen ex cera, & scandalum abesset, probabile est, quod sufficeret lampas, aut lucerna ex oleo: non similiter candela sebacea; nisi forte magna esset celebrandi necessitas, nec haberi posset lumen ex cera, vel oleo.* Ergo potiori jure Sacerdos mortale peccatum committit, & gravius, qui sine ullo lumine celebrare ausus fuerit *(i)*.

(h) Fr. Sylvius loc. cit.

(i) Colloq. Lucion. tom. 1. colloq. 16. q. 1.

CASUS IX.

Sidonius, sancti Albini presbyter, monitus est a muliere, aliquem ex suis Parochianis ægrotantem mortis periculum adire, eumque ardenter Viaticum petere: Cum autem Sacerdos ille nullam haberet Hostiam consecratam, nemoque ipsi esset qui posset ei adesse & in Missa respondere, eam tamen celebravit absque Ministro, ut Hostiam consecraret, ac eam postea ad ægrotum deportaret. An in eo peccavi?

Respons.

Constat, accurate loquendo, Sacerdotem non posse Missam sacram celebrare, quin unum saltem respondentem habeat. *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia ..... potest sine Ministri suffragio celebrare:* ait Alexander III. scribens ad quemdam Episcopum Anglum *(k)*. Idem mandatum reperitur etiam in Concilio Moguntino habito anno 813. quod ait *(l)*: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet*, Dominus vobiscum; *vel* sursum corda *admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?* Theodulphus Episcopus Aurelianensis idem præcepit anno 797. Capitulari suo septimo *(m)*. *Esse enim debent qui ei* (Celebranti) *circumstent, quos ille salutet, a quibus ei respondeatur.* Hæc sunt prisci illius Episcopi verba. Idem etiam mandatum dedit Herardus in sua Synodo habita anno 858. *(n)*: *Ne Presbyter solus Missam canat: non enim potest dicere: Dominus vobiscum; sursum corda. &c.* Hæc sunt ejus verba.

(k) Alex. III. in cap. *Proposuit*. 6. de filiis Presbyterorum &c. lib. 1. tit. 17.

(l) Conc. Mogunt. can 43. apud Sirmund. in Concil. Galliæ tom. 2. pag. 284.

(m) Theodulph. Aurel. cap. 7. apud Labbe Conc. Gener. tom. 7. col. 1138.

Immo prisci Canones præcipiunt, Celebrantem duos habere Ministros, qui in Missa ipsi ministrent, ut videre est in Canone, quem Gratianus, Burcardus ac Yvo Carnutensis falso Sotero *(o)* Papæ tribuunt; ubi dicitur: *Hoc quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus; ipse tertius habeatur.*

(n) Synodus Herardi cap. 28. apud Sirmund. tom. 3. Conc. Galliæ. pag. 112.

(o) Can. *Hoc quoque*. 61. de Consecrat. d. 8. 1.

Decretorum illorum rationes duæ addi possunt. Prima est; quia Presbyter constituitur Mediator inter Deum & homines: oportet igitur, ut aliquis præsens adsit Sacrificio oblato, & pro populo respondeat. Secunda ratio est: quia fieri potest, Sacerdotem, dum celebrat, in aliquem morbi casum decidere; & ut eo casu sit aliquis qui ipsi opem ferre possit, aliumque Sacerdotem monere, qui ejus

munus

munus expleat; sacrificium perficiendo, in casibus in quibus necessarium est & quos alibi designabimus. Tertia ratio addi potest, quam profert Concilium Moguntinum jamjam a nobis laudatum.

Existimamus tamen, Canones illos intelligi tantum debere *seclusa gravi necessitate*. Ac ideo, cum Sidonius solus celebraverit tantummodo in casu necessitatis justissimæ ac urgentissimæ, peccati damnari non debet, cum ingens sit Theologorum ac Canonistarum numerus, qui affirment, Sacerdotem solum celebrare posse, multis in casibus, qui longe minus momentosæ sunt necessitatis, quam necessitas de qua agitur io specie proposita. Nam exempli gratia, Alexander Halensis, sub quo studiis operam navarunt S. Bonaventura, & S. Thomas, (*a*) ait quod *Reclusus solus sine assistente potest celebrare*. Hoc etiam dicit Glossa in Canonem mox a nobis laudatum (*b*): *Immo*, ait, *& Inclusus Missam solus cantare potest .... ubi Cleri copia non suffragatur*, Dominicus Sotus eruditus Dominicanus (*c*), idem ait de Presbytero, qui Missam audire non posset nec aliter celebrare die Festo, *Quare*, ait, *si urgens esset necessitas, ut in Festo, quando Sacerdos Missam audire nequit, nisi ipse solus celebret, nullatenus licet. At quia hæc sunt de jure positivo; citra dubium posset Ecclesia celebrare solus cum dispensatione*.

(*a*) Alexand. Halensis part. 4. quæst. 36. memb. 7.

(*b*) Glossa in Can. *Hoc quoque*. cit. v. *Ipse tertius*.

(*c*) Dom. Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 5.

Quando igitur Concilium Generale Basileense congregatum die 19. Julii anno 1431. Pontifice Eugenio IV. (*d*), & Concilium Moguntinum habitum anno 1549. (*e*) & alia, vetant Missam celebrari sine Ministro, qui Presbytero respondeat, juxta antiquam traditionem; hoc intelligi debet extra casum summæ necessitatis, ut jam diximus. Ita ut, cum ejusmodi necessitas occurrit, ut in casu de quo agitur, Sacerdos qui solus celebrat, peccati damnari non debeat, neque etiam, quando, si non adest Presbyter nec Clericus, qui eum juvet, dum Extremam Unctionem ægroto administrat, solus Sacramentum illud administrat; ut declarat Alexander III. in quadam ex suis Decretalibus (*f*). *Solus potest infirmum ungere*, hoc est, *si necesse fuerit*, ut explicat Glossa.

(*d*) Conc. Basil. sess. 21. tit. de his quæ in Missam &c.

(*e*) Conc. Mogunt. tit. *Qua ad solemnem Missæ sacrificia*. &c.

(*f*) Alex. III. in cap. *Quasivit*. 14. De verborum significatione. & ibi Glossa lib. 5. tit. 40.

Navarrus, Azorius, multique alii difficultatem illam sic decidunt, & post illos recens quidam Theologus doctissimus ac peritissimus (*g*).

(*g*) De Sainte Beuve tom. 3. cas. 5.

CASUS X.

Hubertus Sacerdos, consecravit Calicem, in quem tertiam vel dimidiam partem aquæ cum vino infuderat. An id potuit facere sine gravi peccato?

Respons.

Sacerdos ille non potuit, quin grave patraret peccatum, dimidiam aquæ partem cum altera dimidia vini parte infundere. Ecclesiæ enim mos universus est immiscere aquam, minori quantitate, cum vino consecrando. Et consuetudini illi auctoritas affertur ex Decretali Honorii III. scribentis ad Archiepiscopum Upsaliensem, in Suecia (*h*); damnat enim abusum qui inter quosdam Sacerdotes irrepserat, scilicet plus aquæ quam vini in Calicem infundebant: aitque. *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quam de vino; cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum. Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus id non facias; nec in tua Provincia fieri patiaris*. Quapropter Hubertus non potuit quin gravis peccati reus evaderet, ita sanctam consuetudinem transgredi, aquam minore quantitate quam vinum in Calicem non infundendo.

(*h*) Honor III. in cap. *Perniciosus*. 13. de Celebrat. Miss. arcum. lib. 3. tit. 41.

Sed si tertiam tantum partem aquæ, cum vini bis tertia parte immiscuerit, non ita grave peccatum commisit. Nam in summo jura & ad consecrationis validitatem sufficit, ut sit io Calice bis terria pars vini cum aquæ tertia parte, juxta determinationem antiqui cujusdam Concilii anno 895. habiti, Pontifice Formoso (*i*), ubi dicitur; *Ne illus fiat commixtione vini & aquæ Mysteria sacra conficias; sed, at duæ partes sint vini: quia major est majestas Sanguinis Christi, quam fragilitas populi; tertia, aquæ per quam intelligatur infirmitas humana naturæ*.

(*i*) Conc. Triburiensean. 19.

Immo usus ille adhuc observatur in Ecclesia Orientali, ut narrat D. De Moleon in opere cui titulus est, *Galliæ itinera Liturgica*, juxta testimonium D. Philippi Gnailan, Presbyteri Syri, Religiosi sancti Basilii, & Archidiaconi Antiocheni (*k*).

(*k*) Pag. 447.

Ratio mystica quam afferunt Patres illius Concilii ducitur ex S. Cypriano (*l*), & ex antiquo quodam Canone (*m*), qui habet: *Videmus in aqua Populum intelligi; in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Ergo cum in Calice vino aqua miscetur, Christo Populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur & jungitur*.

(*l*) S. Cyprianus l. 2. Epist. 3. in can. *Sic in sanctificando*. 2. de consecrat. dist. 3.

(*m*) Can. *Cum omne*. 71. ibid.

Diximus, Sacerdotem illum non ita gravem culpam commisisse, si tertiam tantum aquæ partem immiscuerit; attamen ad denotandum eum adversus Ecclesiæ usum universum peccasse, qui usus vult, exiguam tantum aquæ quantitatem immisceri vino. Ratio quæ reddi potest, ducitur a S. Thoma (*n*), qui dicit, probabile magis esse aquam in vinum mutari ante consecrationem, quando exigua tantum aquæ pars immiscetur; ac ideo longe tutius esse, si parum aquæ tantum immisceatur, præsertim cum debile est vinum: quoniam vini substantia destrui posset nimia aquæ quantitate; sicque desineret esse sacrificii materia sufficiens. *Aliorum opinio probabilior est*, inquit Doctor ille sanctus, *qui dicunt, aquam converti in vinum; & vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua: quod converteretur in vinum: Et ideo semper tutius est, parum de aqua apponere; & præcipue si vinum sit debile: quia si tanta fieret appositio aquæ, ut solveretur species vini; non posset perfici Sacramentum*. Et alibi (*o*): *Aqua apposita vino, in vinum convertitur; & sic totum convertitur in sanguinem. Unde non tantum de aqua debet apponi. quod vinum in aquam convertatur, vel in aliquod medium per miationem: Et ideo semper tutius est, apponere parum; quin quantumcunque apponatur parum, significatio servatur*.

(*n*) S. Thom. 3. part. sum. q. 74. art. 8. in corp.

(*o*) Id. in 4. dist. 11. q. 2. art. 4. quæstiuncula 4. in corp.

Idem docent Theologi omnes, ac inter alios celeberrimus Sylvius (*p*), qui mentem suam his verbis aperit. *Cui (vino) aqua modicissime misceri debet*.

(*p*) Fr. Sylvius in 3. part. summ. S. Thom. loc. cit.

Gamachæus dicit quoque (*q*), se existimare, quod cum Concilium Florentinum vult (*r*), *modicissimam aquam* vino immisceri, id de una vel altera tantum gutta intelligi debere. *Tutius tamen in praxi*, inquit Doctor ille, *ut sit valde exigua aquæ quantitas; & sufficiat una, aut altera gutta, sicut aperte colligitur ex divo Thoma, hoc, articulo 8. tum quia Concilium Florentinum id innuit in Decreto unionis Armenorum, dum ait miscendam aquam modicissimam; & infra subjungit, Armenos quoque debere Latinorum exemplo infundere paullulum aquæ: tam quia quo minor fuerit, eo facilius & citius convertitur in vinum ante consecrationem*. Quod spectat ad Decretum Concilii Triburtini, dici potest, quod cum celebratum fuerit prope Rhenum, ubi vinum est valde generosum, nequaquam pertendit quidquam statuere nisi respectu habito ad regionis illius vini qualitatem, & ad impediendum, ne vino major aquæ quantitas adderetur, prout vidimus id a multis Sacerdotibus in praxim revocari in Upsaliensi Provincia ex magno abusu.

(*q*) Gamachæus in eamd. 3. part q. 74. quæsito 2.

(*r*) Concil. Florent. in Decreto unionis Armenorum.

CASUS XI.

Si Titius Missam celebrans meminerit, se in Calicem aquam non infudisse? quid ipsi faciendum est?

Respons.

Respondendum est distinguendo. Vel enim Titius oblivionem suam percipit ante consecrationem, vel post consecrationem. Si ante Calicis consecratio-

nem

tionem meminerit, licet post Hostiæ consecrationem, illicu debet aquam vino addere, antequam illud consecret; alias graviter peccaret, licet legitima esset vini solius consecratio. Id aperte patet ex hisce S. Cypriani verbis, a Gratiano laudatis (*a*). Si quis de antecessoribus „ nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc „ servavit & tenuit, quod nos Dominus facere „ & exemplo & magisterio suo docuit, potest „ simplicitati ejus de indulgentia Domini venia „ concedi: Nobis vero non poterit ignosci, qui „ nunc a Domino admoniti & instructi sumus, „ ut Calicem Domini cum vino mistum, secun„ dum quod Dominus obtulit, offerumus.

(*a*) S. Cypr. in can. Scriptura 3. de consecr. dist. 2.

Idem docet S. Thomas (*b*), cum dicit: *Vinum sine aqua potest consecrari: sed consecrans peccat graviter, si scienter omittat*. Ratio hæc est, quia negligi non potest, param aquæ cum vino immiscere, quin in re tam momentosa perfringatur præceptum Ecclesiæ, quæ illam mixtionem præcepit, ut patet ex antiqua traditione, cujus specimina innumera afferri possunt, satis nobis erit præcipua in margine indicasse, ut prolixiores non simus (*c*).

(*b*) S. Thom. in 4. ad Hannibald. dist. 11. art. 4. in corp.

Si omissionem illam perceperit Titius solummodo post utriusque speciei consecrationem, Sacrificium pergere est & perficere debet, quin aquam immisceat: quia aquæ immixtio Sacrificio essentialis non est, & quia Ecclesia jussit solummodo aquam vino addere, non vero Sanguini Jesu Gbristi, qui tunc est in Calice.

(*c*) Alex. in can. in Sacramentorum, 2. de consec. dist. 2. Conc. Meratori Brachar. c. 55. in can. Non oportet. Ibid. Concil. Carth. 3. in can. In sacramento. 3. ib. & Iaran. l. 5. adversus hæreses c. 2. S. Cyprian. in can. Sic in sanctificando 2. de consecr. dist. 2. cit. S. Ambr. l. 3. de sacram c. 1. in can. In Calicem 13. ibid. Honor. III. in c. Perniciosus 23. supracit. S. Bernard epist. 69. n 2 Conc. tra. sess. 22. c. 3. & can. 9 &c.

Sic difficultatem illam dirimit S. Thomas: „ Si Sacerdos ante consecrationem sanguinis, *inquit*, & post consecrationem Corporis per„ cipiat aut vinum, aut aquam non esse in Ca„ lice, debet statim apponere & consecrare. Si „ vero post consecrationis verba perceperit, quod „ aqua desit debet, nihilominus procedere; quia impositio aquæ ..... non est de necessitate Sacra„ menti ...... nullo autem modo debet aqua „ vino jam consecrato misceri; quia sequeretur „ corruprio Sacramenti pro aliqua parte (*d*) „. Gum Doctore Angelico consentit S. Antoninus, ut & Missalis Rubricæ (*e*).

(*d*) S. Thom. 3 part. summ. qu 83. art. 6. ad 4.

(*e*) S. Anton. 3. part. summ. Theolog. tit 13. c. 6. §. 1.

CASUS XII.

Delphius Sacerdos, dum tertiam Missam Natali die Domini celebraret, observavit post consecrationem, se vinum non infudisse, sed solummodo aquam in Calicem. Ea occasione quid ipsi faciendum est?

RESPONS.

Distinguendum est, nam vel Delphius omissionem illam animadvertit, antequam corpus Domini acceperit, vel postea. Si antea id animadverterit, debuit, aqua e Calice sblata, vinum & parumper aquæ infundere, verbaque consecrationis Calicis repetere: *Si vera*, inquit S. Thomas, (*f*) *percipiat post verba Consecrationis, quod vinum non fuerit positum in Calicem, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis; debet deposita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & resumere a verbis Consecrationis sanguinis*. Verum si id observaverit solummodo post consomptam Hostiam, denuo panem sumere debuit, & vino aquaque in Calicem depositis, consecrare debuit, & utrumque sumere: *Si vero hoc perceperit post sumptionem Corporis, aliam Hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine*.

(*f*) S. Thom. 3. part. cit. art. 6. ad 4.

Sanctus ille Doctor sententiam suam probat auctoritate septimi Concilii Toletani; additque, qaod licet Sacerdos imprudenter sumpsit aquam, quam in Calicem infuderat, id eum liberare non posset a facieadis illis, quæ mox indicata sunt: quia præceptum quod ad Sacrificii perfectionem spectat, est Juris divini, ac ideo magis momentosum quam præceptum quo tenetur Sacerdos esse jejunus: *Et debet in fine iterum sumere Hostiam consecratam & sanguinem, non obstante etiam prius quam sumpserit aquam, quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis; quam præceptum quod hoc Sacramentum a jejunis sumatur*. Sic loquitur D. Angelicus, cum quo plane consentit S. Antoninus (*g*).

(*g*) S. Anton. 3. part. summ. Theolog. tit. 13. c. 6. §. 1.

Missalis Romani Rubricæ, quas in Decisione præcedente laudavimus, idem etiam distincte affirmant. En illarum verba: (*h*) *Si hoc* (scilicet vinum non fuisse positum, sed aquam) *advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua ponat in Calice, offerat utrumque & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus*. Missalis Parisiensis Rubricæ (*i*) idem affirmant, & fere iisdem verbis, his nempe: *Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in Calice: offerat utrumque & consecret & sumat, quamvis non sit jejunus*.

(*h*) Rubric. missalis Roman. part. 4. c. 4. n. 5.

(*i*) Rubr. missalis Paris. art. 4. de defectibus in celebr. missarum occurrentib. 9. n. 5.

Attamen operæ pretium est observare, utramque illam Rubricam scandali casum excipere, quod evenisset, si Sacerdos palam & coram ingenti hominum numero celebrans, necessario cogeretur jubere sibi afferri novum panem, ut eum consecraret: quo casu Rubricæ illæ permittunt consecrari solummodo vinum aqua mistum, & novæ Hostiæ consecrationem omitti: *Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint*, inquit Missalis Romani Rubrica, *ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere*.

CASUS XIII.

Gaspardus Missam celebrans animadvertit, araneam vel muscam esse in Calice, quid eo casu facere debet?

RESPONS.

Si Sacerdos ille ante consecrationem animadvertat in Calice esse araneam vel mascam, aliud vinum sumere debet, ut illud consecret, eo sublato in quo est aranea, & absterso Calice: *Si musca, vel aranea*, inquit S Thomas, (k) *in Calicem ante consecrationem eeciderit: aut etiam venenum deprehenderit esse immissum, debet effundi, & abluto Calice, denuo aliud vinum poni consecrandum*. Si Gaspardus id animadvertat tantum post consecrationem, animal e Calice, in quo est, extrahere debet, illud lavare, ac cremare & *in sacrario* reponere ablutionem & cineres. Id etiam ait Doctor Angelicus: *Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi & diligenter lavari & comburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti*: si vero aranea mortua in Calice, in speciem consecratam venenum suum immiserit, vel aliunde constaret aliquod aliud venenum esse in Calice, sanguinem consecratum sumere non teneretur Gaspardus, sed eo casu oporteret, ut illum in vas nitidum infunderet, illumque in loco sancto asservaret, donec vini specica immutata plane fuerit, & ut Sacrificium imperfectum non remaneret, necessariam foret, at aliud vinum assumeret, illudque consecraret, formulam Consecrationis Calicis repetens. *Si vero venenum ibi esse deprehenderit immissum, nullo modo debet sumere, nec alii dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem*; hæc sunt S. Thomæ verba, *sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto, cum reliquis conservari. Et ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in Calicem, & denuo resumere a Consecratione sanguinis & Sacrificium perficere*. Si tamen sub panis specie jam sanctissimo Domini Gorpore pastus fuerit, idem sanctus Doctor existimat, tunc necessarium fore, eum Hostiam novam denuo consecrare, quod tamen intelligi debet, si id possit facere, quin inde scandalum eveniat, ut in præcedente Decisione diximus. In omnibus illis circumstantiis S. Antoninus in Doctoris Angelici sententiam descendit (*l*).

(k) S. Thom. 3. part. summ. qu. 83. art. 6. ad 5.

(*l*) S. Anton. 3. part. tit. 13. c. 6. §. 3. in med.

CASUS XIV.

5 Carolus, quoniam diu detinetur in Confiteatibus audiendis, ægrotis visitandis, & alibi, assuevit Missam sacram ante diluculum celebrare, quod nisi faceret, hora tantum meridiana cum quadrante celebrare posset. An culpandus est, & an peccat alterutra hora celebrans?

R E S P O N S.

Accurate loquando, ante dilucolum nec post meridiem celebrari non debet, nisi in ca.u a Canonibus permisso: *Missæ nec ante auroram nec post meridiem, nisi ex causa jure permissa celebrentur*, inquit S. Carolus Borromæus, in suo primo Concilio Mediolanensi, habito an. 1565. (*a*) Canones autem id tantum permittunt in solemnibus Natalis diei Domini nostri. (*b*)

(*a*) Conc. Mediolan. 3. tit. Quæ pertinent ad celeb. Missar.

(*b*) Can. Nocte 41. de Consecrat. dist. 3.

Missalis Romani Rubrica habet, celebrari posse ab aurora usque ad meridiem (*c*) S. Thomas ait quoque (*d*): *Quando incipit apparere aurora*, tempore scilicet quo Sol lucem afferre incipit; *dies autem judicatur non solum ab ortu solis, sed ex quo incipiunt orituri solis signa manifestari, per aliquam aeris illustrationem*, inquit idem Sanctus (*e*)

(*c*) Rub. tit de Hora celebrandæ Missæ.

(*d*) S. Thom. tit. 3. p. q. 83. art. 2. ad 4

(*e*) Ibid. in 4. dist. 13 q. 1. ar. 2. quæstione. 4 in corp.

Hujus rationem hanc afferunt Doctores post S. Thomam, quia scilicet Jesus Christus, qui in Missa in Sacrificium offertur, in Scriptura vocatur: *Candor lucis æternæ: lumen de Lumine: lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & quoniam Sacrificium illud Legis gratiæ est Sacrificium, in qua fides aliaque dona, quæ sunt supra naturam, elucent longe majori splendore, quam sub Lege Mosis. Hujus rationem eamdem reddit S. Antoninus his verbis: *Quia hoc sacramentum ad tempus Gratiæ pertinet, quod per diem designatur*. (*f*) Quibus addi potest, tanquam ratio moralis, noctem nec ita aptam esse, nec ita opportunam ac diem, cum Sacerdotibus celebrantibus, tam Populo, qui Sacrificio sancto adest.

(*f*) S. Anton. 3. part tit. 13. c. 5. §. 4.

Navarrus (*g*) tamen existimat merito, non culpandam esse consuetudinem, quæ in quibusdam urbibus irrepsit Galliæ, Belgii & Germaniæ superioris, ubi celebrant tribus vel quatuor horis ante solis ortum, hoc est una vel altera hora ante auroram; quoniam id fit in gratiam pietatis multorum varii generis, veluti famulorum, opificum & operariorum, qui alio tempore Missæ adesse non possent. „ Quæ tamen, ut audio, usu recepta est (*consuetudo*) defendi posse videtur ob Episcopi prærogativas, *inquit Canonista ille*: . . . Et quia etiam, ut „ nos videmus Tholosæ abhinc 60. circiter annos, „ in Gallia Aquitanica, ubi omnes fere quotidie „ audiebant Missam, quo operarii & filii & famuli „ eam audirent, longe ante lucem incipiebant fieri „ Missæ: quod ipsum & in Gallia Belgica etiam „ nunc fieri audio. Quem usum difficile puto relictum iri etiam post receptum Concilium Tridentinum, jubens horis tantum debitis celebrari „. Reipsa ob hanc rationem consuetudo illa in usu est Parisiis, & in multis aliis urbibus, ubi Missa celebratur a quarta hora matutina, hieme ut & æstate, ac ideo a duabus horis & semi, & supra ante auroram hiemalem, quod omnibus locorum illorum Ordinariis notum est, quin ullus id reprehendat; ideoque satis legitime invaluit consuetudo illa, ut illam sine peccato quilibet observare possit. Idem dicimus de casibus extraordinariis in quibus Episcopo videretur aliquem a regula generali hanc in rem immunem facere.

(*g*) Navarr. Man. c. 25. nu. 85.

Fatendum est quoque, quod quamvis Missam celebrare usque post meridiem differri non possit, pari tempore ac matutinis horis anticipari potest, licet tamen Missam inchoare postquam audita est hora meridiana, cum aliqua est causa legitima, veluti 1. Quando necesse est Hostias consecrare, ut ægrotis Sanctissima Eucharistiæ Misteria administrentur, illi autem in periculo versarentur obeundi, quin sacrum Viaticum ipsis administraretur. 2. in cœremonia exequiarum, quæ citius celebrari non potuerunt. 3. Quando die quodam solemni sermo habetur, qui meridie tantum, vel post meridiem finem habuit. 4. Quando notum est quosdam Missam audire non potuisse; huicque congruens est S. Leonis consilium (*h*) 5. Quando Presbyter, qui die festo iter habet, citius celebrare non potuit, sicuti Navarrus ait, id ab ipso frequenter factitatum (*i*). „ Frequenter id feci, præsertim diebus festis, ut ego „ & mei, iter facientes & post meridiem pervenientes ad locum intentum satisfaceremus præcepto. Existimamus in casibus illis aliisque similibus, Missam sine peccato celebrari posse, non solum horæ quadrante, sed etiam paulo serius post meridiem: quia Canones & Missalis Rubricæ mathematice & stricte intelligi non debent, sed sensu morali. Eo potiori jure in eam sententiam descendimus quod olim, imo tempore S. Thomæ, ut testatur Sylvius ejus Interpres (*k*), licuerit differre Missæ celebrationem usque ad horam tertiam pomeridianam: Etiam temporibus S. „ Thomæ solemniter celebrabatur ab hora tertia „ usque ad nonam; sive ab ea, quæ nobis est „ nona ante meridiem usque ad tertiam pomeridianam „, qua hora Christus sacrificium suum cruentum Patri Æterno obtulit; hanc rationem protulit Concilium Cabilonense, in Gratiani Decreto laudatam (*l*).

(*h*) S. Leo ep. 79. Alias 81 in Can. Necesse 51 de consecr. dist. 2.

(*i*) Navarr. loco cit.

(*k*) Fr. Sylv. in 3. part. q. 83. artic. 2. quæstio 4.

(*l*) Conc. Cabillon. in can. Solent. 50 de consec. dist. 1.

Ex iis quæ huc usque diximus, patet, Carolum, de quo agitur in specie proposita, peccati damnari non posse, quod hisce horis celebraverit, præsertim cum id tantum fecerit ob rationes legitimas.

Cæterum, mens nobis non est hic complecti casus quosdam extraordinarios, in quibus Missa celebrari non potest, nisi diu post meridiem, propter longam cœremoniam præcedentem, & quæ tardissime tantum ad finem perducatur: tunc enim sine ullo peccato celebrari potest. Duos istos casus exempli causa afferimus. Primus hic est. Quando in calamitate publica corpus S. Genovefæ ab Ecclesia Abbatiali illius nominis longo agmine & ordine deportatur in Ecclesiam Nostræ Dominæ Parisiensis. Quandoquidem enim agmen longo ordine procedens hora tantum tertia pomeridiana vel circiter finem habebit, Missa solemnis ante tempus illud inchoari non potest. Secundus casus est Agminis supplicantium longo ordine procedentis Rhotomagi, in quo S. Romani Archiepiscopi urbis illius corpus deportatur, cui agmini adest homicida, cui gratia concessa est, postquam ter Reliquiarum illarum sacrarum capsam extulerit, qui supplicantium instructus ordo tantummodo finem habet ut plurimum post sextam horam pomeridianam, ac ante illud tempus Missa celebrari non potest.

C A S U S XV.

Gervasius, S. Hilarii Presbyter Missam celebrans, immediate post sacram Eucharistiam monitus est, & antequam ablationem sumpserit, aliquem ex suis Parochianis animam agere, & ardenter sanctum Viaticum petere. An sine peccato secundam Missam celebrare; ut Hostiam consecrare possit, qua illi ægroto sacram Eucharistiam administrare possit, quando nullam habet Hostiam consecratam? An id posset facere, si ejus Episcopus aut aliquis Princeps vel Magnus ab ipso peteret Missam audire die Festo, postquam jam celebrasset, ut existimat Panormitanus (*m*) vel si cogeretur eadem die celebrare in requiem animæ alicujus defuncti, ut id permittit Canon, qui est Alexandri II (*n*) vel denique si aliter Missis fundationis, quæ ipsi impositæ sunt, satisfacere non possit?

(*m*) Panorm. in c. Consuluisti, de celebr. Missar.

(*n*) Alex. II. in can. Sufficit. 3. de consecrat. dist. 1.

R E S P O N S.

Antequam hisce difficultatibus respondeamus, operæ pretium est hanc in rem quædam observare.

Primo, nullum præceptum divinum prohibet Sacerdoti multas Missas eadem die celebrare: ideo Ecclesia permisit, imo quibusdam casibus jussit, Sacerdotem multas celebrare. Hac de re Prisci istud nos docuerunt, ut doctus quidam Theologus observavit. (*o*)

S. Leo (*p*) ad Dioscorum Patriarcham Alexandrinum scribens jubet, Sacerdotem duas Missas celebrare diebus festis solemnibus, cum Ecclesia continere non potest omnes Fideles, qui veniunt ut Sacrificio sancto adsint. „ Ut autem „ in omnibus observantia nostra concordet, *inquit Papa ille*, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta „ fidelium multitudo convenerit, quam recipere „ Basilica simul non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur.

(*o*) A S. Beuve tom 2. cas. 83.

(*p*) S. Leo ep. 79. alias 81.

S. Au-

S. Augustinus (a) observat, in Africa Sacerdotem die Jovis sancto celebrasse mane Missam, in gratiam eorum qui jejunare non poterant, propter necessitatem in qua versabantur balneo uti, alteram Missam ad vesperam ejusdem diei, in gratiam eorum qui jejunabant. *Quia nonnulli etiam jejunium non custodiunt, mane offertur propter prandentes; quia jejunia simul & lavacra tolerare non possunt: ad vesperam vero propter jejunantes.* Hæc sunt Patris illius verba: utique quidem tunc necessarium erat Sacerdotem semper jejunum celebrare Missam illam secundam; ut patet ex tertio Concilio Carthaginiensi habito anno 397. (b) in quo dicitur: *Ut Sacramenta Altaris nonnisi a jejunis hominibus celebreatur: excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.* Illud ipsum Concilium satis aperte prætcrea innuit, Sacerdotem posse ad vesperam secundam Missam celebrare, defuncti alicujus exsequias peragendo (c) quam id prohibet Sacerdotibus non jejunis. Unde concludi potest, consuetudinem igitur tunc viguisse id facere; modo Sacerdos jejunus esset. *Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum sive Episcoporum sive Clericorum sive ceterorum commendatio facienda est; solis orationibus fiat, si illi qui faciunt, jam pransi inveniantur.*

(a) S. Aug. Epist. 54. alias 118. ad Januarium c. 9.

(b) Concil. Carthag. 3. Can. 29.

(c) Id. Ibid.

S. Prosper (d) testatur Sacerdotem Missas duas celebrasse eadem die, ut Deo gratias ageret, quod mulier quædam ab 82. diebus energumena, a dæmone liberata fuisset sacra Eucharistia, quam in prima Missa sumserat.

(d) S. Prosper de prædict. dimidii temporis. v. 6.

S. Gregorius Magnus (e) testis est antiquæ consuetudinis, quæ tunc in usu erat, & quæ hodie etiam observatur, Missas tres celebrare die Natali Domini nostri. *Largiente Domino, Missarum solemnia*, inquit, *ter hodie celebraturi sumus*: quam consuetudinem Walafridus Strabo (f) Papæ Telesphoro tribuit. *Si quidem Telesphorus, nonus in ordine Romanæ sedis Episcopus, in Natali Domini noctu tres Missas celebrare instituit.*

(e) S. Greg. Hom. 8. in Ev.

(f) Walafridus Strabo, l. de rebus Ecclesiast. c. 21.

Leo III. Papa electus die 26 Decembris an. 795. immo septies & novies sæpe celebrabat eodem die, ut idem Walafridus testatur (g) *Fidelium relatione virorum*, inquit Auctor ille, *in nostrum usque pervenit notitiam, Leonem* (tertium) *Papam, sicut ipse fatebatur, una die septem vel novem Missarum solemnia sæpius celebrasse.* Et ut ostenderet, id tunc liberum fuisse, addit S. Bonifacium martyrem Archiepiscopum Moguntinum semel tantum in die celebrare voluisse. *Bonifacium vero, Archiepiscopum & Martyrem, semel tantum per diem Missas fecisse.*

(g) Idem ib.

Varia illa consuetudo variis opinionibus ortum dedit; aliis multas Missas una die celebrandas esse affirmantibus; aliis vero opinionem contrariam amplectentibus, ut observat idem Auctor, qui in priorum sententiam descendit.

Amalarius Fortunatus, qui anno 820. florebat: & qui erat Diaconus Ecclesiæ Metensis (h), dicit morem fuisse, Missam celebrare nocte quæ præcedebat Festum S. Joannis Baptistæ, duasque alias ipso die festo. *Quapropter in exordio lucis diei, quasi in exordio nativitatis sacrificium Deo offertur in honore ejus, ad laudem creatoris qui illum dignatus est honorare ex utero matris. Ideo autem tres Missæ celebrantur in festivitate beati Joannis: quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit.*

(h) Amalarius l. 3. de Ecclesiast. officiis c. 18.

Udalricus Episcopus Augustanus decimo sæculo, tres etiam Missas pari die celebrabat, ut ejus vitæ Auctor observat. (i)

(i) Surius tom. 4. ad 4. Julii.

Consuetudo illa quæ originem ducebat a vera Ecclesiasticorum & Fidelium pietate, cœpit tandem in abusum degenerare Sacerdotum cupiditate; quod impulit Alexandrum II. Papam undecimo sæculo, huic malo medelam afferre; prohibitione generali, quam his verbis enuntiavit (k): *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die uno celebrare*; hancque rationem reddit: *quia Christus semel passus est & totum mundum redemit.* Postea addit: *Non modica res est unam Missam facere; & valde felix est, qui unum digne celebrare potest.* Summus ille Pontifex excepit tamen defuncti exsequiarum casum, cum secunda vice celebrare necesse erat. *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt; & alteram de die.* Sed declarat id sine crimine fieri non posse, si præ cupiditate id fiat, aut ad blandiendum vanitati laicorum. *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem.*

(k) Alex. II. in Can. Sufficit. 53. de consecrat. dist. 1.

Innocentius III. in decretali quam inscripsit ad Episcopum Worcestriensem, simile decretum dedit, quo solum diem Natalem Christi excepit & aliquem casum urgentis necessitatis, quæ occurrere posset (l). *Respondemus*, inquit, *quod excepto die nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti, semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Odo Episcopus Parisiensis casum quoque momentosæ necessitatis excipit, in prohibitione quam pronuntiavit in Synodo sua anni 1175. (m) *Nullus bis in die Missam audeat celebrare .... nisi in magna necessitate.*

(l) Innoc. III. in cap. Consuluisti. 3. de celebrat. Missarum.

(m) Statuta Synodal. Odonis Episc. Paris. c. 5. de sacram. Altaria art. 9.

Tunc celeberrimus Petrus, Ecclesiæ Parisiensis chori præfectus (n) incepit declamitare verbis asperioribus adversus multitudinem Missarum a Sacerdote eadem die celebratarum, & sic loquitur: *Si Christus semel oblatus, sufficiens fuit Hostia & redemptio generis humani: sufficit unico sacerdoti semel passum semel in die repræsentare immolatum. Quod amplius est, a malo est (o). Item bis in die conficientes rursus sunt crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei, & ostentui habentes (p).*

(n) Petrus Cantor. in verbo abbreviato. c. 28.

(o) Ex Mat. 5.

(p) Ex Epist. ad Hebr. 6.

Honorius III. scribens ad Archiepiscopum Sipontinum, hodie Manfredoniæ, in regno Neapolitanu circa annum 1220. prohibitionem ab ipsius antecessoribus promulgatam confirmavit (q): *Cum cuilibet Sacerdoti*, inquit, *quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat. Nam & valde est felix, qui celebrat digne unam.*

(q) Honor. III. in Cap. Te referente 12. de celebrat. Miss.

Consuetudo tamen illa nondum omnino obsolevit; tuncque adhuc bis in die celebrari poterat, quando requirebat necessitas, sicut permiserat Innocentius III. Id discimus a Concilio Londini habito anno 1200. (r) dicente: *Non liceat Presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate urgente.* Idem nos docet Guillelmus Parisiensis (s), qui ait in sua Synodo: *Presbyteri una die Missas duas non celebrent, nisi in necessitate.* Idem docet Alexander Halensis (t), qui pariter necessitatis casum excipit. *Si tamen imminet necessitas, & deest pluralitas Sacerdotum*, inquit Auctor ille, *potest unam facere de die, & alteram pro defunctis, si necesse sit.* Durandus (u) Auctor sæculi decimi quinti, eumdem quoque necessitatis casum excipit. *Concessum fuit tantum semel in die Missam celebrare, nisi casus necessitatis aliud suadeat.* Ea sunt ejus verba.

(r) Conc. Londin. Can. 2.

(s) Guillel. Paris. in Synod.

(t) Alex. Halensis part. 4. qu. 387. Memb. 4. art 2.

(u) Durand. In 4. dist. 13. q. 12. n. 13.

Dominicus Sotus, qui inchoato Concilio Tridentino adfuit, qua Theologus Hispanæ Ecclesiæ, necessitatis caussas ad unicam redigit, scilicet cum Sacerdos duas habet Parœcias, quarum sit Pastor (x). *Attamen*, inquit, *ex his omnibus antiquis casibus, qui, dum Ecclesia sacerdotum raritate laborabat, frequentes erant, quibus unus posset plures celebrare Missas, non est jam in usu, præter diem Nativitatis, nisi ille, dum quis propter Parœciarum paupertatem, duarum curam habet.*

(x) Dom. Sotus in 4. dist. 13. q. 2 art. 2.

Azorius qui post concilium Tridentinum habitum scripsit, Soti sententiam amplectitur. (y). *Sed ut Sotus annotavit*, inquit, postquam exceptiones a Paludano admissas attulisset, *hæc olim in usu erant recepta, & cum pauci aut rari essent Sacerdotes: modo vero in desuetudinem abiere, ob multitudinem & copiam Sacerdotum. Primum tamen & ultimum* id est natali Domini & ubi quis duas habeat regendas Ecclesias, *adhuc usu retinentur.*

(y) Joan. Azor. Instit. Moral. l. 10. c. 24.

Ceterum momentosum est observare, in omnibus casibus de quibus locuti sumus, celebrantem semper obligatum fuisse jejunum esse in omnibus Missis quas celebrabat; ac ideo ipsi licitum non fuisse ablutionem sumere, nisi in ultima Missa, sicuti distincte habet concilium Londinense a nobis laudatum (z), quod dicit: *Idem* (Presbyter) *cum bis in die celebrat, post primam celebrationem & sanguinis sumtionem, nihil infundatur Calici: sane post primam primam celebrationem diligentissime absorbeantur stillulæ de Calice:*

(z) Concil. Londin. cit. can. 8.

& digiti sugantur, vel linguæ lambantur & laventur; reservata lotura in vase mundo, & ad id specialiter destinato; quæ lotura sumatur post secundam celebrationem.

His omnibus suppositis, ad difficultatem de qua agitur, nunc deveniamus, & dicamus cum Theologo illo a quo auctoritates plerasque a nobis prolatas deduximus. 1. Rarissime necessitatem viaticum ægrotanti administrandi evenire, modo expresso in specie proposita. 2. Supposito tamen id evenire, verosimiliter affirmari posse videtur, Sacerdotem qui secundam Missam celebraret, peccati saltem mortalis reum non evasurum; quod tamen intelligi debet, supponendo id ab eo fieri posse, quin scandalum eveniat, si quoque ab Episcopo suo permissionem impetraverit. Synodi enim Lingonenses annorum 1404. 1452. & 1455. exceptionem illam admittunt. *Item potest bis in die Missam celebrare propter necessitatem infirmorum ...., ut si non habeatur* (Hostia) *consecrata pro communicando infirmo.*

Eamdem quoque exceptionem jam fecerat Paludanus (*a*), eumque sequuntur alii quidam Theologi, Silvesterque Mozolinus, Summistarum omnium doctissimus (*b*), qui eo sensu Innocentii III. verba hæc interpretantur; *nisi caussa necessitatis suadeat.*

(*a*) Petrus Palud in 4. dist. 12. q. 1. art. 4.

(*b*) Sylvest. de Prierio. v. *Missa* 1. §. 7.

Existimamus tamen, longe probabiliorem esse sententiam contrariam, & in praxi omnino sequendam esse. 1. Quia Ecclesiæ consuetudo quæ universo usu valuit, hæc est hodie, scilicet unicam Missam una die celebrare, excepta die natali Domini nostri, exceptoque casu, quo Presbyter unus duas habeat Parœcias curandas, quarum reditus sufficiunt tantum ejus victui. Id præterea ipsi tantum licet diebus Dominicis & Festis, & impetrata ab Episcopo permissione, ut mandatur a Concilio provinciali Burdigalensi, habito anno 1583. cujus hoc est decretum: *Quia vero Sacerdotum in quibusdam hujus Provinciæ locis tanta paucitas & penuria est, ut quibusdam bis uno die Sacrum faciendi facultatem Episcopi dare cogantur: ne quod necessitate cogente ad populi Christiani solatium salutemque permittitur, immoderata licentia errori locum det, atque in abusum convertatur; decernimus, ne hujusmodi facultatem Episcopi largiantur, nisi Sacerdoti spectatæ probabilitatis, idque gravissimis de caussis. Quæ facilitas ...... nec ad plures dies, quam Dominicos & Festos diversis tantum Ecclesiis, protrahatur.* 2. Synodi Lingonenses magni ponderis hodie esse non debent, ut opinioni priori auctoritas tribuatur, tum quia is non amplius est Ecclesiæ usus secundam Missam celebrare eo obtentu, quod Viaticum ægrotanti sit administrandum; tum quia creditu difficillimum est, Sacerdotem id etiam facere posse, quin scandali occasionem præberet. Præterea Synodi illæ duas alias exceptiones, in specie proposita memoratas, admittunt quoque; hoc est, cum mortuus humandus est: ac quando Episcopus vel quidam alius Magnas Missas audire vult; quibus casibus certissimum est hodie secundam Missam celebrare non licere. Quamvis enim hoc in usu fuerit secundam Missam celebrare, cum mortui sepeliendi necessitas id requirebat; usus ille universe abrogatus est consuetudine contraria. Procul dubio igitur longe verius est & tutius dicere, Gervasium sancti Hilarii Sacerdotem non posse salva conscientia Missam secundam celebrare in illis casibus, quorum mentio fit in specie proposita.

CASUS XVI.

Patricius, Sancti Edmi Presbyter, Missam Parochialem celebrans Festo Corporis Christi, ante Communionem sacram meminit, Hostiam sanctam quam in solemni Processione portare debebat post Missam, ante duos menses & supra consecratam fuisse; ac ideo necessarium esse illam renovare, quod eum impulit ad illam sacra Communione consumendam, & in ejus locum sufficiendam illam, quam modo consecraverat. An in hoc peccavit?

Respons.

Quandoquidem celebrans communicare debet sub speciebus ipsis panis & vini quas consecravit, non dubium est, quin Patricius grave commiserit peccatum, Hostiam aliam consumens, ac Hostiam quam mox consecraverat. Sententiæ illius Auctorem habemus doctum Theologum, Sylvium nempe (*c*) dicentem: *Peccaret autem graviter Sacerdos, qui hostiam seu formulam unicam in sua Missa consecratam servaret pro Processione; & ejus loco sumeret veterem: quia sic agens non participaret de utraque specie tunc consecrata, ac per consequens non integre compleret hoc sacrificium.* Et alibi, ubi eadem repetit, celebrantem docet, quid ipsi faciendum sit ea occasione: (*d*) *Observandum, quod dum Sacerdos celebrando renovat sacram Hostiam, non possit reservare eam quam tum consecrat, & illam solam sumere quæ prius consecrata fuerat ac reservata: sed debet consecrare duas, quarum unam reservet, aliam sumat: quia celebrans semper tenetur sumere utramque speciem tunc consecratam, eo quod sumtio maxime ad integritatem sacrificii pertineat.*

(*c*) Fr. Sylvius in 3. part. Summæ sancti Thom. 83. art. 4.

(*d*) Idem ib. q. 76. art. 2. quæsito 2.

CASUS XVII.

Florius, Sancti Beati Presbyter, monitus est ægrotum aliquem sacrum Viaticum ardenter petere; cum vero unicam exiguam Hostiam consecrandam haberet, Missam celebravit, & sacram Eucharistiam accepit sub specie vini solummodo, sacramque Hostiam reservavit, ut eam ægroto portaret. An id sine peccato mortali facere potuit?

Respons.

Nequaquam dubitandum est, quin Sacerdos ille mortale peccatum commiserit, quod Eucharistiam sacram non acceperit sub duabus speciebus quas consecraverat. Illud probari potest ex hisce Concilii duodecimi Toletani, anno 671. habiti, verbis (*e*) *Apostolus dicit*, (*f*) Nonne qui edunt Hostias, participes sunt Altaris? *Certum est quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino Altari Sacrificium oblaturus accesserit; & se a Communione suspenderit: ab ipsa qua se indecenter privavit, gratia Communionis anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi in Altari immolat, toties perceptione Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi participem se præbeat.* Ex Concilii illius verbis evidenter patet, Patres quibus constabat, intellexisse Communionem sub specie panis, ut & Communionem quæ sub specie vini recipitur.

(*e*) Conc. Tolet. XII. c. 5. in can. Relatum. 11. de Consecrat. dist. 2.

(*f*) 1. Cor. 10. 18.

Responsum illud confirmari potest ratione, de qua inter omnes Theologos convenit, scilicet Communionem celebrantis Sacrificii partem esse saltem integrantem. *Sumtio quæ fit a celebrante*, inquit Sylvius, (*g*) *est Sacrificii pars integralis principalis*. Quapropter semper statuit Ecclesia, juxta hæc Domini nostri verba: *Manducate ex hoc omnes; Bibite ex eo omnes*, ut Sacerdos communicet in Sacrificio quod offert: si autem casu quodam improviso, id facere ipsi impossibile foret, alius Presbyter ejus munus adimpleat, quamvis jejunus non esset. *Ideo enim Ecclesia curavit*, addit Auctor idem, *ut utraque species sumatur a celebrante; vel quo casu id fieri non possit, ab alio Sacerdote, etiam non jejuno; ne Sacrificium maneat imperfectum*. Quod probat Canone a nobis laudato, ac alio septimi Concilii Toletani habiti anno 646. (*h*).

(*g*) Fr. Sylvius in 3. part. S. Thom. q. 83. art. 1. quæsito 2.

Denique S. Thomas (*i*) idem docet, idque multis auctoritatibus probat, præsertimque hisce Apostoli verbis, quæ laudat duodecimum concilium Toletanum: *Neque qui edunt Hostias &c.* Unde conclusionem hanc educit: *Ideo necesse est, quod Sacerdos quotiescumque consecrat, sumat integre hoc Sacramentum.*

(*h*) Conc. Tolet. 7. in Can. *Nihil.* 16. 7. q. 1.

(*i*) S. Thom. 3. part q. 82. art. 4. in corp.

CA-

CASUS XVIII.

Auxilius Missam sæpe celebrat, ut habeat unde vivat, ope honorarii; quod ipsi debetur, An in hoc peccat.

R e s p o n s.

Constat, quod si Sacerdos ille Missam celebret ea mente ut pecuniam Inde percipiat, in hoc peccati mortalis reus evadit, ut docet S. Thomas (a) dicens: *Non potest Sacerdos illa intentione celebrare, vel officiare, at ex hoc pecuniam consequatur: quia peccaret mortaliter*. Hæc sunt Sancti Doctoris illius verba, vel saltem Auctoris operis cujusdam quod S. Thomæ tribuitur, & addit, pecuniam quam Sacerdos accipit in Missæ ab ipso celebratæ honorarium, non Igitur esse debere finem præcipuum, propter quem Sacrificium offert, quamvis possit esse finis minus præcipuus, & occasio quæ ad id eum impellit. *Pecunia ergo non debet esse causa celebrandi: sed occasio excitans & inducens: Causa enim debet esse id ad quod talia fiunt inducta*. Quapropter Sacerdos absque peccaro accipere potest honorarium ipsi datum, imo consilium habere illud accipiendi, non tanquam Missæ pretium, sed tanquam honorarium sicut dicit S. Thomas in Commentario suo in sententiarum Magistrum (b): *Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper*, hæc sunt ejus verba; *si tamen non habet alios sumptus, & non teneatur ex officio Missam cantare: potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt: non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ*. Et alibi (c) .... *Non tanquam pretium mercedis: sed tanquam stipendium necessitatis*. Doctrina illa plane congruit cum Conciliis; unde concludimus, Auxilium, de quo mentio fit in exemplo proposito, non peccare, honorarium Missarum quas celebrat accipiendo; modo, sicuti diximus, non habeat finem præcipuum pecuniam quam accipit ad victum, & imprimis mens ipsi sit Deum colere Sacrificio sancto quod ei offert, licet ejus consilium minus præcipuum sit habere unde vivat, hac via.

(a) Apud S. Tho. opusc. 6. de officio Sacerdotis ar. un.

(b) S. Thom. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 2. ad 4. 1.

(c) Idem 22. q. 100. art. 12. in corp.

CASUS XIX.

Vincentius Missam celebrans, Apoplexia perculsus est, ac illico mortuus est, vel ipsi non fuit integrum Missam perficere. Sed alius Sacerdos in ejus locum suffectus est, & Missam perfecit; licet jejunus non esset. An iste hoc facere potuit, vel debuit?

R e s p o n s.

Si casus ille mortis vel morbi ante consecrationem evenit, Sacerdos secundus nec debuit nec potuit Missam perficere, quam Vincentius inchoaverat. At si post consecrationem corporis Domini nostri, & ante consecrationem sanguinis vel post utramque evenit casus ille, Sacrificium perficere potuit, inchoando ab his quibus Vincentius desiit. Eo enim casu necessarium est alium Sacerdotem, sive sit jejunus, vel non, suffici in locum illius, cui hic casus evenit, ne imperfectum remaneat Sacrificium. Hæc est S. Thomæ decisio (d), cum dicit: *Si Sacerdos morte, aut infirmitate gravi occupetur ante consecrationem corporis & sanguinis Domini; non oportet ut per alium suppleatur. Si vero incœpta consecratione hoc acciderit, puta, consecrato corpore, ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecrato utroque, debet Missæ celebritas per alium expleri*. Quod Sanctus ille Doctor probat Concilio septimo Toletano, a Gratiano laudato (e) cujus hoc est Decretum: *Censuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Missarum tempore sancta Mysteria consecrantur, si ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri Mysterium; sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri, consecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis Mysteriis competit, quam aut incipientis, aut subsequentis benedictio Sacerdotis quia nec perfecta videri possunt; nisi perfectionis ordine compleantur*. Hæc decisio congruens est quoque Doctrinæ Sancti Antonini (f) & omnium Theologorum, ut congruens est Missalis Romani & aliorum Rubricæ.

(d) S. Thom. 3. part. summ. qu. 83. art. 6. ad 2.

(e) Conc. Tolet. 7. in can. Nihil. 16. 6. q. 1.

(f) S Anton. 3 part. somm. Theol. tit. 13. c. 6. §. 3. Rubric. Missal. Rom. tit. de defect. Missæ §. 5.

Ratio quæ afferri potest necessitatis, alium Sacerdotem munus explere Sacerdotis mortui post consecrationem, hæc est scilicet, quia juxta sententiam quamplurium Doctorum Theologorum est de essentia Sacrificii, Hostiam consecratam Communionem Sacerdoti consumi, cui opinioni auctoritatem afferunt ista duodecimi Concilii Toletani verba, (g) in decisione decima sexta laudata. *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse dignoscitur*.

(g) Conc. Tolet. 12. in can. Regolarum, 11. de consecr. dist. 2.

CASUS XX.

Lucianus, qui solus respondebat in Missa, quam Vincentius celebrabat, ita avocato erat animo, ut affirmare non potuerit an mortis casus evenerit Celebranti ante vel post consecrationem. An eo casu oportet alium Sacerdotem in mortui locum suffici, & quomodo suffici debet?

R e s p o n s.

S. Thomas difficultatem illam sibi effingit, (h) & ad eam respondet dicens, in tali dubio alium Sacerdotem defuncti munus explere debere, Missam inchoando, & totam illam celebrando: ac hostia nova celebrare debere, seponendo illam, quæ est in Altari, & quæ forsan consecrata est. *Alius Sacerdos*, ait Doctor Angelicus, *debet explere quod ille inchoavit, ita quod incipiat sequens Sacerdos ubi primus dimisit, si sciatur. Si autem nesciatur, debet a capite incipere. Non enim dicitur iteratum, quod nescitur esse factum. Nec aliquid per hoc derogatur veritati Sacramenti: quia omnes unum sumus in Christo, propter fidei unitatem. Secundum tamen Innocentium consultius est, ut, illa Hostia jam consecrata seorsum posita, super aliam deinceps totum officium iteretur*. In S. Thomæ sententiam descendit S. Antoninus (i). Quibus addendum est, Sacerdotem, qui defuncti munus explet, Hostiam primam consumere debere, post Communionem sanguinis.

(h) S. Thom. in 4. dist. 8. qu. 2. art. 4. quæst. 2. in corp.

(i) S. Thom. 3. part. tit 13. c. 6 §. 3. cit.

CASUS XXI.

Orosius, Presbyter & Pastor, qui peccati mortalis reus est, & cui non est Confessarius, an in eo statu Missam celebrare potest, quin novum crimen committat, cum populus congregatur, ut Missæ intersit, ut evenire potest die Dominico vel festo Presbytero rusticano, cui non est Vicarius vel alius Sacerdos, qui munus ejus explere possit: Aut an excusationem quamdam, quæ legitima videatur, fingere debet, ut Missam non celebret?

R e s p o n s.

Sacerdos ille non potest, quin Sacrilegii reus evadat, Missam celebrare in iis circumstantiis, quæ in exemplo allato indigitantur: Postquam tamen contritionis perfectæ actum ediderit, & sincerum consilium inierit peccata sua confitendi, ubi occasio data fuerit. Duæ rationes ipsum ad id impellere possunt. Prima scilicet hæc est, ut populus non privetur Missa, die qua eam audire tenetur. Secunda ratio & præcipua hæc est: ut vitetur scandalum, quod certissime eveniret, nisi celebraret: Ea est S. Thomæ sententia (k), dicentis: *Si sine scandalo potest vitare Communionem commode, vel Vicarium ponendo, vel aliter, ita quod debitis officiis populus non frustretur; vitare debet. Alioquin cum simili proposito celebrare potest*, hoc est, *cum proposito postea, quando occurreret opportunitas confitendi*, ut loquitur idem Sanctus (l). Idem docent S. Antoninus (m), & innumeri alii Auctores, cum Theologi tum Canonistæ, quorum Doctrina in hoc argumentum congruit cum Concilio Tridentino (n), quod postquam dixerit; quemlibet Sacerdotem ad sacram Communionem accedere non debere, quin peccata sua confessus fuerit, cum peccati mortalis reum se novit, & commode Confessarium reperire potest, *quantumvis sibi contritus videatur*,

(k) S. Thom. ad Hannibal. in 4. dist. 9. art. 3. ad 5.

(l) Id. ibid. ad 4.

(m) S. Ant. 3. part. somm. Theol. tit. 13. c. 6. § 7.

(n) Conc. Tr. sess. 13. c. 7.

addit postea, quod si versetur in urgente necessitate celebrandi, tenetur Confessionis Sacramento animum per purgare quamprimum poterit. *Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confitea tur.* Verba illa verum præceptum complectantar, non vero tantum consiliam, ut Auctores quidam recentes pertenderunt, quorum Doctrina hoc in capite, ut & in multis aliis, ab Aleaandro VII. damnata est, Decreto dato die 8. Martii 1666. Gratum forsan erit hic legere Propositionem damnatam, quæ Doctrinam complectebatur; En eam: 38. est earum quas fulmine suo percussit Papa ille. *Mandatum Concilii Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, præceptum.* Tricesima nona Propositio dicit quoque *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*; quas Propositiones Papa ille damnat, saltem tanquam scandalosas, ac vetat illas docere, aut eas ad praaim revocare, sub pœna excommunicationis, *ipso facto*, cujuà absolurionem sacræ Sedi reservat, præterquam in articulo mortis. „ Ipso facto incidat in ex„ communicationem, a qua non possit, præter„ quam in articulo mortis, ab alio quacumque „ etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

CASUS XXII.

Valentinus, postquam Missam inchoavit, recordatur, se esse in peccato mortali, vel in excommunicationem incidisse; aut jejunum non esse. Quid ipsi faciendum est, ut salva sit ejus conscientia? An debet ab Altari recedere, saltem in duobus ultimis casibus?

RESPONS.

Ut solide huic difficultati respondeamna, supponendum est cum S. Thoma (*a*) principium certum, nempe in omnibus quæstionibus vel dubiis similibus, In quibus pendet animus, semper amplectendam esse sententiam, quæ minori premitur periculo, & ex duobus malis inevitabilibns minus eligendum esse. In casu autem proposito, Sacrificii imperfectio longe majus malum existimanda est, quam vitium affectionis animi Sacerdotis Sacramentum sumentis. „ Ubi „ difficultas occurrit semper accipiendum est illud, quod habet minns de periculo. Maxime „ autem periculosum circa hoc Sacramentum „ est, quod est contra perfectionem hnjus Sacra„ cramenti: qaia hoc est immane Secrilegium; „ minus autem est illad, quod pertinet ad qua„ litatem sumentis „. Hæc sunt Doctoris Angelici verba, unde concludendum est cum eo, quod si Sacerdos ille recordetur tantum post consecrationem, se jejunum non esse; Sacrificium perficere debet, & sacram Eucharistiam sumere, ut Sacrificium Imperfectum non remaneat. Et ideo si Sacerdos post consecrationem inceptam recordetur, se aliquid comedisse, vel bibisse, nihilominus debet perficere Sacrificium & sumere Sacramentum.

(*a*) t. Thom. 3. part. art. 6. ad 2.

Sanctus ille Doctor addit, idem dicendum esse, si sacerdos ille meminerit, „ se peccatum aliquod „ commisisse; debet pœnitere cnm proposito con„ fitendi & satisfaciendi, & sic non indigne, sed „ fructuose sumet Sacramentum. Et eadem ratio „ est si meminerit, se excommnnicationi cuicum„ que subjacere, debet enim assumere cnm propo„ sito humiliter absolutionem petendi, & sic per „ invisibilem Pontificem Jesum Christum abso„ lutionem consequetur; quantum ad hunc effe„ ctum, quod pergat divina Mysteria.

En igitur qnomodo Valentinus se gerere debeat in casibus quorum mentio fit in specie proposita; si status sui meminerit tantum post consecrationem. Sed si ejus meminerit ante consecrationem, rutius ipsi erit ab Altari recederet, præsertim si non sit jejunus, aut si sit in censuris; modo tamen id facere possit sine gravi scandalo. Id dicit quoque idem Sanctus Doctor, cum addit. „ Si vero „ ante consecrationsm alicujus prædictorum sit „ memor, tutius reputarem, maxime in casu „ manducationis & excommunicationis, quod „ Missam incæptam desereret, nisi grave scanda„ dalum timeretur „. Sic juxta sententiam S. Thomæ, Sacerdos qui Missam celebraret, cum unicus respondens amicus suus adesset, non deberet illam pergere, si nondum consecravesit. Attamen, quandoquidem peccatum mortale profecto est omnium malorum maximum, & cum juxta ejus opinionem sufficiat si Sacerdos, qui illius reus est, contritionis actum edat, eum sincero proposito quamprimnm confitendi, cum possit quoque celebrare in casu necessitatis, licet meminerit ante inchoatam Missam, dici posse videtur, idem remedium in aliis casibus sufficere debere, in quibus recordatur ante consecrationem se jejunum non esse, aut se in excommunicationem incidisse. Reipsa, S. Thomas non plane decidit, in utroque casu celebrantem ab Altari recedere debere: Sed ait. tantum se existimare tutius esse sic agere, *tutius reparare*, ac solummodo si grave scandalum non timeatur, si recedat, quod tamen rarissimum & difficillimum est eum virare posse, cum saltem sic sibi ipsi scandalo esset coram respondente, ad quod illum cogere durum videtur. Quapropter credimus in tribus illis casibus propositis Valentinum posse absque novo crimine Missam perficere, licet, nondum consecraverit, ac licet unicus sit in Ecclesia respondens: Modo, ut jam dictum est, ardenter ad contritionem perfectam se impellat, & sincerum ineat consilium absolutionem consequendi peccatorum quorum reum se novit, & censuræ sub qua jacebat.

CASUS XXIII.

Tossanus, cum Missam celebraret; ac mox consecraturns esset monitus est, hostes hæreticos instare & jam cerni magno numero, & nisi aufugiat, ipsum trucidatum iri. An eo casu ab Altari recedere potest, ut refugiat, licet Canonem incæperit, & an etiam id facere posset, si consecrationem incæpisset?

RESPONS.

Respondemus, quod eo casu Tossanus, qui videt evidens mortis periculum ipsi imminere, absque peccato potest ab Altari recedere & aufugere, si consecrationem nondum incæperit; imo post consecrationem panis & vini illico sacram Eucharistiam sumens & omnes preces ac cæremonias superstites omittens.

Presbyter celebrans eo modo se gerere debet, si Basilica ruinosa sit, quo casu oportet, si ipsi possibile esset, Hostiam sacram ac Calicem ad aliud Altare deferre, ut Missam adimpleat, si aliud sit Altare, ubi similis ruina metuenda non sit.

Ea est Sylvii (*b*), & Cabassutii decisio (*c*): „ Si „ timeatur incursus hostilit, vel alluvionis, vel „ ruina loci, ubi celebratur, *inquit prior Auctorum illorum*; tunc si est ante consecrationem, di„ mittenda est Missa. Si autem post consecra„ tionem; accelerare potest sumptionem Sacramen„ ti, omnibus aliis prætermissis, & ita abire; „ Quod si non potest, poterit Sacramentum cum „ corporali plicato secum deferre „. Quibus Theologus ille addit, hanc esse Cardinalis (*d*) Toleti sententiam, quod si Sacerdos nihil possit exequi eorum quæ jamjam notavimus, potest aufugere, ut vitam suam servet, & Sacrificium imperfectum relinquere: quam opinionem probabilem existimat. „ Si ne hoc quidem potest, Toletus .... probabi„ liter putat, quod non teneatur subire mortem; „ sed quod possit discedere, quia si permaneat, „ occidetur, & Sacrificium manebit imperfectum. „ Melius est ergo quod solnm Sacrificium maneat „ imperfectum. *Hanc tamen addit exceptionem*: „ Si tamen in fidei contemptum vellet quis eum „ occidere; nisi a sacro desisteret, teneretur con„ tinuare & mortem subire (*e*).

(*b*) Fr. Sylv. in 3. par. sum. Thom. q. 83. art. 6. quæsito 2.

(*c*) Joan. Cabassut. juris can. theor. & prax l. 3. 35. n. fin.

(*d*) Fr. Tolet. instruct. Sacerdot. l. 4. c. 9.

(*e*) Coll. Lucion. tom. 1. Colloq. 16. q. 3. A Sancta Beuve tom. 2. cas. 57.

CA-

C A S U S XXIV.

Marsillius, Presbyter S. Eligii, cum die Festo Missam jam inchoasset, ac Epistolam recitaturus esset, ad ipsum deveniunt qui eum orent a Federico, Parœciæ Domino, ut eam non pergat, sed expectet, donec ad Basilicam devenerit, ne Missæ adesse non possit. Marsilius recusare non audet, & fere duabus horis expectat; cum deinde Federicus advenerit, Marsilius pergit Missam cantare, vel etiam illam ab initio resumit. Circa hoc quæritur; an Sacerdos ille sine peccato potuerit ea occasione Sacrificium interrumpere?

R e s p o n s.

Nostra sententia hæc est, Marsilium tam diuturnam intermissionem admittere non potuisse, absque gravi peccato. Nam, si excipias casum urgentis necessitatis, Missa absque intermissione semper celebrari debet, prout a septimo Concilio Toletano, habito anno 646. (*a*), mandatur. Si vero longa sit intermissio, sicuti longa est procul dubio, in specie proposita, peccatum grave est. *Si fuerit notabilis interruptio, grave erit peccatum*, inquit Sylvius (*b*); *veluti si quis; postquam inchoavit Missam, vel vestes Sacras exuat, & ita recedat, veniatque postea prosequaturus: vel sacris vestibus indutus ad horas ibi expectet quempiam venientem, & cum venerit, perficiat*. Quibus doctus ille Theologus addit, juxta sententiam Possevini (*c*), & Azorii, Sacerdotem ejusmodi intermissione mortale peccatum commissurum. Hujus rationem istam reddit prior, nempe, Missæ celebrationem sacram esse actionem, quæ continua ac integra esse debet, non vero divisa notabili intermissione. *Quia missa est una totalis & integra actio Sacra. Ergo sic debet successive dici & sine interruptione, seu discontinuatione celebrari ut possit dici una.*

(*a*) Conc. Tolet. 7. in can. Nihil 16. 7. q. 1.

(*b*) Fr. Sylv. in 3. par. S. Th. qu. 83. art. 6. quæsito 3.

(*c*) Possevin. c. 2. de Sacrificio n. 23.

Attamen Auctor ille dicit 1. Circa quæstionem, de qua agitur in specie proposita, non certum esse, celebrantem Sacrificium intermittere non posse, expectando per tempus notabile præsertim cum nondum Evangelium recitavit. *Utrum vero*, inquit, *sit causa sufficiens interrumpendi Missam, eamque ab introitu iterandi, seu resumendi si Episcopus, vel eo major, aut Princeps aliquis superveniat, qui Missam die festo non poterunt audire, nisi is, qui eam inchoavit, reincipiat non liquet*. 2. Pro sententia Affirmante (*si solum dicta sit Epistola*) laudat Azorium, Gavantum, Navarrum, multosque alios (*d*). Deinde suam sententiam enuntiat, dicens, eo casu intermitti posse Sacrificium, modo nullum exinde oriatur scandalum. *Propter eorum auctoritatem credo fieri posse. sicut & factum esse ajunt Navarrus & Henriquez, ubi nullum inde scandalum videretur nasciturum*. Addit tamen, ejusmodi intermissiones contrarias esse usui universo in Ecclesia observato, ac nolle se eas Sacerdoti suadere. *Quia tamen hujusmodi usus non: est in Ecclesia, dicam cum Ledesma, c. 24 de Eucharistia*. Haud facile in praxim redigendum ulli Sacerdoti consuluerim; *præsertim cum illi excusari possint a transgressione præcepti, qui Missam audiunt ab initio Evangelii, imo & a fine, si per eos non stet, quominus unam aliam audiant*. Satis aperte intelligitur, Theologum illum tantis pervacillare, circa hoc argumentum, ac si videatur multum concedere sententiæ Auctorum quos laudat, id fit tantum eo casu si Cardinalis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Princeps hance intermissionem a celebrante peterent, quod in exemplum duci non debet in gratiam Domini tantummodo Paræciæ, qui loci incolis exemplo esse debet, diligentia sua ut Missæ & aliis cultus divini solemnibus adsit horis statutis. His adde, fere impossibile esse multos ex præsentibus ea occasione non conqueri, imo eos quibus sunt negotia urgentia, ut illis operam dent, ex Ecclesia non egredi, & a Missa absint. Præterea si Sacerdotibus hoc esset institutum & vitæ ratio, ut illud obsequium Paræciarum suarum Dominis tribuerent, multi ex illis Dominis hoc obsequio procul dubio abuterentur, cum detrimento publico, id autem impedire multum interest.

(*d*) Jo. Azor. Instit. Moral. lib. 10. c. 32. q. 3. Bart. Gavant. p. 3. §. 10. Navarr. c. 2°. de orat. n. 55.

C A S U S XXV.

Eustatus, S. Maurini Sacerdos, dum Missam celebraret, & Canonem inchoaturus esset monitus est infantem in Ecclesiam allatum esse baptizandum, cui præsens mortis periculum imminet. An sine ullo peccato ab Altari potest recedere, ire infantem baptizatum, deinde Missam perficere?

R e s p o n s.

Missam interrumpere proculdubio potest Sacerdos ille, in eo casu, quem Ecclesia a regula ordinaria excipere velle censetur, in necessitate tam æqua & tam momentosa, cum agitur de salute vel exitio infantis. Hoc docet Sylvius non dubitans (*e*). *Ex causa vero legitima*, inquit, *potest Missa interrumpi, seu discontinuari, etiam notabiliter; veluti ad baptizandam infantem moribundum*. Alibi quoque idem repetit (*f*), post Navarrum, Possevinum, multosque alios quos laudat. Doctus ille Auctor addit, idem dicendum esse, si a celebrante requireretur moribundum confitentem audire: *Vel ad excipiendam Confessionem infirmi; quorum ille, alioquin sine baptismo, iste, sine Sacramento Pœnitentiæ esset moriturus*. Denique Theologus ille existimat, Missam etiam interrumpi posse, ut Extrema Unctio moribundo administretur, qui Confessionis Sacramento animum non posset purgare. *Idem judicium est, si foret Extrema Unctio administranda infirmo, qui aliud Sacramentum non potest recipere.*

(*e*) Fr. Sylv. in 3. P. S. Th. qu. 83. art. 6. quæsito 1.

(*f*) Idem Resol. var. v. Missa interruptio. & apud eum Nav. de Orat. c. 16. & manual. c. 27. n. 33. Possev. c. 2 de Sacrificio, & alii plures.

Decisio illa confirmari potest verbis ipsis, quibus Canones utuntur, qui vetant interrumpi sacrificium, si semel inchoatum fuerit. Idem enim intelligunt tantum de iis qui id temere ac sine ratione factitant. En quomodo de iis loquatur septimum Concilium Toletanum (*g*) *Nullus absque proventu patentis molestiæ Minister vel Sacerdos, cum cæperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis .... hæc temere præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit*. Circa quæ idem noster Auctor dicit, (*b*) observandum esse, verba illa: *absque proventu patentis molestiæ præsumat*, & hæc alia: *Si quis .... hæc temere præsumpserit* necessario confidentiam ac temeritatem supponere in illo cui Concilium hoc prohibet: ac ideo animum ipsi non esse illum damnare, cui justa est ratio aliquam intermissionum adhibendi saltem ad breve tempus. „ Per illa enim, *ait* non obscu-
„ re significatur, quod cum est proventus paren-
„ tis molestiæ, cumque abest præsumptio teme-
„ raria, non sit illicitum cœpta officia relinque-
„ re præsertim si ad breve tempus relinquantur,
„ mox perficienda „. Quibus aliam addimus considerationem, nempe illa laudati Concilii verba, *omnino relinquere*, aperte præterea denotare, illud anathemate percutere illos tantum præcipue, qui omnino sacra Mysteria intermittunt, quin curent illa perficere post intermissionem. Ceterum in decisione ista agitur tantum de casu, quo Sacerdos nondum consecravit, prout habet exemplum allatum. Nam post consecrationem Sacrificium sacrum interrumpere non potest, nequidem per breve tempus, quovis obtentu. Cum quilibet Sacerdos teneatur Sacrificium persequi & consummare.

(*g*) Conc. Tolet. 7. in Cit. can. Nihil 16. 7. q. 1.

(*b*) Fr. Sylv. Resol. var. v. Missæ interruptio.

C A S U S XXVI.

Martinus, S. Justi Presbyter, habet qui ipsi instent Missæ finem facere, cum celebrantem monentes, aliquem ex ejus Parochianis mortis periculum adire. Ipse autem Canonis preces quasdam omisit, quæ de essentia sacrificii non erant, ut ei citius finem imponeret, ac deinde ægrotantem juvaret. An id sine peccato facere potuit, propter urgentem necessitatem, in qua versatur, Parochiano suo auxilium præbendi?

R E S P O N S I O.

Nequaquam dubitandum est, quin Martinus graviter peccaverit, in casu proposito. Id docet S. Thomas (*a*), qui postquam dixerit, quod quædam sunt Sancto sacrificio essentialia; nempe; *Materia panis & vini: forma verborum, ordo Ministri & intentio*: alia vero accidentalia tantum esse, addit, omissionem eorum, quæ essentialia sunt, Sacrificium irritum reddere; illud autem subsistere, licet omitantur ea quæ accidentalia tantum sunt: Ea tamen omitti non posse, sine gravi peccato. *Si aliquid de substantialibus omittatur*, inquit Sanctus ille, *Sacramentum non conficitur. Si vero aliquid de accidentalibus solum, conficitur. Sed graviter peccat, qui scienter omittit: quia facit contra præceptum Ecclesiæ*. Quod intelligendum est de celebratione ordinaria, ac extra casus quosdam necessitatis extraordinariæ, de quibus in Decisione vigesima tertia locuti sumus.

(*a*) S. Th. in 4. ad Hannibal. dist. 13. art. 3.

C A S U S XXVII.

Aurelius, Sacerdos, degit in Regione ubi rarissimum est vinum, & magno constat, sæpe dum Missam celebrat ambas ablutiones post communionem facit aqua sola. An in hoc peccati mortalis damnari potest?

R E S P O N S I O.

Non credimus Aurelium peccato mortali immunem declarandum esse. Ratio hæc est, quoniam Concilium Tridentinum, (*b*) omnino vetat quidquam immutari in Missæ cæremoniis. *Ne ritus alios, aut alias cæremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint*, ajunt sancti illius Concilii Patres. Consuetudo autem universe in tota Ecclesia observata, hæc est scilicet, ut prima ablutio vino solo fiat, secunda vero vino aquæ immisto. Aqua igitur sola adhiberi non potest, ut fiat ablutio prima, quin consuetudo illa perfringatur, ac ideo quin grave peccatum committatur. Sed prætorea dicimus, eam non solum esse Ecclesiæ consuetudinem; sed præceptum esse disertum, ut patet ex Innocentii III. (*c*) Decretali, quæ sic habet: *Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum*: Eadem Decretali utitur S. Thomas, ut probet eam necessitatem esse præcepti.

(*b*) Conc. Tr. sess. 22. decreto de observandis & evit. in celebr. Missæ.

(*c*) Inn. III. in c. Ex parte. celebrat. missarum.

Quod ad secundam ablutionem spectat, constat Sacerdotes teneri illam quoque facere cum vino, cui tamen immisceatur aqua. Hæc est pariter Ecclesiæ consuetudo universa, adversus quam nulli Sacerdoti licet quidquam facere; hæc enim consuetudo omnibus fidelibus veneranda esse debet: *Cum Consuetudinis ususque longævi non sit vilis auctoritas*, ut loquitur Papa Honorius III. de alio argumento scribens ad Collegium Canonicorum Ecclesiæ Parisiensis (*d*).

(*d*) Honor. III. in c. Cum consuetudinis de consuetudine.

Addi potest, tanquam argumentum, eadem Innocentii Tertii Decretalis, quam modo protulimus. Papa enim ille loquitur de ablutione in genere. Quapropter de secunda, aut de prima intelligi debet. Ea est revera Glossæ sententia, (*e*) quæ observat Papam quatuor solvere difficultates, quarum prima hæc est: *An Sacerdos post Sacramenta suprema perfundere debeat manus?* Secunda vero; *Cum quo liquore?* Idem docet Cardinalis Ostiensis. Quamvis autem S. Thomas videatur Decretalem illam explicare solummodo de prima ablutione, aperte tamen dicit, quod si consuetudo in Ecclesia observata aqua & vino utendi in secunda ablutione, non distincte nitatur illa Decretali, nititur tamen ea ratione: *Quod vinum ratione suæ humiditatis est ablutivum, & ideo sumitur post susceptionem Sacramenti ad abluendum*. Unde Sanctus ille concludit, idcirco in usu esse illo quoque uti in secunda ablutione. *Et eadem ratione perfundit vino digitos, quibus Corpus Christi tetigerat*. Doctus Dominicanus Hispanus (*f*), est quoque in eadem sententia, & ait, Ecclesiam voluisse vinum potius adhiberi, quam aquam in ablutionibus; quia, *vinum est magis abstersivum quam aqua*.

(*e*) Glossa in cit. c. Ex parte.

(*f*) Dom. Sot. in 4. dist. 17. q. 2. art. 5.

Concluditur igitur Sacerdotes stricte teneri, non solum usu universo, sed etiam Ecclesiæ præcepto uti vino in prima ablutione si autem non sit præceptum clarum ac distinctum illo uti in secunda, ad id saltem tenentur consuetudine universa, quæ Legis vim habet, præsertim ab eo tempore quo Concilium Tridentinum prohibuit, ne quidquam fiat contrarium cæremoniis ac ritibus laudabili consuetudine constitutis in celebratione Sancti Missæ Sacrificii. Ita ut quilibet Sacerdos semper teneatur primam ablutionem facere vino solo; secundam vino aquæ immiso, & aliter agere nequeat quin graviter peccet.

C A S U S XXVIII.

Consuetudo omni memoria antiquior, quæ in praxim revocatur in Ecclesia Cathedrali Segorbe, in qua usus Romanus observatur, hic est scilicet. Qui celebrat Missam Canonicam, in fine populo non benedicit, Christi facto corpore figuram crucis effingens, contra id quod alibi universe factitant. Decanus Canonicorum Consessus, quem sustinent & defendunt octo Canonici auctoritasque Episcopi, usum illum abrogare suscipere volunt, tanquam contrarium usui in omnibus aliis Ecclesiis observato. Sed duo & quadraginta Canonici intercedunt, & animo intendunt antiquum morem tueri. Petitur, an hi ultimi in sua intercessione permanere possint salva eorum conscientia?

Ratio dubitandi nititur quatuor validis argumentis, Primum est scilicet, Concilium Agathense, habitum an. 506. (*g*) laudatum in Gratiani Decreto, jubere Populum, qui Missæ interest, ex Ecclesia non egredi nisi post benedictionem a Celebrante precatam. *Missas Die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus*, inquiunt Patres Concilii illius antiqui: *ita ut ante benedictionem Sacerdotis Populus egredi non præsumat. Qui si fecerint ab Episcopo publice confundantur*. Sanctus quoque Cæsarius Archiepiscopus Arelatensis, qui Concilio illi præfuit, idem fere dicit his verbis (*h*); *Qui vult Missam ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, id est audire, usque quo Oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde debet se in Ecclesia continere*.

(*g*) Concil. Agath. c. 47. in can. Missas 64. de Consec. dist. 1.

(*h*) S. Cæsarius hom. 12.

Secundum argumentum ducitur ex primo Concilio Aurelianensi habitu an. 511. (*i*), ubi idem Mandatum legitur his verbis. *Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur; populus non ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*. Unde patet, consuetudinem illam tunc jam constitutam fuisse, & antiquissimam: ac ideo Segorbienses Canonicos ad eam se conformare debere; cum constet eos nulla ratione alicujus ponderis usum contrarium, quem observant, nullove Canone probare posse; cum contra abundanter condemnetur Ecclesiæ usu universo, juxta quem omnes Sacerdotes, in fine Missæ, si excipias defunctorum Missam, populo qui adest bene precantur, eo solummodo consilio, ut ei benedictionem Dei concilient, juxta divinum ejus promissum. *Deus benedictionis Sacerdotum, tanquam Ministrorum suorum, promisit sua benedictionis suffragia*, inquit Doctus Estius: (k): *Ita enim mox subjungitur*: Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis (*l*). *Hoc si premittebat Sacerdotibus Veteris Testamenti*, addit Auctor ille, *multo magis Novi*.

(*i*) Conc. Aurel. 1. c. 25.

(*k*) Gull. Estius in c. 6. Numerorum.

(*l*) N. 5. 24. 27.

Tertia ratio quæ afferri potest hæc est, quandoquidem scilicet usus Romanus in Ecclesia Segorbiensi observetur, non fuit in Canonicorum potestate illum immutare in re tam momentosa.

Quarta ratio denique hæc est, consuetudinem quantumlibet antiquam abrogari debere, cum neque auctoritate Scripturæ, neque Canonibus Conciliorum, neque usu universe in Ecclesia observato nititur. Id ait S. Augustinus (*m*). *Omnia itaque talia quæ, neque sanctorum Scripturarum auctoritatibus*

(*m*) S. Aug. Ep. 55. alias 119. n. 35.

bus continentur; nec in conciliis episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt; sed pro diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur: itaque ut vix, aut omnino numquam inveniri possint caussæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Sic loquitur Pater ille. Fatetur re vera conservari posse consuetudinem, quæ neque Fidei, neque bonis moribus adversatur. *Ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, non solum non improbemus; sed etiam laudando & imitando sectemur* (*a*). Sed nihil videtur inde concludi posse in gratiam consuetudinis quæ observatur in Ecclesia Segobiensi, cum nihil quidquam conferat ad promovendam pietatem: hæc est autem conditio, sub qua consuetudinem aliquam non improbat S. Augustinus.

(*a*) Id. ibid. n. 14.

R e s p o n s.

Hæc difficultas olim proposita est quibusdam Doctoribus Sorbonæ, qui die 17. Augusti 1670. huic responderunt (*b*), ut videre est in Explanationibus, quas unus ex iis in lucem edidit. En eorum responsum, & argumenta quibus illud probarunt.

(*b*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 16.

1. Benedictio de qua agitur, non est admodum antiqua, cum in nullo antiquo Missali manuscripto reperitur, ut fatetur P. Menardus in suis observationibus in sancti Gregorii Sacramentarium (*c*).

(*c*) P. Menard. p. 29.

2. Reperimus in decimo Tomo Bibliothecæ Patrum, tractatum cui titulus est: *Expositio Missæ*, quo patet, populum ex Ecclesia exivisse statim atque celebrans illum dimiserat hisce verbis: *Ite, Missa est*, & Sacerdotem nihil hisce addidisse; quod consentit cum hisce Radulphi Tungrensis verbis (*d*): *Finitis omnibus osculatur Altare, dicens*, Placeat tibi sancta Trinitas &c. Per Christum Dominum nostrum. *Exuens se vestibus sacris, cantat hymnum*. Ergo Ecclesia Segobiensis nihil in hoc singulare in praxim revocat: sed tantum antiquum suum usum servare voluit, ipsique non visum est illum immutare, cum cœpit introduci consuetudo benedictionem illam in fine Missæ addendi, quod etiam aliæ quædam Ecclesiæ fecerunt.

(*d*) Radulph. Tungr. de Canon. observat. propos. 23.

3. Re ipsa, si benedictio illa Missæ pars esset, dimittendi essent Fideles verbis: *Ite, Missa est*, postquam benedictio pronuntiata est; non vero antea, ut fit.

Unde jure merito concludi potest juxta sententiam Doctorum Theologorum ex quorum scientia fructum percipimus, duos & quadraginta Canonicos, qui intercedunt abrogationi usus omni memoria antiquioris, qui viget in Ecclesia Segobiensi, ut omittat benedictionem quæ nunc pronuntiatur, postquam Diaconus cecinit: *Ite, Missa est*, ex conscientia non teneri a sua intercessione desistere.

Sed ut nulla hac in re difficultas supersit, necesse est verum sensum explicare decretorum Conciliorum Agathensis & Aurelianensis; ad hoc autem satis est, si legantur antiqui Auctores qui illa interpretati sunt, & qui benedictione de qua loquuntur, non intelligant benedictionem de qua agitur in specie proposita, sed tantum eam, quam populo celebrans pronuntiat immediate post Communionem, oratione quam recitat & quam *Postcommunionem* vocamus.

Horum Auctorum primus est Walafridus Strabo, qui mortuus est circa medium sæculum nonum (*e*); sicque loquitur: *Statutum est autem Aurelianensi Concilio, ut populus ante benedictionem Sacerdotis non egrediatur de Missa: quæ benedictio intelligitur illa ultima Sacerdotis Oratio*.

(*e*) Walafrid Strabo l. 3. de rebus Ecclesiastic. c. 22.

Secundus est Rabanus Maurus, Alcuini discipulus (*f*), qui dicit: *Post Communionem ergo, & post ejusdem nominis canticum, data benedictione a Sacerdote ad plebem, Diaconus prædicat Missæ officium esse peractum: dans licentiam abeundi*.

(*f*) Raban. Maurus l. 1. de Instit. Cleric. c. 33.

Tertius est Amalarius (*g*), qui eodem sensu loquitur dicens, benedictionem quam pronuntiat celebrans, consistere prece quæ præcedit: *Ite, Missa est*. En ipsius verba: *Hunc morem tenet Sacerdos, ut post omnia Sacramenta consummata benedicat populo atque salutet. Deinde revertitur ad Orientem, ut se commendet Domini Ascensioni, dicitque Diaconus:* Ite, Missa est. Explicans deinde quibus vocibus finis imponatur, addit: *Nobis videtur Missa vocari ab eo loco quo incipit Sacerdos Sacrificium offerre Deo, usque ad ultimam benedictionem; id est, ab offerendo, usque ad* Ite, Missa est. Denique quod probat sine controversia Auctorem illum benedictione intelligere Postcommunionem, hoc est scilicet, quod capiti sequenti titulum nuncupat: *De alteriore ultima benedictione*; id est, de Oratione quæ vocatur, *super populum*, quam dicere solent tempore quadragesimali post *Postcommunionem*. *Est ultima benedictio de qua nunc agimus*, inquit, *quam potissimum frequentamus tempore quadragesimali; hoc est post illam ultimam continuatum, in qua spiritualis refectio commendatur* (*h*). Post ea quæ tres illi antiqui Auctores ajunt, aliasque rationes prolatas, inutile est immorari in respondendo rationibus, quæ objiciuntur in casu proposito; quandoquidem a se ipsis evanescunt.

(*g*) Amalarius l. 3. de Ecclesiast. officiis c. 36.

(*h*) Id. ibid. c. 37.

C A S U S XXIX.

Fabianus a variis duodecim libras accepit, ut Missas viginti quatuor in eorum gratiam celebret. Sed quia juxta consuetudinem, immo juxta mandatum Episcopi qui uniuscujusque Missæ honorarium quindecim assibus definivit, octodecim libræ ipsi dari deberent, sexdecim tantum Missas celebrat, non existimans, se quidquam injusti facere, se conformans ad ea quæ a consuetudine & Episcopi auctoritate instituta sunt. An sine peccato potest hisce stare, quin plures Missas celebrare teneatur?

R e s p o n s.

Constat Fabianum teneri, *ex debito justitiæ*, omnes illas viginti quatuor Missas celebrare; quandoquidem duodecim libras honorarii accepit ea conditione, ut staret promisso. Ratio hujus hæc est: omnino observandas esse pactiones, de quibus convenit, juxta istam Juris regulam (*i*): *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Eadem enim est ratio Sacerdotis qui in eo casu versatur, ac illius qui accipit Beneficium, quod non sufficit ad ejus victum. Quemadmodum enim Beneficiarius ille hocce Beneficium accipere non potuit, quin in eam conditionem descenderet, scilicet ut fungeretur omnibus Beneficii illius muneribus ac iis satisfaceret; debet vel se Beneficio abdicare, ut pronuntiat Alexander III. in decretali quam ad Episcopum Lingonensem inscripsit: ita ubi Sacerdos suscepit quemdam Missarum numerum celebrandum ad honorarium constitutum, quantumlibet modicum, omnino tenetur apud Deum omnes Missas celebrare, vel pecuniam restituere iis omnibus, a quibus illam accepit.

(*i*) Reg. 58. de Regulis Juris in 6.

Ea est decisio sancti Antonini, Barbosæ, Navarri, Toleti, Bellarmini, Mirandæ, Suarez, Dianæ, Sylvii qui illos laudat, hancque reddit rationem (*K*): *Quia fructus Sacrificii respondent oblationi Sacerdotis, ut particulariter offerentis pro illo qui se commendavit, quippe propterea stipendium obtulit; ita & finitus, ut quo dividitur in plures, eo minus singuli participent*. Unde doctus ille Theologus hisce verbis concludit: *Ac proinde justa sua petitione fraudarentur illi, qui Missam unam petiverint singuli; si Sacerdos tantum unam celebraret pro eis pluribus, pro quibus plures est celebrare rogatus*.

(*K*) Fr. Sylvius Resolut. var. v. *Missa* 2. & apud eum August. Barbosa allegat. 24. n. 5. Navarr. Manual. n. 25. n. 92. & l. 3. Consilior. de celebrat. Missar. consil. 8. S. Anton. Toletus, Bellarminus, Suarez, Miranda, Diana, & alii.

Fagnanus, (*l*) olim Secretarius sacræ Congregationis, idem docet, & affirmat, difficultatem illam direptam fuisse ab eadem Congregatione, cui proposita fuerat. En ejus verba: *Sacerdos qui unam Missam dicit pro pluribus, a quibus plura sti-*

(*l*) Fagnanus in cap. *Fraternitatem* de sepultur.

pendia

pendia accepit, peccat contra justitiam, nec liberationem consequitur, quia minus solvit. Quod multis legibus probat (*a*), & Scoti auctoritate (*b*); *Nam ut formaliter Scotus, qui tenetur ad majus, non satisfacit solvendo minus bonum. Sed duæ Missæ sunt majus bonum, quam una. Una etiam Missa est majus bonum sibi, si dicatur pro illo, quam si dicatur simul pro illo & pro alio: Ergo &c.* Celeberrimus ille Canonista innumera alia argumenta addit invicta, quæ longum nimis esset referre. Antoninus Diana testatur quoque (*c*), Sacrum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Congregationem eam quæstionem sic diremisse, Pontifice Urbano VIII. his verbis: *Ad quartum respondetur Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint; non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Vide casum sequentem.

(*a*) Leg. Si stipulatus. §. Qui decem, de solut. Leg. 2. § 1. & Leg. In exsecutione. § Proparte ff. de verbor. obligatione.

(*b*) Scotus quodlibet. 20. init.

(*c*) Anton. Diana Resolut. 80.

CASUS XXX.

ALBERTUS Sacerdos, cum sex honoraria admodum modica accepisset, quæ Bertrandus ipsi dedit, ut celebraret sex Missas ad conversionem cujusdam peccatoris, unicam celebravit; quoniam persuasum habebat, stricto jure se non teneri illas omnes celebrare, quia Sacrificium est pretii infiniti juxta omnium Theologorum sententiam: ac ideo unica Missa eumdem effectum, ac plures, operari potest. An mortale peccatum commisit adversus justitiam vel caritatem, & an plane tenetur quinque alias celebrare?

RESPONS.

Quamvis ea quæ diximus, dum præcedenti difficultati respondebamus, sufficere possint, ut ista dirimatur cum qua magnam habet affinitatem; ad eam tamen peculiariter respondebimus. Dicimus igitur, constare Albertum peccatum mortale commisisse, cum unicam Missam celebrare voluit, cum sex celebrare debuisset, quas susceperat; eumque apud Deum teneri quinque alias celebrare; quia, ut ait S. Thomas (*d*): *Quamvis virtus Christi quæ continetur sub Sacramento Eucharistiæ, sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur.*

(*d*) S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quæst. 3. ad 2.

Difficultas illa reperitur sic definita decreto Sacræ Congregationis, (*e*) quod mandat Sacerdotibus, qui multa honoraria acceperint ad multas Missas celebrandas, ut totidem Missas celebrent, quot eleemosynas hunc in finem acceperint, quantumlibet modicas. En illius decreti verba: *Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, &c. Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent & ad restitutionem teneantur.* Albertus igitur mortale peccatum commisit adversus justitiam in caso proposito, & tenetur quinque illas Missas celebrare, quas nondum celebravit pro debito, vel tenetur restituere honoraria iis a quibus ea accepit.

(*e*) Urban. VIII. in Bulla Cum sæpe. §. 2. Magn. Bullar, tom. 4. p. 58.

Aliud addi potest decretum, datum die 24. Septembris anno 1665. quo Alexander VII. viginti octo propositiones Morales condemnat, tamquam falsas & scandalosas, cum prohibitione sub pœna Excommunicationis, *ipso facto*, illas docendi aut defendendi. Inter quas decima his verbis exprimitur. *Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere & Sacrificium unum offerre; neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* En quomodo perniciosam illam propositionem fulmine percutiat Papa ille. *Re mature considerata, statuit & decrevit, prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, sicut eas damnat ac prohibet; ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.*

Ad majorem explanationem dicere debemus, rationem qua nititur Albertus, culpa illum non liberare. Verum enim quidem est, sancti Sacrificii pretium esse infinitum, si spectetur quoad Victimæ oblatæ dignitatem attinet, & ad effectum quem habere potest. *Si per valorem intelligatur dignitas & æstimatio illa moralis, aut ea vis sive impetrandi, sive satisfaciendi, quam ea res oblata vel principali offerente habet, est infinitus: quia tam principalis offerens, quam id quod offertur, infinitæ est dignitatis & virtutis.* Sic loquitur celebris Theologus (*f*); qui addit Sacrificii illius effectum non esse infinitum intensive, prout loquuntur in Schola, hoc est, si intelligatur de utilitate ipsa quæ ducitur ex ipsius effectibus. *Si autem per valorem intelligatur vis & efficacia, quam respectu sui effectus ex institutione habet, quatenus per Ecclesiæ Ministros offertur, sic valor est simpliciter finitus.* Ratio quam Auctor ille reddit, hæc est: scilicet oblationem a Sacerdote factam, non esse actionem infinitam, nec meritum Sacerdotis qui illam exsequitur; & pretium Sacrificii respectu illorum in gratiam quorum offertur, non debet duci ex dignitate Victimæ, sed ab institutione Jesu Christi, & a natura actionis ipsius, & quatenus fit ab ejus Ministro. *Quia oblatio quæ fit a Sacerdote, finita est, ipseque Sacerdos finitus. Neque hic valor est æstimandus ex infinitate rei oblatæ, sed ex Christi institutione, & operis, quatenus a Ministris procedit, natura.* Quapropter Dominus noster voluit, divinum illud Sacrificium sæpe iterari.

(*f*) Fr. Sylvius in 3. part. Sum. S. Th. q. 83. art. 1. quæsito 15.

Adversus hanc doctrinam objici potest ac dici, quod cum Crucis Sacrificium sit pretii infiniti, Sacrificium vero a Sacerdote oblatum cum idem sit; debet quoque esse pretii infiniti. Hisce idem noster Theologus respondet, effectum Crucis Sacrificii pretii infiniti esse tantum respectu sufficientiæ, non vero quoad applicationem; ac ideo idem dici debere de Missæ pretio. *Quia ne quidem Sacrificium Crucis dedit valorem, aut effectum infinitum quoad efficaciam, sed solum quoad sufficientiam.* Unde sequitur, Sacrificium pro multis oblatum non tantæ esse utilitatis cuivis privatim, quasi offerretur tantum in gratiam unius. Hanc reddit rationem Sylvius (*g*): *Quod enim est finitum, quando dividitur in plures, non pertinet ad quemlibet ex ea parte, qua pertinuisset, si vel divideretur inter pauces, vel uni solum applicaretur.* Ac ideo Sacerdos satisfacere non potest obligationi, in qua versatur, cum multa honoraria accepit a multis, unica Missa quam in eorum gratiam celebraret, ut pertendebat Wiclefus in quadragesimo quinto articulo, ex iis quos Concilium œcumenicum Constantiense condemnavit (*h*), ac sicuti quidam Casuistæ vel Morales Theologi remissiores ausi sunt affirmare ab illo tempore; peccaretque graviter, non solum adversus justitiam & fidelitatem, sed etiam contra caritatem, dum orbaret illum vel illos a quibus accepit illa honoraria, gratiis quas a Deo impetrare potuisset, Missis quas ipsis animus erat, eum in eorum gratiam celebrare; peccaret denique contra Religionem adhibendo in suos cupiditates sanctissimum omnium nostrorum Mysteriorum (*i*).

(*g*) Id. ibid. quæsito 16. Conclus. 6.

(*h*) Conc. Constantiense sess. 8.

(*i*) Joan. Cabassut. Juris can. Theor. & prax. l. 6. c. 24. n. 18.

Verum quidem est, quosdam Theologos aliter cogitasse ac Sylvium; & pretendisse sacrum Missæ Sacrificium, pro multis nominatim oblatum, æque utile esse unicuique, ac si pro unico nominatim offerretur. Sed videre est quibus argumentis prægnantissimis doctus Ysambertus falsam illam opinionem refutet (*k*), diserte contrariam definitioni antiqui Concilii habiti Lambethi a Joanne Peckham ejusque suffraganeis, anno 1261. cujus decretum hi-

(*K*) Nicol. Ysambert. in 3. part. S. Th. q. 83. disput. 2. art. 10.

sce

see verbis exprimitur: „ Nec credat celebrans se „ dicendo Missam unam , posse satisfacere pro „ duobus, pro quo utroque promisit specialiter „ & in solidum celebrare ..... Absit enim , ne a „ quoquam Catholico credatur , tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam „ mille hominibus , pro quibus forsan dicitur , „ quantum si mille Missæ pro eia devotione simi„li canerentur. Licet ipsum Sacrificium ...., sit „ infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio suæ „ immensitatis summam plenitudinem operatur „ (*Christus*;) alioqain pro uno mortuo nun„quam oporteret, nisi unam Missam dicere „.

CASUS XXXI.

Victorius, qui a duobus duo honoraria accepit pro daabus Missis , nonne potest illas solvere unica Missa earum alteri applicans specialem fructum quem percipere potest ex Sacrificio, quatenus celebrans?

RESPONS.

Hoc est novum commentum , nova ars, nt fidelium pietas defraudetur , & nt satisfiat cupiditati, quam quidam Theologi Morales conati sunt in Ecclesiam introducere . His vero intercessit Ecclesia, ut mox videbimus . Minime sic se gerere licet Victorio , qui infidelitatis ac injustitiæ aperte reus evadat : praxis enim illa Decreto sacræ Congregationis prohibita est , cujus Congregationis tunc Secretarius erat Fagnanus ; illudque Decretum probavit Urbanua VIII. (*a*) die 21. Junii anno 1625. Ibique præcipitur Sacerdotibus tot Missas celebrare , quot ab ipsis petitæ sunt , licet uniuscujusque honorarium sit modicum , imo minus quam ab Episcopo constitutum est : ibi quoque dicitur , eos qui contrarium agunt, gravissimi peccati reos evadere & teneri restituere ; cum justitiæ adversetur eleemosynam sibi tribuere, quæ sub conditione tantum data fuit , si eidem conditioni non fiat satis . Decreti illius verba in decisione præcedenti protulimus. Alexander VII. præterea opinionem contrariam damnavit Decreto suo dato die Jovis 24. Septembria an, 1665. falsas & scandalosas declarans octo & viginti propositiones Ethicæ, quarum prima his verbis habetur : „ Du„plicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem „ Missa licite accipere, applicando petenti par„tem etiam specialissimam fructus ipsimet cele„branti correspondentem ; idque post Decretum Urbani VIII.

(*a*) Urb. VIII. in cit. Bulla cum sæpe contingat. Bullar. Magno to. 4. p. 88. col. 2.

Hujua decisionis ratio est, nt jam ostendimus, in responso ad præcedentem difficultatem, ratiocinatione Sylvii, scilicet quia Missa pro multis celebrata eorum unicuique tantundem non prodest, ac si pro unico illam adoptasset Sacerdos. Hoc docet etiam S. Thomas (*b*), qui id probat Ecclesiæ agendi ratione, quæ vult Sacerdotem, qui honorarium accipit, offerre Sacrificium nominatim ac specialiter in gratiam ejus, qui hoc stipendium pependit. Ecclesia vero hoc non præscriberet, si verum esset sacrificium pro multis oblatum, eorum unicuique privatim æque utile fore, ac si pro unico offerretur ; quandoquidem majus est bonum , omnia Ecclesiæ membra sacrificio juvare , quam sublevare unicum privatum : *Melius est*, inquit, *plures particulares juvare, quam unum. Si ergo suffragium pro multis factum tantum valeret singulis, at si pro uno tantum fieret, videtur, quod Ecclesia non debuit instituisse*, ut pro aliquo singulariter Missa, vel oratio fieret, sed quod semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis! quod patet esset falsum.

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. in argum. Sed contra.

CASUS XXXII.

Demophilus nummum argenteum accepit, ut quotquot Missas celebraret. Curavit illas cantari a Sacerdote rusticano, cui duas libras tantum dedit; qui supersunt viginti asses an ad ipsum legitime pertineut?

RESPONS.

Quandoquidem lucrum illud manifesto indecorum est, turpe ac injustum , peccati excusari non potest Demophilus, neque ii omnes qui sic negotiantur, id enim avaritiam omnino redolet, Quapropter Alexander VII. Decreto suo dato die 24. Septemb. anno 1665. adversus octo & viginti propositiones Ethicæ remissioris , eorum opinionem damnavit, qui huic praxi favere studuerunt. En verba propositionis damnatæ , nonæ scilicet ex illis viginti & octo : *Post Decretum Urbani VIII. potest Sacerdos , cui Missæ celebrandæ traduntur , per alium satisfacere , collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Quam propositionem summus ille Pontifex falsam & scandalosam declaravit, nt & viginti septem alias , vetuitque illam docere sub pœna excommunicationis, *ipso facto*, reservatæ sedi sanctæ , nisi in articulo mortis .

Papa ille sic confirmavit tantum Urbani Decretum, quod in eadem Bulla reperitur, quam jam in præcedentibus Decisionibus laudavimua (*c*). Ibiqae declaratur, non licere sacerdoti, qui eleemosinam quamdam accepit , ut Missam celebret, curare eam ab altero celebrari , ei partem tantum illius eleemosynæ tradendo . Et responso ad septimum dubium in hanc rem propositum , mandatur illos qui curant Missas in Ecclesiis celebrari , stipendii partem nullam sibi servaturos, imo obtentu pro sumptibus panis, vini, luminis & ornamentorum , nisi Ecclesiæ illæ aliunde non babeant reditum sufficientem , ut sumptus illi sustineantur, quo casu etiam de quolibet honorario tantundem solummodo retinebitur , quantum præcise necesse erit ad suppeditandum huic sumptui . En Decreti illius verba: *Sacra Congregatio omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti , qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna , ne eamdem Missam alteri , parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat &c.*

(*c*) Urb. VIII. in cit. Bulla. Cum sæpe S. S.

Addere possumus, ut Decisionem illam confirmemus. celeberrimorum Theologorum ac Casuistarum suffragium, veluti Majoris, (*d*) Antonini, Cordubæ, Sylvii & Navarri.

(*d*) Jo Major. in 4. dist 45. qu. 3. Anton. Corduba t. 1. q. 4. dub. 3. Nav. Man. c. 25. n. 91. Apud Sylv. to 3. p. S Th qu 81. art. 2. quæsito 17.

CASUS XXXIII.

Seaveus, sacerdos S. Leufridi habet supra centum Missas privatas , antiquæ fundationis , quolibet anno celebrandas , quarum honorarium est solummodo quinque assium pro unaquaque . Sacerdos ille nullum alium Presbyterum reperire potest qui illas persolvat, nisi decem asses in honorarium solvat ; quia hodie difficilius comparatur victus decem assibus , quam quinque assibus comparabatur tempore, quo fundatæ sunt Missæ illæ. Credidit igitur se nullam commissurum injustitiam , si quinquaginta tantum Missas persolvi curet, pro centum illis, quæ Ecclesiæ ejus impositæ sunt. An id ex conscientia facere potest?

RESPONS.

Constat Servium non posse salva conscientia quinquaginta Missas tantum celebrari curare pro centum, quas celebrare tenetur , etiamsi modicum sit stipendium fundationis Tabulis promissum. Hujus bæc est ratio, scilicet non est penes sacerdotem hanc imminutionem facere , Episcopus solus illam faciendi auctoritate pollet, quippe solus est hoc respectu Interpres voluntatis Fundatorum defunctorum , ac piarum illorum voluntatum Curator, quod probant ista Gregorii IX. verba scribentis ad Episcopum Noviodunensem (*e*): *Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Ordinarios providendum , ut secundum defuncti voluntatem universa procedant , licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici* , &c. Ista quoque alia Imperatoris Justiniani (*f*): *In omnibus talibus piis voluntatibus sanctissimos locorum Episcopos volumus providere , ut secundum defuncti voluntatem universa procedant , licet præcipue a Testatoribus aut donatoribus interdictum sit eis habere ad hoc aliquod participium.* Hoc Concilium Trid. Confirmat (*g*), dum dicit , jus curandi , defunctorum ultimam volun-

(*e*) Greg. IX. in c. Tua nobis 17. de Testam. & ult. volunt. l. 3. tit. 26.

(*f*) Authent. 131. cap. 12. collat. 9.

(*g*) Conc. Tr. sess. 22. de Reform. c. 8.

voluntatem observari, ad Episcopos pertinere: *Episcopi .... in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores*: imo ipsis jus esse immutationes faciendi, quæ ipsis videntur justitiæ consentientes (*a*): *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonnisi ex justitia & necessaria causa fieri debent, Episcopi summarie & extra judicialiter cognoscant.* Quod intelligi debet de causis in quibus nulla est lis illata circa vitium vel auctoritatem Testamanti vel fundationis: tune enim apud nos usus est, Judicem Regium de ea controversia cognoscere. Debuit igitur Servius adire Episcopum, rem qualis est ipsi explicare, & ab illo petere centum Missarum imminutionem ad quinquaginta Missarum numerum, denique ad Episcopi sententiam se conformare.

(*a*) Idem ib. c. 6.

CASUS XXXIV.

THEOPHILUS Sacellum S. Guillelmi possidet, cujus fundationis Tabulæ habent simpliciter, Titularem celebrare teneri Missam, diebus Dominicis & festis, sexta hora matutina, quin denotetur qua consilio, ut loci illius incolæ sacro sacrificio adesse possint, quando Missæ parochiali commode adesse non possunt. Theophilus Missas illas accurate semper persolvit: cum autem censeat, se non teneri ex verbis fundationis fundatori illas accommodare, sibi ipsi illas accommodat, aliquando aliis, qui ipsi stipendium solvunt. An id salva conscientia facere potest?

Videtur eum non posse: existimari enim debet, Fundatoris voluntatem fuisse, Theophilum celebrare in ejus gratiam, & ad requiem animæ suæ. Ex altera parte videtur, Theophilum posse; cum jus ipsi sit interpretandi secundum ejus commodum fundationis verba obscura, quando Fundator & potuit & debuit clarius mentem suam aperire, juxta hanc Bonifacii VIII. regulam (*b*): *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*

(*b*) Reg. 57. de Reg. juris in 6.

RESPONS.

Existimamus Theophilum ex conscientia teneri omnes Missas sacelli sui fundatione indicatas accommodare ad mentem solorum Fundatorum. Nam, etiamsi fundationis ejus verba satis clara non videantur, nec satis distincta, ad id tamen tenetur. Ratio hæc est, quod præsertim in re hujus generis, respectus haberi debet ad id quod ut plurimum in praxim revocatur, & ad id, quod verisimilius videtur, & magis consentaneum justitiæ & charitati, juxta istam Juris regulam. (*c*) *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius.* Constat autem, in longe verisimilius esse, Fundatoris, de quo agitur, eam fuisse mentem, Missas quas fundavit, ipsi adaptandas esse; cum credibile non sit, eum dum Ecclesiæ pecuniam suam largitus est, noluisse inde utilitatem spiritualem elicere. 2. Non minus constat, universam consuetudinem eorum, qui ejusmodi fundationes constituunt, hanc esse, ut titularibus obligationem imponant precandi & faciam Sacrificium pro illis celebrandi, ut hac via facilius spiritualia & æterna bona impetret.

(*c*) Reg. 45. ib.

Imo supponamus dubium, quod anxium habet Theophilum aliquo niti fundamento, an ipsi liceret in sui gratiam decidere, cum id facere non possit, quin periculum adeat peccandi contra charitatem simul & contra justitiam? Rationi igitur magis consentaneum est dicere, eo casu eum teneri viam tutiorem sequi, secundum eximium illud Eugenii Papæ effatum (*d*): *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*: ac juxta aliud istud Innocentii III. (*e*) effatum: *In dubiis via eligenda est tutior* (*f*).

(*d*) Eug. in cap. Juvenis, tit. de sponf. & matr. lib. 4. tit. 1.

(*e*) Inn. III. in c. Illud. §. de Cler. excom. deposito, vel interd. Item Clem. III. in c. Ad audientiam, ta. de homicid. volunt. vel casuali.

(*f*) Colloq. Cond. tom. 2. coll. 7. sect. 1.

CASUS XXXV.

EST Decretum quoddam peculiare, in quodam Religioso Ordine, quo mandatur, quotidie Missam Virginis privatam celebrandam esse in unoquoque Monasterio. Marculfo Religioso Sacerdoti demandatum est ab ipsius Superiore, ab aliquot annis: Missam illam celebrare in Monasterio ubi degit. Cum autem illud mentionem non faciat accommodationis illius Sacrificii, illud aliquando sibi ipsi applicat, sæpe etiam aliis quibusdam, qui id ipsum rogant. An id salva conscientia facere potest?

Videtur ei id licere, quandoquidem Decretum illud ad id solummodo illum devinciat, ut Missam celebret, quin ejus accommodatio denotetur; quoniam ex alia parte Decreti ingenio abundanter satisfacit, ut nimirum sic colatur Beata Virgo in omnibus Ordinis Ædibus.

Ab altera parte tamen videtur Marculfo id non licere; quia ansa est existimandi, Ordinis Fundatorem, aut eos qui Decretum illud statuerunt in animo habuisse Missam illam applicatam iri bono communi uniuscujusque Monasterii.

RESPONS.

Similis difficultas olim proposita fuit celebri Theologo Belgæ (*g*), qui die 30. ann. 1643. eam decidit, dicens, huic Religioso non licere Missam illam applicare nec sibi ipsi, nec iis qui id ab ipso petunt: sed eum teneri eam in bonum Ordinis in genere applicare, & præsertim in bonum sui Monasterii: „ Responderetur, *inquit ille Doctor*, Sacerdotes, qui Missas illas de Beata Maria celebrant, „ non tantum obligari ad Missam, sed etiam ad „ aliquam applicationem, nec eos posse cui voluerint applicare, etiamsi in statutis nulla fiat „ mentio applicationis „. Hujus autem hanc reddit rationem, existimandum esse eos, qui hoc Decretum statuerunt, in animo habuisse non solum: „ Ut in qualibet domo Ordinis quotidie celebretur „ Missa de Beata Maria, præsupponi debet factum esse (*ejusmodi statutum*), non tantum ut „ Beata Maria quotidie honoretur io unaquaque „ Domo Ordinis, sed insuper, ut cuique Domui „ Ordinis velit esse patrocinio & auxilio, tanquam „ pia Mater & efficax Advocata; præsupponique „ propterea debet, intentionem Patrum, qui tale „ statutum condiderunt, fuisse ut illa Missa celebretur pro quacumque Domo Ordinis, seu pro „ ejus bono tum spirituali, tum temporali, per „ Beatissimæ Virginis intercessionem impetrando: „ nequaquam vero, ut Missæ valorem, cui voluerint, applicent Sacerdotes qui eam celebrant „. Hoc cum ita sit, Marculfus injustitiæ & peccati excusari non potest in casu proposito.

(*g*) Fr. Sylv. resol. var. v. Religiosus. 27.

Observandum est per transennam, quod si ejusmodi statutum verbis generalibus & absolutis exprimeretur, ad id se conformare nullus posset, ita ut Missam votivam Beatæ Virginis celebraret singulis anni diebus, nullo excepto; quoniam alias sequeretur, eam celebrandam esse ipso Pascatis die. Ergo intelligi & observari debet tantummodo consentaneo Ecclesiæ ingenio & Regulis.

CASUS XXXVI.

ADELAIDA, Religiosa Cœnobii cujusdam, penes quod non sunt eæ opes quibus celebrari curent Missam quotidie, & cujus ideo Congregatio diebus tantum Dominicis ac festis Missæ adesse potest, Cum illa audiverit patrem suum, ætate valde provectum, consilium inivisse Missam quotidianam in perpetuum fundandi, ipsum precata est, ut Testamento statuat, Missam illam fundari in ejus Monasterio, quod ei concessit. Patre ejus defuncto, repertum est, ejus Testamentum habere, ipsum velle, filiæ suæ causa, in Ecclesia Cœnobii ubi illa degebat, fundari Missam privatam, singulis anni diebus in perpetuum, in cujus stipendium trecentas libras legabat, vectigal annuum, si autem ejus hæredes hoc vectigal redimerent, vult Congregationem teneri pecuniam illam adhibere ad simile vectigal emendum, ut Missarum illarum celebrationi satisfiat; quibus addebat, se præterea duos obitus solemnes fundare in requiem animæ suæ, & animarum defunctorum cognatorum.

Circa

Circa hoc quæritur; an illæ Religiosæ teneantur, ex conscientia, curare illas Missas quotidianas Fundatori applicari, vel an possint curare illas applicari alicui alteri.

Videtur sufficere, si Religiosæ Missas illas applicari curent cuilibet consilio quod ipsis videbitur 1. Quia Fundator non expressit; debere illam Missam quotidianam applicari ad requiem animæ suæ, ut distincte denotavit respectu duorum obituum, quod indicare videtur, eum Missarum illarum applicationem liberam relinquere voluisse Congregationi Religiosarum, ut eis utilior esset fundatio. 2. Quia fundationem illam instituit tantum, ut filiæ suæ precibus ac consilio satisfaceret. Illius autem Virginis non aliud fuit consilium, quam ut Congregationis consolationi consuleret, ut quotidie Missam Sacram audire posset, nullo habito respectu applicationis, quam celebrans facere posset.

Contra dici potest, existimandum esse, Fundatoris illius eam fuisse mentem, Missas illas applicatum iri ad requiem animæ suæ. Quid igitur Religiosæ circa hoc facere debent?

RESPONS.

Satis patet ex iis, quæ jam diximus, cum difficultati præcedenti respondebamus, veritati & justitiæ magis consentaneum esse, si dicatur, Fundatoris eam mentem fuisse, quantum conjici potest. Missas ab eo fundatas in illo Cœnobio celebrari & applicari ad requiem animæ suæ.

1. Quia jure merito conjiciendum est, ejus consilium non fuisse differens a consilio ordinario eorum omnium, qui ejusmodi fundationes instituunt. Nemo autem ignorat Fundatores omnes Missarum, & Obituum consilium habuisse distinctum, Missas illas, illosque Obitus applicatum iri ad bonum & solatium animarum suarum. Non aliter igitur judicari debet de mente Fundatoris, de quo agitur.

2. Quia si aliter de iis judicaretur, pertendendo eum censeri assensisse, ut Religiosis relinquatur libertas applicationis Missæ illius quotidianæ, inde sequeretur, eum assensisse illam applicatum iri hominibus ipsi plane incognitis, quod est extra omnem verisimilitudinem.

3. Verum quidem est, eum disertis verbis non significasse, Missas illas ipsi applicandas fore, sicuti significavit respectu duorum Obituum: At neque etiam declaravit, earum applicationem fore liberam. Æquitati igitur, charitati & grato animo magis consentaneum est, in dubio illo mentem ejus interpretari, modo ipsi favorabili, cum præterea ejusmodi interpretatio omnino consentiat cum eo animo quo vulgo fiunt ejusmodi fundationes.

4. Quod rationem præcedentem confirmare potest, hoc est scilicet, Fundatorem paratum fuisse ad illas Missas in alia Ecclesia fundandas, eumque tantum assensisse illas fundare in hoc Cœnobio ut filiæ suæ gratificaret, ut quoque Congregatio majori studio & observantia illam prosequeretur. Est autem extra omne dubium, quod si in qualibet alia Ecclesia hanc fundationem instituisset, nemo unquam pertendisset, licere Missas applicare in gratiam alterius, quam Fundatoris. Neque etiam igitur dubitari nequit eamdem mentem ipsi fuisse in casu proposito.

5. Denique ea tantum fuit Adelaidæ mens, Congregationi viam suppeditare, qua quotidie sacro Missæ Sacrificio adesset, quin cogitaret de applicatione, quæ Missæ fieri posset. Huic igitur filiæ suæ menti perfecte satisfecit Pater, quandoquidem fundatione sua hoc commodum in Congregationem contulit; quamvis tacite Missæ illius applicationem sibi reservaverit, quod neutiquam adversatur gratiæ, quam ab ipso petierat ejus filia.

Hæc est docti cujusdam Theologi decisio, quam tradidit in similem difficultatem, die decima Novembris an. 1642. (*a*). ejus verba non proferemus, ne Lectoribus tædiosi simus.

(*a*) Fr. Sylv. resol. var. v. Missa 8.

CASUS XXXVII.

ARCUDIUS in se suscepit, singulis diebus lunæ uniuscujusque mensis celebrare Missam ad *requiem*, fundationis, vel pietatis. Cum vero aliquando hac die celebretur dies festus duplex, vel semiduplex diei illius Missam celebrat in gratiam defunctorum. An id sine ullo peccato facere potest, & Missam de *requiem* non celebrare, quamvis peculiariter instituta fuerit in solatium defunctorum & licet Orationes quæ tunc recitantur videantur, illis magis prodesse debere, quam preces, quæ recitantur in Missis diei illius?

RESPONS.

Verum quidem est, Missam, quæ vocatur de *requiem*, specialiter institutam fuisse in solatium animarum defunctorum, ut probat Fagnanus (*b*) XIII. Conc. Tolet. habito an. 683. laudato a Gratiano (*c*). Certissimum tamen est, Sacrificium semper pariter utile esse defuncto, sive cantetur Missa ad *requiem*, sive Missa diei cujus Officium celebratur, ut docet idem Canonista (*d*). Quod attinet ad orationes, quæ recitantur in Missis ad *requiem*, fateri possumus cum illo Auctore (*e*); eas posse magis prodesse defunctis, quam cæteras, sed inæqualitas illa abundanter resarciri potest, non solum pietate peculiari Celebrantis, & pietate illius, qui curat Sacrificium offerri: sed etiam meritis, ac intercessione Sancti, cujus Officium die illa celebratur. Id docet S. Thomas (*f*), cum dicit: *In officio Missæ non solum est Sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes, & ideo Missæ Sacrificium continet duo horum, quæ hic Augustinus numerat scilicet, orationes & Sacrificium. Ex parte igitur sacrificii oblati, Missa æqualiter prodest, de quocumque dicatur: & hoc est principium, quod fit in Missa: sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatæ: Sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus qui facit dici, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.*

(*b*) Prosp. Fagnan. super c. Quidam de celeb. Missarum num. 20.
(*c*) Conc. Tol. XIII. in Can. Quicumque 13 §. 26. q. 5.
(*d*) Idem Fagnan. ib. n. 30.
(*e*) Id. ib. n. 31.
(*f*) S. Th. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. qu. 1. ad 5.

Arcudius potest igitur sine ullo peccato Missam diei celebrare pro Missa ad *requiem*: Quibus addere possumus; quod cum magis consentaneum sit Ecclesiæ praxi, celebrare Missam Sancti, cujus officium recitari jubet, prout dicit antiquum quoddam Concilium, laudatum in Corpore Decretalium (*g*), jure merito existimandum est, quod Fideles, qui Missam ad *requiem* expetunt, vel qui illam fundarunt, id tantum fecerunt, quatenus congruit cum Officio illa die celebrato. Ea est S. Antonini, Navarri, & Fagnani (*h*) sententia.

Concedimus tamen, quod cum Festum, quod evenit die, est tantum simplex, vel semiduplex, Arcudius absque peccato Missam ad *requiem* celebrare potest, juxta fundationem aut pietatem illorum, qui Missam illam expetiverunt: si vero Festum sit duplex, Missam diei hujus Festi celebrare debet, immo ipsi non licet celebrare Missam privatam votivam, nec potiori jure Missam defunctorum.

(*g*) Conc. Tol. cit. in D. c. Quidam.
(*h*) S. Anton. 2. p. sum. tit. 9. 10. c. 1. Navar. de Pœnit. & remiss. consil. 57. n. 2. Prosp. Fagnan. l. c. n. 9.

CASUS XXXVIII.

BASILIUS in se suscepit celebrare singulis diebus Mercurii Missam ad *requiem*, ad altare, cui privilegium annexum est. An potest Missam ad *requiem* non celebrare, cantare vero Missam Sancti cujus Officium die illa celebrat, quin detrimentum aliquod patiatur effectus indulgentiæ?

RESPONS.

Nulla refert, quamnam Missam Basilius celebret, si privilegio a Papa concesso dicatur solummodo, eum indulgentiam concedere in gratiam defuncti cujus causa celebrabitur Missa, & cui indulgentia applicabitur; quia defunctis applicari potest diei Missa, ut & Missa ad *requiem*. Si vero verba Diplomatis Summi Pontificis Indulgentiarum habent, Papam illud privilegium concedere in gratiam defuncti, cujus causa Missa ad *requiem* celebrabitur; eo casu omnino necessarium est, ut indulgentia defuncto illi applicetur, Missam ejus causa celebratam esse Missam ad *requiem*; Nam juxta Glossæ axioma (*i*), *Indulgentiæ tantum possunt: prout verba sonant*, vel sicuti loquitur S. Thomas (*k*), *tantum valent, quantum prædicantur*. Sicut doctus ille Canonista Fagnanus (*l*) respondet ad difficultatem illam, & post illum Auctor Colloquiorum Condomensium (*m*). Sed id in-

(*i*) Gloss. in c. Quod autem v. Profine de pœn. & remi.
(*k*) S. Th. in 4. d. 20. q. un. a. 3. q. 3. in corp.
(*l*) Prosp. Fagnan. ad cap. quidam 2. de celeb. Missar. num. 14.
(*m*) Colloq. Condom. tom. 2. coll. 6. sc 5.

intelligi debet tantum de diebus, quibus Missam mortuorum celebrare licet: Nam observanda est Disciplina præscripta in Ecclesia ubi unusquisque degit.

CASUS XXXIX.

Isidorus, S. Elpidi Presbyter, animadvertit incolas vici pendentis ex ipsius Parœcia omnino negligere se conferre ad Ecclesiam Parochialem, ut adessent Missæ cum cantu & institutionibus, quas singulis diebus Dominicis docebat. Id factitabant præsertim tempore eluvionum, quæ viam inexplicabilem reddebant, contentique erant audire Missam sine cantu, quæ celebrabatur die Dominica in facello illius vici. Isidorus decrevit, consentiente illo, qui Fundatoris personam gerit, curare Missam illam celebrari die Mercurii, ut eos sic cogat se conferre ad Parœciam. Circa quod quæritur, an Sacerdos ille mutationem illam facere potuerit ex auctoritate sua, & an Fundatoris successor in id consentire potuerit salva conscientia?

RESPONS.

Sacerdos ille hanc mutationem auctoritate sua privata facere non potuit, quamvis assensum dederit ille, qui Fundatoris personam gerit. Non enim jus habet Sacerdos tranferendi in aliam diem celebrationem Missæ, quæ fundata est, ut die Dominica celebretur. Debebat igitur satis esse Isidoro significare vici Incolis, quod cum Missa illa fundata fuerit tantum ob solam eorum necessitatem, & ne Missa privarentur, si quodam tempore propter eluvionem ipsis impossibilo foret ad Ecclesiam Parochialem se conferre, Eos vero non posse sine peccato se liberare ab hoc officio, scilicet ut Ecclesiam Parochialem frequentent, cum ipsis possibile erat, ut adessent Missæ cum cantu, ac institutionibus Sacerdotis. Si autem consilium illud neglexissent, Sacerdotis erat ad Epicopum confugere, ut ad obedientiam adigantur, & ejus mandata observent.

Decisionis illius ratio hæc est ut jam alibi diximus & ut probat Sylvius (a), scilicet non esse penes Sacerdotem Fundatorum voluntati derogare; immo jus illud non esse penes illos, qui Fundatorum personam gerunt; contra eos teneri curare Auctorum suorum voluntatem perfici in omnibus circumstantiis, & viis legitimis intercedere iis, quæ contra voluntatem illam fieri possent, donec aliud mandaverit Ecclesia ad majorem Dei gloriam, & Fidelium salutem (b).

(a) Fr. Sylv. resolut var. v. Missa.

(b) A Sancta Beuve tom. 3 cal. 12.

CASUS XL.

Celestinus, Sacerdos, cui mandatum est fundatione, Missas tres celebrare singulis hebdomadibus, potestne ex conscientia illarum celebrationem anticipare vel differre, cum prævidet fore ut per aliquot hebdomadas illas celebrare non possit.

RESPONS.

Sacerdos ille a peccato liberarl non potest, si culpa sua differat Missas illas celebrare, & sine ulla causa legitima, quia illas differens, detrimentum insigne vivis ac mortuis affert, in quorum gratiam sacrificium offerre tenetur. Contra vero vituperandus non est, dum illas accelerat, si prævideat fore ut illas celebrare non possit, tempore a fundatione definito: Modo tamen fundationis illius Tabulæ non habeant clausulam huic anticipationi contrariam. Dicl enim potest, quod quemadmodum qui solvit debita ante tempus definitum laude dignus est; pariter Cœlestinus dignus est qui laudetur ob suam providentiam, qua præexequitur ea ad quæ tenetur ex fundatione. Decisio illa est Auctoris Colloquiorum Diœceseos Condomensis (c).

(c) Colloq. Condom. to. 2. Colloq. 6. sect. 3.

CASUS XLI.

Aponius, Sacerdos, a Paulo accepit honorarium trium Missarum, quæ ipsi a Paulo demandatæ sunt; ut a Deo impetret gratias & cognitiones necessarias in judicio litis momentosæ, quæ post quinque vel sex dies dijudicanda erat. Postea novit litem dijudicatam fuisse Pauli detrimento, aut litem compositam fuisse compositione inter partes constituta. An Aponius tenetur Paulo restituere tria stipendia, quæ ab ipso accepit, & propter quæ ipsi celebranda erat Missa tempore debito, cui obligationi defuit?

RESPONS.

Quandoquidem Aponius præ negligentia non satisfecit voluntati peculiari Pauli, qui ei tria honoraria dederat; ac quandoquidem Paulum injuste orbavit fructu, quem inde sperabat; non videtur restitutione liberandus. Ea est Cabassutii sententia (d), dicentis: *Restituere tenetur Sacerdos Missarum stipendia quibus non satisfecit, aut quarum celebrationem nimium distulit, adeo ut verisimiliter non profuerit secundum specialem intentionem ejus qui stipem dedit.* Hujus decisionis exemplum istud affert, quod idem est ac exemplum speciei propositæ. *Ut si ad obtinendum aliquem successum petita Missa, fuerit eo usque dilata, ut occasio præterierit ante celebrationem, Sic enim frustrata per Sacerdotis culpam intentione petentis, non potest retineri stipendium oblatum, quin violetur commutativa justitia.*

(d) Jo Cabass. jur. Can. prax. & theor. l. 6. c. 14. n. 18.

CASUS XLII.

Æmilia, fœmina Turcia, cum Religionem Christianam amplexa fuerit, ac videat Hassanum maritum suum in Religione Muhammedana obstinatum remanere, orat Landrinum Sacerdotem, ut ipsius causa Sacrum Missæ Sacrificium offerat. An id facere potest sine peccato; si autem Hassanus Ethnicus esset, ac Idololatra, an etiam id facere potest.

RESPONS.

Landrinus offerre potest sine ullo peccato Missæ Sacrum Sacrificium, ut Hassani conversionem a Deo petat, quamvis sit Muhammedanus, idemque facere posset, quamvis Hassanus Ethnicus esset & Idololatra. Id Divi Pauli auctoritate probari potest (e), qui præcipit preces nuncupari non solum pro Regibus & Principibus, qui ipsius ævo omnes certissime erant Ethnici; immo etiam pro cunctis hominibus. *Obsecro igitur*, inquit Apostolus ille, *primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

(e) Ad Tim. 2. 1. & seqq.

Illa Apostoli auctoritate S. Chrisostomus probat (f), orandum esse non solum pro fidelibus, sed etiam pro infidelibus. En quomodo mentem suam exprimat. *Sed si forte quis dixerit, pro omnibus quod ait, tantum fideles intelligi voluisse.* At id verum non esse quæ sequuntur, ostendunt, denique ait: Pro Regibus, *neque enim tunc Reges Deum colebant, verum multis post ea temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, persliterunt.* Et Pater ille, ut impediret, ne Fideles existimarent cum ipsis præcipere orationes pro Regibus & pro in Dignitate constitutis tantum aot ab eis impetraret favere Religioni Christianæ, cujus sectatores pro iis orabant, addidit, eos orare debere, ut a Deo impetrent gratium, vitam quietam & tranquillam in omni pietate agendl, eos denique certiores facit, ipsos sic rem Deo gratam, acturos, desiderat enim Deus omnes homines salvos fieri: *Quoniam vero consequens esse cernebat ut Christiani animus ad istas torpesceret, neque hujusmodi admitteret monita, siquidem pro gentili Sacramentorum tempore preces oporteret offerri vide, quid secutus adjunxit, ut ex consideratione lucri admonitionem facilius libentiusque susciperent, ut quietam inquit, & tranquillam degamus vitam: ac si dicat, in illorum salute securitas nostra consistit.*

(f) S. Chrys. hom. 6. in 1. ad Tim. 2. de Adam & Eva.

Omnia, quæ ex S. Chrysostomo nunc retulimus aperte probant Sacrificium Sacrum pro Infidelibus & Ethnicis offerri posse, cum eo sensu explicet Apostoli verba, quæ eodem modo Sanctus Augustinus (g) interpretatur cum scribit ad Paulinum, qui eorum explicationem rogaverat & cui his verbis respondet. Eligo „ in his verbis (Apostoli) hoc intelligere quod omnis

(g) S. Aug. Ep. 140. alias 59. n. 16.

„ omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut „ *precationes* accipiamus, dictas; quas facimus in „ celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa, incipiat benedici, *orationes* eum benedicitur & sanctificatur; „ & ad distribuendum comminuitur; quam totam „ petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit „. Eamdem Doctrinam Magnus ille Sanctus docet in Epist. quam scribit ad Vital. (*a*), qui nolebat orari pro Infidelibus ac Ethnicis: Ille autem probat, non satis esse illos instituere, sed præterea pro iis orationes fundendas esse in celebratione Mysteriorum Sacrorum, cum ea sit Ecclesiæ praxis. *Numquid & orare probibebis Ecclesiam pro infidelibus, ut sint fideles? pro his qui nolunt credere, ut velint credere?.... Nunquid ibi audieris Sacerdotem Dei ad ejus Altare Populum hortantem ad Deum orandum, vel ipsum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam venire compellat, non respondebis, Amen?..... Numquid postremo Apostolum Paulum pro Judæis infidelibus habentem talia vota culpabis?* Quibus addit, quod si Vitalis contrarium docere pergat, ab Ecclesiæ corpore resecabitur.

(*a*) Id. Ep. 217. alias 107. nu. 26. & 27.

Illis omnibus addi possunt Papæ Celestini auctoritates in sua Epist. ad Episc. Galliæ (*b*), in qua idem his verbis docet: *Cum enim sanctarum plebium Præsules mandata sibimet legatione funguntur, apud divinam Clementinam humani Generis agunt causam, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant & precantur, ut Infidelibus donetur fides, ut Idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus: ut Judæis; ablato cordis velamine, lux veritatis appareat.*

(*b*) Celestinus Ep. ad Episc. Galliæ c. 8. apud Sirmundum tom. 2. Conc. Gallic. pag. 63.

S. Greg. Magnus (*c*), in eadem pariter est sententia, cum postquam Ecclesiam cum Jobo, hæreticos cum Eliu comparasset, dicit Deo grata non esse Sacrificia ab hæreticis oblata, eaque ipsis utilia esse nunquam posse, nisi cum ab Ecclesia Deo offeruntur in ejus conversionem; & ad id significandum Deum Jobo præcepisse Sacrificium offerre in gratiam infidi illius amici, & duorum aliorum. *Pro quibus tamen* (tribus amicis) *Job exorare præcipitur: quia hæreticorum Sacrificia accepta Deo esse non possunt, nisi pro eis universalis Ecclesiæ manibus offerantur: ut ejus meritis remedium salutis inveniant, quam verborum suorum jaculis impugnando feriebant.*

(*c*) S. Greg. l. 23. Moral. c. 8.

Theologi ad litteram SS. Patrum doctrinam hac de re secuti sunt. Estius, Sylvius, Bellarm. (*d*) & ingens aliorum numerus uno animo docent, Missæ Sacrificium sacrum offerri posse pro Ethnicis, Idololatris, Infidelibus ac Excommunicatis; modo tamen eorum nomina ad Altare non exprimantur. *Existimo id licere*, inquit Card. Bellarm. *modo nihil addatur ad Missam sed solum per intentionem Sacerdotis applicetur Sacrificium conversioni Infidelium: sive hæreticorum. Id enim multi faciunt viri pii & docti, quos reprehendere non possumus; neque extat expressa Ecclesiæ prohibitio.*

(*d*) Guill. Estius in 4. d. 2. §. 23. Fr. Sylv. in 3. p. S. Th. q. 83. art. 1. q. 8. Rob. Bell. l. 2. de Miss. c. 6.

Ratio quæ veritatis, quam jamjam confirmavimus, reddi potest, hæc est, scilicet ut ii quorum gratia offertur sacrum Sacrificium; ex eo fructum percipiant, non omnino necessarium est, eos in se habere animi affectiones quæ ipsis necessariæ essent, ut ipsis prodesset Sacramentum quod acciperent. Quamvis enim Sacrificium sacrum effectum suum producat, *ex opere operato*, ut Theologi loquuntur; hoc est, propria ejus efficacia, non attendendo ad bonitatem vel sanctitatem offerentis, cum tamen affectum eodem modo non producit ac sacramenta, quæ sunt instrumenta, quibus Deus utitur ut gratiam suam certissime producat in iis, qui huic obstaculum non apponunt. At Sacrificium præcipuum suum effectum operatur ad modum impetrationis; hoc est misericordiam divinam flectendo, & ab ejus Bonitate infinita impetrando ut eos convertat. Et idcirco offerri potest in gratiam eorum, in quibus nulla est sancta affectio. *Ex his intelligi potest*, inquit Sylvius (*e*), *quæ dispositio requiratur pro quo offertur Sacrificium. Nam ad auxilium gratiæ prævenientis ad donum pœnitentiæ & conversionis impetrandum, nulla dispositio est necessaria: Offertur enim etiam pro illis, qui toti sunt aversi a Deo, ut convertantur.* Observandum tamen est, respectu privatorum; qui excommunicati sunt, Celebrantem nunquam recitare debere eorum nomina in actione Sacrificii, ut jam dictum est, sicuti nec etiam nominandi sunt in precibus publicis, quas Ecclesia fundit pro fidelibus, qui ejus corpus componunt, cum absen excommunicatione se sejunxerint, ac ejus vera membra non sint amplius. Contentus igitur esse debet Sacerdos, si sacrum Sacrificium Deo offerat; ut ab eo in eorum gratiam petat pœnitentiæ & sinceræ conversionis donum.

(*e*) Fr. Sylv. loc. cit. q. 14. concl. 4.

C A S U S XLIII.

Euprepius, Sacerdos, nihil habet præter Missæ suæ stipendia, unde victum quærat: animadvertens autem quod nullum erit ipsi stipendium per hebdomadam, per quam cogetur rusticari; singulis tamen hebdomadæ illius diebus celebrat, & Sacrificium applicat iis qui post ejus reditum ab ipso Missas petent. Circa hoc quærit, si quispiam deinceps ei septem libras cum decem assibus tradat ob decem Missas, quas ab eo petit, an ejus intentioni satisfacere possit, pro eo bis tantum celebrans, & ei applicans octo illas Missas, quas per anticipationem cure celebravit?

R E S P O N S.

Praxis illa certo est damnanda, quandoquidem Sacerdos ille, Missam sic præcelebrans, eam applicare non potuit juxta intentionem illius, qui ab eo decem petiit post ejus reditum. Illa enim nullam tunc intentionem habebat definitam, tempore quo per anticipationem celebrabat Euprepius & forsan tunc non cogitabat de curando Sacrificium pro se offerri. Quippe voluntas illa & intentio illa oritur tantum ut plurimum ex eo, quod actu quispiam indigat quibusdam gratiis eo solum tempore quo adit Sacerdotem, qui offerat sacrum Sacrificium, cujus ope gratias illas a Deo impetret. ....

Quapropter praxis illa, quæ tantopere avaritiam sordidam redolet, sapienter admodum damnata est a Sacra Cardin. Congreg. coram Paulo V. ipso, & cum ejus approbatione, die 5. Nov. 1605. ut testatur Gavantus (*f*). *Citius quoque celebrando peccatur*, inquit auctor ille, *anticipata scilicet applicatione Sacrificii, nempe incerta, pro eo, qui postea eleemosynam dederit, cum suspensione effectus Sacrificii: quæ anticipata applicatio prohibita fuit a Paulo V. velut avaritiæ fomes, die 5. Novemb. 1605.*

(*f*) Barthol. Gavant. Man. Episcopor. v. Miss. n. 13. Et comment. in Rubr. Missalis part. 3. t. 12. n. 16.

Ea est Sylvii decisio (*g*), qui fuse & docte probat, ejusmodi praxim esse abusum, immerito introductum a quibusdam Casuistis; quos laudat; ac universo Ecclesiæ usui contrarium: quod probat Clem. VIII. Decreto, a Barbosa (*h*) laudato, & quod ipse totum refert, quo Papa ille praxim illam damnat, mandatque Episcopis, & Ordinum Disciplinæ observantissimorum Generalibus Præfectis, ut excommunicationem adhibeant ad praxim illam abolendam. Videre est apud illum, auctorem quibus solidis argumentis refutet rationes, quibus nituntur illi, qui opinionem contrariam defendere conati sunt.

(*g*) Sylv. orat. 12. tom. 3. pag. 776. Edit. Antuerp.

(*h*) Aug. Barbosa Allegat. 24.

C A S U S XLIV.

Ptochodochium Oppidi Sancti Juliani fundatum est, ut exciperentur pauperes loci illius, ea conditione distincta, ut ibi singulis diebus Missa privata celebraretur: Postea evenit, proventus sufficere non potuisse, ut ambabus illis obligationibus satisfieret, propter pauperum nimium numerum qui ei sunt, novo oneri. Ab aliquot annis eo res redierunt, ut Missa ibi celebrata fuerit solummodo diebus Dominicis, & Festis. Circa hoc quæritur, an Superiores, & administratores illius Ptochodochii salva conscientia potuerint sic se gerere; & quid teneantur facere, supponendo, eos non potuisse aliter agere?

R E S P O N S.

Ptochodochii illius Administratores salva conscientia non potuerunt Missarum numerum a fundatione definitarum subtrahere: sed debuerunt ut satisfacerent legi ipsis voluntate Fundatoris impositæ, curare, Missam quotidie in eorum gra-

tiam celebrari, & quod superetat bonorum debuerunt adhibere in pauperum solatium; quoniam peneс ipsos non est, quidquam immutare in fundatione, eo obtentu ut in Xenodochium illud excipererit majorem pauperum numerum, quam ipsis permittere potest proventus, qui supereft, Missis omnibus celebratis. Id probat Sylv. (a), auctoritate Concil. Trid. *Si Hospitale*, inquit, *sit aeque fundatum cum onere Missae quotidianae, atque sub onere excipiendi pauperes; omnes illae Missae sic persolvi debent ex bonis Hospitalis, ut quod, praeter ea quae pro Missarum celebratione sunt necessaria, superfuerit, in pauperum exceptionem expendatur, juxta Decret. Conc. Trid.* (b)

(a) Fr. Sylv. resol. var. v. Missa 3. Ref. ad 2. qu.

(b) Conc. Tr. sess. 25. de reform. c. 8.

Administratores non fuere fideles Curatores, cum sibimetipsis contra justitiam tribuerint potestatem qua non gaudebant, & quae erat contraria Fundatorum voluntati ac dispositioni. Quapropter tot Missas celebrari curare debent, quot omissae sunt, si ex bonis Xenodochii proventus ad id sufficientes supersint. *Si neglectis, seu praetermissis Missis in fundatione praescriptis*, addit doctus ille Theologus, *bona sint in pauperum exceptionem expensa, & bona Hospitalis superabundent, ex eis debent suppleri Missae praetermissae.* Si vero nullae iis supersint opes, non tenentur ad hoc supplementum de praeterito: *Si non superabundent, nulla restat obligatio pro praeterito.*

Caeterum, supposito quamdam immutationem fuisse faciendam, ut executioni mandetur fundatio de qua agitur, ejus cognitio ad Episc. Dioeces. solum pertinebat. Quem ideo Xenodochii illius administratores consulere debebant, & ad ejus mandata se conformare, ut jam saepe diximus.

CASUS XLV.

Lampadius, miles, a multis annis in continua peccati mortalis consuetudine vivit, eique semper fuit voluntas in illa perstandi. In eo desfendo statu Missam Sacram diebus Dominicis, & Festis audivit. An peccavit, dum Missae adsuit, & si peccavit, nonne potius abesse debuisset, ut sic novum peccatum non committeret?

RESPONSIO.

Nullum est dubium, quin Lampadius peccavit, dum Sacro Missae Sacrificio adsuit in misero illo statu, & in ea voluntate in illo permanendi; & quin debuerit, non quidem vacare quandoquidem ad hoc tenebatur sub poena peccati mortalis Missae adesse, sed adesse debebat anima poenitente, peccato & pravae ejus agendi rationi omnium mittens.

Veritatem istam persuadere non est difficile iis, quibus supereft quidam sensus Fidei, & Religionis, & quibus est sana mens. Merito enim Lampadius comparari potest cum filio ingrati animi reo & inhumano; qui postquam Patrem suum convitiis lacessiverit, ad ejus pedes provolvit, & poenitentiam suam extrinsecus denotat; dum in intimo corde semper paratus est eum iisdem convitiis lacessere, ei eumdem ingratum animum testari. Hic animi sensus ita culpandus est & contumeliosus, ut si notus foret Patri, necessario ejus indignationem concitaret in eum. Filius quoque ille magis reus semper evaderet, Patris bonitati iterum atque iterum insultans fraude & fallacia tam culpanda. Idem plane facit ille, qui cum in animo habeat pergere in peccato vivere, coram Deo genua flectit, & Sacro Missae Sacrificio adest sine ullo poenitentiae sensu. Nemo enim dubitare debet, quin Deus, cui perfecte nota est illius animi affectio omnino desflenda, magis etiam quam antea ejus hypocrisin indignetur.

Reipsa homini illi eae sunt animi affectiones, quae plane sunt contrariae iis, quibus affici debet, dum Sacrificio Divino interest, cum augustum illud mysterium, in quo Jesus Christus Patri Aeterno offertur, signum sit externa perfecti obsequii, summae observantiae, quam Deo debemus, & clientelae, quam apud eum profiteri debemus: Mysterio autem illi augusto digne adesse non possumus, nisi afficiamur animo poenitente, & sincero grato animo ob omnia beneficia, quae ab ejus bonitate infinita accepimus. Quaenam vero est animi affectio illius, qui vitam dissolutiorem agere pergit, quin velit ab ea se revocare, & qui eo nomine quod velit Ecclesiae praecepto obedire, maximo & formidando admodum Religionis Mysterio interest? Haec est scilicet, Deo se subjicere recusat, Leges ejus contemnit, eique dedecori est criminibus suis, ingrato est erga eum animo, ejus misericordiam despicit, justitiaeque ejus insultat. Hisce positis an ejusmodi homo novi peccati excusari possit, cum Missae adest, cum consilio in peccato mortali permanendi? Quis pertendat, eum impune tegere posse iniquitatem suam, velo actionis religiosae mere exterioris. Longe magis accuratius est, procul dubio, illum comparare cum Juda, qui ausus est Sacra Eucharistia pasci cum nefando consilio Jesum Christum prodendi, & qui perfidiam suam texit osculo, quod est signum exterius, & sensibile pacis & amicitiae, vel cum reo laesae Majestatis, qui postquam saepissime in Principem suum rebellavit, proditionum suarum veniam ab ipso petit, dum novas meditatur, & tunc etiamnum ejus hostibus conjunctissimus est.

Existimamus igitur, Lampadium, ut Sacro Missae Sacrificio intersit, quin novi peccati reus evadat, sensu poenitentiae sincerae affici debere, vel saltem ipsi sinceram esse debere mentem gratiam conversionis suae a Deo petendi, cum spe illam a misericordia divina impetrandi; & cum voluntate ad eam ipsam conferendi, quantum poterit. Si Missae eo animo adsit, non solum non peccat, licet deinceps in peccatum iterum delabatur, vehementer cupiditate victus, sed sperare debet, fore ut si pergat Sacris Mysteriis adesse cum bonis istis animi affectionibus, impetret tandem merito & efficacia Sacrificii adorandi Corporis, & Sanguinis Salvatoris, gratiam verae & perfectae conversionis. Si contra Missae adsit tantum ex consuetudine vel prae reverentia humana, ut non habeatur homo impius, si adsit cum consilio distincto perstandi in pravis suis consuetudinibus, non solum ei inutile est divinum Sacrificium, sed etiam graviter peccat, quod abutatur Sanctiss. Mysteriorum nostrorum, Sanctissimam oblationem profanet, & impietate sua coram Deo abominandum se praebeat.

Novimus quidem, proh dolor! hancce agendi rationem nunquam fere haberi culpandam apud homines carnales & profanos, quia plane vulgaris est: *Peccata quamvis magna & horrenda*, inquit Aug. (c) *cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur.* At periculosissimum est stare hominum judicio, cum de peccatorum natura judicandum est, & Dei judicio solummodo standum est: *Quae sint aut levia, quae gravia peccata, non humano, sed divino pensanda sunt judicio*, inquit idem Pater.

(c) S. August. Enchiridion num. 21.

Non inde tamen sequitur, quod Ecclesia dum omnibus fidelibus praecipit, ut Missae adsint diebus Dominicis & Festis, peccati periculo exponat eos, qui nolunt poenitentiam agere; cum id ipsis praeceperit tantum, ut faciliorem illis indicet viam peccatorum suorum veniam, & conversionis suae gratiam impetrandi. Quapropter qui ita sunt scelesti, ut via tam facili tamque utili abutantur, de semetipsis conqueri solammodo debent, non vero de Lege Ecclesiae, quae eo tantum tendit, ut fideles impellat ad Deum colendum prout debent, & saluti suae operam navent modo magis efficaci. Decisio illa consentanea est cum sententia Auctor. Colloq. Rupellens. (d)

(d) Coll. Rupell. de Sacrificio qu. 57. 58. & 59.

CASUS XLVI.

Dorothea, Magnatis cujusdam vidua per viginti dies a mariti sui obitu in aedibus suis remansit, nec egressa est; juxta morem feminarum sui generis, observatum in regione ubi degit, & per totum tempus illud Missae non interfuit. An mos ille peccati mortalis illam excusat?

RESPONSIO.

Qui am Auctores hanc Matronam peccati mortalis, culpa liberant in regionibus ubi mos ille in usu est, & cum Episcopi huic consuetudini non intercedunt Mandatis contrariis. Ea est S. Antonini sententia (e). *Quod viduae*, inquit, *aliquibus diebus, vel hebdomadis, in morte viri sui maneant domi in signum tristitiae, unde & Missam non audiant, videtur tolerandum, si est de more patriae;* sed

(e) S. Anton. 2. part. Summ. Th. 2. 9. §. 2.

sed quod maneant per integrum annum, vel per semestres, excusari non possant, quia abusio est. Cardinalis Cajetanus viduis quoque mensem concedit (a) *Excusantur mulieres per mensem luctus*, inquit, *juxta patriæ consuetudinem a Missa*. Silvester Prierius (b) ait quoque: *Ab hoc præcepto audiendi Missam .. excusantur .... viduæ, post mortem mariti brevi aliquo tempore, puta hebdomadæ vel mensis ex consuetudine*. S. Carolus Borromæus videtur etiam consuetudinem illam tolerasse: hisce enim verbis loquitur in primo suo concilio Provinciali, habito Mediolani anno 1565.: *Viduæ ob maritorum mortem ad summum ac mense amplius sint sine Missæ auditione. Qua in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Episcopi etiam censuris Ecclesiasticis id facere cogat*. Denique Navarrus (c), qui postea scripsit, morem illum pariter tolerat: quod indicium est, eum vulgo in Italia usum viguisse, ut viget etiamnum hodie in Lusitania, ubi Matronæ nobili genere natæ in ædibus suis manent seclusæ per quadraginta dies a die maritorum suorum mortis.

(a) Th. de Vio Card. Cajet. v. Fest. 3.
(b) Sylvester v. Missa in. c.
(c) Nav. Manual c. 21. n. 4.

Ad confirmandam primam illam opinionem, in medium afferri videtur posse usus in Orientali Ecclesia observatus; nempe fæmina quæ filium peperit, a partu suo tantum post quadraginta dies in Ecclesiam ingreditur vel post octogita dies si filiam enixa sit (d)

(d) Galliæ litera Liturgica, pag. 464.

Non existimamus tamen, hanc consuetudinem præcepto generali Ecclesiæ derogare posse, quod sæpissime iteravit, quo unusquisque renetur adesse diebus Dominicis & Festis sacro Missæ sacrificio. Nam sicut ait Innocentius III. (e) scribens ad Episcopum Pictavientem: *Consuetudo quæ canonicis obviat institutis, nullius esse debet momenti*: atque idcirco abolenda est, prout dicit idem Papa in alia Decretali, quam inscripsit ad Decanum Collegii Canonicorum Ecclesiæ Cenomanensis (f).

(e) Inn. III. in c. Ad nostram 3. de consuetudine l. 1. t. 4.
(f) Idem in c. Cum inter. cod. t.

Ejusmodi autem consuetudo omnino contraria est iis, quæ sacri Canones hac de re omnibus fidelibus præceperunt, & aperte tendunt ad evertendam eorum auctoritatem: tanquam abusiva spectari igitur debet. Ac revera quonam fundamento nititur nisi Magnatum vanitate? Nonne Religio quam profitentur eos docet, ut & cæteros fideles, illas luctus demonstrationes & lacrymas plane inutiles esse ad solatium animarum eorum quorum lugent mortem: & orationem solam, & alia pietatis opera, ipsis utilia esse posse, ut docet (g) S. Augustinus.

Verum nonne dici potest consuetudinem ita contrariam Ecclesiæ ingenio, Ethnicam potius quam Christianam Religionem redolere? Idcirco Episcopi Americani, in Concilium congregati, in urbe Lima, postea in urbe Mexica, anno 1585. usum illum damnarunt, tanquam Ecclesiæ regulis contrarium.

(g) Pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ monumentorum opulenta constructio vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjumenta mortuorum; orationibus vero sanctæ Ecclesiæ & Sacrificio salutari & eleemosynis, qua pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuveri, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. S. Aug. serm. 172. n. 2. nov. edit.

Unde concludimus, quod quamvis ejusmodi consuetudo vigeat in quadam regione, ad eam nemo se conformare potest absque peccato: quia præcepti Ecclesiæ veritas hunc usum vincere debet. Id probari potest eximiis hisce S. Cypriani verbis in Canone laudatis; " (h) Consuetudo, quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet quominus
" veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo
" sine veritate vetustas erroris est: propter quod re-
" licto errore sequamur veritatem. Verba illa, quæ Sylvester Mozolinus laudat, & quibus nititur, ut probet viduæ non licere per sex menses post mariti sui mortem abesse a Missa, probant pariter adversus ejus opinionem, illi quoque non licere omittere præceptum, quod ad id eam devincit unicum mensem: cum præceptum illud sit universale, receptumque ac in praxim revocatum ab omnibus fidelibus, neminemque excipiat eorum, qui ipsi obtemperare possunt.

(h) S. Cyp. can. Consuetudo 2. d. 8.

Auctores qui pravæ illius consuetudinis tolerantiam comprobant, nullam afferunt rationem legitimam. Id mox vidimus Sylvestri respectu. Ratio, quam affere S. Antoninus, majoris non est ponderis, non enim probat usum illum tolerandum esse per hebdomadam, vel mensem, potius quam per multos mensea. Et ratio, qua nititur, ir pariter probar non licere abesse ab Ecclesia, & se immunem præstare ab audienda Missa vel etiam semel. Quando enim, ut ostendat hunc esse abusum, per sex menses Missæ non adesse, exemplum affert Magdalenæ ac Marthæ, quæ domi remanserant, ut exciperent, ipsas visitantes dolorem ipsis significandi gratia, ob mortem Lazari fratris ipsarum. Illæ autem e domo egressæ sunt, ubi audierunt Jesum Christum accedere. Ideoque potiori jure debemus domum luctus deferere, ut ad Ecclesiam nos conferamus, & divinum illum Servatorem adeamus; qui ibi Patri suo in Sacrificium offertur ad remissionem peccatorum nostrorum. Ratio illa proculdubio non minus valida est, ad probandum Salvatorem adeundum esse, a prima hebdomada, diebus obligationis.

Quod attinet ad id quod habet Concilium Mediolanense; satis dignoscitur, vanam perniciosamque consuetudinem, quæ tunc vigebat inter viduas Provinciæ Mediolanensis, abesse ab Ecclesia per longum tempus, damnaria S. Carolo Borromæo, tanquam ingentem abusum, Et Episcopos, qui cum ipso Concilium illud componebant, intelligentes facile non futurum illico consuetudinem illam abolere, credidisse statim se contentos esse debere, *ad summum ac mense amplius*, duraret licentia illa, quam sibi viduæ permittebant, eam consuetudinem ad longius tempus extendendi. Timebant autem Episcopi, ne prisca consuetudo illorum prohibitionem vinceret, quocirca mandarunt illas excommunicatione coactum iri. Id etiam post viginti annos præcipit Concilium Mexicanum (i), a Sixto V. approbatum. Hæc sunt, ut videtur, quæ ab illius Concilii verbis inferri possunt, & quæ de difficultate proposita dicere possumus.

(i) Conc. Mexican. an. 1585. l. 2. t. de Feri. §. 6.

Addemus tantum argumentum allatum, ductum abusu Ecclesiæ Orientalis, non esse regulam in Ecclesia Occidentali observandam. His adde, quod juxta illum ipsum usum, in Ecclesia illa licet puerperis in vicos egredi, ubi per earum valetudinem viresque licet, sive ut amicos visitent, sive ut negotiis suis operam dent: quod difficile est conciliare cum prohibitione Ecclesiam non frequentandi ubi ipsis possibile est, ut Deo gratiarum actiones debitas persolvant, cæteris omnibus negotiis posthabitis.

CASUS XLVII.

Herculus, neglexit satis cito ad Ecclesiam se conferre, ut Missam sacram die Dominica audiat: eo advenit tantum Missæ tertia parte jam celebrata. An præcepto satis fecit; quia cæteras Missæ partes audivit: vel anne peccatum mortale patravit?

RESPONSIO.

S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus (k), sibi objicit verba ista antiqui cujusdam Canonis deprompti a Concilio Agathensi, habito an. 506. (l) *Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine præcipimus*. Illis autem respondet dicens, rem minimam posse censeri nullam omnino, & Canonem illum tam stricto jure explicandum non esse, ut credatur illum, qui Missæ introitum non audivisset non satisfecisse præcepto, quod vult illam totam audiri. Illi tamen non satisfacit, si partem notabilem omittat, veluti mediam vel tertiam partem. Hanc sibi effingit objectionem: " Dubium est de eo qui
" dimittit aliquam partem Missæ, puta Introitum,
" videtur quod non satisfaciat: quia Canon *Missas*
" dicit *Totas*, id est integras. (En ipsius responsum
" & sententiam) Respondeo quod modicum pro ni-
" hilo reputatur (de consecrat. dist. 1. can. Revera)
" nec verba legis ita amare interpretanda sunt.
" Ideo dicendum est, quod talis judicandus est ser-
" vator præcepti. Sed si dimitteret notabilem par-
" tem, puta mediam, vel tertiam partem, secus.

(k) S. Anton. 2. p. summ. th. t. 9. c. 10. P. 1.
(l) Conc. Agathens. in can. Missas, 64. de consecrat. d. 1.

Inde sequitur, juxta sancti illius sententiam, Herculum Ecclesiæ præcepto non satisfecisse, in specie proposita, ac ideo eum negligentia sua mortale peccatum patrasse.

Difficultatem illam expendit Gabass. (m), ac postquam observavit inter summistas omnes non convenire de hoc argumento, addit opinionem vulgarissimam esse, omissionem eorum omnium, quæ Epistolam præcedunt non censenda esse satis notabilia, ut qui illa non audiverit, habeatur peccati mortalis reus sed eum reum evasurum, si Missæ adesset tantum post

(m) Joan. Cabassut. Juris. can. Theor. & Prax. l. 2. c. 32. n. 7.

post Epistolam, nisi aliqua causa legitima eum impediret; hancque esse opinionem Tobienæ, Navarri, Suarez, Henriquez, Toleti (a), Bonacinæ, & multorom aliorum Auctorum ab his ultimis laudatorum: "Quamvis diversi diversa sentiant *inquit* „ *Canonista ille*, communior tamen & probabilior „ sententia est docentium omissionem auditionis a „ principio usque ad Epistolam exclusive, non esse „ partem notabilem; sed si ipsa quoque omittatur „ Epistola, neque ulla excuset necessitas, materiam „ esse mortalis delicti. Nou improbat tamen quorumdam Auctorum opinionem, existimantium sufficere, ut peccatum mortale vitetur, a principio Evangelii Missæ adesse. Reipsa in multis Missis sunt Epistolæ admodum breves, & quarum lectio duobus vel tribus minutis perficitur. Hanc ultimam sententiam amplectitur Sylvius, imo credit quod stricto jure loquendo, præcepto satisfaceret ille, qui Missæ adesse inciperet tantum in fine Evangelii, si tamen illi esset quædam excusatio legitima (b) *Cum illi excusari possint a transgressione præcepti, qui Missam audiunt ab initio Evangelli, imo & a fine, si per eos flet, quoniaa unam aliam audiaat*. Hæc sun docti illius Theologi verba. Cum tamen certæ non sint opiniones illæ, semper enitendum est Missæ ab initio adesse, ut circa hoc nihil sibimet exprobrandum quispiam habeat.

(a) V. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 6. c. 7. n. 4.

(b) Fr. Sylv. in 3. p. summ. S. Th. q. 83. a. 6.

CASUS XLVIII.

Germanus, cnm velit confessione peccatorum suorum animum perpurgare die Lunæ Paschalis, confessionem suam incepit eo momento, quo Sacerdos Missam incipiebat, hancque solam die illa audire poterat: cumque illam perficere non potuisset nisi paulo ante præfationem, cæteris Missæ partibus adsuit. An Ecclesiæ præcepto satisfecit de obligatione S. Sacrificio adesse diebus Dominicis & Festis?

RESPONS.

Existimamus, Germannm in specie proposita Ecclesiæ præcepto non satisfecisse. Ratio est, quia attentio peculiaris, qua unusquisque curare debet confessione animum suum perpurgare, est plane differens ab attentione requisita, ut sacro Missæ Sacrificio adsit. Nam attentio requisita ad Missam audiendam, est ad modum Orationis; com attentio requisita in Confessione in eo consistat, ut numerus, species, aliæque circumstantiæ peccatorum admissorum declarentur, ut unusquisque attendat illa cognoscenda dare Sacerdoti, ipsi respondere ad ea, quæ petere ipsi videtur, & illius consiliis & adhortationibus usum capere; denique pœnitentiam, quam injungit audire ac memoriæ mandare: quod differt admodum ab orationis animo, quo quisque Missæ adesse debet. Sic ratiocinatur Cabassutius (c) qui sententiam suam multorum aliorum Auctorum auctoritate fulcit: "Ratio est, *inquit* qnia quamvis Confes„ sio Sacramentalis sit actus religiosus, tamen talis „ actus cum colloquiis, quæ fiunt inter sacerdotem „ & pœnitentem ad explorandas peccatorum cir„ cumstantias aliam exigit attentionem; quam quæ „ in Missa requiritur. Attentio enim, quam Missa „ requirit debet esse per modum orationis, qualis „ non adest in perscrutandis culparum momentis „ & circumstantiis, & in dialogismis intervenien„ tibus inter pœnitentem & Confessarium.

(c) Joan. Cabassut. Juris can. Theor. & Prax. l. 2. c. 32. n. 4.

CASUS XLIX.

Hælenæ maritus ita graviter ægrotat, ut jure merito timeat, ne si illum derelinquat, ut die Paschatis Missæ intersit, quidam molestus casus adveniat? videt enim illi instare aliquem phreniidis paroxismum. An ob rationem illam potest salva conscientia die illa Missæ non adesse, cum nullum babeat qui marito suo adstare possit; & qui illa absente eum juvare valeat. An eadem esset ratio si ipsi essent duo infantoli, eosque solos derelinquere non posset, quin eos insigni periculo exponat?

RESPONS.

Leges ut plurimum sunt perscriptæ verbis generalibus ideo nullam includunt exceptionem. Fieri enim non potest, ut Legislator casus omnes, qui in praxi evenite possunt, prævideat. Ergo æquum est & necessarium illas interpretari ex æquitate in ejusmodi casibus: tuncque aliquando existimandum est, hanc vel illam Legem non obligare in ejusmodi occasione, quia existimandum est, quod si illam prævidisset Legislator, illam excepisset.

Ex illo principio concludimus, in specie proposita, Hælenam sine ullo peccato posse abesse a Missa propter necessitatem, in qua versatur maritum juvandi, & erga eum charitatem ipsi debitam exercendi, præsertim in occasione ita momentosa ac occasio, de qua agitur, cum causa sit existimandi Ecclesiæ mentem non fuisse illam cogere ad hoc, ut in hac circumstantia Missæ adesset. His addi potest, quod cum quis versatur in casu, in quo duæ variæ Leges eodem tempore obligant, semper obedire tenetur Legi magis momentosæ. Lex autem charitatis, qua devincimus erga proximum, quem morbus mortiferus urget, proculdubio magis momentosa est, quam Lex qua tenemur Missam audire diebus Dominicis & Festis. Nam obligatio Legi obtemperandi juris est naturalis ac divini, obligatio vero posteriori Legi obediendi est tantum juris ecclesiastici. Ea est S. Antonini sententia (d) dicentis; *Excusantur autem a præcepto audiendi Missam .. servitores infirmorum, qui non possant dimittere infirmos propter periculum*. Idem dicit respectu matris, *quæ parvulos dimittere non potest sine periculo*. Quibus Sanctus ille addit eamdem esse rationem cæterorum omnium qui impedimentis legitimis detinentur, aut negotiis quæ derelinquere non possunt sine insigni scandalo ac detrimento: *Et alii qui impedimenta legitima habent, vel ardua negotia, quæ non possuas dimittere sine magno detrimento, scandalo, vel periculo.*

(d) S. Anton. 2 p. summ. Th. t. 9. c. 10. P. 2.

CASUS L.

Vaubertus, & Gervasius, adolescentes, Theologi hanc quæstionem moverunt, an satius sit Sacerdotem frequenter, quam raro celebrare. Prior sententiam affirmantem defendit adverlus Gervasii opinionem. Quisnam eorum recte sentit?

RESPONS.

Existimamus Sacerdotem Vauberti sententiam in praxi sequi debere, modo non sit legitimum impedimentum, propter quod a celebranda Missa abstinere debeat, modo nullo studio afficiatur erga peccatum veniale, & Missam celebret præ ardenti in Deum amore: S. Antoninus (e) multas varias rationes refert, quæ ad hoc impellere possunt.

(e) S. Anton. 3 p. 13. c. 6. §. 31.

Prima ratio ducitur ab excellentia & dignitate Sacri Sacrificii, *nobilitas Sacramenti*, cujus qualitates effectus generales, & miros fructus his verbis describit: "Sacrum enim Corpus Christi, Corpus est „ Redemptoris nostri & Redemptionis nostræ, fu„ turæ jucunditatis amabile præludium; arrha „ sponsæ, jugale divinum cælitus ei donatum; „ Ecclesiæ militantis cum triumphante suave „ glutinum, & unio fraternalis dulcedinis, dum „ eamdem dulcedinem qua fruitur sine velamento, „ iste habet sub mirabili Sacramento.

Secunda ratio est suavis & grata utilitas peculiaris, quam inde sacerdos percipit: "Suavitas & uti„ litas. Quantæ enim jucunditatis & dulcedinis „ est tantæ rei Sacramentum, verbo conficere, ha„ bere præ oculis, contrectare manibus, ore sumere, „ & aliis ministrare .... hoc est quod solet accendere „ desiderium, humilitatem ingerere, compunctio„ nem inducere, præ aliis fiduciam & spem erigere, „ ad amorem inflammare; infundere gaudium; ad „ reverentiam excitare; totam mentem liqueface„ re & oblectare; propter hæc enim excitanda in „ nobis tanti boni præsentia indulta est.

Tertia ratio est amor & zelus fervens, quem sacerdos celebrans sibi conciliat a Jesu Christo, & ab Ecclesia ejus sponsa, tanqua Mediator inter utrumque: *Benevolentia quam celebrans non indigne a sponso suo Christo & sponsa Ecclesia reportat. Est enim paranymphus amoris; & Mediator in sponsu & sponsa ..quomodo autem potest non amare tam utilem sibi Ministrum, quin eam sponso cordialiter recommendet; aut quomodo sponsus non diliget eum in tam grato officio occupatam?*

Quarta ratio ducitur ex variis fructibus, quos fideles percipiunt ex divino illo Sacrificio, cum ei adsunt: "Quartum allectivum, est multiplex fru-

„ ctuosi-

„ ctuositas in assistentibus celebrationi. Dat enim
„ celebrans occasionem devotis affectibus, suspi-
„ riis & compunctionibus; servit fidelibus ad
„ multas oblectationes spirituales quas habent,
„ Missæ astando, Corpus Christi videndo, reve-
„ renter adorando, & memoriam agendo suæ
„ Sacratissimæ Passionis.

Quinta est necessitas imposita Sacerdotibus, fideliter satisfaciendi obligationibus, quas contraxerunt cum sacerdotium acceperunt, ut sint Mediatores inter Deum & homines, & orent pro vivis & mortuis. *Quintum inductivum, quod est quasi cogens officii commissi fidelis executio. Est enim commissum tanti mysterii officium, ut offerant pro vivis & mortuis, & in memoriam Dominicæ Passionis. Si igitur officium hujus necessarium est, vel utile Sanctæ Matri Ecclesiæ; cur volunt Matri hoc subtrahere, vel negligere? Si autem non reputant necessarium vel utile, cur illud assumere voluerunt?*

Sexta denique ratio est, periculum quod adeunt sacerdotes impedimenta contrahendi, vel in quædam vitia delabendi, quæ illos omnino indignos reddant, & inhabiles, ut tam justo officio fungantur, cum diutius morantur quin ad sacrum Altare accedant. *Periculum moræ: quia de facili irregularitas, vel infirmitas, vel alius defectus, aut impedimentum poterit occurrere; ita quod diu, aut forte nunquam celebrare continget.* Unde Sanctus ille concludit, quod quandoquidem Christiano semper vivendum sit modo, quo dignus sit qui participet adorando illi Sacramento, Sacerdos potiori jure debet semper flagrare sincero desiderio ad sacrum altare accedendi, cum potest, & cum credit, se in eo statu esse, quo accedere possit: in quo multi hallucinantur, quibusdam tantum anni vel hebdomadæ diebus celebrare volentes; sicque sæpe inutiles reddunt afflatus interiores & gratias, quibus frui possent, si sæpius sacrum sacrificium offerrent. *Cum autem Christianum sic vivere deceat, ut semper mereatur accipere; nunquam debet esse sine desiderio tunc & totius sumendi, quando & quoties convenienter poterit & crediderit expedire. Hoc est ponere obicem gratiæ & admonitioni Dei, & quasi tempus miserationum Dei in sua potestate constituere.* Idem ille Sanctus antevertit objectionem, quam quidam Sacerdotes effingere possunt, nimirum eos in se non percipere pietatem, quam sibi credunt necessariam. Probatque, aliquando id esse vanam fraudem, qua illos seducit Dæmon, ut illos a sacris Altaribus amoveat, sub falsa humilitatis specie, ipsis suggerens eos ab hoc officio abstinere debere, statim atque percipiunt pietate insigni se spoliatos esse qua moveri vellent: cum contra persuasum habere debuissent sinceram pietatem non consistere in contritione aut pietate sensibili, quæ sæpe naturæ effectus esse potest. *Si quis autem*, pergit Sanctus noster, *illam dispositionem in se judicare voluerit ex sensibili cordis compunctione, profusione lacrymarum, fervore mentis & similibus sentimentis, ita quod tunc credat se dispositum quando tale quid sentit, & quando non percipit, indispositum, incaute valde ambulat, & sæpissime decipitur. Multoties qui nihil talium habent, sunt in magno statu gratiæ, & qui habent, sunt omnino extra gratiam facientem: sæpe enim contingit, hominem ab hujusmodi fervoris affectibus impediri sine omni culpa sua, immo cum magno merito.* At reipsa innumeri sunt Sancti Sacerdotes, qui non fruuntur fervore illo sensibili, senes videlicet, valetudinarii, & ii qui destinantur muneribus valde laboriosis, veluti in concionando, confessionibus audiendis, aliisve similibus pietatis operibus, in quibus tamen est pietas solida, ac ideo sunt in eo statu, quo quotidie celebrare possint, ac cum pietate necessaria. *Non enim possunt homines communiter, confecti senio, languentes corpore, gravati magnis curis & laboribus, prædicando, confessiones audiendo, curam infirmorum, aut alia necessaria gerendo, magnas in oratione percipere, vel expectare dulcedines, & sic impium esset hominem pro his operibus removere a Sacramento pietatis.*

Immo si aliquando, ut propter multas rationes peculiares a S. Antonino allatas, Deus fervorem sensibilem subtrahat, & bonum & commodum quorumdam, quos vult probare, aut quos ad majorem fidei & perfectionis gradum perducere vult. *Valet ad multa subtractio hujus gratiæ & suavitatis.* Sanctus ille Archiepiscopus octo varias rationes affert. 1. *Ut tentatione vel tribulatione gaudium temperemus, & mens hominis ne lascivia temperetur. Valet. 2. Ut timor homini incutiatur, ne tam delectabili bono hic & in futuro privetur, ac eo ardentius tendat ad vitam æternam, ubi semper adhærendum est. Valet 3. Ut per fidem ambulantes amplius mereamur....... Valet 4. Ut tam desiderabile bonum ferventius desideremus, acceptemus gratantius, & cautius custodiamus. Valet 5. Ut discamus grati esse gratiæ Dei, non nostris viribus adscribere, quoties nos promptos in Dei servitio reperimus. Valet 6. ut per hoc timeamus alios judicare ex apparenti eorum segnitie, sed magis compatiamur eis, utpote a gratia Dei desertis. Valet 7. Quia providet in hujusmodi Divina Miseratio indiscretioni nostræ, ne videlicet illam dulcedinem sentientes, sectantes vires nostras ultra modum, irrationabiliter consumamur. Valet 8. ad conservandam humilitatem, & excutiendam vanam gloriam. Ex talibus enim gratiis magna sæpe sumitur oratio, adeo quod qui tali semper solatione gauderent, difficillime possent a vanitate spiritus & inani gloria præservari, nisi refrænarentur per tentationem, ut Paulus stimulo, vel per tentationes exteriores.*

S. Antoninus observat præterea, gaudium & suavitatem interiorem non semper esse gratiæ effectus, quandoquidem Judæi, immo Ethnici experiuntur gaudium & fervorem in cultu, quem priores Deo reddunt, alii vero Idolis suis: quod iis sæpe evenit Dæmonis malitia & fraude. *Hujusmodi effectus, seu dulcedines spirituales in Sacramentis perceptis, vel in aliis operibus de genere bonorum aliquando veniunt præter gratiam. Nam & Judæi & Gentiles in ritibus suis & sacrificiis lacrymas fundunt ex affectione ad illa quandoque in hoc cooperante Diabolo.* Unde conclusionem hanc elicit: *Unde ex defectu hujusmodi consolationum non debet dimitti Communio, vel celebratio: etiamsi quis sciret, vel crederet hujusmodi consolationem sibi subtractam, ex peccatis diu præteritis; quod tamen non potest scire, vel debet credere, nisi aliqualiter evidenti ratione; sed si crederet verisimiliter propter peccata recentia, vel præterita, sed non emendata hoc pati, tum abstinendum esset.* His addit, consuetudinem quam quis suscepit, bonum opus faciendi, si sola sit, non esse incentivum sufficiens, ut quis credat se esse in statu celebrandi. Oportet enim præterea, ut expendat, an ad celebrandum sufficienter sit dispositus, an in pietate progressus faciat, vel an minus fervens evadat; an ipsi sit causa legitima ab Altari abesse, vel an nulla sit. *Cavendum est ne quis ex sola consuetudine exterioris operis moveatur ad celebrandum, non advertendo an dispositus vel minus dispositus sit: an ex celebratione proficiat, vel tepescat; sive an habeat causam rationabilem abstinendi, vel non.*

Contra, si Sacerdos (idem autem dicimus de cæteris, qui sacra Eucharistia pascuntur) versaretur, vel crederet se versari in peccato mortali, ipsi non liceret hoc in statu celebrare, & necessario teneretur abstinere, sinceram pœnitentiam agere, & confessione se purgare antequam ad Altare accedat.

Denique sanctus ille Archiepiscopus ex tota illa ratiocinatione concludit, quod cum causa, quæ sacerdotem impedit ne celebret, oritur ex ipsius malitia vel negligentia, caret excusatione, nisi det operam, ut dignum se præstet qui celebret, adhibendo remedia, quæ Deus, ac ejus Ecclesia ipsi suppeditant, veluti Sacramentum pœnitentiæ, preces, bonorumque operum praxim.

Ceterum, non pertendimus affirmare Sacerdotem non

non posse aliquando abstinere a celebratione, mero humilitatis incentivo, & ut accuratius se præparet ad accedendum ad sanctum Altare. Zachæus non minus colebat Jesum Christum, dum indignum se agnoscebat, qui illum in domum suam exciperet, quam Centurio, qui illum invitabat, ut apud ipsum veniret: *Ambo honorificantes Salvatorem diverso & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.* Hæc sunt Canonicis cujusdam verba (*a*) partim depromptì ex S. Augustini (*b*) scriptis, partim vero ex Auctore *de Ecclesiasticis dogmatibus*; quem S. Thomas (*c*) multique alii credunt esse Gennadium Massiliensem Presbyterum.

(*a*) In cap. Quotidie 13. de consec. d. 2.
(*b*) S. Aug. ep. 54. alias 118. c. 3.
(*c*) S. Th. quod l. 12. a. 10.

CASUS LI.

Alexis Sacerdos, a tribus vel quatuor annis omnino abstinet a celebratione mero humilitatis incentivo. An in eo peccat, & annon teneatur sub pæna peccati celebrare saltem die Paschatis, & diebus festis annuis?

Respons.

S. Thomæ sententia est (*d*), quod quamvis Sacerdos non teneatur ex obedientia Missam celebrare, & cura animarum non sit ipsi demandata, reum tamen se præstat negligentiæ, nisi potestatem exerceat, quæ ordinatione ipsi data est, tum ut Deo reverentiam ipsi debitam præstet, tum propter ejus ipsius salutem & fidelium viventium, & eorum qui mortui sunt in eo statu, ut sacrum Sacrificium ipsis prodesse possit. Sanctus ille sententiam suam probat auctoritate Principis Apostolorum (*e*), qui vult fidelem dispensatorem adhibere in salutem proximi donum a Deo acceptum: *Unusquisque sicut accepit gratiam, illam administrantes; sicut boni dispensatores multiformis Gratiæ Dei*: id docet pariter Divus Paulus, cum loquens de fine Sacerdotii (*f*), dicit. *Omnis namque Pontifex, ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Unde sequitur, Alexim, & quemlibet alium Sacerdotem, cum eligatur a Deo, ut offerat Sacrificia, peccare adversus obligationem in quam descendit vocatione sua, quando humilitatis obtentu, in perpetuum abstinet ab offerendo sacrificio propitiationis ad salutem suam & fidelium.

(*d*) S. Th. in 4 dist. 13. q. 1. a. 2. q. 1. in corp.
(*e*) 1. Pet. 4. 10.
(*f*) Heb. 5. 1.

Sed referamus ipsissima S. Thomæ verba. En ea: *Quia secundum Gregorium*, cum crescunt dona, rationes crescunt donorum, *cum Sacerdoti data sit potestas nobilissima, reus negligentiæ erit, nisi illa utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum, vivorum & mortuorum secundum illud*: Unusquisque, &c. Sanctus ille Doctor excipit tamen ab illa obligatione eos, qui a celebratione abstinent afflatu Spirit. Sancti: *Nisi forte aliquis ex familiari Spiritus Sancti instinctu dimittat* (celebrare) *sicut legitur de quodam Sancto Patre in Vitis patrum, qui ordinatus nunquam postea celebravit.* En Sancti illius sententia quam alibi quoque confirmat (*g*); ubi dicit, Sacerdotem teneri, præsertim respectu cultus Deo debiti, celebrare saltem præcipuis anni diebus festis; imprimis cum fidelibus mos est sacra Eucharistia pasci. *Unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud* (*h*), exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare: sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Festis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare consueverunt.* Idcirco sacrum Concilium Tridentinum præcipit Episcopis, ut curent Sacerdotes celebrare Missam saltem diebus Dominicis & festis solemnibus, & illi quibus animarum cura demandata est, illo officio fungantur æque frequenter, ac requirit eorum obligatio. *Curet Episcopus, ut Sacerdotes saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

(*g*) S. Th. 3. par. summæ q. 82. a. 10. in corp.
(*h*) 2. Cor. 2.

Denique S. Carolus Borromæus, qui semper sibi Legem dixit sanctam, curandi illius Concilii Decreta observari, præcipit omnibus Sacerdotibus cujuscumque fuerint conditionis, ne omittant celebrare singulis diebus Dominicis & Festis, sine ulla distinctione (*i*). En ipsius verba: *Tridentini etiam Concilii auctoritatem secuti, præcipimus sacerdotibus, cujuscumque gradus, conditionis & dignitatis illi sint, ut Dominicis & reliquis festis diebus Missam celebrare non omittant.*

(*i*) Act. Eccl. Mediol. p. 2. de frequanti divini sacrific. oblat.

Concilium Provinciale Tolosanum habitum anno 1590. (*K*) dicit quoque; *Sacerdotes itaque omnes, quocumque honore insigniti, aut quacumque in dignitate constituti tandem sint, Dominicis festisque diebus, nisi justo aliquo præpedimento avocati fuerint, Missæ sacrificium celebrent.*

(*K*) Con. Tol. de Presb. & Claric. c. 4. n. 2.

Quæ huc usque diximus consentanea sunt cum iis quæ dicit Innocentius III. (*l*), qui verba faciens de quibusdam sacerdotibus, qui vix quater singulis annis divinum sacrificium celebrabant, ipsis præcipit, sub pœna suspensionis, ut vitium illud corrigant. *Sunt & alii*, inquit Papa ille, *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno.... hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus.*

(*l*) Inn. III. in c. Dolentes de cel. Missar.

Denique S. Antoninus omnino consentit iis omnibus, quæ jamjam diximus: ita ut non credamus necessarium ejus verba referre, nec verba S. Ambrosii, Paludani, & Alberti Magni, quem laudat (*m*).

Post tot auctoritates ita validas ac distinctas, sacerdos, de quo agitur in specie proposita, excusari non potest gravis peccati, dum nunquam Missam celebrat: *Qui nunquam celebrat, graviter peccat*, inquit Gavantus (*n*); *& in anno saltem ter aut quater quilibet celebrare tenetur.*

(*m*) S. Ant. 3. par. sum. th. to. 13. c. 6. §. 12.
(*n*) Baeth. Gavantus Comment. in Rub. Missl. & Brav. Rom. par. 3. t. 11. n. 6.

CASUS LII.

Peccantne mortaliter fideles, fornicarii Presbyteri Missæ scienter contra Ecclesiæ prohibitionem assistentes?

Respons.

Tales Fideles mortaliter peccare juxta mentem S. Thomæ certum est; si Presbyter ille sit fornicator publicus, non item, si tantum occultus. Angelicus enim Doctor (*o*), postquam docuit, illos secundum jus positivum mortalis delicti reos esse, qui sacerdotis fornicarii Missam audiunt, subjungit: *Attendendum tamen est, quod hoc non intelligitur de quolibet sacerdote fornicario, sed de publicis fornicariis, qui proprie dicuntur publici, quando judicio & sententia Ecclesiæ vocantur publici. Unde quicumque a tali fornicario publico audit Missam, peccat mortaliter.* Quod quidem verum esse asserit, etiamsi a Prælato per negligentiam, vel timorem, aliave simili de causa in ministerio toleraretur: Et hoc quidem sensu intelligendi sunt Nicolaus II. & Alexander II. (*p*), qui indistincte vetant, ne quis Missam audiat sacerdotis concubinam habentis; ut alibi (*q*) observat idem Angelicus Doctor his verbis: *Sed hoc intelligendum de notorio* (concubinario) *vel per sententiam, quæ fertur in convictum, vel per confessionem in jure factam.* Hoc eodem quoque sensu accipienda sunt hæc verba Concilii Londinensis anni 1138. *Presbyteros.:.... concubinarios ecclesiasticis officiis & beneficiis privamus; ac ne quis eorum Missam audire præsumat, Apostolica auctoritate prohibemus* (*r*).

(*o*) S. Th. quod l. 11. a. 8. in cor.
(*p*) Nicol. II. can. Nullus c. & Alex. II. in can. Præter 6. dist. 32.
(*q*) S. Th. 3. p. sum. q. 82. ar. 9. ad 3.
(*r*) Con. Lond. an. 1138. apud. Labbe to. 10. Conc. Gener. p. 996.

CASUS LIII.

Flavianus habitans in Parœcia Sancti Eugenii in magna Urbe, pietate peculiari motus fere semper vadit auditum Missam diebus Dominicis & Festis, in Cænobium Religiosorum domui suæ vicinum. Ejus Confessarius vult illum cogere ad id, ut Missæ Parochiali cum cantu adsit, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus. Ea vero excusatione utitur, quod ipsi dictum sit, eum ad hoc non teneri sub pœna peccati. An recte sentit?

Re-

RESPONS.

Pietas bene ordinata fideles impellere debet ad id, ut Missæ Parochiali adsint diebus Dominicis & Festis saltem præcipuis, si commode potuerint. Id facile probari potest innumeris argumentis, quæ controversiam non admittant.

Primum ducitur ex Concil. Eliberitano, habito ann. 305. (a) quod ait: *Si quis in Civitate positus, per tres dies Dominicas Ecclesiam non accesserit; pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Circa quod Eveillon in eximio suo Tractatu de Excommunicationibus & Monitoriis (b), observat vocem *abstineat*, in antiquis Conc. & a S. Cypriano sumi pro *excommunicetur*, ut videre licet in quodam Canone Concil. I. Tolet. habiti ann. 400. allati in Decr. Gratiani (c); quibus Auctor (d) ille addit, revera vocem illam, cæterasque omnes quibus utuntur antiqua Concilia, denotare tantum excommunicationem continentem comminationem, non vero excommunicationem, a qua incurritur *ipso facto*.

(a) Conc. Eliber. can. 21.
(b) Jac. Eveillon tr. de Excom.
(c) Conc. Tol. 1. in can. Si quis Laicus 26. 11. q. 3.
(d) Eveillon. c. 13 cit. art. 3.

II. Argumentum est ex Conc. celeberrimo Sardicensi habito an. 347. in quo 300. Episcopi, & supra congregati erant, Pontifice Julio I. & in quo Osius, qui præerat nomine Papæ, loquens de iis, quæ mandata fuerunt a Conc. Niceno, cujus illud erat sequela, ait (e): *Memini autem superiore Concilio fratres nostros constituisse, ut, si quis Laicus in ea, in qua commoratur, civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas, non celebrasset Conventum, communione privaretur.* Ἀϖοινωυ τῆς κοινωνίας. Concil. illud, Decretum, istud Concil. Niceni affert & confirmat. Conc. quoque OEcumenic. habitum Constantinopoli ann. 683. Pontifice Agathone (f), idem Decretum affert, & confirmat his verbis: *Si quis Laicus nullam graviorem habet necessitatem, vel negotium difficile, a sua Ecclesia absit diutissime; sed in civitate agens tribus diebus Dominicis in tribus septimanis, una non conveniat..... segregetur.*

(e) Concil. Sard. can. 14.
(f) Concil. Const. can. 80.

III. Argumentum est Concil. Nantenensis (g), allati in corpore Decretalium, cujus hæc sunt verba: *Ut Dominicis, vel Festivis diebus Presbyteri antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parœcianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Parocho, ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant.*

(g) Concil. Nantenens. in c. Ut Dominic. 2. de Paroch. l. 3. cit. 29.

IV. Auctoritas ducitur ex XI. Statuto Synodali cujusdam Archiepiscopi Rothomagensis (h), Legati Apostolici, qui medio sæculo XIII. florebat. En ejus verba: *Parochianus existens in Parochia, si tribus diebus Dominicis continuis ad Missam non venerit, excommunicetur, & hoc frequenter in Ecclesiis publicetur.*

(h) Petrus de Culle Medio llat. Synod. 11. apud Eveill. c. 15. cit.

V. Argumentum est Concilii Ravennensis, habiti ann. 1311. Pontifice Clemente V. (i) in quo dicitur: *Monemus insuper omnes & singulos Parochianos cujuscumque Parochialis Ecclesiæ, quod saltem in diebus Dominicis audiant Missam integram in sua Parochiali Ecclesia & quicumque contra fecerit, tertio admonitus excommunicationis sententia percellatur.* Conc. Senonense ann. 1528. idem etiam dicit (k).

(i) Conc. Raven. Rub. 9.
(k) Conc Senon. in Decr. Morum c. 12.

VI. Est primi Concilii Mediolan. habiti ann. 1565. (l) & Conc. Aquilejensis habiti an. 1596. (m) cujus Decretum his verbis exprimitur. *Populum vero monendum & frequentius incitandum edicimus, ut Dominicis saltem ac Festis diebus ad Parochialem* (Ecclesiam) *accedat, & ibi Missæ sacrum & Concionem audiat.*

(l) Conc Mediol. I. Const. par. 1. tit. Quæ pertinent ad celebr. Miss.
(m) Conc. Aquil. t. t. 14. de festor. dier. Sanctific.

VII. Est Conc. Tridentini (n), quod habet: *Ordinarii locorum..... moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis accedat.* Et alibi (o): *Moneatque Episcopus populum diligenter; teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.*

(n) Conc. Trid. sess. 22. Decr. de observand. & evitandis in celebr. Miss.
(o) Idem sess. 24. de ref. c. 4.

VIII. Auctoritas nititur Constitutione, quam jam hac de re mandaverat Sixtus IV. circa ann. 1478. ubi Papa ille prohibet Religiosis Mendicantibus sub pœna excommunicationis, ne concionentur adversus obligationem, qua Fideles tenentur Missæ adesse in suis Parochiis diebus Dominicis, & Festis: *Cum jure sit cautum*, inquit, *diebus illis Parœcianos teneri audire Missam in suum Parœciali Ecclesia, nisi forsan ex causa honesta ab ipsa Ecclesia, se absentarent.*

IX. Argumentum ducitur e Conc. Turonensi, ann. 1583. (p) cujus hoc est Decretum: *SS. Patrum Decreta renovantes, omnibus & singulis Christifidelibus suis Missis Parœcialibus....... singulis diebus Dominicis, & Festivis interesse districte præcipimus: a quibus si per tres Dominicos, continue sequentes, illos abesse contingat: nisi legitimo impedimento retineantur, pœnas a Sacris Canonibus indictas incurrere declaramus.* Quod consentaneum est antiquo statuto ejusdem Diœceseos Turonensis allato ab Eveillon (q) his verbis: *Moneantque Presbyteri Parochiales Parochianos suos, in Concilio Ecclesiæ alias fuisse definitum, eos, qui per tres dies Dominicos Missæ suæ Parochiali non interfuissent tanquam Anathema vitandos; ut per hoc cognoscant criminis gravitatem, cui tanta pœna olim inflicta est.*

(p) Conc. Tur. t. de Christifidelib. Laicis.
(q) Jac. Eveill. c. 13. cit.

X. Ducitur a Concil. Burdigalensi, habito eodem anno 1583. & approbato cum elogiis a Gregor. XIII. (r) *Vetus etiam Decretum denuntient* (Parochi) inquiunt Concilii illius Patres, *quo, proposita Excommunicationis pœna, præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis a Parochialis Missæ celebratione absit.* Aliud ejusdem Provinciæ Concilium, habitum an. 1634. (s) Dec. illud confirmat; mandatque publicari, ne populus ignorantiam causetur. *Decernimus, vetus illud Decretum....., singulis quibuscumque Dominicis denuntiari populo, & publicari.* Quibus addit prohibitionem sub pœna suspensionis *ipso facto*, omnibus Concionatoribus ac Confessariis, ne concionentur, doceant, vel quidquam suadeant contrarium huic ipsi Decreto, sive publice, sive privatim.

(r) Concil. Burdig. c. 5.
(s) Concil. Burdigal. ann. 1624. de div. officiis art. 1.

Denique addere possumus Cœtum Generalem Clericorum Galliæ, habitum ann. 1625. (t) omnino se conformasse omnibus illis antiquis Decretis, quæ non impediverunt, quominus quæstio proposita cum magno ardore olim *ab utraque parte*, disputata fuerit. Non ita pridem etiam iterum agitata fuit in Belgio Catholico, ex occasione explicationis quam Professor quidam Lovaniensis (u) tradidit 45. Propositionum Ethicæ damnatarum ann. 1665. ab Alexandro VII. in qua affirmabat; Concilii Trident. verba intelligi non debere de obligatione stricta & conscientiæ: sed solummodo de obligatione condecentiæ: opinionem hanc Universitatis illius Rector condemnavit: ac curavit, scriptum, in quo eam docebat Professor, supprimi: Professor vero ad Pontificem appellavit.

(t) Act. 2.
(u) Dom'ous Dubois.

De eadem illa quæstione recens sermo institutus est a Presbytero quodam, duobusque Religiosis ejusdem illius Regionis (x). Cum Religiosorum illorum prior nullum dedisset responsum ad ultimum scriptum, quod Presbyter ille in lucem ediderat, ut defenderet obligationem strictam frequentandi Missam Parochialem, posterior ad scriptum illud respondit, Epistola quam in lucem edidit, qua contrarium defendit, ac nititur primo decisione quarumdam Facultatum Theologiæ. Secundo Declaratione Leonis X. data die 13. Novembris 1517. (y) qui statim Bullæ suæ scopum his verbis proponit: *Intelleximus, quosdam in dubio revocare, & perinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christifideles, qui Dominicis, & Festis diebus extra Ecclesias suas Parochiales Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant.* Postea decisionem suam his verbis (z) tradit Papa ille: *Nos igitur ambiguitatem hujusmodi tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, notum facimus. omnes Christifideles utriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & Festis diebus Missas audiunt satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda,*

(x) Dominus Colin. Sacerdos B. Virgin. Namurcæ P. Henrarius & P. Charneux.
(y) Leo X. in Bulla Intelleximus 25.
(z) Ibid. § 1. & 2.

nec

nec in aliquam labem peccati mortalis pœnamve incurrere in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

Tertio, Religiosus ille nititur Bulla 41. S. Pii V. (a), data die 16. Maii ann. 1567. in qua Summus ille Pontifex octavam refert vexationem, de qua Religiosi Mendicantes querebantur apud Episcopos, & Sacerdotes. *Aliqui vero*, inquit, *in suos Parochianos ad sonum campanæ excommunicationem promulgant, ut non possint interesse Missis, Concionibus, & divinis officiis, nisi in propria Parochia.* En causa expostulationis, circa quam Sanctus ille Papa decidit, Concilii Trid. Decr. explicans his verbis: *Et insuper Sessionis 22. Decr. quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis & majoribus Festivis diebus convenire debere monet, in sequendo, volumus quod Fratribus Mendicantibus hujusmodi non solum prohiberi non possit, ne Missas & alia divina officia faciant in eorum Ecclesiis, &c. Quicumque utriusque sexus Christi Fideles totius anni tempore illas,* & *illa* (Missas & divina Officia) *in Ecclesiis Fratrum hujusmodi audire possint. Ipsi Christifideles ullatenus desuper molestari, aut impediri per locorum Ordinarios, seu Rectores Parochialium Ecclesiarum..... non valeant, seu debeant. Sed præfati Christifideles audiendo Missas, & alia divina Officia in Ecclesia Fratrum hujusmodi, diebus Dominicis aut Festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

(a) S. Pius V. in Bull. Ers Mendicantes, §. 5. n. 8.

Patet inde, Papam illos distincte declarare, Fideles omnes utriusque sexus, qui in animo non habentes Pastores suos contemnere, audiunt Missam diebus Dominicis, ac Festis in Religiosorum Mendicantium Ecclesiis, satisfacere Ecclesiæ præcepto, quo jubet adesse diebus illis sacro Sacrificio, eosque sic in nullam peccati mortalis labem incurrere, nec in ullam pœnam Ecclesiasticam.

Sacerdos, de quo mox locuti sumus, iis opponit Bull. Sixti IV. ann. 1478. qui, licet fuerit Religiosus Ordinis S. Francisci, antequam ad Summum Pontificatum pervenisset, vetat tamen Religiosis Ordinum Mendicantium in Concionibus docere, Fideles Missæ Parochiali adesse non teneri: Nititurque eo quod Concil. Trid. vult Episcopum monere sæpe Fideles, unumquemque eorum teneri verbum Dei audire in ejus Parœcia, nisi aliqua justa causa præpediantur. En Bullæ illius, cujus mentionem jam injecimus, verba: *Quod Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis, diebus Festivis & Dominicis; cum jure sit cautum, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

Tota igitur difficultas consistit in hisce duobus. 1. Quinam sit verus sensus vocis *teneri*, qua utitur Conc. Trid. id est, an vox illa includat strictam obligationem; prout vult Sacerdos ille, qui id probat ex multis Conciliis Provincialibus, & ex sententia Cœtus Generalis Clericorum Galliæ habiti ann. 1700. in Fano S. Germani in Laia: vel an vox illa exprimat tantum obligationem convenientiæ ac condecentiæ, ut volunt ambo Religiosi, qui adversum illum scripserunt; quique id probant non solum suffragio quorumdam Præsulum, sed & innumerorum Doctorum, qui omnes innixi Bullis Leonis X. & S. Pii V. Regularibus hac in re favent. Secundo operæ pretium est cognoscere, quænam sint causæ justæ, quæ (supposita obligatione stricta) excusare possunt quempiam, quod non adfuerit Missæ Parochiali: Et an pietas, quæ movet ad audiendam Missam in alia Ecclesia, sit causa legitima; vel an consuetudo contraria universe recepta a peccato liberare possit, illum, qui ad eam consuetudinem se conformat.

S. Antoninus existimat obligationem a Concil. Nannetensi denotatam, quam sibi objicit, quamque superius attulimus, intelligi tantum debere de casu quo fideles a sua Ecclesia abiunt, solummodo præ contemptu Pastorum suorum. Sic loquitur S. ille Archiepiscopus (b): *Ad quod dici potest dupliciter; uno modo quod Ecclesia intendat per hanc Constitutionem removere contemptum; id est, rebellionem & despectum, subditorum erga Prælatos suos, qui sunt Sacerdotes Parochiales; & sic mandat, quod qui ex contemptu sui Sacerdotis accedit ad audiendum divina in alia Ecclesia, quam propria, expellatur de alia Ecclesia, ut de contemptu resipiscat.* Hanc interpretationem probat auctoritate Innoc. IV. *Ad hoc facit quod Innocentius, Pater juris, super dicto capite videlicet, quod Parochianus si non facit ex contemptu; sed ob aliam justam causam, non est ejiciendus de Ecclesia, ergo non peccat.* Ac reipsa Papa ille dicit in Commentario suo in Decretal. depromptam ex Conc. Nannetensi (c): *si autem non contemneret; sed ex justa causa ad aliam Parochiam transiret, vel in transitu peregrinationis, non expelleretur:* quod fulcit auctoritate multorum Gratiani Decretor. S. Antoninus addit, pietatem peculiarem, qua quis movetur, ut eat in aliam Ecclesiam Missam auditum, causam esse sufficientem ut eum peccati excuset. *Satis justa causa est, si ob majorem sui devotionem hoc faciat.* Hoc est primum ejus responsum ad Decretum Concil. Nannetensis, ac ideo ad multa alia similia.

(b) S. Anton. 2. part. summ. theol. t. 9. §. 2.

(c) Inn. V. id cit. cap. Ut Dominicis.

Secundum quod addit Sanctus ille, hoc est scilicet, in Regionibus ubi usus contrarius vincit, ejusmodi Decreta non amplius obligare. *Alio modo*, inquit, *potest dici, quod si contemptus sumatur large: scilicet solum pro eo, quod non audit Missam ejus & Officium, non tamen contemnendo sacramenta, vel ipsum* (Parochum) *tunc quia consuetudo, quæ in hoc videtur præscripta, & rationabilis, cum scilicet ob majorem devotionem fit, tollit legem.* Quod probat Decretali in jure allata (d), ubi Greg. IX. declarat consuetudinem æquam & legitime præscriptam, vim habere Juri positivo derogandi: *Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel jure positivo debeat præjudicium generare: nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta.* Hæc sunt Papæ illius verba: Quod S. Antonin. affirmat evenire posse respectu præcepti, quo fideles tenentur Missam audire in sua Parœcia. *Ubi est consuetudo audiendi indifferenter in quibuscumque locis: quod quasi ubique est, non peccat qui audit Missam extra propriam Parochiam.*

(d) Greg. IX. in c. Cum tanto fin. de Consuetudine l. 1. t. 4.

Doctus ille auctor excipit tamen casum, quo Episcopus Diœcesanus aliud præcepisset, quamvis sentiat Episcopum id mandare debere contra consuetudinem universe receptam, propter incommoda & scandalum, quæ inde exoriri possent. *Si tamen Diœcesanus hoc præciperet, scilicet audiri in propria Parochia; obediendum esset. Male tamen faciunt Episcopi in tollendo pias consuetudines cum scandalo populorum.* Quod S. Greg. Magni exemplo probat. Ille ut scandalum vitaret, simplicibus Sardiniæ Presbyteris permisit, ut recens baptizatis unctionem conferrent propter consuetudinem apud eos receptam illam administrandi.

Ex iis omnibus, quæ nunc diximus, concludendum est, Flaviani Confessarium hunc virum docere debere obligationem, qua tenetur adesse Missæ Parochiali loci ubi degit, diebus Dominicis, & Festis, saltem solemnibus, quantum fieri potest. Non tamen credimus Confessarium ad id Flavianum cogere debere ipsi absolutionem denegando, si non absit contemptu distincto Ecclesiæ vel sui Pastoris, vel sine causis legitimis.

CASUS XLIV.

Artus, Miles, Missæ adest diebus Dominicis, & Festis, sed fere semper stat, si excipias per cœlestis Hostiæ elevationem & Calicis, & quin ullas fundat preces, per maximam Missæ partem occupatur tantum in huc, & illuc circumspectando, & in observandis iis omnibus, qui oculis ejus sese offerunt, imo occasione data garrit aliquando. An dici potest, quod quamvis in hoc peccet, stricte tamen satisfacit præcepto, quo tenentur Fideles Missam diebus illis audire?

Res-

RESPONS.

Ut ad hanc quæstionem respondeatur, in animum solummodo revocandæ sunt tres istæ considerationes, quæ clare demonstrant summam reverentiam, qua Christianus edoctus Religionem suam sacrum Missæ Sacrificium prosequi debet, & quibus animi affectionibus adesse debeat.

I. Consideratio hæc est; scilicet Jesum Christum, hominum Servatorem; revera præsentem esse in altari, consecratione a Sacerdote facta panis & vini, & transubstantiatione quæ fit in Corpus & Sanguinem illius ejusdem Salvatoris. Ibi adesse solummodo Jesum Christum, ut Patri suo sese offerat, & ibi criminum nostrorum expiationem continuet; Patri qaotidie offerendo mortem, quam pro nobis passus est in Cruce, & ut meritis sanguinis, quem effudit, nobis impetret misericordiæ divinæ effectus, ac gratias nobis continuo necessarias, ut bona opera, quæ ejus gratia exequimur, cum ejus operibus jungere possimus, ut eadem oblatione Patri Æterno offerantur. Hæc vel unica cogitatio sufficere debet viro aliquo Religionis sensu ducto, ut summa reverentia efficiatur, dum Mysterio illi tremendo adest. Illique excusari non possunt impietatis, qui Missæ adsunt cum animo variis cogitationibus agitato, quibus procul dubio non distraherentur durante quodam spectaculo, vel quadam cæremonia profana.

II. consideratio, quæ nos docet sanctas animi, affectiones, quibus affici debemus, dum Missam audimus, duci potest ex statu exinanitionis, quo Jesus Christus Patri suo sese offert. Cum enim sit super sacris nostris Altaribus sine motu, sine actione vel minimo Majestatis suæ infinitæ & summæ suæ potentiæ indicio, cum huic Mysterio adsumus, maximo eorum quæ ab Ecclesia celebrantur, agnoscere debemus debilitatis nostræ fundum inexhaustum, ut & miseriarum nostrarum, nec non necessitatis perpetuæ, qua opus habemus, ut ejus gratiæ auxilium nos sustineat & tueatur, quod auxilium ut plurimum iis tantum concedit, qui illo dignos se præstant orationis fervore. Quandoquidem Divinus ille Servator est super Altari sine indicio vitæ & in statu mortis, consecratione quæ separatim fit Corporis & Sanguinis ejus, inde ediscere debemus obligationem, a qua eximi non possumus, huic augusto Sacrificio nunquam adesse, nisi cum desiderio sincero peccatis, cupiditatibus ac pravis affectibus nostris moriendi, animi & cordis nostri cohibitione & contritione, ut non amplius vivamus nisi in illo, per illum, & illi soli.

III. consideratio est cogitatio quæ observari debet de loci sanctitate, scilicet est domus Dei, ubi, juxta verba Auctoris colloquiorum Vesuntinorum (a), summus Orbis Dominus subditorum suorum clientelam sive hommagium excipit, ibi illos audit, & gratias ipsi concedit (b). Ac revera si olim Jacob de loco Bethel loquens dixerit, hunc locum dignum esse summa reverentia, domum Dei, & portam Cœli. (c) *Terribilis est locus iste. Vere non est hic aliud, nisi domus Dei & porta Cœli.* Quam ideam nobis efformare debemus sanctitatis Templi peculiariter consecrati Majestati omnipotenti Dei, & qua reverentia, qua pietate ibi nos gerere debemus?

(a) Coll. Vesuntino, to. 1. coll. 6. ar. 1.
(b) Luc. 19. 46.
(c) Gen. 28. 16.

Quod jam diximus evidenter probat, non igitur satis esse adesse sacro Missæ Sacrificio, cum quis corpore tantum præsens est, sed eam necessario teneri adesse animo Deo addicto, & se cum Sacerdote conjungere ut cum eo adorandæ Majestati divinæ victimam offerat propitiationis quæ jacet super Altari, & ut Deo se ipsum cum Jesu Christo in Sacrificium offerat. Nam illud est vere Ecclesiæ ingenium, cum fidelibus præcipit ut diebus Dominicis & Festis Missæ adsint.

His positis, quis audeat dicere, in circumstantiis in specie proposita denotatis, Artum Ecclesiæ præcepto satisfecisse? Profecto contra asseri debet, Militem illum Judæis admodum similem esse, qui genua coram Domino flectebant, ut ei insultarent, & illum deriderent. *Genu flexo ante eum illudebant ei*; (d) ac militibus qui revera aderant Sacrificio cruento, quod Jesus Christus Patri suo obtulit, in salutem omnium hominum: sed qui aderant tantum quia id ipsis mandatum fuerat, & qui nullatenus cogitabant de fructu percipiendo ex effuso sanguine, & ex morte Salvatoris, in quem non sperabant. In iis illos perfecte imitatus Artus Corpore Missæ adest, ei non adesset nisi id ipsi præciperet Ecclesia. Sed adest tantum tanquam spectator, sine fide, sine pietate, sine Religione. Conspicit quæ fiunt ad Altare tanquam meram exteriorem cæremoniam, quam in Ecclesia exequuntur fideles quin persuasum habeat Sacrificium illud incruentum idem esse ac Calvarii Sacrificium cruentum. Dum fit Sacræ Hostiæ Elevatio genua flectit; sed nonne ex aliis circumstantiis denotatis judicare est, ipsum genua flectere, non ut Jesu Christi misericordiam flagitet, sed ut quodammodo ipsi insultet; Denique, quod careat fide, hoc est dicendum principium irreverentiæ qua se gerit in Ecclesia, & eum impedit quominus Legis Ecclesiæ ingenio satisfaciat.

(d) Math. 27. 29.

Vide { CALIX. CONSACRARE. CORPORALE. ORNAMENTA ECCLESIÆ. }

MONASTERIUM.

MONASTERIUM, vel Cœnobium, est locus ubi sunt congregatæ personæ Religiosæ, quæ vitam agunt sub eadem regula ab Ecclesia vel a Papa approbata.

Hæc Monasteria constitui incæperunt in Occidente, statim atque S. Athanasius Romæ in lucem edidisset historiam vitæ S. Antonii, quam scripserat. Fere totidem fuerunt Regulæ quot Monasteria, adeo ut Ludovicus Mansuetus curaverit mandari a Concilio habito Aquisgrani nullam aliam admissum iri per totum ejus Imperium, præter regulam S Benedicti, quæ statim fere universe accepta fuerat, & quæ sic diu sola remansit: donec postea tot novæ institutæ fuerint, ut Innocentius III. qui quarto Concilio Lateranensi aderat, coactus fuerit prohibere ne novæ instituerentur.

Nulla ejusmodi Congregationum, cujuscumque Ordinis, antiqui vel recentis, in Gallia sedem figere potest, quin prius permissionem impetraverit a Rege, diplomate Regio, cujus auctoritatem comprobaverit Supremus Senatus, juxta Edictum datum die 21. Novembris 1629. (e). Et quandoquidem multa

(e) Fileau 1. part. t. 1. 8. 72.

horum

horum Monasteriorum Reipublicæ sunt oneri, hodie difficillimum est novas similes Constitutiones impetrare. Circa quæ legere est Edictum mensis Decembr. 1666. cujus auctoritatem comprobavit Supremus Senatus die 31. Martii 1667. ut & præscripta mensis Junii 1671.

Nullum est in Gallia Monasterium, quod Ordinis sui Congregationem agnoscere non teneatur, " Quælibet Monasteria, inquit Henricus III in Edicto Blesarum (a), quæ conventibus generalibus non subjiciuntur, & quæ pertendunt se esse subdita immediate Sedi Apostolicæ, tenebuntur in anno se adjungere cuidam congregationi sui Ordinis in hoc Regno; in eaque Congregatione statuta instituantur & præficiantur Visitatores, ut curent executioni mandari, & observari, quod decretum fuerit ad Disciplinam regularem. Si quis his obtemperare denegaverit, vel procrastinaverit, providebit Episcopus ".

(a) Art. 27.

Ejusdem Edicti Articulus sequens hæc habet. " Illi vel illa quæ solemnia vota Deo nuncupare voluerint, de bonis suis, directe neque indirecte statuere non potuerunt in gratiam ullius Monasterii: hoc est, in gratiam ullius Monasterii Ordinis, cui se addicere volent; imo sicut affirmat, Richardus (b), ullius Monasterii alterius Ordinis, ne varii Ordines de compacto rem gerant, ut ejusmodi donationes sibi invicem concilient: imo cum locorum consuetudo id permitteret, ut judicatum est Mandato Supremi Senatus Parisiensis, dato die 27. Julii 1626. allatoque a Fraxineo (c).

(b) Ricard. tr. de Donation. p.1.c.3. sect. 9.

(c) Fraxibus Diarium Fori l.2.c.120.

Idem ipse Articulus habet præterea, Episcopos teneri accurate instaurare claustra in omnibus Virginum sacrarum Monasteriis, ubi non observabantur: Et si forsan abnuerint Religiosæ, ad hoc eas cogant Episcopi censuris, aliisque juris rationibus; Mandatque Judicibus, ut, si necesse fuerit, auxiliarem manum ipsis præbeant; " vetatque ullam Religiosam quovis obtentu e Monasterio egredi; nisi ob causam legitimam, ab Episcopo vel Superiore approbatam; non obstantibus immunitatibus vel privilegiis quibuscumque hisce contrariis. " Hæc sunt Edicti illius ipsissima verba.

Consuetudo periculosa ac scandalosa olim introducta, instituendi Monasteria duplicia, id est, contigua, in quibus erant utriusque sexus personæ, contra prohibitionem distinctam, a Novella 123. anni 546 (d), latam, & adversus Novellam Conc. Agathensis, habiti anno 506 (e) abolita est Canone 20 Conc. secundi Niceni, Oecumenici octavi, habiti sub Adriano I. anno 787 in quo dicitur: *Ex hoc definimus, minime fieri Monasterium, quia scandalum id, & offendiculum multis efficitur. Si vero aliquid cum cognatis abrenunciare & vitam Monasticam sectari voluerint; debent viri virorum adire Cœnobium; fœminæ vero mulierum ingredi Monasterium.*

(d) Just. Nov. 123 c. 35. & 36. in can. In nullo 22. 18. q. 2.
(e) In can. monast. 18. p. 2.

CASUS PRIMUS.

Multi Seculares Ecclesiastici & Laici habitantes in Chorte Monasterii cujusdam Religiosorum, immunis ab Episcopali jurisdictione, pertendunt se contineri in immunitate Monasterii illius, recusantque Pastorem suum agnoscere Sacerdotem Parœciæ in qua situm est Monasterium illud: Circa hoc illos tuetur Superior regularis; recusatque Sacerdoti permittere ipsis quodvis Sacramentum administrare, eo obtentu quod cum sint Religiosorum domestici, & ab iis mercedem accipiant, immunes esse debent ut & ipsi. Penes quos Justitia stat?

RESPONS.

Quod intendit Sacerdos ille justum est & consentaneum cum jure communi. Omnes enim Seculares, cum Ecclesiastici, tum Laici, qui habitant in Monasterii illius ædibus exterioribus, vere sunt ejus Parochiani.

Prima ratio quæ hujus reddi potest, hæc est scilicet, omnes alios Sacerdotes frui hoc jure, istiusmodi personis Sacramenta administrandi. Secunda ratio hæc est, hujus Monasterii Confessarios nullam habere auctoritatem Confessionem Secularium audiendi, absque Episcopi permissione distincta, & etiamsi hanc impetrassent, id non impedire quominus Seculares illi semper Parochiani censeantur Sacerdotis loci illius, in cæteris omnibus. Ita ut ad illum solum pertineat, exempli gratia, eorum qui contrahere vellent matrimonium celebrare, sive ille adsit ipse, sive constituat Sacerdotem qui ipsius nomine intersit; idque juxta Concilium Tridentinum (f). Ad ipsum etiam pertinet Sacrum Viaticum, Extremæque Unctionis Sacramentum illis administrare, si in morbum delabantur; id enim præstare nullus Religiosus potest, quin in excommunicationem, *ipso facto*, incurrat, juxta illa Clementis V. verba, in Concilio Generali Viennensi in Delphinatu: (g) *Religiosi qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, Matrimoniave solemnisare, non habita super hoc Parœcialis Presbyteri licentia speciali ... excommunicationis incurrant sententiam* ipso facto, *per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi .... nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante.*

(f) Conc. Tr. sess. 24. de Reform. c. 1.

(g) Clem. V. in Clement. Relig. 1. de privileg. & excess. privileg. l. 5. t. 7.

Hæc decisio confirmari potest Decreto Concilii Tridentini (h), quod dicit: " Nullum etiam regularem posse confessiones Secularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis " vide-

(h) Conc. Tr. sess. 23. de ref. c. 15.

videbitur necessarium, aut alios idoneas judicetur, & approbationem .... obtineat : privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Illud Decretum acceptum est & confirmatum Declaratione mensis Aprilis 1696. eam confirmante Edicto anni 1655. de Jurisdictione Ecclesiastica (*a*). Si vero Monasterii cujusdam Confessarii, qua tales, ne habeant quidem potestatem Confessionem audiendi sæcularium quorumlibet, ni Diœcesanus Episcopus licentiam concesserit; potiori jure nullum aliud Parochi munus eorum respectu exercere possunt; cum hoc jure gaudeant tantum respectu sæcularium, qui habitant *intra septa Monasterii*; id est, in interioribus ædibus ipsorum locorum regularium, qui sunt ex eorum familia, & qui sub eorum obedientia vivunt. Ea est Sylvii sententia. (*b*).

(*a*) Declarat. ann. 1695. art. 20. & 21.

(*b*) Fr. Sylv. Resol. var. v. Exemptio.

Senatuum Supremorum Jurisprudentia consentanea est huic Disciplinæ, ut patet ex Edicto dato die 5. Maji 1689. a Supremo Senatu Parisiensi, in gratiam D. Antonii Collot, Presbyteri S. Dionysii, Sezanensis in Bria, adversus Abbatissam, & Religiosos Monasterii B. Virginis *Du Bricol*, quod in urbem illam translatum est, occasione cujusdam nomine Marthæ, Virginis *Janitricis ejusdem Monasterii; quo mandatum est, in futurum Janitricem, aliosque domesticos, qui in interioribus Abbatiæ ædibus non includuntur, si moriantur, sepeliendos esse in Ecclesia Parochiali, ibique per vitam suam tenebuntur satisfacere Parœciæ officio, sicut & cæteri Parochiani.* Edictum illud confirmatum fuit die 8. Junii sequentis secundo Edicto, quod dictam Abbatissam Religiosasque dejecit de intercessione quam injecerant, circa executionem Edicti primi, easque sumptibus damnavit. Edictum illud consentaneum est duobus alteris quorum in isto fit mentio; Alterum datum est in gratiam Presbyteri S. Pauli, Urbis Parisiorum, adversus Minimos fori Regii, circa funales cereos in funeribus sæcularium quæ celebrantur in eorum Ecclesia. Alterum Edictum datum est adversus Decanum, Collegium & Canonicos Ecclesiæ Collegialis Nostræ Dominæ Vallis Urbis Provini, in gratiam Sacerdotis Sanctæ Crucis ejusdem Urbis, circa Sacramentorum administrationem. Denique idem Parisiensis Senatus Supremus simile quoque dedit Edictum die 7. Julii 168:., quod nitens eodem principio, tuetur Sacerdotes in omnibus eorum muneribus Parochialibus, supra omnes Beneficio Ecclesiastico præditos, munus aliquod gerentes a Collegiis & Ecclesiis Collegialibus, qui in amplitudine ipsorum Parœciarum habitant, quod tamen locum non habet respectu præditorum Beneficio dependenti a Collegio Nostræ Dominæ Parisiensis, ut alibi dicimus.

CASUS II.

MONASTERIUM Ordinis Sanctæ Cordulæ, cum Episcopi Diœcesani Jurisdictioni se subducere vellet, alterius Ordinis Congregationi socium se adjunxit. Nonne sic Episcopus excidit Jurisdictione, quam in hoc Monasterium habebant ejus antecessores: Et nonne orbatus est jure ullam Jurisdictionem ibi exercendi?

RESPONS.

Circa illud Disciplinæ caput, respondemus Sanctæ Cordulæ Monasterium non potuisse se socium adjungere, sive in Congregationem se cooptare inscio & non permittente Episcopo Diœcesano, quandoquidem sub ejus Jurisdictione fuerit, & alteri Monasterio socium se adjunxerit eo tantum consilio, ut ab Episcopi Jurisdictione se subduceret. Id multis rationibus demonstrari potest.

Prima hæc est: quia Monasteriis immunibus solummodo liberum est in Congregationem se redigere, ut distincte pronuntiatum est a Concilio Tridentino. (*c*) his verbis : *Monasteria omnia, quæ Generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Regulares, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, teneantur infra annum a fine præsentis Concilii : .... se se in Congregationem redigere.* Illud Decretum acceptum est & comprobatum auctoritate Edicti Blesarum (*d*), dicentis : " Quælibet Monasteria quæ
„ non subsunt Capitulis Generalibus, ac perten-
„ dunt se immediate Sedi Apostolicæ subjici, te-
„ neri infra annum, se in Congregatione aliqua
„ sui Ordinis redigere, in hoc Regno.

(*c*) Conc. Tr. sess. 25. de Regular. c. 8.

(*d*) Ed Bles. art. 27.

Secunda ratio est: quia non satis est, Monasterium esse ex numero immunium, ut in Congregatione redigere se possit; oportet enim ut ejusdem Ordinis Monasterio se cooptet. Quapropter Monasterium de quo in specie proposita agitur, alteri Ordinis differentis se adjungere non potuit. Id probatur Dispositione Capitis duodecimi quarti Concilii Generalis Lateranensis habiti anno 1215. Pontifice Innocentio III. (*e*) qui vult aggregationes fieri solummodo inter Monasteria ejusdem Ordinis. *In quo diligens habeatur Tractatus de Reformatione Ordinis.* Probatur quoque ex Concilio Tridentino, quod, sicut Concilium Lateranense, mandavit Monasteriorum immunium & immediate a Sancta Sede Apostolica pendentium aggregationes, fieri tantum juxta formulam a præcedente Concilio præscriptam. (*f*) *Juxta formam Constitutionis Innocentii III. in Concilio Generali* : hæc sunt illius verba.

(*e*) Inn. III. Cap. In singulis 7. de statur. Monachorum. l. 3. tit. 35.

(*f*) Conc. Tr. loc. cit.

Tertia ratio hæc est : licet supponeretur Sanctæ Cordulæ Monasterium revera Papæ Jurisdictioni immediatæ subjici; atque ejusdem ordinis esse ac Ordo cui socium se adjunxit, hoc tamen non sufficeret ut aggregationem legitimam redderet. Necesse quoque foret ut tempore a Concilio Tridentino præscripto facta fuisset, id est intra annum qui immediate sequutus est sacri illius Concilii finem. *Teneantur infra annum a fine præsentis Concilii*; vel potius ut loquar juxta nostram Jurisprudentiam, intra annum postquam celebrata sunt Comitia Blesarum, ubi Decretum illud acceptum & promulgatum est in Gallia, quorum Edictum habet : *Si vero abnuerint vel procrastinent, Episcopus providebit.*

Hoc autem fundamento nitens Ecclesia Gallicana, repræsentata Legatis omnium Regni Provinciarum Ecclesiasticarum, hanc præscriptionem sancivit, in Comitiis Generalibus Cleri Sacri Ordinis, habitis Parisiis mense Aprili 1625. (*g*) " Quælibet Monasteria, quæ sunt sub pro-
„ tectione immediata Sanctæ Sedis, & quæ tem-
„ pore Concilii Tridentini ac Comitiorum Blesa-
„ rum, in Congregationem Reformatam se se
„ non adjunxerint, a Papa approbatam, promul-
„ gatam & in Acta publica Senatuum Supre-
„ morum relatam, Episcopi Diœcesani Jurisdi-
„ ctioni erunt subdita.

(*g*) Com's. Gener. Cler. an. 1625. statuti de Regularib. art. 25.

Quibus addi potest, imo necessarium esse, aggregationem anno præscripto sancitam, eodem anno executioni omnino mandatam fuisse; alias enim Episcopi juri detrimentum afferre non posset; quia censeretur fallax, ac contraria Concilii ac Edicti Blesarum animo; volunt quippe aggregationes illas reipsa fieri, & in bonum optimæ Disciplinæ Monasteriorum.

Unde concludimus, Sanctæ Cordulæ Monasterium, quod ex immunium numero non est, neque Sanctæ Sedis Apostolicæ Jurisdictioni immediate est subjectum, quodque Ordine differenti socium sese adjunxit, imo supra 25. annos postquam Edictum Blesarum promulgatum est, & in Acta publica relatum, sancitum anno 1579 Concludimus, inquam, aggregationem illam nullius esse ponderis, & nullomodo Episcopi Diœcesani juri detrimentum afferre posse. Atque Episcopus propter illa omnia vitia in Monasterium illud totam auctoritatem conservat, quæ jure communi ipsi competit (*h*). Cum certum sit, post tempus ab Edicto Blesarum præfixum, non amplius penes Monasterium quodlibet esse Jurisdictioni Episcopali se subducere, sub obtentu ejusmodi aggregationis, licet facta fuisset

(*h*) A Sainte Beuve Tom. 3. cas. 23.

enim Congregatione ejusdem Ordinis, nisi distincte assensus fuerit Episcopus Diœcesanus, ut probat Blondeau (*a*), 1. Exemplo immunitatis Abbatiæ S. Dionysii in Gallia, ut & Religiosorum S. Basilei, quæ concedi non potuit nisi ex consensu distincto Episcopi Diœcesani. 2. Auctoritate celeberrimi Yvonis Carnutensis (*b*), qui loquens de immunitate Ecclesiæ Sancti Quintini, eam tunquam legitimam comprobat tantum quia concessu fuerat Episcopi consensu; quæ est conditio omnino necessaria, quam exigit quoque Dominus de Marca (*c*); *Justum enim non est*, inquit Magistratus quidum insignis (*d*), *Episcopum pati jurisdictionem suam divelli, quin distincte assensus fuerit*. Imo consensus ille non sufficit, ut legitima reddatur immunitas ejusmodi aggregatione, vel aliter. Oportet enim præterea ut Sacræ Sedis ac Regis auctoritas accedat, prout iidem tres Auctores quos jamjam laudavimus docent.

(*a*) Claud. Blondeau in Bouchel. to. 1. pag. 429. Biblioth. Can.

(*b*) Yvo Carnut. cap. 191.

(*c*) De Marca, Concordia Sacerdot. & Imperii l. 3. c. 16.

(*d*) Causæ dictio D. Talon Advocati Generalis (?) Dicti Fori l. & c. s.

CASUS III.

Sanctæ Gudulæ Monasterium Bullam habet, datam anno 1562. qua Pontifex declarat, se illud Sancti Petri, & Sancti Pauli præsidio & tutelæ credere. Nonne illud sufficit ut statuatur immunitas a Jurisdictione Episcopali, & ut Monasterium illud sit sub immediata Sacræ Sedis protectione.

R e s p o n s.

Certum est ejusmodi Bullam non sufficere ad statuendam Monasterii illius immunitatem, illudque Jurisdictioni Episcopi Diœcesani subducendum. Id evidenter patet ex Constitutione Bonifacii VIII. (*e*) cujus hæc sunt verba. *Si Papa in aliquo privilegio, vel scriptura, non facta principaliter super donatione, vel sententia exemptionis, seu etiam libertatis aliquam Ecclesiam ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia verba narret; non propterea illius Ecclesiæ exemptio est probata, nisi de libertate aliter doceatur . . . . similiter si aliqui recipiantur in proprios & speciales subjectos; censentur exempti: non sic, si in proprios & speciales filios Romanæ Ecclesiæ sint recepti; tales quippe exempti propterea non existunt.*

(*e*) Bonifac. VIII. in cap. Si Papa 10. de privilegiis in 6. l. 5. t. 7.

Decisio illa evidentior etiam & magis supra omne dubium videtur ex Gregorii IX. (*f*) Decretali, declarantis ipsissimis verbis, illos ab Episcopali Jurisdictione immunes non esse, licet Sacræ Sedis Protectioni se submiserint, ipsique censum annuum pendant in gratum animum gratiæ ipsis concessæ. En Papæ illius verba. *Non omnes censuales* (Ecclesiæ Romanæ) *ab Episcoporum subjectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo Ecclesiarum privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus, ut si fuerit deprehensum, quod Ecclesia, quæ censum solvit, specialiter Beati Petri juris existat, & ad judicium perceptæ libertatis census annuus conferatur, non immerito poterit speciali prærogativa gaudere. Si vero ad judicium perceptæ protectionis census persolvitur; non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid videtur esse subtractum.* Etiamsi igitur Sanctæ Gudulæ Monasterium non solum existeret sub simplici Papæ protectione; sed etiam obligationem census annui Papæ persolveret, in gratum animum gratiæ illius; semper tamen remaneret Episcopo Diœcesano subjectum. Ratio est, quod non minus ulterius inferior, quam sui ipsius inferior immediatus protegi debeat, ac possit.

(*f*) Greg. IX. in Cap. Recepimus 8. de privil. & excess. privilegiat.

CASUS IV.

Octavianus, Archiepiscopus Lisboniensis, cum audivisset clausura Monasterii Religiosarum Sanctæ Godebertæ non esse juxta Disciplinam, illuc auctoritate sua ingressus est, ut illa inspiceret; quamvis illum monuerint Religiosæ, eum in ipsarum Monasterium nulla gaudere Jurisdictione, quippe ab alio Superiore Regulari vel sæculari pendet Monasterium; cum eo autem Superiore de Jurisdictione non contendit Archiepiscopus ille; ab eo tamen nec impetravit, nec requisivit consensum ut illuc ingrederetur. De his quæritur, an Præsul ille non incurrerit in excommunicationem a Concilio Tridentino (*g*) pronuntiatam in eos qui sic in Virginum Monasteria ingressi fuerint.

(*g*) Conc. Tr. sess. 25. c. 5. de regul. & Monialib.

R e s p o n s.

In casu proposito in excommunicationem non incurrit Præsul ille. Episcopus enim in eam non incurrit, cum ex jure in Virginum Monasterium ingreditur, licet omnino ab ejus Jurisdictione immune sit, licetque sola sua auctoritate illuc ingressus fuerit, & sine permissione Superioris. Octavianus autem jure in Monasterium ingressus est, cum ingressus fuerit ut clausura inspiceret. Sic igitur in nullam incurrit censuram.

Dicimus eo casu Episcopum illum jure in Monasterium ingressum fuisse. Eo enim respectu, Episcopus, juxta jus vulgare, est Superior naturalis cunctorum Cœnobiorum Regularium & Secularium, quæ in tota ejus Diœcesi sita sunt, quibusvis gaudeant immunitatis privilegiis. Ergo cum jure illuc ingreditur, ingreditur quatenus est naturalis Superior, quo casu nulla censura locum habet, præsertim quoniam, cum de censuris agitur, nunquam Episcopi censentur illis compleсti, nisi distincte nuncupentur, sicuti pronuntiavit Innocentius IV. cum adesset primo Lugdunensi Concilio, babito anno 1245. his verbis: (*h*) *Quia periculosum est Episcopis & eorum Superioribus propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto; nos deliberatione provida duximus statuendum ut Episcopi & alii Superiores Prælati, nullius Constitutionis occasione, sententia, sive Mandati prædictam incurrant Sententiam ullatenus ipso jure; nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur.*

(*h*) Inn. IV. in Cap. Quia periculosum 4. de sentent. excomm. &c. in 6. l. 5. tit. 11.

Concilium autem Tridentinum hanc in rem distinctam Episcoporum mentionem non facit. Ergo Octavianus nullam incurrit censuram, ob factum, de quo agitur in hoc casu proposito.

Operæ pretium est hanc in rem observare, quod cum non agitur de rebus quæ attinent ad Jurisdictionem Episcopalem in ejusmodi Monasteriis; veluti, verbi gratia, si Religiosa quædam Episcopum posceret qui Confessionem ipsius audiat; id non caret omni difficultate. Navarrus enim, multique Auctores affirmant, Episcopum in Monasterii illius immunis interiores ædes sub eo prætextu ingredi non posse, absque Superioris immediati consensu; quandoquidem aliis tradere non possint permissionem illuc ingrediendi. Multi alii tamen contrarium asserunt, voluntque Episcopum potestatem habere, ultro tradendi ingressus permissionem: quoniam Concilium Tridentinum, a quo manat illa prohibitio, distincte dicit: *Sine Episcopi, vel Superioris licentia*. Unde concludunt particulam disjunctivam *vel*, satis aperte indicare, permissionem ab Episcopo dutam sufficientem esse. Doctus Theologus quidam, a quo difficultas proposita enodata est (*i*), ait illarum opinionum utrumque defendi posse, quia unicuique earum sua est probabilitas: sed si quis secundam umplectatur opinionem, supponendum est justam esse causam in Monasterium ingrediendi: alias enim quoddam esset peccatum, quamvis nullam Incurreret censuram. Gregorii XIII. Bulla 28. quæ est *motu proprio*, data 23. Decembris 1591. (*K*) secundum quam Episcopi qui sine causa legitima in Monasteria ingrediuntur, ub ingressu in Ecclesiam, prima vice, removentur; secunda vice ab omnibus functionibus Pontificalibus, ut & ab iis omnibus quæ divinæ vocantur; ac denique *ipso facto* excommunicantur, tertia vice; illa inquam Bulla nunquam promulgata est, nec recepta in Gallia; ideoque sibi nullum locum habet.

(*i*) A Sancta Beuve tom. 3. Cas. 44.

(*k*) Gregor. XIII. in Bull. In dubiis Aul. lat. Magnar. tom. 2. p. 182.

C A-

CASUS V.

Cajetanus, Episcopus Segesteronensis, pertendit se jus habere in Monasterium Religiosarum sanctæ Cunegundæ, licet immune sit ab Episcopali Jurisdictione, ac sit sub immediata summi Pontificis protectione. Voluit autem jus illud exercere. 1. Inspectione Sancti Sacramenti, ac oleorum sacrorum, sacrarum reliquiarum, quæ in Monasterii illius Ecclesia asservantur, claustrorumque locorum Regularium. 2. Scrutinio in Electionem. 3. Superiori prohibendo ne imposterum Virginem ullam admittat ad solemnia Religionis vota Deo nuncupanda, nec ad vestem Ordinis assumendam, quin prius illam examinaverit. 4. Declarando denique se contendere inspectionem habere in Convictrices, dum excipiebantur, ingrediebantur, accedebant; ut & in sæculares qui in interiores Cœnobii ædes ingrediebantur. Abbatissa vel superior vi immunitatis suæ distincte intercedit iis omnibus, quæ præsumit Episcopus. An salva conscientia intercedere potest? Vel an Episcopus nullum jus istiusmodi exercere potest?

Responsio.

Licet sanctæ Cunegundæ Monasterium immune sit ab Ordinarii Jurisdictione; si tamen Congregationi cuipiam socium se non adjunxerit, Episcopo Segesteronensi jus est integrum & universum in illud Monasterium, ut & in quodvis aliud Monasterium non immune Diœceseos suæ. Concilium enim Tridentinum (a) vult: *Monasteria Sanctimonialium sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjecta, etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri, vel sancti Joannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis, tamquam dictæ Sedis delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscumque.* Hæc sunt ipsissima Concilii verba, accepti, ac eo respectu comprobati Lege Regni (b), quæ præcipit „ omnia Monasteria, quæ non sunt Capituli Generalis, & quæ contendunt se esse sanctæ Sedi immediate subjecta, teneri intra annum cuipiam Ordinis sui Congregationi in hoc Regno socium se adjungere, in qua sanciantur statuta, & constituentur Inspectores, qui curent executioni mandari, & observari ea, quæ ad Disciplinam Regularem statuta fuerint: Si autem abnuerint, vel moram injecerint quipiam, iis ab Episcopo provideatur. „ Sic loquitur Edictum Blesarum. Ex quibus patet. 1. Ejusmodi Monasteriorum aggregationem fieri debere cum ejusdem Ordinis Cœnobio, & juxta formulam præscriptam a Concilio Generali Lateranensi, habito, Pontifice Innocentio III. ut jam diximus, dum alteri difficultati superius respondebamus. 2. Si vero aggregatio facta non fuerit tempore a Concilio Tridentino præfixo: *Infra annum a fine præsentis Concilii*, & Edicto Blesarum quod decretum illud confirmavit; si autem facta fuerit tantum post annum elapsum a promulgato & in Acta publica relato illo Edicto die 25. Januarii 1580. nulla est, & irrita: ullamve illius rationem habere neutiquam tenetur Episcopus.

(a) Concil. Trid. sess. 25. c. 9.

(b) Edictum Blesar. art. 27.

Sed non plane eadem est ratio Monasteriorum Virginum, quæ sunt in Congregatione; in illa potestatem integram ac universam non habet Episcopus, sed tantum in quibusdam casibus, quorum primus est, quod jus habeat illas cogendi censuris & interdictis ab ipso pronuntiatis sic subjicere, ut idem Concilium habet, dum ait (c): *Censuræ & interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.*

(c) Conc. Trid. sess. 25. cit. c. 12.

Secundus casus est, quod illas cogat Festa Diœceseos observare. *Dies autem Festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur*, addit illud ipsum Concilium.

Tertius est, ut illos illasve puniat, qui scandalum creant, si eorum superiores eos punire negligant, ut præterea mandatur illius Concilii Decreto (d), his verbis: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit & extra ea, ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, severe puniatur; ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, a suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.*

(d) Idem ib. c. 14.

Quartus casus est, ut punire possit eos easve, qui cum sunt extra sua Monasteria, alibi habitant, quin obedientiam juxta formulas impetraverint, & scripto, a suis superioribus. *Nec liceat Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato, in scriptis obtento, inventus fuerit, ab Ordinariis locorum, tamquam desertor sui instituti puniatur.* Sic etiam loquuntur Concilii Tridentini Patres (e).

(e) Ib. c. 4.

Quintus casus est, ut Religiosis Virginibus etiam immunibus Confessarios extraordinarios tradant, bis vel ter in anno, ut præcipit Concilium illud (f): *Præter Ordinarium autem Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat.*

(f) Ibid. c. 10.

Sextus casus est, cum aliquis votis suis reclamat, quasi illa nuncupaverit ante ætatem requisitam, vel ex violentia, aut præ metu, ac contendit ob rationes allatas, vel alias similes, irrita esse vota illa: Episcopo jus est judicandi cum superiore Regulari, an sint rata vel irrita. Idque probatur ex Decisione illius ejusdem Concilii, (g) *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem; aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere, quacumque de caussa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi caussas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo & Ordinario.*

(g) Ibid. c. 19.

Septimus casus spectat Concionatores qui in Monasteriis illis immunibus, Regularibus subditis concionantur. En decreti verba: (h) *Nullus autem Sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.* Quod intelligitur de Regularibus immunibus ut & de aliis, qui etiam in propriis suis Ecclesiis concionari non possunt, quin coram Episcopo se sisterint, & ab ipso benedictionem petiverint, ut expresse pronuntiatur decreto sessionis V. illius Concilii.

(h) Ib. sess. 24. de Reform. c. 4. Item sess. 5. de Reform. c. 2.

Octavus casus spectat sæculares, qui in Monasteriis illis degunt, eo tantum modo quem præscribit Concilium, cujus ecce decretum: (i). *In Monasteriis, seu domibus Virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quam sæculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam & sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita: nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo.* His tamen tres immunitates apponit. Primam, in gratiam Monasterii Cluniaci. Secundam in gratiam Monasteriorum in quibus Abbates vel Generales sedem suam fixerunt, & in quibus Ordinis conventus aguntur. Tertiam in gratiam Monasteriorum, quæ Jurisdictionem Episcopalem & temporalem exercent in eos quorum curam gerunt animarum.

(i) Idem sess. 25. c. 12.

Nonus casus denique, de quo agitur in specie proposita, est ut Episcopo liceat ingredi in loca regularia, ut eorum claustra inspiciat, ut necessario concluditur ex ejusdem Concilii verbis istis, (k) quibus Bonifacii VIII. Constitutionem, *Periculoso*, renovat; *Sancta Synodus* uni-

(k) Idem sess. 25. c. 5.

universis Episcopis sub obtestatione divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero, Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui: & ubi inviolata est, conservari maxime procurent: Inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita compescentes. Quibus consentaneum est Blesarum (*a*) Edictum, quod necessario supponit Episcopo jus esse ingrediendi in interiores Monasterii ædes, etiamsi immune sit ab Episcopi Jurisdictione, cum de Claustris agitur; quandoquidem alias illa inspicere non possit, nisi ingrediatur in loca regularia, ut illorum expendat locum ad loquendum cum externis destinatum, Clatbros, versatilia tympana, Confessariorum sedes, bortos, claustrorum muros, & ædificia ex quibus aspectus est in exteriora loca. *Hoc autem non potest bene procurare*, inquit Sylvius, (*b*), *nisi certam habeat clausuræ violatæ, aut inviolatæ notitiam: Eam vero notitiam habere nequit, nisi per visitationem: præsertim cum in rebus tanti momenti non sit rumoribus fides adhibenda, sed certiori via quærenda sit veritas.* Quibus addi debet, Episcopo jas etiam esse illuc ingrediendi, ut scrutinium excipiat, & hanc in rem Superiorem & Religiosas examinet, ac eas puniat qui scrutinium violassent. Denique potest etiam potiori jure inspicere Sanctum Sacramentum, Olea sancta, sacras Reliquias, Imagines, Ornamenta, & baptisteria, ut fertur præscripto Cleri Gallicani, & prout permittit Jurisprudentia Concilii Regii.

(*a*) Edictum Blesar. art. 31.

(*b*) Fr. Sylvius Resol. variar. v. Visitatio.

Quod attinet ad examen, ut admittantur Virgines ad vestes Religiosarum assumendas, & ad solemnia Religionis vota Deo nuncupanda, constat Abbatissam vel Superiorem cum Episcopo de hoc jure contendere non posse; quandoquidem a Concilio Tridentino ipsi distincte concessum est (*c*), in gratiam Virginum, quarum obligationes & vota cum plena ac perfecta libertate fieri magni est momenti. Sic mentem suam aperit Concilium: *Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens sancta Synodus, statuit atque decernit, ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major 12. annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agit..... Cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere.* Quibus Concilium addit pœnam, ut Officio superioris privetur; in quam pœnam incurrit superior, si Episcopum certiorem non faciat. *Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.*

(*c*) Concil. Trid. sess. 25. c. 17.

Verum tamen est decretum illud universe non observari in omnibus Regni Diœcesibus; ac in iis ipsis ubi observatur, modum illud observandi ubique non esse similem. Multæ enim sunt ubi stant Edicto Blesarum (*d*), in quo Rex Henricus III. his verbis loquitur. „ Volumus Abbatissas aut „ Præfectas, antequam Virginibus vestes solemni- „ bus vitæ religiosæ votis adstrictarum concedant, „ ut eas ad professionem admittant, teneri ante „ mensem certiorem facere Episcopum, ejus Vica- „ rium, aut Ordinis superiorem, ut illi inquirant „ Virginum illarum voluntatem; an fuerit vis ac „ persuasio; & illis significent ad quodnam votum „ se adstringunt „. Ex quibus patet 1. Edictum illud non exigere Præfectam certiorem facere Episcopum, cum agitur de examine Religiosi habitus assumendi; sed solummodo quando agitur de examine votorum nuncupandorum. 2. Edictum illud Præfectæ libertatem concedere adeundi Episcopum vel Ordinis superiorem; in hoc autem Edictum illud a Concilii Decreto differt: ita ut in Diœcesibus ubi Concilii decretum non est acceptum, sequendus sit usus, sive jubeat Episcopum semper, vel Ordinis superiorem semper adire, sive usus ille jubeat modo hunc, modo illum adire. At in Diœcesibus, ubi decretum illud est acceptum, veluti in Provincia Burdigalensi (*e*), Abbatissa vel Præfecta tenetur Concilii Mandatu obedire, ac ideo solum Episcopum Diœcesanum semper adire, cum ad examen habitus Religiosi assumendi, tum ad examen votorum vitæ Religiosæ Deo nuncupandorum. Si decretum illud in praxim hodie non revocetur in quibusdam Diœcesibus, & desuetudine obsoleverit, optandum saltem esset, ut ibi Edicto Blesarum se conformarent.

(*d*) Edict. Bles. art. 27.

(*e*) Conc. Burdigal. an. 1583 c. 25. de Monasteriis a Greg. XIII. approb.

Denique, ut longo isti responso finem imponamus, dicimus. 1. Quod attinet ad ingressum, receptionem, vel egressum Convictricium, in Monasterio immuni, & regulari Superiori subdito, Episcopum jus solummodo habere inspectionis, si fuerit abusus. 2. Quod spectat ad mulieres conjugatas vel alias agnatas, quæ in Monasteria immunia ingredi vellent, Episcopo jus esse istis ingressum absque sua permissione prohibendi, vel sine regularis Superioris permissione, ille enim ingressus claustra perstringit. Imo si ingressum illum absque justa necessitate concederet Superior ille, Episcopus illius effectum jure impediret, & jure illi prohiberet in posterum similes permissiones concedere. Idque juxta decretum Concilii (*f*) & juxta Blesarum Edictum. Sic difficultatibus hisce respondet doctus quidam Theologus. (*g*). Unde facile est intelligere, ad quænam extendatur Episcopi potestas, de qua agitur in specie proposita circa sanctæ Cunegundæ Monasterium.

(*f*) Conc. Trid. sess. 25. c. 5.

(*g*) A Sancte Beuve to. 3. cas. 132.

CASUS VI.

Sancti Gaciani Religiosis necesse est Ecclesiam suam & Cœnobium ruinosum iterum ædificare, a mense quindecim vel viginti structorum vel aliorum operariorum opera usæ sunt: ita ut cum in muro insignis sit ruina & aditus, multi sæculares in dormitorium aliaque loca regularia ingressi fuerint; imo consentiente Monasterii Præfecta, quæ nititur consuetudine, quæ vulgo legitima habetur, & juxta quam cum est ruina, saltem insignis, in muro ædium religiosarum, claustrorum obligatio, ac prohibitio sæculares vetans illuc ingredi, cessant, donec reparata fuerit ruina. Circa hæc petitur an in illa consuetudine non sit abusus, ac ideo an sæculares, qui in Monasterii sancti Gaciani ædes interiores ingressi fuerunt, & an Præfecta, quæ id permisit, non peccaverint?

Respons.

Consuetudo illa est manifestus abusus, quia plane contraria est Constitutionibus Canonicis, & Ecclesiæ Regulis, quapropter Monasteriorum superiores huic auctoritatem tribuere non possunt. *Consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius esse debet momenti*, inquit Innocentius III. (*h*). Contra abrogari debet; quippe quæ aperte tendit ad destructionem Disciplinæ regularis, juxta ejusdem Papæ effatum in Decretali (*i*) quam inscribit Decano ac Collegio Canonicorum Ecclesiæ Cenomanensis.

(*h*) Innoc. III. in Cap. *Ad nostram*. 3 de Consuetud. l. 1. tit. 4.

(*i*) Idem in Cap. *Cum inter* 5. eod. tit.

Decisio illa nititur Constitutione Bonifacii VIII. in sexto (*K*) prolata, quæ stricte vetat omnigenas Religiosas, cujuscumque Ordinis, non solum exire Claustro; sed etiam illuc quempiam sæcularem introducere, cujuscumque generis ac probitatis. *Præsenti Constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus*, inquit Papa ille, *universas & singulas moniales præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet Mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis de cetero manere clausura. Ita quod nulli earum .... sit vel esse valeat .... Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenus inhonestæ pre-*

(*k*) Bonifac. VIII. in cap. *Periculoso* 1. de statu Monachorum in 6. l. 3. tit. 16.

stæ personæ, nec etiam honestæ (nisi rationabilis & manifesta caussa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat ad easdem. Ex ipsis Constitutionis illius verbis videre est, Papam illum nullam exceptionem admittere regulæ quam instituit, nisi solam necessitatem evidentem, cui adnexa est permissio Superioris ad quem pertinet judicare an ingressus caussa proposita sit legitima vel non.

Unde concludimus, Sæculares qui in Monasterii sancti Gaciani ædes interiores ingressi sunt, ingredi non potuisse, quin Religiosarum clausuram violaverint, stricte præceptam a Canonibus Constitutionibusque Apostolicis; cum illuc ingressi fuerint sine ulla caussa legitima, & quin permissionem impetraverint illius cujus est illam dare; ipsa quoque permissio illos non excusaret peccati, in casu proposito; quoniam nulla necessitate, nullaque æqua ratione niteretur.

Concilium Tridentinum iis quæ dicimus consentaneum est. En verba Decreti quod hanc in rem constituit (a): *Ingredi autem intra Septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia ...... sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis; neque alias ullo modo possit.* Quibus verbis patet evidenter. 1. Casum de quo agitur in specie proposita a regula generali exceptum non esse: cum exceptio locum solummodo habeat in casu solo necessitatis. 2. Dissimulationem vel permissionem immo distinctam Præfectæ omnino inutilem esse, ut peccati Sæculares excuset cum in loca regularia per ruinam muri ingredi ausi sunt, cum Episcopus solus, solusve Superior legitimus jus habeat hancce permissionem concedendi, & tantummodo cum caussa propter quam ab eo petitur permissio, justa est & necessaria, qualis est respectu structorum qui operam dant refectioni vel ædificationi Ecclesiæ vel Cœnobii, quoniam quin ingrediantur operari non possunt. Quod tamen non intelligimus de illis qui Ecclesiæ prohibitionem ignorantes bona fide illuc ingrederentur, non reputantes se quidquam mali perpetrare. Eo enim casu in censuram a Concilio Tridentino pronuntiatam non delaberentur, immo rei non evaderent, si ea essent animi affectione, ut illuc ingredi nollent, si persuasum habuissent in eo esse peccatum.

(a) Concil. Trid. sess. 25. c. 5. de regularibus & Monialibus. c. 5.

Necessarium non credimus diutius immorari in Decisione nostra probanda. Qui fusiora voluerint argumenta Sylvium consulant, qui multis alias profert nitentes ratiocinatione ac auctoritate Doctorum quos laudat. in responso a se dato, die 11. Aprilis 1640. de quæstione fere simili.

CASUS VII.

Athenodorus, Vir Nobilis, Presbyter & Doctor doctrina & virtute præclarus, rogatus est a Præfecta Cœnobii cujusdam, in quo ipsi erat amita Religiosa votis astricta, ut in interiores Monasterii ædes ingrederetur, ad Religiosam illam juvandam, apoplexia perculsam, eique Sacramenta administraret, si ipsi videretur in eo statu, ut digne illa ei administrari possent. Illuc ingressus est Athenodorus duabus diebus, horis matutinis & pomeridianis, tuncque diu satis ibi permansit, partim ægrotanti adstitit, partim quasdam Religiosas amicas invisit. An ea occasione peccavit; Et an quoque dici potest ream esse Præfectam, quod illum rogaverit in valetudinarium ingredi?

Respons.

Etiamsi, qui nec Superior, nec Confessarius est Monasterii intra Religiosarum claustra ingredi non possit, absque ipsa Episcopi Diœcesani permissione, vel Superioris legitimi, ut alibi probamus, dici tamen potest in casu proposito, Athenodorum sine peccato illuc ingredi potuisse, postulante Superiore, non quod sit vir Nobilis, vel Dignitatibus ornatus, vel Religiosæ ægrotantis sororis filius; (illæ enim omnes rationes illius sunt momenti, ut legitimus evadat illius ingressus in loca ædium illarum regularia:) sed quoniam ejus amita mortifero morbo urgebatur, maximique erat momenti spiritualem opem ipsi ferre, qua egebat. Ratio hæc est, quoniam caritatis præceptum juris divini, in tam urgente necessitate vincere debet præceptum Clausuræ Monasteriorum, quod juris Ecclesiastici est solummodo.

Decisio illa intelligi tamen debet tantum eo casu, quo nec Superior nec Confessarius ordinarius vel extraordinarius tunc adesset, qui ægrotantem juvaret. Si enim illorum quispiam adesse potuisset, graviter peccasset Præfecta, quod Athenodorum in interiores ædes admiserit; ipsique Athenodoro illuc ingredi non licuisset, quandoquidem nulla illius respectu erat necessitas. Quibus addendum est, illum absque peccato non potuisse ibi diutius quam requirebat necessitas remanere; ac ideo occasione illa uti non potuit, ut Religiosas amicas inviseret. Ea est sententia (b) doctissimi recentis Theologi.

(b) A Sainte Beuve. t. 2 cas. 27.

CASUS VIII.

Sanctæ Euphemiæ Monasterium ab Episcopi Jurisdictione immune est, & sub Sacræ Sedis immediata protectione. Amadeus ejus Inspector pleno jure, & absque Episcopi Diœcesani approbatione Confessionem audivit Religiosarum, & ibi Missam sacram celebravit, quin ab ipso permissionem petiverit. Episcopus contendit id ipsi non licuisse, & vetuit illum pergere, pœnam ipsi minitans. Quis eorum recte sentit?

Respons.

Recte Amadeus se gessit. Verum enim quidem est, Religiosarum, immo immunium Confessarios debere necessario ab Episcopo Diœcesano comprobari, juxta decimam octavam Gregorii XV. Bullam, datam die 5. Februarii 1622. (c) Cujus hæc sunt verba: *Confessores vero, sive sæculares, sive regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant; nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur & approbationem ... obtineant.* Verum Constitutio illa in Gallia accepta non fuit. Quapropter, quemadmodum Religiosarum exemptarum Inspectores, ante Bullam illam Religiosarum illarum Confessionem audire poterant, absque Episcopi approbatione, id quoque possunt in Regno isto, cum ibi nec promulgata nec accepta fuerit (d). Quod ad Missam spectat, Religiosarum illarum Inspector illam quoque celebrare potest in Ecclesia vel sacellis Monasterii tantum, absque Episcopi permissione.

(c) Greg XV. in Bulla *Inscrutabili*, Bullar. Magn. t. 3. pag. 422.

(d) A Sainte Beuve tom. 3. cas. 131.

CASUS IX.

Didacius, Religiosarum Monasterii sanctæ Donatillæ Confessor, petit quomodo se gerere debeat respectu claustrorum, quæ in illa Domo accurate satis asservari ipsi visa non sunt; ibi enim consuetudo viget:

1. Admittendi infantes utriusque sexus, natos a tertio anno ad septimum usque, qui quarumdam Monialium sunt cognati, quæ illis blandiuntur, illosque osculantur, quin id Religioni habeant.

2. Admittendi quoque infantes pauperes, cum pueros tum puellas, ut ex ipsis vestes probent quas confecerunt Moniales, quasque præ caritate, ineunte quolibet anno, ipsis largiuntur.

3. Pauperes ægrotantes vel vulneratos, cum homines tum mulieres, ut gratis eorum vulnera curentur, ac iis remedia præbeantur a duabus tribusve Monialibus, quæ callent venam aperire, pharmaciæque sunt peritissimæ, quas præposuit Præfecta ut caritatem exerceant erga pauperes, qui alias auxilio carerent, propter summam eorum miseriam.

4. Cognatos utriusque sexus, qui illuc ingre-

diuntur, ut invisant Matres suas, sorores, sororumque filias, aliasva cognatas non Moniales, quæ in Monasterium se receperunt, mortiferoque premuntur morbo, & quæ antequam moriantur hac consolatione frui cupiunt eas alloqui.

5. Famulos extraneos, qui illuc quoque ingrediuntur invisendi caussa cognatas suas Religiosas vel sæcularea, cum pariter mortifero urgentur morbo.

6. Mos est quoque, eos qui in loca claustris septa ingrediuntur ex necessitate, vel superioris legitimi permissione, hinc non egredi statim atque res necessarias, propter quas ingressi fuerant, perfecerunt; sed præterea quoddam tempus terere in colloquiis cum Monialibus.

Circa hæc quæritur, an in omnibus his casibus sit excommunicatio, & an Didacius ex conscientia teneatur Præfectæ absolutionem denegare, quod consuetudinem illam comprobet, ut & Monialibus, quæ sunt consuetudinis illius participes, si officii sui monitæ, hunc morem corrigere & abrogare recusent?

R E S P O N S.

1. Respondemus, absque peccato, & quovis prætextu, intromitti non posse infantes, quales sunt ii quorum mentio fit in specie proposita, in loca regularia Monasteriorum Virginum, absque Superioris permissione distincta, præsertim cum evenit blanditias, quibus illis blandiuntur Moniales, ipsis tentationis alicujus occasiones esse posse, vel immoderati cujusdam affectus, contra castitatis votum propter summam sexus earum debilitatem. Immo quidam Theologi affirmant, ingressus illos vetitos esse; licet pravos illos effectus non producant, nitentes denunciatione Sacræ Congregationis habitæ die 5. Februarii 1585. & existimant Moniales, quæ illos in loca regularia introducunt, excommunicationem incurrere: idque omnino consentaneum videtur Decreto in sexta Decisione a nobis allato.

2. Potiori jure vetitum est infantes natu majores illuc intromittere, sub prætextu illis probandi vestes, quas Moniales confecerunt, quasque in eleemosynam ipsis largiuntur; cum facillimum sit curare vestes illas probari a Monasterii famulis: Cum autem Auctores quidam affirment id Monialibus vetitum esse sub excommunicationis pœna, ipsarum conscientiæ tutius erit id non facere, quamvis contrarium sentiant quidam Casuistæ.

3. Longe potiori jure dicendum est, non licere intromittere in Monasterii ædes interiores pauperes seu homines, seu feminas, prætextu illis remedia præbendi, vel eorum vulnera curandi, quantumvis ab omnibus officiis destituti supponantur. 1. Quoniam Caritas, quæ erga eos exerceri potest ac debet, nunquam vincere debet Ecclesiæ Constitutiones, circa Religionis bonum commune, clausuram verbi gratia, nec ei detrimentum afferre debet. 2. Quoniam pauperibus illis opem ferre possunt exteriores Monasterii famuli, quos ad hoc informare possunt; vel pauperibus illis opem ferre possunt alii Christiana caritate incensi, quin necessarium sit clausuram perstringere.

4. Idem dici debet de cognatis, qui matres, sorores, aliasve agnatas, mortifero morbo ægrotantes invisere cupiunt. Ut enim alibi jam probavimus Concilii Tridentini Decreto (a), in Gallia hoc respectu accepto, ipse Superior ingressum permittere non potest in loca claustris septa, nisi in casu justæ necessitatis. Consolatio autem utrorumque in casuum necessariorum numerum recenseri non potest. Idem de exterioribus domesticis dici debet, qui simili consolatione frui, aut illam cognatis moribundis procreare vellent.

(a) Concil. Trid. sess. 25. de Regul. & Monial. ca. 5. cit.

5. Quod spectat ad eos qui cum Superioris permissione, caussa necessaria innixi ingrediuntur, eamque occasionem arripiunt Moniales amicas invisendi, cum illis ambulandi, vel colloquia ineundi per tempus satis longum; existimamus eos quidem excommunicationem non incurrere libertate quam sibi tribuunt, quamvis non desint Auctores contrariæ sententiæ, sed tamen eos graviter peccare, abutentes permissione ipsis concessa tantummodo ob res necessarias, non vero ob superfluas, visitationes verbi gratia, & inutilia colloquia.

6. Denique, ex iis quæ jam diximus, concludendum est, Didacium, Monasterii S. Donatillæ Monialium Confessarium, ex conscientia teneri illis omnibus pravis consuetudinibus intercedere, monendo Præfectam & Moniales, apud quas hæc consuetudo viget, eas teneri illam abrogare; si vero renuant, absolutionem suspendere, & interea Superiorem movere ut provideat. Si autem non provideat, nec ex monitionibus ejus fructum capiant Moniales, munere suo se abdicare debet, ac domo illa recedere. Hæc est docti cujusdam Theologi sententia (b), cum quo consentiant Concilia nostra Provincialia & Consilii Regii Jurisprudentia, ut videre est ex Decrato dato die 18. Decembris 1696. inserto perscriptis Actis Cœtus Generalis Cleri Gallicani, habiti anno 1700. (c) quod abrogat Decretum Supremi Senatus Britanniæ Armoricæ, quod permittebat ingressum in Cœnobia Virginum, absque Ordinarii permissione.

(b) A Sainte Beuve tom. 3. cas. 231.

(c) Acta Cœtus Cleri ann. 1700. pag. 735.

C A S U S X.

In quadam Galliæ urbe, sunt duo Monialium Cœnobia, variorum Ordinum, ædificata aliud prope aliud, ita ut illius Moniales facile colloquia inire possint cum alterius Monialibus. Cum Superior alterius Monasterii audivisset, quasdam sic inter se colloquia inivisse, jussit inædificari fenestras, quæ sunt e regione alterius Cœnobii: cui tota Communitas variis prætextibus intercessit. De his quæritur. 1. An Moniales, quæ cum Monialibus alterius Cœnobii colloquia nectunt, peccent? 2. An Superior ex conscientia teneatur jubere fenestras illas inædificari, non obstante Monialium intercessione?

R E S P O N S.

Constat Monialibus illis non licere sic colloquia inter se inire. 1. Quia id ipsis vetitum est fere omnibus Constitutionibus Ordinum Religiosorum alloqui exteros nisi in versatili tympano, vel ad Clathros loci ad loquendum cum externis destinati. Idem vetuerunt multa Concilia Provincialia, verbi gratia Concilium Bituricum habitum anno 1584. (d) quod ait: *Cum Monialibus nemo colloquatur, nisi per clathros, & rotam, sive turnum; idque præsente Monasterii Præfecta, aut duabus Sororibus*. Idem vetat Concilium Tolosanum (e), habitum anno 1590. his verbis: *Moniales cum nemine externo colloquentur, nisi per Cancellos ferreos, & rotam sive turnum, præsente etiam præfecta, aut duabus sororibus*. 2. Quoniam ejusmodi colloquia modestiæ Religiosæ omnino repugnant, iniri enim non possunt, quin vox extollatur supra sonum qui deceat Virgines in Cœnobio habitantes. 3. Quia hæc libertas in perniciosos abusus degenerare posset, quos hic exprimere necessarium non est, sed qui facile animo concipi possunt. 4. Quoniam denique vicini & transgredientes hæc colloquia audire non possent quin offenderentur.

(d) Concil. Bituric. tit. 37. de Monasteriis & dom. bus Religiosis. Can 14.

(e) Concil. Tolos. part. 3. cap. 3. de Monial. §. 6.

Concilium primum Provinciale Mediolanense, habitum sub sancto Carolo Borromæo, ann. 1565. (f) hanc decisionem confirmat. Nam in eo mandatur, quod quando fuerit necessitas januam aliquam Claustrorum Cœnobii aperiendi, ad eam accedere non licebit Monialibus, ut vicina loca conspiciant, vel quempiam externum alloquantur cujuscumque sexus; si vero non obtemperent, pœnas ab iis exiget Superior; easque quamdiu ipsi videbitur includet. *Cum autem januæ aliqua necessaria caussa aperiuntur*, inquit Concilium illud, *Moniales non audeant eo accedere, ut externum quidquam adspiciant; vel cum nullo omnino aut mare, aut femina colloquantur. Quæ id ausa fuerit, includatur in cellam, ubi tamdiu sit, quamdiu Superiori videbitur*, &c.

(f) Concil. Mediol. l. 3. part. tit. 4. de præfectis & aliis Ministris Monialium.

Patet autem, Moniales quæ elata voce inter se colloquuntur ex fenestris variorum Cœnobiorum, longe magis culpandas esse illis, quæ cum essent intra septa sua, accederent ad januam apertam,

tam, ut domos vicinas tantum aspicerent, vel aditum, & externa loca sui Cœnobii; ac ideo illas nun minus quam has mereri, quæ a Superiore puniantur.

Jure merito igitur dicimus, Superiorem Cœnobii, de quo agitur in specie proposita, debere animum obfirmare ut Moniales privet illa communicatione, quippe contraria optimæ Disciplinæ, per quam non licet, in Munasteriis conspici posse ex domibus viciuis, ut quæ exigit ut hisce provideant Superiores: *Curent Episcopi & alii Superiores*, inquit S. Carolus (a), *ne e vicinorum ædibus, quicumque illi sint, Monasteria inspiciantur.* Ideoque Superior de quo agitur, tenetur jubere fenestras illas inædificari, vel extolli muros claustrorum ad eam altitudinem, quæ omnem communicationem cum vicino Cœnobio præcludat. *Quo casu parietes altius tolli & novos ædificari jubeant eorum sumptibus, quorum Episcopi, & ii qui Monasteriorum curatores sint interesse judicaverint, quacumque appellatione remota.*

(a) Concil. Mediol. 1. cit. tit. 9. de Clausura &c. §. *Curent.*

CASUS XI.

MONIALIUM Monasterii sanctæ Irenææ ab aliquot annis Disciplina longe remissior est, nullamque fere severam observant Disciplinam. 1. In eo quod Abbatissa sola sua auctoritate statuat de iis, quæ ad Virginum cooptationem attinent, cum respectu tirocinii temporis, tum respectu votorum nuncupandorum. 2. Ad vota Deo nuncupanda Virgines admittuntur tantum, si dos & merces ingens ob convictum pendatur, quamvis certum sit illis non egere Monasterium, cui sunt ingentia bona. 3. Monialium unaquæque privatim vivit: quod multum illas avocat, occupantur enim cura se sustentandi, & ad hoc Præfecta pauca ipsis tradit. De his quæritur,

1. An multæ ex iis Monialibus quæ sincere exoptant Disciplinæ regularis restitutionem, & illorum abusuum reformationem, ex conscientia Præfectam sollicitare teneantur, vel ea absente, eos quibus jus est illis remedium afferendi, ut reformationem impetrent: aut an ipsis liceat silere, & contentas esse paratas esse Reformationem amplecti, cum restituetur; ne aliter agendo, peccent adversus obedientiam ab iis debitam Præfectæ intercedenti, & quæ vetat eas se hisce interponere.

2. An cum Moniales illæ bene animatæ, dum Conventui intersunt, noverunt ac vident proponi quasdam Virgines ad vota nuncupanda admittendas, postquam cum illis, vel illarum cognatis pactiones aut conventiones simoniacæ factæ sunt; an inquam teneantur apud Deum, sincere mentem suam aperire, quamvis usu vigeat, harum nullam rationem habere Abbatissam, & in Conventu proponere admittendas, tantum at formulæ satisfaciat; & quamvis præterea certo noverint, quod si libere adversus abusus loquantur, in eas indignabunda erit Præfecta, quæ illas pejus habebit. Nonne igitur illis satis esse debet, si gemant tacentes, cum longa experientia edoctæ fuerint, ipsis inutile plane esse si loquantur.

3. Quando aliæ Moniales epistolas ad Nobiles scribunt, ut gratias agant ob quasdam res, quas istæ sciunt optimæ Disciplinæ noxias esse; vel quando illæ ipsæ Moniales, ad suum Superiorem scribunt, ut ab eo Confessores petant, quos istæ noverunt ad hoc tantum idoneos ut remissionem foveant Disciplinam; vel denique quando Epistolas assentatorias scribunt ad absentem Præfectam, quibus ejus administrationem & gubernationem plausibus prosequuntur; bene animatæ illæ Moniales, an ad hæc ut & aliæ descendere debeant, quoniam si recusaverint certissime persecutionem in se concitabunt a Sororibus Disciplinam remissiorem sectantibus, & cum sint magno numero, epistolis illis nomen suum attamen subscribent, easque ad eam mittent cui inscriptæ sunt.

4. An Moniales illæ, quæ Disciplinam illam molliorem lugent, teneantur ex conscientia Confessorum suorum sententiæ & consiliis se submittere, quamvis noverint Confessarios illos a Præfecta vel Abbatissa accersitos fuisse, & quodammodo ab ea pendere; ac facile in ejus sententias & consilia descendere, ut ipsi arrideant. Si vero Confessarii illi eis dicant eas cæco animo obedire teneri Præfectæ suæ, quin expendant an ea quæ præcipit vel agit, bona sint vel prava; consentanea vel contraria Legi divinæ, an in his ejus sententiam amplecti teneantur?

5. Ordinis statuta severissimis pœnis vetant, externis aperire, ea quæ intra Monasterium fiunt, bene animatæ illæ Moniales petunt præterea, an peccarent contra votum suum obedientiæ, ac contra arcani obligationem, quibusdam externis amicis suis aperiendo aliarum remissiores mores; sive ut eorum consilium audiant, sive ut eos hortentur ad remedia afferenda, quod efficere valerent, præsertim Superiores ad huc impellendo ut hisce provideant.

6. Cum in Monasterio illo consuetudo valeat, ut quæ nominatæ sunt ad quoddam officium exercendum, aliquod donum Abbatissæ offerant, sive salgama, vel quidpiam aliud insignis pretii; illæ ipsæ Virgines bene animatæ petunt denique, an ipsæ designatæ ad quoddam officium, sine peccato possint hanc consuetudinem observare, similia dona Superiori suæ offerendo, in grati animi & officii signum; certissime enim noverunt, quod si huic officio defuerint, ipsi omnino injucundæ evadent, hoc enim illi videbitur contemptus, muneraque aliis concedentur, ad hæc inhabilibus, & quæ illis abutentur?

RESPONS.

Ad primam quæstionem respondemus, Moniales quæ Disciplinæ optimæ restitutionem exoptant & reformationem, ex conscientia teneri Abbatissam sollicitare, si vero absit, Superiores legitimos, ut hisce provideant. Quapropter ut in tuto sit earum conscientia, non satis est si sileant, & ea sint animi affectione, ut bono illi consentiant, quando Superiores huic operam navare voluerint. Ergo ipsæ agere tenentur, quantum ex ratione possunt; nec timeant sic se peccare adversus obedientiam Superiori suæ debitam; ratio est, quod ei obedire teneantur tantum secundum Deum, & in rebus æquis, non vero in iis quæ voluntati divinæ sunt contrariæ, vel sororum suarum bono spirituali, Monasterii commodo, & propriæ suæ saluti.

Quod ad secundam difficultatem attinet, extra dubium est, Moniales illas teneri apud Deum sincere mentem suam aperire in Conventu, cum agitur de aliqua re contraria Regulis Canonicis, vel quæ remissioribus moribus favet; licet persuasum habeant fore ut nulla habeatur ratio ipsarum sententiæ; immo libertatem reverentem, qua utuntur inter loquendum, effecturam ut male habeantur. Conscientiam enim suam, atque veritatem nullam ob rationem prodere debent: si vero ob id patiantur, feliciores se existimare debent, patientur enim propter justitiam. Proderent autem conscientiam suam & veritatem, non solum si ore vel signis comprobarent id quod culpandum esse noverunt; sed etiam si silerent, quandoquidem cum adest obligatio loquendi, ut ad id tenentur in casu proposito, tacere nemo potest, quin tacite aliorum sententiam comprobet, juxta illam Juris regulam (b): *Qui tacet consentiri videtur.* Porro si verum non esset quod dicimus, sequeretur Judicem, qui Collegas suos videret adversus justitiam suffragium suum ferre, excusandum fore si taceat, & iniquitati libere non intercedat: quod tamen defendi nun potest: Cum quilibet Judex apud Deum teneatur & coram hominibus, justitiæ parter tueri, & injustitiæ intercedere, juxta Sapientis effatum istud: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem.*

(b) Reg. 43. de regulis Juris in 6.

Inde sequitur easdem illas Moniales, ex conscientia non posse nomen suum subscribere in Epistolis, quarum mentio fit in tertia quæstione: cum id facere non possint quin veritatem prodant, & scripto mentiantur, quod Monasterii bono damnosum est.

Quod ad quartam quæstionem attinet, de Confessa-

fessariis quas Præfecta Monialibus præbet, Moniales quæ Monasterii remissiorem Disciplinam improbant, non semper omnino tenentur in illorum sententiam descendere, præsertim in circumstantiis quas profert species proposita. Immo diffidere possunt effatis quæ in medium proferunt, quin offendant obedientiam vel humilitatem, & quin illa falsa credant: Ejusmodi est effatum illud, quod contra veritatem supponit, Moniales semper teneri Superioribus suis obedire, quin curent an ea quæ ab ipsis præcipiuntur Legi divinæ sint consentanea vel contraria.

Possunt quoque, quin obedientiæ votum violent, quosdam externos consulere, qui valeant ipsis consilia impertiri; postquam tamen inutiliter Superiores adiverint. Ratio est, quoniam statutum, quod ipsis prohibet extraneis Monasterii remissiorem Disciplinam aperire, intelligi non debet de casu, in quo propria salus agitur illius quæ consulere cupit, ac salus ceterarum Monialium, ut & bonum universum Monasterii ipsius; alias enim injustum foret statutum illud. Istiusmodi statutum fancitum est solummodo adversus illas, quæ sine necessitate Cœnobii arcana revelant, & quæ illius remissiorem Disciplinam aperiunt iis quos latere debuissent.

Denique consuetudo, de qua agitur in sexta quæstione est abusiva, & contraria ingenio paupertatis, cujus votum nuncupavit Superior, ut & ceteræ omnes Moniales. Quapropter illæ de quibus agitur, ex conscientia non possunt se conformare ad consuetudinem, quæ in Monasterium irrepsit, nempe Superiori dona offerendi, in gratum animum ob munera quæ contulit. Incommodum denotatum scilicet Superiorem alteris indignis munera illa tradituram, & spectatutam tanquam ingratum animum, vel sui contemptum, quod dona ipsi non offerantut, illud inquam incommodum illas apud Deum excusare non valet, & attinet ad Præfectam solam, quæ gravis peccati rea evadet, si personas nominet parum idoneas ut munera illa exerceant; si quoque tanquam ingratum animum, vel sui contemptum spectet quod dona ipsi non offerantut; dona enim illa non sunt illi debita, illaque accipere nequit, quin suum paupertatis votum perfringat. Ea est decisio docti cujusdam Theologi, olim Sorbonæ Professoris, qui sic fere respondit ad similes difficultates, die 7. Novembris 1671. (*a*).

(*a*) A Sainte Beuve t. 3. cas. 133.

Vide { RELIGIOSUS, RELIGIOSA. }

M O N E T A.

MONETA vocatur nummus aureus, argenteus, vel alterius Metalli, ea forma, pondere, ac pretio quæ ordinavit Princeps, ut omnium rerum, quæ sunt in commercio, pretium definiatur, inquit Domatus (*b*) *Electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret*, inquit Lex (*c*).

Olim antiqua erat Moneta, quæ latine vocabatur *sextam*, qui paulo minus teruncio monetæ nostræ valebat.

Alia quæ valebat quatuor denariis, & paulo plus, quæque vocabatur *as*.
Alia quæ valebat 110 assibus, quæ vocabatur *centussis*.
Alia valebat 7. denariis Turonensibus, latine *obolus*.
Alia valebat tribus assibus, sexque denariis, latine *dragma*.
Alia septem assibus, latine *didragma*
Alia quæ apud Hebræos valebat quatuor dragmis, latine *siclus*.
Alia valebat 14. denariis Turonensibus, latine *stater*.
Alia valebat 10. denariis Turonensibus, latine *nummus*.
Alia denique valebat decem nummis argenteis, latine *mina*.

Vox Moneta his verbis definitur: *Pecunia est Metallum in Monetam cusum* (*d*).

Dicitur *Metallum*, sive aurum, sive argentum, sive æs, quibus Moneta cuditur, quæ evadit pretium rerum omnium, quæ vendi vel emi possunt, hoc èst quæ earum pretium definit: cum pretium nihil aliud sit nisi *pecuniæ, valori rei commensa* (*e*).

Solus Supremus Princeps jus habet curandi Monetam cudi, & cuilibet ex subditis Monetam cudere vetitum est, pœna capitis (*f*).

Hoc est summæ Potestatis signum ita antiquum, & cujus Principes, qui Regnum regunt, ita sunt retinentes, ut nunquam passi fuerint hoc jus impune violari Id patet ex iis quæ narrat Herodotus, qui ait, Darium jussisse capite plecti Ægypti Gubernatorem quemdam, quod ita temerarius fuisset, ut imaginem suam insculpi curaverit in Moneta quam cudi jusserat.

Leges Romanæ pœna capitis plectebant eos, qui adulterinos nummos cudebant, hæcque pœna maxime erat terrenda, ut deinceps videbimus. Codex Justiniani & Codex Theodosii multos complectuntur Titulos circa ea quæ ad Monetas attinent (*g*). Sic in Gallia, qui Monetam vitiat & alterat, vel aliam introducit præter Regis Monetam, sive sint probi nummi sive adulterini, capite plectitur tanquam falsarius.

Nummi adulterini crimen patrari potest quatuor variis modis (*h*).

1 Cum privatus quidam Monetam cudit, utens falsa materia, cupro inaurato videlicet, plumbo albo argentato, loco veri auri, vel veri argenti; quamque tradit tanquam esset aurum vel argentum. Eo enim casu reus evadit criminis læsæ Majestatis, licet Princeps potestatem ipsi concessisset Monetam fabricandi.

(*b*) Domat. Leges Civiles, Præfat rerum. tit. 3. sect. 2. num. 5. p. 18.
(*c*) Leg. Orig. 1. ff. de contrah. Empt. lib. 18. tit. 1.
(*d*) Polm. pat. 2. n. 608.
(*e*) Id. ibid. n. 609.
(*f*) Franc. Marc. tom. 2. q. 206.
(*g*) Cod. lib. 9. tit. 24. l. 10. l. 3. 20. & 71. & lib. 11. tit. 7. Cod. Theodos. lib. 9. tit. 21. 22. & 23 & lib. 12. tit 7.
(*h*) Bouchel Biblioth. Juris Gallic v. *Faussetez & Faux Monnoyeurs*.

2. Cum

2. Cum quidam Monetam cudit, auctoritate sua privata, & quin a summo Principe permissionem inpetraverit: quod verum est, quamvis ejus Moneta pondus legitimum haberet; & probi essent nummi.

3. Quando Moneta, & si boni sint nummi, pondus non habeat legitimum, aut quamvis pondus habeat Edicto consentaneum, est nummus adulterinus.

4. Quando quispiam sciens Monetam falsam spargit loco probæ, etsi illam non conflaverit.

Regis solius est Monetarum pretium definire, illudque minuere vel augere, illisque interdicere in commercio (*a*).

(*a*) Fr. Marc. cit. q. 648.

Supremus est Senatus constitutus ab Edicto mense Aprili dato, anno. 1551. ut judicentur illi, qui adulterinos nummos cudunt, ut & de omnibus facinoribus quæ ad Monetam spectant, opera aurea, vel argentea, vel ex alio metallo. Constat Senatus ille primario Præside, & octo aliis, triginta sex Senatoribus, Procuratore Generali, duobus Patronis Generalibus, ac primario Scriba. Primarius Præses, Procurator Generalis, & Primarius Scriba toto anno Magistratum suum exercent; Omnes vero alii semestri tantum tempore.

In Edictis a Fontanone prolatis videre est immunitates, libertates, & privilegia concessa Tribuno Capitali, Regiis administris, sive iis qui vocantur *Monetales Triumviri*, vel iis qui vocantur *Octoviri Monetales*, vel Operariis Monetarum, qui subsunt jurijurando Galliæ. (*b*)

(*b*) Fontanon. tom. 2. lib. 3. tit. 24. pag. 1155.

Quando Ecclesiasticus quidam adulterini nummi crimen patrat, sacræ tonsuræ privilegio cadit, & apud Judicem sæcularem tantum judicari debet, juxta Francisci I. Edictum datum anno 1540. (*c*) & Edictum Henrici II. datum anno 1549. (*d*) Edicta illa confirmata sunt Edicto Senatus Regii, dato hanc in rem die 20. Septembris anno 1675. in gratiam Procuratoris Generalis Curiæ Monetarum adversus Officialem Parisiensem, de lite illata duabus Monialibus Professis Ordinis S. Augustini, adulterini nummi accusatis:

(*c*) Art. 38.

(*d*) Art. 28.

CASUS PRIMUS.

GUSTAVUS Princeps Supremus, existimat Monetam, quæ in Regno suo admittitur, cariori pretio præfinitam esse; ipsi visum est jubere ejus decessionem promulgari; imo quosdam nummos abrogare, & jubere illos non amplius admitti in commercio, quoniam resecati sunt. Hanc in rem multorum Oppidorum Incolæ in Provincia remota, inter se decreverunt pergere in commercio, & in aliis necessitatibus admittere omnes nummos aureos & argenteos juxta antiquum pretium, nulla habita ratione decessionis vel abrogationis a Principe præscriptarum. An id ex conscientia præstare possunt?

Videtur eos id posse. Lex enim obligare non potest, nisi postquam promulgata est, & a Populo accepta, juxta hæc Gratiani verba: (*e*) *Leges instituuntur, cum promulgantur. Firmantur, cum moribus utentium approbantur. Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ sunt; ita moribus utentium ipsæ Leges confirmantur.*

(*e*) Gratianus §. *Leges* dist. 4.

Contra videtur, eos id facere non posse. Nemo enim sine peccato Principi inobsequens esse debet, in rebus justis quas præcipit, præsertim cum attinent ad bonum publicum.

RESPONS.

Oppidorum illorum incolæ non possunt pergere in commercio, vel aliter uti antiquis nummis abrogatis, vel cujus pretium imminutum est Principis auctoritate; sed tenentur ad summi Principis Legem se conformare, sive respectu abrogationis, sive respectu decessionis, quam in bonum publicum præscripsit.

Ut probetur decisio illa, supponendum est tamquam effatum quod controverti nequit, Principum Leges subditos eorum obligare, sub pœna peccati; prout Ecclesiæ Leges Ecclesiasticos aliosque fideles obligant, in iis quæ ad Religionem attinent. Quamvis certa sit veritas illa, ejus tamen præcipua argumenta proferemus, ut ii convincantur, qui in dubium illam revocare possent. Primum argumentum ducitur ex verbis Epistolæ ad Romanos (*f*): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Quibus verbis Apostolus significat obligationem, cui subjacent omnes homines, Principum suorum Legibus obtemperandi: quandoquidem a Deo oritur potestas, qua gaudent, illas sanciendi. Deus autem Dominus est Principum omnium, omniumque Orbis hominum, Quapropter immediate subjungit, 1. Neminem posse Potestatum sæcularium imperium detrectare, in eorum justis Edictis, quin Ordinem, a Deo inter homines constitutum violet; & quin apud Justitiæ illius Tribunal reus evadat: *Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* 2. Addit, cum Princeps quilibet sit Potentiæ ac Justitiæ divinæ Minister, qui illi non obtemperat expectandam habet pœnam justam, quam meretur ejus inobedientia: *Non enim sine caussa gladium portat; Dei enim Minister est; vindex in iram ei, qui malum agit.* 3. Quod dicit Apostolus, intelligendum esse non tantum de foro exteriori, sed etiam de foro conscientiæ. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam.* Unde denique Apostolus ille hanc elicit conclusionem: *Reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem.* His adjungi possunt ea quæ idem Apostolus ait, cum ad Titum Discipulum suum scribit (*g*), & quæ dicit S. Petrus in priori sua Epistola (*h*).

(*f*) Rom 13. 1. 2. 4. 5. & 7.

Effati, quod protulimus, secundum argumentum nititur sancti Thomæ (*i*) Doctrina, dicentis quod, *Leges positæ humanitus .... si quidem justæ sint, habeat vim obligandi in foro conscientiæ, a lege æterna, a qua derivantur, secundum illud Proverbiorum* 8. Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. Quod sanctus Augustinus in Dialogo cum Evodio (K), diu ante Doctorem Angelicum docuerat, his verbis: *Te videre arbitror in illa temporali* (Lege) *nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac æterna* (Lege) *sibi homines derivarint.* Ita ut nemo contra Principis Legem agere possit, quin agat contra Legem æternam, ac ideo quin peccet: cum peccatum nihil aliud sit, juxta Patrem illum, præter quod fit, dicitur, vel desideratur illi ipsi Legi æternæ contrarium: *Peccatum est factum,*

(*g*) Epist. ad Tit. 3. 1.

(*h*) 1. Petri 2. 13.

(*i*) S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. in Corp.

(*k*) S. Aug. lib. 1. De libero arbitrio, c. 6. seu n. 15.

ctum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam Legem.

Tertium denique argumentum hoc eſt, Principes ſupremos non minorem habere poteſtatem reſpectu ſubditorum ſuorum, quam Patres in liberos ſuos; cum Principibus ſit jus in eorum libertatem imo & vitam, cum aliquo crimine digni ſunt qui alterutra priventur. Conſtat autem Patres liberis ſuis obligationem imponere poſſe, ſub pœna peccati mortalis, aliquid faciendi vel non faciendi. Et idcirco ſanctus Paulus (a), criminibus multis enumeratis, quæ tunc univerſum orbem inundabant, & inter quæ annumerat filiorum inobedientiam erga Patres, *Parentibus non obedientes*, concluditque ejus criminis reos morte æterna dignos eſſe: *Qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Negari igitur nequit illa conſequentia; Principes parem quoque imponere obligationem ſubditis ſuis, in re momentoſa & juſta. Hæc eſt Sylvii (b) ratiocinatio, in deciſione quam circa difficultatem illam tradidit Duaci, die 26. Februarii anno 1633.

(a) Rom. I. 30. & 32.

(b) Fr. Sylvius Reſolor. var. v. Moneta 2.

Suppoſito momentoſo illo effato, tamquam certo, ad ſpeciem peculiarem, de qua agitur, reſpondemus, dicentes. 1. Leges quæ ad Monetam attinent juſtas eſſe, Principique ſoli jus eſſe illas ſanciendi, & pretium cujuſvis monetæ definiendi, cujuslibet naturæ ſit, ut illam æquet cum juſto pretio rerum, quæ ſunt in vitæ commercio, cum reſpectu boni publici, tum reſpectu utilitatis privatorum: *Reges & Principes poſſunt determinare juſtas rerum venalium menſuras*, inquit Sylvius, *& Leges, quibus hoc determinant, juſtæ ſunt, ita ut eas præterire non liceat...... Ergo ſimiliter poſſunt juſtum valorem monetarum, & Leges, quibus eum determinant, juſtæ ſunt. Moneta enim, teſte Philoſopho, 5. Ethicor. c. 5. ad hoc inventa eſt, ut ſit menſura rerum venalium; & alioquin nulla ratio eſt, ob quam ſæcularis poteſtas poſſit juſtas rerum menſuras ſtatuere, et ut ſerventur præcipere; non poſſit autem juſtum monetæ valorem determinare & jubere, ut obſervetur*. Idem ipſe Theologus addit quod cum Princeps jus integrum habeat rerum venalium ſtatuendi, neque etiam negari poteſt quin Monetæ valorem, quæ in Commercio adhibetur, ſtatuere poſſit, *Imo cum non tantum menſuram rerum extrinſecas, ſed etiam ipſarum venalium pretia taxare poſſit; quare non pariter poſſit taxare juſtum monetæ pretium?*

Dicimus ſecundo, quod quandoquidem iſtiuſmodi Leges juſtæ ſunt & neceſſariæ, cum reſpectu boni publici, tum utilitatis privatorum, omnes Principis ſubditi ex conſcientia tenentur eas obſervare, & nequeunt, accurate loquendo, abſque gravi peccato illa violare. *Conſequenter dicimus*, ſic etiam loquitur Sylvius, *Leges ſuper re monetaria publicatas, vel ſimiliter publicandas in foro conſcientiæ & coram Deo obligare; idque ſub gravi, hoc eſt ſub mortalis peccati reatu. Sunt Leges juſtæ, eæque de gravi, ſeu notabili materia, præcipientes ſcilicet juſtum monetarum pretium obſervari*.

Concludendum eſt igitur, Incolas urbium, de quibus agitur in ſpecie propoſita, ex conſcientia non poſſe pergere monetam abrogatam, & Lege Principis extra commercium poſitam, admittere; neque etiam antiquum pretium tribuere monetæ, cujus deceſſio promulgata eſt, niſi Princeps Supremus certior factus, diſtincte aſſentiatur, vel tacite.

Supereſt tantum ut verbum dicamus circa objectionem, quæ ducitur ex Gratiani verbis, ex quibus contendunt concludi poſſe, Incolas illos, cum Legem, de qua agitur, non acceperint, non teneri illi ſe ſubmittere. Cui reſpondemus cum eodem noſtro Theologo, effatum quod ſupponit, Leges civiles obligare tantum poſtquam ea accepit Populus, falſum eſſe reſpectu Legum juſtarum, & quæ ad bonum publicum attinent. Licet enim verum ſit, quod cum nondum Populus Legem accepit, & cum Lex illa pergit non eſſe in uſu, conſcio & diſſimulante Principe, qui videt illam vulgo non obſervari, nec ipſi illam obſervant, neque peccant; quoniam Legiſlatoris tolerantia & conſenſus tacitus, quo abrogata Lex cenſetur, vel ſaltem cujus effectus eſt ſuſpenſus illorum reſpectu, illos peccati excuſat, licet inobedientiæ primi Auctores vere peccaverint, illam accipere recuſantes, aut illam acceptam perfringentes; extra dubium tamen eſt, Principem jus habere ſubditos ſuos ad Legum ſuarum obſervationem obligandi, etiam repugnante eorum voluntate, ubi Leges promulgatæ ſunt, illudque jus nihil aliud eſt, propter poteſtatem eos ad illas accipiendas cogendi, illaſque perfringentes puniendi. *Reges namque & Principes eo hoc, quod poteſtatem habent leges ferendi, habent poteſtatem obligandi ſubditos, ut eas accepiant: Poſſunt enim eos cogere ad obediendum, ſtatim atque fuerint ſufficienter promulgatæ, vel mox a lapſu temporis, quod præfigitur. Sic autem cogere ad obediendum, eſt cogere ad acceptandum*. Sic loquitur Sylvius, additque hunc uſum vulgo ab omnibus Principibus obſervari, quos nullus injuſtitiæ circa hoc accuſat, cum eorum Leges ſunt juſtæ. Ac proculdubio ſi aliter res ſe haberent, inde ſequeretur Legiſlatoris poteſtatem imaginariam tantum eſſe, quandoquidem longe magis penes Populum, quam penes ipſum Principem eſſet, eumque nullam Legem ferre poſſe, quantumvis juſtam & neceſſariam, ſi ſubditis illam accipere non videretur, quod plane abſurdum eſt, contrariumque ordini, quem Deus inter Principes eorumque ſubditos, inter Superiores & Inferiores conſtituit. Gratiani vero verba, quæ objiciuntur, nullatenus iis quæ dicimus adverſantur. Celeber enim ille Excerptionum Scriptor non dicit, Leges vim habere tantum, poſtquam acceptæ ſunt; ſed ſolum eas magis ſacras evadere ac firmiores, cum Populus uſu illas admittit. *Firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Quamvis veræ ſint Leges, a conſenſu non pendentes, nec a Populi acceptione, ubi legitime promulgatæ ſunt. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur*.

CASUS II.

Joannes Baptista, Vir Nobilis, cui ingens eſt liberorum numerus, & ad ſummas anguſtias redactus, rationem adinvenit nummos cudendi, probos tamen, atque ex illis nullum aliud lucrum percipit, præter lucrum, quod perciperet Princeps, ac ideo nullum cuivis detrimentum affert. An ſic mortale peccatum patrat?

Respons.

Quamvis moneta, quam vir ille cudit, ſit proba, & ejus conflatura ſit legitima, juxta Edictum; ſic tamen peccati mortalis reus evadit. Prima ratio, quæ deciſionis hujus reddi poteſt, hæc eſt, quoniam Lex, quæ vetat privatos monetam cudere, juſta eſt pariter ac antiqua, & magni eſt momenti quod ad Principis ac Reipublicæ commoda ſpectat. Quapropter nullum eſt dubium quin quilibet teneatur, illi obtemperare ſub pœna peccati mortalis. Secunda ratio eſt, quoniam nullus debet voluntarie capitis periculum adire. Privatus autem qui monetam cudit, periculum illud neceſſario adit, quamvis moneta ſit proba, & legitimæ conflaturæ. Id enim vetat Principis Lex, ſub pœna capitis, & ubique viget Lex illa, juxta leges Romanas, (c) quæ igne etiam puniebant eos qui adulterinos cudebant, & capite plectebant eos qui cuſtodes præpoſiti, illorum fugæ favebant. Joannes Baptiſta reus eſt igitur peccati mortalis, imo in circumſtantiis in ſpecie propoſita memoratis.

(c) Leg. Quoniam 2. Cod. de falſa moneta, lib. 9. tit. 24. Leg. Si quis 2. eod. tit.

Reipſa, crimen illud Imperatores Romani inter ea quæ *Leſæ Majeſtatis* vocantur, recenſuerunt, & criminis illius reos plectebant, exilio, ut Conſtantinus juſſit, vel capite, ut alii ſtatuerunt (d) imo & igne; prout modo diximus, ſicuti Conſtantius juſſit; quod obſervat Gloſſa in Decretalem, in

(d) Leg. Baptiſt (Id eſt tinctores pannorum) 2. Cod. de murilegis.

in Corpore juris prolatam, his verbis (a): *Qui enim falsat Monetam Principis exuritur*. Principes alii jusserunt, criminis illius reis manum amputatum iri. Id videre est io Edicto sexto Regis Athelstani, vel Adelstani, prolato in Concilio Angliæ anno 928. (b) *si Monetarius reus fuerit; amputetur ei manus*.

Adversus ioceptum ita injustum exsurrexit etiam Ecclesia. Concilium Generale Lateraoense, habitum Pontifice Calixto II. anno 1123. (c) declaravit adulterinos nummos cudentes quietis publicæ perturbatores, maledictos & excommunicatos, his verbis: *Quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiose expenderit, tanquam maledictus ..... & Civitatis turbator, a fidelium consortio separetur*. Postquam tria adulterinos nummos cudentium genera distinxisset Joannes XXII. (d) *ipso facto* excommunicatos illos declarat, Constitutione ad hoc data: Et Sanctæ Sedi illos absolvendi potestatem reservat, nisi in articulo mortis. Quod ostendit, crimen de quo agitur, profecto esse mortale, cum Ecclesia nunquam excommuoicationis pœnam adhibeat, ut plectat illos qui minoris peccati sunt rei, ut habetur in quodam prisco Galliæ Concilio, habito Meldarum, anno 845. (e) ubi dicitur: *Anathema est æternæ mortis damnatio; & nonnisi pro mortali debet imponi crimine*.

(a) Gloss. in cap. Quando 18. de jure jurando v. Defraudare lib. 2. tit. 24.

(b) Apud Labbe to 9. Conc. Gener. pag. 584.

(c) Conc. Lateranen. an. 1123. Can. 15.

(d) Joann. XXII. in Extravag. Prodiens un de crim. falsi t. 10.

(e) Concil. Meldense in cap. Nemo 41. 11. q. 3.

MONITORIUM.

MONITORIUM vocant Monitoriales Litteras ab Ecclesiæ Judice traditas, quod enuntiato facto, circa quod pars conquerens Jus postulat, præcipit fidelibus omnibus, qui factum vere & certe noverunt, ut illud denuncient, sub pœna excommunicationis, sive enuntietur Monitorio ipso, in eum qui non obtemperaverit, sive excommunicatio a Monitorio sit sejuncta.

Monitorium promulgari debet tribus variis diebus Dominicis continuis; debet quoque tempus præstituere post tertiam monitionem, quo elapso, qui non obtemperaverint, statim in excommunicationem incurrunt, cum sic Monitorio ipso denuntietur, ut olim denuntiabatur; vel Judex pronuntiat sententiam, eamque promulgari curat, qua Excommunicatio enuntiatur, juxta formulam a Cardinali Zabarella (f) prolatam, quam videre est apud Eveillon, in ejus Tractatu de Excommunicationibus & Monitoriis, pag. 293. quod etiamnum hodie in multis Diœcesibus in praxim revocatur, veluti in Diœcesi Parisiensi, Lugdunensi, Turonensi Andegavensi, Burdigalensi, Bituricensi, Aurelianensi, Antissiodorensi, Gratianopolitana, Colonensi, & ipsa Romana, quod vocant *Edictum peremptorium*, quoniam *perimit causam & tollit spem dilationis*. Præ charitate & moderatione ultimæ monitioni additur quartum tempus præstitutum superfluens, sex, octo, duodecim, vel quindecim dierum, ut reo supersit adhuc tempus illud, ut ipsum pœniteat, & excommunicationis cujus effectus suspensus est per tempus ab illa ultima dilatione præstitutum, mala vitet.

(f) Zabarella in Clementina Dispendiosam; de Judiciis lib. 2. tit. 1.

Concilium Tridentinum (g) agnoscit, quod nisi sobrie & considerate excommunicatione utantur Episcopi, non solum contemnenda, sed & fidelium saluti noxia evadit. Quapropter Concilii illius Patres volunt, adversus nullum peccatorem immitti Excommunicationem, nisi postquam monitionibus Canonicis compellatur.

(g) Conc. Tr. sess. 25. c. 3. de reform.

2. Nullum Monitorium decerni, nisi post maturam deliberationem, & ob causam magni momenti, & adsit judicii detractio.

3. Judices Ecclesiastici sua Mandata perfici non jubeant nisi rationibus ordinariis, quæ scilicet sunt solummodo viæ cogendi Jurisdictione civili in bona vel personas ipsas, quæ condemnatæ sunt auctoritate & auxilio Magistratuum civilium, non vero sententia ipsa excommunicationis.

In casibus in quibus agitur de pronuntiandi excommunicatione, requiritur non solummodo, ut qui illam pronuntiat gaudeat Jurisdictione, apud quam controvertere liceat: sed etiam illam canonice pronunciare non potest, nisi tres præcesserint monitiones. Quod locum non habet respectu excommunicationis a Jure decretæ: Canon enim ille, qui eam decernit, est loco monitionum, eaque censura incurritur eo ipso momento quo patratur crimen, quod sub hac pœna prohiberi notum erat.

Cognati, vel affines non tenentur testimonium dicere propter Monitorium, quod attinet ad eos quibus cum tam arcto vinculo conjuncti sunt. Idem dici debet de eo, qui in consilium adhibitus, bono juvit consilio. Nam *nullus ex consilio dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Eoque sensu interpretari debemus Monitorii verba, quæ inter res implicare videntur illos, qui consiliis suis eos juvant: cum eos solummodo intelligat Judex, qui pravis suis consiliis criminis conscii evaserunt. Multi alii sunt casus, in quibus nemo tenetur retegere: At in multis hujus Tituli decisionibus explicati reperientur: Quapropter de iis hic loci non loquemur.

Mo-

Monitorium quodlibet statim enuntiare debet nomen & genus illius, qui Monitorium illud decrevit, ut cognoscatur potestas & jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata, qua pollet hanc in rem.

Vulgo Monitorium ab Officiali ad Presbyteros inscribitur; quia oportet illud promulgari tempore, quo inter Missæ Parochialis solemnia fidei Christianæ explicantur capita, quam Missam celebrare Sacerdotis solius est. Ita ut, quando Monitoriales Litteræ sacerdote inscriptæ sunt, *seu aliis Presbyteris*, additio illa intelligi tantum debet, supponendo Sacerdotis recusationem, ad quem solum jure communi pertinet Populum publice monere & hortari in Ecclesia sua: sententiasque denuntiare excommunicationis, quas decrevit Episcopus, vel Officialis qui Jurisdictionem ejus litigiosam exercet. Si vero recuset, Judicis est Ecclesiastici providere, in ejus locum alium Sacerdotem sufficiendo, observatis formulis Canonicis & a Jure præscriptis.

CASUS PRIMUS.

Paternus, Civis Parisiensis, Monitorium impetravit, quod perfici curavit, ob negotium in quo unice agebatur de retegendo ac puniendo crimine, quod Pii V. Bulla prohibitum est, jubetque ut adhibeatur tantum propter res civiles; quod etiam habet Concilium Mediolanense. An in hoc peccavit Paternus: Et an Superior Ecclesiasticus Monitorium concedere potuit contra Papæ illius prohibitionem?

Respons.

Superior Ecclesiasticus potuit ex conscientia Monitorium in casu proposito concedere; Paternus quoque illo potuit uti sine peccato. Ratio est, quoniam S. Pii V. Bulla in Gallia neque accepta, neque promulgata fuit, ac ideo ibi Legis vim habere nequit. Huic adversatur usus contrarius universe observatus, illumque auctoritate sua comprobavit Jus antiquum, ut patet Alexandri III. Decretali (*a*), & alia Clementis III. scribentis ad Episcopum Segoviensem (*b*). Ibi duo illi Papæ volunt, eos qui renuunt testimonium perhibere, in rebus capitalibus, ad id cogi Ecclesiæ censuris. *Ad illud sunt per censuram Ecclesiasticam compellendi.* Aliud habemus argumentum in Constitutione Joannis XXII. (*c*) qui excommunicationem pronuntiat adversus tres homines Burdigalenses, propter furtum quoddam. Id jure novo confirmatum est, a Concilio Tridentino (*d*) constituto; ejus hæc sunt verba: *In causis criminalibus, ubi executio realis, vel personalis .... fieri poterit, erit a censuris abstinendum. Sed, si dictæ executioni facile locus esse non posset, licebit Judici, hoc speciali gladio in delinquentes uti, si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet.* Revera nihil justitiæ magis consentaneum est; quoniam nisi liceret severitatem illam adhibere, gravissima crimina, læsæ Majestatis, verbi gratia, rebellionis, sacrilegii, vel homicidii sæpe inulta remanerent, deficientibus argumentis sufficientibus quibus rei convincerentur: quod bono publico noxium esset, imo & Ecclesiæ, ejusque Ministris, qui opprimi possent, & adversus quos vis omnis adhiberi posset impune, ut ait Bonifacius VIII. (*e*) Idcirco eo nitens fundamento Edictum datum anno 1670. de rebus capitalibus, habet *patefactiones a Sacerdotibus auditas, vel a Vicariis, ab ipsis obsignatas mittendas esse ad forum Jurisdictionis, apud quam lis dijudicanda est.* (*f*) Ea est decisio Cardinalis Ostiensis, Navarri & Eveillon, qui eum laudat, ut & Auctoris Colloquiorum Condomensium.

(*a*) Alexand. III. in Cap. Pervenit 4. de testib. cogendis, vel non l. 2. tit. 2.
(*b*) Clemens III. in cap. Pervenit, 5. eod. tit.
(*c*) Joann. XXII. in Extravag. Infidelea un. de furtis l. 5.
(*d*) Con. Tr. sess. 25. de Reform. c. 3.
(*e*) Bonifac. VIII. in cap. Prælatis 2. de homic. in 6. l. 5. tit. 4.
(*f*) Eveillon. Tract. de excommunic. & Monitoriis, c. 19. art. 2.

CASUS II.

Damianus, Archiepiscopus Diœceseos cujusdam in Germania, Monitorium, de re maximi momenti concessit Bartulfo, hæretico. An id sine peccato concedere potuit?

Respons.

Archiepiscopus ille graviter peccavit, leges Ecclesiæ perfringens, dum Monitorium hæretico concessit: ipsæ enim Leges civiles vetant gratias concedere Religionem Catholicam non profitentibus. *Privilegia*, inquit quædam illarum Legum (*g*), *quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantum Legis observatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solum ab his privilegiis alienos esse volumus: sed adversis muneribus constringi & subjici.*

Ecclesia Gallicana, quæ tantisper in sua Disciplina passa est, infelicibus illis temporibus, quibus hæresis in Regno illo tolerabatur, in hoc tamen capite, quantum potuit, se sustentavit: quandoquidem nullum unquam Monitorium concessit in gratiam Calvinistarum, nisi sub nomen Procuratoris Regni, cui soli potestas erat pro iis requirendi, juxta Decretum Curiæ Edicti in Normannia, die 28. Maji anno 1603.

Ceterum, quod hic de hæreticis dicimus, de iis pariter dici debet, qui nominatim & publice excommunicati denuntiantur; quandoquidem a corpore Ecclesiæ exsecati, indigni sunt qui ullum ab ea gratiam accipiant, dum in illo statu damnando degunt.

Ea quoque est Auctorum eorumdem, quos jam laudavimus, decisio. (*h*)

(*g*) L. Privilegia cod. de Hæreticis & Manichæis l. 2. tit. 5.
(*h*) Eveillon cap 19. ar. 1. colloq. condomen.

CASUS III.

Æcolampadio, hæretico, filia erat undecim annis nata, cui Religionem Catholicam amplecti animus erat. Cum id audivisset homo ille, eam pessime habuit, in odium consilii ab illa initi; illamque domo expulit, hora undecima, noctu. Filia illa confugit apud Thomassam, viduam, Catholicam, quæ inscio patre abditam illam habuit; aliquandiu postea apud Judicem conquestus est ille sibi ereptam fuisse filiam suam, ac subornatam, Monitoriumque impetravit, decretum ex postulatione Procuratoris Regii; quo præcipitur iis omnibus qui norunt ubinam sit puella illa, id declarare. Cum id audivisset Thomassa, illam misit rus, apud amicam, ut curaret illam doceri veritates Catholicas. An tenetur ex conscientia, ut Ecclesiæ obediat, & excommunicationem viter, quam ipsi minitatur Monitorium, illam tradere in manus Patris sui, vel denunciare locum ubi est?

Respons.

Ad neutrum tenetur Thomassa, nec mulier apud quam misit puellam illam. Mens enim Judicis est tantum adstringere ad denuntiationem eos qui illam eripuerunt, vel subornarunt, eamque injuste detinent, adversus Patris voluntatem. Thomassa autem neque rapuit, neque subornavit puellam. Contra, summa usa est charitate, dum illam apud se excepit, media nocte derelictam, et viam suppeditans, qua in manus Patris injusti & inhumani iterum non deveniat. Mulier illa, ad quam Thomassa puel-

puellam misit rus, ejusdem operis charitatis particeps fuit, & neutiquam rea est raptus, nec subornationis; neque Thomassa, nec ideo tenetur ire denunciatum. Attamen ob Patris conquestionem, & jus in Judicio actiones, quæ tristem exitum forsan haberent in duas illas mulieres, prudentia requirit, ut puellæ illam curam in aliam transferant: via autem quæ rationi magis consentanea ac sequenda his in circumstantiis videtur, hæc est nimirum, puella se sistat apud Judicem Catholicum, ipsique significet, se neque raptam neque subornatam fuisse a quoquam, sed proprio motu & optione, decrevisse Religionem Catholicam amplecti, ac propterea se ejus protectionem postulare, quam Judex ille ipsi denegare non potest, juxta Edicta & Decreta. Ea est ejusdem Theologi, superius a nobis laudati decisio (*a*).

(*a*) A sancte Beuve tom. 3. cas. 109.

CASUS IV.

Callinicus nocte furatus est Publio vasa argentea quæ valent mille libris. Hic Monitorium impetravit, ac curavit promulgari, ut furti auctor retegeretur. An apud Deum tenetur Callinicus, & sub pœna excommunicationis se furatum esse denunciare.

Respons.

Qui reus est facinoris, propter quod est Monitoriam, inquit Eveillon (b), non tenetur se ipsum retegere, ac crimen manifestum facere: sed tenetur restituere, & damnum resarcire offensis, si occasio detur. Hæc sunt ipsissima Auctoris illius verba. In hoc autem sequitur tantum Navarri sententiam, qui ait: (*c*) *Auctor vero incendii, aut alterius delicti manifesti occultus non potest pœna excommunicationis compelli ad se manifestandum, sed ad restitutionem debitam faciendam.* Idem Auctor, ut suam sententiam fulciat, laudat quoque Cardin. Tolet. (*d*), Antonium Genuensem, & Avilam, addentem, reum non teneri se manifestare, licet circa hoc factum infamiæ suspicionem haberet, & rumor esset vulgaris eum facinoris illius reum esse. Revera, id denunciare non posset, quin se infamia omnino aspergat, & quin simul periculum adeat præsens pœnæ a Principis Lege eo casu latæ: Quod 1. est contra jus naturale, quo quis sui ipsius conservationis, honoris, & vitæ curam gerere debet, & quod liberat quidquam denunciare, ob Monitorium, quo nocere possit consanguineis, veluti Patri, Matri, fratri, sorori, fratris, vel sororis filio vel filiæ, marito, uxori, &c. 2. Adversus ipsam Superioris mentem, Monitorium decernentis, quamobrem sæpe istam addit exceptionem: *Excepta parte & ejus consilio*, ut idem Eveillon observat. Sicque, juxta Buchel judicatum est Decreto dato die 10. Octob. 1550. Extraordinariis Judiciis Molini. Idem Auctor laudat quoque simile Decret., datum occasione raptus, die 6. Jun. 1556. Eadem est ratio conscii criminis: sed uterque in solidum tenetur, sub pœna censuræ excommunicationis, resarcire omne damnum ab iis illatum, sive ipsi resarciant, sive a quodam alio resarciri curent. Credimus, ea quæ nunc diximus de Monitoriis decretis circa res capitales, locum pariter habere, cum agitur de rebus mere civilibus; & ad vitandam excommunicationem sufficere, si ille, contra quem Monitorium promulgatur, parti conquerenti jus debitum plane tribuat, antequam pronunciata fuerit censura, si jus tribuere sit penes ipsum.

(*b*) Eveillon tract. de exc. & monitor. c. 23. art. 2. §. 2.

(*c*) Nav. Man. c. 27. n. 200.

(*d*) Fr. Tolet. Instr. sacerd. l. 1. c. 27. Ant. Genu. prax. Archiep. c. 2. Avil. de cens.

CASUS V.

Evodius, S. Basilii Sacerdos, Monitorium promulgavit, de furto apud Balduinum commisso. Macolda, vidua, criminis illius rea, venit ad Evodium, animumque Confessione perpurgavit, eumque rogavit, ut nomine suo Balduino offerret pretium furti, cum toto damno & expensis, Balduino legitime debitis, & interea oravit illum a duabus aliis promulgationibus supersedere. Nonne Evodii charitas eum impellere debet ad illam promulgationem differendam?

Respons.

Quandoquidem justitia Evodii charitatem vincere debet, ex conscientia tenetur duas alias promulgationes pergere, donec Macolda totum damnum Balduino illatum plane & actu resarciverit, non obstante mulieris illius Confessione & promisso; neutrum enim solum differre potest effectum in judicio agendi formulas ordinarias. Id probari potest ex dispositione Decretali, quam S. Raym. qui Decretales collegit, Papæ Eugenio tribuit, sed quæ, ut observat Pithæus, vere est Alex. III. (*e*) ubi observatur, confessionem impedire non debere, quominus, qui illam audivit, inquirat in reum qui peccatum suum ipsi confessus est, imo illum admoneat, arguat te, & pœnas quas in exteriore Ecclesiæ foro promeruit ipsi infligat, modo id fiat vocibus generalibus, illum non nominando: *Si ille, cui damnum illatum est petierit justitiam*, inquit Papa ille, *potest excommunicare auctorem damni; licet etiam ei confessus sit; sed tamen non nominatim potest eum removere a Communione, licet sciat eum esse reum: quia non ut Judex scit; sed ut Deus.* Circa quæ Glossa ait: (*f*) *Proprio nomine expresso non debet eum arguere, vel excommunicare, sed in genere sic dicendo; quicumque fecit tale furtum sit excommunicatus: & perinde habetur, ac si, proprio nomine expresso, esset excommunicatus, quantum ad Deum.*

(*e*) Alex. III in c. 3. Sacerdos 2. de jud. Judic. ardio l. 2. tit. 35.

(*f*) Glossa in d. c. S. Sacerd. ad ver. Nomin.

Evodius igitur, non potest Monitorii promulgationem non pergere, in specie proposita. Sic quoque judicavit Supremus Parisiensis Senatus, Decr. dato die 9. Julii 1630. allato in tom. I. Diarii Fori (*g*), cujus incentivum fuit, quod non liceat Sacerdoti, obtentu Confessionis auditæ, criminis probationem supprimere quæ fit juxta normam juris; alias enim scelestissima crimina, imo illa quæ ad Rempublicam directe attinent, sæpe inulta remanerent, speciosa causa charitatis male intellectæ, & justitiæ contrariæ.

(*g*) Praxis Diar. Fori to. 2. lib. 2. c. 24. Edict. 1656.

Addamus 1. Quod si Presbyter ille duas illas monitiones publicas non promulgaret: Macolda posset non stare promissis, & negare ea, quorum probationes sufficientes Balduino non amplius suppeterent, quia vel subornasset eos, qui probationes suppeditare potuissent; vel timorem illis injecisset, qui ab illo loco recederent, aut morerentur. Eam ob rem Burgundiæ Senat. Suprem. jam Decret. dederat, die 27. Nov. an. 16.8. fere simile Decr. Senatus Supremi Paris. teste Bouvotio, illud afferente (*h*). 2. Quod nunquam est penes Sacerdotes Monitoriorum promulgationem differre; si vero sive Episcopi, vel Officialis mandato expresso differrent, vel saltem sine consensu illius, cujus interest, periculum adirent ad id cogi, cum ejus bona pignorarentur, ut expresse habet Edict. an. 1670. (*i*) quod in hisce Concilii Trid. Disciplinam non observavit (*K*). Periculum quoque adirent Presbyteri illi ob suam inobedientiam ab Episcopo, puniri; Episcopus enim illis muneris sui administrationem interdiceret, prout fertur, quibusdam statutis Diœcesanis, vel aliter illos plecteret.

(*h*) Bouvot. a. v. Monitiones q. 43.

(*i*) Ed. an. 1070. tit. 7. ar. 1. & c.

(*k*) Conc. Tr. sess. 25. de ref.

CASUS VI.

Hervæus reus est insignis furti Simoni facti. Hic curat Monitorium promulgari, ut furti habeat argumenta. An Vincentius furti testis, & qui Hervæum convincere potest tenetur ex conscientia, antequam ex Monitorio eat denuntiatum furem, Hervæum clam monere, ut eum ad restitutionem impellat?

Respons.

Si ita occultum sit furtum, ut ejus suspicionem non habeat Hervæus, Vincentius ex Lege Charitatis tenetur eo casu admonitionis fraternæ præceptum observare, in Evangelio præscriptum, (*l*) reum clam monendo, eumque hortando ad restitutionem debitam, antequam adversus illum

testimonium dicat. Ratio est, quoniam Dominus noster hoc præceptum instituit, ut proximi famam servaret, quæ curæ nobis esse debet ut & nostra, quandoquidem illum diligere debemus, sicut oosmetipsos, juxta illa Jesa Christi verba (*a*): *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Vincentius igitur contra momentosom illud præceptum peccaret, si, dum persuasum haberet se posse Hervæi famam tueri, illum clam & fraterne monendo, illum statim denunciaret. Si vero omnibus notum sit furtum, & iam reus censeatur Hervæus, sive ex semi-argumento, sive ex validis conjecturis, Vincentius potest statim ire denunciatum, absque olla prævia admonitione, quandoquidem reus existimatione jam erat damnatus apud omnes: Sic difficultatem illam enodat Auctor Colloq. Condomens. (*b*). Qui in lucem edidit Colloq. Andegav. (*c*), observationem addit, dignum quæ hic locum habeat, nempe illum, qui eo consilio ut rei famam tueatur, vult illum clam monere, summopere cavere debere, ne ipsius admonitio in cnnquerentis detrimentum vertat, neve reus, cum debuisset ex ea admonitione fructum capere, illa abutatur, ut evertat, vel amoveat argumenta, quæ adversus eum probarent; vel denique ut prospiciat modo, qui noceat illi cui Monitorum concessum est: Eo enim casu teneretur ire statim denunciatom, absque prævia admooitione.

(*a*) Matth. 23. 39. & c. 19.

(*b*) Colloq. Condom. 10 3. coll. 4. sect. 3.
(*c*) Colloq. Andeg. Novemb. 1711. q. 1. pag. 450.

CASUS VII.

Pomponius 100. nummos accepit, ut non eat denunciatum furtum, cujus præterea conscius est. An potest absque peccato sibi asservare quod insi datum est; Aut an tenerur pecuniam illam restituere, & denunciare quod novit circa furtum: Denique si veritatem denunciare recusasset, per annum iotegrum, an semper ei esset eadem obligatio?

RESPONS.

Homo ille non potest salva conscientia sibi asservare 100. nummos ipsi datos, ur veritatem noa denunciet, ex Monitorio ab Ecclesiastico Judice decreto, & juxta formulas promulgato, præterea restituere tenetur. Non tamen tenetur, cum furti sit conscius, seipsom denunciare; quandoquidem non tantum agitur de ipsios fama, sed etiam de vita: sed tenetar furtum restituere, si illius præcipuus auctor non restituat, qui ad id primus tenetur. Si vero conscius non esset Pomponius & per annum verbi gratia, distulisset, vel oeglexisset denonciare, a contorto excommunicationis fulmine; dici potest, eum neque teneri denunciare, quoniam ignominiæ periculum adiret, quod non deounciasset, tempore quo denunciare tenebatur. Tenetur tameo ex conscientia omnes adhibere rationes quas Christiana prudeotia ipsi suppeditat, ut impellat furem ad restituendum; vel, ut jam diximus, ipse tenetur restituere, si fur non restitoat. Ea est docti cujusdam Theologi decisio, cujus sententia nobis hac in re amplectenda videtor (*d*).

(*d*) A Sancto Beuve tom. 3. cas. 69.

CASUS VIII.

Joachimus necessario cogitur de bonis suis nmnibus decedere, propter tristem negotiorum suorum statum, cujus in causa est, oon ejus culpa, sed temporum infortunium; id cum amico suo Cornelio communicavit, sub fide arcani, vel cum suo Advocato, vel cum soo Tabellione, nt ab iis consilium audiat, quomodo se gerere debeat. Monitorium deinceps promulgatum est adversus illum, & adversus eos, quibus ejus negotia nota sunt. An Coroelius, Patronus & Tabellio, salva conscientia, possunt non denunciare, quæ ipsi nota sunt?

RESPONS.

Constat Cornelium, Patronum, Tabellionemque non teneri retegere ea quæ sub fide arcani ipsis aperuit Joachimus. Ea est S. Thomæ doctrina; (*e*) hancque reddit rationem, nempe obligationem arcanom servandi esse juris naturalis, ac ideo leges omnes humanas vincere, cum agitur de re, quæ directe non est contra bonum publicum, ita nt nullus Judex nec Superior cogere possint ea ipsis denunciari, quæ hac tantum via nota sunt: Ea Doctoris Angelici verba: *Quandoque vero sunt talia, quæ quis prodere non tenetur: Unde potest obligari ex hoc qaod sibi sub secreto committatur: Et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris: qaia servare fidem, est de jure naturali: Nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de jure naturali.*

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2.

Decisio illa confirmari potest ratiocinatione qua nititur S. Thomæ argumentum. Quilibet ex Monitorio tenetor tantum denunciare, ut Ecclesiæ satisfaciat, Superiorisque voluntati, imperantis ea denuntiari, quæ nota sunt circa contenta in Monitorio, a Superiore decreto. Certum autem est Ecclesiæ vel Superioris animum non esse obligare ad denuntiationem eos, qui in consilium adhibiti, consilium dant petentibus. Ergo Cornelius, cum a Joachimo in consilium adhibitus fuerit tantum, ut ipsi consilium daret circa negotia operosa quibus implicabatur, non tenetur retegere ea quæ Joachimus arcano ipsi concredidit.

Id diceodum est, non solum de Doctoribua, Patronis, Tabellionibus, vel aliis qui in consilium adhibiti sunt, sed & de Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis & Obstetricibus, quorum opera adhibenda fuit in quibusdam corporis infirmitatibus, & quibus nemo censetur confisus, nisi conditione tacita, eos secretum servaturos, cujus obligatio naturalis omnes devincit homines: est quippe ratio necessaria societatem civilem conservandi & fovendi; quod Sylvestrum Mozolinum doctum Dominicanum impulit ad dicendum, (*f*) hisce in casibus Deum liberare homines ab obligatione Superioribus obediendi: *In quibus quis per summum Prælatum, id est, Deum, est liber ab inferioris imperio, non subintelligitur excepta Superioris auctoritas, quia eo casu nulla est.*

(*f*) Sylvester Prier. ver. Test. 1. q. 3. §. 8. Coll. Andeg. Nov. 171 1. p. 471. & seqq.

Unde sequitur, Superiorem igitur non posse jubere sub pœna excommunicationis ea retegere, quæ dicta sunt, vel expresse concredita vel tacite, sub fide arcani: Ac ideo Inferiorem non teneri id denuntiare: Illi enim justa est existimandi ratio, Superiori animum non esse eum ad id obligare. Ea est Navarri (*g*), Azorii, (*h*) & Sayri (*i*) ratiocioatio.

Duo tamen casus excipiendi sunt a regula jam jam instituta, ut alibi observamus. Primus est, cum agitur de crimine animo agitato, nondum perfecto, quod vergit ad exitiom, vel detrimentum spirituale vel temporale Reipublicæ, aut etiam privati cujusdam. Tunc enim retegere tenetur quod novit, ut exitus antevertantur, ut Navarrus, (*K*) Gregorius Valentia (*l*) aliique multi docent. Secundus casus est, cum agitur de retegendo impedimento matrimonium dirimente, ut observat Evellion (*m*).

(*g*) Navarr. in cap. inter verba 11. 31. q. 3. concl. 6 n. 403.
(*h*) Jo. Azor. p. pa3 Inst. Mor. l. 13. c. 38.
(*i*) Greg. Sayr. Clevis Regie Sacerdot. l. 12. c. 10. o. 24.

(*k*) Nav. supr. cit. loc. n. 229.
(*l*) Greg. de Valentia 10. 3. in 1um S. Th. disp. 5. q. 10. punct. 1
(*m*) Jac. Eveil. tradl. de exc. & monit. c. 3 Jo ar. 2. §. 2.

CASUS IX.

Bernardus, coactos est argentaria præ inopia dissolvere, omniaque ejus bona a Creditoribus ejus occupata sunt. Se abdidit in domo Alexandri prisci sui amici, qui generose eum apud se recepit: quod duobus vicinis notum fuit. De hoc Mooitorium promulgatur, quo præcipitur iis omnibus qaibus negotium illud quodammodo notum est, ire denuociatom. An ex conscientia tenetur Alexander retegere, se amicum recepisse; si varo non denoociet, an ejus ambo vicini eadem obligatione tenentur?

RESPONS.

Doctus Theologus, cui similis quæstio proposita fuerat, (*n*) ad eam respondet distinguendo, ac dicendo, quod si dum amicus apud se eum recepit, id sit detrimento Creditoribus; quia novit, verbi gratia, illam fraudulenter pecunias subduxisse, ut Creditores defraudet; tunc tenetur amicus ire denuntiatum: At si nullatenus noverit, id Creditoribus detrimento esse, quod illum apud se receperit, non tenetur id retegere, neque eo casu ad id tenentur ambo vicini. Hanc autem rationem reddit Doctor ille, scilicet, juris est naturalis miseris succurrere, & infelicibus adesse: Neque Ecclesiæ vel Superio-

(*n*) A Sancto Beuve tom. 2. cas. 136.

periori Ecclesiastico animus est, dum monitorium concedunt, quempiam obligare ad Charitatis præceptum ita necessarium perstringendum; cum proximo nullum inde affertur damnum. Si igitur in eo casu versetur Berardus, & denuntiatio Creditoribus nequaquam profutura sit ut debitam pecuniam recipiant, Alexander amboque ejus vicini silere debent. Si vero Berardus detrimentum insigne creditoribus suis attulisset, pecunias suas subducendo, si id Alexander novisset, veritatem retegere teneretur, & deficiente ejus testimonio, ambo ejus vicini eadem obligatione tenerentur, Officialem vel ab ipso præpositum adeundo.

CASUS X.

Guerino impendet necessitas de bonis suis omnibus decedendi. Renato quadringentas libras, ipsi debitas, tradit: paremque pecuniam in manus ipsi dat, Jacobo tradendam, ipsi quoque debitam, estque ejus pecunia numerata. Renatus ea ipsa die Jacobo dictam pecuniam tradidit, ipsique nunciat, Guerinum bonis suis omnibus mox decessurum. Cessione peracta, Guerini creditores curant Monitorium promulgari, quo mandatur iis omnibus qui noverunt, quid in Cessione peractum sit, sub pœna excommunicationis id retegere. An Renatus Jacobusque, Guerini familiarissimi, quibus debitum solutum est, aliorum creditorum detrimento, tenentur ire denunciatum ipsis persolutum fuisse debitum, eo ipso tempore quo Guerinus erat in procinctu de bonis suis omnibus decedere?

RESPONS.

Renatus & Jacobus ex conscientia non tenentur ire denuntiatum vi Monitorii promulgati requirentibus Guerini Creditoribus. Ratio est, illos declarare non posse, sibi solutam esse pecuniam immediate ante cessionem ipsis notam, quin inde injuste damnum patiantur insigne. Certum enim est in foro exteriori, aliquem existimaturum ab ipsis fraudem fuisse; hancque ob rationem fore ut cogantur pecunias acceptas referre ad congeriem bonorum de quibus decessit Guerinus. Ad id tamen nullatenus tenentur in foro conscientiæ, quandoquidem legitime ipsis erant debitæ pecuniæ illæ ab eo qui foro cessit, & qui eas persolvit, non de ære alieno, sed sua pecunia, quæ sub manum Magistratus tradita non erat a Creditoribus aliis.

Decisionis illius ratio est, quoniam, ut jam alibi diximus, Ecclesiæ animus non est ad denunciationem cogere eos, qui denuntiare nequeunt nisi suo damno, & quin insigne damnum inde patiantur, quod necessario paterentur Renatus & Jacobus, si retegerent Guerinum ipsis debitum persolvisse in circumstantia, cujus mentio fit in specie proposita.

Diximus; *pecuniam quæ non tradita est in manum Magistratus*: Nam respectu bonorum in custodiam regiam Auctoritate Judicis traditorum, Creditor, cui persoluta est pecunia, ad congeriem communem, quod accepit, referre debet, ut distincte fertur Lege, quæ dicit (*a*): *Sciendum Julianum scribere, eoque jure nos uti, ut qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamvis sciens prudensque solvendo non esse recipiat; non timere hoc edictum: sibi enim vigilavit; qui vere post bona possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandam, exæquandamque ceteris Creditoribus: neque enim debuit præcipere ceteris post bona possessa: Cum jam par conditio omnium creditorum facta esset* (*b*).

(*a*) Leg. Qui autem 6. parag. 7. ff. quæ in fraud. creditorum facta sunt, ut restituantur, l. 42. tit. 9.

(*b*) A Sancta Beuve tom. 3. cas. 236.

CASUS XI.

Gallerius est in procinctu foro cedere, Firminum adit amicum, & consilium ipsi non aperiens, illum orat, ut sibi permittat nomine ejus quasdam pecunias servare, sub speciosa quadam causa quam fingit. Firminus consentit, ut ipsi arrideat, & quin ipsi sit animus cuipiam damnum afferre. Post octo dies Firminus illius arcani participem facit Dionysium; scilicet, se nomen suum Gallerio sic commodasse, qui jamjam fraudulenter foro cesserat, prout meditabatur. Die Dominica, requirentibus illius Creditoribus promulgatur Monitorium, ut veritas peractorum patefiat. An Firminus, vel eo absente, an Dionysius ex conscientia tenetur ire denunciatum?

RESPONS.

Extra dubium est, in casu proposito, Firminum teneri veritatem aperire peractorum inter ipsum & Gallerium; quandoquidem huic viro nomen suum commodans, Creditoribus damnum attulit; atque adeo tenetur illis suppeditare vias fraudem in ipsos adhibitam retegendi, iisque restituere ipse teneretur, nisi denunciaret, ob damnum ipsis ab eo allatum, quod sic Gallerio nomen suum commodasset; quamvis bona fide egerit, absque consilio cuipiam nocendi. Si vero veritatem retegere nolit Firminus, eo deficiente ad id tenetur Dionysius; licet persuasum habeat Firminum bona fide Gallerio nomen suum commodasse. Ratio est, quoniam agitur de alterius damno insigni, hoc est de damno Creditorum, qui injuste bonis suis defraudarentur, si suppositio illa non retegeretur. Diximus, *illo deficiente*; si enim persuasum haberet Dionysius Firminum denunciasse, denunciare non teneretur, illius enim testimonium inutile foret. Ea est ejusdem Theologi sententia, a nobis laudati, in responso ad difficultatem præcedentem (*c*).

(*c*) Idem ibidem.

CASUS XII.

Flaminius Lambertum occidit, cujus uxor & liberi impetrarunt Monitorium circa hoc homicidium; jamque tribus diebus Dominicis promulgari curaverunt; ita ut quinque tantum dies supersint temporis præscripti, quibus elapsis, illi qui criminis certiores facti, illud non denunciaverint, actu erunt excommunicati. Flaminii fratris filius novit avunculum suum crimen illud patrasse: Attamen sinit tempus præscriptum elabi, quin denunciet quidquam, ne causa sit exitii avunculi sui. An est excommunicatus?

RESPONS.

Constat, Flaminii fratris filium in excommunicationem non incurrisse, cujus fulmen contortum est in casu proposito: Cum consanguinei vel affines non teneantur testimonium perhibere adversus illos quibus cum vinculis tam arctis conjuncti sunt. Prima ratio quæ reddi potest, hæc est, scilicet, neminem unquam ad rem inutilem teneri. Illorum autem denunciatio inutilis censeretur. Nam si juxta Decretum an. 1667. tit. 22. art. 11. *Partium cognati & affines, usque ad fratrum patruelium filios inclusos* (hæc sunt Decreti illius ipsissima verba) *in rebus civilibus testes esse non possunt, ut in eorum gratiam vel contra eos testimonium perhibeant*, potiori jure in rebus capitalibus testes esse non possunt, cum de vita agitur, ut in specie proposita, excepto tamen læsæ majestatis crimine, ut & hæres eos, cum clam disseminatur. Hos binos casus tantummodo excipit Cardinalis Le Camus, in suis mandatis Synodalibus. Secunda ratio, quæ liberat a testimonio perhibendo in hac occasione, ea est nimirum, quia inde nascerentur innumeræ dissensiones & odia in familiis. Tertia ratio hæc est, cognati sui commodum tanquam suum spectare debet, propter vinculum naturale quod illos conjungit. Non autem teneretur se ipsum reum declarare: Et satis esset, si pro viribus malum a se patratum repararet. Ergo neque tenetur cognati sui crimen retegere, avunculi sui, ver. gr. Quarta denique ratio & prægnantissima hæc est, quod scilicet Ecclesiæ animus non sit, eo casu ad denunciationem cogere.

Decisio illa confirmari potest Canone ex Legibus Romanis ducto (*d*) ubi observatur; ne *Liberti adversus Patronos sponte prodire non audeant: sed ne vocati quidem in judicium venire cogantur*. Filius autem fratris, vel quilibet alius consanguineus, cum avunculo suo conjunctus est vinculo longe arctiori, quam libertus cum Patrono suo; quandoquidem libertus conjunctus est solummodo grato animo, filius vero fratris vel quilibet alius cognatus, conjunctus est natura ipsa. Eam ob rationem Canon ille (*e*), non solum non vult Patres, Matres

(*d*) Can. Si testes, 3. 4. 9. 11.

(*e*) Ibid. §. 14.

& liberos admitti tanquam testes, alii adversus alios, etiamsi sponte se offerrent. *Parentes & liberi adversus se nec valentes ad testimonium admittendi sunt.* Sed excipit præterea alios consanguineos & affines. *Lege Julia Publicorum judiciorum cavetur, ne invita denuntietur, ut testimonium dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinave natum, eosve qui priori gradu sint.* Eveillon qui tractavit de Excommunicationibus & Monitoriis magis dilucide quam ullus alius idem docet (*a*), & ut sententiam suam auctoritate comprobet, Angelum de Clavasio, Navarrum, Suarez, Avilam & Barbosam laudat (*b*).

(*a*) Jac. Eveillon Tract. de Excommun. & Mon. c. 95. art. 2. § 5. Et apud eum Angel. de Clavasio v Denontiatio. Navar. in Can. Inter verbum, supr. 911. Conclus. 6. n. 422. & seq. Et Mano. c. 95. n. 48. Suarez de Censuris dispot. 20. sect. 3. n. 30. Avila, Barbosa &c.

(*b*) Colloq. Condom. t. 1. Colloq. 4. sect. 3. Car. Monspel. §. 41. A sancto Beove to. 2. cas. 61.

(*c*) Colloq. Condom. to. 1. colloq. 4 sect. 3. A S. Beove to. 2. cas. 63.

(*d*) Colloq. Andegavens. 1711. pag. 467.

CASUS XIII.

Bertilla, Luciani ancilla, novit Dominum suum rerum esse quod fraudulenter foro cesserit, & ob hanc causam ejus Creditores curant Monitorium promulgari. An salva conscientia, & quin excommunicationem subsequentem incurrat, potest se liberare, quin denunciet?

Respons.

Inter Auctores non convenit de hac difficultate, Ille qui in ordinem digessit, & in lucem edidit Colloquia Condomensia, & doctus quidam Theologus, cujus decisiones in lucem editæ sunt (*c*), & cujus sententiam amplectitur qui colloquia Andegavensia in lucem edidit, existimant (*d*) famulos non teneri ea occasione retegere ea quæ norunt adversus suos Dominos. 1. Quia, inquiunt, Judices ad eorum testimonium non attendunt, ac ideo eorum denunciatio conquerentibus inutilis evadit. 2. Quoniam raro admodum denunciare possunt, quin inde insigne damnum patiantur. 3. Quia arcani Legem observare tenentur, circa ea omnia quæ in Dominorum suorum ædibus fiunt: Quibus addunt Auctores illi, Ecclesiæ animum non esse, famulos cogi ad testimonium perhibendum adversus Dominos suos, suasve Dominas. Hæ sunt rationes, quibus utuntur ii qui primam illam opinionem defendunt, quam amplexus est dominus Cardinalis Le Camus, Episcopus Gratianopolitanus, qui hoc respectu famulos recenset inter Confessarios, Advocatos, Medicos, Chirurgos, Obstetrices (*e*). Verum opinionem illam impugnat Eveillon, (*f*) qui ait, *famulos non comprehendi in privilegio & immunitate cognatorum, nisi sit cognatio intra quartum gradum; ac ideo tenentur retegere, ut & ceteri, vi Monitorii, nisi adsit ratio peculiaris, quæ alia via illos liberet: ver. gr. si periculum esset ne retegendo insigne malum paterentur.* Hæc sunt Auctoris illius verba, cujus sententia conscientiæ tutior est, nobisque veritati ac justitiæ magis consentanea videtur. Rationes ab aliis allatæ satis prægnantes nobis non videntur, ut in eorum descendamus sententiam. Nam 1. Licet constaret famulum non admitti apud Judices ad cujuslibet criminis Dominum suum accusandum, quod universe verum non est, Judex tamen utiliter uteretur indiciis a famulo allatis. Exempli causa, si Bertilla, de qua loquitur species proposita, declararet Dominum suum in aliquem locum se posuisse bonorum suorum maximam partem, Judex certissime uteretur illa declaratione in gratiam Luciani Creditorum. 2. Contra credimus, raro admodum evenire posse damnum insigne, famulo denuncianti, ob Monitorium decretum, adversus Dominum suum, præsertim in casu quem expendimus. Damnum enim insigne censeri non debet, si Dominus hunc famulum dimittat. His adde, hominem qui fraudulenter foro cedit, non sicut antea in ædibus suis habitare, sed se abdere, & alio confugere, ne in carcerem conjiciatur, requirentibus iis quorum bona abstulit. 3. Verum quidem est, famulum teneri arcani legem servare; hoc est, accurate loquendo, illum domini sui arcana retegere non debere iis quorum non interest, sed id intelligi debet de casibus, in quibus alter nullum patitur damnum. Hic vero Bertillæ silentium valde noxium est Domini sui Creditoribus, qui pecunias recuperare possent quas ipsi prædatur, si Bertilla veritatem sibi notam declararet, ut ei præcipit Judex Monitorio quod decrevit. Cum enim Auctores illi addunt, Ecclesiæ animum non esse cogere famulos ut adversus Dominos suos denuncient, id sine ulla probatione proferunt; cum nulla reperiatur Lex, nullus Canon, nullum mandatum Ecclesiasticum, quæ ipsos denunciatione liberent, ut leguntur Mandata quæ cognatos liberent. Unde concludimus Bertillam ex conscientia teneri ea declarare, quæ ipsi nota sunt, circa Luciani fraudulentam decessionem. Si vero non declaret, excommunicationem Monitorio latam incurrit.

(*e*) D. Le Camus mandat. Synod. tit. 2. art. 2.

(*f*) Joseph Eveillon, loco supra cit.

CASUS XIV.

Ranulphus, Civis Parisiensis, e S. Eustachii Parœcia, cum Versaliaa ivisset Pentecostes dies festos exactum, ibi audivit Monitorium promulgari, de facto momentoso, perfecte sibi noto, quod Monitorium in ipsius Parœcia promulgatum non est. An tenetur ex conscientia ea quæ novit hanc in rem retegere?

Respons.

Verum quidem est, juxta doctum quemdam Theologum, , (*g*) Radulphum stricto jure non teneri denunciare, circa factum de quo agitur, vi Monitorii Versaliis promulgati, non vero in S. Eustachii Ædibus: Quoniam, inquit, promulgatio illa spectat tantum Incolas Parœciæ in qua promulgatus: sed tamen ad id tenetur. 1. Præ reverentia & obedientia qua Superioris Mandatum sufficienter notum prosequi debet. 2. Certo quodam casu ex natura facineri, cujus occasione Monitorium promulgatum est, ut alibi fatetur idem ille Doctor (*h*). Id ex S. Thomæ doctrina probari potest (*i*) qui postquam dixerit, unumquemque teneri testimonium perhibere in rebus quæ ad Justitiam pertinent; cum id postulatur auctoritate superioris legitimi; addit, quemlibet ad id cogi posse alia via, quam superioris auctoritas non intervenit. Ver. gr. cum agitur de liberando quopiam a morte injusta, vel quadam alia pœna non promerita, infamia, ver. gr. vel indigni damno. *Si vero requiratur ejus testimonium,* ait Sanctus ille, *non auctoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguendum est: quia si testimonium requiritur ad liberandum hominem, vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel etiam ab aliqua damno; tunc tenetur homo ad testificandum: Et si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psal.* 81. Erue eos, qui ducuntur ad mortem. *Et Romanorum* 1. Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Ubi dicit Glossa*; Consentire, est tacere, cum possis redarguere. Sed S. Doctor ille addit, neminem ad hoc teneri, nisi superioris auctoritate cogatur, cum de justa condemnatione agitur. *Super his vero, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cum a superiore compellitur secundum ordinem juris.*

(*g*) A sanct. Beuve tom. 2. cas. 173.

(*h*) Idem to. 2. cas. 33.

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2. in corp.

Hanc rationem reddit; cum eo casu nullum proximo damnum peculiare afferre, & illum curare non debere, an accusatur id quod in medium adversus accusatum protulit probare non possit; cum imprudenter voluerit adire periculum causa cadendi in accusationem quam immerito attulit. *Quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur, vel si immineat periculum accusatori, non est curandum: quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio de reo, cui periculum imminet, eo nolente.* Unde sequitur, quod quamvis Radulphus salva conscientia possit non ire denuntiatum, juxta speciem propositam, respectu naturæ facinoris tantum, eo sensu quem indicat Sanctus Thomas, ad id tamen tenetur respectu reverentiæ, qua tenetur prosequi Ecclesiam, & respectu obedientiæ, qua tenetur prosequi ejus mandata, si sufficienter ipsi nota sint; teneturque sub pœna excommunicationis, cujus mentio fit in Monitorio. Ac revera non verum est, solos Parœciæ incolas, ubi promulgatur Monitorium,

Epi-

Episcopi sui mandato obtemperare teneri, quandoquidem Matrimonium exprimitur verbis generalibus, quæ ceteros omnes Diœcesanos complectuntur, quæ ideo eos omnes obligant, ex quacumque sint Parœcia, ad obtemperandum mandato in Monitorio prolato, quod Ordinarii sola auctoritate decretum est, non vero auctoritate Sacerdotis promulgantis.

CASUS XV.

Ranatus perfecte notum habet negotium momentosum, circa quod audivit Monitorium promulgari, at non credidit se teneri ire denunciatum, nisi post tertiam promulgationem, quamvis denunciare potuisset a prima promulgatione. An sic peccavit?

RESPONS.

Error est vulgaris nunquam satis damnandus neminem teneri retegere, nisi post tertiam Monitorii promulgationem. Certum enim est quemlibet ad id teneri statim post primam promulgationem. Hæc autem reddi potest ratio, scilicet quemadmodum dici non potest filium patri suo obedire, prout debet, cum patris mandata exequitur tantum cum ter iterata sunt; ita fideles, qui Ecclesiæ, Matri suæ, ubi primum aliquid ipsi præcipit, peccati excusari nequeant, cum nulla est causa legitima cur ejus mandatis non obtemperent. Secunda ratio addi potest, nempe sæpe interesse illius qui Monitorium impetravit, ut illico retegatur quod notum est circa detrimentum ipsi allatum: si autem per multas hebdomadas differatur id retegere, aliquando ipsi præripitur ratio reum cogendi damnum resarcire prout debet: ipsi nimirum tempus suppeditatur avertendi vel abscondendi furtum, vel testes corrumpendi aut amovendi, aut denique quoniam reus interea evadet forsitan, vel solvendo non amplius erit. Præterquam quod partim in causa ille est cur magnos sumptus fecerit in judicio agendi formulis. Constat enim ex omnibus istis rationibus, Renatum salva conscientia differre non potuisse denunciationem suam post tertiam promulgationem Monitorii; cum nulla fuerit causa cur illam distulerit usque ad diem illam (a). Constat quoque, quod ab eo apud Deum repetetur ratio damni, quod conquerens passus est vel forsan patietur.

(a) Colloq. Condom. tom. 2. colloq. 4. sect. 2 Aveillon. de Excommun. & Monit. c. 25. art. 3.

CASUS XXI.

Cum Noceræ Episcopus jussisset promulgari Monitorium de furto quodam admisso, tribus continuis diebus Dominicis facta est promulgatio, mandans iis quibus notum erat furtum, ut ipsis cognita declararent, sub pœna excommunicationis, *ipso facto*, nisi intra sex dies sequentes denuntiassent. Duobus diebus post ultimam promulgationem mortuus est Episcopus ille. An ejus mors impedit quominus Joannes, qui novit quisnam furtum illud commiserit, & qui eum nondum denuntiavit, in excommunicationem, post elapsam sextam diem, incurrat?

RESPONS.

Episcopi illius mors, quæ evenit antequam Joannes excommunicationem incurrerit, illius effectum impedit; ita ut, quandoquidem obiit ante sex illas moræ dies, Joannes, eo casu, excommunicationem non incurrat, etiamsi denunciatum non eat. Ratio est, quoniam Episcopus, vel ejus Officialis, Monitorium non decernit qua Legislator, sed tantum qua Judex peculiaris. Judicis autem Jurisdictio morte ejus finem habet. Ac ideo ejusmodi Monitorium non amplius obligat, ab illo tempore quo moritur vel amovetur ille, cujus auctoritate decretum ac promulgatum fuit; & huic obediendi obligatio iterum vim habere nequit, nisi successoris, vel Canonicorum Collegii auctoritate, ad quod Jurisdictio Episcopalis vacante sede pertinet. *Mortuo vel remoto ab Officio Prælato*, inquit Cabassutius (b), *qui non ut Legislator, sed tamquam Judex censuram inflexit, non cessat quidem censura in eo, qui illam antea contraxerat; nam opus habet absolvi: sed tamen ita cessat, ut nemo illam posthac contrahere possit, nisi per successorem renovetur... ejusmodi est Monitorium revelandi aliquid sub excommunicationis pœna. Hæc namque neminem ligat, si intermoriatur Prælatus, nisi vel a successore, vel a Capitulo, sede vacante, renovetur.*

(b) Joan. Cabassut. Juris canon. Theor. & prax. l. 5. c. 15. n. fin.

Idem ait Graffius, in opere Ethices, quod edidit anno 1593. (c) Cum enim asseruisset cum Panormitano, ceterisque omnibus Canonistis, eum qui in excommunicationem incurrit ante Episcopi obitum, censura illa vere ligatum remanere, licet postea moriatur Præsul ille; addit non eamdem esse rationem illius, adversus quem Mandatum excommunicationis, *ipso facto*, decernebatur, cum Episcopus a quo datum fuerat moritur, antequam perfectum habuerit effectum, hoc est, antequam homo ille actu excommunicationem incurrerit, quam ipsi minitabatur Mandatum. En illius Auctoris verba: *Duo ceciderunt in excommunicationem, latam ab Episcopo per modum sententiæ, contra extrahentes libros prohibitos... Unus incidit tempore, quo Episcopus in ultimo mortis articulo constitutus erat: alter mortuo jam Episcopo. Tunc nulli dubium est, hunc secundum solutum esse ab excommunicatione: primum vero nequaquam: quia primus, vivente adhuc Episcopo, in excommunicationem incidit. Unde per ejus mortem non est absolutus: quia semel excommunicatione ligatus opus habet absolutione. Secundus vero ideo solutus dicitur: quia sententia excommunicationis non injecit vinculum tempore proferentis... Pariter idem dicendum de sententiis latis sub conditione: quia si conditio existit post extinctam jurisdictionem, non ligant.* At Doctor ille prudenter observat, non eamdem esse rationem excommunicationis statuto latæ; hancque rationem reddit, scilicet: *sententiam* (Excommunicationis) *debet præcedere mera culpa, vel offensa; quod non est in statuto, cujus est proprium ligare futura & dare formam futuris, & non præteritis.* Quod consentaneum est Glossæ a Daoya indicatæ, in Indice suo Juris Canonici (d).

(c) Jacob. de Graffiis decis. aurear. l. 4. c. 2. n. 26. & seq.

Denique, Silvester (e) docet eamdem doctrinam, his verbis: *Sed si, pendente conditione, excommunicator moriatur, vel amoveatur, non est excommunicatus postea, qui facit contra illam sententiam, quia expirat & non ligat.* Panormitani (f) auctoritate, ut & Paludani, qui idem affirmant, nititur Auctor ille.

(d) Glossa in cap. Ut animarum. de constitut. v. commiserint. Et in c. A nobis de sent. excom. v. Nominis. Apud Steph. Daoyz. v. Excommunicatio. n. 9.

(e) Silvester v. Excommunicatio 2. n. 1. §. Decimusquintus.

(f) Panorm. in cap. Cum ad hoc. de clericis non residentib. Et Paludan apud Silvest. loc. cit.

CASUS XVII.

Guillelmus certo novit Oliviero, qui curavit Monitorium promulgari, ut furti apud se patrati Auctorem detegat, argumenta suppetere extra omne dubium posita, & numero supra quod necesse est, adversus furem. An iis non obstantibus, tenetur denunciationem suam dare circa ea quæ novit?

RESPONS.

Tres præsertim rationes nobis persuadent Guillelmum teneri ex Monitorio illo, in circumstantiis specie propositæ denoraris, denunciare. Prima hæc est, quia Ecclesia, quæ jubet post Monitorium declarare, censeri nequit casum excipere, quo denunciatio conquerentis commodum promovit. Secunda ratio est, quia privati non est expendere & dijudicare, an conquerentis argumenta sint sufficientia vel non, sed simpliciter ipsi obediendum est iis quæ Ecclesia præcipit. Tertia ratio est, quod quamvis Oliviero suppetant argumenta prægnantia, adversus furti auctorem, argumenta quæ Guillelmus ipsi præterea suppeditare potest, denunciatione sua, ipsi valde necessaria esse possunt; nescit enim an accusatus argumenta prima irrita reddendi rationem non habeat, vel rejectione vel alia via; cum nimis constet artes subdolas sæpissime probationes vincere posse, quæ videntur justissimæ, & supra omne dubium positæ. His adde, quod Guillelmi denunciatio alias saltem confirmabit, certiori auctoritate comprobatas reddet, ac difficilius evertentur (g).

(g) Colloq. Condom. to. 2. colloq. 4. sect 3. colloq. Andeg. Nov. 1715. pag. 476.

CASUS XVIII.

Coriolanus Doctrinam hæreticam clam disseminavit, duosque vel tres homines pervertit. Officialis Monitorium decrevit, quo audiret quisnam esset illius Auctor, illudque jam tribus continuis diebus Dominicis promulgari jussit, postquam inter sacra fidei Christianæ explicata sunt capita. Certissime novit Paulus Coriolanum pravæ illius Doctrinæ auctorem esse: sed etiam novit eum ab aliquot diebus pœnituisse, immo eum actu operam dare, ut errore eorum animum liberaret quos perverterat. De hoc quæritur an teneatur Paulus in ea circumstantia adversus Coriolanum denunciare, sub pœna excommunicationis, *ipso facto*, cujus fulmen contorquetur die Dominica sequenti?

RESPONS.

Ut enodetur illa quæstio, satis est nosse, Ecclesiæ animum præsertim esse in excommunicationis comminationibus quas significat vel exequitur, non alium esse, nisi ut peccatores ad pœnitentiam impellantur & ut ad officium revertantur. Hac veritate tamquam indubitata posita, inde concludere facile est, quod cum Paulus certo noverit Coriolanum pœnituisse sincere, immo eum acta eniti malum a se allatum reparare, eosque ad veram fidem reducere, quos seduxit; neque debet, neque etiam potest, quin adversus charitatem christianam peccet, Judici ullive alteri declarare crimen Coriolani, qui in rectam viam redux, jam perfecit, quod ab ipso petebat Ecclesia. Hanc rem igitur alto silentio premere debet Paullus: cum certum sit excommunicationem contorquendam nec in Coriolanum nec in ipsum delapsuram. Hæc est Navarri, Sayri, Petri Navarræ, Cardinalis Toleti, Eveillonis, multorumque aliorum opinio; (*a*) supersedemus autem ab eorum verbis laudandis, quæ in illis Auctoribus videre est. Credimus tamen quod si illius viri crimen pervulgatum esset, vel si Monitorium decretum fuisset requirente parte publica, hoc est, Procuratore Regio, tunc teneretur retegere; quoniam in casibus illis rei conversio non est solum Judicis incentivum, sed præterea objectam habet criminis pœnam, & scandali satisfactionem.

(*a*) Navarr. Manu. c. 17. n. 134. & 25. n. 48. Et in c. *Inter Verba*. 33. 11. q. 3. concl. 6. num. 377. Gregor. Sayrus Thesaur. l. 2. c. 8. Petrus Navarra l. 2. de restitut. c. 4. n. 236. Fr. Tolet. Instr. Sacerd. lib. 5. c. 17. Eveillon Tract. de excommunicat. & Monit. c. 23. a. 2. §. 6.

CASUS XIX.

Alexis Antonium clam trucidavit; Petrus homicidii fuit quidem testis oculatus, sed novit nullam aliam superfuturam probationem, immo nec suspicionem adversus criminis illius auctorem, ac ideo sui solius testimonium non satis fore ut condemnetur reus. Petit Alexis an eo casu possit ea quæ vidit non revelare, ex Monitorio promulgato, requirente Regio Procuratore, ut facti argumenta habeantur?

RESPONS.

Numquam Judex accusatum condemnare potest ex unius testis testimonio, quin alias habeat probationes. Unde sequitur Petri testimonium, quod nullo alio argumento confirmatur, nullum alium effectum in specie proposita procreaturum, nisi fore ut inutiliter Alexim infamiæ nota inurat. Quapropter dici potest simili casu, Petrum non teneri quæ vidit revelare. Ea est Navarri sententia, ut videre est in locis operum ejus in margine laudatis (*b*). Idem docent Ludovicus de Beja, Bartholomæus Fumus, Antonius Genuensis, & Jacobus Eveillon, qui illos laudat.

Tribus præcipuis auctoritatibus nituntur Doctores illi. Prima ducitur ex Decretali Innocentii III. ad Episcopum Vercellensem inscripta (*c*), ubi Papa ille loquens de jurejurando quo se ad veritatem enunciandam astringuntur, istam adhibet exceptionem: *Exceptis occultis criminibus*; quia, ut ait Glossa (*d*), *super his inquisitio fieri non debet; sed super illis tantum, de quibus infamia præcessit*. Quocum consentiunt Innocentius IV. Panormitanus, aliique Canonistæ in suis Commentariis in Decretalem illam.

(*b*) Navarr. Man. c. 17. n. 134. in fin. & in C. *Inter verba*, supra cit. Concl. 6. n. 370. Lud. de Beja Respon. p. 1. cas. 2. Barthol. Fumus, in Armilla v. *Excommunicatio*. n. 31. Ant. Genuensis Praxis Archiep. c. 2. n. 2.

(*c*) Innoc. III. in c. *Qualiter* 17. de accusat. inquis. & denuntiat. lib. 5. tit. 1.

(*d*) Glossa in d. c. Qualiter v. *Exceptis*.

Secunda auctoritas ducitur ex alia ejusdem Papæ Decretali, scribentis ad Episcopum Genevensem, (*e*) ubi ait: *Respondemus nullum esse pro crimine, super quo aliquis non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit, propter dicta hujusmodi* (id est, testimonia eoram quibus videntibus commissum est crimen) *puniendum. Quin immo super hoc dispositiones contra eum recipi non debere; cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt*.

(*e*) Inn. III. in c. *Inquisitionis* 21. de accusationib. &c.

Tertia denique auctoritas est S. Augustini, a Gratiano laudati (*f*), qui ait: *Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent: quia sæpe deseruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt judicibus probare non possunt*.

(*f*) S. Aug. in can. Plerumque 27. 2. q. 7.

Ea omnia satis aperte ostendunt, Petrum, de quo loquitur species proposita, non teneri homicidium revelare, quod vidit Alexim patrantem; contra vero ipsum altum silentium observare debere, quin timeat incurrere excommunicationem quam minitatur Monitorium, promulgatum requirente Procuratore Regio; modo tamen certum sit eum solum, ut supponitur, adversus reum testimonium perhibere posse. Decisio illa hoc juris effata confirmari potest: *Unus testis, nullus testis*, quod hisce Scripturæ Sacræ verbis nititur: *Non stabit unus testis contra aliquem, quicquid illud peccati facinoris fuerit* (*g*), *sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*. Ea sunt, ut opinor, quæ prægnantiora & magis convincentia dici possunt, ut responsum illud extra controversiam ponatur.

(*g*) Deut. 19. 15.

CASUS XX.

Lysander, adolescens, duodecim vel tredecim annos natus, Virginis Nobilis raptum committi vidit. Ut raptus illius suppetant argumenta, Monitorium promulgatur. Petit a suo Confessario an teneatur denunciare, quoniam homo quidam qui cum ipso tunc aderat jam denunciavit. Quid respondere debet Confessarius ille?

RESPONS.

Ecclesia videtur olim non adstrinxisse illius ætatis adolescentes ad revelandum, quandoquidem juxta septimum Concilium Carthaginense, quod vulgo Concilium Africanum nuncupatur, habitum an. 419. ad testimonium perhibendum non admittebantur (*h*): *Ad testimonium autem infra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur testes*. Unde concludi potest, quod si eorum testimonium inutile censeatur apud Judices conquerenti, eorum denunciatio propter Monitorium inutilis foret: quod consentaneum est Legi cuidam in Canone Decreti Gratiani allatæ (*i*), quæ impuberes ineptos declarat ad testimonium in Judicio perhibendum.

(*h*) Concil. Carth. VII. in can. *Testes*.

(*i*) Can. Si *Testes* 3. cad. c. & q. §. 3.

Jurisprudentia tamen quæ in hoc Regno observatur, huic antiquæ Disciplinæ adversatur. Decretum enim anni 1670. (*K*), quod usu viget, & quæ nobis regula esse debet, decernit *utriusque sexus adolescentes, licet sint infra pubertatis ætatem, admitti posse ad declarandum*. Ac revera negari nequit, quin eorum denunciatio conquerenti commodo afferat, propter lucem quam hinc educere possunt, quin ideo teneatur veritatem ipsi notam declarare. Lysandri Confessarius ipsi igitur dicere debet eum teneri ire denunciatum, ac declarare se vidisse raptum, de quo agitur in specie proposita, committi.

(*k*) Decretum 1670. tit. 6. a. 2.

CASUS XXI.

Cum Ithacius videret nomen suum apud Judices deferri, de mille nummis quos furatus est, fuga saluti suæ consulit, ne puniretur. Deinceps capite damnatus est per desertum vadimonii diem; ejus bona in publicam sunt addicta; ter mille libris prius sepositis ut restituantur illi cui erepta fuerant. Ab ineunte lite Publius Ithacii famulus intelligens sibi impossibile fore, ut ipsi ducentæ libræ persolverentur ab Ithacio ipsi debitæ in duorum annorum stipendia, occasionem nactus est, similem pecuniæ summam arripiendi, quam ipsius herus in Cubilis culcita straminea absconderat. At promulgatam est

Moni-

Moniterium excommunicationem, *ipso facto*, minitans iis omnibus, quibus in manibus est pecunia, vel aliud quidpiam ad Ithacium pertinens. Publius petit an teneatur ex conscientia ire denunciatum, & declaratum se auctoritate sua pecuniam illam arripuisse, ut hac via stipendia persoluta haberet: petit quoque an non declarando excommunicationem incurrat?

Respons.

Respondemus Publium non teneri declarare se pecuniam illam, duceatas scilicet libras arripuisse: ut enim Decisionibus præcedentibus diximus, constat Ecclesiæ, dum Monitoria decernit, mentem esse tantum, adstringere fideles ad restituendum conquerentibus quod ad ipsos juste pertinet; & unicuique reddatur quod ipsi legitime est debitum. Publius autem non injuste apud se servat ducentas illas libras, quas Ithacio hero suo arripuit, quandoquidem juxta suppositum, pecunia illa ipsi erat debita in stipendia duorum annorum, & quia juste illam prehendere potuit, auctoritate sua privata, cum ipsi impossibile esset alias solutionem percipere; quandoquidem præterea clam id egerit, quin inde scandalum ullum ortum sit. Id docet Eveillon in docto suo Tractatu de Excommunicationibus & Monitoriis, (*a*) post innumeros alios quos laudat, quorum celeberrimi sunt Angelus de Clavasio, Bartholomæus Fumus, Dominicus Sotus, Navarrus, Covarruvias, Cardinalis Toletus, Medina, Petrus Navarra, Ludovicus Lopez, Suarez, Jacobus de Graffiis, Comitolus, Sairus, Avila & Barbosa (*b*), qui omnes uno consensu ajunt, eo casu, nullam esse revelandi obligationem ob Monitoriam ejusmodi, quamvis Superior Ecclesiasticus enunciasset & expressus fuisset eos qui rem aliquam invasissent ratione justæ expensationis, quandoquidem aliena bona non sunt retinenda; sed etiam quia Monitorium quod ejusmodi mandatum præciperet, injustum esset eo respectu, & adversaretur iis quæ ex jure naturali licent. Unde sequitur consequentia necessaria, quod si quidam noverint Publium ducentas illas libr. cepisse tantum in compensationem legitimam, neque ipsi tenerentur quidquam hac de re revelare.

(*a*) Eveillon. c. 23. art. 1.

(*b*) Angel. v. *Furtum* n. 41. Bart. Fumus in Armilla v. *Furtum* n. 16. Dom. Sot in 4. dist. 22. art. 2. cas. 3. & de Just. & Jure l. 5. q. 3 art. 3. Nav. Man. c. 17. n. 114. & Cons. 33. de sent. Excom. Didac. Covar. relect. regulæ possessor. malæ fidei p. 1. §. 2. n. 4. Franc. Tolet. Instr. Sacerd. l. 5. c. 27. Medina de reb. restit. 21. Petr. Nav. de restit. l. 3. c. 1. n. 402. Ludovic. Lopez Instr. Consc. p. 1. c. 9. q. 2. Suar. de Censur. disp. 22. sect. 2. n. 1. & sect. 3. n. 22. Jac. Graff. dec. Aurear. p. 1. l. 4. c. 5. n. 12. Paul. Comit. Resp. Moral. l. 3. c. 39. Avila de censur. part. 2. disp. 5. dub. 2. Gr. Sayr. Thesau. l. 1. c. 9. n. 12. Ang. Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 3 all. 96. n. 49.

CASUS XXII.

Narses, Parœciæ S. Herminii Dominus, & qui solus gaudet jure Columbarium habendi, novit quemdam rusticum ex suis Clientibus, qui Domini columbas sæpe occidit, præsertim eo tempore quo solent semina terræ mandari; nomine Procuratoris sui Fiscalis impetravit, & promulgari curavit Monitorium, ut argumenta ipsi suppetant adversus illum rusticum, & curet illum puniri. Judas, Simonque rustici illius vicini, illum sæpe id agentem deprehenderunt. An ex conscientia tenentur veritatem denunciare, si vero non denunciarent, an incurrerent excommunicationem post tres monitiones ordinarias latam?

Videtur illos in illam censuram non delapsuros: cum Ecclesiæ animus non sit Fideles excommunicare, nisi quando scelerum insignium sunt rei, inter quæ recensere æquum non esset Rustici illius facinus: cum non desint Casuistæ, qui existiment licere columbas occidere, quæ miseri Rustici frumentum satum comedunt. Ex altera parte, superior Ecclesiasticus aliter dijudicasse videtur, quandoquidem Monitorium hac de re concessit, ac pronunciavit, ut supponitur, excommunicationis sententiam. *Quid juris? quid facto opus?*

Respons.

Dubitari nequit, quin graviter peccet rusticus ille, cum Edicta vetent sub gravissimis pœnis, ne occidantur Columbæ eorum qui Columbarii jure gaudent: variæque ex nostris consuetudinibus fures pronunciant eos, qui occidunt Columbas. Revera evidenter furantur, ut ait Betaltus in Normanniæ consuetudinem (*e*): cum Columbæ non minus pertineant dominio ad loci Dominum, quam Gallinæ, Galli gallinacei, Capones, Galli indici, Anates, Anseres, & ceteræ omnes aves domesticæ, ut & Cuniculi ipsius Leporarii, ideoque, qui columbas illas occidunt, detrimentum insigne ipsi afferunt, ac consequenter digni sunt pœnis a Legibus Principis vel a Provinciæ consuetudine latis. (*d*) Idemque necessario censent Præsules, alias enim Censuris facinus illud non plecterent, cum penes eos sit Literas suas Monitoriales denegare, quoties existimant leviores ob causas illas postulari. Unde sequitur, illos, qui sicut & Judas & Simon, istiusmodi factum noverunt, Ecclesiæ obedire teneri, veritatem ipsis certo notam declarando. Justitia Narsæ debita, reorum castigatio, justæ pœnæ quas promeruerunt, Disciplinæ civilis & boni ordinis conservatio, obedientiaque Ecclesiæ debita adstringunt igitur ad revelandum quod hac de re notum est, illumque scopum legitimum semper habere debent qui revelant, ut nihil agant quod sit contra Charitatis præceptum, ut S. Thomas docet (*e*), qui ait, peccantis pœnam justam esse & licitam hisce in circumstantiis: *Si vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem & Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.*

(*e*) Betaltus in Norman. Consuet. art. 237.

(*d*) Berault. loc. cit.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 108. ar. 1. in corp.

Verum quidem est Casuistas quosdam, & inter alios Cardinalem Toletum, existimare, occidi posse columbas, quæ devastant terras recens satas, ac ideo ejusmodi excommunicationes injustas esse. Sed responderi debet. 1. Non privatorum esse dijudicare de justitia Legum & Consuetudinum, quæ jus publicum complectuntur, nec de Potestate Ecclesiastica ipsis præcipiente veritatem declarare. 2. Casuistæ illi sunt Extranei, loquentes juxta usus suos, nostris contrarios. Toletus, verbi gratia, erat Hispanus, qui in Italia scripsit, & cui non satis nota erant jus nostrum Gallicum, nostrorumque Regum Decreta, quæ Columbarii jus tribuunt Dominis quibus competit potestas vitæ & necis, ut sit ipsis quodammodo compensatio damni exurgentis ex oneribus quibus premuntur: verbi gratia, quod teneantur suis sumptibus curare litem inferri maleficiis ex suis subditis, suppeditare ea quæ sunt necessaria ad sustentandos infantes in dominatione sua expositos, ut & Dominis fiduciariis, propterea quod tenentur militare sub Rege, cum primariæ & secundariæ clientelæ Nobilitas ad bellum evocatur, & habere Judices, ut Clientibus suis jus dicatur. Ita ut jus illud quod Princeps, vel Provinciarum consuetudines ipsis concedunt, sit quædam servitus universa in prædia publica. Unde sequitur, eos qui cum Reginaldo prætendunt Dominos, quibus sunt Columbaria, teneri omni tempore columbas suas alere, hallucinari; sic enim Dominis non majora essent privilegia quam Plebeiis. Oporteret præterea, ut columbæ inclusæ semper detinerentur; hoc autem non fieri potest, nec æquum est.

Ceterum, facile est intellectu, Decisionem illam niti effato certo, quamvis a Gersone controverso (*f*), nempe Ecclesiæ jus esse excommunicationem adhibere, ut qui damnum aliquod temporale intulerunt, illud resarcire cogantur. Hæc est universa Ecclesiæ praxis, a tempore S. Basilii (*g*), & S. Augustini (*h*) instituta, quam comprobavit Alexander III. in quadam ex suis Decretalibus, inscripta ad Archiepiscopum Rotomagensem, & ad Episcopos ejus suffraganeos (*i*), ut & Innocentius III. (*K*) scribens ad Archiepiscopum Pisarum in Thuscia, Clemens III. (*l*) Joannes XXII. (*m*) S. Thomas (*n*), ac denique Concilium Tridentinam (*o*).

(*f*) Gerson. Tract. de potest. Eccles. Consid. 4. spirit. sect. 4 Coroll. 7.

(*g*) S. Basil. epist. 244. & seqq.

(*h*) S. Aug. Epist. 153. ad Macedonium, alias 54. n. 6.

(*i*) Alex. III. in c. *Ad nostram* 7. de jurejur. lib. 2. tit. 24.

(*K*) Inn. III. in c. *Ad nostram* 20. eod. tit.

(*l*) Clem. III. in c. *Conquesti* 22. de sentent. Excom.

(*m*) Jo. XXII. in extrav. *Infidelis*, unic. de furtis extrav. Comm. lib. 5. tit. 5.

(*n*) S. Th. 3 p. q. 22. art. 3.

(*o*) Concil. Trid. sess. 25. de refor. c. 3.

CASUS XXIII.

Alphaida, Mulier summopere pia, audivit Monitorium promulgari, quo præcipitur iis omnibus, qui norunt, quia ipsi viderunt, vel audive-

diverunt, quisnam homicidii, patrati in Sylva juxta Pagum ubi habitat, auctor esset, sollicita petit a suo Sacerdote, an teneatur declarare, se a multis ejusmodi loci incolis audivisse, Fulberum homicidii illius auctorem esse. Quid ipsi suadere debet Sacerdos?

R e s p o n s.

Verum quidem est, quod quando quis certissime novit factum aliquod, de quo Monitorium promulgatur, novit inquam, sive quod ipse viderit, sive id audiverit ab auctore ipso, aut aliunde certior factus sit: *Si testis ..... fuit, aut vidit, aut conscius fuit, id est, aliquo modo cognovit*, ut ait S. Augustinus, (*a*) necessario tenetur veritatem retegere, quam sic cognovit: si autem absque justa ratione non retegat, excommunicationem incurrit contortam post tres Monitiones, sed non eadem est ratio, cum factum notum est tantummodo ambiguo, obscuro & incerto. Quamvis enim quilibet teneatur declarare quod audivit a viris fide dignis, cum ipsi id non denunciarunt, ad id nemo tenetur, quando id tantum audivit modo vago, ab hominibus id narrantibus tantum ex rumoribus vulgaribus & incertis; istius enim generis rumores non merentur fidem ipsis adhiberi, ut ait Auctor Glossæ (*b*): Quod impulit Cœlestinum III. (*c*) ut diceret, verba faciens de Divortio, quod *rumor ..... vicinæ non adeo est judicandus validus ..... nisi rationabiles & fide dignæ probationes accedant*.

(*a*) S. Aug. in can. *Hoc videtur* 8. 22. q. 15.
(*b*) Glossa in can. *Quoniam* 21. 26. q. 7. v. *Ut rumore*.
(*c*) Cœlest. III. in c. *Super eo* de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, &c.

Eadem est ratio, si auditum est illud tantum ab hominibus præ levitate & inconsiderantia loquentibus, aut qui cognoscuntur aperte mendaces & obtrectatores, aut etiam auditum est a probis viris & fide dignis, sed ignotis, aut quorum nominis nulla est memoria; quosque ideo indicare impossibile est. His enim in casibus, denunciationibus istiusmodi nullam fidem adhibere posset Judex, & omnino inutiles evaderent, ut crimen retegeretur. Si igitur Alphaidæ non aliunde notum sit facinus, de quo agitur, Sacerdos ejus ipsi dicere debet, eam non teneri ire denunciatum: si tamen justa aliqua sit causa dubitandi de inutilitate ipsius denunciationis, denunciare debet: Judicisque erit denunciatione illa uti, prout ipsi videbitur. Ratio est, quod quandoquidem Lex, quæ denunciationem præcipit, certa est ac evidens, ab obedientia nemo se liberare potest, cum caussa, quæ ab obsequio liberare posset, æque certa ac æque evidens non est; fieri enim potest, illius denunciationem, illis conjectutis prægnantibus additam, Judici utilem evadere posse, juxta effatum istud: *quæ non prosunt singula, multa juvant* (*d*).

Ea est decisio Auctoris Colloquiorum Andegavensium (*e*), quæ sapientissima existimamus.

(*d*) Glossa in c. *illum* t. de præsumpt. v. *juncta locis* l. 2. tit. 25.
(*e*) Colloq. Andeg. Novemb. 1712. q. 1. pag. 418.

C A S U S XXIV.

Parrhastus Jordano litem intulit, de re mere civili, Monitoriumque impetravit, ut argumenta, quibus ipsi opus est, & quæ alia via habere nequit, ipsi suppetant. An Judex laicus potuit permittere, Monitorium illud concedi, & an Judex Ecclesiasticus potuit illud concedere, quin peccet contra Ecclesiæ mentem, & contra Edicta Regia?

R e s p o n s.

Verum quidem est, Jurisperitos quosdam Gallos contendisse, Monitoriorum usum locum habere tantum in causis criminalibus, non vero in caussis mere civilibus. Sed Auctores illi hallucinantur, ut Fevretus (*f*). *In omnibus fere*, inquit, *Regni supremis Senatibus observatur, in caussis civilibus, circa quas quis litem infert & persequitur, Monitoriam peti posse in probationem distractionum & spoliationum, ut asserant, bonorum hæreditariorum, mobilium, Tabularum, & chartarum hæreditatis vel societatis litigiosæ*. Quod Auctor ille comprobat, 1. Decreto supremi Senatus Parisiensis, dato in gratiam Francisci Dvoot, die 15. Martii anno 1600. quod dejecit Didieram Milleton a Selougey ab appellatione in abusu dicendi juris ad superiorem judicem, quam provocaverat, ob ejusmodi Monitorium, eumque injuriarum damnavit, & multam imposuit. 2. Decreto Senatus Divionensis dato 5. Octob. 1600. 3. Alio Decreto Senatus supremi Parisiensis, dato die 7. Maji 1604. in gratiam Petri Yvonis, contra Præfectos & Scabinos urbis Castillionis: quæ omnia Edicta auctoritate sua comprobant Monitoria in caussis mere civilibus. Bacquetus (*g*), laudatus ab eodem Fevreto (*h*), profert quoque simile Edictum Senatus supremi Parisiensis, datum 9. Julii 1592. confirmans sententiam Tribuni Capitalis Parisiensis, quod auctoritate sua comprobat concessionem Literarum Monitorialium, eo casu de quo agitur; & denique Bouvotus (*i*) aliud simile laudat quoque, datum a supremo Senatu Divionensi, die 28. Novemb. 1611.

(*f*) Fevret. Tract. du Abus, l. 7. c. 2. n. 30.
(*g*) Bacquet. Tract. de jur. Just. c. 7. n. 31.
(*h*) Fevret. cit. ib. n. 32.
(*i*) Bouvot. to. 2. v. Monitiones q. 2.

Nullatenus tamen Ecclesiæ animus est ejusmodi Monitoria concedere, nisi ob res magni momenti & extraordinarias, *non alias quam ex re non vulgari*, ut Concilium Tridentinum loquitur (*k*). Idcirco Romæ Papæ Vicarius nunquam ejusmodi Monitoria concedit, nisi jactura, vel detrimentum, de quo est querela, sit saltem pretii centum & quinquaginta libr. ut Fevretus observat, *dummodo petentis usque ad ducatos 50. intersit*. Si igitur aliquis susciperet alicujus excommunicationem persequi ob rem levis momenti; cum Gersone loquente in Concilio Rhemensi anno 1408. quis posset hanc comparare cum eo, qui *ut muscam abigeret a fronte proximi, ictu securis excerebravit eum*. Ideoque Fevretus in medium profert Decretum Senatus supremi Parisiensis, datum 24. Julii 1601. quod pronunciavit abusu irritum Monitorium a Michaele Laudineo impetratum, in caussa, in qua agebatur tantum de triginta & trium librarum summa.

(*k*) Concil. Trid. sess. 25. c. 3. de refor.
(*l*) Fevret. loc. cit. n. 26. in fin., & 35.

Ergo officium & proba conscientia Judicum sæcularium, qui conquerenti permittunt Monitoria istius generis impetrare, & Judicum Ecclesiasticorum qui illa concedunt, ut accurate expendant an detrimentum de quo agitur, magni momenti censeri debeat, & id facile satis est cognitu, ex circumstantiis generis & bonorum eorum qui Monitorium petunt: quæ nisi observent, gravissimum peccatum committerent. Ergo juxta principium illud uterque Judex se gerere debet, circa Monitorium a Parrhasio petitum.

C A S U S XXV.

Geminius, S. Odillæ Presbyter, pridie diei Dominicæ Passionis, ab Officiali accepit Monitorium, quod minitatur excommunicationem *ipso facto*, iis omnibus, qui diebus sex proximis post tertiam promulgationem, non denunciaverint quod ipsis notum est, circa facinora in Monitorio contenta. Geminius illud prima vice promulgavit, & die Dominica palmarum secunda vice: sed dubitat an teneatur id ultimo promulgare die Paschatis. Quid ipsi suadendum est hac de re?

R e s p o n s.

Verum quidem est, Sacerdotem non posse sine imperii detrectatione, recusare promulgationem Monitorii, quod ad eum missum est ab Episcopo vel ab Officiali, vel ejus promulgationem intermittere, prima promulgatione facta, nisi ex mandato alterutrius; aut nisi id ab ipso petierit ille qui Monitorium impetravit; vel denique nisi eum impediat intercessio legitime ipsi denunciata; sed tamen Ecclesiæ ingenium & animus non est, ejusmodi promulgationem fieri die Paschatis vel Pentecostes, nec die Natali Domini nostri, cum Festum illud est die Dominica, præsertim cum tertia illa promulgatio denunciat excommunicationem, *ipso facto*.

Quapropter credimus Sacerdotem existimare debere, superioris mentem esse, ut dies illæ sanctæ excipiantur, nisi specialiter id præcipiat superioris Mandatum.

Ratio est, non decere diebus illis, quibus Ecclesia occupatur gaudio spirituali, quod ipsi affert complementum maximorum Religionis mysteriorum, immiscere dolorem, afflictionem acerbissi-

bissimam imminutione, corporis sui, & membrorum suorum condemnatione quorum salus ita ipsi cordi est. Id quoque in Provincia Ecclesiastica Mediolanensi observatur, ubi nunquam promulgatur Monitorium, sine Episcopi distincto mandato diebus Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Festi Corporis Christi, & aliorum Festorum solemnium & anniversariorum, ut patet ex quarto Concilio, quod ibi habuit Sanctus Carolus anno 1576. *Cum vero*, inquiunt Concilii illius Patres, (*a*) *pro ratione præscripta aliquando concedentur* (excommunicationum literæ;) *ne tamen in sanctissimis his diebus, in Nativitate scilicet Domini, Paschate resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in celebritate sacri Corporis Domini, & aliis anniversariis solemnioribus diebus, ullo modo promulgentur; nisi Episcopus aliter censuerit.* Illud decretum quædam aliæ Ecclesiæ adoptarunt; præsertimque Ecclesia Andegavensis (*b*), ubi consuetudo est promulgationem illam in diem sequentem differre, ut fidei Christianæ Capitum explanatio differtur.

(*a*) Conc. Mediol. 4. p. 3. tit. 6. de foro Episcopali.

(*b*) Statuta Synodalia Andeg. ann. 1651. art. 6.

CASUS XXVI.

Lazarus litem habet cum Gualterio, eumque accusat ipsi præripuisse sex millia librarum, schedulis. Habet quidem argumenta sufficientia ut eum convincat: sed ut ab Ecclesia plectatur, ut & a Judice sæculari, hac de re Monitorium ab Episcopo petit. An id ipsi concedere debet Episcopus?

Respons.

Si certo noverit Episcopus, Lazarum facile & absque Monitorii ope Gualterium furti convincere posse, Monitorium petitum concedere non debet. Ratio est, quia Ecclesia Monitoria concedit tantum ut probationes suppetant, hoc est, ut testium denunciatione ad veritatis cognitionem perveniatur, circa factum de quo conqueritur ille, qui Monitorium petiit. Ita ut, cum in casu proposito Lazarus Ecclesiam in errorem velit deducere, ipsius auctoritatem absque necessitate adhibendo, adversus Ecclesiæ mentem & ingenium peccaret Episcopus, si auxilium illud extraordinarium ipsi concederet, cum ipsi aliæ sint viæ sufficientes, ut impetret Gualterium condemnari ad resarciendum damnum, quod furto suo Lazaro intulit.

Decisio illa plane consentanea est edicto dato circa Jurisdictionem Ecclesiasticam, mense Aprili 1695. (*c*) Hujus hæc sunt verba: *Archiepiscopi, Episcopi, eorumque Officiales, Monitoria decernere non poterunt, nisi ob crimina gravia, & scandala publica. Nostrique Judices Monitoriorum promulgationem non mandabunt, nisi in iisdem casibus, & cum probatio aliter suppetere non possit.*

(*c*) Edict. ann. 1695. art. 26.

Senatus Supremus Parisiensis, diu jam ante Edictum illud, duobus Decretis pronuntiaverat, die 24. Decembris 1532. & die 15. Aprilis anno 1567. a Papone allatis (*d*), Monitoria nulla complecti debere facta, quorum veritas tabulis probari possit, quæ si desint, testes suffici possunt. Unde sequitur Decisionem nostram consentaneam pariter esse regulis Canonicis, Decretis & Jurisprudentiæ Edictorum. Vide Casum sequentem.

(*d*) Papon. l. 18. t. 7. 11. 12.

CASUS XXVII.

Odilon quispiam viginti nummos aureos furatus est. Ille Monitorium impetravit in eos omnes, quibus notum est facinus; cujus ibi fit mentio, vel qui illud ab aliis audiverunt. Joannes a Petro audivit Paulum nummos illos furatum esse eo præsente; an teneatur ex conscientia, & sub pœna excommunicationis, ire denunciatum, quamvis probe noverit Petrum denunciasse?

Respons.

Eo casu Joannes non tenetur retegere quod a Petro audivit. Ratio est, quia ejusmodi denunciatio omnino inutilis esset, ut furtum retegeretur, & quoniam inde magis explorata notitia Judici non afferretur: *Cum jam revelavit is, a quo didicisti; non teneris amplius revelare*, inquit Bailus (*e*), *nam Judex ex eo testimonio certior fieri potest:* Inde fit ut Ecclesiæ nullatenus sit mens, eo casu adstringere ad revelandum, quandoquidem factum certius inde non evadit.

(*e*) Bail. de examine pœnitentium P. 2. q. 68. p. 476.

Ea decisio, ut observat Eveillon, in tractatu suo de excommunicationibus & Monitoriis, nititur hoc principio; Nimirum, Monitorium nunquam concedi, vel promulgari debere, nisi *in subsidium*, hoc est, tanquam auxilium necessarium ad veritatem retegendam, & cum alia argumenta desunt. Ita ut, cum veritas cognosci potest, & damnum illatum resarciri potest viis ordinariis, aut aliis legitimis rationibus, Monitoria adhibere non liceat, nec excommunicationem subsequentem: Alias enim Ecclesiæ auctoritate abuterentur, illamque profanarent, cum eam contra ejus mentem, & absque necessitate adhiberent. Ea est Dominici Soti sententia, ait quippe (*f*): *Excommunicatio non habet locum, nisi ubi alia non est via possibilis; puta quando furtum ab occulto fure factum est. Quando vero vel in foro civili, vel alia sæculari via res potest transigi; certe fas est per potestatem spiritualem, qua homo privatur, suffragiis spiritualibus procedere.* Hoc autem Concilio Tridentino nititur (*g*).

(*f*) Dominic. Sot. in 4. dist. 22. q. 1. art. 3. conclus. 4. §. Inter hæc.

(*g*) Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de ref.

Evidenter autem patet, quod, sicuti diximus, Odilon conquerens, & cui concessum est Monitorium, nullum commodum ex Joannis denunciatione ducere potest; quandoquidem, ut supponitur, Petrus jam denunciavit quod ab eo Joannes audivit; ac ideo Joannes nequaquam tenetur, in specie proposita, revelare. Vide Casum præcedentem.

CASUS XXVIII.

Pelagius, excommunicatus, nominatim denuntiatus, lethaliter vulneratus est in Sylva a Latronibus, ad Judicem Regium confugit, rogans inquiri de facinore, & ipsi liceat Monitorium in Latrone impetrare. An id ipsi permittere potest Judex; si vero mandet Monitorium promulgari, an Ecclesiæ Judex potest, vel debet id illi concedere?

Respons.

Qui in Ecclesiam publice rebellis est, & maluit ab ipsius corpore, tanquam membrum putridum exsecari, quam ei obedire, ejus protectionem vel auxilium nequaquam meretur, ut observari potest ex Decretali, quam Gregorius IX. inscribit ad Archiepiscopos Toletanum & Compostellanum (*h*), & ex isto alterius Papæ eximio effato; *Indignum est eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari.* (*i*) Et ex isto alio Clementis III. (*K*) effato: *Cum frustra Ecclesiæ imploret auxilium, qui committit in ipsam.* Unde concludi debet, quod quamvis Judex civilis, præ errore vel dolo, Pelagio permisisset curare Monitorium promulgari, Episcopus, vel Judex Ecclesiasticus nequaquam potest Pelagii supplicem libellum excipere, & Monitorium concedere cum eum spectare debeat solummodo tanquam Ethnicum, juxta hæc Servatoris verba (*l*): *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*; non vero sicut subditus, qui ullo Ecclesiæ auxilio dignus sit.

(*h*) Greg. IX. in C. Immunitatem. fin. de immunit. Eccles. l. 3. tit. 39.

(*i*) Magis. I. in C. Sacerdotibus, a nec Cler. vel Monachi lib. 3. tit. 50.

(*k*) Clem. III. in C. In Audientia 25. de sent. Excom.

(*l*) Matth. 18. 17.

Decisio illa consentanea est cum Decreto quod S. Carolus condidit in quarto suo Concilio Provinciali, habito Mediolani anno 1576. (*m*) quo vetat hanc ce gratiam ulli excommunicato concedere. *Excommunicationum literæ non concedantur .... cuiquam excommunicato, aut manifeste, aut notorie criminoso.* Id vetantur quoque Concilii Tolosani Patres, habiti anno 1590. (*n*) *Nullæ, in excommunicati aut perditi, scelestique hominis gratiam .... excommunicationes decernantur.* Ex quibus verbis videre est, Concilium illud jure merito accensere peccatores publicos inter excommunicatos, hoc respectu, Quandoquidem utrique Monitorium petere

(*m*) Concil. Mediol. 4. tit. de foro Episcopali.

(*n*) Conc. Tolos. p. 4. c. 1 n. 6.

tere

tere non possunt, juxta ingenium Christianæ Religionis, nisi ut impellant, censurarum ope, reos ad jus tribuendum proximo debitum, & ut eorum conversionem promoveant. Quomodo autem istius generis homioes animo tam æquo ducerentur, dum ipsi ialutem suam nequaquam cotant, & vitam agunt in statu ita deflendo? Hæc est observatio Auctoris Glossæ in Decretal m, quam Innocentios Tertius (a) inscribit ad Præsules Galliæ. *Qualiter enim moveretur homo ad correctionem alterius, qui nondum est correctus?* Id Auctor ille mutuatus est a libro decimo quarto Ethices S. Gregorii (b), dicentis: *Quid est quod in alteriora scelera iaflammatur, & tamen prius ipse prosteraitur? nisi prius paugaadi sant, per qaos alioram culpæ feriantur, ut ipsi jam mundi per altionem veaiant, qui aliorum vitia corrigere festinaat.* Propter hoc effatum Cœlestinus III. ait (c): *Testes publico jure possant propter iafamiam a perbibendo testimonio removeri.*

(a) Glossa in Cap. Novit. 13. de judiciis v. ejus exemptio.
(b) S. Greg. in can. Qui sint. 53. q. 7.
(c) Cœlestin. III. in capit. Præterea 7. de testib. cogend. l. 2. t. 21.

CASUS XXIV.

Polous, Civis Lingonensis, Dolam se recepit, audivitque Lingonis, promulgatom fuisse Monitorium circa crimen, de cujus circumstantiis multa dicere potest momentosa. An tenetur, etiam absens, quod novit retegere?

Respons.

Species sic exposita multa complectitur ambigua, quæ elucidare necesse est, ut tuta sit decisio.

1. Cognoscendum est, an Polgus Dolam se receperit, ut ibi habitet, & an in perpetuum sedem ibi fixerit; anve illuc se contulerit ob quædam negotia & ad quoddam tempus solummodo.

2. Supposito, eum ibi sedem fixisse, an jam ibi habitet: vel an etiamnum in Diœcesi Lingonensi degat.

3. An die, qua Lingonis exivit, ot Dolam se conferret, ibi habitaturus, Monitorii promulgatio jam inchoata fuerit, vel an prima promulgatio inchoata fuerit tantum post ejus exitum e Diœcesi.

4. An criminis illius sit insons, circa quod promulgatum est Monitorium; vel an ejus sit conscius.

His suppositis, Respondemus 1. Quod si Polgus Dolam se receperit, tantum ob quædam negotia, & ad quoddam tempus, semper subditus censetur Jurisdictioni Episcopi Lingonensis, si antequam e Diœcesi exiverit, prima monitio inchoata fuerit: ideoqae tonetur eo casu ire revelatum. Si vero post ejus exitum e Diœcesi Lingonensi inchoata fuerit Monitorii promulgatio, omnesque in judicio formulæ & actiones habitæ fuerint, dum a Diœcesi aberat, revelare non teneretur, & non incurreret excommunicationem post tres monitiones contorquendam. Ratio est, quoniam Monitorii promulgatio est actus Jurisdictionis, qui obligare potest eos solummodo, qui territorio degunt, hoc est, in Diœcesi, extra quam nulla est Episcopo potestas, at alibi probamus ex isto juris effato, quod comprobavit Bonifacius VIII. *Jus extra territorium dicenti non paretur impune.* (d) Et Innocentius IV. (e) Unde sequitur Parisiis domiciliom habentem, qui Rotomagam se conferens, Meduntæ duabos vel tribus diebus commoratur, ibique audit Monitorium ab Episcopo Carnutensi decretum promulgari, de facto, cujus nollatenus est particeps, non teneri quiddam retegere eorum, quæ novit circa hoc factom; quandoquidem subditus non est Episcopi Carnotensis Jurisdictioni; cum in ejus Diœcesi nullum acquisiverit domicilium, cumque innocens sit, prout supponitur, facti de quo agitur.

(d) Bonifac. VIII. in cap. Ut animar. 2. de Constit. in 6. l. 1. tit. 2.
(e) Inn. IV. in c. Romana 5. de sentent. excom. in 6.

2. Si tamen ille Lingonas reversus fuisset, ante elapsum tempus præfixum tertia Monitorii promulgatione, teneretur Monitorio obtemperare, si rei actæ certiot esset factus.

3. Si prima monitio promulgata fuerit, antequam Lingonis exiverit, ac deinde sedem Dolæ in perpetuum fixerit, eo etiam casu teneretor denunciare, circa facta in literis Monitorialibus contenta, etiamsi tonc in alia Diœcesi domicilium haberet. Ratio est, quoniam satis est, eum subditum fuisse Episcopi Lingonensis jurisdictioni, eum prima monitio promulgata est. Jos enim cum civile tum Canonicum requirit, caosam quamlibet dirimi in loco ubi inchoata est. *Si quis posteaquam in jus vocatus est, miles, vel alterius fori esse cœperit in ea causa jus revocandi forum non habebit*; inquit Ulpianus in quadam Lege Digestorum (f): de quo Glossa ait (g) *sufficit ergo tempore citationis vocatum esse de foro vocantis: id est de foro ejus, ad quem vocatur.* Marcellus alius Celeberrimus Jurisconsultus Romanus, dicit etiam in alia Lege (h), *ubi acceptum est semel judicium, ibi & finem accipere debet.* Cujus idem Jurisprudentiæ caput probat alia Lege; (i) Et jus Canonicum circa hoc caput consentit cum jure Romano. *Proposuisti nobis*, inquit Gregorius IX. (K) *quod quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii sui, a te legitime citatus ad causam; quia postmodum Jurisdictionis alterius esse cœpit, suum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ debitam esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab altero jam prævenatus:* Circa quæ Glossa ait: (l) *Sic ergo patet, quod per solam citationem perpetuatur Jurisdictio tam ordinarii, quam delegati.* Id Glossæ illius Auctor probat duabus Legibus, quas jamjam laudavimus, & quinqoe aliis Paparum Decretalibus.

(f) L. Si quis 7 ff. de judiciis 5. tit. 1.
(g) Glossa in dicta Leg. v. Non habebit.
(h) Leg. Ubi 30. eod. tit.
(i) Cujus in l. Datio 3. ff. de actionib. emp. & vendit. §. fin. l. 19. tit. 1.
(K) Greg. IX. in c. Proposuisti. 19. de foro compet. l. 2. tit. 2.
(l) Glossa in can. Proposuisti. v. Citatus

Juxta autem hypothesim illam, Polgus Episcopi Lingonensis jurisdictioni subditus foret, prima monitione canonice omnibus urbis Incolis promulgata: quæ monitio reipsa est vera in jus vocatio eorom omnium, quibus notum est factum, cujus in Monitorio mentio fit, causamque eorum respectu Episcopi Tribunali alligat. Eo casu igitur necessario teneretur huic obedire, quamvis alio in perpetuum se receperit, quandoquidem sola prima monitione unusquisque ex conscientia tenetur Ecclesiæ mandaris satisfacere, quin secunda tertiave monitione opus sit.

4. Si Polgus Auctor sit, vel conscius criminis illius, quod ut puniatur, promulgatum est Monitorium, tenetur huic obtemperare; quamvis impetratum & promulgatum fuerit, post ejus exitum e Diœcesi, ubi illud patraverat, & ubi domicilium habebat; si ad tempus tantum quoddam absens fuerit, quin sedem fixisset in alia Diœcesi, ubi nunc degit: Si vero Monitorio non obtemperet, ubi primum ipsi notum est, excommunicationem ab Episcopi auctoritate contortam incurrit. Hoc enim si ita non foret, quilibet facinorosus excommunicationes justissimas facile subterfugere posset, in aliam Diœcesim consulto se recipiens, quandoquidem ibi plecti non posset ob crimen quod in ea Diœcesi non patrasset, ibi enim domicilium non habebat. Eo igitur sensu hæc juris sententia locum habet; *ubi delictum, ibi forum*, quam sententiam auctoritate sua comprobant Decreta Ruscinonense, (m) & Molinense (n). Ideoque hicce reus ab Episcopo loci, ubi patratum est crimen, plecti potest, ut alibi probamus.

(m) Decr. Ruscinon. art. 7.
(n) Decr. Molin. art. 35.

Ceterum, in iis omnibus, quæ diximus, supponimus, Polgum Christianom esse: Si enim Christianus non foret, plane aliter ratiocinandum esset; cum constet, eos omnes, qui Christiani non sunt, non teneri vi Monitorii ea, quæ circa factum quodpiam norunt, revelare, quantilibet sint momenti; ad id tamen aliunde teneri possunt aliquando, ex jure naturali.

Vide Excommunicationem.

MONO-

MONOPOLIUM.

Reperiuntur, tam in Digesto, quam in Codice & in Institutis Justiniani tres Tituli, qui de MONOPOLIO variisque eorum speciebus agunt, quique ea severe condemnavit (*a*).

Vox, *Monopolium*, in sua origine odiosa non erat, & nihil aliud denotabat quam consilium, quod unus homo aut plures simul capiebant de emenda aut vendenda, privatim, quadam mercis specie pro pretio, quod revera tunc obtinebat. Eumdem sensum ei voci assignat Polmanus in definitione sua (*b*): *Monopolium est machinatio unius, pluriumve Mercatorum ut in unum conspirans, ut ipsi soli vendant, emantve pretio licito.*

Verum illa vox sensu odioso hodie usurpatur: hoc est ad significandam conventionem factiosam & illicitam, quæ a pluribus Mercatoribus unanimiter fit, sive consilium, quod ab uno viro initur, de mercibus non emendis, nisi certo pretio, ut vendi queant pretio multo majori, in magnum detrimentum populi, ac præsertim pauperum, qui ad eos confugere coguntur, ut eas emant in inopia, qua laborant. Hæc est ejus descriptio qualis a Martino traditur, in suo Lexico Philologico (*c*), *Monopolium dicitur, cum unus solus aliquod genus mercaturæ universum emit, ut solus vendat, pretiumque suo modo statuat, vel plures simul idem facere, quo carius vendant.*

Monopolium quoque vocatur conventio qua, exempli gratia, Opifices vel Artifices cujusdam Urbis, simul assignant modo fixo mercedem eorum labori & operæ, pro lubitu suo, & minorem mercedem recusant; aut inter se constituunt, quod nullus eorum operam ab alio inchoatam perficiat. Hæc Monopolii species prohibita fuit sub pœna exilii perpetui, & bonorum confiscationis Præscripto Francisci I. dato Villeriæ ad Cotiam mense Aug. 1539. Qua in re Princeps ille se omnino conformavit Legibus ab Imperatoribus Romanis latis, quæ iisdem pœnis afficiebant eos, qui simile peccatum admittebant. *Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere*, inquit una ex Legibus illis, *bonis propriis spoliatus, perpetuitate damnetur exilii* (*d*).

Quibus addi potest alia Monopolii species, quam admittunt Mercatores, quum fraude impediunt, quominus certæ quædam merces, aut cibaria aliunde adveniant, eum in finem, ut carius vendant ea quæ ipsi habent, quod Leges Romanæ etiam prohibent sub magnæ mulctæ pœna (*e*).

Monopolium etiam exerceri potest, alia ratione arcana, quum nempe quæpiam res Judicum Decreto venditur, sit tunc ille, qui eam habere cupit, pecuniæ summam alii tradat, ut eum cohibeat quominus contra se licitetur. Sicuti id observat Carondas, qui Curiæ Decretum refert, a quo illa praxis injusta, ut Monopolium damnatur, quodque latum est 26. Nov. 1569. (*f*).

Verumtamen, Monopolium licitum est quibusdam privatis, quibus Princeps licentiam concedit, ut soli, exclusisque omnibus aliis, vendant quasdam merces, quas e Regionibus longinquis advehi curaverunt, aut alias res, quas invenerunt, in publicam necessitatem, vel utilitatem; ut scilicet privilegium, quod ipsis a Principe conceditur, sit ipsis loco mercedis, quam promeriti sunt ingenio aut industria sua, & impensarum sumptuumque, quos in antecessum fecerunt.

Monopolium injustum, quod a privatis exercetur absque Principis auctoritate, & ut opes comparentur populi damno, ac præsertim pauperum detrimento, est crimen valde indignum, & detestandum. Quapropter illi qui tale peccatum admittunt a S. Raym. *Belluæ Nefandæ* vocantur, eosque detestandos esse idem affirmat. *Illos .... credo tanquam nefandas belluas, detestandos, qui ea intentione emunt res venales & præcipue victualia, ut de talibus caristiam inducant* (*g*).

(*a*) ff. lib. 48. c. 12. eod. lib. 4. t. 59. instit. lib. 4. §. fi.

(*b*) Polm. p. 2. n. 616.

(*c*) Mart Lexic. Philolog. pag. 35. Edit. Amstelod. an. 1701.

(*d*) L. Jubemus unic. cod. de Monopoliis & c. lib. 4. t. 59.

(*e*) L. Lege Julia t. ff. de L. Julia, de annona lib. 48. tit. 12.

(*f*) Carondas, lib. 4. Resp. 1.

(*g*) S. Raym. lib. 2 t 7 de usur. & pign. §. 6.

CASUS PRIMUS.

CLEONICUS, & VINCENTIUS, divites Mercatores, simul coemerunt mense Novembris omne fere frumentum loci in quo degunt, & locorum vicinorum, eum in finem, ut postea adigerent privatos, qui illud rerum angustia vendidere, ad illud denuo a se emendum, præsertim per tres, aut quatuor menses, qui messem antecedunt, in quo tempore frumentum vulgo carius venit. Attamen illud ipsis non vendunt, supra pretium justum, quod Theologi summum vocant, neque consilium communicant cum ullo alio Mercatore, ut carius vendatur. An ea in re peccant, & an ad aliquam restitutionem tenentur?

RESPONSIO.

Antequam difficultati propositæ respondeamus, tenendum est, quod illud, quod Monopolium vocatur, est tantummodo consensio, sive conspiratio plurium cujusdam Urbis aut Pagi Mercatorum, qui inter se paciscuntur de non ab aliis emendis mercibus, nisi certo pretio, quod ipsimet præfiniunt, aut de non iis vendendis, nisi pretio, quod justum earum valorem superat, & de iis alterandis & de iis tradendis emptoribus,

bus, nt sunt natura sua. *Primo*, inquit Sylvius (*a*), *quando Mercatores conspirant, ut nullus eorum emat supra certum pretium, quod ipsim statuunt; neque ullus vendat infra pretium, de quo etiam ultra summum ipsi inter se conveniunt: quod pretium, si sit ultra summum vulgare pro venditoribus, aut infra infimum pro emptoribus; non solum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam, teneturque ad restitutionem, imprimis quidem ille, qui sic emit, vel vendidit, eo autem deficiente, omnes conspiratores in solidum, si æqualiter fuerint cooperati in Monopolium.*

(*a*) Fr. Sylv. in a. 2. q. 77. art. 1. quæsit. 2.

Hoc ita primum posito, affirmamus, quod Cleobulus & Vincentius committunt verum Monopolium, non modo charitati, sed etiam justitiæ contrarium; & quod per consequens tenentur ad reparanda omnia damna, quæ creaverunt illis, qui coacti fuere ad emendum ab ipsis frumentum pretio majore eo, quo emissent absque eorum Monopolio. Nam licet supponatur illud frumentum ab ipsis non vendi supra summum pretium, quod tunc vulgare est, attamen constat illud carius ab ipsis vendi quam venditum fuisset, si communi consilio, & eum præcise in finem ut carius venderetur, ab ipsis coacervatum non fuisset. Ratio quæ hujus decisionis tradi potest, hac juris regula a Greg. IX. usurpata innititur (*b*), *Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*; & hoc etiam generali S. Thomæ axiomate: *Dare alicui occasionem periculi, vel damni, semper est illicitum... & tenetur venditor ad damni recompensationem*. Negari autem non potest, quin Cleobulus & Vincentius, dum præsumunt & auferunt omne fere tractus sui frumentum eum in finem ut illud carius iterum vendant, & illo Monopolio penuriam in regionem inducunt, auctores sint damni, quod privati patiuntur; siquidem, ut superius diximus, certum est quod si per ipsos non fuisset, frumentum viliori pretio venditum esset. Igitur coram Deo tenentur ad restitutionem totius damni, quod emptoribus creaverunt. Atque ad hanc injuriam reprimendam Leges absolute prohibuerunt omnia Monopoliorum genera, & ad perpetuum exilium cum bonorum amissione seu confiscatione conjunctum, omnes qui illud crimen patrabant, damnavere (*c*), *Jubemus .... inquit Zeno Imperator, ne quis illicitis habitis conventionibus conjuret, aut paciscatur, aut species diversorum corporum negotiationis, ne minoris, quam inter se statuerunt, venundentur... Si quis autem Monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilii*. Hæc sunt verba, quibus utitur Imperator Romanus in quadam ex Legibus Codicis Justiniani, quam jam in discursu præliminari retulimus, cum quibus consentiunt omnium fere Principum Præscripta.

(*b*) Greg. IX. in c. Si culpa fin. de injur. & damno dato, lib. 5. t. 36.

(*c*) L. Jubemus, Cod. de Monopoliis &c. lib. 4. t. 59.

CASUS II.

Operarii conductitii cæmentariorum qui hoc ipso temporis spatio in Urbe Turonum adsunt in unum coiverunt, & inter se convenerunt, 1. Quod nullus ex illis in futurum pro Magistria opus facerer, nisi vice 15. assium, quos singuli unoquoque die mereri solebant, sibi in posterum 20. dentur. 2. Quod nemo eorum opus ab alio inceptum absolvat. Operæ conductitiæ sartorum, & ligni Fabrorum Minuariorum idem consilium cepere. An ista praxis monopolium redolet, & ut peccatum damnanda est?

RESPONS.

Illud hominum genus verum monopolium committit, & pacto suo illi injuria afficiunt operum Magistros, & consequenter eos qui ipsis opus perficiendum dant, in eo quod illi coguntur majus pretium operum ab illis exigere, quoniam illi operarii conductitii inter se machinati sunt de exigenda quarta parte mercedis supra eam, quam antea lucrari solebant. Unde sequitur, quod tenentur ad reparationem damni, quod creaverunt, prout docet Sylvius dum eo monopolii genere verba facit (*d*). *Ad monopolii peccatum*, inquit ille, *etiam spectat, quod Opifices conspirant, ne opus ab uno inchoatum alter perficiat*. Quapropter ejusmodi coitiones, conventiones & conspirationes Opificum justa de causa damnatæ sunt Præscripto Francisci I. Villeriæ ad Cotiam lato mense Aug. 1539. (*e*) *interdicimus*, inquit ille Princeps, *omnibus supradictis operum Magistris, & simul sociis conductitiis, & famulis omnigenarum artium, quominus ullas faciant congregationes, aut coitiones sive parvo, sive magno numero, quacumque causa seu occasio ipsis detur: & quominus ulla exerceant monopolia, aut ullam habeant aut accipiant inter se consiliorum communicationem in factis ad ipsorum artem pertinentibus, sub pœna confiscationis corporis & bonorum*. Quod cum Jure civili Romanorum plane consentit, a quo nempe ad eamdem pœnam damnantur illi, qui quodvis monopolii genus exercent (*f*): *Ædificiorum quoque artifices, vel ergolabi* (id est, *Redemptores operum*, inquit Glossa,) *aliorumque diversorum operum professores, & balneatores penitus arceantur pacta inter se componere, ut ne quis, quod alteri commissum sit opus impleat, aut adjunctam alteri sollicitudinem alter intercipiat: data licentia unicuique ab altero inchoatum & derelictum opus per alterum, sine ullo timore dispendii implere .... Si quis autem &c.* Hujus Legis reliquum in fine præcedentis decisionis occurrit.

(*d*) Fr. Sylv. in 2. 2. q. 7. art. 1. quæsito 2. in fine.

(*e*) Præscript. Villeriæ ad Cotiam a. 191.

(*f*) L. Jubem. sup. cit.

MOS VESTIUM.

MOS est vox, quæ vulgo usurpatur ad designandam celebritatem sive communem usum, quem consensus fere generalis alicujus gentis, aut Regionis, conciliat quibusdam rebus, quæ ad modum vestitus aut ornatus pertinent. Eo in sensu dicitur, eo more, vel ad morem vestire se, capitis tegmen disponere: Atque eodem plane in sensu, vox *Mos* a nobis hic usurpatur.

Cæsar a Rupeforti rem actu tetigit, cum dixit, quod mos nulla alia ratione innititur, nisi ea, qua Rex in Edictis suis utitur; *Sic volumus, tale est beneplacitum nostrum*; Siquidem mos nullum aliud habet fundamentum nisi voluntatem eorum, qui ipsi obsequuntur.

Varii vestium modi non nunc primum in Orbem intromissi sunt. In Athenæo legere est, quod ejus viri ævo Romani vestium modum mutavere; Et Svetonius in vita Cæsaris Augusti testatur, quod ille Imperator mandavit, ut ad

ut ad assentandum Legatis, quo Græci ad se miserant, Romani pallia Græcum in morem facta gestarent. Aristoxenus asserit quoque, quod Persæ præmia dabant illis, quibus melius succedebat in inveniendis novis se vestiendi & ornandi modis.

Licet fieri non possit, ut videamus omnes vanos hominum hujus seculi, ac præsertim mulierum & puellarum ornatus, quin hunc abusum coram Deo defleamus; attamen privatus absque temeritate illum reformare non aggrederetur, quoniam certissimum est omnem ejus operam perditum iri. Imo Sapientes usui vulgo recepto obsequi tenentur. Ante sexaginta annos, ille risum movisset qui, sicut Hispanus, petasum cujus forma demissa & plana fuisset, gestare auderet, & nunc e contra ille homo male sanæ mentis haberetur, qui petasum in acumen desinens gereret, prout tunc Parisiis, nobis testibus, omnes talem gestabant. Quod induxit Poetam nuperi seculi, ut diceret (*a*). *Mores sunt quidam usus, quibus Stulti & interdum Sapientes obsequuntur.* Sed mori recens invento nonnisi gradatim, & sero admodum morigerari debemus. Verum tamen a more plane recedere nequit ullus homo, quin singularem animi dispositionem ostendat; quam qui sequitur, omnibus ridendum se præbet. Testis sit Horatius in hisce versibus (*b*).

(*a*) De la Suze.

(*b*) Horat. Sat. l. 1. Sat. 1.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Nihil hic addemus de regulis, quæ circa mores observandæ sunt; quoniam sub titulo *Ornamentum*, explicabimus, quod hac de re scire operæ pretium est, secundum doctrinam Tertulliani, Sancti Cypriani, Sancti Augustini & Sancti Thomæ, ex qua ostendemus, quandonam & quibusnam in casibus peccent, qui ejusmodi mores inveniunt aut iis obsequuntur.

Vide (MISSA, *Cas.* DOROTHEA.)
(ORNANENTUM.)
(SINUS.)

MULCTA.

VOX mulcta duplici sensu usurpari potest. Primo sensu illa designat pœnam capitalem seu afflictivam, quæque consistit in publica reparatione, quæ Gallice *amende onerable*, Latine vero *ignominiosa traductio* vocatur, qua a Judice damnatur Reus, qui eam peragit nudo capite, collo laqueo constricto, simplici indusio vestitus, facem ardentem in manu gestans, a carnifice seu tortore deductus, quique in locis sibi præscriptis veniam petit criminis ab ipso patrari a Deo, a Rege, a Judicibus, & ab universo populo, ut & a Parte a se læsa, coram Ministris Justitiæ ad hoc præpositis. Hæc pœna natura sua infamiæ notam inurit. Hoc in loco de ea mulctæ specie non agimus.

Juxta secundum illius vocis sensum, mulcta vulgo significat pœnam pecuniariam, qua a Judice damnatur ille, qui hanc meritus est aliqua culpa sive delicto, quod commisit, quod etiam a Latinis *mulcta* vel *multa* olim vocabatur.

Hæc secunda mulctæ species, quæ hujus tituli argumentum suppeditabit, a primis temporibus in usu erat apud Græcos & Romanos. In Corpore Juris Civilis exstant tituli, qui a summo ad extremum continent Leges, quæ ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano & Theodosio latæ sunt ad præscribendas pœnas, quæ infligi debent illis, qui temere lites intentant; quique pertinaciter & sine causa illas sustinent. Reges quoque Franciæ ab omni tempore Statuta & Decreta hac eadem de re promulgavere. Recentiora sunt Edicta mense Augusti 1669. & mense Februarii 1691. lata, quæque præscribunt mulctas certis in casibus solvenda, sicut Curiarum Supremarum Decreta eas aliis in casibus præscripsere. Sed singulatim hæc omnia, quæ ad Forum solummodo pertinent, enarrare non aggrediemur.

Ergo hanc in rem hæc tantum observanda esse existimamus.

Primo, quod cum crimen secum infert mortem civilem, tunc uxor rei

non tenetur contribuere ad solvendam mulctam in maritum reum edictam. Cum extra casum mortis civilis mulcta assumatur ex bonis communionis.

Secundo, quod nulla mulcta in gratiam partis civilis adjudicatur, prout id olim fiebat, teste Imberto (a), sed solummodo civilia impendia vel interesse ipsi attribuuntur, quorum solutio debetur posthabita mulcta, quæ Regi adjudicatur, secundum Decretum editum 10. Martii 1660. (b).

(a) Imbert. l. 3. c. 1. n. 10.

(b) Diarium audientiarum to. 2. l. 5. c. 16.

Tertio, quod cum Ecclesia fisco careat, Judices Ecclesiastici non possunt cuiquam mulctam imponere, sed solummodo eleemosynam in quoddam pium opus impendendam.

Quarto, quod in negotio civili, quando plures mulctæ damnantur, singuli tantummodo pro parte sua tenentur, cum e contra in rebus capitalibus omnes rei in solidum teneantur.

Quinto, quod mulctæ irrogatio secum infert coactionem per corpus, exceptis 1. Illis quæ enuntiantur propter defectum Solutionis census, quoniam hæc mulctæ species non censetur pœnalis, sed solummodo dominialis, siquidem est emolumentum, quod a Consuetudinibus Dominis adjudicatur. 2. Exceptis illis, quæ promulgatæ sunt in eos, qui testimonium dicere recusaverunt, quoniam ut plurimum illa recusatio, quando cum pertinacia conjuncta est, comitem habet coactionem per corpus, quæ a Judice decernitur.

Sexto, quod cum semel mulcta edita est, qui ejus damnatur absolute tenetur ad eam solvendam, & ne quidem incarcerationem vitare potest, sub prætextu Beneficii cessionis bonorum.

CASUS PRIMUS.

Arnaldus, cum actio contra ipsum coram Judicibus intentata sit, propter crimen ab ipso admissum, condemnatus est a Judice inferiori mulcta pecuniaria, & aliquot impendiis civilibus, sententia de qua ille provocationem ad Curiam Parlamenti interjecit, quo facto supremum diem obiit, antequam sententia illa Decreto confirmata esset. An illa mulcta in conscientiæ foro debetur ab ejus Hæredibus?

RESPONS.

Arnaldi Hæredes tenerentur equidem ad illam mulctam solvendam, si ipso facto functus esset, antequam provocavisset; Sed cum in specie proposita Arnaldus ante obitum suum de sententia Judicis inferioris provocationem interjecerit, ad hoc non tenentur. Nam, provocatio sententiæ effectum suspendit, etiamsi petitio mulctæ pecuniariæ jam facta fuisset in jure, contra reum. Ratio est, quod omnis actio criminalis rei morte penitus cessat. *Non autem omnes actiones*, inquit Justinianus Imperator (c) *quæ in aliquem, aut ipso jure competunt, aut a Prætore dantur, & in hæredem æque competunt aut dari solent. Est enim certissima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem non competere, veluti furti, vi bonorum raptorum, injuriarum &c.* Exceptis tamen criminibus læsæ Majestatis Divinæ vel humanæ, duelli, sui ipsius homicidii, & Rebellionis contra Judices vi aperta, quando reus ibi interfectus est (d).

(c) Lib. 4. Inst. tit. 1. t. 25. de perpetuis & temporalibus action. &c. §. Non autem.

(d) Decret. Mensis Aug. 1670. tit. 22. art. 2.

Sed non idem dici potest respectu impendiorum civilium & reparationis damni aliquo crimine seu delicto, creati, quæque adjudicatur Parti læsæ sententia Judicis, quantumvis inferioris, *Furti quoque manifesti actio*, aut Justinianus Imperator (e), *quamvis ex ipsius Prætoris jurisdictione proficiscatur, tamen perpetuo datur. Absurdum enim esse existimavit, anno eam terminari.* Nam hæredes illius qui hoc damnum alteri intulit, de illo tenentur sine ulla exceptione, cujuscumque naturæ sit crimen, seu delictum; sive petitio de ea re in judicio facta fuerit in reum, etiam ante ipsius obitum, aut post tantummodo, in ejus hæredes; etiam si nullum emolumentum aut commodum ex eo delicto percepissent. Quoniam hæres in defuncti bona succedere non potest, quin simul se obliget ad omnia onera illius hæreditatis ferenda, secundum hæc verba Legis (f): *Hæredes onera hæreditaria agnoscere etiam in fisci rationibus, placuit.* Si quidem hæres ille unus idemque cum defuncto esse censetur (g), nec bona defuncti in ejus manus transire queunt nisi sub hac conditione: quod verum est, licet nulla fuerit actio intentata, aut petitio facta in Judicio contra eum, ante rei obitum, nec minus justum sit, ut onera hæreditaria, quorum tituli expressi contra defunctum non dantur, solvantur, dum ratione juridica probari queant, quam ea onera, quorum tituli extabant in ipsius obitus tempore: Cum præsertim homo non minus ex suis factis, quam ex suis verbis aut scriptis obligetur; cumque strictus adhuc erga quempiam obligetur actione quadam, quæ illi damnum infert, quam simplici suo promisso, aut scripto in alius gratiam cui ejusdem obligatio commoda foret.

(e) Inst. loco cit. §. Hoc.

(f) Leg. Pro hæreditariis a. cod. de hæreditariis act. l. 4. tit. 16.

(g) L. Hæres ff. de usurpat. & usu capionibus l. 41.

Expresse diximus; *Etiamsi ille hæres nullum emolumentum aut commodum ex defuncti delicto perceperit.* 1. Quoniam defunctus exinde emolumentum percipere potuit; si sit furtum, aut falsi crimen, aut aliud simile delictum, ex quo non sine ratione præsumi queat, auctam fuisse hæreditatem. 2. Quoniam si defunctus damnum quod intulerat ante obitum reparavisset, prout ad hoc tenebatur, hæres eo minus onus subiisset hæreditatem accipiendo; itaque haberi debet commodum, quod exinde ducit quasi lucrum ipsius respectu. 3. Quoniam si defunctus nullum exinde emolumentum percepisset, non minus tamen ad reparationem tenebatur; ac proinde bona, quæ moriendo reliquit, præstare debent damnum erga eum, qui illud passus est, in quascumque manus devenerint.

Adjunximus, *Licet nulla fuerit actio intentata, aut petitio facta in Judicio*. 1. Quoniam contingere potest, ut neutrum factum sit; quia sat cito agnosci non potuit, quod defunctus verus erat Auctor delicti & damni, quod ex eo ortum duxit. 2. Aut, si utrumque factum sit, suppeditari non potuerint probationes necessariæ ad eum convincendum, sicque actio juridica contra eum ante ejus obitum institui non potuerit. Atque hac eadem de causa Gregorius IX. in quadam ex Decretalibus suis (h) adigit hæredes cujusdam defuncti ad reparanda damna, quæ ante obitum suum creaverat. „Parochiano tuo, „ *inquit ille Papa*, qui excommunicatus pro mani- „ festis excessibus, videlicet homicidio, incendio, „ violenta manuum injectione in personas Eccle- „ siasticas, Ecclesiarum violatione, vel incestu, fuit, „ dum ageret in extremis per Presbyterum suum „ juxta formam Ecclesiæ absolutus, non debent „ cœmeterium & alia Ecclesiæ suffragia denegari; „ Sed ejus hæredes & propinqui, ad quos bona per- „ venerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, cen- „ sura sunt Ecclesiastica compellendi „. Quod etiam Alexander III. (i) in casu fere simili decreverat, in causa scilicet hominis, qui Ecclesiam incenderat, quique aliquod post tempus mortuus erat, da-

(h) Greg. IX. in c. fin. de sepulturis.

(i) Alex. III. in c. In litteris 5. de raptorib. & incendiariis &c. l. 5. t. 17.

damno; quod hoc crimine fecerat, non reparato, de quo ille Papa declaravit, quòd ipsius hæredes ad integram restitutionem compellendi erant: *Hæredes ejus moneas & compellas*, inquit ille, *ut his quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condigne satisfaciant, & sic a peccato valeat liberari*.

CASUS II.

Everullus intulit damnum centum scutorum argenteorum Giraldo, vastatione quam fecerunt ejus pecudes in illius hominis messe. Giraldus actionem in eum coram Judicibus intentavit, & ita fecit ut damnaretur ad illam pecuniæ summam sibi solvendas illas quinquaginta libras præter 100. scutatos argenteos, quos jam solvit, quibusque plene & summo jure satisfecit omni damno a suis pecudibus illato. Giraldus prætendit, quod hanc mulctam sibi arrogare potest, quoniam ipsi adjudicata est sententia contradictoria, de qua Everullus provocationem ad alios Judices non instituit. Everullus e contra contendit, quod non potest, illæsa justitia, accipere pretium majus illo, quod revera obtinet damnum ipsi illatum. *Quid juris.*

RESPOS.

Giraldus potest, illæsa justitia, recipere mulctam quinquaginta librarum, quæ a Judice decreta est in ipsius emolumentum. Nam secundum Sanctum Thomam (a), præter damnum illatum culpa etiam illius, qui hoc intulit, consideranda venit; cumque hæc culpa pœnam mereatur, Judex jure potest pronuntiare pœnam in eum qui eam admisit, & in gratiam illius, contra quem admissa est. *Sed quantum ad culpam*, inquit Angelicus Doctor, *adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio pertinet ad Judicem: Et ideo antequam sit condemnatus per Judicem, non tenetur restituere plus quam accepit, sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere*. Quamvis igitur verum sit, quod Everullus non teneretur in foro conscientiæ quinquaginta libras mulctæ Giraldo solvere, si a Judice ad hoc damnatus non esset, attamen ad hoc tenetur postquam sententia hac de re lata est: & Giraldus recte potest illam mulctam in proprium commodum convertere, licet damnum ipsi illatum eadem sententia jam plane reparatum sit.

(a) S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 3. in corp.

MULIER CONJUGATA,

Hoc in loco sex tantum quæstiones peculiares tractabimus.

Prima erit, de potestate, qua gaudet Mulier conjugata disponendi de propriis bonis, quæ Paraphernа vocantur, tam ex Jure Civili Romanorum, quam ex nostris consuetudinibus.

Secunda, de vinculo, quo se obstringit, dum se obligat una cum marito ad quæpiam debita solvenda.

Tertia, de necessitate in qua versatur, in quibusdam casibus, sequendi suum maritum, qui emigrat, ut in regione extera figat domicilium, & de rationibus, quæ eam hujus migrationis immunem præstare possunt.

Quarta, quomodo & quo in casu uxor potest plus Marito tribuere quam cæteris, aut maritus uxori: & an maritus semper ex conscientiæ legibus teneatur rationem reddere hæredibus uxoris suæ bonorum, quæ ipsi in dotem attulit, aut eorum, quæ ipsi obtigerunt ex donatione, successione, aut aliis modis.

Quinta, quænam sit mariti potestas, ex Consuetudine Normaniæ, respectu dispositionis bonorum mobilium uxoris suæ, & ad quid eo in casu teneatur.

Sexta tandem, an uxor quæ publicum mercium negotium exercet, se obligare possit erga alios Mercatores, sine viri sui auctoritate.

Videbuntur, in decisionibus, quas de illis controversiis dabimus, principia & regulæ, quibus has decisiones fulcimus Quapropter ejus rei mentionem hic facere plane inutile esset, nisi bis idem dicere velimus. Præterea legi possunt, quæ attulimus, dum de *Communitate bonorum*, quæ inter maritum & uxorem interest, agebamus.

CASUS PRIMUS.

Manlia, quæ Arnoldo nupsit, illi attulit in dotem omnia bona, quæ ipsa possidebat; nempe domum unam, viginti jugera terræ aratro inversæ, sex vinearum jugera, & duos Contractus quorum utriusque annua pensio est ducentarum librarum. Post matrimonium contractum, avunculus ejus eidem testamento legavit summam mille librarum, & præterea obitu unius ex ejus fratribus instituta est hæres annuæ pensionis trecentarum librarum. Potest ne salva conscientia, privata auctoritate, & inscio marito, disponere de illis bonis, quæ illi data sunt, matrimonio jam peracto, sive per donationem inter vivos, sive ex mortis causa, aut aliter, ita ut hæc bona non censeantur dotis argumentum?

RESPONS.

Illi difficultati respondere non possumus, nisi distinctione prius adhibita: Nam mulier conjugata varia bonorum genera possidere potest; hoc est, bona dotalia, & ea, quæ parapherna vocantur. Bona dotalia sunt ea, quæ secum attulit marito suo, ut illum adjuvaret ad onera, quæ maritis incumbunt sustinenda, quibusque per consequens ex suo jure ille gaudet ad hunc effectum durante matrimonio, secundum hanc Legem (b). *Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit. Cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere*. Bona quæ Græci παράφερνα dicunt, sicut Lex (c) loquitur, hoc est, *præter dotem*, sunt ea quæ uxor non affert in dotem marito, cui nubit, (res) *quas extra dotem habet* (d), sive expresse indicet ea tantummodo, quæ dare vult, sive declaret ea, quæ sibi servat, cætera omnia parapherna censentur (e). Hac bonorum distinctione primum posita, difficultati, de qua nunc agitur respondemus, dicendo quod Leges Romanæ mulieri conjugatæ concedunt potestatem disponendi, pro lubitu, de bonis suis paraphernis, ea propria ejus auctoritate, & sine consensu mariti, licet ipse ea bona in manu sua haberet. Unde sequitur quod si Manlia Arnaldi uxor degat in Regione in qua jus scriptum vigeat in alia Regione, in qua

(b) L. Dotis 7. ff. de jure dot. l. 23. t. 3.

(c) L. Si ergo §. 3. ff. eod. tit.

(d) L. Hac lege 8. Cod. de pactis convent. &c. l. 5. t. 14.

(e) Cit. Leg. Si ergo §. 2. & 3.

qua consuetudo hac in re juri scripto consentanea sit, tunc potest salva conscientia disponere, prout ipsi lubebit, de mille libris sibi ab avunculo suo legatis, & de trecentis libris annuæ pensionis quas hæreditate fratris sui adepta est. *Hac lege decernimus*, inquit Lex (*u*), *ut vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Græci παράφερνα dicunt, nullam, uxore prohibente, habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat. Quamvis enim bonum erat mulierem, quæ se ipsam marito committit, res etiam ejusdem pari arbitrio gubernari: Attamen, quoniam conditores Legum æquitatis convenit esse fautores, nullo modo, ut dictum est, muliere prohibente, virum in parapbernis volumus se immiscere.*

(u) Cit. Leg. Hac Lege.

Idem dici non posset, si Manlia, non expresse declaratis in Matrimonii instrumento iis bonis quæ marito afferebat, illi in dotem dedisset omnia bona sua præsentia & futura; nam eo in casu nullum bonum paraphernum sibi habere posset; & non modo omnia ea bona, quæ ipsi matrimonium ineundo attulisset, sed etiam quicquid illi contingeret ex successione, donatione, aut aliter dotale censeretur, de quo disponere non posset, ne quidem in Regione ubi jus scriptum vigeret, sine auctoritate & expresso mariti sui consensu, ut jam superius diximus, dum de dote verba faciebamus.

Sed si Manlia non ea degat in Regione, in qua Leges Romanorum observentur, oportet necessario, ut se conformet Juri a consuetudine instituto, quod vice Legis ibi fungitur.

CASUS II.

Emebertus, Mercator & Civis Parisiensis anno 1696. Beltradam uxorem duxit. Conditiones in contractu nuptiali contentæ hæ sunt, 1. Quod Beltrada ipsi attulit dotem 6000. lib. nempe Contractum Basilicæ Civitatis Parisiensis, cujus annua pensio est trecentarum librarum, octodecima usura, sors vero 5400. lib. & 600. libras præsenti pecunia. 2. Quod tertia pars in communionem veniet. 3. Quod Beltrada habebit 200. libras annuæ pensionis, quæ ipsi cedent in usumfructum ex bonis mariti defuncti. 4. Quod superstes sive ultimus moriens 1000. lib. præcipui obtinebit.

Emebertus a Rege accepit illius Contractus solutionem anno 1699. Sequenti vero constituit sub proprio nomine, in eadem Civitatis Parisiensis Basilica, summam 12000. librarum in duobus Contractibus æqualibus vigesima usura, nec declaravit quod 5400. libræ ad Beltradam pertinentes partem illius summæ efficiebant, & præterea tribus diversis Contractibus plures alias pensiones sibi comparavit.

Omnes illi Contractus in sequenti tempore a Rege redacti sunt ad usuram vigesimam quintam; vel denarium vigesimum quintum; adeo ut loco 700. lib. annui reditus, quas antea percipiebat; habeat tantummodo 456. libras annui reditus, ex sorte t 400. lib. Postea Beltrada matris suæ obitu hæreditatem 20000. libras adivit. Cum autem liberis careat, & hodie infirma valetudine fruatur, ac persuasa sit, quod cito e vita excedet, exoptaret, illæsa conscientia, beneficium quoddam marito suo conferre. 1. Quoniam innumeros labores & curas toleravit, tum ad ejus valetudinem tuendam, tum ad ejus bona conservanda, pro quibus longas lites suscepit cum magno sumptu & magnis impensis, 2. Quoniam, cum sit prole destituta, timet ne suus frater, qui est simul suus unicus hæres, quique multas obtinet divitias, adigat maritum suum ad solvendum præsenti pecunia illas sex mille libras, quas ipsi in dotem attulit, licet ejus contractus 300. lib. annui reditus, primum octodecimam usuram aut octodecimum denarium tantum affert, & deinceps a Rege redactus sit simul cum aliis omnibus Contractibus ad denarium vigesimum quintum.

Hac de re rogat, 1. quibusnam agendi rationibus & cautionibus uti possit ad consilium suum exequendum. 2. An frater ejus uterinus poterit, absque injuria, repetere ab Emeberto, sex mille libras dotis suæ in integrum, licet suus maritus magnam jacturam fecerit in Contractibus, quos ipsi in dotem attulit; & in aliis quos sibi comparavit, ex redactione eorum, quæ Regia auctoritate facta est.

RESPONS.

Ad primum postulatum respondemus, 1. Quod sicut observat D. Ferrerius in Consuetudinem Parisiensem (*b*), articulus 282. illius Consuetudinis prohibet marito, & uxori quominus sibi invicem bona largiantur, præter id quod Lege statutum est directe vel indirecte per donationes inter vivos, aut mortis causa. 3. quod solus & unicus modus benefaciendi Emeberto suo marito Beltradæ superest, si nempe sibi invicem mutuum donum faciant uno eodem, æque instrumento, & illud insinuari curent in Castelleto Parisiensi in tempore præscripto. Nam hoc modo si Beltrada prima supremum diem obeat, maritus ejus, tranquille fruetur, quamdiu vivet, bonis mobilibus & conquisitis immobilibus factis durante eorum matrimonio, & inter eos communibus in die obitus illius qui primus e vita decedet, saltem dummodo det pignus sufficiens fratri suo uterino, quo in tuto collocetur summa, quæ in suis manibus remanebit.

(b) D. Ferrer. in Conf. Parisiensem a 280. Gloss. 2. & 3.

Quam in rem observandum est, 1. quod mutuum donum necessario peragi debet extra morbi tempus, hoc est, requiritur uterque conjugum prospera fruatur valetudine, nam si ille qui ægrotaret, casu fortuito, morbo quo laboraret, e vita excederet, donum mutuum nullum esset, sicut judicatum est duabus sententiis Curiæ Parisiensis, quarum altera 10. Februarii 1582. altera vero 15. Martii 1586. lata est, quæque a Charonda, & a Turneto referuntur.

2. Ut dunum sit æquale, hoc est, tribuat utrique commodum æquale propter spem, qua unus conjugum gaudet alteri superesse. Immo quædam Consuetudines extant, sicut ea quæ in Nivernensi tractu viget (*c*), quæ jubent, ut conjuges sint æquales ætate, aut saltem, ne unus altero plusquam decennio senior sit: *Sint ætate pares, saltem ne unus altero plus decem annis major sit*. Hæc sunt illius verba. Consuetudo Altissiodorensis illam æqualitatem usque ad decimum quintum annum promovet. Quæ viget Silvanecti (*d*), hanc ætatis æqualitatem verbis generalibus postulat: Sed illa non sensu litterali intelliguntur, sicut observat Ricardus (*e*), qui refert tria Decreta Curiæ Parisiensis, alterum 16. Martii 1616 alterum 19. Feb. 1645. tertium denique 14. Aug. 1649. latum, quorum primum nullum respectum habuit ad ætatem sex aut septem annis imparem; Secundum ad inæqualitatem quindecim annis constantem: Tert um vero donum mutuum validum declaravit, licet inter maritum & uxorem inæqualitas plusquam viginti annorum inesset. Sed cum Emebertus & Beltrada Consuetudini Parisiensi subjecti sint, quæ de ea æqualitatis specie nullam injicit mentionem, nullius est momenti, quod attinet ad ipsorum doni mutui validitatem, ut sint ætate pares aut impares, sicut docent Charondas, Auzanetus & alii ejus Consuetudinis Commentatores.

(c) Conf. Niv. ar. 27.

(d) Conf. Silvanectensi de Senlis ar. 144.

(e) Ricard. tr. de dono mutuo n. 149.

3. Ut non modo nullos habeant liberps communes, sed etiam ut neuter conjugum prolem habeat ex præcedenti matrimonio susceptam, quod ie primus, ex illis vita fungetur. Posito tamen, quod illi liberi viventes civili morte non affecti essent; hoc est, ad mortem damnati, aut ad perpetuas triremes, aut in æternum exilium, aut denique solemnibus Religionis votis devincti non essent: nam illis in casibus conjuges nullos liberos habere censerentur, sicut D. Ferrerius id existimat (*f*).

(f) D. Ferrer. in Conf. Parisiensem, art. 280. Gloss. 7. 10. 11.

Supposito igitur quod neque Emebertus neque Beltrada ullos liberos habeant, seu ex eorum matrimonio, seu ex alio præcedenti; Beltradam amplam mercedem marito concedet tum ejus laborum, tum curarum, quas illum suscepisse existimat, tum omnium impensarum quas fecit, quasque tantum fecit impendio donorum, quæ inter eos communia erant. Cui adjungere debes, quod ille summam 1000. lib. propriam habebit pro præcipuo suo, sicut in eorum nuptiali contractu expresse dicitur.

De secundo postulato, dicimus, quod Emebertus tenetur rationem reddere Beltradæ Hæredi sex mille librarum quas dutales accepit quoniam non

ea cu-

ea cautione usus est, ut declararet, sicut jure obligabatur, quod ex 12000. libris quas in Basilica Civitatis Parisiensis constituit, 5400. in illis inerant quæ ex pecunia dotali uxoris suæ ortum ducebant. Imo frustra causaretur, quod proprii sui reditus redactione a Rege facta multum imminuti sunt; siquidem nemo tenetur eadem se præstare factorum Principis, nisi hac de re inter partes conventum sit expressa stipulatione, quo in casu hæc Bonifacii VIII. (*a*) regula locum haberet, *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Cum itaque annui reditus imminutio facta fuerit in illum, quo tempore Dominus erat communionis, non vero in hæredem; hic non tenetur de ea spondere, & solus Emebertus obligatur ad damnum illud ferendum, cum præsertim de bonis dotalibus uxoris suæ tanquam de propriis disposuerit.

(a) Bon. VIII. in reg. 85. de reg. jur. in 6.

CASUS III.

LUCENTIUS, qui natus est Bajocis & ibidem sedem fixit, duxit Magdalenam, cui pater & mater ejus in dotem domum dederunt, cujus pretium est decem mille librarum. Magdalena vero pro peculio habebat 1000. lib. sibi ab avunculo in mortis lecto jacente de manu in manum donatas: quod nemini declaraverat. Rogatur, an postquam Lucentio nupsit, potestarem habeat hanc summam in largitionibus insomendi, aut eam pauperibus dandi; aut denique eam impediendi in restitutione quadam, ad quam faciendam tenetur, prout ipsi dixit suus Confessor?

RESPONS.

Ad illam difficultatem decidendam, duæ regulæ primum ponendæ sunt. Prima est, quod cum vir uxorem ducit, 1. Dominus fit administrationis omnium ejus bonorum, secundum Consuetudinem Normanniæ, cujus articulus 389. his verbis concipitur (*b*) *Personæ matrimonio conjugatæ communionem non habent in bonis, sive sint mobilia; aut conquisita immobilia*. Mulieres itaque nullam eorum, nisi post viri sui obitum, partem habent. Qua de causa ex articulo 417. Uxor nullam habet testandi potestatem, ne quidem de causa pia, nisi maritus huic rei assensum suum præbeat, aut nisi illa in Contractunu putiali hoc sibi jus reservaverit.

(b) Conf. Nor. art. 389.

Secunda est, quod Maritus etiam obnoxius fit debitis, quæ ejus uxor contraxit. Quod cum ita sit asserimus, 1. Quod Magdalena non potest impendere illas 1000. lib. quas secreto servavit, neque in largitionibus, neque in eleemosynis, absque Lucentii consensu, nisi illam potestatem sibi reservavisset expresso contractus nuptialis articulo; quod tamen non fecit; siquidem illam rem nemini declaravit.

2. Quod cum maritus, simul ac fit Dominus absolutus omnium bonorum mobilium uxoris suæ, fiat pariter ejus debitis obnoxius; cumque per consequens ipse teneatur solvere has 1000. lib. illis, quibus ab uxore sua debentur, Magdalena potest eas solvere ejus nomine illi, cui hæc summa debetur, si eum agnoscat, omnes præterea cautiones adhibendo quæ necessariæ erunt ad impediendum, quominus Lucentius eidem debito secunda vice satisfacere cogatur posito, quod creditor instructus esset titulo, ex cujus vi id debitum a se exigere posset; & quod Magdalena illum titulum arripere aut solvendo annihilare nequiret; Aut, si creditor sit ipsi ignotus, Magdalena potest eas 1000. lib. pauperibus solvere; siqoidem distributio illius pecuniæ, quæ ab ea in illo casu fieret, non esset, proprie loquendo, eleemosyna, sed potius actus justitiæ commutativæ, ad quem ipsa proprio nomine, maritus vero uxoris nomine obligatur.

CASUS IV.

CHRISTINA, Lintearia Mercatrix, uxor Landulfi, Magistri Ædium sive Atriensis cujusdam viri Magnatis, fecit in gratiam Dionysii Schedulam 1000. lib. solvendarum illi, cui hoc instrumentum cedet, pro telis Holandiæ, quas a Dionysio emit, non impetrata & ne rogata quidem a marito illius rei agendæ licentia. Deinceps vero cum Landulfus audierit, quod Dionysius qui in tempore determinato summam in Schedola contentam recipere non potuerat, Christinam in jus vocaverat coram Consulibus, ipsi intervenit, ut se opponeret solutioni 1000. lib. pertendens, quod, cum sive sua auctoritate ejus uxor ad hanc se obligasset, schedula nulla erat, secundum Consuetudinem Parisiensem (*c*), quæ dum mulieris conjugatæ mentionem facit, his utitur verbis; *Et si ullum Contractum peragat absque auctoritate & consensu supradicti mariti, talis Contractus est nullus, tam respectu illius, quam supradicti mariti, & de eo postulari nequit, neque ejus hæredes post viri sui obitum*. Quibus adjungit, quod, id quod a Consuetudine dicitur in hoc articulo respectu venditionis aut alienationis, quam mulier conjugata propria sua auctoritate facere vellet, locum habet respectu obligationum ex vi articuli 234. (*d*). Nonne igitur Landulfus optimis de rationibus opponit se solutioni, quæ a Dionysio postulatur?

(c) Conf. Parisiensis art. 223.

(d) Ib. art. 234.

RESPONS.

Verum quidem est. 1. Quod proprie loquendo mulier conjugata nullam habet potestatem alienandi hæreditates suas aut bona immobilia sine mariti sui consensu, ut habetur in primo duorum articulorum Consuetudinis, quos mox citavimus; nam mulier matrimonio fit subjecta marito respectu personæ & respectu bonorum, quod intelligi debet de bonis hæreditate comparatis, quas mulier in dotem attulit, & de iis quæ ipsi contigerunt; a matrimonio inito, per successionem directam vel collateralem, & de iis, quæ ab ejus majoribus ipsi donata sunt.

Ratio illius rei plausibilis est, quoniam tali alienatione virum suum privaret usufructu bonorum suorum, quæ ad ipsum pertinent titulo onerario, hoc est, ad sustinenda matrimonii onera (e), *cum enim ipse onera matrimonii subeat: æquum est, eum etiam fructus percipere*, inquit Ulpianus (*f*). Ita ut alienatio omnis quæ ab uxore fieri posset jure nulla sit, nisi illi maritus consensum suum præbuerit, hoc est, nisi auctoritate sua illam expresse instruxerit ad hanc peragendam, siquidem simplex consensus verbalis ad hoc non sufficit, sicut observat D. Ferrerius in Consuetudinem Parisiensem (*g*), post Tronconem (*h*) & Chassanæum (*i*) quos Auctores laudat:

(e) Ina III. in c. per vest 7 de donation. inter vir & uxor. &c l. 4. in an. L. Dot 3 7. ff. de jur. dotium 43. t. 3. L. Rem in præsenti un. cod de rei uxoriæ act. l. 30 t 13.

(f) Ulpian. in d lege Dotis.

(g) D Ferrer. in Conf. Parisiensem a 223.

(h) Troncon. v. Contensns.

(i) Chassanæus in conf. Burg.

Verumtamen qood mox diximus nullo modo Landulfo favet in specie proposita; quoniam duo casus excipiendi sunt, in quibus uxor sine mariti consensu se obligare potest. Primus, de quo hic non agitur, est quando uxor ex vi contractus nuptialis bona sua sejuncta a mariti bonis obtinet, & eorum administrationem sibi ipsi reservavit, aut quando separata est a marito de corpore & de bonis, vel de bonis tantum sententia ex juris præscripto & formulis requisitis lata; hoc est, ex consequentia Informationis sive Inquisitionis præcedentis; aut tandem quando pleno jure hoc adepta est, ut si maritus ad mortem damnatus sit, aut in æternom exilium, aut ad triremes perpetuas. Nam eo in casu illa modo valido obligare se potest ad id quod necessarium est ad ipsius subsistentiam & alios vitæ usus, absque mariti sui auctoritate: Attamen eo ipso in casu potestatem non habet vendendi, alienandi, oppignerandi hæreditates, sive immobilia bona, ex propria sua auctaritate. Atque hæc est sententia Carondæ in eundem art. 223. & sequentes, quæ innititur Decreto Curiæ Parisiensis 12. Septembr. anni 1579. Tronco qui idem Decretum laudat (k) in eadem est sententia, non secus ac Auzanetos. Idem Tronco refert duo alia Decreta, quæ præcedenti consentanea sunt: Primum, in Consuetudine Parisiensi, latum 25. Martii 1593. Secundum vero, in Consuetudine Meduanensi, latum in Primario centum viralis Senatus Tribunali 27. Feb. 1602. Brodellus in Lovetum duo quoque Decreta laudat: quorum unum an. 1602. & alterum an. 1608. data sunt. Er ipse Lovetua (*l*) duo alia similia profert; quorum alterum 24. Aprilis 1586. Alterum vero 5. Julii 1605. promulgata sunt.

(k) Troncon ib. v, si non separata sit.

(l) Lover. lit. 8. n. 30.

Silentio prætermittimus plura alia Decreta relata a D. Ferrerio in articulum 224. (*m*). ex quibus omnibus Decretis apparet, quod mulier, licet a ma-

(m) D. Ferrer. ib. p. 518. in at. 134.

a marito separata sit, non potest tamen alienare fundos suos immobiles, quin prius muniatur auctoritate mariti sui, aut, si ille recuset a Judicibus illud jus obtineat. Quin imo exstat Decretum Primarii Curiæ Parisiensis Tribunalis 22. Februarii 1611. editum, a quo obligatio 1200. lib. facta a muliere quadam absque mariti auctoritate, nulla declaratur: quoniam talis obligatio includit in se immobilium alienationem in eo quod hypothecam in ejusmodi bona producit, & quod illa hypotheca est alienationis species.

Secundus casus, in quo mulier conjugata potest se obligare absque mariti auctoritate, est quum publice privatam negotiationem exercet, sive illa sejuncta sit & diversa a mariti negotiatione, sive maritus nullam talem per se exerceat; de quo casu præcise agitur in specie, quam ad examen revocamus. Nam certum est, quod tunc temporis mulier se potest obligare in eo quod ad negotiationem suam pertinet, non vero in aliis rebus, sicut observatur in Consuetudine Aurelianensi (*a*). Atque hæc est exceptio quæ disertis verbis declaratur in Consuetudine Parisiensi (*b*) art. 234. *Mulier conjugata non potest se obligare absque consensu mariti sui, nisi revera ab ipso separata sit, aut Mercatrix publica; quo in casu, cum nempe est Mercatrix publica* (*c*) sese ipsam obligat, ut & maritum suum, de facto & dependentia supradicta Mercimonii publici. Sed oportet, ut maritus sciat quod illa commercium exercet, & ut illi se non opponat, *eam exercet mercimonium publicum vidente & conscio marito*, inquit Consuetudo Veromanduorum (*d*). Ille consensus expressus, aut solummodo tacitus in causa est, cur maritus censeatur auctoritatem suam uxori concedere, quod hoc respectu satis fit; sicut inquit Loisellus (*e*): Et ex consequentia tantum unius ipsius consensus, mulier se obligare potest: Commercii favor & fides publica præterea requirunt, ut illi, qui commercium exerceut, se obligent quando illud necessarium est.

(*a*) Consf. Aur. ar. 196. & 197.
(*b*) Consf. Parisiensf. art. 234.
(*c*) Statutorum mens. April. 1667. t. gall. De la decharge des contraintes par corps ar. 8.
(*d*) Consf. Veromand. ar. 19.
(*e*) Loisel. tost. ex Conf. t. De Personis a. 38.

Affirmamus, quod *consensus expressus, aut solummodo tacitus*, requiritur. Nam satis est si maritus huic rei aperte non contradicat, vel advertetur. Ratio ejus rei est, quod cum ipsi lucrum exinde obvenire possit, pariter æquum est ut etiam teneatur de obligationibus quæ ab uxore sua contrahuntur. *Æquum Prætori visum est*, inquit Ulpianus in Lege; (*f*) *sicut commoda sentimus ex actu institutorum; ita etiam obligari nos ex contractibus ipsorum & conveniri*. Quod consentit cum Juris regula, (*g*) cujus hæc sunt verba; *Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet*.

(*f*) Ulp. l. 1. quum ff de institoria act. l. 14 t. 3.
(*g*) Reg. 101. ff. de reg. juris.

Sed si econtra maritus publice adversatus esset commercio ab uxore, se invito, incepto, tunc non teneretur de ære alieno ab ipsa contracto, & ipsamet in foro exteriori non obligaretur; sicut habetur in Consuetudine Rhemensi (*h*) relata a D. Ferrerio in art. 234. Consuetudinis Parisiensis (*i*). Verum cum huic negotio non intercesserit, sicut hoc agendi potestatem habebat, ipsemet obligatur de ære alieno ab uxore sua contracto commercii sui causa; sicut docet Molinæus in eundem art. 234. & D. Ferrerius qui ipsum laudat (*k*). Quod attinet ad mulierem Mercatricem publicam, corporis nexu adigi potest ad solvenda debita, quæ mercimonii sui causa contraxit, secundum Statutum mensis Aprilis 1667. (*l*). Quod etiam locum habet respectu earum, quæ sunt minorennes: prout Carondas (*m*) id probat Decreto a se laudato Brodellus (*n*) in Louetum, & Turnetus aliud Decretum referunt 5. Decemb. 1606. Tronco quoque aliud affert 1. Martii an. 1680. latum & Chopinus (*o*) eadem habet in supradictum artic. 234 Ex his omnibus probatur, quod si Landulsus nonin formulis requisitis intercesserit commercio a Christina suscepto, tunc tenetur de ære alieno ab ipsa hac de causa contracto, ac per consequens nullo fundamento innititur in oppositione, quam formavit, ne solverentur Dionysio mille libræ ipsi ab uxore debitæ.

(*h*) Conf. Remens. ar. 13.
(*i*) D. Ferrer. to. 2. p. 589.
(*k*) D. Ferrer. ib. p. 590.
(*l*) Statut. an. 1667. t. de immunitate nexus corp. Gal decharges des contra in tes par corps a. 8.
(*m*) Carondas in sul. Pandectis l 4. c. 9.
(*n*) Brodel. in Lovetum. lit. F. n 13.
(*o*) Chopin. n. 9.

CASUS V.

BARBARA uxor Alexis, cum seipsam obligasset in solidum cum marito suo ad solvendum sub anni finem cantum scutatos argenteos Beruardo, qui eos ipsi mutuo dederat; eos ipsi reddidit ex propria sua pecunia post Alexis obitum. Sed cum aliquanto post didicisset, quod, secundum Leges sive consuetudinem Provinciæ, in qua ipsa degit, obligatio quam antea contraxerat nulla erat, & quod per consequens Bernardus jus non habebat hanc summam coram Judicibus ab ipsa repetendi, illum iuvisit, & illi notificavit, quod cum ex Jure Consuetudine statuto mulier nequeat se obligare modo valido ad solvenda mariti sui debita, licet ejusdem auctoritate ad rem hanc muniatur, Bernardus tenetur ad restituendos ipsi centum scutatos argenteos. Potest ne in foro conscientiæ, & absque injuria illos nummos repetere, sive, an ipso hos restituere recusante, jus habet illum coram Judicibus compellaudi, ut ad hoc condemnetur?

RESPONSIO.

Ut quæstionis propositæ clariorem ideam tradamus, 1. observandum est, quod secundum Senatus Consultum Vellejanum nulla mulier de solido modo obligare poterat, ut quidem pro proprio marito suo. 2. Quod Justinianus postea jussit, ut obligatio a muliere contracta valida esset, modo eam biennio post semel confirmaret (*p*). 3. Quod ille Imperator excipit eam obligationem quæ a muliere in gratiam mariti sui contracta est: quamvis eam sæpissime post biennium confirmaverit (*q*). 4. Quod Heuricus IV. Edicto mense Augusti 1606. lato, jussit ut in posterum mulieres se valido modo per totum Regnum obligare possent, nec tamen tenerentur, sicut antea tenebantur ex Decreto Curiæ Parisiensis, dato sub forma statuti, 29. Julii 1595. renuntiare expressis verbis Senatus Consulto Vellejano, ut & Autheuticæ, *Si qua mulier*. Sed quoniam illud Edictum Consuetudinibus non derogabat, sed tantummodo Juri Civili Romanorum, Consuetudines Pictonica (*r*), scilicet, Arverniæ (*s*), & Marchiæ (*t*), licet illæ Provinciæ subsint Jurisdictioni Curiæ Parisiensis, in qua Edictum illud verificatum est, pervexerunt in usu solito, quo, ut nullas rejiciebant omnes obligationes a mulieribus in grat am maritorum factas. Cu ia Burgundiæ in cujus Commentarios illud Edictum relatum fuit 7. Augusti 1609, se conformavit Curiæ Parisiensi, ubi idem Edictum est in usu. 5. Quod Senatus Consultum Vellejanum de quo mox, etiamnum hodie observatur in aliis Curiis seu Parlamentis, in quibus Jus scriptum pro regula habetur, licet modo, ab eo quem supra retulimus, parumper diverso. In Curia Tolosana, mulier illi renuntiandi potestatem non habet (*u*) & quando illa se obligavit procurare potest, ut in integrum restituatur obtinendo litteras rescisionis intra decem annos, numerando a die quo Contractus scriptus est (*x*). In Curia Burdigalensi decem annorum illorum initium sumitur a die, quo matrimonium dissolutum est. Quod etiam locum habet in Senatu Camberiaci, prout id testatur Faber (*y*). Sed in Provinciis jurisdictioni Curiæ Grationopolitanæ subjectis, mulier nullateuus opus habet litteris rescisionis, ut in integrum restituatur, respectu obligationis quam contraxit (*z*).

(*p*) L. si mulier 11. cod. ad. S. C. Vellejan. l. 4. t. 29.
(*q*) Nov. 134. c. 8. & authen. si qua mulier. cod. t. cit.
(*r*) Art. 387.
(*s*) Cap. 18. a. 9.
(*t*) C. 14. a. 97.
(*u*) Catel. to. 2. l. 4. c. 1.
(*x*) Id. ib. l. 5. c. 37.
(*y*) Fabar. cod. de præscr. 20. val 40. 200. def. 6.
(*z*) Chorier in Gratonam Papam p 333.

Illis in antecessum observatis, asserimus quod illi difficultati responsum detur, tenendum est, quod illis quos natura non effecit inhabiles ad contrahendum, quique a sola Lege hoc vitium ducunt, se tamen obstringunt ad naturalem obligationem, quoties contrahunt, & quod etiamsi condemnari nequeant in foro exteriori & adigi ad promissa exequenda, illa tamen obligatio suum sortitur effectum in quibusdam circumstantiis, ut v. g. in specie proposita, in qua Barbara satisfecit obligationi qua tenebatur, dum centum illos scutatos argenteos Beruardo solvit. *Naturales obligationes*, inquit Lex (*aa*) *non eo solo æstimantur, si actio aliqua eorum nomine competit: verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit*. Alia Lex (*bb*) quæ iisdem verbis concipitur, ejus rei hanc rationem reddit. *Nam licet minus proprie debere dicantur naturales Debitores, per abusiones intelligi possunt Debitores*. Unde hac concludit; *Et qui ab his pecuniam recipiunt, debitum sibi recepisse*.

(*aa*) L. Natur. 10. ff. de obligat & act. l. 44 t 7.
(*bb*) L. Fidjus. 16 §. 4. ff. de fidejussorib. & mandator. l. 46. t. 1.

In

In alia Lege, eadem obligatio expressis verbis etiam indicatur (a), quæ sic habet: *Id quod natura hæreditati debetur, & peti quidem non potest, solutum vero non repetitur*. Unde sequitur, quod licet Barbara a Judicibus antea veniam impetrasset petendi, ut obligatione sua solveretur, non amplius tamen ad petitionem hanc admitti potest, ex quo solvit: *Peti, quidem non poterat, eu solutione autem petitionem non præstat*, inquit Lex (b). *Is natura debet*, inquit alia Lex (c) *quem jure gentium dare oportet, cujus fidem secuti sumus*. Ratio est, quod cum hæc mulier illud argentum solvit, Lege naturali ad hoc tenebatur; *Quamquam autem solvendo non repetant, quia obligatio naturalis manet* (d).

(a) L. Falcidia t. §. 17. ff. ad L. falcidiam l. 35. tit. 2.

(b) L. Si in cui 94. §. 3. ff. de solut. & liber. l. 46. t. 3.

(c) L. Amplius 84. §. 1. ff de diversis reg. juris ant. l. 50. t. 17.

(d) L. Sed si 9. in fine & L. Quia 10. ff. de Senat. Maced. l. 14. t. 6.

Cum autem omnes illæ Leges, æquitati naturali consentaneæ sint, & nullas alias ipsis contrarias Ecclesia tulerit, adhærendum est ad id quod ipsæ jubent respectu difficultatis, ad quam respondemus, & exinde concludendum, quod in foro conscientiæ Barbara nullum jus habet repetendi centum scutatos argenteos, quos propria pecunia, post mariti obitum, Bernardo solvit, imo quod neque a Judicibus admitti potest ad hanc petitionem faciendam.

CASUS VI.

Aurelianus, cum uxorem dereliquisset, ut alia in Regione sedem figeret, & ibi negotium exerceret, hæc illum sequi recusavit, licet omnes ad ejus animum flectendum preces adhibuerit. Potest ne absque peccato mortali, in recusatione sua permanere?

Responsa.

Navarrus (e) existimat, quod illa mulier tenetur ad sequendum eo in casu maritum suum, & quod ab illo officio, proprie loquendo, se eximere nequit, quin culpæ mortalis reatum incurrat. *Peccat uxor*, inquit ille Canonici Juris Peritus, *quæ non vult sequi maritum alio migrantem: etenim sub reatu culpæ mortalis, cum tenetur comitari*. Quod probat auctoritate S. Augustini a Gratiano laudati (f), cujus hæc sunt verba, *Unaquæque uxor sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*. Ratio est, quod mulier tenetur ad officium a se debitum, marito suo præstandum, in quocumque loco verseture, quando id ab ipsa pendet, sicut probari potest Glossa, in unam ex Decretalibus, quam Innocentius III. inscribit Juris Doctoribus Universitatis Bononiensis, & in aliam quæ ab Alexandro III. ad Episcopum Parisiensem scribitur (g). Hæc obligatio quæ reciproca est inter conjuges, jure divino innititur; & necessario præstanda est ab omnibus illis, qui justa de causa hujus non sunt immunes. eadem Glossa alibi quoque dicit (h): *Mulier semper tenetur sequi virum ex quacumque causa*. Et denique alio in loco (i): *Accedentem tenetur sequi ex honesta causa*.

(e) Navar. Manual. c. 14. n. 20.

(f) S. Aug. in can. Unaquæque 5. 33. q. 2.

(g) Gloss. in c. inter 35. de sent. excomm. &c. v. tenentur & in c. relatem 2. qui matr. accusar. possunt.

(h) Gloss. in c. Pervenit. 2. de conjugio leprosorum v. Sequatur.

(i) Gloss. in can. si quis 4. 34. q. 2. v. cum sequi.

Omnia illa argumenta confirmari possunt Decretali quæ ab Alexandro III. ad Archiepiscopum Cantuariensem inscribitur (k), in qua ille Papa ipsi declarat, quod cum alter conjugum lepra laborat, vehementer adhortari debet eum qui prospera valetudine fruitur ad sequendum alium, & ad omnia debita officia ipsi præstanda. *Quoniam igitur*, inquit ille, *cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius; mandamus, quatenus ut uxores viros, & viri uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt sequantur, & eis conjugali affectione ministrent sollicitis exhortationibus inducere non postponans*.

(k) Alex. III. inc. c. Pervenit de conjug. leprosor. l. 4.

Attamen Auctor Glossæ, quam mox citavimus, (l), immunem declarat uxorem officii, quo maritum sequi tenetur in duobus casibus. Primus est, si uxor sciret, quod a marito abduceretur, ut se deinceps perverteret, *nisi ipsam trahere vellet ad infidelitatem*: nam tunc temporis marito non potest obsequi, salutem suam periculo exponendo. Secundus si maritus esset vagabundus, mulier quæ in nuptiarum tempore ipsius vitium non agnovisset, illum deinceps sequi non teneretur, sicut de hoc consentit Glossa, quam supra citavimus (m) quæ hanc exceptionem apponit. *Nisi efficiatur vagabundus*. Navarrus quoque eumdem casum excipit.

(l) Gloss. in c. c. Pervenit.

(m) Gloss. in c. c. Pervenit & in can. Unaquaque 5. 13. q. 2. v. Sequatur.

Uxor etiam immunis esset obligationis sequendi maritum suum in specie proposita, si ipsi nuberet ea tantum conditione expressa, ut manere posset in loco certo, aut in regione constituta & determinata licet, ut verum profiteamur, talis conventio ejus respectu inutilis & sine effectu evaderet, si ipsius maritus locum & sedem mutaret justa & necessaria causa impulsus, ut exempli causa, ad vitandam mortem; quam ejus inimici ipsi intentarent, ad vitandam contagionem, aut alia simili de ratione, prout id observatur in eadem Glossa (n).

(n) Gloss in c. Relatum 2. qui matri accusare possunt.

Ex omnibus supradictis, non existimamus nos, quod Aureliani uxor possit, sine gravi peccato se, eximere ab officio, quo tenetur maritum sequi, si rationes, quibus motus est ad commigrandum in aliam regionem, valido fundamento innitantur seu commodum certum percepturus sit ex commercio, quod ibi exercere in animo habet; & si ipsa justas non habeat causas quæ ipsam cohibeant, ut, verbi gratia, si plane infirma valetudine frueretur a qua inhabilis fieret ad longum & laboriosum iter conficiendum, aut aliam excusationem afferre posset quæ a viro sapienti & prudenti legitima existimaretur.

Vide { Eleemosina. Communio Bonorum. Furari. Casus 3. Donatio. Dos. Ornamenta. Sinus. }

MUTUUM.

PRIMA Præstationis species latine *mutuum* vocatur, quasi diceres, *ex meo tuum* prout sentit Imperator Justinianus (o): quoniam ille, cui rem aliquam mutuo do, illius rei acquirit proprietatem, qua me spolio hanc illi mutuo dando. *Mutuum*, inquit Justinianus, *appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*.

(o) L. 3. Inst. tit. 15.

Mutuum hoc sensu intellectum definitur, contractus, quo aliquis alicui mutuo dat gratuito rem quampiam, quæ usu consumitur: qualis est pecunia, aut frumentum, vinum, aut alia similia, eum in finem ut illi, quibus hæc mutuo dantur, eorum proprietatem acquirant, ea lege ut pretium eorum in rebus ejusdem qualitatis, & ejusdem naturæ reddant. Hæc definitio ex ipsis illius Imperatoris verbis desumitur: *Mutui autem datio in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave constant*,

constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata ..... quas res in hoc damus, ut accipientium fiant: & quoniam nobis non eadem res, sed aliæ ejusdem naturæ qualitatis redduntur.

Exinde videre est discrimen, quod intercedit inter illud mutuum & illud quod *commodatum*, sive mutuum ad usum, vocatur, quo non transfertur Dominium rei illi qui mutuo hanc accipit; quique proinde tenetur rem ipsam, quam ab alio accepit, reddere.

Operæ autem pretium est observare quod in definitione nostra expresse diximus, contractus, quo aliquis alteri mutuam dat gratuito rem quampiam. Nam licet Justiniani verba mutui gratuitatem non exprimant, illa tamen necessario subaudiri debet, siquidem est conditio omnino essentialis illi contractui, ut ex eo omnem usuram excludat. Atque hæc est ratio, cur Theologi illam vocem non omittant in definitione mutui, quam tradunt; *Mutuum est gratuita traditio rei, pondere, numero, vel mensura constantis, reddendæ similis specie & bonitate.* Hæc sunt ipsa Polmani verba (*a*).

(a) Polm. p. 3. q. n. 475.

Mutuum datur aut in tempus determinatum, aut in omne illud temporis spatium, quod ab illo qui mutuo dat conceditur.

Quamvis autem mutuum natura sua gratuitum esse debeat, nihilominus ille qui mutuum exercet, exinde aliquod emolumentum facere potest in quibusdam casibus, in quibus quoddam damnum patitur ex mutuo, quod exercet; quod multis explicabimus, quando de usura agemus.

Tandem addendum existimamus in illorum, qui mutuo dant, documentum, certum esse, quod hoc semper agere debent ducti charitate erga proximum, & eo animo ut illi in inopia versanti succurrant. Quod induxit Davidem Prophetam & Regem ut diceret (*b*) *Beatus vir qui commodat.*

(b) Psalm. CXI. v. 1. & 5.

Nec minus certum est, ut & innumeris exemplis docetur, quod prudentia utendum est in mutuo dando, non vero illud omnigenis hominibus concedendum. Nam sæpe, ut ait Aggæus Propheta (*c*): Qui ingrati animi viro mutuo dat pecuniam suam, *mittit eam in sacculum pertusum.* Seneca quoque affirmat, quod illius, cui parvam pecuniæ summam mutuo damus amicitiam conservamus & quod illius, cui magnam pecuniæ vim credimus facile odium excitamus, *leve æs alienum debitorem facit grave, inimicum.* Coeffetavus illius rei memorabile refert exemplum, imperatoris scil. Vitellii qui cum ad Imperium pervenisset, interfecit omnes illos, qui cum in præcedenti tempore magnas argenti & auri summas mutuo dedissent deinceps coacti fuerant cum illo jure agere, ut mutuum suum reciperent; aliis vero creditoribus vitam largitus est quasi eorum, quæ ipsis debebat, solutionem (*d*): Sed illud exemplum quod unicum in historia occurrit, & quod diximus de necessitate prudentiæ servandæ in mutuis quæ fiunt, non debent impedire, quominus mutuum ut officium debitum in quibusdam casibus consideremus: siquidem Lex Divina etiam adigit Christianos ad gratuito dandum ut proximus adjuvetur in quibusdam circumstantiis, hoc est in ejus inopia, sive sit extrema, sive sit tantummodo gravis.

(c) Agg. c. 1. v. 6.

(d) Coeffetan Hist. rom. l. 6. in vita Vitelii.

CASUS PRIMUS.

Samson mutuo dedit 2000. libras post annum elapsum solvendas Landulfo, qui ære alieno obrutus est, sed simul vigesimam usuram, seu fœnus pro ratione vigesimi denarii exegit; Primo quoniam justis de causis timet, ne hæc summa sibi a Landulfo non reddatur, nisi difficulter admodum & diu post tempus de quo conventum est. Secundo quoniam est admodum verisimile, quod Landulphus maximum lucrum cupiet ex pecunia, quam illi mutuo dedit, quod hac deficiente facere nulla ratione posset. An Samson potest absque usuræ peccato hoc fœnus accipere?

Respons.

Certum est, quod Samson nequit absque usuræ peccato fœnus illud exigere & recipere. Ad illud probandum, primum ponenda est regula indubitata de qua omnes Theologi consentiunt, scilicet quum quæpiam actio natura sua mala est, & jure naturali prohibita, ut & omnibus Legibus Divinis & humanis, tunc nulla est circumstantia, nulla conditio quæ peccati immunem facere queat eum, qui hanc committit; nisi actionis natura per hanc circumstantiam immuletur, hoc est nisi ex mala & illicita qualis in se erat, bona & licita per hanc fiat. *Sciendum igitur in primis*, inquit Auctor opusculi quod inter S. Thomæ opera invenitur (*e*) *quod regula est generalis apud omnes Doctores, & firma esse debet, quod nulla conditio, sive circumstantia potest excusare aliquem actum vitiosum, sive habitum, nisi secundum quod potest tollere rationem vitiositatis ab eo.* Dudum vero & periculum in quo versatur summam principalem sive sortem non recipiendi, non possunt immutare naturam actionis, qua fœnus usurarium exigitur, cumque ex mala, sicut est in se, bonam & licitam facere. Ratio est, quia id quod mutuum usurarium & injustum reddit, est spes quæ habetur recipiendi aliquid præter sortem. Periculum autem sive timor ne sors non reddatur, illam spem non destruit, & non impedit, quominus fœnus lucrosum & usurarium præter sortem principalem revera accipiatur. Cum ergo actio illius qui hoc fœnus accipit semper eadem sit & maneat, hoc est na-

(e) Apud S. Th. opusc. 73. de usuris c. 6.

natura sua mala, periculum & timor, ne mutuum quod datur non solvatur, nunquam possunt immunem peccati usuræ facere eum, qui hac ipsa de causa tale fœnus exigit. „ Si igitur dubium vel periculum excusare valeant, *ut etiam habet idem auctor*, hoc non erit nisi habeat virtutem tollendi rationem usuræ vere dictæ. Et quia in „ mutuis vitium usuræ annexum ex eo, quod „ fiant spe lucri, quod est cuntra naturam mutui. Ideo quia dubium & periculum de sua „ natura non tollunt hanc vitiositatem mutuo, „ quando fit spe lucri, nec dubium nec periculum excusare possunt vitium usuræ.

Ac revera, si licitum esset accipere usuras ex mutuo sub prætextu dubii aut periculi in quod incurritur, ne summa, quæ mutuo datur nobis non solvatur, exinde sequeretur, quod quo majus esset periculum, eo majus esset jus exigendi aliquid ultra sortem principalem, & quod cum multo majus sit periculum in mutuo, quod datur pauperibus; aut illis qui solvendo non sunt, etiam fortiori de ratione tale fœnus ab illis exigi posset, quam ab hominibus divitibus & iis qui solvendo essent: In quo tamen consistit usura magis detestanda & ab omnibus Legibus Divinis & humanis severius prohibita. Affirmamus igitur e contra, quod ex mutuo necessario sequitur, ut exponatur aliquo modo periculo pecunia, quæ mutuo traditur; cum spes quæ habetur recipiendi mutuum, tantum innitatur in bonam fidem & in potestatem solvendi, qua fruitur debitor, in quo aliquando accidere potest, ut neutra ex illis qualitatibus reperiatur. Unde sequitur, quod cum illud periculum, in quod incurritur, inseparabile sit a mutuo, debet quoque gratuitum esse sicut mutuum est gratuitum.

Eodem fere modo ratiocinandum est respectu magni lucri, quod a Landulfo, aut ab omni alio debitore fieri posse, aut revera fieri, supponitur. Nam constat, quod exinde nullum aliud emolumentum creditor captare potest, quam illud ut tutius & certius summa ab ipso credita, reddatur: & quod illud magnum debitoris lucrum ejus creditori nullum jus attribuit aliquid ex eo ultra principalem sortem exigendi. Ratio est, quod cum periculum quod subit dum mutuo dat, non immutet naturam actus mali, quem committit ex usura quam exercet, & cum perconsequens ille actus semper idem maneat, hoc est, malus, illicitus, jure naturali ut & Legibus Divinis Ecclesiasticisque interdictus: pariter illud magnum lucrum, quod debitor recipit ex pecunia quam mutuo accepit, nullatenus immutat actum, quo creditor se ipsum reum facit, peccati usuræ fœnore, quod exigit vi mutui quod dedit. Siquidem quodcunque lucrum ab illo debitore fiat, semper vere affirmare possumus, quod creditor ipsi mutuum gratuitum non facit, sicuti ad hoc tenetur si modo mutuum exercere velit.

Quinimo ex illius veritatis consequentia, ut nos affirmamus, Sanctus Carolus (*a*) in primo suo Concilio Provinciali Mediolani habito anno 1565. probibet, quominus eo in casu exigatur aut speretur ullum fœnus, ne quidem a Judæis, licet constet illos pecuniam mutuo non sumere, nisi ut ex ea magnum lucrum percipiant. *Ex mutuo, vel ex depositis apud Judæum factis, nihil præter sortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit*. Hæc sunt ipsa illius Concilii verba.

(*a*) Conc. Mediol. 1. 2. p. 1. de usuris.

Tandem, ut omnem hominem ratione præditum convincamus, magnum lucrum quod a debitore fit, mediante pecunia, quam mutuo sumpsit, legitimum titulum esse non posse, quo creditor utatur ad aliquam usuram ex mutuo recipiendam, superius dictis adjungemus, quod ille qui pecuniæ summam mutuatus est, vere illius sit Dominus, adeo ut si illa pecunia quodam casu pereat, solus ille ipsius jacturam ferat. Unde sequitur, quod cum verum illius habeat dominium, omne lucrum quod exinde colligere potest ad ipsum exclusis omnibus aliis, legitime pertinet, secundum hanc juris regulam (*b*), *Is qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille, uti debebit*: & quod cum omnis jactura quæ contingere posset ex ea, ipsi soli incumbat, pariter æquum est secundum omnes Leges, ut exinde omnem fructum capiat secundum aliam hanc Canonici Juris regulam, quæ cum æquitate naturali consentit (*c*), *Qui sentit onus, sentire debet commodum* (*d*).

(*b*) Reg. 46. de reg. juris in 6.

(*c*) Reg. 55. lib.

(*d*) Collat. Lucon. tom. 2. conf. 18 q. 2.

CASUS II.

Joannes offert mutuum summæ 1000. lib. Jacobo, qui pessime rem gessit, & illi optionem tribuit, an velit ipsi prædem dare, an vero malit sibi solvere fœnus quinque pro centum, omisso præde, quem considerat sicut commodum argento contra æstimandum, quo se ipsum sponte privabit, dum modo Jacobus damnum sarciat hoc moderatum fœnus solvendo. Jacobus qui neminem invenire potest qui pro se spondere velit, consentit de solvendo Joanni fœnore, ex ratione quinque pro centum. Nonne Joannes potest percipere illud modicum commodum sicuti damni reparationem vel compensationem?

RESPONS.

Huic difficultati respondemus, Joannem non posse absque usura exigere, aut accipere a Jacobo fœnus quinque pro centum, sub prætextu illum immunem præstandi cautionis vel fidejussoris summæ, quam ipsi mutuo dare offert: Nam beneficium quod in illum confert, dum nullam ab ipso cautionem exigit, non impedit, quominus ille homo ipsi debeat 1000. lib. ex consequentia mutui, quod erga eum exercuit. Verum quidem est quod Joannes majus periculum subit dum nullus præs ipsi conceditur, sed periculum ne Jacobus solvendo sit, ut ut magnum sit, non potest unquam, esse titulus, ex cujus vi quæpiam usura exigi possit. „ Quod in mutuis „ vitium usuræ annexum est ex eo quod fiant „ spe lucri, quod est contra naturam mutui, „ *inquit priscus Doctor* (*e*), ideo quia dubium & „ periculum de sua natura non tollunt hanc vi„ tiositatem a mutuo quando spe lucri nec du„ bium nec periculum excusare possunt vitium usuræ. Alioquin exinde sequeretur, prout jam observavimus in responsione nostra ad præcedentem difficultatem, quod, sub hoc prætextu, usuræ exigi possint ex mutuis, quæ pauperibus darentur, quoniam qui illis mutuum dant sæpe periculum amittendæ sortis subeunt. Quod tamen Scriptura Sacra, Concilia & Patres, ut magnum crimen condemnant (*f*).

(*e*) Ap. S. Th. opusc. 73. de usuris c. 6.

(*f*) Fr. de Gen. Th. mor tom. 2. tract. 6. c. 2. post 4.

CASUS III.

Saturninus, pauper rusticus, in manu sua habebat dotem Hunegondæ uxoris suæ, quæ mille scutatis argenteis constabat. Cum vero illius mulieris consanguinei, non absque ratione, timerent ne illam summam brevi concoqueret, eum adegerunt ad illam deponendam apud quempiam Mercatorem, ut exinde fructum acciperet, quo facilius onera matrimonii tolerare posset. De hac scrupulus in eorum mentem injectus est; sed deinde sibi persuaserunt, se nihil nisi justum hac in re egisse; siquidem Papa Innocentius III. in quadam ex suis Decretalibus, quam ad Archiepiscopum & Archidiaconum Genuenses inscribit (*g*), mandavit, ut talis cautio in simili casu adscriberetur. An hac ratione salvam conscientiam habent?

(*g*) Inn. III. in c. per vestras de donat. inter virum & uxor. l. 4. t. 20.

RESPONS.

Hunegondæ consanguinei non possunt tuta conscientia, & sine usura recipere ullum fructum ex illis 1000. scutatis argenteis ex vi mutui illius summæ quam Mercatori crediderunt: & unica via Societatis cum illo Mercatore legitime initæ ipsis suppetit, qua aliquem fructum ex illa summa percipere queant.

Decretalis Innocentii, quæ in casus illius expositione citatur, nostræ sententiæ nullo modo contradicit. Nam intentio illius Papæ in casu ibidem memorato in eo erat, ut dos in manus Mercatoris

catoris traderetur eum in finem ut absque ullo periculo, fructum proferret, sed ut illa deposita in societate cum illo Mercatore inita, mulier, ad quam pertinebat subiret solitum periculum, cui obnoxii sunt omnes illi, qui societates ineunt, & ut ea ratione collocata in minori periculo versaretur, quam illud quod subjisset si mansisset inter manus mariti pauperis qui eam verisimiliter brevi consumpsisset. Atque hac de ratione jubet ille Papa, ut dos Mercatori tradatur, ut exinde lucrum *honestum* recipiatur, quo verbo usus non esset, si non societatem legitimam denotare voluisset, in qua sors principalis semper aliquod periculum subit, cum præsertim idem ille Papa alibi lucrum usurarium damnaverit, ut lucrum pudendum prohibitum Lege Divina, & Sanctis Canonibus.

Ac revera, si maritus mulieris, de qua in illa Decretali mentio fit, dives fuisset, Innocentius III. non jussisset, ut ea dos ex ejus manibus auferretur: ac proinde hoc tantum præscribit eum in finem, ut sit æque tuto in manibus Mercatoris, ac in manibus mariti divitis esset. Dici autem non potest, quod si illa dos esset in manu mariti opulenti, omnis periculi & omnis casus fortuiti absolute immunis foret. Ergo mens illius Papæ non est, ut illorum casuum sit immunis, dum Mercatori creditur.

Atqui juxta hanc explicationem a nobis traditam Auctor Glossæ in eam Decretalem asserit (*a*) quod ex uxoria dote fructum percipere non debet ratione usuraria; sed quod illam collocare debet in societate legitima, aut in aliquo commercio licito, ut exinde lucretur quod oneribus matrimonii ferendis inserviat, *Non tenetur* (maritus) *fænerari dotem, & de usuris alere uxorem ...... sed convertat eam in societatem honestam, vel aliquod commercium, ut ex lucro honesto eam alat* (*b*).

(*a*) Gloss. in c.c Per vestras v. Hugelli lucri.

(*b*) De Gen. Th. mor. to. 1. tract. 4. c. 24. q. c.

CASUS IV.

Cecilius habet centum scutatos argenteos, quorum uniuscujusque pretium est trium librarum cum decem assibus usque ad mensis currentis finem, post quod tempus unusquisque scutatus argenteus quinque assibus imminuetur decessione de ejusdem pretio, quæ a Rege in illud tempus promulgata fuit. Sempronius ut hi scutati argentei sibi mutuo dentur in duos menses postulat, ut Cecilius eos ipsi mutuo cedit expresso de pacto, ut non obstante imminutione pretii eorum mox futura, hos sibi reddat in centum nummis paribus & præterea viginti quinque libras in supplementum ejus, quod ex eorum pretio decedet, An illud pactum, quod a Cecilio fit, est usurarium?

Respons.

Illud pactum non est usurarium. Nam Cecilius, qui suos centum scutatos argenteos sub ea conditione mutuo dat, non habet intentionem lucrifaciendi ratione mutui Sempronio dati, sed solummodo vitandi jacturam, quam pateretur, si argentum illud servaret: quod non est prohibitum, & quod alio modo vitare posset. Ratio ejus rei evidens videtur: nam Sempronius, qui mutuo sumit, nullum exinde patitur damnum; siquidem nemo sanæ mentis mutuo sumit pecuniam, ut illam sibi reservet usque ad tempus imminutionis ipsius pretii mox futuræ: sed ut eam impendat ante illud tempus, ac proinde pro pretio eodem, quod obtinet in ipso tempore quo eam mutuatur.

Hæc decisio est Auctoris Opusculi quod mox citavimus, quodque S. Thomæ tribuitur, atque hæc sunt ejus verba: „ Aliud est vitare damnum; & „ aliud sperare lucrum. Quicunque enim ex mutuo „ sperat lucrum, peccat usuræ vitio... Sed non „ sic qui ex mutuo vitat damnum .... Nec in hoc „ damnificatur, qui mutuum accipit, quia non „ ad hoc accipit, ut ipsum usque ad tempus illud „ conservet, in quo verisimiliter minus valitura esset (pecunia); sed ut ipsa uteretur pro tempore „ illo, pro quo valorem suum reservaret quem habebat, cum eam in mutuo acceperat. „ Attamen hæc decisio locum tantum habere debet in casu hoc, si nempe: Sempronius nolit mutuum reddere Cecilio ante tempus, de quo jam inter ipsos convenit. Nam si ille debitor Cecilio offerret ipsi reddere eosdem centum scutatos argenteos, antequam dies imminutionis valoris venisset, hic non posset salva conscientia recusare eos accipere.

CASUS V.

Herveus mutuatus est a Bernardo quinquaginta dupliones Hispanicos sive Pistolas, ne debitum solveret, ad quod corporis vinculo seu metu, in vincula conjiceretur, tenebatur: Sed cum ex Bernardi domo exiret, hanc pecuniam secum auferens, hæc ipsi surrepta fuit, quo facto in Bernardi domum regressus est, ipsi declaravit furtum sibi mox factum, & illi dixit, æquum non esse, ut hoc damnum in se caderet, siquidem nondum erat usus hoc argento, imo ne quidem illud domum detulerat, & præterea hoc esse casum mere fortuitum, de quo spondere non tenebatur. Qua de re rogatur num justa sit Hervei causa, & num Bernardus hanc jacturam tolerare teneatur?

Respons.

Bernardus non tenetur tolerare quinquaginta duplionum Hispanicorum jacturam, sed hæc tota in Herveum recidere debet; licet hæc pecunia casu mere fortuito, & antequam ea uti posset, perierit. Ratio hæc est, quod a temporis momento, quo mutuum factum est, ille cui hoc mutuum datur, evadit in eodem momento dominus & proprietarius rei ipsi mutuo datæ; ac per consequens si forte fortuna pereat illa, sicut accidit in specie proposita, jactura incumbit illi, qui hanc mutuatus est, secundum vulgarem regulam: *Res perit domino rei* (*c*): Idem deciditur in Lege, cujus hæc sunt verba (*d*). *Is quidem, qui mutuum accepit, si quodlibet fortuito casu amiserit quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum; hostiumve incursu, nihilominus obligatus remanet.*

Hæc decisio consentanea est doctrinæ S. Thomæ, & principiis quæ hoc de argumento statuit (*e*), atque hoc est ejus ratiocinium. „ Circa illum qui „ rem alienam accepit duo sunt consideranda, scilicet res accepta, & ipsa acceptio. Ratione au„ tem rei, tenetur eam restituere, quamdiu eam „ apud se habet, quia quod habet ultra id, quod „ suum est, debet ei substrahi & dari ei cui deest, „ secundum formam commutativæ justitiæ. Sed „ ipsa acceptio rei alienæ potest tripliciter se ha„ bere. Quandoque enim .... aliquis accepit rem „ alterius in utilitatem suam absque injuria, cum „ voluntate scilicet ejus, cujus est res. Sicut patet „ in mutuis: & sic ille, qui accepit, tenetur ad „ restitutionem ejus, quod accepit, non solum „ ratione rei; sed etiam ratione acceptionis; et„ iamsi rem amiserit. Tenetur enim recompensare „ ei qui gratiam fecit: quod non fieret, si per hoc „ damnum incurrat, &c. Hæc est præcise difficultas, de qua hic agitur. Herveus enim a Bernardo non accepit quinquaginta dupliones Hispanicos, nisi in propriam suam utilitatem, & illorum debitorem se constituit, dum eos mutuatus est. Ergo tenetur ad eos illi restituendos, etiamsi ipsi surrepti fuerint statim ac eos a Bernardo accepit.

(*c*) Arg. L. Pignus. Cod. de pignoratitia actione l. 4. tit. 24.

(*d*) L. 3. Inst. t. 15. Quibus modis contrahitur obligatio, § 2.

(*e*) S. Th. 2. 2. q. 62. a. 6. in corp.

CASUS VI.

Philemon cum mutuo dedisset mense Novembri Guiberto vini modium, ea lege ut hunc sibi redderet prima die Junii anni sequentis; cumque Guibertus in tempore, de quo convenerant, hunc ipsi non restituisset, ipsi diem dixit coram Judice, ut ab illo damnaretur ad ejus modii pretium sibi solvendum. Guibertus ipsi ejus valorem solvere obtulit pro ratione pretii, quod illud vinum obtinebat in tempore, quo illud mutuo accepit, hoc est sexaginta libras: Philemon e contra pertendit hoc vinum sibi solvi debere pro ratione pretii currentis centum scilicet & quinquaginta libras sibi tradendas esse, quoniam, cum vites gelu tactæ fuerint, vini pretium duplex factum est. A quanam parte stat jus?

Re-

R e s p o n s a.

Respondemus 1. quod ille qui alias res, non vero pecuniam, mutuatus est, quique eas quales esse debent non reddit, aut eas non reddit in tempore, de quo convenit, earumdem æstimationem solvere tenetur. *Si merx aliqua*, inquit lex (*a*), *quæ certo die dari debebat, petita sit; veluti vinum, oleum, frumentum; tanti litem æstimandam, Cassius ait quanti fuisset eo die, quo debuit, si de nihil convenit*. 2. Quod si vini modius a Guberto sumptus fuerit, juxta æstimationem meram & simplicem, quæ de eo facta fuerit, quando Philemon hunc ipsi tradidit; eo in casu Philemon nihil, salva conscientia, amplius petere potest, licet vinum in sequenti tempore longe carius factum sit. Ratio est, quod æstimatio alicujus rei illius venditionem præstat eo in casu, sicut hoc in multis Legibus annotatur (*b*), 3. Quod si æstimatio in ipso mutui tempore facta non fuerit, tunc debet fieri pro ratione pretii quod obtinet res in tempora, quo reddi debet, & in loco, quo restituenda est: quoniam in illo tempore, & in illo loco debetur. Et si neque de tempore, neque de loco conventum esset, tunc deberet æstimatio fieri ex pretio, quod res obtineret in tempore & in loco, in quibus petitur. „ Vinum, „ quod mutuum datum erat, per Judicem petitum est, *inquit alia Lex* (*d*), quæsitum est, „ cujus temporis æstimatio fieret, utrum cum „ datum esset, an cum litem contestatus fuisset, an cum res judicaretur? Sabinus respon„ dit: Si dictum esset, quo tempore redderetur; „ quanti tunc fuisset. Si non, quanti tunc, cum „ petitum esset. Interrogavi, cujus loci pretium „ sequi oporteat? Respondit: si convenisset, ut „ certo loco redderetur: quanti eo loco esset. Si „ dictum non esset, quanti ubi esset petitum pre„ tium. Atque hæ sunt regulæ, quas constituunt Leges, quasque sequi possumus in foro interiori, non secus ac in foro exteriori; siquidem Ecclesia nihil hisce contrarium statuit.

(*a*) L. si merx fin. ff. de condictione tritica. ria l. 43. 2. 3.

(*b*) L. Æstimatæ res 15. ff. soluto matrimon. dos quæmadmod petatur. l. 24. 1. 3.

(*d*) L. Vinum 22. ff de rebus creditis si certum petetur l. 12. tit. 1.

NAUCLERUS.

NAUCLERUS seu Prædator Navium Hostilium ille vocatur, qui imperat uni aut pluribus Navibus bellico apparatu instructis ad irruendum in hostium Naves, & ad illas capiendas & diripiendas. Talis definitio a Daneto in suo Lexico Gallico traditur.

Nulli licitum est navem bellico apparatu instruere ad incurrendum in hostes sine auctoritate & licentia Supremi Domini, & in bello justo; in quibus circumstantiis id quod Nauclerus hostibus abripit, ad ipsum legitime pertinet, modo observet id quod in Principis staturis jubetur, & præterea Principi & generali ejus Navium Præfecto solvat ea quæ jure ad eos pertinent. Verum si Nauclerus propria sua auctoritate navem armare aggrediatur, tunc Pirata seu Latro aut Prædo maritimus vulgo sic dictus censetur; nec per consequens sibi arrogare potest & in proprium usum convertere id quod hostibus abstulit: si quidem nullus privatus bellum cuiquam inferendi jure gaudet, secundum doctrinam Sancti Thomæ, & communem omnium Theologorum & canonici juris Peritorum sententiam; Idque in sequentibus clarius probabitur, in decisione scilicet, quæ a voce, *Theognostus*, incipit.

Sex tantummodo in hunc titulum decisioues trademus, quoniam ejus argumentum per se sterile satis est, existimamus tamen, quod moralis Doctrinæ respectu sic sufficienter a nobis elucidatum erit. Qui vero magis in illam rem penetrare satagent, legere poterunt Decretum ad rem Nauticam pertinens, datum Fontis Bliaudi mense Augusti anni 1681. & præsertim articulos, quos in hoc titulo citamus.

CASUS PRIMUS.

THEOGNOSTUS videns, quod bellum indictum erat inter Gallos & Batavos, propriis sumptibus & propria sua auctoritate duas piraticas naves armavit, ut cum illis in hostes incurreret, & mercede conduxit quinquaginta milites ad unamquamque ex illis navibus complendam, præter Nautas; tribusve aut quatuor hostilibus navibus prehensis, brevi dives evasit. An bona, quæ hac ratione lucratus est, ad ipsum legitime pertinent, siquidem neque armavit, neque hostiles naves occupavit, nisi post belli denuntiationem, quæ publice promulgata est, & qua licentia concedebatur omnibus Gallia in hostes incurrendi, cum taman Provincia a generali Navium Galliæ Præfecto ipsi demandata non fuerit.

R e s p o n s a.

Non existimamus nos, quod bona qae Theognostus illa ratione comparavit, ad ipsum legitime pertineant; licet ille persuasus sit in propria mente de belli istius justitia. Cujus decisionis fundamentum habemus in Doctrina Sancti Thomæ, quam laudamus in responsione nostra ad Casu *Valerianus* (*c*). Nam illic Sanctus Doctor docet, quod privatus jus non habet bellum cuiquam inferendi propria sua auctoritate, nec milites eo animo conducendi. Quod idem a Chassanæo docetur, cujus hæc sunt verba: „ Alteri cuicumque (*e*), præter Regem „ in suo Regno, non licet vacare subditis pro „ defensione in militia; sed soli Regi nostro Fran„ ciæ competit tale jus .....quoniam notorium „ est in Gallia, quod omnibus, etiam Principi„ bus inferioribus, armorum usus est prohibitus „ & congregatio militum, nisi de licentia Regis „ nostri: illud est ita clarum, quod non potest „ tergiversari, nec celari. Quod idem Jurisconsultus confirmat Authentica Justiniani Imperatoris (*f*) qua expresse inhibetur, sub gravissimis pœnis, omnibus subditis armare, aut ullos milites conscribere propria auctoritate. Quod scribit Chassanæus, id expresse declaratum est Decreto Henrici III. facto mense Junii anni 1581. quo ille Princeps prohibuit, ne ulli milites conscriberentur, sine ejus procurationis rite concessis, sub pœna capitis & bonorum confiscationis (*g*). Eadem necessitas procurationem obtinendi, etiam expresse injungitur Decreto dato Fontis Bliandi mense Augusti anni 1681. (*h*). *Nulli liceat navem armare ad bellum gerendum sine procuratione a generali navium Galliæ Præfecto concessa*. Hæc sunt ipsissima illius Decreti verba: quæ procuratio referri

(*c*) Cas. 5. v. Nauclerus.

(*e*) Chassanæus cons. 64.

(*f*) Authenticorum collat. 8. t 17. novella Ut neque miles 116.

(*g*) Fontan. l. 4. p. 718.

(*h*) Constitut. Maritima leg. 9. t. 9. art. 1.

ferri debet in acta publica, quæ servantur in Tabulario ubi res nauticæ tractantur, ut eodem Decreto mandatur (*a*).

(*a*) Ibid. ar. 8. an. 1681. t 10.

Quin imo eodem Decreto prohibetur (*b*), sub pœna confiscationis, ne ullæ naves onerariæ ab ullo portu exeant sine licentia expressa Domini generalis Navium Præfecti, quæ conscribatur in eodem Tabulario, sicut in illo procurationes conscribi debent. Cum autem Theognostus instruxerit & armaverit suas duas naves prædatorias propria sua auctoritate, & sine Regis procuratione, bona quæ comparavit, diripiendo naves hostiles, eodem in loco haberi debent ac bona, quæ Pirata aut Prædo maritimus comparavisset: nam quod attinet ad licentiam generalem, quæ in publica belli denuntiatione continentur, non debet intelligi nisi sub clausula *Servatis Servandis*; hoc est observando ordinem & rationem, quam præscribunt Decreta, quibus illa publica belli denuntiatione Rex derogare non vult.

(*b*) Constitut. art. 1.

CASUS II.

NEMESIUS, Nauclerus natione Gallus recepit ab Anglis, cum quibus Gallia bellum gerebat, navem onerariam Tabac oonustam, quam hostes die præcedenti Mercatori Gallo abstulerant; nonne illa navis capta restitui debet Mercatori, ad quem pertinet?

RESPONS.

Distinguendum est; nam, si illa navis oneraria per viginti quatuor integras horas in Anglorum potestate mansit, tunc censetur ad illos legitime pertinere secundum Leges belli; & in illo casu ea navis recte prehendi potest, nec Nemesius tenetur ad illam restituendam Mercatori Gallo, qui ejus erat proprietarius. Sed, si Nemesius illam navem occupavit & recepit antequam viginti quatuor horæ penitus elapsæ essent, tunc restitui debet Mercatori, modo solvat impensas recuperationis, secundum Edicta.

Idque expresse continetur in Decreto Regio de rebus Nauticis, dato mense Augusti anni 1681. in quo hæc Ludovici Magni verba extant (*c*). „ Si „ quæpiam navis ad subditos nostros pertinens ab „ hostibus nostris recipiatur, postquam in illorum „ manibus per viginti quatuor horas manserit, „ tunc illius captura bona erit; si vero contin- „ gat illa captura ante viginti quatuor horas, „ restituetur navis ejus proprietario, cum omni- „ bus, quæ in ea inerant, tertia parte excepta, „ quæ cedet navi a qua recuperata est.

(*c*) Constit. Maritimæ l. 3. t. 9. art. 8.

Qua de re observandum est 1. quod, si navis ab hostibus capta, ab iis deserta esset, antequam illam deduxissent in quempiam ex eorum portibus, & vi tempestatis, aut alia ratione ab ipsis separata, ac deinde in quempiam hujus Regni portum subiisset, etiam post viginti quatuor horas elapsas, in illo casu plane restitui debet ejus proprietario, quinimo ipsi conceditur annus integer cum uno die ad illam sibi vindicandam secundum idem Decretum (*d*).

(*d*) Ibid. ar. 9.

1. Observandum quod eadem vindicatio locum quoque habet per idem temporis spatium, scilicet numerando a die in quo primum vindicatio illius facta est in Tabulario ubi res nauticæ tractantur; & sub eadem conditione, quando quæpiam navis secepta est a Piratis aut Prædonibus maritimis, secundum articulum decimum ejusdem Decreti (*e*).

(*e*) Ibid. ar. 10.

CASUS III.

CUM bellum justa de causa a Gallis in Batavos denuntiatum & illatum esset; Ferrandus, Nauclerus Gallus, & impugnavit & occupavit navem Anglorum quadriginta dolia continentem, quæ nolebat pati, ut a se visitaretur, in quam multi Mercatores Batavi congesserant magnam quantitatem pannorum, telarum subtilium, sacchari & aliarum mercium, eum in finem, ut Signo Anglorum protectam a Prædatoribus maritimis Gallorum ea navis non caperetur. An illa captura legitima est, & nonne Ferrandus ea in re in regulas justitiæ peccavit?

RESPONS.

Illa navis bonæ capturæ fuit, & Ferrandus potuit sine ulla injuria eam occupare. Nam omnis navis, omnes merces, aut res pertinentes ad inimicos Status, secundum Leges belli rite abripi possunt; non secus ac illa navis quæ ad fraudem faciendam illis onusta deprehensa est. Idque expresse habetur in Decreto anni 1681. de rebus Nauticis lato (*f*) cujus hæc sunt verba: *Omnes naves quæ deprehendentur onustæ rebus ad inimicos nostros pertinentibus & merces Subditorum aut Sociorum nostrorum, quæ in navi hostili deprehendentur, bonæ pariter capturæ erunt*. Ac revera, de illo casu judicandum est idem, ac de eo, in quo Regis Officiarii retexissent in quapiam apotheca, aut secreto repositorio merces, aut alias res, quæ ad hostes pertinerent. Negari autem non potest, quin in eo casu Princeps jus haberet ea omnia proprio fisco addicendi. Eodem agitur modo ratiocinandum est in specie, de qua igitur, & dicendum quod si Ferrandus habebat procurationem sibi a generali Navium Galliæ Præfecto concessam, quæque rite in Tabulario in quo res Nauticæ tractantur, in publica acta relata esset, tunc potuit sine injuria illam navem & merces, quæ in ea inerant, capere.

(*f*) Constit. Maritimæ l. 2. t. 9. art. 7.

CASUS IV.

MEMMO, Nauclerus Gallus, instructus procuratione sibi a Rege concessa cum in mari offendisset navem onerariam Gallorum; ipsi signum dedit, ut vela sua dimitteret, ut visitari posset, & ut illi ostenderet procurationem suam, aut navigandi licentiam; cumque illa navis onerata agere recusaret, tunc illam aperto Marte ad hoc adegit; imo & illam occupavit propter ejus adversos conatus; & quia Magister seu Patronus illius navis nullam habebat Chartam partitam, hoc est Instrumentum nauli scripto consignatum, continens conventionem de mercede conductionis illius navis: An illa captura est legitima?

RESPONS.

Captura, quæ ab illo Nauclero facta est, bona est & legitima duabus de rationibus. Prima, quoniam Magister illius navis tenebatur illam admovere & in Naucleri navem ipse conscendere, & pati, ut sua navi visitaretur sub pœna jacturæ illius navis (*g*). „ Omnis navis quæ recusabit „ vela sua dimittere postquam de hoc monita „ fuerit a nostris navibus, aut subditorum no- „ strorum ad bellum armatis, poterit ad hoc „ adigi tormentis bellicis aut alio modo; si ve- „ ro resistat, & ad prælium deveniatur, tunc „ bonæ erit capturæ. His utitur verbis Rex noster suo Decreto mensis Augusti anni 1681.

(*g*) Constitut. mensis Augusti 1681. l. 3. t. 9. art. 12. ib. l. 3. t. 2. a. 1. & 3.

Secunda vero, quoniam secundum idem Decretum, interesse debet Charta partita, hoc est, conventio scripto consignata inter Mercatores & Magistrum sive Proprietarium navis; & secundum ejusdem articulum tertium, illud Instrumentum continere debet. 1. nomen & capacitatem navis, 2. Nomen Magistri aut Patroni & nomen illius, qui naulum solvit, hoc est, illam mercede conduxit. 3. Locum & tempus in quibus aut onusta aut exonerata fuit, & erit. 4. Pretium conductionis vel nauli; hoc est, pecuniæ promissæ pro mercede illius navis, cum fœnore debito propter moras & mansiones in quibusdam locis, quibus adjungere possunt partes alias conditiones, de quibus inter se conventum erit. Articulus ille his verbis enuntiatur. „ Magister tenebitur ha- „ bere in navi sua durante itinere, Chartam „ partitam & alia instrumenta, quibus constet „ de mercibus, quibus onusta est ejus navis, & „ si nulla talis Charta partita in navi inveniatur, „ tunc bonæ capturæ haberi debet. Atque hæc est Lex eodem Decreto sancita, cujus hæc sunt verba (*h*): „ Bonæ præterea capturæ erunt na- „ ves, cum mercibus quibus implebuntur, illæ „ in quibus nulla invenietur Charta partita, ne- „ que indicatio, aut declaratio speciei & pretii „ mercium.

(*h*) Ib. l. 3. t. 9. art. 6.

CA-

CASUS V.

VALERIANUS, Parochus navis prædatoriæ, quam ipse ædificandam curavit, consilium cepit illam bellico apparatu instruere, ad incurrendum in Turchas sub Vexillo & cum procuratione Magni Magistri Equitum Melitæ; rogat itaque amicos, ut ipsum adjuvent quibusdam pecuniæ summis, quas ut sibi mutuo dent ab ipsis, petit ut se accingat ad illud cœptum exequendum. An ejus amici possunt salva conscientia illi mutuo dare, quod ab ipsis petit, aut eumdem in finem alia ipsi auxilia præbere?

RESPONS.

Valeriani amici possunt sine ullo peccato favere consilio quod cepit arma ferendi in infideles, & illi mutuo dare pecuniæ summas, quibus ad illud exequendum opus habet, aut alia ratione eum in hoc cœpto perficiendo adjuvare. Ratio illius rei est, quod Equites Melitæ indixerunt bellum justum & perpetuum Turcis & aliis Infidelibus tamquam hostibus nominis Christiani & Ecclesiæ, quam certo destruerent, si illius rei peragendæ potestatem haberent. Cum igitur hoc bellum non modo justum sit, sed etiam necessarium, unusquisque potest salva conscientia illi contribuere, imo & ad illud gerendum arma sumere.

Illa decisio fundamentum habere potest S. Thomæ auctoritatem *(a)*, qui asserit, bellum esse justum quoties tres res concurrunt. Prima, auctoritas Principis, a quo illud declaratur; si quidem nullus privatus, qualicumque potestate gaudeat, jus habet bellum cuiquam inferendi. *Ad hoc quod aliquod bellum sit justum, tria requiruntur*, inquit ille S. Vir, *primo quidem auctoritas Principis, cujus mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia potest jus suum in Judicio Superioris prosequi: similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 4. art. 1. in corp.

Secunda: ut caussa belli sit justa, adeo ut illi, cum quibus bellum geritur, mereantur mala sibi a bello illata. *Secundo requiritur caussa justa; ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.* Quod ille sanctus Doctor auctoritate sancti Augustini probat, cujus hæc verba refert. *Unde Augustinus in libro 83. quæstionum.* „ justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias; Si gens, vel civitas plectenda „ est, quæ vel vindicare neglexerit, quod a suis im„ probe factum est, vel reddere, quod per injuriam „ ablatum est.

Tandem, tertia conditio necessaria, ut bellum justum efficiatur, est ut illi qui id gerunt habeant intentionem quæ recta sit, quæque ad procurandum bonum aut ad impediendum malum tendat. *Tertio denique requiritur*, addit S. Thomas, *ut sit intentio bellantium recta, qua scilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur*: quod iterum confirmat S. Augustini testimonio *(b)*, qui asserit, quod Christiani sibi mutuo bellum inferre possunt de utraque ex illis caussis. *Unde Augustinus in libro de verbis Domini*: „ Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata „ non sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, „ sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur „ & boni subleventur.

(b) S. Aug. in can. Apud. c. 23. q. 1.

Concludendum est igitur tum ex illa sancti Thomæ doctrina, tum ex auctoritate sancti Augustini, qua illam confirmat, qnod Valerianus potest absque peccato Navem armare ad incurrendum in Infideles sub vexillo & cum procuratione Religionis Melitensis, & quod ejus amici possunt ad hoc salva conscientia contribuere 1. Quoniam illa Religio titulo supremæ Potestatis gaudet, qui agnoscitur ab omnibus pariter Europæ Principibus, ac proinde bellum gerendi jus habet. Quoniam justam habet caussam bello lacessendi Turcas, qui aboliverunt, saltem quantum in ipsis fuit, nomen Christianum; non modo in terris ipsorum Imperio subjectis, sed etiam in omnibus regionibus, in quas arma sua intulerunt, & quoniam per consequens digni sunt, qui plectantur flagello belli, quod perpetuum sit sicut perpetuum est eorum in Christianos odium. 3. Quoniam illius intentio rectissima est, si quidem unice tendit ad impediendam Christianismi excisionem, & ad protegendam Ecclesiam cum Christianis.

Hac de re observandum est, quod si Valerianus natione Gallus esset, & quod omnia ad armandam navem in Regno pararet, tunc neque in gratiam Religionis Melitensis, neque in gratiam ullius alius Principis extranei armare posset, sine expressa Regis licentia. *Interdicimus omnibus subditis nostris*, inquit decretum Fontis Bliaudi datum mense Augusto anno 1681. *(c)*; *quominus procurationes accipiant ab ullis Regibus, Principibus, aut statibus extraneis, ad armandas naves ad belligerandum, & maria percurrant sub eorum Vexillo, nisi hoc fiat cum licentia nostra, nisi in eamdem ac Piratæ pœnam incurrere velint.*

(c) Constitut. Maritimæ ann. 1681. tit. De Capturis. 9. art. 3.

CASUS VI.

VICTORIUS, Nauclerus Macloviensis plusquam 10000. scutatos argenteos nummos lucratus est durante bello, quod Gallia cum Anglis gerebat, capturis & spoliis quæ de illis reportavit cum navi, quam propriis impensis armaverat ad incurrendum in illos, ex procuratione, quam obtinuerat a generali & supremo Navium Galliæ Præfecto. An illud bonum legitime ad ipsum pertinet?

RESPONS.

De illo Nauclero ratiocinandum est sicut de Officiariis & Militibus, qui sub Principe stipendia merentur. Illi autem, qui sui Principis militiæ nomen dedere in bello justo, legitime possunt in proprium commodum convertere id quod hostibus Status eripiunt. Nauclerus privatus potest igitur etiam in proprium usum convertere in illo casu capturas, quas de illis reportavit, dummodo tamen observet statuta & Præscripta hac de re facta. Ratio est, quod Nauclerus bellum furtivum gerit, tantummodo ex vi procurationis expressæ Principis sui, & prælia maritima miscet solummodo ex supremi Domini sui auctoritate. Unde sequitur, quod modo Victorius privata auctoritate sua capturas, quibus ditatus est, non fecerit, & non pugnaverit nisi sub vexillo & auctoritate Regis, & denique non fraudaverit jura debita Regiæ Majestati & ejus supremo Navium Præfecto, ex navibus Anglorum, quas ipse occupavit, tunc 10000. scutati argentei nummi, quos lucratus est ad ipsum legitime pertinent. Hæc decisio evidens est ex doctrina Sancti Augustini & Sancti Thomæ, quam mox in responsione ad præcedentem difficultatem retulimus.

NAUFRAGIUM.

NAUFRAGIUM vocatur Navis, aut cujuslibet alius navigii maria emetientis jactura, sive in rupes illidat, sive aquis absorbeatur, cum nautis ac mercibus omnibus, aut illarum parte.

Naufragium semper inter magna infortunia numeratum est; unde antiquus Poeta, *demite naufragium, mors mihi munus erit (d).*

Præcipuas normas, quas in Gallia circa illud observare tenentur, in quatuor istius Tituli decisionibus explicare conati sumus; solummodo illis addemus.

(d) Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 2.

1. Quod, secundum Mornacium, quando instante naufragii timore, merces in mare projicere vel illarum partem Nautæ coguntur, tunc illarum domini periculo

elapso per duos menses earum mercium recuperationi vacare possunt, quo tempore præterito, urinatoribus, tertia pars rerum, quas a mari extrahunt, cedit, alia tertia pars Fisco pertinet, alia denique Galliarum maris Præfecto datur (a).

2. Quod, præter Leges de Naufragiis annis 1543. 1573. & 1584. promulgatas, præcipue consulenda est illa, quæ anno 1681. (b) in publicum emissa est, si quis perfectam nostræ agendi rationis hoc respectu notitiam acquirere velit.

3. Quod consulere unusquisque, cui lubebit, poterit, in Juris civilis corpore Titulos, quos ad marginem indicamus, ubi Naufragiorum fit mentio (c).

(a) Mornacius lib. 1. 3. §. *Res jacta* ff. ad Leg. Rhodiam fol. 571.
(b) Lib. 4. Tit. 10.
(c) De incendio, ruina, naufragio, &c. ff. lib. 47. tit. 9. De naufragiis codicis lib. 11. tit. 5. cod. Theodos. Lib. 13. tit. 9. Novella 64.

CASUS PRIMUS.

Trophimus & Germanus Mercatores cum octodecim aliis, in communi habent corpus Navis, quæ ab India mercibus onusta redit, horrenda tempestas oritur, imminentis naufragii evidenti periculo, magnam mercium partem in mare projicere coguntur, quæ Trophimo & Germano peculiariter pertinere deprehenduntur. Deinde vero feliciter navis ad portum appellitur cum omnibus mercibus, quæ ad alios octodecim pertinent. Trophimus & Germanus pertenderunt istos teneri, unumquemque pro parte sua de damno, in quod per suarum mercium amissionem, incurrerant, in communi tolerando. Alii octodecim e contra contendunt, quod, cum nullo modo conscii sint illius eventus, qui casu mere fortuito accidit, de illo reparando non tenentur, quia nullus de casu fortuito tenetur, præter eum in quem damnum ab eo casu emergens incidit. Ab utra parte stat jus?

R E S P O N S.

A parte Trophimi & Germani jus stat. Quando enim in naufragii periculo, coguntur nautæ partem eorum, quibus navis est onusta, in mare projicere, ad cætera omnia servanda, illi quorum merces servatæ fuerunt, de toleranda jacturæ parte eorum, quæ pro communi omnium utilitate in mare projecta sunt, quisque pro parte sua, tenetur. *Lege Rhodia* ut habet Lex (d) *cavetur, ut si levandæ navis gratia, jactus mercium factus est, omnium contributione, sarciatur quod pro omnibus datum est.* Id ipsomet æquitas a natura omnibus concessa exigit, ut in sequenti lege habetur, (e) *Æquissimum est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt, ut merces suas salvas haberent.* Ita ut ii quorum res in mare projectæ fuerunt, jus habeant impediendi, etiam manus injectione, quominus aliorum merces in terram educantur, ut cogant alios, quæ sibi debentur, reddere. *Servius quidem respondit, ex locato agere cum Magistro navis debere*, inquit eadem Lex, *at ceterorum vectorum merces retineat, donec portionem damni præstet.*

(d) Leg. Lege 1. ff. De Leg. Rhodia, De Jactu Lib. 14. tit. 2.
(e) Leg. Si laborante. 2. ff. eod. tit.

Sed difficultas in eo consistit, ut sciamus qua proportione servata fieri debeat contributio ad sarciendum damnum eorum, quorum merces in mare conjectæ fuere. Lex exstat quæ jubet, ut quod attinet ad res quæ a naufragio servatæ sunt, earum æstimatio fiat, non pro pretio quo emtæ fuere, sed pro eo quo vendi possunt; sed quod attinet ad eas quæ in mare projectæ sunt, earum æstimatio non fiat, pro pretio quo vendi potuissent. *Portio autem*, inquit ea Lex quam secundam citavimus (f) *pro æstimatione rerum, quæ salvæ sunt, & earum quæ amissæ sunt, præstari solet. Nec ad rem pertinet, si hæ quæ amissæ sunt, pluris venire poterant, quoniam detrimenti, non lucri fit præstatio: sed in his rebus, quarum nomine conferendum est, æstimatio debent haberi, non quanti emtæ sint sed quanti venire possunt.*

(f) Cit. Leg. Si laborante §. 4.

Nihilominus, si secundum hanc Legem, æquum est, ut rerum servatarum æstimatio fiat pro pretio, quo væniri possent; quia revera est ille valor, qui a periculo liberatus fuit, pariter æquum videtur esse, ut eæ res quæ in mare conjectæ fuere, eum tantum in finem, ut ceteræ servarentur, eadem ratione æstimentur, & ut sors eorum qui merces amisere, ut Trophimo & Germano contigit, non deterior sit conditione aliorum, quorum merces servatæ fuere: quoniam illæ eum tantum in finem projectæ sunt in mare, ut istæ servarentur, & quia nulla erat caussa quæ alias potius quam alias in aquas projicere compelleret. Quibus addere possumus, quod, sicut contributio fieri non debet nisi postquam Navis salva in portum appulit, pariter æquum est, ut omnium mercium æstimatio fiat, hoc est tam earum, quæ a naufragio servatæ sunt, quam earum quæ projectæ fuere pro ratione pretii quod obtinebant, quo tempore navi eductæ sunt, deductis omnibus legitimis sumtibus. Ideo Edicta fuere promulgata quibus hoc ita statutum est (g) ut peritus Jurisconsultus nostri ævi observat. Sed illa æstimatio fieri debet *Judicio viri prudentis*, non vero absolute, & præcise, pro ratione pretii quo merces salvæ vendentur, si quidem moraliter fieri nequit, ut præcise cognoscatur quanti venum dabuntur ab omnibus illis ad quos pertinent, cum sæpissime accidat, ut non semper vendantur in portu, ad quem appulerunt, & ut in alia loca transferantur sive terra, sive mari cum novis sumtibus, & aliquando cum novis periculis: aut ut non æquali pretio omnes vendantur, sed plus aut minus prout plus aut minus illis indigent incolæ locorum, in quibus væneunt. Itaque juxta has regulas jus debet præstari Trophimo & Germano ab aliis octodecim Mercatoribus qui in communi cum illis possident corpus navis, in qua inerant eorum merces.

(g) *Judicia Oleron* art. 8. & *Edicta Vuisbus* art. 20. & 39. laudata a D. Domat, in Tractatu Leg. Civilium l. 2. tit. 9. sect. 2. n. 6.

Ut illud argumentum omnino elucidetur, 1. Observandum est, quod omnia quæ a naufragio servantur, dum exoneratur navis, debent ad contributionem conferre, quæque pro pretio suo, & sine respectu aut ad gravitatem aut ad majus vel minus spatium, quod occupant, sive sint lapides pretiosi aut metalla. Nam ad pretium quod in pereundi periculo fuit & quod servatum fuit, omnino attendendum est. *Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegissent*, ut habetur in una ex Legibus quam supra laudavimus, (h) *præterea que multi vectores, servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta necessario jactura facta erat: quæsita deinde sunt hæc: an omnes jacturam præstare oporteat; & si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, velut, Gemmas, Margaritas; & quæ portio præstanda est: & an etiam pro liberis capitibus dari oporteat; & quæ actione ea res expediri possit. Placuit omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum conservatæ res deberent. Itaque dominum etiam navis pro portione obligatum esse.*

(h) Citata Leg. Si laborante §. 2.

2. Adhuc observandum est, quod victus & cibaria, quæ eum tantum in finem in navem congesta fuere, ut nempe per navigationis spatium absumerentur, non debent ad contributionem conferre, ut id indicat eadem Lex quam mox laudavimus (i).

(i) Cit. §. 2. in fine.

3. Quod Dominus navis, quæ sæviente tempestate malum aut anchoras aut alias ejusdem naturæ partes navis amisit, nullum habet jus postulandi, ut illa jactura sarciatur ab illis, quibus pertinent merces quæ sunt in nave. *Si conservatis mercibus deterior facta sit navis*, est in eadem Lege de qua supra (k) *aut si quid exarmaverit, nulla facienda est collatio; quia dissimilis earum rerum caussa sit, quæ navis gratia parantur, & earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit.* Ratio illius rei est, quod Dominus navis teneatur præbere navem suam omni supellectile instructam & merces quæ in ea collocantur convehendi idoneam, siquidem pro eo stipendium accepit, non secus ac opifex artis suæ instrumenta comparare, & eorum jacturam solus ferre tenetur. *Nam etsi faber malleum aut incudem fregerit*, inquit eadem Lex, *non imputaretur ei qui locaverit opus.*

(k) Cit. Leg. Si laborante §. 1.

Attamen si ad vitandum Naufragium, quod Navi imminet, utile duxissent vectores, quaedam Navis partes in mare projicere, tunc communis esset earum partium jactura, quoniam non ea tempestas effecisset, sed ea jactura a timore periculi communis ortum duceret. *Cum arbor, aut aliud navis instrumentum, removendi communis periculi caussa*

dejectum est, *contributio debeatur*, ut in alia Lege dicitur (*a*).

(*a*) Cum arbor. 5. ff. sod. t.

Tandem observandum est, quod si merces unius eorum, qui in commune contulerunt, corrumpantur, postquam aliæ in mare projectæ sunt, sive per fluctus qui navem & eas subiere, sive alio casu, tunc damnum illud tolerari debet ab iis, qui contribuunt ut præcedentis jacturæ seqoela: *Cum autem jactus de nave factus, & alicujus res, quæ in nave remanserunt deteriores factæ sunt, videndum an conferre cogendus sit, quia non debet duplici damno onerari, & collationis, & quod res deteriores factæ sunt; sed defendendum est hunc conferre debere.* Talis est alius Legis sententia (*b*), sed ille cui illæ merces corruptæ pertinent non tenetur pro parte sua conferre ad sarciendam jacturam earum quæ in mare projectæ sunt, nisi pro ratione pretii præfeotis propriarum suarum mercium, si quidem verum est, illum nihil aliud, quam illud pretium conservare: *Sed hic videamus*, inquit illa Lex de qua mox, *num & ipsi conferri oporteat: quod enim interest, jactatas res meas amiserim; an nudatus deteriores habere cæperim? Nam sicut ei, qui perdiderit, subvenitur, ita & ei subveniri oportet, qui deteriores propter jactum res habere cæperit, Hæc ita Papyrius Fronto respondit.*

(*b*) L. Navis. 4. §. 2. ff. de L. Rhodia, de jactu.

Licet autem hæ observationes non præcise pertineant ad difficultatem, de qua agitur in specie proposita, attamen necessarium duximus eas hic adjungere ad majorem circa illud argumentum elucidationem, & quia inservire possunt ad decidendas alias controversias, quæ in eo tractantur, de quibus alii Casuistæ nullam mentionem faciunt.

CASUS II.

Navis onusta mercibus pretiosis, quæ pertinent Nicolao, Josepho, & decem aliis Mercatoribus, qui omnes simul communi sumptu corpus illius navis emerunt & eam omni victu & supellectili instruxerunt, capta fuit a Pirata, nec ab eo liberata nisi postquam decem mille argenti libras, quæ illi præsenti pecunia numeratæ sunt, accepit, vel ille Pirata a nave abstulit per vim omnes merces, quæ Josepho & Nicolao propriæ erant aliis omnibus relictis. Qua in re quærunt, an in primo casu proposito, decem alii propria conscientia jubente teneantur tolerare damoum illud, quisque pro parte sua, & in secundo casu rogatur, num omnes teneantur pecuniam conferre ad Nicolai & Josephi jacturam reparandam.

RESPONS.

Illa species duas diversas difficultates includit; Prima pertinet ad Navem a quodam Pirata captam, & ab eodem redemptam decem mille libris argenti, quæ ipsi præsenti pecunia solutæ sunt. Secunda respicit merces, quæ privatim Nicolao & Josepho pertinebant, quæque solæ a Pirata per vim ablatæ sunt. De prima dicimus, quod constat, Nicolaum, Josephum & decem alios, qui cum illis societatem iniverant in coemenda & in instruenda nave omni supellectili necessaria, pariter teneri naturali sponsione, quam inter se inniverunt, ac proinde quod omnes conferre debent ad sarciendam jacturam 1000. Lib. pro ratione rerum, quas servaverunt. Sed non eodem modo de secunda difficultate disserendum est. Nam jactura mercium a Pirata per vim ablatarum, unice afficere debet Nicolaum & Josephum, cui illæ pertinent, nec alii decem Mercatores, qui privatim possident merces in nave relictas, teoentur illius damni partem tolerare. *Si navis a Piratis redempta sit*, inquit Lex (*c*): *Servius, Ofilius & Labeo omnes conferre debere ajunt. Quod vero prædones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit.*

(*c*) L. Si laborante c. 1. §. 3. ff. De L. Rhodia de jactu.

Illa decisio, quæ duas diversas regulas includit, eodem juris principio fundatur, nempe jacturam cujuslibet rei incidere debere in eum, cui illa res propria est. *Res perit Domino rei* (*d*). Itaque amisso 10000. Lib. quæ datæ fuere Piratæ ad redimendam navem, communis est omnibus illis, ad quos Navis jactura pertinebat, hoc est, omnibus illis duodecim viris, qui illam communi sumptu coemerunt & omnibus rebus necessariis instruxerunt; amisso vero Mercium per vim abreptarum solummodo afficit illos, quibus illæ merces pertinebant, Nicolaum nempe & Josephum.

(*d*) Arg. Legis si pignus 9. cod. de pignorat. Actione l. 4. 1:1. 24.

CASUS III.

Navis oneraria, quæ ad Mercatores extraneos pertinet, in Galliæ littoribus naufragium patitur, in reditu suo ex India, & omnes vectores pereunt; Isidorus vero peritus urinator extrahit e mari quasdam res ad illam navem pertinentes, & inter illas parvam arcam, in qua inerant Adamantes & alii lapides pretiosi, quorum valor erat 10000. nummorum argenteorum scutatorum. Illæ res nonne ad eum pertinent, prælertim si nullus eas repetat?

RESPONS.

Antequam difficultati propositæ respondeamos, tenendum est, quod secundum Leges super naturalem æquitatem fundatas, illud quod naufragio perit, pertinere non cessat illi qui ejus rei Dominus antea erat; sed quod tantummodo censetur ejus respectu amissum. *Si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere*, inquit Lex quæ in Digesto legitur (*e*). *Quod en naufragio expulsum est non est in derelicto, sed in deperdito*, ut in alia Lege habetur (*f*); Et eodem modo judicandum est de rebus quæ in naufragii periculo, in mare conjiciuntur (*g*). Doctus quidam Theologus idem docet (*h*), & post eum Sylvius (*i*), verba faciens de mercibus, quæ tempestas sæviens cogit in mare projicere, & ipsamet Ecclesia eas Leges ut legitimas agnoscit, ut probari facile potest 1. per vicesimam Bullam Julii II. quæ data est 24. Februarii, ann. 1509. (*k*) in qua ille Papa istis utitur verbis: *Nos considerantes, tam civili, quam Canonica lege licere aaicuique naufragium suum impune colligere, et ac jacta in mari, alleviandi oneris causa, recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere, ac Christianos naufragium patientes rebus suis spoliantes diversis pœnis puniri, & propterea consuetudinem prædictam tanquam contra regulam fidei, qua unus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari debere, cujuscumque temporis cursu munitam .... Consuetudinem capiendi & retinendi bona per naufragium, vel jactam, levandæ navis gratia, aut alia urgente necessitate factum nulli in judicio, vel extra illud suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus & declaramus.* Ille supremus Pontifex adjungit illi Decreto pœnam confiscationis omnium bonorum illorum, qui hoc violabunt, cum pœna excommunicationis *ipso facto*, contra Dominus locorum & eorum Officiarios. Quod Paulus III. confirmat sua quadragesima secunda Bulla (*l*), data 15. Martii mensis an. 1545. qua in re illi duo Papæ tantummodo renovant Decretum Concilii, quod Romæ habitum est a Gregorio VII. (*m*) & Constitutionem Sanctam in tertio Concilio generali Lateranensi ab Alexandro III. quæ in Juris corpore refertur (*n*). Secundo justitia Legum, quas mox laudavimus, adhuc probatur per Concilium Turonense ann. 1583. celebratum (*o*) in quo hocce Decretum reperitur; *Si ventorum vi, vel tempestate agitata navis variis onusta mercibus scopulis illisa, naufragio, frangatur, ex Concilio Nanaetis sedente Honorio II. habito, reliquias neminem, sive nobilem sive alium .... propter naufragium tuta conscientia sibi arrogare posse declaramus. Adversatur enim, non modo Christianæ pietati, sed etiam & legi naturæ civili, cum aliena jactura locupletari.*

(*e*) L. Pomponius 44. ff De acquirendo rer. dominio; l. 24. 2. 2.

(*f*) Leg. Interdum 21. P. 1. ff. de acquir. vel amittendo possess. cit l 4. t. 2.

(*g*) Ib. P. 2.

(*h*) Jo. Major. in 4 d. 15. q. 2 j.

(*i*) Fr Sylv. in 2. 2. q. 60 a. 5. concl 8

(*K*) Julius II. in Bulla Romanus Pont. P 2. & 3.

(*l*) Paulus III. in Bulla Accepimus.

(*m*) Concil. Roman. sub. Gregorio VII. apud Ant. Augustinum l. 35. 1. 20.

(*n*) Alex. III. in c. Excommunicationi 3. de raptoribus &c. l 5. 1. 25.

(*o*) Con. Tur. 1. de Christi fidelibus Laicis.

Præterea, scire adhuc operæ pretium est, quo Jure utantur in Gallia respectu rerum naufragio amissarum. Decreta publica tantummodo anni spatium Dominis earum rerum concedunt, per quod tempus eas repetendi & sibi ut suas vindicandi potestas ipsis conceditur, ut declaratur in Edicto mensis Martii an. 1584. Parisiis dato ab Henrico III. in quo continentur statuta Jurisdictionis consilii Præfectorum Navium Galliæ, quorum vigesimus articulus his verbis profertur; *Ab omnire, generaliter quæ a mari in terram extrahetur, sive sint res, frag-*

fragmenta & quæcumque a fluctu in terram protruduntur, tertia pars eorum pertinebit ad illum aut ad illos, qui ea extraxerint & in tuto posuerint, tertia pars supradicto Generali Navium Præfecto dabitur, & alia tertia pars pertinebit ad nos, aut ad Dominos locorum, quibus concessimus eam tertiam partem, quæ jure nostra erat in terris ipsis subjectis, si modo Mercator non repetit mercem suam intra annum & diem unam a tempore quo amissa est. Nam si illam sibi vindicat intra annum & diem quibus supradicta jactura acciderit, tunc illam recuperabit, dummodo solvat sumptus in ea servanda factos illis, qui eam curam in se susceperint (a).

(a) Fontanon t. 4. pa. 1234.

Illa Jurisprudentia fundamentum habere potest in quadam Lege Romana, quam citare non inutile erit, licet annus, de quo mentionem facit, non respiciat casum de quo hic agitur. Hæc sunt illius Legis verba (b): *Si quis navicularius naufragium se sustinuisse adfirmet, Provinciæ judicem ejus videlicet, in qua res agitur adire festinet, ac probet apud eum testibus evocatum, relatioque etiam ad sublimissimam referatur præfecturam; ita ut intra anni spatium veritate revelata, competens dispositio procedat. Quod si per negligentiam præfinitum anni spatium forsitan claudatur; supervacuas serasque interpellationes emenso anno placuit non admitti.*

(b) L.b.quis a. cod. de naufragiis. l. 11. t. 5.

Hoc primum posito dicimus 1. Quod Isidorus vel quilibet alius non potest sibi vindicare res, quas e mari extraxit, nisi post annum integrum, numerando a tempore, quo naufragium accidit. 2. Quod anno finito, si nullus repetitum venerit quod e mari extraxit, tunc tertia ejus pars solummodo ei pertinet, alia tertia pars Regi: alia denique tertia pars supremo Navium Præfecto, ut habetur in Edicto, quod mox citavimus, quodque conforme est alii Decreto dato Fontis Bliaudi a Francisco I. mense Februarii an. 1543. (c) articulo undecimo, & verificato in suprema Curia 10. mensis Martii ejusdem anni (d). Vide casum sequentem.

(c) Fontanon to. 1. pag. 20.

(d) Domat. tr. de Jur. Gallico pag. 60.

CASUS IV.

Cymba mercibus onusta, quæque ad Hubertum pertinet, naufragio perit versus oras Provinciæ, cujus Consuetudo tribuit Dominis locorum omnes ovium reliquias & navium fragmenta, quæ mare in littus ejicit. Ferdinandus Pagi sanctæ Auræ Dominus manus injecit in varios fasces ligni Indici tincturæ apti, & in septem aut octo vini Hispanici dolia. An hæc omnia legitime ad Ferdinandum pertinent, licet Hubertus hæc intra annum & diem unum, ut sua, repetat.

RESPONS.

Illius naufragii reliquiæ ad Ferdinandum non pertinent, licet consuetudo has illi attribuat, & Huberto soli & vero earum Domino restitui debent. Ratio ejus rei hæc est, quod talis Consuetudo vim legis obtinere non potest, quoniam omnino injusta est, & contraria juri naturali, quo exigitur ut, quantum fieri potest, res inventæ reddantur illis, qui earum sunt domini, & qui non sponte sua illarum Dominium deseruere; ut illud constat ex principiis quæ S. Thomas statuit (e). Cum Sylvio itaque (f) de consuetudine super quam Ferdinandus jus suum stabilit, dicere non dubitabimus: *Non leges, sed rapinæ sunt in aliquibus locis, ubi statuitur, quod bona naufragantium .... pertineant ad Dominum, ut communiter Doctores sentiunt.* Quod omnino consentit cum doctrina doctissimorum Canonicorum (g), & peculiariter Covarruviæ sententiæ, cujus hæc sunt verba: *Apud Gallos Dominus Provinciæ & territorii ea bona* (eorum qui naufragium patiuntur) *uti oberrantia & Dominum incertum habentia, occupat & sibi acquirit .... verum quoad hanc consuetudinem attinet, ego ingenue fateor, me prorsus juxta æquitatis & justitiæ rectitudinem non percipere, qua ratione possit ea consuetudo defendi. Nam iniquam esse non dubito; nec video, qua ex causa dubitari possit. Quid enim naufragus miser fecit, ut dignus sit amissione rerum, quæ ad ipsum lege naturæ pertinent? Quid item Regem Christianissimum movere potest, ita ut tam impiam & crudelem consuetudinem probaverit, aut eam a judiciis servari permiserit.* Post quæ verba Rebuffum laudat, qui aperte sententiam fert in tam perniciosum Consuetudin. *Unde Petrus Rebuffus in Proœmio ad Reges, Gl. 5. n. 74. scribit, non esse in conscientiæ foro tutos Dominos hæc bona occupantes.* Tandem illis auctoritatibus adjungi potest Concilii Turonensis Decretum, quod retulimus in decisione tertii casus, quodque expressis verbis mentem suam hoc de argumento profert.

(e) S. Th. 2. 2. q. 6. a. 3. a. 5. & 6.

(f) Fran. Sylv. Resol. var. v. Ligna &c.

(g) Navarr. Manual. c. 17. n. 170. & 178. Didacus Covarruvias in regulam Peccatum to. 1. p. 3. Relectionis §. 1. Astensis l. 1. t. 32. de 5. præcepto, & alii.

Cæterum, quod diximus de mercibus, quæ naufragio periere, pariter intelligi debet de iis, quas in mare conjicere coegit tempestas: quoniam, ut supra declaratum est, illi, quibus hæ pertinent, semper illarum domini censentur, licet eorum respectu amissæ videantur. Illud expresse declaratur Bulla Julii II. de qua in tertia decisione, & Bulla Pauli III. quam ibidem laudavimus. Hæc etiam fuit omnium fere Theologorum sententia. Quæ de eo Sylvius habet, hæc sunt (h): *Quæ in tempestate projiciuntur, levandæ navis causa manent dominorum; quia palam est, non eo animo ejici, quod quis nolit illa habere sed ut ipse cum navi fiat salvus.* Doctus ille Theologus dictum probat auctoritate Imperatoris Justiniani, qui hanc in rem Legem expressam tulit, quæ his verbis continetur (i). *Alia sane causa est aliarum rerum quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur; Hæ enim dominorum permanent, quia palam est, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari lucrandi animo abstulerit, furtum committit* (K).

(h) F. Sylv. in 2. 2. q. 66 a. 3. Conclus. 8.

(i) L. 2. Instit. t. 1. De rerum divisione §. fin.

(k) Conf. de Lucon. to. 1. Conf. 43. §. 1.

Vide Casum præcedentem.

NOSOCOMIUM.

NOSOCOMIUM est domus in qua pauperes excipiuntur, Varia sunt Nosocomiorum genera: Alia excipiendis etiam sanis destinata sunt, alia vero solos ægrotos admittunt. Quædam viris solis reservantur, quædam mulieribus solis; quædam tandem ad excipiendos utriusque sexus homines instituta sunt, in quibus tum quæ ad eorum victum & amictum, tum quæ ad ipsorum salutem pertinent, iis suppeditantur.

Eorum Nosocomiorum sex genera distingui possunt: nam 1. Nosocomii vocabulum intelligi potest de loco peregrinis excipiendis & adjuvandis destinato, quique latine *Xenodochium* vocatur. 2 De loco, in quo excipiuntur & curantur ægroti, quique proprie *Nosocomium* dicitur 3. De eo, in quo aluntur infantes orphani, cujus nomen *Orphanotrophium*. 4. De eo in quo egenis cibi subministrantur, cui nomen erit *Ptochotrophium*. 5 De eo, in quo admittuntur & curantur senes, qui non amplius victum labore quærere valent, quique *Gerontecomium* appellatur 6. Tandem de eo, in quo infantes & imbecilles aluntur, cui nomen *Brephotrophium inditur*.

No-

Nomina propria variorum illorum Nosocomiorum generum sic indigitantur in Lege ab Imperarore Justiniano lata, & in Glossa ipsi adjuncta (*a*). Operæ pretium est etiam legere, quæ de iis habentur in Canone in Decr. Gratiani incluso, in quo de illis mentio fit (*b*).

Ex illis omnibus Nosocomiis alia reputantur loci quæ in jure *Religiosi* dicuntur, alia profana sunt. Primi generis sunt ea, quæ sub auctoritate & cum interventu Episcopi instituta fuere, antecedente Regio Diplomate, quo eorum constructio permittitur. Secundi generis sunt ea, quæ a quibusdam Communitaribus aut privatis sponte sua & sine ulla alia auctoritate erecta fuere.

> (*a*) Justin. in L. *Illud* 19. cod. de Sacrosanctis Eccl. & ibi Gloss. l. 1. tit. 2.
> (*b*) Can. *Si quis*. 2. 1. q. 2. §. *Tarasius*.

CASUS PRIMUS.

Ernastus Marchio & Princeps S. Imperii, olim ante obitum legavit testamento Capitulo Ecclesiæ Collegialis nostræ Dominæ fundum cujus annuus seditus est 2000. lib. arg. ea conditione, ut illa pecunia in excipiendis & alendis Peregrinis atque aliis viatoribus egenis, qui pii ejus instituti tempore satis magno erant numero, impenderetur. Sed quoniam hodie neque Peregrini neque pauperes illac transeunt, illud Capitulum recte se agere existimavit, si illum reditum in solvenda mercede Ministrorum & Cantorum Ecclesiæ ad ipsos pertinentis, insumeret: quod revera ad praxim revocavit ab anno integro, unanimi statuto, cui omnes Canonici illius conventus nomina sua apposuere, quod persuasi essent, se ita, quod in mente habuerat legator perfecte adimplere. Siquidem illi Cantores recte ut pauperes haberi possunt. Qua de re rogatur, an ille conventus res ita immutare potuerit, salva Justicia & salvis regulis Canonicis?

R E S P O N S.

Ædificium, in quo fundi Dator jussit, ut Hospitalitas exerceretur, in pauperum & extraneorum solatium, locus religiosus haberi debet, in quem pius Dator aut ille a quo repræsentatur jus inspiciendi habet & cogere potest Donatarios ad conservanda bona legata & ad ea pro mente legatoris impendenda. *Loca ipsi studeant .... salubriter reformare, & occupata, deperdita & alienata indebite in statum reduci debitum faciant, & ad ipsarum miserabilium personarum receptionem & sustentationem juxta facultates & proventus locorum ipsorum rectores prædictos compellere non omittant*. Quæ verba sunt Constitut. Clem. V. (*c*) ab illo Papa factæ in Conc. Gener. Viennæ habito cum illius sacri Conc. approbatu. *Hoc sacro approbante Conc. sancimus*, quaque additur, quod si desint donatores aut Fundatores, tunc Episcopus Diœceseos ei rei providere debet, etiam censuræ via, a qua nullus est immunis; Canonici autem Ecclesiæ Collegialis nostræ Dominæ de administrandis illius fundi reditibus tenentur ratione consentanea menti Ernesti, qui hanc administrationem illis non dedit, ut illos reditus sibi arrogarent, nec ut illos impenderent in propriæ Ecclesiæ usus, siquidem non majori jure illos tenent quam illo, quo Tutores aut Curatores in Pupillorum aut Minorum ætate bona gaudent, *quibus dictorum locorum gubernatio seu administratio committitur ad instar Tutorum, & Curatorum*, inquit idem Papa; quibus significatur, quod capitulum illud in administrandis bonis, de quibus agitur, non aliter se gerere debet, quam Tutor respectu Pupilli bonorum aut Curator respectu eorum, quæ ad ætate Minorem pertinent, de quibus curandis & conservandis non secus ac si propria essent, tenetur. Ac proinde cum neque Tutor neque Curator jus ullum habeant ea in proprios usus convertendi aut sibi arrogandi, pariter illud Capitulum non potest sine manifesta prævaricatione ea tribuere Ecclesiæ suæ Cantoribus, dum illa in mercede Cantoribus a se assignata solvenda impendit, cum præterea Canonici in foro conscientiæ teneantur cantare proprio ore officium canonicum, neque possint instituere musicen, posito quod quæpiam in illa Ecclesia fiat, cum non habeant reditus sibi proprios, sufficientes ad exsolvendas illius musices impensas, intactis reditibus illius fundi, quem Ernestus non dedit Capitulo illi nisi sub conditiona expressa & plane contraria, quam tamen Canonicorum conventus accepit.

> (*c*) Clem. V. in Clement. *Quia contingit* 2. de relig. domib. l. 3. t. 11.

Concil. Trident. (*d*) renovavit & confirmavit eamdem Clement. V. Constit. & eamdem disciplinam. Nam postquam commendavit omnibus generaliter Beneficiariis, pro uniuscujusque facultate, Hospitalitatis exercitium, addit, quod illi qui possident bona a legatoribus ipsis ad hunc sanctum usum destinata, ad hanc virtutem exercendam strictius obligentur. *Illis vero, qui Hospitalia, seu alia pia loca ad peregrinorum infirmorum, senum pauperumve usum præcipue instituta in commendam, administrationem aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesiis suis unita obtinent ..... præcipit omnibus* (Sancta Synodus) *ut imposi um illis onus officiumve administrent atque Hospitali atem, quam debent ex fructibus ad id deputatis, actu exerceant juxta Constit. Concil. Vienn. alias in hac eadem Synodo sub felicis recordation. Paulla III. innovatam, quæ incipit*: Quia Contingit: Hæc sunt verba expressa & clara adeo quibus utuntur illius S. Conc. Patres, in casu omnino simili illi, qui proponitur in specie, de qua responsum nostrum rogatur.

> (*d*) Concil. Trid. sess. 25. cap. 8. de reformat.

Verum omnium mox dictorum fundamentum hoc est, quod suprema Testatoris voluntas ut lex sacra, quæque violari non debet, respici debet: ut id affirmat Imperator Justinianus (*e*): *hæc nobis lex posita sit*: Præcipue quando illa ad institutionem, aut prsxim alicujus boni operis refertur. Id quoque evidens est ex verbis S. Gregorii Magni, quorum sensus a Gratiano refertur, ut & ipsa illius verba a Correctoribus ipsius Decreti (*f*), quod compulit Innoc. III. ut in scribendo ad Archiepiscop. Lugdunensem, expresse diceret, quod voluntas Testatoris constans & immota manere debet; *novissimum enim hominis testamentum immobile perseverat*. Nulli itaque privati jus habent illud testamentum immutandi, soli vero Episcopo, secundum Concilium, aut Judici a Rege instituto, secundum Jurisprudentiam nostram Gallicam illud interpretandi potestas conceditur, neque tamen in eo quidquam immutare potest, nisi in quibusdam casibus peculiaribus, in quibus illa mutatio evidenter necessaria videtur. Canonici itaque nostræ Dominæ non potuerunt, illæsa justitia, & absque usurpatione auctoritatis, quæ ad ipsos non pertinet, immutare destinationem eleemosynæ tam recte institutæ tamque necessariæ ad sustentandos veros pauperes, in quorum numerum ipsorum Cantores referri non possunt, quibusque, si eorum ministerio uti velint, mercedem ex propria pecunia solvere debent, ut jam diximus, aut ex ea, quam ex eorum Ecclesiæ reditibus colligunt.

> (*e*) Authen. de nuntiis c. 2. §. *Secundum*.
> (*f*) S. Greg. in can. *Ultima* 4. 13. q. 2. & ibi Correctores Romani.

Sed posito non concesso, quod illorum bonorum destinatio immutari potuerit, attamen constat, quod illud fieri non potuit ex sola illius Capituli auctoritate, quodque omnino necessarium fuit, ut Episcopum auctorem haberet, qui formas requisitas observando talem immutationem facere potuisset, ut habetur in Decretali Greg. IX. scribentis ad Episcopum Noviodunens. (*g*) de legatis piis. Ratio hujus rei, quod Episcopus, & in Gallia Judex a Rege institutus, peculiarem potestatem habet interpretandi legatoris mentem. Non autem patet, quod Episcopi Diœceseos, aut alicujus alius Judicis auctoritas intervenerit in

> (*g*) S. Greg. IX. in c. *Tua nobis*. 17. de testam. l. 3. tit. 26.

Pontas Tom. II.

mutatione ab illo Canonicorum consessu facta, qui cum se ipsum Judicem in propria sua caussa constituerit, contra regulam juris: *Nemo Judex in propria caussa*, nullam potestatem habuit assignandi illa bona ad novum usum contra ipsissima donationis verba & conditionem, ex qua donata fuerunt. Neque etiam apparet, quod Capitulum advocaverit Donatoris successores, nec per consequens, quod eorum consensum requisiverit: quod tamen necessario facere debuisset, ut mutationi tam momentosæ saltem quamdam juris speciem conciliaret.

Sed, inquiunt illi Canonici, a longo tempore Hospitalitatis exercitium in eo loco obsoleverat quia nullus eleemosynæ accipiendæ caussa, eo se conferrebat. Justum itaque erat, ut destinatio illorum bonorum a Legatore facta immutaretur; cui objectioni facile respondebimus.

1. Quod forsan Hospitalitas desiit exerceri culpa eorum, qui de ea exercenda tenebantur, quod si verum sit, Capituli caussam omnino invisam & jure destituram reddit.

2. Supponamus non eo modo rem se habuisse; saltem ille Canonicorum Consessus dicere non potest, quod nulli hodie exstent pauperes auxilio egentes, siquidem in omni tempore & in omni regione non desunt egeni; secundum hæc Domini nostri verba, *pauperes semper habebitis*; in quorum proinde commodum hæc bona, in integram, conferri debent, non vero in præstanda mercede Cantoribus, qui ab illis, quibus serviunt solis sustentari debent, hoc est mercedem ab illis Canonicis accipere, qui eos accersiverunt, ut ipsis in celebrando Officio divino adjutores essent; cui addendum est, quod illi Cantores veri pauperes haberi non debent; nam si sint Presbyteri, Missæ ab ipsis celebratæ accipiunt honorarium, præ omnibus aliis Presbyteris externis, & quodpiam Beneficium obtinere possunt; si non sint Presbyteris Deus vocis facultatem ipsis concessit, qua uti possunt in quavis alia Ecclesia ubi Officium Divinum cantatur, & ex ea vitæ necessaria sibi sufficienter comparare, ut exemplis, quæ passim occurrunt, ostendere facile est: cum præterea illi, qui in aliquem sacrum ordinem adscripti sunt ordinationem non accipiant nisi cum aliquo titulo Ecclesiastico, quo ipsorum subsistentiæ tantummodo providetur, quoque a vera & extrema, quam vocant, paupertate liberantur.

3. Quod, ut jam observatum est, jus de illa re cognoscendi Episcopo, aut secundum consuetudinem nostram, Judici Regio competit: *Episcopo subsunt omnia loca pia & ad ejus sollicitudinem ordinari debent* (*a*); Non vero Capitulo, cujus palam intererat veterem usum aboleri & novum plane contrarium intentioni Donatoris aut Fundatoris introduci; Immo Diœceseos Episcopus tenetur illos cogere ad obsequium præstandum & ad exequendum quod pro regulis justitiæ hac de re statuet, si recusent aut id facere negligant; ut docet Auctor Glossæ, in unam ex Decretalib. Epist. Greg. IX. *Relicta ad pias caussas per Diœcesanum Episcopum debent executioni mandari* (*b*): quod etiam ab eodem Papa expressis verbis affirmatur.

(*a*) Arg. c. *de Xenodochiis* 3. de religiosis domibus l. 3. tit. 36.

(*b*) Glossa in c. *Tua nobis*. 17. de testam. v. *Piis voluntatibus*.

Vide Beneficiarius, Legatum, Missa.

CASUS II.

Therapius Dominus Parœciæ S. Juniani instituit propria auctoritate, & donatione fundi, cujus magnus est reditus, Nosocomium in loco Castello suo proximo; & illius administrationem commisit Parocho & Æditius Ecclesiæ Curialis. Biennio elapso post illud institutum, Episcopus Diœcesim invisens ad suum officium pertinere duxit illius administrationis notitiam sibi vindicare, secundum Decr. de Nosocomiis in Concil. Trid. factum. Therapius ei rei consentire recusavit, nec ut illud ab Episcopo fieret, passus est. An ab illius parte stat jus? potest-ne sine peccato, diutius Episcopi sententiæ obsistere?

Respons.

Ut difficultati, quæ prolata est in quæstione mox proposita, respondeamus, dicimus, quod ex summo jure Episcopus potestatem non habet inspiciendi in administrationem temporalem illius Nosocomii, quod vir iste propria auctoritate & propriis bonis dotavit, licet ea inspectionis potestate rerum spiritualium respectu gaudeat. Verum equidem est, quod aliorum Nosocomiorum respectu, Episcopus ea inspiciendi jus habet, juxta Concil. Trident. (*c*) saltem in locis, in quibus illius Conc. auctoritas agnoscitur, quod congruit cum Decretali Eugenii Papæ in corpore juris relatæ (*d*) cum ea, quæ ab Urbano III. scripta est (*e*), & cum Constitut. Clem. V. quam ad marginem citamus (*f*): Sed non idem statui potest de Xenodochiis, quæ a privatis hominibus sine consilio & accessione Episcopi fundata fuere; nam hoc in casu Episcopus non habet jus inspiciendi in administrationem illorum locorum, quæ est in manu Donatorum aut illorum, ad quos illam curam demandavere. Domus illæ licet piæ sint non tamen censentur religiosæ aut Ecclesiasticæ, nec immunitatibus & prærogativis, quas ad Ecclesiam pertinent, fruuntur, ut probare facile est, modo quo una ex Decretalib. Innoc. III. digesta est (*g*).

(*c*) Concil. Trid. sess. 7. c. 15. & sess. 22. c. 8.

(*d*) Eugen. in c. de *Xenodochiis*. 3. de relig. domibus &c. l. 3. tit. 36.

(*e*) Urban. III. in *c. Ad hæc* 4. ibid.

(*f*) Clem. V. *Quia contingit* 2 de reli. domibus l. 3. tit. 11.

(*g*) Innoc. III. in c. *Inter dilect.* 8. de donat. l. 3. tit. 24.

Sic decisum est a Fagnano (*h*) qui testes laudat Innoc. IV. in suo Comment. in eamdem Decretal. Panormitanum & Abbatem (*i*); Fagnanus tamen de hoc convenit (*k*), quod Episcopus jus invisendi & inspiciendi in quodam casu habet, cum scilicet illius Xenodochii Fundator vita excessit. Nam licet ille locus Religiosus aut Ecclesiasticus non sit, attamen est locus pius; & officio suo ut & charitate tenetur Episcopus curare res quæ ad pauperes pertinent, & quantum potest efficere, ut intentio Fundatoris effectum suum exacte sortiatur. *Tunc enim*, inquit Fagnanus (*l*), *etiamsi locus non sit religiosus; tamen spectat ad curam & sollicitudinem Episcopi, ut pia voluntas defuncti executioni demandetur ... quamobrem, etsi Hospitale hujusmodi non teneatur Episcopo Diœcesano in Episcopalibus respondere, tamen Episcopus habere debet curam ipsius, cum locus sit pius* (*m*), Abbas, Ægidius Romanus, Paulus de Castro, & duo alii Auctores, quos laudat Fagnanus, idem cum eo sentiunt.

(*h*) Fagn. in c. *de Xenodoch.* cit. n. 10. & 13.

(*i*) Panor. ib. n. 3. v. *Nunquid autem* id. Fagn. in c. *Ad hæc de relig. domibus* n. 3.

(*k*) Id. Fagn. n. 15. & seq.

(*l*) Id. in c. De Xenod. n. 12.

(*m*) Abbas in eod. c. de *Xenodoc.* nu. 3. v. *quod verum puto.* Ægid. Roman. cons. 477. n. 2. Paulus de Castro Cons. 167. n. 4. & alii.

CASUS III.

Nosocomium quoddam olim fundatum fuit & donatum annuo reditu 3000. lib. eum in finem non modo, ut ibi exciperentur, alerentur, & curarentur lepra infecti, sed etiam ut in eo diverterent & nutrirentur advenæ pauperes, qui rogarent beneficium ibi per unam noctem cubandi; Accidit, in sequentibus temporibus, quod non tantum nulli ibi visi sunt leprosi, quoniam ille morbus jam a multo tempore sævire penitus desiit, sed etiam quod nulli viatores illuc se conferunt qui indigeant ope, cujus in fundationis instrumento fit mentio. Quod cum ita sit, Præfectus Ecclesiasticus, Parochus scilicet illius loci, & quatuor Administratores Laici, qui res temporales illius Nosocomii curant, existimatunt rectum fore, si reditum illius impenderent in variis operibus piis, ut verbi gratia in eleemosynis, quæ Parochiæ illius egenis distribuerentur, aut in Missis, quas quotidie celebrari curant, ut defunctorum animæ in pace requiescant; aut in dotandis quibusdam pauperibus virginibus, quæ maritis nubant aut denique in quibusdam aliis piis usibus. Nonne immunes sunt ab omni peccato respecta modi, quo illis bonis utuntur?

Respons.

Certum mihi est, quod Præfectus & Administratores Nosocomii, de quo mox mentio facta est, ab omni culpa immunes non sunt, cum propria & privata auctoritate reditus illi attributos eo modo impendunt. Nam in eorum potestate

non

non esse eos reditus addicendi ad usum ullum, qui ipsissimis fundationis verbis contrarius sit, sine consensu expresso Episcopi Diœcesani, cui illud jus competit, ut disertis verbis habetur in Decr. Conc. Trid. quo jubetur ut in tali casu, Ordinarius locorum, de quibus nunc agitur illos reditus addicat ad usus qui proxime accedant ad eum ad quem prima vice destinati fuerant. Hæc sunt illius verba: *Quod si Hospitalia hæc ad certum, peregrinorum aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco ubi sunt dicta Hospitalia similes personæ, aut perpaucæ reperiuntur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit.* Quo Decreto apparet, quod Præfectus & quatuor Administratores Nosocomii, de quo nunc agitur, auctoritatem Episcopalem usurpavere, dum sibi arrogant jus eos reditus impendendi in exsolvendis Missis, quas celebrari curant, aut custodiendis dotibus pauperibus virginibus, cum præsertim illi usus sint admodum remoti ab illo, quem fundatores in mente habuerunt, cumque præterea illis non liceat eos redditus distribuere pauperibus sine consensu & auctoritate Episcopi Diœcesani, cui soli jus de iis disponendi competit pro modo, qui a Concil. Trid. præscribitur. Attamen observandum est, quod si Episcopus eam rem procurare negligeret, tunc Judex Regius, audita petitione Procuratoris, Regis illius notitiam sibi arrogandi jus haberet, immo in Gallia illud Jus soli Judici Regio pertinet.

CASUS IV.

OCTAVIANUS reliquerat olim reditum 2000. lib. ut Nosocomium fundaretur in loco ubi natus est: Qui autem illius administratores sunt quotannis impendunt tantummodo 1500. lib. propter parvum pauperum numerum, qui illuc adeunt, & 500. lib. quæ singulis annis supersunt, insumunt in mercede solvenda Concionatoribus, qui ibi Quadragesimæ tempore & præcipuis anni Festis diebus conciones sacras habent, ut & in mercede danda quibusdam Ecclesiasticis, qui ibi Diaconi & Subdiaconi officium præstant in Missis alta voce cantatis, quas ibi celebrari curant, vice Missarum, quæ secundum institutionem summissa voce recitari debebant. Nonne salva conscientia in illis bonis operibus insumere possunt has 500. libras, quæ supersunt?

RESPONS.

Administratores illius Nosocomii non possunt & non debent ea ratione impendere 500. lib. quæ supersunt ex reditibus pauperibus destinatis, licet non sufficiens sit egenorum numerus, ut omnia reditus consumatur. Ratio ejus rei est, quod non ad ipsos pertinet jus impendendi pro lubitu id quod superest ex reditibus illi Nosocomio legatis, sine auctoritate & consensu expresso Episcopi Diœcesani, cui Concil. Trident. tribuit illud jus, ex Decr. quod in decisione præcedenti retulimus, in quod Decr. innititur Silv. (*a*), in solvenda illa quæstione in die Martii 29. an. 1616. modo consentaneo ad id quod mox diximus. Attamen ex Jure nostro potestas cognoscendi & dijudicandi de ejusmodi rebus Judici Regio tribuitur, ut jam supra observavimus.

(*a*) Fr. Silv. resolut. ver. v. Hospital. 2. v. *Missa*. ad 4. q.

NOTARIUS.

NOTARII dignitas commendabilis & insignis admodum evasit Arcadio imperante, tam in Principum Aula, quam in Ecclesia, ut illarum rerum curiosi videre poterunt ex Glossario a Cangio composito (*b*).

(*b*) Cang. vid. Notar. vol. 2. col. 71. & seq.

In Gallia prima eorum institutio cœpit haberi Philippo Pulchro regnante, qui Decr. mense Martio an. 1301. dato, sibi & successoribus suis, Galliæ Regibus reservavit jus Notarios Publicos creandi, relinquendo tamen Dominis locorum potestatem eligendi Notarios Dominicos, ut illam more antiquo jam obtinebant.

Notarii tunc distincti erant ab illis Ministris, qui Tabelliones appellabantur, ad quos primam Auctorum præscriptionem deferre tenebantur, & qui soli authentica exempla tradebant. Sed tandem Tabellionum munus abrogatum est Decr ab Henr. IV. mense Majo an. 1597. lato, & eorum officia Notariis concessa; licet nonnullis in Provinciis etiamnum hodie Tabellionum nomen Notariis indatur.

Notarius, pro sensu quem vocabulum illud hodie obtinet, est Minister publicus qui scribit & excipit conventiones eorum, qui aliquid inter se paciscuntur, aut Testamenta, aut alia Acta publica, quorum omnium primam præscriptionem, hoc est Autographum sibimet servant.

Officia Notariorum hæreditaria sunt secundum Edict. mensis Martii an. 1671. & idem jus hæreditarium ipsis confirmatum est aliis Edictis posterioribus.

Sunt quidam Ministri publici, qui Notarii a Secretis Regis, vel Amanuenses Regii vocantur, de quibus Jollius egit, dum Galliæ munera recenset (*c*): sunt etiam alii, qui quaternarium numerum non excedunt, qui dicuntur quatuor Notarii, quatuor Curiæ Amanuenses, aut quatuor viri a Secretis Curiæ, de quibus Lucas mentionem facit (*d*).

(*c*) Jolii l. 2. tit. 1.

(*c*) Du Luc. l. 4. tit. 10.

Prisci Notarii eruditi erant, nec alio idiomate, quam Latino, instrumenta publica perscribebant: unde fiebat, ut falsa raro admodum in scriptis eorum reperirentur, nec tam frequentes litibus occasiones præberentur, cum hodie partes vel personæ, quæ inter se contrahunt, sæpe in dictandis Notariis clausulis quibusdam se ingerant, unde lites, quæ nullum finem habeant, oriuntur.

Scali-

Scaliger ait (*a*), quod Notarii officii exercitio nobilitatem olim acquirebant; ut idem refertur a Cæsare de Rupe Forti in suo Lexico generali & curioso (*b*).

Notarius stricte obligatur erga partes ad secretum servandum in omnibus rebus, quæ arcanum postulant; sive agatur de Acto, quod perscripsit, sive de consilio ab ipso rogato & concesso. Ex hac eorum obligatione ad secretum fideliter servandum, sequitur. 1. Quod Notarii non possunt communicare eorum codices, libros aut Formulas nec tradere ullas authenticas tabulas Actorum, quæ præscripserunt nisi partibus, quæ inter se contrahunt, aut earum hæredibus aut aliis, ad quos ex omnium notiria illud jus pertinet; nisi hoc ipsis a Judicibus mandatum sit secundum Decr. an. 1536. (*c*) Falins (*d*), refert, quod judicatnm est, rem sic se habere debere Decr. Curiæ Britanniæ lato 8. die Martii an. 1557. Buchellus aliud Decr. de eadem re a Curia Parisiensi datum anno 1548. refert.

2. Ex consequentia illius obligationis ad secretum servandum, qua erga Partes tenentur, exempti sunt a testimonio coram Judicibus dicendo in omnibus, quæ ad eorum munus pertinent, ut judicatum est duabus sententiis Lutetiæ in Castelleto latis, alia 21. Octob. an. 1609 alia vero 8. Jan. an. 1647. ut & duobus Curiæ Parisiensis, quorum primum 7. Martii 1644. aliud vero Augusti 1650. prolatum est (*e*).

Notario nunquam licitum fuit excipere aut transigere ullum Actum Religioni vel bonis moribus contrarium, aut a Legibus prohibitum; & Imperatores Romani exilio perpetuo mulctabant eos, qui in tale crimen incidebant. Bouchellus refert Decr. a Curia Gratianopolitana latum an. 1460. quo eadem pœna illis denunciatur (*f*). *His Tabellionibus*, inquit Lex, *qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plectendis* (*g*). Decr. Ludovici XII. Lugduni promulgatum an. 1510. (*h*), infert omni Notario, qui perscribet contractus, quibus usura debetur creditoribus, depulsionem privationemque muneris, & præterea mulctam pro arbitrio judicis solvendam.

Notarius natus sit 24. an. cum officium exercere incipit, secundum Edictum Aurelianen. (*i*), & si sit minor annis, major equidem censetur ad proprias res gerendas, sed non talis habetur respectu negotiorum alienorum, & quando agitur de re, quæ tertiam personam interest. Qua de re consuli potest Brodellus in Lovetum (*k*).

Omnis contractus scriptus & dispositus, absente Norario, nullus habetur; licet illi nomen suum apposuerit. Carondas (*l*) refert Edict 2. Decemb. anni 1599. latum, quo ita sancitum est. Oportet igitur, ut ipse contractuum instrumenta perscribat, præsentibus Partibus quæ paciscuntur & testibus quos adhibent, & ut ea coram illis perlegat antequam nomina sua eis apponant. Paponus hanc in rem memorat Edict. Curiæ Parisiensis 4. Septemb. an. 1423. Decret. quo ut ita se res habeat, jubetur (*m*).

Notarii tenentur Decr. an 1539. (*n*), & Sanctione Blesensi (*o*), expressis verbis memorare in instrumentis quæ perscribunt, domum in qua tale instrumentum scriptum est, Partium qualitatem, earum Parœciam, immo & notare, an Contractus ante vel post horam meridianam factus sit.

Edicto Curiæ Parisiensis 5. Septemb. an. 1680 Notariis interdicitur sub pœna privationis muneris, quominus in posterum ullum transigant Actum, quo Viri & mulieres declarent, quod se se mutuo in conjuges assumant (*p*).

Notarius, qui in re, quæ ad ipsius officium pertinet, falsum Actum perscribit, capire damnatur, secundum jus in hoc Regno usurpatum (*q*).

Talis Minister publicus qui in acto a se transacto, declarat bona, quæ pignori opponuntur, ut in tuto collocetur id quod tertiæ personæ debetur, si eadem bona ipsi etiam pignori opposita vel oppignerata fuere, tunc hypothecam amittit, urpote quæ ab ipso declarata non est, judicatum est Edicto lato 21. Martii an. 1581 quodque memoratur a Montholone (*r*), a Brodello (*s*), & a Vesto (*t*); & alio Edicto an. 1598. promulgato (*u*), quo eadem pœna reis indicitur.

Notarii Castelleti soli in Urbe & Suburbiis Parisiorum gaudent jure inventoria describendi, quo tunc privantur Quæsitores rerum Civilium & scribæ publici (*x*).

Secundum Ricardi sententiam (*y*) Notarii non possunt excipere Testamenta in quibus Legatarii nominantur. Illud jus in Edictis observatur, licet

(*a*) Scaliger v. *Britannia*.
(*b*) De Rupe forti dict. V. Notarius.
(*c*) Art. 177.
(*d*) Falins l. 1. cap. 42. Bouchel cit. loc.
(*e*) D. Baillon v. *Notarii*. n. 241.
(*f*) Bouchel. Biblioth. can. v. *Notarii*.
(*g*) L. Jubem. 41. §. 1. cod. de Sacrosanctis Eccles. l. 1. c. 2.
(*h*) Art. 64.
(*i*) Art. 18.
(*k*) Brodellus lit. G. n. 3.
(*l*) Carondas resp. l. 10. resp. 46. fol. v. 404.
(*m*) Papon. l. 4. t. 14. c. 11. Bouchel Bibl. Jur. Gallic. v. *Notarii*.
(*n*) Art. 67.
(*o*) Art. 167.
(*p*) Gouffet. vol. 4. l. 3. c. 23. pag. 153.
(*q*) Ed 8. Mai. 1581. & 7. Mart. 1634.
(*r*) Montholon. Edict. 2. fol 3.
(*s*) Brodel. in Lovet lit. 3. n. 6. fol. 100. col. 2. fol. 101. col. 1.
(*t*) Edict. 168. fol 821.
(*u*) Papon l. 11. tit. 3. n 19.
(*x*) Bacquetus tract. de jurib. Just. c. 25. n. 41.
(*y*) Ricardus tract. de Donat. inter Vivos 1. part. c 3. sect. 10. 319. Idem & P. ft. Cur. Province. 14. Jan. 1547. relat. a Bonf vol. 2. l. 2. t. 2. c. 8.

licet secundum consuetudinem Parisiensem (*a*) Testes soli legata accipere non possint, licet etiam Decreta Aurelianensia (*b*), & Blesensia (*c*) nullam Notariorum mentionem faciant.

Nulli Notario fas est tradere Partibus primas perscriptiones Procurationum *ad resignandum*: nec Mensariis licet illas in Curiam Romanam mittere, sub pœna multæ 500 librarum, secundum Edictum Curiæ Parisiensis 20. Martii anni 1663. (*d*).

Neque etiam Notarius tradere potest secundum exemplum primæ perscriptionis, ne quidem Partibus, quarum interest, nisi hoc expresse mandetur a Judicibus, Partibus auditis, ut docet Mornacius (*e*), prout habetur, in Art. 178. Edicti an 1539

Omnis Contractus imperfectus & nullus habetur, imo nullam hypothecam includit, quando Notarius illi nomen suum non apposuit, licet Partes & Testes illi nomina sua subscripserint, ut judicatum est a Curia Parisiensi mense Februarii ann. 1597 Edicto quod a Presbytero refertur (*f*), & a Curia Divionensi alio Edicto 10 Decembris anni 1610. cujus mentionem facit Bouvotus (*g*).

Quicquid Notarii in margine addunt, Parapha notari debet a Partibus, quæ pactionem faciunt, & a Testibus qui nomina subscribere norunt, quibus Paraphis deficientibus, quicquid adjunctum nullum habetur, secundum Decreta Aurelianensia (*h*), & Blesensia (*i*), & ut judicatum est a Curia Parisiensi Edicto II. Maji anni 1604. (*k*).

Vetitum est Edicto Curiæ Parisiensis dato sub forma statuti 21. Martii 1659. omnibus Notariis, ne ulla Acta subsignent, nisi postquam Partes eis nomina sua apposuere.

. Partitiones voluntariæ coram Notariis peraguntur, sed partitiones contradictoriæ in executione Sententiæ a Præposito Urbano Parisiorum latæ, fieri debent a Quæsitoribus Castelleti, secundum Edicta Curiæ Parisiensis 3 Decembris 1569. & 4 Aprilis 1573. (*l*).

Notarii Parisienses jus habent instrumenta contractuum per omne Galliæ Regnum scribendi, prout illud observat Mornacius (*m*), & ut expresse habetur in Decreto Ludovici XII mensis Aprilis anni 1510. Notarii Aurelianenses & ex Monte Pessulo eadem prærogativa gaudent ac Notarii Lutetiæ, in qua tamen Urbe nullum Actum, quod validum sit, transigere possunt (*n*).

Notarius qui Contractum, aut aliud Actum transigit. non potest esse Pars, quæ cum aliis contrahat: & abusus ille nusquam nisi in solo Delphinatu toleratur (*o*).

Notarii inferiores non possunt instrumenta scribere, nisi pro partibus, quæ in eorum Jurisdictione includuntur, sub pœna nullitatis, imo & spondendi de damnis & impendiis Partium, sicut judicatum est a Curia Parisiensi Edicto 10 Julii 1660. (*p*).

Quando Pars, quæ contrahit, Chirographum suum apponere nescit, tunc Notarii tenentur sub pœna nullitatis Acti ab ipsis scripti, illius rei expressam mentionem facere, illosque causam declarare secundum Decretum Aurelianense (*q*), & Edictum Curiæ Parisiensis 28 Januarii 1579 a Papone relatum (*r*)

Nulli ex Notariis, qui Contractus & alia instrumenta scribant aut Testamenta excipiant, licitum est adhibere Testes minores natu 26. annis adimpletis, ne quidem ipsorum Clericos, sub pœna falsi & nullitatis, ut sancitum est a Curia Parisiensi 2 Julii 1708 (*s*)

In locis ubi consuetudo viget Tabellionis munus certa pecunia locandi, il li, quibus illius exercitium a proprietario conceditur, tenentur, antequam possint instrumenta scribere, jurejurando coram Judicibus se obligare ad fideliter ministerium suum exercendum; secundum priscum Edictum Curiæ Parisiensis 14 Octobris 1593. datum (*t*).

Notarius, quando solus est, nullum contractum transigere potest, nisi præsentes sint duo Testes, qui cum ipso illi subscribant (*u*). Sed Parisiis secundus Notarius Testium defectui supplet: Quod idem locum habet respectu Testamentorum, quæ excipiunt.

Secundum Decretum anni 1539 (*x*), Notarii potestatem non habent excipiendi donationem inter vivos, quæ in gratiam absentis hominis facta est, licet ut Publici Ministri fruantur auctoritate excipiendi damnationem, quæ fit contractu matrimoniali in gratiam liberorum, qui ex eo nascentur matrimonio (*y*).

No-

(*a*) Art. 280.
(*b*) Art. 27.
(*c*) Art. 63.
(*d*) De Malfons lit. 21. n. 6. p. 411.
(*e*) Mornacius ad L. 6. §. fin. ff. de edendo.
(*f*) Cent. n. c. 46. p. 436.
(*g*) To 2. Not. q. 2.
(*h*) Art. 84.
(*i*) Art. 165.
(*k*) Papon. l. 9. t. 8. n. 10.
(*l*) Becquerus de Jurib. Just. c. 25. n. 41. p. 3. 5. Brodellus in Lovet. lit. n. 3. n. 10 p. 103. col. 1.
(*m*) Mornacius in L. si ff. de jur. sup. 23. & seq.
(*n*) Nero in suis Decretis p. 526.
(*o*) Guido Papa q. 318.
(*p*) Gueff. vol. 2. l. 4. c. 36. pag. 229. & l. 3. c. 29. p. 285.
(*q*) Art. 165. Lovet lit. c. n. 3. p. 178.
(*r*) Papon. l. 5. t. 14. n. 12.
(*s*) D. Brill. v. Not. n. 51.
(*t*) Lovet. lit. i n. 11. p. 44.
(*u*) Coll. Ed. l. 4. §. 2. fol. 617
(*x*) Art. 133.
(*y*) Ricard. tr. de Donat. inter vivos 1 p. c. 4. sect. 1. 881.

Notarii tenentur de omnibus Actis, quæ transigunt loco interdictorum, secundum Decretum Curiæ Parisiensis 17. Januarii 1662. (*a*). Utque illi incommodo præcaveret eadem Curia jussit Decreto 18. Martii anni 1614. lato, & a Mornacio (*b*) memorato, ut nomina & agnomina Notariorum interdictorum scriberentur in Catalogo, qui in omnium aliorum Tabulario appenderetur.

(*a*) Gueff. to. 2. l. 4. c. 42.
(*b*) Mornacius in l. 1. ff. de instit. act.

Notarii Apostolici quorum Officia non conjuncta sunt cum illis, quæ a Notariis Regiis exercentur, nullam habent potestatem instrumenta scribendi in omni eo quod recta ad negotia privatorum & Laicorum pertinet, ut sunt venditionis contractus, testamenta & alia ejusmodi acta, nec peragere possunt nisi ea quæ respiciunt Acta in Romana Curia expedita. Quod nullo modo probare necessarium est, cum omnes Jurisperiti hac de re consentiant.

Legendus est de Notariis decimus Codicis liber, titulo de *Tabulariis*, *Scribis*, *Logographis* (*c*) 44. 47. & 73. Novella Imperatoris Justiniani, quibus adjungendus quartus liber Codicis tit. 21. *de fide instrumentorum*. Sed imprimis Mornacius (*d*), Bacquetus (*e*), & alii Jurisconsulti Galli præsertim consulendi sunt.

(*c*) Tit. 23. de Tabellionib.
(*d*) Morn. in L. Extra ag. ff. de Jurisf. p. 83.
(*e*) Bacq. leir.

CASUS PRIMUS.

Menander Notarius transegit obligationem aut contractum inter Fulbertum & Anthimum, quem recte noverat usuram includere respectu Fulberti. An ea in re peccatum mortale admisit?

Respons.

Nullatenus dubitandum est, quin illa Notarius in casu proposito mortale peccatum commiserit. 1. Quia ille fuit præcipuus Minister injutiæ, qua Fulbertus Anthimum affecit. 2. Quia violavit jusjurandum, quo se obstrinxerat, quum in Notarii munus cooptatus est, de nullo Contractu usurario transigendo. 3. Quia dum tale transegit actum, legem Principis violavit; Edictum Ludovici XII. Lugduni datum mense Januarii 1510. (*f*) omnibus Notariis interdicit excipere ullos contractus usurarios sub pœna mulctæ & privationis eorum officii. *Interdiximus & prohibuimus*, inquit ille Princeps, *denuo interdicimus & prohibemus omnibus Notariis, ne ullos excipiant contractus usurarios, sub pœna privationis eorum munerum & mulctæ pro arbitrio nostro solvendæ*. Jus Romanorum majorem adhuc severitatem minatur; nam jubet, ut perpetuo puniantur exilio qui contractus illicitos transegerunt: ut illud extat in Lege Codicis Justiniani (*g*), cujus hæc sunt verba: *His Tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum ausi fuerint instrumenta conscribere, irrevocabilis exilii animadversione plectendi*.

(*f*) Ed. anni 1510. ar. 91.
(*g*) L. Jubem. 3 §. 4. cod de Sacrosanctis Ecclesiis &c. l. 2. t. 2.

Objici potest, quod, cum secundum S. Thomam (*h*) liceat fœnore pecuniam sumere a fœneratore, quando hoc jubet necessitas, pariter Notario licitum esse debet conscribere, obligationis aut contractus usurarii instrumentum. Sed illa objectio facile solvi potest. Nam nunquam fieri potest, ut Notario liceat Actum transigere, quod natura sua bonis moribus contrarium sit, quod de hoc contractu affirmari potest: Alioquin abuteretur officio suo & potestate sua, infringendo leges, quæ hoc ei nulla distinctione & nulla exceptione adhibita prohibent, ut supra probavimus verbis Edicti Ludovici XII. quod plane consentaneum est Ecclesiæ Sanctionibus, & primo quidem Decreto primi Concilii Mediolanensis habito sub S. Carolo Borromæo ann. 1565. (*i*) quo obnoxii fiunt pœnis delatis a Canonibus & legibus contra fœneratores, illi omnes, qui sunt ejus culpæ mediatores & præsertim Notarii. *Contrahentes vero Tabelliones, qui instrumenta confecerint, prexeactæ usurarum, aut lucri participes, Ministrique omnes horum scelerum & pœnis jure statutis, & Ecclesiasticis censuris puniantur*. Hæc sunt Concilii illius verba.

(*h*) S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.
(*i*) Conc. Med. 1. const. par. 2. t. de usuris.

2. Celebres conventus, Cleri Ordinis Galliæ, qui habitus est Meloduni an. 1579. mentem suam hac de re non minus clare aperit; nam Præsules qui hic simul convenerunt, designatis expresse variis casibus, in quibus ut plurimum usuræ crimen committitur, declarant quod non solum contrahentes & eorum ministri, sed etiam Notarii qui horum contractuum instrumenta scribunt pœna severa digni sunt (*K*): *Si qui autem in aliquo ex his aut aliis casibus, usuram redolentibus contraxerint*, inquiunt illi Antistites, *in foro conscientiæ contractus irritos esse noverint: & contrahentes & contractus recipientes, proxenetæ usurarum, aut lucri earumdem participes, aut ministri, sciant, se gravissima dignos ultione*.

(*K*) Conv. Mel. t. de usuris.

3. Habemus Concilium Rhemense, habitum anno 1583. a Ludovico Cardinali a Guisio, & a Papa Gregorio XIII. approbato, quod tale Decretum continet, his verbis (*l*): *Actuarii, seu Notarii usurarum proxenetæ, omnesque qui contractibus usurariis aliquam operam vel consensum præbent, ejusdem criminis censeantur esse participes*.

(*l*) Con. Rh. an. 1583. tit de fœnore, §. 4.

Concilium Burdigalense eodem anno celebratum (*m*) simile tulit Decretum, in quo Notarii, qui contractus usurarios transigunt, *nec non Tabelliones* includuntur in numero eorum, qui criminis usuræ rei sunt. Concilium Tolosanum habitum an. 1590. a Francisco Cardinali a Jojoso (*n*) talia etiam habet, *Notarii qui illicitos, usurariosve contractus confecerint, pœnis a jure statutis severe plectantur*. Maxima autem pœnarum de quibus illud Concilium mentionem facit, est pœna excommunicationis *ipso facto*, denuntiata a Constitutione quadam a Clemente V. facta, cum approbatu Concilii Generalis Viennensis anno 1311. (*o*).

(*m*) Conc. Burd. an. 1583. tit. de usuris, & illicitis contract. c. 60.
(*n*) Con. Tolosan. an. 1590. par. 4. c. 10. P. 3.
(*o*) Clem. Extrav. un. de usu. l. 5. t. 5.

Cum quonam igitur rationis specimine quis posset, contra tot auctoritates adeo claras, liberare a peccato mortali Notarium, qui usuræ favet modo tam efficaci, scilicet transigendo Actum, qui jus dat fœneratori fœnus exigendi, contra Ecclesiæ interdicta, & contra præscripta Principis, cujus est subditus? Necessitas igitur illius, qui pecuniam fœnore accipit, nulla ratione insontem facere potest talem Ministrum; Cum nullibi deprehendatur talem exceptionem in ejus gratiam facere, cumque non ad illum pertineat ad examen revocare, an ille qui mutuam pecuniam sumit fœnore, ad tantam redactus sit necessitatem, ut id sine peccato facere possit, an vero ad eam nondum compulsus sit (*p*). Cumque regula generalis sit respectu omnium Notariorum, nullus ex iis exceptionem ei facere potest, nec ullo se tueri prætextu ad eludendas Leges Canonicas & Civiles quin simul & perjurus & infamis evadat: *Perjuri .... & sic per consequens sunt infames*; ut loquuntur S. Antoninus & Cardinalis Hostiensis (*q*).

(*p*) Coll. Luc. vol. 1. coll. 36. q. 2.
(*q*) S. Ant. 2. part. sum. t. 1. c. 9. §. 6. & apud eundem Hostiensis.

CA-

CASUS II.

Lysimachus qui in regione, quam incolit, pro publico fœneratore habetur, & eo respectu jure condemnatus fuit, adit Danielem ejusdem loci Notarium; ut obligationem mille librarum, quæ in proprium ejus emolumentum cedit, ejus ministerio transfigat; quam pecuniæ summam se Renaldo, qui cum illo venit, ut illi obligationi nomen suum subscribat, mutuam dedisse affirmat. Qua in re rogatur, an Danielem, qui persuasum habet, quod Lysimachus illam summam sine ulla mercede Renaldo mutuam non dedit, siquidem fœneratoris famam habet, possit sine ullo peccato illam obligationem transfigere?

Respons.

Nec Daniel, nec quivis alius Notarius, tenetur denegare Ministerium suum illis, qui eum adeunt ad aliquod actum excipiendum, modo illud actum nihil vitiosi in se contineat, e contra cum sit publicus Minister & eo respectu obligatus ad Ministerium suum præbendum illis omnibus, qui hoc ab eo requirunt, illud semper commodare debet in omnibus rebus, quæ ipsi justæ videntur. Unde sequitur quod, si Daniel nihil quod usuram redoleat in obligatione cujus transactionem Lysimachus ab eo postulat, deprehendat, tunc nullatenus de ea transfigenda dubitare debet, licet ille ob usuras mala fama laboret. Nam, quamvis in foro exteriori, talis homo possit existimari fœnerator, propter usuras, quas jam exercuit, secundum hanc juris regulam (a): *Semel malus semper præsumitur esse malus*. Non ad quempiam privatum pertinet tale judicium contra eum ferre, cum nullam probationem habet, quæ ipsi suadeat, actionem illius hominis damnandam & criminalem esse. Econtra charitas postulat, ut in re dubia & incerta honorificum de proximo feratur judicium. Ac revera nonne Lysimachus potuit se in melius immutare, ex quo ut fœnerator publico judicio damnatus est? Et licet non immutatus esset, nonne quampiam peculiarem amicitiam cum Renaldo contrahere potuit, quæ obstat, quominus ab illo mercedes usurarias exigat? Nonne fieri potest, ut quopiam beneficio ab illo accepto devinctus sit, quodque illum incitet ad mutuo ipsi dandas has mille libras absque ullo fœnore, & mero animi grati impulsu? Tandem nonne fieri potest, ut versetur in casu damni emergentis aut lucri cessantia, in sensu Theologico intellectis? Omnes illæ rationes debent cohibere judicium, quod ille Notarius in Lysimachi dedecus formare posset, cujus per consequens actum transigere potest, cui Renaldus sponte sua subscribit, sine ulla peccati labe. Atque hæc est sententia docti cujusdam Theologi, (b) cujus decisiones publicæ factæ sunt.

(a) Reg. 8. de regulis juris in 6.

(b) S. Bovii, vol. 3. cas. 344.

CASUS III.

Nazarius, Notarius, damnatus ut falsarius sententia a Suprema Curia lata, venditionis instrumentum inter Joannem & Jacobum peractæ scripsit. An ille Contractus est validus?

Respons.

Respondemus cum Panormitano & Innocent. IV. distinctionem adhibendo. Nam si ille Notarius tale Actum transegit, antequam damnatus esset ut falsarius, licet de illo crimine jam accusaretur; illud Actum est validum (c), siquidem tunc temporis adhuc habetur Notarius publicus, cum neque officio privatus, neque ministerio suo interdictus fuerit. Quod idem docet Sylvester post illos duos celebres Auctores (d). Sed si illud actum a Notario illo transactum sit jam lata sententia, qua damnatus est, & non obstante illa, tunc illud omnino nullum est: Posito tamen quod ejus condemnatio pronuntiata fuerit in illum eo quod admiserit falsi crimen in re, quæ ad ejus officium pertinet, non vero alia de caussa, ut id explicat Bartolus (e) juxta Codicis Legem (f) cujus hæc sunt verba: *Si aliquid a Susceptore vel a Tabulario fraudis admissum esse possessor deprehendat, nemo eorum, semel de interversione convictus, id rursus officium gerat in quo ante deceerit*. Sed cum Sylvester clare admodum illam difficultatem explicet, speramus non improbatum iri, si ipsius verba referamus, resecando tamen Legum & Jurisconsultorum, quos laudat loca, ab ipso citata, ut in compendium redigatur longa pagina, quam referimus. Hocce igitur modo hanc difficultatem proponit.

(c) Panormit. inc. *Fraternitatis*. de Hæreticis & Innocent. 4. Ibid.

(d) Sylvester. v. *Falsarius*. n. 5.

(e) Bartolus in L. *Lex Julia*. 1. ff. ad L. *Juliam repetunda*. ... l. ult. tit. 11.

(f) L. *Si aliquid*. 13. Cod. de susceptoribus prapositis & arcariis. l. 10. tit. 70.

Quæritur utrum instrumenta facta per Notarium falsum fint nulla? Hæc vero ejus responsio est.

Dico, distinguendam esse, inquit ille Canonici Juris peritus (g); *nam aut loquimur de instrumentis confectis ante falsitatem, vel etiam post, eo tamen nondum damnato, sed tolerato in officio; & sic valent prætextu officii, licet postea damnetur.... aut loquimur de confectis post damnationem Notarii, & sic non valeat (h). Bartolus tamen ... limitat verum, quamdiu Notarius fuit damnatus propter falsitatem commissam in officio Tabellionatus & sic loquitur (i) dicta Lex*, Si aliquid. *Secus si alias fuisset damnatus de falso, commisso extra illud officium, vel si sit infamis ex alia caussa... & hoc verum; modo illud officium non habeat in se dignitatem, ut quia est Notarius Principis... vel Salarium de publico... quia tunc non valeret, alias sic... si vero*, inquit idem Auctor, *est officium publicum sine dignitate, & quod exercetur inter consentientes, ut est, esse simplicem Notarium*, (hoc est eum qui stipendium a Principe aut ab Urbe quadam non accipiat,) *& qui conficit instrumentum inter partes, ipsum rogantes, valida sunt instrumenta qua facit ante condemnationem hominis ac Legis post crimen, & qua secuta condemnatione venit infamandus & privandus officio, etiamsi deliquit in officio, ut quia fecit instrumentum falsum... & sunt valida etiamsi crimen illud erat notorium.... si autem lata erat sententia officii privativa... indistincte non valent instrumenta postea confecta, secundum Baldum.... si autem sententia lata fuit super crimen, & non privativa officii, ex qua incurrit infamiam; tunc locum habet quod dicit Bartolus... & Baldus.... qui simpliciter dicunt, ipsum non prohiberi alia instrumenta conficere propter hoc.*

(g) Sylvester. v. Falsarius. q. 4.

(h) L. Si aliquid. Cod. de suscept. præp. & arcariis.

(i) Bartol. l. L. Si aliquid.

CASUS IV.

Hildegardus, Diœceseos Vapincensis Diaconus cum emisset & exercuisset ab anno integro Officium Notarii, Confessor ejus ea de re illi scrupulum injecit, & illum vult cogere, etiam denegando illi absolutionem, illud officium deponere; pertendens, quod sic dedecore afficit statum Ecclesiasticum, quem amplexus est. An ea in re Hildegardus Confessori suo obtemperare tenetur?

Respons.

Confessor Hildegardi recte agit, dum vult illum cogere ad deponendum Notarii Officium, quia nullo modo convenit illud homini, qui in statu Ecclesiastico constitutus est. Hac de re habemus decretalem Innocentii III. quæ eam distincte decidit, qua ille Papa mandat Episcopo cogere omnes Clericos, qui cum sint *in Sacris*, Tabellionatum exercent; illi renuntiare, & privare eorum Beneficiis eos qui parere recusabunt. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus Clericis in sacris Ordinibus constitutis, Tabellionatus Officium per Beneficiorum substractionem, appellatione postposita, interdicas.* Hæc sunt ipsissima verba illius Supremi Pontificis (k). Cardinalis Hostiensis (l), Joannes Andræas, Antonius de Butrio, Zabarella, Ancharanus, Abbas, Oldradus, Calderinus, Angelus de Perusio & complures alii consentiunt cum interdicto ab illa Decretali lato. Inter quos Cardinalis Hostiensis plures ejus decisionis rationes affert.

Prima est: quod timendum foret ne tales Notarii de instrumentis scribendis se immiscerent in rebus, in quibus ageretur de morte aut de mutilatione, in quibus casibus tale officium exerceri non posset, ne quidem a simplicibus Clericis tonsura affectis, qui in sacros Ordines recipi vellent.

Secunda est: quod Tabellionatus officium est species

(k) Innocent. III. in c. *Sicut* 8. ne Clerici vel Monachi &c. l. 3. t. 50.

(l) Hostiensis in c. *Sicut*. citat. n. 1. Joan. Andr. n. 7. Ant. de Butrio n. 6. v. *Rationem autem*. ibid. Zabarella n. 1. ibid. Ancharanus in cit. c. *Sicut*. n. 1. v. *Quarat Glossa*. Abbas ibid. n. 5. Oldradus Consil. 75 n. 2. Calderinus consil. 2. v. *Sed his non obstantibus*, Angelus de Perusio cons. 285. & alii.

cias quædam commercii, quod nullatenus Ecclesiasticos decet.

Tertia : quod cum Notarius jurejurando teneatur ad arcanum in multis rebus servandum, timendum esset, ne in perjurium incideret.

Quarta : quoniam ille qui se in æternum Jesu-Christu & ejus Ecclesiæ consecravit, non debet amplecti statum, qui illum sæculo denuo addicat. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, inquit Apostolus (*a*), Qua de re Nicolaus I. ait (*b*) : *Quod si sæculi milites sæculari militiæ student ; quid ad Episcopos & milites Christi, nisi ut vacent orationibus*.

(*a*) 2. Timor. 2.
(*b*) Nicol. I. io can. *Reprehensibile*. 19. 23. 7. 9.

Quinta : quod non convenit dignitati ejus, ut exerceat Officium, quod eum in contemtionem adducit & dedecore afficit ; siquidem, ut inquit Glossa (*c*), Notarii sunt servi publici ; *Publici dicuntur servi* : & sic revera vocantur in quadam ex Legibus Digesti (*d*), & in compluribus aliis quas citat Glossæ Auctor ; quia officio suo tenentur ad Publico serviendum. Nunne autem omnino Ecclesiastico indignum esset, ævum transigere in conficiendis instrumentis Obligatoriis, Contractibus, Apochis, Translactionibus, Protestationibus, Bonorum Divisionibus, aut in conscribendis Catalogis & descriptionibus bonorum mobilium & immobilium, & innumeris similibus Instrumentis : cum e contra statu suo teneatur ad orationem, & ad Jesum Christum unice colendum.

(*c*) Gloss. in l. universos, 15. *De Decurionibus*. v. *Temperare* l. 10 tit. 32.
(*d*) L. *In ordinem*. 1. 4. 15 ff. de Magistratibus conveniendis. l. 27. tit. 8. ibi Glossa v. *Servus*.

Atque hæ sunt rationes, quibus compulsi Canonici Jurisperiti, quos modo laudavimus, omnes unanimi consensu docent, quod Notarii Officium ab Ecclesiastico exerceri non potest. *Hoc officium*, inquit Fagnanus (*e*), *est publicum sæculare, vile & sapit negotiationem .... ergo censeri debet interdictum omnibus Clericis indistincte*.

(*e*) Fagnan. in D. c. *Sane*, n. 28.

Concludimus igitur, quod Hildegardus non potest salva conscientia pergere in exercendo Notarii officio respectu rerum sæcularium ; & quod ne quidem toleraretur, ut alii Ecclesiastici, qui neque *in Sacris* essent, neque Beneficiarii tali munere fungerentur, dum Tonsuram & habitum Ecclesiasticum gererent.

Vide { DOMINICALE ET FESTA. RESTITUTIO Casus. DAMIANUS MARCULLUS ET ARTEMIDORUS. }

N O T H U S.

Vide { BENEFICIUM. HÆRES. ILLEGITIMUS. }

N O V I T I U S.

NOVITIUS vocatur ille vel illa, qui statum Religiosum amplexi sunt, quique inchoaverunt annum probationis, quam Ecclesia præscripsit peragendam, antequam facere queant solemnem Religionis professionem. *Novitii*, inquit Cangius in suo Glossario, *qui in Monasterio Religiosæ vitæ experimenta subeunt, & probationis elapsæ tempore, si idonei fuerint inventi, ad professionem admittuntur*.

Annus Novitiatus, debet numerari a die, quo habitus Religiosus induitur, & omnino impletus esse, sine ulla interruptione, nisi ob aliquam gravem caussam, quæque a Superiori approbata fuerit.

Novitius natus sit sexdecim annos integros, secundum Constitutionem Blesensem (*f*), antequam ad solemnem professionem admitti possit.

(*f*) Art. 28.

In casu translationis Religiosi, qui jam perfecit in alio Conventu annum Novitiatus, usus poscit, ut admittatur Breve Papæ, seu Immunitas a Papa concessa, quo redigitur ejus secundus Novitiatus ad sex menses, ut ita judicavit Magnus Consessus, & postea Curia, Decreto lato anno 1698. litis statum referente, Domino Bochardo a Sarrone (*g*), in gratiam Domini Melchioris Limonis, Religiosi Ordinis Sancti Benedicti, respectu Prioratus regularis Cellensis in Diœcesi Aquisextana in Provincia.

(*g*) D. Brillon v. *Novitii*. n. 3.

Omnis professio tacita, quæ consistit in gerendo habitu Novitii diu post Novitiatum absolutum, est omnimodo nulla, secundum nostram Jurisprudentiam, quæ ea in re contraria est Juri a Decretalibus constituto, & nullam aliam professionem, ut validam agnoscimus, quam eam, quæ est expressa.

Novitius, potest equidem de bonis suis disponere, antequam professionem faciat ; hoc est, ab anno ætatis decimo sexto adimpleto, (nisi Consuetudo exigat ætatem provectiorem, ad obtinendam facultatem de iis disponendi,) secundum Decreta Curiæ Parisiensis 20. Febr. an. 1603. & 3. Augusti anni 1627. relata a Caronda & a Ricardo (*h*) ; Sed hoc facere nequit in gratiam Monasterii, in quo degit, ut variis Decretis judicatum est, & inter alia Decreto Curiæ Parisiensis 12. Julii ann. 1658. (*i*).

Novitii non possunt sibi reservare ullam pensionem, ad vitæ tempus, in propria bona, siquidem talis reservatio contraria esset voto paupertatis, quod sibi faciendum proponunt ; Idque ita judicatum est a Curia Tolosana, respectu Novitii cujusdam tertii Ordinis Sancti Francisci 24. Maji anni 1672. (*k*). Bouvotus refert aliud simile Decretum Curiæ Divionensis anni 1582. (*l*).

(*h*) Carondas l. 13. respons. 61 Ricard. I. part. c. 3. sect. 3. num. 66. & sequ.
(*i*) Des Maisons litt. T. num. 2.
(*k*) Diarium Palatii part. 2. fol. 145.
(*l*) Bouvot. vol. 2. v. *Monasterium*. q. 22.

No-

Novitius non obligatur sub ullo peccato, aut pœna canonica ad servandas Regulas aut statuta Ordinis, in quem ingressus est; sed tantummodo ad obediendum illi qui est ejus Superior, & ad observandum quicquid regula præscripsit respectu Novitiorum (*a*).

(a) Geminianus in c. non solum. de regularib. 2. in 6. L. 3. lit. 14.

Instrumenta Novitiatuum & Professionum, continenti scriptione exarari debent, sine ullo intervallo, subscribi a Superiore, sive viro, sive fœmina, Monasterii: & ab illo qui habitum acceperit, aut Professionem fecerit, & a duobus consanguineis aut amicis, qui cæremoniæ adfuerint: & Diarium in quo ejusmodi instrumenta scripta sunt, debet parapha notari in principio & fine ab Episcopo Diœcesano, & a supradictis Superioribus sive viris sive fœminis, ut fert Edictum mensis Augusti an. 1667. (*b*).

(b) Art. 10.

CASUS PRIMUS.

SEDE Abbatiali Monasterii S. Gertrudis vacante, & Maria se offerente ad sumendum habitum Novitiæ, Episcopus Diœcesanus, sub cujus jurisdictione immediata est illa Abbatia, hunc illi sola sua auctoritate concessit. An hoc faciendi potestatem habebat?

RESPONS.

Illa quæstio olim proposita fuit quibusdam Sorbonæ Doctoribus, quorum unus præcipuas decisiones suas publici juris fecit (*c*): & secundum eorum sententiam, Episcopus Diœcesanus, licet Superior esset immediatus Monasterii S. Gertrudis, habitum Religiosum Mariæ concedere non potuit. Ratio ejus rei est, quod nullam filiam ad sumendum habitum admittere potest, nisi postquam ad hoc admissa fuit a Communitate. Communitas autem jus non habet admittendi filias ad sumendum habitum, cum Sedes Abbatialis vacat, ut in casu proposito vacare supponitur. Quapropter Episcopus expectare debuit, donec nova eligeretur Abbatissa, quæ Abbatiæ possessionem secundum formulas ordinarias suscepisset.

(c) Sancti Bovii vol. 2. cas. 70.

CASUS II.

FLORIANUS, qui a decem mensibus in Conventu S. Francisci Novitius est, proprio impulsus animo ad excedendum ex illo propter labores, qui ipsi tolerandi incumbebant, corporis vexationes, & alias exercitationes mandatas ab Ordinis Constitutionibus, ex Cœnobio aufugit, & apud quempiam ex amicis divertit, animo deponendi habitum suum Religiosum, statim atque sæcularem alium habere poterit, quem eodem illo die se habiturum sperat. Eo in temporis intervallo, Superior Cœnobii, qui illum quærebat, eo invento in illius amici ædibus, tribus aut quatuor horis elapsis, post ejus exitum e Monasterio, illum adhortatus est, & clementer ipsi persuasit, ut iterum in Cœnobium ingrederetur, quod libenter admodum fecit, sincera pœnitentia ductus, quod tentationi prius succubuisset. An necessarium est, ut iterum inchoet decem menses Novitiatus, quos jam absolverat; an vero satis est, si conficiat duos menses, qui ipsi peragendi supererant, ad implendum tempus probationis ipsi impositæ, & ad faciendam modo valido professionem?

RESPONS.

Licet, secundum quosdam Auctores, tempus adeo breve non sufficiat, ad interrumpendum annum Novitiatus, quum Novitius nullatenus habitum Religiosum deposuit; tutius attamen & certius dicas, quod Florianus illa fuga probationis annum interrupit, & finem imposuit Novitiatui, quem inchoaverat. Siquidem & animo & facto illi renuntiavit, se proripiendo ex Cœnobio sine venia Superioris sui & cum animo spoliandi se habitu suo religioso, statim atque alium sæcularem habere posset.

Atque hæc est sententia Sylvii (*d*); in quadam ex ejus decisionibus 10. Septembris anni 1636. in qua asserit, quod annus Novitiatus finem habet, statim atque Novitius se proripit ex Monasterio sine Superioris licentia, licet per breve admodum tempus ab illo absens sit: *Ad hoc, ut Novitiatus interrumpatur*, inquit celebris ille Theologus, *sufficit egressio e Monasterio sine licentia Superioris, cum animo non redeundi ad Monasterium; sive egressio illa perseveret longo tempore, sive brevi. Per talem quippe egressionem, isto animo factam, annus Novitiatus desiuit esse continuus; ipse Novitius interrumpit, imo excutit jugum obedientiæ, non tantum mente, sed etiam ipso opere.*

(d) Fr. Sylv. Resol. var. v. Novitius 3. & apud eum Sanch. lib. 5. in decal. c. 4. n. 32. & Lupus.

Qui vero contrariam tuentur opinionem pertendunt, quod intervallum temporis adeo modicum pro nihilo haberi debet, secundum illud axioma Sancti Antonini (*e*): *Parum pro nihilo reputatur*, aut ut loquitur S. Thomas (*f*), *quod modicum est ratio apprendit quasi nihil*. Sed illud axioma non est generaliter verum, præsertim in rebus a jure determinatis. Nam, exempli causa, argumento, quod præ manibus est, adhærendo, certam est, quod annus probationis ita adimpletus esse debet, ut Novitius validam professionem facere non possit, licet ab illo tantummodo quidam dies, aut etiam aliquot horæ deessent. Pariter etiam solemnis Religionis professio valida esse non potest, si ille qui eam facit non perfecte adimplevit annum ætatis decimum sextum a Canonibus præscriptum, ex quo tempore nihil omnino deficiat. Tandem Ecclesiasticus, qui Sacros Ordines excipere vult, pariter debet prius ita adimplere tempus statutum a Canonibus, ut ne una quidem hora ab illo desit, secundum observationem sapientem ejusdem Theologi, qui illis rationibus plane evertit debile fundamentum eorum, qui contrariam opinionem tuentur.

(e) S. Anton. 2. p. summ. Theolog. tit. 9. c. 10. §. 3.

(f) S. Thom. 2. 2. q. 65. art. 6. ad 1.

Quibus addi potest, quod illud axioma, *parum pro nihilo reputatur*, tolerari posset eo in casu; si nempe Novitius nullum actum contrarium continuæ seriei Novitiatus ejus fecisset. Sed actio, quam fecit, ei plane contraria est; siquidem aufugiendo a suo Monasterio, illius continuationi renuntiavit, & vitam sub potestate superioris degere recusavit. Axioma quod affertur est igitur inutile ad eum excusandum; nec verum est, nisi respectu rerum, de quibus Jus nihil statuit. Barbosa (*g*) consentit cum Sylvio, non secus ac complures alii.

(g) Aug. Barbosa ad c. 15. sess. 25. Conc. Trid. Et de jure Eccles. l. 1. c. 41. n. 225. & 228. & alii plures.

CASUS III.

ROMUALDUS, cum novem menses Novitiatus confecisset in Monasterio Sancti Taurini, ibique parum gratam sibi vitam degeret, ivit spontaneo animi motu in locum, sex leucis a suo dissitum, in quampiam domum ejusdem Ordinis, servato habitu Religioso, & sine ulla interruptione, quinque aut sex horis exceptis, cumque ibi per tres altos menses manserit, ad professionem solemnem ibidem admissus est; quoniam Superior illius secundi Monasterii æquum esse judicavit, adjungere novem priores menses tribus ultimis, ut sic simul efficerent tempus probationis ejus necessarium. An professio ejus valida est?

RESPONS.

Professio Romualdi nulla est propter defectum temporis requisiti ad ejus Novitiatum. Ratio ejus rei est, quod secundum Concilium Tridentinum (*h*), annus Novitiatus perfecte integer & expletus esse debet. *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum completum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in pro-*

(h) Concil. Trid. sess. 25. de regul. & Mon. c. 15.

batione steterit, ad professionem admittatur: Professio autem antea facta sit nulla, nallamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios effectus. Hæc sunt ipsa Decreti Concilii verba.

Quin etiam necessarium est, secundum communem Theologorum & Canonistarum sententiam, ut tempus illud sit continuum, & sine ulla interruptione (*a*). Novitiatus autem Romualdi non fuit continuus nec unius anni integri in Monasterio, in quod primum sub qualitate Novitii ingressus est; siquidem sponte ex eo egressus est, & sine licentia Superioris, a cujus obedientia se propria sua auctoritate subtraxit, ut se alio Superiori dirigendum præberet, quod efficere non potuit, nisi deserendo Monasterium, ut revera fecit, & vale dicendo obedientiæ, quam legitimo suo Superiori præstare debebat. Cum igitur Novitiatus ejus esset imperfectus, per consequens validam professionem facere non potuit.

(*a*) Fr. Sylv. Resol. var. 9. Novitius. 6. & apud eum Barb. allegat. 241. n. 23.

Illa sententia confirmari potest auctoritate Innocentii III. qui cum ad Archiepiscopum Pisanum scriberet (*b*), affirmat, quod tempus probationis constitutum fuit ab Ecclesia, non modo in Novitii gratiam, ut nempe probet statum, quem sibi amplectendum proponit; sed etiam in gratiam Monasterii; ut scilicet ad examen revocet, & cognoscat animum, mores & agendi rationem Novitii. *Non solum in gratiam conversi, sed etiam Monasterii, & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri.* Tres autem menses non satis fuerunt Superiori secundi Monasterii, ut certus fieri posset de bonis moribus & bonis Romualdi affectibus, qui a parte sua non etiam cognoscere potuit tam brevi tempore, an se acommodare posset regulis ultimi Monasterii in quod se recepit. Præterea Concilium exigit, ut Novitius per omne tempus præscriptum sub ejusdem Superioris obedientia vivat. Unde sequitur, quod postremus Superior modo valido admittere non potuit illum Novitium ad solemnem professionem, siquidem tantummodo per tres menses eum sub suo ductu habuit.

(*b*) Inn. III. in c. Ad Apostolicam 13. de regul. & transeuntibus ad Religionem, lib. 3. tit. 31.

Illa decisio pluribus aliis similibus, quas Navarrus protulit, consentanea est. Unam ex illis tantummodo afferemus. Atque isto modo hæc difficultas ipsi proponebatur (*c*). N. *ingressus quoddam Monasterium, post decem menses, sine licentia illud egressus est, & se ad aliud ejusdem Ordinis contulit, in quo receptus de consensu fratrum, post duos menses emisit professionem, & multos annos postea perseveravit. Quæritur, an hujusmodi professio N. valeat?* Ecce responsum illius doctissimi Juris Canonici Periti. *Professio D. consulentis non valuit, quia fuit ante unum annum continuum completum; & post Concilium Tridentinum, professio facta ante finem anni Novitiatus est ipso jure nulla, quoad omnes effectus. Nec obstat, quod novem vel decem menses mansit in uno Monasterio, & reliquum tempus adimplevit in alio, & consenserunt Monachi, ut haberetur annus pro completo; tum quia annus debet esse continuus, ut probat Lapus Abbas, & probat textus in capite primo ibi, (scilicet de regulis Juris) per totum annum .... tum quia sic vidimus in Sacra Pœnitentiariæ prætorio judicari .... quare arbitror, hunc D. consulentem non esse Religiosum vere professum alicujus Ordinis.* Ecce speciem, quæ hic respectu Romualdi proponitur, tam clare decisam, ut aliquid supradictis adjungere, omnino inutile fore existimamus.

(*c*) Navar. l. 3. Consil. cons. 27. item con. 19. & 29. idem docet.

CASUS IV.

Genutius desiderans fieri Religiosus in S. Justi Monasterio, in illud ingressus 1. Januarii, & in eo exercuit omnes functiones & usus Novitiis proprios per sex menses integros, gerendo nihilominus per illud tempus habitum suum sæcularem & ordinarium, quem non deposuit ad sumendum habitum Religiosum, nisi prima Julii die, quem deinceps per reliquum annum gestavit. 1. An censeri debet confecisse annum integrum Novitiatus, ut illud requirit Concilium Tridentinum, ita ut professionem validam facere possit? 2. An etiam censeretur eum confecisse, si postquam gestavisset habitum Religiosum per sex menses, & egressus deinde esset e Monasterio, tresque menses in sæculo transegisset, in idem Monasterium ingrederetur iterum, & ibi per sex alios menses Novitii habitum gereret?

RESPONS.

Ut primæ quæstioni respondeamus, dicimus, quod Genutius non censetur confecisse, nisi sex menses probationis, & quod per consequens validam professionem facere non potest. Siquidem sex priores menses, quos transegit in Monasterio, veste sua sæculari indutus, non possunt numerari, ut pars temporis requisiti ad Novitiatum, licet illius regulas & functiones omnes observaverit. Ratio ejus rei est, quod Concilium Tridentinum (*d*) jubet ut nullus admittatur ad professionem, nisi transegerit ad minus annum integrum in Novitiatu, postquam habitum Religiosum sumpserit: *Nec qui minori tempore, quam per annum post susceptum Habitum in probatione ad professionem admittatur.* Hæc sunt ipsissima Concilii verba; & illud Decretum in Regno Gallico admissum est, & nova auctoritate donatum a constitutione Blesensi (*e*). Genutius autem tantummodo per sex menses, Novitii habitum gestavit, a quo tempore eum suscepit. Non potest igitur modo valido ad professionem admitti, nisi postquam per sex alios menses continuos illum gestaverit.

(*d*) Conc. Trid. sess. 25. de Regul. & Monach. 15. cit.

(*e*) Constit. Bles. art. 25.

Secundæ quæstionis respectu, affirmamus etiam, quod si Genutius interrupisset per tres menses tempus Novitiatus ab ipso inceptum, non posset etiam professionem validam facere; licet in incepto per sex alios menses peregisset. Ad illud probandum alia ratione non indigemus, quam ea, quæ profertur ab Innocentio III. in Decretali, quam citavimus in responsione ad præcedentem difficultatem, in qua ille Papa asserit, quod tempus Novitiatus ab Ecclesia constitutum & determinatum fuit, non tantum in gratiam Novitii; ut se ipsum probet priusquam voto solemni ad professionem Religiosam se addicat, & ad probe noscendum, an idoneus erit ad omnia ejus officia adimplenda, & ad omnes ejus austeritates tolerandas; sed etiam in gratiam Monasterii, quod sibi proponit illum recipere, & illi concedere possessionem omnium prærogativarum & privilegiorum quæ illi adhærent. *Ut & ille asperitates istius*, (Monasterii), *& illud mores illius valeat experiri* (*f*). Quando vero magnum interponitur intervallum temporis inter initium & finem Novitiatus, quale est trium mensium spatium, tunc probatio non sortitur effectum quem sibi Ecclesia proposuit, neque respectu Novitii, neque respectu Monasterii. Quandoquidem longe facilius est tolerare Religionis jugum per sex menses, & illud excussum per tres menses iterum excipere, quam illud per duodecim menses continuos ferre? Monasterium quoque longe melius de bonis qualitatibus & de vera vocatione Novitii cujusdam dijudicare potest, quum ille per annum integrum manet sub oculis superiorum & aliorum Religiosorum, qui illum ad professionem admittere, aut ab illa excludere debent, quam quum ibidem manet per idem tempus, sed aliquoties interruptum (*g*).

(*f*) Inn. III. in c. Ad Apostolicam cit. De regul. & transf. ad Religion.

(*g*) Cassius prax. Jurisd. Eccl. & conscientiolæ c. 6. §. 2. n. 2.

CASUS V.

Seraphion ingressus est in quoddam Monasterium, & ibi habitum Novitii suscepit. Sed quoniam, ut quidem ipse sentit, Magister Novitiorum illum habet nimis severe in Confessione; libenter vellet eligere in Confessorem, alium Patrem ejusdem Monasterii, qui etiam ab Episcopo approbatur. Nonne illud salva conscientia facere potest?

RESPONS.

Vir celebris Religiosus Minimus, natione Italus, illam quæstionem decidit, dicendo, quod talis licentia Novitiis non permittitur: *Novitii, inquit ille, non possunt confiteri, nisi Confessario,*

sibi

ſibi a Superiore aſſignato (*a*); *etiamſi alter, cui confiteri vellent eſſet approbatus ab Ordinario.* Eſtque id ipſum, quod revera expreſſe continetur in Bulla Clementis VIII quæ invenitur in tertio volumine magni Bullarii (*b*), quæque ne Superiori quidem concedit licentiam audiendi confeſſionem Novitiorum, nec illis concedendi alium Confeſſarium, niſi ſemel aut bis tantum in anno. Hæc ſunt illius verba: *Ipſi autem Magiſtro Novitiorum confeſſiones audiendi cura committitur.... liceat tamen Superiori, etiam locali, ſi ita expedire judicaverit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum ſemel aut bis in anno eorumdem Novitiorum confeſſiones audire.*

(*a*) Laurent. de Peyrinis de ſubdit. Prælati regul. q. 3. c. 1. n. 202.
(*b*) Clemen. VIII. in Bulla ſignal. 54 §. 18. in Bullar. to. 3. p. 238. edit. Lugdun. an. 1692.

CASUS VI.

Eugenia poſtquam incœpit Novitiatum ſuum in Monaſterio Sancto Paulino dicato, coacta fuit exinde egredi poſt ſex menſes cum quibuſdam aliis Religioſis, quæ ex illo loco ſe recipiebant, propter adventum exercitus hoſtilis, qui ad obſidionem urbis vicinæ ſe conferebat; quod tamen illa Novitia non fecit ſine conſenſu Superioris, imo & Epiſcopi, ſub cujus juriſdictione illud Monaſterium eſt; & manendo tamen ſemper ſub obedientia ejuſdem illius Superioris. Sed quoniam bellum per annum integrum in eadem illa Regione graſſatum eſt &, quod per conſequens illa Filia non potuit per omne illud temporis ſpatium tuto regredi in Monaſterium, ad ibi abſolvendum ſuum Novitiatum; Rogatur an poſt annum omnino elapſum illa admitti poſſit ad profeſſionem, quin obligetur iterum inchoare alium Novitiatum, aut ſaltem perficere ſex alios menſes, qui ipſi abſolvendi ſupererant ex Novitiatu, quem incœperat.

Responsio.

Ea filia admitti poteſt ad profeſſionem ſolemnem in ea hypotheſi, ſi modo nulla alia ſubſit cauſa, quæ illam ea indignam faciat. Nam, licet Concilium Tridentinum exigat, ut Novitius non cenſeatur confeciſſe Novitiatum ſuum, niſi poſtquam annum integrum probationis confecit, non tamen abſolute neceſſarium eſt, ut illud omne tempus tranſigat in Monaſterio ipſo, in quo profiteri debet: ſed ſatis eſt ſi ferat ſemper & continuo habitum Novitii, ſi vivat & maneat ſub obedientia ſui Superioris, & a Monaſterio non egrediatur niſi juſta de cauſa, & cum conſenſu ejuſdem illius Superioris. Atque eodem plane modo Navarrus reſpondit olim ad difficultatem omnino ſimilem, cujus deciſio ipſi permiſſa fuerat a Sacra Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, reſpectu cujuſdam Novitii Pompeiopolitani, qui poſt ſex priores Novitiatus ejus menſes, miſſus fuerat a ſuis Superioribus in alium locum, ut ibi curaret rem momentoſam, quam ibi gerendam habebant; & in quo manſerat ſex alios menſes cum ſuo habitu Novitii, & ſub obedientia eorumdem Superiorum. *Tenenda eſt pars affirmativa* inquit ille doctus Canonici Juris Peritus (*c*), *tum quia prædictus Novitius detulit habitum ſuſceptum per totum unum annum, partim intra Monaſterium partim extra illud, manens ſemper ſub obedientia ſui ſuperioris, & cum ejus licentia, juſta de cauſa data, & faciens ejus præcepta & mandata, quod videtur ſufficere ad implendum annum ſuæ probationis Novitiatus.*

(*c*) Navar. l. 3. conſilior. conſ. 32. n. 2.

Auctor ille ſuam ſententiam confirmat. 1. Iſto argumento negativo: *Nullo jure cavetur, quod Novitius debeat manere ſemper & continue totum annum intra Monaſterium.* 2. Auctoritate Panormitani (*d*), & Sylveſtri de Prierio qui eamdem cum ipſo ſententiam tuentur. Cui poteſt adjungi, quod diſpoſitio unius Decretalis, quam Innocentius III. ſcribit ad Epiſcopos Ulyſſiponis & Conimbricæ (*e*), Doctrinæ illorum Canoniſtarum omnino faveat. Caſus autem in quo Eugenia verſari ſupponitur, eſt ejuſdem naturæ ac ille in quo verſabatur Novitius, de quo Navarrus conſultus erat. Nam habitum Novitiatus ſuſcepit in Monaſterio Sancti Paulini, in eo manſit per ſex menſes, & exinde non egreſſa eſt niſi cum bona venia, quam ipſi ejus Legitimi Superiores juſta de cauſa conceſſere; perrexit in gerendo eodem habitu extra Monaſterium, & ſemper manſit in obedientia ſuæ Superiori debita. Non igitur privari debet Beneficio profeſſionis; ſiquidem, ut inquit iterum in alio loco idem Canoniſta (*f*), Novitius cenſetur geſſiſſe habitum Religioſum in Monaſterio, licet illum geſtaverit in alio loco ex mandato, & cum conſenſu ſui Superioris: *Videtur autem geſtare in Monaſterio* (habitum) *qui geſtat eum in loco, ubi de Superioris mandato manet.*

(*d*) Panorm. in cap. Ex reſcripto. De jurejur. n. 5. Sylveſter de Prierio verſ. Religio. a q. 39. §. 3.
(*e*) Inn. III in c. Inſinuante 7. qui Clerici, vel, &c. lib 4. tit. 6.

(*f*) Navar. Commentar. 4. de regular. n. 76.

Sylvius idem cum Navarro affirmat (*g*); *Requiritur quidem quod annus probationis ſit continuus: ſed non eſt putandum, quod diſcontinuetur per abſentiam a Monaſterio, quando Novitius, ſeu Novitia: retinet habitum, & non abeſt, niſi cum licentia Superioris; manetque ſemper ſub ejus obedientia.* Hæc ſunt illius Theologi verba, qui hac in re ſequitur tantum variorum aliorum Auctorum celeberrimorum communem ſententiam.

(*g*) Fr. Sylv. Reſ. var. v. Novitius. 1. & apud eum Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 1. Aug. Barboſ. alleg. 10. n. 15. Jac. de Graff. l. 3. c. 5. n. 8. 50. Azor to. 1. Inſtit. Mor. l. l. 12. c. 4. q. 8. Ant Diana p. 3. Tract. 1. de dubi s regul. Reſol. 84. Ludovicus Miranda & alii.

CASUS VII.

Euthalia ingreſſa eſt in Religionem & ad faciendum Novitiatum ſuum a decem vel undecim menſibus admiſſa eſt. Sed poſtquam velum ſumpſit, adeo invalida evaſit, ut nullatenus veriſimile ſit, quod illa unquam fiat idonea ad obſervandas omnes regulas Religionis in quam ingreſſa eſt. Illa tamen enixe rogat, ut ad profeſſionem admittatur, & offert majorem dotem ea quam ſtatim promiſerat, eo nempe animo, ut non ſit oneri domui Religioſæ in qua manet. An Superior & aliæ Moniales ex quibus capitulum conſtat, poſſunt ſalva conſcientia admittere illam filiam ad vota facienda; licet ejus infirmitas corporea illam efficiat incapacem obſervandi Religionis regulas; & accipere id quod offert ſive in fundo ſive in penſione ad augendam dotem ſuam?

Responsio.

Doctus quidam Theologus, cui ſimilis quæſtio olim propoſita eſt, illi reſpondet dicendo, quod ſi talis Novitia aliunde haberet magnas animi dotes, quæ eſſent capaces compenſandi ejus corporis infirmitates, & quod præterea vitam ſanctam & quæ aliis exemplo eſſet, degeret, tunc Superior poſſet illam ad profeſſionem admittere, licet certum videretur, quod ejus infirmitates curari non poſſent: nam licet tales forent, illud non impediret eam quominus fidelis eſſet in obſervando eo in quo voti eſſentia conſiſtit & ad quod perſona Religioſa præcipue obligatur; Quin etiam obſervare valeret partem ſaltem regularum, licet non foret habilis ad eas omnes ad rigorem obſervandas.

Oblatio, quam facit Euthalia, dotis augmenti, non eum in finem ut ea ratione ad profeſſionem admittatur; ſed tantum ea mente, ut non ſit oneri Monaſterio, non eſt vitioſa neque damnanda, ſi illud Monaſterium in tali ſtatu verſetur, ut eo auxilio carere non poſſit; Nam æquum eſt, ut filia, quæ infirma eſt, & quæ talis ſemper impoſterum futura videtur, ſuppleat doti ſuæ pro ratione impenſæ, quam majorem facere in ejus gratiam domus Religioſa cogitur propter ejus infirmitates, quod non faceret ſi bona & integra valetudine frueretur (*h*).

(*h*) De Sancto Bovio to. 1. caſ. 50.

Vide (Abbas. Caſus 4. & 5.)
(Abbatissa. Caſus 1. & 2.)
(Approbatio. Caſus 15.)

NUMMULARIUS.

NUMMULARII vocem non eo sensu sumimus nos, quo a Romanis intelligebatur, qui nempe illud nomen indebant iis qui argentum suum publice fœnori commodabant, quique hac de causa *Argentarii* appellabantur. Sed illi, qui apud nos Nummularii vocantur, sunt homines, a quibus rogatur, ut certam pecuniæ quantitatem in Regione extera cuipiam numerandam curent, aut ab Urbe quadam in alia, per medium procuratorem, quos in illis locis habent, aut ut recipiant eam pecuniam, quæ illis exinde mittitur; quod geritur per rationem litterarum cambii sive permutationis; quarum solutio Nummulatio injungitur, verbi gratia, a Lutetia Lugduni; vel a Lugduno Lutetiæ; pro quo commodo justum est, ut Nummularius quampiam modicam mercedem recipiat; tam pro cura, quæ ipsi ad illas res gerendas incumbit, & pro periculis amittendæ pecuniæ, quæ subit, quam ut compenset sumptus, quos facere tenetur, dum sic publicæ utilitati inservit.

Statutum generale, quod de Nummulariis factum est, reperitur in Decreto anni 1673. a quo inter alia. 1. Reputantur majorennes (*a*) illi ipsi nummularii, qui minores annis essent, quique per consequens numquam possunt obtinere Litteras restitutionis ad annihilandum, aut ad suspendendum effectum obligationum, quas contraxerunt, antequam majorennes essent.

(*a*) Decret. an. 1673. t. 1. art. 6.

2. Quo injungitur omni Nummulario (*b*), ut habeat Codicem fidum, consignatum, notatum & Paraphatum a capite & a fine a Consule, aut a Mercatore, cui Consul curam illius negotii committit, quique contineat ejus negotiationem, ejus Litteras cambii, ejus debita tam activa, quam passiva, & pecuniæ summas, quas in proprios usus impendit.

(*b*) Ibid. tit. 3. art. 1. 2. & 3.

3. Quod non poterit Litteras prorogationis diei pecuniæ solvendæ obtinere (*c*), aut interdicta generalia quominus ad pecuniam debitam solvendam cogatur, nisi prius deposuerit in Tabulario Jurisdictionis Consulum, in Urbibus, in quibus sunt Consules; aut in Tabulario Curiæ Urbanæ, statum omnium ejus bonorum, rerum ad ipsum pertinentium, & pecuniæ ab ipso debitæ, cui nomen suum apponet, & verum esse testabitur; & nisi palam ostenderit suos libros & codices creditoribus ejus, si hoc ab ipso exigant.

(*c*) Reip. diei solvendæ pecuniæ prorogatio a principe concessa.

4. Tandem quod si in fraude deprehendatur (*d*), excidat ex beneficio omnium litterarum Interdictorum, quas antea obtinuisset, & ab omni spe alias in posterum obtinendi, aut admitti ad beneficium cessionis.

(*d*) Ibid. t. 9. art. 1. & 2.

Vide Vocem CAMPSOR.

Extat secunda Nummulariorum species, qui eo nomine in Curia Romana indigitantur, suntque illi, quibus solis conceditur potestas requirendi, obtinendi, & expediendi per suos Procuratores Romæ manentes Bullas, Provisiones, Signaturas, Rescripta, Dispensas, & alia instrumenta similia, quibus opus est.

Rex eos creavit Edicto mensis Martii anni 1673. sub titulo officii hæreditarii in omnibus Galliæ Urbibus, in quibus Curia aut Præsidialis consessus exstant. Illis interdicitur sententia lata a Magno Consilio anni 1655. requirere ullas Beneficiorum provisiones, etiam jure devoluto, sibi ipsis, aut liberis suis, sive Romæ, sive Avenione.

CASUS PRIMUS.

GALERIUS, Nummularius exercet commercium Cambii, quod fit per litteras, quodque illud est, in quo datur pecunia in quodam loco ut tradatur in alio: cumque, exempli causa, acceperit Lutetiæ 1000. libras a Balthasaro, ut illas curet numerari Genevæ, quoddam emolumentum ex illa re capit, licet nihil aliud agat, nisi quod scribit ad amicum quempiam, aut Mercatorem illius Urbis, qui ejus mandato accepto tradit 1000. illas libras Balthasaro, aut alii, quem Balthasarus indicat; sive quia ille procurator debet parem pecuniæ summam Galerio, sive quia Galerius paratus est eamdem summam vicissim solvere accepto ejusdem procuratoris mandato. An illud emolumentum est legitimum, & quomodo legitimum esse potest?

RESPONS.

Illud emolumentum est justum & legitimum, modo non sit immoderatum; sicut definitum est in 118. Bulla Sancti Pii V. data 28. Januarii anni 1571. (*e*) in qua ratio illius rei desumitur ex necessitate & utilitate publica: *Cum itaque ad aures nostras pervenerit legitimum cambiorum usum, quem necessitas publicaque utilitas induxit*, &c. Cui aliæ duæ rationes adjungi possunt.

(*e*) S. Pius V. in Bulla. In eam. parag. 1.

Prima est, quod ille, qui accipit pecuniæ summam in quodam loco, ut eam solvendam curet in alio, in periculo versatur respectu summæ a se acceptæ, adeo ut, si forte pereat illa, aut non transmittatur in locum, de quo conventum est, sive propter infidelitatem ejus procuratoris, sive quia solvendo non est, sive quia foro cessit, aut alia de causa, tunc tenetur de illa respondere, & illius jacturam ferre.

Secun-

Secunda ratio est, quod labor incumbit, & impensæ sunt faciendæ illi, qui tenetur transferre pecuniam in quempiam locum. Unde sequitur, quod emolumentum a Nummulario comparatum, non illi cedit præcise propter pecuniam ipsam, quam in alio loco tradi curat, siquidem pecunia sterilis est natura sua, & nihil per consequens producere potest, sed propter periculum in quod incurrit, labores quos fert, & impensas, quas facere tenetur, ad exercendum officium suum & ad publicæ utilitati inserviendum; quales sunt ædium merces, alimentum & stipendia Ministrorum suorum & Domesticorum, quas ex propria pecunia facere non obligatur: & denique propter industriam ejus, qua sola meretur mercedem ipsi consentaneam.

Hæc decisio conformis est genio Auctoris Opusculi 73. quod inter ea, quæ sunt a S. Thoma edita, reperitur, (a) in quo sic loquitur; *Ars campsoria de se est justa... & est ratio, quia illud plus, quod accipitur a campsoribus in tali permutatione monetæ, non accipitur ratione pecuniæ, quæ de se est invendibilis; sed ratione periculi, vel interesse ut subveniatur Salariis pensionum, domorum, Ministrorumque, & laboribus & expensis in arte necessaria & licita; ne frustra ponant operam & sudorem suam pro re licita ad utilitatem aliorum.* Sanctus Antoninus (b) idem docet, & iisdem rationibus sententiam suam probat. Adeo ut affirmari possit, quod, sicut ille qui revera transferret illam pecuniam e Lutetia Genevam, & qui se sponsorem præberet periculorum, in quæ illa incurrere posset, proculdubio mercedem proportionatam mereretur; pariter ille Nummulariusta lem meretur; siquidem sponsor est respectu summæ, quam accepit, & respectu infidelitatis aut cessionum e foro, quæ ab ejus procuratoribus fieri possunt.

(a) Apud. S. Thom. opusc. 73. de usuris. c. 13.

(b) S. Anton. 2. part. summ. theolog. tit. 1. c. 7. §. 45.

Quod attinet ad rationem, quæ in specie proposita affertur, quod scilicet Galerius nullum laborem patitur, & nullas impensas facit, ut illas 1000. libras Genevæ numerari curet; quoniam est illi in hac Urbe amicus, aut Mercator, qui simplici ejus littera accepta illam summam tradet, non est sufficiens, ut damnetur quasi usurarius aut injustus, quando eo non obstante, modicum emolumentum a Balthazaro accipit. 1. Quoniam, ut jam diximus, in periculum incurrit respectu procuratoris sui. 2. Quoniam facilitas, qua sine impensis 1000. libras illas Genevam transfert, non oritur a natura ipsa contractus campsorii, aut a conditione personali Balthazari, sed tantummodo a conditione & industria Galeri, qui præterea forsan obligabitur in alia occasione ad solvendam Lutetiæ similem summam pro illo Mercatore Genevensi. Et hoc est præcise quod discrimen constituit inter Nummularium, qui tradit litteras cambii ab una urbe in alia solvendas, & hominem quemdam qui pecuniam mutuo dat cuipiam Mercatori, ut ex illa commercium exerceat; nam lucrum, quod ille homo facit negotiando, non oritur ex conditione pecuniæ quam mutuo dedit, siquidem pecunia natura sua sterilis est; sed ex conditione, hoc est, ex industria illius ipsius hominis, qui commercium exercet; quapropter qui pecuniam mutuo dat, nihil sibi arrogare potest ex eo lucro, siquidem industria illius negotiatoris ad ipsum non pertinet: Sed e contra, facilitas, qua ille Nummularius has 1000. libras Genevæ solvendas curat, simplicem litteram scribendo ad Mercatorem quemdam ex illa Urbe, præcise oritur ex ejus conditione, Nummularii scilicet, & ab ejus propria industria, qua reperit amicos, aut procuratores in aliis Urbibus, aut in aliis Regionibus; quapropter id quod hac ratione lucratur, ad ipsum legitime pertinet.

Ex illo eodem principio sequitur, quod, licet secundum sanctum Thomam (c) in venditionis instrumento, vendi non possit utilitas quam emptor recipit ex re quam emit, quando illa utilitas tantummodo provenit ex sola emptoris conditione, vendi tamen utilitas illa potest, quando ex propria vendentis conditione personali oritur. *Si vero aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit non damnificatur, carendo illa re, non debet eam supervendere: quia utilitas, quæ aliter accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licet possit ei vendere damnum quod patitur.* Idem dici potest in casu proposito. Nam facilitas, qua Galerius Nummularius solvi curat Genevæ 1000. libras, quas a Balthazaro Lutetiæ accepit, ita ut non cogatur illuc hanc summam transferri curare, nullo modo oritur ex natura contractus campsorii, ex qua oporteret, ut pecunia illuc transferretur, & multo minus ex conditione Balthazari, cui traditur illa littera campsoria, sed oritur præcise & unice ex conditione personali & ex industria Galerii.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 1. in corp.

Ut plane elucidetur illa decisio, addendum est, quod duæ res necessariæ sunt, ut Galerii emolumentum legitimum fiat. Prima est, quod ex causa retardationis solutionis, quæ posset contingere ex parte Balthazari, non majus accipiat lucrum; nam illo in casu usura esset, siquidem retardatio solutionis est mutuum implicitum, secundum sanctum Thomam (d): *Expectatio pretii solvendi habet rationem mutui. Unde quicquid ultra justum pretium exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usuræ.* Ex quo fit, ut nihil ab eo exigi, aut expectari possit, quin usuræ peccatum committatur. Secunda est, quod Galerius non se obliget ad solvendum Balthazaro interesse 1000. librarum, quarum loco dedit ipsi litteram cambii, in casu quod ejus procurator Genevensis illas non solvat in tempore designato, nam tunc usura etiam inesset in ea re. Saltem Sanctas Papa Pius V. (e) vult, ut illæ duæ conditiones omni modo observentur, ut auferatur Nummulariis & aliis omnis ratio obtinendi usuram sub specioso prætextu permutationis pecuniæ, quæ fit per literas. (f).

(d) Idem. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7.

(e) S. Pius V. in Bul. In eam. cit. §. 2. in mag. Bullario. tom. 2. pag. 325.

(f) Franc. a Genet. theol. mor. tom. 1. tract. 5. c. 2. interrog. 10. 11. & 13.

CASUS II.

Guaarau s, cum opus haberet 100. ducatis, illos petiit a Clemente Nummulario Florentino, sub conditione, ut eos redderet decem post diebus, eodem pretio quo tunc Venetiis venirent, & ut, si Guerinus eos diutius servaret, Clemens prorogaret tempus solutionis ex mense in alium mensem, tradendo illi novam litteram cambii, eodem pretio & iisdem de conditionibus. Accidit autem, quod elapso tempore, de quo conventum erat, illi 100. ducati sex pluris valerent Venetiis, quam Florentiæ valebant. An lucrum illud, quod fecit Clemens, legitimum est? ille equidem legitimum esse contendit, propter incertum justi valoris illius pecuniæ; quia accidit aliquando, licet raro, ut ducati Florentini non plus valeant in quibusdam temporibus Venetiis, quam Florentiæ, & ut aliquando etiam minus valeant, & ut per consequens nihil omnino lucretur, imo ut in damnum quodpiam incurrat; quoniam cambium ipsi damnosum est jactura, quam in eo facit. An recte ratiocinatur?

Raspons.

Sanctus Antoninus eamdem difficultatem sibi solvendam proponit, & ei respondet, dicendo, quod illud commercium vulgo usurarium censetur. Ratio est, quod ille Nummularius pecuniam solummodo mutuo dat, & quod hoc non facit nisi sub spe, quam habet exinde lucri faciendi, quod ab omni usura immune præstari non potest. *Illud communiter censetur usurarium*, inquit ille Sanctus (g), *quia ibi est mutuum & spes lucri in campsore: ex quibus duobus perficitur usura* 15. q. 3. Can. *Si fœneraveris... nec excusat periculum, vel dubium amittendi; id est, quia minus possunt valere illa centum tempore redditionis; tum quia in mutuo aliquid sperare non licet, argum. De usuris, cap.* Naviganti; *tum quia raro contingit, quod perdat.* Hæc sunt adhuc illius sancti Archiepiscopi verba, quibus alibi (h) utitur, dum, celebris auctoris alius vestigiis insistendo, cujus propria verba refert, eamdem quæstionem tractat: *Respondetur, quod illas decem libras grossorum sperat campsor recipere in majori valore, quam dederit: alias non mutuaret, licet quandoque*

(g) S. Anton. 2. Part. sum. theolog. tit. 1. c. 7. ante med.

(h) Idem part. 2. tit. 1. c. 7. §. 48.

illum non recipiat. Et sic est ibi usura; cum interveniat mutuum cum intentione lucri. Quod ille Auctor probat eodem Canone, qui a sancto Antonino citatur, qui educitur ex Commentario sancti Augustini in Psalmum trigesimum sextum.

CASUS III.

Berardus, Nummularius, exercet cambium, quod vocatur temporis præfiniti aut solutionis, quale exercetur a Mercatore, exempli causa, in foro Lutetiæ aut Lugduni, dum tradit 1000. libras post tres menses solvendas cum duabus aut tribus in centum, quas exinde lucratur; & sic dum pergit a tribus mensibus in alios tres menses. An illud cambium licitum est: & Berardus qui illud exercet a multis annis, an conscientiam culpa immunem habere potest?

Respons.

Illa species cambii natura sua veram usuram includit, siquidem illi, a quibus exercetur, illud lucrum non accipiunt, nisi propter dilationem solutionis, ac per consequens, propter mutuum. Quapropter si Berardus mutuo dat pecuniam tempore præfinito solvendam cum ea intentione, certo usuræ reus est. Attamen excusari potest ex ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, quod potest pati, si sit Negotiator. Sed ut eo in casu interesse quod accipit ex ratione unius aut alterius ex illis titulis, non sit usurarium, oportet 1. Ut sic tradendo pecuniam suam tempore præfinito reddendam, non habeat præcipuam intentionem magis lucrifacere illo commercio, siquidem natura sua iniquum est; sed e contra ut præcipua ejus intentio sit bene facere illis, quibus ea ratione mutuum dat. Sine illa conditione usura semper inest in illo commercio: nam aliter, sicut ait sanctus Antoninus (a): *Campsor principaliter intendit exercere tale mutuum, quod cambium vocat, non.... ut serviat, sed ut magis lucretur; quia magis per viam illam lucratur, quam per viam negotiationis, & intentio lucri ex mutuo implicito aut explicito facit usurarium.* 2. Oportet, ut respectu lucri cessantis, ille qui mutuo dat, mutuo det pecuniam, quam in animo habet commercio exponere, & ut nullam aliam habeat quam mutuo dare possit, quin commercio suo detrimentum afferat; nam aliter non vere dicere posset, quod lucrum ejus cessat propter mutuum quod dat. 3. Ut lucrum quod facere posset commercium exercendo, non sit tantum possibile & remotum; sed ut sit lucrum probabile, & ut occasio illud faciendi sit moraliter præsens. Unde facile animadverti potest, quod, si Theologi exacti verbis uti velimus, nullum est lucrum vere cessans sine damno probabili; hoc est; quin probabile sit, quod ille qui mutuo dat, aliquod damnum patietur propter mutuum ab ipso datum, licet illud non semper contingat. 4. Oportet ut respectu damni emergentis, illud sit reale & a mutuo effectum; adeo ut, si damnum non contingat, ille qui mutuo dat nihil accipiat pro damno, quod pati existimabat, quando nullum revera passus est. 5. Ut damni reparatio damno quod accidit sit æqualis. 6. Ut creditor moneat illum cui mutuo dat de damno quod patietur illi mutuo suam pecuniam dando; ut scil. libere possit mutuo pecuniam accipere ea sub conditione, ut damnum reparet, aut ab illa re abstinere.

(a) Idem ibid. part. tit. 8. c. 3.

Omnes illæ conditiones sunt absolute necessariæ, & cum omnino constet, quod raro admodum reperiuntur omnes in cambio temporis præfiniti, quod in foro exercetur, concludendum est, quod pariter raro admodum contingit, ut illud commercium sit criminis usuræ immune (b).

(b) Gener. Theol. Mor. tom. 2. Tr. 38. c. 2. inter. 24.

CASUS IV.

Lombardus, dives Nummularius, cum in se susceperit prægrandes summas Status in antecessum repræsentare, & cum præterea teneatur ad varia alia momentosa negotia gerenda in mensæ suæ argentariæ utilitatem, hæc omnia præstare non potest, nisi etiam prægrandes pecuniæ summas a variis privatis mutuo sumat, a quibus pecuniam accipit, datis tantummodo schedulis suis simplicibus, quibus se obligat ad solvendam summam in iis contentam post certum tempus ibidem definitum, & interea ad solvendum eis interesse pro ratione a Constitutionibus Regiis definita, cum tamen Rex ei solvat interesse summarum, quas in antecessum repræsentat ex ratione decem pro centum quod authoritatem habet expressa Regis Declaratione, Edictis Consilii ejus confirmata, & a Supremo Tribunali Curiæ res ad fiscum pertinentes gerentis, quæ ipsi tribuit supradictum interesse.

Confessor ejus ipsi dixit, quod hoc facere non poterat, quin usuræ reus esset & ad restitutionem obligaretur, & quod, si aliter mensam argentariam sustinere non posset, illam deserere tenebatur sub pœna damnationis. Lombardus illi respondit, quod de bono Status & de publica utilitate ea in re agebatur; quod mensa sua argentaria commercium sustentabat, aut saltem ut facilius in Regno exerceretur, efficiebat; quod magna pericula adibat, non secus ac illi, qui pecuniam ipsi mutuo dabant; & quod denique hæc omnia communi consensu & sine ulla vis specie agebantur. Quibus adjunxit, quod & ipse & omnes illi, qui ipsi commodabant, utilitatem mutuam exinde percipiebant, & quod, cum ipse ut plurimum septem aut octo pro centum acciperet ex pecunia, quæ ipsi commodatur, pariter æquum est, ut illi qui ipsi pecuniam mutuo dans, ex ea etiam aliquod emolumentum percipiant, dum participes sunt lucri, quod ipse facit. An illæ rationes sunt legitimæ, & an sufficiunt, ut Lombardum peccati & restitutionis immunem præstent?

Respons.

In specie proposita duæ exstant difficultates ad examen revocandæ. Prima consistit in eo, ut certo sciamus, an Lombardus queat salva conscientia pecuniam mutuari cum interesse solvendam, ut mensam argentariam sustineat, & ut summas, quas numerandas in se suscepit, in antecessum repræsentet, secunda, an illi liceat earumdem summarum, quas in antecessum repræsentat interesse accipere.

Circa primam difficultatem respondemus, quod Lombardus non potest salva conscientia mutuari pecuniam cum fœnore reddendam, sub prætextu necessitatis in qua versatur mensam argentariam sustinendi. Ratio est quod, secundum sanctum Thomam (c) non potest sine peccato pecunia mutuo sumi cum fœnore ex simplici schedula, & in tempus definitum, nisi quando justa necessitas ad hoc agendum adigit: *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris*, inquit ille sanctus Vir, *licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis vel alterius.* Dici autem nequit, quod Lombardus has pecuniæ summas mutuetur justa necessitate ductus; cum e contra evidens sit, quod illas mutuatur eum tantum in finem ut majus lucrum faciat ex pecunia, quam repræsentat, ex qua nempe majus interesse ipse accipit, quam illud, quod privatis illis tradit.

(c) 2. Thom. 2. 2. q. 78. art. 4. in corp.

Circa secundam difficultatem existimamus, quod ille Nummularius omnino tenetur sese gerere ex sententia Confessoris sui. Siquidem illa omnis pecunia, quam mutuatur, & illud omne fœnus, quod solvit, aut quod accipit, sunt manifesto res usurariæ, quæque adversantur Legi naturali, Legi Divinæ, Constitutionibus Canonicis, imo & Regum nostrorum Decretis: Nullum enim mutuum, cum fœnore sine fundi alienatione ab usura immune un-

quam

quam præstari potest, quicunque prætextus adhibeatur, nisi propter lucrum cessans, aut damnum emergens intellecta eo sensu quem ipsis tribuimus in responsione nostra ad præcedentem difficultatem. Unde sequitur, quod si Lombardus alia ratione mensam suam argentariam sustinere nequit; tenetur, sub pœna peccati mortalis, illam deserere illique in perpetuum valedicere; quod si non præstet, neque usus, neque commodum publicum, neque privata utilitas, neque consensus eorum, qui usuram solvunt aut accipiunt, nec denique ulla alia ratio illum coram Deo excusare poterunt.

Quod attinet ad periculum, quo Lombardus usuram suam excusare conatur, respondemus quod frustra ab ipso allegatur; quoniam illud periculum intrinsecum est mutuo quod dat, aut quod accipit: & magis adhuc intrinsecum conjunctum est cum mutuo, quod datur pauperibus & egentibus; Quapropter si illud periculum aliqua attentione dignum esset, inde sequeretur quod quæpiam usura accipi posset ex mutuo, quod daretur illis qui inopia laborant, quæ tamen usura præ omnibus aliis maxime vituperabilis & detestanda est.

Tandem, quod attinet ad lucrum, quod Lombardus facit ex pecunia, quæ ipsi mutuo datur, affirmamus, quod, si illud lucrum sit usurarium, illud debet restituere in integrum illis, a quibus id percepit, & quod si sit legitimum, illi quoque in integrum pertinet, ut ortum ducens ex propriis ipsius denariis, aut ex ejus industria, nec ullum jus id sibi arrogandi illis, qui ei mutuo pecuniam dederunt, competit. Sicut evidenter patet ex stis Sancti Thomæ verbis (*a*): *Ille qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum cui mutuat. Unde ille, cui pecunia mutuatur, sub suo periculo tenet eam; & tenetur eam restituere integre. Unde non debet amplius exigere, ille qui mutuavit.*

(*a*) Idem. cit. q. 78. art. 2. ad 1.

Vide { CAMPSOR. USURA. RESTITUTIO. }

OBEDIENTIA.

(*b*) Polm. part. 2. 3. num. 1017.

OBEDIENTIA, inquit Polmanus (*b*), *est virtus, inclinans ad executionem præcepti Superioris.*

Duæ distinguntur obedientiæ species, prior vocatur a Theologis, obedientia materialis, & posterior, obedientia formalis.

Obedientia materialis definitur: *Virtus, inclinans ad executionem operis præcepti, non qua præcepti*; quæ ultima verba sic explicat Polmanus, *Non qua præcepti, sed qua habentis intrinsecam honestatem, aut relationem in Deum, aut motivum virtutis distinctæ ab obedientia*: Ad quod addit, istam obedientiam non esse virtutem specialem, sed extendi ad omnes virtutes, quæ inclinant ad actionem, quæ præcipi potest.

Obedientia formalis definitur ab eodem: *Virtus inclinans ad executionem præcepti Superioris, qua præceptum est.* Quamvis obedientia formalis possit ad omnes virtutes extendi, nihilominus est virtus specialis proprie dicta; quia specialiter tendit ad obligandos inferiores Legibus Superioris qui, quatenus Superior est, aliquid præcipit, & significat, se intendere ad præcepti executionem obligare. Inferiores necessario tenentur non tantum Ecclesiasticorum, sed etiam Laicorum Superiorum Legibus obtemperare, nisi forte justitia læderetur aut æquitas, quia, ut ait S Paulus, *non est.... potestas nisi a Deo* (*c*). Et quia homines Superioribus debent, non solum timore pœnæ, sed etiam amore justitiæ parere. *Omnis anima*, inquit Apostolus (*d*), *potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (*e*), S. Petrus idem cunctis fidelibus præcipit: *Subjecti igitur estote omni humanæ Creaturæ propter Deum sive Regi, tanquam præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis* Quapropter Christianus non solum debet obedire in omnibus, quæ ad salutem animæ, & Regulas Religionis conscientiæque pertinent, mandatis Confessarii, Parochi aut Episcopi, cui omnis Ecclesiasticus inferior pariter sincere & perfecte debet obsequi, quemadmodum Religiosi suis Superioribus debent in omnibus ad observantiam regularem pertinentibus obedire, quemadmodum filii parentibus, servique Dominis; sed etiam Principis Legibus obtemperare & Magistratuum, cæterorumque politicorum, Civilium, militarium que Ministrorum mandata adimplere debet. Quisquis enim obedit legitimis Superioribus, ipsimet obedit Deo, a quo Principes, Principumque Ministri suam habent potestatem.

(*c*) Rom. 13. 3.
(*d*) Ibid. v. 5.
(*e*) 1. Petr. 2. v. 13. & 14.

Jesus Christus ipse non tantum Patri suo, sed & Moysi & Cæsari paruit; Christianus exemplum debet imitari Christi; *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Christi, inquam, ex cujus obedientia satis superque obedientiæ colligitur encomium.

Explicabitur in prima decisione, quænam circumstantiæ possint juxta doctrinam S. Thomæ (*f*), ab obedientia Superioribus exhibenda dispensare.

(*f*) S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 3.

CASUS PRIMUS.

PAROCHUS, cum in collatione publica proposuisset quæstionem, an inferior semper sub pœna peccati in omnibus suo legitimo Superiori obedire teneatur, aliqui ex adstantibus sententiam affirmativam, nulla facta distinctione, propugnarunt, alii negativam; an negativa validioribus rationum momentis innititur, an affirmativa?

RESP.

Respons.

Litem componere debet doctrina Sancti Thomæ, qui accuratissime compositam quæstionem tractat (*a*), Duobus in casibus, juxta S. Doctorem, inferior non tenetur in omnibus suo Superiori obedire.

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corp.

1. Quando Superior major contrarium præcipit. *Ex duobus*, inquit, *potest contingere, quod subditus suo Superiori non teneatur in omnibus parere, ac primo propter præceptum majoris potestatis. Ut enim dicitur ad Rom. 13. super* illud: QUI POTESTATI RESISTUNT SIBI IPSI DAMNATIONEM ACQUIRUNT, *dicit Glossa*, SI QUID JUSSERIT CURATOR; NUMQUID TIBI EST FACIENDUM, SI CONTRA PROCONSULEM JUBEAT? RURSUM, SI QUID PROCONSUL JUBEAT, ET ALIUD IMPERATOR; NUMQUID DUBITATUR, ILLO CONTEMPTO, ISTI ESSE SERUIENDUM? ERGO SI ALIUD IMPERATOR; ALIUD DEUS JUBEAT, CONTEMPTO ILLO, OBTEMPERANDUM EST DEO. Unde sequitur, Vicarium sui Parochi mandatis etiam justis non teneri obedire, si Episcopus, ne res a Parocho præcepta fiat, vetet, imo tenetur in conscientia obedire Episcopo. Item Religiosus suo Priori non tenetur obedire, aut suo Provinciali, sed suo Magistro Generali, si Magister Generalis contrarium præcipiat. 2. *Non tenetur inferior*, pergit S. Thomas, *suo Superiori obedire; si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subdatur.... & ideo in his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo*. Hinc apparet meum Superiorem non posse prohibere, ne de re, quæ mala non est, cogitem. Si sim filius familias, Pater meus non potest nisi propter aliquas particulares & justas rationes mihi matrimonium interdicere, multo minus impedire me ab ingressu Religionis, aut ab Ordinum susceptione, aut a voto perpetuæ continentiæ in sæculo servandæ. Denique si multum fatigatus requiescere cogar, non potest mihi requiem prohibere. *Tenetur.... homo homini obedire, in his, quæ exterius per corpus sunt agenda*, inquit S. Doctor, *in quibus tamen secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo: quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non teneutur, nec servi Dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi*. Sed inferior tenetur obedire Superiori *in his, quæ pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum*, ut loquitur idem S. Thomas. Itaque *miles duci exercitus*, pergit Doctor Angelicus, *in his quæ pertinent ad bellum; servus Domino, in his quæ pertinent ad servilia opera exequenda; filius patri, in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam: & sic de aliis.*

Sed ut inferior obedire teneatur, necesse est, 1. ut Superior sit Superior legitimus, & juxta Regulas institutus. 2. Ut nihil contra præcepta Divina aut Ecclesiastica præcipiat. 3. Ut nihil, nisi quod ratione suæ Superioritatis imperare potest, imperet. Unde sequitur, inferiorem non teneri obedire Superiori intruso, aut contra Leges instituto, non teneri obedire Superiori mala præcipienti, aut etiam bona, ad quæ non habet auctoritatem. Id omne est ratiocinium S. Thomæ, cujus verba, brevitatis causa, omittimus (*b*) Ista Doctrina S. Doctoris quæstionem propositam satis superque solvit.

(*b*) Idem in 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 3. in corp. & ad 1. 2. 3. 4. & 5. Idem quodlib. 2. quæst. 5. art. 9. in corp.

CASUS II.

Emilianus, Superior Ecclesiasticus Petri, illi præcepit rem, quam prohibuit Superior Laicus. Utri Petrus tenetur obedire?

Respons.

Cum utraque potestas Ecclesiastica & Sæcularis sit a Deo, certum est, Superiores Laicos Ecclesiasticis Superioribus non subjici, nisi in quantum Deus Ecclesiasticæ potestati Sæcularem subjecit; porro Deus Sæcularem potestatem non subjecit Ecclesiasticæ, nisi in rebus ad salutem pertinentibus Quapropter Petrus, aut quilibet alius inferior non tenetur præceptum Ecclesiastici Superioris præcepto Sæcularis præponere, nisi in rebus ad salutem pertinentibus. Tenetur enim posthabito Ecclesiastico Superiore, Laico obedire in iis quæ Civile bonum pertinent. Hoc docet S. Thomas, qui sic loquitur (*c*), *Potestas spiritualis & Sæcularis utraque deducitur a potestate divina. Et ideo in tantum Sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei a Deo supposita, scilicet in his, quæ ad salutem animæ pertinent. Et ideo, in his magis obediendum potestati spirituali, quam Sæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati Sæculari quam spirituali, secundum illud Matth. 22.* REDDITE QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI, *&c*. Ad quod addit S. Doctor hanc exceptionem, *nisi forte potestati spirituali Sæcularis potestas conjungatur*. Tunc enim nulla est distinctio inter utramque potestatem facienda.

(*c*) S. Th. in 2. sent. cit. dist. 44. q. 2. art. 4. ad 4.

CASUS III.

Leoncius, Religiosus, propter emissum obedientiæ votum tenetur ne obedire suo Superiori, qui aliquid Ordinis Constitutionibus contrarium, aut aliquid arctius & difficilius, ad quod regula non obligat, præcipit?

Respons.

Leoncius in casu proposito non tenetur obedire. Sic sentit S. Thomas (*d*), qui dicit, Religiosum non teneri obtemperare Superiori aliquid contra Deum, aut Ordinis regulam præcipienti. *Quod enim Religiosus*, inquit, *non teneatur Prælato obedire in his, quæ sunt contra Deum, vel contra regulam, vel quantum ad ea, in quibus Prælatis dispensatio non committitur, omnes communiter dicunt*. Quo ad ea, quæ sunt arctiora, & ad quæ regula non astringit, non tenetur etiam obedire Superiori. Itaque quando regula præcipit tantum, ut Religiosi bis singulis hebdomadis jejunent; quater jejunare non tenentur, neque etiam. duo singularum hebdomadarum jejunia in pane & aqua servare, etiamsi præciperet Superior. *Quod etiam in his, quæ sunt arctiora, quam regula, obedire non teneatur*, addit sanctus Thomas, *sed sic obedire, sit obedientiæ perfectæ, ab omnibus dicitur*. Denique Angelicus Doctor declarat, se idem sentire quo ad ea, quæ sunt indifferentia, neque ad regulam referuntur.... *Si tamen aliqua sunt, quæ nullatenus ad regulam reducuntur, videtur esse verior opinio, quod obedire in hujusmodi non sit de necessitate obedientiæ, sed de perfectione; ut Bernardus manifeste dicit in libro de præceptis, & dispensatione: & hoc ideo, quia obedientia non se extendit ultra potestatem vel jus prælationis, quæ quidem secundum regulam limitatur*. Et alibi (*e*). *Religiosi obedientiam profitentur, quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis prælatis subduntur. Et ideo, quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere*. Unde cum eodem Sancto concludendum est, Religiosum non peccaturum esse contra obedientiam, qui prohibente Superiore, barbam confricaret, vel festucam de terra levaret. *Votum obedientiæ*, inquit alibi (*f*), *habet quamdam universitatem; licet non se extendat ad omnes particulares actus, quorum quidam ad Religionem non pertinent; quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei & proximi, sicut confricatio barbæ, vel levatio festucæ de terra, & similia, quæ non cadunt sub voto, nec sub obedientia.*

(*d*) S. Thom. quodl. 10. art. 10. in corp. Item in 2. sent. dist. 44. q. 2. art. 3. ad 3.

(*e*) Idem 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3.

(*f*) Idem ibid. q. 186. art. 5. ad 4.

CA-

CASUS IV.

Basilius, Superior Monasterii, Benigno suo Religioso rem præcepit, quam dubitat Benignus an facere teneatur. Quomodo in tali dubio se gerere debet?

RESPONS.

Parem sibi Cabassutius proponit difficultatem, solvitque distinguendo (a): nam, inquit, dubium istius Religiosi vel est circa ipsam personam Superioris, qui rem præcepit, vel circa rem ipsam præceptam. Si dubium sit circa personam Superioris, id est, si dubitet, an Superior vere & legitime Monasterio regendo præfectus fuerit; debet, ad deponendum dubium, sequi communiorem aliorum regularium opinionem; ita ut si a majori parte Superior verus & legitimus credatur, quamvis aliqui dissentiant, obtemperare debeat. *In primo Casu de dubio circa personam præcipientis*, inquit Doctus iste Professor, *vel favet ei communis regularium opinio; quamvis pauci aliqui dissentiant, credentes non esse legitimum Superiorem: & tunc debet inferior, sic dubitans, adhærere communi judicio, & sic obtemperare.* Quod probat ex Lege (b) juxta quam, inquit, *Communis opinio facit jus*, si res aliter se habeat, id est, *si . . . . non faveat communis religiosorum opinio; non tenetur dubitans ei obedire; in dubio enim melior est conditio suam libertatem possidentis* (c).

(a) Joan. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 3. c. 21. no. 17.

(b) L. Barbarius. ff. de offic. Prætor.

(c) 65 regul. 65 l. de reg. juris in 6.

Sed si dubium sit circa rem ipsam præceptam: iste Religiosus non debet obedire, si dubitet, an res sit licita, nec dubium deponere possit. Ratio est, quia tunc se exponeret peccandi periculo; quod nunquam licitum esse potest. *De materia vero præcepti si inferior dubitat, num licita sit*, addit citatus Auctor, *non ei licet in ea re obedire, quamdiu perdurat dubium; sic enim peccaret, dum se peccati periculo exponit.* Diximus, *nec dubium deponere possit*, ut intelligatur, istum religiosum debere omnem diligentiam adhibere ad deponendum dubium necessariam; *Cum enim in re dubia homo se frequenter determinet per alterius suasionem & consilium, cui tamen non habet obtemperandi obligationem, multo major ratio est submittendi se in re dubia illius arbitrio, cui debet ex officio subjici, non enim justum est, ut ex inferiorum ambiguitatibus dependeat Superiorum jus, & auctoritas præceptiva, aut prohibitiva*; ita Cabassutius loc. cit. post S. Thomam (d) & post S. Bonaventuram (e).

(d) S. Th. 1. 2. q. 96. art. 6. in corp & ad 2.

(e) S. Bonav. in 2. sen. dist. 30 a. 1. q. 3.

CASUS V.

Chrysologus regularis Abbas Monasterii quædam suis præcepit Religiosis, quæ prohibuit proprius loci Episcopus. Utri Religiosi tenentur obedire? An Abbati, qui est eorum Superior immediatus, & cui obedientiam voverunt, an Episcopo?

RESPONS.

Circa propositam difficultatem dicendum est, Religiosos teneri sub pœna peccati suo Abbati obedire, si quæ præcepta sunt, ad disciplinam Monasticam pertinent; sed, si ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinent, tenentur obedire proprio loci Episcopo, ad quem jure pertinet Disciplinam Ecclesiasticam tueri, & efficere, ut ab omnibus intra Diœcesis limites habitantibus diligenter observetur, nequidem exceptis Regularibus; ut clare patet ex Decretis Concilii Tridentini (f).

(f) Conc. Tr. sess. 25. de regul. & mon. c. 12. 13. 14. & 22.

Accedit & auctoritas S. Thomæ (g) qui duas distinguit rerum species, quæ a Superioribus præcipi vel prohiberi possunt. Quædam scilicet ad Monasticam Disciplinam, & ad regularum, statutorumque observationem pertinent, in quibus dicit, Religiosos magis Abbati debere, quam Episcopo obedire: quædam vero pertinent ad Disciplinam Ecclesiasticam, in quibus obediendum est Episcopo, non Abbati. Verba Doctoris Angelici refero: *Monachus magis tenetur obedire Abbati, quam Episcopo in illis, quæ ad statuta regulæ pertinent.* Tenetur enim Religiosus propter solemne votum ad obedientiam; ut alibi (h) animadvertit S. Doctor. Unde, in re magni momenti, qualis est obedientia, quam vovit Religiosus, Episcopus non potest dispensare, & peccaret, si quid permitteret contrarium regulæ, seu Monasticæ Disciplinæ, quam ipse tutari, & a laxitatibus vindicare debet juxta Concilium Tridentinum (i): *In his autem*, addit S. Thomas, *quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinent, magis tenetur Episcopo, quia in his Abbas est Episcopo suppositus.* Verbigratia, si Episcopus festum aliquod præciperet observandum in Diœcesi, Religiosi tenerentur Festum observare; quidquid in contrarium obgarriret Abbas, vel præciperet. Et sic in omnibus, quæ ad Disciplinam mere Ecclesiasticam pertinent.

(g) S. Th. in 2. sent. cit. dist. 44. q. 2. art. 3. ad 3.

(h) Idem in 2. sent ad Hannibalem dist. 44. q. 2. art. 4. art. 2. ad 3.

(i) Conc. Tr. sess. 25. c. 1.

Nun aliter olim 5. scilicet Maji 1618. præsentem difficultatem solvit Sylvius, S. Thomæ jam cit. pluriumque veterum Theologorum, ut Angeli de Clavasio, Sylvestri de Prierio, & Sanchesii auctoritatibus fretus (K).

(k) Fr. Sylv. Resol. var. v. Abbas 3. & apud eum Angelus v. Obedientia. Sylvester. v. eod. q. 8. Sanchez lib. 6. in Decalog c. 2. n. 12. & 22.

CASUS VI.

Hidulphus, Ordinis reformati Religiosus, vult identidem scribere ad Episcopum Diœcesanum, sub cujus jurisdictione est Monasterium, in quo degit, sed Abbas, seu Superior prohibet, ne Hidulphus scribat, nisi prius ipsi litteras ostendat, quam ad Episcopum mittat, & nisi ipsi, quas ab Episcopo accipit, legendas exhibeat. An Religiosus iste obtemperare tenetur Abbati, seu Superiori?

RESPONS.

Potest juxta sententiam docti Theologi (l) absque peccato iste Religiosus suo Abbati seu Superiori non obedire in casu proposito. Ratio est; quia quemadmodum Religiosi non tenentur, litteras, quas ad Abbatem absentem scribunt, vel ab ipso recipiunt, suo Priori regulari ostendere; ita nec Abbati suo seu Superiori literas, quas ad Episcopum scribunt, vel ab eo recipiunt, ostendere tenentur. Episcopus enim ex hypothesi est Superior Monasterii & Superioris, quemadmodum Abbas, licet absens est Superior Prioris Regularis. Ita ratiocinatur citatus Scriptor, & rationem addit: *Sicut non oportet*, inquit, *Priorem esse conscium omnium eorum, quæ Abbas cum suis Religiosis tractat, aut quæ Religiosi cum eo; ita non oportet, Abbatem omnia scire, quæ suus Episcopus cum suis Religiosis communicat vel contra.*

(l) Fr. Sylv. Resol. var. v. Abbas. 1. & apud eum Navarr.

Eo æquior est ista sententia, quod contingere potest, Religiosum ab Abbate suo injuste vexari; quo in casu debet habere liberam se a vexatione injusta redimendi potestatem, sive per appellationem, sive per querelam & consequenter ad Episcopum scribendi, & ab eo literas recipiendi. *Accedit, quod si contingat, Religiosos injuste per Abbatem vexari & gravari; licitum est eis sive per appellationem, sive per querelam suæ vexationi tollendæ consulere, & interdum Episcopum monere, imo & interdum adire sine licentia Abbatis . . . quanto igitur magis licet ad eum scribere, & ab eo literas accipere, etiam ab Abbate non visas?*

Inde concludimus, Hidulphum non teneri in conscientia litteras, quas ad Episcopum Monasterii Superiorem majorem scribit, aut ab eo recipit, suo Abbati seu Superiori ostendere; non tenetur enim obedire suo Superiori, si, quod præcipit, aut prohibet, justitiam, & æquitatem lædat; & salvum debet semper esse jus Superioris majoris.

CASUS VII.

Josephus Religiosus, Procurator Monasterii, apud Hieronymum peccata deponens accusavit se suum paupertatis votum fregisse, appropriando sibi notabilem pecuniæ summam, quam sibi secreto & furtiva reservaverat. Abbas Regularis, qui rem subodorabatur, Hieronymo præcepit, ut, si quid sciret, ipsi declararet. Noluit obedire Hieronymus cui tamen Josephus potestatem declarandi fecerat, si vellet. Quæritur, utrum in virtute obedientiæ Abbati debitæ, Hieronymus veritatem declarare teneatur, cum præsertim, ut supponitur, facultatem declarandi ipsi fecerit Josephus.

Re-

RESPONS.

Hieronymus non tenetur vi factæ facultatis Josephi peccatum Abbati manifestare; præsertim quando peccatum ex sola Confessione cognovit; nec peccat contra obedientiam, quamvis obedire renuat. Ita sentit S. Antoninus, qui dicit: (a) *Si præciperet Prælatus alicui Confessori, quod diceret sibi peccatum alicujus, quod est omnino occultum, etiamsi Confessus dedisset licentiam illi, quod diceret; non tenetur dicere, neque obedire; ut revelet illud: quia Prælatus non est judex occultorum.* Addit Sanctus Archiepiscopus: *imo etiamsi Confessus esset diffamatus de illo peccato, & per infamiam perveniret illud ad cognitionem Judicis; quamvis ipse Confessus interrogatus a Judice, sive Prælato, tenetur se manifestare; tamen Confessor ejus, etiam habita licentia ab eo dicendi, non tenetur dicere Judici sibi præcipienti ut dicat, etiamsi scit, non tenetur dicere, nec debet dicere.* Ratio, quam affert, est, quia quod fit in pœnitentiæ foro, nullatenus ad forum exterius pertinet. *Quia fori non sunt commiscendi, scilicet pœnitentialis, & contentiosus.* Quod pariter dicit Paludanus (b).

(a) S. Antonin. summa Confessionalis 3. part. tract. de bonit. Confessoris c. 37.

Diximus: *quando peccatum ex sola Confessione cognovit.* Si enim aliter cognovisset peccatum Hieronymus, ut si peccati ipse testis fuisset oculatus, vel illud a viris cognitæ probitatis audivisset, posset revelare. *Sed si Confessor, scit peccatum alicujus, non solum per Confessionem, sed etiam per alium modum; puta quia vidit, vel audivit per talem & talem modum; potest dicere* quod illud audivit vel vidit; cum hac tamen restrictione, dummodo non dicat se scire per Confessionem; nec refert utrum prius per Confessionem *audiverit, & postea per alium modum sciverit, & e converso.* Fere idem aliis terminis dicit Paludanus. (c) Adhuc tamen est addenda hæc exceptio: dummodo peccatum declarare possit absque scandalo.

(b) Palud. in 4. dist. 21. q. 3. concl. 2. in fine.

(c) Idem ib. art. 3.

CASUS VIII.

ATHANASIUS, Superior Monasterii, cum aliquo fundamento suspicans, unum ex Religiosis suis graviter contra paupertatis votum peccasse, Theophilum Novitiorum magistrum, qui peccatum istius Religiosi non ignorat, vult cogere ad revelationem. An Theophilus suo Superiori sub pœna peccati tenetur obedire?

RESPONS.

Distinguendum est. Nam vel peccatum istius Religiosi ita occultum est, ut ab aliis cognosci non possit, vel non est ita occultum, quin saltem per conjecturas & suspiciones, ex quibus magnum sequitur scandalum, in plurium notitiam veniat: ita ut in priori casu peccatum illi soli, qui illud commisit, noceat, & in posteriori non tantum reo noceat, sed etiam aliis, qui illud cognoscunt, vel cui cum fundamento illud commissum fuisse suspicantur, & ex suspicione scandalum patiuntur. Ista distinctio est S. Thomæ (d) qui, ea præsupposita, dicit, Superiorem non posse præcipere, ut Religiosus Confratris sui peccatum, quod cognoscit, manifestet, si peccatum ita occultum est ut a nemine cognosci possit, quia præciperet contra præceptum Domini nostri (e), qui fraternæ Correctionis ordinem præscribens præcipit, ut frater cujus peccatum occultum est occulte corripiatur, priusquam ad Ecclesiam, id est, ad Superiores deferatur peccatum, quod juxta J. Christi præceptum deferri non debet, nisi post, non dico unam, sed secundam monitionem coram adhibitis testibus factam, eamque contemptam: *Contra autem ordinem si Prælatus præcipiat, ut peccatum fratris occultum ei dicatur, non est obediendum, & ipse peccat, præcipiendo: quia oportet Deo magis quam hominibus, obedire.* Verba sunt Angelici Doctoris, qui addit: *Si autem peccatum fratris non sit adeo occultum, quin per aliquas suspiciones* (aliquod fundamentum habentes) *in multitudinis notitiam veniat, unde multorum scandalum oriatur, jam peccatum non solum nocet illi, sed multis: & quia bonum multitudinis præfertur bono unius, ideo Prælatus debet disquirere veritatem de facto; ut scandalum multitudinis cesset, vel per pœnam peccantis, vel per ejus excusationem. Et ideo in tali casu potest præcipere scienti crimen fratris, quod manifestet, & ille, cui præcipitur, tenetur Prælato obedire.* Et iterum alibi (f): *Prælato non est obediendum contra præceptum Domini secundum illud act. 5. OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QUAM HOMINIBUS. Et ideo quando Prælatus præcipit, ut sibi dicatur, quod quis sciverit corrigendum; intelligendum est præceptum sane salvo ordine fraternæ correctionis, sive præceptum fiat communiter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed si Prælatus expresse præciperet contra hunc ordinem a Domino institutum, & ipse peccaret præcipiens, & ei obediens quasi contra præceptum agens. Unde non esset ei obediendum: quia Prælatus non est Judex judiciorum occultorum, sed Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis; nisi in quantum per aliqua indicia manifestentur; puta per infamiam, vel per aliquas suspiciones, in quibus potest Prælatus præcipere.* Ex hac S. Thomæ doctrina evidenter patet, Theophilum non teneri obedire Superioris mandato, si peccatum Religiosi, de quo agitur, omnino occultum est, nec in ullius suspicionem venit; si autem peccatum Religiosi cognoscitur a pluribus, aut per graves suspiciones, ex quibus ortum est scandalum, aliquatenus notum est, Theophilus debet obtemperare. Addendum est, aliter rem se esse habituram, juxta Sanctum Doctorem, si ageretur de peccato, quod esset in nocumentum Communitatis v. g. de furto, hæresi, & aliis similibus; tunc enim Theophilus talia peccata certo cognoscens teneretur ea Superiori declarare, etiam absque ulla secreto præmissa correctione fraterna, nisi forte persuasum haberet, reum secreto monitum in rectam semitam rediturum esse. Ecce verba S. Thomæ (g): *quædam enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale vel spirituale .... & quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in se peccat, sed etiam in alios; oportet statim procedere ad denuntiationem, ut hujusmodi nocumentum impediatur, nisi forte aliquis firmiter æstimaret, quod statim post secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire.*

(d) S. Thom. quodlibet. 4. q. 8 art. 12. item quodl. 2. art. 10. in corp.

(e) Matth. 18.

(f) Idem 2. 2. q. 33. art. 7. ad 5.

(g) Idem cit. art. 7. in corp.

CASUS IX.

FLORENTINUS, Religiosus, cum alium Religiosum in Capitulo gravi peccato contra unum ex votis commisso accusasset; Superior præcipit, ut omnes, quibus notum est, peccatum patefaciant. An potest hoc præcipere? An Religiosi præcepto tenentur obedire?

RESPONS.

Superior potest in hoc casu Religiosos, qui cognoscunt peccatum, quo accusatur Florentinus, ad revelationem obligare, & Religiosi tenentur obedire. Ita sentit S. Thomas, qui dicit (h): *Si ergo appareat accusator in capitulo, qui se obliget ad talionem: potest Prælatus præcepto veritatis Confessionem exigere; sicut & Judex Ecclesiasticus juramentum: & similiter si præcedat infamia, potest Prælatus præcepto veritatem exquirere, & subditi tenentur obedire.*

(h) S. Thom. quodl. 5. art. 26. in corp.

Est & alius casus in quo Superior suos subditos potest ad declarandam ipsi veritatem obligare: quando scilicet aliquis ex Communitate aliquod crimen, quod nondum patravit, meditatur, & attentat; tunc enim si ex peccato, quod attentatur, nasciturum esse pluribus detrimentum prævideatur, sive quoad spiritualia, sive quoad temporalia bona, statim admonendus est Superior, cui etiam non roganti peccatum attentatum alii inferiores detegere debent. De ejusmodi peccato attentato scilicet & nondum patrato intelligit Sanctus Thomas hæc Sancti Hieronymi verba, quæ sibi objecerat: *Non debet occultari culpa unius in præjudicium multorum.* Et dicit (i): *tunc enim non oportet admonitionem secre-*

(i) Idem ibidem ad 2.

secretam expectare: sed statim periculo occurrere. Unde & Dominus non dicit: SI PECCARE INTENDAT, *in futuro;* SED, SI PECCAVERIT, *in præterito.*

CASUS X.

Mauritius, Visitator Monasterii Monialium, cum fundamento suspicans, unam ex Monialibus graviter contra unum ex suis votis peccasse, eam secreto interrogat, impetratque, ut ipsi veritatem fateatur. An Monialis imperanti debet morem gerere?

Respons.

Ista Monialis non tenetur in casu proposito peccatum suum Mauritio patefacere. Ratio est, quia non absolutam & cæcam obedientiam, sed justam & rationabilem vovit, de qua loquitur Apostolus (*a*) cum dicit *rationabile obsequium vestrum*. Id est obedientiam, quæ fit ad regulam & statuta Ordinis, in quo professa est, relativa. Porro non est æquum, ut Visitator cogat Monialem ad declarandum extra pœnitentiæ tribunal peccatum occultum, quod commisit, & ab ea exigeretur obedientia, quam in solo pœnitentiæ Tribunali debet. Dicendum igitur ea de re est cum S. Gregorio Magno, inferiores, quamvis Superioribus obedire teneantur, non teneri tamen in omnibus indiscriminatim, & sine ullis terminis obedire: Econtra obedientiam denegare debent, quando adsunt legitimæ causæ (*b*). *Admonendi sunt subditi, ne plus quam expedit, sint subjecti.*

(*a*) Roman. 12. 1.

(*b*) S. Greg. in can. Admonendi, 57. 2. q. 7.

CASUS XI.

Vindonius, Parochus S. Pauli, cum Joannem Parœciæ Dominum, qui ab aliquot annis concubinatus publici reus erat, fraterna charitate corripuisset, ipsumque hoc modo ad bonam frugem revocasset; postea Episcopus, ad cujus aures peccatum Joannis pervenit, Vindonium accersit, ut ab ipso veritatem discat. Vindonius Joannem diffamare nolens, rogat Episcopum, ut ipsum excusatum habeat, nec cogat ad loquendum; sed Episcopus præcipit, ut loquatur, & ut veritatem ingenue fateatur. An Episcopo obedire tenetur?

Respons.

Doctus Gersonius ad similem quæstionem respondens, putat, istum Parochum propter obedientiam debitum Episcopo posse crimen, in quod Joannes non amplius labitur, declarare (*c*), *Peccatum* inquit iste Scriptor, *de quo frater peccans fuit secrete correptus, seu admonitus, & de quo se emendavit, potest dici Prælato præcipienti per obedientiam:* Sed Parochus has prudentiæ, charitatisque regulas debet observare. 1. Non debet crimen Joannis Episcopo declarare coram iis, qui illud ignorarent. 2. Non debet declarare, si Episcopus non intendens bonum spirituale Joannis, sed ex mera curiositate, crimen sibi declarari jubet. Nam, cum talis curiositas non sit absque peccato, non tenetur obedire Vindonius; nemo enim tenetur obedire nisi mandato justo, juxta hæc Apostoli (*d*) verba: *Rationabile obsequium vestrum:* nec inferior superiori tenetur obtemperare, nisi superior præcipiat, ut præciperet Deus; atqui Deus non præciperet, ut Joannis crimen declararetur isti Episcopo curiosiori, nullatenus Joannis saluti conferre intendenti; ejusmodi enim curiositas grata esse Deo non potest: ergo &c.

(*c*) Joan. Gerson. de correct. proximi.

(*d*) Rom. 12. 13.

CASUS XII.

Robertus, Sacerdos, filius Leonardi potestne sine peccato non obedire patri suo, qui, prius quam iter suscipiat, præcipit, ut Missam celebret ad felicem peregrinationem a Deo obtinendam; nonne Robertus potest abstinere a celebratione Missæ, quamvis nihil obstet, quominus celebret?

Respons.

Quamvis fieri posset, ut Robertus peccet contra charitatem, si verum est, eum nullam ob causam abstinere a celebratione Missæ, dici tamen potest, eum non peccare contra obedientiam patri debitam. Constat enim, Sacerdotes non teneri obedire patribus aut matribus in rebus ad sacras functiones aut alias status Ecclesiastici obligationes: quamvis eos honorare, eisque in ceteris obedire teneantur. Quod probari potest allato exemplo ipsiusmet Christi, qui adhuc puer se a Sancta Maria Virgine, & Sancto Josepho suffuratus est, ut his, quæ patris sui erant, vacaret, & cum Sanctissima Mater ipsum in templo Doctores interrogantem & docentem invenit per tres dies incredibili sollicitudine quæsitum, & conquesta fuit, quod se ab ea occulte separasset, respondit his verbis (*e*), *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?*

(*e*) Luc. 2. 49.

Cavere ergo debent Ecclesiastici, ne naturali erga parentes amore plus quam par est, ducantur, quando de implendo suo ministerio agitur, sed potius salutare Christi exemplum debent imitari, cum Matri, quæ ipsi sponsorum Cana necessitatem exponebat, respondit (*f*), *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Ad quod addi potest, quod respondit ei, qui venit ipsi annuntiatum eum a parentibus desiderari. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? & extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei: Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est* (*g*).

(*f*) Joan. 2. 4.

(*g*) Matth. 12. 27. & seqq.

Hinc evidenter patet, Ecclesiasticos, qui sunt ministri Christi, & qui multo magis quam ceteri fideles ipsius vestigiis debent insistere, non debere nimium naturali erga Parentis amori tribuere, nec carni & sanguini nimium acquiescere, cum de rebus divinis agitur, sed ad instar Moysis Levitas laudantis eo quod parentes suos nescirent debent dicere (*h*). *Qui dicit patri suo & matri suæ: nescio vos: & fratribus suis; ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum: servaverunt judicia tua, o Jacob, & legem tuam, o Israel.* Robertus igitur in casu proposito non naturali amore sed interiori gratiæ motu duci debet, quando omnium mysteriorum mysterium Sanctissimum celebrandum est, & quamvis non se credat esse reum peccati mortalis, quod præcipue Sacerdotem a sacris altaribus debet amovere, contingere tamen potest, ut sive, propter languentem charitatem & indevotionem, sive propter aliquos, quibus excruciatur, scrupulos, abstinere possit a celebratione Missæ.

(*h*) Deut. 33. 9. & 10.

CASUS XIII.

Egbertus, Vir nobilis, pessimam habet consuetudinem cum Julia, quam sæpissime adit famulum suum secum ducens Onesiphorum sine cujus comitatu Juliam non adiret. Onesiphorus, qui istam consuetudinem illicitam non ignorat, eamque in corde detestatur, postulat an ita dispositus, nihilque aliud intendens, quam conditionis sibi utilissimæ conservationem, possit sine peccato obedire Egberto præcipienti ut ipsum, cum Juliam adit, comitetur, vel potius a servitio abire teneatur, quam tali præcepto obtemperet?

Respons.

Putamus, Onesiphorum teneri a servitio Egberti recedere, si ipsi Juliam adeunti comes non ire non potest. Ratio est, quia quodammodo Domini sui peccato patrocinatur; cum, ut supponitur, Egbertus absque famulo suo comite Juliam non adiret. Præterea Onesiphorus Dominum suum interea, dum peccat cum Julia, in domo, sive ad fores expectans se exponit periculo Deum mortalt-

taliter offendendi, pessimis scilicet cogitationibus & desideriis; porro peccat qui se voluntarie periculo peccandi exponit, & ut intelligeremus quantopere occasionem peccati fugere debeamus, Christus in Evangelio dicit, (*a*) *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mitti in gehennam.* Non alium istis Christi verbis sensum tribuunt Patres, & præsertim S. Hilarius, & S. Augustinus (*b*).

(*a*) Matth. 5. 30.

(*b*) S. Hilar. conc. 3. in Matt. S. Aug. l. 1. de Serm. Domini in monte c. 18.

Nostræ solutioni favet Censura qua Namurcensis Episcopus in sua an. 1659. Synodo notavit 17. propositiones morales, quarum una his erat concepta verbis: *Famuli comitantes Dominum noctu, vel die ad domum concubinæ, qui sine societate eo non iret, vel ferunt internuntia, vel litteras, vel referunt hinc inde horam ad peccandum, vel faciunt excubias, vel custodiam, dum simul cum concubina, vel altera committit peccatum, absolvi non possunt, si consentiant in peccatum Dominorum; secus si id fieret propter commoditatem temporalem.* Ista propositio & aliæ a Synodo dicuntur novæ, periculosæ, & salutis animarum destructivæ, prohibeturque, ne ullus Confessarius sive in consulendo, sive in judicando & absolvendo ejusmodi sequatur opiniones: *imprimis monetur serio omnis Confessarius, ut in consulendo, judicando & absolvendo abstineat ab opinionibus novis, periculosis & salutis animarum destructivis* (*c*).

(*c*) Collat. Dioec. Lucionensis to. 2. collat. 38. q. 2.

CASUS XIV.

Alphonsus, 15. annos natus, postulat a Patre suo Religionem ingrediendi licentiam: sed Pater non tantum licentiam filio negavit, sed insuper prohibuit, ne ante 18. annos Religionem ingrederetur: An tenetur Alphonsus patri obedire?

Respons.

Si Alphonsum Deus vere ad Religionem vocat, patri obedire non tenetur; debet enim ante omnia Deum diligere, eique magis quam Patri obedire. Quod probari potest ex Scriptura Levitas laudante eo quod naturali erga parentes amori amorem erga Deum anteponerent (*d*). *Qui dixit patri suo & matri suæ: nescio vos, & fratribus suis: ignoro vos .... hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.* Ad quæ verba reducuntur hæc Christi (*e*). *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem .... non potest meus esse discipulus: id est*, ut alibi dicit idem Christus (*f*) *qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.*

(*d*) Deuter. 33. 9.

(*e*) Luc. 14. 26.

(*f*) Matth. 10 37.

Unde sequitur patrem, qui scit filium tot annos natum, quot natus est Alphonsus, a Deo ad Religionem vocari, non posse sine crimine prohibere, ne Religionem ingrediatur, filiumque patri prohibenti non teneri obtemperare; Deo enim oportet magis obedire quam Patri. Quod dicimus validissime probat S. Augustinus (*g*) scribens ad adolescentem quemdam cujus nomen erat *Lætas*; ut ipsis terrenis bonis, fallacibusque mundi illecebris valedicere, & Deo specialiter se se consecrare contra Matris voluntatem intendenti animum adderet. S. Doctor ut istum adolescentem efficacius ad sequendum quod illi dat consilium excitet, ponit ob oculos exemplum ipsius Christi, qui olim ad virginem matrem, aut ad parentes suos non respexit, id est naturali amori non succubuit, in iis quæ patris sui erant. *Itaque matrem terrenam habebat imperator tuus* inquit, *quæ tamen non ei nuntiaretur agenti Cœlestia, qui respondit* (*h*) *quæ mihi mater, aut qui fratres; & extendens manum in discipulos suos dixit, non pertinere ad cognitionem suam, nisi qui facerent voluntatem patris ejus.* Denique S. Augustinus nihil prætermittit, sed efficacibus verbis, & validis perspicuisque argumentis utitur, ut probet Lætum, nulla carnis aut sanguinis habita ratione, debere salutaribus gratiæ ad sanctiorem vivendi normam vocantis motibus obsequi.

(*g*) S. Aug. ep 247. alias 38. n. 9.

(*h*) Matth. 12. 48.

Concludimus igitur, Alphonsum posse, postulata prius humiliter a patre Religionem amplectendi licentia, suam exequi propositum, quamvis pater renitatur.

CASUS XV.

Cum Polyxena, Milonis filia, 20. annos nata, suo patri declarasset, se nullatenus ad vitam Religiosam propendere; Milo eam valde sollicitat ad matrimonium contrahendum cum adolescente, qui eam postulat in uxorem, qui ab ea plurimi æstimatur; Polyxena consentire non vult dicens, se non minus a matrimonio, quam a vita Religiosa esse alienam. Sed pater præcipit, ut se ad alterutrum determinet, scilicet vel ad matrimonium, vel ad claustrum. An Polyxena potest absque peccato non obedire?

Respons.

Polyxena non tenetur in proposito casu patri obedire. Cum enim electio status sit maximi momenti ad salutem, nemo ad electionem status se determinare debet, nisi juxta Dei vocantis voluntatem. Ita docet Doctor Angelicus (*i*): *non tenentur, nec servi Dominis, nec filii parentibus obedire matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda.* Et vero solus Deus nostræ vocationis auctor est; solus enim Deus potest nobis concedere gratias, quibus indigemus, ut in statu, ad quem nos vocat, nostram salutem possimus operari. Hinc quamvis juxta S. Augustinum (*K*) scribentem ad Ecdiciam parentes vere pii filiis suggerere debeant statum, quem meliorem putant esse ad salutem, nunquam tamen illos cogere debent Religiosam vitam, aut matrimonium amplecti; quia, ut ait Apostolus, (*l*) *Unusquisque donum proprium habet ex Deo: alius quidem sic: alius vero sic.* Quapropter cum agitur de electione status; solus Deus consulendus est, nec ullo modo caeni aut sanguini deferre licitum est.

(*i*) S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corp.

(*k*) S. Aug. ep. 20. alias 199. n. 78.

(*l*) 1. Cor. 7. 7.

Sed si hoc verum est de statu Conjugali, quanto magis de statu Ecclesiastico, vel Monastico? ea de re fusius hic non loquemur. Lectorem remittimus ad opera Sanctorum Patrum, qui pro sua non vulgari sapientia, & ardenti zelo præsentem materiam tractarunt, & præcipue ad S. Hieronymum, S. Augustinum, & S. Bernardum, seu potius ad auctorem declamationis S. Bernardo attributæ, ad quos addi possunt Petrus Blesensis, & Concilium Provinciale Burdigalense habitum an. 1624. (*m*).

(*m*) S. Aug. ep. 243. alias 38. ad Lætum S. Hieron. ep. 1. ad Heliod. & ep. 4. ad Rustic. S. Bernard. declamat. in hæc verba, Ecce nos reliquimus omnia. Petrus Bles. ep. 15. ad R. Clarium. & Concil. Burdig. c. 6. de ordine, n. 2.

CASUS XVI.

Maturinus, Superior, Claudio inferiori præcepit, ut a bono opere incœpto desisteret; Claudius obedire tenetur?

Respons.

Distinctione opus est; nam istud bonum opus ex necessitate faciendum est, vel non. Si prius, non tenetur Claudius suo superiori obedire, imo peccaret si obediret. *Duplex est bonum*, inquit S. Thomas, (*n*) *quoddam, ad quod faciendum ex necessitate tenetur, sicut amare Deum & aliquid hujusmodi, & tale bonum nullo modo debet propter obedientiam prætermittere.* Si posterius, Claudius aliquando potest a bono opere incœpto desistere, ne scilicet contra obedientiam Superiori debitam peccet. *Est autem aliud bonum*, addit idem Sanctus Doctor, *ad quod homo non tenetur ex necessitate, & tale bonum debet homo quandoque propter obedientiam prætermittere; ad quam ex necessitate homo tenetur: quia non debet homo aliquod bonum facere culpam incurrendo.* Affatim suppetunt utriusque casus exempla, quæ referre supervacaneum foret.

(*n*) S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 3. ad 3.

OBLA-

OBLATOI.

OBLATIO definiri poteſt, juxta diſpoſitionem Canonis (*a*) *Voluntaria ſpontanea præſtatio, quam Chriſtianis Sacerdotibus pro peccatis ſuis offerunt*.

Oblatio fieri ſolet poſt Evangelium Miſſæ Parochialis, & celebrans patenam ad os offerentis porrigit in ſignum pacis.

Oblationes præcipue debentur Parochis, nec imputantur in portiones congruas (*b*) neque in tertiam partem pecuniæ ad reparationes debitæ, juxta Parlamenti Pariſienſis conſultum, die 13. Julii an 1599 (*c*).

Antiquitus fideles ſingulis Dominicis Sacerdoti panem & vinum offerebant, quorum oblatione partim ad Sacrificium Miſſæ utebatur. Panis & vini oblationem ſecundum Concilium Matiſconenſe a Burcardo citatum, habitum an. 585 expreſſis verbis præcepit. (*d*) *Decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quam vini: ut per has immolationes & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel ceteris Juſtis offerentibus, promereantur eſſe conſortes* (*e*): Quod conforme eſt, 1. His antiquæ Legis verbis Deuteron. cap. 16 & 17. (*f*) *Non apparebis vacuus ante conſpectum Domini Dei tui: ſed offerat unuſquiſque ſecundum quod habuerit*. Quæ verba juxta S. Thomam (*g*) morale præceptum continent; quia Chriſtiani non minus tenentur quam Judæi decorem domus Dei diligere, & aliqui ad ſacrificium contribuere. Illi enim non minus, quam hi jure naturali & jure divino tenentur erga Deum ſe præbere memores.

2. Conſuetudini ab omnibus primis Chriſtianis obſervatæ, de qua teſtimonium reddunt S. Juſtinus, S Iræneus, Tertullianus, Origenes, & S. Hieronymus (*h*).

Fideles deferebant ipſi ad altaria panem & vinum, quæ offerebant, & aliqua his etiam temporibus iſtius conſuetudinis ſuperſunt veſtigia, non ſolum in Miſſa, quæ celebratur, quando Reges unguntur, quando Abbates aut Abbatiſſæ ſolemniter benedicuntur, & in Miſſis, quæ pro defunctis cantantur, ſed etiam in Eccleſia Cathedrali Mediolanenſi, in qua mulieres quatuor indutæ nigris albiſque veſtibus ad Oſtium Chori ſingulis diebus veniunt, & Eccleſiaſticis oblationes colligentibus panem & vinum, quæ Sacerdos conſecraturus eſt, præſentant. Et ideo iſtæ mulieres vocantur Diaconiſſæ, ut obſervat Dominus Grancolas (*i*) qui addit, fideles omnes quotidie, aut ſaltem ſingulis Dominicis diebus debere aliquam oblationem Sacerdotibus offerre: quod probat aliatis ſequentibus verbis unius ex Caroli Magni Sanctionibus (*k*) *placuit, ut fideles oblationes Sacerdotibus quotidie, ſi fieri poteſt, in Eccleſia offerant: & ſi quotidie non poteſt, ſaltem Dominica die abſque ulla excuſatione fiat*: Iſti antiquæ panem & vinum, ſpicas frumenti, racemos, aut alios fructus novos offerendi conſuetudini, quæ fere ubique abiit in deſuetudinem, ſucceſſit conſuetudo offerendi pecuniam, qua Paſtores ſibi neceſſaria emere poſſent, ſi paupertatis premerentur anguſtiis, aut quam ad pauperum miſerias ſublevandas diſtribuerent, vel ad aliquod ſimile bonum opus impenderent, ſi ipſi ad honeſtam ſuſtentationem neceſſaria haberent.

Ex iſta antiqua & vere laudabili conſuetudine factum eſt, ut Imperatores orientales ſingulis annis in Libyam, in qua propter aridæ terræ ſterilitatem triticum non creſcebat, tum ad conficiendam Euchariſtiam, tum ad pauperum ſuſtentationem, magnam tritici quantitatem mitterent: Et Diaconus Iſchirio libellum ſupplicem Patribus Concilii Chalcedonenſis (*l*) obtulit contra Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, in quo ipſum furti accuſabat, quod in rem ſuam triticum ab Imperatore Marciano in Libyam miſſum avertiſſet.

Parocho nulla conceditur actio contra eos, qui nihil offerunt. Ita ſolemni edicto, 7. Junii 1623 quod Petrus Bardet, & auctor diarii audientiarum referunt, Pariſienſe Parlamentum judicavit (*m*). Attamen non eſt dubitandum quin Parochiani, Parochi ſui neceſſitatibus per oblationes ſubvenire tenerentur, ſi Parochus ſublato oblationum auxilio non haberet unde ſuſtentaretur; quamvis oblationis quantitas juxta S. Thomam (*n*) ab offerentis voluntate pendeat; & conſequenter ea in re unuſquiſque juxta conſcientiam, bonam fidem & facultates ſe gerere debet. Sed illud imprimis eſt maximi momenti, ſcilicet cavere debent fideles, ne oblatio interior ab exteriori ſeparetur; debent enim, cum offerunt, ſe ſuaque Deo interius conſecrare.

(*a*) S. Hieron in can. Quia Sacerdotes, 13. 30. q. 2.
(*b*) Declarat an. 1690.
(*c*) Louet. lit. O n. 8.
(*d*) Gen. 4.
(*e*) V. Can. Apoſtol. 2. & 4.
(*f*) Deuteron. c. 16. & 17.
(*g*) S. Thom. 2. 2. q. 86. act. 1.
(*h*) S. Juſt. apol. 2. S. Iren. l. 4. c. 34. Tertul. Apocal. c. 30. S. Hieron. Epiſt. ad Heliodorum.
(*i*) Tract. de miſ. & offic. divino.
(*k*) Lib. 6. n. 157.
(*l*) Seſſ. 3.
(*m*) Bardet to. 2. l. 2. c. 10. Du Fraine l. 3. c. 120
(*n*) S. Thom. 2. 2. q. 86. art. & 4.

CASUS PRIMUS.

Domitius, S. Joannis Parochus, & Jossus ejus Vicarius a quinque aut sex annis notabilem pecuniæ summam ex oblationibus fidelium, aut ex administratione Sacramentorum perceperunt. An sunt perceptæ pecuniæ domini, ita ut ad nutum ea uti possint, v. g. ea parentes suos aut amicos munerare, vel ea uti ad oblectamenta licita & honesta?

R e s p o n s.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 5. in corp.

S. Thomas (a) satis ostendit, ministros Ecclesiasticos esse œconomos tantum & dispensatores bonorum, de quibus agitur in casu proposito, non dominos quibus ad nutum iis uti liceat; nam juxta S. Doctoris sententiam, *oblationes, quæ a populo Deo offeruntur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant: verum etiam ut fideliter eas dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum, partim vero in his quæ pertinent ad proprium victum: quia qui altari deserviunt, cum altari participant; ut dicitur ad Corinthios 9. partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi: quia Dominus in usum pauperum loculos habebat, ut Hieronymus dicit super Matthæum.* Isti tres casus in quos expendendas esse oblationes dicit S. Thomas, satis probant, Ministros Ecclesiasticos non esse oblationum Dominos, nec posse iis ad oblectamentum aut munera abuti; quod de oblationibus diximus, non est extendendum ad dona aut munera, quæ Sacerdos accepit a fidelibus qui ea dant, ut aliquorum in se collatorum Beneficiorum aut temporalium, aut spiritualium, gratos se præbeant ac memores. Tunc enim præsumendum est, fideles voluisse ita dare Sacerdoti quod dederunt, ut Sacerdos tanquam Dominus re data ad nutum uti posset.

CASUS II.

Pompejus, magnæ Parœciæ Dominus, Castellum habet remotissimum ab Ecclesia Parochiali, ad quam consequenter ire non potest nisi difficillime, hyemali præsertim tempore. Quapropter Capellam, annuente Episcopo Diœcesano, sub invocatione S. Huberti, in aula sui Castelli construendam curavit, & in ea Missam singulis anni diebus, exceptis quatuor festis annualibus & primis Mensium Dominicis a Capellano in Castello commorante celebrandam instituit. Plurimi Rustici loci, & aliquarum Parœciarum vicinarum ad istam Capellam Religionis causa recurrente die festo Patroni conveniunt, & peracto Missæ sacrificio suas offerunt oblationes quas super altare, vel in pelvi ponunt: istas oblationes ab annis viginti & amplius sibi tribuit Capellanus; quamobrem Lucianus, recens institutus Parochus, apud Pompejum Capellanumque conquestus est, dicens, oblationes istas jure ad se pertinere. Capellanus regerit in contrarium, Parochum nullum jus ad eas habere, cum Capella non sit in Ecclesia Parochiali, & pertinaciter renuit illi quidquam cedere. Utri jus patrocinatur?

R e s p o n s.

Ad Capellanum oblationes, de quibus agitur, pertinere sentimus. Nam 1. Omnes Rustici offerentes nequidem de Parocho cogitant, cum offerunt, & censentur id unum intendere, ut oblationes Capellanus Missam celebrans suas faciat, & consequenter oblationes ad Capellanum pertinent, pendent enim omnino ab offerentium intentione: *oblationes*, inquit S. Thomas, *de sui natura habent quod voluntarie offerantur* (b) quod probat his verbis Exodi (c) *ab omni homine qui offeret ultroneas, accipietis eas* (primitias) 2. Quia Sacerdotes, qui Capellis domesticis deserviunt, pejoris non sunt conditionis quam Religiosi; atqui juxta S. Thomam (d) Religiosi sibi possunt, quæ offeruntur, tribuere, non solum quando Parœciam regunt, sed etiam quando Capellæ deserviunt: *Monachi, sive alii Religiosi .... si fiat ministri altaris, tunc possunt accipere oblationes sponte oblatas.* 3. Quia iste Capellanus viginti ab annis & amplius, absque ulla a Parochis Luciani antecessoribus mota lite oblationes sibi tribuit; quod sufficit juxta sententiam Joannis de Uffellis, & aliorum quatuor auctorum, quos citat in 17. cap. libri 1. Decisionum Covarruviæ.

(b) S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 2. in corp.
(c) Exod. 25. 2.
(d) S. Thom. ib. art. 2. ad 1.

Verum est quidem Blesensi (e) & Melodunensi (f) Edictis oblationes omnes Parochis attribui cum derogatione Aurelianensis Edicti Caroli IX. quo pars aliqua Parochorum lucris substrahebatur, inquit Cabassutius (g) ut ad Parochianorum lucra transferretur. Sed 1. duo supradicta Edicta quoad rem de qua agitur jam non vigent, *nisi in paucis locis*, inquit Cabassutius (h) 2. Quia non sunt intelligenda, nisi de solis oblationibus, quæ in ipsa Ecclesia Parochiali offeruntur, non autem de iis, quæ in alia Ecclesia offeruntur, aut in Capella, cui non deservit Parochus, nec per se, nec per alium, ut dicit Zerola, (i) *Zerola denique .... testatur oblationes, quæ in parochiali Ecclesia fiunt pertinere ad Parochum: eas vero, quæ in alia fiunt Ecclesia, pertinere ad ejus Ecclesiæ Rectorem, seu præpositum.*

(e) Edict. Bles. art. 51.
(f) Edict. Melod. art. 21.
(g) Cabassut. loco sup. cit.
(h) Cabassut. lib. 2. c. 20. 10 fine.
(i) Zerola in prax. part. 2. v. Oblationes.

Hanc nostram decisionem confirmat, quod observat Hevin in nonam sententiam quam in suis exceptionibus refert Frain: observat nempe Hevin antiquam jurisprudentiam, juxta quam omnes indistincte oblationes Parocho tribuebantur, quocumque Parochiæ loco fuissent oblatæ, mutatam esse. *Celles qui tombent*, inquit Gallice; *dans les Chapelles construites dans l'enclos des maisons, n'appartiennent pour aucune part au Recteur, ou Curé.* Latine: *nulla pars illarum* (oblationum) *quæ fiunt in Capellis intra domorum septa constructis*, pertinet ad Rectorem, *seu Parochum*. Quod probat tribus sententiis, quarum primam relatam a Frain (k) tulit Parlamentum Britanniæ minoris die 5. Maji ann. 1610. Secundam die 13. Jan. 1654. & tertiam die 10. Nov. an. 1660.

(k) Frain cap. 158.

CASUS III.

In Parochia S. Genesii instituta est celebris Sodalitas. Mævius dictæ Parochiæ Rector, seu præpositus contendit omnes oblationes, quæ fiunt in Missa, quæ singulis Dominicis diebus ante Missam Parochialem cum cantu celebratur, ad se pertinere; Sodales in contrarium dicunt, oblationes pertinere ad Thierrium Sodalitatis Capellanum, vel saltem ad ipsam Sodalitatem, ut iis ad emenda ornamenta, emendos cereos & cetera necessaria uti possit. Quomodo dirimi debet controversia?

R e s p o n s.

(l) De Sainte Beuve to. 3. cas. 242.

Doctus Theologus (l) ad propositam difficultatem respondet, oblationes quæ in Ecclesia Parochiali fiunt, regulariter loquendo, jure ad Parochum pertinere; nisi forte per pactum contrarium juri suo renuntiasset, vel nisi longo usu, legitime præscripto, fuisset introductum, ut quædam oblationes ad Ecclesiæ, vel pauperum utilitatem expenderentur.

Hoc posito principio dicendum est, Mævium S. Genesii Parœciæ Rectorem in proposito casu oblationes cum fundamento sibi postulare, si juri suo per aliquam conventionem factam cum Sodalitate, de qua agitur, non renuntiavit, nec illud per usum contrariam amisit. Sed si res aliter se habet, nullo jure sibi potest oblationes, de quibus agitur, vindicare.

Ad majorem rei explicationem non frustra addetur quod a Canonistis circa præsentem materiam dicitur. Sic loquitur Cabassutius post Bochellum: *Consuetudo frequentior, & passim usitatior, testante Bochello*, (ad collationem Regiarum Constitutionum lib. 1. tit. 6.) *hæc est, ut istæ .... oblationes Parochi lucro cedant: ea vero, quæ appenduntur, ut dictum est*, (scilicet Parietibus Templi) *vel in Capsas immittuntur, fabricæ & reparationi, & ornatui Ecclesiæ destinentur: neque servatur nisi paucis in locis Edicta Henrici tertii duo, scilicet Blesense, art. 5. & Melodunense anni 1580. art. 21. quibus oblationum integra jura Parochis attribuuntur cum derogatione*

Au-

Aurelianensis Edicti Caroli noni , quo pars aliqua Parochorum lucris subtrahebatur . Zerola (*a*), quem citat Cabassutius, idem docet. *Zerola* .... *testatur , oblationes quæ in Ecclesia Parochiali fiunt, pertinere ad Parochum: eas vero, quæ in alia fiunt Ecclesia , pertinere ad ejus Ecclesiæ Rectorem , seu præpositum, sed eas , quæ in pa ietibus affiguntur, aut suspenduntur, esse ipsius Ecclesiæ*.

(*a*) Zerola in prax. part. 2. v. *Oblationes*.

Henris (tom. 1. lib. 1. cap. 3. q. 30.) refert Edictum quod istius auctoris sententiam confirmat , datum scilicet die 8. Aug. an. 1643. pro Capellano Capellæ nostræ Dominæ ab eterno dictæ in Diœcesi Claromontana in Arvernis , contra Antonium Dechal Parœciæ de Nigra tabula præpositum, qui oblationes quæ in dicta Capella fiebant , ad se pertinere contendebat.

Est & aliud simile Judicium latum die 5. Maji anni 1620. a Parlamento minoris Britanniæ, & judicium istud refertur a Sevino pag. 825.

OBSEQUIUM OPERÆ.

OBSEQUIUM OPERÆ seu operarum prabitio Gallice *Corvee*, significat operam corpoream, & nihil aliud est quam servitus, seu præstatio personalis aut realis , quam alicujus loci incolæ Domino illius loci præstare tenentur ; talis foret verbi gratia servitus propter quam teneretur aliquis Domini fœna sucidere, asperas explanare vias, aut ruptas reficere, aut alia hujusmodi facere.

Refert Carondas Edictum datum die 28. Jan. an. 1582. (*b*) quo statuitur eos qui dominis debent obsequia operæ plenam habere , vel ea reddendi, vel pecunia redimendi libertatem.

Obsequia operæ, sive hominum, sive Vehiculorum, sive Jumentorum , sive aliorum pecorum non relinquantur , seu, quod idem est; quando non fuerunt soluta non retrotrahuntur. Ut pluribus Edictis est declaratum (*c*).

Obsequia operæ sunt vel realia, vel personalia , realia ut pote a fundo debita non possunt extingui; quamvis fundus a viro nobili acquiratur; nam acquisitor, quamvis nobilis ad obsequia operæ tenetur non quidem personalitet, sed tamen ea per alium veluti Vicarium debet præstare . Juxta Edicta Parlamenti Parisiensis data die 23. Julii an. 1546 & 12. Decemb 1587. ad jus obsequii operæ non tantum requiritur possessio , sed insuper titulus legitimus adesse debet.

De obsequiis operæ fusius locuti sumus , in Verb. *Dominus Paracia*.

(*b*) Carondas *Memorab observat.* v obsequium operæ.

(*c*) De Rapesi vies tract. de jur. dom c. 6. art 6 Coquillus in consuetud. Nivernensis Tractus art. 4. Jovetus. v. *Dominus* n. 65. Bonvotus t. 1. v. *obsequium operæ*.

OCCASIO PROXIMA PECCATI.

Vide ABSOLUTIO Casus 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

OCCIDERE.

OCCIDERE, est vitam alicui adimere. Nemini licet alium, ut ut malum auctoritate privata occidere : nisi se defendendo , & in necessitate propriæ conservandæ vitæ inevitabili: hoc in casu etiam non est licitum directa mente occidere aggressorem, sed solum se defendere, ut docet S. Thomas (*d*), cui suffragantur omnes Theologi: immo expers homicidii modum justæ defensionis servet necesse est, id est, 1. Ut nihil non sit moderati in modo se defendendi. 2 Ne primus sit aggressus. 3. Ut nulla alia ratione ex imminenti periculo expedire queat. 4. Et denique non sit certa mens adversarium occidendi , ut jam diximus . Hoc claris amplissimisque exponit verbis Tostatus Abulensis Episcopus, cujus verba recensere tæderet (*e*).

E contra homicidium est licitum committentibus auctoritate publica , ut probat Gratianus sententia Sanctorum Patrum, pluribus in Canonibus , quos recenset, laudatorum (*f*). Et quidem ea est doctrina sancti Augustini in sua ad Publicolam Epistola (*g*).

Longe potiori ratione nemini violentas manus sibi inferre licet sine gravi crimine , ut alibi idem docet Augustinus (*h*) , his generalibus nixus verbis : *Non occides* . Attamen certum est nonnullas sacras Mulieres pudicitiæ servandæ, veræque fidei propugnandæ caussa se dejecisse : verum ea facinora contigerunt inspiratione Divina, ut docent sanctus Hieronymus , sanctus Augustinus & sanctus Ambrosius.

(*d*) S. Thom. 2. 2. q 64. art. 7. in corp.

(*e*) Alphons. Tostat. Comment. in Mat. V part. 2. art. 2. q 103.

(*f*) Gratian. §. *Hinc apparet*. 23. q. 5.

(*g*) S. Aug. in can. *De occidendis*. 8. 23. q. 5.

(*h*) Idem l. de Civit. Dei c. 27. in can. *Si non licet*. 9. ead. c. & q.

Committitur homicidium quatuor modis diversis. Primo, auctoritate publica: Secundo, auctoritate privata: Tertio, necessitate: & quarto casu: Homicida reputatur quis pluribus modis, sive homicidium per se faciendo, ferro, veneno, aut aliter, sive per alium faciendo, jussu & consilio illud patrandi; neglecta lubenter cautione in opere faciendo, e quo sequitur mors proximi, adhibenda, immo neglecta intercessione præsertim quando dignitatis partes postulant.

Homicidium plus minus-ve grave ex variis personarum, locorum, temporis, aliorumque hujusmodi circumstantiis

Morte afficiuntur in Gallia quicunque fecerant, aut admitti jusserant hoc crimen, nisi a Rege impetraverint gratiam, quæ nunquam a damnis & commodis ei, cujus interest, debitis eximit.

Ex dictis concludendum, nemini unquam, quocunque in casu, licere hominem bonorum temporalium servandorum aut defendendorum caussa occidere: Unde ait S. Evodius, comprobante sancto Augustino (a). *Quomodo enim apud eam* (Divinam Providentiam) *sunt isti a peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

(a) S. Aug. de libero arbitrio 5, seu nu. 33.

Idem de fama servanda dicendum est: nam licet ceteris bonis temporalibus sit anteponenda, constat tamen apud omnes, sitam esse in sola hominum æstimatione, quorum judicia sæpius Dei judiciis adversantur; & præterea bonum esse fluxum, juxta ac reliqua bona temporalia, quæ vitæ proximi nunquam sunt præferenda, quæ procul dubio cetera omnia dignitate superat, invita fallaci idea ab arrogantibus & superbis concepta, contra dictum Christianismi certum, Evangelio innixum, nempe, Christiano colendam & amandam famam, quæ in vita Christiana & injuriarum venia est posita, Jesum Christum imitando: quod Apostolus breviter his includit verbis (b): *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*

(b) 2. Cor. 1. 12.

Clerus Gallicanus an. 1700. coactus, damnavit tredecim Ethicæ depravatæ Propositiones, jam a pluribus Pontificibus a Doctoribus Lovaniensibus proscriptas. En memorandas in hoc Titulo.

PROPOSITIO XXX.

Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem, in adulterio deprehensam.

CENSURA.

Hæc propositio est erronea: crudelitatem privatamque vindictam approbat.

PROPOSITIO XXXII.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

PROPOSITIO XXXIII.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere, eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum, in nullo abortu homicidium committi.

CENSURA.

Hæ Propositiones sunt scandalosæ, erroneæ, infandis homicidiis, & parricidiis procurandis aptæ: Homicidii enim festinatio est, prohibere nasci, nec refert natum quis eripiat animam, an nascentem disturbet (c).

(c) Tertull. Apol. c. 9.

PROPOSITIO XXXIV. & XXXV.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem,

ne vel

ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere (scilicet defensio ne occisiva) sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem.

CENSURA.

Hæ Propositiones legi Dei & Ordini Charitatis divinitus institutæ, contrariæ sunt, perniciosæ & erroneæ (*a*).

(*a*) Exod. XII. 4. 3.

CASUS PRIMUS.

BASILIUM cum offendisset Ambrosius, jam pridem se eum occisurum jactans, quocunque in loco obviam, & Ambrosium, qui stricto gladio est eum adortus, & occidere nitentem, occidit ipsum Basilius. Num licuit sine ullo peccato?

RESPONSIO.

Si Basilius suam servare vitam non valuerit aliter quam Ambrosium vita orbando, credimus ipsi licuisse sine ullo peccato, modo vita eum spolianti simplex, & unica se defendendi, non vero certa eum occidendi mens fuerit. Ratio est quia, juxta jus naturale, satius erat propriæ vitæ servandæ ac defendendæ consulere quam vitæ alienæ. *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur*, habet Lex (*b*).

(*b*) Lege Ut vim 3. ff. de justitia & jure lib. 1. tit. 1.

Variis in S. Thomæ operibus veritas defenditor hæc, primo hoc præstruit fundamentum, (*c*) actionem sequi duo effecta diversa, quorum alterum convenit menti, quæ evenire optatur, & alterum quæ evenit, nec optatur, nec intenditur. Unde concludit, actum, quo animus est vitæ conservandæ propriæ non esse illicitum, quia natura homo, quantum penes eum est, servat quod sit. *Actus ergo hujusmodi*, ait sanctus Doctor, *ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse quantum potest*. Postea subjungit, optimum tamen animum non sufficere solum ut actus fiat licitus; sed insuper correspondendum esse fini, ne evadat illicitus; ac proinde ei, qui se vitæ servandæ causa defendit, non licere sine peccato violentia uti majore, quam par est, ut ex voto succedat. „ Potest tamen ali„ quis actus ex bona intentione proveniens illi„ citus reddi, si non sit proportionatus fini: & „ ideo, si aliquis ad defendendum propriam vi„ tam utatur majori violentia, quam oporteat, „ erit illicitum: si vero moderate violentiam re„ pellat, erit licita defensio: nam secundum jura „ vim vi repellere licet cum moderamine incul„ patæ tutelæ; nec est necessarium ad salutem, ut „ hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad „ vitandam occisionem alterius: quia plus tenetur „ homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ.

(*c*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. in corp.

Sanctus Doctor adjungit rursus, vi principii modo constituti, quam optimus & æquus sit servandæ vitæ animus, nunquam tamen licere privato mentem esse interficiendi aggressoris, „ Sed „ quia occidere hominem non licet, nisi publica „ auctoritate propter bonum commune.... illici„ tum est, quod homo intendat occidere homi„ nem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet „ publicam auctoritatem, qui intendens hominem „ occidere ad sui defensionem, refert hoc ad pu„ blicum bonum, ut patet in milite, pugnante „ contra hostes, & in ministro Judicis pugnante „ contra latronem, quamvis etiam & isti peccent, „ si privata libidine moveantur, „ En differentem Doctorem hanc Angelicam.

Hæc Doctoris Angelici doctrina innititur illustrissimorum Ecclesiæ Patrum doctrina, & imprimis S. Cypriani (*d*), qui dicit Christiano perinde ac ceteris omnibus occidere non esse licitum. *Quibus occidere non licet, sed occidi necesse est*. Et iterum (*e*): *cum occidere innocentibus nec nocentem liceat*.

(*d*) S. Cyprian Epi. 61. juxta edit. Pamelii, seu l. 4. epist. 6. juxta Erasm. seu ep. 16. juxta edit. Anglican. Parisiis.
(*e*) Idem epist. 57 secundum, seu lib. 2. ep. 7. secundum Erasmum, seu ep. 60. juxta eand. edit. Anglican.

Sanctus Ambrosius mentem aperit certius hac de re, quando dicit Christiano nunquam esse servandam vitam morte proximi (*f*) „ Non vide„ tur quod vir Christianus & justus & sapiens, „ quærere sibi vitam aliena morte debeat, utpo„ te qui etiamsi in latronem armatum incidat, „ ferientem referire non possit; ne, dum salu„ tem defendit, pietatem contaminet. „ Quod firmat Doctor Ecclesiæ, verbis, quibus Christus allocutus est S. Petrum, quum strinxit gladium defensurus eum adversus eos qui manus in eum injecerunt (*g*): *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Et deinde hoc eximium agitat secum. *Quis latro detestabilior, quam persecutor qui venerat, ut Christum occideret; sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere sanare*.

(*f*) S. Ambr. l. 3. de Officiis c. 4.

(*g*) Matth. XXVI. 51.

Defendit aperte S. Augustinus (*h*) eamdem doctrinam, quando, respondens Publicolæ ad plures difficultates, quarum solutionem postulaverat, dicit nemini, exceptis auctoritate publica agentibus, occidendum esse, data opera, aggressorem, ne ipse occidatur. *De occidendis hominibus, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur: ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate*. Quod comprobat hic Auctor istis Domini nostri verbis (*i*) *Ego autem dico vobis non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*.

(*h*) S. Aug. epist. 47. alias 154. n. 5. in ann. De occidendis 3. q. 3. item lib. 1. de libero arbit. n. 25.

(*i*) Matth. V. 39.

Ex hac sententia, juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, qui in casu, de quo agitur, aggressorem occiderat, suam solummodo defensurus vitam, pœnitentiæ subjerat septennali & a communione privabatur primo triennio, licet nullo motus odio occidisset (*K*). „ Si quis quiete gradiens per viam, „ *Inquit Isaac Episcopus Lingonensis*, aut si etiam „ in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, „ aut in villa, subito ab alio sit superventus, „ aut litis commotione, volens se defendere, non „ habens contra illum ante odium interfecerit ho„ minem; septem annis, secundum Canonicam „ institutionem, pœniteat; tres vero a commu„ nione privetur.

(*k*) Isaac. Lingon. tit. 2 can. 19. apud Jac. Sirmund. to. 3. Concil. Gal. 651.

Alphonsus Tostatus (*l*) vehementer comprobat hujus doctrinæ veritatem, & innixus principio S Ambrosii, S. Augustini & S. Thomæ, demonstrat, quando agitur non de bono publico, sed solum de privato, non licere absque peccato, mente clara & directa, occidere hominem, quamvis iniquum aggressorem, quia homicidium, auctoritate privata factum, est natura malum: sed licet tamen se defendere nece ipsa aggressoris, quia sui defensio est non modo bona & honesta, sed & naturalis & necessaria. Unde concludit hic doctus Episcopus inique lacessitum, qui manifeste aggressoris mortem intendit, peccare; etiamsi aliam sibi viam servandæ vitæ superesse persuasum habeat. *Nunc autem non intenditur bonum publicum, sed privatum*, inquit hic auctor, *ideo non licet velle occidere, quia malum est; sed licet velle defendere me: quia hoc bonum est. Ideo si iste voluerit occidere hostem, quia putat non posse se defendere, jam malum vult & respectu mali finis nullus modus perveniendi est bonus*.

(*l*) Tostat. comment. in Mat. c. V par. 2. q. 209.

Dicta firmat hic Theologus hoc exemplo sensili; Si quis, inquit, intendit, fornicationem admittere, quævis via illa gaudendi nunquam bona esse potest; quia quicquid hunc in finem suscipitur, bonum aut malum est tantum, quantum finis ex se est bonus aut malus. *Sicut si quis intendit fornicari; quicquid præmittat ad illud, non potest esse bonum: quia ea quæ sunt ad finem, non habent*

bonitatem, nec malitiam, nisi secundum habitudinem ad fidem. Idem dicendum de eo, qui persuasus, se mortem non vitaturum nisi nece aggressoris, intendit eum occidere, eumque re occidit. Nam, quum finis sit ex se malus, actus, quo assequitur, est similiter malus: & (quod attente perpendendum) facilis est, ut idem subjungit Auctor, homini illi persuasio falsi, quum forte suam servabit vitam, nec hostem occidet, qui forsan lapsurus erit aut aggredirntem reformidaturus, & in quem non permittet forte Deus, ut perniciosum, in eum conceptum, efficiat consilium. *Date quod aliquis constitutus in necessitate, putet non esse possibile evadere, nisi occidat hostem* (idem Tostatus pergit) *est tamen possibile hoc: quia forte hostis cadet, vel timere incipiet, aut Deus impediet eum, & sic poterit evadere, non occidendo hostem. Si tamen intenderit occidere, ut se defenderet, etiamsi postea ista accidant, & non occiso hoste evadat; jam manet ei peccatum, quod occidere aliquando intendit.* Ex hoc patet maximum esse interponendum discrimen inter velle se defendere. in casu proposito, & intendere distincte & recta aggressorem occidere, & maximo jure utrumque non esse confundendum, inferendo, licere velle occidere, quum se defendere liceat. Quando igitur licere dicitur aggredientem occidere *cum mode·amine inculpatæ tutelæ*, sic interpretandum, licere vim repellere, & parare vim, ne malum efficiat consilium, & si, nos contra eum vindicando, sine animo eum occidendi, properet impetu odii ductus, & mortiferum ei impingatur vulnus, aut vita privetur; sibi soli hoc esse vitio vertendum. Ea quoque est sententia inclytissimi Paludani. Qui plura volent, consulant Theologos hoc argumentum agentes, Sylvium, Colloquia Luconentia, D. de Genet, aliosque (*a*).

(*a*) Fr. Sylv. In 2.2.q.64.art. 2. quæsito 5. Col Lucon. t. 3. coll.20.q. 2. De Genet th. mor. to. 0. tr. 4 c.1.q.4.& 1.

(*b*) Nav. Manual c. 15.n.2. & alii apud eum.

Nihilominus non dissimulamus, nonnullos nominis Auctores (*b*) putasse, S. Ambrosium & S. Augustinum animo concepisse solum casum solitum, & sæpe obvium, in quo interfectores aggressorum fere nunquam moderaminis inculpati modum servant penitus necessarium, ut coram Deo sui defensionem purgent propriæ conservatione vitæ, & quidem fatendum perraro & difficillime eum, qui se inique lacessitum advertit, stricte ei, quod est omnino necesse, adhærere, ut vim repellat illatam; nec servire affectui aut vindictæ. Hanc quoque ob rem interfectores aggressorum se sontes habeant necesse est. Ex hoc ratiocinio igitur inferunt hi Auctores, licere iniquum aggressorem prævertere morte ipsius, & data opera, quando alias vitam servare non datur.

Innituntur Constitutioni a Clemente V. latæ in Concilio Viennensi, habito ineunte decimo quarto sæculo (*c*); en ejus verba: *Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Ut ut sit eorum sententia, a nostra non arbitramur recedendum esse; quia profecto congruit optime Christianismi regulis & tutamini conscientiæ: nam interpretationem, quam affigunt hi Auctores locis Patrum landatorum, mere fictam ab iis patet, & solido carere fundamento, quum isti Doctores Sancti dixerunt indistincte, sine exceptione & verbis absolutis, & inique verba in sensum peculiarem, quem non expresserunt, redigi. Constitutione Clementis V. fatemur, hunc Pontificem ab irregularitate exsolvere occidentes aut mutilantes sui defensione: sed hæc verba solum interpretanda sunt de iis qui, servantes moderamen inculpatæ tutelæ, invasores occiderunt sine ulla mente eos orbandi vita; quum eos accenseat *infantibus* usu rationis carentibus, & furiosis, aut dormientibus, qui libere non agunt, & insuper nihil profert, quod supponat homicidium ultro, aut casu, factum; hoc est, cum & sine animo occidendi, qua in re vertitur difficultatis, de qua agitur, nodus.

(*c*) Clement. si furiosus unica de homicidio volunt. & casuali lib. 5. tit. 4.

CASUS II.

Gilbertus inique a Gervasio lacessitur, Gervasius, se imparem & minus dextrum in certamine percipiens, Gilberto offert finem imponere. Gilbertus fortiorem se habens desiderio vindictæ ductus, conditionem ab aggressore oblatam negat; ita ut Gervasius, prævidens periculum mortis suæ imminens, Gilberto erranti vulnus, quo eum humi sternit, impingat. Qua de re quæritur, num Gervasius, qui, ex hypothesi, Gilbertum occidit, quia aliter vitam servare non valebat suam; teneatur tamen coram Deo hujus hominis nece?

RESPONS.

Alphonsus Tostatus, in decisione præcedenti laudatus, ad difficultatem huic persimilem respondens (*d*), dicit, primam conditionem, qua quis intra moderamen inculpatæ tutelæ se continere censetur, esse ut nullo modo sit aggressor: nam si primo hostem adortus & debilior ipso, offerat finem imponere certamini, & tandem invitus ad persequendum compellatur ut se contra lacessitum defendat, re coram Deo & hominibus tenetur homicidio, quamvis occiderit necessario propriam servaturus vitam. Ratio, quam hic doctus Præsul apponit, est quia interfector, licet occiderit, postquam prior prælio non lacessiverit, est vera & immediata homicidii secuti causa, quod ipse fecit, etiamsi non sit perinde sons ac si in primo stetisset animo. En ipsissima Tostati verba, prout legimus. *Primo quod ille qui occidit alium, sit proprie defendens se. Nam si aggrediatur, & occidat alium, etiamsi sit mutuo pugna, non est dubium quin teneatur: quia etiam secundum legem humanam teneretur, etiamsi aggressus est, & alius cœpit pugnare, & aggressor vellet jam cessare, & alius non vult sed pugnat, ut occidat aggressorem, ulcisci cupiens; aut nocere, & tunc aggressor, ut non occidatur, defendit se etiamsi cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendat, & non potens aliter se defendere, adversarium occidat, adhuc tenetur tanquam reus homicidii, & secundum leges humanas: quoniam aggressor fuit, & dedit causam immediatam ad homicidium voluntarium, quod postea ipse patravit: licet quando patravit, non intenderet occidere: in judicio enim Dei reus erit homicidii. Sed non ita graviter, sicut si semper habuisset voluntatem occidendi, ut habuit a principio, quando fuit aggressor.*

(*d*) Alphon. Tostat. loc. supra cit.

Dicendum igitur, Gervasium re teneri morte Gilberti, quamvis occiderit eum, propriam servaturus vitam; quia non contigisset, nisi primo lacessivisset inique.

CASUS III.

Palamedes, ira percitus, mulierem percussit prægnantem, quæ infausto hoc ictu est paulo post enixa infantem mortuum, viventem ante hunc casum; is tenetur ne homicidio?

RESPONS.

Hujus difficultatis decisio pendet a principio, quod statuit Sanctus Thomas (*e*), qui de homicidio agens casuali, dicit duplici fieri modo: Primo vetitum patrando sensu quem habent Cajetanus & Sylvius in sequenti decisione laudandi. Secundo licita committendo, non adhibita cautione necessaria. *Hoc autem contingit dupliciter*, inquit hic Doctor Angelicus, *uno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debeat, homicidium incurrit: alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem.* Utroque in casu tenetur quis homicidio. *Si vero*, pergit, *det operam rei illicitæ: vel etiam det operam rei licitæ non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis consequatur.* En principium, cui innititur hic Doctor, quæstionem hic propositam decisurus, ex quo dicit, eum hominem teneri morte infantis: qui percutiens matrem, quæ eum in utero habebat, vetitum sibi perpetravit. *Ille qui percutit mulierem prægnantem*, sunt ejus verba (*f*), *dat operam rei illicitæ, & ideo si sequatur mors mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen, præsertim cum ex tali percussione in promptu sit, quod mors sequatur.* Quia tunc haud dubie mors sequens est hujus infelicis ictus effectum.

(*e*) S. Th. 2.2. q.64 art. 8. in corp. Item in 4. dist. 35. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.

(*f*) Idem cit. art. 8. ad 2 9.

Con-

Concludendum igitur, non licere Palamedem ab homicidii crimine purgari, in casu proposito.

CASUS IV.

Porphyrius hominem mera occidit fortuna, destitutus occidendi animo. Judicandus-ne est homicida?

Respons.

Ut propositæ fiat difficultati satis, dicendum est primo cum S. Thoma (*a*), fortuitum, juxta normam loquendo, non esse peccatum; quia voluntas abest: *Casus*, ait hic Sanctus, *est causa agens præter intentionem: & ideo ea quæ casualia sunt, simpliciter loquendo, non sunt intenta neque voluntaria: & quia omne peccatum est voluntarium, secundum Augustinum, consequens est, quod casualia, in quantum hujusmodi non sunt peccata.*

(*a*) S. Thom. supra cit. art. 8. in corp.

Præclarum hujus veritatis exemplum nobis præbet Scriptura sacra, dicens, si duobus simul egressis amice & cædentibus ligna proxime, securis alterius casu e manu excidat, alterumque occidat (*b*); hoc casu interfectorem non fieri homicidam, ipsiusque vitam esse servandam. *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui ... nullum contra eum odium habuisse comprobatur: sed abiisse cum eo simpliciter in Sylvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit & occiderit, hic ad unam supradictarum urbium confugiet & vivet.* Ea Scripturæ verba sunt. Veritas igitur est omnibus perspicua, homicidium simpliciter casuale & involuntarium non esse absolute peccatum. *Absit*, inquit S. Augustinus (*c*), *ut ea, quæ propter bonum ac licitam facimus aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* Ratio est quia, ut ait idem Pater in Manichæos dicens (*d*), voluntas est vera peccati actualis causa. *Non igitur, nisi voluntate peccatur.*

(*b*) Deut. XIX. 4. & 5.

(*c*) S. Aug. cit. epist. 47. alias 154. n. 1.

(*d*) Idem l. de duabus naturis c. 10. seu n. 14.

Nihilominus quod actu & ex se non est voluntarium quandoque fit casu, latis ut quis evadat sons: exempli gratia; quum, negligentia supina & neglecta cautione adhibenda, occidit hominem occidere bestiam putans. *Contingit tamen*, ait S. Thomas (*e*) id *quod non est actu & per se volitum & intentum esse per accidens volitum & intentum, secundum quod causa per accidens dicitur, removens prohibens; unde ille qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium si debeat removere, erit quodam modo homicidium voluntarium.* Atqui hoc duplici fit modo diverso, ut in decisione præcedenti diximus cum eodem Sancto Doctore. Primo, illicitum & mortales faciendo, id est, *quod natura sua est periculosum, & via quadam ad homicidium*, ut interpretatur Sylvius post Cardinalem Cajetanum (*f*). Secundo: non adhibendo diligentiam & cautionem quæsitam in faciendo licito; ut probat idem Theologus (*g*) Decretali Alexandri III. aliaque Clementis III. (*h*) & ea mente dicunt Theologi mutuam posse indirecte operam conferri ad homicidium; hancque mutuam operam censeri voluntariam, etiamsi ponatur in omissione facti quod agendum aut removendum est, ut facinus Naucleri, qui naufragio perit, neglecto clavo, exemplum ipsum a S. Thoma allatum (*i*): *Alio modo, indirecte, ex eo ipso, quod non agit; sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, in quantum destitit a gubernando.*

(*e*) S. Thom. loco cit.

(*f*) Fr. Sylvius in 2.2. q. 64. art. 8. conclus. 2.
(*g*) Idem ibidem conclus. 2.
(*h*) Alex. III. in c. presbyterum & Clemens III. in c. Ad audientiam de homicid. volunt. & casuali.
(*i*) Idem 1.2. q. 6. ar. 3. in corp.

Ex his S. Thomæ principiis facilis est conclusio, in casu proposito, Porphyrium non teneri homicidio, quia simplici casu hominem occidit, sine directa nec indirecta voluntate occidendi: sed teneri, si contigerit, faciens illicitum, ut in casu præcedenti advertimus, aut licito operam dans neglexerit diligentiam & cautionem in facto adhibendam. Nam, eo in casu, non posset dici innocens: quum ex ratiocinio S. Thomæ ceterorumque Theologorum, saltem foret causa indirecta.

CASUS V.

Gallinicus, cum hominem advertisset lapsu contritum, nec ultra semihoram victurum, qui obnixe rogabat eum, ut mortem acceleraret, quia finirentur dolores gravissimi, quibus laborabat, ei est assensus. Num tenetur homicidio eo in casu?

Respons.

Is est casus in secundo Regum libro memoratus (*k*). Saul pari in casu observabatur ac homo, quem offendit Gallinicus; Amalecitam, quem advertit, ut eum penitus perderet, rogavit, ad finiendos dolores. Amalecita, percipiens in eo certe nullam vitæ spem esse, obedivit, & Davidi retulit ipse persuasus se Charitate usum & probatum iri. Sed David eum in ipso temporis articulo, morti addixit. *Casu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat super hastam suam... & conversus post tergum suum, videnfque me advocavit ... dixit mihi .... sta super me, & interfice me ..... stansque super eum, occidi illum: sciebam enim, quod vivere non poterat post ruinam: vocansque David unum de pueris suis ait: accedens irrue in ipsum qui percussit illum & mortuus est: & ait ad eum David: sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te dicens, interfeci Christum Domini.* En verba Scripturæ sacræ. Et S. Thomas (*l*) hoc exemplo probat nulli unquam privato licere alium perdere quocunque in casu, licet petatur. Ratio, quam adjungit, est quia vitam alii adimens non solum afficit injuria occisum, sed Deum ipsum illud prohibentem, solumque vitæ hominum arbitrum, & Rempublicam, cujus hic erat membrum. *Ille qui occidit hominem*, inquit hic Doctor S. *injuriam facit, non solum homini occiso, sed etiam Deo & Reipublicæ; sicut etiam & ille qui occidit se ipsum. Unde & David damnavit illum ad mortem, qui non timuerat mittere manum, ut occideret Christum Domini, quamvis eo petente.* Haud dubie igitur Gallinicus, in quæsito proposito, purgari ab homicidio nequit: quum nemini unquam liceat, auctoritate privata, alium occidere, nisi, necessitate absoluta pressus, suam teneatur servare vitam, eumque occidat *cum moderamine inculpatæ tutelæ*. Quo in casu non licet quoque directa mente aggressorem occidere, sed solum se defendere, ut alibi diximus.

(*k*) 2. Reg. 6. & seqq.

(*l*) S. Thom. 2. p. sum. q. 47. ar. 6. ad 3.

CASUS VI.

Dinamius, in jus vocatus, & morti addictus per detractionem judicii, quia noctu trucidaverat vicinum, evaserat; sed Fulgosius, loci, in quem se cesserat homicida, Dominus obvium occidit sclopeto, tanquam proscriptum & damnatum. Num tenetur homicidio & peccato mortali, judicium damnatorium eum in hominem latum ipse exequens?

Respons.

Constat Fulgosius teneri homicidio, ac proinde peccato mortali, Dinamium auctoritate privata interimentem. Nam ne violetur quintum Decalogi præceptum, occidere hominem prohibens, duo sunt absolute necessaria; videlicet, justitia & auctoritas legitima. Primo justitia est necessaria, hoc est, oportet ut satis sit argumentorum quibus reus probetur crimen, quod Lex morti addicit, admisisse; & in eum sit inquisitum, servatis omnibus justitiæ regulis usitatis & formulis Juris requisitis. Secundo auctoritas legitima est necessaria, id est, auctoritas publica, qua morti reum addicenti, capite damnandi potestas datur, ut & judicium exequenti eum vita privandi; ita ut hominem, quantumvis reum & damnatum, occidens, his duobus una non concurrentibus, violet præceptum homicidium prohibens. Atqui Fulgosio non fuerat delata auctoritas publica, ut liceret Dinamio vitam adimere. Non licuit igitur ipsi occidere sine homicidii crimine.

Hæc decisio apud Sanctum Augustinum a Gratiano laudatum (*m*), probata legitur, qui dicit, interfectorem latronis, sacrilegi aut cujulvis alius mali hominis, sine munere publico sibi delato, esse

(*m*) S. Aug. in can. Quicumque 23. q. 5.

esse judicandum ipsum & plectendum quateus homicidam, imo ejus crimen gravius esse eo, quod temere voluerit in auctoritatem, quam Deus non concesserat, invadere. *Qui vero sine aliqua publica administratione, maleficum, furem sacrilegum & adulterum, perjurium; vel quemlibet criminosum interfecerit .... velut homicida judicabitur, & tanto acrius, quanto non sibi a Deo concessam potestatem abusive usurpare non timuit.* Recenset quoque idem Gratianus Canonem e scriptis ejusdem Patris excerptum (*a*), quo aperte eadem probatur veritas.

(*a*) Idem in c. Cum Mini. fter 14. eadem causa & q.

S. Augustini doctrinæ suffragatur S. Thomas (*b*) quando dicit privato, auctoritate legitima non valenti, nec administrandæ rei publicæ præposito nullo in casu licere hominem occidere, nomine boni & salutis omnium quærendæ. *Occidere malefactorem licitum est*, ait hic Doctor Sanctus, *in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandæ, sicut ad Medicum pertinet præcidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Curam autem communis boni commissa est Principibus, habentibus publicam auctoritatem, & ideo eis solum licet malefactores occidere* (scilicet servatis servaudis) *non autem privatis personis.*

(*b*) S. Th. 2. 2. 64. a. 3. in cor.

CASUS VII.

Enguerrandus, miles, obvium casu militem hostem, placide viam abeuntem, occidit. Teneturne homicidio? Deinde alium obvium, cum quo pugnavit, armis exutum & captivum occidit. Num dicendus est, hoc in casu, reus homicidii?

Respons.

Ad priorem respondemus quæstionem, Enguerrando, si non esset in statione, nec jussus, non licuisse sine crimine militem hostem occidere obvium, ut ut justum sit, in quod se se intulit, bellum; tunc enim auctoritate occidisset privata: quod nunquam licet, nisi propriæ vitæ servandæ causa, se defendendo *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, & sine animo distincto occidendi, ut in prima diximus decisione. Econtra Engerrando, si esset in statione, aut ab Ordinum Doctoribus jussus ad excursiones faciendas in terram hostilem, aut alias licuit eum occidere, sine homicidio, si hic miles hostis noluit fieri captivus bello; non aliter.

Hæc est S. Augustini decisio (*c*), cujus auctoritatem Gratianus in suo Decreto laudat his verbis. *Miles, cum obediens potestati sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ Lege reus est homicidii. Imo, nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset: in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque inde punitur, si fecerit injussus, inde punietur, nisi fecerit jussus.*

(*c*) S. Aug. l. 1. de civit. Dei. c. 16. in can. Miles 2. 2. q. 5.

Secundo, dicimus militem, quem Enguerrandus captivum duxit, non licuisse eum occidere, nisi coactus ad suam servandam vitam (*d*). *Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur*, inquit S. Augustinus, *ita victo, vel capto, misericordia jam debetur: maxime in quo pacis perturbatio non timetur.*

(*d*) Idem ep. 60. alias 205. n. 6.

CASUS VIII.

Eleonora, nobilissimo genere orta, timens ne sibi pudicitiam attentaturus & erepturus esset Hercules, parentis sui domesticus, invito quovis ejus renisu, copiam fecit eum occidendi, pudicitiæ servandæ causa, quam suæ semper anteposuit vitæ. 1. Num in hoc peccatum mortale homicidii fecerit? 2. Num licuerit sibi consciscere ipsi mortem, hujus infamiæ vitandæ gratia, ut in Historia Ecclesiastica nonnullæ leguntur Virgines S. fecisse?

Respons.

Antequam fiat quæsito huic peculiari satis, fatendum est, nonnullos Auctores tueri, honorem esse vitæ anteponendum, & quum liceat contra invasorem se defendere, eum occidendo quum aliter propriam servare vitam non datur, potiori licere ratione occidere detracturum nobis honorem, quando aliter servare est impossibile.

Verum tuemur illos Auctores errare, & hoc scitum esse perniciosum & penitus a Legibus Christianismi alienum. Nam quid est honor, juxta notionem communem & sensum usitatum, nisi donum mere temporale, & in solo positum hominum judicio. Atqui quis ratione præditus & lumine Evangelii illustratus defendat, donum adeo fragile & debile vitæ esse anteponendum? Profecto habentes eum tanto & sublimi pretio ducuntur a superbia intima & amore sui illicito. Atqui gloriæ mundanæ desiderium vincens timorem & amorem Dei est alienum a vera fide, quæ Christianam semper movet amore. Quapropter Dominus noster hujus falsæ gloriæ amicis dicit (*e*): Quomodo potestis credere, dum vestram quæritis mutuam gloriam, nec veram quærere studetis? Quod etiam probat S. Augustinus iisdem Jesu Christi verbis (*f*) *Tum enim est hoc vitium inimicum piæ fidei*, ait hic Pater, *si major sit in corde cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor, ut Dominus diceret.* Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quærentes?

(*e*) Joan. V. 44.

(*f*) S. Aug. l. 5. de civit. Dei cap. 14.

Solidus & verus Christiani honor, vitæ anteponendus, ponitur, in imitando Jesu Christo, & ad ejus exemplum condonandi injuriis gravissimis. Nostra vera Gloria, ait Apostolus (*g*), noster verus honor est, ut vitam agamus Evangelio sic consentaneam, ut nihil nobis exprobet conscientia nostra: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Uno verbo, vero Christiano gaudeadum est, dicente Jesu Christo in Evangelio, (*h*) de injuriis sibi illatis & opprobriis inique inustis: quia sic perfectiori similitudine accedit ad divinum Dominum, & tutiorem ad gloriam cælestem premit viam. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete & exultate; quia merces vestra copiosa est in cælis.*

(*g*) 2. Cor. I. 12.

(*h*) Mat. V. 11.

Sic posita hac veritate haud dubia, dicimus, responsuri ad difficultatem propositam, Eleonoræ non licuisse, sine peccato mortali homicidii, vitam Herculi adimere, virginitatis & pudicitiæ servandæ nomine, quum, amissa virginitate corporali, servasset coram Deo purum cor & innocentem animam: quia *violentia non violatur pudicitia*, ait S. Augustinus (*i*), *si mente servetur*, & alibi (*K*) *violentia non violatur pudicitia, si mente servatur: quoniam nec in carne violatur, quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur.* Quod satis sit cuivis Christiano, cui floccis facienda sunt cetera omnia, tanquam bonum transitorium & fluxum: idem quoque censuerunt semper Sancti: & Sancta Lucia, Tyranno Paschasio respondens, minanti virginitatem vi eripiendam (*l*) *Nunquam coinquinatur corpus, nisi consensu mentis; si me invitam jusseris violari, castitas duplicabitur mihi ad coronam.*

(*i*) S. Aug. ep. 228. n. 10.
(*k*) Idem ser. 228. alias 180. n. 7.

(*l*) Brevier. Parif. in Festo sanctæ Luciæ lect. 3.

Non nostra, sed sancti Augustini ipsius hæc est decisio (*m*), qui declarat certissime, nunquam licere vitam stupratori adimere, ut castitatis decus servetur, & ratio, quam affert, est quia castitas, quatenus virtus, in anima residet potissimum, ac proinde solo stupro virginitati corporali per vim illato eripi nequit: Quapropter, inquit hic Pater, quamvis Legem, his infamibus stupratoribus vitam spoliare mandantem, non arguam, postquam Judex eos morti addixerit, tamen quomodo interfectores eorum illa in occasione purgem coram Deo non percipio: *De pudicitia vero*, inquit, *quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta; quandoquidem virtus est. Unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest .... quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Potuerunt ne Auctores, alias perspicacissimi, qui dictis hic a Sancto Augustino contraria dixerunt (*n*) hunc non legisse locum; aut eo lecto, ausos suam anteponere sententiæ Augustini; quamvis

(*m*) S. Aug. l. 1. de libero. arb. c. 5. seu n. 32.

(*n*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 64. ar. 7. quæsito 9. conc. 1. & apud eum Sylvester v. Homic. 1. q. 3. Petrus Nav. l. 2. c. 3. n. 304. & Salonius.

vis non ignorarent ejus Doctrinam in Ecclesia venerandam?

Ceterum hactenus dicta de castitatis decore interpretanda sunt de quovis alio honore potiori jure; quum hoc aliis supereminеat. Fatemur tamen verum, quemvis teneri suum honorem præstare sartum tectumque propter charitatem proximi, quem nunquam offendere licet; sed æque certum est vera charitate proximi mandato Dei consentanea, nunquam licere sanguinem effundere humanum, falso nomine famæ honorisque nostri inter homines servandi.

Hæc Doctrina Evangelio sic concordat, ut plura argumenta, quibus probetur, necessaria non esse arbitremur. Sed, ex quæstione, quam agitamus, hic juvat recensere censuram, a Pontifice Innocentio XI. habitam Decreto 2. Martii ann. 1679. Propositionis huic rei affinis ex sexaginta quinque tricesimæ en verba (*a*): *Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre si aliter hac ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.* Hic summus Pontifex, hanc perniciosam proscribens Doctrinam, quibuscumque interdicit eum docere aut defendere pœna excommunicationis *ipso facto*, cujus absolutionem sanctæ servat sedi, excepto mortis articulo.

(*a*) Trigesima proposit. damnata inter. 65. ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679.

Ad secundam propositam quæstionem, nempe, num Eleonoræ licuisset sine peccatu mortali sibi mortem ipsi consciscere, quum aliter virginitatis honorisque jacturam effugere nequiverit; respondemus cum sancto Thoma (*b*), nunquam fas esse sibi mortem inferre. *Seipsam occidere, est omnino illicitum.*

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. in corp.

Prima ratio, quam hic sanctus affert Doctor, est, quia in naturam ipsam & amorem sui peccaret. *Primo quidem, quia naturaliter qualibet res seipsam amat; & ad hoc pertinet, quod qualibet naturaliter conservet se in esse & corrumpentibus resistat, quantum potest; & ideo quod aliquis se ipsum occidat est contra naturalem inclinationem & contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere.* Unde infert hic Sanctus nemini licere ullo in casu se interficere sine peccato homicidii mortali: *Et ideo sui ipsius occisio semper est peccatum mortale.*

Secunda ratio est, quia privatus non sui ipsius, sed Reipublicæ est, cujus est pars, ac proinde, illæsa Republica, mortem sibi inferre nequit. *Quilibet autem homo est pars Communitatis, & ita id quod est, est communitatis. Unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam Communitati facit.*

Tertia denique est, quia vita est Dei donum, & ab ipso pendet solo. *Tertio, quia vita est quoddam donum, divinitus homini attributum, & ejus potestati subjectum, qui occidit, & vivere facit.* Inde infert neminem habere in sua potestate vitæ cum morte commutationem sine gravi injuria Deo, soli summo vitæ necisque arbitro illata. *Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cujus est servus: & sicut peccat ille, qui usurpat sibi judicium de re sibi non commissa: ad solum enim Deum pertinet judicium mortis & vitæ, secundum illud Deuteronomii* XXXII. Ego occidam, & ego vivere faciam.

Denique hic Doctor Angelicus quæsitum speciale, de quo agitur, expendens, ait perspicue (*c*): *Non licet mulieri seipsam occidere, ne ab alio corrumpatur: quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio: quia non inquinatur corpus, nisi de consensu mentis.*

(*c*) Idem ib. ad 3.

De Sanctis, qui mortem sibi consciverunt, & quorum objicitur exemplum, dicendum 1. Perpaucos esse numero. 2. Se non interfecisse nisi vivido Spiritus sancti ductu motos, ut idem docet Thomas (*d*). Dicta hactenus quæque solidissimis & amplissimis argumentis probat sanctus Augustinus in Canone, a Gratiano ex ejus Scriptis deprompto (*e*), in quo hic ait Sanctus: *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre deberе; veluti fugiendo molestias temporales; ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata: ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non polluebat alienum.*

(*d*) Idem ibid. ad 4.

(*e*) S. Aug. lib. 1. de Civit. Dei ca. 17. 18. 20. & 26. in c. non licet 9 §. 5. 23. q. 5.

CASUS IX.

Jordanus, deprehenso in flagranti delicto Ludovico, se spoliante noctu quadringentis nummis aureis tota re sua familiari, exclamavit eumque sequutus est, ut surreptos deponeret nummos. Sed in Ludovicum ocyus fugientem emisit casu glandem plumbeam, eum occidere intendens, & re interfecit. Num hoc homicidio peccatum fecit mortale?

Respons.

Vitam hominis bonis temporalibus longe præstantiorem constat, ea regula veræ charitatis nemini unquam adimi sine gravi crimine, ut hujusmodi bona licet magna serventur. Nam ut ait sanctus Augustinus (*f*), quomodo contaminati effusione sanguinis humani ob res contemnendas possunt esse coram Deo innocentes? *Quomodo apud eam* (providentiam divinam) *sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?*

(*f*) S. Aug. l. 1 de libero arbitr. cap. 5. seu n. 13.

Innocentius IV. (*g*) dilucide hanc dirimit difficultatem Commentario in quinque Decretalium libros, declarans, de interficiente alium propriæ vitæ servanda caussa, qui excommunicationem, a Canonibus in homicidas latam, non incurrit, non perinde esse ac de occidente alium bonorum servandorum gratia: nam tunc incurrit *ipso facto*, quia transgreditur modum servandorum licitum. *Si hic timore* (ne occidatur) *alium occidat*, inquit hic Pontifex, *non incidit in Canonem .... sed si pro rebus occideret, secus: quia tunc excederet modum. Supra cit.* Intelligimus. *De homicidio.* Atqui, ex Concilio Meldensi (*h*), ab excommunicatione nunquam abest peccatum mortale. *Anathema est mortis æternæ damnatio; & non nisi pro mortali debet imponi crimine.* Unde hujusmodi homicidium nunquam purgatur a peccato mortali, ac proinde eo tenetur Jordanus, qui Ludovicum interfecit.

(*g*) Innoc. IV. super cap. si vero 1. de sent. excommu. &c. lib. 5. tit. 39.

(*h*) Concil. Meldens. in Can. Nemo 41. 11. q. 3.

Addendus est Alexander III. (*i*) qui jam eadem ratione definiverat difficultatem agitatam, respondens Abbati Benedictino qui de duobus eum consuluerat Religiosis quorum alter furem nocturnum vestes suas erepturum occideret. Nam hic Pontifex declarat ambos peccasse, & pœnitentiæ agendæ addicendos; hunc quidem, quia in vinciendum furem adjutorium ei fecit; illum vero, quia occidit, absente altero; & subjungit, pallium cum tunica deserere satius esse, ut habet Evangelium, quam hoc admittere crimen ob res adeo spernendas & transitorias. En verba: *Verum quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis, tam acriter in alios exardescere, abstineat iste humiliter ab Altaris ministerio, & uterque peccatum suum studeat expiare.* Quam in rem hæc est Glossæ prudens notu, nunquam licere homicidium facere, ut bona serventur temporalia, *pro amissione rerum temporalium nullus debet homicidium incurrere* (*K*).

(*i*) Alex III. in cap. Suscepimus 10. de homicid. volunt. vel casuali l. 5. tit. 12.

(*k*) Glossa in cit. cap. suscepimus. init.

Postea mirari subit tot Casuistas cæcos sententiam veritati solide stabilitæ oppositam defendere ausos. Merito igitur Pontifex Innoc. XI. in Decreto die 2. Martii 1679. adversus sexaginta quinque Propositiones Ethicæ remissioris lato, complexus est tres sequentes, 31. 32. & 33.

„ Tricesima-prima Propositio damnata. Juxta
„ normam loquendo, mihi licet furem occidere,
„ ut servem unum aureum nummum. *Regulari-*
„ *ter occidere possum furem, pro conservatione unius*
„ *aurei.*

„ Tricesima-secunda Propositio damnata. Non
„ solum licet defendere defensione funebri quæ
„ actu possidemus; sed & res quibus nobis est jus
„ inceptum, & quas possessuros esse speramus. *Non*
„ *solum licitum est defendere defensione occisiva quæ*
„ *actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoa-*
„ *tum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

„ Tri-

„ Tricesima-tertia Propositio damnata. Tum „ hæredi, cum legatario licet se defendere eodem „ modo (cruento) adversus inique impedientem, „ ne vel in hæreditatis possessionem veniat, vel „ solvantur legata: quod etiam ei licet, cui jus „ est in Cathedram aut Præbendam, adversus ini- „ que impedientem earum possessionem. *Licitum* „ *est, tam hæredi quam legatario contra injuste im-* „ *pedientem, ut vel hæreditas adeatur, vel legata* „ *solvantur, se taliter defendere; sicut & jus ha-* „ *benti in Cathedram, vel Præbendam contra eo-* „ *rum possessionem injuste impedientem.* „

Ampliora desideranti argumenta consulendus est Fagnanus Commentario in Decretalia (*a*), in quo hic doctus Canonista alia congerit plura, quorum primum & præcipuum e Scriptura deducitur (*b*), quæ, interpretante sancto Augustino, prohibet furem, nostris solum inhiantem bonis, occidere.

(*a*) Prosper Fagnan in cap. Interfecisti a. de homicid. volunt. & casuali.

(*b*) Exod. XXII. 2. & 3.

CASUS X.

Olivarius, Negotiator Gallus in Oriente negotiaturus, ab Hassan pirata Tunetensi fuit captus, licet legitimo instructus esset commeatu, & Gallia pace uteretur plena cum isto Regno; & Hassan eum a decennio dura premit servitute, & crudeliter in eum sævit, ut Religionem ejuret Christianam compulsurus. Qua de re quæritur, num Olivario, cui quandoque est copia Hassan occidendi, liceat eum interficere, ut libertatem recipiat, & e misera, qua laborat, sorte exeat?

RESPONS.

Præter hos duos casus homicidium non est licitum. Primum: quando faciens tortoris partes exercet, quum reus legitime est capite damnatus. Secundum: quando homicidium manifesto committitur Dei præcepto; cujus permulta legimus exempla in Scriptura, ita ut nullus unquam aliis omnibus in casibus occidi non liceat, sine transgressione præcepti divini crimen homicidii prohibentis. Hinc Olivarius auctoritate privata Hassan occidere nequit absque gravi crimine.

Ea est S. Augustini decisio (*c*): *Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi. His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ, Deus, specialiter occidi jubet; quisquis hominem, vel seipsum vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Ea hujusce Patris verba. Tertium tacemus casum, in quo, nempe, injustus occiditur aggressor, quia de eo suse diximus ad primam respondentes difficultatem; & insuper non postulat quæsitum hic propositum.

(*c*) S. Aug. l. 1. de Civit. Dei. cap. 21.

CASUS XI.

In Colloquio Ecclesiastico hæc proposita fuit quæstio, videlicet, an Magistratui auctoritate publica & suprema valenti, se ipsum liceat interficere, si se habeat morte dignum, sive quia cum hostibus egit adversus Principis commodum, aut quavis alia hujuscemodi ratione. Defenderunt nonnulli ipsi licere. Econtra alii dixerunt, non licere absque crimine. Penes quos stat veritas?

RESPONS.

A posterioribus stat veritas: non constat isti non licere Magistratui se morte ipsum multare sine peccato mortali, quantumvis reus supponatur; Ratio est, quia auctoritate valenti publica est jus vita privare maleficum, quatenus ipsius Judici. Atqui nemo sui Judex esse potest. *Generali Lege decernimus neminem sibi esse Judicem*, habet Lex (*d*), Si quacunque valeat potestate & quodcumque patraverit crimen, sibi mortem inferre non licet. Ea est S. Thomæ Doctrina, dicentis (*e*): *Ille qui habet publicam potestatem, potest licite malefactorem occidere per hoc, quod potest de ipso judicare: nullus autem est Judex sui ipsius. Unde non licet habenti publicam potestatem seipsum occidere propter quodcumque peccatum*. Uno verbo, nemini, quovis nomine sibi mortem consciscere licet, docente eodem Doctore Angelico: & eam ob caussam a peccato liberi censentur Samson, nonnullæque sacræ mulieres, quæ, ingruente persecutione, carnifices anticiparunt, se agentes ipsæ præcipites, aut in flammas sibi destinatas ruentes, quia movebantur ductu spiritus sancti extraordinario; ut probat idem Doctor (*f*) sancti auctoritate Augustini, qui hac ratione peccato purgat Samsonem. *Sicut Augustinus dicit in c. 1. de Civitate Dei* (*g*): *Nec Samson aliter excusatur quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit; nisi quod latenter spiritus sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat: & eandem rationem assignat de quibusdam sanctis fœminis, quæ tempore persecutionis seipsas occiderunt.*

(*d*) Leg. Generali unica Cod. ne quis in sua caussa judicet, vel jus sibi dicat. l. 3. tit. 5.

(*e*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 2.

(*f*) Idem ibid. ad 4.

(*g*) S. Aug. cit. lib. 1. de civit. c. 21.

CASUS XII.

Blasius, Magistratus auctoritate judiciorum suprema valens, seditionem totius Provinciæ generalem compescere nequit, nisi devovendo seditiosis caput Exactoris, quem perspectum habet non esse caussam mali, quod ei imponitur: potestne eum capite damnare & multare, conscientia, in omnium & Imperii commodum?

RESPONS.

Constat Blasio, isto in casu & quovis alio, non licere hunc damnare Exactorem; quum perspectam habeat ejus innocentiam: ea est S. Thomæ Doctrina (*h*), dicentis: *Nullo modo licet occidere innocentem*. Et alibi, ad 108. quæstiones a Joanne Verdellensi Ordinis sui Generali propositas respondendo. *Quod vero 86. ponitur*, ait hic Sanctus, *innocentem interfici, non est secundum se malum. Hoc falsum est; si intelligatur interfici ab homine, prout verba sonant*. His subjungit, soli hoc esse jus Deo, quatenus supremo vitæ necisque omnium hominum arbitro, qui insuper morte digni sunt in pœnam peccati originalis cum quo nascuntur. Hinc concludendum est Judicem, capite damnantem innocentem; licet innocentiæ conscium, fieri homicidam.

(*h*) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 6. in corp.

Hæc decisio verbis nititur Scripturæ (*i*): *Insontem & justum non occides*: Ratio hujus interdicti est, quia, dicente Sylvio (*K*), homo interfici nequit, nisi quia ejus vita societati est damnosa. Atqui vita innocentis non dicitur damno esse sodalitati, quum contra ei prosit. Numquam igitur vita privare licet sine gravi peccato. *Solum eatenus licet aliquem hominem interficere, quatenus ejus vita est bono publico noxia, innocentis autem vita tantum abest, ut sit noxia, ut potius sit conservativa & promotiva boni communis*. Idem Theologus S. Thomæ doctrinæ assentiens, subjungit, ex se malum & a jure naturali alienum esse vita orbare data opera innocentem perspectum; ac proinde nunquam fieri licitum. *Occidere innocentem, est per se malum, jurique naturali contrarium, si loquamur de occisione innocentis, quæ fiat per se, seu ex intentione, citra peculiarem divinæ voluntatis significationem; & quemadmodum fornicatio, mendacium & similia nunquam possunt esse bona, ita modo jam dicto interficere innocentem, nunquam potest esse bonum.*

(*i*) Exod. XXIII. 7.

(*k*) Fr. Sylvius in 2. 2. q. 64. art. 6. init. & resp. ad arg.

CASUS XIII.

Peregrinus, odio vicinum prosequens, animal ei proprium occidit. Peccavit ne in hoc?

RESPONS.

Non peccavit distincte Peregrinus, animal vicino proprium occidens: quando enim dixit Deus: *Non occides*, non est exponendum hoc mandatum de bestiis quibuscunque; quia nec ratio, nec societas communes nobis sunt cum illis. *Cum legimus*, Non occides... *non accipimus hoc dictum esse de frutetis; quia nullus est in eis sensus, nec de animantibus irrationabilibus, volatilibus, natatilibus, ambulatilibus, reptilibus, quia nulla nobis ratione sociantur, quam non eis datum est nobiscum habere communem; unde justissima ordinatione Creatoris & vita & mors eorum nostris usibus subditur*. Sic mentem aperit S. Augustinus (*l*), qui subjungit, hæc verba dici de solo homicidio: *Restat, ut de homine intelligamus quod dictum est: Non occides.*

(*l*) S. Aug. l. 1. de civit. Dei c. 20.

Sed peccavit 1. in Charitatem, illud occidens, invidia & odio motus in proximum, & vindicta nunquam Christiano licita.

2. Rursus peccavit in justitiam, si hoc animal vicino necessarium aut utile esset, ut jumentum clitellarium, ovis, canis domus aut gregis custos, aliaque hujusmodi quo in casu teneretur: Peregrinus, conscientia, ad damnum vicino illatum compensandum, aut in posterum ferendum. Hæc veritas adeo perspicua & haud dubia ex se est, ut

hanc

hanc in rem recensendis probetur auctoritatibus permultis necesse non putemus.

C A S U S XIV.

Casuistæ longe dissident circa detruncationem. Hi quidem cuique licere arbitrantur membrum corporis resecare, quum suæ saluti aut commodo grandi consulit, & ex hoc principio inferunt patri licere citra peccatum filio consentienti genitalia excindere, ut suavissima utatur voce, & intersit simphoniæ Ecclesiæ aut Principis, aut adolescenti licere sibi virilitatem adimere, ut sic a violentis carnis tentationibus sit liber, quibus resistere non est par, & hac via salutem præstet tutam.

Illi vero defendunt, eos errare; hancque detruncationem a quinto prohiberi mandato, homicidium vetante.

Cui standum?

R e s p o n s.

Ut ad quæstionem propositam respondeamus, in usum nostrum maxime confert statuere principium, quo nititur S. Thomas (a). En verba, & locum, licet prolixum, non abbreviandum censemus. *Cum membrum aliquod sit pars totius humani corporis, est propter totum, sicut imperfectum propter perfectum; unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti. Membrum autem humani corporis per se quidem utile est ad bonum totius corporis; per accidens tamen contingere potest, quod sit nocivum, puta, cum membrum putridum est totius corporis corruptivum. Si ergo membrum sanum fuerit, & in sua naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento, sed quia ipse totus homo ordinatur, et ad finem, ad totam communitatem, cujus est pars .... potest contingere, quod abscissio membri, & si vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis in quantum alicui infertur in pœnam, ad cohibitionem peccatorum: & ideo, sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui privatæ personæ, etiam volente illo, cujus est membrum; quia per hoc fit injuria communitati, cujus est ipse homo & omnes partes ejus. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivus, tunc licitum est de voluntate ejus, cujus est membrum putridum, membrum præscindere propter salutem totius corporis, quia unicuique commissa est cura propriæ salutis: & eadem ratio, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet curare de salute ejus, qui habet membrum corruptivum. Aliter autem aliquem membro mutilare, est omnino illicitum. Hæc ille.*

(a) S. Th. 2. 2. q. 65. art. 1. in c.

Ex his facile infertur principiis, nemini unquam licere, ut excindatur, nec patiatur ullum corporis membrum resecari, nisi hæc detruncatio sit ad totum corpus servandum absolute necessaria, ut in casu, in quo membrum esset gangræna viriatum & putridum, ac proinde valens corruptionem reliquis omnibus corporis partibus impertire. Quavis censura dignus ille, qui profert patri licere citra peccatum filio, quacunque ratione consentienti, genitalia exscindere, nominibus in quæsito productis. Nec melius defendi potest, homini licere hanc sibi inferre operationem a natura & ratione adeo alienam ementito nomine amovendarum violentarum tentationum, quas su castitatem sapit; sicque salutem suam præstare tutam a periculo, quod concupiscentia sibi minatur.

Ratio est 1. Quia nemo is est membrorum corporis dominus, ut de iis pro lubitu statuat, & tanquam proprietarius: quum Dei sit corpus ut & anima, & ipsi soli summum sit dominium in iis.

2. Quia hæc detruncatio falsissime reputatur remedium concupiscentiæ, quum e contra constat, expertos hanc detruncationem, per se, aut per alium, sæpius, quam antea, carnis titillationibus conflictari, ut observat S. Basilius in sua ad Simplicium Epistola (b), in qua dicit, Eunuchos longe vehementiori ardere amore mulierum præ reliquis hominibus & mulierum amore abripi in eas quasi furore.

(b) S. Basil. ep. 87. ad Simplicium.

3. Quia primarium & certum incontinentiæ remedium ponitur in auxilio gratiæ, eo majori zelo petendæ, quo malum est violentius. Hoc nos edocet Sapiens (c) dicens: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det .... adii Dominum & deprecatus sum illum.* En remedium cujus usus datur, & quo uti debuit Origenes pro detruncatione, quam sibi intulit, male interpretans hæc Servatoris verba (d): *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*, quibus sensum spiritualem dederunt omnes Patres. Et quidem accipimus Ecclesiam ubi primum cogi potuit in primo Concilio Generali, Nicææ habito, ineunte quinto sæculo, Legem hanc in rem tulisse, his conceptam verbis (e): *Si quis a Medicis propter languorem excisus, aut a Barbaris exsectus est, is maneat in Clero; si quis autem se ipsum abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri.* Item vi primæ Legis generalis ab Ecclesia universali latæ Leontius, qui, juvantibus Arianis, sedem occupaverat Antiochenam, quique Sacerdos, se castraverat, fuit remotus & ex Ecclesia ejectus, referentibus S. Athanasio (f), & Theodoreto (g) in Historia Ecclesiastica.

(c) Sap. VIII. 21.

(d) Matth. XIX. 12.

(e) Conc. Nicæn. I. can. 1.

(f) S. Athanas. ep. ad viros in solitudine degentes.

(g) Theodor. l. 2. Hist. Eccl. c. 9. aliis 14.

Non omittendum quod habent Canones Apostolici, de quorum auctoritate & antiquitate diximus in Indice Auctorum hoc in Opere laudatorum. En verba vicesimiprimi: *Qui sibi ipsi virilia amputavit Clericus non efficitor: sui enim ipsius homicida est & inimicus creationi Dei.*

Vicesimus secundus his concipitur verbis: *Si quis, cum Clericus esset, virilia sibi ipsi amputaverit, deponitor; homicida etenim sui ipsius est.*

Denique vicesimus tertius habet, ut Laicus, hoc peccato admisso, per triennium a Communione amoveatur: *per tres annos a Communione ejiciatur.* Hos Canones in Decreto sui nominis recenset Gratianus (h).

Eodem in Decreto legere est Concilium Arelatense II. (i) & Sanctum Innocentium I. ad Felicem, Nuceræ Episcopum, scribentem (k), Concilio Nicæno I. omnino consentanea.

(h) In can. Si quis 4. & in can. Si quis 7. dist. 55.

(i) Conc. Arelat. II. can. 7. in can. Hi qui ead. dist.

(k) Innoc. I. ep. 4. c. 1. in c. Qui partem c. ead. dist.

C A S U S XV.

Doctores duo hanc agitarunt quæstionem nempe, num Præsuli, simul Principi summo, ut plures in Germania dantur, liceat maleficum vita privare, in salutem & conservationem subditorum: hic quidem partem asseverantium defendit: ille vero, huic communi innixus dicto, *Ecclesia nescit sanguinem*, negantium partem asseruit: cui jus?

R e s p o n s.

Uterque Doctor æquum dicit vario tamen sensu. Nam Præsuli, licet Principi summo, nunquam ipsi licet dicere judicium, quo maleficus capite damnatur & mulctatur, sed exequi licet ministerio constitutorum, ut subditis jus dicatur suo nomine & auctoritate. Sic ad propositam respondet difficultatem S. Thomas (l) *Prælati Ecclesiarum*, inquit, *accipiunt officium Principum terræ; non ut ipsi Judicium sanguinis exerceant per se-ipsos: sed quod eorum auctoritate per alios exerceatur.* Hoc est, ii Principi Ecclesiastico non licet re imperare & consulere Judici suo, ut reum capite damnet: sed ipsum monere licet verbis generalibus, ut suas exerceat partes, ex Legibus judicans.

(l) S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 4. ad 3.

ODIUM.

ODIUM.

ODIUM, dictum, *odium amicitiæ*, solum hujus Tituli argumentum, definitur a Theologis, *aversio a persona, imprecatioque mali, ut ei male sit* (*a*): *vel actus voluntatis personam adversantis, malumque optantis, ut ei male sit*.

(*a*) Polm. breviar. Theol. par. 1. n. 204. ad p 2.a.q.25.

Nullo unquam in casu charitatis præceptum permittit odium in proximum; sed quum in proximo distinguitur ipse a dotibus insitis, optime non ipse, sed ejus vitia aut peccata sunt odio habenda: & contra verus proximi amor est peccati, quo contaminatur, & Deo fit exosus, odium. Eadem de causa ipsi imprecatur quis malum temporale, dictum *malum pœnæ*, quando finis est bonum ejus spirituale, aut fuga mali, quod nobis optat, & inferre potest.

Odium etiam in gravissimos & infensissimos inimicos non permittitur. *Ego autem dico vobis*, ait Dominus noster (*b*), *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*; etiamsi odio nobis sit eorum in nos inimicitia. Id docet Sanctus Thomas (*c*).

(*b*) Matt. 5.43.

(*c*) S.Th. 2.2. q.25.ar.8. & 9.

Odium ex se est peccatum mortale, sed pluribus in casibus est veniale, sive *ob imperfectionem actus*, ut dicit Cajetanus (*d*), *vel quia non est odium deliberatum, vel quia circa minimum bonum*.

(*d*) Cajet. V. odium n. 2.

Videre est S. Thomam (*e*) in dictis de charitate in proximum, a qua odium est alienum, & consulere a nobis dicta in titulo *Charitatis*

(*e*) S. Th. 2.2. tota q. 25.

CASUS PRIMUS.

FRODULFUS, virtute præditus, in Basilium, vitam in liberiori licentia & impietate agentem a pluribus annis, grave concepit odium in eum: Ejus odium est-ne noxium?

RESPONS.

Ad hanc difficultatem clarissima est responsio S. Thomæ (*f*), distinguentis in homine quæ Dei, & hominis & Dæmonis sunt. Citra grave peccatum, inquit, non est odio habenda, contra amanda sunt, quæ proximus a Deo accepit, scilicet natura humana & gratia: sed non amanda, contra odio sunt prosequenda quæ ab homine & Dæmone oriuntur, id est, justitiæ defectus & peccatum, quo polluitur: quod, nedum odium, proprie est amor proximi: *Amor autem debetur proximo secundum id quod a Deo habet; id est, secundum naturam & gratiam: non autem debetur ei amor secundum id quod habet a se-ipso & diabolo; id est, secundum peccatum, & justitiæ defectum. Et ideo licet habere odio peccatum in fratre: & omne illud, quod pertinet ad defectum divinæ justitiæ: sed ipsam naturam & gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato. Hoc autem ipsum quod in fratre odimus, culpam & defectum boni pertinet ad fratris amorem: ejusdem enim rationis est, quod velimus bonum alicujus & quod odiamus malum ipsius. Unde, simpliciter accipiendo odium fratris, semper est cum peccato.*

(*f*) S. Thom. 2. 2 q. 34. art. in corp.

Hæc Sancti Thomæ Doctrina consentit his Sancti Augustini, ad Macedonium scribentis eximiis verbis (*g*). *Facile enim est & proclive malos odisse, quia mali sunt: rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul culpam improbes & naturam approbes: ac propterea culpam istius oderis, quod ea fœdatur natura, quam diligis.*

(*g*) S. Aug. Ep. 153. alias 54. n. 3.

Ut igitur propositæ fiat quæstioni satis, dicendum est Frodulfum, non Basilium ipsum sine peccato sed liberiorem vivendi licentiam & impietatem odisse posse imo debere, præcisione concipiendo peccatum ejus, ut palam facit exemplum Jesu-Christi, qui tanto prosecutus est amore peccatores, ut in Evangelio (*h*) declaret, se carne indutum venisse in mundum ut eos ab Inferis redimeret. *Non veni enim vocare justos, sed peccatores.*

(*h*) Mat. IX. 3.

CASUS II.

ALYPIO est præpotens inimicus, cui sæpe mala imprecatur temporalia, ut morbos, adversos casus in consiliis & fortuna. Licet-ne sine odio, ac proinde gravi peccato?

RESPONS.

Si Alypio sit animus, ut hæc temporalia mala inimici salutem promoveant, non peccat. *Licitum est impugnare inimicos*, inquit Sanctus Thomas (*i*), *ut compescantur a peccatis, quod cedit in bonum eorum & aliorum: & sic etiam licet orando petere aliqua temporalia mala inimicorum, ut corrigantur.* Si vero Alypius, vindicta aut odio ductus, imprecetur inimico aliquod malum temporale, peccat adversus præceptum charitatis in proximum, ex quo tenetur Christianus, conscientia, inimicum diligere ipsum, animo propendere, ut exoptet & conferat bonum, precari pro eo, ei condonare offensas in se illatas, eumque juvare corpore & mente in necessitatibus urgentibus, quibus laborare potest, perinde ac quemvis alium Christianum, quod effici potest gratia juvante, quæ obnixe a Deo est petenda, qui meliori ac majori motus est misericordia, quam ut eam neget petentibus licito modo.

(*i*) S. Thom. 2.2.q.83.art.8. ad 2.

Vide CHARITAS.

OFFICIALIS.

OFFICIALIS vocatur proprie is, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam contentiosam exercet, pro Episcopo, ut Ballivius jus exercet sæculare pro Domino Judice.

Juxta stylum Officinæ diplomaticæ Romanæ usitatum, & trans Alpes, Vicarii Episcoporum dicuntur *Officiales*; sed, ex nostro usu, alter ab altero longe distat. Nam in Gallia Vicario solam licet exercere Jurisdictionem voluntariam; & Officiali solam Jurisdictionem contentiosam.

Officialis quivis, in Gallia, non exceptis iis, qui dicuntur externi, sit e Gallia oriundus, Sacerdos & Graduatus, id est, saltem Licentiarus in jure Canonico (*a*).

Officialis munus vendi nequit.

Edictum Parlamenti Parisiensis nobis est an. 1689. in Diario Palatii recensitum, habens, Religioso Benedictino licere absque abusu Officialis partes exercere. Par quoque legimus Edictum Parlamenti Rothomagensis 12. Martii 1683. a Dionysio Simon allatum (*b*), qui illud e decimo Diarii Palatii Tomo excerpsit. Excipit tamen Rebuffus (*c*) ab hac prærogativa Religiosos Mendicantes, ob Interdictum generale a Clem. V. in Concilio Viennensi inhibitum; ne ulla exercerent Officia. Qua de re legere juvat dicenda in titulo *Religiosus*.

In quavis Diœcesi unicus solet esse Officialis. Attamen in Diœcesi ampliore duo possunt esse: scilicet Officialis Urbis Episcopalis, cui subest Vices Gerens, ab Episcopo nominatus, Officiali absente aur ægrotante, partes ejus exerciturus; & alter, in jure dictus *Foraneus* (*d*), alia ejusdem Diæcesis in civitate.

Nascitur casus, in quo alterum nominet Episcopus necesse est: quum Diœcesis duorum Parlamentorum jurisdictioni includitur, duas ob rationes. Prima, ut nihil Jurisdictioni detrahatur. Secunda, ne provocationes tamquam ab abusu ad aliud deferantur Parlamentum. Hoc præscribitur ab Edicto Molinensi (*e*) & a Declaratione 22. Maji 1680.

Officiali est Jurisdictio ordinaria; estque proprie, Diœcesis, non vero Episcopi Officialis.

Clerici quilibet, *in sacris* constituti, sunt juris ac potestatis Officialis Diœcesani in actionibus simpliciter personalibus, nempe, pertinentibus ad cultum Divinum, & Sacramentorum administrationem, nec cum scandalo conjunctis publico: plures etiam casus, circa matrimonium, in Judicis Laici forum conveniunt.

Dicimus, *simpliciter personales*: nam si vel tantilla sit actio realis, aut solum mixra ejus notitia, privatur Judex Ecclesiasticus, qui similiter jure cognoscendi res Beneficiales, compluresque alias frustratur.

Officiali non licet dicere damnationes, ad mulctam, aut exilium, nec cognoscere scripti in caussa falsi accusationes; damna aut fœnora: supellectilis in custodiam traditiones; sequestra; decimas infeudatas, nec executionem Edictorum & mandatorum Regis, cujus est Jurisdictio in bona Beneficiorum, pensionibus & portionibus congruis destinata: ut & executionem tributorum a Clericis solvendorum in publici, aut Regni pericula.

Officialis sententia auctoritate valet pignoratitia fiduciariæ possessionis concessione, ad 25. libras usque, & ulterius procedete potest, non obstante provocatione a sententia ejus ad Superiorem Judicem, quum unice de correctione morum, aut simplicis Disciplinæ facto res est.

Ad quasvis judiciorum formulas, ut legitimæ sint, tria sunt necessaria propria, vadimonii obitus coram Judice, cujus auctoritate quis vocarus est, contentio partium & Judicium exinde latum. Duobus primis deficientibus, sententia est iniqua, nec vigere potest. In diebus profestis tantum apud Judicem Ecclesiasticum appellare possunt quilibet Accensi, aut Apparitores, qui vadimonio liberato citare tenentur, hoc est, summatim dicere petitionem, & instrumenrorum, quæ ejus fidem faciunt, exemplum, prout in Curiis Laicis usu recipitur, & denuntiare ipsi aut domui, eo absente: quibus addendum, Judice delegato, describendum esse ab Accenso præfectum Judicem, diemque ac locum, in quo adsit citatus in Judicium dicendum: quia illi Judici, non est auditorium proprium, & citatus jure dictum sibi negare potest eum esse sibi Judicem.

(*a*) Conc. Trid. sess. 24. c. de reformat. Edict. Blesen. art. 45.

(*b*) Simon. Scitum Juris Canon. tom. 1. cap. 12.

(*c*) Rebuff. in prax. Vicar. Episcop. n. 30. Clement. ut Professores 1. v. *Ad priorares. de regularib.* &c lib. Clement tit. 9.

(*d*) Clement. Esti 2. de rescriptis lib. 1. tit. 2.

(*e*) Art. 76.

Quæ ad judiciorum formulas pertinent, de quibus nunc dicimus, fusiùs explicare hic loci non est. In foris Ecclesiasticis, postulantibus sit plenior earum notitia, juxta ac capitis formularum, quarum primum fundamentum est quæstio prævia a Judice Ecclesiastico instituta, postulante Promotore, cui soli, quatenus parti publicæ, licet Clericum reum ad supplicium reposcere.

In re capitali non licet Officiali damnare reum ad pœnam capitalem, sed solum ad pœnas nomine Canonicas; ut ad jejunium certis diebus & per aliquod tempus habendum, aut ad recitationem harum, vel illarum precum.

Decretum Concilii Tridentini, exigens, ut Episcopo liceat administratores Prochodochiorum abdicare, qui male munus gesserunt, usu non recipitur in Gallia, in qua Judex Ecclesiasticus eos urgere nequit ad rationem conferendam: hæc facultas solius est Judicis Laici.

Ut primum Judex Regius dixit de possessione Beneficii postea provideri non licet petitione coram Officiali.

Officiali contra Partem querentem decernere licet Monitorium, licentia Judicis Laici.

Contra Laicum nullum quoque decernere licet decretum, nomine scandali publici in Ecclesia facti; hoc competente Judici Civili Laico.

Nullum actum judiciarium extra Jurisdictionis limites valide exercere potest.

Episcopo rejecto, Officialis censetur quoque rejectus, econtra Officiali rejecto, Episcopus non rejicitur, potestque nominare *ad hoc* alium Judicem.

Potestatem Officialis finit mors Auctoris, vel simplex revocatio diplomatis collati muneris.

In decisionibus hunc Titulum facientibus, legentur plura alia scita ponderis hac in re.

CASUS PRIMUS.

YMELINUS, Ecclesiæ Cathedralis Sancti Petri Canonicus, rerum Ecclesiasticarum & Disciplinæ peritissimus, a decennio fuit Officialis ab Episcopo creatus: licet Gradibus destitutus, quia Concilium Tridentinum sat habet, Officialem non Doctorem nec Licentiatum, saltem huic parem esse muneri. Licetne, non obstante hoc vitio, istud facere Officium? 2. Sententiæ jam ab ipso latæ suntne validæ.

RESPONS.

1. Verum est, Concilium Tridentinum (*a*) postquam requisivisset, Officialem esse Doctorem, aut saltem Licentiatum in jure. *Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus*, adjungere, ad minimum esse parem ac idoneam huic complendæ dignitati: *Vel alias, quantum fieri poterit, idoneus*. Sed, in Gallia, hoc Concilii temperamentum non est in usu, & legitimi Officiales ibi habentur solum Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico aut in Theologia. Duæ Regis Declarationes sic mandarunt. Prior 26. Januarii 1680. habet, ut Officialis quivis sit saltem Licentiatus in Jure Canonico. Posterior 22. Maji ejusdem anni, in tabulas Parlamenti publicas 29. die relata habet, ut Licentiatus in Theologia sit Officialis constituendus. Jamdiu hæc Jurisprudentia in Regno observabatur: ita ut, si quis se Officialem jactaret, Curia eam haberet tantum, postquam probasset, se esse Sacerdotem, & alterutro vestitum gradu, juxta Edictum Blesense (*b*). Quod patet Edicto Parlamenti Parisiensis 9. Januarii 1603. de privato, qui se Officialem Andegavensem jactitabat, teste Fevreto (*c*). Hæc ad primam quæstionem.

2. Ad secundam, nempe an sententiæ, jam ab Ymelino latæ, sint validæ censendæ: Fevretus (*d*) arbitratur, hujusmodi sententias validas ac legitimas esse censendas: probatque suffragio inclytorum Jurisconsultorum Menochii, Baldi & Cujacii. Ratio, quam Fevretus e Menochio (*e*) depromtam, affert, est, quia *simul ac Jurisdictio Magistratus facta est publica: tunc pro illa præsumitur, nec amplius de ea dubitari potest; postquam manifesta facta est*. Eodem nititur scito Baldus (*f*). Cujacius (*g*) tandem idem censet, & mentem his aperit verbis, a Fevreto allatis: *Humanius est, sententiis vel Actibus ejus, rei judicatæ auctoritatem tribuere, propter utilitatem eorum, qui apud eum, tamquam legitimum judicem, bona fide egerunt*.

(*a*) Conc. Trid. sess. 24. c. 16. de reform.

(*b*) Edict. Blesen. art. 45.

(*c*) Fevret. Tract. de Abusu l. 4. cap. 3. n. 4.

(*d*) Idem ib.

(*e*) Menochius l. 2. præsumpt. 14.

(*f*) Baldus in Leg. Si qua 12. Cod. de Episcop. & Cleric lib. 1. tit. 3. & in Leg. 1. Cod ad Senatusconf. Macedoni.

(*g*) Cujacius ad l. 3. de Offic. Prætor. & lib. 18. observationum c. 33.

Dicta firmat collatio Judicis, nondum majoris, ac tamen munus palam obeuntis suum. Nam sicut sententiæ hujus judicis validæ censentur, ex Lege hanc apponente rationem: *Princeps enim, qui ei Magistratum dedit, omnia gerere decrevit* (*h*). Ita valida sunt habenda judicia ab isto Officiali lata: quum Episcopus, qui eum creavit, ipse tulisse censeatur, utpote omnia gerens auctoritate in eum collata.

Addenda est alia collatio, ex alia Lege deducta (*i*), in qua dicuntur judicia, a quodam servo fugace, nomine Barbario, qui Prætoriam dignitatem fuerat dolo assecutus, lata, esse tamquam legitima habenda, propter Auctoritatem publicam Senatus Romani, qui eum ad hanc extulerat dignitatem. Dicendum igitur idem de Clerico, qui licet gradu destitutus, Officialis fuit ab Episcopo creatus, & judicia tulit.

Et quidem sic judicavit Parlamentum Tolosanum Edicto 15. Maii 1608. pro sententiis per 30. circiter annos latis ab Officiali Carcassonensi, simplici Acolytho. Hoc vero Parlamentum simul eodem mandavit Edicto Episcopis sui juris, ut Mandatum sequerentur Blesense, Officiales, Sacerdotes & Doctores aut Licentiatos creantes pœna nullitatis. Hoc edictum recenset Maynard. (*K*), aliud ejusdem Parlamenti Edictum, 2. Maii 1681. dictum, citant Catelanus (*l*) & D. Brillon (*m*), quod sententiam, ab Officiali Castrensi latam, reliquit intactam, quamvis, ex usu abusivo, in quo tunc hæc versabatur Ecclesia, simplex esset Laicus.

Hanc quoque sententiam firmat decretale, ab Alexandro III. ad Episcopum Nordovicensem scriptum (*n*, quo patet auctoritatem, nullam ob ejus inhabilitatem qui concessit, habitam censeri validam, quum conferendi facultatem possidet, ut ad Beneficii præsentationem præstitam ab eo qui jure præsentandi utens, Patronus haberi solet, quamvis non sit. Docet etiam aliud simile decretale Innocentii III. (*o*) ad Episcopum Veronensem scribentis, collationes a jus conferendi possidente factas, esse similiter validas. Hoc non diffitetur Aufrerius Officialis Tolosanus (*p*): & hoc definivit Rota (*q*) his verbis: *Collatio, sive præsentatio facta per possessionem etiam violentam, de cujus violentia, sive mala fide,*

(*h*) Ulpianus in l. Quidam 57. ff. de re judicata & de affectu sententiarum &c. l. 42. tit. 1.

(*i*) L. Barbarius 3. ff. de offic. Præt. l. 1. tit. 14.

(*k*) Maynard. l. 2. c. 24.

(*l*) Catelan. l. 1. cap. 49.

(*m*) D. Brillon, v. *Official*. n. 44.

(*n*) Alex. III. in cap. *Consultationibus*. 19. de jure patronatus.

(*o*) Innoc. III. c. Cum olim 7. de caussa possess. & proprietatis. l. 2. tit. 12.

(*p*) Aufrerius decis. 107. Capellæ Tolosanæ.

(*q*) Rota decis. 14. alias 575. 14. alias 575. de jure patron. (in antiquis) & decis. 7. alias 263. in novis eod. tit.

non

non constat, valet & tenet. Guido Papæ (a) & Bouchel. (b), doctis & amplissimis verbis hanc agitantes difficultatem pro & contra, ex Aufrerii sententia, defendunt merito longum ex Lege (c) interponendum esse discrimen inter hæc verba: *Proconsulem esse*, hæcque, *Proconsulatu fungi: & aliud est Prætorem fuisse, & aliud Prætura functum fuisse, ut fatentur Doctores in Legem Barbatius* laudatam. Hanc etiam ob caussam, Clerici, veri Officialis doctibus non induti, qui is tamen fuit habitus, quique per longum tempus partes fecerit solitis juris formulis & judiciis ab eo dictis, sententiæ non sunt habendæ nullæ: quum differat inter *Officialem esse*, & *Officialis munere fungi*.

(a) Guido Papæ decis. 103. & 163. n. 2.
(b) Bouchel Bibliot. Can. v *Acta*, pag. 32. col. 1. & seqq.
(c) L. five 1. ff. de tutorib. & curator. datis &c. lib. 26. tit. 5.

Utilitati & quieti publicæ innititur hæc Jurisprudentia, quibus tenentur suprema Tribunalia servare ac tueri pacem inter homines, & repellere contentiones ac lites, quæ permultæ orirentur certissime, ni Judiciorum formulæ, Instrumenta & Judicia haberentur valida: & ni tunc æquitas naturalis severitati Juris scripti anteponatur: unde Horatius.

Atque ipsa utilitas justi prope mater & æqui.

Hanc ob caussam, etiamsi Declaratio Regia 26. Januarii 1680. habeat, Officiales saltem fore Licentiatos in Jure Canonico, pœna nullitatis judiciorum quæ dicent; non est credendum, si Officialis in casu in quo supponitur Ymelius, versaretur, Parlamentum suæ Jurisdictionis rescissurum esse, tamquam nullas, omnes sententias ab ipso latas; quum permultis novis litibus daretur locus, quas his sententiis damnari inferrent partibus adversis; & persuasum habemus, id in eo casu habiturum hanc Edicti clausulam, tanquam comminatoriam, & sat sibi fore interdictum tunc isti Officiali continuum muneris exercitium, pœna nullitatis judiciorum aut alius pœnæ arbitrariæ. Hæc sententia consentit doctrinæ Domini ab Hericourt, in Parlamento Advocati, in Opere quod nunc in lucem edidit, cui titulus: *Leges Ecclesiasticæ Galliæ juxta eorum ordinem naturalem* (d), & iisdem nititur argumentis a nobis laudatis, quibus hæc adjungit Gratiani verba (e): *Verumtamen, si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit; sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet.*

(d) D. ab Hericourt leg. Eccles. &c. cap. 2. n. 26. pag. 27.
(e) Gratian. ad Can. *Infames*. 2. 3. q. 7.

CASUS II.

Diomedas, Sacerdos, homicidii accusatur admissi coram Officiali: sed Officialis sat argumenti aliter quo eum arguat, habere non valens, quam decernendo Monitorium quo moraliter persuasus est sibi fore: quærit num sibi liceat, illæsa conscientia, & sine irregularitate incurrenda; certum quum habeat Diomedis convicti punitionem sibi fore committendam Judici Regio, eum damnaturo, & ad supplicium dedituro?

Respons.

Constitutio sancti Pii V. nobis est, qua hic mandat Pontifex, ut monitoriorum usus non sit alius, quam ut resarciendis fœnoribus civilibus (f) Partis querentis serviant. Unde ortus est in Italia usus, quo, revelationibus vi Monitorii detectis traditis, interdicitur, pœna excommunicationis iis quorum in manus traduntur, earum usus in re capitali. Sed contrarius usus in Gallia observatur, & nititur 1. Jure communi, quo Censuris Ecclesiasticis compellendi sunt testes, ut pro testimonio dicant ipsis in rebus capitalibus, ut videre est pluribus Decretalibus, & præ ceteris Innocentii III. Decretali (g), in quo hic jubet Pontifex Archiepiscopum Mediolanensem adhibere censuras, quibus cogantur testes ad testimonium dicendum in eum, qui litteras corruperat Apostolicas. Idem præscribit Clemens III. (h) circa graves injurias a Laicis in Clericos illatas. Honorius III. (i) ad Abbatem sancti Eugenii scribens, eadem prematur via vult, qua detegantur indicia conjurationis, quam incolæ Volaterrarum Tusciæ urbis clandestino machinati erant in sui perniciem Episcopi. Huic obtemperamus juri in Gallia, in qua numquam usu recepta nec promulgata fuit Constitutio contraria sancti Pii V. (K).

(f) Aloysius Riccius decis. 278.
(g) Innoc. III. in cap. *Cum contra* 9. de testib. cogend. lib. 2. tit. 21.
(h) Clemens III. in cap. *Pervenit*. 5. eod. tit.
(i) Honor. III. in cap. *Dilectorum*. fin. eod. tit.
(k) Aveillon. tract. de excom. & Monit. cap. 19. sect. 2.

(1) Vid. *Menda Pontas*. Observ. III. num. LII.

2. Rursus (1) nostra nititur Jurisprudentia Edictis nostrorum Regum, & in prions Aurelianensi (l) mense Januario 1560. a Carolo IX. sancito, & Diplomatibus ejusdem Principis (m) comprobato 6. Aprilis 1571. in Parlamento 7. Septembris proximi rato facto; & Edicto Ludovici Magni (n) mense Aprili 1695. His addendum Regni & Justitiæ interesse, ut crimina haud inulta ferantur: quod tamen usu sæpe veniret, ni liceret via Monitoriorum ea detegere.

(l) Edict. Aurelian. art. 18.
(m) Diplom. Caroli IX. art. 18.
(n) Edict 1695. art. 26.

Inferimus igitur Officiali, licet prospiciat certo Diomedem ultimo affectum iri supplicio vi rationum, quibus instruetur Judex Regius ope Monitoriorum; licere tamen eum decernere, illæsa conscientia, & sine irregularitate incurrenda; quia, ut incurrat, debet esse mortis rei causa proxima, ut habet Glossa in Alexandri III. Decretale (o), & in quæsito proposito, est caussa remota: Reus, Judex morti addicens, & carnifex sunt causa proxima.

Hujus Auctor Glossæ probat discrimen inter causam proximam & remotam situm Decretali Pontificis Honorii III. (p) declarantis Clericum, mortis consocii causam remotam, a Sacris Ordinibus non esse removendum. *Mandamus quatenus ... ipsum propter hoc a receptione sacrorum Ordinum non repellas.* Hæc istius Pontificis verba: cum Glossa annectit hunc Clericum ab irregularitate eximi, *quia caussa multum fuit remota.*

(o) Gloss. in cap. De cætero. 11. de homicidio volunt. vel casuali V. *Dedisse*.
(p) Honor. III. in cap *Exhibita*. 22. de homicidio.

Hanc confirmaturi decisionem dicimus de Officiali hac in occasione perinde esse ac de Præsule, qui, Dominus loci civilis, generalibus demandat verbis suo Judici ut suas agat partes in reum, cujus litem instruit. Atqui, dicente Bonifacio VIII. (q) Præsul non fit ideo irregularis; quamvis Judex, cui diligentiam in officio faciendo demandavit, reum morti addicat & ad capitale supplicium; quia suo non defuit officio, Judici mandans ut jus dicat, sine animo distincto & claro cooperandi morti rei. *Irregularis censeri non debet*, inquit hic Pontifex, *quamvis ipse Baillivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit.* Similiter Officialis, Monitorium decernens, nulla ratione mandat ut capite damnetur reus; sed, observante du Casse (r), ipsi sat est minari excommunicationem negaturis testimonium veritatis, quæ ipsis constat.

(q) Bonif. VIII. in cap. *Episcopus* fin. ac Clerici vel Monachi sæcular. negotiis se immiscеant. in 6.
(r) Du Casse Tract. de Jurisdict. Eccl. content. pag. 253.

Addenda est secunda ratio hæc, qua quum Antistites aut Judices Ecclesiastici Sacerdotem de gradu dejecerunt crimine gravi convictum; & deinde Judicibus eum tradiderunt Regiis, capite damnantibus, numquam reputati sunt irregulares; modo tradentes eam, serio petierint, ut morte aut detruncatione non afficiant eum hi judices. Atqui Officialis, Monitorium decernens, non eo usque progreditur, quum puniendum reum non tradit civili Magistratui. Dicendum igitur non est eum Officialem peccare, ullamque incurrere irregularitatem (s). Nihil quoque præstat præter Innocentii III. præscriptum (t) qui ad Episcopum Parisiensem scribens dicit: *Clericus, per Ecclesiasticam Judicem degradatus, sæculari datur Curiæ puniendus ... degradatus, tamquam exutus privilegio Clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur.* Idem prufert Lucius III. (u) his verbis: *Totius Ordinis Ecclesiastici prærogativa nudetur: & sit omni Officio & Beneficio spoliatus Ecclesiastico: sæcularis relinquatur arbitrio potestatis animadversione debita puniendus.*

(s) Du Casse Prax. Jurisd. Eccles. cont. cap. 8. §. 2. n. 1.
(t) Innoc. III. in cap *Novimus*. 27. de verb. signif.
(u) Lucius III in cap. *Ad abolendam*. 9. de Hæret. §. 2.

CASUS III.

Suaanerus, Sacerdos Diœcesis Turonensis Parisios petens, & Blesas iter habens, crimen patrat grave, ob quod actus postulante Promotore, postea ab Ordinibus suspensus fuit ab Episcopo Blesensi declaratus. Debetne se habere suspensum re, quum non fuerit a primario nec sedis, aut Beneficii Episcopo declaratus?

Respons.

Hic Sacerdos se suspensum re habere debet: nam Jus Canonicum & Leges Civiles conveniunt de hoc Jurisprudentiæ articulo, quod quis jurisdictioni Judicis loci in quo delictum admissum, subjici-

tur; quamvis locus is non sit peccatoris, per eum iter facientis, Sedes. Hoc docet S. Thomas (a), dicens: *Episcopus, in cujus diœcesi aliquis delinquit, efficitur superior ejus ratione delicti, etiamsi sit exemtus: nisi forte delinquat in re aliqua exemta, puta in administratione bonorum alicujus Monasterii exemti. Sed si aliquis exemtus committat furtum, vel homicidium, vel aliquid hujusmodi; potest per ordinarium juste condemnari.*

(a) S. Thom. 2. 2. qu. 67. art. 5. ad 3.

Ita ferebat Jus vetus ut patet Gratiani Canone sancto Fabiano adscripto (b), in quo perhibetur: *Ibi semper caussa agatur, ubi crimen admittitur.* Regula, cujus praxis sit universalis, vult Pontifex Adrianus (c). Parem decisionem suggerit Jus recentius gratia Officialis loci, in quo delictum admittitur. Innocentii III. est, ad Episcopum Gallicum scribentis, quem Pithœus Senonensem putat, qui hunc consuluerat Pontificem de difficultate huic æquipollente (d); en verba: *Per Episcopum in cujus diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eamdem* (Presbyterum). Decretale Concilio Meldensi excerptum (e), & Constitutio Clementis V. (f) eumdem firmant disciplinæ articulum.

(b) Can. *Ibi* 3. q. 6.

(c) Adrianus in can. *Qui crimen* *sin.* ead. c. & q.

(d) Innoc. III. in c. *Postulasti*. 14. de foro competenti. lib. 2. tit. 2.

(e) Concil. Meldens. in c. *De illis* 2. de Raptoribus &c. lib. 5. tit. 17.

(f) Clemens V. Pastoralis 2. de sent. & re judicata (lib. 2. tit. 11)

Leges Civiles Ecclesiasticis concordant (g): *Quæstiones eorum criminum, quæ legibus aut extra ordinem coercentur, ubi commissa vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est.* Sic habet Lex Codicis Justinianæi.

(g) Leg. Quæstion. 1. Cod. ubi de criminibus agi oporteat. lib. 3. tit. 15.

Huic similiter consentit Jus Gallicum, ut indicat Edictum Ruscinonense, a Carolo IX. mense Januario 1563, edictum (h): *Si delinquens* inquit hic Princeps, *in loco delicti detinetur, ejus lis infertur & judicabitur in Jurisdictione, in qua delictum fuerit admissum, nec coactus ut ea judicanda deferatur ad aliam Jurisdictionem, cujus sedem obtendet suam reus captivus.* Edictum Molinense (i), ab eodem Rege latum mense Februario 1566 habet etiam: *declarantes & adjungentes præmissis Edictis nostris, volumus notitia delictorum sit Judicum locorum, in quibus admissa erunt; non obstante captivo in flagranti delicto non deprehenso.* Cui consentit Edictum Ludovici Magni (K) ann. 1670.

(h) Edict. Ruscinon. a. 19.

(i) Edict. Molinen. art. 35.

(k) Edict. Lud. XIV. tit. 1. art.

Duabus Jurisprudentia hæc nititur rationibus. Prima: quia Judici loci in quo delictum fuit admissum, facile est notitiam criminis & peccatoris consortium promtiorem & perfectiorem acquirere, & postea minoribus impendiis quæstionem instituere præ remoto. Secunda: quia scandali a crimine illati præstatio est finis Judicis in ejus punitione. Atqui omnium interest ut scandalum in ipso delicti loco sarciatur: cui addendum est, Judicis finem in puniendo reo, eo collimare, ut metus paris pœnæ avertat alios ab hujusmodi delictis (l).

(l) Du Casse Prax. Juris de Eccl. consent. cap. 7. n. l. Joan. Cabass. Juris Can. & prax. l. 1. c. 8. n. 3.

CASUS IV.

Blasius, litem habens cum Artemone, viro præpotente, de hereditate ampla, certe ipsi propria, & de qua contendit tamen malitia hic vir, qui donationem extorsit fraudulentam, cujus nullitatem Blasius probare nequit, quatuor testibus veritatis testimonium negantibus, ita obnixe Officiale Diœcesanum instigavit, ut Monitorium impetraverit, jam bis evulgatum ut via excommunicationis compelleret Artemonem ad æquum sibi faciendum; & quatuor testes ad veritatem ipsis notam testimonio dicendam. Qua de re provocavit Artemon tamquam ab abusu a Monitorio, & hæc provocatio adhuc sub Judice est. Quæritur 1. Num licuerit Artemoni, conscientia, ita provocare, unico animo veritatis notitiam amovendi, & iniquam hujus hereditatis possessionem salvam præstandi. 2. Num testes interim revelare non teneantur; & num, omissa revelatione, sint excommunicationem incursuri, quando diris devovebitur eorum caput?

RESPONS.

Ut supponitur in quæsito proposito, verum est Artemonem gravissime peccare animo Blasium spoliandi prædio, quod legitime ipsius est jure hereditario, & viis iniquis sartam tectamque servandi injustam occupationem: sed hoc non est cur ex Legibus ipsi provocare non liceat; quum Monitorium impetratum fuerit rogante & simpliciter postulante Blasio.

(1) Ratio est, quia in omnibus actionibus, sive civilibus, sive capitalibus quæ sub Judice sæculari sunt, Officiali numquam licet absque abusu concedere, nec mandare Monitorium evulgandum, nisi Pars efflagitans a Judice obtinuerit regio facultatem impetrandi a Judice Ecclesiastico. Hoc probat Fevretus (m) Edicto 28. Maii 1580. lato a Parlamento Burgundiæ instar regulæ generalis, qua quibuslibet Officialibus, in hujus Parlamenti forum convenientibus, tradere aliter Monitoria in caussis ad Curias sæculares delatis, pœna omnium impendiorum, damnorum & fœnorum, & mulctæ arbitrariæ. Affert hic Auctor aliud Edictum ejusdem Parlamenti 24. Julii 1611. gratia Joannis de la Faye latum, provocantis tamquam ab abusu, ab obtento Monitorio, decreto ab Officiali Augustodunensi, quo Curia huic interdicit Officiali, quibuslibet aliis ejusdem Jurisdictionis *concedere ulla Monitoria absque prævio Judicis laici mandato.* Denique laudat Fevretus tertium hujus Parlamenti Edictum, 28. Novembri 1611. latum gratia Petri Guiller; qui tamquam ab abusu, provocaverat de Monitorio ab Officiali Aaxoniensi impetrato, sine licentia Judicis sæcularis. Artemoni igitur æquum est jus in foro exteriore circa provocationem tamquam ab abusu. Unde provocatione indecisa, quatuor testes vi Monitorii non tenentur revelare, quod tamen non est cur non teneantur, sub pœna peccati mortalis, veritatem notam testimonio dicere, si Blasius hanc in rem diem dixerit.

(m) Fevret. l. 7. cap. 4. nov.

CASUS V.

Epigena vita functo post susceptum ab Irene quam ante biennium duxerat uxorem, filium; Eduardus ejus frater, contendit se esse bonorum heredem, defendens & pollicens se probaturum defunctum cum Irene contraxisse Matrimonium, non obstante impedimento dirimente, cujus immanitatem non obtinuerat; licet uterque hujus impedimenti esset conscius: ac proinde infantem esse illegitimum declarandum: qua de re quæstionem instituit coram Officiali Diœcesano, quatenus solo Judice, cui de vinculo Matrimonii, id est, ejus validitate aut nullitate cognoscere liceat.

RESPONS.

Constat Officiali, solo Judici legitimo licere cognoscere de *fœdere Matrimonii*, ut de fide, sacramentis, votis Religionis, cultu divino, ceterisque omnibus simpliciter Ecclesiasticis, ut perhibetur veteri Decreti Gratiani Canone (n), Edicto 1539 (o) & mensis Aprilis 1695 (p).

Verum hoc interpretandum de conjugio actu subsistente, non vero de eo cujus vinculum dissolvit mors alterutrius partis, de cujus hereditate lis est: tunc enim res non est Ecclesiastica, sed adeo sæcularis ut solus Judex Laicus cognoscere queat. *Notitia caussarum sacramenta spectantium*, ait Ludovicus Magnus in suo Edicto 1695. (q) *.... erit Judicum Ecclesiasticorum .... nisi fuerit provocatio tamquam ab abusu .... aut ageretur de hereditate, aut aliis effectis civilibus, quorum caussa obversaretur status defunctorum aut liberorum.*

(n) Can. *Certum* dist. 10.

(o) Edict. 1539 art. 2. & 4.

(p) Edict. 1695. art. 30. & 40.

(q) Art. 34.

Hæc igitur regula est servanda in casu proposito. Unde inferendum est Eduardo non licere coram Officiali quæstionem instituere, & tutori infantis Epigenis æquum esse jus in judiciorum formulis, quas instituit coram Judice sæculari, cui soli jus est cognoscendi de hac re, excluso quovis Judice Ecclesiastico.

CASUS VI.

Teridio coram Episcopo aut Officiali ex jure accusato, æqua est facultas Episcopum rejiciendi Judicem. Officiali tamen nonne licet forensem persequi usum & judicare? Et Officiali a Teridio rejecto, potestne Episcopus de eadem re cognoscere, dandum alium Officialis rejecti Vicarium?

RES-

(1) Vid. *Mundo Pontas*, Observ. III. num. LIV.

RESPONSIO.

Difficultates hoc quæsitum continet duas admodum diversas. Ad priorem dicimus, Episcopo jure rejecto, Generali Vicario & ejus Officiali nullum esse jus rei, de qua agitur, cognoscendæ, ut patet Innocentii III. Decretali (*a*) qua Cabassutius hanc suam probat propositionem (*b*) *Quoties Episcopus juste recusari, ut suspectus, potest; eo ipso suspectus & recusabilis est ejus generalis Vicarius & Officialis.*

(*a*) Inn. III. in c. Insinuante 19. de Offic. & potest. judic. deleg. l. 1. tit. 9.

(*b*) Joan. Cabassut. Juris can. theor. & prax. l. 1. c. 13. n. 13.

Ad posteriorem difficultatem non idem dicendum: Nam Officiali solo rejecto, Episcopus, rejectus non censetur *Recusato autem Vicario, aut Officiali non recusatur per hoc Episcopus*, pergit idem Canonista, qui hujus discriminis rationem adducens, dixit Vicarium Generalem ab Episcopo; Episcopum vero minime ab iis pendere. *Quia Officiales censentur addictiores Episcopo, a quo dependent sed Episcopus non dependet ab illis in sua dignitate & juribus.* (*c*) Quod quidem probatur Constitutione Bonifacii VIII. cujus hæc verba: *Cum autem ipse delegatus Episcopi recusatur; recusationis causa coram Episcopo est probanda. Idem est si Officialis recusetur, licet ad ipsum ab eodem Officiali nequeat appellari.* Ita ut, hoc in casu, Episcopo liceat alium dare Officialis Vicarium, ad persequendam causam usque ad litis finem, ut docet Archiepiscopus Panormitanus, Felinus Sandius, Zerola (*d*) aliique Auctores recentiores, Rebuffus & Jason (*e*).

(*c*) Bonifac. VIII. in c. Si contra 4. de Offic. & potest. Jud deleg. in u. l. 1. tit. 14.

(*d*) Panorm. in cap. super 2. de offic & potest Jud. deleg. §. Quem vero. Felin. ibid. n 15. Zerole in prec.

(*e*) Petr. Rebuff prax. benefic. 2. p. tit. Forma Vicariatus Archiepiscopor. & aliur. collationum n. 190 Jason leg. Apertissimi cod. de judic.

Ratio, quam primus apponit, discriminis, cui hæc innititur decisio, quæque coincidit cum jam allata est, quia quum Officialem munere orbare liceat Episcopo ex Declaratione 28. Septembris 1637. probata 27. Augusti 1700. rata in Parlamento facta 29. Januarii 1701. metuendum, imo credendum est illum in ejus sententias abiturum: quod de Episcopo dici nequit cum Officiali, a quo minus pendet, ut jam animadversum est. *Quia cum Episcopus possit eum revocare* (*Clementina*. Et si principalis. *De Rescriptis*) *verisimile est, ut non destituatur, posse trahi in Episcopi sententiam, sed Episcopus non potest recusari; quamvis Officialis recusari possit vel ejus Vicarius* (cap. Si contra unum *in fine de Officio delegati*.)

Patet igitur nobis, ad casum peculiarem, in quæsito proposito memoratum, responsuris dicendum esse, a Teridio jure rejecto Episcopo, Officialem in eum agere non valere, sed, Officiali tantum rejecto, jus remanere Episcopo alium dandi Judicem, in causæ, quæ sub rejecto erat, finem.

CASUS VII.

CHRISTOVALUS, S. Oloni Parochus, in Curia rerum Ecclesiasticarum Agathensi detentus, declaratus a *Divinis* suspensus ab Officiali, ex clausulis Promotoris qui solus erat pars, & multa gravatus ut terni hebdomada careret pane & aqua per trimestre, & per idem tempus in vinculis esset, ab hac Sententia provocavit ad Archiepiscopum Narbonensem, Metropolitanum, & sicut transferretur & perduceretur Narbonam necesse erat cum omnibus judiciorum formulis, tutis, ac certis asservatus custodibus, Officialis pignoratitia auctoritate literas decrevit in eum, quibus ad sumptus transportationis præbendos compelleretur; ad quod fuit coactus detentus; nihil ne est alieni a justitia hac in agendi ratione?

RESPONSIO.

Officialis, illæsa justitia Christovalum nequivit cogere pigneratitia auctoritate literis ut sumptus traductionis Agatha Narbonam suppeditaret. Ratio est, quia quum litem capitis intulit ex officio Promotor, debet Episcopus omnes sumptus facere necessarios ad sententiam Metropolitani definitivam usque, cum ei sit recurrendum ad detentum, si sit solvendo, ut repetat sumptus.

Hunc Jurisprudentiæ articulum probat Fevretus (*f*) t. Lege Codicis (*g*), Joanne Fabro, (*h*) & Aufrerio (*i*) qui dicit, te Officialis munus gerente Tolosæ, Episcopum Vaurentem voluisse ut eximeretur a sumptibus ad traducendum in Curiam rerum Ecclesiasticarum Metropolitani Clericum damnatum ab ejus Officiali & provocantem a judicio in eum ab Officiali Vaurensi lato, necessariis: se defendisse idem observandum in foro Ecclesiastico ac in sæculari, in quo rerum capitalium Judex sumptus præbere tenetur ad transportandum reum damnatum & provocantem: quod sic fuit re definitum a Parlamento Tolosano. Subjungit Fevretus, idem judicium fuisse a Parlamento Burdegalensi latum 28. August. 1535. in Episcopum Sarlatensem.

(*f*) Fevret. l. 4. c. 3. n. 14.

(*g*) L. eos qui 6. parag. super eod. de appellat. & consult. l. 7. tit. 62.

(*h*) Jo. Faber in l. minime cod. eod

(*i*) Aufrerius q. 11. capella Tolosa.

Hunc Jurisprudentiæ articulum firmat Edictum Parlamenti Parisiensis, a Paponio allatum (*k*) dictum gratia Nicolai Guidolet, detenti, postulante Promotore, in curia rerum Ecclesiasticarum Bituricensi: a sententia Officialis provocantis: quod Edictum abusivas dicit pigneratitia auctoritate literas, a dicto Officiali decretas in rem Gulielmi Racqueau completum, Apparitoris Regii, qui reum duxerat Bituligam, prohibendo Racqueau, aut impetrantibus, usum, & injungendo accepti restitutionem.

(*k*) Papon. l. 18. tit. 2. Arrest. 28.

CASUS VIII.

THEOFRIDUS, Episcopi Vicarius Generalis & Officialis, cum capitis quæstionem instituere cœpisset in Parochum, resque esset judicanda, Episcopus fuit a Pontifice aut Concilio Provinciali declaratus excommunicatus. Theofrido nonne licet, non obstante hoc casu, qui incidit, forensem usum persequi in istum Parochum inchoatum, & sententiam ferre?

RESPONSIO.

Constat Theofrido, qui, quatenus Vicarius Generalis & Officialis, Episcopi partes sustinere censetur circa jurisdictionem ordinariam, simul ac Episcopus excommunicatione, aut alias, suo munere privatur, nullum superesse jus eo fungendi officio. Ratio est, quia Jurisdictio Vicarii Generalis & Officialis ortum ducit ab Episcopo, qui est caput. Ita ut, hoc capite extincto, ea consociatio penitus desinat. Sic ratiocinatur Cabassutius (*l*): *Excommunicato autem Episcopo*, ait hic Doctor, *Vicarius & Officialis nullam possunt exercere Jurisdictionem: quia fons exaruit, unde dimanabat omnis eorum Jurisdictio.* Hanc quoque rationem apponit Innocentius IV. in Constitutione, allata in Decretalium textu (*m*), in qua dicit, successorem Officialis excommunicati Jurisdictionem, quam ab ipso habebat, gerere non posse, id est, si Officialis hic eum delegavisset de re singulari judicaturum. *Ea tamen quæ ipsi* (*n*) *gerendo hujusmodi vices agunt, eo* (Officiali) *taliter excommunicato manente, si Jurisdictionem tantum recipiant ab eodem, non possunt obtinere vigorem.*

(*l*) Jo. Cabass. Jus Canon. Theor. & prac. l. 1. c. 13. n. 12. & 17.

(*m*) Inn. IV. in c Romana 1 de Offic. Vicarii in 6. l. b. 1. tit. 13.

(*n*) Id est, Vicarii Officialium, inquit Glossa, ib.

Huic distinctè consentit Glossa in hoc caput (*o*). *Si vero Episcopus est excommunicatus*, inquit, *nec ipse, nec Officialis, cum eorum idem sit consistorium, de causis agnoscent.* Ratio adjungenda ex Urbano II. deducitur, ad Episcopum Pistoriæ Etruriæ civitatis scribente, qui hoc statuit scitum commune, nemini licere, quod non habet, dare. *Qui nihil habet nihil dare potuit* (*p*) Idem docet Rebuffus (*q*) his verbis: *Quando Prælatus est excommunicatus, vel interdictus, suspenditur etiam potestas Vicarii sui.* Idem censent Zerola, compluresque alii, quos laudat (*r*).

(*o*) In cit c Romana v. ipsius.

(*p*) Urban. II. in can. Daibertum 24. t. q. 7.

(*q*) Petr Rebuff. prax Benefic 1. p in Forma Vicariatus Archiepisc & ul ac. collat. n. 117.

(*r*) Zerola in prax 1. parte v. Vicarius.

Hic apponere juvat Cabassutium observantem (*s*) Episcopi manifeste suspensi, interdicti, aut excommunicati Jurisdictionem jure delabi ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, eadem ratione ac si sedes Episcopalis esset vacua morte, donec Præsul a censuris absolutus aut successor substitutus fuerit: cum sit excommunicati sit in Jurisdictione Ecclesiastica mors civilis.

(*s*) Jo. Cabass. loc. cit. n. e.

CASUS IX.

YVO Parœciæ Trecorii Civitatis Parochus, & Episcopi Officialis, sub sigillo conscius est criminis de quo accusatur Parœcianus coram se. Licetne aut tenetur ne judicium dicere?

RESPONS.

Sicut per Officialem stat judicio causæ absistere, cum ipsi sit causa æqua, doctus Theologus olim de eadem difficultate consultus (a) putat huic Officiali, quatenus Parocho, patri Parœcianorum spirituali, abstinendum esse a sententia in eos ferenda, ne in se eorum odium concitaret, quos damnare teneretur: idque eo certius est, quo conscius est criminis, sub sigillo. Unde inferimus, suffragantes hujus Doctoris sententiæ, quamvis juxta rationis normam, Yvo judicium in casu proposito, dicere posset; prudentiæ tamen esse ut hoc judicium ab alio ferendum relinquat utilius Parœciani saluti consulturus, ejusque fiduciam tutius conciliaturus.

(a) De Sainte Beuv. t. 2. cas. 3.

CASUS X.

In Valerium Diaconum Aurelia oriundum, de gravi crimine convictum, Officialis Diœcesanus tulit sententiam, qua addicitur pœnæ Canonicæ quam incurrit, & secessui intra octiduum e Diœcesi, quam repetere nunquam datur. Diaconus hic teneturne conscientia huic obtemperare judicio?

RESPONS.

Respondemus Valerium, conscientia, teneri pœna Canonica subeunda, a sententia Officialis lata; Sed non tenetur e Diœcesi secedere. Ratio est, quia Judicibus Ecclesiasticis nulla est potestas dicendi pœnam exilii in Clericum, ut reum; quicquid nonnulli obganniant Auctores. Carolus Molinæus (b), peritissimus Jurisconsultus id probat. 1. Quia Judicibus Ecclesiasticis non est territorium. 2. Quia auxilium est pœna capitalis, quam proinde imponere nequeunt. Itaut, etiamsi illis liceat Clericum compellere Diœcesanum ad pœnam Canonicam, cui addixerunt, subeundam, tamen exilio damnare illum non liceat (c).

(b) Joan. Gallic. l. 62.

(c) D. du Perrai Jus Can. Gallic. l. 6. c. 6. n. 31.

CASUS XI.

Maximilianus, Episcopi Spirensis Officialis, fœneratorem publicum in melius mutari nolentem excommunicavit ex Officio & omissis Monitionibus Canonicis, Jure requisitis. Nonne peccavit in hoc?

RESPONS.

Haud est dubium quin gravissime peccaverit Maximilianus, quia ordinem ab Ecclesia institutum violavit, quo excommunicationis sententiam quamvis præcedant tres Monitiones Canonicæ, intervallis competentibus iteratæ; quod huic Concilii Generalis Lateranensis IV. interdicto, innititur. *Sacro approbante Concilio prohibemus:* Inquit Innocentius III. qui ei præerat (d), *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat. Quod si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia; ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.*

(d) Innoc. III. in c. Sacro 48. de sent. exco. &c. l. 5. tit. 39.

Item non sat est ut promulgatæ sint hæ tres Monitiones: nam insuper par est ut Officiali videantur effectum, quem sperabat is cujus intererat, non assecutæ, sive ipsi revelatæ non fuerint, sive revelationes frustraneæ sint; quia neglexerunt aut noluerunt ii quorum erat veritatem revelare. Ea est decisio Auctoris hac in re versatissimi (e).

(e) Du Cass pr. jurisd. Eccles. conteut. c. 8. §. 3. n. 5.

CASUS XII.

Emebertum, qui fuerat scripto pollicitus sibi Mariam matrimonio conjungere, posteaque sponsionem complere negavit, damnavit Officialis Diœcesanus, ad quem Maria eum vocare jussit, multa 50. Librarum in Episcopi emolumentum, & 200. librar. Mariæ addicta in damna & fœnora, & 4. librar. Prochodochio loci addicenda. Emebertus ab hac sententia provocavit tanquam ab abusu. An æquo nititur ejus provocatio?

RESPONS.

Æquo nititur Emeberti provocatio circa multam in eum ab Officiali latam. Ratio est, quia neminem Ecclesia potest damnare multa pecuniaria in Episcopi emolumentum; sed solum eleemosyna Prochodochio aut cuidam Ecclesiæ peculiari largienda, alias provocare datur tanquam ab abusu. Quod probant plura Curiarum Supremarum Edicta, & potissimum Parlamenti Parisiensis Edictum, 16. Junii 1606. latum, & Parlamenti Gratianopolitani Edictum 13. Martii 1635. ambo a D. Brillon allata (f), qui sententiæ omnium nostrorum Jurisconsultorum suffragatur, & præsertim Carondæ (g) Chopini, Loiseau, Bacquet, De la Roche-Flavin, Imberti, Fevreti, Chenu, Rebuffi in pactum & Bouchel.

(f) D. Brillon. Dict. Arrest. v. lad. n. 400.

(g) Carondas l. 13 respons. 9. Chop. l. 2. de sacra politia. Loiseau 15. de domin. c 15. Bacqu 21. de jurib. just. c. 7. art. 25. De la Roch-Flav. l. 13 de Parl. c. 45 art. 39. Imbert. l. 1. c. 3. Fevret. tr. de abusu l. 5. c. 4. n. 28. & l. 8. c 4. Chenu 2. epit. de reg. 9. 1. c. 1. & 2. epito. l. 41 c. t. p 1349. Concord 2. de pub. cuneub. n. 48 49. & 50. Bouch. Bibl. Can. v. Jur. Ec.

Ad 200. libras Mariæ addictas in ejus damna & fœnora, Emeberti provocatio tanquam ab abusu similiter æquo nititur: nam certum est Officiali non licere partem, quæ est in culpa, damnare damnis & fœnoribus partis adversæ; solo Judice Regio potestatem habente de hoc pronuntiandi articulo, docentibus Roberto (h), Mornacio (i), Chenu (K) & Filiucio (l), a D. Brillon laudatis (m), qui complura etiam affert Parlamenti Edicta, hanc in rem lata, de Judicibus Ecclesiæ agens, & in verbo *Officialis*. Recenset quoque Edictum Parlamenti Tolosani, mense Januario 1582. latum, quod in hoc abusivam declaravit sententiam Officialis Cadurtensis; quinqueve alia Parlamenti Parisiensis: primum 12. Augusti 1536. secundum 7. Julii 1580. tertium 6. Januarii 1580. quartum mense Martio 1581. quintum 27. Julii 1584. & sextum 23. Maji 1595. Laudat quoque Parlamenti Burgundiæ Edictum 26. Novembris 16 1.

(h) Rob. rer. judic. l. 3 c. 5.

(i) Mornac. l. 26. parage. ult. ff. de minor. 25 annis a. 92.

(k) Chenu centur. 1. q. 3.

(l) Filiu p. 4. q. 8.

(m) D. Brill. ibi n. 153. & 2. & seq. Id. v. Offcial. n. 32. &

Adest tamen Edictum Parlamenti Parisiensis, mense Februario 1670. latum ex clausulis Causidici Generalis de Lamoignon, qui Officiali patrocinatur ut clericum damnet multa, damnis & fœnoribus partis adversæ: quia clerici qua tales, sunt natura juris & potestatis Judicis Ecclesiæ. Hoc videre est Edictum in diario fori (n).

(n) Diar. du fori t. 5 l. 2 c 3. v. Official. n. 93. D Brillon.

Observare refert, quando Officialis Diœcesanus, Metropoleos & Primatus similiter dixerunt de eadem causa, non superesse locum alio evocandi tanquam ab abusu, observantibus Chenu (o) & Fevreto (p), sic judicavit Parlamentum Parisiense Edicto suo 1610. a le Gentil allato (q) in commentariis cleri.

(o) Chenu qu. notab. centur. a. 10. & 19.

(p) Fevret. tr. de abusu l. 9. c. 3. art. 4.

(q) Le Gentil Comm. Clesi to. 2. art, 3.

CASUS XIII.

Parocho & Æditúis Sanct. Abre Parœciæ, in foro Ecclesiastico litem habentibus de ære votivo; Officialis sententiam clausulis Parochi consentaneam dixit, & Æditúos habens re litigiosos ut sententia effectum sortiretur juxta ejus formulam & ipsissima verba, *non obstante intercessione aut provocatione qualibet*. Nihilo secius provocarunt Æditui ad Officialem Metropolitanum. Num illis licuit absque obedientia Ecclesiæ negata?

RESPONS.

Æditúis læsis non modo licuit ad Metropolitanum provocare, verum etiam tanquam ab abusu ad Parlamentum; cum constet, Jurisprudentia in Gallia usu recepta, non esse Judici Ecclesiastico potestatem dicendi ut judicium suum sit effectum sortiturum, non obstante intercessione aut provocatione quavis. Hoc docet Fevretus in Tractatu de abusu (r); in quo laudat Edictum Parlamenti Burgundiæ die Jovis 24. Martii 1603. latum in Abbatem S. Ramberti, cui, ut & reliquis omnibus Judicibus Ecclesiasticis sui juris ac potestatis, interdicit curia, ne sic dicant, pœna omnium expensarum, damnorum, & fœnorum, & multæ.

(r) Fevret. tr. de abusu l. 7. cap. 3. art. 5. p. 293. Edit. Lugd. 1667.

Idem proferunt Blondellus in Bibliotheca canonica Bouchel (s), & D. Brillon (t), & jure: quia hæc dicendi forma curiis servatur supremis, & Legi innititur (u) quæ habet, Imperatori soli, id est, Principi Supremo licere judicium ferre, a quo non detur provocatio. Quapropter in Hispania

(s) Blondel. in bib. can. Bouchel. v. Offic. p. 141 Ed. 1600

(t) D. Brillon. Dict. Arrest. v. Offic. n. 210. & 212.

(u) L. Tract. 2 ff. a. quibus appellari non licet l. 48. t. 2.

Rex

Rex solus, aut ab ipso præfecti, pronunciare valet, *summota omni appellatione*, observante Fevreto (*a*), qui subjungit Legatum ipsum *a Latere* sic dicere non valere. Ejusdem Jurisprudentiæ praxis est accurata in Gallia: unico casu excepto, qui respicit correctionem & disciplinam Ecclesiasticam, ut tumultum, aut scandalum in Ecclesia vel Processionis occasione factum. Tunc enim nullus est abusus, & Judici licet dicere, sententiam suam effectum sortituram non obstante provocatione.

(*a*) Fevret. loco cit. n. 6.

CASUS XIV.

VANDRILLO, Diœcesis Tarbensis Sacerdote Parœciæ ruralis, in Diœcesi vicina sitæ, Vicario, facto perdita nequitia infami; Episcopus Diœcesanus monitus, mandavit ut Promotor fori Ecclesiastici capite inquireret in eum, Officialis, judiciorum formulis præmissis, exilio extra Diœcesim damnavit. Nihilne est culpæ eo in judicio?

RESPONS.

Antequam huic fiat quæstioni satis duo sunt præsupponenda. Primum: ea veteri disciplina Canonica, Ecclesia Clericos damnabat virga aut exilio, secundum dignitatem personarum & naturam criminis admissi, ut patet 1. Concilio Bracarensi III. in Decreto Gratiani citato (*b*) 2. Apud S. Gregorium Pontificem, cujus verba recenset idem Gratianus (*c*). 3. Decretali ex hujus scriptis Pontificis deducto (*d*), qui perhibet subdiaconum, nomine Hilarium, famosum calumniatorem, puniri privatione officii, virga & exilio. *Jubemus eumdem Hilarium .... privari officio, & verberibus publice castigatum in exilium deportari*. 4. Alio Canone Synodi Romanæ, a Pontifice Leone VIII. coactæ (*e*) 5. Alio Urbani I. (*f*) 5. Alio ejusdem Gratiani Decreti Canone (*g*).

Secundum: Episcopo, quatenus Episcopo, in Gallia nullum est territorium, suæ subjacens Jurisdictioni, e quo proinde Clericum ejicere liceat; jus civitate privandi cum solius sit Regis aut supremæ potestatis, & Episcopo ejusque Officiali sit solum Auditorium, *audientiam habet, non territorium*, sic dicente Blondello in notis ad Bouchel (*h*): quod fatetur du Casse, Officialis Carcassonensis, postea Condomensis (*i*). Eidem fundamento innixus Blondellus idem putat Officiali non esse facultatem sententiam exilio damnantem Clericum ferendi. Hoc quidem advertatur Jurisprudentiæ in Gallia usu receptæ, cui insistere quivis Judex Ecclesiasticus tenetur. Hæc Jurisprudentia continetur in Decretali Innocentii III. in Corpore Juris Canonici allato (*K*), ex quo Judices Ecclesiastici quilibet non possunt non observare formulas ab Edictis Principis constitutas, & judicare ex Parlamentorum usu. Hoc quoque docet Imbertus in suo Enchiridio (*l*): & Chenu in secunda epitome (*m*) & in Quæstionibus notabilibus, qui dicit alias adesse abusum; quique probat Edicto solemni, a Parlamento Burgundiæ 13. Martii 1635. lato in causam Doctoris Theologiæ, nomine Thomæ Beaufilsi; quod Edictum interseritur recensitis a Basset (*n*), alioque Parlamenti Gratianopolitani Edicto 30. Julii 1638. Duo alia affert quoque D. Brillon, prius 21. Julii 1636. & posterius 3. Augusti 1656. (*o*) Adest aliud Parlamenti Gratianopolitani 13. Maji 1635. quod abusivam dicit sententiam Officialis Diensis, qui Sacerdotem damnaverat in secessum e Diœcesi, qui secessus Curiæ visus est exilio æquipollere. (*p*) Hi Auctores Baldi, inclyti Bartoli discipuli, sententiæ suffragantur.

Advertuntur hujus Jurisprudentiæ rationes, nonnullis in veteribus Canonibus; quod monstrat antiquam cognovisse Ecclesiam jure exilii gaudere potestatem sæcularem. Hoc Pontifex significavit Pelagius an. 556. his verbis (*q*) *Cum mille alia exempla & constitutiones sint quibus evidenter agnoscitur, ut facientes scissuras in sancta Ecclesia, non solum exiliis, sed etiam proscriptione rerum .... per publicas potestates debeant coerceri*. Cognoscit etiam

(*b*) Concil. Bracar. III. c. 6. in Canon cum beatus. 8. dist. 45.
(*c*) S. Greg. in can. in primis 7. 2. q. 2.
(*d*) S. Greg. in cap. cum fortius 3. de calumniatoribus l. 5. t. 2.
(*e*) Leo VIII. in can. in synodo 23. dist. 64.
(*f*) Urban. I. in can. ellandendum. 22. 27. q. 2.
(*g*) Urban. I. in Can. hi qui 6. 3. q. 4.
(*h*) Blondel. in Bibliot. can. Bonch. v. casus privileg. donati.
(*i*) Du Casse tr. Jurisd. Eccles. contenti. c. 19. p 137.
(*k*) Inn. III. in c. Venientes 29. de jurejur.
(*l*) Imbert. Enchir. pag. 300.
(*m*) Chenu. t. 41. c. 3. & qq. notab q. 8.
(*n*) Basset. to. 1. l. 2 t. 1 c. de Jurisd. Eccles. pag. 48.
(*o*) D. Brill. dict. Arrest. v. Officiel. n. 297. & seq.
(*p*) Idem ib. v. Judex n. 40.
(*q*) Pelag. in can. de Liguribus 43. 23. q. 5.

Celestinus III. (*r*) non Ecclesiæ sed Principibus esse potestatem puniendi exilio Clericos inemendabiles & pervicaces, decretis in eos pœnis Canonicis quæ suæ sunt potestatis. *Cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat*, ait hic Pontifex, *ne posset esse ultra perditio plurimorum per sæcularem comprimendus est* (talis Clericus) *potestatem; ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur*. Ita ut dicendum sit, Canones, nobis, advertantes esse interpretandos de terris, in quibus Ecclesiæ erat Jurisdictio temporalis simul & spiritualis, ut nunc est Pontifici in statu Ecclesiastico in quo hac de causa gaudet jure damnandi eos, qui sui sunt juris ac potestatis, exilio: quod eo verisimilius est, quod Concilii Antiocheni, an. 341. habiti ævo Episcopi demandabant Principibus provinciam puniendi exilio Clericos, quando suspensi & excommunicati ad meliorem non redibant frugem (*s*): *Quod si quis ista omnia contempserit, & Episcopus maxime emendare potuerit, Regis judicio, ad requisitionem Ecclesiæ, exilio damnetur*. Ad quod dicit Glossa; Ecclesiam ad Principes recurrere sæculares, quia eam imponendi pœnas jus ipsi non erat, *ubi Ecclesia per se perficere non potest, invocandum est auxilium sæculare*; quod repetit plures alios Canones & Decretalia, quæ allegat, exponens.

Observandum est tamen, Officiali, Sacerdotem ejicere e sua Diœcesi nequeunti, esse potestatem mandandi Clerico extraneo regressum in suam Diœcesim, pœna in eum inquirendi forensi usu, nec potestatis suæ limites in eo prætergredi; quum ex Canonibus & Edictis Aurelianensibus & Blesensibus, Clerici teneantur Ecclesiis famulari in suis Diœcesibus, ni alibi gaudeant beneficio aut negotio præpediantur quodam. Hoc definivit Edictum Parlamenti Parisiensis, 15. Julii 1631. latum ex clausulis inclyti Domini Bignon, tunc Causidici Generalis Regis a du Fresne in Diario Auditoriorum recensitum (*t*): Quod Edictum comprobat sententiam Officialis Lugdunensis, qui Clericum extraneum, Nancelo oriundum, & Coloniensem Sacerdotem, jusserat suam repetere Diœcesim.

Ex hactenus dictis liquet, Officiali non licere Clericum reum ad remum dare, nec pluribus aliis pœnis infamiam inferentibus, a Canonibus non probatis, vel Edictis Regum, aut Curiarum Ecclesiasticarum usui adversis, afficere, Du Casse fatente.

(*r*) Celestin. III. in c. cum non ab homine 10. de judiciis l. 2. t. 1.
(*s*) Concil. Antioch. 10 c. Si quis 3. de Cler. excomm. &c.
(*t*) Du Fresne diari. Audit. t. 2. l. 2 c. 58.

CASUS XV.

Duo PAROCHI Diœcesis Gallicæ, cum litem simul habuissent de re forum Officialis Diœcesani simpliciter sortiente, coram quo jam quæstio erat inchoata; hic Judex istis ex æquo evasit suspectus, quia aliquot a diebus visus est infensissimus. Quapropter recurrentes ad Episcopum, eum rogarunt ut Archidiaconum aut Parlamenti Causidicum sibi liberet dare Judicem. Licetne Episcopo hoc tribuere privilegium ipsis,

RESPONS.

Episcopo non licet duas ob causas.

Prima: quia per Episcopos, qui omnem Jurisdictionem contentiosam tradiderunt omnino in manus Officialium suorum, non stat ulterius delegare, pari in casu, ullum alium Judicem peculiarem, nisi Officialis abesset, aut ægrotaret, aut repelleretur, formulis requisitis, ab altera parte; aut denique alia adesset causa legitima & magna: nec ipsis licet Judicis vices gerere: alias daretur locus provocandi, tanquam ab abusu, a judicio lato, sic dicente Fevreto (*u*), quod testatur Du Casse (*x*), secundum Bonifacium, excipiens Episcopos Provinciales, qui, inquit, sibi servarunt ipsi jus exercendi Jurisdictionem contentiosam, quoties ipsis libet, fatente Ducasse (*y*).

Secunda: quia Officialis est Judex proprius & perpetuus Diœcesis, eique est Jurisdictio usitata, & non solum delegata: ac proinde Judicis dignitate exui nequit, ea insignitus, sic docente Mornacio in Legem Digestorum his verbis (*z*) *Neque*

(*u*) Fevret. l. 4. c. 3. n. 25
(*x*) Du casse tr. de Jurisd. Eccles. cont. 2e t. c. 3. n. 4. q. 24.
(*y*) Idem ib.
(*z*) Mornaci ad l. 2. parag. 3. de eo cui mandata est jurisdictio.

que enim Episcopos usque adeo sibi blandiri expedit ut pro animi libidine mutent Judices, novosque ad illam vel illam litem sufficiant: siquidem Judex debet esse perpetuus Officialis, quem semel elegerunt, ut vice sua judicet, nisi incidat delegandi justa causa ex absentia, morbo, vel recusatione. Dicta comprobat Edicto Curiæ, quæ interdixit Episcopum, qui Judicem altum præter Officiales delegaverat in rem privatam, sua male usum Jurisdictione, eumque impensis multavit. Idem docet Blondellus (*a*) ac Mornacius quem laudat, & Peleus a Fevreto laudatus (*b*) Edictum Parlamenti Parisiensis 1602. recenset, latum conformiter in provocationem tanquam ab abusu ad delegationem privatam, pari in casu.

(*a*) Blondel in Biblioth. Can. Bouch. v. Official. p. 243.
(*b*) Peleus l. a. c. 37. actionum forens. apud Fevret. l. 4. cit. num. 23.

Sed hactenus dictis certis de delegatione Archidiaconi ab Episcopo suffecti, non est idem de Causidici delegatione, cui ea demandaretur provincia: quum, ex justa delegandi causa, ipsi necessario esset nominandus Clericus, non vero Laicus; sic firmat Fevretus (*c*) Edicto Parlamenti Tolosani 20. Martii 1680. quod a la Roche Flavin excerpsit (*d*) Ratio, quam affert (*e*) agens de Officialibus, quodque Laico delegato competere debet, est, quia indecenter daretur vir sæcularis Clericorum Judex: quod re prohibet Decretale ab Eugenio II. emissum in Concilio Rhemis habito an. 1148. cujus hæc sunt verba: *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant; Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi & alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis (maxime de illis quæ spiritualia esse noscuntur) Laicorum judicio non disponant* (*f*).

(*c*) Fevret. l. 4. c. 1. n. 38.
(*d*) La Roche Flavin. l. 6. tit. 52.
(*e*) Fevret. cit. l. 4. c. 2. n. 3.
(*f*) Eugen. 3. in c. Decernimus 2. de judiciis.

Eamdem ob causam Innocentius III. Præses Concilii Lateranensis IV. (*g*) interdicit Clericis ne Laicos præponant arbitros negotiorum simpliciter spiritualium. *Generaliter prohibemus*, inquit, *ne super rebus spiritualibus compromittatur in Laicum: quia non decet, ut in talibus Laicus arbitretur.* Ad quod dicit Glossa (*h*): *unde dico, quod Laicus de rebus spiritualibus nullo modo judicare potest; nec principaliter, nec incidenter: & quod Ecclesiasticis personis tantum causa spiritualis sit committenda.* Quod probat hujus Glossæ Auctor duobus Decretalibus, hoc quidem Alexandri III. (*i*) illo vero Innocentii III. (*K*).

(*g*) Inn. III. in c. Contingat. 7. de arbitriis l. 1. tit. fin.
(*h*) Gloss. ib. v. Spiritualibus.
(*i*) Alex. III. in c. Cum in 18. de Offic. & potest. Jud. deleg. l. 1. tit. 29.
(*k*) Inn. III. in cap. super 27. eod. tit.

CASUS XVI.

Euphemianus & Florus, Parœciæ Sancti Dii Comparochi, cum simul contendissent de instituenda sodalitate; Euphemianus in jus vocavit Florum coram Officiali: sed quia Floro infensus erat hic Judex, adiit Officialem Metropolitanum, eumque rogavit ut causam evocaret deque ea cognosceret. Huic posteriori Officiali licetne petenti parere & judicare canonice, aut saltem valide de eorum lite?

Respons.

Officiali Metropolitano nulla est facultas ad se evocandi causam, quæ prius est sub Officiali suffraganei: quia Metropolitanus jus dicit subditis suffraganeorum ex appellatione legitima, dicente Innocentio IV. tribus Constitutionibus in Sexto allatis (*l*). Sic statuti Parlamentum Parisiense Edicto 18. Aprilis 1578. Idem etiam docent Chopin (*m*), hoc Edictum laudans, & Blondellus in Additamentis ad Bibliothecam Bouchel (*n*), observans dispositionem Edicti 1667. ei concordare. Fevretus in suo Tractatu de Abusu fatetur hunc disciplinæ articulum (*o*).

(*l*) Inn. IV. in c. Romana 3. de appell. pag. 359. cum autem idem in conc. Lugd. II. an. 1245. & in c. Romana 2. de Offic. Ordinarii in 6. lib. 1. tit. 16. & in c. Romana 1. de foro compet. in c. 2. tit. 2.
(*m*) Chopin. polit. l. 1. c. 8. n. 3.
(*n*) Blondel v. Official. p. 143.
(*o*) Fevret. Tract. de abusu l. 4. c. 5. n. 14.

CASUS XVII.

Anthemius, Officialis Diensis, a Joanne & Jacobo electus arbiter litis inter eos ortæ, dixit sententiam arbitralem. Joannes, qui se habuit læsum, ægre ei acquievit, sed Jacobus eum ad eumdem vocavit Officialem, qui eum cogeret. Joannes respondere & obire vadimonium noluit, & vicissim Jacobum vocavit ad Judicem Regium. Licetne ei, absque inobedientia Judici Ecclesiastico præstita & injustitia, urgere Jacobum in foro sæculari?

Respons.

Constat licere Joanni, sine ulla injustitia & inobedientia Judici Ecclesiastico præstita, suam persequi quæstionem in foro sæculari. Nam in casu proposito, Jacobus executionem sententiæ arbitralis petere valet a solo Judice sæculari. Ratio est, quia Princeps arbitriis auctoritatem adjecit, ac proinde a quo adhibita dependet auctoritas.

Docet hoc Fevretus, in Tractatu de Abusu (*p*), in quo Edictum Parlamenti Parisiensis 11. Julii 1654. recenset hanc Jurisprudentiam Canoni Concilii Carthaginensis V. in Decreto Gratiani allato, confirmans (*q*) quod perhibet non esse licitum eum, qui Judex fuit aut de causa cognovit testem vocare. *Statutum est, ut qui forte in Ecclesia quamlibet causam jure Apostolico* (id est Canonico, habet Glossa) *Ecclesiis imposito agere voluerit, & fortasse decisio Clericorum uni parti displicuerit, non liceat Clericum in judicium ad testimonium devocare eum, qui præses vel cognitor fuit.* Unde potiori ratione arbiter partium iis nequit esse Judex. Glossa duas annectit rationes. (*r*) Prioris parti, de judicio lato quærenti, est suspectus, hoc ex æquo ejus judicium subire iterum tenetur. *Offensus & suspensus est appellanti.*

(*p*) Fevret. tr. de abusu l. 4. c. 4. n. 12.
(*q*) Concil. Carthag V. c. 1. in can. Statutum est 30. q. 4. n. 6.
(*r*) Gloss. in D. can. v. cognitor.

Nicolaus I. ad Imperatorem scribens, dicit etiam: *Quod suspecti .... judices esse non debeant & ipsa ratio dictat* (*s*): quod firmat compluribus auctoritatibus ac exemplis. Eamdem ob rem Alexander III. ad quos Angliæ Episcopos & Abbatem Herudfordiensem scribens, declarat se nolle ut causæ Judex sit Episcopus Londinensis: quia uni parti erat suspectus (*t*). Vult alibi idem Pontifex ut non deferatur ad Judicem suspectum (*u*). Lucius III. ad Episcopum Licolnensem litteras dans, idem declarat (*x*). Et denique S. Gregorius Pontifex dicit, Episcopum ipsum esse rejiciendum, quando suspectus est (*y*). Quod Pontifex firmat idem, in Gratiani Decreto laudatus (*z*).

Posterior ratio est, quia in primo permanere vellet judicio: *Semper vellet tueri suam sententiam* (*aa*) ac proinde qui se haberet læsum statuto non staret judicio.

Vide Judex & Promotor.

(*s*) Nicol. 1. can. Quod suspecti 23. 3. q. 5.
(*t*) Alex. III. in c. Iterum 27. de Offic. & potest. Jud. delegat.
(*u*) Id. in can. Propofuit. 30. de appellationibus.
(*x*) Luc. III. in c. Postremo 30. eod. tit.
(*y*) S. Gregor. in c. Si quis. 4. de foro compet.
(*z*) Idem in c. Imprimis 71. q. 1.
(*aa*) Gloss. cit. v. cognito.

CASUS XVIII.

Leander amplæ Diœcesis Episcopus, cui summa 10000. Librar. ad restaurandum Palatium erat pernecessaria, cujus pars utilior erat ruinosa, vendidit Officialis munus Festo, qui numeravit 8000. Libras præsentes. Nonnulli Capituli Canonici, maximo ardentes studio, eum incusaverunt vendere hoc Officium nequivisse absque simonia. Leander quærit an re Simonia insit huic casui, & num, posita simonia, eum non eximeret ab ea bona fides?

Respons.

Antequam huic fiat difficultati satis, tanquam scitum constans supponendum est, munus Officialis esse re quid spirituale. Nam Officium & potestas Officialis punitur in gerenda Jurisdictione Ecclesiastica contentiosa, hoc est, in parte Jurisdictionis Episcopalis, quæ in voluntariam & contentiosam dividitur. Atqui hæc potestas, in judicandis Clericis, aut Laicis, de rebus simpliciter spiritualibus, & Ecclesiasticis, in castigando censuris, & in ligandis & solvendis animabus sita est profecto quid simpliciter spirituale.

Hac veritate posita, liquet sine Simonia non valuisse hoc Officialis munus vendere Festo, qui comparavit, eodem pollutus crimine, consecutione necessaria. Sic animadvertimus Ecclesiam semper summo studio improbavisse hujusmodi commercium, ut clare monstrabunt rationes sequentes.

Concilium Generale Chalcedonens. (*bb*) Sancto Leone sedente, an. 451. habitum, stricte prohibet

(*bb*) Conc. Chalced. p. 2. act. 15. can. 4.

bet munere ullo Ecclesiastico pecuniam cogere. *Si aliquis Episcopus*, inquiunt Patres in hoc celebri Concilio sedentes, *per pecunias fecerit ordinationem & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi .... aut promoverit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel mansionarium, vel quemquam omnino qui subjectus est regulæ, pro suo turpissimo lucri commodo is; qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subjacebit: & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione vel promotione per negotiationem facta proficiat; sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit.* Atqui constat munus ejus qui nunc Officialis dicitur, hoc contineri in Canone, ac proinde Leandrum & Festum ab eo damnari.

(a) Urban. II. in can. Salvator 8. 1. q. 3.

Urbanus idem interdicit Canone in Decreto Gratiani allato (a) his verbis: *Quisquis igitur res Ecclesiasticas, (quæ Dei dona sunt, quoniam a Deo fidelibus, & a fidelibus Deo donantur; quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideo gratis dari debent) propter sua lucra vendit vel emit; cum eodem Simone donum Dei possideri pecunia existimat. Ideoque qui easdem res non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere .... pecuniæ, largitur vel adipiscitur, Simoniacus est.* Et rationis gratia allato Decreto Concilii generalis jamjam laudato, subjungitur: *Nomine vero procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, ut, verbi gratia, Præpositum, Oeconomum, Vicedominum: defensoris nomine, Advocatum, seu Castaldum & Judicem: in subjecto vero regulæ, Archipresbyterum, Archidiaconum, Canonicum, Monachum, vel quemlibet Ecclesiastico mancipatum Officio.* Hac interpretatione nullum superest in mente dubium, quin munus Judicis Ecclesiastici, id est, Officialis, accensendum sit rebus Ecclesiasticis, quæ numquam pretio acquiri possunt.

(b) Alex. III. in cap. Præterea. 1. ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant. lib. 5. tit. 4.

Alexander (b) in Concilio generali Lateranensi III. dicens, clarius suam aperit mentem hac de re, & semper antiquis adhærens decisionibus, fatur: *Quoniam quidam in quibusdam partibus sub pretio statuuntur, qui Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate jurisdictionem exercent* (en Officiales) *præsenti Decreto statuimus, ut qui de cetero hoc præsumserit, Officio suo privetur; & Episcopus conferendi hoc Officium potestatem amittat.*

(c) Concil. Turon. ann. 1163. c. 11. in cap. Quoniam. 2. eod. tit.

Concilium Turonense (c) ann. 1163 collectum, eodem Pontifice Alexandro III. sedente, par jam tulerat Decretum. En verba: *Quoniam in quibusdam partibus Decani quidam, vel Archipresbyteri, ad agendas vices Episcoporum ... & terminandas caussas Ecclesiasticas* (en iterum Officiales) *sub annuo pretio statuuntur, quod ad sacerdotum gravamen & subversionem judiciorum non est dubium redundare; id ulterius fieri prohibemus. Quod si quis de cetero fecerit, removeatur a Clero. Episcopus autem qui hoc sustinuerit, & Ecclesiasticam Jurisdictionem suam patitur dissimulatione perverti, districtione Canonica percellatur.*

(d) Conventus Melodun. tit. 31. de his quæ ad forens jurisd. pertinent.

Generalis cœtus Cleri Gallici, Meloduni ann. 1579. habitus (d) acriter invehit in idem Munerum Ecclesiasticorum commercium: *Tum hoc nefas putet Episcopus*, inquiunt Antistites hi sapientes, eum habentes: *Si cujusvis Magistratus in Ecclesiasticæ Jurisdictionis exercitio venale videri possit commercium; & quod Laicis detestabili vitio datur, in Ecclesiastica politia non patiatur ne in suspicionem quidem adduci.* Cui adjungendum est hoc rigidum Concilii generalis

(e) Conc. Tolosan. 4. part. c. 2. n. 7.

Tolosani Decretum ann. 1590. (e): *Qui alii licet Ecclesiastico, suam aut Ecclesiæ suæ jurisdictionem, Prælatus cujuscumque fuerit dignitatis, simoniaca populi Christiani offensione vendiderit, commiserit, locaritve, ipso facto excommunicatus exsistat.* Denique Declaratio 17. Augusti 1700. habet distincte Officiales, quosvis ab Episcopis creatum iri gratis: quod consentit Edicto Aurelianensi, quod perhibet (f): *Dominos Judices, tum Ecclesiasticos, cum seculares, quicumque fuerint, directe aut indirecte vendituros munera judiciaria, privari jure præsentationis aut nominationis ad dicta Officia.*

(f) Edict. Aurelian. art. 40.

Postea tempus terere non juvat in apponenda Theologorum & Canonistarum auctoritate, qui munus Officialis nec vendi, nec emi posse sine simonia manifesta, fatentur omnes. Verum silentio prætermittenda non putamus eximia ista Petri Blesensis verba, qui de Episcopis, suo ævo munera Officialium vendentibus, aut quæstum cum Officialibus communem habentibus, tractans (quod coincidit) ait (g): *Sic Episcopus quasi longa manu bona aliena diripit: & notam criminis a se removens, suis Officialibus culpæ & infamiæ discrimen impingit.* Et paulo post de Officialibus agens, pergit: *Quod enim aggregant per oppressionem pauperum, Episcopis ad delicias cedit; Officialibus ad tormentum.* Eos vocat Episcopi hirundines, & inhiantes tondendis & excoriandis ovibus commissis: *Tota Officialis intentio est, ut ad opus Episcopi suæ jurisdictioni commissas miserrimas oves, quasi vice illius, tondeat, emungat, excoriet. Isti enim sunt Episcoporum sanguisugæ, evomentes aliorum sanguinem quem biberant.* Denique munera Officialis nummis quæsita vocat *Ministerium damnatissimam villicationis.* Non potest præcisius decerni & fulmine concuti hanc in rem.

(g) Petr. Blesens. Epist. 25.

CASUS XIX.

Philostorgius, Sancti Rioli Parochus, præ manibus habens rationes, quibus Gualterius suus olim Vicarius, extorsione sordida exegerat pecuniam ab iis, quibus sacramenta & sanctum Viaticum administraverat, offensione plurium Parœcianorum, eum vocavit in jus ad Officialem, querelis de eo iteratis motus. Uterque quæstionem ex formulis ab Edictis requisitis instituit: sed lite ut judicaretur instructa; Officialis, certior hanc litem intulisse Philostorgum in Gualterium, odio ejus concitatum, distulit tamdiu judicium dicere ut Philostorgus tandem coactus, eum appellaverit de judicando, instrumento justo, quod ei palam fecit Apparitor tertio & septimo die mensis Martii 1718. Officialis hujus Parochi audacia iratus continuo negavit judicare, quo viso Philostorgus provocavit tamquam a negatione judicii; & in Officialem se intendit adversarium, qui postea a Judice provocationis dictus est bene & legitime denuntiatus: quo animadverso, Officialis judicium negotii est pollicitus; sed Philostorgus noluit eum habere Judicem. Huic Parocho licuit ne sic agere cum Officiali; & illæsa veneratione, nolle eum habere Judicem; & potissimum Gualterio alium nolente?

Respons.

Constat, in casu proposito, Philostorgum non esse in culpa; quum nihil fecerit alieni a Jurisprudentia Edictis Regiis lata, quæ nobis sunt lex; ac proinde licuerit Officiali significare denuntiationes requisitas, illæsa veneratione debita; nec tenentur eum habere Judicem.

1. Quia, ex Edicto mensis Aprilis 1667. (h) Judices quivis tenentur judicare de caussis, actionibus & litibus, ex quo instruuntur ut judicetur de iis, *pœna suo præstandi nomine, litis impendiorum & accessionum partium.* Hæc ipsissima illius Edicti verba.

(h) Edict. 1667. tit. 25. art. 1.

2. Quia, neglecto aut negato judicio dicendo licet eos appellare de eo ferendo. *Si Judices, quibus datur provocatio*, habet idem Edictum (i) *negant aut negligunt de caussa, actionibus aut lite instructis judicare, appellabuntur de judicio dicendo: & mandamus Apparitoribus & Accensis quibusvis requisitis, ut denuntiationes significent necessarias, pœna interdicti muneris sui.*

(i) Ibid. art. 2.

3. Quia Philostorgus notas fecit Officiales duas

denun-

denuntiationes cum mora tridui a prima ad secundam intermedii, quæ sufficiebant solæ, in casu proposito, ex eodem Edicto, quod habet (a): *Denuntiationes Judicibus significabuntur domi, aut in Tabulario Jurisdictionis, alloquendo Actuarium, vel Tabulario Præpositos. Duabus denuntiationibus significatis de octiduo in octiduum Judicibus simpliciter Curiarum nostrarum forum petentibus; & de triduo in triduum aliis Tribunalibus, Parti licebit provocare tamquam a negatione judicii, & suo denuntiare nomine litis Relatorem; sin autem Præsidem, qui volumus ut proprio damnentur nomine litis impendiis & accessionibus Partium, si licite denuntiati dicantur.*

(a) Ibid. art. 3. & 4.

4. Quia Philostorgo est facultas istom Officialem non habendi Judicem legitimum, licet velit Gualterius ut is jus sibi dicat; & quidem qoidquid contra fecerit hic Judex, sit pleno jure nullum futurom. Hoc aperte perhibet idem Edictum: *Judex denuntiatus*, inquit Ludovicus XIV. (b) *non poterit esse litis Judex, pœna nullitatis, omniumque litis impendiorum & accessionum, nisi dementer denuntiatus fuerit, aut utraque Pars consentiat ut jus dicat; & judicium ferent alii Judices ... non suspecti, nisi malit altera Pars ut denuntiatio judicetur.*

(b) Ibid. art. 5.

Unde inferendum, de lite in quæsito proposito a Philostorgo in Gualterium illata judicaturum esse Vicesgerentem fori Ecclesiastici, si adsit; aut alium Officialem, ad hoc specialiter nominatum ab Episcopo. His addimus Officialem denuntiatum esse a judice provocationis damnandum litis impendiis & accessionibus Philostorgi; pœnas luentem quod noluerit ipsi jus dicere, denuntiationibus ipsis ex judiciorum formulis ut ad id compelleretur, significatis.

Vide (ACCUSATUS *Casus* V.)
(APPELLATIO *Casus* VII. & VIII.)
(DISPENSATIO MATRIMONII *Casus* IV. XXI. XXVI. & XXVII.)
(EXCOMMUNICATIO *Casus* XXXVI. & XLII)

OFFICIUM BREVIARII.

OBSERVANTE Cardinali Bona (c) OFFICIUM BREVIARII olim dicebatur in Occidente, *Cursus divinus*, & in Oriente, *Canon*, *Synaxis*, *Collecta*: at, ne divertamus ab argumento de quo heic agitur, exponendis variis harum vocum significationibus nobis immorandum non putamus. Dicemus igitur *Breviarium* sensu quo heic sumitur, esse vocem in Ecclesia Catholica usitatam, quæ certas denotat preces publicas, aut privatas, quas clerici ordinibus sacris initiati, aut Beneficiarii, aut Religiosi disciplinæ monasticæ adstricti, quotidie tenentur recitare, seu in choro certis diei noctisque horis, seu privatim; ut Deo cultus exhibeatur debitus, & ab eo petantur, tum sibi ipsi, tum reliquis omnibus fidelibus virtutes, dona & gratiæ ad obtinendam salutem necessaria.

(c) Card. Buna tract. de divina Psalmodia, cap. 1.

Homines omnes qui Deum noverunt, ab Adamo usque, indesinenter laudaverunt & invocaverunt Dominum, quisque privatim, & ab eo deprecati sunt opem. Enos Sethi filius, ac proinde Adami nepos, instituit primus usum precum solemnium & cultum publicum, quem tamquam indicium ejus a quo pendent, animi grati & amoris, præstabant creatori fideles collecti. Nam is est verus horum Genesis verborum sensus (d): *Iste* (Enos) *cœpit invocare nomen Domini*. Noachus, Abrahamus, Isaac, Jacobus, Moses; omnesque qui eos imitati sunt, semper servarunt fidi antiquam patrum traditionem. Supersunt duo celebria Cantica a Mose decantata simul cum omnibus Israelitis, trajecto mari rubro (e). Scripturæ divinæ, mentionem Mosis, Davidis, Danielis, Esdræ, Habacuc, totque aliorumque injicientes, non excepto Jesu Christo ipso, eam aperte probant veritatem (f): ac tandem sub Lege nova Christiani officio Religioni maxime proprio non defuerunt, testantibus vetustissimis auctoribus, sancto Justino, Tertulliano & Origene.

(d) Genes. IV. 26.

(e) Exod. XV. Deut. XXXII.

(f) Isai. XII. & XXXVIII. 20. & LXII. 10. Psal. CXVIII. Job. XVII. 1. Eccli. XLVII. 6. & II. 1. Regum II. 1. Habacuc III. 1. Daniel. III. 51. & IX. 4. & seq. Jerem. V. 1. Baruch. III. 1. Joan. II. 3. Matth. XXVI. 30. Luc. I. & II.

Admodum variavit numerus horarum Canonicarum, ex diversis Ecclesiarum, Ordinumque Religiosorum usibus. Nunc sunt numero septem, quæ dicuntur Matutinæ Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completæ, in quinque versibus Latinis, in responsione ad Casum *Andreas* hujus Tituli quintum, & varias earum significationes describentibus, comprehensæ.

Non continet hoc Officium aliud nomine, *Officium Beatæ Virginis*, in choro decantatum ex antiqua consuetudine quibusdam in Ecclesiis; non vero impositum dicentibus Breviarium privatim; nec aliud, nomine *Officium Mortuorum*, quod Breviarii loco est 2. Novembris tantum, quo omnium Fidelium defunctorum memoria celebratur.

Medio quinto sæculo, in ordinem primo redactum fuit Officium divinum, quod faciebant hymni, Psalmi & lectiones e sacra deductæ Scriptura, Homeliæ e SS. Patribus depromtæ, Collectæ, aliæque Preces. Musæus, Massiliensis Sacerdos, an. 450 in vivis, & cujus meminit Gennadius (g), Salvianus, Ecclesiæ ejusdem Sacerdos, Leander Hispalensis Episcopus, Vigilius Pontifex, S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, aliique cœpto eidem efficiendo & perficiendo operam navarunt. Verum, quia regimini & disciplinæ in Diœcesi observandæ mode-

(g) Gennad. de viris illustribus. c. 79.

moderatur quisque Episcopus, Officium pro lubitu quisque instituti, unde non una eademque ratio in Breviarii, quorum est in Gallia usus, & alibi; & tot sunt Breviaria diversa, quot Religiosi Ordines varii in Ecclesia: quum primi eorum Auctores, quisque pro arbitrio, id induxerint. Sed quod certissimum est. 1. Horum singulorum Officiorum diversorum scopus est triplex, quorum primus est laudare Deum: Secundus, ejus verbum edoceri: Tertium, eum precari, ut ex summa ejus bonitate impetrentur venia peccatorum, gratiæque temporales ac spirituales nobis necessariæ.

2. Ecclesiæ in instituendo hoc sanctissimo usu, primarius fuit scopus, ut assimilaretur Jerusalem Cœlesti, hoc est, Ecclesiæ Triumphanti, laudes adorandæ Majestatis Dei celebrare non cessanti, nec unquam cessaturæ, ne momento quidem; ut & frequens colatur beneficii nostræ Redemptionis infiniti memoria: perpetuique grati animi testimonium præstetur.

Clericus quidem in Ordinibus sacris constitutus, id est quivis Sacerdos Diaconus aut Subdiaconus, necessario tenetur Officium Breviarii recitare, nisi caussa eum eximat legitima, qua suo fungi officio ipsi fit impossibile, sive morbus aut alias.

Idem de singulis dicendum, quibus, licet nullo in Ordine sacro constitutis, defertur aliquod Beneficium, sive Sacerdotale, sive simplex: & posteriores insuper tenentur conscientia, restituere Beneficiorum fructus ad usum perceptum diebus & tempore, quibus sua omiserunt culpa Officium Divinum; cum bona concesserint Fideles Clericis Beneficiariis, ut ipsi forent adjumento precibus, & Ecclesiæ famularentur modo, quem imponunt & dignitas, & officium.

CASUS PRIMUS.

LUCANUS, Subdiaconus, quater quinquiesve solum, quovis anno, omittit Officium divinum Breviarii recitare, sine caussa legitima. Peccatne mortaliter? Et peccatne tot vicibus mortaliter, quot officio deest diebus?

RESPONS.

Haud dubiom est quin mortaliter peccet Lucanus, quotiescumqoe sua deest culpa recitando Officio Breviarii divino; nam constat quoscumqoe, in Ordioibus sacris constiiutos, aut extra eos, Beneficio gaudentes, teneti, pœna peccati mortalis, ad recitandum quotidie Officium divinum. Hoc probat. 1. Sententia Theologorum unanimis. 2. Declaratio, e Concilio Agothensi ineunte sæculo sexto, babito, excerpta, quæ recitandi hujus Officii necessitatem, antiquæ consuerudini Ecclesiæ innixam, designat adeo clare & distiocte, ut nulla iodigeat interpretatione, nec Glossa (a): En verba: *Præsbyter manc, matutinali officio expleto, pensum servitutis sue videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persolvat... Propterea dicente*: Septies in dies laudem dixi tibi: *qui septenarius numerus a nobis impletur, si Matutinis, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ & Completorii tempore, nostra Servitutis officia persolvamus*. 3. Concilium Nannetense, juxta nonnullos, anno circiter 800. habitum, in decreto Gratiani allatum (b), quod habet ut Agathense. 4. Concilium generale Lateranense, an. 1215. coactum (c), in quo conquerens de Clericorum, piæ recitationi sui Officii divini non incumbentium vitio, Innocentius III. sic fatur, de omnibus indistincte agens: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ; ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote*. Pœna suspensionis, qua vult Concilium hoc afficiantur negligentes istud æquissimum Officium, indicio declarat manifesto eos peccato mortali obnoxios: cum Ecclesia ea censura corripere peccata levia non soleat. 5. Constitutio Clementis V. qui Concilio Generali Viennensi, an. 1311. collecto, interfuit (d) in quo dicit Pontifex: *Sacri approbatione Concilii sancimus ut.... convenienter & debite celebretur divinum diurnum & nocturnum officium, si Dei & Apostolicæ Sedis indignationem vitare voluerint*: quæ postrema verba clare monstrant non licere absque gravi peccato huic deesse servituti.

(a) Conc. Agath. in cap. Presbyter 2. De celebrat. Miss. l. 3. tit. 4.

(b) Conc. Nannet. in can. Presbyter. 2. dist. 91.

(c) Conc. Lateran. IV. in cap. Dolente 9. De celebrat. Miss.

(d) Clem. V. in Clement. Gravi 1. De celeb. Miss. lib. 3. tit. 14.

Beneficiorum seorsum servitutem in recitando Officio divino probat clare 1. Concilium apud Pennam fidelem (e), a Consalvo tertio Archiepiscopo Toletano habitum ann. 1382. quod mandat ut Beneficiarii, qui recitendo Breviarii Officio deerunt, privatione proventus Beneficiorum, ac alii Clerici, Ordioibus in majoribus constituti, suspensione plectantur. En verba Decreti hujus Concilii: *Statuimus & ordinamus ut quilibet Clericus, in sacris Ordinibus constitutus, vel alias Beneficium Ecclesiasticum cum cura obtinens, legitimo impedimento cessante, quotidie horas Canonicas recitet, ut tenetur. Si quis autem in eis negligens inventus fuerit & monitus a suo Prælato canonice, se non correxerit; per subtractionem fructuum Beneficii ad tempus, prout culpæ qualitas exegerit, arceatur. Quod si Beneficio caruerit, in sacris Ordinibus constitutus, per suspensionis sententiam puniatur*. 2. Constitutio Bonifacii VIII. (f) in quo dicit hic Pontifex eos teneri: quia, inquit, beneficia propter Officia conceduntur. *Propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur*. 3. Idem docet Leo X. eamdemque addit rationem in Septima Bulla 5. Maji data (g); & S. Pius V. idem clare dicit in 135. Bulla, 21. Septembris 1571. data (h). His addendum est, sicut serviens Altari, sit Altaris particeps par est, sic dicente S. Paulo (i), & secundum illum Innocentio III. in Decretali ab Episcopom Zamoræ in Regno Legionensi civitatis scripto (K): ita ex eo confici necessario, ut Altaris particeps serviat Altari, id est, teneatur primo ad recitandum Officium divinum, ac deinde alia officia, quibus Ecclesia indiget, qoibusque est par, ei administrare.

(e) Conc. apud Pennam fidelem c. 1. apud Labbe tom. 11. part. 2. p. 1444.

(f) Bonif. VIII. in cap. Quio fin. De rescriptis in 6. lib. 1. tit. 2.

(g) Leo X. in Bulla Supernæ.

(h) S. Pius V. in Bulla Ex proximo.

(i) I. Cor. IX. 13.

(K) Innoc. III. in cap. Cum secundum 16. De præbendis & dignit. lib. 3. tit. 5.

Auctor Opusculi 65. sancti Operibos Thomæ inserti (l), idem docet his verbis: *Ad has septem horas tenentur sacerdos & alii Clerici, constituti in sacris Ordinibus, sive habeant Beneficium, sive non & omnes illi qui percipiunt Ecclesiastica stipendia in quocumque ordine ut ex eis sustententur, qui in Ecclesia reddunt Domino divina Officia*. His verbis: *Et alii Clerici constituti in Sacris*, non modo intelligendi sunt Sacerdotes, & Diaconi, sed & Subdiaconi, S. Thoma baud ægre Subdiaconatum accensente Ordinibos Sacris, ob ministerium quod obit Subdiacooos, vasa sacra parans & portans, & propter continentiam perpetuo servandam. Præterea Subdiaconi tenentur perinde ac Sacerdotes & Diaconi, ad recitandum Breviarium

(l) Apud S. Thom. Opusc. 65. cap. 2.

rinæ ex consuetudine universim in Ecclesia usu recepta, ac proinde Legis vim habente. Eamdem Doctrinam unanimes docent Canonistæ, inclytus Archiepiscopus Panormitanus, Innocentius IV. Cardinalis Hostiensis, & Joannes Andreas: & Sylvester (*a*) eos, compluresque alios laudans, omnibus hisce auctoritatibus annectit consuetudinem totius Ecclesiæ generalem, quæ juxta & universim servata Lex est, ac proinde omnes in quodam ordine sacro constitutos, aut quodam gaudentes Beneficio tenet.

(*a*) Sylvester de Prierio v. Hora q. 2. & apud eum Panor. Hostiensis, &c.

Per transennam heic observare juvat Innocentium III. re ipsa meminisse in Decretali a nobis laudata (*b*) eorum, quos dicit *Minores Clericos*. Sed eo nomine insignit in Majoribus Ordinibus constitutos propter Præsules immediate post memoratos, quibus dignitas *Majorum Clericorum* est proprior & specialior.

(*b*) Innoc. III. in cit. cap. Dolentes.

CASUS II.

Augustinus, suscepto Subdiaconatus ordine intra undecimam & duodecimam horam, tenetur ne, conscientia, ad totum Officium diurnum, aut solum Nonam, Vesperas, & Completorium recitandum?

Respons.

Quum ex mente Ecclesiæ & præcepto ab ea præscripto ad recitandum Officium Breviarii, Matutinæ, Laudes, Prima, Tertia, & Sexta sint horis recitanda antemeridianis; & Augustinus non adstringeretur Breviario ante ordinationem; eum arbitramur solum teneri ad recitandam partem, horis diurnis, ordinationem ejus secutis, congruentem, scilicet, Nonam, Vesperas, & Completorium. Alioquin dicendum Legis Ecclesiæ vim esse retroactivam, quoad se; quæ nulli tamen potest competere Legi, nisi distincte indicet; ut liquet ex Lege Codicis Justinianæi (*c*) in margine notatæ. Quapropter Ecclesia, quæ hunc casum peculiarem non indigitavit, censenda est velle ut jam jam ordinatus incipiat recitandum Officium Breviarii a parte hisce horis recitanda, si antea fuisset ordinatus.

(*c*) Leg. Lege 7. Cod. de Legibus &c. lib. 1. tit. 14.

CASUS III.

Si Augustinus, ordinatus hora meridiana subdiaconus, jam in antecessum recitavisset Nonam, Vesperas, & Completorium, impedimenta reliqui diei sibi incubitura ante occupaturus, liberne esset a servitute illius diei: vel teneretur ne, conscientia, ad repetendum hanc partem Officii antecœptam?

Respons.

Censemus Augustinum, hoc in casu, teneri ordinatum ad repetendam hanc Officii partem sic anticipatam. Ratio est, quia non fecisset servituti, quam modo ordinatus imposuerat, satis. Nam solvendi necessitatem supponit debiti solutio. Atqui constat, ex hypothesi, de qua agitur, Augustinum non teneri ad recitandam ullam Breviarii partem; ipsi igitur non licuit hanc præoccupare servitutem, ac proinde repetenda fuit Nona, Vesperæ, & Completorium.

Objiciet forte quis: Nonne potest debiti contrahendi solutio anteverti verbi gratia, hodie numerari 100. Libras ut persolvatur par summa, cras contrahenda. Sed satis superque patet hoc ratiocinium verum esse sophisma; nam tradens hodie 100. Libras mutuaturo cras parem summam, nullam mutuo accipiens contrahet obligationem, qua sit refusurus mutuaturo; quum, ex hypothesi, jam in antecessum numeravit; ac proinde verus, mutuo simulato, non fit debitor; quum subdiaconus ordinatus, re & actu teneatur ad recitandum divinum Breviarii Officium. Addamus recitationem Officii esse persolutionem, quam ei adstrictus præstat Deo Ecclesiæ nomine. Unde hæc solutio valide ante ordinationem pendi nequit, quum nondum ordinatus Minister Ecclesiæ publicus huic debito facere nequeat satis ejusdem Ecclesiæ nomine.

CASUS IV.

Gerbertus, Sacerdos, ex mero neglectu recitare omisit Breviarium per unum diem. Nonne tot admisit peccata mortalia, quot horæ Canonicæ quibus constat?

Respons.

Defendunt nonnulli Auctores, sicut non jejunantem in Quadragesima sex diebus, ad quod tenetur, sex admittere peccata mortalia; ita omittentem septem horas Canonicas, quibus tenetur quovis die, facere septem peccata mortalia. Ratio, quam addunt, est, quia quævis hora constat precibus inter se distinctis: Ecclesiaque vult ut variis recitentur horis. Unde quum omissio cujusvis horæ Canonicæ sit peccatum mortale, admittuntur tot, quot præscribuntur in die.

Alii vero arbitrantur contra, omissionem totius Officii esse unum peccatum mortale. *Unum numero peccatum mortale*. Idem censet Sylvester Mozolinus (*d*). Ratio, quam affert, est; quia *Totum officium unius diei est unum totum integrale, cadens sub uno præcepto*. Licet plura forte admittat peccata interna variis actibus iteratis voluntatis, qua huic non fit Officio satis. Ut si Gerberto mens fuisset non recitandi Matutinas, & postea eadem iteraretur mens, aut animus non recitandi reliquum Officium. Nam, eo in casu, plura admitteret peccata mortalia successu temporis. Idem quoque docet Graffius (*e*).

(*d*) Sylvester de Prierio v. Hora q. 12.

(*e*) Jac. de Graffiis Decis. Aurearum l. 2. c. 52. n. 14.

Posterior sententia nobis videtur priore verior & tutior: quia revera dicitur is omittere unum Officium diurnum, id est, unum Officium, cui illo adstringebatur die, unumque violare præceptum, cujus objectum *Unum numero Officium divinum*. Et quidem semel tantum concepta mens omittendi hodie Officium est profecto unum peccatum. Ergo omissio hujus Officii est etiam unum peccatum.

Sic censet sanctus Antoninus (*f*) *Si quis*, inquit, *dimittat omnes horas unius diei secundum Guillelmum non propterea committit septem peccata mortalia, sed unum, & tanto gravius, quanto plus de ipso dimittit*. En rationem, quam apponit, quamque jam indigitavimus: *Quia totum Officium unius diei cadit sub uno præcepto*. Subjungit tamen hic S. Archiepiscopus, ut jam jam notavimus, omittentem, recitata Officii parte, pro arbitrio, & absque caussa, aliam partem non mediocrem, ut Primam, Nonam, aut Completorium, tria admittere peccata mortalia diversa: *Si autem dimisit aliquas horas, puta Primam, Nonam, Completorium, tria peccata mortalia commisit, & sic de ceteris*, quod animadversione nititur jam allata, eum in hoc casu, tres diversos concipere actus voluntatis illas omittendi horas. Existimat quoque Navarrus (*g*) in quæsito, unum committi peccatum mortale. Eidem suffragatur sententiæ Cardinalis Bellarminus (*h*), permultique alii.

(*f*) S. Anton. 3. part. Sac. Theol. tit. 13. c. 4. §. 5.

(*g*) Navarr. in Manual. De Orat. & horis Can. c. 7. §. 6.

(*h*) Robert. Bellarm. l. 1. de bonis operib. c. 12.

De Gerberto, hoc in casu, perinde est ac de eo, qui, die præscripto sacrum non audiens tot non committit peccata mortalia, quot effluunt horæ a tempore matutino ad meridianum usque, sed unum solum, modo mentem omittendi non repetat multoties.

Collatio sex dierum Jejunii Quadragesimalis omissorum non convenit: quia sex peccata mortalia admittuntur propter mentem non jejunandi quovis die iterum conceptam, adversus Ecclesiæ præceptum, quæ jejunium quolibet die imposuit sub pœna peccati mortalis; sic septies peccaret mortaliter, omittens horam Canonicam, singulis septem diebus, quibus recitandum est Breviarium præcepto Ecclesiæ, quod violaretur septem vicibus distinctis: quia septies adstringit recitando toti Officio hisce septem diebus. At hoc differt a septem horis Canonicis quovis die recitandis. Nam Ecclesia, eadem pœna, ad recitandas septem horas diei diversas non adstringit; cum, ut a peccato

mortali

mortali liber sit quis, recitare omues & continua oratione ante mediam notem sat sit. Prætereas preces istarum horarum, licet diversæ sunt, pars unius ejusdemque Officii recitandi, quod re uno eodemque die recitarur.

Cæterum animadverrendum est Gerberto, se totum Officium omittentem, longe gravius peccare, quam partem, puta Matutinas, omittentem.

CASUS V.

Andreas, Diaconus, licet ei per tempua licuerit, Nonas recitare omisit. Peccavit ne mortaliter hac omissione?

Respona.

Andream, in calu proposito, mortaliter peccasse existimamus. Auctores boni, Navarrus & Paludanus, quem laudat (a) putant peccatam mortale omitere partem Officii insignem, puta dimidiam Horarum breviorum. Sed ut nt est lententia hæc nobis rigidissima, dicimus, ex lententia Doctorum vulgari, nullam horam Canonicam, quamcumque, licere libenter & sine causa omitti absque peccato mortali. Quodprobat 135. Bulla Pii V. Sancti Pontificis 10. Septembris 1571. qua mandat Summus hic Pontifex ut qui uno die Matutinas recitare neglexit, dimidium restituat fructuum illo die percipiendorum a Beneficio quod obtinet, si quotidie distribuantur, & sextam partem, omissa unica Hora: *statuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii seu Beneficiorum suorum fructas, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur. Qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui omnes cæteras horas, aliam dimidiam; qui harum singulas sextam partem fructuum ejusdem diei amittat*. Hæc ipsissima Constitutionis verba. Hinc concludendum eam omissionem ab hoc Pontifice censeri gravem; quum jubeat reum pœna insigni & accurate culpæ commissæ respondente affici.

(a) Navarr. in Man. de orat. & horis Can. c. 7. n. 5. Et apud eum Palud. in 4. dist. 25. q. 5.

Addenda est secunda ratio hæc. Omissione unius horæ, eluditur significatio Officii divini mystica, qua non modo conditi orbis, septem diebus perfecti beneficium; sed & præcipua Passionis Domini nostri mysteria specialius objiciuntur, designando varias Passionis horas, & Clericis aperiendo continuam meditationem Jesu-Christi, cujus sunt Ministri. Hoc observat sanctus Antoninus (b) & Glossa in Decretale e Concilio Agathensi depromptum (c) & quod quinque hisce Verbus Latinis apprime delineatur.

Hae sunt, septenis propter quae psallimus horis,
Matutina *ligat Christum, qui crimina solvit.*
Prima *replet Sputis. Causam dat* Tertia *mortis.*
Sexta *cruci nectit. Latus ejus* Nona *bipertit.*
Vespera *deponit. Tumulo* Completa *reponit.*

Sic decidit Sanctus Antoninus (d) qui fatur his verbis: *Hi qui tenentur..... si dimittunt aliquam horam ex industria, vel negligentia sua, mortaliter peccant: quia præceptum transgrediuntur Ecclesiæ* (e).

(b) S. Anton. 3. p. sum. Theol. tit. 13. c. 4. init.
(c) Gloss. in c. Presbyt. 2. de celeb. Miss. v. septenarius.
(d) S. Anton. cit. c. 4. §. 3.
(e) Sylvest. de Prier. v. Hora q. 22. Et apud eum Palud. Nav. & Henricus Gandavensis.

CASUS VI.

Lælio, Sancti Placidi Parocho, cum continuis præpedito munibus non licuisset Officium recitare per totum Paschalis diem; & inchoasset hora sesqui-nona vespertina; vicinus eum monet gravis rixæ inter nonnullos Parochianos ortæ, & periculi manifesti ne tumultus exoriatur ingens, ni domum, in qua versantur, petat, eos conciliaturus. Novit, si abeat, se penitus omissurum Officium. Quid tunc ipsi agendum? Licet ne absque peccato Officium omittere, eosque adire ut in pristinam reducat concordiam?

Respons.

Parocho isti licet absque peccato omittere in casu proposito recitationem Officii. Ratio est, quia, duabus functionibus dissimilibus una concurrentibus, certe major est alteri anteponenda. Atqui Lælius eo versatur in casu: nam Ecclesiæ mandatum recitando Officio eum adstringit, & charitatis præceptum eum simul premit. Ipsius est igitur facere e duobus majori satis, si utrumque conficere nequeat. Atqui præceptum caritatis, quod est juris naturalis & divini, majus est recitarione Breviarii. Illi igitur omittendum est Officium ut Parochianis, actu rixa præpeditis, reconciliandis operam det, cujus eventus sunt periculosi, & inter eos pacem & concordiam redintegret.

Uno verbo, si munus, quod detinet, protrahi nequeat siue peccato, aur sine offensione, aut sine gravi detrimento, sive proximi, sive suiipsius; eximitur per illum diem a recitatione Officii, quando muneri illi obeundo temporis non est satis; exempli gratia, Concionaror, die postero, Festo solemni, cathedram conscensurus, eousque non fuit per tempus præsto ut concionem haberet decoram & ædificando populo utilem, suo postero die concionari ipsi erit impossibile, ni totum hodiernum diem studiis, concionique memoria mandandæ impendat; eo in casu licet ipsi Officium omittere 1. Quia ab omissione Concionis, a plebe expectatæ, & huic incumbentis Concionatori, abesse nequiret offensio, imo injuria insignis famæ inferenda. 2. Quia, eo in casu, Ecclesiæ mens non præsumitur ut Clericus recitet Officium.

Observandum est tamen 1. Prævisa multa occupatione, teneri, conscientia, horas Breviarii anticipare, quantum poterit, 2. Non esse suscipiendas functiones aut occupationes, quas pati nequit recitatio Officii divini, prævisas, nec ex Officio incumbentes; quum alias, sine legitima necessitate, consentire censeretur omissioni Breviarii. Ea decisio omnino concordat Auctori Colloquiorum Rupellensium (f).

(f) Colloq. Rupell. q. 14. de Offic. divin.

CASUS VII.

Arsacius dubitat num Vesperas recitaverit. Tenetur ne, conscientia, eas tecitare circa undecimam horam vespertinam, qua eum incessit hoc dubium.

Respons.

Si Arsacii dubium ratione verisimillima, removeri nequeat, qua dubium convincat præposterum; tenetur hanc Officii partem recitare quam dubius omiserat. Hoc firmat ea Juris regula: *Potior est condio possidentis* (g) nam illo in casu: *possessio stat pro præcepto*. Unde præceptum semper adstringere præsumitur, dubio remanente. Ita ut libens inferret se in periculum totius Officii divini illo die non recitandi; si dubio permanente Vesperas non recitaret, ac proinde peccaret; cum nunquam liceat in peccati discrimen venire; & quisque teneatur, conscientia, pressus dubio facti certi juxta ac dubio Juris, tutiori semper insistere vitæ. *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, sic dicente Clemente III. (h).

(g) Reg. 65. de reg. jur. in 6.
(h) Clem. III. in cap. Ad audientiam 12. de homicid. volunt. &c. Idem in dubiis via est eligenda tutior. Innoc. III. in c. Illud 5. de Clerico excom. depos. & interdict.

CASUS VIII.

Fraculfus cum in Curia Romana transtulisset simplicem Sancti Salvatoris Prioratum in Bernardinum, Clericum tonsura insignitum; iste, collatis muneribus diploma confici curavit quatuor abhinc mensibus, nec tamen in ejus possessionem venire voluit. Hoc non obstante, tenetur ne Officium Breviarii recitare a die translationis quam admisit Pontifex; aur saltem a diplomate recepto & jure in hujus Beneficii possessionem veniendi.

Respona.

Beneficiarium teneri ad recitandum Officium divinum statim a collato Beneficio nonnulli arbitrantur Auctores (i); quia, inquiunt, per ipsum solum stat quominus percipiat, in possessionem veniens. Interim hæc sententia nobis videtur rigidior, imo a justitia aliena. Credimus igitur Bernardinum, in quæsito proposito, teneri, conscientia, ad Officium Breviarii recitandum, quum in Prioratus, a Fraculfo in se translati, possessionem venerit.

(i) Navarr. in Man. De orat. & horis Can. c. 7. n. 28.

Prima ratio apponenda est, quia munus, Beneficiariis impositum, recitandi Officii divini primarium innititur perceptis Beneficii fructibus. Atqui fructus percipere licet jam gaudentibus Beneficio; quia jus obtinent possessione reali & actuali. Sic censet Cardinalis Cajetanus.

Secunda ratio, cum prima coincidens est, quia jura & munia Beneficii facit Beneficiarius, ejus possessionem adeptus. Ergo ut prius onera sustineat illicitum est, ex Juris regula, quæ habet (a): *Qui sentit onus, sentire debet commodum.*

(a) Bonifac. VIII. in reg. 55. de reg juris in. 6.

Tertia ratio est, quia, ante possessionem, Beneficiario est jus quadam ratione imperfectum & incertum ad Beneficium, quum eo non potiatur, & pluribus in casibus forte obices nascantur quominus concedatur possessio & usus.

Comprobat hanc sententiam septima Leonis X. Bulla, qua hic Pontifex fructuum restitutionem imponit iis qui recitationem Officii omiserunt, sex mensibus a possessione elapsis (b). Unde inserendum, secundum istum Pontificem, peccato vacare omissionem ante possessionem, quum pœnam imponat in casu, quo percipiuntur fructus: quod fit post possessionem. Addeodum est in eam abire sententiam Sanctum Pium V. Nam in Bulla 135. jam laudata (c), meminit omittentium recitationem Officii Breviarii, obtento Beneficio, cujus percipiunt fructus. Atqui nemo censetur gaudere Beneficio, si non possideat, & obtineat instrumento legitimo possessionis Canonicæ.

(b) Leo X. in Bulla Supernæ supra cit.

(c) S. Pius V. in Bul. Ex proxime cit.

Observandum tamen est 1. In nonnullis Beneficiis, amplorum fructuum usum jam inchoari ante possessionem, modo in eam veniat tempore certo præfinito; quo in casu sententiæ Navarri quatenus tutiori & justitiæ affiniori, insistendum esse putamus. 2. Sic docente Cajetano, differentem sua culpa & neglectu, proficisci in possessionem Beneficii re vacui, quod nemo obit, non eaimi a recitando Breviario; quia (d) *mora sua cuilibet est nociva*, Sic dicente Bonifacio VIII. & iniquum est ut ullum hauriat fructum e propria culpa, aut ulla fruatur vacatione ex neglectu; nec Ecclesia privetur commodo, a precibus, quas funderet, & munibus Ecclesiasticis, quæ gereret emanando, si in possessionem, in quam licet, &, si liberet, proficisci peoes eum est, venisset.

(d) Reg. 25. de reg jur. in 6.

CASUS IX.

Chrysogonus, Religiosus professus, Ordinibus sacris & Beneficio destitutus; & Damianus, Novitias in eodem Monasterio, quandoque desunt Officio Breviarii recitando. Peccant-ne mortaliter hac omissione?

Respons.

Longum est interponendum hac in re discrimen inter Chrysogonum & Damianum: prior enim, suum omittens Officium, peccat mortaliter; Novitius vero, Ordine sacro & Beneficio, quo teneatur, destitutus, non peccat. Istius discriminis ratio est, quia quicumque professi sunt solemniter Ordinem Religiosum, in quo divinum recitarur Officium in Choro, juxta ac Beneficiarii, aut in majoribus constituti Ordinibus, tenentur Breviarium recitare; non vi ullius Legis claræ, quam tulerit Ecclesia, (exceptis statutis nonnullorum Ordinum, ad id adstringentibus) sed solum consuetudine legitime & universim stabilita, quæ ipsis vera est Lex. En sententiam Theologorum & Canonistarum vulgarem, & potissimum in margine laudatorum (e) quibus concordat sanctus Antoninus, dicens (f) *Tenentur ad horas Religiosi professi... ratione suæ professionis: quia non solum sunt instituta hujusmodi religiones ad orandam particulariter pro se; sed etiam ad orandum pro universali utilitate fidelium. Ad hujusmodi autem orationem, scilicet, faciendam in persona totius populi Christiani, pro utilitate omnium sunt institutæ specialiter horæ Canonicæ.* Sanctus hic Archiepiscopus, Ordinis Sancti Dominici Religiosus ipse, subjungit, Religiosos, nomine Fratres famulantes, secundum nonnullos Auctores, iisdem adstringi solemniter professos. Verum hæc sententia, quam improbat hic Sanctus, aliis est propria (g) nec ei suffragantur communiter Theologi & Canonistæ, qui unanimes docent Fratres famulantes operibus Monasterii servilibus & Religiosorum Professorum ministerio destinatos, non adstringi majori Officio; sed recitandis solum precibus a regula præscriptis. Quod docent Sylvester Mozolinus, Cardinalis Cajetanus, Cardinalis Toletus, Navarrus, aliique (h) Istam Navarrus annectit rationem: *Nam licet fiat Religiosi: non tamen profiteatur Clericorum munia Chori.* Postea subjungit: *Tenetur nihilominus hi recitare Rosarium Beatæ Mariæ, aut alias orationes ab ipsa regula, aut Prælato, præceptas .... quia tenentur adimplere quod eis superior jubet.*

(e) Pet. Palud. in 4. d. st. 15. q. 5 Sylvest. de Prier. v. Hora q. 9. Navarr. in Man. de orat. & horis Can. c. 7. n. 1. & seqq. Cajet. v. Horæ Canon. Cardin. S. Crucis Cardin. S. Xisti, Abulensis Joan. Major. Henr. Gandavensis & alii communiter.
(f) S. Anton. 2. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 4. §. 2.

(g) Aug. de Anco. in sum. de potest. Eccles. & Palud. cit. q.

(h) Sylvest. de Prier. v. Hora q. 2 § 7. Cajet. v. Horæ Canonicæ n. 3. Fr. Tol. Instruct. Sacerd. l. 2. c. 12. n. 7. Nav. in Man. de orat. & horis Can. c. 7. n. 25.

CASUS X.

Chrysostomos, Religiosus professus, nllum Ordinem sacrum, aut Beneficium nondum adeptus, e Monasterio ejectus est sententia canonice in eum lata. Tenetur-ne semper recitare Officium Breviarii ut prius; licet extra Cœnobium vivat; & teneretur-ne si amplecteretur vitam perpetuo vulgari hominum societate agendam immunitate Pontificis?

Respons.

Asseri licet Chrysostomum summo jure, non teneri ad recitandum Officium divinum; quia sic e Monasterio ejectus non censetur ejus membrum, nec proinde quatenus Religiosus, tenetur ad ejus Instituta, aut Consuetudinem, servanda, quæ sunt Lex facientibus sodalitatem Monasterii religiosam.

Id censet magnus Theologus, qui Concilio interfuit Tridentino an. 1645. qua Hispaniæ Ecclesiæ Legatus (i) cui suffragatur Cabassutius (K) dicens: *Religiosi nullatenus sacri.... ex Monasteriis ejecti ab hoc onere liberantur*; eamdemque, modo allatam, apponit rationem, subjungens: *Cum enim istud onus Officii ex sola Monasteriorum consuetudine, aut regulæ monasticæ præscripto ortum ducat; quoties Religiosi ex Monasteriis & communi regula ejiciuntur, tametsi votiva castitate adhuc adstringantur, non tamen regularibus observantiis: quippe qui translati sunt ex illo statu & conditione, quæ ipsos Officio divino tenebat devinctos & Monasticis, a quibus amoti sunt, institutis.*

(i) Domin. Sotus l. 10. de just. & jur. q. 5. art. 3.
(k) Jo. Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 1. c. 21. in fin.

Licere hanc sententiam asseri dicimus; nam non affirmamus tanquam veritatem constantem; sed solum tanquam sententiam probabilem; cum boni Anctores contendant contra istum Religiosum sic ejectum semper teneri ad Officium divinum recitandum; quia, inquiunt, iniquum est ut pretium vitii habeat liberationem a munere, vi professionis solemnis contracto, recitandi Officii Breviarii; ac insuper, licet sit e Monasterio ejectus, non desinit esse reipsa Religiosus, potestque hoc vel illo modo denuo ingredi, si lubet, re vera immutatus, & digna ductus pœnitentia. Navarrus id censet, easque annectit rationes. *Is enim semper remanet Monachus, nec uxorem ducere potest, & ad Ordinem suam fere semper una vel alia via, si volet, redire potest.* Hæc istius Canonistæ verba (l). Cæterum constat hanc postremam sententiam, si non verissima, saltem tutiorem esse conscientiæ.

(l) Navarr. in Man. de orat. & horis Can. 7. n. 20.

Ad secundum casum, videtur rursus Chrysostomus, e Monasterio egressus, & denuo amplexus vitam perpetuo in communi hominum societate agendam, vi immunitatis legitimæ, non teneri amplius ad recitandum Breviarium rationibus iisdem jam allatis, nec repetendis. Nihilominus hanc sententiam admittit Navarrus in casu quo Religiosum eximeret immunitas a votis, non alias. *Id ipsam*, inquit, *dicerem de eo qui pravia justa dispen-*

pensatione ad certum tempus, vel in perpetuum egrederetur; dummodo illa non se se extenderet ad vota substantialia .... quia secus, si se extenderit ad illa, ut si fieret ei per dispensationem justam facultas ducendi uxorem; ita ut desineret esse Religiosus, quam fieri posse a Papa justa de causa tradit Innocentius in cap. cum ad monasterium, *de statu monachorum .... talis monachus juste per dispensationem conjugatus non teneretur ad illas;* (Horas canonicas) *dicendum: quia omnino desinit esse Religiosus*. Verum Cardinalis Cajetanus (*a*) nobis favet. Nam dicit, munus quo tenentur Religiosi professi ad recitandas horas canonicas, ortum ducere præcise a professione eorum solemni: quum primos Religiosos constet iis non adstrictos, probante eodem docto Cardinale sancti Hieronymi verbis, a sancto Thoma allatis (*b*). Hoc igitur munus soli innititur consuetudini in Ecclesiam inductæ, quam nullus statuit canon: *Cum istud onus officii ex sola monasteriorum consuetudine, aut regulæ monasticæ præscripto ortum ducat*, ait Cabassutius (*c*), sententiæ Innocentii IV. suffragans in Decretali Innocentii III. (*d*). Atqui hæc imponitur consuetudo facientibus re ipsa partem sodalitaris regularis: ergo egressus dispensatione legitima, qui non est amplius pars, ei non subjacet; ac proinde eximitur a munere quo prius tenebatur, recitandi Officium Breviarii. Ita ut sit dicendum in utroque casu, de Chrysostomo perinde esse, ac de Beneficiario qui beneficium suum a se translatum, aut ex judiciorum formulis spoliatum, non amplius obtinens, non tenetur *titulo Beneficii* ad recitandum Breviarii Officium.

(*a*) Card. Cajet. in Sum. v. *Hora Canonica* n. 3.

(*b*) S. Thom. 2. 2. q. ult. art. 7. ad 2.

(*c*) Cabassut. Juris Can. theor. & prax. l. 1. c. 31

(*d*) Innoc. IV. ad cap. *Cum ad Monasterium* 8. de stat. Monach. &c. l. 3. tit. 15.

Ceteram dicta sunt, ut in quæsito proposito, interpretanda de religioso professo nondum in Ordinibus majoribus constituto. Nam in iis constitutus nullum est dubium, quin continuum ipsi foret onus Breviarii *titulo ordinationis*, ipso ejecto e Monasterio.

C A S U S XI.

Polydorus, Religiosam professam consitentem in ædibus paternis commorantem rogat, num quotidie majus recitaverit Officium: minime, dicit, quia munus sibi impositum non videtur, ex quo cœnobium diruerunt milites qui id diripuerunt & igni subjecerunt: & hoc casu fuit ad patrem petendum compulsa, ut & reliquæ omnes Religiosæ ad affines aut amicos confugerunt. Qua de re quæritur, num ratione sufficienti mota, se ab onere Breviarii exemerit; & num Polydoro liceat eam absolvere absque recitatione futura imponenda?

R e s p o n s.

Ex ratione hujus Religiosæ legitima, Polydoro licet eam absolvere absque recitatione majoris Officii in posterum imponenda. Ratio est, quia Religiosæ tamdiu observantiis & regulis religionis communibus adstringuntur, quamdiu stat eorum sodalitas. Atqui sodalitas cujus pars hæc Religiosa, non stat; quum, cœnobio diruto, reliquæ omnes Religiosæ se ad affines aut amicos receperint. Illo in casu igitur majori non adstringitur Officio. Sic decidit Cabassutius (*e*), dicens: *Moniales quæ dissipatis, sive ob extremam rerum omnium indigentiam, sive ob belli calamitates, cœnobiis privatam ad sortem & societatis cœnobiticæ expertem redactæ sunt, absolvuntur ab ista divini Officii privatim recitandi obligatione, quatenus a statu illo removeatur in quo vigebat illa obligatio.* His annectit is Auctor se vidisse hanc difficultatem ab Episcopis & Antistitibus regularibus sic solutam; *Ita decerni ac definiri vidimus ab Episcopis & regularium prælatis*. Si tamen Ordo religiosus monialium eo in casu teneretur ex regula peculiari ad recitandum Officium, constat istam Religiosam ad eam observandam teneri.

(*e*) Juan. Cabass. Juris Can. theor. & prax. l. 1. c. 21. in fin.

C A S U S XII.

Basilicus Parochus primo suspensus ab ordinibus declaratus, deinde excommunicatus, immo ob scelera gravia quibus convictus est, expulsus, se nunc habet simplicem laicum, nec Officium recitat divinum. Potest ne excisus e corpore clericorum ab eo esse liber?

R e s p o n s.

Non licet huic Parocho, se conscientia solvere ab Officio Breviarii recitando privatim; etiam si ipsi quatenus ministro Ecclesiæ palam recitare non liceat. Ratio est, quia reum e crimine commodum ullum facere, iniquum. Quapropter, sicut Ecclesiæ enim omnibus istis afficientis pœnis horrendis, scopus est, ut fracta superbia sinceta generetur immutatio, non est finis ut eximeretur a munere quod ordinatio ei imposuit, Officii Deo exhibendi quotidie. Contra igitur miser ejus status majorem inducit zelum in Officio faciendo; quum precibus ardentioribus misericordiam Dei erogare plurimi intersit.

Edocet id Silvester Mozolinus (*f*). En quæstionem ab isto propositam Auctore: *Quæritur utrum excommunicatus teneatur ad horas?* Ad quam respondet his verbis: *Dico quod sic ... si vero* (Clericus) *est excommunicatus majori*, (excommunicatione) *secundum Hostiensem, teneatur dicere: sed non in Ecclesia, vel cum alio, quasi in officio suo; sed solus, & quasi per modum orationis, scilicet non dicendo* Dominus vobiscum (*g*) ... *qui per excommunicationem non est liberatus a servitute dicendi eas* (horas canonicas). Quod hic Auctor firmat canone ex sancto Augustino, allato & in margine citato (*h*) his verbis: *Ad hoc teneatur etiam degradatus, si fuit in sacris, quia tenetur ad ea quæ sunt oneris, & non honoris; vel si non est in sacris, si & quamdiu tenet Beneficium ..:. & concordant communiter Doctores in hoc*. Navarrus dicit etiam (*i*): *Neque excommunicato etiam denuntiato, a recitando* (divino Officio) *excusat*. Et alibi hanc annectit rationem (*K*): *Quia nemo ex improbitate sua debet reportare commodum*. Quam e lege Digestorum (*l*), & e Glossa in canonem Decreti Gratiani (*m*) deducit, quæ habet: *Nemo ex delicto suo facit conditionem suam meliorem*. Quod firmat pluribus legibus laudatis. Denique idem docet Cabassutius (*n*): & ratio quam affert, est, quia clericus susceptis Ordinibus sacris excommunicatus, aut dejectus de gradu semper servat charecterem inditum quo contraxit onus horarum canonicarum recitandarum: *Ratio est, quia vinculo alligantur indelebilis characteris*. Eidem suffragatur sententiæ Colloquiorum Andegavensium Auctor (*o*).

(*f*) Silvest. v. *Hora* q. 3.

(*g*) Can. Si quis *Episcopus*, & can seqq. n. 11. q. 3.

(*h*) S. Aug. in can. *Legi*. 16. 6. q. 1.

(*i*) Navarr. Man. c. 25. n. 102.

(*K*) Idem ib. Tract. de Orat. & Hora Can. c. 21. n. 17.

(*l*) Leg. *Itaque filio*. ff. de furtis.

(*m*) Gloss in can. *Legi*. supra cit. v. *Deteriores*.

(*n*) Juan. Cabassut. Juris Can. theor. & prax. l. 2. c. 21. num. fin.

(*o*) Colloq. Andegav. mens. Aprilis 1712. q. 2.

C A S U S XIII.

Lazarus Sacerdos Matutinum & Laudes a mane recitavit, peculiari in Beatam Virginem cujus Officium illo celebratur die, cultu motus, & animo concepto bis recitandi, ut faciat oneri ab Ecclesia imposito satis. Tenetur ne pœna peccati ad re ipsa eas bis recitandas?

R e s p o n s.

Quum præceptum Ecclesiæ adstringat simpliciter horis semel in die recitandis, præsumendum est fieri ei satis quum eas recitat pietate speciali ductus & sine mente clara adimplendi actu præcepti; modo recitentur attentione & pietate requisitis. Lazarus igitur liber est coram Deo a parte Officii recitata; licet distincte non intendisset suum complere munus.

Ratio afferenda est, quia implendum præceptum absolute non pendet ab animo illum implendi; sed in facienda re præcepta consistit; quod

objectionem ex hoc axiomate legis formandam eluit (*a*): *Actus agentium non operatur ultra intentionem eorum*. Nam id interpretandum est de iis quæ unice ac absolute pendent a sola intentione, pnta contractibus.

(*a*) Leg. *Non omnis* 19. ff. de rebus creditis &c. lib. 12. tit. 1.

Dicendum est, tunc Lazarum eodem in casu versari, quo eum qui sanctam Missam audit die Dominico mane, secundæ interesse intendens aperte, ut impleat præceptum Ecclesiæ. Atqui iste absolute non tenetur ad secundam; quia fideles non adstringit Ecclesia Missæ audiendæ diebus Dominicis & festis cum animo distincto & claro adimplendi Ecclesiæ præcepti, sed ut pie intersint sat habet.

In hanc decisionem hoc objicitur. Titius debet Mævio centum argenteos nummos: atqui æs alienum non solvit, gratis tradens creditori partem suam; semperque ære alieno exire tenetur. Ergo idem est de eo qui Matutinum & Laudes recitavit gratis, id est peculiari pietate ductus.

Sed respondemus collationem claudicare. Titius enim debet Mævio centum argenteos nummos *ex justitia*. Quapropter suas partes implere nequit dono simpliciter gratuito. Verum Clerici non beneficiarii horis adstricti canonicis, non tenentur *ex justitia* ad eas recitandas. Si reponas, beneficiarius saltem teneri ex justitia; semper verum dicitur, Ecclesiam eas imponentem non mandare, ut recitentur hoc cum animo distincto; & sat esse ut adimpleant Officium, quacumque alia mente sint præditi, modo peragant attentione & pietate requisitis.

Fatemur tamen, licet septem aut octo Auctores a Bonacina laudati nostræ faveant sententiæ, alios Navarrum, Medinam & Axorium sententiam defendere contrariam.

CASUS XIV.

Benignus, filius duodecim aut circiter tredecim annos natus, ad prioratum accipiendum compulsus solo metu parentis sic volentis, Officium divinum non recitat; quia sibi beneficiario invito non videtur conscientia hoc onus imponi. Eam ob rem est ne caussa se eximendi legitima?

Respons.

Ad hujus quæstionis decisionem distinguendus est duplex metus. Hic quidem *metus reverentialis*, *metus levis*. Ille vero, dictus a Theologis & Jurisconsultis *metus gravis*, id est, par frangendo aut labefactando viro constanti, puta metus mortis, exsilii, carceris, aut cujusvis alius mali magni qui tollit libertatem. Si metus quo Benignus fuit ad acceptandum beneficium coactus, fuit levis, eum ab onere recitandi Officii divini eximere nequit; quia hujusmodi metus libertatem non tollit in rebus quæ eam perneccessario requirunt, ut in matrimonio quod hujusmodi metu contractum validum est. Benignus igitur cum vera uteretur libertate, non obstante hoc metu in accipiendo aut negando beneficio; certum est illo accepto eum teneri sedulo ad Officium Breviarii recitandum. Si vero metus fuit gravis; non tenetur ad Officium cujus recitatio beneficiariis imponitur, donec libero consensu servaverit beneficium, & sic ratum habuerit, quod metus extorsit.

Duo tamen sunt observanda. Primum: Benigni percipientis fructus beneficii, metus quicumque quo fuit ad beneficium accipiendum coactus, non eximit ab onere recitandi Officii. 1. Quia hoc in casu onus ad Officium a beneficio separari nequit; quum beneficium detur propter Officium: *Beneficium .... propter Officium datur* (*b*), sic dicente Bonifacio VIII. 2. Quia æquum est ut onera sustineat qui commodum inde carpit; ex hoc dicto de regula juris canonici desumto (*c*): *Qui sentit commodum, par est ut sentiat onus*. Secundum: quum per ætatem beneficium abdicare potest sive translatione, sive aliter, conscientia ad id tenetur; alioquin censetur lubens accipere, at proinde onus.

(*b*) Bonifac. VI I. in cap. fin. de rescriptis in 6. lib. 1. tit 6.
(*c*) Ex reg. 55. de reg. juris in 6.

CASUS XV.

Garanus de simplici prioratu provisus, cujus proventus est 1200. libræ, impeditus eo quod Breviarii dicendi sit inscius & rudis, ac in regione quam incolit, neminem queat commode habere qui eum edoceat: Censetur ne hac de caussa exemtus ab onere recitandi Breviarii.

Respons.

1. Respondemus ad difficultatem propositam, Garanum qui suam prævidit impotentiam moralem recitandi Officii majoris, non debuisse, nec potuisse beneficium accipere sine gravi peccato. Nam adstrictus *ex justitia* ad ejus recitationem, ab hoc onere quod lubens subivit, exsolvi nequit.

2. Tenetur conscientia, si præsto sit Breviarium, ad recitandum saltem Officium divinum meliori quo licet modo, donec facilius suum exsequatur munus.

3. Cum amplus sit Prioratus fructus, tenetur non modo quærere amicum, sed & mercede conducere aliquem qui absente amico, edocendæ Officii recitationi sit par; quod perpaucis diebus & tenuibus expensis fieri potest. Ratio id efflagitans est; quia, ut in præmissis decisionibus sæpius diximus, beneficium conceditur beneficiato hac lege tacita, ut recitaturus sit Officium reliquaque munia: *Cum propter Officium detur beneficium*; Leone X. in Constitutione jam laudata, ad aliam respondendo difficultatem sic disserente (*d*): Ergo aliquem qui eum edoceat, quærere, sumtus facere necessarios tenetur.

(*d*) Leo X. in Bulla, *Supernæ*. §. 36.

4. Denique si Breviarium quod comparare potest, absit; aut si adsit, nequeat ipse, ac nullo juvante, recitare; aut tandem vera recitandi Officii divini impotentia præpeditus sit exsequendis beneficii sacris ejus muneribus obeundis, juribusque tuendis ineptus; aut dotium expers omnium quibus operam det utilem saluti Ecclesiæ; tenetur conscientia Prioratum abdicare.

CASUS XVI.

Bonaventura Sacerdos luminibus orbus tenetur ne conscientia alium quærere, cujus ope suum recitet Officium?

Respons.

1. Sacerdos amisso visu nulla tenetur ratione ad recitandum Breviarii Officium, cum nemo ad impossibile teneatur. *Nemo potest ad impossibile obligari*, inquit Bonifacius VIII. (*e*): *Impossibilium nulla est obligatio*, habet lex (*f*).

2. Nihilominus si is sacerdos partem recitare possit memoriter, puta horas minores, aut Vesperas & Completorium, haud est dubium quin conscientia ad id teneatur; quidquid contra dixerint nonnulli Casuistæ recentiores, nulli fundamento innixi legitimo quo oppositum defendere ausi sunt. Nam nonne constat a recitandu Breviario exsulvere cæcitatem, quatenus obstaculum quo legere non datur ea quæ memoriæ non insunt? Si igitur sine lectione pars saltem recitari queat, præceptum Ecclesiæ semper stat; & ei obsequendum quoad poterit.

(*e*) Reg. 6. de reg. juris in 6.
(*f*) Leg. *Impossibilium* 185. ff. de diverf. reg. Juris antiqu. lib. 5. tit. 17.

Hoc firmat exemplum jejunii: nam adstrictus per ætatem jejunio quadragesimali, qui quotidie servare non valens facile ter in hebdomada jejunare potest, constanter tenetur tribus hisce diebus jejunare. Item ne unum quidem jejunare valens, saltem a carne abstinere tenetur, quando per vires licet; quia nequiens totum implere præceptum, saltem facere parti satis pro virili tenetur. Hoc quoque efficiendum est exemplo præcepti Ecclesiastici quo mandatur, ut quisque sacro Missæ sacrificio intersit diebus dominicis & festis; quum ingressus in Ecclesiam evangelio lecto non quo liceat totam audire Missam; certe teneatur adesse parti faciendæ, nisi aliam possit audire Missam. Idem igitur dicendum est de sacerdote qui, amissu visu, aut quovis alio legitimo

eb-

obstaculo nequit totum recitare majus Officium, saltem parti adstringitur recitandæ.

3. Si hic Sacerdos facile habeat amicum, qui gratuitam conferat operam toti recitando Officio, ei ab ejus ope abstinendum esse non putamus, sed meliori modo implendum hoc religionis & obsequii Ecclesiæ præstandi officium.

4. Si denique hic Sacerdos, Beneficiarius, haberet aliquem, qui ei opem ferre valeret, & fructus Beneficii suppeterent; teneretur hoc adhibere auxilium, & retinere hunc in finem: onere ad Officium, eo in casu, imposito ex justitia.

Sic decidit doctus Canonista (a) qui hunc in rem sic aperit mentem his verbis: *Excusamus cæcum, aut oculis ita caligentem, ut legere non possit. Ipse autem* (Dominicus Sotus) *excusat illud simpliciter, nos vero cum limitatione, nisi possit illas* (Horas Canonicas) *cum socio recitare, & esset qui vellet & posset eum juvare gratis, aut pretio, si haberet reditus Ecclesiasticos sufficientes ad se alendum, & illum ad id conducendum. Obligamus enim eum, ad recitandum eam partem, quam memoriter tenet, si earum pars major fuerit, licet non habeat socium, nec habere teneatur.*

(a) Navarr. Man. de orat. & horis can. c. 22. n. 14.

CASUS XVII.

Aimericus Beneficiarius, tribus abhinc mensibus febri tertiana laborat, & per illud tempus non dixit Breviarium, se legitime ab eo liberum esse putans hujusmodi morbo. Amicus ei dixit eum sibi blandiri, & pœna peccati mortalis recitando Breviario adstrictum. Aimericus quærit num huic amico sit jus?

RESPONS.

Aimericum arbitramur re sibi placuisse, in casu proposito, & febrim tertianam non sat causæ esse cur eximatur a recitando Breviario. Nam constat, ut quis legitime eximatur, non sufficere, adstrictum *titulo Ordinationis, aut Beneficii*, laborare febri; quia febres, tertiana aut quartana, intervallum dilucidum interponunt, quo Officii divini onus adimpleri possit, sine gravi incommodo, ac proinde nequeunt esse causa legitima se exolventibus hujusmodi morbis. Plurimi igitur interest his in occasionibus sibi non blandiri, & serio consulere conscientiam, ne peccatum experiatur mortale; cum certum sit eximere ab onere recitandi Officii divini impotentiam physicam vel moralem ejus muneris obeundi; quæ in casu proposito non animadvertitur; quum febris tertiana saltem obstaculum non sit quominus recitetur die interstitii aut accessus die, quando per totum diem non agit, vel præoccupandæ sunt horæ opportunæ, recitando, verbi gratia Matutinas & Laudes a vespere prævio in diem proximum, & sic de cæteris.

Dicta comprobat Concilium Provinciale Mediolanense IV. a Sancto Carolo Boromæo collectum an. 1576. (b) in quo hic Sanctus Archiepiscopus dicit Sacerdoti, aut Clerico, Beneficiario vel in Ordinibus sacris constitutio; esse memoria tenendum, se, licet febri aut quolibet alio morbo levi laborantem causa destitui legitima coram Deo, qua Officium omittat divinum; Si vero prematur morbo, serium examen sibi instituendum esse an morbus sit ita gravis ut eum eximat; ne omittens peccato mortali sit obnoxius. En verba. *Sacerdos Clericus-ve sacris initiatus, aut Ecclesiasticum Beneficium obtineas, Horarum Canonicarum Officio cum adstrictus sit meminerit, se febri, morbo-ve aliquo, vel adversa valetudine leviter aliquando laborantem, non justam propterea excusationem habere quamobrem illud intermittat omittat ve. Itaque si quando corporis infirmitate affectus est; ipse pro sua conscientia recte videat quid præstare possit; ac ne, omittendo, graviter peccet, & Beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat.*

(b) Conc. Mediol. IV. 3. p. tit. de vita & honest. Cleric.

Adjungere juvat Aimericum, ex hypothesi, minores Horas, non vero reliquum Officium recitare valentem die quo accessit febris, certe adstringi Officii parti quam dicere par esset, quamvis residuo non adstringeretur. Hoc palam facit censura, ab Innocentio IV. dicta 2. Martii 1679. hujus propositionis, quam proferre ausi fuerant nonnulli Casuistæ recentiores (c) *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem:* quam propositionem hic damnavit Pontifex, tanquam scandalosam & perniciosam praxi, mandavitque ne defenderetur aut ad praxim revocaretur, pœna excommunicationis. *ipso facto* Sanctæ sedi servatæ, excepto mortis articulo (d).

(c) 54. Proposit. damnata cum aliis.

(d) Colloq. Rupell. de officio divino q. 24 De Genet. Theolog. Moral. t. 2. tr. 3. c. 20. n. 19. & 20.

CASUS XVIII.

Arsenius, Sacerdos, æger, dubitat num morbus sit adeo gravis ut eum ab onere recitandi Officii divini eximat; & Medicus ipse noluit solvere dubium. Peccat-ne, eo in casu, si non recitet?

RESPONS.

Censemus, hac in hypothesi, Arsenio non licere absque peccato Officium omittere divinum: quia *obligatio stat pro præcepto* donec, ejecto dubio, persuasum habeat intus sibi esse impotentism non recitandi moralem. Ratio afferenda est, quia preceptum est Lex rigida, & Ecclesia censetur neminem exolvere absque causa legitima, quæ habeatur certa & realis. Atqui, in quæsito proposito, causa nequit esse legitima, si adversa valetudo non sit gravis nec certa, nec realis habetur, simplici dubio cum innitatur, forte nato ab amore Arsenii immodico in valetudinem; quod eo citius conjiciendum est, quo Medicus, ejus sanitati consulens, noluerit solvere dubium; nam indicium verisimile, ne dicam, certum est mali admodum levis; quum Medici cujus scopus præcipuus est ægroto sanitatem redintegrare, optimum est judicium. Verum ulterius pergamus, etiamsi consilium Medici eum a recitando Officio eximeret, obtemperandum non esset, inconsulta conscientia, & sine interiore persuasione consilii boni a Medico præscripti. Nam judicium, aut consilium Medici non est norma semper sequenda, nisi perspectum sit eum esse prudentem peritum, timentemque Deum, quum plurimi Medici facilius eximunt præceptis Ecclesiæ non innitentes; ex quo hæc præclara profert verba Sanctus Ambrosius (e) *Contraria .... sunt divinæ cognitioni præcepta Medicinæ .... a jejunio revocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt. Itaque qui se Medicis dederit, se ipsum sibi abnegat.*

(e) S. Ambr. in com. Contraria 21. de consecr. dist. 21.

CASUS XIX.

Eupaprius, Sacerdos, Vesperas & Completorium matutino recitare solet tempore cæteris Horis prærecitatis, ut a prandio majus sit otium, sive studiis, mutuis salutationibus sive tandem aliis negotiis. Peccat-ne in hoc?

RESPONS.

Ante solutionem hujus difficultatis, observandum est, ex usu Ecclesiæ, primaria regula hac in re servanda, tempus Matutinis in Choro recitandis destinatum, juxta norman præcedere ortum Solis: verum Sole serius ocyusve, variis in anni tempestatibus, oriente, hoc tempus quintæ horæ matutinæ solet alligari universim: prima a sole orto recitanda est, juxta hæc Hymni verba: *Jam lucis orto sidere Deum precemur supplices*. Tertia ante, Sexta post Missam dicenda est; & denique Nona circa horam secundam recitanda, postea Vesperæ & Completorium.

Hoc posito, dicimus etiamsi recitantes Officium privatim, non teneantur, pœna peccati, ad dicendum ipsissimis horis, quibus decantari solet in Choro, saltem ad vesperam usque non pro-

protrabendas esse horas, quæ matut no dicuntur tempore, nec mane dicendas eas quæ, usu Ecclesiæ universali, a prandio sunt recitandæ; quia sic nimium abesset a mente Ecclesiæ, quæ instituentis septem Horis Canonicis, fuit ut Clerici memoria recolerent præcipua Passionis salvatoris Myst:ria, & boras, quibus sunt impleta, ut alibi jam observatum. Atqui Vesperarum hora designat tempus, quo corpus Domini nostri a Cruce suit amotum, ut Completorium sepulturæ tempus, juxta hæc verba: *Vespera deponit, tumulo Completa reponit*.

Inde Euprepius, cujus meminit quæsitum, & quilibet alius, Vesperas & Completorium matutinis recitans horis non sequitur mentem Ecclesiæ, boras Canonicas instituentis, & abolet, quantum potest, significationem nupticam tanta anticipatione; quod a peccato abesse nequit, extra tempus Quadragesimale, quo ante prandium Vesperæ recitantur (a) & nisi causa adsit legitima: cum quisque, pro virili, teneatur sequi Regulam ab Ecclesia prudentissime statutam hac in re. Communiter sic sentiunt Doctores celeberrimi, & potissimam Sanctus Thomas (b) qui postquam dixisset judicaturo de anticipatione Officii divini, attendendum esse menti antevertentis tempus usitatum: *Hic consideranda est intentio ejus qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscumque Horis Canonicis*, apponit 1. peccare prævertentem tempus ad libidinem: *Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet somnolentiæ & voluptati vacet, non est absque peccato* 2. Non peccare antevertentem tempus propter causam legitimam. *Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum.... licite potest de sero dicere Matutinas & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire sicut etiam hoc in solemnibus Ecclesiis fit*. Ratio, quam annectit hic sanctus Doctor, est quia duo bona opera, quando licet, quam unicum præstare ipso tempore, quo aliud effici nequiret, satius est: *Quia melius est utrumque Deo reddere, scilicet & debitas laudes, & alia honesta officia, quam per unum aliud impediatur*.

Idem censet Glossa (c) dicens, Sacerdoti recitandum esse Officium divinum horis usu præstitutis nisi obstaculo sit causa legitima. *Statutis horis & justo impedimento cessante.... verens illam sententiam: maledictus, qui negligenter facit opera Dei*: quod comprobat Decretali, e Concilio Agathensi, habito an. 906. deprompto (d) cujus hæc verba. *Presbyter mane, Matutinali officio expleto, pensam servitutis suæ, videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperamque persolvat; ita tamen ut horis competentibus juxta possibilitatem, aut a se, aut a scholaribus publice compleantur*: quod officium reipsa attingit publicum, (e) sed cujus horis conveniendum est privatim quoad ex ratione licebit.

Denique Sanctus Antoninus (e) suffragatur Sancti Thomæ sententiæ, dicitque Officium privatim recitandum anteoccupare præstat reipsa quam tardare, quando hora propria dici nequit. *Officium autem quod dicitur in privato.... si dici non potest propter occupationes horis propriis, melius est prævenire quam tardare*, cujus hanc affert rationem. *Prævenire .... enim est providentia, tardare vero est negligentia*. At quando legitima abest causa antevertendi temporis proprii, aut per longius protrahitur tempus, peccatum est, licet non mortale. *Non tamen videtur de se esse mortale*.

Ex omnibus igitur hisce auctoritatibus liquet Euprepium, cui legitima est causa Vesperarum & Completorii horis matutinis recitandorum, nullo contaminari peccato; verum absente causa legitima, grave, licet non mortale, peccatum admittere. Eidem adhærent doctrinæ Sylvester & Navarrus cum permultis aliis, qui hanc agitarunt quæstionem (f).

(a) Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam Vespertinum celebratur Officium. Can. Solent. 50 de consecr. dist. 1.
(b) S. Thom. quodlib. 5. art. 28.
(c) Gloss. in c. Ministerium 2 de offic. archipresb. v. indeclinabiliter L. 1. t. 24.
(d) Conc. Agath. in c. presbyter 1. de celebrat. Miss. lib. 3. tit. 41.
(e) Concil. Nannetens. in can. Presbyteri 2. dist. 91.
(e) S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 4. § 4.
(f) Sylvest. de Prierio v. Hora q. 9. Navarr. in Man. orat. & horis Can. c. 3. n. 23. & seq.

CASUS XX.

Gerardus, Parochus, Officium hora octava, nona-ve vespertina recitandum frequenter protrahit; quo tempore a recitandis Matutinis incipit, deinde reliquas omnes horas dicit; hac de causa, quia tunc tranquilliori est animo quam per totum diem. Ex hac causa liberne est a peccato, saltem mortali?

Respons.

Causa quam affert is Parochus, dici nequit sufficiens, qua sit a peccato liber. Attamen peccatum non putamus mortale; licet legitima destituatur causa Officii ad hoc usque tempus protrahendi. In hoc adhæremus sententiæ magni & Sancti Archiepiscopi, sancti Antonini, dicentis: (g) *Non tamen videtur de se esse mortale, quandocunque quis tarde dicat Officium; modo non transeat dies, qui quantum ad hoc videtur terminari circa mediam noctem*. En rationem, cui innititur: *Non enim istud præceptum de horis dicendis refertur ad tempus*. Idem censet Sylvester Mozolinus (h). *Iterar in privato* (Officio) *non videtur de se mortale secundum Archidiaconum & communiter alios Doctores, quandocumque tardetur Officium, modo non transeat dies, qui, quantum ad hoc, terminatur in media nocte*. Hæc verba istius docti Summistæ, eandem a Sancto Antonino allatam, annectentis rationem. Idem profert Navarrus (i) cum reliquis omnibus Doctoribus, quorum textus recensere non juvat. Cæterum negandum non est summa argui Gerardum negligentia, quum adversetur consuetudini universa in Ecclesia servatæ, ejusque menti, qua banc statuit consuetudinem, quaque, ut alibi jam observatum, Clericis sunt memoria recolenda, recitatione horarum Canonicarum, variis diei horis peracta, diversa Passionis Servatoris mysteria.

(g) S. Anton. 3. p. sum. Theol. tit. 13. c. 4. parag. 4. Item 2. p. tit. 9. cap. 12 §. 4.
(h) Sylvest. de Prier. v. Hora q. 9. paragr. sexto.
(i) Navarr. Man. 25. n. 97.

CASUS XXI.

Anistus Sanctam crebro celebravit Missam, ante recitatas Matutinas & Laudes: An in hoc admisit peccatum, & quod?

Respons.

Duo constant. Primum: Anistius potuit Sacris operari sine ullo peccato, ante recitatam ullam Officii partem, si ipsi fuerit causa legitima, exempli gratia, si ex impotentia physica aut morali præsto non esset Breviarium, quum ipsi necessario erat Sacris operandum, sive adstringeretur ex justitia, seu charitate. Si detineretur auxilio morienti præbendo, aut Sacramento quodam in casu, administrando, qui moram renuit, & quo non superesset sat temporis ut Matutinas recitaret antequam Sacris operaretur; & sic de cæteris.

Secundum: is Sacerdos, causa destitutus legitima, Missam ante Matutinas & Laudes celebrare non valuit sine peccato, tres ob rationes. Prima: quia Missalis Rubricæ (K) habent, ut celebretur, hac prima Officii parte expleta. Secunda deducitur a consuetudine, jam diu universim in Ecclesia servata, sacris operandi hac prima Officii parte recitata. Tertia & urgentissima elicitur a Constitutione Innocentii IV. 6. Martii 1254. hujus Pontificis decima-quarta, & in Tomo magni Bullarii primo legenda (l), qua is Summus Pontifex, dissidia inter Episcopos Latinos & Ritui Græco addictos in Insula Cypro orta componens, interdicit omnibus, tum Græcis, cum Latinis Sacerdotibus, ne sacris operentur, nondum recitatis Matutinis. *Sacerdotes autem dicant horas Canonicas more suo, sed Missam celebrare, prius quam Officium matutinale compleverint, non præsumant*. Hæc verba Pontificis istius.

Addendum est, Anistium, qui, dubius num celebrare liceret sine peccato, celebravit, *stante dubio*, & nondum eo ejecto, peccatum profecto, & ipsum mortale admisit, si dubitaverit inesse peccatum mortale in faciendo. Nam ex scito constante quicunque id facit quod verisimiliter dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter; quia lubens experitur peccatum mortale; quod nunquam licitum est.

Peccatum non constat esse mortale; licet censeatur a pluribus Auctoribus, & præsertim a Sau-

(k) Rubric. gener. Missal. Rom. de hora celebrandi Miss. c. 8. n. 2. & tit. Ritus servandus in celebr. Missæ De præpar. sacerdotis c. 2. Et de Defectibus circa Missam occurent. c. 10. De Defect. in Minist. c. 5. art. 4 &c.
(l) Inno. IV. in Bulla sub Catholico §. 3. n. 11.

(a) S. Anton. 3. p. summ. Theol. tit. 13. c. 5. §. 4.
(b) Idem ibi. c. 5. §. 4.

Sancto Antonino (a), qui dicit: *Missa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet possit audiri; alias, dicendo, esset mortale: quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ*. Hic Sanctus Archiepiscopus paolo antea jam dixerat (b): *Qui nondum dictis Matutinis celebrat, taliter peccat, secundum Guillelmum & Hostiensem; quamvis postea diceret; ex hoc quia facit contra generalem & approbatam consuetudinem Ecclesiæ*. En dicentem hunc Sanctum, cuius auctoritas haud mediocris non est parvi facienda; quamvis paulo rigidior videatur ejos sententia. Nam revera repugnat plurium aliorum sententiæ Auctorum illustrium Dominici Soti, Sylvestri, Cardinalis Toleti, Cardinalis Bellarmini, & Navarri (c), qui tamen hac in re titubare videtur, dicens solummodo in quodam Operum loco verbis generalibus, inesse peccatum, tacendo naturam peccati. *Peccat qui ante recitatas horas Matutinas celebrat*; & alibi dicens peccatum esse mortale (d) quum celebratur absque causa legitima ante Matutinas recitatas. Alii vero, modo laudati, distincte asserunt peccatum non esse mortale.

(c) Sylvest de Peccato verb. Missa 1. q. 8. Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 2. c. 5. n. 1. §. alterum. Robert. Bellarm. l. 3. de bonis oper. c. 19. Navarr. man. c. 25. n. 38. & apud eum Soto in 4. dist. 26. q. 3. art. 2.
(d) Idem Navarr. Tract. de orat. & horis Can. c. 21. n. 30.
(e) Sylvester loco cit. parag. sed quidquid.

Apponendæ sunt quatuor rationes, quibus hæc innititor sententia. Prima: nihil in Jure savet patronis contrariæ sententiæ. Secunda: consuetudinem generalem, cui innituntur, mihi videtur asserere, oon esse usu receptam pœna gravi & horrenda peccati mortalis, sic observante Sylvestro (e). Tertia: non præsumendum peccatum mortale esse recitare quatuor minores horas ante Matutinas, quamvis magna relatio & connexio sit inter has duas Officii partes. Cur igitur peccarum mortale foret facere ante Matutinas; quum inrer utrumque nullus aut levissimus sit nexus? Quarta denique: Sacerdos, recitato horis matutinis Officio diei toto. non peccat mortaliter, licet adversetur consuetodini Ecclesiæ generali. Dicendum est etiam oon pollui peccato mortali celebrantem ante Matutinas Missam, quamvis repugnet consuetudiot in Ecclesia servatæ.

Nihilominus hac sententiarom varietate *in re gravi* detinetur Sacerdos ne porestatem sibi det celebraodi, nondum recitatis Matutinis & Laudibus; quum peccaret non solum in consuetudinem universim in Ecclesia servatam; sed & in præscriptum a Rubricis Missalis, quas, instar regulæ, sequi tenetur; & temere experiretur peccatum grave, quod nonoulli Auctores peritissimi mortale putant.

CASUS XXII.

Froabertus, Officium recitans, interpellatur a viro looge superiori, qui eum invisit momento, quo est tertium Matutinarum Nocturnum, aut ultimum Vesperarum Psalmum inchoaturus. Teneturne Horam repetere in cuius recitatione fuit interpellatus, aut sufficit-ne ut, finita interpellatione, compleat, resumendo quo steterat?

RESPONS.

Arbitrantur nonnulli Auctores abrompentem sponte Breviarii Officium non modo peccare graviter, sed & teneri ad repetendum: quia inquiunt, pars jam recitata censetur spontanea interpellatione finita; & pars finita non est censenda cum residuo dicendo & ad aliud tempus revocato conjuncta, exhoc dicto: *illa continuari dicuntur, quorum extrema sunt simul*. Adde quod Concilium Toletanum VII. (f) interdicit pœna excommunicationis ioterruptionem Officii divini.

(f) Concil. Tolet VII. in can. Nihil 16. 7. q. 2.
(g) Fr. Tolet. Instruct. Sacer. lib. 2. c. 13.

Defendunt alii Auctores (g) nulla teneri ratione ad repetendam Horam abruptam, præsertim quum interpellatio non est spontanea & sine causa, sicque interpellatus in medio Officio Matutinarum aut Vesperarum, debet continuare diceudum reliquum momento quo cœpit ioterpellatio. Istæ sunt illis rationes, 1. Quacunque interveniente interpellatione, præcepto Ecclesiæ fuit factum reipsa satis, in se; quum recitatum est actu tum ante, cum post interpellationem, quicquid præscribebat Ecclesia; ac proinde solotum fuit onus impositum. 2. Continuatio omnibus precibus noo est propria; & eodem gaudent effectu quo confessio variis repetitis vicibus, variisque temporibus emissa, cujus ulrimæ adjungitur absolutio. Nam licet orario interpellatione abrupta censeatur finita, quatenus simplex oratio; tamen non est finis Officii divini, cujus est pars, ut & unaquæque hora integra, etiamsi sit & debeat esse interpellatio & intervallum inter eas. Sic ratiocioantur patroni hujus secundæ sententiæ, respondentes ad objectum, hoc Philosophorum axioma, illa continuari dicuntur &c. respicere unice res physicas, non morales, ut patet exemplo plurium confessionum diversis diebus emissarum, quæ effectum sortiuntur absolutione post ulrimam concessa a sacerdote tempore convenienti. Iidem respondentes Auctores ad auctoritatem Concilii Toletani dicunt nihil probare & præposteram esse: quia hoc Concilium meminit unice interpellationis in celebratione sanctæ Missæ occurentis, ne verbo quidem, memorans recitationem Officii divini, quod dicitur *Horæ Canonicæ*: sed etiamsi distincte verba de eo faceret, quod non concedimus, deooraret inrerpellationem integram consilio non continuandi alio tempore reliqui Officii abrupti, inductam, ut indicat vox, *relinquere*, quo utitor Concilium. En responsa a patronis posterioris sententiæ data ad rationes quibos inoituntur priores.

Medium tenendum putamus, dicentes 1. Interpellationem cum circumstantia mortali conjunctam, meto aut scandalo, esse peccatum mortale. 2. Extra hunc quidem casum, esse peccatum veniale grave, nisi causa legitima minuat. 3. In hac sententiarum verietate turius repeti Horam Canonicam, quum interpellatio diuturna fuit & absque legitima causa inducta.

Ex his facilis est difficultatis solurio propositæ, diceudo, Frobertum teneri ad repetendum Officium, cujus recitatio fuit abrupta, 1. Si interpellatio diu per uuam vel plores horas duraverit. 2. Teneri ad id interpellatione citios cessante, si absit legitima causa interrumpendi Officii; & persuasum habemus salutationem coram Deo eum non eximere, nisi foret brevissima, aut invisens tanta valeret auctoritate, ut sibi non foret potestas ei moram indicendi donec complevisset, quo in casu non teneri stricte putamus ad Horam, quam recitabat, repetendam; sicque Frobertus eo in casu positus, juxta circomstantiam io quæsito proposito notatam, non tenetur ad partem Officii jam recitati repetendam. 3. Denique interpellatione per diuturnum tempus & sine causa legitima durante, peccare graviter; ipsiusque peccatom fore mortale, nisi Officium repeteret; id est, Horam, cujus recitationem inchoaverat.

CASUS XXIII.

Eutropius, Beneficiarius, quandoque Tertiam Primæ, aut Completorium Vesperis præmittit, sine causa legitima. 1. Peccat-oe 2. Tenetur-ne, conscientia, ad Horas repetendas, quas immutato ordine dixit; vel sufficit-ne ut horas recitet præmittendas?

RESPONS.

Non est dubium quin peccaverit Eutropius, horas Officii invertens, causa legitima destitutus, & alienus a mente & consuetudine generali Ecclesiæ. Attamen ad Horam recitatam repetendam non tenetur, & ut a peccato mortali sit liber, sat est ut Primam & Vesperas omissas recitet. *Si quis, prætermissa una hora*, inquit Sanctus Antoninus (h) *puta post primam dicat Sextam, sufficit secundum Guilelmum, quod suppleat ad tantum quod omisit, puta Tertiam; & pœnitentiam agat de negligentia sua*. Hæcque negligentia est venialis; quia hoc in casu semper impletur præceptum Ecclesiæ in se. Apeccato vacaret sic agens ex causa legitima, ut Canonicus, qui sero Ecclesiam perivisset Primam recitaturus, quique introiret Tertia inchoata; quo in casu posset facile Tertiæ adesse, & deinde Primam recitare privatim. Sancti Anto-

(h) S. Anton. 3. p. Summ. Theol. tit. 13. c. 5. §. 4.

Antonini sententiæ suffragatur Sylvester Mozolinus (a) *Si quis* ait hic Doctus Dominicanus *prætermissa una hora, dicit sequentem .... sufficit caute supplere quod omissum est & de negligentia pœnitere: quod intellige, quando ex oblivione f ctum est. Si autem fiat scienter ex rationabili causa .... nullum est peccatum; sed sufficit supplere .... quia secundum Petrum de Palude sufficit semel dixisse, etiam ordine postposito; quia scilicet ordo non est de præcepto.*

(a) Sylvester de Priatio v. Hora q. 9. §. Quartum.

CASUS XXIV.

Anatolius, Subdiaconus, quatuor minores Horas Officii recitare solet per Missam præscriptam diebus Dominicis & Festis. An votum solvit coram Deo.

Respons.

Censemus Anatolio licere, conscientia, hanc Officii partem recitare, dum Missæ interest præscriptæ, prout preces ipsi in pœnitentiam impositas tunc recitare liceret. Ratio est, quia preces Officii Breviarii & præsentia in sacro Missæ sacrificio bene conveniunt; contra constat ambas ad eundem referre finem, scilicet, ut laudetur Deus, preces ad eum fundantur, & præceptum Ecclesiæ adimpleatur.

Sic definit Cardinalis Toletus (b) qui postquam dixisset neminem obire Officium, qui illud recitans, negotio se exercet, debitam præripiente attentionem, puta lectione aut scriptis, subjungit: *Poterit tamen simul audire Missam & Horas persolvere: quia ista ad unum ordinantur finem; & præceptum audiendi Missam, non est, verbis intendere, sed sacrificio adesse, etiam verbis non auditis. Unde & simul præcepto Missæ satisfieri potest, & præcepto recitandi horas; quamvis quidam contrarium putant, sed sine ratione probabili.* Eidem adhæret sententiæ Sylvius (c) dicens. *Satisfacit qui, audiens Missam ex præcepto, legit Horas Canonicas.* Eamdem defendit sententiam alter doctus Auctor (d) contra nonnullorum sententiam aliorum (e) & laudatis 15. Casuistis, quibus suffragatur, scilicet Adriano, Cajetano, Toleto, Medina, Soto, Baptista Trovamala, Bartholomæo Fumo, Suarez, Navarro, Azorio, Lopez, Jacobo de Graffiis, Henriquez, Bonacina & Filliucio (f) hanc, quam jam indicavimus, rationem annectit. *Quia hic reperitur corporis & animi præsentia, quæ ad Missam exigitur, quoties per devotas preces mens ad Deum erigitur, ut fit in recitatione satisfactoriæ pœnitentiæ, vel divini Officii; eam ad utramque obligationem una eademque attentio possit sufficere.* Omnibus hisce Auctoribus addendi quoque sunt Comitolus (g) & Andreas Victorellus in Additionibus ad Toletum.

(b) Fr. Tolet. Instruct. sacerd. l. 2. c. 13. n. 9.

(c) Fr. Sylvius in supp. 2. p. S. Thom. q. 25. a. 1. 2. quæsito unico, conclus. 2.

(d) Joan. Cabassut. Juris Can. Theor. & praxi l. 2. c. 27. n. 3.

(e) Angel. de Clavasio, & Sylvester de Prierio.

(f) Adrianus Tract. de satisfact. q. 7. Fr. Tolet. loc. supra cit. & l. 6. c. 8 n. 2. Cajet. v. Dies Festus Medin. tract. 2. de pœn. injunct. Navar. Manual c. 21. n. 9. & alibi. Dom. Sotus in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. Azor. & alii apud. Cabass. sup. cit.

(g) Paul. Comitolus resp. moral. l. b. 2. q. 65.

Nec juvat objicere recitationem Officii Canonici peculiarem exigere attentionem. Nam, ut jam dictum, ea attentio convenit cum requisita ut Missam audiatur: adde quod preces privatæ, & ex pura pietate fusæ eam quoque requirunt attentionem. Et nemo non fatetur preces pias recitari per Missam. Cur non recitarentur preces ex præcepto, scilicet, Horæ Canonicæ, per idem Missæ tempus, quum utraque ut & Sanctum Sacrificium ipsum, ad eundem referantur finem. Fatemur tamen expedire ut fiat seorsim satis duobus præceptis nisi præpediant causæ legitimæ, & hic debet esse usus adstrictorum officio divino recitando: eo magis, quo Diaconi & subdiaconi tenentur ad munia ordinum suorum facienda saltem diebus Dominicis & Festis.

CASUS XXV.

Sixtus, Parochus quandoque negotio exteriori se se exercet, Breviarium recitans. Nonne peccat ac tenetur, conscientia, ad iterandum sic dictum, aut ad restitutionem, si non repetat?

Respons.

Ut solvatur hæc difficultas, sciendum est dari negotia exteriora, attentioni in preces requisitæ non congruentia, scilicet, legere, scribere, aliaque hujusmodi, attentionem debitam avertentia; & quædam dari alia huic convenientia attentioni, videlicet, ambulare, submittere se, salutando transeuntem.

Hoc posito, dicimus se recitando Officium totum, aut partem majorem, exercentes negotiis exterioribus, attentioni in recitandis Horis Canonicis requisitæ non convenientibus, peccare mortaliter, & si sunt, Beneficiarii aut conducti, teneri, pœna restitutionis, ad repetendum. Sed perinde non est de exercentibus se negotio attentionem necessariam non avertente.

Primam propositionem comprobat auctoritas Innocentii III. in Concilio generali Lateranensi dicentis (h), in tertio Decretalium libro allato, in quo hic præcipit Pontifex, vi obedientiæ Ecclesiæ debitæ, ut quilibet, recitando Officio divino adstricti, eo fungantur pie, juxta gratiam a Deo concessam. *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter & devote:* Ad quod Glossa habet: *Studiose, quantum ad Officium oris, id est, sine syncopa; devote, quantum ad Officium cordis.* Atqui hoc studium hæcque devotio nunquam occurrunt simul in negotiis exterioribus, sibi natura adversis, nec convenientibus. Quapropter de eo judicandum juxta ac de mentis avocatione spontanea, hoc est, de ea quam deponere non est animus, aut quæ ejici negligitur, quæ precum meritum & fructum penitus delere, & orantem peccato polluit; comprobat Sanctus Thomas (i) auctoritate Sancti Augustini his verbis: *Si quis ex proposito in oratione evagatur; hoc peccatum est & impedit Orationis fructum &c.* Quum igitur vago animo sponte addictus, ut exercens se ejusmodi negotio exteriori peccet nec ullum fructum e precibus habeat, constat eum non explere præceptum Officii divini; & præter peccatum factum, si sit Beneficiarius aut conductus, tenetur ad restitutionem pro rata partis Officii sic recitatæ, ut jam dictum.

(h) Inno. III. in alt. c. Docentes 9. de celebr. Miss. &c.

(i) S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 3. ad 13.

Sanctus Antoninus (K) edocens Confessores modum se gerendi cum Clerici in Tribunali pœnitentiæ, palam facit se in nostram abire sententiam. Nam dicit, secundum Paludanum (l) quem laudat, ab iis primo quærendum esse, num recitantes Horas Canonicas, se exercuerint operis manualibus, puta conquinaria arte, aut aliis hujusmodi, quo in casu asserit eos peccato mortali obnoxios; quia sic præcepto Ecclesiæ facere nequeunt satis. Secundo, num evagati sint sponte per majorem Officii partem, non attendentes mentis avocationibus, quo in casu dicit rursus peccatum esse mortale. En verba: *Si dicendo horas aliis exercitiis se occupavit manualibus, ut facitur coquinam & hujusmodi; videtur mortale; quia non satisfacit præcepto Ecclesiæ; & si mens circa alia vagatur voluntario non carans; & sic quasi per totam Officium, videtur mortale. Secus si proponit velle attendere, & distrahitur; scilicet, cum advertit, displicet ei.*

(k) S. Ant. in Sum. Confessionali 3. part. Interrogatorii c. tot de Clericis in Com. pag. 119.

(l) Patr. Palud. in q. dist. 15. art. 2 q. 5.

Ratio cur necessaria sit attentio in oratione & ejus dissimilitudo cum hujusmodi negotiis exterioribus, & avocantibus, patet natura ipsa orationis, quæ, ex definitione, quam proponit Sanctus Joannes Damascenus, a Sancto Thoma laudatus (m), nihil aliud est quam motus mentis & cordis, spectans in Deum colendum, & gratias necessarias ab eo potendas. *Oratio est ascensus mentis in Deum.* Nam quomodo concipiendum est aliquem Deo placare sola vocum pronuntiatione si mens & cor absint? Oratio sic concepta indigna est quæ oratio dicatur; id est potius Deo illudere quam eum orare.

(m) S. Thom. cit. q. 83. art. 1. ad 2.

Jure igitur diximus recitantes sic Officium teneri ad illud iterandum, quacunque mente fuerint, inchoando, complere præceptum Ecclesiæ. Nam hæc

hæc dicta mens est vera insania, quum peccatum mortale quod faciunt, oriatur a violatione præcepti eos adstringentis Officio Breviarii, cum constet eos facere isti satis cum attentione necessaria. Unde natura sequitur, eos non iterando teneri ad restitutionem, si sint Beneficiarii; quia nullum interponitur discrimen inter omittere Officium divinum, illudque recitare sine ulla attentione, sicque non fit præcepto Ecclesiæ satis, quæ præcipit ut preces fundantur non solum ore, sed & longe potius mente & corde, ut dicit sanctus Hieronymus in canone citatus (*a*): *Deo non voce, sed corde cantandum*. Quando igitur Concilium Tridentinum, de Officio chori tractans, habet (*b*): *Distributiones vero qui statis horis intersunt recipiant*, hæc verba non sunt interpretanda de simplici corporis præsentia: alias sequeretur munia obituro in choro & distributiones lucraturo petendum esse locum & sedendum sine attentione & cantu; quod perabsurdum; sed hæc præsentia in choro spectat perinde, immo potius, attentionem mentis, quam præsentiam corporis.

(*a*) S. Hieron. in can. *Cantantes.* 3. dist. 92.
(*b*) Conc. Trid. sess. 24. c. 12.

Ex dictis manifeste liquet, Sixtum negotiis exterioribus quibus se exercet recitans Officium, congruentibus attentioni requisitæ, non peccare, vel peccatum esse veniale; ac proinde ad nullam teneri restitutionem: sed negotiis attentioni debitæ non convenientibus, obnoxius fit peccato mortali: si se sponte exerceat per longum tempus; & tenetur ad restitutionem fructuum beneficii *pro rata* temporis quo mentis avocatio stat.

CASUS XXVI.

ARNALDUS Diaconus Breviarium sua amisit culpa, iter faciens per regionem in qua obtinere non licet postea. Contaminat ne eum peccato mortali amissio Officii?

RESPONS.

Constat Arnaldum, si peccavit in causa, peccasse quoque in effectu, hoc est, si amisit consulto Breviarium, ut eximeretur ab eo postea recitando, admisisse peccatum mortale procul dubio. At si perdidit simplici oblivione aut imprudentia, & alrud comparare nequeat, nulli obnoxius est peccato, si imprudentia peccato vacet; aut ejus peccatum est veniale, si imprudentia sit venialis, & eum a graviori eximit peccato. Sic censet Silvester Mozolinus (*c*), qui annectit eum hoc in casu teneri, si beneficiarius sit, ad supplendum Officium aliis precibus, de quibus hic mouet Auctor ut nimius non insit scrupulus; quia non obstringitur præcepto Ecclesiæ, sed solum æquitate: *Modo suppleat per Psalmos, vel Pater noster, & hujusmodi. Sed circa istam suppletionem non oportet multum esse scrupulosum; quia consurgit ex naturali lege, potius quam Ecclesiæ præcepto, ut recompensetur benefactoribus: quod etiam per minimam orationem fieri potest; cum præponderet omnibus thesauris sicut spiritualem temporalibus.*

(*c*) Silvest. de Prierio v. *Hora*. q. 4.

Solvit difficultatem Cardinalis Toletus (*d*), ut nos: *Aliquæ sunt causæ*, inquit, *quæ excusant ab Officio persolvendo.... Tertia caussa est, cum deest Breviarium. Nam si aliquis perdidit Breviarium, & est in loca ubi aliud non potest habere; non tenetur... quod si sua culpa perdidit a principio, peccavit tunc; sed postea non peccat in non persolvendo. Qui vero projecit Breviarium, ut se impossibilitaret ad recitandum, peccat quoties non recitaverit; nisi postea pœnituerit.* Hic Cardinalis idem sentit ac Silvester circa onus supplendi Breviarii omissis aliis precibus; & eam apponit rationem: *Quia non tenetur nisi ad Officium; cum ab hoc liberetur, non est amplius obligatio.* Quod tamen spectat eum qui non est Beneficiarius.

(*d*) Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 2. c. 14. n. 2. & 3.

CASUS XXVII.

ALBANUS Sacerdos Breviarium continuo recitat solus voce adeo submissa, ut vix se ipse percipiat. Facit ne suo Officio satis coram Deo sic?

RESPONS.

Si hic sacerdos attendat digne suo Officio, & recitet non solum corde, sed & ore distincte omnes efferens voces, facit suo muneri satis. Sylvius (*e*), de æquipollente consultus difficultate, quam definivit 12. Maii 1640. Auctores quinque hujus sententiæ patronos laudat, additque Navarrum non dissidere: quia nihil a recitante horas requirit præter explanatam omnium vocum expressionem. Et quidem mentem suam aperit hic Canonista his verbis (*f*): *Dico sufficere formare verba intra labia, ita ut illa ipse audire, vel intelligere queat.* Ratio Sylvii est, quia plures clerici docti & pii sæpe eo recitant modo Officium, sive præsentes in sancto Missæ sacrificio, sive soli, sive recitantes in loco in quo præsentibus essent molestiæ, altiori recitando voce. *Tum quia id servant doctiores & pientiores*, ait hic Theologus, *qui recitant audiendo Missas, aut manendo in sacellis, aut choris, vel cubiculis, vel proficiendo cum aliis, ubi si tam alte & clare recitarent... alii alios impedirent & aliorum perturbatores censerentur.*

(*e*) Fr. Sylvius Resolut. Var. v. *Hora Canonica* 3.
(*f*) Navarr. in Manual. De orat. & horis Can. c. 20. n. 14.

Is inclytus Duacensis Professor quatuor apponit rationes. Prima, quia Breviarium recitetur, par est; sed nullibi legitur præceptum quo quis teneatur ad se audiendum recitantem: *Ratio autem est, quia nullo iure probatur, recitantem horas teneri ad se audiendum; cum præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum horas.*

Secunda quia fatendum est orationem vocalem esse veram orationem; quamvis vox non moveat aures orantis: *Tum quia oratis potest ore & voce fieri, etiamsi non audiatur ab ipso recitante; & eo se fit sonus quidam formatus ex allisione aeris ad dentes & labia.*

Tertia, quia alias dicendum foret auribus parum audientes teneri ad dicendum voce altissima, ut se audiant, aut suo non fungi munere; quod asserendum non videtur: *Tum quia sequeretur, surdastros vel teneri Officium altissima voce recitare, vel non posse hararum pensum solvere.*

Quarta, quia acuto præditi auditu non facerent suo muneri satis, quum recitarent Officium in loco tumultuoso; quod quidem in Ecclesia potest fieri in qua canitur ad harmoniam, aut organum pulsatur pneumaticum, aliave organa oralia: *Sequeretur præterea, eum qui se ipsum en aliqus accidente audire nequit, exempli caussa, propter strepitum qui ab aliis editur, non satisfacere præcepto.*

Omnibus hisce rationibus non obstantibus, fatendum est eum recitandi Officii Breviarii modum nec consulendum, nec efficiendum; & longe assinius menti Ecclesiæ, & utilius oranti est, dicere ea voce qua se audiat, si surdus non sit; quia auditus & visus simul concurrentes multum conferunt, ut melius concipiatur sensus verborum ore emissorum.

CASUS XXVIII.

SEBASTIANUS Parochus quotidie recitat Matutinum & Laudes circa quartam quintamve oram vespertinam in diem sequentem, ut celebrare Missam præsto sit mature, & postea aliis fungi muneribus majori otio. Nonne peccat saltem venialiter hac Officii divini anticipatione?

RESPONS.

In Ecclesia Orientali, Matutinas accelerare Vesperi in diem crastinum numquam licet (*g*); sed in Ecclesia Latina, ex usu generali a sancto Thoma, a sancto Antonino (*h*), aliisque Auctoribus probato satius est & laudabilius clerico anticipare Officium, quam tardare. Quapropter, etiamsi juxta normam rationis non liceret Sebastiano anticipare absque peccato tempus horarum canonicarum

(*g*) Vide Liturgica pag. 442.
(*h*) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 4. §. 4.

rnm recitandarum proprium, malo fine illnd obeundo, puta ot dintius quam par est in lecto jaceat, aut animom relaaet in cassum postero die; tamen peccati expers est in casu proposito; quia ratio qoa Matotinum accelerat, est legitima: *Si dici non potest propter occupationes horis propriis*, inquit sanctus Antoninus, *melius est prævenire, quam tardare: prævenire enim, dicit Hugo, est providentia: tardare vero est negligentia.*

Sic decidit sanctus Thomas (*a*) cujus en verba alibi jam recensita. *Heic considerandа est intentio ejus qui prævenit tempus in Matutinis dicendis... si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiæ & voluptati vacet, non est absque peccato: si vera hoc faciat propter necessitatem & licitarum honestarum occupationum, licite potest de sero dicere Matutinum.* Duas annectit is sanctus Doctor rationes. Prior quia majori ducitur laudi se exercere bono opere quod alias non liceret: *Quia melius est Deo utramque reddere, scilicet & debitas laudes & alia honesta officia, quam quod unum per aliud impediatur.* Posterior: quia Deus longe majori movetur bonitate quam homines io se invicem. Atqui non improbat creditor debitorem anticipare persolotionem summæ debitæ. Ergo potiori ratione gratam accipit Deus hujusmodi anticipationem, quando usus in Ecclesia receptus ei consentit. *Deus clementior est quolibet. Sed homo non imputat debitori in culpam, si debitum sibi reddat ante tempus. Ergo multo minus Deus.* Doctrinæ sancti Thomæ perfecte concordat sanctus Aotoninus.

(*a*) S. Thom. quodl. 5. art. 28. in corp. & in Argum. Sed contra.

C A S U S XXIX.

QUINTINUS Sacerdos Matutinom circa sextam horam vespertinam in diem crastinum recitare solitus, prætermisit omnino, & bihorio post meminit. Hæc omissio ab oblivione orta polluit neeum peccato?

R E S P O N S.

Nullum lecisse peccatum hac omissione Quintinnm arbitramur; quia habenda est oblivio ut iguorantia invicta: idemque de otraqoe dicendnm. Ex ignorantia invicta ab omni peccato eximente, idem dicendum de oblivione, modo soa culpa in eam non inciderit. Ganc annectimus conditionem: qoia oblivio aut imprudentia forte est nociva, ut in eo qui prætermissam jam multoties recitationem Matutinarum prævidisset, oec ullam adbibuisset diligentiam corrigendi, sive anticipando tempus solitum & proprium, sive alionod habendo indicinm, quod Matutinas non dictas in meotem revocaret. Exempli gratia, si ante prandium dico Vesperas tempore quadragesimali, & hæc usus mutatio sæpius indnxit oblivionem recitandi Completorii, & hodie memini Vesperis omissioaum præteritarum, negligo diligentiam in eamdem relabendi oblivionem, & iterum in eam incidam; omissio non vacabit peccato: quia peccans in caussa, pecco etiam in effectu qoi ut causa ita est spontaneus, ot sit peccatum. Ita ut licet soluus coram Deo *a tanto*, ooo sum tamen liber *a toto*.

C A S U S XXX.

EPIMACHUS Sacerdos Officium imprudentia, aut data opera recitavit aliud pro officio diei: exempli gratia, Officium sanctæ Eucharistiæ pro Officio quintæ feriæ, aot Officium B. V. pro Officio feriæ sabbatinæ. Peccavit ne & tenetur ne conscientia ad repetendum officiom, & recitandum proprium diei, recordatus, aut scrupulo pressus circa hnram secundam vespertinam?

R E S P O N S.

Auctores nonnulli nnminis defendunt recitare Officium pro alio esse peccatum veniale, immo arbitrantur nonnulli non else peccatum mortale, quum caussa legitim a movet: quia, inquiunt, præceptum completur de se, non vero usitato modo. Sic censet Cajetanos (*b*): *Non est propterea reus peccati mortalis*, ait hic Cardinalis, *commutans qualitatem horarum: puta solvens de Sanctis, quas deberet solvere de feria.* Dicit etiam Toletos (*c*): *Qualitas non obligat sub mortali.* Eidem adhæret sententiæ Bartholomæus Fumus (*d*); & Silvester idem docet de clerico patrimonii jure creato (*e*): *Ordinatus ad titulum sui patrimonii dicere potest Officium quodcumque.* Hæc verba istius Auctoris; qui paullo post apponit (*f*), dicta esse vera de quibuscumque Officium sic mutantibus ad suam utilitatem: *Qui ad libitum mutat Officium consuetum, secundum Summam Angelicam peccat mortaliter, si sit clericus præbendatus & religiosus: non autem si sit ordinatus ad suum patrimonium. Sed melius dico... quod dicere hoc Officium vel illud non est in præcepto, cum diversi diversa dicant... Immo dicit Archidiaconus, illud præceptum non esse determinatum circa modum, innuens non esse mortale dimissa una hora dicere aliquid æquivalens. Unde si hoc fiat ex caussa rationabili, ut justo impedimento, vel hujusmodi, non est peccatum. Si vero fiat ex inadvertentia, vel ex majori commoditate; ut, quia hoc Officium mente non tenet aliud, est veniale vel nullum.* Hi Auctores intendunt sanctum Antoninum in suam abire sententiam.

(*b*) Cajet. in Sum. v. *Hora Canonica*. n. 5.

(*c*) Fr. Tolet. Instr. Sacerd. l. 2. c. 13. n. 5.

(*d*) Barthol. Fumus in Armilla v. *Hora*. §. 15.

(*e*) Silvest. de Prierio v. *Hora* q. 2. §. 4.

(*f*) Idem ib. q. 12. n. 1.

Attamen huic suffragari sententiæ non valemus, quia manifeste delet uniformitatem quam Ecclesia vult observatam, quoad poterit, in Officio divino, ut in omnibus cærimoniis Ecclesiasticis, Quapropter defendimus, quando ea mutatio fit dedita opera, sive contrahendi caussa, aut alia ratione hujusmodi; vel fit negligentia supina, polluitur peccato gravi; ut fatetnr sanctus Antoninus ipse, qui hac voce solet designare peccatum mortale: *Non enim*, inqoit (*g*), *ex hoc videtur evadere grave peccatum, qui ad libitum suum sine caussa rationabili mutat consuetum Officium.*

(*g*) S. Anton. 3. pars. Sum. Theol. tit. 14. c. 4. §. 5.

Idem docent Cardinalis Bellarminus (*h*) & Navarrus (*i*); & defendunt distincte, peccatum mortale eam mutationem ioducere data opera, & teneri ad Officium omissum repetendum. Istornm senteotia nobis sententia adversa videtur sine controversia tutior; qoia præceptum Ecclesiæ, & qoidem de se, non completur, dicendo negligentia & consulto Officium pro alio. Ratio est, quia Ecclesia præcipiens Officii divini recitationem, non præcipit in universum cujusque arbitrio permittens recitationem ejns qood libebit Officii; sed præstituens hoc vel illud Officium privatum, qnod hoc vel illo die dicatur, ut liquet partitione cujuslibet Officii, in nmnibus Breviariis designari, & quaonumqoodque Officiom cuivis diei festo aut feriæ alligatur, & ab eo separari nequit. Unde absolute loquendn, fit præcepti naturæ satis, dicendo Officium ad qoemvis diem præscriptnm, ex ordine universim recepto & servato in Ecclesia.

(*h*) Robert. Bellarm. tom. 3. l. 2. controv. 3. c. 2. c. 18.

(*i*) Navarr. in Manual. de orat. & horis Can. c. 19. n. 117.

Ac sane si ex hypothesi simplea peccatum esset veniale hunc mutare ordinem, præberetur quibusvis Clericis, tenui pietate & levi scrupulo affectis, occasio recitandi sæpissime, immn semper pro libitu Officium brevissimum pro alin longa majori: & invertendi perpetuo ordinem Ecclesiæ: qaod penitus a mente & scopo Ecclesiæ alienum est.

Diximus hanc mutationem arbitrariam fieri solitam esse peccatum mortale: qaia afferere non audemus peccatum mortale esse mutationem raro servatam: *Recitare interdum ex alio Breviario, vel ex suo de Sancto*, inquit Navarrus (*K*), *cum deberet recitari de feria, vel contra sponte sine ulla caussa, est peccatum, sed non mortale, modo citra contemtum legis, & adeo raro fiat, ut viro prudenti & docto non vidatur notabilis audacia... quia hujusmodi mutatio tam rara non videtur ita notabiliter contrarie menti institutoris Breviarii, ut ad culpam mortalem perveniat.* His addimos nobis uon videri Officium, dicto alio ex imprudentia, stricte esse iterandom; præsertim qoum discrimen inter duo Officia non intercedit longum: exempli caussa, si hodie Martyris crastino die incurrentis, Officium dixissem pro Confessoris doplicis aut semiduplicis Officio, hodie dicendo; nam eo in casu recitatio Confessoris Officii sufficeret eras dicenda. Dicimus: *modo longum inter duo Officia non interponatur discrimen*: nam qui die sabbati recitasset Officium B. V. pro Officio feriæ

(*k*) Nav. loco cit.

præ-

præscripto teneretur, absolute, ea nostra sententia, ad repetendum Feriæ Officium, si sat cito, & ante finem diei recordaretur. Hanc ob causam ista propositio: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*, damnata fuit ab Alexandro VII. die 18. Martii 1666. tanquam falsa & scandalosa, isque Pontifex vetuit ne doceretur & usu haberetur pœna excommunicationis *ipso facto*, Sanctæ Sedi servata, excepto mortis articulo (*a*).

(*a*) 14. ex 45. Propos. damnat. ab Alex. VII die 18. Martii 1666.

CASUS XXXI.

Arnulphus, Sanctæ Auræ, in Diœcesi Lugdunensi, Parochus, semper Officium recitavit ex usu Romano. Scrupulo injecto ipsi fuit dictum, teneri pœna peccati, ad recitandum ex usu Diœcesis, in qua est Parochus. Quærit num re ipsa teneatur?

Respons.

Tenetor is Parochus ad Officium Breviarii recitandum ex usu Diœcesis Lugduuensia, in qua est Parochus. Nam ex quo sanctæ Auræ Caram gratam habuit, ejusque in possessionem venit, evasit membrum Diœcesis Lugduuensis.

Hoc comprobat 1. Bulla Sancti Pii V. nomine die 7. Julii 1568. (*b*) quæ a capite Breviarii Romani legitur. 2. Concilium Toletanum XI. an. 675. collectum, cujus Decretum recenset Gratianus (*c*) his verbis. *Placuit huic Sancto Concilio, ut Metropolitanæ sedis auctoritate coacti uniuscujusque Provinciæ cives Rectoresque Ecclesiarum unum eumdemque psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede noverint institutum; nec aliqua diversitate cujusque Ordinis vel Officii a Metropolitana se patiantur sede disjungi*. En rationem hujus prudentis Decreti. *Est enim justum, ut inde unusquisque sumat regulas Magisterii, unde honoris consecrationem accipit, ut juxta majorum decreta, sedes, quæ unicuique sacerdotalis dignitatis est mater, sit Ecclesiasticæ Magistra rationis* 3. Concilium generale Viennense (*d*), Clemente V. sedente, habitum an. 1311. Nam permittens Glericis & Religiosis, Cardinalium aut Episcopotum familiaribus, idem Officium recitare divinum hisce a Cardinalibus aut Episcopis recitatum, & eos eximens ab aliodicendo; utitur voce *Indulgemus*, indicans gratiam a se concessam; ac proinde, sine hac dispensatione, tenerentar ad recitandum Officium Ecclesiæ suæ, *Clerici, tam Religiosi, quam alii Cardinalium Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac quorumcumque Pontificum.... Commensales domestici se possint ipsis in divinis Officiis cooptare, ut illud, quod iidem Cardinales seu Pontifices dicent Officium licite dicere valeant, nec ad dicendum aliquod aliud teneantur, sacra approbatione Concilii indulgemus*. Hæc verba Clementis V. qui huic præfuit Concilio.

(*b*) S. Pius V. in Bul. Quod a nobis.

(*c*) Conc. Tol. XI. in can. de his 13. dist. 12.

(*d*) In Clementina Dignum 1. de celebrat. Miss. lib. 3. tit. 14.

Sic definit Cardinalis Bellarminus (*e*), qui eodem jam jam allato utitur ratiocinio. Eo ejus mentem: *Concilium Viennense non indulgeret (hoc enim verbo utitur, ut patet in Clementina dignum de celebrat. Mis.) Clericis & Monachis, ut Officium divinum recitare possint juxta formam Officii Episcoporum, vel Cardinalium cum quibus forte vivunt; nisi aliqui ex præcepto Ecclesiarum suarum, vel Ordinum, formam divini Officii sequi tenerentur*. Et Cardiaalis Cajetani, qai scripsit in sua summa, Glericis & Religiosis licere *sine peccato mortali*, Officio Diœcesis suæ, vel Ordioum, relicto, Romanum cooptare, sententiam improbat idem Bellarminus; dicens: *Non est id usque adeo certum, vel tutum*, aisi hi Sacerdotes aut Religiosi consensum Episcopi Diœcesani aut Capituli Regularis obtineaot. Navarrus, Toletus, Auctor Colloquiorum Rupellensium (*f*), compluresque alii eadem, quæ Bellarminus, docent.

(*e*) Bellarm. l. 2. de bonis op. in particulari c. 28.

Observare juvat penes eos, qui Beneficiarii, nec ullius ministerio Ecclesiæ addicti sunt stare, quominus indistincte Officium Diœcesis, aut Romanum, eligant, sic fatente eodem Bellarmino, qui dicit, satius esse Romano anteponere Officium Diœcesis, in qua morari solent, quod probat auctoritate Sancti Augustini (*g*): modo usus dicendi Officii vigeat supra 200. annos; Sancto Pio V. cætera omnia Officia & Breviaria ætate minora abrogante Bulla sua. Unde licet Romanum dicere ubi 200. annos non attingis usus, vel proprium recitare: Sed consuetudini vetustiori insistendum est.

(*f*) Nav. de orat. & horis Can. c. q. n. 211. & seq. Fr. Tolet. Instruct. Sacerd. lib. 2. c. 13. n. 2. Colloq. Rupellens. q. 14. de offic. dir. q. 17.

(*g*) S. Aug. Ep. 64. alias 125. o. 2.

CASUS XXXII.

Eucharius, Sedem Parisiis consuetam habens, Prioratum simplicem, in Diœcesi Blesensi, situm obtinet. Tenetur-ne ad Officium in Diœcesi Beneficii sui usu receptum, dicendum?

Respons.

Non tenetur is Beneficiarius ad recitaodum Officium ex usu Blesensi; sed dicendum est ipsi ex usu Diœcesis Parisiensis, in qua domicilium fixit consuetum, juata hoc vulgare axioma: *Si fueris Romæ, Romano vivito more; Si fueris alibi vivito sicut ibi*: Quod dictum sancti Ambrosii doctrinæ apprime conveuit, quem laudat, cuique suffragatur Sanctus Augustinus (*h*), cujus duos locos decretorios recensebimus postea in responsioue ad Casum XXXIV. Istad enim axioma Officium divinum spectat juxta ac dies Festos, jejunia, aliaque observata in qualibet regione. Ratio est, quia Leges, statuta, aut consuetudo Diœcesis sunt servanda, quamdiu ibi moratur reipsa: his statutis, aut his Legibus cum nulla sit vis *extra limites territorii proprii*. Eucherius igitur usitata in Diœcesi Blesensi servare non tenetur; quum in Parisiensi commorari soleat: sed solum hujus posteriæ Diœcesis Leges & usum; alias dicendum esset eum nulli subjectum, quod defendi non licet. Recitandum est ipsi Officium juxta usum & Leges Diœcesis Parisiensis.

(*h*) S. Aug. Ep. 16. alias 54. in fin. & Ep. 14. alias 118. o. 2.

Hæc decisio non est tameo intelligenda de Beneficiario, in alia Diœcesi ad tempus & quasi per transennam commorante; quia, hoc in casu, non habet domicilium sat longum, quo Episcopo illius loci subsit, quem adire non liceret aliquam rogaturus dispensationem, sibi necessariam: quod comprobat Lex (*i*), quæ habea, transeuntem per locum, ibique ad tempus commorantem, non censeri moraliter eo versari, nec commorari. Ut quis teneatur ad usus & leges regionis, in qua versatur, statuerit domicilium fixum oportet ad longum tempus, id est, *pro majori anni parte*, ut Eucherius Parisiis degit.

(*i*) Leg. Qe... sitam 18. § ... ff. de legat. & fidei com. lib. 32. tit. 2.

CASUS XXXIII.

Sigebertus, Diœcesis Augustodunensis sacerdos, in Ecclesia Collegiata Altissiodorensi, in qua decantantur in Choro Horæ Canonicæ ex usu & statutis Diœcesis, sede posita, semper recitat privatim Breviarium Diœcesis propriæ, admodum ab Altissiodorensi variam: inde, licet adstrictus Choro, ad Officium publicum attendere negligit, aut majorem omittit partem sine scrupulo. Peccat ne?

Respons.

Respondemus graviter peccare Sigebertum, hoc in casu: nam constat, Choro in quo cum aliis recitat Officium, Ecclesiæ Altissiodorensis nomine, cujus est pars, ac cui subjacet, gratum quo fungitur munus habens adstricto; non licere, relicto Diœcesis Officio proprio, admittere Augustoduuense, nec Romanum; neutro, ad decantandum hac in Ecclesia adoptato. Ita ut Sigebertus contra faciens, unam eamdemque formam deleat, quam Ecclesiæ summo servant studio, tum in Officio divino, cum in ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis, & quam studiose commendant Concilia, ut probatur his Concilii Agathensis verbis (*K*): *Convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri*, & Concilio Toletano XI. cujus verba legenda in responsione ad trigesimam primam difficultatem. Sigebertus igitur, sine peccato gravi, unam eamdemque formam istam vio-

(*k*) Conc. Agath. c. 30. in Can Convenior. 13. de consecr. dist. 2.

violare nequit, quum propria auctoritate violans simul violet Leges, statuta, aut legitimum Ecclesiæ Altissiodorensis usum, in re gravi & magna.

CASUS XXXIV.

Menandrea, Diœcesis Atrebatensis Subdiaconus, Parisios profectus studiis Theologicis per triennium operam daturus, posteaque natale solum repetiturus, quærit num sibi liceat interdum recitationem Officii persequi ex usu Atrebatensi aut num Parisiense, vel Romanum, sibi sit admittendum.

Respons.

Responsioni præmittenda est regula, qua probabitur decisio nostra. Eam ponit sanctus Augustinus (a) in Epistola, in qua modum expendit quo agendum est Christiano sapienti & prudenti in Ecclesia, cujus usus non sunt iidem ac in sua Diœcesi, versanti ad quod dicit regulam rationi affiniorem & tutiorem esse hanc, obtemperandum esse Ecclesiæ, in qua degit quis, & faciendum quod in ea est usitatum. En verba: *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcumque forte devenerit*: & hanc annectit rationem subjungens, nec fidem, nec bonos mores spectantia, tanquam indifferentia esse habenda; eaque observanda ut concordia cum iis, inter quos vivimus, colatur. *Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum; & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.*

(a) S. Aug. cit. Epist. 43. alias 118. n. 2.

Alia in Epistola, ad Casulanum scripta, testatur hic Pater (b), se hanc accepisse regulam a sancto Ambrosio, quem consulerat an Sanctæ Monicæ, matri, secum commoranti Mediolani, jejunandum esset die sabbathi, ut usus erat in Africa patria, vel an ipsi sequendus esset usus Mediolanensis, quo hic dies non est jejunii dies. Ad quod respondit Sanctus Ambrosius 1. Se consulere quod faciebat ipse, nempe, non jejuno die Sabbathi, cum Mediolani versor: jejuno vero cum Romæ ago, in qua jejunium servatur illo die. *Quid possum*, inquit (Ambrosius) *hinc docere amplius, quam ipse facio . . . . quando hic sum, non jejuno Sabbato: quando Romæ sum, jejuno Sabbato.* 2. Servandam esse hanc regulam quacunque in Ecclesia, ut omne viteur scandalum, *Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis*, inquit, *ejus morem servate. Si pati scandalum non vultis aut facere*: quam regulam dicit sanctus Augustinus se fuisse secutum. *Hoc responsum . . . . secuti sumus.*

(b) Idem ep. 36. alias 86. n. fin.

Hac prudenti regula posita ad difficultatem, de qua agitur, respondemus, dicentes; Manandro cuilibet-ve alii Clerico, Beneficiario, vel non, e sua Diœcesi in aliam proficiscenti, in qua sit per longum tempus, scilicet, plures annos, commoraturus, sequendum esse usum Ecclesiæ, in qua sedem posuit; quum tunc sit e Clero ejusdem Ecclesiæ. Menandro igitur recitandum est Officium divinum ex usu Parisiensi; quod rationi eo affinius est, quo teneatur ad dies Festos, jejuniaque usitata servanda, & ad quæ specialiter refertur Officium Breviarii; & non sequens usum recitaret quandoque Officium Feriæ, aut diei Festi simplicis quum celebraretur Patroni dies Festus aut alius solemnis; ad quod diligentius attendendum est Sacerdoti: quia adstrictus Missæ Officii Breviarii celebrandæ celebraret Missam Feriæ, quum celebraretur sacrum diei Festi duplicis in eadem Ecclesia, reliquisque omnibus Diœcesis; quod perabsurdum, & ordini universim recepto & usitaro adversum (c).

(c) Colloq. Rupell. de Off. div. q. 20.

CASUS XXXV.

Mantilius, Sacerdos, perraro Officium dicit adstans ad genua, sed sedens. Non ne peccatum admittit?

Respons.

Clerici pii est reipsa recitare Officium divinum genibus flexis: quia is est situs corporis humillimus & convenientissimus venerationi Deo ad quem funduntur preces debitæ; videtur tamen non damnandus orans, stans vel sedens, modo in corde sit reverentia & attentio necessaria. Nam, dicente Sancto Augustino (d), non præscribitur situs corporis, quo afferendæ sunt Deo preces, modo afferenti sincerus sit animus ei placendi; quod comprobat hic Pater exemplo quorumdam sanctorum virorum, & præsertim Prophetæ Eliæ (e) postea subjungit: *Quibus exemplis non esse præscriptum, quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus, Deo præsens, peragat intentionem suam; nam & stantes oramus, sicut scriptum est (f) Publicanus autem de longe stabat; & flexis genibus, sicut in Actibus Apostolorum (g) & sedentes sicut . . . . David & Elias.* Et quidem hoc triplici orandi modo diverso Ecclesia offert Deo preces & vota in Officiis publicis in Choro decantatis ex vario tempore. Hæc decisio Navarri sententiæ penitus est consentanea (h).

(d) S. Aug. l. 2. ad Simplicianum q. 4.

(e) 3. Reg. XVIII. 42.

(f) Luc. XVIII. 13.

(g) Act. VII. 19 & c. XX. 36.

(h) Navar. in Man. de hor. Can. c. 4.

CASUS XXXVI.

Joannes, ab Episcopo provisus de Prioratu, Sanctæ Apollinæ curia, & Jacobus, provisus in Curia Romana, tribus quatuor ve abhinc mensibus litem habent de isto Beneficio, cujus in possessionem uterque venit formulis solitis. Teneturne uterque ad recitandum Breviarium, *titulo Beneficii*, ad litis finem usque?

Respons.

Si jus, a Joanne & Jacobo præsumptum ad Beneficium, sit re incertum & dubium utrique, arbitramur neutrum teneri, *titulo Beneficii*, ad recitandum Breviarii Officium, utroque in possessionem profecto: nam ex possessione non est judicandum de jure ad Beneficium: cum forsan jure vacuus auteoccupet jure gaudentem legitimo; Qua propter in re incerta, possessio, de qua utraque pars, jus ad idem Beneficium obtendens, vicissim contendit, non sufficit ut teneatur ad recitandas horas Canonicas, quum non sit tranquilla, & constet alterutram fore ei cassam qui causa cadet. Hinc utrique licet hunc Prioratum - Curam habere tanquam vacuum ad litis usque finem.

Si vero jus alterutrius sit certum & legitimum, & hoc gaudens jure sit de eo, ex more, certior, sive consilio Causidicorum peritorum, quos consuluit, sive alias; videtur nullum esse dubium quin teneatur ad recitandum Officium divinum, *titulo Beneficii*; licet lis ab alio in se illata non sit composita.

Observandum tamen est quorumdam Beneficiorum fructus esse Beneficiarii futuri a die quo vacuum est, ac proinde si Prioratus-Cura sit hujusmodi, alterutri contendenti, cui addiceretur judicio, non liceret, conscientia, uti fructibus qui ante victam litem exivissent, si hujus Beneficii muneribus non fuisset functus, nec Breviarium recitavisset; sed ad Ecclesiæ adminicula aut pauperum levamen eos impendere teneretur.

Idem dicendum est de eo secundum quem vindiciæ fuerunt dictæ, aut qui alias fructibus utitur, etiamsi non esset de jure causæ plene certior. Ratio est, quia in priore casu persuasum habet ex usu se fructibus gravisurum, victa lice, quum jus liqueat; & in posteriore iis jam gaudet; ac proinde adstringitur oneribus quorum præcipuum est recitare Breviarium, *propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur*, sic dicente Bonifacio VIII. (i).

(i) Bon. VIII. in c. Quia fin. de rescript. in 6. lib. 1. tit. 3.

CASUS XXXVII.

Lævio, Clerico tonsura insignito, est Capella, cujus proventus est 100. librarum, quique proinde, non est par ut ipsi victus suppetat cumpetens. Tenetur-ne, conscientia, ad recitandum quotidie majus Officium?

Respons.

Lævium putamus teneri, conscientia, ad recitandum majus Officium, licet Capella reddat proventum 100. Librarum.

Prima ratio afferenda est, quia Beneficiarius quivis, nullo excepto, ad recitandum Breviarii Officium,

Officium, tenetur, ut significavit Leo X. septima sua Bulla 3. Maji 1514. (*a*) *Quilibet habens Beneficium cum Cura vel sine Cura*. Hæc vox, *quilibet* qua hic utitur Pontifex, est generalis, & nullam de se admittit exceptionem, nec distinctionem. Auctor Opusculi S. Thomæ adscripti sic exponit (*b*) Mentem jam eadem ratione aperuerat S. Pius V. ante Leonem X. in 133. Bulla 20. Septembris 1571. (*c*) *Quicumque habens Beneficium cum Cura vel sine Cura*. Ex quibus verbis concludendum quosvis Beneficiarios sine distinctione ad recitandum Breviarii Officium teneri: quod pressius patet his ejusdem Sancti Pontificis verbis: *Declarantes, præstimoniales portiones & qualiacunque alia Beneficia etiam nullum omnino servitium habentia, cum prædictis pariter convenire* (Scilicet in Decreto Concilii Lateranensis.

(*a*) Leo X. in Bulla superius p. 31.
(*b*) Apud S. Th. Opusc. 85. c. 1.
(*c*) S. Pius V. in Bulla ex proximo.

Concilium Rhemense, anno 1583 Cardinale Guisio habitum (*d*) Burdigalense ejusdem anni (*e*), & Tolosanum anno 1590. collectum (*f*) nullo distinguunt modo amplis gaudentes Beneficiis ab obtinentibus tenuia, & dicunt universim singulos ad Officium Canonicum recitandum ex æquo teneri, pœna restitutionis fructuum Beneficiorum pro rata temporis quo sua defuerunt culpa.

(*d*) Con. Rhemen. tit. de Breviario n. 2.
(*e*) Con. Burdig. tit. de Ecclesiastic. precationibus.
(*f*) Conc. Tolosan. part. 1. c. 4. de Presb. & Clericis 2.

Addendum est veteres Canones æquipollentibus concipi verbis (*g*). Et te non est distinguendus amplo gaudens ab obtinente modicum Beneficium circa obligationem ad Officium; quum Canones nihil distinguant: quod dicimus juxta hanc juris regulam: *Ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus* (*h*).

(*g*) Can. Eos qui 18. dist. 91. c. Quia sin. de rescr. 6.
(*h*) Arg. Legis de Pretio ff. de publicana in rem actione 6. til. 3.

Secunda nostræ decisionis ratio auctoritati S. Antonini innititur (*i*), qui defendit Beneficiarium in sacris non constitutum Ordinibus, non valere, conscientia, se ab onere tam legitimo tamque prudenter statuto eximere, per speciem modici Beneficii quo ad victum est impar. Ratio, quam affert est: quia Ecclesia ad illud accipiendum non coegit, ac proinde sibi vertendum vitio quod acceperit. *Tenentur secundo ex præcepto* (ad horas Canonicas) *quilibet Clerici Beneficiati, & non existentes in sacris ... nec excusare se possunt ratione tenuitatis Beneficii, si ex eo non percipiant sibi necessaria; sed imputent sibi ex quo se fecerunt ad illud intitulari*. Sic dicit hic Sanctus Archiepiscopus; cui concordat Auctor Glossæ (k) qui dicit eum Beneficiarium ad Breviarium recitandum teneri, sibique dicendum cum S. Paulo Ecclesiæ ministro, inopia laborans, & copia affluens. *Sicut vir tenetur ministrare necessaria uxori, quæ tamen est talis quod ei debitum reddere non valet* (*l*)... *Ita iste* (qui non percipit necessaria ab Ecclesia) *tenetur officiare Ecclesiam, licet pauper sit, & dicere cum Apostolo*; scio & abundare, & esurire (*m*). Atqui primam officium Ecclesiæ præstandum ab isto Beneficiario est oratio eo modo fundenda quo Ministris imposuit.

(*i*) S. Anton 3. part Sum. Th. tit. 13. c. 5. P. 3.
(k) Glossa in can. Clericus 3. dist. 91. v. vigilias.
(*l*) Can. Quod proposuisti 6. q. 7.
(*m*) Epist. ad Philip. IV. 12.

Eamdem doctrinam docet inclytus Cardinalis Hostiensis (*n*), eamque comprobat secundum Glossam (*o*), collatione viri, qui ita inopem duxit filiam ut dos ipsi ad victam non suppeteret, cum Beneficiario qui modicum accepit Beneficium. Nam inquit: ut is homo uxorem, licet pauperem tenetur alere & necessaria ad usus vitæ suppeditare, quia ducens eam, non obstante ejus paupertate lubens hoc subivit onus: Ita Beneficiarius, qui Beneficium, ut ut modicum, accepit, ad onera quæ cuivis incumbunt Beneficio, tenetur, ex quibus necessaria est recitatio Officii divini, a qua immunis legitimo modo esse nequit, obtendens sibi ad victum non suppetere ex Beneficio, & iniquum videtur Ecclesiæ ministrare quum ministrantem non sustentat.

(*n*) Hostien. in d. Can. Clericus.
(*o*) Gl. in can. Cler. sio. cit. dist. 91.

Jam monstrandum est Canonistam istum æquum dicere 1. Quia fructus Beneficii non est unica causa oneris ad Officium quod Beneficiarius contrahit; nam Beneficium, cujus fructus est 20. vel, 30. mille librarum, aut plura obtinens, quum ex unico sibi non suppetat ad victum bonum, non tenetur ad Horas Canonicas pluries de die recitandas. Igitur ex fructo amplo aut modico oritur distincte onus eas recitandi: alioquin sequeretur Beneficio gaudentem ex quo necessaria ad victum sibi suppetunt, ad recitandum Officium divinum non teneri per annum quo fructus non feret Beneficium, quia grandine aut quodam alio casu fuissent consumpti; quod asserere absurdum. Primaria igitur ratio Beneficiarium adstringens Officio divino est quia Dominum selegit suam partem & eam lubens subivit sortem qua Deo & Ecclesiæ ministrare tenetur modo a cultu fidelium penitus discrepante, & in qua Consuetudo, jam a primis sæculis adeo sancte inducta ab Ecclesia, imponit ei persolutionem hujus tributi diurni Deo faciendam. Quando igitur dicit Apostolus, ministrans altari sit altaris particeps, hoc ministerium non est soli alligandum orationi, ad quam tenetur Clericus, quum eum nec per totum diem, nec per majorem ejus partem, non detineat; Apostolus enim in mente habet ministerium continuum, aut magnum, videlicet, concionari, confiteri, celebrare, invisere ægros, iis Sacramenta administrare, aut tandem utilem impendere operam ministerio Ecclesiæ & fidelium saluti.

Denique his omnibus textus ipse Canonis addendus est, cujus Glossam (*p*) jamjam attulimus, qui ex Concilio Carthaginensi IV. excerpitur, & qui de Clericis, quibus necessaria ad victum desunt, & quorum portiones Canonicæ sunt tenuiores, tractans, dicit illius victum esse quæritandum aliqua honesta arte, aut agricultura, non neglecto tamen Officio divino, quod, his non obstantibus, recitare tenetur: *Clericus*, habet hic Canon, *victum & vestimentum sibi artificiolo, labore, vel agricultura, absque Officii sui duntaxat detrimento, paret*. Atqui Clericus quilibet, illius Concilii tempore, Ecclesiæ alligabatur & portionem e fructibus ejusdem Ecclesiæ trahebat ob suum ministerium. Quomodo igitur in casu memorato in quæsito proposito diceretur Lævius, qui qua simplex Capellanus Ecclesiæ ministrare non tenetur, immunis a recitandu Officio: quum is, de quo Canon, tenetur, licet Ecclesiæ privatæ, cujus erat membrum, adhæreret, e qua tamen ad victum necessaria non perciperet, & labori adstringeretur quo supplementum ad vitæ usus necessarium pararet.

(*p*) Can. Clericus. dist. 91.

Ceterum ea est decisio non solum Sancti Antonini, Cardinalis Hostiensis, Sylvestri Mozolini, Navarri, Cardinalis Toleti, compluriumque aliorum; sed & Doctorum recentiorum, qui de rebus Beneficialibus plenius disseruerunt (*q*), quos in margine citamus.

Ex difficultate, ad quam nunc respondemus, observare juvat, iisdem rationibus, modo allatis, Canonicum, ne unum quidem grossum e præbenda percipientem primo anno, teneri tamen ad Officium eo ipso quod Beneficium accepit.

(*q*) Hostiens. loco cit. & in c. presbyter. 1. de celeb. Miss. & n. 3 & 19. Sylv. de Priq. 3in v. Hora in 2. Navarr. 5. Manual. c. 2. n. 102. F. Tolet. instit. Sacerd. l. 2. c. 74. n. 4. Cardinalis, Imola gbbas; Fumus, Petr. de Ledesma Bas i Travamala; Medina, Azorius, De Genes. Th. Mos. t. 2. 31. 3. c. 30 n. 18. Culper Cancel. 2. 3 Coll. 7. q. 4. Colloq. Conto. 2. colloq. 3. sect. 2. De Sainte Beuve t. 2. cas. 21.

CASUS XXXVIII.

Hardnino, Sacerdoti, Ecclesiæ in qua Officium Romanum ex omni ætatum memoria usu recipitur, Beneficiario, fas est secundo Novembris die dicere Octavæ omnium sanctorum Festi Officium, non addito Defunctorum Officio, a Rubricis Breviarii præscripto. Peccat ne mortaliter hac omissione?

Videtur peccare mortaliter, quum præceptum Ecclesiæ violet in re gravi. Econtra videtur non peccare; quia Bulla Sancti Pii V. a capite Breviarii Romani legenda, habet verbis generalibus non esse recitandum defunctorum Officium, a Rubricis præscriptum.

Respons.

Ista solvitur difficoltas sola S. Thomæ auctoritate (*r*), qui dicit Ecclesiam ex usu generali Officium defunctorum recitare die Ferialium, tanquam partem proprii illius diei Officii: *Officium mortuorum*, inquit, *quandoque in Ecclesia dicitur, sicut ordinarie pertinens ad Ecclesiæ Officium, sicut in tota Ecclesia in die animarum dicitur Officium pro mortuis*. In ejus sententiam abiverunt plures Auctores, & potissimum Sylvius ejus fidus interpres

(*r*) S. Th. quod. 2. 6. art. 8.

protulerant. Celebris hæc Censura reperitur in articulo trigesimo cui titulus est, *De Regula morum & probabilitate*. En Propositiones & Censuræ verba.

PROPOSITIO CXVII.

Puto omnia esse hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materia, & præcipe Morali, libentius juniores quam antiquiores lego & sequor ... Doctrina fidei a veteribus: doctrina morum magis a junioribus petenda.

CENSURA.

Hæc propositio temeraria est, scandalosa, perniciosa, erronea, SS. Patribus & antiquis Doctoribus contumeliosa, spreta in moribus Christianorum componendis, necessaria Scripturarum ac Traditionis auctoritate & interpretatione; Moralem Theologiam arbitrariam facit, viamque parat ad humanas traditiones & doctrinas, Christo prohibente, stabiliendas.

PROPOSITIO CXVIII.

Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis extrinsecis, falsam & improbabilem existimet.

PROPOSITIO CXIX.

Hæc positio: sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis: Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor: si sufficiunt quatuor, sufficit unus ... ad probabilitatem sufficiunt quatuor: sed quatuor, immo viginti & supra testantur unum sufficere: Ergo sufficit unus.

CENSURA.

Istæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ, spreta veritate, quæstiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.

PROPOSITIO CXX.

Si liber sit alicujus junioris ac moderni, debet opinio censeri probabilis: dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tamquam improbabilem.

PROPOSITIO CXXI.

Non sunt scandalosæ aut erroneæ opiniones, quas Ecclesia non corrigit.

CENSURA.

Istæ propositiones, quatenus silentium & tolerantiam pro Ecclesia, vel sedis Apostolicæ approbatione statuunt, falsæ sunt, scandalosæ, saluti animarum noxiæ, patrocinantur pessimis opinionibus quæ identidem temere obtruduntur: atque ad Evangelicam veritatem iniquis præjudiciis opprimendam viam parant.

PROPOSITIO CXXII.

Generatim, dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa, novam morum regulam novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum aut Traditionis fundamento, cum magno animarum periculo statuit.

PROPOSITIO CXXIII.

Si quis vult sibi consuli secundum eam opinionem quæ sit faventissima ; peccat qui non secundum eam consulit.

CENSURA.

Hæc propositio, quæ docet blanda & adulatoria consilia & contra jus exquirere & contra conscientiam dare, falsa est, temeraria, scandalosa & in praxi perniciosa, viamque deceptionis aperit.

PROPOSITIO CXXIV.

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

PROPOSITIO CXXV.

Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.

PROPOSITIO CXXVI.

Ab infidelitate excusabitur infidelis non credente, ductus opinione minus probabili.

PROPOSITIO CXXVII.

In morte mortaliter non peccas, si cum attritione tantum Sacramentum suscipias; quamvis actum contritionis tunc omittas libere: licet enim unicuique sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori.

CENSURA.

Doctrina his propositionibus contenta, est respective falsa, perniciosa, erronea, probabilitatis pessimus fructus.

En undecim propositiones Ethicæ perniciosæ, quas quidam Auctores sequuntur in innumeris operibus Ethicis, quæ jam a sæculo & amplius, in lucem emiserunt: & cum Censura, cui hujusce Regni Episcopi per mandata publica, & multi summi Pontifices per sua Decreta hæc opera subjecerunt, eorum usum impedire non potuerit, nec Auctores adigere ad doctrinam suam revocandam: Clerus Gallicus una congregatus existimavit necessarium esse pro institutione Confessariorum Diœcesium suarum, operæque pretium pro salute fidelium eorum curis & ductui commissorum, ut antiquæ Censuræ renovarentur, & prava placita his in propositionibus contenta in æternum proscriberentur: quibus propositionibus celebris iste Cœtus nuncupationes promeritas tribuit, id est declarando quasdam temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, & injurias sanctis Ecclesiæ Patribus, & antiquis Doctoribus; quorum doctrina, doctrinæ plerorumque novorum Theologorum Moralium e diametro adversatur: alias vero falsas, in praxi periculosas, & idoneas ad seducendos peccatores qui ad Sacramentum Pœnitentiæ confugiunt, ipsis nimium in suis affectibus & in peccatis quæ confitentur, adulando.

Hæc sunt igitur principia, quibus omnis homo qui sincere rectam veritatis viam inquirit, quæ sola ad vitam ducit, inviolate adhærere debet; ita ut ab iis non discedat, & quorum ope quivis Confessarius omnes quæstiones ac difficultates quæ in hac magni momenti materia reperiri possunt, quantumvis spinosa & intricata videatur, facile dirimere potest. Hanc ob rationem existimavimus abstinere posse a longiori enarratione innumerarum quæstionum, quæ hanc in rem fieri possunt: & hac in secunda editione solummodo proposuimus in Casu sequenti, tres quæstiones quæ in praxi maximi momenti nobis visæ sunt.

CASUS

CASUS PRIMUS.

SYLVANUS cum multos Auctores circa materiam probabilitatis moralis legisset, qui affirmane 1. quod absque nllo peccato semper sequi possumus opinionem probabilem, licet forsitan certa non sit; 2. quod eam opinionem, etiam alia probabiliori posthabita, tuta conscientia sequi possumus 3. quod inter duas opiniones æqualiter probabiles eam eligere ac sequi possumus qnæ nobis placuerit. Quærit, num eorum doctrina circa hoc punctum, ita lana ac integra sit, ut in praxi, absque ullo peccati periculo, illi nos accommodare possimus?

RESPONSIO.

Antequam ad quæstionem propositam respondeamus sciendum 1. Quid intelligendum sit per opinionem probabilem, hæc verba sensu generali sumendo. Aristoteles dicit opinionem probabilem eam esse, quam omnes aut plnres sapientes vel saltem quidam ex illis, pro talibus agnitis, approbant. S. Thomas (a) hanc definionem adoptat, cum dicit *probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus vel pluribus sapientibus aut omnibus, vel præcipuis, & maxime notis.*

(a) S. Th Opusc. 39. de Palaciis c. 2.

2. Theologi accuratiorem afferunt definitionem opinionis probabilis, sensu quo eam hic intelligimus, idest sensu morali, sumptæ: opinio probabilis, inquiunt, est judicium quod de bonitate, ant malitia actionis fertur, quod quidem nititur rationibus, quæ firmæ videntur ac idoneæ ad determinandas personas pias & prudentes, ut illis assensum suum præbeant: verumtamen quod se se hallucinandi metum non excludit.

Hoc judicium differt a conscientia, quæ recta vocatur: quia conscientia recta veritati congruit, cum principio certo solummodo innitatnr: cum econtra conscientia probabilis tali principio non nitátur; sed principio ex quo falsitas, æqne ac veritas colligi potest, qnale est hoc principium: *mater filium suum diligit*: unde falla hæc consequentia elici potest, *Ergo Medæa liberos suos dilexit*. Tales snnt etiam hæ Juris Canonici sententiæ. 1. *semel malus* (b) *semper præsumitur esse malus*. 2. *Quod semel placuit* (c) *amplius displicere non potest*. 3. *Qui tacet* (d), *consentire videtur*: multæque aliæ similes.

(b) Reg. 2. de Reg. Jur. in 6.
(c) Reg. 21. eod. t.
(d) Reg. 43. eod. tit.

Conscientia probabilis etiam differt ab ea quæ erronea vocatnr; quia conscientia erronea nititur principio falso, quod Legi non congruit qualia sunt hæc principia 1. omnis ignorantia eximit a peccato. 2. Fide Theologica credenda non sunt nisi ea quæ nobis evidentia videntur.

Probabilis conscientia rursus differt ab ea quæ dubia dicitur; quia per conscientiam dubiam tantummodo judicatur, peccati periculum adesse, rem faciendo, vel omittendo: non magis in parte affirmantium, quam negantium propendendo. Sic ille qui nullam habet rationem judicandi, tale Pactum usurarium non esse, aut qui rationes habens judicandi illud pactum usurarium non esse, simul alias habet rationes, quæ sibi firmæ non videntur, autumandi id Pactum fœneratitium esse; Conscientiam habet dubiam circa hujusce Pacti bonitatem vel injustitiam, quæ causa est cur judicium suum cohibeat.

Denique conscientia probabilis differt ab ea quæ scrupulosa vocatur, quia conscientia scrupulosa non nisi judicium est, quod frivolis rationibus innititur. Quemadmodum, (ut Ysamberti exemplo utamur) si aliquis timeret peccare campanas die Dominica pulsando, quia hoc opus est manuale; aut etiam peccare eas non pulsando, quia Præfectus ipsi præcipit, ut eas congruenter Consuetudini pulset. Hoc in casu conscientia mere scrupulosa foret.

3. Opinio haberi potest vel propter auctoritates non certas, vel propter rationes ex ipsa natura rei, de qua agitur, desumptas: atque hanc ob causam duplex distinguitur Probabilitas.

Prior extrinseca, quæ nititur auctoritate unius, aut plurium Doctorum gravium, qui sapientes ac exercitati habentur.

Posterior quæ intrinseca vocatur, ratione nititur probabili, qua mens intus afficitur ac percellitur.

4. Probabilitas extrinseca, a peccato eximere nequit eum qui illi se se accommodat, cum de fide vel moribus agitur. Id docet S. Thomas (e), qui postquam dixisset in nniuscujusque potestate esse quam libuerit opinionem seqnendi, cum nec de fide nec de moribus agitur, hocqua sensu intelligenda esse ista Apostoli verba (f); *unusquisque in suo sensu abundet*. addit perinde non esse, cum agitur de materia quæ fidem aut mores spectat, cum nemo a peccato eximi possit, falsam hoc in genere opinionem sequendo, ex eo quod a Doctoribus doceatur: quia ceteroquin fatendnm esset, Discipulos Arii, Nestorii, aliarumque hæresium Architectornm, a peccato eximendos suisse falsam magistrorum suorum doctrinam sequendo. En S. Thomæ verba... „Diversas opiniones Doctorum sacræ „Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem „& bonos mores, absque periculo auditores excipere, „utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim „habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. „*Unusquisque in suo sensu abundet*. In his vero quæ „pertinent ad fidem & bonos mores nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus „magistri: in talibus enim ignorantia non excusat. Alioquin immunes a peccato suissent „qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii & „aliorum Hæresiarcharum, quibus idem S. Doctor addit, discipulorum sinceritatem eos coram Deo a peccato immunes præstare non posse. *Non potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum si in talibus erroneam opinionem sequatur*. Quamobrem, addit rursus, ea quæ homines docent facile credenda non sunt; quod ex istis S. Augustini eximiis verbis probat (g) *Consulat* (quis) *regulam fidei quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ auctoritate percepit.*

(e) S. Th. Quodl. 3. q. 4. a. 10.
(f) Rom 14. 5.
(g) S. Aug. l. 3. de Doct. Christ. c. 2.

Si illi qui affirmarunt, probabilitatem extrinsecam sufficere ad tuto agendum, S. Chrysostomi, S. Augustini, & S. Thomæ doctrinam sequuti essent, errorem, in quem lapsi sunt, vitassent; cum vero hanc doctrinam sequuti non fuerint, excusari nequeunt. Quemadmodum enim ait antiquus Auctor, cujus opus inter S. Chrysostomi opera reperitur (h) *non potest esse excusatio condemnationis ignorantia veritatis, ubi fuit inveniendi facultas, si fuisset quærendi voluntas.*

(h) Apud S. Chrys. hom. 44. operis imperf. in Matth.

5. Probabilitas intrinseca a peccato eximere nequit eum qui illi se se accommodat in rebus quæ ad salutem æternam spectant: cum hoc in casu scriptura probabilitatem intrinsecam & extrinsecam æqualiter condemnet. Intrinsecam probabilitatem condemnat, dicendo, dari viam, quæ homini recta videtur, cujus finis tamen ad mortem ducit: *est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ad mortem deducunt* (i) Condemnat etiam probabilitatem extrinsecam, quemadmodum patet ea his Evangelii verbis, ubi Dominus noster, de Pharisæis loquendo, dicit, *Relinquite eos; Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt* (K)

(i) Prov. 14. 12.
(k) Matth. 24. 27.

Juxta hæc placita, vitam suam instituere debet Sylvanns, de quo in specie proposita mentio fit, si periculum aberrandi, Auctores de quibus loquitur legendo, vitare velit.

OPPOSITIO AD MATRIMONIUM.

(a) L. Ejus ff. de Reg. juris 3. juncta min. Glosse.

QUICUNQUE habilis est ad suum assensum rei præbendum, ille se se opponendi jus habet, juxta hæc Legis verba (a), *ejus est nolle, qui potest velle*. *Oppositiones*, seu intercessiones innumeris in negotiis formari possunt: verum hoc in titulo unice agitur de oppositione ad Matrimonium, vel ad sponsaliorum publicam denuntiationem vel ad impetrationem immunitatum quæ matrimonio præire debent. Quamobrem nobis sat erit, si de ista voce, quoad hanc peculiarem significationem verba faciamus.

(b) Fevret l. 5. ch. 3. n. 19.

(c) D. Brill. v. opposit. n8.

Cum formatur oppositio ad matrimonium, aut ad sponsaliorum promulgationem, & cum opponens hanc oppositionis causam affert, nempe quod altera e Partibus alteri cuidam personæ desponsata fuerit, Officialis judex est proprius qui de ea oppositione dijudicare debet: quia tunc temporis proprie agitur *de fœdere matrimonii*. Verum si agatur de facto quodam, verbi gratia de impedimento quod inter Partes esse affirmatur: ut de violentia, seductione, conditionis inæqualitate, aut de quodam alio facto, quod directe ad matrimonii vinculum non spectet, ejus cognitio ad Judicem Civilem pertinet, juxta multorum supremorum senatuum Jurisprudentiam, quemadmodum Fevret in suo Tractatu de Abusu docet (b), qui laudat D. Bourdin, Procuratorem Generalem Imbert & Anne Robert, qui eamdem tuentur sententiam, quam confirmat adhuc Decreto supremi senatus Divionensis, 19. Februarii 1619. Attamen in omnibus fere Regni Foris Ecclesiasticis, Judex Ecclesiasticus circa omnigenas oppositiones ad hanc distinctionem non attendendo pronuntiat: & D. Brillon (c) refert Decretum supremi senatus Rhotomagensis, redditum die 30. Julii 1696. quod favet Officialibus & antiquo usui, hoc respectu apud eos recepto. Datur tamen exceptio respectu matrimonii Pupillorum, sive adsit raptus violentiæ, vel tantum seductionis, sive non adsit: tunc enim, quemadmodum agitur de exequendis Constitutionibus anni 1556. an. 1629. an. 1639. an. 1667. & an. 1670 quæ pœnam mortis minitantur iis, qui raptus violentiæ rei sunt; aliasque pœnas leviores iis qui solummodo rei sunt raptus seductionis, excepto casu seductionis commissæ ab homine infimi generis respectu filiæ nobilis aut a famulo, respectu filiæ Domini sui, de re cognoscere ad solos Judices Regios pertinet: quo in negotio non censentur violare Canonem Concilii Tridentini (d), quod dicit: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit*. Nam, sicut observat Bourdin in Constitutionem Francisci I. anni 1536. (e), nullus datur locus autumandi, hoc Concilium contendisse, ut ea quæ ad politiam temporalem spectant, a potestate Ecclesiastica instituerentur, cui relinquitur auctoritas quæ ipsi competit; cum de rebus mere spiritualibus solummodo agitur. *Ut enim in mere sæcularibus laicus in Ecclesiasticam personam ratione rei, aut qualitatis subjectam, jus dicere potest, ita reciproca ratione in mere spiritualibus Judex Ecclesiasticus in laicam personam jus dicit*. Atque hæc est ratio propter quam, cum Pupillus Matrimonium inivit, quin patris & matris, tutoris aut curatoris assensum obtinuerit, lis non promovetur coram Officiali, ut oppositio ad Matrimonium facta dirimatur: sed statim incipitur a celebratione Matrimonii, tanquam ab abusu, ad superiorem Judicem provocando.

(d) Conc. Tr. sess. 24. Can. 12.

(e) Art. 9.

Cum Officialis judicat de oppositione ad Matrimonium facta ex promisso quod tertia quædam persona sibi factum fuisse contendit, per Constitutionem anni 1639 tenetur ad ejus probationem Scriptis solummodo recipiendam & cum constat, omnis ejus auctoritas in eo tantum consistit, ut meram pœnam Canonicam reo imponat, nec jus habet præcipiendi quod ad personam desponsandam etiam ipso invito, tenebitur, licet antea flagitiosis ac perditis libidinibus indulsisset; salvo jure quod Pars opponens habet, coram Judice Regio agendi pro damnis suis ac interesse, si quædam exigat.

Dari possunt quædam circumstantiæ, in quibus filius admittitur opponens ad matrimonium quod ejus mater inire vult. Clarissimum ejus exemplum habemus recensitum a Basnagio in Articulum 369. Consuetudinis Normanniæ: Agebatur de muliere, vidua defuncti domini de Chantelou, quæ licet quinquaginta annos nata, cuidam e suis famulis viginti quatuor annos solummodo nato, nubere volebat. Ejus filius, qui senator erat in Curia Præsidiali Constan-

tiensi,

tienſi, ad illud Matrimonium oppoſitionem indixit, atque obtinuit Decretum a ſupremo Senatu Rhotomagenſi menſe Junio 1617. quod prohibuit etiam ſub mortis pœna matri & famulo, ne matrimonio ſe ſe conjungerent: & quia, non obſtante hoc Decreto, partes nihilo ſecius matrimonio ſe ſe conjunxerant, idem ſupremus Senatus ſecundum Decretum pronuntiavit menſe Julio 1618. quod uxorem ſpoliabat omnibus commodis quæ ex ſuo Matrimonii Contractu ambire poterat, eamque inſuper ac maritum ſuum, unumquemque ad mulctam centum & quinquaginta librarum, condemnavit.

In Gallia, cum de Matrimonio agitur, quiſque Pupillus habetur, donec trigeſimum annum adimpleverit. Quamobrem Pater, Mater, Tutor, Curator jus habent ſe ſe opponendi ad Matrimonium quod inire vellet ille, qui hanc ætatem non attigiſſet: excepto quod Judex accuratius diſquirit rationes eorum oppoſitionis, eaſque reſpicit prout convenit. Quam in rem obſervandum eſt, oppoſitiones quæ afferuntur a Tutore, vel a Curatore, niti debere rationibus validioribus ac majoris momenti, quam oppoſitiones quas Pater afferret.

CASUS PRIMUS.

INNOCENTIUS, S. Lupini Parochus, ſacras Ædes petens ad celebrandum Matrimonium die hilariorum, domo ſua exeundo, recipit oppoſitionem a parte hominis nihili, qui nullum hoc Matrimonium impediendi jus habet, & qui illi tantummodo ſe ſe opponit, ut lucretur triginta aſſes, quos futuri ſponſi hoſtis ipſi promiſit, ut hac ratione, illi, qui uxorem ducere vult, moleſtiam afferat, curando ut ejus Matrimonium poſt Paſcha uſque procraſtinetur. Parochus ille qui de hac vindicta certiſſimus factus fuit, confeſſione ipſa eorum qui hoc injuſtum ſtratagema ludunt, num abſolute tenetur ad Matrimonii celebrationem cohibendam, quodcunque ſcandalum exinde exurgat, præſertim ſi hæc eſſet ſecunda oppoſitio, quam hoſtis iſte indicendam curaſſet?

RESPONS.

Cum datur oppoſitio ad Matrimonium in formulis uſitatis facta, nunquam licitum eſt Parocho ulterius ad ejus celebrationem progredi, quin antea Partes hanc oppoſitionem tollendam curaverint per officialis ſententiam; licet Parochus ille certus ſit de oppoſitionis injuſtitia, quia de ea dijudicare ad ipſum non pertinet. Quamobrem etiamſi Innocentius certiſſimus ſit oppoſitionem quæ formatur meram eſſe vexationem ac vindictam, de qua Auctor ipſe gloriatur; Matrimonii celebrationi ſuperſede,redebet non modo ad ſecundam, verum etiam ad primam oppoſitionem.

Quod attinet ad ſcandalum, quod ſupponitur exurgere poſſe ex recuſatione Parochi illius ad Matrimonii celebrationem pergendi, neglecta injuſta oppoſitione formata; dicendum eſt hoc ſcandalum a ſua parte mere paſſivum futurum, nec ejus ſequelas, quantumvis moleſtas, ipſi jure imputari non poſſe: quia illi qui ejus recuſatione offenderentur, abſque ulla legitima cauſa offenderentur (a).

(a) De ſainte Beuve tom. 2. caſ. 104.

CASUS II.

POST primam Matrimonii futuri inter Ferdinandum & Eleonoram promulgationem, Joſephus, Ferdinandi frater, oppoſitionem ad hoc Matrimonium Parocho ſignificavit. Deinceps Ferdinandus Joſephum in jus vocavit coram Judice Regio, eumque oppoſitione ſua ſubmovere curavit, cum injunctione ad Parochum pergendi ad Matrimonii celebrationem. Num Parochus ex hac ſententia ad matrimonium celebrandum pergere poteſt.

RESPONS.

Parochus ad hujuſce Matrimonii celebrationem, ex ſententia a Judice Regio lata, procedere nec debet nec poteſt. Ratio eſt, quod Judex civilis talem injunctionem ipſi faciendi jus non habeat. At Judex Eccleſiaſticus ſolus eſt ad quem pertineat de matrimonii negotio cognoſcere, quemadmodum ex multis ſummorum Pontificum Decretalibus patet (b).

(b) Alexand. III. in c. Ex literis 5. De conſang. & affinit. Inn. III. in c. Cum inhibitio fin. de Clandeſt. deſponſat. & paſſim toto l. 4 Decretalium.

Hæc Deciſio congruit cum ſupremorum ſenatuum Galliæ Juriſprudentia & præſertim cum Juriſprudentia Supremi ſenatus Pariſienſis, qui celebre Decretum pronuntiavit die 10. Junii 1692. in gratiam Juriſdictionis Eccleſiæ, occaſione pueri qui filiam artificis ex urbe Vitriaco Francico ad nequitiam adduxit, cum promiſſo ipſam uxorem ducendi. Cum enim filia gravida evaſiſſet & adoleſcentem in jus vocaſſet coram Tribuno Capitali Vitriaci, ut ad ejus damna & intereſſe præſtanda, vel ad eam uxorem ducendam ,damnaretur, & ut, ſi forte eam uxorem ducere vellet Parocho injungeretur ut ad Matrimonium celebrandum procederet, ſub pœnis juris, bonorumque ejus ſub cuſtodiam traditionis: adoleſcens ad filiam uxorem ducendam ſe ſe obtulit, & Tribunus Capitalis, ex Concluſionibus Procuratoris Regii, præcepit ut Parochus de Matrimonio celebrando ſub pœnis Decreti moneretur: quod Decretum cum Parocho ſignificatum, ac conſequenter admonitio ipſi facta fuiſſet, ad Matrimonium celebrandum procedere recuſavit. Quamobrem Partes eum in jus vocarunt coram Tribuno Capitali ut ibi cauſas ſuæ recuſationis detegeret, atque ad eos Matrimonio conjungendos condemnaretur: Verum Parochus juris præſcriptionem actores ſua petitione depellentem propoſuit, & Judicem ſuum naturalem & competentem appellavit; quorum cum ſecundariæ vicis Prætor nullam rationem habuiſſet, Parochum, ex concluſionibus Procuratoris Regii, condemnavit ad Matrimonium celebrandum, omnium damnorum, detrimentorum ac ſumptuum pœna. Tandem cum Parochus ab his omnibus judicii formulis ad ſupremum ſenatum Pariſienſam provocaſſet, Dominus advocatus Generalis de Lamoignon oſtendit 1. ambarum ſententiarum latarum contra regulas peccatum & Judicum qui eas tulerant non legitimam poteſtatem, in caſu de quo agebatur. 2. quod hoc negotium unice ad Judicem Eccleſiaſticum pertinebat; & quod in Judicum Regiorum poteſtate non erat talem injunctionem Parocho faciendi; ideoque quod Partes poſt Parochi ſui denegationem ad Officialem confugere debuiſſent, & provocationem ad Metropolitanum ſe recipere, ac tandem ſi abuſus contigiſſet; ad ſupremum ſenatum confugiendo. 3. Deinceps vituperavit Judices Vitriaci, & animi firmitudinem Parochi laudavit & ex ejus concluſionibus Curia pronuntiavit, modo pravo ,irrito & contra regulas litem promotam, ac decretum fuiſſe a miniſtris & Judicibus Vitriaci Francici, & præcepit ut partes apud Parochum ſuum ſe reciperent, eoque denegante ad Epiſcopum Catalaunenſem confugerent ut ipſis provideretur; atque ad matrimonium celebrandum, ſi celebrari deberet, poſt acceptam ſalutarem pœnitentiam, pergeretur. Denique hoc ipſo Decreto præceptum fuit, ut Prætori ſecundariæ vicis & procuratori regi ad vadimonium per ſe obeundum dies diceretur ut reſponderent ad concluſiones quas Procurator Generalis Regius adverſus ipſos formare vellet (c).

(c) Du gaſt pri de la juriſd. Eccleſ. contens ch. 4. §. 2. n. 6.

Vide SOLEVRE Caſ. I.

ORA-

ORATIO.

ORATIO est *exponere Deo usus vitæ suæ necessarios*, aut proximi, cum desiderio habendi per Jesum Christum ex bonitate omnipotenti auxilia, ab eo expetita, *Oratio est desiderii coram Deo explicatio practica, ad aliquid impetrandum ab eo* (*a*).

(*a*) Polm. p. a. 3. n. Sap.

Dicimus *exponere Deo usus vitæ necessarios*, quia oratione quavis Deus necessario est compellandus, sive recta, sive ope Justorum, aut Sanctorum. Hanc ob causam dicitur a Sancto Augustino (*b*) oratio: *Locutio ad Deum*: & alibi (*c*) *Clamor ad Deum non voce, sed corde*.

(*b*) S. Aug. in Psal. 30. n. 10.
(*c*) Idem in Psal. 30. n. 10.

Addimus: *cum desiderio* &c. quod continet desiderium efficax, & ad cujus implementum diligenter adhibentur omnia auxilia necessaria, quibus voti compos quis fiat, Deo alias non exaudiente preces nostras.

Aliter orationem sic definit S Basilius (*d*) *Oratio est boni cujuspiam petitio quæ ad Deum a piis effunditur*. Vetus auctor (*e*) eam definit his verbis, *Oratio est conversio mentis: id est, conversio in Deum per pium & humilem affectum* Denique S. Joannes Damascenus, in prima decisione laudandus, innuit orationem esse simul actum intellectus & voluntatis. *Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur*.

(*d*) S. Basil. Orat. de S. Julitta.
(*e*) L. de spiritu & anima c. 50. inter opera S. Augustini,

Variæ distinguuntur orationes, solo discrepantes, quo funduntur, modo. Sic 1. dantur publicæ, quæ coram omnibus recitantur, & a Ministris in Ecclesia, vel alio in loco, huic usui destinato. 2 Dantur privatæ & peculiares oppositæ ad factæ palam in omnium Fidelium gratiam: & quia fundens preces orat privatim in sui gratiam 3. Oratio est, vel vocalis, vel solum mentalis. Vocalis nomine veræ orationis digna est, quando cor verbis cohæret prolatis. Mentalis est elatio spiritus & cordis ad Deum, a quo expetuntur intus auxilia necessaria.

Oratio quævis, utilis & Deo accepta. 1. Comitem habeat attentionem requisitam, sive actualem, seu virtualem. 2. semper fundatur ad Deum nomine & meritis Jesu Christi. *Non est justa oratio, nisi per Christum*; inquit Sanctus Augustinus (*f*).

(*f*) S. Aug. in Psal. 118. n. 9.

Ut oratio sit utilis & Deo grata, in statu gratiæ sit quis non est absolute necesse, sed semper effundenda est cum animo pœnitenti, Deo peccatores sincere peccatis valedicentes exaudiente

Cæterum nos docet Sanctus Augustinus, preces coram Deo fundi utiles, quocumque in situ constituatur corpus, id est, supinum, adstans in genua, sedens aut stans, ac probat exemplis Davidis (*g*), Prophetæ Eliæ, Publicani, & Sancti Stephani (*h*).

(*g*) 3. Reg. VII. 18.
(*h*) 3. Reg. XVIII. 42. Psalm. VI. 7. Luc. VIII. 13. Act. VII. 59. & XX. 36.

CASUS PRIMUS.

MAICHIO, sacerdos missus, qui doceat doctrinam Christi barbaras gentes dans mandata de necessitate orationis, protulit eam esse ex præcepto divino. Pluribus vicibus sollicitatus fuit hanc sigillatim expendere necessitatem, Casus designare peculiares, saltem præcipuos: sed noluit 1. Propositio prolata est nevera? 2. Quo in casu dicitur oratio ejus necessitatis?

RESPONS.

Propositio ab hoc misso, qui doceat Christi doctrinam barbaras gentes, est certissima. Id apprime comprobant hæc Domini nostri verba (*i*) *Petite, & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulsate & aperietur vobis*. Petite & dabitur vobis: hæc verba non simplex consilium, sed verum continet mandatum ut interpretatur S. Thomas, qui dicit (*K*) *Petere .... sub præcepto religionis cadit, quod quidem præceptum ponitur* Matth. XIII. *ubi dicitur, petite, & accipietis*. Jesu Christo non fuit satis nobis orationem præcipere, sed in animum nostrum inducere voluit orationis necessitatem suo exemplo, cum sæpius Patrem æternum orasset pluribus in occasionibus, in Evangelio notatis.

(*i*) Matth. VII. 7.
(*k*) S. Th. 2. 2. q 83. a. 3. ad 2.

Ista innititur necessitas summo, quo egemus, auxilio gratiæ, a Deo solo recipiendæ; quia ex nobis nihil habemus boni ad salutem æternam, neque valemus in bonam venire cogitationem, nisi Deus eam prodocat ipse in corde nostro, fatente Paulo, dicente (*l*): *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*.

(*l*) 2. Cor. III. 5.

Atqui constat Deum quandoque gratias concedere non petentibus. *Cum constet, alia Deum*, inquit S. Augustinus (*m*) *danda etiam non orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam*. Hoc apertissime declarat S. Jacobus Apostolus (*n*) quando dicit multas nobis deesse gratias culpa nostra; quia non petimus: *non habetis quod non postulatis* aut non petimus legitimo modo (*o*) *petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*.

(*m*) S. Aug. l. de dono perseve. c. 16. seu numero 39.
(*n*) Jac. IV. 2.
(*o*) Ib. v. 3.

Nullum igitur est dubium quin oratio sit ex præcepto Divino, ac proinde pernecesse sit indesinenter orare ut impetrentur gratiæ ad salutem necessariæ.

Præcipua huic faciendi præcepto satis tempora sunt 1. Tempus morbi, afflictionis, aut persecutionis; quum Deus declaret ipse per prophetam Davidem, dicens (*p*) *Invoca me in die tribulationis: eruam te & honorificabis me*.

(*p*) Psalm. XLIX. 16.

2. Calamitas publica, scilicet, bellum, fames, pestis, & alia hujusmodi.
3. Tentatio violenta.
4. Periculum salutis summum, quod incumbere proxi-

proximo novimus: & tunc exsequi tenemur quod commendat sanctus Jacobus: *(a) Orate pro invicem, ut salvemini.*

(a) Jac. 5. 16.

5. Quando periculum vitæ imminet,

6. Quum consilium ingens, gloriam Dei, Ecclesiæ aut Religionis salutem spectans, est effectui dandum.

7. Quando quis conscius est sui peccati mortalis: nam, quum obtinenda sit remissio contritione, quæ est donum sancti Spiritus supernaturale, absolute tenetur eam a Deo petere, ejusque amorem excitare ut obtineatur.

C A S U S II.

Jodoco, juniori Sacerdoti Missam celebranti non satis est ejus Canonem recitare; & subinde preces immiscet peculiares ad Deum effusas, edens actus fidei, spei & amoris; propalans actus contritionis & boni consilii, aut ab eo petens gratias & virtutes; sæpe etiam fundit ad B. Virginem & Sanctos, postea persequitur Canonem, quem sic identidem abrumpit. Hujusmodi orationes suntne præposteræ, & ejus devotio incomposita ac culpanda?

R e s p o n s.

Etiamsi constet Sacerdotibus celebrandum esse sacrum Missæ sacrificium cum omni pietate, attamen excusari nequit praxis junioris Sacerdotis, de quo in quæsito proposito agitur: nam facienti sacrum non licet ullas preces peculiares adjungere contentis in Missæ Canone, nisi tempore *Memento*, in quo, ex novis Rubricis, licet quasdam emittere in gratiam eorum quorum nomine sacrum offertur sacrificium, omnium Fidelium universim, eorumque suorum privatorum. Sed sint brevissimæ & brevissimo circumscribantur tempore, ut clare habent eædem Rubricæ, *oret aliquantulum*, sunt ipsissima verba. Confirmantur dicta pluribus rationibus. Prima, quia, si penes sacerdotem esset eas immiscere preces, longior foret Missæ celebratio; & dum faceret suæ pietati privatæ satis, præsentes tædio afficeret, ac minueret eorum fervorem & pietatem: incommodo a quovis sacerdote prudenti diligenter vitando.

Hanc longitudinem inconsultam culpatorus, Guilielmus Parisiensis in suo Tractatu de Rhetorica divina, *(b)* id est, de oratione christiana, quam artem & scientiam alloquendi Deum dicit, hujusmodi Sacerdotes vocat combustores cerei, qui nedum populo instillent pietatem, nimia longitudine ariditatem & siccitatem in corde præsentium procreant, ac in amarorem & fastidium vertunt cibum spiritualem e sacro sacrificio hauriendam: „ Sicut notum est „ de quibusdam sacerdotibus, cereorum consumtoribus, *ait hic magnus Episcopus*, qui Missas „ adeo longas faciunt, quod tædio prolixitatis suæ „ corda circumstantium & a gratia devotionis arefaciunt, & ipsam refectionem spiritualem, quam „ in Missis percipere debent, in molestiæ amaritudinem eis vertunt. De his igitur potest conqueri populus circumstans, & dicere: Dederunt in „ escam meam fel. Pietas horum Sacerdotum inconsulta, pergit hic Auctor, a præsentibus in Missis eripit pietatem: ita ut tribus quatuorve compunctionis lacrymis, si ita loqui liceat, vasa fervore plena invertant, privando præsentes spiritu quo ducebantur: „ Stultitia igitur hujusmodi ho„ minum hæc est, ut pro pugillo devotionis, ut „ eis in Missis tribuitur, totius populi devotionem „ auferunt, & pro tribus vel quatuor, ut ita dicam, „ lacrymis compunctionis vel devotionis, vasa ma„ gna, id est, corda devote & lacrymose orantium „ effundunt. Denique hic addit Episcopus finiens, se plures vidisse ita pressos istis longis Missis, ut mallent eas non audire, quam earum longitudine se sentire obrutos & pertæsos: *Vidi*, inquit, *multos prolixitate Missarum adeo obstinatos, ut potius eligerent Missas hujusmodi non audire, quam prolixitatis tantæ molestiam sustinere.*

(b) Guillelm. Paris. Rhetor. c. 44.

Quam ob caussam plura Concilia decimi tertii sæculi mandarunt, ut Sacerdos *rotunde & distincte* proferret continua oratione verba Canonis, Londinense, an. 1200. in Abbatia Westmonasteriensi habitum, Pontifice Innocentio III. mentem aperit his verbis: Præcipimus ut Sacerdos quivis rotunde & distincte emittat Canonis verba, non abrupta nimia præcipitatione, nec nimia tarditate protracta. Nam diu non est inhærendum Canoni, propter cogitationes orientes, & instar muscarum morientium, odorem unguenti amittentes. *(c)* Cum in divinis Offi„ ciis non sine periculo corporum & animarum er„ retur, salubri provisione concilii prospeximus, ut „ a quolibet Sacerdote verba Canonis rotunde di„ cantur & distincte, nec ex festinatione retracta, „ nec ex diuturnitate nimis protracta. Non est e„ nim ibi diu immorandum propter insurgentes co„ gitationes quæ, ut muscæ morientes, perdunt suavitatem unguenti. Aliud Concilium an. 1280. Coloniæ *(d)* habitum, Sifrido Archiepiscopo hujus civitatis, similiter jubet ut Sacerdotes oro virili festinent in celebranda Missa, propter tædium & molestiam præsentium, quibus alias urgentia incumbere possunt negotia. *Et expediant se quanto citius possunt propter tædium astantium, & alia quæ occurrere possent.* Nihilominus hæc Concilia quamvis prohibent præcipitationem, & stricte præcipiunt Sacerdotibus, ut omnia proferant distincte, attente & cum omni reverentia tanto Sacrificio debita.

(c) Conc. Londin. c. 1.

(d) Conc. Colon. an. 1280. cap. 7.

Secunda ratio, prima major est, quia Sacerdos, ut memoratus in quæsito, persæpe & sine necessitate contextum Canonis Missæ intermittens, quo sa dedat variis pietatis motibus insurgentibus in se, nequit sibi permittere sine avocata admodum attentione sensui verborum quæ recitat, ut & Sacrificio augusto quod celebrat, adhibenda, & sanctis cærimoniis ab Ecclesia statutis in ejus celebratione; quæ, mysterio & doctrina plenæ, attentionem spiritus & cordis requirunt peculiarem, quæ ab eo, lubenter se exercente aliis admodum dissitis, abest.

Tertia est, quia Jodoci praxis penitus est ab uso aliena, quam universim servant singuli Ecclesiæ Sacerdotes, officium suum edocti, & strictam obligationem vitandi singularem ab aliis agendi modum, in primis in celebrandis divinis Officiis & administrandis Sacramentis: Jodoci igitur pietas est, tamquam inordinata a mente ac usu Ecclesiæ aliena, damnanda; ac sane si velit amori Dei incumbere, aut actus fidei, spei, aliarumque virtutum edere, ut reipsa tenetur antequam Altare conscendat iis est sibi insistendum, & adjungendi sunt precibus quæ solent præmitti.

Ista decisio consentit doctrinæ Cardinalis Bona, qui dicit nulli licere Sacerdoti quidquam addere de suo Missæ Canoni, & ipso Sacramenti momento unice cogitandum esse de faciendo cum attentione, non obediendo zelo præpostero & obscuro, quod Ecclesia numquam approbavit: *Hujusmodi interpositiones*, inquit ia pius & doctus Cardinalis *(e)* .... *inconsulta quorumdam devotione introductas, numquam approbavit Ecclesia.*

(e) Card. Bona l. 2. c. 11.

Concludimus igitur cum Auctore Micrologi *(f)* sæculo duodecimo scribente, temere addi quid Canoni pro lubitu nostro. Patrum nostrorum terminos non prætergredi satius est, nec nos efficere reos, preces peculiares Canoni inserendo. „ Nimis teme„ rarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad nostrum „ libitum adjiciamus .... optimum ergo videtur, ut „ in hac causa terminos patrum nostrorum non ex„ cedamus, ut non .... (nos) reos efficiamus, si .... „ Canonem nostris interpositionibus augmentare „ præsumamus. Hisce verbis is Auctor vetus improbat & damnat ejusmodi praxim, suo ævo adeo usitatam, ut, teste eodem Cardinale, plures ejusmodi preces Canoni intermiscere ausi fuissent, quas Pontifices & Præsules suppresserunt, quia, ut ut bonæ & sanctæ in se, Sacrificio non competebant.

(f) Microl. 12.

C A S U S III.

Ferrandus, cui tenuissima res est, & qui eam augeri avet ut commodius & gratius vivat, sæpe a Deo expetit in precibus ut rem familiarem augeat. Non ne peccat hanc effundens orationem.

Re-

RESPONS.

Ad hujus difficultatis solutionem, primo sciendum est orationem esse *Ascensum intellectus in Deum*, sic dicente S. Thoma *(a)*: id est, actum esse religiosum, quo res creata ratione prædita assurgit, accedit, & ascendit, ut ita dicam, ad Deum, cui subjicit & consecrat intellectum: *Orando tradit homo mentem suam Deo, quam ei per reverentiam subjicit & quodammodo præsentat*, inquit idem Doctor Angelicus *(b)*; & quæ, hac demissione, habet Deum, tamquam Dominum, principium & auctorem omnium quæ obtinet & quibus eget: *Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet*, pergit S. Thomas, *in quantum ei se objicit, & profitetur orando, se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum (c)*.

(a) S. Th. 2.2. q. 83. a. 17. in corp.

(b) Idem cit. q. 83. a. 3. ad 3.

(c) Idem ib. in corp.

Hac veritate posita, dicimus Ferrandum, si finis orationis sit solum temporale commodum & propria oblectatio, peccare eam fundendo orationem ad Deum: quia, eo in casu, dici nequit oratio *Ascensus mentis in Deum*, sic loquente S. Joanne Damasceno *(d)*; quum nedum ad Deum assurgat, se contra deprimat, avens & expetens quæ sunt infra Deum, quæ ipsi non sunt habenda tamquam finis primarius, & vera felicitas.

(d) Joan. Damascen l. 3. de fide orthodox. c. 24.

Non licet igitur a Deo bona expetere temporalia oratione sua nisi propter Deum & tamquam copiam bonorum æternorum parandorum. Quapropter Salomon ea expetivit solum necessaria *(e)*: *Tribue tantum victui meo necessaria*. Et S. Augustinus *(f)* damnat clamantes ad Dominum ut gaudeant opibus, serventur a periculis incolumes, obtineant prosperam proximorum valetudinem, familia constituatur, adsit felicitas temporalis, dignitas comparetur sæcularis, aut obtineant corporis sanitatem, nec ea referantur omnia ad Deum ipsum, ut tenentur: *Multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque vitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate sæculari, postremo pro ipsa etiam salute corporis .... pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum; facile quippe homini est quodlibet desiderare a Domino, & ipsum Dominum non desiderare*. Nam quid, ait alibi hic Pater *(g)*, quando petimus a Deo bonum temporale nisi ut sit nostræ minister cupiditatis? Cur invocas Deum? inquit, hominem alloquens. Respondit homo, ut mihi lucrum concedat. Lucrum igitur, non vero Deum invocas, reponit hic sanctus Doctor, invocas Deum, & simul eum habes lucri ministrum tui, eumque flocci facis .... Invocas ut tibi præbeat pecuniam, & sic eum habes ut adjutorem cupiditatis tuæ: *Quare tu invocas Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas, & non Deum .... Invocas Deum, ministrum lucri tui facis Deum viluit: tibi Deus*. Et alibi iterum *(h)*: *Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia .. Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum*.

(e) Prov. XXX. 8.

(f) S. Aug in Ps. LXXVI. 2.

(g) Idem in Psalm. XXX. enarrat. 4. n. 4.

(h) Idem in Psal. LXXXV. num. 8.

Concludamus igitur & dicamus cum S. Thoma, *(i)* fidelibus petenda esse a Deo temporalia tamquam adjumentum, & copiam acquirendorum æternorum: *Temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem; in quantum per ea vita corporalis sustentatur, & in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum*. Orationes ea mente non conceptæ sunt *non petitiones cordis, sed petitiones carnis*, ut præclare dicit S. Augustinus *(k)*, quæ sunt illicitæ, ac proinde peccatum, quia dedecore divinam afficiunt Majestatem: hanc quoque ob rem ejusmodi preces non exaudiuntur, aut Deus eas exaudit tamquam indicium certum iræ quæ in eos fertur: *Propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti quod male amat (l)*.

(i) S. Th. cit. q. 83. a. 6. in corp.

(k) S. Aug in Psalm. XXXVI.

(l) Psal. enarrat. 2. n. 7.

CASUS IV.

Severinus in peccatum incidit mortale; illico eum pœnitet: sed contritione imperfecta, semper reus est coram Deo. Potest ne eo in statu, fundere orationem Deo gratam?

Videtur non posse 1. Quia Scriptura *(m)* dicit Deum non audire peccatores; *Deus peccatores non audit*. 2. Quia oratio pia placet Deo, & hominis, actu in peccato versantis mortali, nequit placere.

(m) Jon. IX. 31.

Alias videtur Severino oratio fore utilis hoc in statu. Alioqui dicendum esset in cassum orare quoscumque in peccato versantes mortali; quod sine errore asseri nequit.

RESPONS.

Verum est Deum non exaudire peccatorem, in peccato perstare volentem; sed a pura misericordia exaudiri ei nuntium remittentem sincere, & petentem ab eo reconciliationem; modo oratio has quatuor conditiones habeat comites: *ut scilicet pro se petat necessaria ad salutem, pie & perseveranter*, ut S. fatur Thomas *(n)*: & eo sensu docent sancti Patres Deum favere orationi peccatorum. Nam, dicente S. Augustino *(o)*, si Deus non exaudiret peccatores, in cassum Publicanus ab eo petivisset veniam peccatorum: *Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens & pectus suum percutiens, diceret*: Domine, propitius esto mihi peccatori.

(n) S. Th. 2. 2. q. 83. a. 16. in corp.

(o) S. Aug. tract. 44. in Ioan. n. 13.

Inde Severinus, licet peccati mortalis reus, potest orationem Deo acceptam effundere: quum peccati pœniteat, & nitatur in gratiam redire.

Ad objectionem, qua oratio debet esse pia. & peccatoris nequit esse pia, dicendum est quodam modo esse piam; quum hujusmodi peccator orans desiderat veram pietatem, hoc est, remissionem peccatorum & sanctificationem. Ea est S. Thomæ expositio *(p)* *Dicendum* est, sunt ejus verba, *peccator non potest pie orare quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur. Potest tamen ejus oratio esse pia, quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens .... & quamvis ejus oratio non sit meritoria; potest tamen esse impetrativa, quia meritum innititur justitiæ, sed impetratio innititur gratiæ*.

(p) S. Th. ib. ad 2.

CASUS V.

Theosianus Minister conversus, videtur quasdam retinuisse reliquias Calvinismi, quem sincere ejuravit. Ratio, qua id conjicitur, est, quia numquam preces effundit ad Beatam Virginem, nec ad Sanctos, sed semper ad Deum per Jesum Christum. Confessario, qui scrupulum injeceras, respondit se arbitrari non necessario invocandos Sanctos, ut obtineat peccatorum remissionem & gratias quibus egebat, sed solum Deum: sed interim si injungeret per pœnitentiam fundere preces ad B. Virginem, aut Sanctos, se præsto facturum præscripto satis.

Quæritur de ea re, num Theorianus non sit in errore & praxi damnanda, & quid facto opus Confessario?

RESPONS.

Ad difficultatem, de qua agitur, tuto respondere licet, positis duabus veritatibus confessis ac a Sacra Theologiæ Parisiensis Facultate statutis, in prima parte articulorum doctrinæ quos jam in lucem edidit.

En verba prioris *(q)*: *Bonum est ac utile invocare Matrem Dei & Sanctos, in cælo cum Jesu Christo regnantes, tamquam intercessores apud Deum meritis Jesu Christi. Damnari nequit hæc invocatio sine errore: Deiparam & Sanctos in cælis cum Christo regnantes invocare tamquam intercessores apud Deum per merita Christi, bonum & utile est. Nec ejusmodi invocatio sine errore damnari potest*.

(q) Art. 35.

En verba, quibus posterior concipitur *(r)*: *Colimus Sanctos, illisque hunc amoris & societatis cultum, quem fratribus nostris, quorum suspicimus sanctitatem, exhibemus. Sed eo majori confugimus* pie-

(r) Art. 36.

pietate ad sanctos, quo tutius eos adeamus post victorias relatas. Sanctos honoramus & colimus eo cultu dilectionis & societatis, quo in hac vita coluntur sancti homines Dei, sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata.

His duabus veritatibus positis, tanquam indubiis respondentes ad quæstionem propositam de Theoriano, dicimus, quamvis necessitate salutis non sit necesse invocare Sanctos; attamen bonum esse ac utile eos invocare, nec posse hanc invocationem damnari sine errore: quia, dicente S. Thoma (*a*) *Sanctis non servimus, quasi obnoxii eis; sed servitute reverentiæ, quia nostri sunt doctores vel per doctrinam, vel per administrationem vel per intercessionem & exemplum.*

(*a*) S. Th. in 4. d. 9. q. 2. ad 7.

Dominus Bossuet, Episcopus Meldensis in sua Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ expositione (*b*) non alia profert. *Ecclesia*, inquit, *nos docens, expedire S. invocare; nos docet eos orare eodem charitatis spiritu, ex hoc societatis fraternæ ordine, quo expetimus opem fratrum nostrorum vivorum in terra.*

(*b*) Exposit. Doct. Eccl. cathol. pag. 19. ex. Ed. 1680.

Et quidem Concilium Tridentinum (*c*) dicit solum sanctos, cum Jesu Christo regnantes offerre Deo suas preces pro hominibus: bonum esse ac utiles eos invocare, & confugere ad eos ut a Deo impetrentur beneficia per ejus Filium Jesum Christum, nostrum salvatorem & Redemptorem. *Fideles diligenter instruant (Episcopi) docentes eos, S. una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse suppliciter eos invocare & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.* Quibus verbis patet invocare sanctos nihil aliud esse quam illis supplicare ut suas preces nostris addant, ut Deus, ab iis, qui adeo intime uniuntur cum eo, quibusque suam communem fecit gloriam; sollicitatus, nos exaudire dignetur, nobisque gratias, quas nomine Jesu Christi expetimus, largiri horum intercessione Sanctorum. Ita quando Deum oramus, fatemur nos ab eo sperare usus vitæ necessarios & salutem nostram dicentes; *Miserere nobis: libera nos a malo*; quum, orantes Sanctos, dicamus: *orate pro nobis: intercedite pro nobis*. Reliqua ditimendarum controversiarum de fide peritis permittimus, & dicimus, Theorianum, si sincere imbuatur sententia quam modo exposuimus, nec usum invocandorum sanctorum habeat errorem, ut evincit dispositio, quam præ se fert, ad eos effundendi orationes, quum ei præscribetur, a Confessario suo non esse vexandum hac de re.

(*c*) Conc. Tr. sess. 25. decreto de invocatione Sanctor.

ORDINES.

ORDO generatim sumptus est Sacramentum quod confert Clerico gratiam habitualem & potestatem spiritualem respectu habito ad consecrationem Sanctæ Eucharistiæ, & ad officia quæ eam spectant *Ordo est Sacramentum*, ait antiquus Pœnitentiarius Cameracensis, *quo gratia spiritualisque potestas confertur Clerico ad Eucharistiam consecrandam, muniaque ad eum ordinata rite peragenda.*

Dicitur, *Clerico*: id est, illi qui tonsura initiatus fuit, cum Ordo Clerici dignitatem, ideoque Baptisma, ponat.

Additur *ad Eucharistiam consecrandam*, quod solummodo intelligendum est de illis qui sacrum sacerdotii Ordinem acceperunt, ad quem ceteri omnes Ordines necessario referuntur.

Denique adduntur hæc ultima verba, *muniaque ad eum ordinata rite peragenda.* Quæ intelligenda sunt, non modo de aliis Ministris qui Sacerdotibus inferiores sunt, verum etiam de aliis officiis quæ propria sunt Episcopis: qualia sunt potestas consecrandi Sacerdotes, alioque Ministros inferiores, consecratio Ædium sacrarum, altarium, aliaque similia.

Secundum S. Thomam (*d*) septem Ordines diversi dantur. Quatuor primi, qui Minores vocantur, sunt ordines Janitoris, Lectoris, Exorcistæ & Acolyti (*e*). Tres ultimi, qui majores vel sacri vocantur, sunt Ordines Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotii; quemadmodum notat Sanctus Isidorus, qui addit Episcopatum, de quo hic verba non facimus, quia de eo locuti sumus in titulo. *Episcopus.*

(*d*) S. Thom. in 4. d. 24. q. 2. a. 1. quæstion. 2.
(*e*) Isidor. in Can. Clericus 5. d. 21.

Hi Ordines vocantur, *sacri* 1. quia proxime ad sanctam Eucharistiam referuntur: 2. quia quidam, ut Subdiaconi, vasa sacra, quæ ejus consecrationi inserviunt, tangere ac præparare possunt: alii vero, ut Diaconi, hoc augustum Sacramentum, in casu necessitatis, & Sacerdotibus deficientibus etiam administrare possunt; & alii denique, ut Sacerdotes, divinam Eucharistiam consecrare, eamque Fidelibus administrare possunt. 3 quia eos Ordines accipiendo, omnes se se Deo perpetua continentia consecrant, & quia ad sacram rem patrandam, precesque diurnas recitandas, se se adstringunt, licet nulla Ecclesiastica Beneficia habeant.

Unusquisque ex his septem Ordinibus, verum est Sacramentum, quemadmodum ostendemus in Decisionibus sequentibus, ubi etiam verba faciemus de materia & forma, quæ unicuique e Majoribus Ordinibus propria sunt.

Quod ad Ordines Minores spectat, Ordo Janitoris pro materia habet Ædium Sacrarum Claves, quas Episcopus ipsi tradit: & pro forma, hæc verba, *sic agito, quasi redditurus Deo rationem*, &c

Materia Ordinis Lectoris est Liber Sanctus, quem Episcopus ipsi præbet: & pro forma, hæc sunt verba, *Accipe & esto relator Verbi Dei.*

Exor-

Exorcismorum liber quem Episcopus in ejus, qui ordinatur, manus tradit, est materia tertii Ordinis Minoris, & Materia Acolyti sunt Urceoli vacui destinati ut iis infundantur vinum & aqua quæ Sacrificio inservire debent: Atque hæc verba, *Accipe Urceolum, ad suggerendum vinum & aquam*, ejus sunt forma.

Usitatus Ordinis Minister est Episcopus, sicut id Concilium Tridentinum decrevit (a).

(a) Concil. Trid. sess. 23. c. 4. & can. 7. & de reform. c. 10.

Duo Sacramenti Ordinis effectus distinguuntur. Primus ac præcipuus est gratia habitualis. Secundus, est character quem imprimit in anima ejus qui recipit hoc Sacramentum, quod necessario & natura sua Baptismatis, & Confirmationis Sacramenta, necessitate præcepti, supponit Vide Titulum *Episcopus*, ubi videbis quisnam sit Episcopus qui licite Ordines conferre potest, & ad quem ad eos recipiendos confugere oportet.

Præcipua Officia, subdiaconis propria sunt 1. Diaconum adjuvare, & infra ipsum in Sacro Ministerio famulari. 2 solemniter Epistolam decantare in Sacrificiis cum cantu. 3. Aquam vino affundere in Calice quem Sacerdos in Sacris solemnibus consecrare debet 4. Aperire librum Evangeliorum quando Diaconus cantat, eumque deinceps Sacerdoti osculandum præbere. 5 Accipere dona quæ Fideles in Missa offerunt. 6. Deficientibus Acolytis Crucem in supplicationibus gestare 7 Curare lintea & vasa Sacra quæ Sancto Sacrificio inserviunt: atque purificatoria lintea, corporalia & pallas lavare.

Quod ad Diaconos spectat, hæc sunt eorum officia, 1. ut Sacerdoti, qui sanctum sacrificium solemniter offert omnia ipsi hoc respectu necessaria præbeant. 2. Ut Evangelium cantent. 3. Ut populum doceant, & defectu Sacerdotis concionentur, cum Episcopus id ipsis concedit. 4. Ut baptisma solemne, etiam in casu necessitatis, administrent 5. Ut ex Ædibus sacris expellant Infideles, Energumenos, sacrificiis Interdictos delatos, aliosque qui in iis admitti non debent.

Sacerdotum Officia sunt, 1. Consecrare Corpus Jesu Christi, ut diximus 2. Administrare omnia alia Sacramenta, si excipias Confirmationis & Ordinis Sacramenta quæ solus Episcopus conferre potest. 3. Docere, concionari, atque fideles in viam salutis dirigere. 4 Consecrare aquam & sal quibus aqua lustralis constat, aquam Fontium Baptismi, Cereum Paschalem, & panem quem Fideles offerunt in Dono Missarum solemnium, ceteraque omnia, quorum consecratio Episcopo non reservatur: ac tandem benedicere omnibus personis benedictionem capientibus, si quasdam excipias, quarum benedicto soli Episcopo reservatur, quales sunt Abbates & Abbatissæ, Reges & Reginæ cum sacrantur ac inaugurantur, Consecratio Ædium Sacrarum, Altarium, Sacrorum Oleorum, hoc est Oleum Infirmorum, oleum Catechumenorum, quod Baptismo inservit, oleum quod vocatur *Sacrum Chrisma*, quod Confirmationi inservit, præter quasdam alias res quas Episcopi sacerdotibus committere possunt, quales sunt, benedictio Ædicularum Sacrarum privatarum, benedictio Ornamentorum quæ Altari inserviunt, benedictio Cœmeteriorum, Campanarum, Fasciarum & Vexillorum.

Absque Summi Pontificis immunitate, Ordines recipi non possunt, nisi quatuor anni tempestatum jejuniis, vel post adeptam ætatem a Sacris Canonibus præscriptam.

Nec etiam satis est ætatem requisitam attigisse; nam præterea necessarium est proba vita ac bonis moribus innotescere, nec ullo impedimento canonico laborare, qualia sunt, iteratum Conjugium, defectus ortus legitimi, muneris administrandi interdictio, aliæque Censuræ.

Ratio est, quod Ordinationi Sacræ solummodo admittendi sint illi qui a Deo vocati & ab Ecclesia electi non modo scientiam sufficientem cum morum probitate conjunctam habere debent, verum etiam ardens studium adeo purum ac sincerum, ut locus sit autumandi Ecclesiam exinde commodum percepturam esse. Quapropter antiqui Canones ab Ordinatione excludebant Neophytos, eosque omnes qui novissime ad Deum se se converterant, quia Ecclesia certa esse volebat de eorum perseverantia in fide ac pietate, quod dignoscere non poterat nisi ex pœnitentia & bonis operibus quæ facerent.

Ecclesia semper hanc sapientissimam cautionem adhibebat, non modo respectu eorum quos pro suis Ministris admittebat; verum etiam severissime agebat respectu eorum quos jam admiserat, cum Sacerdotium quodam crimine dedecorabant; sancti enim Canones in sempiterno ab altarium ministerio excludebant Sacerdotes, qui hoc in casu reperiebantur. Atque ea quæ de Sacerdotibus

dici-

dicimus pariter locum habebant respectu Subdiaconorum, & Diaconorum, quantum ad Officia suis Ordinibus annexa attinet. Equidem, hodie Ecclesia paulo magis indulget, & aliquid ab ista antiqua severitate remittere debere, autumavit: verum persuasum habere debemus, quod, licet ejus disciplina immutata fuerit, ejus animus semper idem sit qualis olim erat, quia non immutatur; ideoque quod personæ, illis quæ olim rejiciebantur similes, aut quæ per notandum tempus explorabantur, non minus dignæ sint, quam illæ quæ eadem ratione tractentur.

Diximus, ad Sacerdotium eos solummodo admittendos esse, qui ad illud *vocantur*; Infortunium est enim non satis deflendum, Ordines suscipere consiliis abjectis & demissis, aut incentivis criminosis, quemadmodum faciunt illi, qui non alia sibi proponunt incitamenta, quam ut commodum temporale huic vitæ instituto annexum percipiant, vel ut majori honore in mundo afficiantur; vel ut Ecclesiastica Beneficia obtineant, vel ut infirmum suum ortum obtegant; vel ut minus a suis Parentibus vel Consanguineis pendeant; vel ut vitent operam corpoream & vilem, cui præ nofcunt, quod sua forte se se addicere cogerentur; aut denique propter quædam alia consilia similia.

Unde colligendum est, quod cum sanctum hoc vitæ institutum absque vera vocatione suscipiatur, quoddam sacrilegii genus admittatur, usurpando bonum, honorem, dignitatem, ac Ministerium, quæ ad Deum, Jesum Christum, ejusque Ecclesiam solummodo pertinent, Deus ipse Ministros suos eligere vult. *Vos*, inquit Dominus noster, Discipulos suos alloquendo: *Vos non elegistis me; sed ego elegi vos* (*a*) Id etiam eos docere voluit per Parabolam Patris familias, quam ipsis proposuit, & quæ a Sancto Matthæo refertur, ubi dicitur quod operarios vocavit, ut in vinea sua laborarent: *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam...... ite & vos in vineam meam* (*b*): Quibus perfecte congruunt hæc Sancti Pauli Apostoli verba (*c*); *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron: sic & Christus non semet ipsum clarificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*d*) *appellatus a Deo Pontifex juxta Ordinem Melchisedech*: En maximi momenti effatum ad quod probe se se componere debent omnes illi, qui vitæ institutum adeo sanctum atque elatum amplecti volunt, ut periculum evidens non incurrant in eo pereundi, delectum voluntati Dei contrarium faciendo.

(*a*) Joan. 15. 16.
(*b*) Math. 20. 1. & seqq.
(*c*) Epist. ad Hebr. 5. 4. 5. & 10.
(*d*) Ex Psalm. 109. 4.

Sat vulgo quatuor Minores Ordines eadem die recipiuntur, verum nunquam duo Ordines Majores licite recipi possunt, nisi duabus diversis diebus.

Qui recipiunt Sacrum Ordinem ante ætatem a Concilio Tridentino præfinitam, quæ est viginti duorum annorum incœptorum pro subdiaconatu; viginti trium pro Diaconatu; & viginti quinque pro Sacerdotio; non modo mortaliter peccant, verum etiam inmuneris exercendi interdictionem incidunt, donec eorum Episcopo placuerit eos ab ista interdictione eximere.

Sacri Ordines absque crimine recipi nequeunt *per saltum*, ut loquuntur; id est, antequam recepti fuerint Ordines; qui inferiores sunt illi qui recipitur.

Denique nemo Ordines recipere potest nisi e manibus proprii sui Episcopi, vel nisi ab eo obtinuerit litteras dimissorias quæ rem permittant.

Cæterum omnes Ministri, de quibus mox locuti sumus, ii sunt qui *Clerum* componunt quæ vox oritur a voce Græca Κλῆρος: quæ significat *sortem, portionem*, quia omnes, ne quidem exceptis iis qui simpliciter tonsura initiati sunt, Jesum Christum pro sua portione eligunt: quæ causa est cur Sanctus Hieronymus dicat hanc Etymologiam explicando; (*e*) *propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia Dominus sors id est, pars Clericorum est*, Et alibi (*f*) Κλῆρος *enim Grace; Latine, sors: Unde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est, sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit*. Unde S. Ambrosius (*g*) colligit, verum clericum nunquam sollicitum esse debere de omnibus rebus terrenis, cum Deum, qui est summum bonum, pro sua portione habeat. *Cui portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum*. Atque hoc figuratum fuerat in Lege Mosis, ubi Deus dicit de Levitis loquendo; *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos; ero pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel*.

(*e*) In Can. Clericos 5. 12. q. 1.
(*f*) In Can. Duo sunt. 7. ibid.
(*g*) In Can. Cui portio 6. ead. c. & q.

Operæ pretium est observare, Ecclesiam Græcam dissidere ab Ecclesia Latina, circa numerum Ordinum Minorum, quemadmodum patet ex quarto Concilio Constantinopolitano, quod est Octavum Concilium Generale annis 869 & 870. habitum (*h*) ubi nulla fit mentio Ordinum Janitoris, Exorcistæ & Acoly-

(*h*) Concil. Constantin. Gener. Act. 1. Can. 5. apud Labb. tom. 8. col. 1163.

Acolyti ; Ita ut Græci pro Sacramento non agnoſcant niſi ſolum Lect. Ord. cui addunt ordinem Subdiaconi ; & credunt tres alios ordines minores, meras eſſe cæremonias Eccleſiaſticas, quorum officia Lectores & Subdiaconi exercent, quemadmodum officia aliorum Ordinum Superiorum a Diaconis & Sacerdotibus exercentur. Hic uſus non eſt damnandus, quia Eccleſia Romana eum approbavit, declarando unamquamque Eccleſiam ſequi poſſe ſuam antiquam Diſciplinam in omnibus rebus, quas ad fidem pertinere non pronuntiavit.

CASUS PRIMUS.

EPiscopus cujuſdam urbis Galliæ ordinibus initiavit Gullielmom, alia Diœceſi natum, nec ejus licentiam ab ortus Epiſcopo obtinuit ; num id facere potuit quodam in caſu abſque peccato, nec ullam pœnam canonicam ſubeundo?

RESPONS.

Antequam ad quæſtionem propoſitam reſpondeamus, cum Patre Thomaſſin (a) obſervabimus Concilium Sardicenſe (b) prohibuiſſe Epiſcopis, ne conſerrent Ordines Clericis, illiſque qui ex aliorum Epiſcoporum Diœceſi erant, congruenter interdictioni quam jam ſignificaverat primum Concilium Generale Nicææ congregatum reſpectu Clericorum, per ſuam ſacram ordinationem alteri Epiſcopo addictorum ; (c) Et quemadmodum Diſciplina antiquæ Eccleſiæ hoc in puncto non ſemper fuit uniformis, fuerunt quædam interdictiones generales, quæ Laicorum etiam ordinationem complexæ ſunt, ſicut aliæ fuerunt, quæ ſolummodo de Clericis extraneis verba fecerunt.

(a) Diſcipline del Egliſe. 1. part. l. 2. ch. 1. & 2. part l. 2. ch. 1. & 4. part l. 2. ch. 1.
(b) Conc. Sardic. can. 18.
(c) Conc. Nicæn. 1. Can. 16.

Ac revera Origenes cum adhuc Laicus eſſet, Palæſtinam trajiciens, cum Achaiam peteret ut ibi ad hæreticorum converſionem procurandam adlaboraret ; Epiſcopi Cæſareæ & Hieroſolymorum ipſum detinuerunt, ac ſacerdotem crearunt. Et Demetrius proprius ejus Epiſcopus in querimonia quam hac de re apud ipſos habuit, hanc rationem non attulit, quod Origenes e ſua Diœceſi eſſet, ſed ſolummodo quod irregularis foret, quia ſe ipſum mutilaverat. Quod vitium hi Epiſcopi excuſarunt propter magnam probitatem & eximiam ſcientiam novi hujuſce ſacerdotis, qui Eccleſiæ Cæſareenſi ſe ſe addixit. Habemus adhuc celebre exemplum, quod oſtendit Epiſcopos quandoque poteſtatem habuiſſe ſacerdotes creandi Laicos aliarum Diœceſium, abſque conſenſu Epiſcopi ſuæ Diœceſis. Exemplum nempe S. Hieronymi, qui cum nec ortum, nec baptiſmum Antiochiæ accepiſſet, ibi tamen, licet ipſo invito, a Paulino illius urbis Epiſcopo, ſacerdos creatus fuit. Pariter etiam S. Auguſtinus qui ex urbe Tagaſta, quam incolebat, oriundus erat, cum aliquando Hipponæ adeſſet, plebs ipſi vim intulit, volens ut ſe ſacerdotem creare ſineret ; atque reipſa ſacerdos creatus fuit, licet reſiſteret, nec ulla Epiſcopi ortus ſui ratione habita. Sic denique S. Martinus in Pannonia natus, & Ambiano baptizatus, Exorciſta creatus fuit, S. Hilario, qui ipſi Diaconatus ordinem conferre voluit, nullum reſpectum, ad locum ſui ortus, aut ſui baptiſmi, habendo.

Hæc diſciplina ſat uſu venit uſque ad decimum ſæculum ; at deinceps cœptum eſt longe majorem rationem Epiſcopi ortus, quam antea, habere ; quemadmodum patet ex Concilio Ravennæ anno 997. habito (d) : quod prohibuit ne ullus ex alia Diœceſi Ordinibus initiaretur, niſi litteras dimiſſorias ab Epiſcopo ſuo obtinuiſſet *ſine Canonicis Epiſtolis*. Concilium Monſpeſſulanenſe anni 1258. eamdem interdictionem ſignificavit, etiam reſpectu ſimplicis Tonſuræ. Idem præceptum videmus a Clemente IV. (e), qui prohibet Epiſcopis Italiæ, ne ordinibus initient ullum Clericum ultramontanum abſque licentia Summi Pontificis ; aut ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi ortus, aut Beneficii ; idque pœna interdictionis perpetuæ muneris exercendi pro illis qui aliter ordinibus initiati fuerint. Unde patet hunc ſummum Pontificem, pro Epiſcopo proprio, non agnoſcere Epiſcopum baptiſmi, vel tonſuræ, ſed ſolummodo Epiſcopum ortus, & Beneficii. Quam in rem obſervabimus per tranſennam cum Cabaſſutio (f) poſt Zerolam & Barboſam (g) ſecundum jus vulgatum, duplex ortus domicilium diſtingui poſſe, nempe locus ubi puer natus eſt ; & locus ubi pater ipſe pueri in lucem editus eſt, & qui juxta Jus Romanum verum eſt pueri domicilium, ſecundum hæc Legis verba (h), *Patris originem unuſquiſque ſequatur*. Verum hæc diſtinctio in Gallia locum non habet ubi reſpectu ejus qui ad ordines ſuſcipiendos ſeſe offert non alia origo agnoſcitur, præter eam quam e loco proprii ſui ortus ducit ; licet adhuc hodie in Italia utramque originem admittere uſu receptum ſit ; ita ut ille qui natus eſt Genua, abſque litteris dimiſſoriis ordines ſuſcipere poſſit Mediolano, ſi ejus pater hac ultima urbe natus ſit.

(d) Conc. Ravenn. Can. 3.
(e) Clem. IV. in cap. ſape. 2. De temp. Ordinat. in 6. lib. 1. tit. 9.
(f) Joan Cabaſſut. Juris C. Theor & prax. l. 3. q. 16. n. 8.
(g) Zerola prax. Epiſc. part. 2. v. Dimiſſoria. Aug. Barboſa de Offic. & poteſt. Epiſc. part. 2. allegat. 4. n. 4. & ſeqq.
(h) Leg. Exemplo 16. Cod. de Decurionibus l. 10. tit. 31.

Præter has duas ſpecies Epiſcopi proprii, hoc eſt, Epiſcopi ortus, & Epiſcopi Beneficii, Bonifacius VIII. (i) agnoſcit adhuc Epiſcopum domicilii. *Cum nullus*, inquit, *Clericum Parœciæ alienæ præter ſuperioris ipſius licentiam, debeat ordinare ; ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is, qui ad ordines promoveri deſiderat, oriundus ; ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum ; ſeu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem*. Quæ conſtitutio accepta & confirmata fuit anno 1300. a Concilio Auſcitano, & a Concilio Senonenſi anno 1520. habito (K) quæ pro Epiſcopis propriis agnoverunt Epiſcopos, ortus, Beneficii, & domicilii. Sed ut omnis æquivocatio tollatur, omniſque difficultas eximatur reſpectu domicilii, quartum Concilium Mediolanenſe, anno 1567. habitum, (l) pronunciavit domicilium per decennium permanere debere ; quod etiam declaravit Concilium Aquiſextanum anno 1585. habitum (m) niſi ille qui Ordines ſuſcipere vult, ejuſdem eſſet familiæ ac Epiſcopus ipſe qui eum ordinat : quo caſu triennii domicilium ſufficit ; quod congruit iis quæ Concilium Tridentinum pronuntiavit his verbis (n) *Epiſcopus familiarem ſuum, non ſubditum, ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus : & Beneficium quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat*. Quod non intelligitur de Epiſcopis, qui ſolummodo Titulares ſunt, & qui vulgo vocantur *Epiſcopi in partibus infidelium*, qui abſolute ab hoc jure excluduntur, ab eodem Sancto Concilio, quod dicit (o) *Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis ad aliquos ſacros aut minores ordines, vel primam tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat*.

(i) Bonifac. VIII. in cap. Cum nullus 3. De temp. ordinat. in 6.
(K) Conc. Auſcitan. can. 12. Conc. Senon. Can. 5.
(l) Conc. Mediol. 2. part. 4. tit. Quæ pertinent ad Sacram. Ordinis, antemed.
(m) Conc. Aquens tit. Quæ ad Sacramenti Ordinis adminiſtrat. pertinent.
(n) Conc. Trident. ſeſſ. 23. c. 9. De reform.
(o) Idem Conc. ſeſſ. 14. De reform. c. 2.

Attamen non obſtantibus iis omnibus, quæ jamjam retulimus, notandum eſt in Gallia nullam fere amplius rationem haberi Epiſcopi domicilii, nec Epiſcopi Beneficii, a quo Coetus generalis Cleri anno 1665. congregatus (p) Reſpectu enim domicilii, ab uno quoque probandam eſt conſilium quod inivit, regionem, quam oriundus non eſt, incolendi ; eumque non amplius ſervare voluntatem locum ſui ortus repetendi, ad ibi commorandum ; quod congruit Legi quæ dicit (q) *Domicilium re & facto transfertur, non nuda conteſtatione* ; vel etiam maxima bonorum ſuorum pars in illam Regionem transferenda eſt, in argumentum perpetuæ commorationis, juxta hæc alius Legis verba (r) ; *In eodem loco ſingulos*

(p) Tom. 1. des Memoires du Clerge. pag. 823.
(q) Leg. Domicilium 20. ff. Ad municipalem & de incolis lib. 50. tit. 1.
(r) Leg Cives. 7. De incolis &c. lib. 10. tit. 39.

ſingulos habere domicilium non ambigitur ; ubi quis larem rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet ; vel tandem ibi aliquod munus ſuſcipiendum eſt, atque ad minimum per decem annos continuos commorandum abſque ullo diſcedendi conſilio, juxta hanc aliam Legem (*a*) ; *nec ipſi qui, ſtudiorum cauſſa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, niſi decem annis tranſactis eo loco ſibi ſedes conſtituerint*. Si enim conſilium adeſſet exinde diſcedendi, nec decem anni, nec etiam viginti ſufficerent, ad legitimum domicilium hoc reſpectu acquirendum, quemadmodum contingit Diſcipulis, de quibus hæc ultima lex verba facit ; Provinciarum aut urbium Gubernatoribus, aliiſque ſimilibus qui ſecundum jus verum domicilium non contrahunt, quia jure præſumitur eos regionem ſuam repetendi conſilium non deſerere. Quamobrem quemadmodum hæc argumenta non ſine negotio præberi poſſunt, dici poteſt, Epiſcopum domicilii non intelligi, proprie loquendo, niſi reſpectu illius qui apud hunc Epiſcopum per triennium abſque ulla intermiſſione commoratus eſt. Nam ſicut jam dictum fuit, hoc in caſu Epiſcopus eum, abſque litteris dimiſſoriis Epiſcopi ſui ortus, ordinare poteſt : modo ſimul ipſi Beneficium Eccleſiaſticum conferat ſicut a Concilio Tridentino fertur ; vel ſaltem modo ipſi aliunde res ad vitam neceſſarias ſuppeditet.

(*a*) Leg. Nec ipſi. 2. Cod. eod. tit.

Diximus, nullam fere amplius in Gallia rationem haberi Epiſcoporum Domicilii & Beneficii. Cum enim Præſules qui componebant celebrem Cœtum anni 1655. obſervaſſent, quam arduum erat dignoſcere, quodnam tempus ſufficiebat ad verum domicilium conſtituendum ; ac reſpicere Epiſcopum Beneficii, tanquam proprium Epiſcopum, cum nemo amplius ſicut in antiqua Eccleſia, cuidam privatæ Eccleſiæ inſerviendæ addicatur ; & beneficium Eccleſiaſticum quod poſſidetur, abſque conſilio & aſſenſu Epiſcopi derelinqui poſſit, pluraque etiam Beneficia Eccleſiaſtica variis in Diœceſibus poſſideri queant ; quod magnam difficultatem creare poteſt in diſtinguendo proprio Beneficii Epiſcopo, & cum denique Conſtitutio Bonifacii VIII. unanimiter ac univerſaliter in Gallia recepta non fuiſſet ; hi Præſules decreverunt Epiſcopos Regni adhortandos eſſe ; ut Diœceſibus ſuis oriundos ſolummodo ordinibus initiarent ; atque ſi ſeſe offerrent perſonæ, quæ obtinuiſſent Reſcripta a ſummo Pontifice, licentiam concedentia in aliis Diœceſibus ordines ſuſcipiendi, ne quidem eas ad Tonſuram admitterent ; niſi congruenter Concilio Tridentino, inſtructæ forent litteris ſui proprii ortus Epiſcopi, quæ de earum vita moribus ac capacitate teſtimonium perhiberent.

Ex iis omnibus quæ huc uſque diximus, ſupereſt ut colligamus, Epiſcopum, de quo in ſpecie propoſita mentio fit, abſque magno peccato, & quin pœnam a Concilio Tridentino, hoc reſpectu in Gallia recepto, latam ſubiret, Ordines Gulielmo, alia Diœceſi oriundo, conferre non potuiſſe ; niſi per triennium, ſubſequens & ſine fraude, ejus familiaris fuerit ; aut reipſa poſſideret Beneficium Eccleſiaſticum, ubi aſſidue, in ejus Diœceſis amplitudine, commoretur ; vel tandem niſi in ea Diœceſi legitimum domicilium acquiſiverit, eo ſenſu quo rem explicuimus : Atque etiam duobus in ultimis caſibus neceſſe foret, ut Epiſcopus de quo agitur, æquam & urgentem, hoc in puncto ab uſu in Regno recepto recedendi, rationem haberet.

CASUS II.

TIBURCIUS, Diœceſi Nemauſi oriundus, & ab uno menſe Eccleſiæ Cathedralis Montis Peſulani Canonicus, a quadriennio apud Epiſcopum Carcaſonenſem, ejus Amanuenſis nomine, commoratur. Conſilium inivit Ordines, tam Minores, quam Majores, ſuſcipiendi, poſteaque Montempeſulanum petendi, ut ibi Canonici munere fungatur. A quonam ex his tribus Epiſcopis licite Ordinibus initiari poteſt.

RESPONS.

Ex iis quæ diximus, ad quæſtionem antecedentem reſpondendo, patet Tiburcium quem libuerit e tribus Epiſcopis eligere poſſe. Quod attinet ad Epiſcopum Nemauſenſem, qui eſt ejus Originis Epiſcopus, nullum eſt dubium quin Ordines ab ejus manibus accipere poſſit, ſive in illa Diœceſi ortum ſuum habuerit, ſive in ea ſolummodo baptizatus fuerit, cum in alia Diœceſi natus eſſet. Cum Epiſcopus Nemauſenſis in utroque caſu ſemper ejus Originis Epiſcopus exiſtimetur ; licet magis ad Eccleſiæ mentem accedatur, cum aliquis confugit ad Epiſcopum loci, quo natus eſt, quam ad Epiſcopum loci quo baptizatus fuit, confugiendo ; cum ille proprie loquendo ſit Epiſcopus originis, juxta hæc Bonifacii VIII. verba (*b*), *De cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus*. Quibus congruit Concilium Tridentinum.

(*b*) Boniſac. VIII. in cit. cap. *Cum nullus*, de temp. Ordinat. in 6.

Quod ſpectat ad Epiſcopum Montiſpeſulani in cujus Eccleſia Tiburcius Præbendam poſſidet, conſtat (*c*) virum illum ab ipſo Ordines recipere poſſe (*d*) ; modo attamen hoc Beneficium fraudulenter atque ut proprii ſui Epiſcopi originis Juriſdictioni ſeſe ſubtraheret, non obtinuerit : hoc enim in caſu ipſi licitum non foret e fraude ſua commodum percipere ; *Cum fraus & dolus ei patrocinari non debeant*, quemadmodum circa aliam rem Innocentius III. loquitur (*e*).

(*c*) De Sainte Beuve to. 3. caſ. 125.
(*d*) Cit. cap. *Cum nullus*.
(*e*) Innoc. III. in cap. *Cum dilectus*. 8. De rel. goſis domibus. lib. 3. tit. 36.

Denique Tiburcius etiam ordinari poteſt ab Epiſcopo Carcaſonenſi, quandoquidem a quadriennio ejus eſt familiaris. Cum omnis Epiſcopus poſt triennium famulatus familiari Ordines conferendi jus habeat, juxta diſpoſitionem Concilii Tridentini (*f*), quæ in Gallia uſu recepta eſt (*g*).

(*f*) Concil. Trident. ſeſſ. 23 De reform. c. 9.
(*g*) De Sainte Beuve to. 1. caſ. 21. & 23.

CASUS III.

BERTRANDUS, Diœceſi Engoliſmenſi oriundus, cum famulatum apud Epiſcopum Namurcenſem, ejus Amanuenſis nomine adiiſſet ; & per quadriennium aut quinquennium in ejus miniſterio fuiſſet, Epiſcopus ille ipſi Tonſuram & quatuor alios ordines minores cum ſubdiaconatu, contulit ; poſteaque ejus ſucceſſor ipſum Diaconum ac ſacerdotem creavit. Eoſque omnes ordines ſuſcepit Bertrandus, quin ullas litteras dimiſſorias ab Epiſcopo Engoliſmenſi obtinuerit ; num omnes iſtæ ordinationes Canonicæ ſunt, & nonne Bertrandus quamdam Cenſuram Eccleſiaſticam ſubiit ?

RESPONS.

Quandoquidem, ut jam in Deciſionibus antecedentibus dictum fuit, Epiſcopus exiſtimatur eſſe proprius Epiſcopus ejus qui apud ipſum per triennium adimpletum ſervit (*h*) Bernardus abſque peccato, nec ullam pœnam Canonicam incurrendo, ſuſcipere potuit Tonſuram, ordines minores & ſubdiaconatum ab Epiſcopo Namurcenſi, cum a quadriennio ejus familiaris eſſet. Verum conſtat eum canonice Diaconum & ſacerdotem creari non potuiſſe a ſucceſſore Epiſcopi, qui ex Decreto Concilii Tridentini ipſi alios ordines inferiores contulerat.

(*h*) Concil. Trid. ſeſſ. 23. De reformat. c. 9.

Ratio eſt, quod privilegium Epiſcopis conceſſum, ut familiares ſuos poſt triennium famulatus ordinare poſſint, ad eorum ſucceſſores extendendum non ſit, reſpectu illorum qui ab eorum anteceſſoribus ordinati fuerunt ; quia privilegia ſunt materia odioſa, in eo quod, ut inquit Gloſſa (*i*), juri Communi adverſentur, ideoque reſtringi debeant, tantum abeſt ut extendantur, juxta hanc juris ſententiam (*K*), *Odia reſtringi convenit*. Quamobrem privilegia nullam vim habent præter eorum verba ac ſenſum proprium, quemadmodum ait Alexander III. in Decretali Epiſtola quam ſcribit ad Epiſcopum Ambianenſem (*l*) atque a multis aliis Decretalibus fertur.

(*i*) Gloſſa fin. in cap. *Cum ordinem* de reſcript. & Gloſſa. 9. in c. 2. eod. tit.
(*k*) Boniſac. VIII. n reg 15. De Reg. Juris in 6.
(*l*) Alexand. in cap. *Porr.* 7. de privilegiis & exceſſibus privilegiat. l. 5. tit. 31.

Attamen si Bertrandus tunc in Diœcesi Namurcensi assidue constiterit, sincero consilio ibi semper commorandi, creari potuit Diaconus & sacerdos, licet litteras Dimissorias non obtinuerit a successore Episcopi, qui ipsum primis ordinibus initiaverat.

Hoc enim in casu successor ille proprius ejus domicilii Episcopus erat; verum (a) S. Bertrandi consilium sincerum non foret in illa Diœcesi assidue commorandi, ideoque Diaconatum & sacerdotium suscepisset in fraudem Auctoritatis sui ortus Episcopi, qui jure muneris exercendi interdictionem subiisset; atque si hoc in statu sacra celebrasset, aut quodam alio Ordinum suorum officio functus fuisset, irregularitatem incurrisset; quia, *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*; quemadmodum Innocentius III. loquitur (b); Attamen, si res occulta esset, ab ea irregularitate a suo Episcopo eximi posset.

(a) De Sainte Beuve. t. 1. cas. 12.

(b) Innoc. III. in cap. Officii. 14. de testam. & ultim. volunt. l. 3. tit. 26.

Hæc decisio congruit cum sententia Navarræ, (c) cui olim hæc quæstio proposita fuit. *An Hispanus, ortus Compluti, & ibi ordinatus ette ad minores, qui postea mansit Tiburi tribus annis & servivit Episcopo ejus, possit ordinari ad Ordines Superiores per Episcopum Tiburtinum.* Cui quæstioni his verbis respondit: *Consulens potest ordinari legitime ab Episcopo Tiburtino, vel ab alio, virtute dimissoriarum ab eo illi concessarum; si mansit Tiburi, vel in ejus Diœcesi annis prædictis tribus ..... Dummodo manserit in ea cum intentione & voluntate permanendi ibi perpetuo: quia per hujusmodi mansionem videtur quæsivisse domicilium.*

(c) Navarr. l. 1. Consil. De tempor. ordin. Consilio 2.

CASUS IV.

APPIUS, Aurelia natus, accepit omnes ordines manibus Episcopi Caducensis, postquam per triennium in ejus ministerio tanquam stipi erogandæ Præfectus fuisset. Num ille Episcopus per conscientiam tenetur ad illi Beneficium Ecclesiasticum conferendum statim post ejus ordinationem, juxta Decretum Concilii Tridentini; quod fert pari in casu, Episcopum ad id teneri. *Beneficium quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, consuetudine quacumque, etiam immemorabili in contrarium non obstante* (d).

(d) Concil. Trid. cit. sess. 23. De reform. c. 9.

RESPONSIO.

Si Appius non habeat unde res ad vitam necessarias sibi suppeditet; Episcopus qui eum ordinavit per conscientiam tenetur ad ipsi conferendum Beneficium Ecclesiasticum, vel saltem munus sufficiens, expectando ut ipsi Beneficium conferat. Hæc est ejus ratio, nempe quod mens Concilii sit impedire, ne ille qui hoc modo Ordines suscepit, postea ad tristem mendicandi necessitatem redigatur. *Cum ideo sit appositum*, ait Cabassutius (e), *ne ordinatus ob inopiam cogatur victum suum mendicare*.

(e) Joan. Cabassut. Juris Can. Theor. & prax. l. 1. c. 14. n. 2.

Verum si Appius sat habeat unde sibi pro statu suo victum suppeditet, Episcopus ad hoc non tenetur; quia Concilii mens irrita non fit. *Hoc vero sciendum de statim conferendo Beneficium*, ait idem Juris Canonici peritus .... *nullius esse obligationis hanc conditionem, si ordinatus sit provisus sufficienti patrimonio, vel pensione; sic enim sufficiet Episcopo si familiarem triennalem ordinet ad titulum patrimonii, vel pensionis*. Hoc etiam docent Barbosa, Flaminius Parisius, Garcias, & Bonacina, qui eos laudat (f).

(f) Bonac. Disp. 3. qu. 1. punct. 11. n. 11.

Diximus, *vel saltem munus sufficiens, expectando, ut ipsi Beneficium conferat*; Episcopus enim ipsi conferendo munus, quod idoneum sit ad res ad vitam necessarias ipsi suppeditandas, Concilii mentem satis adimplet. Adde quod, semper in Episcopi potestate non sit, Beneficium illi, quem jam jam ordinavit, illico conferre, cum fieri possit ut nullum Beneficium vacet; aut si quoddam detur, Appius ad ejus officia adimplenda non sit idoneus. Fieri etiam potest ut ille Episcopus illico munus quod Appio competat, conferre non possit, vel ut post munus sufficiens collatum paucis post diebus, aut mensibus, supremum diem obeat; & ut novus ille sacerdos, munus suum amittendo, ad inopiam redigatur, qua de re non potest non erubescere Ecclesia: quo casu autumamus æquum fore, ut Præsul ille de rebus ipsi ad vitam necessariis suppeditandis curaret sive dispositione testamentaria, sive alio modo, donec ipsi Beneficium conferretur, aut res ad victum necessarias sibi aliunde compararet.

Nihil hac in decisione diximus, quod cum Ecclesiæ Constitutionibus non congruat. En enim verba tertii Concilii generalis Lateranensis (g). *Episcopus, si aliquem sine certo titulo de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit: tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* Innocentius III. ad Episcopum Zamoræ scribens, idem præcipit (h). Id etiam docent Panormitanus, Ugolinus, Riccius, Chopin, aliique multi (i) congruenter Constitutioni Aurelianensi (K).

(g) Concil. Lateran. III. c. 5. in cap. Episcopus. 4. De præbendis & dignitat. lib. 3. tit. 5.

(h) Innoc. III. in cap. Cum Secundum. 16. eod. tit.

(i) Panorm. in cap. fin. de temporibus ordinat. & qualit. Ordinandorum. Ugolinus de Officio Episc. cap. 26. §. 15. Riccius Decis. 112. Chopin de Politia. l. 1. tit. 3. & l. 3. tit. 6. n. 13.

(k) Ordin. D. Orleans art. 12.

CASUS V.

HONORATUS, Diœcesi Andegavensi oriundus, ea ab anno excedit, & sedem in Diœcesi Rhedonensi fixit, ibique domicilium suum perpetuum constituit, quia omnia patris sui bona, quæ hæreditate accepit, ibi sita sunt. Hodie vitæ Ecclesiasticæ institutum amplectendi consilium init. An legitime suscipere potest ordines ab Episcopo Rhedonensi, absque litteris dimissoriis Episcopi Andegavensis, licet a brevi tempore ex istius ultimi Episcopi Diœcesi excesserit.

RESPONSIO.

Juxta placita, quæ in responsione ad primam quæstionem, & in sequentibus, statuimus, dicere debemus Honoratum legitime ordinari posse ab Episcopo Rhedonensi, quin ullo modo opus habeat litteris dimissoriis Episcopi Andegavensis. Licet enim, secundum Jus antiquum, Episcopus originis solus proprius Episcopus existimaretur; attamen Jus novum etiam pro talibus agnovit Episcopos Beneficii & Domicilii (l); unde sequitur, quod, quandoquidem Honoratus bona fide constituit & in sempiternum fixit domicilium suum in Diœcesi Rhedonensi; nec consilium iniit fraudulenter Jurisdictioni Episcopi sui ortus se se subducendi (m), vere existimandus sit e Diœcesi Rhedonensi, ideoque, licite accipere possit ordines e manibus hujus urbis Episcopi, sine Episcopi Andegavensis consensu. Hæc est vulgata sententia Juris Canonici peritorum quos consequitur Navarra, qui dicit (n), hominem hoc in casu verum domicilium acquirere. *Etiamsi parvo tempore manserit; quia per mansionem talem quæritur domicilium etiam momento temporis.* Celebris Barbosa (o) idem docet, post innumeros alios auctores quos laudat. Ac revera, vulgata notio vocis *Domicilii*, eadem est in Jure Civili. Jus autem Civile ad verum domicilium constituendum solummodo exigit, ut consilium ineatur, in loco, ubi domicilium constitutum est commorandi, quemadmodum patet ex Lege (p) quam retulimus ad primam quæstionem respondendo.

(l) Bonifac. VIII. in c. cap. Cum nullus. 3. De tempor. ordinat. in 6.

(m) Concil. sess. 23. De reform. c. 9.

(n) Navarr. l. 1. cons. De temp ordinat. cons. 2 & apud eum Philippus Francus.

(o) Ang. Barbosa, cit. cap. Cum nullus. & lib. De Offic. & Potest. Episc. allegat. 7.

(p) Leg. Cives 7. Cod. de incolis &c.

Attamen constat, ut jam supra observavimus, Episcopum originis vulgo in Gallia, pro Episcopo proprio solummodo agnosci: at constat etiam Episcopos Beneficii & domicilii absolute non excludi, quemadmodum patet ex multis Conciliis & Synodis in Gallia habitis, quorum quædam præfinierunt numerum annorum necessariorum ad domicilium legitimum reddendum, & alia annorum numerum præfinire debere non crediderunt. *Ordinandus*, inquit synodus Lingonensis anno 1404. habita, *ordinari potest ab Episcopo, in cujus Diœcesi natus est, aut habet Beneficium Ecclesiasticum; vel habet ibi domicilium; licet non fuerit ibi natus*: Concilium Provinciale Senonense anni 1528. (q) eamdem disciplinam supponit, cum

(q) Conc. Senonens. c. 8.

cum dicit : *Quamvis Episcopus originis, Beneficii aut domicilii, non solum ad Ordines promovere; sed etiam litteras dimissorias ad ipsos Ordines concedere possit*, &c. Concilium Aquisextanum anno 1585. habitum, & a Sexto V. approbatum (*a*), supponit adhuc eamdem disciplinam, cum ait; eum, qui ad Ordines promoveri vult, probare debere, *se, vel origine, vel Beneficio Ecclesiastica, quod in Diœcesi sua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione Diœcesanam esse, aut familiarem Episcopi, qui per triennium cum illo commoratus sit* (*b*). Atque etiam videmus Præsules, qui Ecclesiæ Gallicanæ vices gesserunt in celebri Cœtu anni 1655. & qui judicarunt congruum esse, ut solus Episcopus originis pro Episcopo proprio agnosceretur; solummodo adhortationis via usos fuisse, duos alios Episcopos absolute non excludendo.

(*a*) Concil. Aquesf. tit. Quæ ad sacram ordinis administ. pertinent.

(*b*) De Sainte Beuve t. 1. cas. 12. & 13. & tom. 2. cas. 17.

CASUS VI.

Everardus, Clericus tonsura initiatus, e Diœcesi Blesensi, in cujus amplitudine revera commoratur, simplicem Ædiculam Sacram centum libris annui redditus, in Diœcesi Pictaviensi possidet: Num tuta conscientia Ordines suscipere potest ab Episcopo Pictaviensi, tanquam a proprio suo Episcopo propter Beneficium, quod possidet.

Respons.

Ut ad hanc quæstionem respondeamus; duæ veritates æqualiter constantes, ponendæ sunt.

Prima: quod cum prioribus sæculis Beneficia Ecclesiastica constituta fuerint, unicuique Clerico in perpetuum addicendo partem annuorum Ecclesiæ redituum, qui antea communiter administrabantur; quodcumque Beneficium, parvum aut magnum, ac cujuscumque generis esset, eum, qui illud possidebat, ad assiduam in eo commorationem adstringebat. Quod facile est probatu innumeris Canonibus. In Decreto Gratiani (*c*) reperimus Canonem, elicitum e Concilio Antiocheno anno 341. habito, ubi dicitur, omnem Clericum, qui beneficium suum deserit, hoc est, Ecclesiam, cujus administrationi addictus erat, ut in alia Ecclesia commorationem suam assiduam statuat, a munere suo depellendum esse, absque ulla spe ut in pristinum suum statum restitui possit; si Episcopo suo, qui eum monuit ut rediret ad Ecclesiæ suæ serviendum, obtemperare recuset. *Si quis Presbyter vel Diaconus, vel quilibet Clericus, deserta sua Ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim tentet, quo migravit, perpetuo manere; ulterius ministrare non debet; præsertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit; omnimodo ab officio suo deponi debere: nec aliquando spem restitutionis habere* (*decernimus.*) Hæc sunt hujusce Concilii verba, quibus addemus Decretalem, quam Alexander III. ad Archiepiscopum Eboraci scribit (*d*), ubi postquam summus ille Pontifex dixerat, quod cum Concilium Generale Lateranense sub Pontificatu suo congregatum, præcepisset, ut Beneficia Ecclesiastica solummodo conferrentur iis, qui ad Curionis munus, per se ipsos, fungendum, atque in iis assidue commorandum, sese adstringerent; Et quod attamen quidam deinceps promissis suis stare denegarent: Summus Pontifex declarat, has personas nullatenus admittendas esse, atque etiam Beneficiis suis spoliandas esse, si cum admissæ fuerint, hoc in puncto inobedientes sese præstant. *Cum in Lateranensi Concilio statutum sit*, inquit summus ille Pontifex, *ut personæ tali Ecclesia, vel Beneficium Ecclesiasticum conferatur, quæ residere in loco, & curam ejus per se valeat exercere; nonnulli ad Ecclesias præsentati, hoc se posse affirmant; sed efficere contradicunt ...... Cum igitur verba accipienda sint cum effectu; tales, si præsentati fuerint, non debent admitti, & admissi poterunt amoveri.* Idem summus Pontifex ad Episcopum Lingonensem scribens (*e*), huic Præsuli imperat, ut absolute excludat quemdam Clericum, qui reipsa Ecclesiæ cui addictus erat, non ministrabat, & qui attamen quandam ejus reditus partem singulis annis percipere volebat. *Conquerente nobis R. Presbytero accepimus*, inquit, *quod G. Clericus ab eo pro Ecclesia sua ...., annuatim viginti solidos entorquere conatur, asserens Beneficium illud in eadem Ecclesia sibi fuisse collatum. Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, si tibi constiterit, quod dictus G... etiam Ecclesiæ non deserviat, sibi super præscripto Beneficio silentium, sublato impedimento appellationis, imponas.* Ipsissima sunt hujus summi Pontificis verba, quæ clare probant primam veritatem, quam ponendam esse autumavimus, antequam ad Casum, de quo agitur, respondeamus.

(*c*) Concil. Antioch. in Can. *Si quis.* 24. 7. §. 1.

(*d*) Alexand. III. in c. *Relatum.* 2. De clericis non resident. in Ecclesie vel preb. lib. 3. tit. 4.

(*e*) Idem in cap. conquerente cod. tit.

Secunda est, hanc, solummodo oblationem & respectu habito ad hunc antiquum Ecclesiæ usum, summum Pontificem Bonifacium VIII. constituisse, ut Episcopus Beneficii existimaretur proprius Episcopus Beneficiarii; quod eo magis congruebat, quod Beneficiario in sua Diœcesi commorante, melius quam Episcopus originis nosse posset ejus vitam ac mores, aliasque qualitates huic Beneficiario necessarias, ut dignus esset qui sacris ordinibus initiaretur; magisque ejus etiam intererat ea omnia perfecto nosse, quandoquidem in sua Diœcesi commorabatur, atque in ea sub ejus auctoritate Ecclesiæ serviendæ destinatus erat.

His duabus veritatibus positis, respondemus, Everardum tuta conscientia ordinibus initiari non posse ab Episcopo Pictaviensi, in cujus Diœcesi Beneficium ejus simplex situm est. Ratio est, quod cum antiqua Disciplina ultimis sæculis immutata fuerit respectu Beneficiorum, quia hodie plura Beneficia dantur, in quibus assidue commorari necesse non est, & quæ possideri possunt, licet Beneficiarii munere suo non fungantur, quæ propterea Beneficia simplicia vocantur: fundamentum, Legis a Bonifacio VIII. constitutæ, idem amplius non est hodie ac tunc temporis erat, ideoque Beneficiarius qui Beneficium simplex tantum possidet ex Constitutione hujus Summi Pontificis, non potest confugere ad Episcopum, in cujus Diœcesi situm est ejus Beneficium, ut ordines suscipiat: at solummodo ad suum originis Episcopum: quia cum solis Legis verbis adhæretur, & contra ejusdem Legis mentem agitur, tantum abest ut Lex adimpleatur, ut e contra violetur, sicut affirmat idem summus Pontifex (*f*) in ultima e suis Regulis Juris. *Certum est, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem.* Quibus congruit Jus Romanum (*g*), ubi dicitur, in Legem peccari, ea faciendo quæ fieri noluit, licet disertis verbis ea facere non prohibuerit. *Fraus enim legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* Quam ob rem, cum mens ac consilium Decretalis Bonifacii VIII. non sit, ut nomen Episcopi Beneficii respectu simplicium Beneficiariorum locum habeat; & cum Pontifex ille hanc constitutionem solummodo fecerit in gratiam Beneficiariorum qui obligabantur ad assidue commorandum in suis Beneficiis atque ad illis per se ipsos serviendum, illi qui hodie Beneficia simplicia tantum possident, ea Decretali uti nequeunt, ut ab Episcopis Diœcesium, in quibus ejusmodi Beneficia sita sunt, ordinibus initientur.

(*f*) Reg. fin. De reg. Juris in 6.

(*g*) Leg. Fraus 30. ff. De Legibus &c.

Ac revera, ratio, quæ inducebat Episcopum ad suæ Diœcesis Beneficiarium ordinandum, non amplius subsistit respectu Beneficiarii simplicis: quandoquidem, hoc Beneficiario in sua Diœcesi assidue non commorante, ipsius non interest bonas vel malas ejus qualitates nosse; quia nec ipsius auctoritati nec curis subjicitur, ac unice pendet a suo Originis, vel domicilii Episcopo; Qui Episcopi, accurate loquendo, soli hæc omnia sufficienter nosse possunt, juxta mentem Concilii Tridentini (*h*). Foret ergo abusus manifestus, si ejusmodi Episcopus ordinaret talem Beneficiarium, qui reipsa in Diœcesi qua natus est, assidue commoratur. Id esset præsentem Ecclesiæ Gal-

(*h*) Concil. Trid. sess. 23. De reform. c. 8. 13. & 14.

Gallicanæ disciplinam evertere, perturbationem vice boni ordinis introducere, innumerisque juvenibus Clericis locum præbere, impune auctoritati sui Episcopi naturalis se se subducendi, eamque contemnendi variis rationibus quas adhiberent ut fraudulenter parva Beneficia sibi conferrentur, eo solum consilio ut ordinibus initiarentur; ac sæpe cum intentione ea Beneficia, post suam ordinationem, permittendi iis e quibus illa accepissent: Ac proculdubio hæc sunt præsertim incommoda ad quæ spectarunt sapientes Præsules qui Cœtum anni 1655. componebant & ad quæ Præsules Cœtus an. 1635. & 1636. jam spectaverant (a).

(a) Fr de Genet. Theo. mor. tom. 4. part. 2. tr. 8. c. 3. n. 5.

En quomodo Præsules Cœtus 1655. loquuntur: *Domini Episcopi Catalauni & Engolismæ, & Domini Abbates de Cirou & Nesmond, præfecti ad examinanda quædam puncta a multis Dominis Præsulibus proposita, cellæ accederunt: & Dominus Episcopus Catalaunensis dixit ... quartum punctum esse, nempe, si satis esset per aliquot menses in quadam Diœcesi commoratum, aut in ea Curionatum, vel etiam quoddam simplex Beneficium, obtinuisse; ut ordines, absque litteris Episcopi loci dimissoriis, susciperentur. Qua de re conveniendum erat, semper in Ecclesia observatum fuisse, ut nemo ad Tonsuram, vel ordines, admitteretur, nisi a proprio suo Episcopo, aut ex ejus consensu, sicut statutum fuit ab innumeris Conciliis, a Concilio Nicæno ad Tridentinum usque: quod probabatur ex litteris formatis aut dimissoriis quæ etiamnum cernebantur, & quarum formulæ extabant ad calcem secundi Tomi Conciliorum Galliæ, & apud Gratianum. Quod proprius Episcopus antiquitus erat Episcopus originis pro illis qui Clerici non erant; & pro Clericis, Episcopus Ecclesiæ cui addicti erant, cum ordinationes absolute damnarentur ac reprobarentur. Quod mens Ecclesiæ semper fuerat hoc nomen proprii Episcopi, ad unum solum, quantum fieri posset, restringendi, ob multas rationes relatas in Canonibus, qui spectant ad pacem & unitatem, quæ inter Præsules conservanda est: ac submissionem, in qua Clerici eorum respectu vivere debent.*

Quod licet in sexto summus Pontifex Bonifacius tres Episcopos proprios, originis, domicilii & Beneficii, designare videatur: hic attamen usus in Gallia parum receptus fuerat: & quod prætérea non sine multo negotio dignosci poterat, quænam commoratio sufficiens esset ad domicilium constituendum, nec sine magno incommodo Episcopus Beneficii unquam Episcopus proprius considerari posset, quia Clericus non amplius cujusdam Ecclesiæ servitio addicitur, ut olim; quia illud Ministerium inconsulto suo Præsule deserere potest, atque etiam plura Beneficia simplicia variis in Diœcesibus possidere: quod ideo magnam perturbationem afferret, atque Clericorum inobedientiæ apertæ locum præberet. Quod necessarium videbitur huic abusui remedium afferre: & juxta antiquam Ecclesiæ mentem, ac eadem principia semper æqualiter subsistentia, quantum fieri posset, in quodam solo includere qualitatem Episcopi proprii, sine cujus licentia nemo ordinari posset. Ac cum omnes istæ considerationes maximi momenti visæ essent, decretum fuit, ut Domini Episcopi adhortarentur, ne Ordines conferrent nisi illis, qui e sua Diœcesi erant, congruenter juri. Solus iste articulus, quem e Cleri Gallicani monitis scripto editis excerpsimus, & qui complectitur rationes, quibus in nostra decisione nitimur, sufficit ad ostendendum, Everardum Ordines ab Episcopo Pictaviensi absque peccato suscipere non posse; quandoquidem contra unanimem Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, atque etiam contra Ecclesiæ universalis mentem ac praxim usitatissimam, manifesto ageret.

Hanc ob rationem Concilium Narbonense anno 1609. habitum (b) sapiens hoc Decretum promulgavit contra Clericos, qui auctoritati proprii sui Episcopi temere se se subducebant, sub specie quod parvum Beneficium in alia Diœcesi possiderent: *statuimus, quod in posterum nulli Episcopi Ordines vel literas conferant dimissorias, nisi his, quos sciverint de sua Diœcesi oriundos, aut in ea per tres annos Beneficium pacifice possederint annui reditus valoris ..... triginta aureorum. Alias non obstante possessione minoris valoris ab Ordinum susceptione repellant.*

(b) Concil. Narbon. ann. 1609. c. 21.

CASUS VII.

FASTREDUS Clericus tonsura initiatus, e Burdigala oriundus, & Canonicus Tolosæ, ubi a multis annis assidue commoratur, Tonsura & Ordinibus minoribus a manibus Archiepiscopi Tolosani acceptis, ad Ordines majores recipiendos se se accingit, consiliumque init hanc ob caussam Archiepiscopo Burdigalensi, ut suo originis Præsuli, se se offerendi. Nonne illud facere potest, quin ad litteras dimissorias ab Archiepiscopo Tolosano obtinendas, teneatur.

RESPONS.

Quando Clericus tres habet Episcopos primum originis, secundum Beneficii, & tertium domicilii; equidem e tribus, quem sibi libuerit, ad Ordines recipiendos eligere potest; sed statim atque unum elegit, & ab ipso quemvis Ordinem suscepit, hac ratione ejus Jurisdictioni ita se submisit, ut non amplius in ejus potestate sit illi se se subducendi (c) *Qui duos sortitus, pluresve Episcopos, ut originis, domicilii, Beneficii Tonsuram vel Ordinem ab uno horum accepit, non potest ad horum alterum, sine dimissoriis pro reliquis Ordinibus recurrere, ut pote priori jam astrictus.* Hæc est decisio celebris Doctoris Avenionensis qui eam suffragio Joannis de Anania (d); Augustini Barbosæ, & Molfesii confirmat (e). Inde sequitur Fastredum, cum Tonsuram & quatuor Ordines minores a manibus Archiepiscopi Tolosani acceperit, ad Archiepiscopum Burdigalensem, quin ab altero Præsule litteras dimissorias obtinuerit, confugere non posse ad alios Ordines suscipiendos, sub specie quod Archiepiscopus Burdigalensis proprius ejus Præsul originis sit, quandoquidem auctoritati ac Jurisdictioni Archiepiscopi Tolosani se se submisit, ab ipso Tonsuram & quatuor priores Ordines recipiendo.

(c) Joan. Caboffut. Juris Can. theor. & prax. l. 4. c. 2. n. 4.

(d) Archidiaconus in capite. *Nec captanda.* De concess. præbendæ &c.

(e) Aug. Barbosa de offic. & potest. Episc. part. 2. allegat. 4. n. 2. Mulfesius Sum. theo. mor. tract. 2. c. 2. n. 10.

Eodem modo ratiocinandum est de illo, qui cum per triennium apud quemdam Episcopum, familiaria nomine commoratus fuisset, ab ipsius manibus Tonsuram, vel quemdam Ordinem accepit. Postea enim illi non amplius licitum est absque litteris dimissoriia Ordines suscipere ab altero Episcopo. *Idemque statuendum de Episcopo,* addit Cabassutius, *quem quis sortitus est titulo familiæ, per triennium continuatæ, & secuta ordinatione per eumdem, Beneficiique collatione ad Ordinationis titulum .... ab hoc debet dimissorias pro reliquis Ordinibus accipere, etiam ad Episcopos originis & domicilii.*

CASUS VIII.

FIAMILIANOS, Archiepiscopus Neapolitanus, cum esset in Diœcesi Mopolis, cujus Episcopus est ejus suffraganeus, in ea Diaconum, absque hujus Episcopi consensu, Sacerdotem creavit. Num id sine peccato, nec ullam pœnam Canonicam subeundo, facere potuit?

RESPONS.

Archiepiscopus ille extra Diœcesis suæ amplitudinem Diacono Sacerdotii Ordinem conferre non potuit; licet in Diœcesi unius ex suis suffraganeis contulerit, quemadmodum Glossa in Clementis V. Constitutionem observat (f): Et cum Ordines contulerit absque consensu Episcopi proprii, incurrit pœnam muneris exercendi interdictionis, latam a Concilio Tridentino, quod dicit (g), *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii*

(f) Glossa in Clementina. *Archiepiscopo.* 2. de privilegiis & excess. privilegiat. v. *Etiam celebrares.*

(g) Concil. Trid. sess. 23. de reformat. c. 8.

dinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Addi potest auctoritas S. Thomæ (*a*), qui jam a longo tempore ante Concilium docuerat, secundum Sanctos Canones, nullum Episcopum exercere posse munera Episcopatus in Diœcesi alterius Episcopi, absque ejus consensu. *Non licet uni Episcopo in Diœcesi alterius, Episcopale Officium exercere secundum statuta Canonum.*

(*a*) S. Thom. in 4. dist. 27. q. 3. art. 3 quæstiunc. 4. in argum. *Sed contra*. §. 2.

CASUS IX.

Manilius, Clericus Tonsura initiatus, cum propter suam indignitatem, ab Ordinibus suscipiendis in perpetuum ab ejus Episcopo rejectus fuisset, ac deinceps ab Curia Romana obtinuisset Curam S. Portiani in illius Episcopi, qui ipsi *Visa* denegavit, Diœcesi; jure ac legibus egit apud Metropolitanum, qui ea ipsi concessit. Quemadmodum tenetur ad Ordinem Sacerdotii intra annum suscipiendum, ut Curionatum suum conservare possit, num Metropolitanus eum ordinare potest, Episcopo recusante; atque si ipsum ordinasset, nonne Episcopus jus haberet prohibendi S. Portiani Parochianis, ne ipsum pro suo Parocho agnoscerent?

Responsa.

Metropolitanus ille, in specie proposita, Manilium, absque expressa Episcopi sui licentia, ordinare nec debet, nec potest. Ratio est, quod Episcopus nullum Superiorem agnoscat in iis, quæ spectant ad res quæ sunt voluntariæ Jurisdictionis, qualis est potestas Ordines conferendi, aut denegandi. Id evidenter probatur ex Decreto Concilii Tridentini, quod in Decisione præcedenti retulimus, ubi fertur, Episcopum, qui ordinat aliquem e Diœcesi alterius Episcopi, absque ejus consensu, a potestate Ordines conferendi per annum esse suspensum, atque sic Ordinatum pariter a susceptorum Ordinum executione suspensum esse, quamdiu proprio suo Episcopo visum fuerit. Eadem muneris exercendi interdictionis pœna respectu ejus, qui sic ordinatus est, adhuc fertur a septima Bulla Sancti summi Pontificis Pii V. (*b*) quæ est diei 17. Novembris an. 1461. & qua summus Pontifex ille declarat eum, qui hoc modo ordinatur Irregularem fieri, si quædam munera Ordinum suorum exerceat dum remanet in muneris exercendi interdictione, quam per talem Ordinationem incurrit. *A suorum ordinum executione ipso jure pensus suspensi sint; & si hujusmodi suspensione durante, in iisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Hæc sunt verba illius Constitutionis, quæ per alteram Constitutionem Urbani VIII. diei 2. Decembris ann. 1624. confirmata fuit (*c*).

(*b*) S. Pius V. in Bulla. *Cum ex sacrorum*.

(*c*) Urban. VIII. in Bulla. *Secretis*. 31.

Hæc Ecclesiæ Disciplina, quæ omnibus in sæculis observata fuit, rursus confirmari potest ex Constitutione Bonifacii VIII. (*d*) quæ prohibet, ne simplex Tonsura conferatur cuiquam e Diœcesi alterius Episcopi, absque expressa ejus licentia: Quæ interdictio Metropolitanum, æque ac omnem alium Episcopum extraneum, complectitur; quandoquidem in ea Constitutione a regula generali non excipitur, immo etiam expressim his verbis, *Quivis alius*, designatur. En igitur sicut summus ille Pontifex loquitur: *Nullus Episcopus, vel quivis alius ..... absque sui Superioris licentia, homini Diœcesis alienæ præsumat conferre Tonsuram .....* atque sub qua pœna hæc interdictio promulgata est: *Qui vero contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum a collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat noverit se suspensum.*

(*d*) Bonifac. VIII. in c. *Cum nullus*. de temp. Ordinat. in 6.

Denique hæc Disciplina confirmari potest exemplo summi Pontificis ipsius, qui, juxta Regni Jurisprudentiam, sibi reservare nequit potestatem ordinandi eum, cui Beneficium confert, ex ejus collatione quam ipsi concedit, quemadmodum observat Rebuffus qui dicit (*e*); *In eo tamen, quod contulit Beneficium alicui, vel Episcopatum, non reservat sibi Ordines: saltem de consuetudine Franciæ, quicquid dicant Auctores in dicto capite;* Cum nullus. Unde colligendum est multo potiori ratione, Metropolitanum nullo modo propria sua auctoritate ordinare posse quemquam e Diœcesi unius e suis suffraganeis, sub specie quod ipsi *Visa* concesserit, ut in Beneficii possessionem veniret.

(*e*) Petr. Rebuffus Prax. Benefic. part. 1. de litteris dimissoriis, in fine.

Attamen existimamus, quod si Manilius sic ornatus fuisset a Metropolitano, ex *Visa*, quod Episcopo recusante ipsi concessisset, Episcopus ille ab eo, pro Parocho agnoscendo abstinere non posset, ideoque Parochianis S. Portiani prohibere non posset, ne ipsum, ut talem, agnoscerent. Ratio est, quod pro vero Parocho agnoscendus sit, omnis homo, qui canonice a summo Pontifice collatus, obtinuit *Visa*, ab eo, qui Diœcesis Episcopo denegante, jus illud ipsi concedendi habebat; & qui cum formulis præscriptis in sui Curionatus possessionem missus est. Supponitur autem, Manilium Collationem Romanam Curionatus S. Portiani cum debita formula habere: Obtinuit etiam *Visa* a Metropolitano, qui constanter jus habet illud concedendi, Episcopo denegante. Tandem cum formulis usitatis in istius Curionatus possessionem venit. Ergo vere Parochus (*f*). Verum Episcopus potest ac debet 1. illi prohibere, ne ulla suorum Ordinum Officia exerceat, propter muneris exercendi interdictionem, quam incurrit ex eo quod absque litteris dimissoriis ab alio Episcopo Ordines susceperit: & propter irregularitatem, quam etiam contraxit, si hoc in statu, aliquem e suis sacris Ordinibus exercuit, post Ordinationem suam non legitimam. 2. Ejus Parochianis prohibere, ne ad ipsum, ut Sacramenta recipiant, vel pro cæteris Officiis Pastoralibus, confugiant; denique ejus loco Sacerdotem quemdam constituere, ut Curionis Officia exerceat: Et postquam modo debito has interdictiones significaverit, curare debet, ut observentur, non obstantibus iis omnibus, quæ Metropolitanus in contrarium suscipere possei.

(*f*) De Sainte Beuve, to 3. cas. 39.

Hanc in rem inutile non erit observasse, quod circa quæstionem sub finem ultimi sæculi propositam; nempe, An Clericus, cui Diœcesis Episcopus ad Beneficium quoddam obtinendum *Visa* denegavit, atque etiam Ordines necessarios ad illud possidendum conferre recusavit; jus habeat per viam Appellationis tanquam ab abusu, ad supremum Senatum confugiendi. Hac quæstione in Regis Consilio agitata, Decreto compositæ fuerunt lites inter nobilem Dominum Henricum de Villars, Viennæ in Delphinatu Archiepiscopum, ex una parte; & Magistrum Petrum Floris Romanet, Clericum Tonsura initiatum, e Diœcesi ejusdem Archiepiscopi, ex altera parte, quo Decreto Rex pronuntiavit, supremum Senatum non esse Judicem competentem; irritaque fecit Decreta supremi Senatus Gratianopolitani diei 9. Januarii 19. Septembria, & 16. Novembris anni 1673. & Decreta die 19. Novembris an. 1675. atque diei 5. Februarii an. 1676. quæ similem appellationem, tanquam legitimam admiserant. Celebre hoc Decretum est diei 7. Decembris ann. 1677. atque in Diario Forensi inscriptum reperitur (*g*).

(*g*) Journal du Palais. t. 4. pag. 144. Biblioth. Canon. de Bouche to. 1. pag. 819.

CASUS X.

Aerius, Episcopus schismaticus, hæreticus Excommunicatus, pluribus Clericis Ordines minores & majores contulit. Qua de re quæritur, num illi Clerici legitime ordinati sint?

Respons.

Legitima est horum Clericorum Ordinatio, licet Episcopus, qui eam fecit, talis sit, qualis hic supponitur. Id probatur ex primo Concilio Oecumenico, Nicææ habito (*h*), a quo Nova-tiani

(*h*) Concil. Nicæn. Lcan. 8.

tiani in Ecclesiam recepti fuerunt, ac restituti in dignitatibus & prærogativis Ordinis, quem susceperant, dum in hæresi versarentur nequidem exceptis dignitatibus & prærogativis Episcopatus, cum illud Catholico urbis Episcopo bonum videbatur; quod intelligendum est excipiendo Jurisdictionem, quæ semper Episcopo Catholico remanebat. En sancti illius Concilii verba: *Hi vero qui ab istis* (Novatianis) *veniunt, si forte Episcopus fuerit, habeat Sacerdotii dignitatem; nisi forte placeat Episcopo Catholico concedere ei etiam Episcopalis nominis honorem. Si vero non placuerit; inveniat ei locum, ut sit in Parochia Chor-Episcopus, aut in Clero Presbyter; ut in civitate una non videantur duo Episcopi esse.* Quæ caussa fuit cur S. Hieronymus dixerit (*a*). *Synodus quoque Nicæna .... Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterii gradum servat.*

(*a*) S. Hieron. Dialogo contra Luciferianos.

Equidem Patres hujus Concilii eamdem gratiam non concesserunt Pauli Samosatensis Discipulis, hoc est, Paulianistis & Cataphrigianis, quorum Ordinationes irritas declararunt (*b*). At hæc est ejus ratio, nempe quod illi Hæretici verum Baptisma non haberent, sine quo nulla Ordinatio legitima dari potest.

(*b*) Idem Conc. Nicæn. can. 19.

Hinc primo argumento secundum addi potest: Elicitur e Concilio generali Ephesino (*c*), quod in Clero Ecclesiæ Catholicæ recepit Clericos, qui se cum Ecclesia Catholica reconciliare voluerunt, hæresi suæ nuntium mittendo; licet ab Episcopis Messalianis aut Enthusiastis ordinati fuissent. *Etsi quidem anathematizaverint juxta ea, quæ in prædicta Synodo scripto pronunciata sunt, si Clerici fuerint, maneant Clerici.* Unde colligendum est, quod cum sanctum hoc Concilium in Ecclesiæ sinum admiserit Clericos ad puram Religionem conversos, qui ab Episcopis hæreticis ordinati fuerant, nec eos ad sacros Ordines rursus suscipiendos adegerit; dubitari nequit, illos hac ratione eorum Ordinationem legitimam esse agnovisse.

(*c*) Concil. Ephes. part. 2. act. 7. in fine.

Idem docet sanctus Optatus (*d*), ut & sanctus Augustinus, & sanctus Gregorius Magnus. Hic ultimus Pater scribens ad Quiricum & Episcopos Iberiæ, Asiæ minoris Provinciæ, quam Georgium vocamus, ipsis præcepit, ut in sinum Ecclesiæ admitterent omnes Clericos Nestorianor, qui errores suos deponere vellent & ad puram Religionem se convertere, & ut eos in suis Ordinibus conservarent, nullam ipsis molestiam respectu Ordinationis suæ creando. *Absque ulla dubitatione sanctitas vestra*, ait sanctus ille Pontifex summus, *servatis eis propriis Ordinibus in suo cœtu recipiat, ut dum & per sollicitudinem occultæ mentis eorum discutitis, atque eos per veram scientiam recta, quæ tenere debeant, docetis; & per mansuetudinem, nullam eis contrarietatem, vel difficultatem de propriis suis Ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis.*

(*d*) S. Optat. l. 1. contra Donatistas. c. 19. S. Aug. Epist. 61. alias 223. n. 2. & l. 1. de Bapt. contra Donat. c. 1. S. Gregor. l. 9. epist. 61. (secundum Eras. edit. locum).

Hic per transennam observare necesse est, dari auctores, qui revera huic Decisioni adversari videntur, dicendo, eos qui ordinati fuerunt ab Episcopis schismaticis, aut excommunicatis, nihil accepisse; quia illi Episcopi ipsi nihil habebant; atque sic se enuntiat Nicolaus I. (*e*) loquendo de Ordinatione non legitima Photii, qui se Patriarcham Constantinopolitanum dicebat, & qui a Gregorio Syracusano ordinatus fuerat. *Gregorius ergo, qui Canonice ac synodice depositus & anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percipit nisi quantum Gregorius habuit. Nihil autem habuit.* Ergo *nihil dedit.*

(*e*) Nicolaus I. Epist. 9. Ad Michaelem Imperatorem. longe post medium.

Verum hæc locutio intelligenda non est, nisi sensu, qui solummodo congruat cum gratia & Jurisdictione, quibus Hæretici Episcopi noti, vere spoliantur; & quas ideo illis, quibus manus imponunt, conferre nequeunt: verum intelligenda non est hæc locutio sensu severo & absoluto, quemadmodum clare patet ex iis quæ sequuntur in hac eadem Nicolai I. Epistola: alioquin inde sequeretur, Episcopum schismaticum, hæreticum, aut excommunicatum, characterem suum Episcopalem amisisse, in schisma, hæresim, aut excommunicationem incidendo; quod absque absurdo & errore dici nequit. Quod ita verum est, ut ipsum Photii exemplum ad illud probandum inserviat; quandoquidem Joannes VIII. Nicolai I. successor (*f*), agnovit Photium pro vero Episcopo, eosque omnes quos ordinaverat pro legitime Ordinatis, nec eos, non magis quam Photium, ad Ordines iterum suscipiendos, adegit. Ac revera non minus interdicebatur in Ecclesia, Clericos, qui hæresi nuntium mittebant, reordinare, quam Laicos, qui eam publice repudiaverant, iterum baptizare: *sicut redeuntes, qui priusquam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur*, ait sanctus Augustinus (*g*), *ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur.* Ejus ratio, quam Pater ille alibi reddit, est (*h*), quod, cum ordo characterem, non minus quam Baptisma, imprimat, neutrum horum Sacramentorum unquam iterari queat. *Utrumque enim Sacramentum est*, inquit, *& quadam Consecratione utrumque homini datur; illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur. Ideoque in Catholica* (Ecclesia), *utrumque non licet iterari.* Quamobrem exempla contraria quæ in Historia reperiuntur, solummodo sunt quædam facta quæ Ecclesia nunquam comprobavit, & quæ e contra semper damnavit, per agendi rationem oppositam, quam religiose ac inviolate observavit.

(*f*) Epist. 250. init.

(*g*) S. Aug. cit. lib. 2. de Bapt. contra Donat. c. 39.

(*h*) Idem l. 2. contra epist. Parmeniani c. 13. seu n. 48.

Ceterum hujusce quæstionis occasione data, observandum est, quod quemadmodum illi, qui se excommunicatos noscentes, sacrum Ordinem suscipiunt, muneris exercendi interdictionem summo Pontifici reservatam incurrunt (*i*), similiter eam incurrunt illi, qui ab Episcopo manifeste excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, aut hæretico denuntiato Ordines suscipiunt; quemadmodum Collocutionum Andegavensium Auctor observat (*K*).

(*i*) Innoc. III. in cap. *Cum illorum*, 32. de sent. excommunicat.

(*k*) Confer. d'Angers de mois de Septembre. 1712. q. 2. pag. 207.

CASUS XI.

Emilius, creatus fuit Sacerdos a suo Episcopo, qui ipsi Ordinem conferendo, ei tangendum præbuit Calicem, cui vinum & aquam infundere per imprudentiam omiserunt, quæ caussa est, cur timeat, ne sua Ordinatio legitima non sit, ideoque Sanctam Missam celebrare nequeat. Num ejus timor æquo nititur fundamento?

Respons.

Emilii timor æquissimo fundamento nititur. Licet enim quidam dentur Theologi, qui existiment, ad Sacerdotii Ordinem legitimum efficiendum, necesse non esse, ut vinum in Calice, & panis super Patena dentur, idque meram esse cæremoniam, quæ de Sacramenti essentia non est; attamen sententia contraria sequenda est. *Materia hujus Sacramenti*, ait sanctus Thomas (*l*), *est illud materiale, per cujus traditionem confertur Ordo ..... quilibet Ordo traditur per collationem illius rei, quæ præcipue pertinet ad Ministerium illius Ordinis.* (Quod intelligendum est, addendo formulam, quam Episcopus pronunciat.) Sacerdos autem Ordinem suum celebrando exercere non potest, quin pane & vino utatur. Ergo consecrandi potestas ipsi conferri nequit, nisi utrumque in Calice & Patena ipsi offerendo. Ac revera, Episcopus hanc potestatem ipsi solummodo declarat, eo momento quo ea tangenda ei præbet, dicendo: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis.*

(*l*) S. Thom. opusc. 1. de Sacramentis Ecclesiæ tom. 17. fol. 62. verso.

Hoc

Hoc etiam dicit S. Thomas, vel ejus supplementi auctor, (g) cum affirmat, Sacerdotem Characterem Sacerdotalem solummodo accipere, quo tempore res istæ ab Episcopo ipsi offeruntur. *Quia principalis actus Sacerdotis est, consecrare Corpus & sanguinem Christi, ideo in ipsa datione Calicis sub forma verborum determinata Character Sacerdotalis imprimitur.* Unde Dominicus Sotus colligit, utrumque ad Sacramentum legitimum efficiendum necessario & ex rei natura requiri (b): *Respondetur*, inquit, *Sacramentum perfici in traditione Calicis & Hostiæ, cum forma tradendi potestatem consecrandi: atque ideo & illic Charactere Sacerdotem insigniri & gratia donari.*

(a) Idem supplem. 3. partis q. 37. art. 5.

(b) Dom. Sotus in 4. dist. 24. q. 1. art. 4.

Hæc Doctrina approbata & confirmata repetitur a Concilio Florentino, vel potius a Decreto quod Eugenius IV. in eo tulit (c), cum bujus Concilii approbatione, sicut sanctus Antoninus, Sylvius, aliique observant. En ejus verba: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino & Patena cum pane porrectionem. Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, In nomine Patris, &c.*

(c) Decret. pro Armenis. §. 6. sextum.

Equidem, juxta sententiam multorum Theologorum, absolute necessarium non est ad Sacerdotii Ordinem legitimum efficiendum, ut vinum & aqua in Calice, & panis in Patena dentur; sed alterutrum sufficit. Ejus ratio, quam afferunt, est, quod cum Sacerdos unicam speciem legitime consecrare possit, & cum Jesus-Christus totus, sicut homo Deus, sub sola panis, aut vini specie, quemadmodum sub utraque specie, reperiatur; inde sequatur, sufficere ad Sacramenti essentiam, ut ille qui Sacerdos creatur, alterutrum tangat. Attamen, cum utraque materia in Concilio Florentino designetur, dicendum est, utramque ad Sacerdotii essentiam pertinere: quia Dominus noster, qui generatim tantum diversas Ordinum materias instituit, potestatem eas determinandi Ecclesiæ suæ reliquit. Hæc est mens docti Cardinalis Bellarmini (d): *Credibile est*, inquit, *Dominum instituisse istas omnes materias Ordinum; non quidem in particulari, sed generatim, monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.* Ea omnia, quæ jam jam diximus sat clare ostendunt, Emilium Episcopum suum adire debere, ut ipsi Ordinationis suæ vitium exponat, eumque supplicem roget, ut iterum ipsi Ordines conferre velit.

(d) Car. Bellar. De sacram. Ordinis, c. 9.

Id fusius docet Fagnan (e), post S. Raimundum, Innocentium IV. Cardinalem Hostiensem, S. Antoninum, & decem alios celebres Juris Canonici peritos; idque confirmat per firma responsa, quæ undecim objectionibus, quas sibi facit, reponit, & quæ apud istum auctorem consuli possunt, si quis eis, quæ diximus, contentus non sit.

(e) Fagnan. in cap. Cum venisset. De sacra Unctione, l. 1. tit. 15. Et apud eum Joan. Andreas, Hostiensis, Antonius de Butrio, & Cardinalis in d. cap. & alii.

CASUS XII.

Leidradus, Sacerdotii Ordinem suscipiendo, manum solummodo appropinquavit ad instrumenta ab Episcopo sibi oblata, nec ea tetigit. Num legitima est ejus Ordinatio?

Respons.

Ordinatio Leidradi legitima est, juxta Doctrinam celebris auctoris Hispani (f), qui probat, manuum impositionem esse solam materiam, quæ de Sacerdotii essentia sit; quemadmodum patet ex ipsis sancti Paulis verbis, qui dicit. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*. Ac rursus (g), *manus cito nemini imposueris*. Atque adhuc alibi (h), *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quod etiam probatur ex his quarti Concilii Carthaginiensis verbis (i); *Presbyter, cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus ponente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Patres, tam Græci quam Latini, interque alios S. Hieronymus & Theodoretus; Alii antiqui, ut Auctor Constitutionum Apostolicarum, Auctor Hierarchiæ Ecclesiasticæ, Rabanus Maurus, Walafridus Strabo, S. Isidorus Hispalensis, & Alcuinus, eandem Doctrinam tuentur, de manuum impositione, cum de Sacerdotum Ordinatione loquuntur, solummodo verba faciendo: idque congruenter omnibus antiquis ritualibus, Pontificalibus & Sacramentariis libris utriusque Ritus: Adde quod, Græci, nequidem iis, qui Romam incolunt, exceptis, adhuc hodie manuum impositione etiamnum Sacerdotium conferendo, solummodo utuntur.

(f) Joan. Maldonat. de Sacram. tom. 2 tract. de Ordine q. 5. part. 2. pag. 394.

(g) 1. Ad Timoth. 4. 14.

(h) Ibid. c. 5l. 22.

(i) Concil. Carthag. IV. Can. 3.

Nihilominus multi alii celebres Theologi sententiam contrariam tuentur, ac docent, ad essentiam Sacramenti Ordinis pertinere, ut ille, qui ad Ordines suscipiendos se se offert, instrumenta ab Episcopo sibi oblata tangat; & S. Thomas (k) hanc sententiam aperte amplecti videtur, cum dicit; *Quia enim potestas Ordinis non accipitur a materia, sed a ministro principaliter: ideo porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quam tactus: tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dicitur, Accipe hoc, vel illud.* Ita ut juxta hanc posteriorem sententiam, Leidradi Ordinatio legitima non sit. Et quia in dubio tutissima sententia semper sequenda est, præsertim cum de Sacramento legitimo efficiendo agitur, existimamus, Leidradum absolute teneri, ad confugiendum ad suum Episcopum, ut privatim suppleat ea quæ omissa sunt; sicut præcipiunt Innocentius III. & Gregorius IX. in duabus Decretalibus, quæ in Jure referuntur (l).

(k) S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. quæst. 3. ad 3.

(l) Innoc. III. in cap. *Pastoralis*, de Sacram. non iterand. l. 1. tit. 16. Gregor. IX. in cap. *Presbyter*. fin. eod. tit.

CASUS XIII.

Eustadius, Sacerdotii Ordinem suscipiendo, solummodo tetigit Calicem & panem, qui super Patena erat; nec ipsam Patenam tetigit, quæ caussa est cur dubitet, an sua Ordinatio legitima sit. Num ejus dubium æquo fundamento nititur, & nonne necesse est, ut Ordines, saltem conditionaliter, iterum suscipiat?

Respons.

Dubium Eustadii justo fundamento non nititur, nec ulla datur necessitas ut rursus Ordines, etiam conditionaliter, suscipiat. Hac ratione Sylvius similem quæstionem diremit die 27. Aprilis an. 1643. (m). Ratio est, quod licet probabilius sit, ad Sacramenti Ordinis essentiam pertinere, ut immediate tangantur omnia instrumenta, quæ Episcopus offert illi, qui ordinatur; & cum in dubium vocatur, num Sacramentum sit legitimum, illud, saltem conditionaliter, iterum conferendum esse: attamen dici possit, Eustadium dubitandi locum non habere, quin legitime ordinatus sit. Quandoquidem enim immediate tetigit Calicem, in cujus Patena erat panis consecrandus, atque hunc panem etiam tetigit, id sufficit ad ordinationem suam legitimam efficiendam. *Hoc autem*, inquit doctus ille Professor, *est sufficiens ad Sacramenti valorem, etiam ex mente illorum, qui docent, contactum immediatum esse essentialem:* quia, inquit, Calix cum sua Patena & pane insuper posito, existimanda sunt solum ac unicum instrumentum, cujus Patena est pars ignobilior, & sine qua panis consecratio fieri potest. *Quia tunc unum, idque majus instrumentum vere ac realiter tangitur, nimirum Calix: alterum autem scilicet Patena, etiam tangi censetur eo ipso, quod tangitur, cum Calix cui est superposita, tum hostia quæ est super eam; nec verisimile est, alium Patenæ contactum esse de essentia: cum Patena non sit instrumentum necessarium ad consecrationem Hostiæ, sicut Calix necessarius est ad consecrationem vini.* Sic loquitur ille Theologus, qui pro sua sententia tuen-

(m) Fr. Sylvius Resolut. var. v. *Presbyteratus*.

tuenda laudat undecim Auctores, quorum præcipui, ac maxime notandi, sunt Dominicus Sotus, Angelus de Clavasio, & Sylvester de Prierio (a).

(a) Dom. Sotus in 4. dist. 24. q. 2. art. 2. Angelus de Clavasio. v. Ordo. Sylvester de Prierio. v. Ordo q. 5. Joannes Tabrens, Petrus Ledesma, &c.

CASUS XIV.

RAIMUNDUS. Diaconatus Ordinem suscipiendo, res quas Episcopus offert vel præbet iis quibus hunc Ordinem confert, non tetigit. Num legitime ordinatus est?

RESPONS.

Theologi omnes non consentiunt de iis, quæ ad Diaconatus materiam & formam spectant. Quidam enim contendunt, solam manuum impositionem essa Diaconatus materiam, precesque Episcopi ejus esse formam. Alii volunt, impositionem manuum, stolam, & Dalmaticam, cum libri Evangeliorum traditione esse materiam; & formam consistere in verbis, quæ pronuntiat Episcopus sanctum hunc librum tangendum præbendo illi, qui ordinatur.

Qui priorem sententiam tuentur, nituntur. 1. Eo quod respectu materiæ Diaconatus, constare videatur e texto capite Actorum Apostolicorum, ubi de Diaconorum Ordinatione mentio fit, solam esse manuum impositionem, cum hoc Caput de sola hac cæremonia verba faciat, & cum Apostoli, ordinando S. Stephanum, S. Philippum, aliosque Diaconos nequidem cogitare possent de libro Evangeliorum præbendo, nec de eo tangendo; cum Evangelium nondum scriptum foret, & longa post tempora solummodo scriptum fuerit. Longe minus adhuc cogitare poterant de tradenda stola & Dalmatica, cum earum usus in Ecclesia, nonnisi pluribus post Apostolos sæculis, receptus fuerit. 2. Nituntur quarto Concilio Carthaginensi habito sub Pontificatu Anastasii I. sub finem quarti sæculi, & cui sanctus Augustinus adfuit; quod Concilium de Diaconorum Ordinatione loquendo (b), da sola Episcopi manuum impositione verba facit. *Diaconus, cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat*: ne verbum quidem dicendo de libro Evangeliorum, nec de stola, nec de Dalmatica, licet econtra, de Subdiaconi Ordinatione loquendo, ea, quæ in ejus manus tradenda sunt, speciatim designet. Ac revera Lectores, non vero Diaconi, Evangelii legendi officio in Ecclesia fungebantur, sicut discimus a S. Cypriano (c), de Aurelii promotione ad Lectoria Ordinem loquendo; hocque officium non nisi sequentibus temporibus Diaconis impositum fuit, juxta Amalarii testimonium (d). 3. Idem Auctorea adhuc nituntur Euchologiis Græcis, antiquo Gallorum Missali, quod Pater Mabillon in publicam lucem emisit, & libris Ritualibus 800. annis & amplius vetustis, qui nullibi notant, quod in Diaconorum Ordinatione, ipsia Evangeliorum liber tangendus præberetur. Unde colligunt, meram ergo esse cæremoniam ab Ecclesia introductam, & solam Episcopi manuum impositionem esse Diaconatus materiam; ut verba, quæ pronuntiat, ejus forma sunt (e).

(b) Concil. Carthag. IV. Can. 4.

(c) S. Cyprian. Epist. 33. adit. Pamelii, seu L. 2. Epist. 25. juxta Erasm. seu Epist. 38. Edit Dodvvel.

(d) Amalarius de offic. Eccles. c. 11. & 12.

Unde sequitur, juxta priorem hanc sententiam, Raimundum, de quo in specie proposita mentio fit, legitime ordinatum fuisse, licet nec librum Evangeliorum, nec ullam aliam rem, Diaconatum recipiendo tetigerit. Verumtamen, quia dantur Theologi, qui sententiam priori adversantem tuentur, & quia prætetea Raimundus prorsus tenetur ad usum in Ecclesia receptum se se accommodare; ad suum Episcopum confugere adstringitur, & facti veritate exposita, eum rogare debet, ut illa quæ omissa sunt, supplere velit, juxta regulam constitutam a Decretalibus Innocentii III. & Gregorii IX. quas in margine laudamus (f) ubi dicitur, quod: *Caute supplendum* (est) *quod incaute per errorem fuerat prætermissum*.

(e) Confer. de Lucon. tom. 8. conf. 4. q. 3. & confer. 1. q. 1. de Sacrament. de l'Ordre.

(f) Innoc. III. in cap. *Pastoralis*. 1. & Greg. IX. in cap. *Presbyter*. fin. de Sacram. non iterandis l. 1. c. 16.

CASUS XV.

VITELLIUS, Subdiaconatum recipiendo, instrumenta, huic Ordini propria, ab Episcopo sibi oblata, tangere prætermisit. Num, his non obstantibus legitime ordinatus est?

RESPONSIO.

Antequam ad hanc quæstionem respondeamus, observandum est, Subdiaconatum, per undecim prima Ecclesiæ sæcula, tanquam Ordinem minorem solummodo consideratum fuisse; quemadmodum notant multi docti Theologi, ac inter cæteros Cardinalis Bona, Pater Morin & Pater Thomassin (g).

Primum, quo utuntur, argumentum est, antiquos Patres loquendo de Sacris Ordinibus, qui Ecclesiæ Hierarchiam constituunt, solummodo de Episcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu verba facere, quemadmodum patet. 1. Ex Epistola quam S. Ignatius Martyr ad fideles Smyrnenses scribit (h). 2. Ex Epistola Synodali secundi Concilii Antiocheni, scripta ad summum Pontificem Dionysium & ad Occidentales, ab Episcopis, Presbyteris & Diaconis, qui hoc Concilium componebant, adversus Paulum Episcopum Samosatensem, quæ ab Eusebio refertur. 3. Ex sancto Hieronymo in sua ad Evagrium Epistola, qui tantum de Episcopis, Sacerdotibus & Diaconis verba facit, nullam de Subdiaconis mentionem faciendo. 4. Ex sancto Augustino ad Valerium scribente (i), qui tres priores Ordines sacros solummodo nominat, & qui in alia Epistola (k) Subdiaconos cum aliis Clericis minoribus confundit. *Neque enim*, ait, *de Presbyteris aut Diaconis, aut inferioris Ordinis Clericis, sed de Collegis* (Episcopis) *agebatur*. Hoc argumentum ut ut negativum, attamen admodum notata dignum est.

(g) Card. Bona. de re Liturgic. l. 1. c. 25. Jo. Morinus part. 3. de Sacrament. exercit. 11. & 12. Thomassin. Disciplin. Ecclesiastiq. tom. 1. part. 1. l. 2. c. 26.

(h) S. Ignat. Epist. ad Smyrnenses.

(i) S. Aug. Epist. 21. alias 148. n. 4.

(k) Idem Epist. 43. alias 162. n. 7.

Secundum horum Auctorum argumentum est, quod antiqua Concilia eodem modo hac de re verba faciant: ac præsertim Concilium Laodicenum, sub Pontifice summo Sylvestro ante Concilium generale Nicænum habitum (l).

(l) Concil. Laodicen. can. 20. 21. & 22.

Tertium argumentum elicitur, ex eo quod Joannes Diaconus, in vita S. Gregorii Magni refert; quippe qui testatur summum hunc Pontificem in Subdiaconum, gravis peccati reum, animadvertisse eadem ratione ac in Laicum animadvertisset: atque de Diaconatu, tanquam de Sacerdotii participatione loquitur, de Subdiaconatu vero tanquam de officio simplici verba facit.

Quartum argumentum nititur auctoritate Amalarii (m), qui asserit, Subdiaconatum, aliosque Ordines minores ab Ecclesia constitutos fuisse; & Divum Paulum in suis Epistolis nullam de iis mentionem fecisse.

(m) Amalar. l. 2. de offic. Ecclesiast. c. 6.

Quintum argumentum est, quod Subdiaconus per Episcopi manuum impositionem, sicut Diaconus, non ordinatur. Ac revera id dicit quartum Concilium Carthaginense anno 398. habitum, *Subdiaconus*, inquiunt hujusce Concilii Patres (n), *cum ordinatur ... manus impositionem non accipit*.

(n) Concil. Carthag. IV. can. 5.

Sextum desumitur ab Urbano II. qui cum Concilio Beneventino adesset, anno 1091. habito, verbis disertis declarat, Sacerdotium & Diaconatum, in numerum Ordinum Sacrorum aut majorum solummodo recenseri: quia, inquit, Ecclesia primitiva alios Ordines non agnovit. Ipse Innocentius III. id ita refert in una e suis Decretalibus, quam ad Episcopum Mutinensem scribit (o), *Sacros, inquit Ordines*, ait summus ille Pontifex Urbani II. verba referens, *Diaconatum dicimus & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse*. Ita ut jure dici possit, Innocentium II. primum fuisse, qui Subdiaconatum pro Ordine sacro agnoverit (p): de quo Concilium Tridentinum dixisse sat habuit (q), *Subdiaconatus ad Ordines majores a Patribus & Sacris Conciliis refertur*. Atque si alibi eum vocet (r), *Sacrum Subdiaconatus Ordinem*, ita

(o) Urban. II. ab Innocentio III. cit. in cap. *A Multis*. 9. de ætate & quali. & ordina præficiendorum. l. 1. tit. 14.

(p) Innoc. III. in cit. cap. *a Multis*.

(q) Concil. Trid. sess. 23. c. 2. de Sacram. ordinis.

(r) Idem ib. c. 13. de reformat.

ita non loquitur eum, tanquam fidei articulum, definiendo. Quæ causa etiam fuit, cur Petrus, Ecclesiæ Parisiensis Cantor dixerit hujusce summi Pontificis Coævus, Subdiaconatus Ordinem ad Sacri Ordinis dignitatem recenter evectum fuisse. *De novo institutum est, Subdiaconatum esse Sacrum Ordinem.* Hæc est observatio Patris Menardi in suis notis ad Sacramentarium sancti Gregorii Magni.

Auctor Doctarum Collocutionum Luciunensium (*a*) sapienter observat distingui posse tres gradus; quibus Subdiaconatus ad Ordinis sacri qualitatem evectus est. Primus est, vita cœlebs quam illi addixit summus Pontifex S. Gregorius. Secundus, licentia quam Urbanus II. Subdiaconis concessit, ut in casu urgenti Episcopi eligi possent. Et tertius est, Declaratio, quam Innocentius III. deinceps promulgavit, eos absque Legis laxamento Episcopos eligi posse. Unde colligi potest s. Innocentium III. non autumasse huic Ordini sacri qualitatem tribuendam esse, nisi ob duos priores exaltationis gradus, de quibus jam jam verba fecimus: Quia, qui Diaconi creantur, Deo ac ejus Ecclesiæ modo perfectiori & magis authentico, quam cœteri Clericis inferiores, consecrantur: & vasa sacra tangere, Altarique & Sacrificio propius inservire possunt: ac tandem, quia hoc privilegio gaudent, ut absque ullo Legis laxamento, ad Episcoparum evehi possint. a. Absolute & stricte condemnari non posse jure Theologos, qui negant, Subdiaconatum esse Sacramentum; cum revera per manuum impositionem, sicut tres Ordines Hierarchici, non conferatur; (*b*) & cum illum conferendi privilegium olim *meris* Sacerdoribus concessum fuerit: quemadmodum ex Epistola summi Pontificis Gelasii I. ad Episcopos Lucaniæ patet: quod nunquam ipsis respectu trium Ordinum Superiorum concessum fuit, si forte excipi velit Diaconatus, quem Abbas Cisterciensis conferre posse contendit, ex quodam privilegio, de quo cum ipso litigatur, & quo nunquam, faltem in Gallia, utitur. Ideoque, licet Innocentius III. Sacri Ordinis qualitatam Subdiaconatui tribuat, exinde propterea colligi nequit Subdiaconatum esse Sacramentum: cum nec summi Pontifices, nec tota Ecclesia congregata Sacramentum instituendi potestatem habeant: Et cum Jesus Christus solus, signis externis & sub sensus cadentibus qualia sunt Sacramenta, gratiam suam Fidelibus conferre possit. Sic ratiocinantur Theologi, de quibus mox verba fecimus, quibus attamen, prorsus adversantur multi alii celeberrimi Doctores, ac inter alios Richardus a *S.* Victore. *S.* Thomas (*c*) *S.* Bonaventura & Scotus, qui affirmant, subdiaconatum verum esse Sacramentum; Qua de re cum Ecclesia Univarsalis nihiladhuc distincte dijudicaverit, alterutram sententiam absque crimine & errore sequi possumus.

(*a*) Conf. de Lucon tom. 8. Conf. 4. q. 3. du sacrement de l'Ordre.

(*b*) Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipit vacuam, & Calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua & mantile & manutergium Conc. Carthag. IV. cit. Can. 5.

(*c*) S. Thom. in 4. dist. 24 q. 2. art. 2. quæst. 3. ad 3.

Post longam istam, sed necessariam observationem, ad speciem propositam respondemus, dicendo, affirmari posse, Vitalem vere Subdiaconatum recepisse, licet instrumenta ab Episcopo sibi oblata, non tetigerit. t. Quia cum multis magnis Theologis affimare possumus, Subdiaconatum esse meram cæremoniam ab Ecclesia institutam; huncque Ordinem, cum verum Sacramentum non sit, nullam habere materiam, aut formam, quæ sit de ejus essentia. Quod si e contra affirmetur, hunc Ordinem verum esse Sacramentum, rursus dici potest, Subdiaconatum legitime conferri posse, licet ille, qui eum recipit, illa instrumenta non tangat: quandoquidem, sicut jam alibi diximus, Ecclesia Græca, quemadmodum multi Auctores docent, nullam aliam Sacramenti Ordinis materiam, præter solâm Episcopi manuum impositionem, agnoscit. Quod etiam docet Auctor Constitutionum Apostolicarum, qui addit, formam esse preces, quibus Episcopus a Deo petit, ut ipsi Sanctum suum Spiritum conferat.

Equidem quintus Canon quarti Concilii Carthaginensis, quem laudavimus, declarat, manus non imponi Subdiaconis, sed materiam Subdiaconatus esse Calicem & Patenam vacua, quæ Episcopus ipsis tangenda præbet; ut & Urceolos plenos cum manutergio, quæ Archidiaconus pariter ipsis tangenda offert, quibus congruit Pontificalis liber Romanus: Et formam consistere in verbis quæ pronuntiat Episcopus, dum ipsis Calicem & Patenam, tangenda præbet; Verum ex his diversis usibus colligi posse videtur, hæc omnia solummodo esse Constitutiones Ecclesiasticas; cum certissimum sit, Ecclesiam potestatem non habere in Sacramentorum materia & forma quidquam, quod de eorum essentia sit, immutandi.

Quidquid sit, hæc est nostra sententia, nempe, quod quemadmodum in dubio quod ad Sacramentorum essentiam spectat, ad tutissimam viam sequendam absolute tenemur: necessarium sit, ut Vitalis adeat Episcopum, qui ipsum Subdiaconum ordinavit, ad id arcano supplendum, quod in sua Ordinatione prætermissum fuit: idque congruenter iis, quæ de similibus rebus præceperunt Innocentius III. & Gregorius IX. in suis Decretalibus, quas ad decimam quartam quæstionem respondendo, retulimus.

CASUS XVI.

Enguerrandus omnes Sacros Ordines suscepit, licet nondum baptizatus fuerit. Num eorum muneribus legitime fungi potest, saltem post quam baptismum acceperit?

Respons.

Constat Enguerrandum, nulla munera Ordinum, qui ipsi collati dicuntur, legitime exercere posse; quia irrita est ejus Ordinatio: cum nemo ullum Sacramentum, nequidem Pœnitentiæ, recipere possit, antequam Baptismatis Sacramentum acceperit. *Nihil potest aliquis recipere, cujus receptivam potentiam non habet*, inquit Sanctus Thomas (*d*); *per characterem autem Baptismalem efficitur homo receptivus aliorum Sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum alterum Sacramentum recipere potest: & sic character Ordinis Baptismalem characterem præsupponit*. Id etiam exprese dijudicatum fuit ab antiquo Galliæ Concilio, cujus Decretum laudatum reperimus in Decretali, quæ in Juris Corpore his verbis refertur (*e*); *si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur. & iterum Ordinetur*. Quemadmodum hæc decisio nullam patitur difficultatem, ipsi diutius immorari inutile est.

(*d*) s. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. art. 2. quæst. 3. in corp.

(*e*) Conc. Compendiense. In cap si quis. t. de Presbytero non bapt. l. 3. tit. 43.

CASUS XVII.

Patriclus absolute volens, ut Simplicius fratris sui filius, qui est Acolytus, Sacros Ordines suscipiat, ipsi maximas contumelias minitatus est, nisi se se ordinandum curet. Simplicius gravi hoc metu commotus, Subdiaconi Ordinem, invitus suscipit, ac deinceps prima occasione data aufugit, ut ad cæteros Ordines suscipiendos non adstringatur. Num legitima est ejus Ordinatio?

Respons.

Dubitari non potest, quin Simplicii Ordinatio legitima sit. Quod probari potest ex auctoritate Innocentii III. ad Archiepiscopum Arelatensem scribentis (*f*), qui declarat, metum non impedire quin Baptismus legitimus sit, & ideo quin legitima sint alia Sacramenta quæ characterem imprimunt. *Is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptismi suscipit Sacramentum: talis .... characterem suscipit Christianitatis impressum.*

Diximus, *Et ideo quin legitima sint alia Sacramenta quæ characterem imprimunt*. Quod solummodo dicimus post Glossam (*g*), quæ his verbis se se enuntiat. *Coactio conditionalis non impedit Sacramentum Baptismi .... sicut non impedit Sacramentum Ordinis*, quod probat ex antiquo Canone (*h*), relato in Gratiani Decreto: additque eum qui sic ordinatur, ad continenter vi-

(*f*) Innoc. III. in cap. *Majores* 3. de Bapt. & ejus effectu lib. 3. tit. 42.

(*g*) Gloss. in cit. c. v. *Conditionaliter*.

(*h*) Simplicius in Can. Ut 7. dist. 74.

ven-

vendum teneri; (*a*) licet ad continentiam non teneretur, si per coactionem absoluram, per vim & absque suo assensu ordinaretur. Sed si absolnta coactio, tum nullum reciperet Ordinem (*b*).

Hæc Decisio congruit cum Doctrina sancti Antonini (*c*) & S. Raimundi, Cardinalis Hostiensis, & Palndani, quem citat.

(*a*) De Genet. Theol. Mor. tom. 1. tract. 2. cap. 4. q. 12.
(*b*) Glossa in Can. Ubi supra cit. v. *Honorem*.
(*c*) S. Anton. 3. part. sum. tit. 24. c. 26. §. 28.

CASUS XVIII.

Alaericus omnes Ordines minores & majores suscepit, quin tonsura initiatus fuerit, & reipsa omnia eorum munera exercet Quade re quæritur annon muneris exercendi interdictionem *ipso facto* inbierit, quia sic *per saltum*. Ordines suscepit: & an non Ordinum suorum exercitatione irregularitatem incurrerit?

Respons.

Clericus ille nec muneris exercendi interdictionem, nec irregularitatem incurrit, quia verum non est dicere, eum *per saltum* Ordines suscepisse. Ratio est, quod, quemadmodum docent Sylvester Mozolinus, Tabiena, Suarez (*d*), multique alii Doctores, *per saltum* ordinari, nihil aliud sit, quam Ordinem superiorem suscipere, absque inferioris susceptione: Albericus antem hoc in casu non versatur; quia Tonsura qua initiatus non fuit, Ordo non est, sicut vulgo docent Theologi, & quemadmodum facile probari potest ex duobus antiquis Canonibus (*e*), quorum prior a Gratiano tribuitur summo Pontifici Leoni IX. qui sedem Romanam medio undecimi sæculi occupabat: Et posterior elicitur e Concilio in illa urbe habito anno 324. sub sancto Sylvestro. Prior speciatim nominat omnes Ordines minores, & posterior omnes Ordines tam majores quam minores, ab ordine Janitoris ad Episcopum usque, Tonsuram in illis non complectendo: quibus congruit Concilium Tridentinum (*f*), quod de Tonsura sex in locis diversis loquendo, semper eam exprese distinguit ab Ordinibus, tam majoribus, quam minoribus: quod rursus patet ex libro Pontificali Romano, cum dicit, Ordines minores solummodo conferendos esse diebus Dominicis & Festis duplicibus matutino tantum tempore; Tonsuram vero quacumque die & quavis hora conferri posse.

(*d*) Sylvest. v. *Ordo*. 5. Joan. Tabiena. v. *Irregularitas*. Suarez. tom. 5. in 3. part. S. Thom. disput. 31. sect. 2.
(*e*) Leo. IX. in Can. *Seriatim* 14. dist. 32. Synod. in Rom. Can. A *Subdiacono*. 5. dist. 65.
(*f*) Conc. Trid. sess. 23. c. 4. 5. 6. 11. 12 & 13. de Reform.

Ac revera Concilium Florentinum, quod determinat res, quæ præberi debent ut tangantur ab iis, qui Ordines suscipiunt, nullam pro Tonsura designat, sicut observat Sylvius in una e suis decisionibus diei 16. Novembris anni 1637. ubi probat neminem censuram ullam incurrere in specie ad quam respondemus; cum Tonsura solummodo sit Cæremonia Ecclesiastica. *Illi demum sunt Ordines*, inquit Doctus ille Theologus (*g*), *qui pro materia habent rem quampiam, per cujus traditionem ipsi conferuntur, juxta Synodum Florentinam. Tonsuræ antem nullam assignat materiam, per cujus traditionem ipsa confeiatur.* Unde colligimus, Albericum, licet culpandus sit ex eo quod neglexerit Tonsuram ante Ordines recipere, nullam tamen censuram incurrisse Ordines suscipiendo; ideoque irregularitatem non incurrisse; propterea quod hoc in statu Ordinum suorum officiis functus fuerit: licet verum sit, quod illa munera exercendo, contra consilium ac mentem Ecclesiæ egerit.

(*g*) Fr. Sylv. Resolut. var. v. *Ordo*. 2.

CASUS XIX.

Eulogius, antequam confirmaretur, Tonsuram & Ordines minores suscepit; inito tamen consilio Confirmationis Sacramentum prima occasione data, recipiendi: & cum se confirmatum non fuisse solummodo occultaverit per metum, quo percellebatur, ne Episcopus ipsum ad aliam Ordinationem dimitteret. Num hac in re peccavit?

Respons.

Eulogius a gravi peccato commisso eximi nequit, cum violaverit Ecclesiæ Legem, quæ prohibet, ne Tonsura recipiatur, quin antea Confirmationis Sacramentum receptum fuerit. *Prima Tonsura non initientur qui Sacramentum Confirmationis non susceperint*, ait Concilium Tridentinum (*h*). Ratio, quæ Ecclesiam induxit ad hanc interdictionem promulgandam, est quod illi, qui vitæ institutum Ecclesiasticum eligunt, quo Deo modo prorsus singulari se se consecrant, perfecti Christiani esse debeant. Tales antem nisi per Confirmationem, fieri nequeunt, sicut in antiquo Canone dicitur (*i*): *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent; ut pleni Christiani inveniantur*: Cum unctio, quæ in Confirmatione accipitur, sit perfectio gratiæ Baptismatis. *Signatur enim baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate*, dicit clarissimus Archiepiscopus Moguntinus (*k*) *Per Pontificem vero in fronte; ut in priore unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine Sanctitatis & scientiæ & virtutis in hominem venire declaretur.*

(*h*) Conc. Trid. cit. sess. 23. de reform. c. 4.
(*i*) Can. Omnes. 1. de consecrat. dist. 5.
(*k*) Raban. Manrus. in Can. *Novissime*. 5. de consecrat. dist. 5.

Nihilominus fatendum est, licet Eulogius in specie proposita contra regulas Ecclesiæ peccaverit, illud non impedire quominus legitime Tonsura initiatus ac ordinatus fuerit; cum Confirmatio primum solummodo necessaria sit ex convenientia, & quia Ecclesia sic jubet, non vero necessaria *ex Sacramenti* necessitate, ut vocant: *De congruentia*, dicit S. Thomas (*l*), ... *& non de necessitate*.

(*l*) S. Thom. in 4. dist. 24. q. 1. part. 2. quæstiunc. 4.

CASUS XX.

Theophanes, Archiepiscopus Corinthiacus, Sacerdotem creavit Mancipium, cujus conditionem servilem ignorabat. Num legitima est hæc Ordinatio.

Respons.

Constat, hanc Ordinationem legitimam esse: quia conditio libera necessaria non est *necessitate Sacramenti*, sicut loquuntur Theologi, ut Ordines suscipiantur: Cum status servitutis equidem Ordinis exercitationem impedire, verum potentiæ receptioni obstare non possit. *In susceptione Ordinis mancipatur homo divinis officiis*, inquit Sanctus Thomas (*m*) *& quia nullus potest alteri dare quod suum non est; ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad Ordines promoveri; Si tamen promovetur, ordinem suscipit; quia libertas non est de necessitate Sacramenti, licet sit de necessitate præcepti: cum non impediat potestatem, sed actum tantum.*

(*m*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quæstione. 2. in corp.

CASUS XX.

Mævius, insanus videns Episcopum multis Diaconis Sacerdotii Ordinem conferentem, modum invenit cum iis se se intromittendi, huncque Ordinem cum aliis accepit. Num dici potest, eum revera Sacerdotem creatum fuisse, ita ut, si pristinam suam mentem sanam recuperaret, tanquam sacerdos considerandus esset?

Respons.

Insani & pueri non habiles sunt ad Ordines suscipiendos: 1. Quia prædıti non sunt sanctis dispositionibus & eximiis qualitatibus, quas Canones requirunt in iis, qui ad Ordines suscipiendos se se offerunt. 2. Quia dementia & pueritia in numerum irregularitatum recensentur. Attamen Mævii Ordinatio legitima est, licet non sit licita, ideoque characterem sacerdotalem accepit.

Primum ejus argumentum quod afferri potest, elicitur e multis Decretalibus recensitis in corpore Juris (*a*), in quibus summi Pontifices non exigunt, ut iteretur Ordinatio irregularis eorum qui furtim, aut *per saltum* ordinati sunt; nec etiam Ordinatio pueri tredecim annos nati, Diaconi ordinati; sed eos solummodo ab Ordinibus suis suspensos declarant.

(*a*) Innoc. III. in cap. *Tua litera*. un. de Clerico per saltum promoto, lib. 5. tit. 29.
Alex. III. in cap. *Veniens*. 1. de eo qui furtive Ordinem suscepit.
Celest. III. in cap. penult. & ult. eod. tit. l. 5. tit. 30.
Honor. III. in cap. *Vel non est*. 14. de temporibus Ordinat. l. 1. tit. 2.

Secundum argumentum petitur a S. Thoma (*b*), qui asserit rationis usum ex necessitate Sacramenti necessarium non esse, ad Ordines suscipiendos. En ejus verba: *Per pueritiam & alios defectus, quibus tollitur usus rationis, præstatur impedimentum actui. Et ideo omnia illa Sacramenta, quæ actum requirunt suscipientis, talibus non competunt; sicut pœnitentia, matrimonium, & hujusmodi: sed quia potestates infusæ sunt priores actibus; sicut naturales, quamvis acquisitæ sint posteriores. Remoto autem posteriori, non tollitur prius: ideo omnia Sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate Sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis divinitas datur, possunt pueri suscipere, & alii qui usu rationis carent .... Quidam autem dicunt, quod ad omnes Ordines requiritur usus rationis; sed eorum dictum ratione, vel auctoritate non confirmatur.*

(*b*) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 1. art. 1. quæst. 2. in corp.

Tertium argumentum deducitur ex Catechismo Concilii Tridentini, (*c*) qui de pueris, insanis ac furiosis loquendo, dicit; *Pueris autem, furiosis, vel amentibus, quod usu rationis carent, hoc Sacramentum dandum non est; quamvis si iis quoque administraretur, Sacramenti characterem in eorum animam imprimi certo credendum sit.*

(*c*) Catechism. ad Parochos part. 2. de Sacram. Ordinis n. 57.

Denique hoc docent Juris Canonici peritissimi, ac inter ceteros Fagnanus & Barbosa cum multis quos laudant (*d*): quibus Collocutionum Lucionensium Auctor congruit (*e*).

(*d*) Prosper Fagnan. in cit. cap. *Vel non est*.
Aug. Barbosa in cit. cap. *Tua litera*.

CASUS XXII.

MAXIMUS, Episcopus *de Portalegre* cum sat hominum sacris Ordinibus dignorum absolute reperire non posset, ut servirent multis Diœcesis suæ Ecclesiis derelictis; num, absque peccato mortali, quosdam Sacerdotio, propter morum suorum depravationem indignos ordinare potest, exspectando, ut alios reperire possit?

(*e*) Conf. de Lucon. tom. 8. Conf. 10. du Sacrem. de l'Ordre. q. 1.

RESPONSIO.

Constat, Maximum absque peccato mortali hos homines indignos ordinare non posse, quia sic inferret damnum maxime notandum Ecclesiæ & maximum detrimentum honori Deo debito, & qui nonnisi a dignis Ministris ipsi reddi potest, sicut dicit S. Thomas (*f*); *Ideo mortale crimen committit, quasi summo Domino infidelis: & præcipue cum hoc in detrimentum Ecclesiæ vergat & honoris divini, qui per bonos Ministros promovetur.* Sic loquitur Doctor Angelicus, qui ut ea quæ protulit, probet, hanc comparationem addit: *Esset enim infidelis Domino terreno, qui in ejus officio aliquos inutiles poneret.* S. Antoninus post Albertum Magnum quem laudat, idem docet, ac ejus rationes easdem affert (*g*).

(*f*) S. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. in corp.

(*g*) S. Anton. 3. part. tit. 14. c. 16. §. 11.

Hinc etiam ob rationem S. Leo (*h*) scribens ad Episcopos Mauritaniæ Cæsarianæ qui viros indignos ordinabant, eos vituperat, ac fortiter conqueritur de injuria, quam adeo magno Sacramento inferebant. *Quis ergo dissimulare audeat*, ait S. ille Pontifex summus, *quæ in tanti sacramenti perpetratur, injuriam.* Rursus hanc eamdem ob rationem Apostolus Discipulo suo Timotheo commendat (*i*) nemini levius manus imponere, ne forte particeps sit peccatorum alius. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Quibus ex verbis colligendum est, Episcopos ad probe examinandos eos, qui sacris Ordinibus sese offerunt, ut dignoscatur, num manuum impositione digni sint, necessario teneri; atque si personas indignas ordinent, maximi peccati reos esse & coram tribunali divinæ justitiæ rationem reddituros esse peccatorum, quæ personæ illæ deinceps committent; quemadmodum docet S. Chrysostomus (*K*), qui hæc eadem Apostoli verba exponens, *Manus cito nemini imposueris*, sic loquitur. *Quid sibi vult, cito? non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia; sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque discussio, tunc imponito manus. Neque enim ea res periculo caret: eorum enim quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis qui initium dedisti etiam præcedentium delictorum. Qui enim improbe prima remisisti, etiam futuris eris obnoxius, quod ipse quasi auctor extiteris præteritorum.* Denique hanc ipsam ob rationem, Concilium Tridentinum vult, ut ii solummodo ordinentur, qui Ecclesiæ utiles & quidem necassarii autumantur; & ut illi qui se se offerunt ut Ordinibus initientur, magna cum cura examinentur, & ut publice populo denuntietur, consilium quod inivernnt vitæ Ecclesiasticæ institutum sequendi, ut Episcopus de eorum bona vel mala agendi ratione, ex testimonio ipsis exhibito, perfecte edoceatur. (*l*) *Hi vero, qui ad singulos majores* (Ordines) *erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant; qui Parocho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita, a fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsorum Episcopum quamprimum transmittat.* Ac rursus (*m*): *Episcopus autem Sacerdotibus & aliis prudentibus viris, peritis divinæ Legis ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam & fidem diligenter investiget & examinet.* Omnia quæ huc usque diximus, congruunt cum antiquo concilio Carthaginiensi anno 397. habito, sub pontificatu summi Pontificis Siricii & a Leone IV. approbato (*n*), cujus vigesimus secundus articulus his verbis scriptus est: *Ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.*

(*h*) S. Leo. Epist. 87. ad Episc. Africæ, c. 2.

(*i*) 1. ad Timoth. 5. 22.

(*K*) S. Chrysost. in 1. Ep. ad Timoth. hom. 16.

(*l*) Conc. Trid. cit. sess. 23 de Reformat. c. 5.

(*m*) Ibid. c. 7.

(*n*) Leo IV. in Can. *De libellis*. 1. dist. 20.

Inutile est asserere, Episcopum de quo agitur, quosdam homines indignos, nonnisi ex urgenti necessitate, ordinasse, quia in ejus potestate non erat totidem personas dignas reperiendi, quot egebat ad serviendum omnibus Ecclesiis, quæ sine Pastore vel sine auxilio erant. Præstat enim paucos bonos habere, quam ipsis malos addere; cum præterea Episcopus teneatur divinæ providentiæ confidere, & credere, Deum Ecclesiam suam numquam derelicturum; & contra, totidem bonos Pastores ac Ministros suscitaturum, quot egebit, ut recte gubernetur. Hoc est S. Thomæ ratiocinium (*o*): *Deus numquam ita deserit suam Ecclesiam*, ait, *quia inveniantur idonei Ministri sufficienter ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur: & si non possent tot Ministri inveniri quot modo sunt; melius esset, paucos habere Ministros bonos quam multos malos, ut dicit beatus Clemens.* Sanctus ille Doctor deinceps ad examen revocans (*p*) ea quæ a peccato eximere possunt Episcopum qui aliquem ordinat, dicit, propterea oportere, ut nihil in ipso agnoscat, quod adversetur sanctitati vitæ instituti quod amplectitur, & ut de ejus bonis qualitatibus, saltem ex aliorum testimonio, certior factus sit. *Ad minus hoc requiritur, quod nesciat aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse: sed etiam exigitur amplius, ut secundum mensuram Ordinis vel officii injungendi, diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum: & hoc est, quod Apostolus dicit 1. ad Timoth. 5.* Manus cito nemini imposueris. Quod hisce Concilii verbis congruit (*q*): *Sciant tamen Episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi; sed dignos dum-*

(*o*) S. Thom. loc. cit. ad 1.

(*p*) Idem ibid. ad 3.

(*q*) Concil. Trid. cit. sess. 23. c. 16.

tantur, & quorum probata vita, senectus sit.

Licet quæstio proposita sat dilucide atque solide decisa nobis videatur; attamen autumamus, quod propter materiæ momentum, inutile non erit ea addidisse, quæ hac de re dicit quartum Concilium generale Lateranense (a), sub pontificatu Innocentii III. celebratum, in quo hæc eadem quæstio proposita videtur; ad quam sic respondet. *Cum sit ars artium regimen animarum, districte præcipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per se ipsos, vel per alios viros idoneos, super divinis officiis & ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare; quoniam si ignaros & rudes de cetero ordinare præsumserint (quod quidem facile poterit deprehendi) & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni. Satius est enim, maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos, quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur.* Ratio, quam sanctum hoc Concilium heic affert, & qua S. Thomas utitur, ut vidimus, eadem est quam affert Canon antiquus, quem Gratianus S. Clementi tribuit, qui dicit (b): *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare; Melius est enim Domini Sacerdoti, paucos habere Ministros qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles qui onus grave ordinatori adducunt.* Celebre Concilium Mexicanum, anno 1585. habitum, & Romæ die 27. Octobris 1589. confirmatum, hanc in rem sese enuntiat (c) eodem modo ac S. Thomas, & Concilia generalia, quæ jamjam laudavimus.

(a) Conc. Lateran. IV. c. 27. in cap. *Cum sit* 14 de ætate & qualit. præficiendorum.

(b) Can. Tales. 4. dist. 23.

(c) Conc. Mexic. lib. 1. tit. 4. n. 1.

Evidentissime igitur ex his omnibus auctoritatibus patet, Maximum de quo species proposita loquitur, a peccato mortali nullo modo eximi posse, ex eo quod Sacerdotes creaverit homines sacerdotio indignos, sive propter eorum ignorantiam, sive propter morum depravationem; imoque eo magis culpandum esse, quod eos ordinaret eo consilio, ut Ecclesiarum derelictarum ministerio adhiberentur, hoc est animis regendis, quod ipsi hac ratione etiam multo strictius prohibetur; cum Jus per triennium a *Beneficia* suspensos declaret eos ipsos qui hominem indignum eligunt, ac promovent ad Beneficium quod animarum curam complectitur, sicut a tertio Concilio generali Lateranensi anno 1179. sub Alexandro III. habito, fertur (d).

Per transennam observabimus, quid, post tot auctoritates æque venerandas, ac eas quas jam jam retulimus, censendum sit de quibusdam Parochis, aut aliis Superioribus Ecclesiasticis, qui consanguinitatis, obsequentiæ, aut lucri incentivis commoti, adeo irreligiosi sunt, ut audeant Episcopo homines indignos offerre, aut ipsis vitæ ac morum testimonia tradere, ut facilius ad sacros ordines admittantur. Qui sat abjecto sunt animo ad hoc faciendum, nonne eo consilio ducuntur; ut Jesu Christo & ejus Ecclesiæ pro Ministris tradant eos, quibus sæpe propriorum suorum negotiorum curam concredere nollent. Consanguinei etiam circa hanc eamdem rem frequenter in lugendam cæcitatem incidunt. Etenim si quidam ex eorum liberis parvo sit ingenio, aut vitio quodam corporeo laboret, id sufficit, ut eum ad Sacerdotium suscipiendum inducant; & Esavi exemplo si quædam imperfecta habeant, ea Deo offerunt: si natu maximum quadam prædilectione prosequantur, eique omnia familiæ bona tradere decreverint; natu minorem, licet adhuc puerum, vitæ Ecclesiasticæ instituto destinant, curantque, ut Tonsura initietur statim atque ætatem requisitam attigit; & quam citissime possunt, ipsi Beneficia Ecclesiastica procurant, parum soliciti, num a Deo vocatus fuerit, vel non. Quamvis hæc digressio præcise ad quæstionem de qua in specie proposita agitur, non spectet; attamen eam inutilem, aut Confessariorum attentione indignam, non autumavimus.

(d) Ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio novarint se suspensos. Dignum est enim ut quos Dei timor a malo non revocat, ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ cap. *Cum in cunctis*. 7. §. 3 de Electione & Electi potest. l. 1. tit. 6.

CASUS XXIII.

Maximus, de quo in specie antecedenti mentio fit, num saltem in urgenti necessitate Sacerdotes creare potest eos, quos vere ignaros esse novit; sed qui certissime virtute prædìti sunt, & qui vitam inculpatam agunt?

Respons.

Ille Episcopus, tales homines, quantumvis sancta sit eorum vita, sine crimine ordinare nequit. Episcopus enim nullo in casu personam indignam ordinare potest, quemadmodum evidenter in responso ad quæstionem antecedentem probavimus, Cum autem de Ecclesiæ Ministrorum ordinatione agitur, non modo indignus dicitur ille cujus mores sunt corrupti, verum etiam ille qui ignarus est; cum ignorantia in Clerico non minus sit vitium, quam morum depravatio. Quamobrem sancti Canones, ignaros tamquam sacerdotio indignos, semper considerarunt; *Nemo*, dicit antiquus Pontifex summus (e), *illitteratos ... præsumat ad Clericatus Ordinem promovere: quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis.*

Octavum Concilium Toletanum, anno 653. habitum (f), idem his verbis decrevit: *Nullus igitur ad sacra Mysteria veniat indoctus ... aut ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed solus is accedat, quem morum innocentia & litterarum splendor reddunt illustrem.* Quibus hujusce Concilii Patres has terrendas minas addunt, *Aliter ordinaturis & ordinandis imminet in posterum Dei & Ecclesiæ vindicta.*

Concilium Nannetense circa hunc articulum adhuc disertum est (g). Concilium generale Lateranense, cujus Decretum in Decisione præcedenti retulimus, confirmat ea omnia, quæ cetera Concilia antecedentia hac de re jam statuerant, æque ac Concilium Tridentinum, quod dicit (h); *Hi sint qui ... ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum & vitæ monita ab eis possint exspectari.*

Denique Ecclesiæ indignatio ita erupit in eos, qui violant statuta ab ipsa hanc in rem facta, ut suspensos declaret, non modo eos qui sic ordinantur (i), verum etiam Episcopum ipsum qui eos ordinat, aut a quo simpliciter etiam Tonsura initiantur (k): nec mirandum est de firmitudine Ecclesiæ in ignaris a sacro Ministerio arcendis, cum Deus ipse declaret, se eos ab illo respuere. (l) *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

Constat igitur Maximum, quin sanctissimas Ecclesiæ Leges violaret, nullum ignarum Sacerdotem creare potuisse, cum omnes ignari ad Ordines suscipiendos ita inepti sint, ut nullo legis laxamento ad eos suscipiendos habiles reddi possint; cum ejusmodi inhabilis indoles sit ex Jure naturali & divino, sicut declarat summus Pontifex Honorius III. in Decretali quam jam laudavimus, & quam ad Archiepiscopum Mediolanensem scribit: Cum præterea certum sit, nullum legis laxamentum legitimum esse, si quodam commodo disciplinam Ecclesiæ dirutam non reficiat, quemadmodum docent (m) S. Bernardus & S. Thomas.

Ergo longe magis præstat, ut Episcopus parvo numero Sacerdotum idoneorum contentus sit, quam si innumeros ignaros haberet, quemadmodum dicit Innocentius III. in Decretali, quam laudavimus ad quæstionem præcedentem respondendo (n); quia, sicut ait S. Leo, (o) *non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen sed augere discrimen (p).*

(e) Gelasius in cap. *Illitteratos*. 1. dist. 36.

(f) Concil. Tolet. VIII. can. 8.

(g) Concil. Nannetens. an. 658. can. 11.

(h) Conc. Trid. sess. 23. c. 14. De reform.

(i) Honor. III. in cap. *Quamvis*. 15. De ætate & qualit. præficiend.

(k) Bonifac. VIII. in cap. *Nullus*. fin. De temp. ordinat. &c. in 6. l. 1. tit. 9.

(l) Osee 4. 6.

(m) S. Bern. l. 5 De consideratione c. 4. S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 12. in corp.

(n) Innoc. III. in cit. cap. *Cum sit* 14. de ætat. & qualit. præficiend.

(o) S. Leo Epist. 87. c. 1.

(p) 2. Conf. de Seaf. q. 4.

CASUS XXIV.

Hilarinus, Diaconus, viginti quinque annos natus, Sancti Froberti Curionatum jam a

decem

decem mensibus, & quod excurrit possidens; & qui ideo tenetur ad Sacerdotium quam citissime suscipiendum, palam cum aliis se se offert, ut ordinetur. Verum Episcopus novit, eum homicidium arcanum commisisse. Qua de re quæritur, num hic Episcopus tuta conscientia illum hoc non obstante Sacerdotem creare possit: aut an ipsum rejicere debeat, ut Pastorem adeo indignum Ecclesiæ non procuret: cum Ordinario sit actus Jurisdictionis suæ voluntariæ, cujus rationem Deo soli reddere debet?

RESPONS.

De hac quæstione eodem modo ratiocinandum esse videtur, ac de peccatore occulto, qui Sanctam Communionem publice petit ab eo, qui solus ejus peccatum novit. Ita ut, quemadmodum Parochus, qui scit hunc hominem in peccato mortali re vera versari, ipsi tamen Communionem denegare nequit, cum eam publice petit; pariter Episcopus, de quo in specie proposita agitur, Sacros Ordines Hilarino denegare nequit, si ceteroquin ad Sacerdotii munus exercendum idoneus sit, licet ejus crimen noverit; cum eum repellere non posset, quin eum infamia aspergeret.

Id probari potest ex auctoritate Alexandri III. a quo, cum circa quæstionem fere similem, consilium petitum fuisset, respondit, talem hominem repellendum non esse. En ejus verba (*a*); *Ex tenore tuarum litterarum accepimus, quod N.... Clericus adeo deliquit, quod si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab Ordine, quem suscepit, & amplius non posset ad superiores Ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti; mandamus, quatenus pœnitentiam ei condignam imponas; & suadeas, ut .... ad superiores* (Ordines) *amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri volueris, eum non debes aliqua ratione prohibere*. Verum extra similem casum, semper in Episcopi potestate est sacros Ordines homini, quem iis indignum novit, denegare, atque etiam ad eos denegandos stricte tenetur, licet ille, qui eos ab ipso peteret, infamia aspergeretur: quia famæ suæ jacturam, quæ exinde excidere posset, sibi ipsi imputare deberet, propter temeritatem, quacum ad suscipiendos Ordines se se offerret, quia ab Episcopo vocaretur, & non obstante notitia, quam de ejus indignitate haberet.

(*a*) Alex. III. in cap. *Ex tenore*. 4. De temporibus ordinat. &c. l. 1. tit. 11.

Observandum est attamen 1. Episcopum Hilarinum clam monere debere, si prudenter, nec ipsi infamiam inurendo, monere possit: Verum quemadmodum id arduum ac difficile videtur in specie, de qua agitur, quandoquidem supponitur, hunc Diaconum palam se se offerre, Episcopus saltem agendi rationibus uti debet, quas prudentia ipsi suggerere potest, ut eum non ordinet, ut, verbi gratia, si suum *admittatur* non haberet, aut si ejus nomen inscriptum non foret Actis publicis seu Catalogo, ubi reperiuntur nomina omnium aliorum, qui ad Sacerdotii Ordinem admittuntur.

CASUS XXV.

SYMMACHUS, cum in examine ad Sacerdotii Ordinem suscipiendum a suo Episcopo repulsam passus esset, nihilominus irrepsit inter eos, quos ordinare Episcopus ille in procinctu erat. Et cum Episcopus alta voce promulgasset, quod, si aliquis ex illis, qui in examine repulsam passi fuerant, inconsiderate inter alios se se introduxisset, ipsius mens non esset illi Ordinem conferendi, Symmachus attamen in loco suo remansit, & sua vice Sacerdotium accepit, quin Episcopus eum agnoverit; ex quo Sanctam Missam celebravit. Qua de re quæritur, num legitime ordinatus fuerit, ideoque an legitime in Missa consecraverit?

RESPONS.

Existimamus, Symmachi Ordinationem legitimam esse, non obstante declaratione publica & generali ab Episcopo facta, modo Præsul ille suam declarationem generalem tacite revocaverit, sicut revocavisse eam existimatur ex sincero consilio, quod habuit, eum Sacerdotem creando.

Hæc sententia confirmari potest hac comparatione. Sex homines ad Tribunal Pœnitentiæ simul adstant. Confessarius, antequam eos audire incipiat, ipsis declarat, sibi mentem non esse eum, inter ipsos, cui nomen est Julianus, absolvendi. Unus ex illis hoc nomine vocatur. Sicut alii, peccata sua confitetur, Confessario non significando, sibi hoc nomen esse atque absolutionem recipit. Constat, eum legitime absolvi, quia Confessarii mens sincera, diserta & absoluta fuit ipsum absolvendi, *hic & nunc*.

Dicimus, quod *mens expressa & absoluta* fuit in utroque casu, quia si Episcopi consilium conditionale tantum fuisset, quemadmodum si apud seipsum diceret, si te in examine rejecerim, mihi non est consilium te ordinandi; irrita foret Symmachi Ordinatio; quemadmodum respectu Juliani absolutio irrita foret, si Confessarius antequam illam ipsi concederet, apud se ipsum diceret: mihi non est consilium te absolvendi, si tibi sit nomen Julianus.

Hæc decisio congruit cum iis, quæ docent Cabassutius & Bail, quem Ecclesiæ Parisiensis Propœnitentiarium vidimus (*b*). Ejus ratio quam primus ille Auctor affert est, quod, hic Episcopus cuidam privato Ordinem conferendo, nonobstante sua contestata denuntiatione generali, sicut jam diximus, existimetur reipsa revocare mentem contrariam, quam publice declaraverat; cum autumandum non sit, eum formam Sacramenti materiæ applicare voluisse, absque consilio illud vere conferendi; cum alias Sacrilegii reum se præstaret Sacramenti profanatione. *Ratio est*, inquit ille Juris Canonici peritus, *quia Episcopus ille per proprium sequentis Ordinationis actum, suam illam intentionem revocavit. Non enim censeri potest voluisse Sacrilegium committere, & materiam simul applicando cum forma Sacramenti, hoc intendere, ut nullum fiat Sacramentum.*

(*b*) Joan. Cabass. Juris can. Theor. & prax. l. 3. c. 16. n. 15. Ludovicus Bail. in exam. Ordinand.

Ea quæ jamjam diximus confirmari possunt 1. Ex Decretali, quam Innocentius III. ad Episcopum Parisiensem scribit (*c*) ex qua patet similem contestatam denuntiationem irritam fieri, statim ac ille qui eam fecit, ei per actum contrarium nuntium mittit. 2. Ex Glossa in aliam Decretalem ejusdem summi Pontificis (*d*), quæ eandem sententiam statuit. Sic enim loquitur hujusce Glossæ auctor. *Sed pone, quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quæ dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, & postea publice dicat: Consentio in te ..., in casu isto dico, quod Ecclesia judicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam ... talia enim verba non possent servire suæ intentioni. Præterea, si probet, quod illa verba protestatus fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate & consentire in illam, & hoc videtur per illud, quod postea publice facit.* Manifestum est, perinde esse de casu de quo in specie proposita agitur, ac de casu, de quo Glossa hæc loquitur, cui Glossæ plane congruit clarissimus Joannes Andreas (*e*). 3. Ex horrendis sequelis, quæ exinde exurgerent, si verum foret, talem Ordinationem irritam esse: quandoquidem, ut observat Cabassutius, si hoc concederetur, simul fatendum esset, quod Clericus ita ordinatus nunquam verum Sacrificium offerret, cum ex vitio characteris Sacerdotalis legitime consecrare non posset: ideoque omnes illi, qui Sacram Communionem in Viatico, aut aliter assumerent, cum Hostiis quas consecrare voluisset, Corpus Jesu Christi non reciperent, at solummodo merum panem. Adde quod ob eamdem rationem exinde adhuc sequeretur, omnes absolutiones,

(*c*) Innoc. III. in cap. *Sollicitudinem*. 54. De appellationibus, &c. l. 1. tit. 28.

(*d*) Gloss. in cap. *Tua nos*. 26. De sponsalib. & matrim. v. *Mulierem*.

(*e*) Joan. Andreas in cit. c. *Tua nos*.

quas dare posset irritas fore, ac tandem si Episcopus crearetur, omnes Ordinationes quas facere autumaret, pariter irritas futuras.

CASUS XXVI.

Baldateus, Diœcesis Nicææ Diaconus rationem invenit astute ab Albæ Episcopo Sacerdotii Ordinem suscipiendi, quin litteras dimissorias a suo Episcopo obtinuerit. An hac agendi ratione in quamdam pœnam Canonicam incurrit?

Respons.

Hujus quæstionis decisio reperitur in Concilio Tridentino (a), quod vult, ut Episcopus, qui aliquem e Diœcesi alterius Episcopi ordinat sine illius testimonio, quod eum certiorem faciat de ordinandi morum probitate, & quod ferat, se assentiri Ordinationi, quam ab aliu Episcopo accipiet, id est, sine litteris dimissoriis, ut vulgo loquuntur, per annum ab Ordinum collatione suspensus sit, & ut ita ordinatus etiam ab exercitatione Ordinum quos suscepit, suspensus sit, quamdiu ejus Episcopo, aut Præsuli proprio placuerit. *Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.*

(a) Concil. Trid. sess. 23. De reform. 8.

Innocentius III. (b) jam idem declaraverat, dicendo, quod, cum Clericus Græcus, ab Episcopo Latino pendens, ab Episcopo Græco, absque licentia Episcopi Latini ordinatus fuisset, a functione Ordinum, quos ita suscepit, suspensus sit. *Cum Clericus Græcus Episcopo Latino subjectus*, ait summus ille Pontifex, *a Græco Pontifice ordinatur, nisi de mandato vel licentia sui Episcopi fiat, interdicenda est ei Ordinis executio sic suscepti, tanquam ab alieno Pontifice sine mandato vel licentia sui Episcopi ordinato.*

(b) Innoc. III. in c. Quod translationem. 11. De temp. ordinat. &c.

Videmus etiam hoc disciplinæ punctum in Anglia constitutum fuisse in Concilio Londini habito anno 1138. sub Pontificatu Innocentii II. (c); En ejus verba: *Clericos, a non suis Episcopis absque litteris proprii Episcopi ordinatos, a susceptorum officiis Ordinum inhibemus, solique Romano Pontifici eorumdem plenaria restitutio reservetur, nisi Religionis habitum susceperint.*

(c) Concil. Londinens. can. 7.

Baldricus igitur muneris exercendi interdictionem incurrit, nec Sacerdotio fungi potest, quin irregularitatem subeat, nisi antea a censura, qua ligabatur, absolutus fuerit. Quam in rem observandum est, licet absolutio talis interdictionis a Concilio Londinensi, quod jam jam laudavimus, summo Pontifici reservata sit; & juxta quosdam Jurisperitos Gallicos (d), simplex Episcopi absolutio non sufficiat, ac tandem Sixtus V. (e) sibi hanc absolutionem reservaverit, Episcopi absolutionem in Gallia sufficere, ubi hac in re sequuntur ea quæ præcepit Concilium Tridentinum, quod aliam absolutionem non exigit (f). Adde quod Sixti V. Bulla hac de re revocata fuerit ab altera Bulla Clementis VIII. (g) sicut observat Cabassutius (h). Du Casse eamdem sententiam tuetur (i), æque ac Collocutionum Lucionensium Auctor (K).

(d) Petrus Rebuff. in prax. Benef. tit. Formula dimissoriarum litter. n. 5.
(e) Sixt. V in Bulla sanctum & salutare.
(f) Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima caussa possit dispensare. Concil. Trid. sess. 23. c. 14. de reformat.
(g) Clem. VIII. in Bulla Romanum.
(h) Joan Cabass. Juris can. Theor. & prax. l. 1. c. 14. n. 2.
(i) Du Casse Prat. de la Jurisd. Eccles. volum. c. 6. n. 2.
(k) Conf. de Lucon. to. 1. Conf. 9. de la ... l'Ordre q. 2.
(l) Petr. Lombard. l. 4. dist. 25. n. 17.

CASUS XXVII.

Ursinus, puer sex annos ad summum natus, non modo a suo Episcopo tonsura initiatus fuit, verum etiam quatuor Ordines minores suscepit. Num legitime ordinatus est, & an Episcopus absque peccato ipsi Tonsuram & hos Ordines conferre potuit?

Respons.

1. Hic puer legitime ordinatus fuit quemadmodum clare patet e tribus Decretalibus quas in vigesima prima decisione laudavimus, quibus addimus auctoritatem sancti Thomæ, qui hac in re Magistri sententiarum doctrinam sequitur (l). Id etiam docent sanctus Bonaventura; Scotus; Paludanus, Dominicus sotus, innumerique alii Theologi ac Juris Canonici periti, quos sequitur Cabassutius, qui dicit (m); *Ordines sacri, ipsumque Sacerdotium valide, sed non licite conferri possunt infantibus baptizatis ..... & Theologi simul cum Canonistis consentiunt, valere Sacerdotium infanti baptizato collatum.*

(m) Joan. Cabass. Juris can. Theor. & prax. l. 3. c. 17.

2. Episcopus absque peccato Tonsuram & Ordines minores Ursino conferre potuit, si æquam sic agendi rationem habuerit. Quemadmodum enim dicit sanctus Thomas (n), convenit ut prudens ætas adsit, ut habilis sit quispiam, juxta Canones, ad quatuor priores Ordines suscipiendos, sed necessaria non est ex necessitate præcepti. *In minoribus requiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem Sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque de necessitate Sacramenti.* Hæc sunt Sancti illius Doctoris verba, unde hanc consequentiam elicit. *Unde aliqui, si necessitas adsit, & spes profectus ad minores Ordines, possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, & suscipiunt Ordinem; quia quamvis non sint idonei ad Officia, quæ eis committuntur, tamen per assuetudinem idonei reddentur.* Si igitur iste Episcopus Ursinum non ordinaverit, nisi supposita conditione, quam exigit S. Thomas, *si necessitas adsit & spes profectus*, cujus judicium ad ipsum pertinet, peccati culpandus non est. Verum constat, rarissimum esse in praxi, ut duplex ista conditio in tali Ordinatione reperiatur.

(n) Supplem. S. Thom. q. 39. art. 2.

Ceterum, eadem non est ratio sacrorum Ordinum; Ecclesia enim præfinivit ætatem, qua suscipiendi sunt, iisque adnexuit votum continentiæ, cujus capaces non sunt infantes, qui plenum rationis usum non adepti sunt, sicut observat idem Sanctus Doctor, qui addit, *sed ad majores Ordines requiritur usus rationis, & de honestate, & de necessitate præcepti, & propter votum continentiæ, quod habent annexum: & quia eis etiam Sacramenta tractanda committuntur.*

CASUS XXVIII.

Jovius Diaconus, viginti tribus annis ac viginti diebus solummodo natus, rationem invenit Sacerdotium suscipiendi, exscriptum, quo de ipsius Baptismo constabat, adulterando. Num hac ratione in quamdam pœnam Canonicam incurrit, præter peccatum, quod commisit?

Respons.

Equidem Ecclesiæ Disciplina semper eadem non fuit respectu eorum, qui Ordines sacros suscipiunt. At Constitutio quam hanc in rem fecit Concilium Tridentinum (o), & quæ accepta fuit Edicto Blesensi, est regula quæ hodie observanda est, & quæ præfinivit ætatem viginti duorum annorum pro Subdiaconatu; viginti trium annorum pro Diaconatu, & viginti quinque annorum pro Sacerdotio. Conventus Blesensis anno 1579. congregatus hanc Concilii Constitutionem admisit; & decrevit (p) ætatem viginti septem annorum in posterum sufficientem esse ad Episcopatum suscipiendum; cum Concilium circa hoc ultimum punctum verbis disertis sese non enuntiasset, satque habuisset præcepisse, ne ullus Episcopus eligeretur, nisi ætatem a sacris Canonibus præscriptam attigisset.

(o) Concil. Trid. sess. 23. c. 12. de reformat.
(p) Edit. de Blois art. 2.

Qui se ordinandum curat, ante ætatem pro unoquoque horum Ordinum requisitam, suspensus est *ipso facto*, a functionibus Ordinis, quem ita suscepit, donec ætatem competentem attigerit, sicut declarat Honorius III. ad Episcopum & Archidiaconum Legionis scribens (q) *Ab executione officii*, dicit summus ille Pontifex ... *usque ad ætatem legitimam in injuriam suspendimus Ordinantis*. Quod intelligendum est de interdictione Juris, qua sic ordinati reipsa suspensi sunt, quin necessarium sit ut tales a Judice Ecclesiastico declarentur, *ipso jure suspensi*, sicut loquitur Pius II.

(q) Honorius III. in cap. Vel non est. 14. De temp. ordinat. & qualit. ordinandorum.

in septi-

in septima sua Constitutione, quæ est diei 17. Novembris anni 1461. (*a*) qui præterea declarat, quod si sat temerarii essent, ut Ordinum suorum officiis fungerentur per tempus, quo eorum muneris exercendi interdictio durat, *ipso facto* irregularitatem incurrant: *Hac Constitutione perpetuo valitura*, inquit ille Pontifex, *statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli, qui absque dispensatione Canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a Jure statuta, sive ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis ..... ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione ipso Iure suspensi sint, & si hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso Irregularitatem incurrant*. Quibus operæ pretium est addere, juxta hujusce ipsius Constitutionis verba, muneris exercendi interdictionem semper durare, hoc est, etiam postquam ætatem legitimam attigerunt, & donec ab ea interdictione per legitimam dispensationem exempti fuerint. Ejus ratio, quam Juris Canonici periti afferunt, est, quod hujusce Constitutionis verba generalia & dubia sint: ideoque eum tempus interdictionis non præfiniatur in ea, sicut in Decretali Honorii III. judicandum esse, mentem Pii II. fuisse, ut perpetua foret, hoc est, nonnisi per legitimam dispensationem cessaret: *Unde & Pius II. si voluisset suspensionem suam durare tantummodo usque ad ætatem legitimam; hoc expressisset sicut expressit Honorius III. in hac Decretali*. Ipsissima sunt Fagnani celeberrimi Juris Canonici periti verba (*b*).

Unde colligimus, in specie proposita Jovium muneris exercendi interdictionem incurrisse, a qua eximi nequit, etiam postquam 25. anuorum ætatem attigerit, nisi per summi Pontificis dispensationem. Hæc est sententia Docti collocutionum Lucionensium Auctoris (*c*).

Observandum est 1. Eum, qui persuasum habet, se ætatem a Canonibus pro Ordine, quem suscipit, præscriptam attigisse, & qui ignorantiæ seu erroris in quo versatur reus non est; muneris exercendi interdictionem non incurrere, licet deinceps reperiatur, quod ætatem legitimam non attigerit. Ratio est, quod, sicut ait Bonifacius VIII. in una e suis Constitutionibus circa aliam rem, pœna pro ratione peccati semper infligenda sit. Æquum est igitur, ut ille qui factum patrat, quo nullum peccatum committit, nullam etiam pœnam incurrat. Præterea Bulla Pii II. sollummodo loquitur de iis, qui sat temerarii sunt, ut suscipiant atque exerceant Ordines ante ætatem requisitam: ideoque non complectitur eos qui in bona fide ac ignorantia non culpanda versantur. 2. Episcopum, qui consulto Ordinationem, ante ætatem a Canonibus præfinitam, conserret, collationis Ordinum interdictionem incurrere, quemadmodum probari potest ex eadem Decretali Honorii III. ubi summus ille Pontifex hanc pœnam decernit contra Episcopum, qui Diaconatum puero tredecim annos nato contulerat. Quæ caussa est cur Fagnanus dicat, Juris Canonici peritissimos affirmare, quod eamdem censuram incurreret Subdiaconatum, ac potiori ratione Sacerdotium, ante ætatem ab Ecclesia præfinitam, conferendo: aut, cum verbum, *suspendentes*, non satis validum esset muneris exercendi interdictionem *ipso facto* ad exprimendum, quod saltem peccatum committeret, quod mereretur ut a potestate Ordines conferendi suspensus declararetur. Atque etiam ex Historia Ecclesiastica discimus, summum Pontificem Simplicium ab Ordinum collatione suspensum declaravisse Episcopum, nomine Gaudentium, anno 475. eumque ad quartam partem fructuum sui Episcopatus reduxisse, propterea quod Ordinationes contra Ecclesiæ regulas fecerat (*d*).

(*a*) Pius II. in Bulla. *Cum ex Sacrorum*.

(*b*) Prosper. Fagnan. in cap. 3. *Cum nostra* cit. n. 11.

(*c*) Conf. de Lucon. tom. 1. Conf. 10. Du Sacrement. de l'Ordre q. 2.

(*d*) Simplicius Epist. ad Florentium, Equitium & Severum Episcopos. Labbe tom. 4. Conciliorum generał pag. 1069.

(*e*) Concil. Trid. sess. 23. c. 12. De reformat.

C A S U S XXIX.

Cum Constitutiones Canonicæ prohibuerint, (*e*) ne ullus ordinaretur Episcopus ante annum trigesimum; nec crearentur Sacerdotes ante 25. annos, aut Diaconi ante 23. aut denique Subdiaconi ante 22. Num necesse est ut hi diversi anni adimpleti sint, ut isti Ordines licite suscipi possint?

R e s p o n s.

Omnes Juris Canonici Periti consentiunt, respectu Episcoporum, necesse esse ut trigesimum ætatis annum adimpleverint, sicut constitutum fuit a tertio Concilio Lateranensi (*f*) anno 1179. babito, congruenter Conciliis Neocæsareæ & Agathæ; & Bulla Gregorii XIII. I. Junii 1591. (*g*) qui vult, ut una e qualitatibus illius, qui Episcopus consecrandus est, sit, *trigesimum jam explevisse*. Nihilominus usus iste in Gallia non observatur, quemadmodum in decisione præcedenti jam observavimus. Ætas enim 27. annorum inceptorum sufficit, quemadmodum patet ex secundo articulo Constitutionis Blesensis, qui nititur Pacto inter Leonem X. & Franciscum I. inito (*h*).

Quod attinet ad alios sacros Ordines inferiores Episcopatui, satis est ut anni pro unoquoque præfiniti, solummodo etiam incœpti sint, sicut ab eadem Constitutione Blesensi fertur (*i*) quæ circa hunc articulum expressim derogavit de Constitutione Aurelianensi, quæ exigebat, ut isti anni prorsus adimpleti essent. Id congruit cum Jure Romano, quod ut ad munera & dignitates admitterentur, non exigebat ut ultimus ætatis annus a Legibus determinatus adimpletus esset. *Annus autem vicesimus pro pleno habetur*, ait una ex his Legibus (*K*), *Hoc enim in Honoribus favoris caussa institutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus*.

(*f*) Synodus Neocæsar. can. 2. Conc. Agathens. in can. *Episcopus dist.* 77. Conc. Lateran. sub Alex. III. in c. *Cum in cunctis*. 7. de electi potest. & cap. *Veteri*. eod. tit. lib. 1. tit. 6.

(*g*) Greg XIII. in Bulla *Onus*.

(*h*) Concordat tit. de Regia ad Prælaturas nominatione §. In Monasteriis.

(*i*) Ordon. de Blois art. 29.

(*k*) Leg. *Ad Rempublicam*. 8. ff. demuneribus & honoribus lib. 50. tit. 4.

C A S U S XXX.

Gentianus, adhuc Diaconus, licet pro Sacerdote haberetur, modum invenit, quo Episcopus consecraretur, quamvis Sacerdotii Ordinem non suscepisset; atque in posterum multos Sacerdotes ordinavit. 1. num ejus Ordinario legitima est? 2. Illi, quos Sacerdotes creavit, num legitime ordinati sunt?

R e s p o n s.

Constat Gentianum legitime Episcopum ordinari non potuisse, cum solummodo Diaconus esset, ideoque eos omnes, quibus Ordines conferre autumavit, legitime ordinatos non fuisse. Ratio est, quod Episcopatus in se Sacerdotium complectatur, non modo eminenter, sicut Sacerdotium complectitur alios Ordines inferiores, qui, proprie loquendo, & ut dicit S. Thomas (*l*), sunt tantum ejus participatio; verum etiam formaliter ac essentialiter; quæ caussa est cur idem Sanctus Doctor dicat (*m*), potestatem Episcopalem ita a Sacerdotali pendere, ut prior numquam recipi possit, quin prius posterior recipiatur. *Episcopalis potestas dependet a Sacerdotali: quia nullus potest recipere Episcopalem, nisi prius habuerit Sacerdotalem*. Hæc sunt ejus verba; atque hanc ob rationem sancti Patres vocant Episcopum, primum Sacerdotem. *Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter? hoc est Summus Sacerdos* (*n*) quam qualitatem ipsi etiam tribuit Tertullianus (*o*) *summus Sacerdos qui est Episcopus, de hinc Presbyteri & Diaconi*. Atque etiam constat, in primis Ecclesiæ sæculis, quod Episcopi & Sacerdotes ab invicem, quoad nomen, non distinguebantur, sicut observat S. Thomas (*p*): *Quantum ad nomina .... non distinguebantur Episcopi & Presbyteri*. Licet semper distincti fuerint, quantum ad rem significatam attinet, quemadmodum idem Sanctus Doctor id probat, per auctorem operis de Hierarchia Ecclesiastica, *sed secundum rem, semper inter eos fuit distinctio, etiam tempore Apostolorum, ut patet per Dionysium 5. cap. Ecclesiastica Hierarchiæ*. Quod revera absque hæresi negari nequit, juxta Doctrinam S. Augustini (*q*), ab eodem Doctore Angelico laudatt.

(*l*) S. Thom. in 4. dist. 4. q. 2. art. 2. quæst. 2. ad 2.

(*m*) Idem ib. 3. art. 2. quæstione 2. in arg. *Sed contra*.

(*n*) Apud S. Aug. l. qq. Ex utroque Testam. q. 101.

(*o*) Tertull. l. de Bapt. c. 17.

(*p*) S. Thom. 2. 2. qu. 184. art. 6. ad 1.

(*q*) S. Aug. l. de Hæresibus, hæresi 53.

Hæc veritas confirmari potest per hanc rationem, nempe, potestatis, quam Episcopus recipie per suam consecrationem in corpus mysticum Jesu Christi, fideles scilicet; fundamentum esse potestatem, quam habet in Corpus Naturale Divini hujus Servatoris, quod in sacram Aram accersere potest, per potestatem consecrandi Eucharistiam, quam ex Sacerdotii Ordine accepit. Ideoque absque hoc fundamento, nullus verus Episcopatus dari potest (*a*).

(*a*) De Genet. Theol. mor. t. 4. part. 2. ch. 1. a. 5.

CASUS XXXI.

Falicianus Archiepiscopus Trapezuntinus, propria sua auctoritate Mathurino Diaconatum contulit, Epiphaniæ die, qui erat dies Jovis, 1. num dici potest, quod hac in re mortaliter peccaverit? 2. num Mathurinus quamdam pœnam incurrit?

Respons.

Cum Præsul iste Ecclesiæ Leges in maximi momenti materia violaverit (*b*): videtur dubitandum non esse, quin in specie proposita mortaliter peccaverit. Mathurinus etiam incurrit interdictionem *ab executione Ordinis suscepti*. Sic rem definivit Urbanus III. ad Archiepiscopum Pisanum his verbis scribens (*c*) *Episcopum, qui die quo non debuit, Ordines celebravit, Canonica disciplina corrigere, & Ordinatos a susceptis Ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur*. Gregorius IX. in Decretali, quam ad Episcopum Barii in Apulia scribit, idem etiam decernit respectu ejus, qui sic ordinatus fuit (*d*); sicut Pius II. in septima sua Constitutione diei 17. Novembris anni 1461. (*e*) Atque etiam olim depositione plectebatur; quemadmodum patet ex Canone, qui e sexto Concilio generali, Constantinopoli anno 692. habito elicitur.

(*b*) Alex. III. in cap *De eo*. 3. de temp. ordinationum & qualit. ordinand. Conc Trident. sess. 23. c. 8. de reform.
(*c*) Urban. III. in cap. *Cum quidam*. 8. de temp. ordinat. &c.
(*d*) Greg. IX. in cap. *Consultationi*. 16. eod. tit.
(*e*) Pius II. in Bulla. *Cum ex sacrorum*.

Ceterum per Decretalem Alexandri III. quam in margine laudavimus videri potest, Episcopos quidem Ordines minores conferre posse Dominicis ac Festis diebus, non vero sacros Ordines, quos solummodo quatuor anni tempestatum jejuniis, aut die Sabbati Passionis, seu Sabbati die sancto (*f*).

(*f*) S. Anton. 3. part. Sum. tit. 14. cap. 16. §. 16. & S. Raymundus apud eum.

CASUS XXXII.

Hortensius, quatuor Ordines minores in statu peccati mortalis suscepit. 1. Num hac ratione commisit novum peccatum mortale & Sacrilegium, de quo in Confessione se se accusare absolute teneatur? 2. Num etiam peccatum mortale commisit hoc in statu horum Ordinum officio fungendo?

Respons.

Istius quæstionis decisio ab hac quæstione pendet, nempe, an Ordines minores vera sint Sacramenta; nam si sint Sacramenta, Hortensius Ordines illos in statu peccati mortalis suscipere non potuit, quin in sacrilegium mortale inciderit.

Omnes autem Theologi circa hanc quæstionem non consentiunt; quidam enim, ut Durandus (*g*), contenderunt, solum Sacerdotium esse Sacramentum; verum hæc peculiaris sententia, ab omnibus aliis, tanquam falsa rejicitur. Alii affirmarunt, quatuor Ordines minores non esse Sacramenta, solosque tres Ordines majores aliis hoc respectu antecellere (*h*). Denique alii contrarium docent post sanctum Thomam (*i*), qui dicit, Ordines minores vera esse Sacramenta, qui omnes attamen cum tribus majoribus solum ac unicum Ordinis Sacramentum efficiunt. *Tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scilicet Sacerdotio*, ait sanctus ille (K), *Sed in aliis est quædam participatio Ordinis, & hoc significatum est in hoc quod Dominus dicit* Num II. *Moysi, Auferam de spiritu tuo, & tradam eis, ut sustentent onus populi. Et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum*. Supplementum tertiæ partis summæ Theologicæ sancti illius Doctoris juxta hanc sententiam dicit, quod tanquam certum præsupponit, quatuor Ordines minores, æque ac tres majores, characterem imprimere (*l*): *Omne Sacramentum in quo non imprimitur character, est iterabile. Sed nullus Ordo est iterabilis. Ergo in quolibet Ordine imprimitur character ... alii dixerunt, quod in Sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est: quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet, quod in omnibus character imprimatur; cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur.*

(*g*) Durand. in 4. dist. 24. q. 2.
(*h*) Navar. Manu. c. 21. n. 18.
(*i*) S. Thom. in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. in corp.
(*k*) Idem ibi. quæst. 1. ad 2.
(*l*) Supplem. S. Thom. q. 37. art. 5. in arg. Sed contra. & in corp.

S. Bonaventura (*m*), & multi alii Theologi celeberrimi tuentur eamdem sententiam, quæ maxime congruere videtur Conciliis, ac præsertim 1. Concilio Florentino, quod postquam in genere dixit, Ordinem esse Sacramentum, immediate post addit, hujus Sacramenti materiam esse rem, quam Episcopus tangendam præbet illi, qui ordinatur; & ejus formam consistere in verbis quæ pronuntiat, quod de Ordinibus minoribus, tanquam de majoribus, dicit (*n*). 2. Concilio Tridentino (*o*), quod postquam enumerationem septem diversorum Ordinum fecit, declarat absolute & absque ulla distinctione, Ordinem esse Sacramentum: quod probe ostendit Patres hujus Concilii, Ordines minores, æque ac majores, sub Sacramenti nomine, comprehendere voluisse.

(*m*) S. Bonav. num. 4. ibid.
(*n*) V. Can. *Acolythus*. 16. can. *Exorcista*. 17. can. *Lector*. 18. & can. *Ostiarius*. 19. dist. 23.
(*o*) Concil. Trid. sess. 23. c. 3. de reform.

Quæ cum ita sint, ut ad quæstionem propositam respondeamus, dicere debemus. 1. Hortensium in statu peccati mortalis quatuor Ordines minores suscipiendo, indigne ad Sacramentum Ordinis accessisse, atque hoc in statu illud recipere non potuisse, quin illud profanaret, ac Sacrilegii reum se præstaret, ideoque in Confessione teneri, ad se se accusandum de isto peccato. Saltem hanc sententiam in praxi tutissimam esse constat.

Quod ad horum Ordinum executionem attinet, distinguendum est; vel Hortensius enim illos exercuit *ex officio*, id est tanquam Ecclesiæ minister, nec aliter (*p*); vel eos exercuit tanquam merus privatus, sive tonsura sit initiatus, sive solummodo Laicus sit. Primo in casu, ex Doctrina sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ, & aliorum, qui eos sequuntur, infertur, quod cum Hortensius in peccato mortali versetur, eorum officiis fungi non possit, quin novi peccati mortalis reum se præstet; quod ex isto Doctoris Angelici ratiocinio probari posse videtur (*q*); *Lex præcipit, ut homo juste ea, quæ justa sunt, exequatur. Et ideo quicunque hoc, quod sibi competit ex Ordine facit indigne, quod justum est indigne exequitur, & contra præceptum Legis: ac per hoc mortaliter peccat*. Quibus sanctus ille Doctor addit, quod si vitæ Sanctitate illi, qui Ordinem suscipit, deficiente, mortaliter peccet illum suscipiendo, longe potiori ratione mortaliter peccet hoc in statu illum exercendo. *Sanctitas vitæ requiritur in suscipiente Ordinem, ut sit idoneus ad exequendum; sed peccat mortaliter, qui cum peccato mortali ad Ordines accedit. Ergo multo fortius peccat mortaliter in qualibet executione sui Ordinis*. Presbyter, ait adhuc idem ille Sanctus, qui Ordinis sui officia indigne exercet, similis est deceptori ac blasphematori, mortaliterque peccat, atque eadem est ratio eorum; qui cujusvis alius Ordinis officiis indigne funguntur. *Sacerdos est quasi blasphemus & deceptor! qui indigne suum Ordinem exequitur; & sic mortaliter peccat; & eadem ratione quilibet alius ordinatus*. Hæc verba *quilibet*, & *in qualibet executione sui Ordinis*, clare probant, hunc Sanctum nullum Ordinem excipere, ac æqualiter complecti eos, qui Ordines minores, ut & majores, suscipiunt, aut exercent. S. Antoninus sententiam S. Thomæ sequitur (*r*).

(*p*) S. Thom. cit. dist. 24. qu. 3. art. 3. quæst. 5. ad 4.
(*q*) Idem ibi. cit. quæstione, v. in corp.
(*r*) S. Anton. 3. part. Sum. theolog. tit. 14. c. 16. §. 14.

Denique trium horum Sanctorum doctrina con-

(a) Greg. IX. in cap. fin. de temp. ordinat. &c. l. 1. t. 11.

confirmari potest ex auctoritate Gregorii IX. (a) qui in una e suis Decretalibus, dicit, admooendos esse Sacerdotes, ceterosque omnes Clericos, qui in statu gratiæ non versantur, ut probe cuveant, ne hoc in misero statu, Ordinum susceptorum officiis fungantur, ipsisque miuitandum esse horrendum Dei judicium. *Quæsitum est de Sacerdotibus, vel aliis Clericis*, inquit summus ille Pontifex, *qui per reatum udulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonam conscientiæ recte perdiderunt. Respondemus quod .... si non pœnituerint, monendi sunt & sub interminutione divini Judicii obtestundi, ut in testimonium suæ damnutionis in susceptis Ordinibus etiam non ministrent*. Hæc verba *vel aliis Clericis*, atque hæc alia, *in testimonium suæ damnutionis*; quæ clara, & diserta sunt, satis ostendunt, Gregorium IX. judicasse, sicut S. Thomas aliique judicaverant, peccatom mortale committi, cujusvis Ordinis, majoris aut miooris, officiis fungendo, cum id fit *ex officio* io statu peccati mortalis. Dicimos, *ex officio*; Ordines enim aliter exercendo, hoc est, ut merus privatus homo, quemadmodum sæpius faciunt juvenes Laici, peccatum mortale committi dicendum non est.

Ceterum quidam hanc decisionam severiorem forsao reperire poterunt: Verum uutumamus protulisse argumenta idonea ad impediendum, quominus non condemnent.

CASUS XXXIII.

Constantinus, Sancti Floriani Parochus, cum sua Tonsuræ Littera egeret, triginta post suam Ordinationem unnia; eamque intee sua Ordinum Litteras quæreret, inter eas Diaconatus litteram non invenit. Totis viribus innititur, ot in memoriam suam revocet, num Diaconus ordinando fuerit, & u quonam Episcopo, nec ullo modo rei meminit. Mauimus hac de re apud ipsum exoritur scrupulus, & viri, qui doctus habetor, consilio, Romam mittit, onde rescriptom accipit, ud Episcopum suæ Diœceseos demandatum: verum quia hoc rescripto summus Pontifex Episcopo dumtaxat concedit, ot eum sub hac lege absolvat, *dummodo fructus Beneficii non perceperit*, & qoia Curionatus sui fructus semper perceperit, Episcopus io rescripto exequendo difficultates sibi fingit. Qua de re quæritur, 1. Num Coostaotinus autumare debeat, quod Diacnnus non fuerit ordiuatus, & an necessarium fuerit, ut rescriptum Romanum obtineret? 2. Num posito, quod certus foret ut dubium æquo fundamento inoiuum haberet, se Diaconum ordinatum non fuisse, nonnisi a summo Pontifice absolvi atque euimi posset? 3. utrum hæc clausula, *dummodo fructus Beneficii non perceperit*, Episcopum, hoc in casu, impedire debeat, ut non summi Pontificis rescriptum exequatur?

Responsio.

Ut ad speciem propositam respondeamus, dicendum est 1. Constantini dubium fundamento satis firmo inniuum non esse, ut autumare debeat, se Diaconatum non suscepisse, ideoque necesse non fuisse, ut rescriptum Romanum accerseret: cum talis rescripti necessitas solummodo spectet ad casum ordinationis irregularis, cujus argumenta, vel saltem admodum verosimilia daotur; quemadmodum patet ex Decretali Innocentii III. scribentis ad quemdam Episcopum; qui circa quæstionem hanc, quam ud euamen revocamus, fere similem, ipsum consuluerat (b). Cum igitur nulla probatio detur, Constantinum sacerdotem creatum fuisse, licet Diaconatum non susceperit; autumandum est, eum juxta Ecclesiæ præscriptum ordioatum fuisse.

(b) Inn. III. in c. Tua literas, De clerico per saltum promoto l. 5. t. 29.

Equidem dicitur illum suam litteram Diaconatus reperire non potuisse? sed eo magis credibile est, illum eam amisisse, quod si hunc Ordinem non suscepisset, tantum peccatum certissime non commisisset, quin conscientia longo post tempore illod ipsi exprobrasset; ideoque ejus memoriam, etiam ipso invito, conservasset. 2. Verum posito, quod certus foret, se Diuconatum noo suscepisse, aut quod de eo dubium probabile sibi esset; equidem jure credere, vel autumare deberet, se incurrisse pœnas Canonicas, quas Ecclesia simili in casu contra reos decernit, sed necesse, nnn foret ut Romam confugeret, cum res occultu sit. Ejus enim Episcopus, ipsum u muneris exercendi interdictione quam incurrisset absolvere, atque in eum statum ex quo decidisset per irregularitatem, quam deinceps contraxisset, restituere posset, qoemadmodum ex hoc Concilii Tridentini Decreto patet, (c) *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta eu quæ oritur ex homicidio voluutario, & exceptis uliis, deductis ud forum contentiosum) dispensare*. Diximus, *cum res occultu sit*; Etenim si ageretur de crimine qnod palam innotuisset, Episcopus hanc potestatem non haberet, atque necessario ad summum Pontificem confugiendum esset. Verum in utroque casu, Episcopus Diaconatum Constantino conferre deberet, postquam ipsum absolvisset ac restituisset, secundo in casu Diaconatum conditionaliter ipsi conferendo; quia, sicut dicit Innocentius III. in Decretali, quam laudavimus, *Non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur*.

(c) Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de ref.

3. Quod attinet ad speciei propositæ oltimom urticulum, qui clausulum, *dummodo fructus Beneficii non perceperit*, spectat, dicendum, qood, cum hæc sit conditio expressim apposita: novum Romani Pontificis Diploma accersendam fit, quod ferat, *Etiam fructibus perceptis*, posito crimen publicum esse, oisi iste Parochus ea quæ sibi ad victum & vestitum necessaria erunt præcise solummodo perceperit: cum ea ipsi debita sint, jure etiam natutali, ex eo quod Curionis munere functus est, vel etiam si quædam præterea percepisset, ea Ecclesiæ, vel pauperibus erogasset.

CASUS XXXIV.

Theodoricus, Religiosus incolens monasterium Diœcesis Vivarieosis, Nemauso, post literas dimissorias a Superiore suo acceptas, Subdiaconatus Ordinem suscepit. Num legitime ordinatos est?

Responsio.

Distinguendum est, inter Religiosos, qui stabiles sunt nec Monasterium permutare assueti sunt, & eos qui nulli domui peculiari addicti sunt, quales sunt Mendici. Ad priores quod attinet, necesse, est, ut præter Superioris sui litteras testimoniales, habeant etiam litteras dimissorias, quas impetraverint ab Episcopo suæ Diœcesis, vel originis, vel domicilii, cum ab altero Episcopo Ordines suscipiunt. Quod ad posteriores spectat, solummodo ordinundi sunt ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Monasterium quod reipsu incolont; ac si forte Episcopus ille absit, aut Ordines non conferat, alius Episcopus eos ordinare potest, postquam legerit Superioris eorum litteras dimissorias, in quibus de Episcopi domicilii absentia mentio fiat, vel quod non ordinet. Unde sequitur, quod si Theodoricos incolat Monasterium ubi stabilitas detur, ub Episcopo Nemuusensi legitime ordinatus non fuerit, nisi præter Superioris sui litteras dimissorias, etiam litteras Episcopi Vivariensis, vel saltem sui Episcopi originis, dimissorias habuerit. Verum quod, si nulli Monasterio addictus sit, & domum incolat, in qua nulla stabilitas datur, legitime ordinari potuerit ab Episcopo Nemausensi ex dimissoriis suis litteris, si forte Episcopus Vivariensis absuerit aut ordinationem non conferut. Hæc disciplina ita constituta fuit a decimo seuto articulo Constitutionum Cleri Gallici, sicut testatur Doctus Theologus, qui eadem ratione de quæstione prorsus simili dijudicavit (d).

(d) D. Sainte Beuve tom. 2. cas. 12.

CASUS XXXV.

Euphemianus, Religiosus Mendicus, Professus Monasterii Sancti Majoli, cum a Superiore suo ordinum Sacrorum suscipiendorum licentiam obtinere non potuisset; propter suam agendi rationem parum moderatam, ita fecit, ut ab Ordinis Provinciali dimitteretur in Monasterium, cujus Superior ipsi licentiam concessit, se se Ordinibus offerendi, eosque suscipiendi ab Episcopo Diœcesis, in qua situm est hoc secundum Monasterium, ita ut omnes Ordines majores susceperit. Septem vel octo post mensibus rursus adivit prius Monasterium, cujus Superior contendit, quod eum ab Ordinibus suis exercendis suspendere possit, quia Ordines suscepit ab alterius Diœcesis Episcopo, cui contra veritatem significavit, quod ejus Diœcesis Religiosus esset. Nonne hic Superior talem pœnam ipsi infligendi jus habet?

Responsio.

Superior Monasterii Sancti Majoli, in quo Euphemianus solemnia Religionis vota nuncupavit, nullam habet potestatem hunc Religiosum a suorum Ordinum executione suspendendi. Ratio est, quod, cum in secundo Monasterio reipsa assidue commoraretur, ex consensu ac licentia Provincialis, cum Ordines suscepit, tunc temporis revera ex familia & corpore ejusdem istius Monasterii esset; quandoquidem illi, qui legitimus Monasterii Superior erat, subjiciebatur; ideoque quod ordinari posset ab Episcopo, in cujus Diœcesi hoc Monasterium situm erat. Sic decretum fuit die 15. Martii anni 1596. sub Clementis VIII. Pontificatu a Cardinalium Congregatione pro negotiis, quæ ad Religiosæ vitæ adstrictos pertinebant, constituta; juxta Mirandæ testimonium: (a) Quod pariter etiam docet Juris Canonici peritissimus Barbosa (b).

(a) Ludov. Mirand. t. 1. q. 38. art. 2.
(b) Aug. Barbosa ad Conc. Trid. sess. 24. c. 8.
(c) Fr. Sylvius, Resolut. var. v. Religiosus.

Hæc est Decisio Sylvii (c), qui ad similem quæstionem die 5. Octobria anni 1645. his verbis respondit. *Etsi autem iste Religiosus non esset professus secundi Conventus; superiori tamen illius erat subditus, cum in eo secundo Conventu habitaret .... de consensu Provincialis: ac proinde cum litteris superioris istius ordinari potuit ab Episcopo illius Diœcesis, in qua iste Conventus est situs: Ideoque, ibi Ordines recipiendo, non peccavit; nec probatur, quod falsum aliquid imposuerit Episcopo. Erat enim revera de Conventu, in quo mittebatur ad Ordines, nimirum quoad habitationem.*

Sapientissime tamen addit hic Theologus, quod si Monasterium, in quo solemnia Religionis vota nuncupata sunt, quodam privilegio, aut quadam Constitutione contraria, fuerit; tunc temporis, ejusmodi Religiosus, qui hanc Constitutionem violasset, ab alterius Diœcesis Episcopo Ordines suscipiendo, a Superiori plectendus esset.

CASUS XXXVI.

Diana, virgo viginti annos nata, cum virilem vestem induisset, ac militiæ nomen dedisset in legione Equitum, quos Dracones vocamus, sub cujus signis per biennium sine interruptione militavit ac stipendia meruit, deinceps in Religiosorum Monasterium se se recepit, in quo, sexu suo occultato, ad solemnia Religionis vota nuncupanda admissa fuit, omnesque Sacros Ordines biennio aut triennio post recepit, eorumque officiis per annum & amplius functa est. Postea que cum supremum diem obiisset, agnitus fuit ejus sexus. Qua de re quæritur, An legitime ordinari potuerit, atque deinceps Sacerdotii officiis fungi, qualia sunt, Sacra celebrare, confessiones audire, ac absolvere?

Responsio.

Virgo ista legitime ordinari, ideoque ullis ordinum officiis fungi non potuit. Hæc est doctrina omnium Theologorum, qui hac in re doctrinam sequuntur S. Thomæ, qui hanc veritatem probat dicendo, mulieres, cum naturaliter in subjectionis statu versentur, ordinari non posse, quia Ordinis Sacramentum in illis suam habere nequit significationem, quæ est gradus excellentiæ supra fidelium vulgum positæ. Hoc modo sanctus ille Doctor ratiocinatur. (d) *Etsi mulieri exhibeantur omnia, quæ in Ordinibus fiunt, Ordinem non suscipit, quia, cum Sacramentum sit signum, in his quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei, sicut dictum est, quod in Extrema unctione exigitur, quod sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Cum ergo in sexu femineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet; ideo non potest sacramentum Ordinis suscipere.* Deinceps Doctor ille Angelicus sibi hanc objectionem facit. *Quidam autem dixerunt, quod sexus virilis est de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti; quia etiam in decretis (e), fit mentio de Diaconissa & Presbytera:* Ad quam objectionem Sanctus ille his verbis respondet. *Sed Diaconissa dicitur, quæ in aliquo actu legit homiliam Diaconi participat sicut quæ in Ecclesia. (f) Presbytera autem dicitur vidua; quia Presbyter idem est, quod senior.* Quæ explicatio congruit Concilio Laodiceno, a Gratiano in suo Decreto relato (g).

(d) S. Thom. in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. in corp.
(e) Can. Mulieres. 32. dist. 32.
(f) Gloss. in Can. Diaconissam. 23. 27. q. 1. v. Ordinari.
(g) Conc. Laodicen. in cit. Can. Mulieres.

Decisioni adeo firmiter ab Angelo scholæ constitutæ quidquam addere inutile est; atque dicere sufficit nullum Theologum de contrario proferendo cogitasse, quod revera affirmari non potest, quin in hæreticorum errorem delabatur, qui Pepusiani & Cataphrygiani vocabantur; de quibus Sanctus Epiphanius loquitur, (h) qui prout observat Glossæ auctor, (i) mulieres, ad Ordines suscipiendos, idoneas esse contendebant. His addamus, Leges etiam Civiles declarasse mulieres ad nullum officium exercendum idoneas esse. *Fœminæ*, ait Lex (K) *ab omnibus officiis civilibus vel publicis, remotæ sunt. Et ideo nec Judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores existere.* Ergo longe potiori ratione dicendum est, eas ad sacros Ordines suscipiendos ac exercendos, inhabiles esse.

(h) S. Epiphan. hæres. 49.
(i) Gloss. in Can. Diaconissam. cit. v. Ordinari.
(k) Leg. 2. ff. de diversis Reg. Juris ant. l. 50. tit. 17.

Vide { Episcopus. Litteræ dimissoriæ. Interdictio muneris exercendi. }

ORNAMENTA

ORNAMENTA ECCLESIÆ.

PER vocem **ORNAMENTA** hic folummodo intelligimus, veftes Sacerdotales, quibus Sacerdos Sacra celebrando indutus effe debet, Corporale; Altaris mantilia, aliaque Ecclefiarum miniflerio unice deftinata, qualia funt veftes pluviales, Tunicæ, Altarifque ornamenta.

Multa ex eis ornamenta ab Epifcopo neceffario confecranda funt, qualia funt, Amiculum, & Alba, cum cingulo, cafula, ftola, manipulus, mantilia, & corporale: cum nullus alius, abfque ejus licentia, confecràre poffit, nifi privilegio legitimo nitatur, quali fruuntur Superiores multorum Ordinum Religioforum, ad Monafteriorum & Conventuum fuorum ufum; aut ex confuetudine adverfus Ipfum ufu capta.

In hujus Tituli cafibus ad examen revocabimus, 1 An in cafulis, Tunicis, veftibus pluvialibus, & Altarium ornamentis, Gentilitia infignia textili pictura concinnare liceat 2 An quodam in cafu hujufcemodi ornamenta adhiberi poffint, ut rebus profanis inferviant. 3 An abfque peccato exinde defumi poffint panni, quos homines profani ad proprium fuum ufum adhibent, qualia effe poffunt rugofa lecti vela, & cyclades Fœminarum illuftrium. 4 Atque utrum in neceffitate, cum aliqua e veftibus Sacerdotalibus deficit, Sacra celebrari poffint. Verum, ut huic materiæ major lux afferatur, neceffario confulendi funt Tituli, *Confecrare*, *Parochus*, & *Miffa*, & confpiciendum eft Gratiani Decretum dift. 71. & 77.

CASUS PRIMUS.

PAULUS, cum in Pagi cujufdam Ædibus facris intereffet, atque remdivinam facere expoftulaffet, ipfi oblata funt ornamenta, quorum quædam nondum confecrata fuerant, ac præfertim Alba, qua nemo adhuc ufus fuerat. Quemadmodum Pentecoftes dies erat, nec Miffam audire poterat, quia hora meridiana inftabat, nec nllus aderat Sacerdos, qui Sacrum conficere poffet, autumavit his in circumftantiis, quod Sacrificium facere, iftaque Alba uti poffet. Num abfque peccato fic agere potuit?

RESPONS.

Hic Sacerdos, quin fe gravis peccati reum præftaret, cum alba nondum confecrata, rem divinam facere non potuit: Nam ficut antiquus Canon dicit, (a) *Veftimenta Ecclefiaftica, quibus Domino miniftratur, & facrata debent effe & honefta.* Veftium Sacerdotalium benedictio non modo commendatur, tanquam res conveniens, verum tanquam neceffitas præcepti, ficut docet S. Antoninus (b) poft Paludanum, quem laudat. *Secundum Petrum de Palude fpecialiter ifta feu requiruntur* (ad Miffam celebrandam,) *fcilicet ftola, manipulus, alba, amictus, cingulum & cafula, id eft, planeta. Ifta enim benedicuntur & facrantur. Unde videntur effe de neceffitate præcepti.* Sylvius idem docet (c), eodemque Canone, quem mox retulimus, nititur. Reginaldus etiam dicit (d) *Cum tali* (veftimento nondum benedicto) *celebrare perinde mortale eft, atque omiffo eodem veftimenti genere: quoniam ex Ecclefiæ inftitutione neceffarium eft, ejus generis veftimenta confecrata effe.* Sylvius eandem fententiam tuetur (e), nec ullum cafum excipit, nequidem cafum neceffitatis, in quo teneret Parochus, celebrandi, ut facrum Viaticum ægroto daret, aut ut Populus die obligationis Miffam audiret: *Abfque facris his veftibus celebrare grave admodum foret peccatum mortale, partim propter præcepti Ecclefiaftici tranfgreffionem in re notabili, partim propter magnam irreverentiam, quæ contra tantum Sacramentum committeretur. Unde ne quidem, ut populus die fefto Miffam audiat, vel ut infirmus, alioquin fine viatico moriturus, communicetur, liceret fine illis veftibus celebrare.* Hæc funt Docti illius Theologi verba.

(a) Can. Veftimenta. 42 de confecrat. dift. 1.

(b) S. Anton. 3. para fum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 3.

(c) Fr. Sylvius in 3 part. fum. S. Thom. q. 83. art. 4. quæfito 3. §. Quartum pag. 488. col. 2.

(d) Valerius Reginaldus prax. fori pœnitent. l. 29. c. 9 tom. 2. pag. 284.

(e) Fr. Sylvius in 3. part. fum. S. Thom. q. 83. a. 6. quæfito 3. §. Sextum.

Ifta decifio confirmari poteft hoc ratiocinio, quod Sancti Thomæ doctrina innititur (f). Nihil unquam faciendum eft quod lædat fummam reverentiam, qua tantum Myfterium profequendum eft. Illud autem celebrando ornamenta profana adhiberi non poffunt, quin violetur reverentia debita Jefu Chrifto, qui in eo manibus Sacerdotis in Sacrificium offertur: Cum Ecclefia, quæ in omnibus juxta hujufce Servatoris mentem tantum agit, confecrationem aut benedictionem rerum, quæ huic augufto Myfterio celebrando inferviunt, folummodo inftituerit, ut hæc reverentia melius denotetur, ac fimul defignetur effectus gratiæ, quem ex virtute Paffionis Hominis Dei, producit. *Ea quæ ab Ecclefia ftatuuntur*, ait Sanctus Thomas, *ab ipfo Chrifto ordinantur.... In his quæ circumftant hoc Sacramento duo confiderantur, quorum.... aliud pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, in quo Chriftus fecundum veritatem continetur. Unde & confecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in ufum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti, reverentiam, tum ad repræfentandum effectum Sacramenti, qui ex Paffione Chrifti provenit.* Quibus Sanctus ille addit, (g) graviter ergo peccari, eum ea non obfervantur quæ Ecclefia adeo fancte inftituit: *Peccat... graviter ritum Ecclefiæ non fervans.*

(f) S. Thom. 3. part. fum. 83. art. 3. in argum. Sed contra. & in corp.

(g) Ibid. ad 8.

Cæterum, fi abfque peccato, cum alba non confecrata, Miffa celebrari poffet; quare cum cafula aliifque ornamentis profanis non celebraretur? quod non autumamus quemquam afferere audere; cum hoc effet Leges ac univerfum Ecclefiæ ufum fubvertere. Ergo dicendum eft, vel Paulum peccaffe, ex eo quod majorem curam in præcavendo non adhibuerit in hypothefi, de qua agitur, vel fi aliter agere non potuerit, quod præceptum Miffam hac die audiendi aut celebrandi, ejus refpectu ceffaret, quemadmodum affirmat Sylvius.

CASUS II.

ARISTOBULUS, qui duplicem Cafulam habebat, cujus pars rubra, altera vero alba erat, eam diffuendam curavit, & cuique parti pannum novum affui voluit, ut utraque diebus, quibus hi colores conveniunt, feparatim uteretur; idemque fecit refpectu ftolæ & manipuli. Num abfque peccato in Sacris celebrandis perfeverare poteft his cum ornamentis, quin ea de novo benedicenda curet?

RE-

Responsio.

Sacerdos iste absque peccato his ornamentis uti pergere potest, quia, per immutationem ipsis factam, benedictionem suam non amiserunt. Ratio est, quod, cum Casula duplex est, ab utraque parte benedicatur: ideoque, cum una pars ab altera separatur, utraque benedictionem suam semper conservet. Eadem est ratio de stola ac manipulo duplici.

Hæc est decisio S. Antonini (a) *Cum casula est duplicata*, inquit Sanctus ille Archiepiscopus, *cum possit esse simpla, super qualibet parte fit benedictio. Unde in celebrando verti potest ea utraque parte, &, si una pars amoveatur ab alia, remanet benedicta, & potest in ea celebrari; & similiter de dupla stola*. Sylvester de Prierio dicit etiam (b). *Quando autem sunt duplicata tempore benedictionis casula, stola, vel manipulus, si postea dividantur, utraque pars remanet benedicta*. Auctor ille post Paludanum, cujus propriis verbis utitur, solummodo ita loquitur. Idem docet Sylvius (c) cum multis aliis.

(a) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 5.

(b) Sylvest. v. Benedictio. q. 6. & apud eum Patrus Palud. in 4. dist. 24.

(c) Fr. Sylvius in 3. part. S. Thom. q. 83. art. 6. q. 3. §. Quantum.

CASUS III.

Nicasius, miseræ cujusdam Ecclesiæ paganicæ Parochus, cum albas & casulas usu valde attritas solummodo haberet, eas reficiendas curavit. Quærit, an necesse sit, ut eas iterum benedicendas curet, antequam illis uti possit?

Rasponsio.

Si hæc ornamenta usu ita attrita, ac dilacerata sint, ut, ad decenter celebrandum non amplius adhiberi possint, quemadmodum si altera ex albæ manicis ita usu attrita foret, ut alia necessario apponenda fuerit; certissime hæc ornamenta benedictionem suam amiserunt. Quamobrem, si Nicasius hoc in casu reperiatur, his ornamentis uti non potest, quin prius ea iterum benedicenda curaverit. Verum si adeo imperfecta non forent, ut verbi gratia, si in illis aliquid tantum dissutum esset, aut illis panni quædam particula parum notabilis apponenda esset, postquam resecta fuissent, benedictionem suam conservarent. *Quando vestimenta reparantur propter paupertatem*, ait Sanctus Antoninus (d) *videtur distinguendum, quia aut tanta pars amota fuit, quod sine illa non benediceretur, vel celebraretur, ut tota manica, vel pars superior, & tunc desinit esse benedicta . . . . si autem modica particula, cujus defectus nec benedictionem impediret, nec celebrationem: tunc licet celebrare*. Sylvius (e) hujus Sancti decisionem sequitur. En ejus verba. *Istæ vestes tamdiu manent benedictæ, quamdiu non ita franguntur, ut desinant esse aptæ ad usum, ad quem sunt destinatæ, neque amittant priorem figuram. Unde alba, vel casula non indiget nova benedictione, si ad eas reficiendas addantur aliqua, quorum additione remanet prior figura, etiamsi quæ adduntur non sint benedicta. E converso autem alba desinit esse benedicta, si ex ea præscindatur manica, quamvis illa reipsa post-modum ei assuatur, & eget nova benedictione, quia per manicæ abscissionem desiit esse ipsa apta usui, ad quem erat destinata, nec priorem figuram retinuit*.

(d) S. Anton. 3. part. sum. Theol. tit. 13. c. 6. §. 5. cit.

(e) Fr. Sylvius in 3. part. S. Thom. c. q. 83. art. 6. quæstio 3.

CASUS IV.

Bartholomæus, Sancti Benigni Parochus, habens quasdam albas usu adeo attritas, ut non amplius in celebrando adhiberi possint, eas dissecuit, earumque fragmenta sorori suæ dedit, ut exinde minuta quædam lintea sibi faceret. Num sic agere potuit absque peccato?

Responsio.

Parochus ille sine peccato has albas, licet fractas, sorori suæ dare non potuit, ut eas in usum profanum adhiberet. Sancti Canones enim id ipsi interdicunt, & præcipiunt, ut vetera ornamenta, quæ Sanctis Mysteriis celebrandis non amplius inservire queunt, comburantur, eorumque cineres quodam in Ecclesiæ loco, ubi pedibus calcari nequeant, deponantur: cum Religio ac pietas velint, ut nunquam ad usus profanos adhibeantur ea, quæ per benedictionem cultui Divino consecrata fuerunt. *Altaris palla* . . . . dicit antiquus Canon (f), (hoc est, *Altaris vestimenta*, ait Glossa) *si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur; quia non licet ea, quæ in sacrario fuerint, male tractari, sed incendio universa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur*. Iis etiam uti non licet ad mortuos sepeliendos, sicut ab alio Canone fertur (g), atque docet Sylvester Mozolinus (h): Ad hanc decisionem confirmandam addi potest, S. Thomam eamdem sententiam tueri (i) eamque probare iisdem verbis Canonis, quem modo retulimus.

(f) Can. Altaris 29. De consecr. dist. 1.

(g) Can. Nemo. 40. ead. dist. 1.

(h) Sylvester v. Benedictio. q. 8.

(i) S. Thom. 3. part. 83. art. 3. ad 3.

CASUS V.

Christina, Nobilis fœmina, cum Theodulo, sancti Fulberti Parocho, rugosa lecti vela, ex panno pretioso confecta, dedisset, ut ea in quibusdam ornamentis ad Ecclesiæ suæ usum adhiberet, ex iis Parochus ille Casulam & vestem pluvialem fecit, quibus a biennio usus est. Nam absque peccato facere potuit?

Raspons.

Juxta Sanctum Antoninum (K) aliosque auctores quosdam addictos sententiæ Glossæ in Canonem desumptum ex antiquo Concilio an. 535. habito (l), Theodulus hunc pannum profanum ad usum Ecclesiæ adhibere non potuit. Verum alii ex adverso affirmant, res profanas sanctificari posse, eas ministerio Ecclesiæ consecrando. Angelus de Clavasio, Sylvester de Prierio, Azorius (m), Grassius, multique alii Auctores, qui moralem remissiorem profiteri non existimantur, hanc eamdem sententiam tuentur cum Sylvio (n), qui eam probat, 1. ex usu recepto, *quia, consuetudo, quæ est optima legum interpres, sic invaluit*. 2. Exemplo antiqui Tabernaculi, eorumque omnium, quæ ab eo pendebant, quæ confecta fuerant ex variis rebus, quæ ad usum virorum ac mulierum adhibitæ fuerant: *Quia vetus Tabernaculum cum suis utensilibus factum est ex armillis, annulis, dextrariolis, aliisque hujusmodi, quæ viri cum mulieribus præbuerunt*.

(K) S. Anton. 3. p. t. 13. c. 6. §. 5.

(l) Glossa in can. *Ad nuptiarum*. 41. *De consecrat. dist.* 1. (*ex Conc. Alvernensi c.* 7.)

(m) Angelus de Clavasio in sum. v. vestis. Sylvester v. eod. Joan. Azor. Institut. mor. l. 10. c. 28. Jacobus de Graff. c. 4.

(n) Fr. Sylvius in 3. part. sum. S. Thom. q. 83. art. 6. quæstio 3. sub finem *Exod.* 35.

Ac revera, si Sacerdotes antiquæ Legis non dubitarunt construere Tabernaculum & utensilia ipsi servientia, ex inauribus, annulis, armillis, gemmis, pannis pretiosis, auro, argento, ære multisque aliis rebus similibus, quas viri & mulieres ultro ad hunc usum consecrare voluerunt (o); si primis sæculis, Episcopi Christianorum domos profanas in Ecclesias permutarunt, atque si multa etiam Idolorum Templa Dei viventis cultui consecrata fuerint, quale erat Pantheum, quod Bonifacius IV. anno 607. Deo consecravit, sub omnium Sanctorum nomine, & quod hodie Domina nostra a Rotunda vocatur; quamobrem prohiberetur pannos profanos adhibere ad conficiendas casulas aliaque Ecclesiæ ornamenta? *Templa quoque Idolorum*, addit Sylvius, *sæpius in Sanctas Ecclesias conversa fuisse liquet ex historiis, & similiter multas domos profanas*.

(o) Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures, annulos & dextralia . . . . omnes viri & mulieres devota mente obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. *Exodi* 35. 22. & seqq.

Usus iste recens non est; Conspicitur enim adhuc hodie in Monasterio Annuntiadum Biturigæ, cujus Ordo & Regula ab Alexandro VI. anno 1501. approbata, & a Julio II. anno 1506. ac

Leone

Leone X. anno 1517. confirmata fuere, splendidissima panni aurei casula confecta ex nuptialibus vestibus Beatæ Joannæ Galliæ Ludovici XI. filiæ, quæ post diruptum suum cum Ludovico XII. tunc temporis Duce Aurelianensi matrimonium, hocce Monasterium instituit ac dotavit.

Ergo dicendum est, Theodulum accipere potuisse rugosa vela, quæ Christina Ecclesiæ suæ Parochialis usui consecrare voluit; atque ex iis conficere casulam & vestem pluvialem, de quibus agitur; iisque uti post hujus casulæ consecrationem?

Quod attinet ad Glossam, quæ sententiam contrariam tuetur, equidem contendit, cum a Canone laudato interdicatur, ne res sanctæ ad nuptiarum usum profanum adhibeantur; nec etiam res profanas sanctis usibus adhibendas esse. Argum. *Quod ex veste alicujus Dominæ, vel alterius non debet fieri casula, vel aliquis ornatus Ecclesiæ*. Hæc sunt istius Glossæ verba, Verum patet hanc consequentiam pessime elici, ac probare, 1. Summos Pontifices & Episcopos male egisse, convertendo, sicut fecerunt, domos profanas ac etiam Idolorum Templa in Ecclesias, quod placitum defendi nequit. 2. Res profanas per benedictionem Episcopalem sanctificari non posse, quod adhuc absurdius est. Hoc modo etiam ratiocinatur Doctus noster Duacensis Professor. *Dum enim sacra ad profanos usus applicantur, polluuntur*: inquit; *ac profana, quæ in sacrum usum convertuntur, sanctificantur per benedictionem Episcopalem*.

CASUS VI.

DOROTHEUS, Parochiæ S. Frionis Dominus cum Casulam, duas Tunicas, atque duas vestes pluviales, ex panno bombyce presso texto, conficiendas curasset, ut eas Ecclesiæ Parochiali dono daret. Felix hujus Parochiæ Curio, iis uti absolute denegavit, sub specie quod Dorotheus sua Gentilitia insignia textili pictura, aurea & argentea, his in Ornamentis concinnare jusserit. Quod Dorotheum ita offendit, ut in procinctu fuerit illa Ornamenta recipiendi atque alteri Ecclesiæ ea donandi. Num Parochus in sua recusatione perstare potest, quicquid exinde exsurgere possit?

RESPONS.

Ante quam respondeamus, operæ pretium est nosse, 1. usum, Gentilitia insignia textili pictura Ecclesiæ Ornamentis concinnandi ac apponendi, circa undecimum sæculum incœpisse, ac deinceps ad praxim revocatum fuisse, etiam a multis, vitæ inculpatissimæ, Præsulibus; qualis fuit nobilis Dominus Gullielmus Chartier, Episcopus Bajocensis, qui anno 1472. Ecclesiæ suæ Cathedrali dedit ornamenta, in quibus gentilitia sua insignia textili pictura concinnata erant, atque hic ornatus adhuc adhibetur in illa Ecclesia quotannis 7. Januarii & die Dominico post Epiphaniam (*a*). Abbatia S. Stephani Cadomensis etiam habet Ornamentum serici Damasceni, ipsi dono datum anno 1366. a nobili Domino Carolo de Humieres, etiam Bajocensi Episcopo, cui gentilitia sua insignia intexta sunt. Nondum 30. anni effluxere, a quo nobilis D. Gabriel Philippus de Froulay de Tessai Abrinensis Episcopus, suæ Ecclesiæ Cathedrali obtulit Solem, Calicem, Crucem, atque octo Candelabra argentea, quibus (calice excepto) insignia sua insculpenda curavit.

(*a*) De la Paluelle en ses Decisions pag. 319.

2. Observandam est etiam, in Traditione nullum textum formalem ac disertum reperiri, qui hunc usum interdicat.

3. Constat, quod cum hic usus natura sua malus non sit, malus fieri nequeat, nisi consilio eorum, qui insignia sua apponunt solummodo per ostentationem ac inanem gloriæ animum: & quod e contra condemnari nequeat, cum ea solummodo apponunt, ut aliis exemplo sint; ac præsertim eorum successoribus in Parochiæ Dominio; & ut eos inducant, ad ædes sacras Parochiales sartas tectasque suis liberalitatibus curandas, atque ad ea, quæ ad earum cultum ac ornatum necessaria sunt, conferenda.

Auctores huic usui oppositi (*b*), nituntur quibusdam Locis, quæ ex sancto Clemente Alexandriæ & e secundo Concilio generali Nicæno depromunt. Verum in referendis textibus, quos citant, non immorabimur, quia positivi ac diserti non sunt: nec etiam de gentilitiis insignibus intelligi possunt, cum sanctus Clemens Alexandrinus ab initio tertii sæculi viveret, ac secundum Concilium Nicænum sub finem octavi sæculi, hoc est anno 787. habitum fuerit; Et cum tamen, sicut nos docet Moreri (*c*), insignium in Europa usus solummodo incœperit decimo sæculo, in Germania, & undecimo in Gallia, atque exinde Galli ea in Neapolis & Siciliæ Regnis. decimo tertio sæculo tantum introduxerint: tantum abest, ut insignia gentilitia mundum vetustate sua adæquent; quemadmodum nobis suadere vult Favin in suo Honoris Theatro, nulla hanc in rem argumenta proferendo.

(*b*) Traitè des obligat. des Ecclesiastiques Le R. P. Alex. tom. 3. Theolog. mor. l. 2 de Eucharistia c. 7. a. 8.

(*c*) Moreri v. Armes ou Armoiries.

Ac revera Clemens IV. qui anno 1268. supremum diem obiit, primus est summus Pontifex, qui habeat insignia tumulo suo, qui Viterbio conspicitur, insculpta. Sigilla & monetæ, addit Moreri, rursus sunt hujusce veritatis argumentum. Nulla enim in illis videntur insignia, nisi ab undecimo sæculo; & Ludovicus Junior, qui circa annum 1150. vivebat, primus est Galliæ Rex, qui sigillum sigillo ex adverso appositum Lilium habuerit. Multa alia argumenta quæ invicte, ea quæ profert, probant, apud hunc Auctorem reperiri possunt. Quod antiquissimum est, consistit in meris figuris symbolicis aut metaphoricis præcipue inventis, ad enitendum in Exercitibus ac Præliis, aut in ludricis Pugnis equestribus, quin scutorum gentilitiorum scientia tunc temporis nota fuisset, cum in Anglia initium tantummodo habuerit regnante Gullielmo Gentium victore, sicut fatetur Henricus Spelmannus. Anglus.

Quæ huc usque diximus sat ostendunt, absolute loquendo, condemnari non posse Dominum, qui Ornamentis, quæ Ecclesiæ dat, insignia sua gentilitia textili pictura concinnanda curat: cum nonnisi malo incentivo, quod eum moveret, damnari possit; Denique solus ejus Judex esse queat. Econtra charitas vult, ut semper æqui bonique consulantur actiones proximi, cum essentialiter ac evidenter malæ non sunt. *Charitas non cogitat malum* (*d*). Hanc ob caussam licet quidam auctores Recentiores hunc usum absque ullo discrimine vituperaverint, eorum sententiam veram non autumamus, nisi eo sensu quem notavimus, hoc est, cum id fit ex ostentatione ac inani gloria. Et e contra, si donantium consilium solummodo fuerit, præbendi pietatis exemplum, ab iis, qui similes liberalitates exercere possunt imitandum: aut occasionem præbendi Sacerdotibus, cum his Ornamentis utuntur, ut pro ipsis, eorumque familia Deum orare meminerint, vel tandem, si gentilitia sua insignia his ornamentis tantum apponant, tanquam notam publicam contestatæ denuntiationis internæ quam fecerunt hæc ornamenta dando, suam nobilitatem, generis claritudinem, atque a vulgo distinctionem, a Deo unice oriri; Eorum oblatio, præsertim si nihil indecorum in suis gentilitiis insignibus detur, tanquam Ecclesia indigna, respicienda non est.

(*d*) 1. Cor. 13. 5.

Attamen existimamus, Dominum, qui Ornamenta Ecclesiæ dono dat, nec iis gentilitia sua insignia apponit, longe digniorem esse laude, quam eos, qui contrarium faciunt; quia quantumvis bonum eorum consilium statim esse possit, rarissimum est, quin mox inani gloria sollicitentur & labascant, adeo magna est hominis miseria. Quidquid accidat, hæc insignia saltem reponi debent in loco minus conspicuo, ac sub parva superficie; qua in re admodum culpandi sunt

sunt

ſunt illi, qui hæc inſignia textili pictura ample concinnari curant in quatuor angulis crucis caſulæ, quod nonniſi ex inani oſtentatione eos facere haud difficulter autumandum eſt. Qui abuſus adeo erupit, ut multis magnis Præſulibus viſum fuerit, inſignium gentilitiorum in Eccleſiæ Ornamentis uſum generatim ac indiſcriminatim interdicere.

Colligimus ergo ac dicimus, quod, ſi S. Frionis Parochia ſua ſit in Diœceſi ubi hæc interdictio vigeat, Felix ejus Parochus illi obtemperare debeat, nec Ornamentis Eccleſiæ ſuæ a Dorotheo datis, uti. Verum ſi uſus iſte a Diœceſis Epiſcopo interdictus non fuerit, atque ſi hæc inſignia nullas figuras indecoras complectantur, ac denique ſi in infima caſulæ parte tantummodo texta ac concinnata ſint, pro ſua Eccleſia accipere debeat donum Dorothei, & præſertim ut eum recuſatione obſtinata non irritet; cum innumeris exemplis conſtet, graviſſima exinde oriri poſſe mala, cum iræ ſunt inter Parochum & Parochiæ Dominum, quemadmodum alibi dicimus.

CASUS VII.

Paeomus, cum in cujuſdam Pagi Ædibus ſacris intereſſet, ibique ſanctam Miſſam celebrare vellet, nullum albæ cingulum reperit. Num, hoc in caſu, ſtolam pro cingulo, & ampliſſimum manipulum pro ſtola adhibere poteſt, in neceſſitate, qua premitur ſacra celebrandi, quia Feſtus eſt dies?

Respons.

Sanctus Antoninus (a) hanc quæſtionem agitat, & dicit, talem Sacerdotem abſque peccato in neceſſitate urgenti, hac agendi ratione uti poſſe; Et ejus quam reddit ratio eſt, quod ſtola, quam adinſtar cinguli adhibet, & manipulus, per Epiſcopi benedictionem conſecrentur. En ejus verba: *Videtur, quod de longo manipulo, liceat facere ſtolam: & e converſo, de brevi ſtola manipulum vel Cingulum; quia omnia hæc vera benedictione conſecrantur* (b). Sylvius qui ſancti hujus Archiepiſcopi ſententiam refert, laudat etiam tres Auctores, qui idem docent, quibus Sylveſter de Prierio addendus eſt (c).

(a) S. Anton. 3. part. Sum. Theol. tit. 13. c. 6. § 5.

(b) Fr. Sylv. in 3. part. qu. 83. art. 6. quæſito 3.

(c) Sylveſt. v. *Benedictio*, q. 6. in fin.

ORNATUS MULIEBRIS.

ORNATUS is in eo ſitus eſt, quod mulier ſe comit & inſtruit omnibus, quæ decent & quæ conveniunt.

Ornatus, eo ſenſu, mulierum eſt tantum, quæ ſe comere amant, ut venuſtæ placeant & hominum amorem captent.

Videbimus 1. filiæ & uxori, quibuſdam in caſibus licere, ut ſe comant ſine peccato coram Deo; inde ornatus non ſunt de ſe mali, quamvis malus finis, quem habet ſexus, plerumque efficiat malos, iis utendo, aut ſe exornando præter ſortem ſuam & modeſtiam Chriſtianam. 2 Sexum muliebrem ſemper peccare, quum ex corrupto corde & mentis errore ſe comit. 3. Peccatum ejus non eſſe ſemper mortale, ſed quandoque veniale: quod in deciſionibus ſequentibus ſtudio diſtinguemus. Sed hanc in rem legenda expedit jam dicta in Titulo, qui inſcribitur *Fucus*, ornatibus admodum affinis.

CASUS PRIMUS.

FREDAGUNDA, conjux, ſe comere ſolet, ſerviens tempori & conſuetudini regionis, ut gratior ſit viro, & modeſtiam ſuæ competentem ſorti ſervet. Peccatne hunc in finem agens?

Respons.

Fredegundam peccare in caſu propoſito non autumamus. Nam peccati damnari licite nequeunt ornatus muliebres in alterutrum finem adhibiti. Sanctus Thomas (d) apprime dicit. En verba. *Quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare; vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel aliquid etiam ſuperaddere, ut placeant viris; conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis; niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua & curioſa.*

(d) S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 2. ad 4.

A S. Thoma dicta comprobat Doctrina S. Auguſtini (e), qui ad mulierem genere claram nomine Ecdidiam, ægre *nigellis veſtibus* indutam, ſcribens dicit, veſtes conjugis diſcrepare a veſtibus viduæ, *eſſe quidam pro modulo perſonæ habitus matrimonialis, a viduali veſte diſtinctus.* Et Matronæ, quæ teneretur veſte indui ſplendidiori & pro more aliarum ſui ordinis uxorum, licere, cor humile ſervando in ſplendida veſte. *Si aliqua dura conditione cogereris, poſſes habere in ſuperbo cultu cor humile.*

(e) S. Aug. Ep. 262. alias 99. v. 9. & 10.

Ratio hujus deciſionis eſt, quia præceptum, quo ſuis parere viris tenentur uxores, ſtrictiori eas nectit vinculo, quam cultum prohibens. Sed uxorem, ſe modo, quo offenderet proximum, comentem, a peccato incolumem non præſtaret viri præceptum, ſcandalo dato a Lege Dei interdicto. Idem de ea dicendum eſt, quæ ſe, ut placeat hominibus, comeret, quia ab hoc incentivo vitium non abeſt, & procedit ab amore proprio & ſuperbia: quod etiam actionibus virtutia malo geſtis incentivo ineſt; verbi gratia, eleemoſynæ, ut laudes, bonamque hominum exiſtimationem captaret, collatæ.

CASUS II.

Valentina, cujus connubium petit Alexander, ſe ſplendido, quem ſors permittit, cultu ornat, ut placeat adoleſcenti. Arguenda-ne eſt peccati?

Respons.

Iſta filia, non animo inducendi in Alexandrum amorem impurum, ſed ei placendi ſe comens, ut ſe ambiat uxorem, nec in alius occupetur amore, non eſt peccati arguenda. Sic cenſet ſanctus Thomas (f), qui, poſtquam dixiſſet, mulierem ſe cultu, ſorti ſuæ & conſuetudini regionis generali congruenter exornantem non peccare; ſubjungit, non peccare quoque eam, quæ ſe comit, ut viro ſuo, vel futuro marito placeat. *Similiter*, inquit, *ſi faciat, ut placeat decenter viro ſuo, quem habet, vel quem accipere debet, & ut ab aliis mulieribus retrahatur* (non peccat).

(f) S. Thom. in cap. III. Iſaiæ in fin.

CASUS III.

Florantia, ex Comite mulier, nolens ſecundo nubere, continuo exornat ſe comptu æque nitido ac dum vir in vivis erat. Peccatne, nobilitate eam non excuſante?

R<e->

RESPONS.

Non diffitendum, matronam nitidiori induendam esse comptu, quam infimae sortis mulierem, sed Florentiam privatam viro, cui placere ornamentis teneatur, & in matrimonio non appetendo firmam, sive studio, sive pietate, sive aetate provectiore, existimamus, se non comere modo extraordinario sine peccato, immo putamus eam, si intendat placere hominibus & eorum amorem in se concitare, esse peccati mortalis arguendam; si vero se comet ex levitate, & nimia sui indulgentia, peccatum ejus non esse semper mortale, sed quandoque veniale. *Illae autem mulieres*, ait sanctus Thomas (a), *quae viros non habeat, nec volunt habere, & sunt in statu non habendi, non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendam, quia hoc est dare eis incentivum peccandi; & siquidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscentiam; mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam; non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale*. Quod sanctus Doctor auctoritate S. Augustini ad Possidonium scribentis, comprobat, cujus haec recenset verba: *Nolo, ut de ornamentis auri, vel vestis, praepoperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eis, qui neque conjugati sunt, neque conjugari cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo*. Idem Doctor Angelicus, allato hoc sancti Pauli loco (b): *Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa*, eam infert conclusionem: *per quod datur intelligi, quod sobrius & moderatus ornatus non prohibetur mulieribus; sed superfluus & inverecundus & impudicus*.

(a) S Thom. 2.2. q.169. art. 2. in corp.

(b) 1. ad Tim. II. 9.

Denique idem sanctus (c) ad objectionem, e priore sancti Petri Epistola desumptam, respondens (d), in qua hic Apostolus, ut & sanctus Paulus vanos damnat mulierum ornatus, dicit, Apostolorum Principem ibi de mulieribus verba facere, quae maritos miseriis pressos contemnebant seque ornabant, ut aliorum amorem hominum ad se traherent: *Sicut Glossa .... dicit (e): mulieres eorum, qui in tribulatione erant, contemnebant viros; ut & aliis placerent, se pulchre ornabant: quod fieri Apostolus prohibet*.

(c) S. Thom. cit. art. 2. ad 1.

(d) 1. Petr. III. 3.

(e) Gloss. ordin. in princip. ad cap. 2. Petri III.

Diximus, Florentiae non licere se in casu proposito, exornare *modo extraordinario*. Sed ex scitis a sancto Thoma statutis, asserendum est, istam mulierem, nobilitate claram, posse sine peccato continuum habere vestitum & cultum, quo tegebatur ante viri mortem, si in ornatu nihil excedat statum mulieris sui ordinis, nec pudorem & modestiam Christianam laedat, modo non faciat ex vanitate, sed decori inter sui ordinis mulieres uso recepti servandi caussa. *Servata recta intentione, consuetudine patriae, & conditione status, non est peccatum*, sic dicente Doctore Angelico; contra si gloria ducta gloria se ornet, non est a peccato libera (f); &, ut jam diximus, peccatum esset mortale, si amorem impudicum in aliquem inducere niteretur (g).

(f) S. Thom. cit. q. 169. art. 1. in corp.

(g) Idem in cap. III. 1. Epi. ad Tim. lect. 2. sub finem.

CASUS IV.

A[illegible] Sericarios novam pannorum effinxit texturam, quae ita mulieribus placuit, ut infimae sortis cives iis indui velint, quibus splendidius exornentur. Peccavit-ne; & num mulieribus liceat iis uti sine peccato?

RESPONS.

Duae quaestiones in quaesito proposito contentae, dirimendae sunt fine effingentis texturas & mulierum novis pannis hisce utentium. Nam revera novas fingentes texturas quandoque peccant ob malos eventus insurgentes; praesertim depravata fingentes voluntate; inde dicit Cardinalis Cajetanus (h): *Valde tamen reprehensibilis est novitas propter multas deformitates & graves, quas habet, dum & consuetudo violatur, & occasio damni datur, & inanis gloria ac stultitia non sine scandalo committitur*. Attamen non est de se peccatum pannos effingere divites & sumptuosos, novasque texturas; modo praecipuus finis sit legitimus mulierum ornatus. Ratio est, quia mulieribus se ornare licet juxta suum statum, ac proinde earum cultum rationi consentaneum fingentes non peccant. Id docet sanctus Thomas (i) dicens: *Quia ergo mulieres licite se possunt ornare, vel ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris; consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccant in usu talis artis*. Tertullianus ipse, qui adeo acriter mulierum luxum & vanitatem insectatus est, hanc adoptat veritatem dicens (K): *Si quis, vel divitiarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, ut sapientiam non videantur consecutae, temperare malum hujusmodi curate; ne totis habenis licentiam usurpetis praetextu necessitatis*. Requirit solum sanctus Cyprianus, ut mulieres, vestibus sumptuosis, suae sorti congruentibus, indutae suam temperent mentem, nec iis malum in finem utantur unquam. *Locupletem te dicit & divitem*, ait is sanctus Martyr (l), *Sed divitiis tuis Paulus occurrit: & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum sua voce praescribit*.

(h) Cajet. in 2. 2. q. 169. art. 2.

(i) S. Thom. cit. q. 169. art. 2. ad 4.

(k) Tertull. lib. de cultu feminarum.

(l) S. Cyprian. lib. de discipl. & habitu virginum.

Et quidem an aequum prudensque exigeretur strictissime, ut Principissa, Ducissa aut alia illustris Matrona eodem, quo infimae sortis civis, indueretur vestitu; vel alia quaevis mulier cultu a consuetudine sedis suae alieno ornata, quum ab ea non abesset singularis ab aliis agendi modus, qui prudentissimis videretur ridiculus? Attendendum igitur est, dicente sancto Augustino (m), ad loca, tempora & personas, ut sanum feratur judicium de modo, quo vestiendae sunt mulieres. Virgo, quae conjugium renuit & sponsum elegit Jesum Christum, non est ornanda, ut conjux, quae marito placere studet. *Non usus rerum, sed libido utentis in culpa est*, inquit hic Pater ..... *quid igitur locis & temporibus personisve conveniat, attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus*. Et alibi (n), ad Possidium scribens: *Nolo tamen de ornamentis auri vel vestis, praepropEram habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo: illi autem cogitant, quae sunt mundi, quomodo placeant, vel viri uxoribus, vel mulieres maritis*. Doctor is Sanctus ait iterum alibi (o), locum sancti Pauli, inania prohibentis ornamenta, interpretans, vestem mulieris conjugatae, aut nubere volentis, distinguendam esse a veste viduae, de matrimonio non cogitantis, & oportere, ut illa sequatur in vestibus arbitrium mariti, modo nihil ab ea requirat alieni a Religione Christiana & probis moribus. *Porro de faciendis eleemosynis .... cum viro suo ... communicare, debere ejusdem non spernere voluntatem*; inquit alloquens Ediciam conjugem, *quanto magis de habitu atque vestitu nihil tibi praeter ejus arbitrium mutandum, vel usurpandum fuit, unde nihil divinitus legimus imperatum? Scriptum est quidem, mulieres esse debere in habitu ornato: aurique compositio & intortio crinium, & cetera hujusmodi, quae vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formae adhiberi solent, merito reprehensa sunt; sed est quidem (p) pro modulo personae habitus matronalis a viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis, salva religionis observantia, convenire*.

(m) S Aug. lib. 3. de doctrina Christ. c. 12. seu n. 18.

(n) Idem Ep. 245. alias 73. n. 1.

(o) Idem Epist. 262. alias 99. n. 9.

(p) Can. Quod Deo 4. 33. q. 1. §. 2.

Sequitur inde 1. Sic dicente vetere Theologo Anglo decimi tertii seculi (q), mulieres non esse nocentes, se exornantes in casu memorato, modo mens earum sit recta & Christiana, earum cultus modestus, neque nimius sit ad scandalum usque. *Licet, secundum nobilitatem personae, secundum consuetudinem terrae, secundum dignitatem Officii, ornare se vestibus pretiosis; Ita tamen quod absit libido in voluntate, & scandalum in exteriori opere*.

(q) Alex. Halens. Summ. Theol. part. 2. q. 134 membrorum.

Dixi-

Diximus, *modo earum mens sit recta & Christiana*. Nam forte istæ mulieres, vestibus & ornatibus suæ sorti congruentibus indutæ, peccarent venialiter, immo mortaliter: venialiter, si se ornarent *ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam*, ut fatur sanctus Thomas (*a*): mortaliter, *si hac intentione se ornarent, ut alias provocent ad concupiscentiam* autem. Doctor is Sanctus breviter complectitur alio in loco operum suorum modo dicta. In commentario in priorem ad Timotheum (*b*) Epistolam dicit duo, juxta sanctum Augustinum, in mulierum esse attendenda. Nam vel est simplex & proprius, vel nimia constans arte. Simplex vestium cultus, inquit, & auraturæ, aut alia ornamenta annexa, possunt fieri illicita, ac peccatam, triplici modo. Primo, mala earum mente, ut consilio hominibus placendi, & illorum ope amorem immodicum inducendi, ut inani gloria, qua moventur. Secundo, quando earum ornamenta excedunt limites, quos permittit consuetudo rationi consentanea, usu generali recepta in regione sedis; quia alias non possunt eximi a levitate, cujus fons est superbia. Tertio denique, quum id ornamentum eminet supra cultum sorti competentem: quibus is Doctor sanctus apponit, iis vitiis absentibus, non esse peccati arguendas in cultu vestium nec in ceteris ornatibus. *Secundum Augustinum duo sunt consideranda in ornatu mulierum; scilicet simplex ornatus & fucatus. Simplex ornatus, puta & in veste, & in auro, & hujusmodi; quod potest fieri cum peccato tribus modis: scilicet ex prava intentione, ut si intendant commotionem concupiscentiæ, ostentationem, vel inanem gloriam. Secundo, si fiat præter consuetudinem patriæ: quod fit diversimode. 3. Si conditionem sui status excedit; sed servata recta intentione, consuetudine patriæ, & conditione status, non est peccatum.*

Secundo sequitur inde, Atilin, ut jam diximus, ac hujusmodi Artificibus licere sine peccato fingere novas texturas, modo mens sit recta, & finis hujusmodi pannorum usus, qui hominibus ex eorum nobilitate aut ætate licitus est (*c*).

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. in corp.

(*b*) Idem in 1. ad Tim. II. lect. 2.

(*c*) De Sainte Beuve tom. 2. cas. 89.

OSCULUM.

PAUCIS complectimur verbis rem, quam in se habet hic Titulus: nobisque cum Cajetano sat est duplex distinguere Osculum. Hoc quidem amicitiæ, peccati expers cujusvis. Illud vero concupiscentiæ, *Osculum benevolentiæ, osculum libidinis* (*d*). Prius est innocens, *bonum ac laudabile est juxta morem patriæ inter quascumque personas sit*. Eo modo & mente Rachelem osculatus est Jacob (*e*). Posterius est nocens, *& nisi inter conjuges sit, est peccatum mortale*.

Bartholomæus Fumus, doctrinæ sancti Thomæ (*f*) & sancti Antonini (*g*) innixus, dicit inspiciendum esse diversi sexus osculum tripliciter (*h*). 1. In se solum: & eo sensu, non est peccatum: *Osculum tripliciter potest considerari, secundum se solum & sic non est peccatum; unde invicem osculamur ex amicitia & consuetudine sine peccato*. 2. Secundum delectationem sensuum, quam sapere est animus, ac quæ ad opus tendit nocivum; & tunc peccatum solet esse mortale. *Potest fieri propter delectationem sensitivam, ordinatum ad aliquem actum peccati mortalis; & est mortale ex intentione osculantis extra matrimonium*. 3. Secundum delectationem solum, quæ deliberatur sine consilio quid nocivi admittendi: & dicendum est peccatum mortale, si voluptas, quam sapit osculans, sit præcipuus finis. *Potest fieri ex delectatione sensitiva tantum, non ultra progrediendo: & sic etiam mortale est; quia actus venereus est ex se*. Idem censet Cabassutius (*i*), ac probat suffragio Cardinalis Cajetani (*k*), & damnatione ab Alexandro VII. 18. Martii 1666. lata, hujus propositionis. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale Osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex Osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

His satis superque convincitur diversus sexus, matrimonio non conjunctus, de periculo peccati sibi imminente, cui se objiciunt licentia Osculorum, quam sibi permittunt, sine caussa legitima.

(*d*) Cajet. in Sum. v. osculum.

(*e*) Genes. XXIX.

(*f*) S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 4.

(*g*) S. Anton. 2. part. tit. 5. c. 1. § 9.

(*h*) Armillia [illegible] v. osculum. n. 1.

(*i*) Cabass. Juris can. theor. & prax. l. 5. c. [illegible] fin. n. 5.

(*k*) Cajet. t. 1. opusc. de delect. morosa.

CASUS PRIMUS.

CALLINICUS Mæviam vicinam suam, sæpius deosculatur, cum plena quidem deliberatione, ac etiam carnalis delectationis captandæ caussa; at sine ulla ulterius progrediendi intentione, ac citra ullum pollutionis incurrendæ periculum. Peccat-ne mortaliter?

RESPONS.

Lethaliter peccare Callinicum liquet ex his sancti Thomæ verbis (*l*): *Cum fornicatio sit peccatum mortale, & multo magis aliæ luxuriæ species; consequens est quod consensus in delectationem talis peccati sit peccatum mortale, & non solum consensus in actum: & ideo cum oscula & amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiant; consequens est, quod sint peccata mortalia; & sic solum dicuntur libidinosa; Undecumque hujusmodi, secundum quod libidinosa sunt, sunt peccata mortalia.*

Idem rursus alibi (*m*) docet Angelicus Doctor, & auctoritate sancti Augustini (*n*) probat. Quod quidem confirmatur ex eo quod talis delectatio libidinosa inclinat & ex natura sua ad fornicationem tendit[illegible] consensus autem in delectatione omnino voluntariam alicujus rei, quæ ex se tendit ad peccatum mortale, a peccato lethali excusari nequit, præsertim in his, quæ ad libidinem pertinent. Hinc pro-

(*l*) S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 4. in corp.

(*m*) 1. 2. q. 74. art. 8. in arg. sed contra & in corp.

(*n*) S. Aug. Lib. de Trinit. n. 28.

propositio huic doctrinæ contraria, qua a quibusdam adstruebatur, probabilam esse opiniunem, talia oscula esse tantum venialia peccata, merito quidem ab Alexandro VII. damnata fuit die 18. Martii, anno 1666. Hæc antem, quæ inter quadraginta quinque damnatas, quadragesima est, his erat verbis concepta; *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris & pollutionis.*

CASUS II.

CLAUDIUS uxorem suam ita adamanter singulis prope diebus deosculatur, ut inde carnales motus, & quidem vehementes, in se sentiat frequenter excitari. Peccat ne mortaliter?

RESPONS.

Mortaliter peccare Claudium certum est, si ex talibus osculis nascatur pollutio, vel in proximum fœdi hujus peccati periculum deveniat; at utroque secluso, lethalis noxæ damnandus non est, cum & ipse carnalis actus sit inter conjuges non modo licitus, verum etiam quandoque meritorius. Merbesius (a), quem laxioribus opinionibus infensissimum esse norunt omnes, sic loquitur. *Oscula, tactus & amplexus inhonesti, inter conjuges accidere soliti, excusantur a peccato mortali; modo sese contineant intra limites affectus conjugalis, & absit pollutionis periculum.* Et paullo post: *Aspectus, vel osculum conjugum, matrimonii honestate, excusantur.* Non tamen diffitendum est, quin talia, quibus liberius ac frequentius indulgent conjuges, gravia venialia sint delicta: unde sapientis est Confessarii, ut eos increpet, suadeatque illis, ut mutuum amorem moderentur; & intra honestatis conjugalis limites cum omni cura satagant sese continere.

(a) Morbes. sum. Christ. part. 1. q. 79. post med.

CASUS III.

CLODOBERTUS, Fabiolam, sibi a parentibus desponsatam, singulis ferme diebus invisens, eam citra ullum libidinis animum deosculatur, ut ejus affectum sibi magis ac magis conciliet; suumque ipsi sincerum amorem testetur; quia tamen carnales motus in se excitari identidem sentit, veretur, ne graviter peccet. Quærit igitur, an liciti sibi sint tales amplexus?

RESPONS.

Quamvis oscula libidinosa peccata sint lethalia, ut ex S. Thoma (b) supra probatum est, illa tamen, quæ non ex libidine, sed ex aliqua honesta causa fiunt, lethifera censenda non sunt: possunt enim hæc absque libidine fieri, inquit S. Thomas, *vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam.* Causa antem qua movetur Clodobertus, libidinosa non est, sed justa & honesta. *De osculis autem, & amplexibus*, inquit Cajetanus (c), *inter eos* (Sponsos) *ad benevolentiæ & familiaritatis signa .... licita procul dubio sunt, excusaturque sponsa, credens sponsum benevolentiæ causa ea facere; quæ honestas morum admittit fieri pro benevolentia.* Et alibi (d): *Osculum benevolentiæ bonum ac laudabile est juxta morem patriæ, inter quascumque personas sit; osculum vero libidiais, nisi inter conjuges sit, est peccatum mortale.*

(b) S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 4. in argum. sed contra & in corp.

(c) Cajet. ad cit. 154. n. 4.

(d) Idem in sum. v. Osculum.

Angelici Doctoris sententiam pedetentim sequitur S. Antoninus (e), ac idem cum iis sentit Cabassutius (f), his verbis: *Oscula tamen & amplexus, secluso periculo pollutionis, non prohibentur inter sponsos; sed ubi inest periculum probabile pollutionis, prohibentur ut mortalia, etiam inter conjuges.* His consentiunt Cardinalis Toletus (g), & alii communiter, teste eodem Cabassutio citato. Caveat tamen Clodobertus, aliusve quilibet sponsus, necesse est; ne in hujusmodi osculis ullam carnalem delectationem quærat, ac ne quidem in eam, quæ ex ipso solo osculo oritur, consentiat, ne forte in noxam mortalem impingat: ii quippe carnales motus, quos sentit in se exsurgentes, quantum sibi ab omni carnis oblectamento præcavere debeat jam, satis ipsum admonent, propriæque fragilitatis conscium reddunt.

(e) S. Anton. 2. part. tit. 5. c. 1. §. 9.

(f) Cabass. jur. can. theor. & prax. l. 3. c. 10. n. penult.

(g) Tolet. l. 1. c. 14. n. 1. versic. secundo.

Porro accurate studeat, ne clanculum, sed præsentibus solummodo propinquis, aliisve personis honestis, Fabiolam deosculetur. Ne secreta oscula tandem evadant libidinosa, uti facillime quidem ac sæpissime contingere experientia docet.

FINIS TOMI SECUNDI.